



COMMENTARIVS
DE
SCRIPTORIBVS
ECCLESIASTICIS,
TOMVS SECVNDVS.

CASIMIRI OUDINI
COMMENTARIUS
DE
SCRIPTORIBUS
ECCLESIÆ ANTIQUIS
ILLORUMQUE SCRIPTIS TAM IMPRESSIS QUAM MANUSCRIPTIS ADHUC EXTANTIBUS IN CELEBRIORIBUS EUROPÆ BIBLIOTHECIS A BELLARMINO, POSSEVINO, PHILIPPO LABBEO, GUILIELMO CAVEO, LUDOVICO ELLIA DU PIN, ET ALIIS OMISSIS, AD ANNUM M CCCC LX. VEL AD ARTEM TYPOGRAPHICAM INVENTAM

CUM

MULTIS DISSERTATIONIBUS,

IN QUIBUS

INSIGNIORUM ECCLESIÆ AUTORUM OPUSCULA ATQUE ALIA ARGUMENTA NOTABILIORA ACCURATE ET PROLIXE EXAMINANTUR,






TOMUS SECUNDUS
CUM INDICIBUS NECESSARIIS.



LIPSIÆ,
SUMPTIBUS MAUR. GEORG. WEIDMANNI,
SAC. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXON.
BIBLIOPOLÆ, MDCCXXII.



COMMENTARII
DE
SCRIPTORIBVS ET SCRIPTIS ECCLESIASTICIS
TOMVS II.
SISTENS
SCRIPTORES ECCLESIÆ SECVLORVM IX. X. XI. & XII.

TOMVS SECVNDVS
PRAEFATIO.

SEC. IX. Hucusque nullum Scriptorem omisimus, quem in Supplemento nostro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad octavum usque seculum recensueramus. Alia imposterum ratione agemus, cum enim insigni omnino cura post Supplementi nostri editionem, *Historiam Scriptorum Ecclesiasticorum* aggressus sit Guillelmus Cavus, Sacræ Theologiæ Professor & Canonicus Windesoriensis, Londini in fol. anno 1688. impressam: in qua omnes ferme Scriptores, imo longe plures enumerat, quam in Supplemento citato per compendium duntaxat delibaveram, ne actum agere, crambemque jam coctam recoquere videar, ab his iterum hic recensendis atque discutiendis supersedebo. Attingam ergo imposterum ex Scriptoribus Ecclesiasticis vel eos quos Guillelmus Cavus omiserit, paucos illos satis, in comparatione eorum, quos affert. Nam quamvis diligentissimum illum esse fateamur, opusque ipsius perfectissimum: negari tamen a nemine potest, quin nonnullos sequiorum Ecclesiæ seculorum XI. XII. XIII. XIV. atque XV. Scriptores omiserit, eos maxime quibus huc usque fortuna fat benigna non fuit, ut ex manuscriptis in Bibliothecis latitantibus, obstetricante alicujus cura & studio, in publicam lucem erumperent. Quorum plurimos cum in Bibliothecis invenerim, mearum partium fuit, ne perpetuæ traderentur oblivioni, aliquam illic eorum agere mentionem designando Opera eorum, atque indicando ubinam MSS. inveniantur. Attingam iterum illos, quorum Opera duntaxat ex parte recensuit Guillelmus Cavus, ita ut illorum partem quandam omiserit, sive impressa illa sit, sive adhuc in Manuscriptis Codicibus illa latens, ad meam tandem notitiam pervenerit: nullus enim dubitat, quin authorum quorundam etiam impressorum ex parte aliqua, Opuscula adhuc sæpe MSS. lateant, quæ eandem cum prioribus emissis lucem non viderunt. Quod ingratum Lectoribus non erit, interdum anxiis, de iis quæ ex authore aliquo imprimenda restant. Attingemus denique tertio Scriptores illos omnes, circa quos ipse Cavus erraverit, vel quos imperfecte admodum aut jejune nimium attigerit: ne in recensendis authoribus error, si non corrigatur, ad alios pertranseat. Nullibi enim periculosius erratur, quam in argumentis ejusmodi: cum Lectores in Nomenclatoribus Scriptorum Ecclesiasticorum, indiscriminatim omnia admittant, quibus singula examinandi otium non est. Hac ergo ratione brevitati consulemus, neque rem jam factam iterato aggrediemur.

ODILBERTVS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPVS, seu Odelpertus Crassus Oltrado successit anno circiter 804. 804
Kalendis Octobris, ut habet Tristanus Calcus Libro V. Hic Pipinum Caroli Magni filium hospitio excepit, quem e vita excedentem, paternis adhortationibus ad formidabilem illum exitum communivit. In Regem Italiæ Ber-

Bernardum coronavit, defunctique Pipini corpus Veronam transmisit sepeliendum. Anno autem Caroli & Pipini in Italia regum XXXII. & XXV. mense Januario, hoc est anno 806. Ariganso Abbati sancti Ambrosii ædem sancti Vincentii in Prato concessit: cujus documentum refert Ferdinandus Vghellus tom. 4. *Italia sacra* col. 106. Novem annos Odolpertus creditam sibi administravit Ecclesiam, quem alii Odilbertum, aut Oldibertum, Oldobertum, Olibertum, vel Edelbertum, prout cuique visum est, vocarunt. Mandante Carolo Magno, scripsit Odilbertus anno 811. unum *librum de Sacramento Baptismi & ejus ceremoniis*. Epistola Caroli Magni ob eam rem ad Odilbertum, habetur tomo 1. *Analectorum*, Joannis Mabillonii pag. 21. *Responsio* autem *Odilberti* cum Opere huic annexo MS. habetur in Bibliotheca Augiensis apud Constanriam Monasterii in Germania quam cum specimine libri ex anterioribus Patribus descripti, dictus Mabillonius refert tom. 4. eorundem *Analectorum* pag. 301. Nos ejusdem (ut supra vidimus) subscriptionem apud Vghellum sequimur, in qua se Odelpertum Mediolanensem Archiepiscopum nominat & subscribit. Decessit V. Calendas Maji anno 814. atque in Ambrosiana Basilica sepulchrum accepit. De illo Capitularia Regum Franciæ, ex editione Stephani Baluzii, post Ferdinandum Vghellum tom. 4. *Italia sacra* col. 106. in Archiepiscopis Mediolanensibus. Joannes Mabillon tom. 1. *Analectorum* pag. 21. & tomo 4. pag. 317.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS TAM IMPRESSIS QVAM MANVSCRIPTIS, ADHVC EXTANTIBVS, SANCTI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

PROLOGVS.

806. Sanctus Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, ex urbe ipsa Constantinopoli ortus clarissimi viri Theodori Constantini Copronimi Notarii, & ob imaginum cultum bis in exilium acti ac Eudociæ filius, ingenium a natura sublime nactus, & magnarum rerum capax, illud omni disciplinarum genere diligenter excoluit. Inde Constantino Augusto, ejusque matri Irenæ a Secretis fuit, qui anno 787. in secunda Synodo Nicæna imaginum venerationem strenue promovit. Verum aulicæ vitæ pertæsus, ad Monasticum institutum in Monasterium quoddam e regione Bosphori Thracici secessit. Tandem anno 806. mortuo Tarasio, ipse Aprilis die XII. ad Patriarchalis dignitatis apicem evectus est. Anno 811. ad Leonem III. Pontificem Romanum pro Ecclesiarum more literas dedit, quem Nicephorus Impe. morem quoad vixit, interdixit. Anno 814. exeunte Leo Armenius edicto publico cultum Imaginum prohibuit, cui hac in re quantum in se erat, Nicephorus Patriarcha restitit. Quem cum nullis monitis, nullis consiliis, flectere Imperator posset, Patriarchali sede XIII. Martii anni sequentis depositum in exilium egit. Ad Monasterium primum quod ipse condiderat ac *Bonum* vocaverat, se contulit, qui mox in aliud Monasterium a se itidem ædificatum in Proconneso Propontidis insula, deportatus est: ubi ad extremum usque obitus diem delituit, qui ipsi die 11. Junii anno 818. contigit, quamvis Latini die XIII. Martii memoriam ejus celebrare soleant. Hæc verbotenus Guillelmus Cavus, jam ad scripta veniamus.

CAPVT PRIMVM.
DE OPERIBVS IMPRESSIS SVB NOMINE S. NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

Nicephorus ergo Patriarcha CP. S. Theodori Studitæ familiaris, Constantini Porphyrogeniti temporibus claruit, qui scripsit *ἱστορίαν σύντομον*, seu *Breviarium Historicum*, de rebus gestis à Mauricii cæde usque ad Constantini & Irenes nuptias, hoc est, ad Constantini annum XXIX, Christi 769. Primus in lucem produxit, & versionem suam in Latinum cum Notis edidit vir clarissimus Dionysius Petavius, Græce & Latine Parisiis anno 1616. in 8vo. Ac ejusdem ex Theophane luculentum fragmentum adjecit, sed alterius, ut videtur, operis. Nam dictio non ita concisa est ac in Breviario, sed fusior, qualis Oratorum esse solet. Quod verisimilem satis facit ejusdem Petavii conjecturam, esse illud ex opere aliquo, quo venerationem Imaginum defenderet adversus Imperatorem Iconomachum. Iterum prodiit utrumque Opus Græcolatine, inter Scriptores *Historiæ Byzantinæ*, Parisiis 1648. in folio, *Historiæ Theophylacti Simocattæ* subjunctum.

Dictionis elegantiam etiam Photius Patriarcha laudat in *Bibliotheca* Cod. 66. Addit quoque cum multos, qui ante scripsissent, hoc uno Historico opere exsuperasse, neque in eo ali-

aliquid aliud posse desiderari, quam quod brevitas nimia, aliquid de summa voluptate deterat. De Stylo ejus en Photii judicium & verba: Ἔςι δὲ τὴν φράσιν ἀπέριτλός τε καὶ σαφής. καλλιλεξίᾳ τε καὶ συνθήκῃ λόγου οὔτε λελυμένῃ, οὔτε αὖ πάλιν συμπεπιεσμένῃ, περιέργως κεχρυμμένος. ἀλλ᾽ οἵα ἂν χρήσαιτο ὁ ῥητορικὸς ὡς ἀληθῶς καὶ τέλειος ἀνήρ· τό τε γὰρ νεωτερόποιον ἐκκλίνει, καὶ τὸ ἀρχαιότροπον καὶ ἐξησκημένον οὐ παρατρέχει. ἔτι δὲ καὶ ἡδονὴ κέκραται αὐτοῦ σὺν χάριτι τοῖς λόγοις, καὶ ὅλως πολλοὺς ἐςι τῶν πρὸ αὐτοῦ ἀποκρυπτόμενος. τῇδε τῆς ἱςορίας τῇ συγγραφῇ, εἰ μή πω τὸ λίαν συντετμημένον οὐχ ὁλόκληρον δόξει διαπεραίνειν τὴν χάριν. „Lecta est Epitome Historica Nicephuri Patriarchæ Constantinopolitani. A Mauricii Imperatoris interitu initium „ducit, tenditque ad Leonis & Irenes conju„gium. Nihil stylus habet supervacaneum „aut obscurum, verborum delectu orationis„que compositione neque nimis dissoluta, ne„que contra nimis constricta, anxie usus est: sed „qualia adhibere possit Rhetor, vel perfectus „revera orator. Vitat enim nove ficta, neque „antiquitate usuque probata præterit. Jucun„ditas ad hæc illi gratiam conciliat in dicendo. „Denique ut verbo expediam, plerosque qui „antecesserunt, historica scriptione transeundo „obscurat, nisi quod nimia brevitate, omnes ve„nustatis partes explevisse non videatur.

Chronologia Tripartita, sive *Series Regum, Patriarcharum &c.* habetur latine jamdudum ab Anastasio Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario versa, & Historiæ suæ intexta, quæ ex Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, Georgii Syncelli ac Theophanis Confessoris Chronicis maximam partem desumpta, & in Latinum Sermonem conversa prodiit cum Annibalis Fobroti notis, Parisiis 1648. in folio ex typographia Regia. Græce autem a Josepho Scaligero primum edita ad calcem Chronici Eusebiani anno 1606. Lugduni Batavorum in fol. quodque postea recusum anno 1658. in fol. Amstelodami, cum Notis ejusdem Scaligeri tertia parte auctioribus. Denique hæc *Chronologia Nicephori* Græce & Latine cum Notis Jacobi Goari, subnexa Chronico Georgii Syncelli, Parisiis anno 1652. in folio. Eadem Latine cum Notis Antonii Contii in Bibliotheca Patrum editionis primæ & secundæ Parisiensis 1575. & 1589. Atque cum Appendice Joachimi Camerarii Basileæ 1562. & Lipsiæ 1573. in 4. An hæc *Chronologia* spectet ad nostrum hunc Nicephorum, ambigere videtur Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 25. his verbis: „Author Nice„phorus Junior in *Chronographia* sua, quam Latine „jam olim Joachimus Camerarius, Græce vero „cum Eusebii Chronico edidit Scaliger. Esse „autem Nicephorum hunc alium ab illo de quo „prius dicebam, satis inde colligere possumus, „quod Chronologus hic usque ad Photium e„numerat. At prior iste Nicephorus obiit anno 828. qui exilii erat annus XIV, nempe totis„ triginta annis, antequam Photius Patriarcha„ fieret. Quare aut verum est quod dixi, aut„ postea quædam Nicephori operi adjecta fuere,„ ut Gennadiu & aliis plurimis contigit.„ At scrupulum hunc apprime solvit Jacobus Goar in Notis ad hanc Chronologiam a se Græco-latine editam pag. 84. unde nec a Guilielmo Cavu in dubium revocata fuit.

Quantum ad Manuscriptas Codices Græcos *Chronologiæ S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani*, qui in Bibliothecis reperiuntur, maxime diversi sunt ac variantes, nec ullus hucusque repertus, qui non aliquam interpolationem habeat, vel adjectionem tam Imperatorum, quam etiam Patriarcharum Constantinopolitanorum Nicephoro scriptore posteriorum, uti ex editis constat. Hi enim adjecti per Scriptorem Nicephoro posteriorem Constantinopolitano videntur.

77. Tarasius a Secretis annis 9. diebus 2.

78. Nicephorus a Secretis, deinde Monachus annis 9. ab impio Leone Armeno in Exilium pulsus.

79. Theodotus Cassiteras, annis 15.

80. Antonius ex Sydæ Episcopo, annis 12.

81. Joannes Presbyter & Syncellus, qui ipsi insidiatus est, annis 9.

82. Methodius Orthodoxus, annis 4. mensibus 3.

83. Ignatius Eunuchus, annis 11. mensibus 5.

84. Photius . . . . . cujus anni non notantur.

Alii igitur MSS. Codices *Chronologiæ* hujus excurrunt usque ad tempora Leonis Imperatoris ac Photii Patriarchæ, alii ad tempora Nicolai Mystici, ut ex dicendis constabit.

Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia Bibliothecæ, in MS. Codice Barocciano 196. membraneo in 4. qui anno Mundi 6551. Indictione XI. die Veneris 3. Decembris absolutus est, hoc est anno Christi 1042. ubi a pag. 304. ad 307. habetur *Chronicon seu Chronologia* hujus Nicephori ab Adamo inchoans, Ἀδὰμ πρῶτος ἄνθρωπ⊛ ἐτῶν ϛς γενόμενος, desinens in Ignatio Photii antecessore.

Deinde a pag. 308. est *Catalogus Episcoporum Romanorum*, quorum ultimus est Bonifacius, ut in editis sequuntur *Patriarchæ Hierosolymitani*, usque ad Sophronium, cujus anni non notantur. Mox subjunguntur *Patriarchæ Alexandrini*, usque ad Petrum scilicet Cyri Successorem. Denique *Patriarchæ Antiochenses*, quorum ultimus est Anastasius secundus, ut in editis.

Inter MSS. Codices Bodlejanos Codice 294. in MSS. Codicibus Oliverii Cromvelli Codice 115. num. 16. eadem hæc *Chronologia brevis* ab Adamo usque ad annum Mundi 7008. hoc est Christi 1500. in qua recensentur ætates Patriarcharum, successio Regum Hebræorum, Persarum, Ægyptiorum, Romanorum & Constanti-

nopolitanorum,ubi Constantinopolim a Turcis captam anno 6961. memorat, hoc est anno Christi 1453. Indictione 1. mense Majo die 29. feria tertia, hora diei secunda.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ ejusdem Bibliothecæ Codice 715. 4. in membrana, in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi, folio 1. ad 13. *Chronicon Nicephori* ab Abrahamo tantum incipiens, & in Leone Sapiente dicto Basilii filio desinens, cujus Leonis anni notantur altera manu & alio atramento, qua postrema manu adduntur Imperatores quatuor sequentes scilicet, *Alexander, Constantinus Porphyrogenitus cum matre Zoë, Romanus, & iterum Constantinus Porphyrogenitus.* A pag. 7. ad 10. Catalogus Patriarcharum CPP. exhibetur a *Santo Andrea* ad *Nicolaum*, cujus anni non notantur, qui Nicolaus a Leone expulsus fuit. Hæc autem *Primaria Chronologia Nicephori Patriarchæ*, ultra Leonem Armenum extendi non videtur, qui illum anno 815. die 13. Martii ob cultum Imaginum depositum Patriarchatu, in exilium dimisit: & si quidam alii in editis & MSS. Codicibus habentur, a librariis adjecti videntur.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 5898. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 64. *Nicephori Chronographia brevis*, cum aliis MSS. Codicibus collata. Ejusdem *Chronographia* continuata & interpolata per Anonymum. Ibidem Codice 6094. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 260. Num. 5. *Nicephori Constantinopolitani Chronicon compendiarium*, Græce. At illud *Chronicon seu Chronologia*, quæ passim sub Nicephori Constantinopolitani nomine MS. extat, cum in MSS. usque ad Photium Nicephoro posteriorem extendatur, ut recte Scaliger notat: imo & usque ad Nicolaum Mysticum, & Imperatores illi suppares: vix cognosci potest, ad quem usque Imperatorem vel Patriarcham, primarius hic labor Nicephori Patriarchæ Chronologiam suam concluserit, quid illi ab Anonymis sequentibus adjectum fuerit. Hanc enim Chronologiam tam quoad Imperatores quam quoad Patriarchas Constantinopolitanos, continuavit Nicephorus Callistus, sub cujus nomine in MSS. Codicibus legitur. Item in MSS. Codicibus Academiæ Jenensis, extat *Chronographia Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani*, Codex MS. Græcus, cum subjecta *Stichometria*, quam tamen Camerarius in editione sua omisit, ut alias Bibliothecas Galliæ, Italiæ prætercam.

Στιχομετρία seu *Indiculus librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum & Apocryphorum*, appositis στίχοις seu versuum numero, quibus singuli libri constant, hujus *Chronographiæ* pars ultima est, quam Hammondus Dissertatione 2. cap. 7. §. 2. incerti authoris esse vult his verbis. *Ajunt tamen non injuria dici posse, ἀδέσποτον στιχομετρίαν, incertum ex quibus tenebris, ex qua officina παραχαραχθεῖσαν, sine omni dubio non sic ἐκκλησιαζομένην καὶ κεκανονισμένην esse, ut de Ignatio toto jam orbi noto, decretoriam sententiam ferre digna sit.* Idem censent Angli omnes Episcopales, ut Joannes Pearsonus clarissimus in *Vindiciis epistolarum Ignatii*, a. 1672. in 4. Cantabrigiæ impressis. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* seculo 9. in Nicephoro ad annum 806. pag. 507. his verbis: „Eam tamen Nicephori nostri“ non esse inde probat ὁ πάνυ Pearsonus parte“ 1. Vindiciarum Ignatii, quod etsi Chronogra-“ phiæ Nicephorianæ utplurimum adnexa sit,“ in nullo tamen Codice MS. nec ullo Vete-“ rum testimonio, Nicephoro diserte adjudice-“ tur. Authoris tamen esse Nicephoro coævi“ vel inde patet, quod ab Anastasio Romano in“ linguam Latinam versa sit, extatque Græce“ ad calcem *Chronographiæ* in editionibus omni-“ bus.“ Sed rationibus his negativis atque quisquiliis, eximie contra Anglos Episcopantes, respondet Joannes Dallæus in Opusculo *de libris suppositis Dionysio Areopagita & Ignatio Antiocheno* lib. 2. cap. 4. pag. mihi 243. quem hic proferre verbotenus non gravabor. „Sed Salma-“ sii, quod dixi, fidem luculentissime liberavit“ magnificentissima, quæ anno postquam hæc“ viri docti scripserunt, de ipsa Galliarum Re-“ gia prodiit, Georgii Syncelli & Nicephori“ Constantinopolitani Archiepiscopi, Chrono-“ logia. Viri docti στιχομετρίαν ἀδέσποτον vocant,“ editio Lutetiæ Parisiorum a. 1652. p. 420. *C Nicephoro* vindicat, amplissimo viro, primæ in Ori-“ ente sedis Antistiti, Scriptori gravissimo atq; elo-“ quentissimo, & liberalissimis Photii laudibus or-“ nato, in *Bibliotheca* Cod. 66. Hujus enim ipsius“ Nicephori est illa στιχομετρία, non alterius cu-“ jusquam recentioris, quod suggerere vide-“ bantur quædam, a summo Viro Gerardo Vos-“ sio, in suo *de Scriptoribus Græcis* opere lib. 2.“ cap. 24. allata. Idque solide & fuse demon-“ strat, eruditissimus Jacobus Goar *Annotationibus* in Nicephori Chronologiam pag. 84. quam“ adeat si quis adhuc dubitet. Viri docti suspi-“ cantur στιχομετρίαν *e tenebris & ex adulterina officina erepsisse*, editio in Regiæ Bibliothecæ“ Codice extitisse, & nunc ex ea prodire, testa-“ tur. Nam editionis pag. 419. indiculum ex-“ hibet *Scripturarum Veteris & Novi Testamenti,“ quæ recipiuntur ab Ecclesia, & in Canonem relata“ sunt:* simul etiam *versuum numerum*, quibus sin-“ guli libri continentur, unde στιχομετρίας nomen“ accepit. Tum sequens pagina, quæ Veteris“ Testamenti non admittuntur, ea prius recen-“ set: tum postremo hic titulus sequitur, *Quæ“ Novi Testamenti sunt apocrypha*, καὶ ὅσα τῆς νέας“ ἐστὶν ἀπόκρυφα. Et hic indiculus septem o-“ mnino articulis per numeros sigillatim decur-“ rentibus continetur, quorum hic est septimus“ seu ultimus: *7. Ignatii, Polycarpi, Pastoris &“ Hermæ libri*, καὶ Ἰγνατίȣ, Πολυκάρπȣ, Ποιμένος“ καὶ Ἑρμᾶ. Si vero viris doctis, Regiæ a-“ pud Gallias nostras Bibliothecæ fides suspecta“ sit, (quanquam cur hac in causa suspecta sit,“ nul-

„nulla profecto ratio est) en tibi majorem omni exceptione testem, Anastasium Bibliothecarium, hominum seculi noni, Nicephoro supparem. Is enim Præfatione Historiæ Ecclesiasticæ suæ ad Joannem Diaconum pag. 3. inquit, *Huic sane operi ratum duxi Beati Nicephori Constantinopolitani Episcopi Chronographiam præponere, ut scilicet & ex ea possis aliquantula carpere, & sicubi fortassis hac utendum judicaveris, tuam non lateat omnino notitiam.* Hujus autem Chronographiæ pars ultima, est illa librorum a nobis laudata στιχομετρία, Patriarcharum Christianorum indiculis subtexa, quam editio Anastasii Regia anni 1649. solido biennio antequam suas viri doctissimi Dissertationes ederent, Lutetiæ procurata exhibet ad Historiæ Anastasianæ calcem: ubi plane sicut in Græcis Nicephori, in ultimo Apocryphorum Novi Testamenti capitulo, hæc verba leguntur, *Ignatii & Polycarpi &c. Pastoris & Hermæ.* Ita asserta est, & a lævis doctissimorum virorum suspicionibus jam liberata, στιχομετρίας a Salmasio laudatæ fides: quam sibi non unus, incertus & adulterinus, sed duo veri nobilissimique auctores vindicant, unus Græcus, alter Latinus: Nicephorus qui eam edidit, & Anastasius qui adoptavit: ille Orientalis Ecclesiæ nono seculo caput, hic Latinæ paulo post secutis temporibus Bibliothecarius." Ita Dallæus doctissimus, quæ retulisse adversus Anglos non piguit.

CAPUT SECUNDUM.

DE ALIIS OPUSCULIS SUB EJUSDEM NICEPHORI NOMINE IMPRESSIS.

O*pusculæ IV. adversus Iconomachos*; Latine edita ex versione Francisci Turriani, ab Henrico Canisio Tomo IV. Antiquæ Lectionis pag. 253. Scripserat quoque *ἀντιῤῥητικῶν adversus Iconomachos Libros III.* exquibus forsitan est fragmentum quod Græcolatine cum *Breviario Historiæ* Dionysius Petavius anno 1616. Parisiis in 8. ex Theophane edidit. Opus illud prolixum fuisse Francisco Combefisio creditur, cujus ampla duo fragmenta Græce & Latine idem protulit in Auctario Græcolatino ad Bibliothecam SS. Patrum anni 1648. Parisiis in folio, ubi dicta Asterii Episcopi Amaseni ex libro 2. τῶν ἀντιῤῥητικῶν vindicantur, Tomo I. *Auctarii præfati* pag. 267. ad 280. Aliud adversus Iconomachos ex libro 3. τῶν ἀντιῤῥητικῶν ibidem pag. 277. Aliud *De sex Synodis* ex libro 2. τῶν ἀντιῤῥητικῶν Tomo 2. dicti *Auctarii* pag. 603. ad 610.

Extare autem *Antirreticum Opus Nicephori Constantinopolitani Archiepiscopi* Græce MS. in Regia Galliarum Bibliotheca testatur, Joannes Baptista Cotelerius, in tabula subjuncta ad Notas quas conscripsit ad *Opera Sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt*, littera *Nicephorus* col. 511. Tum in Notis ad librum I. Constitutionum Apostolicarum col. 120. littera B. ubi inquit: „Atque Apostolicam Constitutionem fictitiam nec extanrem, *contra sacras imagines*, Catholicis objiciunt Iconomachi apud Nicephorum Constantinopolitanum in *Antirrhetico secundo* Codicis Regii 781. Et notis ad librum V. earundem Constitutionum columna 247. litera E. Demum ex Nicephori Patriarchæ *Anthirretico primo*, hæc profert vir doctissimus atque sedulus MSS. Codicum indagator Fraociscus Combefisius Tomo 2. *Auctarii* ad Bibliothecam Patrum pag. 461. ἐκ τῆς συγγραφῆς τοῦ Τιμοθέου πρεσβυτέρου τῆς κατὰ Μαρκιανιστῶν, sic recte in Bibliotheca Regia Codice 781. At Codicibus 134. & 195. Μαρκιωνιστῶν, ἤτοι ἀκεφάλων καθ' ὧν ἠγωνίσατο Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, Φλαβιανός καὶ Θεόδοτος Ἀντιοχείας, Λιτοῖος (Codex 195.) Ἀητοῖος Μελιτινῆς (MSS. 195. & 781.) Μελιτηνῆς, καὶ Ἀμφιλόχιος Ἰκονίου, οἵτινες καὶ πεπραγμένα συνεστήσαντο, κατὰ (Libro MS. 195.) τὰ κατὰ τῆς τοιαύτα αἱρέσεως." His enim indicat, extare non semel hoc opus Græci MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, ex qua nonnulla excerpta dictus Combefisius protulit. Hic autem eo fide dignior, quod ipse cum Carolo Dufresnio du Cange, insignem hujus Bibliothecæ Catalogum omnium MSS. Græcorum conficeret, tum Parisiis degeremus: commissis Latinis MSS. Codicibus curæ Michaelis Germain ac Placidi Porcheron Monachorum Congregationis Sancti Mauri in Gallia, his in rebus versatissimorum, dum in Abbatia S. Germani Prateosis residerent.

Ejusdem Disputatio cum Leone Armeno Imperatore, Græce & Latine apud Franciscum Combefis in Originibus rerum Constantinopolitanarum pag. 159. ad 184. quam ex vita Nicephori à Theodoro Grapto Scripta ut arbitratur, edidit Parisiis 1664. in 4to. Desumpta est ex Sorbonæ MS. Codice, qui fuit olim Cardinalis à Lotharingiæ, deinde Richelii. Inscribitur, Διάλεξις Νικηφόρου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, πρὸς Λέοντα βασιλέα τὸν Ἀρμένιον, περὶ τῶν σεπτῶν εἰκόνων, συμπεριειλημμένη ἐν τῷ αὐτοῦ βίῳ, ὃς ἀπὸ τοῦ μακαρίου Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ συνεγράφθη. *Nicephori Sanctissimi Patriarchæ Constantinopolitani Disputatio cum Leone Armeno Devenerandis imaginibus, extatque comprehensa in ejus vita, quam Theodorus Graptus conscripsit.* Fadem MS. inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 2877. in MS. Codicibus Thomæ Bodleii supra P. 5. Art. Codice 94. Num. 37. inscripta *Nicephori Disputatio cum Leone Imperatore de venerandis imaginibus.* Extat quoque seorsim inter MSS. Codices Græcos in 4. Codice 43. Num. 4. Marquardi Gudii, Consiliarii dum viveret, Serenissimi Daniæ Regis in supremo tribunali Ducatus Slesvicensis, *Dissertatio S. Patris nostri Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ ad Regem Leonem Armenum de venerandis imaginibus:* cujus Bibliothecæ Catalogus tam impressorum quam manuscriptorum, editus anno 1706. Kilonii in 4. apud Bartholdum

dum Reutherum. Codices autem omnes Manuscripti, ad Bibliothecam Guelferbytanam transierunt.

Epistola prolixissima ad Leonem Papam, quæ professionem fidei illius continet, quamque ad Constantinopolitanam sedem evectus, pro more majorum direxit: quam Latine Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 811. Num. 20. ad 41. vulgavit ex interpretatione veteri, quam esse Anastasii Bibliothecarii opinatus est. Sed versio quæ in editione Græcolatina Commelini inter Acta Synodi Ephesinæ, est Theodori Peltani Societatis Jesu, Heidelbergæ 1591. in folio, Græce pag. 303. Latine pag. 342. Cum eadem Theodori Peltani legitur post Commentarios Joannis Zonaræ in Canones Conciliorum, Parisiis 1618. in fol. pag. 760. & in Collectione Conciliorum Labbeana Tomo VII. columna 1205.

Ejusdem Canones breves XVII. extant Græce & Latine in Jure Græco Romano lib. 3. pag. 195. & apud Zonaram supra allatum & Conciliorum ultimæ editionis Tomo VII. columna 1297.

Canones alii XXXVII. Græce & Latine cum Notis, extant apud Joannem Cotelerium Tomo III.

Veterum monumentorum Ecclesiæ Græcæ pag. 445.

Epistola ad interrogationes XII. de re Canonica ac totidem responsiones continens, ibidem Græce & Latine pag. 453.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum Codice 4068. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Sionensis Codice 4. *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Chronographia.* Item *Epistola Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani ad Leonem III. Papam.* Ejusdem *Discrimen inter Imaginem Christi & Crucem undecim Syllogismis expositum.* Ejusdem *Apologeticus super Schismaticis propter Imagines ad Ecclesiam universalem.* Et Codicibus 5844 & 5845. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codicibus 10. & 11. *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Discrimen, inter imagines Christi & Crucis, decem Syllogismis ostensum.* Ejusdem *Apologia ad Ecclesiam Catholicam de novo Schismate circa Imagines.* Atque opinor hoc opus esse unum & idem cum *Antirreticis* ejusdem, de quibus supra Cotelerius egit, & qui nunc extant in Regia Galliarum Bibliotheca Græce MSS. tribus Codicibus 1826. 1989. 2378. & in Colbertina Codice 364. insignis antiquitatis. Jam ad alios MSS. Codices aliorum ejusdem Operum veniamus. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 158. p. 237. *Nicephori Homologeta seu confessoris Canones.* Et Codice 264. p. 126. b. τοῖς ὑπὸ ἀφετικῶν. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliorum ejusdem Regni insignium Bibliothecarum Codice 5926. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 29. num. 10.

Alius quoque Nicephorus dignitate Chartophilax, circa eundem illum annum 810. claruisse videtur, licet ætas ejus admodum incerta sit. Interrogatus à Theodosio quodam Monacho Corinthi recluso, de arduis quibusdam juris seu conscientiæ quæstionibus seu casibus, ad illum rescripsit *Solutionum Epistolas II.* quæ extant Græce & Latine in Jure Græco Romano Libro V. pag. 341. ac Latine tantum in Bibliotheca Patrum, ex editionibus variis. Hæc Guilielmus in *Historia rei literariæ* ad annum 801. pag. 505. ubi observat haberi Latine inter Orthodoxographos pagina 74. *fragmentum* istius Nicephori ad Theodosium eundem, quod aut alteri ejusdem argumenti Epistolæ jam deperditæ, vicem proœmii obiisse videtur.

Hæc à nobis dicta de Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano ampliora suppeditarunt, Ignatius Diaconus qui vitam ejus conscripsit, quam habes Græce & Latine apud Henschenium ad diem Martii 13. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus.* Jacobus Goar in Notis ad *Chronographiam* ejus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. De Historicis *Græcis* cap. 25. Joannes Dallæus *de Libris suppositis Dionysio Areopagita & Ignatio Antiocheno*, lib. 2. cap. 4. pag. mihi 243. Guilielmus Cavus in Historia rei literariæ ad annum 806. pag. 506.

CAPUT TERTIUM.

DE MANUSCRIPTIS OPERIBUS SANCTI NICEPHORI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, ADHUC EXTANTIBUS IN BIBLIOTHECIS CELEBRIORIBUS GALLIÆ.

CUm Anselmus Bandurius patria Ragusinus, in Galliam veniens atque Bibliothecas Parisienses frequentans, multa Opera magnæ molis ad Nicephorum Patriarcham Constantinopolitanum in dubie spectantia reperisset, subiit in mentem ejus, ut illa omnia Græce & Latinæ duobus voluminibus molis non exiguæ in folio edenda satageret, quorum quæ jam edita ab antiquo fuerant, nec quartam partem novæ hujus impressionis facerent. Hanc ob causam prodiit, *Conspectus Operum Sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, quæ propediem 2, in folio voluminibus edenda sunt Græce & Latine, cum interpretatione, Notis ac Dissertationibus VIII. Criticis, Dogmaticis & Historicis. Opera & Studio Domini Anselmi Banduri Ragusini, Presbyteri Monachi Ordinis Sancti Benedicti, à Congregatione Melitensi. Parisiis apud Claudium Rigaut, via Cithara 1705. in 12. pag. 85.*

Tantum placuit hoc Anselmi Bandurii institutum Joanni Alberto Fabricio, ut non contentus Tomo VI. Bibliothecæ Græcæ quæ anno 1714. Hamburgi in 4. prodiit, disseruisse de *Chronologia Nicephori* cap. 4. pag. 153. & 154. & cap. 5. de *Operibus ejusdem Nicephori Patriarchæ aliis* pag. 295. ad 299. Sed Tomo VI. inseruit verbotenus *Conspectum Anselmi Bandurii* laudatum, foliis præli sex integris, à pag. 640. ad 683. qua excer-

cerpendi ratione, paucis temporibus ingens volumen efficere, facillimum ipsi fuit.

Conspectus Anselmi Bandurii Tomo VI. *Bibliotheca Græca* Alberti Fabricii pag. 640. ad 643. Opera autem Sancti Nicephori ex quatuor MSS. codicibus, Regiis tribus 1826. 1989. 2378. & Colbertino uno 354. juxta admonitionem Lectori factam, Parisiis in Monasterio Sancti Germani de Pratis MDCCV. IV. Kalendas Junii.

Tomo primo.

Instar Præliminarium, Præfatio de iis quæ hoc volumine continentur.

Dissertatio de Nicephoris, eorumque Scriptis.

Vita Sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, ab Ignatio Diacono ejus discipulo conscripta.

Oratio Theophanis Presbyteri habita in translatione reliquiarum illius.

Chronica Synopsis Sancti Nicephori Patriarchæ CP. Acta ac scripta ordine annorum digerens, ex ejusdem Nicephori vita, ex Epistolis S. Theodori Studitæ, aliorumque Authorum monumentis.

Veterum testimonia de Sancto Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano.

Sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani de irreprehensibili & pura Christianorum fide, capita LXXXIII. *Apologeticus in tres partes distinctus.*

Appendix ad librum superiorem, sive selectæ sententiæ ac fidei regulæ, ex Sacris Scripturis, & ex libris Sanctorum Patrum excerptæ.

Præfixum est Procemium, in quo de Iconomachorum temeritate circa ea quæ sunt fidei, de fugiendis variis quæstionibus, de fidei præstantia & aliis.

Testimonia Scripturarum ac Sanctorum Patrum.

Dissertatio de Constantini Copronymi, qui à Nicephoro *Mamonas* est appellatus, vita, moribus, doctrina & scriptis.

Antirrheticorum libro I. capita L. continens. Antirrheticus II. capitibus XX. Antirrheticus III. capita LXXXIV. complenses.

Appendix ad libros superiores, seu LXXV. testimonia Sanctorum Patrum circa Quæstionem, utrum Christus secundum humanitatem circumscriptus fuerit, necne. Præfixum est procemium, nempe Testimonia &c.

Disquisitio de vita, moribus, doctrina ac Scriptis Eusebii.

Antirrheticus seu Confutatio, eorum quæ Eusebius & Epiphanides, contra Christi Salvatoris nostri Incarnationem inepte disseruerunt. Hujus Antirrhetici duæ sunt partes, prima contra Eusebium, secunda contra Epiphanidem.

De vita, moribus, doctrina ac scriptis Eusebii, Disquisitio.

Antirreticus contra impium Eusebium, Capitibus LXXVI.

Dissertatio de Pseudonymi Epiphanii doctrina.

Antirreticus contra Epiphanidem, Capitibus XXX.

Tomo secundo.

Præliminaria Bandurii Interpretis, nempe Præfatio de iis quæ hoc volumine continentur.

Dissertatio de Synodo Nicæna secunda, ac in eandem observationes variæ.

Recensio critica quamplurium Operum variorum, SS. Patrum, ex quibus Iconomachi fragmenta contra Imagines protulerunt.

Præfatio ad Macarii Magnetis Opera.

De Macario Magnete Testimonia Scriptorum recentiorum.

De Macario Magnete Testimonia Veterum, seu De Verbis Macarii Magnetis, Antistitum judicium Orthodoxorum, quæ Iconomachi contra Imagines sacras impie usurpaverant.

Procemium non esse temere cuilibet doctrinæ credendum, sed ei tantum quæ cum Scripturis sacris congruens esse videatur.

De mala fide Iconomachorum, qui testimonia trunca ac inutila, vix indicatis Authoribus, examinanda sancto Nicephoro miserant.

De testimonio ex Apocriticis Macarii sumpto.

De Codice manuscripto vetustissimo, in quo Apocritica Macarii continebantur.

De Macario ipso cujus fuerit, & quô tempore vixerit.

Excerpta ex Apocriticis Macarii, sive ex Dialogis ejus cum Græco sive Ethnico.

Ostendit sanctus Nicephorus, quæcunque Macarius in iis libris de Imaginibus disputavit, non pertinere ad Imagines Christi & Sanctorum, sed ad profanas gentilium Deorum imagines.

Denique Præfatio brevis Bandurii interpretis. Jam ad Nicephorum ventamus.

Sancti Nicephori Antirrheticus liber, contra eos qui divinam Imaginem idolum nominare, impie ausi sunt. Item quid sit γραπτὸν & περιγραπτὸν? & quomodo intelligendum illud, Non facies ullam imaginem &c. Item observanda esse ea, quæ à Patribus tradita sunt, denique testimoniorum quæ ab Ecclesia hostibus impie usurpata sunt, confutatio. Omnia Capitibus XL.

Dissertatio Bandurii cujus duæ sunt partes, Prima refutatio & eversio Pseudosynodi Copronymi, altera de Conciliis Generalibus, & ad quem spectet congregare concilium, ac quodnam universale & ævum unicum dicatur. Atque hæ Bandurii Dissertationes nihil ad Nicephori Opera faciunt.

Liber Antirrheticus, cujus duæ partes, prima capitibus XXI. refutatio & eversio Decreti illegitimi atque pseudonimi, quod promulgatum est ab iis, qui Catholicam & Apostolicam Ecclesiam deseruerunt, & ad

& ad evertendam Divini verbi Incarnationem aliena sententia se accommodarunt.

Admonitio Anselmi Bandurii interpretis ad lectorem.

Pars altera Antirrhetici, qua Capitibus XX. constat.

Opera Sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani antehac edita.

Præfatio Generalis Domini Anselmi Bandurii, interpretis.

Synodus Constantinopolitana sub Nicephoro, in qua Josephum quem defunctus Tarasius, propter conciliatas incestus nuptias Constantini Imperatoris filii Irenes deposuerat, in Presbyterum recepit.

Concilium Constantinopolitanum habitum contra Antonium Sydæ Metrapolitam, à Sancto Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano & Episcopis CCLXX.

Sancti Nicephori Constantinopolitani Canones XXXVII. ex Ecclesiasticis ipsius constitutionibus & Sanctorum Patrum cum eo congregatorum collecti.

Canones XVII. ex Canonibus Nicephori Patriarcha Constantinopolitani œcumenici, ex ipsius Ecclesiasticis Constitutionibus.

Sancti Patris nostri Nicephori Patriarcha Constantinopolitani & confessoris Epistola Canonica.

Epistola Nicephori, qua prolixe confessionem fidei sua anno DCCCII. Leoni Papa declarat, cujus titulus: *Leoni Papa antiqua Roma; fratri & comministro per omnia sanctissimo beatissimoque, Nicephorus Dei misericordia Episcopus Constantinopolitanus in Domino salutem.*

Chronologia tripartita secundum rationem Graecorum, olim Latine versa ab Anastasio Bibliothecario, explicata à Joachimo Camerario. Eadem emendata & notis illustrata per Antonium Contium.

Ac demum sub titulo brevis Chronographiæ ad varias editiones recensita, tabulisque Chronologicis & Adnotationibus dilata, prodiit Parisiis anno MDCLII. cura & studio viri de re literaria optime meriti admodum R. P. Jacobi Goar, Ordinis Prædicatorum.

Sancti Nicephori Patriarcha Constantinopolitani Breviarium Historicum, de rebus gestis ab obitu Mauritii ad Constantinum usque Copronymum, primum in lucem editum ac Latine versum opera & studio viri doctissimi ac eruditissimi admodum R. P. Dionysii Petavii e Societate Jesu, cum ejusdem Notis Chronologicis. Parisiis MDCXVI. & ex Typographia Regia MDCXLVIII.

Opera dubia, vel potius falsa, sancti Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani.

Interpretamenta somniorum secundum ordinem Alphabeti versibus Jambicis, edita à Nicolao Rigaltio post Oneirocriticon Astrampsychi, eodem quo Oneirocriticon Artemidori volumine, in 4. Lutetiæ, ex officina Claudii Morelli MDCIII.

Macarius Magnes, seu de Macario Magnete, authore vetustissimo, veterum ac recentiorum testimonia. Item fragmenta ex ejusdem libris excerpta, pleraque nunc primum ex MSS. Codicibus deprompta, in quo Joannis Boivin Opuscula hæc continentur. I. Præfatio Joannis Boivinii, de Macario Magnete & ejus operibus. II. Testimonium Photii de Macario Magnetum Episcopo. III. De verbis Macarii Magnetis, quæ Iconomachi contra imagines sacras protulerant, Antistitum Orthodoxorum disputatio, qua continentur multa ex ejusdem libris Apocritis excerpta. IV. Testimonia recentiorum, item fragmenta Apocriticarum a Turriano & aliis quibusdam recentioribus edita. V. Fragmenta Commentarii in Genesim ejusdem Macarii Magnetis, ex MS. Codice Eminentissimi Cardinalis Ottoboni desumta.

Hactenus Conspectus Operum Sancti Nicephori Constantinopolitani, a viro clarissimo Anselmo Bandurio junctim edendorum.

CAPUT QUARTUM.

DE MANUSCRIPTIS CODICIBUS GRÆCIS, UNDE FORMANDÆ HUJUS EDITIONIS AMPLISSIMÆ OCCASIONEM ANSELMUS BANDURIUS ACCEPIT.

Consilium editionis tam magnificæ sub S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani nomine, cepit D. Anselmus Bandurius ex tribus MSS. Codicibus Græcis Regiæ Galliarum Bibliothecæ, 1826. 1989. & 2378. qui sub Theodori Grapti nomine habentur, atque ex uno Colbertino 354. sub nomine ipsius Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani. Opuscula quæ in his MSS. Codicibus Regiis habentur, Nicephorus Gregoras *Historia Byzantina* suæ Lib. XIX. cap. 3. Num. 3. pag. 591. arbitratus est vere ad Theodorum Graptum cujus nomen præferebant pertinere, contra quem Joannes Boivinius illius editor, omnes illos ex MS. Codicis Colbertini 354. antiquioris fide & inscriptiones Nicephoro Patriarchæ Constantinopolitano asseruit. Errorem autem suum de his libris Theodoro Grapto affirmandis, confirmavit idem Gregoras Historiæ Byzantinæ libro XXIV. pag. 712. litera C. At Joannes Boivinius in Notis ad Gregoram pag. 793. 794. & 795. hunc Gregoræ errorem latissime confutavit, his quæ verbotenus à Boivinio allaturi sumus.

Extat inter MSS. Codices Regios volumen " ingens chartaceum, quo continentur libri pro " Imaginibus contra Iconomachos scripti. Hi " libri sunt, *Apologia pro fide Orthodoxa, Antirrhetici tres contra Mammonam, Eusebii denique & Epiphanida refutatio:* cui præfixum est nomen " Theodori Grapti tanquam auctoris. In calce " legitur, Τὸ παρὸν βιβλίον τοῦ ἁγίου Θεοδώρου " τοῦ Γραπτοῦ, τῷ μακρῷ χρόνῳ ἀφανισθὲν, τῇ " περὶ τὰς θείας γραφὰς φιλευσεβεῖ σπουδῇ καὶ " φιλοκαλίᾳ τοῦ ἁγίου ἡμῶν αὐθέντου καὶ βασιλέως " κυροῦ Ἰωασὰφ τοῦ Καντακουζηνοῦ, ἑνὸς μόνου βι- " βλίου

βλίυ εὑρεθέντος, κἀκείνυ πάνυ μὲν σαθρῦ διὰ παλαιότητα χρόνυ· ἐσφαλμένυ δὲ καὶ τῇ τῦ γεγραφότος ἐκεῖνο ἰδιωτείᾳ, μετεγράφη εἰς ὠφέλειαν τῶν ἐντευξομένων, ἐν ἔτει ͵ϛωοϛʹ μηνὶ Μαρτίῳ Indict. ϛʹ. Id est, *Prasens hoc opus sancti Theodori Grapti, longo tempore obscuratum, tandem religioso in divinas Scripturas studio ac laudabili curiositate Divi Domini nostri & Imperatoris Domini Joasaphi Cantacuzeni perquisitum, unico exemplari reperto, eoque ob vetustatem admodum corrupto, ac praterea librarii ipsius ignorantia depravato, in usum eorum, qui lecturi sunt, transcriptum est, anno 6876. mense Martio Indictione VI.* id est, *Christi 1378.* Vetus exemplar, ex quo Cantacuzenus describi suum curavit, ipsum quoque extat in Bibliotheca Regia, quod hanc inscriptionem prafert, Τῦ μακαρίυ Θεοδώρυ ἀδελφῦ τῦ Θεοφάνυς, περὶ ἀμέμπτυ κ̀ καθαρᾶς κ̀ ἀλκηρινῦς ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως, κ̀ κατὰ τῶν δοξαζόντων εἰδώλοις προσκεκυνηκέναι. Ea Codicis pervetusti inscriptione Cantacuzenus deceptus, Theodori Grapti libros eos esse credidit, qui Nicephori Patriarchæ erant, manavitque ea opinio apud omnes illius seculi eruditos. Nam & Palamitæ, inter quos eminebant Cantacuzenus ipse, Philotheusque Patriarcha, & Palamitarum adversarii Gregoras atque Cyparissiota Codicis Regii 2408. fol. 105. 154. 171. 195. 295. 299. 263. 375. & alii, Opera ea Theodori Grapti genuina esse uno omnes ore pronunriarunt. Cæterum Cantacuzenus & cæteri, si vetustissimo præfixum exemplari titulum propius attentiusque inspexissent, commissum in ea parte fraudem statim animadvertissent: primam scilicet Tituli lineam, in qua Theodori nomen occurreret, exaratam esse recentiori manu. Cui rei argumento est, primum ipsa positio illius lineæ. Est enim altior, quam quæ illi in ejusdem folii versi tergo respondet, eoque fit, ut prima pagina subsequentem cæterasque omnes uno versu excedat, quod apud librarios vitium est, scripturæ accuratæ legibus contrarium. Deinde versus ille, in quo Theodori Grapti nomen legitur, non eodem atramento scriptus est, quo cæteri, qui proximi sequuntur. Denique ipsa Scripturæ lineamenta diversa sunt, ut mecum fatebitur, quisquis literas contulerit, præsertim E, Θ, M, & τ, quarum formam aliam esse in primo versu, aliam in secundo & tertio, facile erit cuivis perspicere. Ejusce facinoris auctorem suspicari licet, vel Palamam, vel Palamitam aliquem, penes quem hic Codex fuerit, antequam ad Cantacuzenum pervenisset: nec enim Cantacuzenum ipsum falsi insimulare ausim. Gregoras Historiæ lib. XXI. infra cap. 3. Sect. 8. Vide & lib. XXIII. pag. 676. E. & 677. A. fraudes ejusmodi, imo majores Palamitis objicit. *Neque enim in nos soloe* (inquit) *manus ii armant sanguinarias: sed ex ipsis sacris libris recisa multa auferunt, folia chartacea bina & quaterna acutis cultris desecant, & ex divinis Scripturis ea avellunt, qua validum & expugnatu difficile robur opponentia, ad suum libitum iniquis interpretationibus detorquere non possunt.* Porro intererat Palamitarum, ut libris illis, quibus multa continerentur eorum erroribus contraria, Theodori Grapti potius, quam Nicephori Patriarchæ videlicet Constantinopolitani, nomen inscriberetur. Initio certe Theodorus Graptus parvi ab illis factus, quanquam iidem postea, ejus testimoniis ad suum sensum accommodatis, miris laudibus ipsum ornaverint. Extat apud Gregoram in libro nondum edito Codicis Regii 2952. fol. 157. gravis querela de Palamita quodam, qui de Theodoro Grapto & de ejus libris non satis reverenter loqueretur. *Ecqua enim* (inquiebat Palamæ Sectator) *novit illum Ecclesia? Quis nostrorum illius unquam meminit? Tum addebat, quacunque is contra Iconomachos scripta composuisse diceretur, ea erroribus gravissimis scatere. Quod si alii quipiam nonnulla interseruissent spuria & supposititia, & iis nomen illius subscripsissent, ipsum quidem irreprehensum futurum, non item ejus libros: fint ea essent ejus reipsa & indubitate, jam eum simul cum libris rejiciendum, & in hareticorum numero ponendum.* Hæc Palamita ille, in quem Gregoras acribus verbis invehitur, ad Cantacuzenum ipsum conversus. *Ecquem tu* (inquit) *hunc derepente in sanctum illum Patrem, sapientemque Doctorem armas novum Archilochum, ac potius Archilochi simiam? Cur hac prasente te abjectissimus furibundusque homunculus evomuit?* Non mirum itaque homines improbos, quales illi fuisse videntur, Codicem vetustissimum nactos, cui Auctoris nomen inscriptum non esset, illud præfixisse nomen, quod arbitrarentur contemptius obscuriusque esse, quam ut magnæ contra eos auctoritatis esse posset. Vt ut sit, manifestum certe est, interpolatum fuisse Codicis antiquissimi titulum, additamque esse recentiore manu, ut diximus, eam lineam, in qua Theodori Grapti nomen legitur.

Superest ut jam ostendamus, librorum eo volumine comprehensorum, auctorem esse Patriarcham Nicephorum. Primo constat, Nicephorum multa pro Imaginibus contra Iconomachos variis temporibus scripta edidisse. Ignatius Diaconus, qui vitam ejus scripsit, cum ait post Nicænam Synodum, cum Laicus adhuc esset, in fidei hostes insurrexisse, τότε δὲ, inquit, καὶ ὁ μέγας Νικηφόρος, τὰ νίκης ἐπιφερόμενος σήμαντρα, κατὰ τῶν τῆς πίστεως ἀντιπάλων, τορόν τι καὶ ἐνυάλιον ἀνεκρούετο μέλος, Χριστὸν εἶναι ἀπερίγραπτον κατὰ τὸ τῆς θεότητος, ἁπλοῦν καὶ ἀνέπαφον· περιγραπτὸν δὲ καὶ γραπτὸν κατὰ τὸ τῆς ἀνθρωπότητος, ἁπτόν τε κ̀ σύνθετον, ὅις τὸ εἰκονίζεσθαι ἀραρότως ἐπακολυθήσοι. Quibus Ignatii verbis, *Apologiam pro fide* ego indicari puto. In Synodica Epistola Orientalium ad Imperatorem Theophilum, memoratur liber

„*Contra Christi imaginem* a Joanne Anagnosta „editus, idemque a Nicephoro refutatus. „Theophanes Confessor integram de Copronymi obitu narrationem, ex tertio contra „Mammonam Antirrhetico translatam, Chronico suo inseruit: atque ejus narrationis au„ctor in Codice Joycusano, Nicephorus Pa„triarcha judicatur, teste Petavio, in fragmen„tis Breviario Chronico Nicephori Patriarchæ „subjunctis. Cum Codice Joycusano consentit „Michael Glycas *Annalium* parte II. pagina 137. „editionis Regiæ, ubi excerpta ex secundo con„tra Mammonam Antirrhetico verba, tanquam „Nicephori Patriarchæ laudantur. Præterea „& in Anastasii Quæstionibus, & in Panoplia Dog„matica Euthymii Zygabeni, Nicephoro Pa„triarchæ, tanquam vero auctori asseruntur „varia fragmenta ex iis libris, quos Cantacuze„niani Codicis titulus corruptus, perperam „Theodoro Grapto adscribit. Denique ii ipsi „libri in Codicibus multis, Patriarchæ Nice„phori nomen præferunt. Unus autem cæte„ris omnibus multo antiquior, nec longe post „ætatem auctoris scriptus, is est Codex Col„bertinus Num. 354. non ea solum continet „quæ Cantacuzenianus, sed & duos præterea „libros, quorum primus est *de Testimoniis Ma„carii Magnetis*, in altero agitur *de Divina Ima„gine, quæ ab Iconomachis idolum dicta fuerat:* „item *quæritur, quid sit γραπτὸν & περιγραπτόν*, „tum *quomodo intelligendum illud: Non facies ul„lam imaginem, &c.* Hujus Codicis titulus, o„mnibus partibus integer, & nulla fraude su„spectus, ita habet, *Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν „καὶ ἀρχιεπισκόπου γενομένου Κωνσταντινουπόλεως Νι„κηφόρου λόγος ὑπὲρ τῆς ἀμέμπτου καὶ καθα„ρᾶς καὶ εἰλικρινοῦς ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν πίστεως, καὶ „κατὰ τῶν δοξαζόντων εἰδώλοις προσκεκυνηκέναι.* „Itaque minime dubium est, quin ea Nicepho„ri Patriarchæ Opera sint, quæ Cantacuzenus, „Gregoras, Philotheus, Joannes Cyparissiota, „& alii complures, Theodori Grapti esse „putaverunt. Hæc Joannes Boivin ad ver„bum.

Alia quoque sunt Opuscula, quæ sancto Nicephoro Patriarchæ Constantinopolitano tribuuntur, ut *Vita Sancti Dionysii Areopagitæ*, quæ ipsi in Catalogo Barberinæ Bibliothecæ adscribitur & extat in editione Operum S. Dionysii Corderiana Tomo 2. pag. 204. sed verbotenus accepta est ex libro 2. *Historiæ Ecclesiasticæ* Nicephori Callisti Scriptoris recentissimi cap. 20. Quemadmodum *Scholia in Synesium*, eidem Nicephoro Constantinopolitano, in eodem Catalogo adscripta, quæ constat esse Nicephori Gregoræ patria Constantinopolitani, qui ab anno 1351. ad 1359. inclaruit.

Alius fuit *Nicephorus Presbyter Magnæ Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ Constantinopoli*, cujus *Vita S. Andreæ cognomine Σαλοῦ, sive Simplicis*, post seculi decimi medium scripta, quæ Græce ex MS. Vaticano & altero Cardinalis Mazarini, cum Conradi Janningi versione ac notis extat in *Actis Sanctorum* Tomo 6. mensis Maji ad diem 28. a p. 4. ad 111. ubi centum & amplius paginas habet. Quæ etiam MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, quam allegat quoque manuscriptam clarissimus Ducangius in Notis ad Zonaram pag. 29. & alibi. Andreas autem ille non seculo V. sub Leone Thrace Imperatore floruit, sed seculo X. sub Leone sapiente & deinceps, uti Janningus animadvertit, de quo diximus suo loco.

Alius quoque *Nicephorus II. Patriarcha Constantinopolitanus*, post Arsenium, antea Ephesinus Archiepiscopus, sub Michaele Palæologo circa annum Christi 1259. clarus. Cui certissimum est, tribuendum esse *Onirocriticon*; ut loco suo probavimus, quod sub Nicephori Constantinopolitani nomine versibus Jambicis fertur, & ex Astrampsycho maximam partem descriptum est, de quo ad annum 1620. loquemur postea.

Alius denique *Nicephorus Philosophus & Rhetor Constantinopoli*, qui Oratione funebri *sanctum Antonium cognomento Cauleam* Patriarcham Constantinopolitanum celebravit, anno Christi 895. defunctum. Extat λόγος ille Ἐπιτάφιος, Latine apud Laurentium Surium & Bollandum Tomo 2. *Sanctorum mensis Februarii* ad diem 12. & Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi juxta Lambecium, & fortasse in aliis, de quo nos & postea locuti fuimus. Hæc de Nicephoris diversis simul junctis.

THEOPHANES CONFESSOR AGRI ABBAS circa annum 813. claruit, cujus vitam habes apud Laurentium Surium & Henschenium ad Martii diem 12. atque in Menologio Græcorum die 12. Martii. Hujus compendium ex his fontibus Guillelmus Cavus refert in *Historia rei literariæ* ad annum 792. pag. 500. quem hic sequemur. Theophanes ortu Constantinopolitanus fuit, Isaacii Ægeopelagitarum Præfecti filius & Theodoræ, anno 758. natus, dictus *Isaacius* a patre, *Confessor* a malis, quæ passus est, post vitricem anno 842. Imaginum venerationem, atque ex Decreto Michaelis III. Imperatoris, & Methodii Patriarchæ Constantinopolitani, obtinentem ubique dejectarum illarum restitutionem. Anno 780. conjuge in Monasterium Insulæ Principis prope Constantinopolim ob suspicionem amandata, ipse Polydironium Monasterium prope Sigrianam petiit, ac Monasticam vitam deinceps coluit. Ex Polydironio in Calonymum insulam discessit, ubi paterno prædio in Monasterium commutato, sexennium exegit. Inde regionem Sigrianam repetens, prædium, quod *Ager* vocabatur, comparavit, constructoque Monasterio, ipse Abbatis vicem obiit, indeque vulgo a posteris *Theophanes Agri Abbas* vocatus est. Anno 787. ad Concilium Nicænum II. veniens, cum cæteris causam Imaginum veneran-

randarum fervido amplexus, ab hac ſententia quamdiu vixit, non deſtitit, hanc etiam ob cauſam *Confeſſoris* titulo honoratus. Quod ad ejus ſcripta attinet, a Guillelmo Cavo totus diſſentio, nihilque omnino Operum Theophanis Agri Abbatis ad nos perveniſſe arbitror, iis ductus rationibus, quas ipſe Cavus non ſilet. Scripſiſſe dicitur *Chronographiam*, vel tam Eccleſiaſticas quam Civiles in Imperio Conſtantinopolitano geſtas, ſecundum annorum ſeriem diſpoſitas complexam, ab anno L. Diocletiani Imperatoris & Chriſti 285. ad primum Leonis Armeni & Chriſti 813. excurrentem. Ex ea autem Latine verſum in Hiſtoriam ſuam tranſtulit, quidquid fere habet ab anno 285. ad annum 813. Anaſtaſius Bibliothecarius: quo teſtimonio hæc Chronologia aſſerta videtur Theophani Agri Abbati & Confeſſori, cujus ab ætate non ita diſtabat Anaſtaſius, ut hac in parte falli poſſet. Prodiitque integra hæc *Chronographia* ſub Theophanis hujus nomine, Græce & Latine ex Regia typographia 1655. in folio, cum Jacobi Goari & Franciſci Combefiſii notis ampliſſimis. At non deſunt rationes, quibus ſuppoſitionis arguatur, vel dubius Theophanis fœtus putetur. *Primum* in hac *Chronographia*, Theophanes Chronologicam Alexandrinorum ſupputandi rationem uſurpat, quæ in ſupputandis Æræ Chriſtianæ annis à recepto apud alios calculo, octennio deficit. Quis autem credat, ſi vere *Chronographia* hujus author Theophanes Agri Abbas extitiſſet, utpore in Aula Conſtantinopolitana educatus & honoratus, alia uſum fuiſſe ſopputandi ratione, quam quæ apud Conſtantinopolitanos obtinebat? Hac enim ratione invidiam ſibi omnium, odiumque comparaſſet. *Secundo* quisquis hanc *Chronographiam* condidit, ſive Theophanes ſive alius, ſtylo quidem conciſo, ſed admodum rudi & plebejo uſus eſt, ubi repetitiones penitus inutiles, & rerum geſtarum metatheſes ſeu tranſpoſitiones, narrationes contradictorias, putidosque in digerendis temporibus errores, frequenter animadvertit Jacobus Goar in ſuis ad hanc *Chronographiam* annotationibus. Quis autem iſta cedat potuiſſe cadere, in virum rebus geſtis præſentem vel proximum, in virum in Aula Imperiali inter primarios educatum? „*Tertio* inquit ipſe Cavus, Hiſtoricæ parti per „annns digeſtæ, *Tabula Chronologica per loculos di-* „*viſa præfixa ſunt*, id eſt, anni Mundi, Chriſti, Im„peratorum &c. Has mendoſiſſime conſcri„ptas eſſe, annis ſæpe non ſuis præfixas, plurimis „hiare loculis, & portentoſis annorum præter„tim Patriarchalium ſupputatiohibus ſcatere, „cuivis inſpicienti liquido patet. Vnde non ab „ipſo Theophane, ſed ab alia prorſus manu „profectas eſſe, ſuſpicantur Henſchenius & Pa„pebrochius in *Exegeſi* ad Theophanis Chrono„graphiam cap. 1. ſect. 4. quam Actorum ad „Martium Tomo III. præmiſerunt.“ Hæc adverſus *Chronographiam* Theophani Agri Abbati tributam ipſe Cavus, qui nec felicior fuit, dum ejusdem extare inquit *Canonem Epinicium in Dominicam primam Quadrageſima Odis IX. conſtantem* in Græcorum Triodio, & apud Baronium Græc. & Lat. inter Annales Eccleſiaſticos ad annum 842. Recte enim à Baronio hic *Canon* ad annum 842. relatus eſt, cum conſcriptus ſit poſtquam Imaginum cultus, qui Conſtantinopoli atque in aliis Orientis partibus tum à Leone Armeno anno DCCCXIV. tum à Theophilo anno DCCCXXX. ablatus fuerat, à Michaele III. qui Porphyrogenitus dictus, anno DCCCXLII. publica acclamatione reſtitutus eſt. Cum igitur etiam ex Guillelmi Cavi aſſenſu, quem in vita Theophanis tranſcribimus, ipſe Theophanes anno 817. vel 818. juxta Menologium Græcorum die 12. Martii mortuus ſit, quomodo Cavus adſcribere ipſi potuit *Canonem Epinicium in primam Dominicam Quadrageſima Odis IX. conſtantem*, qui poſt annum DCCCXLII. ſcriptus tantum eſt, ſeu poſt Imagines reſtitutas. Vnde quod Guillelmus Cavus *Theophani Agri Abbati* ad annum 792. adſcripſit, poſtea ad annum 818. pag. 519. *Theophani Grapto* Theodori Grapti germano fratri attribuit, qui multis poſt obitum fratris annis, ærumnarum ſuarum fructum tulit, Metropolita Nicænus circa annum 845. factus. Recte quidem atque ad mentem Baronii, qui hunc *Canonem Epinicium* ad annum 842. aſſignaverat. Sed Theophanes Graptus, anno 817. vel 818. male à Cavo adſcribitur, qui ad annos 842. 845. & ſequentes, contra Cavum aſſignandus certo venit. Jam ad reliquam vitæ Theophanis partem veniamus, qui poſt annum 813. à Leone Armeno cultum Imaginum damnare juſſus ac conſtanter abnuens, Conſtantinopolim æger licet, & clinicus ab anno 808. factus, vinculis etiam injectis adductus ſcribitur. Cum ergo nullis argumentis, ut Imaginum cultum deſereret, vinci poſſet: anno 815. vel ineunte ſequente in carcerem conjectus eſt, ac poſt biennium ad Samothracem inſulam relegatus, illic poſt XXIII. dies exactos, fractus miſeriis & ærumnis, diem ſupremum obiit anno DCCCXVII. vel DCCCXVIII. ab Iconodulie aſſeclis titulum *Confeſſoris* & *Sancti* honores poſt mortem conſecutus. Hæc utplurimum ex Cavo in *Hiſtoria rei literaria* ad annum 792. pag. 500. cujus etiam mentionem facit Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Græcis* cap. 24. pag. 285. ultimæ editionis, ubi fallitur, dum ſcribit Theophanem Agri Abbatem *Chronicon elaboraſſe uberrimum*, quod interpretatus eſt Anaſtaſius Bibliothecarius. Eſt enim Chronicon iſtud conciſum & æquo brevius, ſed excuſandus Voſſius, cum ejus ætate nondum impreſſum fuiſſet.

STEPHANVS CONSTANTINOPOLITANÆ ECCLESIÆ DIACONVS, claruit hoc anno 813, qui zelo ac pietate qua ardebat er- 813.

erga sanctum *Stephanum Juniorem*, qui tempore Constantini Copronimi ob cultum sanctarum Imaginum crudelissimam subiisse mortem dicitur, *Vitam* ipsius Græce conscripsit. Hæc Vita a Stephano Constantinopolitano Diacono, XLII. post S. Stephani junioris mortem anno conscripta fuit, ut auctor ipse testatur pag. 399. Cum autem hic *Stephanus Martyr* eodem anno conceptus sit, quo Sanctus Germanus ad sedem Patriarchalem Constantinopolitanam admissus est, ut in eadem Vita legitur pag. 403. & 404. atque hic annus sit Christi Domini DCCXV. Obierit autem ex eadem Vita pag. 521. *Stephanus Martyr* anno ætatis LIII. Christi Domini DCCLXVIII. Inde sequitur Vitam scriptam esse anno DCCCX. annis XLII. nempe a Stephani martyrio. De hac Vita jam diximus, ubi de Scriptis Sancti Joannis Damasceni egimus: quam quidem a Metaphraste ut volunt compositam, e Græca lingua in Latinam olim verterat, & publici juris fecerat doctissimus Abbas Jacobus Billius. Verum ea, ex qua suam ipse Metaphrastes collegit, hactenus in nulla lingua vulgata est. Illam Jacobus Lopin Monachus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, cum IV. MSS. accurate collatam, uno scilicet Regiæ Galliarum bibliothecæ num. 2028. tribus aliis Bibliothecæ Colbertinæ 2823. 1527. 505. quorum ultimus media parte mutilus, alii tres integri erant, omnes autem antiqui & bonæ notæ, Græce & Latine edidit Tomo I. *Veterum Analectorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 396. Parisiis in 4. anno 1688. apud Viduam Edmundi Martini & Joannem Boudot, sub sole aureo. Multis hæc *Vita Sancti Stephani junioris* est infarta ab authore miraculis, ut magis *Syntagma Miraculorum*, quam *Vita atque conversatio* hujus sancti viri sit. Nec mirum, cum longe post Martyris mortem, nempe XLII. annis opus suum aggressus sit. Porro hæc omnia ferme miracula, quæ narrantur in Opusculo isto, facta dicuntur vel invocatione Sanctorum, vel ad Imaginum venerationem & supplicationem: ita studio partium istarum abripiebatur Stephanus ille Diaconus Constantinopolitanus, qui Commentarium hunc scripsit. De illo Stephano loquitur Philippus Labbeus in *Conspectu omnium Sancti Joannis Damasceni operum* pag. 37. ubi de MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ disserit.

814. EGINHARTUS CAROLI MAGNI SECRETARIUS, seu ab Epistolis conscribendis, de quo abunde Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria* ad annum 814. pag. 516. cujus de Opusculis recensendis diligentiæ nihil addi potest. Agam itaque hic tantum de ultima editione *Vitæ Caroli Magni* ab Eginharto scriptæ, quæ Ultrajecti ad Rhenum 1711. in 4. facta fuit, ex fide Codicum manuscriptorum, & editionum anteriorum. Inscribitur *Eginhartus de Vita Caroli Magni Imperatoris cum Commentario Johannis Friderici Bessilii integro, & Notis tam propriis Schminckii editoris, quam Bollandi nonnullis, in Probatis Sanctorum Vitis Tomo 2. ad diem XXVIII. Januarii. Accesserunt Melchioris Hamenveltonis Goldasti Animadversiones inedita, cum Dissertationibus variis, quarum index in Præfatione exhibetur, curante Johanne Hermanno Schminckio Trajecti ad Rhenum apud Guillelmum van de Wahr Academia typographum anno 1711. in 4. pagg. 248.* Dedicavit Opus Carolo Hassiæ Landgravio Epistola præliminari egregia, quam sequitur Præfatio ad Lectorem, in qua de omni Operis contextura rationem reddit, & quid in eo præstando laboris impenderit, diffuse satis explicat: tum post Præfationem præmittit *Dissertationem Historicam de Vita & Scriptis Eginharti*, quæ de tribus agit, nempe *de nomine Eginharti, de Vita ejusdem domestica, tum de Operibus seu Scriptis illius.* Contulit hanc editionem suam cum quinque MSS. Codicibus, omnibus in membrana extantibus, nimirum Collegii Caji & Gonvilli apud Cantabrigienses, Lugduno Batavo, Bibliothecæ Bodlejanæ apud Oxonienses, Casselensi & Bibliothecæ Ultrajectinæ, ut in Operis præfatione testatur.

Subjunxit Dissertationi huic Testimonia omnia tam Veterum quam Recentiorum de Eginharto Scriptorum, & posthæc Indicem editionum omnium hujus Operis *de Vita Caroli Magni*, quem hic transcribendum arbitratus sum.

Anno 1521. Coloniæ in 4. prima omnium editio prodiit, quam Illustrissimus Dominus Hermannus Comes a Nuenare curavit.

Anno 1532. Basileæ typis in fol. descriptus fuit, teste Conrado Gesnero in *Bibliotheca Universali*, & Possevino in *Apparatu sacro*.

Anno 1551. Basileæ iterum a Beato Rhenano, in rebus suis Germanicis, editus est in folio.

Anno 1561. Coloniæ ejus editio repetita fuit in 12. apud Johannem Birchmannum.

Anno 1584. Francofurti in folio, a Reubero *Scriptoribus suis Germanicis* adjunctus fuit.

Anno 1613. in folio Hanoviæ a Marquardo Frehero Corpori *Historiæ Francicæ sinceræ & veteris* insertus legitur.

Anno 1631. Francofurti cum Commentario edidit Georgius Helwich, teste Lipenio & Trisferio.

Anno 1636. Lutetiæ Parisiorum in folio, in Collectione Historicorum Franciæ Tomo II. quam Andreas Duchesnius procuravit.

Anno 1643. in fol. Antwerpiæ inter *Acta Sanctorum* Tomo 2. Januarii, ad diem 28. cum observationibus Johannis Bollandi.

Anno 1644. Argentorati in 4. cum Historia Caroli Magni, a Johanne Joachimo Francio editus fuit.

Anno 1667. Helmstadii in 4. Joannes Fridericus Bessilius editionem novam adornavit, cum animadversionibus adjunctis.

An-

Anno 1707. in folio Francofurti ad Mænum, Heineccius inter *Scriptores Germanicos* recudi curavit. Hæc de præmissis editioni ultimæ.

Sequitur *Vita Caroli Magni ab Eginharto* cum Commentario integro Besselii, de quo supra, Notisque propriis Schminckii editoris, ac Joannis Bollandi, paucis, à pag. 1. ad pag. 155. quæ tædiosa & nimium prolixa sunt.

Pag. 156. Melchioris Hamenveltonis Goldasti Animadversiones in Eginhartum *de Vita Caroli Magni*, nunquam editæ.

Pag. 220. *de Statura Caroli Magni* Imperatoris Opus viri illustris Marquardi Freheri nusquam editum, cum *florum sparsionibus & notis* Henrici Gunteri Thulamarii pag. 225.

Pag. 238. Hermanni Comitis Nuenarii brevis narratio *de Origine & Sedibus priscorum Francorum*. Pag. 242. Ejusdem Hermanni a Nuenare Dedicatio ad Carolum V. Imperatorem & Hispaniæ Regem.

Pag. 245. Variantes Lectiones excerptæ ex variis MSS. Codicibus.

Mentionem hujus editionis faciunt, *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni MDCCXI. mense Decembri pag. 529. *Diarium Eruditorum Parisiense* ad annum 1711. eodem mense Decembri p. m. 650. editionis Amstelodamensis.

820. JOSEPHVS THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPVS, claruit potissimum, sub seculi noni initium, sub tribus Orientis Imperatoribus, sibi in Imperio succedentibus, Nicephoro, Michaele Rangabe qui & Curopalata dicitur, ac Leone Armeno, ab anno circiter 800. ad 830. De illo ita Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri*. „Josephus Confessor dictus „Ὁμολογητὸς, Archiepiscopus Thessalonicensis „*Orationem* Græce reliquit in *venerandam & vivificam crucem*, quam, cum antehac (quod sciamus) „nunquam excusa fuisset, à Jacobo Gretsero no„stro Græce ex Bibliotheca Reipublicæ Augu„stanæ, & Latine ab eo versa, inserta fuit in ejus „Tomo 2. *De Cruce Christi*, editionis 1600. 2. to„mis Ingolstadii in folio. Itemque in editione „Operis ejusdem *De Cruce Christi* 3. tomis distin„cto, edito in fol. Ingolstadii anno 1616. apud E„lisabetham Angermariam Tomo 2. col. 1199. Arbitratur autem Gretserus hunc Josephum fuisse illum, cujus meminit folio 293. in Imperio Nicephori anno VII. & Christi 808. & Zonaras in Imperio Michaelis Rangabis, anno Christi 811. fratrem Theodori Studitæ Abbatis. Vide autem Notas ejusdem Gretseri ad Orationem citatam, pagg. 584. & 585. primæ editionis Operis *De Cruce Christi* anni 1600, & editionis secundæ anni 1616. in folio, ibidem columnis 2714. 2715. 2716. Extat autem Græce MS. in diversis Bibliothecis, inter MSS. Codices in Anglia Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 274. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Roë Codice 28. qui est Collectaneum variarum homiliarum pag. 223. *Josephi Archiepiscopi Thessalonicensis homilia in sanctam Crucem b. Σταυρῦ πρόκειται.* Et ibidem Codice 726. qui est de diversis homiliis collectaneum, in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Codice 84. Num. 11. *Josephi Thessalonicensis sermo Græce de Cruce* pag. 170. Vixisse existimatur, cum Iconomachi in sacras imagines grassarentur, qui sub Leone Armeno in hoc bello repullularunt. Observat autem Gretserus *Notis* ad hanc homiliam col. 2714. adjectis, Josephum istum in titulo Orationis ὁμολογητὸν nominari, quod nomen apud Græcos illis datur, qui extra martyrium, aliquid fidei vel justitiæ causa perpetiuntur. Constat autem ex Theophane in sua *Chronographia*, ad annum Nicephori Imperatoris VII. & Christi 808. pag. 409. litera D. editionis Regiæ 1655. Græce & Latine Parisiis in folio: & ex Georgio Cedreno ibidem pag. 539. litera b. editionis Regiæ, quæ Græce & Latine 2. tomis in folio Parisiis anno 1647. prodiit: Josephum Archiepiscopum Thessalonicæ a Nicephoro Imperatore in exilium ejectum fuisse, cum fratre suo Theodoro Studita Monasterii Abbate, cujus Cedreni hæc verba sunt. *Anno Septimo* (Nicephori Imperatoris) *Theodorus Studiani Monasterii Præpositus, ejusque frater Josephus Archiepiscopus Thessalonicæ, cum Platone Incluso & reliquis Monachis, se a communione Nicephori Sanctissimi Patriarchæ segregarunt, propter Josephum Procuratorem, quod is contra leges, Constantinum & Theodotam coronasset. Imperator ea arrepta occasione, multis Episcopis & Præsulibus convocatis, jussit contra illos Concilium institui, quod eos & Monasterio & Vrbe ejecit.* Qua de re ipse Theodorus Studites Oratione in *Sanctum Platonem* Ἐγκλείστον *seu Inclusum*, quæ extat Tomo VI. Laurentii Surii ad diem 16. mensis Decembris. *Exilium jam decretum fuit, & Pater ipse* (Plato) *circumscriptus est, in una quadam insula, ex his quæ ante Vrbem sunt: quemadmodum & frater noster in alia quadam valde aspera, munito quodam carcere ad exilium accedente.* Hæc Theodorus Studites. Manserunt autem tres isti Plato, Theodorus & Josephus in exilio & carcere, usque ad Imperium Michaelis Rangabis, seu annum Christi 811, qui eosdem cum Patriarcha in gratiam reductos, liberos abire permisit. Hæc Gretserus in Notis ad hanc Orationem col. 2714. & 2715. teste Joanne Zonara in editione *Annalium* Græco-latina, sub Imperio Michaelis Rangabis Tomo 3. pag. 102. lin. 26. editionis Basileensis 1557. in folio, apud Joannem Oporinum. Et in editione Regia Græco-latina Parisiensi 2. tomis in fol. anni 1686. Tomo 2. pag. 126. littera B. Contendit autem Gretserus in Notis præfatis, *Orationem* Josephi, de qua agimus, scriptam esse post bellum renovatum ab Iconomachis contra Iconodulos sub Leone Armeno, & ita circa annum Christi 815. vel 816. atque id constare ex invectivis verbis, quibus sub finem adversus *recrudescentem* tragœdiam utitur. Juxta Lambecium quoque in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Lib. 5. Jo-

sephi cujusdam sive ille fuerit *Josephus Studita Archiepiscopus Thessalonicensis*, & Theodori Studitæ frater, qui anno 826. obiit : sive alter ille paulo junior *Josephus Hymnographus*, qui eodem seculo post Christum nono a S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, magnæ Ecclesiæ S. Sophiæ Schevophylax seu Custos sacræ supellectilis electus est, *Canon de secundo adventu Christi* extat in Codice MS. Theologico Græco CCIC. Num. 6. de quo Lib. 5. pag. 268. qui diserte Josepho Archiepiscopo Thessalonicensi tribuitur ibidem. Sed alterius & junioris creduntur *Canones seu Cantica sacra XLVIII.* qui extant ibidem Codice MS. Theologico Græco CCCX. de quo pag. 274. atque etiam in Catalogo Scriptorum hujus Tomi pag. 338. Denique *Epistola Josephi ad Simeonem Monachum* extat Latine apud Baronium in *Annalibus* ad annum 808. Num. 22.

820. SEDULIUS JUNIOR, natione Scotus, de cujus conditione, an Episcopus vel Presbyter tantum fuerit, nihil mihi hucusque constitit. Sedulius iste junior sive Scotus, circa annum 820. floruit, de quo Hepidannus sancti Galli Monachus, in *Annalibus Brevibus* ad Andrea Duchesnio tomo 3. *Historicorum Franciæ* editis, hæc habet pag. 473. *Anno DCCCXVIII. Sedulius Scotus, clarus habetur.* Scripsit Collectaneum sive Explanationem in omnes Epistolas sancti Pauli, ex Origene, Eusebio, Hilario Diacono, Ambrosio, Rufino, Joanne Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Pelagio, Gennadio Constantinopolitano, aliisque Patribus excerptam : imo ex ipso etiam Sancto Gregorio Papa, cujus verba tacito ejus nomine transcripsit ex Libro 19. *Moralium* in Job. cap. 21. ut recte observavit Benedictus Justinianus soc. Jesu Theologus in Epist. 1. ad Corinthios cap. 6. vers. 5. Hoc Opus prodiit primum Basileæ apud Henricum Petri annis 1528. & 1534. tum postea in Collectionibus & Bibliothecis Veterum Patrum. Hujus authorem impressi Collectanei, arbitratur Labbeus fuisse Sedulium illum Scotum Presbyterum, qui teste Hepidanno, anno 818. florebat. Cui quoque attribuitur *Collectaneum in Matthæum* eodem stylo contextum, ac in Capita seu Lectiones 355. distinctum, MS. in Bibliotheca Collegii soc. Jesu Parisiensis. Eidemque tribuenda censet, quæ Trithemius Sedulio Poetæ adjudicabat Opuscula, nimirum in *Majus volumen Prisciani*, in *Primam editionem Donati*, *Epistolarum ad diversos librum unum &c.* Extat *Sedulius in Priscianum* MS. in Lugduno-Batava nostra bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Latino 21. num. 3. Item *Expositio Sedulii Episcopi in primam editionem Donati*, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 2942. in MSS. Codicibus Norfolcianæ apud Londinum bibliothecæ, Codice 43. Addit contra Usserium Armachanum Archiepiscopum Labbeus in Dissertatione historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 2. pag. 234. „Ego vero contra sentio Sedulium illum collectorum ex sanctis Patribus fragmentorum consarcinatorem, sub Carolo Magno, ejusque filio Ludovico Pio floruisse : tum quod ratio ista explanandi Codices sacros, sapiat omnino genium seculi noni, ad quod ab Hepidanno, ut supra observatum est, refertur. Tum quod idem videatur author *Catenæ* illius seu *Centonis in Paulum*, cujus est *Collectaneum in Evangelium sancti Matthæi ex diversis Patribus collectum*, quod possidet Bibliotheca Collegii nostri Parisiensis, in nitidissimis membranis elegantissima manu, & quod à DCC. vel DCCC. annis descriptum superest. At in eo citantur non modo *sanctus Eucherius, sanctus Leo, Arnobius junior, Faustus Regiensis, sanctus Gregorius, sanctus Isidorus, Arculphus*, ubi de locustis, quibus vescebatur in deserto Sanctus Joannes Baptista, ac *Venerabilis Beda:* Sed & ipse *Sedulius Poeta*, ad illa verba, *& ne nos inducas in tentationem*, his sequentibus paucis." *Hinc Sedulius egregie versibus describit dicens,*

> *Non quia nos Dominus, Lucis vitaque repertor,*
> *In laqueos tentantis agat &c.*

Nulla ergo ratione, author hujus Commentarii in Matthæi Evangelium ex Patribus collecti, potest esse Sedulius Senior ac Poeta, quem ut a se alterum atque antiquiorem positive allegat. Omisit hunc Commentarium Sedulii Junioris seu Scoti Guillelmus Cavus, quem ego aliquando in paucis excerpsi. Hic ergo Sedulius caute distinguendus ab aliis duobus Seduliis antiquioribus, a Sedulio Poeta, qui circa annum 430. temporibus Theodosii II. & Valentiniani III. Imperatorum floruit. Atque a Sedulio Britanniæ Episcopo de genere Scotorum, qui una cum Fergusto Picto Scotiæ Episcopo anno DCCXXI. Concilio Romano, sub Gregorio II. interfuit & subscripsit. De *Seduliis* doctissimam Dissertationem, occasione Sedulii senioris atque Operum male ipsi adscriptorum, quæ Juniori huic conveniunt, instituit Labbeus, in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 224. & seqq. unde hæc pauca, quæ de Sedulio Juniore dicta sunt, habuimus. De illo quoque Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo IX. ad annum 818. pag. 518.

CLAUDIUS TAURINENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS, natione Hispanus, non Scotus, ut placuit Jacobo Usserio Armachano Archiepiscopo, de quo Labbeus pluribus in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. 820.
Hic Felicis Orgellitani Episcopi discipulus fuit, & circa annum 812. vel 813. vivente adhuc Carolo Magno in Ludovici Regis aula, Presbyteri munere perfunctus est. Fuisse natione Scotum, plurimi sibi persuaserunt, verum re melius discussa, suisque per otium momentis examinata, hoc postea falsum deprehensum est,

est, ex Jonæ Episcopi Aurelianensis testimonio, in Epistola ad Carolum Calvum Francorum Regem his verbis. „Is namque ter dilectissimus Princeps (Imperatorem Ludovicum Pium intelligit) quendam Presbyterum natione Hispanum, nomine Claudium, qui aliquid temporis in Palatio suo in Presbyteratus honore militaverat, cui in explanandis sanctorum Evangeliorum lectionibus, quantulacunque notitia inesse videbatur: ut Italicæ plebis sacræ doctrinæ consultum ferret, Taurinensi præsulem subrogari fecit Ecclesiæ. Quibus ex Jonæ verbis discimus & Claudium Taurinensem Episcopum natione Hispanum fuisse, & in aula Ludovici Pii Imperatoris munere Presbyteri functum, non modo concionandi vices in se suscepisse, sed concinnandis etiam in Scripturas sacras Commentariis per plures annos diligenter incubuisse. Denique circa annum 820. à Ludovico Imperatore ad Ecclesiæ Taurinensis Præsulatum promotum, *ut Italica plebis sacra doctrina consultum ferret*, id est, ut Imagines ab Italica illa plebe veneratas atque publico expositas cultui, ipse tollendas juxta Gallicanæ Ecclesiæ mentem, atque abolendas procuraret. Vnde sequentibus verbis acriter in eum invehitur Jonas Aurelianensis Episcopus. „Sed quam pestiferum dogma, & ab Ecclesiæ authoritate abhorrens, in plebem sibi transfuderit commissam: Libellus, quem ad Theodemirum venerabilem Abbatem se charitate imperante corrigentem, eumque a superstitiosa doctrina avertere volentem, scripsit: eundem legere & nosse volentibus, potenter demonstrat. Memoratus denique libellus eidem Domino nostro genitori vestro, sincerissime ac religiosissime orthodoxam fidem colenti, ob defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ab eodem Claudio, sicut textus suarum litterarum prodit, hostiliter impugnabatur, delatus est. Qui ab eo suique palatii prudentissimis viris examinatus, justo judicio est repudiatus.“ Idem etiam Libro 1. *De Cultu Imaginum*, sub initium. *Idem Felix* (Orgellitanus Episcopus) *in quodam discipulo suo nomine Claudio, utpote Euphorbas in Pythagora, renascitur: utique & si non ut pridem fidei Catholica regulam, Ecclesiasticas tamen traditiones quam venenatis telis per eundem suum discipulum jaculari visus sit, breviter memorandum est &c. Is exortus ex eadem Hispania, ejusdemque Felicis discipulatui ab ineunte ætate inhærens, per aliquod temporis in Palatio memorati gloriosissimi ac serenissimi, Deoque amabilis Augusti in officio Presbyteratus militavit. Sed ut aliorum utilitati doctrina prædicationis Evangelicæ, qua illi admodum inesse videbatur, consuleret: ipsius piissimi Principis clementia, Præsul Taurinensi subrogatus est Ecclesia.* Ad munus igitur istud pastorale subeundum circa annum 820. semet accingens, omni, quo potuit, studio rem Christianam inter suos auxit. Cum ergo plurimos in Diœcesi sua Sanctorum Imagines illicito plane honore prosequentes deprehenderet, earum non modo cultum & venerationem diserte damnavit, quod ante eum fecerat tota tunc temporis Ecclesia Gallicana: verum eas omnesque cruces materiales à cunctis Diœceseos suæ parochiis & Ecclesiis tollendas, destruendas ac penitus abdicandas esse animose contendit: quod & factum est. Hac occasione Theodemirus, Ordinis Benedictini Abbas Gallicanus, quo hactenus tanquam amico & intimo usus fuerat Claudius, acrem ad illum Epistolam emisit: cui Claudius alacriter anno 828. respondit, editaque Apologia insigni, non propriam modo ac personalem, sed Ecclesiæ totius Gallicanæ de abolendis Imaginibus fidem strenue tutatus est. „Quod vero (inquit Cavus) Jonas Aurelianensis refert, ipsum non modo Felicis Orgelitani, sed & Hæreseos Arianæ sectatorem fuisse, id ego ex invidia & Disputationis æstu profectum crediderim. Certe se illud non ex propria scientia, sed ex auditu tantum hausisse ipse Jonas profitetur.“ Ex antecedentibus patet, hunc *Claudium* nunquam fuisse Monachum Ordinis divi Benedicti, ut habet Joannes Trithemius, aliique post ipsum oscitanter scripserunt: sed factum esse Presbyterum, atque, ut allatus supra Jonas Aurelianensis Episcopus scribit, *Cum aliquid temporis in Palatio Ludovici Imperatoris*, in Presbyteratus militasset honore: *ut Italica plebis sacra doctrina consultum ferret, Taurinensi Præsulem subrogari fecit Ecclesia.* Jam ad Opera & lucubrationes ejus tum editas, tum manuscriptas veniamus.

Scripsit insignem *Commentarium in Leviticum* anno 823. hortatu Theodemiri Abbatis, quem manuscriptum habent Benedictini Parisienses sancti Germani de Pratis ex Codice Bibliothecæ S. Remigii Remensis. Cujus *præfationem & finem Operis* protulit Joannes Mabillonius *Analectorum* tomo 1. pag. 30. Scripsit quoque alios Commentarios in plures Scripturæ libros: nempe in *Genesin* anno 814. libros 3. in *Exodum* anno 821. libros quatuor, qui incipiunt: *Post expositionem libri Geneseos &c.* de quibus ipse loquitur præfatione Commentariorum suorum in *Leviticum* ad Abbatem Theodemirum. Opinantur aliqui viri eruditi, *Commentariorum libros tres in Genesin*, qui tum Basileæ in fol. anno 1531. tum Romæ 1564. sub nomine S. Eucherii Lugdunensis Episcopi impressi sunt, spectare ad Claudium hunc Taurinensem Episcopum: quem tale olim Opus libris totidem aggressum fuisse, constat ex præfatione Commentarii sui in *Leviticum* ad Abbatem Theodemirum. Sane Commentarium hunc spectare non posse ad Eucherium Lugdunensem illum Episcopum seculo V. florentem, luce meridiana clarius est: cum in eo producatur Gregorius Magnus, qui sub seculi VI. finem claruit & scripsit. Nihil autem impedit, quo minus Claudio Taurinensi Episcopo tribuatur, maxime cum tale Opus se ag-

aggressum esse loco citato fateatur. Nos etiam vidimus hujus Claudii *Commentarium in Librum Ruth*, manuscriptum in Bibliotheca Bonæ spei in Hannonia, dum Codices illic manuscriptos excuteremus. Extat *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Latinorum, Græcorum & Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum lectionum Latinarum, Græcarum & Gallicarum* Philippi Labbei Jesuitæ, edita in 4. Parisiis anno 1653. apud Joannem Henault. Hujus Speciminis *Supplementum IV.* pag. 189. ex Catalogo MSS. Librorum illustrissimi viri Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani ad pag. 205. & pag. 206. ex Catalogo MSS. Codicum extantium in insigni Bibliotheca PP. Carmelitarum Excalceatorum Claromontanorum in Awernia, ubi pag. 207. Codice Carmelitarum istorum 22. extare dicuntur *Claudii Episcopi Taurinensis Commentaria in Libros Josue & Judicum*, quæ etiam in Bibliotheca Abbatiæ Bonæ Spei in Hannonia olim me vidisse recordor. Denique Monachi Benedictini attribuerunt Claudio cuidam Abbati Classensi *Commentarium in loca quadam Librorum Regum*, quod nos in Dissertatione præmissa *de Operibus S. Gregorii Magni*, rationibus multis cap. 15. hujus Dissertationis, *Claudio Taurinensi Episcopo*, multarum ejusmodi Commentationum Scriptori, vindicavimus, ad quam Lectorem remittimus. Item *Commentarium in Evangelium Matthæi*, Justo Carrosensi Abbati nuncupatum opus, cujus præfatio jam a Mabillonio loco citato impressa est, sed integrum MS. in Bibliotheca Cathedralis Londunensis. Idem quoque apud Anglos Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Cod. 141. ut habet Ecloga Oxonio-Cantabrigiensis Thomæ Jamesii, & in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 92. in illis, quos dedit huic Aulæ Guilielmus Smart, denique in MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ Jacobææ Codice 273. quem Bibliothecæ huic contulisse ante 12. annos testatur Joannes Lelandus Collectaneorum Historicorum Vol. 4. cap. 77. pag. 104. ad 107. ut habetur in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Bodlejanæ pag. 242. col. 2. editionis 1698. Oxoniæ in folio. Hanc item Explanationem Claudii Taurinensis Episcopi in Evangelium Matthæi Libris tribus contextam anno 815. conscriptam ad *Justinum Abbatem*, quem Græcanica etiam appellatione *Eusebium* vocitat: habent Jesuitæ Parisienses Claromontani Collegii, in suis MSS. Codicibus, ut testatur Labbeus illius Inspector in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 1. verbo, *Claudius Scotus* pag. 228. Item *Expositionem in omnes Epistolas divi Pauli*, quarum Commentarium Epistolæ ad Romanos Druetcranno Abbati Solemniacensi dicavit. Illum vero, qui in Epistolam ad Ephesios ab ipso elucubratus est, Ludovico Augusto inscripsit. Integrum autem habetur Opus, in duobus Voluminibus, Manuscriptum in Bibliotheca Floriacensi, Litteris A 1. & A 2. Habetur quoque per partes seu ex parte quadam, in variis Bibliothecis. Nimirum ejusdem Claudii Taurinensis Episcopi *Expositio super Epistola ad Romanos*, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 389. cujus præfatio ad Theodemirum Abbatem, fol. 30. hujus tituli est. *Venerabili in Christo sinceroque charitate diligendo Theodemiro Abbati, Claudius inspirante Dei gratia Episcopus in Domino salutem. Non velut pertinaciter rigidus &c.* Ejusdem *Expositio in Epistolam primam ad Corinth.* ibidem fol. 68. Ejusdem *Expositio in Epistolam secundam ad Corinthios*, ibidem fol. 124. Idem Opus Claudii Taurinensis Episcopi, in Epistolam ad Romanos & duas ad Corinthios, MS. quoque in Bibliotheca Claravallis Abbatiæ Cisterciensis Ordinis, in Ducatu Burgundiæ. In Philippi Labbei *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, Supplemento IV. pag. 189. quo MSS. Codices Domini Caroli de Montchal Archiepiscopi Tolosani continentur & Carmelitarum Excalceatorum Claromontensium in Awernia, pag. 206. quorum Codice 2. extant *Commentarii Claudii Taurinensis Episcopi in Epistolas omnes Sancti Pauli*, cum vita S. Adelgundis. Extat quoque editum a Labbeo tomo 1. pag. 309. *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum*, Opusculum *De sex mundi ætatibus Claudii Chronologi*, qui ab hoc Taurinensi Episcopo diversus mihi esse non videtur: cui tempus sane & cætera omnia apprime conveniunt. Ejusdem Claudii Taurinensis *sex Sermones* MSS. in Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis, Littera H. 6. circa medium voluminis. Nec id mirum, cum arte concionandi in aula Ludovici Pii Imperatoris, plurimum valuisse testetur infensus etiam ipsi, Jonas Aurelianensis Episcopus, loco præfato. Denique scripsit anno 828. *Apologeticum de cultu Imaginum & Sanctorum adversus Theodemirum Abbatem Gallum*, quo ex libro Excerpta quædam Ludovici Pii Imperatoris jussu facta, libris suis hinc inde inseruit Jonas Aurelianensis Episcopus: quæ exinde quasi in unum fasciculum collecta lectori exhibuit Melchior Goldastus ad calcem Collectionis suæ, *de cultu Imaginum*, pag. 764. Vnde velut Leonem ex ungue, prudens & pius Lector de Opere toto facillime judicare potest. De illo Antonius Possevinus in Apparatu sacro, verbo, *Claudius Clemens Scotus*. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 242. pag. 218. Ferdinandus Oghellus tomo 4. *Italia sacra* in *Archiepiscopis Taurinensibus* col. 1431. ubi ait. „Cæterum Claudius contra Saracenos" e Fraxineto per Insubriam excurrentes debel-" lavit, Taurinensium acie stipatus, ut ex Re-" bus gestis Augustæ Taurinensis patet. Non" magis ad arma, quam ad malam futilemque" doctrinam pronus, diuque omnibus exosus &" notus, Taurinam Ecclesiam rexit: fatoque" functus est suo errore involutus, Ludovico" Imperatore. Quo anno, quove loco, incertum"

„runt." Perveniſſe tamen ad annum 839. habetur ex monumento Heriġarii Secuſiæ Marchionis, quo Novalicenſi Cœnobio Venetiam in Montanis contulit. Hæc Vghellus in Claudium Taurinenſem infenſus. Longe itaque mihi certius eſt, imo certiſſimum, Hiſpano iſti, quam Scoto neſcio cuidam Claudio, quem alii Bedæ, alii Alcuini diſcipulum faciunt, convenire Commentaria illa omnia in Scripturam ſacram, tum quæ edita extant in *Epiſtolam ad Galatas*, tum quæ in Bibliothecis occultantur adhuc, nimirum *in Leviticum & in omnes ſancti Pauli Apoſtoli Epiſtolas &c.* de quibus ſupra. Ideoque conſtat erraſſe cum plerisque tum Jacobum Waræum, qui Opera a nobis recenſita aliaque plura, *Claudio Scoto* aſſignat Lib. 1. *De Scriptoribus Hiberniæ*. Tum alios etiam, qui Claudium quendam Antiſſiodorenſem Epiſcopum fingunt: qui ex tabulis atque hujus Eccleſiæ Hiſtoriis tam antiquis evulgatis, quam novis in *Gallia Chriſtiana* Sammarthanorum falſum, nullus fuiſſe cognoſcitur. Vnus ſane mihi Claudius Taurinenſis Epiſcopus certis atque indubiis teſtimoniis conſtat, alii duo nempe Scotus & Antiſſiodorenſis Epiſcopus, vel commentitii vel valde ſuſpecti ſunt, quanquam eos Sixtus Senenſis & Antonius Poſſevinus, ſed recentiſſimi authores exhibeant.

820. SANCTUS THEODORUS STUDITA ABBAS Monaſterii, quod Studium a Studio conditore vocabatur, ſub Iconomachis Imperatoribus Leone Armeno & Michaele Balbo, doctrinam de cultu imaginum conſtanter propugnavit, Iconodulos verbis ſcriptisque confirmavit ac defendit, carcerem & exilium ob cauſam Imaginum paſſus eſt. Aliam antea perſecutionem a Conſtantino Imperatore Irenes filio ob defenſos Canones ſuſtinuerat, ejus nuptias cum Theodota, quam repudiata Maria legitima uxore duxerat, velut adulterium palam arguens, ab ejus communione ſe ſubtrahens, Monachosque omnes ad iſtius execrationem facinoris accendens, atque ad evitandum Imperatoris colloquium. Nec minis, nec precibus, nec Theodotæ, quæ ipſi conſanguinitate juncta erat, amicitia & promiſſis adduci potuit Abbas Theodorus, ut in cauſa Dei taceret. Quamobrem cum ſuis atrociter flagellatus, in exilium anno DCCLXXXXV. deportatus eſt. Sublato Conſtantino, ab Irene Imperatrice revocatus, magnoque cum honore ſuſceptus, impiis Arabibus Imperium devaſtantibus, Theodoro patri neceſſarium viſum, ut tempori cederet, nec manifeſto periculo ſe ſociosque objiceret. Anno itaque 798. In Regiam urbem Conſtantinopolitanam ſe recepit, Patriarchæ optatiſſimus & Auguſto, quibus adventu ſuo ſe ſocium & ſolatium incredibile exhibuit. Qui mox ſummis ab eo precibus contenderunt, ut Studii moderator Cœnobii, quod in Vrbe erat, eſſe vellet: atque in eo Monaſticæ exercitationis ſcholam collocaret, qua quidem ratione tum civitatum princeps, tum religio ornarentur: unde poſtea nomen illi *Theodori Studitæ* advenit. Tantis hæc ſunt acta ſucceſſibus, reſtitutumque Studii monaſterium: ut mille Monachos (quod fidem pene excedit) in illud congregaret, quos ſanctiſſimis inſtituit documentis. Interea Joſephus œconomus, qui nefarias Conſtantini Imperatoris nuptias cum Theodota approbaverat, à ſacris miniſteriis & communione proprerea ejectus, cum in Nicephori Imperatoris gratiam poſt novem annos irrepſiſſet, novas turbas in Eccleſia Conſtantinopolitana excitavit, ac Theodoro Abbati novum certaminis campum aperuit. Coegit nimirum Imperator Nicephorum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ut Joſephum in priſtinum gradum reſtitueret, quod ille præſtitit, habita Synodo. Hanc œconomiam Patriarchæ Theodorus vehementer improbavit, ac licet ei communicaret, memoriam ejus faciendo intra Miſſæ Sacrificium: ab ejus tamen communione palam ſe ſubtrahebat, intereſſe nolens, cum præſente Joſepho Nicephorus ſacra ageret, ut conſtat ex Epiſtolis XX. & XXXI. Theodori. Cæterum non offendebatur Theodorus, quod Joſephus à Patriarcha reſtitutus eſſet, ſed quod nulla venia petita, nulla pœnitentia peracta, quaſi inſons admiſſus eſſet Oeconomiam prætendebant Epiſcopi, qui Joſephum reſtituerant; ſed œconomiæ locum eſſe negabat *Theodorus*, qui etſi diſciplinam nonnihil remittat, ipſam tamen non evertit, ut idem Epiſtola XXIV. Lib. I. ad Theoctiſtum data oſtendit. Licet porro ſchiſma non fecerit *Theodorus*, ſed pro Eccleſiaſtica diſciplina, ſervata charitate, cum Patriarcha & Epiſcopis pugnaverit: apud Imperatorem tamen ut Eccleſiaſticæ pacis perturbator audiit, quomodo ſolent Imperatores & Reges, quosque fideles ſuorum criminum culpatores & vindices, ſemper appellare. Qui propterea Synodum menſe Januario anni 809. congregavit, in qua cum juxta votum Imperatoris atque Præſulum tempori fere ſemper obedientium, decretum eſſet, *Epiſcopos de ſacris Canonibus diſpenſare poſſe, conjugium Conſtantini cum Theodota ex diſpenſatione fuiſſe legitimum, reos eſſe Monachos & eorum maxime duces Platonem & Theodorum, qui Patriarchæ & Epiſcoporum Decretis non parerent: & cum Joſepho communicare pertinaciter renuerent, imo ſe ab ipſius Patriarchæ communione ſubtraherent:* anathemate injuſtiſſime percuſſi ſunt, & Imperatoris edicto in Exilium amandati. Adverſus hanc Synodum quam *mœchorum* vocabat, Theodorus auxilium Romani Pontificis Leonis III. imploravit, datis ad ipſum litteris, quas Baronius exhibet ad annum 809. Non jam de ſola diſciplina eſſe contentionem Theodorus judicabat, ſed de fide: cum Pſeudo-ſynodus legitime fuiſſe diſpenſatum cum Imperatore Conſtantino judicaſſet, ut uxorem di-

dimitteret, eaque vivente alteram duceret. Vnde sententiam adversariorum novam hæresim esse scribit, novoque nomine *Hæresim Mœchianorum* appellat. Tot negotiis in se irruentibus implicitus, duobus perculsus exiliis Theodorus, haudqoaquam tamen iners siluit vel bovis instar obmutuit: sed & contra Mœchos proterve clamavit, & multis Ecclesiam ditavit Scriptis, quæ firmissimi ipsius capitis atque indefessi laboris argumenta firmissima sunt. Imo ut alter Paulus, corpore in vinculis concluso liber, animo ac mente infractus, innumeras ad diversos in carceribus constitutus Epistolas scripsit, quibus pietatem suam & animi fortitudinem testatus est. Horum omnium nullus sincerior testis, Michaele Studita, ejus discipulo, cujus hic verba referre juvat, ex Vita Theodori, quam composuit.

„Edidit præterea *Institutiones* jambicis versibus conscriptas, quemadmodum unumqoemque facere imperata oportet: quorum versuum contextus initium, à Præposito ipso duceret. Tum deinde cæteros omnes ad infimum usque percurrens, definit ac statuit, quibus pœnis, quibusve separationibus affici debeat, qui ad divinas laudes tardius advenerit, qui vas confregerit aut temere projecerit: quibus omnibus congruentes pro delicti modo pœnas imposuit. Memor autem beati Pauli (2. Thess. 3.) dicentis, *Neque gratis panem manducavi, sed manus ista mihi & iis qui mecum sunt, ministraverunt:* laborare & ipse constituit, manus quotidie versans in Codicibus, operamque suam ad eos adjungens ex discipulis, qui opus manu faciebant. Extant apud nos ad hunc diem Manuscripta pulcherrima. Composuit & libros alios, quos propria lingua dictavit, quorum sensus manifestam quandam divinæ gratiæ vim ostendunt. In his primum locum tenet, qui dicitur *Parva Catechesis*, quatuor & triginta supra centum, distincta sermonibus: quos quidem fratribus ipse pronuntiavit, congruentes cuique diei singulos, lectissimis sententiis, verbisque ornatissimis, scite admodum pertractans nunc de animi furtitudine, adversorumque contemptu, de Monasticæ observationis perseverantia, & membrorum mortificatione: nunc de constantia in quotidianis certaminibus, & præstanti adversus omnes casus animi contentione. Ex hoc libro tres sermonum particulæ, prima quaque die hebdomadis apud nos in Ecclesia recitari consueverunt. Alterum deinde librum elaboravit, *Magnum Catechisticum*, tribus membris seu partibus comprehensum, qui egregia Cœnobii Instituta singillatim declarat, disciplinam tradens supra quam dici queat utilissimam. Quantum vero utrique insit gratiæ, cœlestisque Philosophiæ, cuivis notum, qui eorum lectionem vel leviter attigerit. Etenim multi sane libros multos, eosque utiles elucubrarunt elegantia & sermonis ornatu excellentes: mihi tamen sic persuadeo, nullo ex alio tantum lucis, tantumque compunctionis haurire animam, quantum ex patris Catechesibus, quæ singularem cum suavitate persuadendi vim habent, & conjunctam cum utili gratiam præ se ferunt.“

Composuit itaque *Catecheses duas*, nempe *Magnam*, quæ nihil aliud erat, quam Collectaneum Constitutionum potissimarum Cœnobii, ut testatur Michael Studita, qui vidit & legit. Alteram item *Parvam*, quæ constabat centum triginta quatuor sermonibus, quos idem Michael eximie laudat. Illos autem Parvos ex MS. Codice Græco Antverpiensi factos Latinos, edidit in 8. Joannes Livinejus Antverpiensis anno 1602. Qui tum postea accesserunt in Bibliothecam Patrum editionis Parisiensis anni 1644. & maxime Lugdunensis anni 1677. Illos volvimus, quos tantis dignos laudibus haudquaquam invenimus, quantis extulerat Michael Studita, Theodori discipulus. Extant Sermones illi parvi CXXXIV. Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi inter MSS. Codices Historicos Græcos Ecclesiasticos Codice XXV. ut habet Lambecius Tomo VIII. Bibliothecæ istius pag. 294. & 295. ac 296. Hi quoque sermones dicuntur extare MSS. in Bibliotheca Vaticana ex Codicibus Heidelbergensibus, in Bavarica Serenissimi Ducis Cod. 81. quod quisque noscere potest, legens illarum Catalogos, post Antonii Possevini *Apparatum sacrum* positos. Eædem extant MSS. Parisiis in Bibliotheca Collegii Claromontani societatis Jesu, & Petri Segnærii Galliarum Cancellarii, ut habet Carolus Dufresnius du Cange ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, in indice Authorum ineditorum, col. 33.

Expedit autem latius disserere, tam de *Magnis Catechesibus*, quam de *Parvis*, quæ CXXXIV. vel CXXXV. enumerantur, aliisque S. Theodori Studitæ Abbatis Opusculis, quæ in MSS. Codicibus Bibliothecarum Europæ insigniorum adhuc extant, ad Eruditorum oblectamentum. Post Prolegomena Balthasaris Corderii Soc. Jesu ad S. P. Nostri Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini *Homilias X.X. in Jeremiam Prophetam* Latinitate donatas & Antverpiæ anno 1648. in 8. editas, adjecit Corderius Catalogum præcipuorum Auctorum ineditorum Græce MSS. qui asservantur in Bibliotheca Scorialensi Regis Catholici, factum opera & studio Alexandri Barvoetii ex Societate Jesu, quem Catalogum eundem recudendum curavit Philippus Labbeus ejusdem Societatis, atque velut *Supplementum III.* adjecit *Novæ Bibliothecæ MSS. Librorum* pag. 175. & sequentibus, *Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimini antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quod anno 1653. Parisiis in 4. excudi voluit apud Joannem Henault,

nault, ubi pag. 188. de *Magnis Catechesibus Theodori Studitæ* ita loquitur.

„Theodori Studitæ nihil est ineditum, quod „non habeat Sirmondus, qui novam ejus edi„tiooem molitur, præter *Catechefes Majores* „*XXIX.* & Orationem unam εἰς γενέθλιον τῆς „θεοτόκου, quam à me descriptam & Latinitate „donatam, illi mittam. Illic autem argumen„ta *Majorum Catechefeon* ita ex Catalogo Bar„voetii profert.

ὑποθέσεις τῶν κατηχήσεων τοῦ πρώτου βιβλίου

α' Περὶ τοῦ πανολέτρου παῤῥησίας καὶ τοῦ εὐχαρίστως ὑποφέρειν τοὺς νόσους.

β' περὶ τῆς μερίμνης τοῦ κανονάρχου, κανδηλαρίου καὶ νοσοκόμου.

γ' περὶ τῶν διακονιῶν.

δ' περὶ τῆς ἀσφάτου ἐξαγγελίας.

ε' περὶ τοῦ χωρισμοῦ τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος.

ς' περὶ τῆς ἀγάπης καὶ σπουδῆς ἐν ψαλμοδίαις.

ζ' περὶ τῶν ἐν κοινοβίῳ ζώντων.

η' περὶ τῆς ταπεινώσεως.

θ' περὶ τῆς ἀποδόσεως μεγάλων ἀγαθῶν, πρὸ μικρῶν ἀφιέντων.

ι' περὶ τοῦ ἐν κοινοβίῳ σκάμματος.

ια' περὶ τῶν νοσούντων.

ιβ' περὶ τῶν λατρακακούργως φιλιῶν.

ιγ' περὶ τοῦ ὑποτάσσεσθαι.

ιδ' περὶ τοῦ καιροῦ τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπιτεύξασθαι.

ιε' περὶ τοῦ μὴ μεγαλύνειν ἄλλον βίον ἀπὸ τῶν κοινοβιακῶν.

ις' περὶ τῆς πανολέτρου παῤῥησίας.

ιζ' περὶ τῶν πανουργιῶν τῶν δαιμόνων.

ιη' περὶ τῶν ζωοποιῶν παθημάτων χριστοῦ.

ιθ' περὶ τοῦ ὀλίγῳ οἴνῳ χρῆσθαι καὶ τοῦ δέχεσθαι τοὺς παῖδας, καὶ τοὺς κυλλοὺς, καὶ ἀναπαύειν.

κ' περὶ μὴ λαμβάνειν βρώματα ἄνευ εὐλογίας.

κα' περὶ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τῆς μονῆς, ὡς ἐν κυρίῳ.

κβ' περὶ τῶν πιπτόντων, τὸ πῶς δεῖ ἀνίστασθαι.

κγ' περὶ εὐχερῶς ὑποφέρειν τὰ ἐναντία.

κδ' περὶ τοῦ λυπεῖσθαι &c.

κε' περὶ τῶν θλίψεων.

κς' περὶ τοῦ ἀγαπᾷν ἔσχατον εἶναι &c.

κζ' περὶ τοῦ ὑποφέρειν γενναίως &c.

κη' περὶ τῆς εἰρήνης.

κθ' περὶ τοῦ βίου ὀρθοῦ.

An autem libri alii *Catechefeon earundem* ibidem habeantur, Barvoetius non exprimit.

In Bavarica, ut jam dictum, Bibliotheca Codice 81. *Theodori Studitæ Catechefis centum triginta quinque & ejusdem Testamentum*: quod de *Pareu* intelligendum est. Eædem in Bibliotheca Bessarionis Cardinalis Venetæ, ut testatur

Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum, quem anno 1650. Utini in 4. emisit. In Vaticana ex ejusdem Catalogo, extant *Theodori Studitæ Scholia in Basilii Magni ascetica.* In Regia Galliarum Bibliotheca teste Labbeo in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum* anno 1653. Parisiis in 4. edita, potissimum ex MSS. Codicibus Regiis. Ibi parte 1. pag. 74. Codice 273. *Theodori Studitæ in Platonem Confessorem, in Joannem Evangelistam, & de tertia inventione capitis S. Johannis Baptistæ*, Codice 274. *Testamentum Theodori Studitæ Confessoris.* Ibidem parte 2. pag. 90. Codice 709. *Theodori Studitæ Libri tres & nonnulla alia adversus Iconomachos*, in quo inter cætera legitur ejusdem Theodori Abbatis elogium, ubi etiam ejusdem Theodori plures Epistolæ ex Codice 709. aliisque, à Jacobo Sirmondo excerptæ & Latine redditæ fere omnes. Idem parte 3. pag. 102. ac de eodem in *Supplemento VII.* pag. 274. Item parte 4. pag. 137. *Theodori Studitæ Elenchus impiorum poëmatum Joannis, Ignatii, Sergii & Stephani*, in Codice Regio 709. in quo & alia plura ejusdem Auctoris opuscula. Sed Librorum numeros alia jam ratione immutatos audio, ex recentioribus Catalogis MSS. Græcorum omnium, quos, dum Parisiis eram, conscripserunt Carolus du Fresne, Dominus du Cange & Joannes Baptista Cotelerius, viri in discutiendis MSS. Græcis exercitatissimi. Bernardus etiam de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, in *Diario Italico*, quod anno 1702. Parisiis edidit in 4. Johannes Anisson, cap. 21. ubi Neapoli Bibliothecam sancti Joannis de Carbonia Patrum Augustinianorum excutit, pag. 309. *Diarii* citati, in ea reperit *Theodori Studitæ Catechefes* anno mundi 6534. scriptas, id est, Christi 1026. in Codice membraneo. Extant etiam Opuscula multa S. Theodori Studitæ Abbatis Græce MSS. in Anglicanis Bibliothecis, quæ simul collecta recensere, instituto nostro convenerit. Itaque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 91. num. 14. *Theodori Studitæ Confessoris Quæstiones & Responsa* p. 351. Ibidem Codice 120 Barocciano *Theodori Studitæ sermones Catechetici CXXVIII*, quorum primus incipit, ὅτι χρὴ ἡμᾶς, ultimus pag. 281. ἐκλεκτοὺς ἅμα καὶ. Item Codice 174. Barocciano pag. 93. *Theodori Studitæ homilia in Natalem Joannis Baptistæ.* Ἀνδόνι τινὶ πολυφώνῳ Item Codice 197. Barocciano pag. 551. *Theodori Studitæ proœmium in Orationem Catecheticam S. Joannis Chrysostomi* de Paschate. Τὶ τοῦτο πατέρες καὶ ἀδελφοί. Item Codice 238 Barocciano p. 23. *Theodori Studitæ En omium Joannis Baptistæ* 24. Februarii. Τρίτον μήνυμα τῆς τοῦ &c. Ibidem Codice 163 in MSS Codicibus Thomæ Roe Codice 17 pag. 183. *Sermo Theodori Studitæ de imitatione Sanctorum*, Ἀδελφοὶ καὶ πατέρες Codice 264. in iisdem Codd. Thomæ Roe Codice 18. pag. 123. *Theodori Studitæ Quæsita & Responsa*, περὶ τῶν κοινωθέντων. Ibidem Codice 274. in

MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 28. pag. 220. b. *Theodori Studitæ de adoratione sanctæ crucis homilia.* Incipit Ἀγαλλιάσεως καὶ εὐφροσύνης. Ibidem Codice 249. in MSS. Codd. Thomæ Roe Militis Codice 3. *Theodori Studitæ hymni Anastasimi, sive* Ἀναβαθμοὶ *LXXV, cum Expositione Anonymi, aut Nicephori fortasse Callisti.* Ibidem Codice 280. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 103. num. 2. pag. 22. *Theodori Studitæ Catecheses parvæ ad discipulos suos.* Num 3. pag. 451. *Theodori Studitæ Testamentum*, Ἀκούων τοῦ θείου Δαβὶδ λέγοντος, ἡτοιμάσθην καὶ οὐκ ἐταράχθην. Ibidem Codice 748. in MSS. Codd. Guillelmi Laudi, Cantuariensis olim Archiepiscopi & Academiæ Oxoniensis Cancellarii littera C. Codice 106. *Theodori Studitæ Sermones CXXXIV.* quorum priores decem desiderantur. fol. Et Codice 753. in iisdem Guillelmi Laudi locis Codice III. *Theodori Studitæ Sermones Catechetici* Græce in fol. inter quæ opera habes *Homiliam in Sancti Platonis memoriam* pag. 16. Pergit Michael Studita.

„Scripsit præterea vir divinus *Panegyricum volumen*, in quo insignes Domini dies festos enarrat & præclaris Orationibus exornat. Nec Domini solum, verum etiam Deiparæ, & præcursoris item Joannis Baptistæ, cujus etiam solitudinem, vitamque ab hominum congressu remotam eleganti hymno celebravit. Scripsit & *librum Jambicis versibus*, in quo & primi parentis ortum lapsumque descripsit, Cainique invidiam, & manum, quæ fratri suo injecta cædem patravit iniquissimam. Enochi deinde gratam innocentiam, ac Noë ejusque filiorum exortum, vitam, conversationem. Recensuit insuper eodem opere universam Iconomachorum hæresin, quos ut malorum fautores atque authores anathematis nota perstrinxit. *Epistolarum autem ejus libri quinque* sunt numero, qui apud nos hactenus adservantur. In his & singularem Patris libertatem videre est, & sollicitudinem ac sedulam industriam: & quemadmodum inter calamitates erectus semper manserit & invictus, nullis ærumnis fractus, nihil remittens de mentis proposito, in tantis incursibus & temporum injuriis.

Ex hoc omni Panegyrico volumine, unam scio duntaxat orationem impressam *in adorationem vivificæ crucis*, quam doctissimus Jacobus Gretserus tom. 2. *de Cruce*, græce latineque edidit, pag. 1405. At volumen istud Panegyricum integrum vel saltem illa *Catechesis Magna*, de qua locutus est supra *Michael* in Vita Theodori, habetur MS. Græce in folio in Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Nam in Catalogo hujus Bibliothecæ edito in 16. anno 1686. Lipsiæ apud Johannem Fridericum Gleditsch fol. 120. num. 31. legimus, *Theodori Studitæ ducenti & viginti duo Sermones Græci, sive Catecheses ad discipulos.* Ibidemque, *Ejusdem Testamentum ad discipulos*, quod mihi videtur esse aliquod Opusculum ex præfatis à Michaele Studita recensitis. An autem istud Opus, quod in Lipsiana Bibliotheca extat, sit Studitæ *Catechesis Magna*, an *Panegyricum volumen*, agnosci facile poterit, ex Michaelis verbis, qui *Magnum Catechisticum* describit, utpote quem legerit. Sed quantum ad Epistolas Theodori Studitæ, quarum plurimas in exilio & carcere conscripsit, extant illæ teste Baronio in *Annalibus* ad annum 798. num. 7. Manuscriptæ in Bibliotheca Columnensi Romana, nisi jam inde alio commigrarint. Ita autem hoc loco Baronius. „Quas autem ex Columnensi Bibliotheca nacti sumus (Theodori) Epistolas ad Annales spectantes, eas cum Vita ipsius à dicto Michaele conscripta Sirmondus Parisiensis Theologus, Soc. Jesu professor, me rogante, latinitati reddidit: quo nomine non ego solum, sed & universa ei plurimum debeat Christiana religio. Nos eas suis locis, pro temporis ratione reddemus. Utinam inveniatur aliquis vir doctus, qui majori otio cuncta sanctissimi atque doctissimi viri egregia monumenta è Bibliothecarum diversarum latebris aliquando in lucem vendicet, eademque latinitate, beneficio omnium donet." Pergit iterum Michael Studita.

„Præter hos omnes *Dogmaticum etiam librum* composuit, in quo validæ insunt Disputationes refutatoriæ, mirabiliter contextæ, ad dissolvenda Iconomachorum sophismata: quibus illi sic urgentur & anguntur, ut nec respirare eos sinat, vivisque dogmatum argumentis illorum mendacia expugnet ac dejiciat. Contra impios autem Imperatores multis invehitur, illos pariter congruenti oratione contingens, quæ illorum vitæ moribusque perpetuam notam inussit. Atque hi sunt libri, quos Deifer pater ore suo edidit, ac disertissima lingua explanavit. Semper enim præsentem habuit secum veram sapientiam, primam omnium intus insonantem & mentis aciem illustrantem, parum aut nihil penitus egens humana sapientia: quam contemnebat jamdudum, ex quo ad illam sublimiorem oculos converterat. Quo fiebat, ut abundantis gratiæ ope nixus, multa quotidie indefessus præstaret, scribens ipse, aliis dictans: facienda præcipiens, divinis rebus incumbere persuadens, atque ut uno verbo dicam, omnibus se commodans, omnes aptis ad salutem rebus instituens."

Hujus Theodori *de honore & adoratione sanctis Imaginibus exhibenda* Opusculum seu Homilia seorsim prodiit Antverpiæ anno 1556. apud Joannem Stelsium cum tribus libris S. Joanni Damasceno attributis, *adversus eos, qui traducunt & criminantur Sanctorum Imagines.* Dogmatica ista *de veneratione Imaginum*, Romæ Græce anno 1553. excusa fuit, cum S. Joanne Damasceno supposititio *de Imaginibus.* Eidem attribuitur *Canon qui canitur in erectione sanctarum Imaginum*, qui ex Græcorum Triodio desum-

ptus

ptus extat Græco-latine apud Baronium ad annum 842. & in Bibliotheca Patrum. Verum recte Baronius non esse Theodori Studitæ germanum foetum docuit, qui ante pacem Ecclesiæ redditam obierat: sed alicujus ex suis discipulis Monasterii Studitarum, ac fortasse Naucratii aut alterius ex illis, qui sub persecutione diversorum Imperatorum, multa pro cultu Imaginum passi sunt. Alii vero Hymni atque Canones in Ritualibus Græcorum libris reperiri dicuntur, quæ parentem hunc agnoscunt Theodorum Studitam. Ejusdem *Theodori Studitæ Testamentum*, interprete Jacobo Sirmondo, extat Latine in *Annalibus Ecclesiasticis* Baronii, anno 826. num. 50. Itemque in Bibliotheca Patrum, citatæ editionis anni 1644. ad calcem *Minoris Catechefeos* ejusdem: atque in editione Antverpiensi ex versione Joannis Livineji anni 1602. Edidit tandem Græce & Latine ex MS. Cod. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, in 4. anno 1696. Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmam, Jacobus Tollius in *Insignibus Itinerarii Italici* pag. 178. ad 191. *Enconium de Vita & Operibus Sancti Platonis*, Theodori nostri in Studiano Monasterio gubernando antecessoris, extat Græce & Latine apud Bollandum ad diem 4. Aprilis, & Latine tantum apud Surium ad diem 16. Decembris, & in *Historia Veterum Patrum* Laurentii Barræi. Statuerat Jacobus Sirmondus sub vitæ finem, colligendis in unum omnibus Theodori Studitæ Operibus operam suam conferre, sed bonam senis voluntatem mors superveniens irritam fecit. Jesuitæ Trivoltiani, qui ab anno 1701. *Monumenta ad Historiam scientiarum & artium* Gallice conscribunt, graviter conqueruntur anno 1704. tomo 8 pag. 9. editionis Amstelodamensis in 8 adversus Jacobum Tollium, in libro, cui titulus *Jacobi Tollii Insignia itineris Italici* anno 1696. impressa, de qua diximus supra in Dissertatione *de Operibus Sancti Gregorii Nazianzeni*. Inter Carmina aliqua antiqua, quæ dictum Syntagma continet, reperitur pag 178. & sequentibus, *Testamentum Sancti Theodori Studitæ*, de quo supra diximus, Græce cum versione Latina, quam Tollius jure merito, infidam ac puerilem appellavit. Equidem Interpres minus curavit explicare Græcam phrasin, quam Latinitatem reddere inexplicabilem. Applicuit se magis quærendis Latinis verbis insolitis, quam reddere sensum Græcarum dictionum. Mirum, quod author Batavus versionem hujus styli opus Sirmondi arbitratus sit. Fatetur in judicio Operis, de quo agitur, se legisse plura hujus viri Opuscula. Quomodo igitur non agnovit differentiam hujus Latinitatis obscuræ & affectatæ, cum stylo Sirmondi semper claro, simplici simul ac nobili? Versio itaque vera, quam fecit *Testamenti Sancti Theodori Studitæ*, impressa extat tomo IX. *Annalium Baronii* ad annum 826. num. 50. Et anno eodem, quo Tollius Syntagma suum edendum curavit, 1696. in editione præclara Operum Jacobi Sirmondi omnium, quæ quinque voll. in fol. typographiæ regiæ Parisiis prodiit. Quam autem versionem Tollius Sirmondo tribuit, prodiisse Antverpiæ sub nomine Joannis Livinei proprii auctoris anno 1602. cum aliis Opusculis Sancti Theodori Studitæ in 12. apud viduam Belleri. Multis perfunctus laboribus, obiit Theodorus die XI. Novembris anno 826. ætatis 67. cujus mentionem faciunt Michael Studita, qui vitam ejus amplissime scripsit. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, quisque in Opere, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Cæsar Baronius tomo IX. Annalium ab anno 796. ad 826. passim. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo IX. parte 1. cap. 3. art. 6. pag. 167. & multi alii. Guillelmus Cavus ad annum 813. pag. 509. *Historia rei literariæ*, ubi ejus Epistolas, quæ Græce vel Latine apud Baronium & Allatium, sigillatim recenset.

SANCTUS EIGIL Fuldensis Ecclesiæ Abbas IV. vir pius ac sanctus natione Germanus, patria Bavarus, pro more Ordinis divi Benedicti & Columbani, adhuc puer ante annum 759. Sturmioni primo Abbati Fuldensi consanguineo suo, moribus ac litteris bonis instituendus traditur. Hic sub Sturmionis ejusque Successorum Abbatum Baugulfi & Ratgarii regimine annos 59. in Monasterio Fuldensi tanta cum pietate transegit, tanta cum pace sub prodigo etiam Ratgario vixit: ut anno demum 818. illo ob malam Abbatiæ administrationem deposito suffectus sit. Literis mandavit *Gesta S. Sturmionis Abbatis primi Fuldensis* suique Magistri ac Præceptoris, in cujus *discipulatu*, ut ipse in Prologo suo affirmat, *annos plusquam viginti conversatus fuerat*, cui & morienti adfuit, circa annum 779. vel 780. die 17. Decembris. Quam sincerus in hac Historia extiterit, hinc liquet, quod opus suum Monachorum Fuldensium censuræ non semel subjecit. Nam lectionem libri illius, quem de vita Abbatis supra dicti & origine Monasterii Fuldensis, largiente Christi gratia, composuit, Fratribus in mensa sedentibus recitari præcepit, teste Candido Monacho in *Vita S. Eigilis* ipsius: quatenus hi eadem mirabilia divinæ operationis audientes, gratias divinæ Majestati referrent, & omnis jucunditas festivitatis ipsius in ejus laude personaret. Edidit illam primus Christophorus Brouwerus in *Syderibus Germaniæ* Ingolstadii anno 1616. in 4. inde apud Surium ad diem 17. Decembris immissam, in ultimis Surii editionibus. Tum denique apud Joannem Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* Tomo 2. pag. 267. & seqq. de quo idem Mabillon Seculo 4. *Sanctorum* ejusdem Ordinis Tomo 1. pag. 226. & seqq. Eigil factus Abbas anno 818. in aulam à Ludovico Imperatore vocatus, optima ab eo monita &

820.

præcepta de Cœnobio recte administrando recepit, quod miro etiam pietatis exemplo Imperatorem precibus fatigare prius non destitit, quam ut Ratgarium, cujus inimicitias ipse gravissimas expertus fuerat, ab exilio revocari impetraret. Obiit anno 822. cum annos quatuor Fuldam administrasset, Rhabanum Successorem nactus. Agunt de Eigile Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad ann. 818. pag. 518. Joannes Mabillon locis citatis, qui omnium instar esse potest.

820 CANDIDVS FVLDENSIS MONACHVS, ab anno circiter 780. usque ad annum circiter 850. in Monasterio Fuldensi claruit, sub quatuor Abbatibus Baugulfo, Ratgario atque Eigile, & Rhabano, quibuscum regulam monasticam coluit. Scriptis commendavit *Vitam S. Eigilis Abbatis Fuldensis*, qui anno 818. electus anno 822. debitum humanæ naturæ solvit, Rhabanum Successorem nactus. Nec prosa solum, sed carmine etiam *Vitam* ejus prodidit, quod utrumque opus ex MS. Fuldensi codice pervetusto primus edidit in lucem Christophorus Brouwerus Soc. Jesu Theologus in *Syderibus Germaniæ* Ingolstadii anno 1616. in 4. editis. Eandem habet Joannes Mabillon Seculo 4. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tomo 1. pag. 226. & sequentibus. Magni illius Rhabani hortatu atque exemplo, se commentatum hæc fuisse, initio Vitæ ejus his verbis indicat: *Anno præterito Dominus Abbas Rhabanus, cum illi querebar, quia non haberem quenquam mecum consociorum, cum quo in divina lectione disputando & legendo, proficere potuissem, tale mihi responsum referebat. Exerce, inquit, temetipsum legendo, & aliquid utilitatis adde dictando: nam dum ego ibidem, ubi nunc ipse moraris, quondam commanerem, librum prosa & versibus* in laudem sanctæ Crucis *divina gratia inspirante incepi, atque fidelibus legendum studioso labore consummavi. Hac igitur frater licentia fretus* duos libros de Vita Aigili Abbatis nostri *dictando & scribendo, Dei dono peregi, unum prosa, alterum vero versibus explicavi.* Cum autem libri Rhabani *de Cruce* anno 843. compositi sint, hinc constat post anaum 844. scriptam fuisse Vitam hanc Eigili Abbatis à Candido Fuldensi Monacho. Antequam autem hoc opus concinnaret, circa annum 820. jam Aigili ipsius jussu *Vitam Baugulfi Abbatis* exaraverat, ut hæc ipsius Candidi verba ostendunt: *Ex eo igitur tempore, quo me venerabilis Pater Ægil vitam Baugulfi cari Abbatis nostri, jam de ergastulo corporis absoluti, intima cohortatione persuasit literis explicare: ex eo me libuit benevolentiam, studium & gravitatem tanti Patris, memoriæ commendare.* Excidit opusculum istud Candidi, cujus mentionem egi in Supplemento *de Scriptoribus Ecclesiasticis* post Eigilem anno 820. pag. 223. & 224. post Gerardum Joannem Vossium lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 34. p. m. 307.

MICHAEL ECCLESIÆ HIEROSOLYMITANÆ PRESBYTER AC PATRIARCHA SYNCELLVS, ab anno circiter 820. claruit, qui deinde Constantinopoli Monasterio τῆς χώρας Præfectus fuit. Multos 820.
pro Imaginum caussa labores, viventibus adhuc Theodoro Studita Abbate, ac Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, pertulit, eandem cum ipsis sententiam atque arenam ingressus. Hujusce rei testis luculentus, ipse Theodorus Studita, qui ad eum scripsit Epistolam, quæ extat Libro 2. Epistolarum S. Theodori Studitæ Epistola 213. legiturque apud Baronium in Annalibus ad annum 835. num. 70. quamvis longe ante istud tempus scripta sit, ab Abbate Studita Theodoro, qui obiit anno 826. die XI. Novembris. Illic præclaris omnibus encomiis Michaelem Syncellum Theodorus laudat, ob egregiam fidei confessionem, quam publice confessus fuerat, eandem cum ipso aggressus causam defendendam. Plures autem post Theodori Studitæ ac Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani mortem, quæ anno 828. die 13. Martii contigit, sub Theophilo Imperatore ob eandem Imaginum contentionem labores exantlandos suscepit, cujus jussu circa annum 835. in carcerem conjectus & tormentis cruciatus: ut scribit Cardinalis Baronius ad dictum annum 835. num. 70. Dicitur passim in MSS. Codicibus *Michael Monachus*, ab eo vitæ genere, quod amplexus est sub S. Theodoro Studij Abbate, cujus & *Vitam* idem postea litteris commendavit. Scripsit Michael Syngelus seu Syncellus, *Encomium Sancti Dionysii Areopagitæ & Episcopi*, quod extat Græce & Latine inter Opera Sancti Dionysii Areopagitæ, ad calcem romi secundi pag. 207. editionis, quam Balthasar Corderius duobus in fol. tomis Græce & Latine procuravit, Antverpiæ anno 1634. & Parisiis anno 1644. *Encomium in Sanctos Dei Angelos & Archangelos*, quod habetur Græce pariter & Latine cum notis apud Franciscum Combefis tom. I. *Novi Auctarii* Bibliothecæ Veterum Patrum col. 1525. editionis Parisiensis anni 1672. in folio, vel Aureliæ potius, ubi impressum est. Hucusque Cavus. Extat autem *Encomium in SS. Angelos*, Græce MS. in Bodlejana Bibliotheca Codice 277. num. 17. pag. 267. Item Codice 3383. num. 13. Atque *Encomium in S. Dionysium Areopagitam* MS. in nostra Lugduno-batava Bibliotheca inter MSS. Codd. ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 92. Præter hæc impressa, extant quoque alia Opuscula Michaelis Syncelli manuscripta in Bibliothecis. Nam ut habet Lambecius Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 163. extat in hac Bibliotheca Cæsarea Græce MS. Codice MS. Theologico Græco LXXVII. num. 65. & quidem à folio 144. pag. 2. usque ad fol. 145. pag. 2. *Michaelis Sacerdotis & Syncelli professio fidei*, cujus ti-

„titulus & principium : Μιχαὴλ ἱερέως „καὶ Συγκέλλου. Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα „ἀγέννητον. καὶ εἰς ἕνα Υἱὸν γεννητὸν, καὶ εἰς ἓν „Πνεῦμα ἅγιον ἐκπορευτὸν, τρεῖς ὑποστάσεις &c. Extat quoque sub ejusdem nomine ibidem Codice MS. Theologico Græco CCXLVIII. num. 15. ut habet idem Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 138. his verbis. „Decimo quinto & quidem à folio „97. pag. 1. usque ad fol. 98. pag. 2. *Michaelis* „*Syncelli Hierosolymorum Libellus de Orthodoxa* „*fide*, cujus titulus & principium : Μιχαὴλ „Συγγέλου Ἱεροσολύμων λίβελλος περὶ ὀρθοδόξου „πίστεως. Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα ἀγέννητον, „καὶ εἰς ἕνα Υἱὸν γεννητὸν, καὶ εἰς ἓν Πνεῦμα „ἅγιον ἐκπορευτὸν, τρεῖς ὑποστάσεις &c. Eadem „Professio fidei extat etiam in Codice MS. „Theologico Græco LXXVII. num. 65. qua „de re vide librum tertium horum Commen„tariorum pag. 163. Eadem quoque extat sub anonymi authoris titulo, in eadem Bibliotheca Codice MS. Theologico Græco LIX. num. 9. & quidem folio 116. & 117. ut habet Lambecius Lib. 3. eorundem Commentariorum pag. 100. Itemque idem Opusculum ibidem quoque anonymum, Codice MS. Theologico Græco CCVII. num. 7. ut habet Lambecius Lib. 5. eorundem Commentariorum, pag. 8. his verbis. „Septimo & quidem à fol. 56. pag. 2. usque ad „fol. 57. pag. 2. *Symbolum fidei Christianæ*, cujus „titulus & principium : Λίβελλος τῆς ὀρθῆς „καὶ ἀμωμήτου πίστεως τῶν χριστιανῶν. Πιστεύω „εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα ἀγέννητον, καὶ εἰς ἕνα Υἱὸν „γεννητὸν, καὶ εἰς ἓν Πνεῦμα ἅγιον ἐκπόρευτον &c. „Vide Librum 3. horum Commentariorum, „pag. 100." Et inter MSS. Codd. Ecclesiarum Cathedralium Angliæ atque aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 9198. in MSS. Codd. Joannis Mori Nodwicensis Episcopi Codice 12. num. 3. fol. 26. An autem accusatus alicunde hanc fidei Confessionem emiserit ad propulsandas irrogatas calumnias, an ad confirmationem aliorum, & quandam uniformitatem, id Operis aggressus sit, hoc me nescire fateor.

In eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCVIII. num. 2. ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 13. his verbis, „extat secundo & quidem a fol. „11. pag. 1. usque ad fol. 17. pag. 2. *Epistola* „*Thomæ Patriarchæ Hierosolymitani, adversus Arme*„*nios hæreticos, à Theodoro Abucara Arabice scri*„*pta, & à Michaele Syncello Græce explicata*, cujus „titulus & principium. Ἐπιστολὴ περιέχουσα „τὴν ὀρθὴν καὶ ἀμώμητον πίστιν, μόνην ἀληθινὴν, „καὶ κατὰ τὸν ὅρον τῆς ἐν Χαλκηδόνι συγκεκρο„τημένης Συνόδου τὸν περὶ τῆς εἰς Χριστὸν τὸν „Θεὸν ἡμῶν ὁρισθέντα λόγον, πεμφθεῖσα παρὰ „τοῦ μακαρίου Πάπα Θωμᾶ Πατριάρχου Ἱεροσολύ„μων πρὸς τοὺς κατὰ τὴν Ἀρμενίαν αἱρετίζοντας, „ἀραβιστὶ μὲν ὑπὸ Θεοδώρου τοῦ τὸ ἐπίκλην Ἀβου„καρᾶ, τοῦ Καρῶν Ἐπισκόπου ὑπαγορευθεῖσα διὰ" δὲ Μιχαὴλ πρεσβυτέρου καὶ Συγγέλου τοῦ ἀποστο-" λικοῦ θρόνου μεταφρασθεῖσα, μεθ' οὗ καὶ ἀπέσταλ-" και Χριστὸς ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν τῷ τῶν" Ἀποστόλων ἔφη κορυφαίῳ Πέτρῳ· σὺ εἶ Πέτρος," ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ &c. Thomæ autem hu-" jus Patriarchatus ad annum Christi 802. te-" fertur, in Marquardi Freheti Chronologia" Juri Græco-Romano præfixa. Tota hæc E-" pistola extat Græce & Latine inter Thodori" Abucaræ varia *Opuscula contra Hæreticos, Ju-*" *deos & Saracenos*, pag. 428. à Jacobo Gretsero" Soc. Jesu cum Anastasii Sinaïtæ Ὁδηγῷ sive" *Duce Via adversus Acephalos*, conjunctim edita Ingolstadii anno 1606. in 4. typis Adami Sar-" torii. Prodiit autem Gretseriana illa editio" ex Codice MS Bibliothecæ Serenissimi utrius-" que Bavariæ Ducis Maximiliani, ideoque haud" inutile erit, eam cum hoc Codice MS. Cæsa-" reo accurate conferri." Idem quoque Opusculum, seu Epistola eadem Thomæ Patriarchæ Hiernsolymitani, ex eadem Arabica versione Theodori Abucaræ, quam Græce Michael Syncellus antea explicuerat (amplioribus verbis interpretatus fuerat, antequam illam mitteret, extat quoq; inter Opuscula Græca ejusdem Theodoti Abucaræ, in eadem Cæsarea Bibliotheca, Codice MS. Philosophico Græco LXXVII. num. 7. ut habet Lambecius Lib. seu tomo 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 135. & 136. Idem hic Michael Syncellus scripsit *Vitam S. Theodori Studitæ*, cujus olim discipulus fuerat, atque comes certaminum in causa imaginum, quam ex MS. Codice Latine reddidit Sirmondus, cujus excerpta quamplurima Latine profert Baronius Tomo IX. Annalium. Falli autem mihi videtur Cavus in *Historia Rei literariæ* Seculo IX. ad annum 878. pag. 562. dum hanc Vitam *Theodori Studitæ* attribuit alteri *Michaeli Monacho* ab ipsis Theodori Studitæ temporibus remotissimo, qui à vitæ instituto sic dictus, postea Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyter ac Ignatii Patriarchæ Syncellus anno 878. claruerit. Noster enim Syncellus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, iste Constantinopolitanæ : noster discipulus S. Theodori Studitæ & Synchronus, qui anno 826. die XI. Novembris mortuus est : iste multis junior, atque ab hac ætate remotior. Itaque falli mihi videtur Cavus, dum attribuit Syncello Constantinopolitano Michaeli, quod alteri Hierosolymitano Syncello tribuendum venit. Junior quidem *Michael Monachus* Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter ac Ignatii Patriarchæ Syncellus, scripsit *Encomium Ignatii Patriarchæ*, qui anno 878. mortuus est, quod mutilum Græce & Latine à Radero editum una cum Actis Concilii VIII. Ingolstadii 1604. in 4. ac Tomo VIII. Conciliorum col. 1260. Seninr autem ac noster *Vitam Theodori Studitæ*. Hæc nos ut plurimum ex Lambecio in Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Commentariis,

Lib.

Lib. 3. pag. 163. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 253. Lib. 5. pag. 13. 138. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 345. Lib. 7. pag. 135. & 136. & in Catalogo Scriptorum ejusdem tomi pag. 320.

830. WULFINVS BOETIVS Pictaviensis in Gallia Episcopus, temporibus Ludovici Pii Imperatoris clarus, circa annum 830. scripsit ad Idolenum Abbatem Nobiliacensem *Vitam Sancti Juniani Abbatis* Mariacensis seculo Ecclesiæ sexto virtutibus clari. Cujus prologus incipit, *In scribendis illustrium præclarissimis virorum gestis, & nobilissimis triumphis &c.* Vita autem, *Beatissimi & virtutum miraculis præclarissimi viri Juniani Monachi vitam* &c. quam in vulgus protulit Joannes Mabillon, *Seculo I. Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 307. quod Parisiis anno 1668. in fol. editum apud Ludovicum Billaine in aula Palatii.

830. HILDEMARVS MONACHVS GALLVS, à Ramperto Brixiensi Episcopo circa annum 830. in Italiam evocatus, cui ut & Leutgario Abbati Ecclesiam Sanctorum Faustini & Jonitæ, in qua sacra admodum neglecta & conculcata erant, restituendam ad severioris vitæ normam commisit. Scripsit insignem *Commentarium in Regulam Sancti Benedicti*, MS. in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Cod. 119. quem editioni paratum habet Joannes Mabillon, ut ait tom. 2. *Analectorum* pag. 84. Hic ipse Codex Benignianus optimæ notæ in folio, habetur nunc in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis num. 667. cujus hic titulus. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni, incipit Traditio super Regulam divi Benedicti, quam Magister Hildemarus Monachus tradidit, & docuit discipulis suis. Quocirca obsecro, cum aliquid incompositum sive inhonestum ibi inventum fuerit, non Magistro, sed discipulis imputetur.* Inquit autem, *Tres sunt Ecclesiastica disciplina, prima physica id est naturalis* &c. In fine Codicis, *Explicitus Liber seu Commentarius* &c. ut supra. Extat quoque MS. in Bibliotheca Abbatiæ Claræ vallis, ut ex ejus antiquo Codice mihi innotuit. Hic autem Commentarius eo quod in Monasterii Cassinensis Bibliotheca multis à temporibus conservaretur, Paulo Diacono Cassinensi Monacho Sexcentis ab hinc annis adscriptus est, primum à Leone Marsicano Cardinale, Libro 1. Chronici Cassinensis cap. 15. deinde à Petro Diacono, Bernardo Calinusi Cassinensi & Cardinale atque aliis: quamvis viri doctissimi nostro tempore Benedictus Haeftenius Angelus de Nuce Abbas Cassinensis, istud opus *Paulo Diacono* merito abjudicent. Imo idem Joannes Mabillon tomo 4. *Analectorum* pag. 638. asserit vidisse se opus istud Manuscriptum in Bibliotheca Monasterii Augiensis seu Augiæ divitis in Germania cum titulo seu inscriptione ista: *Incipit Expositio Basilii Abbatis, super Regulam Sancti Benedicti Abbatis primitus.* Verum authori suo legitimo reddit Codex MS. Divionensis, & in pluribus MSS. Gallicanis expositio hæc *Hildemaro* tribuitur, favetque huic rei *Epistola ipsius Hildemari ad Ursum Episcopum Beneventanum*, quæ in Expositione capitis 38. hujus Commentarii integra recensetur. Vixisse creditur Hildemarus usque ad annum 840. de quo Joannes Mabillon abunde, locis supra allatis loquitur.

DISSERTATIO
DE
COLLECTIONE EPISTOLARVM DECRETALIVM ISIDORI MERCATORIS.

PROLOGVS.

830. ISIDORVS MERCATOR seu PECCATOR, quem natione Hispanum volunt, magnam nostris temporibus Disputationem seu occupationem Criticis præbuit, ob Collectionem Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum, quæ sub illius nomine sæpius prodiit. Hanc Isidori Mercatoris Collectionem, continentem Epistolas illas varias Romanorum Pontificum, primum in lucem protulit, in Conciliorum Collectione Jacobus Merlinus, Parisiensis Theologus, cujus Tomus prior, est Isidori Mercatoris Collectio purissima: nisi quod *Romanorum Pontificum, Martini, Vitaliani, Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ Decreta* addita sint: cum in *Gregorio Magno* desiisse Isidorum Mercatorem, ex ejus Præfatione, certo compertum sit. Prodiit autem hæc Merlini Conciliorum editio primum duobus in folio voluminibus, Parisiis anno MDXXIV. tum Coloniæ anno M D XXX. duobus item voluminibus in 8vo. Iterum Parisiis anno M D XXXV. 2. vol. in folio. Ex hac autem editione Conciliorum Merlini, falsæ illæ omnes Decretales Romanorum Pontificum, impressæ sunt in aliis omnibus Conciliorum editionibus, Petri Crabbi Mechliniensis Ordinis S. Francisci de observantia, Laurentii Surii, Severini Binii, Philippi denique Labbæi: ita ut adulterinæ hæ merces sæpius impressæ fuerint, quam si germanæ ac legitimæ fuissent. Habetur etiam hæc Collectio in duobus MSS. Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, & in tertio fratrum Prædicatorum S. Martæ supra Minervam, ut testantur qui ediderunt *Corpus Juris Canonici cum Glossis & Commen-*

mentariis, Romæ 3. in folio voluminibus, jussu Gregorii Papæ XIII. anno 1580, inter ea de quibus lectorem in principio admonere visum est. Extat *quartus* MSS. Codex in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici, qui antiquitate sua ad Caroli Calvi ætatem ab eruditis pertinere dicitur, non autem Caroli Magni, ut Natalis Alexander perperam contendit.

CAPVT PRIMVM.

STATVS QVÆSTIONIS ACCVRATE PROPONITVR.

NOn hic agitur de Epistolis S. Cornelii, quæ inter Opera Sancti Cypriani extant, neque de Epistolis Julii I. quæ à Sancto Athanasio *Apologia secunda* referuntur, nec de Epistolis Liberii, quæ à Sancto Hilario *in fragmentis* recensentur, nec de *Epistola S. Damasi ad Illyrici Episcopos*, quam Theodoretus lib. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 22. exscripsit: aliisque ejusdem Pontificis Epistolis apud sanctum Hieronymum extantibus: cum fateamur has Epistolas priscorum Pontificum, quæ à Sanctis Patribus aut veteribus Historiæ Ecclesiasticæ auctoribus referuntur, genuinas esse. De aliis igitur duntaxat quæstio est, quas ex *Collectione Isidori Mercatoris*, editores Conciliorum, in editiones suas transtulerunt. „Epistolas autem Decretales, ut vocant, supposuit nebulo iste Mercator, Romanis Episcopis sequentibus. Clementi *quinque*. Anacleto *tres*, Evaristo *duas*, Alexandro *tres*, Sixto *duas*, Telesphoro *unam*, Hygino *duas*, Pio *quatuor*, Aniceto *unam*, Soteri *duas*, Eleutherio *unam*, Victori *duas*, Zephyrino *duas*, Callisto *duas*, Vrbano *unam*, Pontiano *duas*, Antero *unam*, Fabiano *tres*, Cornelio *duas*, Lucio *unam*, Stephano *duas*, Dionysio *duas*, Felici *tres*, Eutychiano *duas*, Cajo *unam*, Marcellino *duas*, Marcello *duas*, Eusebio *tres*, Melchiadi *Epistolam unam*, de primitiva Ecclesia & munificentia Constantini Magni Imperatoris erga eandem, deinde quoque *unam Epistolam Decretalem*. Synodo Nicænæ *Epistolam* ad Sylvestrum Papam, & Sylvestri *rescriptum* ad eam, Ægyptiis ad Marcum Papam *Epistolam*, & Marco *responsoriam* ad eandem, Julio *Epistolam unam*. Orientalibus ad Julium *unam* & Julio *responsionem*. Liberio *Epistolam*. Athanasio & Episcopis Ægypti *Epistolam* ad Liberium, & Liberio *responsoriam* ad eam Epistolam. Athanasio & Ægyptiis *Epistolam* ad Felicem secundum & Felici secundo *responsoriam*, cui deinde *alteram* quoque supposuit. Damaso Pontifici *Epistolam tertiam* ad Hieronymum & Hieronymi *rescriptionem*. Africano Concilio *Epistolam* ad Damasum, Damasi *responsoriam*, *quartam Epistolam*. Eidem *quintam* de Chorepiscopis, & *septimam* ad Episcopos Italiæ. *Aurelio Carthaginensi Episcopo* ad Damasum, & *Damaso* rescriptum. Siricio Papæ *quartam Epistolam*, Anastasio Papæ *duas*, Sixto III. *Epistolam tertiam*. Leoni *Epistolam*

LXXXVIII. Joanni primo *Epistolas duas*, Felici quarto *Epistolas duas*, Bonifacio secundo *Epistolam unam*, Justino & Justiniano *exemplar precum*. Joanni secundo *Epistolam unam*. Agapeto *Epistolam quintam*. Silverio *Epistolam unam*. Amatori *Epistolam* ad Silverium, & Silverio *responsoriam* ad eam, quæ est Epistola secunda. Pelagio primo *Epistolam unam*, Johanni tertio *Epistolam unam*, Benedicto primo *Epistolam Decretalem*. Pelagio secundo *Epistolam primam, secundam, octavam, nonam*. Gregorio Magno *Privilegium* Sancti Medardi Monasterio concessum. Felici Siciliæ Episcopo *Epistolam* ad Gregorium Magnum, Gregorioque Magno *rescriptionem*, quæ est Lib. XII Epistola 32. Deus dedit Papæ *Epistolam unam*." Hæ sunt impostoris merces, quas supposuit, & impudenter orbi universo pro genuinis Epistolis Episcoporum urbis veterum obtrusit. Hoc igitur intelligendum omnino est de suppositione seu mendaci effictione Epistolarum Pontificiarum, non de Collectione omni, quæ usque ad Epistolas aliquas Zachariæ Papæ procedit. Et sane nullus ambiget, quin Mercator ille Isidorus Hispanus inserere potuerit ac etiam debuerit, ad incautos decipiendos, Collectioni suæ mendaci, Epistolas aliquot veras; ultimorum Martini, Vitaliani, Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ Romanorum Pontificum, ut omnes antecedentes veræ pariter & non fictitiæ crederentur. Hoc autem potuit, qui anterioribus istis Epistolis inseruit lacinias plurimas ex Epistolis Sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, anno Domini DCC XL. & ultra florentis, desumptas.

David Blondellus Catalaunensis, Scriptor inter Reformatos celeberrimus, hoc de argumento copiose & erudite in libro, qui inscribitur *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*, disseruit. Quo in Opere sicut ejus criterium laudandum est, quod Epistolas illas priscis Pontificibus merito abjudicat: ita condonandus zelus, quo illas conviciis proscindit & lacerat, nulla habita ratione veritatum & rectarum sententiarum, quas impostor illis inseruit ad fraudem contegendam. Nec frustra vero Blondellus sibi cecinit, quasi primus suppositionem Decretalium illarum observasset & propugnasset. Quamvis enim ante ipsum animadvertisset scripsissetque Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, in iis multas ex Codice Theodosiano sententias, & ex Scholiis, quæ sub nomine *Aniani* ad Codicem Theodosianum extant, insertas esse; (cum tamen Theodosianus Codex duobus tribusve seculis, post Pontifices, quibus Epistolæ præfatæ inscribuntur, conscriptus sit.) Attamen Antonius Augustinus id per transennam observaverat & scripserat, nec ex professo hoc argumentum tractaverat. Nec igitur justitia patitur, ut honorem suum Davidi Blondello, doctissimo homini Respublica literaria eripiat,

qui

qui quod à nemine hucusque tentatum ex professo fuerat, tantam ingenii vim ac studii sedulitatem, examinandis his Pseudepigraphis Epistolis apposuit: ut felici tandem successu invenerit, unde & à quibus exscriptæ sint libris & locis Epistolæ illæ suppositititiæ, ab impostore Isidoro Mercatore confictæ. Quo labore improbo, doctos omnes hujus seculi Criticos, sibi æternum devinxit. Jam quærimus, quis hujus Collectionis Scriptor fuerit.

CAPUT SECUNDUM.

AN ISIDORUS HISPALENSIS EPISCOPUS, VEL BENEDICTUS MOGUNTINÆ ECCLESIÆ DIACONUS, HUJUS DECRETALIUM COLLECTIONIS AUCTORES SINT?

VOlunt nonnulli atque alios inter Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri* verbo *Isidorus Hispalensis*, illum fuisse auctorem & collectorem Epistolarum Decretalium prædictarum, quod tamen probari nullatenus potest. *Primo*, quia qui profert monumenta S. Isidoro Hispalensi posteriora, non est Isidorus ipse, sed aliquis illo posterior. At Epistolarum istarum artifex monumenta S. Isidoro Hispalensi posteriora & recentiora profert, Concilium nempe Toletanum undecimum, Concilium œcumenicum sextum, Epistolas Gregorii II. & Gregorii III. & Zachariæ Romanorum Pontificum, itemque Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, ut supra diximus. Unde auctor seu Collector harum Epistolarum non est S. Isidorus Hispalensis Episcopus. Contra tamen stetisse videtur Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus *Epistola* VII. cap. XII. his verbis: *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit eum Epistolis Romanæ Sedis Pontificum à S. Clemente usque ad Beatum Gregorium* &c. Sed Hincmarus deceptus est & alii, qui eum secuti sunt. Nam S. Isidorus Hispalensis Episcopus obiit anno Christi 636. Heraclii Augusti 26, Cinthilla regnum ineunte, ut testantur Redemptus ejus Diaconus in Vita illius, Braulio Cæsaraugustanus Episcopus in *Catalogo Operum S. Isidori*, & Lucas Tudensis Episcopus *Chronici* lib. 3. & Mariana lib. 6. cap. 7. Ex qua epocha evidenter colligitur, S. Isidorum Hispalensem non esse authorem *Collectionis veterum Decretalium*, quæ Isidori Mercatoris seu Peccatoris nomen præfert: quippe cum & Concilii Toletani undecimi illa meminerit, quod anno 675. ab Isidori obitu 39. habitum est. Et Concilii sexti œcumenici, quod anno 681. celebratum est, post obitum Isidori Hispalensis 40. & amplius annis. Et Gregorii II. & III. ac Zachariæ Romanorum Pontificum Epistolas, qui post annum 700. floruerunt, auctor ille Collectioni suæ inseruerit. Nec objicias, multa, quæ in Præfatione Collectionis prædictarum Epistolarum Decretalium leguntur, extare in libro 5. *Etymologiarum* S. Isidori Hispalensis, ideoque illum esse illius Collectionis auctorem. Nam respondeo, contrarium potius inde colligi. Nullus enim auctor eruditus & sapiens crambem recoctam Lectoribus suis apponit, & quæ semel scripsit, sine necessitate iterum obtrudit. Præterea cum libros *Etymologiarum* non ab ipso Isidoro Hispalensi, sed a Braulione Cæsaraugustano Episcopo post Isidori obitum editos, ipse Braulio, cujus rogatu illos conscripsit, testetur: evidens est, posteriorem fuisse Isidoro, quisquis tandem libros istos defloravit. *Secundo* S. Braulio Cæsaraugustanus Episcopus, Isidoro coævus & amicissimus, in *Catalogo*, quem texuit operum illius, nullam *Epistolarum Decretalium* mentionem facit, quæ veteribus ante Siricium Romanæ urbis Pontificibus inscriptæ sunt: uti nec Sanctus Ildefonsus Toletanus Antistes. Ergo Collectionem illarum S. Isidorus Hispalensis non adornavit. *Tertio* summa viri sanctitas & doctrina non patiuntur, ut ipsum tam fœdæ imposturæ authorem, & tot propalatarum næniarum, tantumque plagiarium existimemus.

Placuit aliis nonnullis, *Isidorum aliquem Hispalensem Episcopum* fuisse Decretalium Epistolarum Collectorem, sed alium à Seniore, de quo egimus. Quod autem hoc falsum sit, ita probatur. Necesse est, istarum Epistolarum Decretalium artificem vixisse post annum Domini 700. siquidem ex Bonifacii Moguntini Archiepiscopi Epistola ad Ethilbaldum Regem, quæ post annum Domini 744. data est: & ex Epistola celebris Abbatissæ Cangith, post annum 720. ad eundem Bonifacium scripta, plurimas lacinias excerpsit. Porro ab anno 636. quo S. Isidorus Hispalensis obiit, ad annum 700. atque infra; nullus in Hispalensis Ecclesiæ cathedra Isidorus sedit, ut constat ex Ecclesiæ monumentis. Nam S. Isidoro successit Theodiscus, Theodisco Honoratus, Honorato Antonius, Antonio Fugitivus, Fugitivo Julianus, Juliano Florescindus, Florescindo Felix, Felici Faustinus, Faustino Oppa, huic Joannes, isti Verus, qui Episcopatum circa ann. 760. administravit. Auctor igitur f. Collector Epistolarum præfatarum, non fuit alter à S. Isidoro, ejusdem nominis, Hispalensis Episcopus. Fateor equidem, ad finem Concilii tertii Bracarensis anno Domini 675. subscriptum reperiri *Isidorum Asturicensem*: & ad finem Conciliorum Toletanorum XII. anno Domini 681. XV. anno 688. & XVI. anno 693. subscriptum etiam legi *Isidorum Setabiensem*. Sed neuter etiam istarum Decretalium artifex aut Collector esse potest, cum hic artifex & harum mercium institor, anno Domini 700. posterior fuerit. Non abnuo *Chronicon* Juliani Toletani innuere *Isidorum Mercatorem Setabiensem Episcopum*, ope Monachi cujusdam Epistolas Decretales veterum Pontificum compilasse & obiisse anno 805. Sed Chronicon illud suspectæ apud omnes eru-

eruditos fidei est, & sancto illi Archiepiscopo existimatur jure merito suppositum. Quomodo autem Isidorus Setabiensis Episcopus, qui Concilio Toletano XVI. anno 693. subscripsisse legitur, usque ad annum 805. vixisset, uti mendax illud Chronicon Juliani Toletani scribit? Annos enim plusquam CL. ille vixisset, quod incredibile prorsus est. Hæc nos pleraque habuimus ex Natali Alexandro, in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, Seculo I. tomo 2. Dissertatione 20. pag. 216.

Creditum fuit Compilatorem Decretalium istarum Hispanum fuisse, & ex Hispania allatas has merces, quia Hispani Antistitis nomen habuit vel assumpsit. Sed hoc Clarissimo Blondello displicet, *primum*, quia isto Caroli Magni seculo, Hispani durissimo Barbarorum jugo premebantur, ita ut tunc temporis non cogitarent de Canonibus vel Decretalibus supponendis, sed de vita magis, & qualicunque Ecclesiæ cura atque religionis exercitio solliciti fuerint. *Deinde*, quia parce nimis Hispaniæ ejusque provinciarum meminit, ac Decretales paucissimas ad Hispanicas provincias commentus est, cum tamen plurimas ad Gallos Italosque dictatas mentiatur. Bis enim tantum Hispaniæ meminit, nempe Pseudo-Sixtus II. *in Epist. 2.* & Pseudo-Melchiades: bis Beticæ Pseudo-Auterus scilicet & Pseudo-Eutychianus *Epist. 1.* Cordubensis provinciæ semel, Pseudo-Dionysius nempe *Epist. 2.* Quod non credendum est fecisse Hispanum, etiam de patriæ gloria ex Pseudepigraphis Scriptoribus comparanda sollicitum. *Tertio*, quia in turbulenta harum Epistolarum congerie, multi Gallo-Francorum & Longobardorum *idiotismi* leguntur; Hispanorum vero, quales ex Eterii & Eulogii scriptis, annotari à curiosis possunt, omnino nulli. Conjicit itaque eum fuisse Germano-Francum, vel Gallo-Francum, idque *primum*, ob sermonis barbari & idiotismi affinitatem, quam habet cum Scriptoribus temporum Caroli Magni, Stephani scilicet tertii & quarti, Adriani primi, Leonis tertii & successorum Epistolis. Item cum Anastasii Bibliothecarii scriptis, cum Germano-Francicis sub Pipino, Carolo & Ludovico Pio Conciliis congregatis, & Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii & Caroli Calvi libris. *Deinde*, si spurcissimi sermonis vitia abessent, absurdissima illa Commenta imperitissimum historiæ politiæque non modo primitivæ Ecclesiæ, sed etiam veteris Romanorum reipublicæ nebulonem, nec excedere Caroli Magni ætatem produnt. In hunc censum refer priscorum Magistratuum conficta nomina, *Archiflammes, Primiflamines, Primates legis seculi, Primos legis, seculi Doctores*, de quibus videsis Pseudo-Clementis *Epist. 1.* Item *Primates, Archiepiscopos, Patriarchas* etiam *Universales*, in Ecclesia ante seculum quartum ignotos. Huc quoque refer *Appellationes*, ex toto orbe ad Romanum Episcopum. Huc paradoxa vix credenda, *Non licere populis, imo nulli fas esse Episcopos accusare: Concilia hac sola rata esse, quæ Antistes Romanus rata habuerit: Licere quidem Metropolitis Episcoporum causas audire, at solius Papa esse sententiam definitivam pronunciare.* Videtur quoque *tertio* conjectura de patria duci posse, quod cum quinque Epistolas ad Hispanos tantum, ad Italos & Campanos octo, ad Ægyptios tres, ad Afros & Mauros duas, ad Orientales quinque, ad Gallos Germanosque decem finxerit, ut exinde Galliam Veteribus urbis Episcopis charam ostenderet. *Quartum argumentum* Blondellus pro patria hujus nebulonis ducit, quod maleferiatus impostor, inter alia plurima post annum 700. edita Scripta, Epistolam Bonifacii Moguntini ad Ethilbaldum Regem post annum Domini 744 datam, & Cangith Abbatissæ Epistolam aliam post annum Domini 720. ad eundem Bonifacium scriptam, deflorarit. Quæ familiares Epistolæ vix eo seculo venire poterant in manus Hispanorum tam longe Moguntia dissitorum, nullum cum iis commercium habentium & vix animas trahentium. Germano-Franci autem facile eas habere poterant, quia inter eos Bonifacius ab anno 719. ad 754. usque vixerat. *Quintum* pro hac sententia adducit, quod Moguntini omnium primi, Epistolarum istarum, Romanis Pontificibus suppositarum Collectionem in medium protraxerint, & per totum orbem disseminaverint. Quod probat *Præfatio* Benedicti Levitæ ad libros tres, quos adjecit *Capitularibus* Caroli Magni.

Aliud de Benedicto Levita habemus testimonium, ex incerti Scriptoris elogio, quod Petrus Pithæus editioni primæ Capitularium Caroli Magni præmisit, quod hic verbotenus referre non absurdum videretur. „Benedictus Moguntiacensis Ecclesiæ Levita, Capitula quædam Regalia, Synodalia & alia collegit ex iis, quæ in scriniis ejusdem Metropolis reponi fecerant Ricolfus Archiepiscopus, qui Monasterium S. Albani renovavit, & Moguntinæ Synodo sub D. Carolo præfuit: & Otgarius ejus consanguineus & secundus post Haistulfum successor, quorum uterque hujusmodi Capitulorum percuriosus fuit, & erga sanctam sedem Romanam valde devotus: adeo ut Otgario etiam Apostolicus Gregorius suas vices in Germania aliquando commiserit. Hic Ludovici Imperatoris filiis contra patrem favit, sed postea reconciliatus est, & decedens anno DCCCXLVII. Lotharii Imp. VII. successorem habuit in Archiepiscopatu Dominum Rhabanum Abbatem Fuldensem." Quibus tertium adjungo, ex Libro Hincmari Rhemensis Archiepiscopi adversus Hincmarum Laudunensem, post annum 870. scripto, cap. 24. hoc nimirum. *Quia forte putasti neminem alium easdem sententias, vel ipsas Epistolas præter te habere, & idcirco talia libere te existimasti colligere: res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista ter-*

m, ficut & de libro collectarum Epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculphus Moguntinus Episcopus, in hujusmodi, ficut & in capitulis Regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit. Ex quibus testimoniis Blondellus concludit, suppofititias hasce merces primorum urbis Epifcoporum promanaffe primum & diffeminatas effe ex fcriniis Præfulum Moguntinorum, five Riculphi, qui anno 786. vel 787. ad Epifcopatum venit, & anno 814. vel 815. obiit, ut habet Serarius *Historia Moguntinarum rerum* lib. 4. pag. 613. & feqq. Sive, quod adhuc magis probat, aliorum, qui Riculpho fupervixerunt, arte conquifitas effe: non obftante Hincmari teftimonio, qui fub Riculpho innotuiffe, & eum ex Hifpaniis allatas, in vulgus fparfiffe, arbitratus eft. Adfunt enim argumenta, quæ fuadeant Riculpho vel integram Pfeudo-Ifidori Mercatoris Collectionem, vel faltem Epiftolas aliquot, quales nunc habemus, incognitas fuiffe. Argumenta hæc ipfius Blondelli verbis proferemus, qui fic loco citato cap. 5. pag. 22. „Porro ne quis vel Pfeudo-Ifi„dorianæ compilationis vel Epiftolarum o„mnium, quas hodie farrago illa complectitur, „five auctorem five collectorem fuiffe Ricul„phum fufpicetur, quod poft Hincmarum alii „crediderunt, clariffimo & quod arte nulla „eludi poffit argumento, fieri id non poffe „probamus. Quod fcilicet, cum abfurditate „non careat Ricolphum anno Domini 814. „vita functum, Centones ex Scriptis totis qua„tuordecim annis poft editis confarcinaffe, „vel farciviffe: vel noviffe Epiftolas quafdam „verbi gratia vel Pfeudo - Urbani vel Pfeudo„Joannis 3, in quibus Concilii Parifiis fub Lu„dovico Pio anno Domini 829. coacti, fenten„tiæ ad verbum leguntur, vel penitus, vel qua„les hodie funt, ignotas Riculpho fuiffe, nemo „jure dubitare poffit.“ Et quibusdam inter citatis. „Id etiam obiter moneo, de fecunda „Pfeudo - Joannis primi Epiftola dici poffe, ean„dem ejus ac Epiftolarum Pfeudo-Urbani & Pfeu„do-Joannis tertii rationem effe debere, quando„quidem in ea notari poffunt imitationes quæ„dam phrafeon, quibus Jonas Aurelianenfis in „Epiftola ad Carolum Calvum ufus eft, quem „regnare cœpiffe anno Domini 839, hoc enim „anno obiit Ludovicus Pius 12. Kalendas Ju„lii, annis à Ricolphi obitu XXV, nemo nega„verit. Idem forte ex aliis Epiftolis, alii ob„fervaturi funt. Ex quibus cum pateat, poft „obitum Riculphi oportere factam effe Colle„ctionem Pfeudo-Ifidorianam (nifi velimus di„cere, quod in ejusmodi Collectionibus fæpe „factum videmus, eam cum tempore creviffe „& auctam fuiffe) fufpicio maxima cadit in Be„nedictum Levitam, de quo fupra dictum eft, „eum tres Capitularium Caroli & Ludovici „Imperatorum libros pofteriores collegiffe. „Is enim primus Epiftolas iftas fecuit, & fine „mentione titulorum in Capitularia Caroli Magni & Ludovici Pii immifit. Vide Capi-„tularium Lib. 6. cap. 119. Accedit huic, iden-„titas ftyli in Epiftolis fuppofititiis, & tribus„pofterioribus Capitularium libris, item fimilis„phrafium fordities, inconcinna periodorum„conftructio. Tum etiam, quod ifto tempore„frater Eulogii Ifidorus ex Hifpania, conditio-„ne vitæ Mercator, exul inter Germano-Fran-„cos, & quidem Moguntiaci habitaverit: ex„qua urbe prima diffeminatio, fi non etiam in„ea fabricatio Epiftolarum facta fit, cujus vel„nomine abuti, eo volente vel infcio, Benedi-„ctus potuit; quæ late exequitur & conjectu-„ram hanc illuftrat Blondellus in fæpe lauda-„tis *Prolegomenis* cap. 6. pag. 28. & fequentibus.“ Quam tamen Lectoris arbitrio permittit, ut„quantum ei tribuendum fit, judicet.„

CAPUT TERTIUM.

AN ISIDORUS MERCATOR SEU PECCATOR, GENTE HISPANUS, HUJUS COLLECTIONIS AUCTOR SIT?

QUamvis Doctiffimus Blondellus Benedictum Levitam Moguntienfis Ecclefiæ, collectorem effe Epiftolarum ejusmodi, ob rationes à fe allatas opinetur, ego contra cum plurimis viris eruditis cenfeo illarum authorem fuiffe *Hifpanum quendam* fub initium feculi IX, anno circiter 820. vel 830. celebrem, quem *Ifidorum* quendam magni nominis Monachum exiftimant, qui fe *Peccatorem* dicere foleret, fuoque nomini hoc femper elogium humilitatis adderet, quem Epifcopi aliqui fub indifcreto zeli prætextu, ad Epiftolas iftas effingendas induxerint: illum porro ex *Peccatore*, *Mercatorem* effeciffe ofcitantes fcribas. Ita conjicit Morinus. Alii hoc *Peccatoris* elogium *Ifidoro* fervantes, ipfum fuiffe Epifcopum fufpicantur: quod folemnis Sanctorum Epifcoporum mos effet, ut fe *Peccatores* fubfcriberent, quod conftat ex Conciliis, Turonenfi I. Parifienfi III. Turonenfi II. & Matifconenfi II. Ita conjicit Petrus de Marca, Tolofanus Archiepifcopus in Opere *de Concordia Sacerdotii & Imperii*. Porro fententia noftra, quod hic *Collector Epiftolarum Pontificiarum* Hifpanus fit 1 probatur tum ex Collectanei lectione, ad cujus initium fubjicitur *Methodus celebrandi Concilii*, quæ in Hifpaniis ufitata prifcis temporibus fuit: tum quod perpetuus fit in allegandis laciniis ex Conciliis Toletanis, Hifpaniarum potiffimis. Quæ recte ponderata, fpeciem quandam demonftrationis contra Blondellum efficiunt. Quod autem is collector fit *Ifidorus Mercator feu Peccator*, fub feculi IX. initium clarus, evincitur *primum* ex multis MSS. Codicibus, nomen *Ifidori Mercatoris feu Peccatoris* habentibus, unde fub ifto nomine ab anno 1524. fæpius prodierunt ad noftrum usque tempus. *Secundo* authoritate Hincmari Rhemen-

mensis Archiepiscopi, qui ita in Opusculo 55. capitum cap. 24. inquit. *De libro autem collectarum ab Isidoro Epistolarum, quem de Hispania allatum Riculphus Episcopus Moguntinus, in hujusmodi sicut & in Capitulis Regiis studiosus, obtinuit: & istas regiones ex illo repleri fecit* &c. Quibus Riculphum Moguntinum Archiepiscopum, has plurimas Epistolas sub Veterum Pontificum venerandis nominibus conscripras, *ab Isidoro collectas*, ex Hispania in Germaniam allatas, obtinuisse refert. Addit *tertio* Blondellus, *Isidorum illum Mercatorem*, cujus nomine Epistolæ priscorum Pontificum præfatæ evulgatæ sunt, fuisse fratrem Eulogii Cordubensis Presbyteri, qui cum pietatis causa profugus Moguntiam adventasset, ibique aliquandiu mansisset: inde occasionem arripuerunt Riculphus Moguntinus Archiepiscopus & Benedictus Levita, affingendi illi *Veterum Decretalium Collectionem*, ut incautis hanc ex Hispaniis allatam esse persuaderent. Verum cum hoc dixisse contentus sit Blondellus, ea nullatenus probare satagat, ipsi fides adhibenda non est: Sed credibilius est Collectaneum istud ab Eulogio fratre Isidori, Moguntiam ex Hispaniis allatum. Addo inveniri hujus Collectionis MSS. Codices ita antiquos, ut ad ætatem Caroli Calvi antiquitate sua pertinere videantur, qualem unum egregium in Bibliotheca Collegii Navarrici Parisiensis vidimus. Denique quod *Isidorus Mercator* ad annum 820. vel 830. circiter pertineat, his movemur calculis. Hic Isidorus Mercator inseruit Collectaneo suo, Epistolas aliquas Gregorii II. seu Junioris, qui anno 731. Gregorii III. qui anno 741. & Zachariæ, qui anno 752. obierunt. Cum autem nullas inseruisse credendus sit, quæ non aliquam antiquitatis speciem præ se ferrent, ad probabilem hanc rationem salvandam, vix ante annum 820. vel 830. collocandus est. Eandem Collectoris ætatem insinuant laciniæ, quas Collectaneum istud habet, ex Epistola S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi ad Ethilbaldum Regem, quæ post annum Domini 744. data est: & ex Epistola celebris Abbatissæ Cangith, post annum 720. ad Bonifacium eundem scripta. Favet denique huic supputationi Isidori Mercatoris ad annum 820. vel 830. factæ, quod teste Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, hoc Collectaneum jam extaret, atque in Galliis transcriptum jam sæpius esset, ætate Riculphi Moguntinensis Archiepiscopi, qui Lullo ab anno 787. successit ad annum 814. quo devixit, ex Serario in *Historia Moguntinensi* & fratribus Sammarthanis Tomo 1 *Galliæ Christianæ* in *Archiepiscopis Moguntinensibus*. Ergo nulla convenientior ætas assignari potest, quam anni 820. vel 830. ut supra dictum est.

Arduum autem ac difficile prorsus est, credere has *Epistolas Pontificum Decretales*, allatas esse Moguntiam tempore Riculphi Moguntinensis Archiepiscopi, qui anno 814. mortuus est, ab Eulogio Cordubensi, Isidori Mercatoris fratre. Obstat enim huic temporis rationi, quod in Collectione ista, in Epistolis Vrbani & Joannis tertii, reperiantur loca ex Synodo Parisiensi anno 829. & quindecim ab Riculphi obitu annis celebrata, quæ desumpta sunt. Vnde Bloodellus conjicit, hanc Epistolarum congeriem, Benedicto potius Levitæ tribuendam esse, qui cum anno circiter 850. tres posteriores Capitularium libros adjecerit, Epistolas hasce in frustula sectas, Capitularibus suis inseruit. Sane tempora adventus Eulogii Cordubensis Presbyteri Moguntiam, vix ante annum 830. vel 840. statui possunt: neque convenire mihi videntur cum ætate Riculphi Moguntinensis Archiepiscopi, qui anno 814. obiisse scribitur, quidquid contra dicat Hincmarus loco citato io Opusculo 55. capitum, cap. 24. Recte ergo Guilielmus Cavus hunc *Isidorum Mercatorem* in *Historia rei literaria* anno 830. assignat, qui nec prioribus annis assignari potest.

CAPVT QVARTVM.

AN PONTIFICIÆ ISTÆ DECRETALES, ADVLTERINÆ AC SVPPOSITITIÆ SINT?

IAm quærimus, an Pontificiæ istæ Decretales Epistolæ, quas collegisse Isidorus Mercator dicitur, legitimæ sint, an supposititiæ? Cujus quæstionis solutionem jam sufficienter antea dedimus. Dicimus itaque supposititias illas omoes esse atque confictas, nostramqoe sententiam, quam jam, nemine refragante, omnes post Blondelli laborem egregium amplectuntur, variis rationum momentis stabilimus.
Primum enim, si Epistolæ istæ Decretales Ro- 1.
manorum Pontificum, genuini essent illorum
foetus, illarum Scriptores Ecclesiastici octo prio-
rum Ecclesiæ seculorum interdum meminis-
sent, has Concilia interdum citassent, & alii
Pontifices in suis aliis Epistolis legitimis, quas
nullus negat. At nullus ante nonum secu-
lom illas Epistolas ne nominavit quidem: non
S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasti-*
corum, non Siricius, non Innocentius, non san-
ctus Leo, aliique sanctissimi Pontifices. Non
ullum octo priorum Conciliorum oecumeni-
corom, non ipse Photius vir immensæ Lectio-
nis in *Bibliotheca*, non Eusebius in *Historia Ec-*
clesiastica, non Socrates, non Sozomenus, non
Gennadius in *Catalogo Scriptorum* &c. Ergo &c.
Secundo Epistolæ ejusmodi Scripturam Sacram 2.
frequenter, imo fere semper usurpant secun-
dum versionem vulgatam, quam a S. Hiero-
nymo adornatam volunt, & sub extremum
duntaxat seculi sexti coeptam citari: unde
constat, illas nullatenus ad primos illos Pon-
tifices Romanæ Ecclesiæ posse pertinere, quo-
rum nomina præferunt atque mentiuntur.
Tertio istarum Epistolarum argumenta primis 3.
Ecclesiæ seculis non conveniunt, quæ primo-

rum

rum Ecclesiæ seculorum hæreticos non impugnant, imo nec quidem nominant. Quæ de persecutionibus adversus Ecclesiam excitatis, de Confessorum confortatione ad patientiam & exhortatione ad Martyrium, de lapsis eorumque pœnis canonicis & judiciis, ne verbum quidem ullum habenr. Ergo illarum argumenta primis Ecclesiæ seculis non conveniunr. Certe si conferatur materia istarum Epistolarum Decretalium cum argumentis, de quibus agunt Epistolæ Episcoporum, Opera SS. Patrum, Decreta Conciliorum, quæ ex quatuor primis. Ecclesiæ seculis ad Siricium usque supersunt: nemo, quin parum conveniat Ecclesiæ nascentis ætati illarum materia Epistolarum,
4. non intelliget. *Quarto* illæ Epistolæ Decretales priscis affictæ Pontificibus, compilatæ sunt & consarcinatæ ex Epistolis, Operibus & Decretis posterorum Pontificum, Patrum & Conciliorum, quorum plurimi vixerunt seculis 7. & 8. At quis unquam credat, omnes omnino Decretales primorum Ecclesiæ Romanæ Pontificum, posse ex laciniis ejusmodi conscribi, eoque modo misere assui per annos quingentos, & ultra? hoc ita mihi portentosum est, ut humanam omnem excedat fidem. Hanc autem perpetuam Epistolarum ejusmodi laciniam demonstrat Blondellus in Prolegomenis *Pseudo-Isidori vapulantis* cap. 13. Vbi in singulis Epistolis notat sententias ex Scripris authorum posteriorum delibatas, & ad verbum exscriptas: & singulari cujusque Epistolæ examine, in decursu Operis, quod *Pseudo-Isidori & Turriani vapulantium* titulo inscripsit, ubi Turriani vindicias pro Epistolis præfatis funditus evertit. Nec alterius momenti est exceptio quorundam respondentium, Patres, Pontifices, Concilia sequentium temporum, plurima ex præfatarum Epistolarum fontibus hausisse, ideoque mirum non esse, quod eædem plerumque sententiæ in illorum monumentis, ac in præfatis Epistolis legantur. Hæc inquam Responsio vana est & gratis facta. Si enim Patres, Pontifices & Concilia dictas Epistolas deflorassent, eorum authores inrerdum honoris causa nominassent, sicut nominaverunt alios, quorum testimonia usurparunt. Item eorum testimoniis atque authoritate Hæreticos obruissent, nunquam denique in dubium revocassent, quod tot Decretalibus ab Apostolorum ætate constitutum fuisset. At secus factum est. Ergo non est verisimile, Patres, Ponrifices, Concilia posteriora mutuaritias ex antiquis Decretalibus sententias, verbaque in sua monumenta transtulisse; imo longe est probabilius, harum consarcinatorem Epistolarum turpissimi esse plagii reum: qui posteriorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum dicta exscripserit, & alienis nominibus evulgaverit. Præterea, quæ ex posteriorum Patrum scriptis, vel Conciliorum Pontificumque Decretis, in præfatis Epistolis leguntur, cum cæteris non cohærent partibus, nec illarum stylo conveniunt: quod indicium est manifestissimum, illa priscis Decretalibus male as-
suta fuisse. *Quinto* falsa temporum consigna- 5.
tio non leve est, in Epistolis, aliisque monumentis imposturæ argumentum. Vnde præclare Tatianus *Oratione adversus Græcos* Tom. I. Bibliothecæ Patrum Græcorum ait, *Vbi temporum ratio non cohæret, ibi nec historia quidem vera esse potest.* Sed omnes fere Veterum Pontificum Epistolæ, falsis temporum, Consulatuumque notis conspurcatæ sunt, ut nemo oculatus non videt, unde suppositæ priscis Pontificibus censendæ sunt. Porro quam parum his Decretalibus confidat Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius, Annalium Ecclesiæ Parens, & Romanæ Ecclesiæ jurium asserendorum studiosissimus, his innuit verbis, *Annalium* tomo 10. ad annum Christi 869. pag. 277. „At vero ex multis eas reddi suspectas Epistolas, quæ dicta sunt 2. Annalium tomo, dum de illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum, illis non indigere sanctam Romanam Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis. Cum etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus, satis superque corroborata consistat. Cæterum quod excerpta ex illis Capita à Benedicto Levita primum, ut Canonibus consentientia probata essent, (ut ipse testatur) aurhoritate Romanorum Pontificum, quod & à posterioribus factum est Collectoribus: eadem usu potius recipi contigerunt, quam constanti ipsarum firmitate. Sed & Benedictus Levita, etsi ex eadem Isidori Collectione accepit multa, tamen bene conscius, authoritatem illarum Epistolarum haud adeo constantem, sed nutare admodum: nuoquam aliquem illarum citavit authorem, ut fecit in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum Pontificum Epistolis: Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi atque Gregorii, citans ac nominans earum aurhores. Sed & magna cautela, quod sciret ex eis accepta, haud adeo haberi firma: unde curavit, ut ipse in fine testatur, eadem authoritate Apostolica confirmari. Redeamus ad allegandas suppositionis rationes." *Sexto* similitudo styli & idem 6.
scribendi character, evidenter probant unitatem authoris. Cum ergo in præfatis veterum Pontificum Epistolis, idem stylus, idemque scribendi character occurrat: evidens est, eas omnes ab uno authore, non à Pontificibus diversis esse conscriptas. Qua enim ratione, amabo te, fieri potuisset, ut rot Pontifices, diversis tot annorum temporibus distantes, eundem dictionis characterem observassent, eundemque stylum affectassent? *Septi-* 7.
mo denique, censeri debent Epistolæ illæ suppositæ, quæ barbaro & sordido sermone con-
scri-

ſcriptæ ſunt, & à ſeculi, quo datæ ſupponuntur, elegantia & nitore penitus alienæ ſunt. At Epiſtolæ iſtæ Veterum Pontificum ad Siricium usque, tales ſunt: unde ſuppoſitionis argui debent. Quis enim ſibi ipſi perſuadeat, priſcos Pontifices latinius & elegantius non eſſe locutos, quam homines ex infima plebis fæce, quam agaſones, coquos & hortulanos? Cum ipſi & plerumque nobilitate inſignes, & ſemper ſtudiis vel doctrina non vulgari exculti, Eccleſiæ univerſæ & principali præficerentur, ad quam omnes velut ad oraculum, reſponſa accepturi recurrerent.

CAPVT QVINTVM.

SOLVVNTVR OBJECTIONES CONTRARIÆ SENTENTIÆ.

OBjiciunt Adverſarii illas eſſe genuinas Epiſtolas, quas ut tales agnoverunt Concilia, Collectores Conciliorum & Canonum, aliique authores doctiſſimi & graviſſimi, quæ omnia in iſtas cadunt Epiſtolas. Illas enim citant Patres Concilii Aquisgranenſis ſub Gregorio IV, Benedictus Levita ſeu Diaconus, Caroli Magni Capitularium & Ludovici Pii compilator, Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus in Libello, quem Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo obtulit, ut ipſe teſtatur Libro 55. Capitulorum cap. 43. Concilium Colonienſe cap. 3. Moguntinum cap. 11. Item Tribarienſe cap. 21. Metenſe ſub Arnulpho congregatum cap. 5. Remenſe adverſus Arnulphum Archiepiſcopum, Luitprandus Ticinenſis in libro *devitis Pontificum.* Ordo Romanus, Micrologus capp. 10. & 41. Author *Apologiæ* pro Gregorio VII. cap. 3. Anſelmus Lucenſis Epiſcopus lib. 1. *adverſus Guibertum Antipapam*, & in Collectione Canonum, quam adornavit. Burchardus Wormatienſis in Libris Decretorum, quos edidit, plurima & innumera ex priſcorum Pontificum Decretalibus commiſcuit. Ivo Carnotenſis in Decretum ſuum ſexcentas ex iiſdem ſententias tranſtulit. Gratianus ſuo item Decreto, quod in ſcholis omnibus Juris Canonici legitur, & quod Eccleſia ſequitur, præſatas Epiſtolas inſeruit. Concilium Lateranenſe ſub Calliſto II. cap. 4. Stephani I. *ſecundam* & Calliſti I. *ſecundam* citat. Denique omnes Juris Pontificii interpretes, omnes Theologi polemici & Scholaſtici, ab annis 400. ad hæc usque tempora, harum Epiſtolarum teſtimonia ad Catholicorum dogmatum confirmationem laudarunt. Ergo Concilia, Collectores canonum, aliique viri doctiſſimi, has veterum Pontificum Epiſtolas Decretales ut genuinas agnoverunt. Reſpondeo, hos omnes illas agnoviſſe & veras credidiſſe, ſed omnes falſos eſſe, quod jam certo cognitum eſt. Cœptum etenim duntaxat ſuperiori ſeculo de iſtarum ſinceritate ambigere, tantumque circa illas deſudatum eſt, ut tandem, faventibus Blondelli ſtudiis, unde illæ omnes Epiſtolæ excerptæ fuerant, detectum fauſto conatu fuerit. Plura de hoc argumento Natalis Alexander, in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus* Seculo I. Tomo 2. Diſſertatione 20. pag. 22. & ſequentibus, ſcholaſtica methodo, quæ nos hic abrupta, ſiccaque iſta ſolutione præſcindimus. Igitur ante annum Domini 830. nulla Decretalium, quæ Pontificibus Siricii deceſſoribus adſcriptæ ſunt, memoria, nulla penitus fama fuit. Porro tot ſeculorum ſilentium invictiſſimis rationibus junctum, quæ præſatarum Epiſtolarum ſuppoſitionem demonſtrant, poſteriorum temporum teſtimoniis anteponendum eſt. Si enim poſteriora Concilia jus habent corrigendi priora, *cum aliquo experimento rerum, aperitur quod clauſum erat, & innoteſcit quod latebat*, ut S. Auguſtinus inquit lib. 2. *de Baptiſmo* cap. 3. Non mirum, quod hæc Concilia & eruditos authores, qui poſt octavum ſeculum floruerunt, doctiſſimi hujus ſeculi viri emendent, in rebus criticis clariſſimi, quorum media Eccleſiæ ætas omnino rudis erat. Maxime cum illa mediæ ætatis Concilia, illique auctores, terminos ſibi à Patribus conſtitutos hac in re transgreſſi fuerint, ignotas octo prioribus Eccleſiæ ſeculis Decretales Epiſtolas laudando, nec recentem fœtuum adulterinorum animadvertendo natalem. Addo veteres Canonum Collectores honeſto *Iſidori* nomine deceptos fuiſſe, ſub quo prodiit larvatus impoſtor, & maleferiatus harum Epiſtolarum artifex. Exiſtimarunt enim illarum Collectorem fuiſſe *Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum*, quod, ut ſupra docuimus, falſum eſt, nec illas accurate expenderunt: unde Ivoni, Anſelmo, Burchardo, Gratiano, anteponi debet authoritas & fides Dionyſii Exigui, qui ſub Imperio Juſtiniani Collectionem ſuam adornavit, à Laurentio Romanæ Eccleſiæ Presbytero interpellatus. Quandoquidem hanc Collectionem Eccleſia Romana potius approbavit, quam poſteriores: ut teſtatur Caſſiodorus Senator, coævus author, in Libro *Divinarum Lectionum* cap. 23. ubi de præfato Abbate Dionyſio loquens, ait: *Ex Græcis Exemplaribus Canones Eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus atque diſertus, magna eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Romana Eccleſia amplectitur.* Porro Dionyſius Exiguus, qui veterum Pontificum Epiſtolas ſumma accuratione collegit, initium compilationis ſuæ à Decretalibus Siricii Papæ facit: quod argumento eſt, nullas tunc extitiſſe Epiſtolas veterum Pontificum, qui Romanam Eccleſiam ante Siricium rexerant, ſed illas fuiſſe ſecutis temporibus confictas, ſi quæ poſtea prodierunt. Quod autem omnium, quæ extabant, Pontificum Decreta Dionyſius collegerit, ipſe teſtatur in Epiſtola ad Julianum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum, ita ſcribens: *Præteritorum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitum conſtituta, quæ valui cura & diligentia collegi, & in quendam redigens ordinem titulis diſtinxi* com-

compositis: ita duntaxat ut singulorum Pontificum, quotquot à me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarem.

Objiciunt *Secundo*, illas Epiſtolas eſſe genuinas, quas Romani Pontifices, S. Leo Magnus & Gelaſius ut tales admiſerunt, & ab omni Eccleſia velut genuinas recipi juſſerunt. Atqui tales eſſe Epiſtolas, de quibus loquimur, probatur. Tum ex Epiſtola I. Sancti Leonis data ad univerſos Epiſcopos per Campaniam & Picenum vel Tuſciam, & per univerſas Provincias conſtitutos, ubi ait: *Omnia Decretalia constituta omnium prædecessorum nostrorum, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Item ex Synodo Romana ſub Gelaſio anno 494. ita decernente: *Item Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter esse recipiendas decernimus.* Reſpondeo, quod S. Leo Epiſtola I. cap. 5. ad Veterum Pontificum, qui Siricium anteceſſerunt, Epiſtolas Decretales minime reſpexerit: idque conſtat ex eo ipſo loco, qui allegatur, ſiquidem ſuorum Decreta Deceſſorum commendans, ab Innocentio I. initium ducit, ante quem unus ſolummodo Siricius ſcripſerat ad Afros & ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, qui ipſum conſuluerat. Porro ſi S. Leo ad Epiſtolas priſcorum Pontificum reſpexiſſet, vel ſi tunc extitiſſent Decretales aliquæ, commendaſſet imprimis Epiſtolas Clementis, Anacleti, Hygini Pii, Aniceti, & aliorum. Nomine autem omnium Prædeceſſorum ſuorum, quorum Decretalia conſtituta cuſtodiri mandat, intelligit Siricium, Celeſtinum, Zozimum, Boniſacium, Sixtum tertium: non vero Pontifices Siricio illo antiquiores, quorum nullæ Decretales Epiſtolæ tunc temporis extabant. En verba S. Leonis. *Ne quid vero sit, quod prætermissum à nobis forte credatur, omnia Decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium Prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram Dilectionem custodire mandamus: ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Nego etiam Gelaſium priſcorum Pontificum Epiſtolis ſuffragari. Cum enim ejus ſententia indefinita ſit, conſtabit illius veritas, ſi ad has Epiſtolas referatur, quas Siricius, Innocentius, Zozimus, Boniſacius, Celeſtinus, Sixtus III, S. Leo, Hilarius, Simplicius, & Felix III, Gelaſii deceſſores ſcripſerunt. Hæ namque diverſis temporibus ab urbe Roma, pro diverſorum Patrum conſultatione datæ fuerunt. Fateor Nicolaum I. & Leonem IV, Gelaſii verba ad omnes Decretales, quæ ſuo tempore manibus omnium terebantur, extendiſſe: ut illas etiam comprehendant, quæ priorum Pontificum venerandis inſignitæ ſunt nominibus. Sed id aſſerit uterque & Leo IV. & Nicolaus I. præter Gelaſii mentem.

Objiciunt *tertio*, quod Præſules Gallicanæ Eccleſiæ, præfatas veterum Pontificum ad Siricium usque Epiſtolas receperint, ut ex utroque Hincmaro conſtat, Laudunenſi nimirum & Remenſi. Nam & *Laudunensis* Decretales illas protulit, ut cauſam ſuam adverſus avunculum tueretur: Et *Remensis* in Opuſculo 55. capitum cap. 25. *eas venerabiliter suscipiendas fatetur.* Nullam enim venerationem merentur, Epiſtolæ falſo Veterum Pontificum nominibus ab impoſtore nugaci honeſtatæ. At Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, vir Juris Canonici peritiſſimus, vult cum veneratione iſtas Epiſtolas recipi, unde judicandum, priſcis Romæ Pontificibus non eſſe affictas. En verba Hincmari in Opuſculo 55. capitum cap. 25. *Tu hac discretione, ut præmisi ex verbis Gelasii, suscipe ad instructionem illas Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum Patrum consolatione dederunt, legendas venerabiliter, & servanda sacra Concilia, quæ Sedes Apostolica & omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter.* Idem conſtat ex Epiſtola præfata Nicolai I, in qua de Gallicanis Epiſcopis ita ſcribit: *Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcunque Romanorum Pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis præferre noscuntur.* Præterea ſi Gallicani Epiſcopi exiſtimaſſent, Veterum Pontificum Epiſtolas ad Siricium usque, Pſeudepigraphas & ſuppoſititias eſſe: id Nicolao I. reſpondiſſent, qui illarum authoritate illos urgebat. Atqui iſtud non reſponderunt, ſed ſolum eas non eſſe eodem loco & numero habendas atque Canones: quia Codici Canonum non inſertæ erant. Ergo exiſtimarunt, præfatas Epiſtolas eſſe genuinas. Quod ſpectat ad Gallicanos Epiſcopos, fateor quosdam illorum admiſiſſe Decretales Epiſtolas veterum Pontificum, non tamen omnes. Equidem admiſit illas *Hincmarus Laudunensis*, ſed easdem *Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus* exploſit, ut conſtat ex ejus verbis apud Flodoardum libr. 3. *Historia Remensis* cap. 21. & 22. ubi præfatum Epiſcopum Laudunenſem ſic alloquitur. *Quærens adinventiones ut te Metropolitana subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicanæ Synodi & aliorum sanctorum Canones editis, collegisti: ex quibus sententias inter se dissonas, & contra Evangelicam & Apostolicam atque Canonicam & Apostolicæ sedis authoritatem immiscuisti.* Reſpondeo præterea Gallicanos Epiſcopos tunc temporis Epiſtolas veterum Pontificum recepiſſe ex parte, quatenus Canonibus non adverſabantur: ſed easdem rejeciſſe, quatenus illæ Canonibus repugnabant. Hoc ex Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi conſtat, qui earum authoritate interdum uſus eſt: quæ Epiſcoporum Gallo-

rum

rum inconſtantia, huic Nicolao Imo exprobrationi occaſionem dedit. *Quanquam quidam veſtrorum ſcripſerint, haud illa Decretalia Priſcorum Pontificum in toto Codicis Canonum corpore contineri deſcripta: cum ipſi, ubi ſua intentioni hac ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter utantur; & ſolum nunc ad imminutionem poteſtatis Sedis Apoſtolica, & ad ſuorum augmentum privilegiorum, minus accepta eſſe perhibeant.* Porro non reſponderunt Nicolao Gallicani Præſules, has Epiſtolas eſſe ſuppoſititias, quia de falſitate illarum nondum ipſis omnino conſtabat, cum illas tunc ad examen non revocaſſent: & ipſis aliunde ſatis erat, quod Canonicam non obtinerent authoritatem, & earum authoritate ad colla novo juri ſubmittenda non adigerentur. Vnde id unum præfato Pontifici repoſuerunt, non eſſe parem illorum & Canonum authoritatem, quia non extabant in Codice Canonum, quem ab Apoſtolica Sede Majores eorum receperant. Quare illas ſe equidem cum veneratione ſuſcipere, ſolos autem ſe inviolabiliter obſervare Canones profitebantur. Hæc ſunt, quæ Natalis Alexander ordine mutato, fere verbotenus *de Decretalibus Priſcorum Romanorum Pontificum Epiſtolis* protulit in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus* Seculo I, Tomo 2. Diſſertatione 20. pag. 216. & ſequentibus, quæ hic occaſione *Iſidori Mercatoris* acceptâ commode adaptavimus.

CAPVT SEXTVM.

TVRRIANVS FALSIS AVTHORITATIBVS VSVS EST, AD EPISTOLAS ISTAS ROMANIS PONTIFICIBVS ASSERENDAS, QVEM PONTIFICII PLVRES MELIORIS NOTÆ DESERVERVNT.

Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu operoſam defenſionem contra Centuriatores Magdeburgenſes Libris quinque compoſuit, quæ anno 1572. Florentiæ & anno 1573. Pariſiis in 8. impreſſa fuit & alibi, quaſi cum ſubdola & ſuppoſititia Pſeudo-Iſidori hac merce, tota res Romana ſtaret aut caderet. Inſcribitur *Defenſio pro Canonibus Apoſtolorum & Epiſtolis Decretalibus Paparum contra Centuriatores Magdeburgenſes, libris quinque.* Hanc in rem omnes ingenii nervos intendit, omnem induſtriam impendit, ut per argumenta & figmenta, auctoritas Epiſtolarum confictarum, magis tamen Romani Pontificis, ſarta tecta remaneret. Hanc in rem, fingendi etiam novi teſtes fuerunt, novi libri, qui non proſtant, neque unquam forte proſtiterunt, aut proſtare poſſunt. Quales ſunt *Euſebii Alexandrini ſermones* lib. I. pro Epiſtolis cap. 21. & lib. 2. cap. 6. & 12. & alibi. *Euſebius Cæſarienſis contra Marcellum* lib. 5. cap. 7. *Hippolytus Martyr & Thebanus* lib. 2. cap. 18. *Magnes adverſus Theoſthenem* lib. 1. cap. 5. lib. 2. cap. 3. & 13. lib. 4. cap. 7. *Theodotus Ancyranus* lib. 2. cap. 14. *Severianus Gabulenſis in I. ad Corinthios* lib. 5. cap. 5. *Apollinaris in Numeros* lib. 4. cap. 14. *Leontius in Matthaum* lib. 4. cap. 10. *Euſtratius Conſtantinopolitanus de operatione anima* lib. 4. cap. 14. *Damaſcenus de jejuniis & de communione Corporis* lib. 5. cap. 8. & 18. lib. 4. cap. 1. *Theodorus Antiochenus*, ille ſcilicet, qui Mopſueſtenam Eccleſiam rexit, lib. 2. cap. 20. lib. 4. cap. 8. & lib. 5. cap. 6. *Theophanes in Symphonia Veteris & Novi Teſtamenti* lib. 2. cap. 28. & lib. 4. cap. 13. *Conſtantinus ἀπὸ σχολαστικῶν* lib. 1. cap 28. *Photii Lexicon*, *Quaſtiones ad Amphilochium*, *Commentarii in Epiſtolas* lib. 3. cap. 11. & 12. lib. 5. cap. 18. lib. 2. cap. 13. lib. 4. cap 12. *Nilus in Lucam* lib. 5. cap. 6. *Pamphili Canones* lib. I. cap. 25. Quæ excerpſit & obſervavit David Blondellus in *Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus* in Prolegomenis cap. 1. pag. 7. quibus hoc ſequens elogium & ſpecimina errorum ſubjungit. "Plurimæ, ſane, lectionis, ſed frontis perfrictiſſimæ, judiciique tenuiſſimi, *homo aſper & improbus ira, gloria animal, Pyrgopolinices alter,*" qui Hincmarum Rhemenſis Eccleſiæ in Gallia Belgica Præſulem, lib. 1. cap. 15. & lib. 3. cap. 3. *Germanica nationis Epiſcopum* fuiſſe ſcribit: qui lib. 2. cap. 20. infamem illum Theodorum, quem 116. poſt obitum annis Quinta Synodus anathemate percuſſit: & lib. 2. cap. 15. lib. 3. cap. 16. & 18 lib. 5. cap. 12. & 16. Scriptorem Sixti ſecundi vel tertii titulos invadentem, Pelagianæ lepræ tabo fluentem & atro carbone notatum, inverecunde laudat. Qui lib. 5. cap. 10. Synodum Eliberitanam, quam A. D. 305. Marcello ſedente celebratam conſtat, ſub Sylveſtro coactam eſſe vult. Qui lib. 2. cap. 13. Theodoſium majorem A. D. 395. mortuum, Chryſoſtomi anno 407. defuncti reliquias Conſtantinopolim anno 438. tranſtuliſſe credit. Qui ibidem & cap. 9. Livinenſes Epiſcopatus in Gallia, Paſchaſios Romæ lib. 5. cap. 2. Euſebios Alexandriæ Epiſcopos lib. 1. cap. 21. &c. Pictavorum in Britannia Reges lib. 5. cap. 19. & Eccleſiam ſive Garolitanam lib. 5. cap. 2. ſive Garopolitanam à Canonicis Regularibus, ad hanc uſque diem adminiſtratam in Scotia comminiſcitur. Qui lib. 2. cap. 13. & lib. 5. cap. 24. Ruffinum Clementinæ primæ interpretem fuiſſe, modo affirmat, modo negat. Qui Victorem lib. 5. cap. 17. quem ad annum Domini 203. perveniſſe Adverſarii volunt, 230. amplius annis ante Synodum Nicænam A. D. 325. congregatam, ſediſſe ſcribit. Rhabanum lib. 5. cap. 19. anno Domini 856. mortuum, vixiſſe ante annos 900. ſcribit. Germanum lib. 5. cap. eodem, quem diem ultimum A. D. 730. clauſiſſe ſcribit Baronius, ante annos 900. obiiſſe. Henricum Kalteyſen lib. 5. cap. 20. & 23. quem Apoſtolici primum Palatii Magiſtrum, deinde Nidroſienſi & Cæſarienſi Archiepiſcopatu auctum, & Baſilienſi Concilio interfuiſſe docet in *Catalogo Hareticorum* Bernardus de Luxemburgo, ubi *Inquiſitor haretica pravitatis, Profeſſor ſacra Theologia in celeberrima Colonienſi Academia* vocatur: qui coram Concilio Baſilienſi ora-

orationem habuit *de Libera Prædicatione verbi Dei* adversus Vdalricum Orphanorum Presbyterum anno Domini 1433. per tres dies hebdomadis pænosæ, de quo Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* & Possevinus in *Apparatu Sacro* & Appendix ad Concilium Basileense: *ignotum hominem & annis sexaginta*, antequam anno 1573. Defensionem pro Decretalibus Epistolis scriberet, superiorem fuisse opinatur. Quid memorem fœtidos perpetuosque somniculosi hominis sed φλυαξῶντ☉. Theologi paralogismos, & frequentia ἀσχήματα jactabundi Critici, quem nihil præter novas lectiones, Maouscriptos Codices, tum *Bibliothecas Vaticanam, Florentinam, Sancti Marci, Cryptæ Ferrata*, cum incredibili antagonistarum, divinæque quam vel renitente conscientia vellicat, veritatis contemptu, crepare audias. Hæc Blondellus loco citato.

Has sane Decretales Epistolas esse falsas ingenue Baronius agnovit. Falsa enim & erronea consignatio Consulum in fine Epistolarum, magnum suppositi partus argumentum præbet, ut Baronio non plures quam decem cum vera Consulum annotatione, aut saltem quam illesequitur, conveniant. Vide illum *ad annum 69. §.35.& sqq. A.80. §.3. A.103. §.2. A.121. §.1. A.142. §.3. A.158. §.1. A.167. §.1. A.175. §.2.* & ad alios quoque sequentium Pontificum annos, quibus Epistolæ supponuntur. In Notis ad *Martyrologium Romanum* ad 4. April. Baronii autem judicia de his Epistolis in *Annalibus* dispersa sunt variis locis, quæ excerpta tamen & Epistolæ cuique à Clarissimo Blondello subjecta, sed digitum intendo in locum proliziorem ad A.D. 865. paragr. 7. ubi hæc notat. *Ab ipsa quidem Isidori Collectione consulto visus abstinuisse, quippe cum in his controversiis frequens esset, in quibus de appellatione ad Sedem Apostolicam ageretur, & in illis Epistolis multiplicia supponerent, eademque fortissima testimonia sanctissimorum Pontificum, eorumdemque Martyrum, quorum summa auctoritas in Ecclesia esse posset, abstinuit tamen ab illis penitus*, quas saltem dubias intellexisse, non dubium sit: *illis tantum usus, de quibus nunquam in Ecclesia Dei fuerat dubitatum*, quod illis adventitiis & recens inventis *non egeret Ecclesia, cum eadem ex Germanis, sinceris, omnino legitimis, securis, certisque Romanorum Pontificum Epistolis, abundanter accipere liceisset*. Bellarminus quoque Epistolarum istarum propugnator lib. 2. *de Pontifice Romano* cap. 14. hæc sibi tamen excidere passus est. *Aliquos errores in has Epistolas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse adfirmare audeam*. Antonius Conrius in *editione Corporis Canonici* emiserat Præfationem, quæ à Censoribus Belgicis suppressa fuit, ob Epistolas istas Decretales, quas rejecerat. Qui in C. *Septuaginta* dist. 16. hæc habet, quæ manum Censorum Belgicorum effugerunt. *Multas supra in Præfatione rationes adduxi, quibus omnes Pontificum, qui Sylvestrum præcesserunt, Decretales falsas esse manifeste ostendi.* Idem quoque Marsilius Patavinus, qui anno Domini 1324. claruit in Defensore pacis *de Potestate Imperatoria & Pontificia* parte 2. cap. 27. & Gobelinus Persona in *Cosmodromio* docuerunt.

Hæc de *Isidoro Mercatore* ejusque *Pseudo-decretalibus Epistolis* suggesserunt Franciscus Turrianus Soc. Jesu, in *Defensione pro Canonibus Apostolorum & Epistolis Decretalibus Paparum contra Centuriatores Magdeburgenses* libris V. editis Florentiæ anno 1572. & Parisiis anno 1573. in 8. Antonius Possevinus ejusdem Societatis, in *Apparatu Sacro* Tomo. 1. verbo *Isidorus Hispalensis*. David Blondellus in Opere inscripto, *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes, seu Epistola suppositita, quas aliquibus ex Papis Romanis tribuebat Isidorus Mercator, & defendere conatus est Turrianus cum Censura & Notis*, Genevæ anno 1628. in 4to. Cæsar Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* passim, sed potissimum ad annum 865. paragr. 5.6.7.8. & seqq. Gerardus von Mastricht, juris & historiæ Professor in Academia Doesburgensi, in *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificis* diffuse & erudite num. 220. ad 237. pag. 212. ad 168. edita Duisburgi anno 1676. & Amstelodami anno 1686. in 8. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* Seculo I. Tomo 2. Dissertatione 20. pag. 26. & sequentibus. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ, seu de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Seculo IX. ad annum 830. pag. 524.

CHRISTOPHORUS PATRIARCHA ALEXANDRINUS circa annum 830. & sequentes sub Imperio Theophili imperatoris 830
Iconoclastæ floruit, qui cum cæteris Antiochiæ & Hierosolymorum Patriarchis, scripsit *Epistolam*, quam Græce & Latine edidit Franciscus Combefisius ad calcem Allatii, immisitque in *Manipulum Originum Constantinopolitanarum* ex variis auctoribus & opusculis collectum, impressum Parisiis anno 1664. in 4to, in quo continetur hoc opusculum à pag. 110. ad 145. sub hoc titulo: Ἐπιστολὴ πρὸς τὸν Βασιλέα Θεόφιλον περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων, Orientalium Patriarcharum *Christophori Alexandrini, Jobi Antiocheni, & Basilii Hierosolymorum, atque aliorum MCCCCLV. Episcoporum & Clericorum Epistola Synodica ad Theophilum Imperatorem de sanctis ac venerandis imaginibus*, quæ S. Joanni Damasceno in Codice MS. Mazariniano perperam attributa reperitur, qui annis 80. ante Imperatorem hunc Theophilum mortuus fuerat. Ejusdem *Christophori* parænesin asceticam & parabolam *de Vita humana*, Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, memorat Petrus Lambecius Tomo VIII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 364. ad quem lectorem nostrum mittimus. Nec plura de Christophoro nobis supersunt. De hac *Paranesi* autem *ascetica* dictus Lambecius Tomo VIII. Bibliothecæ præfatæ Manuscriptorum Codicum Historicorum Ecclesiasti-

fiasticorum Codice 34. Num. 18. ubi pag. 364. his verbis, „Decimo octavo & quidem à fol. „121. pag. 1. usque ad folium 125. pagina 2. *Chri-„stophori Archiepiscopi Alexandrini Paraenesis asce-„tica & parabolica de Vita humana*, cujus titulus „& principium. Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Χριστο-„φόρου Ἀρχιεπισκόπου, Ἀλεξανδρείας, Παραίνεσις „ψυχωφελὴς, φανεροῦσα, τί σημαίνεται ὁ βίος „οὗτος, καὶ εἰς ποῖον τέλος καταστρέφει. Πάν-„τας μὲν, ἀγαπητοὶ, τοὺς κατὰ καιροὺς, Ἀρχιε-„ρεῖς τε καὶ Ποιμενάρχας, ὁ δι' ἡμῶν καὶ ἐν ἡμῖν „παρέχων θεῖος λόγος εἰς νουθεσίαν ἡμῶν &c. „In fine autem haec Paraenesis uno aut altero „folio mutila, pertingit enim tantum usque ad „haec verba: ὅθεν ἀναστὰς ἐκ τῆς ἀρρωστείας καὶ „ὑγιείνας ἐπελάθετο τῆς ὑποσχέσεως τοῦ ὅρκου, „οὗ δέδωκε τῷ Θεῷ, καὶ εἶπεν. Hic videlicet „*Christophorus* est unus trium illorum Patriar-„charum, de quo Epistola seu Tomo Synodali „ad *Imp. Theophilum Iconomachum* pro cultu sa-„crarum Imaginum supra in recensione Codi-„cis XXXI. Num. 13. pag. 334. & 335. prolixe „actum est. In jam memorato enim Codice „MS. Caesareo, recte is appellatur *Patriarcha* „*Alexandrinus*, quemadmodum & hoc loco: „contra autem in ibidem citata *Imperatoris Con-„stantini Porphyrogeniti* Oratione Historica de „*Imagine Christi Edessena non manufacta*, idem „*Christophorus* perperam vocatur *Patriarcha An-„tiochenus*.

830. PSEVDO-TVRPINVS seu Tilpinus aut Tulpinus potius, Rhemensis Archiepiscopus, fuit primum Monachus sancti Dionysii prope Lutetiam Parisiorum, qui postea ad instantiam Caroli Magni ab Adriano Romano Pontifice Rhemensis Archiepiscopus factus est, de quo vide, quae scribit Flodoardus Lib. I. *Historiae Rhemensis* cap. 5. & imprimis lib. 2. cap. 17. ubi illum & XLVII. Episcopatus anno obiisse legimus, versusque referuntur, quos ejus tumulo Hincmarus Archiepiscopus inscribi jussit. Quod si sana est lectio Flodoardi, novennio peccat Joannes Chem. Bituris in libro *De Gallia Episcopis*, qui Episcopum factum anno DCCLXXIII. ait, atque obiisse anno DCCCXL. Huic Turpino vulgo adscribitur, & à Trithemio etiam, Opus *De Gestis Caroli Magni & Rolandini*, atque hic Scriptor jam olim ab authore *Hierarchiae Subcoelestis* lib. 4. cap. 9. ob opusculum istud anile & fabulosum, conjungitur cum Gregorio illo Turonensi, Richardo Cluniacensi, atque aliis, quos vocat *nobiles Gallarum Historiographos*. Ediderunt opus istud authores Germani, Simon Schardius in *Collectione Scriptorum*, qui antiquam Germaniam illustrarunt, Basileae anno 1574. in folio. Et Justus Reuberus, Francofurti 1584. in fol. inter antiquos rerum Germanicarum Scriptores, à se editos, habet p. 67. *Historiam Turpini Rhemensis Archiepiscopi De Vita Caroli Magni & Rolandi*, sed utrobique ultimis sui capitibus mutilam. At recte censet Hottomannus *Franco-Gallia* suae cap. V. esse foetum hominis stolidi & imperiti, qui non Vitam, sed fabulas conscripserit. Nec mens est alia Papirio Massono in suis Galliae Annalibus, aut Duzae in Annalibus Bavaricis, cui dicitur *mendaciorum monstris refertissimus*. Sane non Hincmarus, Lupus, Flodoardus, vel ex tot aliis ejus ac sequentis aevi Scriptoribus, illarum ullus quisquiliarum mentionem facit. Adde quod Scriptor iste cap. 32. meminit obitus Caroli Magni. At Turpinus ante Carolum Magnum defunctus est. Nam post decessum Turpini, Rhemensibus à Karolo Archiepiscopus Vulfarius datus est, uti Flodoardus lib. 2. *Historiae Rhemensis* cap. 18. testatur. In MS. Codice Turpini, quem cum editis contulit Gerardus Vossius, quem hic exscribimus, post caput 31. quaedam de pictura septem liberalium artium adduntur. Item adjecta sunt nonnulla fini, de miraculo quodam ad preces Rolandi praestito, itemque quaedam de ipso Tilpino (imo de Tilpini morte, & corporis illius inventione) & nonnullis aliis. Quem Codicem e Bibliotheca Amstelodamensi ad me transmisit (inquit Vossius) egregio parente filius dignissimus, Joannes Polyander Junior, Jurisconsultus. Habes & MS. Codicem Turpini apud Cantabrigienses, in Collegio Sancti Benedicti Cod. 41. cujus inscriptio est hujusmodi, *Liber Turpini Archiepiscopi Rhemensis, quomodo Carolus Rex Francorum acquisivit Hispaniam*. Hunc librum dicit Papa Calixtus II. esse authenticum, ut adjungit Thomas James, ex MS. Codicis inscriptione, ut puto, sive nota ei addita. Haec Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 32. pagina 298. Author hujus Operis, non Turpinus, sed Calixtus II. Papa, qui tribus post mortem Caroli Magni seculis, illam fabulam confinxit, non ut Carolum Magnum, sed ut Sanctum Jacobum Apostolum & Ecclesiam Compostellanam, quam ardenter amabat, illustriores his fabulis redderet. Unde nihil mirum, quod in MS. Codice Cantabrigiensi Sancti Benedicti, Calixtus II. hanc fabulam à se confictam dicat *opus authenticum*, primusque illius mentionem faciat. Nunquam enim Carolus Magnus Hispanias Galliae occupatas adjunxit, nunquam Compostellam accessit aut inspexit, nunquam illius Ecclesiam aedificavit, vel aedificatam procuravit ab Episcopis 60. dedicari, quae omnia Calixti II. Papae mendacia sunt, in gratiam Sancti Jacobi & Ecclesiae Compostellanae, cujus peregrinationem his fabulis commendavit. Extat autem Codex MS. ejusdem Operis, inter MSS. Codices Historicos Latinos Bibliothecae Caesareae Vindobonensis num. 149. cujus meminit Petrus Lambecius lib. 2. Commentariorum hujusce Bibliothecae cap. 5. pag. 333. his verbis.

„Finitis hac ratione tribus jam memoratis„ Vitae Caroli Magni libris, quorum tertius in„ principio fragmenta quaedam ex supposititii„ Tulpini seu Turpini Opusculo excerpta con-„ ti-

„tinet, quæ à cap. 1. inclusive pertingunt, usque ad hæc verba cap. 8. *Hac igitur excerpta de praſtantiſſimi Tulpini Epiſtola loco ſufficiunt*, de quibus vide Voſſium *De Hiſtoricis Latinis* lib. 2. cap. 32. pag. 298. & 299. Sequitur porro in eodem Codice MS. illa ipſa Tulpini Hiſtoria integra, ſine *Præfatione* tamen, ſive *Epiſtola dedicatoria ad Leobrandum Decanum Aquisgranenſem*, quippe quam librarius de induſtria omiſit, quoniam illa extat in præcedentis libri tertii principio. Titulus itaque & principium ejus ita ſe habent, *Geſta beati Caroli in Hiſpania. Glorioſiſſimus itaque Chriſti Apoſtolus Jacobus &c.* Quod ad variantes lectiones attinet, diſcrepat non ſolum plurimis locis hoc exemplar MS. à Simonis Schardii & Juſti Reuberi editionibus impreſſis, verum etiam aliquanto auctius eſt. Poſt caput enim 31. in cujus fine de Palatio Aquisgranenſi, à Carolo Magno extructo, & variis picturis adornato, hæc leguntur: *Bello namque qua ipſe in Hiſpania devicit, & ſeptem liberales artes, inter cæteras miro modo in eo depinguntur, Grammatica ſcilicet &c.* uti apud Lambecium loco citato pag. 334. 335. 336. Idemque hoc Supplementum extat etiam in MS. Codice Bibliothecæ Amſtelodamenſis, ut teſtatur Gerardus Johannes Voſſius Lib. 2. De Hiſtoricis Latinis cap. 32. pag. 299. Hucusque Supplementum illud ſuppoſititii Tulpini ſeu Turpini, quod extat etiam in ſupra memorato Codice MS. Cæſareo poſt caput *trigeſimum primum*. Poſt autem caput *trigeſimum ſecundum*, quod in editionibus impreſſis *ultimum* eſt, atque his verbis definit, *In hoc exemplo datur intelligi, quod qui Eccleſiam ædificat, Regiam Dei ſibi præparat, à Dæmonibus ut Carolus eripitur, & in cæleſti Regno ſubſidiis Sanctorum, quorum ædificat baſilicas, collocatur.* Sequitur in eodem Codice MS. aliud Supplementum, quod hic, pag. 336. ſubjungitur, *ſed valde dignum eſt, ut inter cæteras &c.* usque ad pag. 340. Idem hoc Supplementum extat etiam in Codice MS. Bibliothecæ Amſtelodamenſis, ut teſtatur Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. De Hiſtoricis Latinis cap. 32. pag. 299.“ Sane ex Supplemento illo ſecundo ad caput 32. ubi etiam de ipſius Turpini morte agitur apud Viennam, & de detectione corporis illius in ſepulchro, cum ornamentis Pontificalibus, longo (dubio procul) poſt mortem tempore, ſed eodem tempore, quo hujus Opuſculi Scriptor vivebat; datur intelligi, authorem illius eſſe Archiepiſcopum Viennenſem Calliſtum II, qui hanc Hiſtoriam, dum Archiepiſcopus hujus urbis eſſet, contexuit, ad honorem Eccleſiæ Compoſtellanæ, & peregrinationis divi Jacobi commendationem, quorum celebritatem & famam devotione ſuperſtitioſa plurimum ambivit. Agunt de *Pſeudo-Tulpino* præter citatus authores, Micrologus, qui anno 1165. ſcripſit Libros 3. *De Geſtis Caroli Magni*, quem exſcribit Libro 3. à cap. 1. ad 8. Cæſar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 25. Julii menſis. Thomas James in Ecloga Codicum Manuſcriptorum Oxonii & Cantabrigiæ, in recenſione Manuſcriptorum Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ. Cod. 41. num. 8.

NENNIUS GILDAS HIBERNICUS, juxta 830.
multos Anglos authores, in duos Scriptores diſtinguitur, quorum Nennius anno 610. vixit, Gildas autem Hibernicus anno 820. vel 830. claruit. Mihi autem unus idemque Scriptor videntur, juxta Guillelmi Cavi ſententiam, à me poſtea allegandam. Gerardus Joannes Voſſius, circa Scriptorem hunc ancipiti prorſus ſententia laboravit, de quo tribus in locis, diverſimode ſemper loquitur. Sic autem lib. 1. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 25. pag. 263. „Temporibus ejusdem Imperatoris Heraclii circa annum 620. ſub Cadroano Duce Britanniæ, vixit Nennius Anglus, Elvodugi Probi ac poſtea Beulani Presbyteri diſcipulus, Elboni ejus, de quo jam diximus, familiaris, ac tandem Banchorenſis Cœnobii Antiſtes. Hiſtoriam condidit *De Origine Britannorum*, cui Samuel Britannus addidit notas. Extare eam in Nordwicenſi Carmelitarum bibliotheca, author eſt Balæus. Qui & ſcripſiſſe teſtatur librum *De Urbibus Britannicis*, *Eulogium Britanniæ*, *Apologiam quandam*, *Coſmographiam*, item *Additiones Gildæ*. His addit Pitſius *Collectiones Hiſtoriarum*, *Librum de Mirabilibus* ac *Chronicon*. Ex iis vero, quæ retulimus, *Eulogium* quidem *Britanniæ* ait ſupereſſe in Baronis Lumlejani bibliotheca, *Chronicon* autem Cantabrigiæ haberi in Collegio S. Benedicti: *Hiſtoriam* vero *De Origine Britannorum*, non Nordwici ſolum extare, ut Balæus ait, ſed etiam Cantabrigiæ in eodem D. Benedicti Collegio, atque item in publica ejusdem urbis Academiæ Bibliotheca. Chronicon igitur, quod Voſſius attribuit illic Nennio Anglo ad annum 620. florenti, attribuit Eremitæ cuidam Britanno ad annum 720.“ Ita Lib. 3. *De Hiſtoricis Latinis* parte 4. quæ eſt *De Hiſtoricis prætermiſſis* cap. 3. pag. mihi 752. „Eremita quidam Britannus incerti nominis, vixiſſe traditur anno 720. rerum potiente Ina Rege Weſt-Saxonum. Reliquit opus *De Geſtis Arthuri Regis* (nempe Chronicon ſupradictum) & menſa ejus rotunda, & ſtrenuis equitibus, uti Lancelloto, Morgano, Percevallo, Galgtiano, Bertramo, atque aliis, ſed multa fabuloſa, planeque inepta admiſcuit. Etiam ut Vincentius Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali teſtatur, de Joſepho Arimatheenſi ad Watranum quendam Opus miſit, quod appellavit *Sanctum Graal*: ſed Balæus hujus libri ſermonem ſibi ignotum eſſe ait.“ Idem Libro 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 36. pag. mihi 326. attribuit idem Chronicon *Gildæ Cambrio*, Monacho Benedictino, patre Hibernienſi oriundo, his verbis,

Sed

„Sed quid judicii feremus de *Gilda Cambrio*,
„Monacho Benedictino, patre nato Hibernien-
„si? Sane is debeat ad hæc tempora referri, si
„fidem iis habemus, qui ajunt claruisse sub E-
„thelberto Ethelwolphi filio 2. quem in An-
„glia regnasse constat anno 862. Ab hoc au-
„thore fuerit *Breviarium Gildæ*, item liber *De*
„*mirabilibus Britanniæ* & de primis habitatoribus,
„& de Rege Arthuro. Item de sepulchro ejus
„incognito, & de Percevallo & de Lancelloto,
„Item de Galvano, atque alia multa, si modo ti-
„tuli non mentiuntur authorem. Sane & hæc
„quæ diximus, & alia ei attributa, anilibus com-
„mentis & prodigiosis mendaciis scatent. Qua-
„re de Cambrio hoc Gilda (modo is unquam
„fuit, & non impostor aliquis hoc nomen as-
„sumpsit) nihilo melius sentire possumus, quam
„de Gilda Albanio, Bathonico, de quo diximus
„supra, cum de genuino Gilda cognomento
„Sapiente, ageremus.« Vnum ergo idemque Opus à Vossio, nunc Nennio circa annum DCXX, nunc anonymo Anglo circa annum DCCXX, nunc Gildæ Hibernico circa annum DCCCLXII. tribuitur: idemque opus multis nominibus inscriptum est ab Anglis Scriptoribus, nunc dictum *Historia de Origine Britonum seu Britannorum*, *Eulogium Britanniæ*, *De mirabilibus Britanniæ*, *Breviarium Gildæ*, *De rebus gestis Arthuri Regis*. Thomas Galeus, Paulini apud Londinum Collegii Gymnasiarcha doctissimus, edidit anno 1691. in fol. Oxonii è theatro Scheldoniano, *Historia Britannica, Saxonica, Anglo-Danica Scriptores XV.* ex vetustis Angliæ MSS. Codicibus, quos inter extat *Chronicon Nennii seu Gildæ Hibernici*, à pag. 93. ad 139. cum variantibus lectionibus, ex MSS. Cantabrigiensibus & Cottonianis, quos contulit. Mirum est, quantum varient MSS. Codices in Anglicis Bibliothecis. Nam in Collegio Sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 64. num. 15. *Chronica Nennii Britonum Historiographi.* Ibidem Cod. 174. num. 7. *Gildæ Sapientis Historia.* In Bibliotheca Bodlejana Litt. B 4 Codice 10. num. 3. *Gildas Minor*, vide *Gildas Arthurius*, aut *Nennius* pag. 228. In Collectaneis Lelandi Volumine 2. num. 6. & Volumine 3. num. 34. Ex Nennii libro *De Origine Britanniæ. Scribit confuse & sine judicio, sordidis etiam verbis, non dubitans fabulas subinde interserere plusquam aniles*, pag. 41. ex Chronico Jovevallensi, authore incerto. Idem Lelandus Volumine 4 num. 23. authorem hunc maxime deprimit & aspernatur. In MSS. Ecclesiæ Cathedralis S. Petri apud Eboracum Littera G. Codice 248. *Gildæ Sapientis gesta Britonum* p. 216. in fol. In Catalogo Joannis Mori Episcopi Nordwicensis, Cod. 91. num. 4. *Gesta Britonum, Codex à Gilda compositus.* Item ibidem Codice 289. num. 17. *Liber Sancti Gildæ Abbatis de Gestis Anglorum.* Agnoscit hanc varietatem & corruptionem simul Codicum omnium manuscriptorum, qui *Chronicon* illud primus edidit Thomas Galeus, in præludiis ad editionem suam, ita ingenue scribens.

Nennius Banchorensis Cœnobiarcha, Brito,«
Elvodugi Presbyteri discipulus, ut Bostonus in «
quit. *Hic non contemnendus Auctor*, verba sunt«
Balæi, *ex Annalibus Romanorum, Scotorum, Hiber-*«
niensium, & Saxonum, composuit Historiam quan«
dam, cui titulum imposuit, Eulogium Britanniæ.«
Hoc nunc primum edimus ex variis varie«
corruptis exemplaribus, quamlibet fieri po-«
tuit, (primis duntaxat curis) emendatum &«
repurgatum. Sex libellos ab hoc Nennio«
scriptos recenset Balæus. Cave credas, sunt«
utique omnes unus liber, diversis nominibus«
ad pompam insignitus. Vnum *Eulogium* no-«
veris, omnes noveris. Nennii Codex, quem«
vidit ad S. Edmundum Balæus, & nunc Can-«
tabrigiæ apud Benedictinos servatur, ea, quæ«
dixi, clare ostendit. Multi ex Historicis no-«
stris Nennium laudant, alii suo nomine, ut«
Rogerus Cestriensis in Polycraticis suis: alii«
Gildæ nomine, falsa inscriptione opinor, dece-«
pti: inter quos Polydorus Virgilius eundem«
errorem erravit, ut patet *annotatiunculam* in-«
spicienti, quam propria manu suo MS. Gildæ«
præfixit, qui Codex habetur in Bibliotheca«
Cottoniana. Claruit Nennius anno salutis«
per Christum 620.« Hæc Thomas Galeus de ætate Nennii, sub cujus nomine hoc *Chronicon de Origine Britannorum* edidit. Sed ipsum Chronicon aliam Nennii ætatem arguit, enumerat enim *à Passione Christi* ad ætatem suam, peractos esse annos DCCC. ab Incarnatione autem ejus annos DCCCXXXII. usque ad 30. annum Enarauth Regis Moniæ, id est Mon, qui regit modo regnum Wenedociæ regionis, id est Guermet.

Guillelmus quoque Cavus in *Historia rei literaria*, in duos authores distinxit, *Nennium* quem anno DCXX. assignavit pag. 449. & *Gildam Cambrium* seu *Hibernicum* anno DCCCXX. pag. 519. Verum pag. 450. unum eundemque Scriptorem esse putat *Nennium* sive *Gildam Hibernicum*, quem veri non est absimile, eundem binis nominibus insigniri. Favet huic Guillelmi Cavi sententiæ, quod hoc *Chronicon de Origine Britannorum*, etiam sub Nennii nomine, extendatur positive usque ad annum DCCCXXXII. Hinc colligimus, Nennium fuisse ducentis annis recentiorem, quam ab Anglis Scriptoribus dicatur. Ætas autem Nennii ista eadem est, quæ Gildæ Hibernico tribuitur, unde concludimus, esse unum eundemque hominem. Eadem igitur ætate vivebant hic Nennius hujus Chronici Scriptor, ut ex Chronici editione constat, & Gildas Hibernicus, quem anno 820. vel 830. vixisse certum est, unde concludimus, fuisse eundem hominem binis nominibus designatum. 2. Hoc Chronicon citatur ab antiquis Scriptoribus, nunc sine auctoris nomine, nunc sub nomine Nennii, nunc Gildæ

Sapientis. Guillelmus Malmesburiensis, ea quæ se in *Gestis Britonum* de Vortigerno legisse ait, & quæ de Vortimero habet, Arthurumque in obsidione Badonici montis, fretum imagine Dominicæ Matris stupenda gessisse scribit, non nominato authore, ex hoc Chronico desumpsisse credendus est. Rogerus seu Richardus Cestriensis in *Polycraticis* suis sub *Nennii* nomine illud allegat, Galfridus autem Monumetensis & Henricus Huntingdonensis sub nomine *Gildæ Sapientis*. Vnde colligimus, Nennium & Gildam Hibernicum, eodem tempore florentes, fuisse unum eundemque Scriptorem, duobus expressum nominibus. 3. Inter MSS. Codices S. Trinitatis Dublinensis Littera E. Codice 284. qui Jacobi Vsserii Armachani Archiepiscopi olim fuisse creditur, estque Collectio Excerptorum diversorum ad Historiam Hiberniæ potissime spectantium, extat num. 25. Gildæ Sapientis aut potius Nennii Historia Britonum pag. 524. ubi de Britonum conversione. Num. 26. De mirabilibus Britanniæ pag. 572. Num. 27. De mirabilibus Hiberniæ pag. 574. Num. 28. MSS. exemplaria, quæ Nennii nomen ferunt pag. 576. Num. 29. MSS. exemplaria, quæ Gildæ nomen ferunt pag. 577. Vnde liquet, Collectorem hunc aliquando hoc Collectaneo suo intendisse, ut hoc *Chronicon Nennii* vel *Gildæ Hibernici* in lucem proferret. De Nennio Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 37. pag. 62. & num. 38. pag. 63. Extat ejusdem Nennii Gildæ Hibernici Liber *De computo Ecclesiastico* ad Rhabanum Maurum Fuldensem adhuc Monachum, in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii, litera A. Codice 12. num. 8. sub hoc titulo, *Gildæ peritissimi viri Liber de Computo, de mundo, planetis, stellis, tonitru, fulminibus, ventis, oceani æstu, terræ motu, monte Ætbna, aliisque physiologicis: cum præfatione ad Rhabanum Monachum*, quam edidit Vsserius Armachanus in Epistolarum Hibernicarum Sylloge, Dublini, ibid. parte 2. Epistola 55. Hæc in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Cottonianæ pag. 82. columna 2. Codice 12. num. 8. Agunt de *Nennio* & *Gilda Hibernico*, Vossius, Galeus, & Cavus, locis citatis.

830. WALAFRIDUS STRABO seu STRABUS, natione Germanus, Monachus Ordinis divi Benedicti, claruit Ludovici Pii temporibus ab anno 830. ac postea, qui, ut de illo scribit Ito Monachus S. Galli Præfatione sua in Vitam S. Othmari, *vir doctus & sapiens ac literarum scientia ante alios illustris fuit*. De eodem ita Hermannus Contractus, ad annum 842. *Augiæ Walafridus Strabo vir doctus, Abbas XII. præfuit, qui metro & prosa conscripsit multa.* Fuit primum Fuldensis Monachus, Rhabani Mauri Fuldæ Abbatis discipulus, tum Cœnobii S. Galli Decanus, tandemque anno 842. Augiæ Majoris in diœcesi Constantiensi Abbas creatus est. Errat autem vehementer Joannes Trithemius, cum Walafridum Abbatem S. Galli & Strabonem Fuldensem Monachum, diversos esse arbitratur: atque illum quidem temporibus Anastasii, Tiberii & Justiniani junioris, hoc est circa annum DCC vixisse, hunc autem Ludovici Pii Imperatoris temporibus, circa annum DCCCXL. Nam Walafridus hic primum Monachus Fuldensis fuit, postea Decanus S. Galli, tandem & Abbas Augiæ Divitis, quæ vulgo Richenaw dicitur; qui cum id munus septennium sustinuisset, anno Christi 849. obiit. Id tanto magis admonere operæ pretium fuit, quod Trithemius Laurentium Surium in Vitis Sanctorum, atque alios nonnullos in errorem induxit. Joannes Mabillon tom. 4. *Analectorum* pag. 329. edidit fragmenta ex libro Ermenrici Monachi Augiensis *De Grammatica* ad Grimaldum S. Galli Abbatem & Archicapellanum, ubi pag. 332. ex his fragmentis inter alia intelligimus Walafridum Augiensem Abbatem, cujus mors in annum 849. ex Hepidamii & Hermanni Contracti Chronicis incidit, obiisse in legatione, quam jussu Ludovici Germaniæ Regis ad Carolum ejus fratrem cognomento Calvum, susceperat. Sic ergo Ermenricus. *At ne me in his laudibus hypocritam sentias, dicam tibi absque simulationis fuco, quia prout nosti, beatissimo Præceptore meo Walafredo pro responso quodam Domini Regis ad Carolum germanum suum pergente, ibique defuncto interim, quo eum sperabas incolumem reversurum: jussisti me de Auvavensi Monasterio, ad Monasterium S. Galli commorandi & discendi gratia, proficisci, ibique à fratribus honorifice receptum, aliquandiu commorari: quod absit juxta præceptum benignitatis vestræ.*

Scripsit autem Strabus *Glossam* in Scripturam sacram universam, ex antiquis Patribus pro more hujus seculi verbatim collectam, atque ab aliis postea auctam, quam *ordinariam* vocant, editam sæpe in fol. cum aliis ejusdem authoribus, Basileæ 1506. 4. tomis in fol. apud Frobenium. Parisiis 1590. tomis 6. apud Societatem Bibliopolarum. Venetiis 1603. & Duaci 1617. tomis 6. præstantissimis in folio.

Item Opusculum *de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum* ad Venerandum in Christo patrem Regimbertum, editum primo inter alios Scriptores similis argumenti cura Johannis Cochlæi Moguntiæ 1549. in fol. Et inter Scriptores *De divinis officiis* Melchioris Hittorpii studio & cura ad MSS. Codd. collatos, & editos 1568. Coloniæ & Parisiis 1610. pag. 661. in folio. Immissum inde in Bibliothecam Patrum editionis Parisiensis 1575. tomo 4. col. 533. 1589. tomo 6. col. 667. 1610. tomo 10. p. 661. Coloniensis editionis 1618. seculo IX. parte 1. pag. 950. Denique editionis Parisiensis 1624. tomo 10. p. 661. ut alias prætermittam.

Item, ut Sigebertus etiam ait, *Vitam & Miracula Sancti Galli Abbatis primum prosaice, deinde metrice composuit*, quam libris duobus prosa ha-

habes apud Surium Tomo V. Octobris die 16. Carmine scriptam Surius prætermisit, quæ extare dicitur in MS. Codice S. Galli apud Helvetios, sed adeo vitiose exarata, ut colon ex eo in lucem dare, temeritatis potius quam diligentiæ esse, Henricus Canisius Præfatione in Poëmata Walafridi Strabonis, quæ expressit tomo 6. *Antiquæ Lectionis*, putaverit. Ita quidem Gerardus Joannes Vossius post Canisium, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 33. pag. mihi 303. At Ermenricus oculatus testis, Vitam hanc Sancti Galli à Walahfredo Magistro suo metrice scriptam non fuisse, sed mortuum antequam opus istud aggrederetur, unde ipsum obnixe oravit Gozpertus Monachus S. Galli, ut provinciam hanc Ermenricus ipse susciperet. Sic ille in Libro *De Grammatica* pag. 335. Sed quia „de omnibus longum est commemorare, vel de „*Vita* Sancti Galli, cujus tu pastor quam optime „tugurium possides & famuliam regis, liceat „amoris causa virtutum ejus quosdam floccel„los decerpere, & metricis melodiis seu flo„reum diadema capiti tuo componere: ut si „superius te omni virtutum decore dixi gem„matum, fine corona tantum non te videat „sol stellatum. Scripsit itaque ejusdem *Confessoris Christi vitam* supradictus præceptor „meus, vir simplicissimæ vitæ & per omnia re„ctæ, Dominus Walafredus tibi notissimus, „quem etiam tu ipse ut peritus cathe„geta peritum sophistam enutristi, & ut plus „in domo Dei luceret, lumine Dei præ„ventum, super candelabrum elevasti. Sed „heu proh dolor! Mors acerba, quæ nulli par„cere novit, subito eum nobis abstulit, nec ta„men sibi animam illam vindicavit, quam Chri„stus assumpsit. Voluit vere ille poëtico co„thurno *Gesta beatissimi Galli* comere, sed morte „præventus vitam in vita finivit. Vnde ego „rogatus sum à quibusdam fratribus, & præci„pue à devotissimo Gozperto, ne dicas calvo, „sed pilis cephali aure tenus nudo, omni ta„men sancta benevolentia pleno, felicissimi Ab„batis Gozperti nepote, cum quadam vi im„pulsus, ut quod Magister devotus non imple„ret, ego cliens assecla compleam illud fa„ctum, asserens esse unum tam incipientis ex „animo, quam perficientis præmium fecissem„que fateor in hac re votis satis, si supradictus „dilectus noster, in hac petitione aliquam pa„tientiam habuisset. Est enim tam ferventis „studii, ut in una eademque hora, & lac velit „mulgere, & caseum premere: cum nec Roma „una die sit condita, sed neque triticum eo„dem die metitur, quo seminatur. Vita autem ista metrica libris duobus, quæ extat in Bibliotheca S. Galli, ut Canisius testatur, pertinet ad Guicubaldum Magistrum Scholæ S. Galli, qui *Homerus novus* ab ipso Walafrido Strabone in Carmine aliquo dictus, & ab Ermenrico in opusculo *De Grammatica* citate.

Liber *De Vita S. Othmari Abbatis* habetur apud Surium Tomo 6. ad diem 16. Novembris, quæ MS. quoque extat in Bibliotheca S. Galli. Edidit quidem Surius, uti & duos de ea Itonis Libros, sed quæ longe emendatior apud Joannem Mabillon Seculo 3. Sanctorum Ordinis divi Benedicti parte 2. p. 153.

Ejusdem tractatus *De eversione Hierosolymæ* ad caput 19. Evangelii S. Lucæ, editus primum apud Canisium Tomo 6. *Antiquæ Lectionis* pag. 331. Immissus inde in Bibliothecam Patrum editionis folius Coloniensis 1618. Seculo IX. parte prima, p. 967. ac Lugdunensis 1677. tomo XV. pag. 181. *Poëmata varia*, Vitas Sanctorum quorundam complectentia, extant apud Henricum Canisium Tomo 6. *Antiquæ Lectionis* cum prologo Canisii pag. 542. Sunt autem potissima 1. De vita sive fine Sancti Mannæ seu Mamantis Monachi, cum Hymno. 2. De Carnis petulantia. 3. ad Prudentium. 4. ad Carolum filium Augustum. 5. in Natalem Christi. 6. Hortulus florum Walafridi Strabonis ad Grimaldum Cœnobii S. Galli Abbatem. 7. ad Modoinum. 8. Epitaphium Wolfhardi Abbatis. 9. ad Ludovicum Imperatorem. 10. Hymnus de Sancto Gallo. 11. Visio S. Wettini, Monachi libellis duobus. 12. De Vita S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi, libris duobus. De ea Joannes Mabillon tom. 4. *Analectorum* pag. 639. his verbis: „Vita S. Leodegarii Episcopi Augustodunensis extat MS. in„ Codice S. Galli ante annos 800. metrice scripta„ duobus libris, quorum alter *Vitam*, alter *Miracula* complectitur. Prologus ita incipit,„ *Carmina plura nitent, studio florente peracta &c.*„ 13. De Vita S. Blaëtmaci seu Blaÿtmaci, quæ extat quoque apud Joannem Bollandum Tomo 2. ad diem 19. Januarii pag. 236. & apud Joannem Mabillonium Seculo 3. Sanctorum Ordinis divi Benedicti, parte seu tomo 2. pag. 439. 14. De eminentia unitatis. 15. Epitaphium Geroldi Comitis. 16. Epitaphium Constantii. 17. De lætitia. 18. Hymnus de Natali Domini. 19. ad Waldricum Monachum. 20. Hymnus de sanctis Sergio & Baccho. 21. Epigrammata multa in variam suppellectilem. 22. Vita Werdonis Abbatis XXIII. Extant hæc carmina omnia Walafridi Strabonis cum aliis ejusdem Opusculis, in Bibliotheca Patrum editionis Coloniæ 1618. Seculo IX. parte prima, pag. 971. atque editionis Lugdunensis 1677. Tomo XV. pag. 181. Item *Poëma* aliud edidit Walafridi Strabonis, Stephanus Baluzius *Miscellaneorum* tomo 4. quem videas, post Alcuini & Rhabani Mauri carmina. pag 551.

Opus Thegani Chorepiscopi Trevirensis *De Gestis Ludovici Pii Imperatoris*, cum *Præfatione & Capitulis sive Incisionibus* Walafridi Strabonis Abbatis Augiensis, extat tomo 2. *Historicorum Franciæ* Andreæ Duchesnii pag. 274. ubi quoque pag. 338. ejusdem carmen *De Exilio Judith Imperatoris Ludovici Pii conjugis, ad Ruadbernum Lai-*

Laicum. Hosce libros primus edidit cum Walafridi *præfatione & capitulis*, Petrus Pithæus inter Scriptores Francicos coætaneos, Francofurti 1594. pag. 291. Extat exemplar MS. multo auctius in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ut testis est clarissimus Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ cap. 5. pag. 391. qui Appendicem duorum annorum, in editione Pithæana desideratam exhibet.

Agunt de *Strabone Fuldensi* Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Walafridus Strabo.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 33. p. m. 303. Guillelmus Cavus in Historia rei litterariæ, ad annum 842. pag. 533.

830. ERMOLDUS NIGER seu NIGELLUS, quem coætaneus Vitæ Imperatoris Ludovici Pii Scriptor à Pithæo primum anno 1594. Francofurti in 8. inter *Scriptores Historiæ Francicæ coætaneos* editus, etiam *Ermoldum Abbatem* vocat, refertque ab Imperatore Ludovico Pio anno 834. missum esse ad filium Pipinum in Italiam cum mandato, *ut res Ecclesiasticas, quæ in regno ejus erant, quas vel ipse fuis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restituerent*, qua de re vide Card. Baronium tomo IX. *Annalium Ecclesiæ* ad annum 834. Postmodum nescio quam ob causam Ermoldus in exilium pulsus fuit. In exilio positus scripsit Ermoldus Nigellus Exul *Poëma elegiacum de rebus gestis Ludovici Pii Imperatoris*, in IV. libros divisum, quos ille ut exilii sui remissionem impetraret, in jam memorati Imperatoris laudem composuit, quod extat inter MS. Codices Historicos Latinos in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Cod. 249. membranaceo in 8. ut habet Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ cap. 5. pag. 359. Scriptura Codicis perantiqua est, & cæteris temporum Imp. Caroli Magni ac Ludovici Pii MSS. Codicibus simillima, ideoque affirmare ausim, hunc vel illum ipsum esse Codicem authenticum, qui Imp. Ludovico Pio oblatus est, vel saltem eodem ævo ex illo esse descriptum. Fuit olim antequam in augustissimam Bibliothecam Cæsaream translatus est, Wolffgangi Lazii, ut non solum ex propria ipsius manu apparet, quæ nonnullis in margine locis cernitur, verum etiam ex testimonio Joannis Jacobi Frisii, quod in Bibliotheca Gesneriana, ab illo auctius edita, his verbis extat: *Ermoldi Nigelli Exulis ad Ludovicum pium Imperatorem De rebus ab eo gestis libri quatuor, elegiaco carmine conscripti, extant Wiennæ Austriæ apud Wolffgangum Lazium.* Ita Ermoldus iste ab invocatione Christi hisce versibus hexametris incipit.

Editor ætherea splendes qui Patris in arce,
Regnator mundi, fautorque, redemptor & auctor,
Militibus dignis referas qui regna polorum,
Olim conclusos culpa parientis Averno:
Luminis æterni revehis, qui CHRISTE, tribunal.
David psalmificus præsaga carminis illud
Voce pius modulans, dudum miranda relatu,
Sacra fututorum qui prompsit dogmata vates.
Confer rusticulo, quo possim Cæsaris in hoc
Eximii exiguo modulanter poscito rite
Carmine gesta loqui. Nymphas non deprecor istuc,
Insani quondam ut prisci fecere periti,
Nec rogo Pierides, nec Phœbi tramite lumen
Ingrediar capturus opem, nec Apollinis almi.
Talia cum facerent, quos vana peritia lusit,
Horridus & teter depressit corda Behemmoth.
Limina Syderei potius peto luminis, ut Sol
Verus justitiæ dignetur dona precatu
Dedere, Namque mihi non flagito versibus hoc, quod
Omnia gestorum percurram pectine parvo,
In quibus & magni possunt cessare Magistri;
Cæsaream flectant aciem, sed cantibus huc huc.
Incipiam celebrare, fave modo CHRISTE precanti
Carmina, me exilio pro quis nunc Principis ab hoc
Auxilium miserando levet, qui celsus in Aula
Erigit abjectos, parcit peccantibus, atque
Spargit in immensum clari vice lumina solis.
Alta regis Christi, Princeps qui Maxime, sceptra
Rex Ludovice Pie, & pietatis munere Cæsar
Insignis meriti, præclarus dogmate Christi
Suscipe gratanter, profert quæ dona Nigellus,
Ausulus acta tamen qui tangere carmine vestra.
Regis ob æterni, vestro qui pectore semper
Mansit amor, CÆSAR, famulum relevato cadentem,
Altitonans CHRISTUS vos quo sublimet in æthra.

Sequitur deinde ipse liber primus carminis elegiaci, post carmen illud hexametrum, hoc modo.

In Honorem Ludovici Christianissimi Cæsaris Augusti, Ermoldi Nigelli Exulis, elegiaci carminis liber incipit primus.

Augustos opibus celebres præcellis & armis

Sed

Sed Ludovice Dei Cæsar amore magis.
Principis opto loqui præconia promptulus almi
Conferat Omnipotens, qui valet, arma mihi.
Cæsaris armigeri conor describere gesta,
Quæ recitat merito, mundus amore pio.
Forte foret satius cœptis insistere rebus,
Plangere delicti gesta nefanda mei.
Cum sim rusticulus, norim nec claustra Camœnæ,
Nec possim comptos promere in arte modos.
Sed me cunctantem refovet clementia Regis,
Quæ potius votum, munera quam recipit.
Cogit & exilium fateor nos talia nostrum,
Muneribusque carens porrigo, quæ mihi sunt.
Non ego gestorum per singula quæque recurram,
Nec fas, nec potis est, nec valet ingenium.
Si Maro, Naso, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,
Tullius & Macer, Cicero sive Plato,
Sedulius, nec non Prudentius atque Juvencus,
Sed Fortunatus, Prosper & ipse foret.
Omnia famosis vix possent condere chartis,
Atque suum celebre hinc duplicare melos.
Ast ego lintre rudi, rimoso navita remo
Immensi pelagi hoc æquor adire volo.
Dextera, quæ Petrum fluctu superante fidelem,
Ne pereat relevat, addidit atque rati:
Hæc me præcipitem servet miserando per undas,
Conferat ad portum, Cæsar opime tuum.
Jam mihi carmen eat Lhudowici promere gesta,
Paucaque de multis, pagina nostra legat.
Tempore Francorum, Caroli dum Sceptra vigebant,
Quem celebrat totus Orbis honore patrem,
Francia dum latos sparsisset ubique fragores,
Atque suum celebre nomen in Orbe foret:
Tum Carolus sapiens, sceptrorum insignia proli
Divisit, Procerum consiliante choro.
Scilicet æquivoco cessisset Francia forte,
Successor tandem si valet esse patris:
Italiæ Regnum Pippino cessit armato,
At Lhudowice tibi Regna Aquitana dedit.
Partibus æquatis crebrescit fama per Orbem,
Et Lhudovicus ovans, credita regna petit.
Prodigium fuerat &c.

Finis autem libri quarti sive ultimi talis est:

Hoc tibi Cæsar opus stolidâ crocitante cicutâ,
Porrigit Ermoldus, exsul, egenus, inops.
Munere quippe carens, sero carmina pauca potenti,
Divitiis liber, offero namque melos.
Regia corda manu CHRISTUS qui stringit & ornat,
Vertit & in partes, quas sibi cunque placet,
Qui tua præcipue virtutum flore replevit,
Atque redundare de pietate dedit:
Conferat ut nostram propius Rex inclyte causam
Respicias, aurem accommodando pia.
Veridicis poteris forsan cognoscere verbis,
Criminis objecti me minus esse reum.
Non tamen excuso me illius, crede, reatus,
Infelix quo sum trusus in exsilium.
Sed pietas immensa reis quæ debita laxat,
Deprecor ut nostri sit memor exsilii.
Tu quoque digna sibi conjunx, pulcherrima Judith,
Quæ secum Imperii culmina jure tenes,
Confer opem lapso, allisum solare misellum,
Erige labentem, carcere solve reum.
Ut vos Altitonans per plurima tempora secli,
Sublimet, salvet, ditet, honoret, amet.

Et hic quidem est finis libri quarti sive ultimi. Hæc Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 5. pagg. 359. 360. 361. 362. à quo hæc paucis demptis verbatim accepimus.

MODOINUS, AUGUSTODUNENSIS EPISCOPUS, temporibus Ludovici Pii Imperatoris claruit à quo privilegium obtinuit anno Imperii sui secundo, Christi Domini 816. quod refertur in *Gallia Christiana* fratrum Sammarthanorum, ubi de *Episcopis Æduensibus*. Scripsit *Epistolam Elegiaco carmine* ad Theodulphum Aurelianensem Episcopum, quam edidit Henricus Canisius tomo 6. *Antiquæ Lectionis*. Adfuit Concilio apud Theodonis villam anno 835. ubi Ebbo Remensis Archiepiscopus depositus est, lataque sententia in alios, Agobardum nempe Lugdunensem, & Bernardum Viennensem Archiepiscopos, absentes. Mortuus est circa annum 839. vel 840. de quo agunt Henricus Canisius & Sammarthani fratres, locis citatis. 830.

GEORGIUS HAMARTOLUS vulgo dictus, Monachus Græcus, quem Latine *Peccatorem* dicimus, quo passim nomine ad sui contemptum exprimendum utebantur, tum Græci tum Latini Monachi seculo Ecclesiæ nono, aliisque ad duodecimum sequentibus. Quô etiam plerique alii, sed & Theophanes Georgii Syncelli continuator, potissimum in inscriptione Ope- 840.

Operis, atq; ex Latinis multi consueverunt appellari. Scripsit hic Georgius Hamartolus seu Peccator *Chronicon ab exordio mundi usque ad Michaelem Theophyli filium*, quando & ipse vitam agebat, ex variis & diversis Chronographis & interpretibus sacris contextum, ad annum circiter 866. Claruisse igitur ex Chronico ipsius colligimus anno 840. & sequentibus, sive Imperatore Michaele filio Theophili, quem laudibus ornat, ac restitutorem Orthodoxiæ appellat, qui ab anno 842. ad 866. imperium obtinuit, cujus res præclare gestas & fidem describit. „Opus, ut inquit Allatius, Historiâ non admodum opulentum, sed ad firmanda fidei capita Dissertationibus & sanctorum Patrum authoritatibus longiusculum. „Sunt in eo pleraque, quæ descripta eadem „sunt, tum aliis, tum iisdem pene verbis ac „sententiis, paucissimis tamen exceptis, apud „Cedrenum, Theophanem, Johannem Glycam „&c. Ex hoc veluti fonte, illi sua, cum posteriores sint, hausisse nemo ambiget.“ Historiam hanc ad aliorum Scriptorum loca obscura & ardua explananda, apprime necessariam censet idem Allatius in Dissertatione seu Diatriba sua *de Georgiis & eorum Scriptis*, pag. mihi 330. quam ibidem è Græcâ linguâ in Latinam multis ab hinc annis se vertisse affirmat, optatque ut aliquando ob Reipublicæ litteratiæ bonum, in lucem prodeat. Haud dubium, desumptum Opus ex MS. Codice 154. Bibliothecæ olim Palatinæ Heidelbergensis, quæ jamdudum in Vaticanam transiit, ut idem testatur. Atque ut Operis argumentum & authoris in colligendâ Historiâ conatum & finem, ab ipso Scriptore Hamartolo omnes discant: subjungit ibidem pag. 331. prooemium operis, quod eo lubentius huc transcribit, ut inediti operis gustum aliquem habeamus. Πολλοὶ μὲν τῶν ἔξω φιλολόγοι καὶ λογογράφοι, ἱστορικοί τε, καὶ ποιηταὶ, καὶ χρονογράφοι τὰς τῶν ἀρχαίων βασιλέων ἢ δυναστῶν, καὶ τὰς τῶν ἀνέκαθεν φιλοσόφων, καὶ ῥητόρων τε, καὶ τῶν ἐπ' εὐγλωττίᾳ &c. *Externi nec pauci sane Philologi atque Oratores, Historici etiam & Poëtæ, Annaliumque Scriptores, cum Priscorum Regum ac Principum, veterumque Philosophorum ac Rhetorum, & eorum quibus ornata verborum structura* &c. Tum Georgius institutum suum in prooemio exponit: ἀπὸ μὲν Ἀδὰμ ἀρξάμενοι, καὶ μέχρι τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς ἐλθόντες ἐν συντόμῳ πάλιν ἀνάπαλιν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ κατὰ τὴν αὐτὴν ἐπιχείρησιν, καὶ ἔννοιαν δι' ἐπαναλήψεως τοὺς χρόνους τῆς ζωῆς τῶν ἐφεξῆς, καὶ τὰς πράξεις ὡς ἐνόντι διὰ βραχέων ἀπεμνημονεύσαμεν ἕως Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ. Εἶτα πάλιν διὰ σκοτομίας τοὺς κριτὰς μέχρι τοῦ Προφήτου Σαμουὴλ. καὶ εἶθ' οὕτως αὐτίκα τοὺς βασιλεῖς τῶν Ἰουδαίων ἀπὸ Σαοὺλ ἕως Σεδεκίου, καὶ τῆς ἁλώσεως Ἱερουσαλὴμ, ἐν οἷς καὶ κατὰ Ἰουδαίων ἐν παρόδῳ διὰ βραχυλογίας· ἔπειτα δὲ τοὺς Ῥωμαίων ἡγέμονας, ὥσπερ δὴ καὶ τοὺς πάλαι Περσῶν καὶ Μακεδόνων, Σελευκιδῶν τε, καὶ Ἀντιόχων καὶ Πτολεμαίων ἐν παρεκβάσει διεξήλθομεν ἀρχὰς καὶ δυναστείας. οὕτως δὲ καὶ τοὺς Ῥωμαίων ἐξ Ἑλλήνων καταγομένους καθολικοὺς βασιλέας, ἅμα καὶ τὰς ἐργασίας, καὶ τοὺς θανάτους ἀπὸ Ἰουλίου Καίσαρος μέχρι Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν ἀνοσίων, καὶ Χριστομάχων. Εὐθύς τε Κωνσταντῖνον τὸν εὐσεβέστατον καὶ πρῶτον βασιλέα τῶν Χριστιανῶν καὶ τοὺς καθεξῆς ἕως τελευταίου Μιχαὴλ, υἱοῦ Θεοφίλου, ὅστις μειράκιον βασιλεύσας, τὴν ὀρθόδοξον αὖ πάλιν διὰ συνόδου θείας ἀνεκήρυξε καὶ κατώρθωσε πίστιν &c. *Exorsi ab Adamo ad Alexandri Magni interitum, res summatim complexi sumus. Iterum ab Adamo eadem ratione incipientes, eorum qui post Adamum vixerunt res gestas atque ætates, majori qua potuimus veritate, usque ad Jesum Nave perstrinximus. Sic etiam deinceps per Judices, ad Samuelem Prophetam usque decurrimus. Inde Judæorum Reges à Saule ad Sedeciam recensentes, Hierosolymitanum excidium ac quæ Judæi pertulere quasi aliud agentes, compendio sumus prosecuti. Denique Romanorum Principum, nec non veterum Persarum Macedonumque, Seleucorum, Antiochorum, ac Ptolemæorum regna obiter tangimus. Eadem ratione Romanorum, qui à Græcis oriuntur, Imperatorum res gestas atque obitus, à Julio Cæsare usque ad Diocletianum & Maximianum impios Christi hostes deduximus. Vertentes subinde stylum ad piissimum & primum Christianorum Imperatorem Constantinum, eosque qui mox subsecuti sunt: tandem in Michaele Theophili filio, qui rerum puer adhuc potitus, orthodoxam fidem in sacra olim Synodo promulgatam restituit, consistimus.* Operis initium ita conceptum est: Χρονικὸν σύντομον ἐκ διαφόρων χρονογράφων τε καὶ ἐξηγητῶν, συλλεγὲν καὶ συντεθὲν ὑπὸ Γεωργίου Ἁμαρτωλοῦ, Μοναχοῦ. βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων, ᾗ ἡμέρᾳ ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἀδὰμ ἐγέννησεν υἱοὺς τρεῖς &c. *Breve Chronicon è diversis Annalium Scriptoribus & Expositoribus decerptum, concinnatumque à Georgio Monacho, Peccatore. Liber generationis hominum ab eo die, quo Deus Adamum ad imaginem & similitudinem suam creavit, exorditur. Adamus tres suscepit filios* &c.

Temere tamen plerique dictum Georgii Hamartoli Chronicon Georgio Syncello, de quo supra ad annum 790. egimus, adscribunt, ut adnotavit Jacobus Gretserus. Cujus occasione lapsus, fraudem in hisce Georgiis fieri solitam post Leonem Allatium loco citato pag. 326. paucis aperiam, ut futuris temporibus, suis quisque plumis, alienis depositis, fulgeat. Causa erroris fuit, nomen illud *Monachi*, quasi cognomen Georgiis additum: quod recentiores parum advertentes, unumque Georgium Monachum Historiarum Scriptorem opinati, omnium scripta ad unum retulerunt. Vnde Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* ita loquitur: *Georgius Hamartolus, qui aliis idem qui Georgius Syncellus Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, ab mundi ortu usque ad*

Im-

Imperium Constantini filii Leonis Chronicon scripsit, idque in Bavarica Bibliotheca MS. extat. Quin & scripsit de inventione sanctæ crucis, cujus fragmentum inservit Græce & Latine Jacobus Gretserus, tomo suo secundo de cruce. Sane Georgii Syncelli Historia ab Adamo ad Alexium Comnenum, extabat in Vaticana & in Cæsarea Vienna Austria Bibliotheca. Vides hic multa peccare Possevinum. Inauditum illud est, *Georgium Syncellum, Tarasium Patriarcham, aut Patriarcham Constantinopolitanum* fuisse. Item qui in Diocletiano & Maximiano morte oppressus, Chronicon finiit, nec ultra produceve potuit: quanam ratione ad Constantinum Leonis filium, idem Chronicon perduxit? Multo minus ad *Alexium Comnenum*, trecentos & amplius annos ante mortuus Georgius Syncellus, illud continuavit. Scriptum illud *de inventione sanctæ crucis* à Gretsero editum, ex Historia Hamartoli depromptum est, non Opusculum per se separatum. Vides ergo in his verbis, ut omnia confunduntur, Georgius Hamartolus cum Georgio Syncello & Georgio Cedreno, & Patriarcha Tarasio: quomodo Historiæ ab his tribus Georgiis conscriptæ, licet diversæ ac variæ, & ab uno Adamo initium sumentes, in unum veluti furculum coalescant. Cedrenus enim in *Isaacio Comneno*, Hamartolus in *Michaele Theophili filio*, Syncellus in *Diocletiano & Maximiano* scriptiones suas terminant. Idem quoque Possevinus in *Appendice variarum Bibliothecarum Manuscriptarum*, quam adjecit Apparatus sacri calci, ubi de Bibliotheca Bavarica pag. 63. Codice 99. *Georgii Hamartoli Annales breves ex variis autoribus collecti, ab exordio mundi usque ad imperium Constantini Leonis filii.* Et folio 70. ubi de Bibliotheca Augustana Codice 81. *Georgii Monachi & Syncelli Chronicon ex diversis Chronographis & Interpretibus collectum ab exordio mundi, usque ad Heracleonem Heraclii filium: in charta in folio.* Conradus Gesnerus Possevino felicior in his non est, dum in Bibliotheca sua, loquitur de Chronicis sub Georgiorum nomine, in Bibliothecis latitantibus. Ita vero illo: *Georgii cujusdam Græci Monachi Historia temporum, sive Chronica à condito mundo, usque ad regnum Nicephori Botaniatæ, extat MS. Venetiis in Bibliotheca sanctorum Joannis & Pauli, & apud Diegum Hurtadum Cæsaris Legatum, ibidem. Vide ne idem sit, qui infra Georgius Pachimerius nominatur: nam & ipse Monachus Historiam quandam scripsisse fertur.* Cujusnam Georgii Historia illa sit, divinare non possumus, certumque est ex memoratis superius Georgiis, nullum Historiam suam usque ad Botoniatem produxisse: nisi id affirmemus, alium quempiam quicunque ille fuerit, de suo vel ab alio Scriptore adjecisse ad Historiam Georgii, quæ deerant, ad Botaniatem usque. Ridiculum præterea est, similem authorem Pachymerem fuisse, cum Pachymeres non à mundi principio Historiam inchoavit, neque plurium Imperatorum res gestas, sed Michaelis & Andronici ejus filii Palæologorum tantum, quando ipse etiam rebus interfuit, prosecutus sit, ut infra dicemus, inquit Allatius. *Georgii* itaque *Syncelli Chronicon* potiore sui parte mutilum visebatur olim in Antonii Augustini Bibliotheca Cod. 136. hoc titulo: *Georgii Monachi Syncelli Chronographia epitome à C. Julio Cæsare ad Diocletianum usque.* Sequitur, *Chronographia Theophanis ad Michaelem & Theophylactum ejus filium.* Et fortasse idem erat cum alio ejusdem in eadem Bibliotheca, ut est in indice edito: *Georgii Monachi & Logotheta Syncelli Chronicon breve ex diversis Chronographis & Interpretibus collectum, continens Historias ab exordio mundi usque ad Heraclionem Heraclii filium.* Vbi vides Georgium Syncellum *Logotheta* etiam dignitate, nescio an ex vero insignitum, quemadmodum & in Codice Ambrosiano Mediolani. *Χρονικὸν σύντομον ἐκ διαφόρων χρονογράφων καὶ ἐξηγητῶν συλλεγὲν καὶ συντεθὲν ἀπὸ Γεωργίου Μοναχοῦ καὶ Συγκέλλου.* Et in fine, *ἕως ὧδε τὰ χρονικὰ Γεωργίου Μοναχοῦ καὶ Λογοθέτου.* Dixeram dubium esse, an Georgius Syncellus *Logotheta* itidem fuerit. Codex namque Palatinæ MS. num. 154. in Bibliotheca Vaticana alium fuisse evincit, in quo tota Georgii Hamartoli Historia, præter nonnulla loca quibus res vel fusius vel succinctius, vel variantes sed sæpissime in melius lectiones habentur, ad verbum exscripta est: Joanni tamen Siculo, postmodum Patriarchæ Constantinopolitano tributa. *Χρονικὸν σύντομον ἐκ διαφόρων χρονογράφων καὶ ἐξηγητῶν συλλεγὲν καὶ συντεθὲν παρὰ Ἰωάννου Μοναχοῦ, τοῦ Σικελιώτου, τοῦ καὶ χρηματίσαντος ὕστερον Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης. Chronicon breve ex diversis Chronographis & Expositoribus collectum & compositum à Joanne Monacho Siculo, qui postea fuit Patriarcha Constantinopolis novæ Romæ.* Principium, *πολλοὶ τῶν ἔξω χρονογράφοι καὶ φιλολόγοι* &c. Et infra *βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων, ᾗ ἡμέρᾳ ἔπλασεν ὁ Θεὸς* &c. Post nonnullas paginas, *τοῦ αὐτοῦ Ἰωάννου τοῦ Σικελιώτου περὶ τοῦ Ἀδὰμ καὶ τῆς Εὔας, καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν καταγομένων. Ejusdem Joannis Siculi de Adamo & Eva, & eorum descendentibus.* Principium. *Ἀδὰμ τοίνυν κατὰ τὸν σοφώτατον* &c. Præter authoris nomen diversum, omnia Georgii Hamartoli sunt, unde & desinit in Michaele filio Theophili notaturque in fine, *ἕως ὧδε τὰ χρονικὰ Γεωργίου καὶ τοῦ Λογοθέτου, Hic usque Chronica Georgii & Logothetæ.* Multo clarius quam in Ambrosiano Codice insinuans, *Chronica nempe hæc* ex Georgio & Logotheta duobus duntaxat Scriptoribus, concinnata fuisse. Sed quis hic Logotheta fuerit? An idemmet Joannes Siculus, qui ante Patriarchatum initum, Logotheta fuit? An idem etiam cognomento talis, quando sequioribus Græciæ temporibus multi cognomentum illud, sive à Logothetæ dignitate qua fuerant olim insigniti, sive aliam ob cau-

ſam ut fieri ſolet, uſurparunt & nunc quoque uſurpant? An etiam alius quiſpiam à Siculo? Certe Logothetæ iſtud Georgio adſcribendum non videtur, ex quo ſua Siculus deſcripſit, vel cui ſua appinxit. Præterea quis Joannes iſte Siculus, Conſtantinopoleos poſtmodum Patriarcha, fuerit? Græci Hiſtorici quos ipſe viderim, omnes ſilent. Suſpicatur Allatius, non alium hunc à Joanne Glyca fuiſſe: cujus licet taceatur patria, eum tamen Atticiſmi ſtudioſiſſimum eloquio valuiſſe: & quod magis eſt, Logothetam Dromi, antequam in Patriarchicum ſolium collocaretur, fuiſſe: ut tradit Gregorus *Hiſtoria Romana* Lib. 6. & Phranzæ Lib. I. cap. 9. & Ephræmius Monachus in *Chronico*.

Τοῦ δὲ ἐν γραφῇ δὲ θρόνον ἀπειπαμένου
Ἰωάννης τὶς ὁ Γλυκὺς δὲ τὴν πίκλην
Συγκλητικός τε, καὶ Λογοθέτης Δρόμου
Εἷς ὢν ἀρίστων, καὶ σοφῶν λόγων ἴδρις,
Χειρίζεται δὴ τὴν λεὼ προστασίαν.

Hoc porro Niphone in ſcriptis throno renunciante, Joannes quidam Glycas cognomento, Senator & Logotheta Dromi, optimorum ac ſapientum ſermonum peritus, populi regimen excepit. Nec ob aliam cauſam exſcriptor Joannem Siculum ſeu mavis Glycam, Logothetæ nomine indicavit: quæ ſi non placeant, aliuſque certiora det, lubentes ea admittemus. Sed quis non videt exſcriptorum turbas atque nugas? Vnus illis Georgius omnia fuit, & propria unicuique, ſingulis ac ſi communia eſſent, concedunt. Ambroſiana Hiſtoria jam ſub Syncelli nomine allegata, Syncelli non eſt, neque diverſa ab ea quæ Georgio Hamartolo in eadem Bibliotheca adſcribitur: ſi ex initio operis, de reliquis libri partibus ferre ſententiam, non eſt inconcinnum. Opus tamen hoc, ſi conjectura non fallor, neque Georgii Hamartoli eſt, neq; Georgii Syncelli: ſed ut libuit epitomatori, ex utriſq; compilatum, productumque ad Heraclionem, & infra ad ſua tempora. Eam tamen Hiſtoriæ partem, cum ultimis foliis vetuſtate laceram, vel alio infortunio deperditam, ut ſæpe uſu evenire ſolet, ſuſpicor. Quod etiam in Codice 154. Heidelbergenſi Bibliothecæ Vaticanæ, Allatius annotavit, in quo à principio mundi ad Imperium Romanorum & inde ad Theophanis principium hiſtoria continuetur totidem verbis, quibus Syncellus & Hamartolus uſi ſunt. Ita ut videri poſſit ab aliquo tertio hiſtoriam iſtam ex Georgiis Syncello & Hamartolo fuiſſe decurtatam: cum in multis conciſior ſit, nec tam crebris longiſque Sanctorum authoritatibus abundet, licet iiſdem Hamartoli & Syncelli verbis, ubique ſemper narrationem continuet, nec uſquam variet. Temere ergo plurimi dictum *Hamartoli Chronicon* Syncello adſcribunt, ut adnotavit Jacobus Gretſerus & inter alios, MS. Codex Ambroſianus Mediolanenſis, cujus ſupra verba exſcripſimus. Vti olim humaniſſimis litteris Leonem Allatium admonuit, inſignis virtute, religione ac nobilitate vir, Paulus Sfondratus, Clericus regularis. Idem autem Hamartoli Chronicon legitur etiam Scoriaci eſſe, in Bibliotheca Regis Hiſpaniarum, & Pariſiis in Regia Gallica Cndicibus MSS. 2076. & 2077. Idem creditur Codice 2559. ac Codice 2431. qui ab Adamo pertingit ad Leonem Baſilii filium. Denique Petrus Lambecius libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæſareæ Vindobonenſis* cap. 7. pag. 588. extare quoque MS. Codicem *Chronici Georgii Hamartoli* antiquiſſimum inquit, & membranaceum, inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos, Codice XXXIX. ab Augerio Busbeckio, olim dum eſſet Conſtantinopoli, comparatum, cujus ibidem nonnulla profert.

Ex hoc porro opere Chrnnolngico *Narrationem de ſancta Cruce* edidit Græce & Latine cum aliis Gretſerus tomo 2. *De Cruce* p. 1140. notatque deſumptam eſſe ex Alexandro aut Julio Polluce, vel certe utrnmque eam ab hoc Georgio Hamartolo deſcripſiſſe, eamque iſdem ferme verbis referri a Theophane in *Chronico*. Nec ignorare, qui in monumentis ſequioris ſeu poſterioris Græciæ verſatus eſt, quam liberaliter Scriptores, ſeſe mutuo exſcribere aut expilare conſueverint. Subditque hunc Georgium, *Chronicon* ſuum ab initio mundi usque ad Imperium Conſtantini filii Leonis pertexuiſſe. Si autem de Conſtantino Porphyrogenneta filio Leonis ſermo eſt, fallitur Gretſerus: cum multo ante Georgius diem ſuum obierit, nec ultra quam ipſe in prooemio jam allato promiſerat, Hiſtoria illa ab eo producta ſit. Quare ab alio, nec ab uno ex aliis Scriptoribus, addita illa eſſe manifeſtum eſt, ut Allatius in nonnullis MSS. Codicibus olim obſervavit. In Excerptis etiam *de legationibus Romanorum ad exteros*, jam Pariſiis inter Scriptores Hiſtoriæ Byzantinæ evulgatis, quædam ex ejuſdem Georgii Hiſtoria ejuſdem argumenti habentur. περὶ πρεσβειῶν Ῥωμαίων πρὸς ἐθνικοὺς ἐκ τῆς ἱστορίας Γεωργίου τοῦ μοναχοῦ. Principium, ὅτι ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς Χοσρόης ἀποστείλας κατὰ Ῥωμαίων. Vt hinc videas Georgii Hamartoli Hiſtoriam ab Imperatore Conſtantino Porphyrogenneta, ad quem excerpta illa ſpectant, tanquam non contemnendam, in pretio dignationeque habitam. Servabatur etiam penes Leonem Allatium ex ſatis antiquo Codice deſcripta, ἐκ τοῦ χρονικοῦ Γεωργίου μοναχοῦ διήγησις ἀποδεικνύουσα πόθεν καὶ ἐκ ποίου βασιλέως ἔλαβε τὴν ἀρχὴν ἡ τῶν εἰκονομάχων αἵρεσις, καὶ πότε ἐπαύσατο: καὶ περὶ τῆς ἐπιτελουμένης συνάξεως τῇ πρώτῃ κυριακῇ τῶν ἁγίων νηστειῶν. *Ex Chronico Georgii Monachi, Narratio demonſtrans, undenam, & ex quo Imperatore originem ſumpſerit Iconomachorum hæreſis, & quando finem habuerit: & de Synaxi, quæ ſit prima ſanctorum jejuniorum Dominica.* Initium μετὰ Θεοδόσιον τὸν Ἀδραμυττηνὸν ἐβασίλευσε Λέων Ἴσαυρος, ὁ καὶ Κόνων. Quæ in iſta narratione habentur, ex Geor-

Georgi [illegible] Historia carptim, & uti Concinnatori placuit, desumpta sunt: unde inquit Allatius, *nihil ex ea hauries, quod non melius ac perfectius ex ejus Historia addisces.* Multa tandem ex Georgio Hamartolo in suos Annales refert Michael Glycas, quæ tamen non omnia probat, de quibus penes alios judicium sit. Agunt de *Georgio Hamartolo* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. verbo *Georgius Hamartolus*. Sed potissime omnium & doctissime Leo Allatius, quem hic verbotenus expressimus, ordine tantum in melius mutato. Ita ille in Diatriba sua *De Georgiis & eorum Scriptis*, paginis 329. 330. 331. 332. 333. 334. tum denique paginis 326. 327. 328. Jacobus Gretserus in Notis ad Opus suum *De Cruce.* Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 4. pag. 154. editionis 1714. Hamburgi in 4.

842. METHODIUS MONACHUS AC PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, *Homologoteta*, seu *Confessor* dictus, natione Siculus juxta Græcorum Menologium & Anonymum apud Allatium *De Methodiis* pag. 361, apud Siracusas parentibus nobilibus divitibusque ortus, domestica educatione perpolitus, Constantinopolim profectus est, ibique monasticum vivendi genus amplexus, in Chio insula, extructo Monasterio sedem collocavit. Posthæc Nicephori Expatriarchæ Constantinopolitani artibus apud Paschalem Papam, qui anno 824. Apocrisiarius factus fuit, Romæ positus, adulterii falso accusatus est, qui ostenso palam naturæ vitio, crimen impositum diluit. In Græciam reversus, à Michaele Balbo ob propugnatum Imaginum cultum, ante annum 829. in Acritam carcerem datus est. Anno 834. à Theophilo imperatore, seditiones ab eo excitandas verito, secum ad exercitum contra Saracenos ductus, ac post reditum in tenebrosum carcerem conjectus. Anno autem 842. à Michaele III. Porphyrogenneta factus Patriarcha Constantinopolitanus, habita mox Synodo, Imagines earumque cultum, in Ecclesiam Græcam postliminio reduxit: atque ut plebis superstitiosæ animos, id genus commentis devinciret, arctius, corpora sanctorum Theodori Studitæ & Nicephori Patriarchæ Constantinopolim solemni pompâ transferenda curavit. Obiit anno 847. die XIV. Junii, ut habent Acta Joannis Anachoretæ, apud Simeonem Metaphrastem. Hæc Gulielmus Cavus in *Historia rei litterariæ* ad annum 842. pag. 533. ubi de Opusculis Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani erudite ita loquitur. *Encomium Sancti Dionysii Areopagitæ* ipsius est, quod prodiit Græce seorsim Florentiæ 1516. in 8. Parisiis 1562. in 8. Græce & Latine inter Opera S. Dionysii Areopagitæ anno 1634. Antverpiæ Tomo 2. pag. 242. Quæ in hoc Encomio de Dionysio habet Methodius, ea omnia ex Areopagiticis Hilduini, plane mihi desumpsisse videtur: quippe qui ea Roma, ubi diu vixerat, facile impetrare poterat. Præsertim cum Hilduinus quo tempore Areopagitica collegit, in Rescripto ad Ludovicum Imperatorem numero X. testetur Græcos Scriptores nihil dixisse de Dionysii obitu, quia propter longinquitatem terrarum, transitus ipsius in Galliam, iis penitus fuit incognitus: quamvis inter eruditos non levis ea de re controversia sit. Ex Hilduini Collectaneis Methodium sua desumpsisse, diserte affirmant, & longa argumentorum serie demonstrant Sirmondus, Launoius, aliique critici nasutiores. Neque id negare præfracte audet Leo Allatius Diatriba *De Methodiorum Scriptis*, etsi prolatis in utramque partem argumentis, in sententiam illam propendere videatur, quæ statuit Methodium & Syncellum sua non ex Areopagiticis Hilduini, sed ex vetustioribus Græcorum monumentis desumpsisse.

Oratio in eos qui dicunt, Quid nobis profuit Filius Dei crucifixus? Extat Græce & Latine apud Gretserum Tomo 2. *de Cruce* col. 1667. Hæc bina continet fragmenta, quæ ex Augustana bibliotheca Gretserus desumpsit, qui Methodio Seniori non esse tribuenda contendit, eo quod in iis mentio fiat *Vexillorum Imperialium in formam Crucis commutatorum*: quam quidem objectionem frigide admodum solvere conatur Leo Allatius Diatriba *de Methodiorum Scriptis* pag. 348. ubi tertium etiam *de Christo passibili* fragmentum Græce & Latine ex eadem Bibliotheca exhibet.

Oratio de occursu Simeonis & Annæ in Templo & de Deipara. Itemque *Oratio in ramos Palmarum*, quæ extant Græce & Latine inter Opera Methodii Patavensis à Combefisio edita Parisiis 1644. in folio, ubi de iis dictum est. Hæc Cavus. Prolixe autem à me de illis actum est ad annum CCXC. in *Methodio Olympi Lyciæ Episcopo* numeris 5. & 6, ubi illas Methodio huic Seniori abdicatas, Constantinopolitano illi Juniori, atque Theodoro Studitæ Abbati adscripsimus.

Encomium sanctæ Agathæ Virginis & Martyris habetur Latine in *Bibliotheca SS. Patrum Concionatoria* Francisci Combefisii, Græca sed mutila penes se habuit Leo Allatius, ut testatur Diatriba *de Methodiorum Scriptis* pag. 365. integra Leonardus Pate, Collegii Græcorum Romæ alumnus, & Græcarum literarum in Universitate Messanensi professor primarius. An autem edita sint, nondum didici.

Canones Methodii Pœnitentiales habentur in Balsamonis Græco Canonum Volumine, quod Latine versum edidit Gentianus Hervetus. Vide quæ de iis habet Baronius, ad annum 842. num. 26. &c. Harmenopulus in Epitome Canonum Sect. IV. citat sub nomine Ἀστρονόμος. Methodii Junioris Patriarchæ illos

„esse, contendit Arcudius, cui tamen hac in re „meliori ratione ductus, Leo Allatius suffragari „nollet. Hæc Cavus.

Extat quoque inter *Orthodoxographos* Basileæ 2. voluminibus in folio anno 1564. editos, Græce Tomo I. pag. 93. & Latine pag. 100. *Sancti Methodii Patarensis Episcopi & Martyris Revelationes, de iis quæ a mundi constitutione advenerunt, & quæ in futurum eventura sunt:* Περὶ τῶν ἀπὸ συστάσεως κόσμου συμβάντων, καὶ τῶν μελλόντων συμβαίνειν εἰς τὸ ἑξῆς. In quibus cum multa de Turcis, multa de Antichristo & extremo judicio prædicta habeantur; hanc ob causam Methodio Olympi Lyciæ ac Patarensi Episcopo, cujus nomen mentiuntur, abjudicandæ veniunt: atque huic Methodio Confessori Patriarchæ Constantinopolitano, qui anno 842. sedem hanc tenuit, vel juxta alios alteri forsan Methodio Patriarchæ qui circa annum 1240. claruit, adscribendæ videntur. Quod enim eas tanquam genuinas *Methodio Patarensi*, author *Synaxarii Græci* adserat, Nicephorus Callistus Charthopulus: quippe cum ad annum 1333. vixerit, omniaque indiscriminatim absque ullo examine admiserit, tum in Historia, cum in aliis suis Operibus: hujusmodi testimonium apud æquos rerum judices, vel modicissimæ vel nullius authoritatis est. Imo verisimilius est hoc Opusculum convenire magis Methodio Patriarchæ, qui anno 842. thronum Ecclesiæ Constantinopolitanæ conscendit. De Methodio in *Menologio Græcorum* ad diem 10. mensis Julii, his verbis:

„ Sancti Martyris Methodii Patarensis Episcopi.

„ Hic plane admirabilis Dei Sacerdos & Martyr, libros nobis abs se elaboratos reliquit, „scientia omni plenos ac utilissimos. Quin & „de futuris clarissime vaticinatus est, ac per„quam perspicue prædixit, nempe quod spectat „ad regnorum utrinque mutationes, Gentium „excursiones, locorumque ac regionum deva„stationes. Item quod ad Orthodoxos Impe„ratores & hæreticos, nec non quod ad mundi „consummationem, atque ad Antichristum & „ejus regnum, mundique destructionem, ac „omnis humanæ carnis interitum. Hæc, in„quam, omnia vir eximius clarissime vaticina„tus est.

Quis *Menologium Græcum* legens, istis non crederet, quæ falsissima sunt? Nam Opusculum istud modicum, obscurum, miserum est, quod authori, cujus nomen præfert, prorsus adversatur. Cum enim agat *de Orthodoxis Imperatoribus & Hæreticis*, aperte nomen Methodii Patarensis Episcopi, quod præfert, mentitur. Hic enim anno Christi CCXC. sub Diocletiano passus, alios quam Ethnicos Imperatores non cognovit. Opusculum istud proprie est Homilia, cum in Latinis editionibus & Prologum homiliæ ante *Revelationes suas* habeat, & illam concludat, ut Homiliæ aliæ concludi à concionatoribus consueverunt.

Opusculum istud Latine primum à Methodio Patriarcha Constantinopolitano conscriptum fuit, qui cum esset Siculus ac Siracusis oriundus, Latinam linguam non minus quam Græcam, perfecte noverat. Vnde fit ut in MSS. Codicibus Latinarum bibliothecarum, plurimi inveniantur Codices MSS. hujus Operis, ac in Anglicanis solis quarum Catalogos habemus, plusquam quadraginta reperiantur, quos recensuissem, nisi tædio lectoris consultum fuisset. Mirum igitur non est, quod hoc Opusculum sub *Chronici* nomine ab Historicis Latinis etiam antiquis memoretur. Quin & apud Marianum Scotum, ex *Methodii Chronicis* fragmenta quædam habemus: & inde etiam Martinus Polonus ejusdem meminit sub *Chronici* initium, inter eos Chronographos à quibus in Chronico suo conscribendo profecit: ac si Joanni Trithemio credimus, *Historicis* accensendus est, quem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Chronicon* scripsisse inquit. Licet nec Hieronymus nec Suidas, qui Methodii Scripta recensent, *Chronicorum* ejus meminerint. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 16. pag. mihi 245. editionis Lugduno-Batavæ anni 1651. in 4to. Hoc confirmatur ex eo quod cum frequenter scripturas Bibliorum alleget, semper editionis vulgatæ verbis utatur. Id quod in aliis Opusculis Græce conscriptis non cernitur.

Opusculum istud ex Latino in linguam Græcam, liberiori ratione, multis omissis, (nam initium hujus Opusculi, quod instar Prologi est ad *Revelationes* sequentes, totum omisit.) multis quoque paraphrastice adjectis, primus transtulisse creditur Michael Psellus, qui Appendicem Græcam fini illius pariter adjecit, usque ad Comnenos, hoc est ad annum MLX. vel MLXXX. pertingentem.

Idem hoc Opusculum editum Latine pariter apud Joannem Wolfium, Lavingæ anno 1600. in folio, tomo I. *Lectionum Memorabilium* Centenario 3. ad annum CCL. pag. 43. sub nomine *Methodii Senioris Olympi Lyciæ seu Patarensis Episcopi*. Editum autem cum Additionibus Wolfgangi Aitinger Clerici Augustani & Sebastiani Brant, primum circa annum 1498. cum figuris & imaginibus diversis, Prophetias de quibus ageret repræsentantibus. Nimirum, quomodo Turcæ & Saraceni super Christianos captivos sortem mitterent: quomodo Christiani fidem abnegarent, & Clerici ac Monachi res divinas prophanarent: quomodo ex transgressione Cleri, vulgus in eos præter modum sæviret: quomodo apud eundem Methodium & quas ob causas Terra sancta à Christianis subjici hactenus non potuerit, nec in futurum occupari unquam poterit; ad quas brevitatis causâ Lectorem remitto. Hinc Scriptorem harum *Revelationum* certe cognoscimus, Methodium

Pa-

Patriarcham Constantinopolitanum. Cum enim teste Menologio Græcorum citato, diserte loquatur de *Orthodoxis Orientis Imperatoribus & hæreticis* in imperio sibi invicem succedentibus: alludit absque dubio ad Imperatores Iconodulos, quos Orthodoxos appellat, & Iconoclastas quos hæreticorum nomine designat: atque ita se posteriorem notat controversiæ de Imaginum cultu & veneratione Sanctorum ac invocatione, quæ seculum 8. integrum & partem noni, usque ad annum 840. Christianis inter se digladiantibus occupavit. Tragœdia enim illa à Leone Isauro anno 716. incœpta perduravit usque ad Imperatorem Theophilum & annum Christi 842. quo ille extinctus est. Author ergo Opusculi istius dubio procul, est Methodius Senior Patriarcha Constantinopolitanus, qui sub Methodii Olympi Lyciæ Episcopi nomine, tragœdiam hanc cui ipse præsens adfuit & ubi personam egit, sub *Revelationum* nomine repræsentat. Idem concludendum, ex eo quod dicit *Terram sanctam à Christianis subjici hactenus non potuisse, nec in futurum occupari unquam posse, ob corruptos Christianorum mores.* Alludit enim ad Palæstinam & Hierosolymam anno 636. à Mahumetanis seu Saracenis occupatas & per annos 463. possessas, usque ad annum Christi 1099. quo ab Occidentalibus Christianis sub Godefrido Bullionensi expeditionem in Orientem moventibus, ad possessionem iterum Christianorum reversæ sunt. Atque hinc etiam patet Opusculum istud Methodio Juniori Constantinopolitano qui anno 1240. vixit, tribui non posse: cum ejus ætate, Palæstina & Hierosolyma in Christianorum possessionem rediissent.

Extat quoque *Commentarius in Apocalypsim Joannis* in Catalogo Bibliothecæ Augustanæ Codice 72. ubi sub nomine *Methodii Monachi* juxta ipsum editorem Peltanum legitur. At in Præfatione Theodori Peltoni, cum hujus Codicis primæ pagellæ desiderarentur, nulliusque certi authoris nomen præfixum haberet: is qui Græcorum Codicum indicem confecit, probabili ratione ductus, *Methodio*, quem in Johannis Apocalypsim aliquid scripsisse audierat, nempe huic Constantinopolitano Patriarchæ ob *Revelationes* prædictas de quibus statim egimus, opus illud attribuit.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium ejusdem Regni bibliothecarum Codice 4068. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Sionensis Londini Codice 4. num. 4. 5. & 6. *Canones quidam Methodii Patriarchæ Constantinopolitani*, seu *Canones de iis qui abnegarunt*, extant in *Euchologio* Jacobi Goari p. 876. cum lectionibus variantibus & notis pag. 886. ubi attribuit diserte Methodio Patriarchæ Constantinopolitano, quem sub Theodora & Michaele vixisse testatur Dominus du Cange in Catalogo Scriptorum Græcorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 55. à quo hæc accepimus. Idem autem observat ibidem col. 29. S. Methodium Patriarcham Constantinopolitanum, scripsisse Græce *de Miraculis S. Nicolai Myrensis Episcopi*, quod extat in Bibliotheca lectum à se Colbertina, Codice 2493.

ANDREAS CÆSAREÆ CAPPADOCUM ARCHIEPISCOPUS, de quo eximie Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 500. pag. 379. his verbis. „ANDREAS CÆSAREÆ CAPPADOCUM Archiepiscopus, vixisse videtur circa exitum seculi istius ac floruisse anno 500. Incerta enim prorsus illius ætas, nec ulla ejus apud veteres mentio. Id tantum certum, eum post Basilium ac Cyrillum Alexandrinum & ante Aretham Cæsariensem scripsisse. Scripsit ad Macarium quendam *Commentarios in Apocalypsim*, quos Latine vertit Theodorus Peltanus Soc. Jesu. Extant Græco-latine ad finem Commentariorum S. Chrysostomi in *Evangelium Joannis*, in editione Morelliana Tomo VIII. Ita Cavus fere verbotenus ex Bellarmino, quem etiam non nominatum expressit: quam mihi culpam tam sæpe Cavus, alios etiam sæpe exscribens, exprobrat. Unum tamen Bellarminus addit, quod Cavus suppressit, nempe quia cum non legisset Commentarios istos Andreæ Cæsareensis nomine inscriptos, errate post Bellarminum timuit. Addit ergo Bellarminus Andream in Commentario *Basilium Cæsareensem sæpe citare*. Quod certe falsum est, quem ne semel quidem in *Commentario* suo Andreas allegavit, licet plurimorum Patrum aliorum & verba & nomen in Opere suo expresserit. Porro MSS. Codices hujus Commentarii, maxime in Bibliothecis variant, ut habet Lambecius libro 4. seu Tomo Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ad Codices MSS. Theologicos Græcos CLXXII. CLXXIII. & CLXXIV. pag. 180. his verbis. 840.

Codex MS. Theologicus Græcus CLXXII. est chartaceus mediocriter antiquus in folio, constatque foliis 120. & ad Andream Taumarum Epidauriotam olim pertinuit. Continetur eo, *Andreæ Cæsareensis in Cappadocia Archiepiscopi Commentarius in Apocalypsim S. Joannis Apostoli & Evangelistæ*, cujus Præfatio inscribitur atque incipit hoc modo: Ἀνδρέου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας Ἐπιστολή. Κυρίῳ μου ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ. Πολλάκις αἰτηθεὶς παρὰ πολλῶν ἐξ ἀγάπης, μείζονα τῆς ἐμῆς δυνάμεως ὡς ἐσχηκότων ὑπόληψιν &c. Ipse autem Commentarius incipit his verbis: Ἀποκάλυψις μέν ἐστιν ἡ τῶν κρυπτῶν μυστηρίων δήλωσις, καταυγαζομένου τοῦ ἡγεμονικοῦ εἴτε διὰ θείων ὀνειράτων, εἴτε &c. Primus hunc Commentarium, sed Latine tantum edidit Theodorus Peltanus Soc. Jesu Ingolstadii typis Davidis Sartorii 1584. in 4to. Eodem quoque modo extat idem Commentarius in Magna Bibliotheca Veterum Patrum Græco-lati-

tina Parisiensi, anni 1654. Tomo 1. à columna 1529. usque ad col. 1622.

CLXXIII Codex MS. Theologicus Græcus est chartaceus mediocriter antiquus in quarto, constatque foliis 151. Continetur eo *Andreæ Cæsareensis in Cappadocia Archiepiscopi Commentarius in Apocalypsim Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ*, sed perperam attribuitur *Origeni*, ut videre est ex titulo Præfationis, qui ibi talis est: *Εἰς τὴν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου Ἀποκάλυψιν ἐξήγησις Ὠριγένους, θαυμαστῶς τὴν ἀσάφειαν ταύτης εἰς φῶς παράγουσα.* Ipsa quoque Præfatio ibidem in principio est mutila, & quasi integra esset, incipit hoc modo: *Προοίμιον. Πρῶτον μὲν οὖν ὡς ἴσασθε καὶ αὐτὸς, πᾶσα θεόπνευστος γραφὴ* &c. *In Sancti Apostoli atque Evangelistæ Joannis Theologi Apocalypsim, Commentarius Origenis, mirabili modo obscuritatem illius ad lucem adducens.*

CLXXIV Codex MS. Theologicus Græcus est chartaceus & bonæ notæ in 4, constatque foliis 83. qui ad Joannem Sambucum, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim pertinuit. Continetur eo *Andreæ Cæsareensis in Cappadocia Archiepiscopi Commentarius in Apocalypsim S. Joannis Apostoli & Evangelistæ*, sed perperam ibi attribuitur *Methodio Monacho*, ut ex sequenti inscriptione videre est: *Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, τοῦ ἠγαπημένου καὶ Θεολόγου, ὑπὸ Μεθοδίου Μοναχοῦ ἑρμηνευθεῖσα. Apocalypsis Sancti Apostoli & Evangelistæ Joannis, dilecti & theologi, à Methodio Monacho interpretata.* Similiter etiam ibidem, in fine ejusdem Commentarii legitur: Τέλος τῆς ἐξηγήσεως ΜΕΘΟΔΙΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ *εἰς τὴν Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Finis Expositionis Methodii Monachi in Apocalypsim Joannis Theologi.*" Quibos constat authorem hujus Commentarii, esse maxime incertum; cum nunc Andreæ Cæsareæ in Cappadocia Archiepiscopo, nunc Origeni authori antiquissimo, nunc Methodio Monacho, in MSS. Codicibus adscribatur, ad quem pertinere creditur.

„Denique Codex MS. Theologicus Græcus CCXLVIII. num. 24. & quidem à fol. 124. pag. 1. usque ad folium 173. pag. 2. idem continet absque nomine authoris, ut habet Lambecius Tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 141." Præter istud extabat olim in Patriarchio Constantinopolitano, vel etiamnum extat MS. *D. Andreæ Cæsareæ Cappadociæ Metropolitæ Explicatio in visiones Danielis Prophetæ*, ut habet Antonius Possevinus ad calcem Apparatus sacri, p. m. 45.

Extat quoque in Bibliotheca Bodlejana in MSS. Baroccianis Codice 212. num. 4. *Andreæ Cæsariensis Episcopi Commentarius in Apocalypsin* Græce fol. 108. *Πολλάκις αἰτηθεὶς ὑπὸ* &c. Itemque in Bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices Græcos Isaaci Vossii, ab ejus hæredibus emptos, Codice 26. n. 3. *Andreæ Cæsareæ Archiepiscopi Commentarius in Apocalypsim.*

Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia in *Diario Italico* anno 1702. Parisiis in 4to, apud Joannem Anisson impresso, cap. 15. splendide admodum loquitur de Bibliotheca Monachorum Sancti Basilii Romæ, quam Petrus Mennirius Ordinis Præfectus, ingenti Græcorum MSS. copia Codicum adornavit, quos in variis sibi subjectis Calabriæ Monasteriis, neglectos intactosque jacere audiverat. Hos inter libros pagina 216. enumerat hujus Operis duos Codices Græcos MSS. in hac Bibliotheca extantes, his verbis. „Codex bombycinus XIV seculi, *Ἀνδρέου τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας τῆς Καππαδοκείας, τῆς πρὸς τὸ Ἀργαίῳ, εἰς τὴν Ἀποκάλυψιν ἑρμηνεία.* Initium *Πολλάκις αἰτηθεὶς ὑπὸ* &c. Hoc est, *Andreæ sanctissimi Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, ad montem Argæum, interpretatio in Apocalypsim* &c. Opus excusum cum sanctissimi Joannis Chrysostomi operibus, & *Andreæ Cretensi* vulgo adjudicatur. Item pag. 221. de Codice altero & antiquiore, *Andreæ Cretensis in Apocalypsim* in Codice bombycino, ubi deletis iis quæ prius scripta fuerant, erantque XI seculi, hoc Andreæ opus descriptum fuit." Andreæ Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, idem opus superius adscribitur. Hæc Bernardus de Montfaucon loco citato.

Diffusius ista retuli, ut maximam partem Græcorum MSS. Codicum in Europæ Bibliothecis extantium, Andreæ Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopo faventem esse lector audiat; quorum unus tantum *Origenis*, duo *Methodii Monachi*, unus *Andreæ Cretensis*, quinque autem *Andreæ Cæsariensis Archiepiscopi* nomen præ se ferant. Majus autem adhuc argumentum ad Commentationem huic Andreæ attribuendam desumeretur, ex Commentario Arethæ Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopi in Apocalypsim, Græce & Latine Parisiis anno 1631. ad calcem Operum Oecumenii impresso, pag. 640. sub hoc lemmate: *Ἐξ τῶν Ἀνδρέᾳ τῷ μακαριωτάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Καισαρείας Καππαδοκίας εἰς τὴν Ἀποκάλυψιν πεπονημένων θεοφέρως σύνοψις σχολικὴ παρατεθεῖσα ὑπὸ Ἀρέθα ἀναξίου Ἐπισκόπου τῆς Καισαρείας Καππαδοκίας. Brevis quædam Explicatio ex Commentariis beatissimi Andreæ Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi divinitus elaboratis, exposita ab Aretha indigno Cæsareæ Cappadociæ Episcopo.* Cum autem hic Scriptor vix ante seculi IX medium scripsisse hunc Commentarium credatur, Arethas Ecclesiæ ejusdem Archiepiscopus & Andreæ Successor, qui anno 914. certo præfuisse legitur, testis idoneus & omni exceptione major est, ad Commentationem hanc Andreæ prædecessori asserendam, cujus ab ætate annis 60. vel circiter, recentior fuisse habetur.

Jam ad editiones hujus Operis, quæ omnes sub Andreæ Cæsareæ Cappadocum Archiepisco-

ſcopi nomine extant, veniamus. Primam omnium ex MSS. Codicibus Bavarico & Auguſtano, edidit Latine tantum Theodorus Peltanus Soc. Jeſu, anno 1584. Ingolſtadii in 4to. Alteram Græce & Latine cum MSS. Codicibus collatam, notisque illuſtratam Fridericus Silburgius Heidelbergæ anno 1596. in folio, quæ cum Operibus Sancti Joannis Chryſoſtomi Græco-latinis editionis Commelinæ adjungi ſolet, atque etiam habetur Tomo VIII. Morellianæ editionis Græco-latinæ Pariſienſis in folio. Editio autem Peltani latina tranſiit in *Bibliothecam Veterum Patrum* omnium fere editionum, anni 1589. Pariſiis Tomo I. col. 1262. 1609. Pariſiis Tomo I. col. 1049. 1624. Pariſiis Tomo I. col. 1529. 1654. Pariſiis in Magna Bibliotheca Veterum Patrum Tomo I. col. 1529. usque ad col. 1622. Sic autem in Præfatione Latinæ ſuæ verſionis anno 1584. Ingolſtadii in 4. editæ Theodorus Peltanus.

„Quis Commentarii hujus auctor extiterit, „Candide Lector, ſatis opinor ex titulo toti „operi præfixo aperte conſtat. Quo tempore autem vixerit aut Cæſareenſi Eccleſiæ „præfuerit, id certo nondum comperi. Baſilio Magno ejusdem ſedis Antiſtite poſteriorem fuiſſe, extra controverſiam eſt, ut qui „non ſemel in hoc Commentario nominetur. „Cæterum ad libri hujus interpretationem, „præter utilitatem quam inde in Eccleſiam „redire poſſe ſperabam, duo præcipue me impulerunt; Operis brevitas ſeu verius ejus„dem mediocritas, & Codicum Græcorum „præterea non levis commoditas. Nam præter præſidia quæ ad eam rem ſuppeditavit „ampliſſima illa Principis Bavariæ Bibliotheca, „ſingulari favore & benevolentia nobilis & Se„natorii ordinis viri, Domini Quirini Rellinge„ri: aliud pervetuſtum exemplar ex Reipu„blicæ Auguſtanæ Bibliotheca impetravi, quod „ſane plurimum mihi contulit. Quamvis „enim quæ Ducalis Biblintheca ſuppeditave„rat, ad id quod inſtitueram, ſatis eſſe potue„rint: Auguſtanus tamen codex, multis locis „perquam opportunus mihi fuit. Habebat „autem is, non Andreæ Cæſarienſis, ſed *Metho„dii* titulum. Verum id minus recte, ſiqui„dem Commentarii hujus architectus, cum in „ipſa Præfatione, tum alibi perſæpe *Methodium* „nominat. Nihilominus tamen qui Græco„rum librorum indicem confecit, culpa omni„no caret. Nam cum primæ pagellæ deſide„rarentur, nulliusque certi auctoris nomen, „illud volumen præfixum haberet: probabili „ductus ratione, *Methodio* quem in Johannis „Apocalypſim ſcripſiſſe audierat, Opus illud at„tribuit.

Hæc Peltanus primus hujus Operis editor, qui in multis peccat, cujus errores duos Jeſuita dignos animadverti. *Primum*, dum ait hunc authorem *Baſilio Magno ejusdem ſedis Antiſtite poſteriorem fuiſſe, extra controverſiam eſt, ut qui non ſemel in hoc Commentario nominetur.* Hoc enim verum non eſt, & quomodo ab hoc Theodoro Peltano dici potuerit, non video: quippe cum nullam prorſus Baſilii Cæſareenſis Archiepiſcopi vel alterius ejusdem nominis, mentionem vel citationem faciat, ut mihi accurate legenti conſtitit. Imo ſi conjecturis indulgendum eſſet, cum tam multorum ſcriptorum antiquorum frequentem mentionem faciat, altumque de Baſilio Cæſareenſi ſilentium obſervet: inde argumento contrario nec improbabili conjicere liceret, authorem illius fuiſſe Andream iſtum Cæſarienſem Archiepiſcopum, qui dubio procul, locum aliquem Baſilio Magno ejusdem ſedis Antiſtiti cum aliis Scriptoribus dediſſet, unde ſuum Commentarium hauſit, nec ab eo citando & allegando prorſus temperaſſet. *Secundus* error eſt, dum cap. 63. poſt allegatum Irenæum, citat Methodium Patriarcham Conſtantinopolitanum his verbis: *Et magnus Patriarcha Methodius in ſermone de Reſurrectione de his ita ſcribit &c.* Hac enim citatione haberemus aperte, ſcriptorem hunc non eſſe antiquiorem ultimis ſeculi IX. temporibus. Nam licet ad Methodium Olympi Epiſcopum ſpectet liber *de Reſurrectione* quem profert, cum tamen illum indoctus & incautus iſte Scriptor ſub nomine *Magni Patriarchæ Methodii* proferat: diſerte hac hallucinatione ætatem ſuam prodit, ſeque vixiſſe poſt tempora *Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani*, quem cum Methodio Olympi Lyciæ ſeu Patarenſi Epiſcopo confudit. Methodius autem Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 842. factus à Michaele III. Porphyrogenito, anno 847 die 14. Junii obiit, ut habent Acta Joannis Anachoretæ apud Simeonem Metaphraſtem. Floruiſſet ergo juxta hanc Peltani verſionem, hic Andreas Cæſarenſis Archiepiſcopus ſive Anonymus, poſt medium ſeculi noni, annis circiter L. Methodio Patriarcha citato junior. Ita certe juxta Latinam hujus loci verſionem in *Bibliotheca Veterum Patrum* editionis 1589. Pariſiis Tomo I. col. 1262. Capite 63. col. 1360. & in aliis editionibus omnibus, usque ad Maximam Lugdunenſem anni 1672. Sed Græca editio hujus Operis inter Opera D. Chryſoſtomi ſic habet, ὁ δὲ μέγας Μεθόδιος ἐν τῷ περὶ ἀναστάσεως λόγῳ αὐτῷ ἐξέθετο οὕτως: editionis Commelinæ anni 1596. Heidelbergæ in fol. ſerm. 22. ſectione 63. pag. 96.

Jam ad ætatem qua vixiſſe & ſcripſiſſe hic author creditur, accedamus. Joannes Jacobus Friſius in *Bibliotheca Univerſali* Andream Cæſareæ Epiſcopum anno 579. & Aretham ejusdem ſedis Antiſtitem anno 587. aſſignat: quem ſecutus eſt Chriſtophorus Helvicus in *Theatro Hiſtorico* pag. 106. editionis Marpurgi Cattorum 1638. in folio. Ita ut ambos ſibi Synchronos conſtituat. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ ſeu de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Andream anno 500. pag. 379.

Aretam anno 540. alligat, Bellarminum hac in parte cæcutientem amplexus. Jacobus Perizonius in erudita Dissertatione adversus Gronovium Collegam *de morte Judæ & voce τῦ ἀπάγχεσθαι* cap. 4. pag. 40. de his duobus ita loquitur. „At Aretas iste contraxit Andreæ Cæsareensis Commentarios in epitomen, atque ideo locutiones si non plane omnes, ut pleræque sunt illius Andreæ, qui seculo IV. successit Basilio Magno in Cæsareensem Cappadociæ Episcopatum. Sed & Aretas ipse refertur ad seculum VI, atque ita longe antiquior est Jurisconsultis qui Basilica confecerunt, & quorum tamen auctoritate ad probandam verbi ἀπάγχεσθαι significationem, utitur vir Clarissimus Henricus Stephanus pag. 68." Hæc incaute vir doctus scripsit, cujus verbis paucis tres errores insunt. *Primus* dum Andream Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopum seculo IV. assignat, qui medio seculi IX. anterior non est. *Secundus* dum Andream eundem successisse inquit Basilio Magno Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopo, qui anno 369. Episcopus factus, anno 378. sub Gratiano & Valentiniano mortuus est Kalendis Januarii, juxta Baronium in *Annalibus Ecclesiasticis*. *Tertius* dum Arethам seculo VI. refert, quem postea seculo X. ad annum 914. & 920. claruisse probabimus.

Jam igitur ut ætatis epocham aggrediamur, post attentam Commentarii hujus, ut aliquid ab eo expiscaremur, iteratamque lectionem: dico hunc Andream Cæsareensem Archiepiscopum, hujus Expositionis collectorem, sub seculi tantum IX. medium scripsisse, atque adeo & Bellarminum & exscriptorem ejus Cavum, annis errasse CCCL. vel circiter, in ætate istius assignanda, longe turpius quam ego in ætate Simeonis Metaphrastis assignata. His argumentis ductus ita sentio. 1. Author hujus Commentarii in Apocalypsim, ex aliis transscribit atque transscribere se profitetur, quod seculis Ecclesiæ quinque & sex primis inauditum fuit, seculique noni proprium, ut eruditi omnes norunt. Ergo hic author spectat tantum ad seculum Ecclesiæ IX. Id probamus ex ipsis hujus Commentarii verbis, ut profitetur expresse author in Prologo. „*Constat namque beatos illos viros patresque nostros, Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum, multoque hisce vetustiores Papiam, Irenæum, Methodium & Hippolytum, divinum fideque dignum esse &c. è quorum monumentis occasione accepta, nos ad hoc consilium venimus: sicuti multas quoque sententias ex eorundem scriptis mutuavimus, ubique nostris Commentariis inseruimus.* Et cap. 1. *Atque hac hactenus, quatenus constat nostram Expositionem, sanctorum Patrum vocibus atque sententiis neutiquam adversari.* Cap. 17. *Qui vero receptiorem Doctorum Ecclesiæ sententiam sectati, hæc tanquam futurorum prædictionem accipere malunt &c.* Cap. 23. *Cæterum per Montem magnum Diabolum designatum arbitramur, id quod quibusdam quoque Doctoribus visum est."* Capite 30. *Per hos testes, plerique Doctorum acceperunt Enoch & Eliam, qui sub seculi finem accepturi sunt à Deo &c."* Qui ergo sic loquitur, non seculi V sed IX utplurimum omnibus emunctæ naris videbitur. Præterea perpetuus est in citatione & appellatione Veterum. Cap. 1 citat Epiphanium, & eodem capite Gregorium Theologum semel & iterum. Capitibus item 2 & 3 & 9 eundem, quasi in Apocalypsim Commentarium scripserit. Capite 3 Epiphanium & Irenæum. cap. 13 Methodium. cap. 16 Eusebium Cæsariensem lib. 9 *Historia Ecclesiastica* cap. 8. Cap. 18 Irenæum. Cap. 33 Methodium, cap. 34 S. Antonium in *Vitis Patrum*. Cap. 36 Methodium & Hippolytum. Cap. 38 Hippolytum. Cap. 44 in fine Dionysium Areopagitam. Cap. 47 Vitas Patrum, quoad Historiam de Angelis Custodibus. Cap. 49 ambigere videtur, an pœna Dæmonum ac damnatorum æterna futura sit, licet nihil definiat. Cap. 53 Hippolytum & Irenæum. Cap. 63 Irenæum & Magnum Methodium. Capite 66. Epiphanium. Qui igitur hos omnes Patres ut fidei suæ regulam profert; ab illorum temporibus, se multis annorum centuriis esse remotum indicat, ac proinde hominem esse Græciæ mediæ vel inferioris. 2. attribuit hic author *Commentarium in Apocalypsim* S. Gregorio Nazianzeno, idque non uno in loco, Capitibus nimirum 1. 2. 3 & 9. Cum ergo hujus Commentarii nullus Veterum meminerit, non Hieronymus ipsius Gregorii Nazianzeni discipulus, qui ejus Opera exacte recenset in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 127. Non Suidas, qui ea exactissime prosecutus est in Lexico, verbo Γρηγόριος: non Photius in *Bibliotheca*. Inde conjicimus authorem hunc esse recentioris Græciæ, scribentem post *Commentarium in Apocalypsim* S. Gregorio Nazianzeno suppositum: qui mos Græcorum recentiorum fuit. 3. Allegat hic idem author Cap. 44 Dionysium Areopagitam his verbis: *Quod Angeli phialas ira divina plenas, ex quatuor animalibus, quorum apud Prophetam Ezechielem quoque fit mentio, accipiant: hoc secundum Magnum Dionysium significat agibilium notitiam à primis, ordine quodam ad alios & alios dimanare &c.* Vbi supponit Opera divi Dionysii Areopagitæ, quem *Magnum Dionysium* vocat, omnibus esse nota. Atqui nihil unquam auditum de Operibus istis, ante Collationem quandam Constantinopolitanam anno 533. inter Catholicos & Severianos, allegantibus hæreticis, Catholicis rejicientibus. Author ergo qui hoc scribit, nec floruisse seculo V nec ad illud spectare potest, quo ignota omnino erant Opera S. Dionysii Areopagitæ, quæ tunc à Severianis conficta fuisse, à Catholicis credebantur. 4. Hæc scribendi ratio ex laciniis Veterum Patrum simul junctis seculo IX

IX primum incœpit, in eo invaluit, & usque ad sæculi hujus finem continuavit. Juxta enim Trithemium, Walafridus Strabus anno 830. *Glossam ordinariam* in Scripturam Sacram ex fragmentis sanctorum Patrum, totam collectam scripsit, à seipso nihil proferens, qui Abbas Fiddensis anno 842 factus, anno 849 mortuus scribitur. Jonas quoque Episcopus Aurelianensis anno 821 factus, circa annum 830 Libros tres *de institutione Laicorum* composuit, ex sententiis veterum patrum integre collectos, quos ex MSS. Codicibus Lucas Acherius Parisiis anno 1665 in 4. Tomo I. *Spicilegii* edendos fategit. Post annum 850 Photius ille Magnus, adhuc Laicus existens & officiis Imperii publicis ab Imperatore occupatus, *Μυριόβιβλον* seu *Bibliothecam* ex scriptis CCLXXX veterum Opusculis collegit, in qua omnia fere verbotenus ex aliis accepta, si censuras paucas præmissas operibus, quæ simul comportavit, excipias. Circa annum 870 Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, scripsit *Historiam Ecclesiasticam* seu *Chronographiam Tripartitam*, ex Georgii Syncelli, Theophanis Confessoris & Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Chronicis, ab ipso è Græca lingua in Latinam translatis, maximam partem desumptam: quod ipse in Præfatione, ingenue fateri non erubescit. Jure igitur merito cum Andreas Cæsarex Cappadocum Archiepiscopus, eodem methodo Commentarium suum in Apocalypsim scripserit, anno 840 vel circiter assignandus videtur. Hæc ad confutationem Guilielmi Cavi diffusius a nobis scripta sunt.

Alia quoque Commentaria Andreæ attribuuntur a Cavo ad annum D quo eum assignat, Tomo 2 seu Parte 2 *Historiæ litterariæ* præter *Commentarium in Apocalypsim* præfatum; nempe *Therapeuticam spiritualem* scripsisse asserit, ex cujus libro secundo fragmenta quædam habentur, in *Eclogis Asceticis Joannis Patriarchæ Antiocheni* folio 38 pag. 2. ab his verbis: πῶς αἱ ψυχαὶ μετὰ τὴν ἐκδημίαν τοῦ σώματος ἀπέχονται de quibus vide Lambecium Libro V Commentariorum Codice MSS. Theologico Græco CCLI. num. 1 pag. 105. Atque eædem illæ habentur in *Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum Latinorum atque Gallicorum*, seu *Specimine Antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, & edita à Philippo Labbeo Soc. Jesu, Parisiis anno 1653 in 4. apud Joannem Henault. Illic parte 2 pag. 82. *Andreæ Archiepiscopi Cæsareæ quæstiones ex libro Therapeuticon, quo abeant animæ post mortem corporis*; in Regio Codice MS. Græco 930, quem oscitanter *Andreæ Cretensium Archiepiscopo* assignasse me recordor.

At Petrus Lambecius Libro 3 Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 40 Commentaria duo alia ipsi attribuit Codice MS. Theologico Græco XXVI his verbis. „Vigesimus sextus Codex Manuscriptus Theologicus Græcus est chartaceus antiquus in folio, constatque foliis 329 & ab Augerio Busbechio, ut ipse solita propriæ manus subscriptione testatur, Constantinopoli olim comparatus fuit. Continentur eo *Primò* & quidem à fol. 1 usque ad fol. 71 *Proverbia Salomonis* cum amplissima Catena sive Commentario ex variorum Sanctorum Patrum, aliorumque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collecto, cujus principium: Αἱ παροιμίαι περιέχουσιν παιδεύσιν ἠθῶν καὶ παθῶν ἐπανόρθωσιν &c. *Secundò* & quidem à fol. 72 usque ad fol. 329 *Esaias Propheta* cum amplissima *Catena* sive Commentario ex variorum Sanctorum Patrum, aliorumque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collecto, cujus principium: Τοῦ ἁγιωτάτου Κυρίλλου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας εἰς τὸν Ἡσαΐαν προοίμιον. Ἀσυμφανὴς μὲν τῶν ἁγίων Προφητῶν λόγος &c.

Collector utriusque hujus Catenæ, nempe tam in *Proverbia Salomonis*, quam in *Esaiam*, fuit quidam *Andreas Presbyter*, uti videre est folio 329 sive ultimo: quippe ubi scriba qui totum hunc Codicem suâ manu exaravit, lectores rogat orare Deum, ut in tremendo ultimi judicii die misereatur non solum sui, verum etiam Ἀνδρέου ἐλέει Θεοῦ Πρεσβυτέρου, τοῦ συναγαγόντος καὶ παραθεμένου τὰς ἐμφερομένας τῇ βίβλῳ ταύτῃ παραγραφάς. Tempus autem quo idem Codex exaratus est, indicatur folii 73 paginâ secundâ, per fragmentum *Canonis Paschalis* ab anno Mundi secundum communem Ecclesiæ Constantinopolitanæ supputationem 6744, hoc est anno æræ Christianæ 1236, usque ad annum Mundi 6749, sive annum Christi 1241. "

De hoc *Commentario* & illius authore agunt in *Apparatu sacro* Antonius Possevinus Tomo 1. verbo *Andreas Cæsarea in Cappadocia Episcopus*. Et ad calcem *Apparatus sacri* in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Bavaricæ Cod. 43 ubi *Andrea* nomine inscribitur. Et in Catalogo Augustanæ bibliothecæ Codice 72 ubi sub *Methodii Monachi* nomine, juxta ipsum Peltanum editorem, legitur. Bellarminus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 500, cujus sententiam secutus est Cavus ad eundem annum pag. 379.

ANTIPATER BOSTRENSIS IN ARABIA EPISCOPUS, JUNIOR dictus, ut 840.
ab altero Seniore distinguatur, qui juxta Guilelmum Cavum circa annum 460 floruisse creditur, saltem ante Synodum Nicænam II quæ anno 787 facta est. Scripsit enim Ἀντίρρησιν seu *Confutationem Apologiæ Eusebii Cæsariensis pro Origene*, cujus fragmenta quædam ex libro primo operis istius, Patres Concilii Nicæni II protulerunt *Actione 5*. Tomo VII *Conciliorum* col. 368. Verum in MSS. Codicibus extant alia

alia plura Encomia Antipatri Bostrorum Episcopi de diversis argumentis, quorum titulis & inscriptionibus si fidem habeamus, non omnino anno 460, vel ante Synodum Nicænam II extiterit, sed longe post ipsam, vixque ante annum 840 vel seculi noni medium. Extant ergo hujus Antipatri Junioris inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 199 Barocciano, qui Collectaneum Homiliarum plurimarum est, pag. 254 *Antipater Bostrensis in Nativitatem Joannis Baptistæ*, ἐν γεννητοῖς γυναικῶν &c. Et ibidem Codice 2500, qui pariter Homiliarium Veterum Patrum est, in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, Cantuariensis olim Archiepiscopi & Oxoniensis Academiæ Cancellarii, litera F II Codice 5. pag. 175. b. *Antipatri Bostrensis Episcopi in Theophaniam*, seu Baptismum Christi. Idemque opusculum inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum ejusdem Regni celebrium Bibliothecarum, Codice 5871 in MSS. Græcis Thomæ Galei Codice 39. Verum ibidem Codice 5865 in ejusdem Galei MSS. Græcis. Codice 31 num. 4. longe plurima sub ejusdem nomine extant nimirum

Antipatri Bostrensis Encomium Sancti Athanasii.

Ejusdem Orationes adhortatoriæ, quarum prima est de publicano & Pharisæo.

Ejusdem Homilia in Dominica filii Prodigi.

Ejusdem Homilia in Dominica Septuagesimæ.

Ejusdem Homilia in Dominica Quinquagesimæ.

Ejusdem Homilia in Præsentationem Beatæ Virginis in templo.

Ejusdem Laudatio beatæ Virginis, quando præsentabatur in templo.

Ejusdem Homilia in Adsumptionem Beatæ Virginis.

Ejusdem Homilia in Præsentatione Beatæ Virginis in Templo.

Ejusdem Homilia de Paralytico.

Ejusdem Homilia de Cruce.

Ejusdem Homilia de Dæmoniaco.

Ejusdem Homilia de prædictione Dominicæ passionis.

Ejusdem Encomium Sancti Joannis Evangelistæ.

Ejusdem Encomium SS. Cosmæ & Damiani, Medicorum sine mercede.

Ejusdem Homilia in introitum Beatæ Virginis.

Ejusdem Homilia in Christi Nativitatem. Hæc omnia descripta ex Codice antiquissimo in Insula Chio.

Ejusdem Homilia de Joanne Theologo.

Ejusdem Encomium Sancti Lucæ Evangelistæ.

Verum quisquis attente oculos mentis, ad celebritates Festorum beatæ Virginis, de quibus homilias habet, adjecerit: dubio procul, vel esse hæc omnia huic Antipatro à Græcis recentioribus supposita concludet: vel homilias istas pertinere ad Antipatrum aliquem recentiorem, qui circa seculi noni medium floruerit. Nam Festivitates beatæ Virginis & Sanctorum, Synodo Nicæna II. quæ anno 787 celebrata est, posteriores sunt. Circa autem seculi noni medium, frequentes fuerunt ejusmodi homiliæ de Beata Virgine, ut constat ex plurimis, quas Georgius Nicomediæ Archiepiscopus habuit: sed ante istud tempus, vel rariores, vel suspectæ admodum fidei, atque à Græcis recentioribus sub veterum nominibus inscriptæ vel confictæ, ut Sanctorum cultui ac Solemnitatum institutioni antiquitatem majorem adderent, mentiri ad utilitatem Ecclesiæ non verentes. Hæc igitur Homiliarum Collectio posterior est tragœdiâ seu Controversia *de cultu Imaginum & Sanctorum*, quæ inter Orientales Christianos sub Imperatoribus tum Iconoclastis tum Iconodulis, sibi invicem in Imperio succedentibus mota, ab imperio Leonis Isauri anno 716 incœpit, atque ad imperium Theophili & annum 842 perduravit. Hujus ætatis sunt tot homiliæ *in Præsentationem beatæ Virginis in templo*, & homilia *in Adsumptionem beatæ Virginis*. Cultus enim Sanctorum, ac Beatæ Virginis, invocatio illorum, institutio festorum in eorum memoriam & cultum, Nicæna II. Synodo plane recentiores sunt: nec obtinuerunt in Ecclesia Græca, nisi postquam Iconoclastis Imperatoribus mortuis, Iconoduli partes adversos subegissent. Meminit Antipatri Senioris Bostrorum Episcopi, Gulielmus Cavus in *Historia rei litteraria* ad annum 460 pag. 359. Junioris Leo Allatius in Diatriba *de Simeonum Scriptis* p. 89.

THEOPHANES GRAPTUS, NICÆNUS ARCHIEPISCOPUS, vix claruit ante annum 840 & sequentes, sub Imperaturibus Orientis Theophilo & Michaele Porphyrogenito cum Theodora matre, Imaginum cultrice eximia. Guilielmus Cavus in Historia litteraria, illum longe antea floruisse ab anno nempe 818 cum fratre suo Theodoro Grapto falso asserit, atque utrumque multa passos esse ob cultum imaginum, sub Leone Armeno, Michaele Balbo atque Theophilo Iconomachis Imperatoribus. Hoc collegit ex *Legenda* Græci cujusdam anonymi quam de Theodoro Grapto Theophanis fratre conscripsit, ac Græce & Latine Combefisius edendam curavit in *Originibus Constantinopolitanis* pag. 191 & Latine apud Surium editam die 26. Decembris. Ex fide igitur hujus Anonymi incertæ ætatis & fidei, hæc Cavus habet ad annum 818. *Theophanes Theodori Grapti frater germanus, ejusdem instituti, dogmatis, laborum & certaminum, ne uno quidem excepto scimus, claruit anno 818. Multis demum post fratris obitum annis, ærumnarum suarum fructum tulit, Metropolita Nicænus circa*

840

A.

A. 845. factus. Extat ab eo scriptus Canon seu Hymnus IX odis constans, in Theodorum fratrem, in Menæo Græcorum, Decembris XXVII, & exinde addita versione Latina apud Combefisium Originum Constantinopolitanarum pag. 224. Hæc Cavus ex hoc Anonymo, qui sub omnibus Imperatoribus Iconomachis, hos fratres ambos *Theodorum & Theophanem Graptos* in arenam ob cultum imaginum producit. Longe autem istâ incertæ ætatis Legendâ, digniores fide sunt temporibus proximiores *Leo Grammaticus & Georgius Cedrenus*, qui Theophanem Graptum circa annum 840 & sequentes collocant, sub extremis Theophili annis, atque initio Michaelis imperii cum Theodora matre: atque utrumque fratrem *Theodorum & Theophanem Graptos* nullum quam cum Theophilo pro cultu imaginum certamen habuisse scribunt. Audiamus Leonem Grammaticum in *Chronographia* editionis Græco-latinæ Regiæ anno 1655 Parisiis in fol. pag. 455 b & 456 a.

„Theophilus autem cum didicisset Theo„phanem Poëtam & Theodorum ejus fratrem, „ipsius impietatem sugillare & arguere, mit„tens cum furore, eos ad se accersivit, dicens: „undenam estis? Dixerunt illi, unde? ex Pa„læstina. Scelestus autem, quam ob causam „patriâ vestrâ desertâ, in ditionem nostram „venientes, non obeditis imperio nostro? Il„lis nihil respondentibus, jussit eorum facies „dure percuti. Deinceps vero eisdem ad „mortem ferme nervis bubulis per corpus cæ„sis, cum furore & aspera voce dixit ad Præ„fectum, tolle istos in Prætorium & facies eo„rum inscribe, versibus hujusmodi appositis, „qui licet inelegantes sint, nulla sit tibi cura. „Hoc autem dixit, sciens eos litteris peritissi„mos, & exercitiis religiosis versatissimos. „Responderunt illi, scribe, scribe Imperator „quod placuerit, seu coram tremendo judice „illud idem lecturus. Præfectus viros in Præ„torium abductos, post dies duos corpore ex„tento, manibus & pedibus ligatis, acubus suf„fixit, & versibus in eorum frontibus inscri„ptis, in exilium misit. Et in exilio quidem „moritur Theodorus, & Sanctorum numero „adscribitur. Illustris vero Theophanes Poë„ta, ad Michaelis & Theodoræ tempora su„perfuit, pro fide Orthodoxa, id est Ortho„doxia instituenda plurimum contendens: qui „postmodum Metropolita Nicænus extitit, re„bus jam in meliorem statum & majorem pie„tatem compositis. « Idem quoque habet Georgius Cedrenus in *Compendio Historiarum* editionis Græco-latinæ Regiæ anno 1647 Tomo 2 pag. 520 & 539 b.

Attribuit ipsi Gulielmus Cavus *Canonem seu Hymnum* odis IX constantem, ut supra diximus anno 818, sed quem etiam inconstans attribuerat in *Theophane Confessore* anno 792 huic Chronographo verbis sequentibus. „Extat „ejusdem *Canon Epinicius in Dominicam primam Quadragesima Odis IX. constans*, in Græcorum« Triodio & apud Baronium in Annalibus Ec-« clesiasticis ad annum 842.« Cum itaque Leo Grammaticus & Georgius Cedrenus in *Chronologiis* suis Theophanem Graptum, diserte ad tempora Theophili & Michaelis ejus filii cum Theodora matre referant: cum Baronius *Canonem* illius anno 842 adscribat, nullam illi ætatem conventiorem ac certiorem designare potuimus: maxime, cum Canonem illum post Imagines restitutas anno 832 ab Michaele Imperatore & Theodorâ matre illius, scriptum fuisse juxta Baronium constet. Agunt de *Theophane Grapto, Nicæno Archi-Episcopo*, Gerardus Jo. Vossius L. II. de Histor. Græcis, cap. 24. p. 285. Guil. Cavus in Histor. rei lit. Sec. 9. ad annum 818. p. 519. quos hic correximus.

IGNATIUS METROPOLITA NICÆNUS, 840.
antea quidem Monachus, tum postea Diaconus & Scevophylax Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ S. Sophiæ, eadem tempestate claruit quo Theophanes Graptus, ante vel post ipsum (neque enim liquet) Nicænus quoque Archiepiscopus. Illius honorificam mentionem facit Suidas in Lexico verbo Ἰγνάτιος his vocibus. Ἰγνάτιος διάκονος καὶ σκευοφύ-« λαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως,« καὶ γεγονὼς μητροπολίτης Νικαίας, Γραμματικός,« ἔγραψε βίους Θαρασίε καὶ Νικηφόρε, τῶν ἁγίων« καὶ μακαρίων Πατριαρχῶν, ἐπιτυμβίους ἐλέγους,« ἐπιστολάς, Ἰάμβους εἰς Θωμᾶν τὸν ἀντάρτην, ἅ-« περ ὀνομάζουσι τὰ κατὰ Θωμᾶν, καὶ ἄλλα πολλά.« *Ignatius Diaconus & vasorum custos magnæ Eccle-« siæ Constantinopolitanæ, & Nicææ Metropolitanus,« Grammaticus, scripsit Vitas Tharasii & Nicephori« sanctorum & beatorum Patriarcharum, Epitumbios« quasi dicat sepulchrales Elegos, Epistolas, Jambos in« Thomam Antartem hoc est Adversarium, & alia« multa.«* Hujus Sctiptoris mentionem non ignobilem facit Gerardus Joannes Vossius lib. 4. *De Historicis Græcis* cap. 19. pag. 490. his verbis. Ignatius Diaconus & Custos vasorum Ecclesiæ« Constantinopolitanæ & Metropolitanus Ni-« cææ, floruit tempore Irenes & Nicephori« Logothetæ, atque ad posteritatis memoriam« consignavit Vitas Patriarcharum Tharasii &« Nicephori ut Suidas testatur, qui & alia ejus« laudat. Est autem is Tarasius qui præfuit« Concilio Nicæno secundo, Nicephorus vero« qui ei in Patriarchatu successit. Vide Cedre-« nũ, Vitam Tarasii ab Ignatio scriptam latine ha-« bes apud Surium Tom. I. ad 25. Februarii, sed ibi« Ignatius Monachus vocatur, qui Suidæ est qui-« dem Διάκονος καὶ σκευοφύλαξ καὶ γεγονὼς Μητροπο-« λίτης Νικαίας.« Quisquis attente has Vitas Ignatii legere voluerit quas de Tarasio & Nicephoro conscripsit, reperiet scriptas illas esse postquam obtinuisset in Oriente cultus Imaginum, restitutus à Michaele III anno 842 qui antea sublatus fuerat à Leone Armeno an. 814 atque a Theophilo Augusto an 830. Degebant

bant

bant quoque Constantinopoli Patriarchæ à cultu Imaginum alieni & Iconomachi, post Nicephorum an 814 in exsilium ob cultum Imaginum pulsum Theodorus Cassitera Iconomachus ad annum 835. Post hunc Joannes VII Iconomachus ad annum 842 quo S. Methodius successit, sub quo Imagines à Michaele III restitutæ ac triumphantes fuerunt. Methodius igitur an 842 à Michaele III Porphyrogenito factus CP. Patriarcha, habita mox Synodo, Imagines earumque cultum in Ecclesiam Græcam postliminio reduxit: atque ut animos plebis superstitiosæ arctius id genus commentis devinciret, Theodori Studitæ & Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani corpora Constantinopolim solemni pompâ transferenda curavit. Hujus rei occasione scripsit *Vitas Tarasii & Nicephori*, qui strenue pro cultu Imaginum in Ecclesia Constantinopolitana à Nicæna Synodo secunda, ante designatos Iconomachos laboraverant. Tunc temporis omnes qui pro cultu Imaginum vel exsilium vel mortem passi, velut *Martyres* seu *Confessores veræ fidei* habiti: & Acta illorum accurate inquisita, laudes conscriptæ tanquam *Beatorum & Martyrum*, ut de Ignatio nostro Suidas scribit: *ἔγραψε βίους Θαρασίου καὶ Νικηφόρου, τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατριαρχῶν*, *Scripsit Vitas Tharasii & Nicephori Sanctorum & beatorum Patriarcharum.* Floruit ergo hic Ignatius & has Vitas scripsit post annum 842 tempure Methodii P. CP. & Michaelis Porphyrogeniti, qui destructam Imaginum venerationem restituerunt. Vnde patet error Gerardi Johannis Vossii loco citato, dum vult Ignatium hunc floruisse tempore Irenes & Nicephori Logothetæ, circa annum 790. Tunc enim temporis vel nondum natus, vel juvenis valde erat, qui multo post mortem Tharasii tempore Opusculum utrumque aggressus videtur. *Vita S. Tarasii* extat Latine apud Surium & Bollandum ad diem 25 Februarii. *Vita S. Nicephori Patriarchæ* habetur Gr. Lat. apud Henschenium & Papebrochium, ad diem 13 Martii cum Notis, de quo ita Guillelmus Cavus ad annum 810 *Historia rei litterariæ* pag. 507. *Ignatius ante Grammaticus, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Scevophylax, Tarasii Patriarchæ discipulus, demum Nicænorum Metropolita, claruit anno 810, vixit saltem ad annum usque 828 quo Nicephoro Patriarchæ funebri oratione parentavit &c.* Absurdus plane est Cavus, dum illum Ignatium *Monachum* dictum, facit *Discipulum* Tarasii, ex eo quod Vitam ejus conscripserit. Constat enim ex Apologetico ipsius Tarasii, illum ex *Laico* atque ex secularibus Imperii occupationibus, evectum esse ad Constantinopolitanam sedem anno 784 cum forsitan natus nondum esset hic Ignatius, vel ætate saltem junior. Rectius ergo Carolus du Fresne du Cange in Indice Scriptorum quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 51 ad annum 850 alligat his verbis: *Ignatius Diaconus & Scevophylax S. Sophiæ CP. de Vita Sancti Nicephori Patriarchæ CP. editus à Bollando Martii XIII. Scripsit etiam Vitam Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani. Vixit anno 850.*

PASCHASIUS RADBERTUS gente Gallus, anno circiter 786 natus est, qui primum pietatis & doctrinæ tyrocinia posuit inter Monachos, qui majori Monialium Suessionensium cœnobio inserviebant. Factus adultus Monachum induit in Monasterio Corbeiæ Veteris sub Adelhardo Abbate, insignis meriti & sanguinis viro. Anno 844 præfecturam Cœnobii Corbeiensis obtinuit. Anno 846 Synodo Carisiaecensi adversus Goteschalcum interfuit, obiit anno 851 die XXVI Aprilis. Vir quidem non indoctus, sed ingenii sui viribus nimium fretus. *Primus author*, fatente ipso Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 266, *qui serio & copiose scripsit de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia:* cui plane succinit satis ingenue Jacobus Sirmondus de corpore & sanguine Domini cap. 1. *Genuinum*, inquit, *Ecclesiæ Catholicæ sensum ita primus explicuit, ut viam cæteris aperiat, qui de eodem argumento multa postea scripserunt.* Et ita quidem se rem habere, fidem faciunt ipsissima Paschasii verba, & loquendi modi, hactenus per omnia secula inauditi. *Omnia*, inquit, *quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo & in terra: & quia voluit, licet in figura panis & vini, hæc sic esse, omnino nihil aliud, quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda. Vnde ipsa veritas ad discipulos*, *Hæc*, inquit, *caro mea est, pro mundi vita: & ut mirabilius loquar, non alia plane, quam quæ nata de Maria est & passa in cruce & resurrexit è sepulchro. Hæc inquam ipsa est, & ideo Christi caro est, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur, & cum digne percipitur, vita utique in nobis æterna reparatur.* Ex quibus dilucide satis constat mens Paschasii, ut alia testimonia jam missa faciam. Hæc Gulielmus Cavus Tomo I. *Historiæ suæ litterariæ* ad annum 844 pag. 534, qui & illic sufficienter de Operibus illius agit, licet quorundam MSS. adhuc latentium notitiam nullam habuerit.

840.

Henricus Meibomius avus seu senior edidit Tomo I. *de Scriptoribus Germanicis*, Opusculum *de translatione Sancti Viti & institutione Novæ Corbeiæ*, à pag. 763 ad 769 ubi pag. 765 editionis 1688. Helmæstadii 3. Tomis in folio, loquitur de Adalhardo Corbeiæ Gallicæ Abbate, in Aula Caroli Magni authoritatis multæ, qui Corbeiæ Novæ seu Saxonicæ fundationem instantissime apud Imperatorem urgebat, atque Adelhardum alterum sibi cognominem in primum illius Abbatem designari postulabat, cui etiam adstipulabatur Walo seu Wala ejus frater, tunc in Saxonia existens, ut habetur ibidem pag. 767, qui postmodum illi Adelhardo suc-

successit in regimine Corbeiæ Veteris seu Gallicæ. Hæc anonymus Synchronus ille Scriptor, qui magna simplicitate & veritate fundationem hanc Corbeiæ Saxonicæ seu Novæ describit. Idem porro Henricus Meibomius agit de MSS. Codicibus quibusdam Corbeiæ Saxonicæ in *Vita Witichindi* primi Saxoniæ Historiographi, Tomo I. Scriptorum de rebus Germanicis, pag. 625. agens de Bibliotheca Corbeiæ Saxonicæ, his verbis.

„Imo Corbeia Saxonica rempublicam litterariam, digno beneficio affecit, conservans „insigni omnium prædicatione, quinque priores Annalium Cornelii Taciti libros, qua de re „hæc scribit Justus Lipsius ad librum secundum „Annalium Taciti. *Quinque hi priores libri inventi sunt Corbeia, quod monasterium ad Visurgim est, atque illum depromptum vere hinc thesaurum, quæstor quidam Pontificius, ad magnum* „*Leonem* (nempe X.) *detulit, donatus ab eo aureis* „*quingentis.*" Hæc ille candide & sincere.

In eadem autem Bibliotheca Corbeiæ Saxonicæ, inter Manuscriptos codices non bene multos, extat *Tractatus de fide, spe & charitate* prolixus, qui Alphabeta duo editionis implere possit, sub titulo & nomine *Paschasii Ratberti*, etiam Corbeiæ in Gallia Abbatis, dedicatus alicui Abbati, cujus nomen inspectori ex oblivione excidit, in membrana, codice inter folium & quartum, qui ex Scripturæ charactere seculum nonum referat, & qui archetypus seu autographus esse creditur. Ita teste Domino Johanne Wilhelmo Goebel Hanoverano, juvene erudito, qui Opus tenuit, cujus exemplar seu apographum dedisse Domino Godefrido Guilhelmo Leibnitzio, Ducis Hanoverani Consiliario Aulico, à seipso procuratum, mihi testatus est anno 1713. Kalendis Octobris in museo suo, Lugduni Batavorum, ubi Juri civili in Vniversitate hujus urbis diligenter operam dat. Qua de cognitione lætatus sum.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS ET DOCTRINA RATRAMNI CORBEIENSIS MONACHI.

PROLOGVS.

840. RATRAMNVS SIVE BERTRAMVS, ordinis divi Benedicti Monachus, Corbeiæ Veteris in Gallia, floruit ab anno 840 quo circiter tempore, vel paulo ante, ad scribendum se accinxit, sub Ludovico Pio & Carolo Calvo Galliarum Regibus, Paschasio Ratberto ejusdem Corbeiæ Abbati contemporaneus & æmulus, notus Prudentio Tricassinensi Episcopo, Hincmaro Remensi, Gotteschalco Orbacensi Monacho, Lupo Ferrariensi Abbati, & aliis: qui multa posteris ingenii sui monumenta reliquit. Nimirum *de Nativitate Christi* librum 1. tomo 1. *Spicilegii Dacheriani* pag. 218. *de duplici prædestinatione libros duos*, quos Gilbertus Mauguinus tom. 1. *Vindiciarum Prædestinationis & gratiæ* pag. 29. in lucem edidit. *Contra Græcorum errorum libros IV.* qui leguntur in allato jam *Spicilegio* Domini Lucæ Dacherii tom. 2. pag. 1. & sequentibus. *De corpore & sanguine Domini librum 1* anno 1532. Coloniæ Agrippinæ in Germania sub nomine Bertrami, tum sub ejusdem nomine Basileæ anno 1555 in folio apud Henricum Petri, inter Orthodoxographos pag. 130. Quem legitimum Corbeiensis nostri Ratramni fœtum esse, ex fide MSS. Codicum agnoscit Joannes Mabillon, in prologo ad tomum 2. Seculi IV *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, quem legito. Idem antea senserat Jacobus Vsserius Armachanus Archiepiscopus, quem eam ob rem immerito carpit *Libri Duodecim* Perpetuitatis jactatæ fidei circa veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia, author: libro integro duodecimo contendens, hunc librum esse hæreticum ac *Bertrami* hæreseos damnati. Idem opus Latine simul & Gallice versum, anno 1672. in Gallia, procurante Ministro Calvinianæ reformationis impressum in 4. Eodemque modo in 8. anno 1686 Parisiis apud Viduam Edmundi Martini cum textu Latino Gallice versum à Jacobo Boileau Majoris Ecclesiæ Senonensis Decano. Idem Ratramnus scripsit librum *de Anima*, quem ex MS. Codice sancti Eligii Noviomensis transcriptum, editioni paratum habet idem Joannes Mabillon. Idem opus MS. in Bibliotheca Sancti Benedicti Cantabrigiæ Codice 301 in Anglia. Plura de tanto viro, quem tamen ut novatorem accusat circa realem præsentiam Christi in Eucharistia, Ludovicus Cellot in *Historia Hæreseos Prædestinatianæ*. Alii omnes, qui ejus Opuscula ediderunt, ut Gilbertus Mauguinus in præludiis *Vindiciarum Prædestinationis & gratiæ*. Lucas Dacherius in præludiis ad tomos 1 & 2 *Spicilegii* sui. Joannes Mabillon in præfatione ad tomum 2 Seculi IV *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*. Natalis Alexander in *Selectis historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, seculo 9, parte 2. Dissertatione 13 quæ specialis est, pag. 597. Hæc quidem in editione prima hujus operis per compendium, sed pluribus in hoc argumento agere ac spatiari, haud erit forsitan Lectoribus incongruum.

CAPVT

CAPUT PRIMUM.

DE DISSIDIIS PASCHASII ET RATRAMNI, TUM DE LIBRIS DUOBUS *DE DUPLICI PRÆDESTINATIONE*, QUOS RATRAMNUS CONSCRIPSIT.

Fuerunt nonnulli, qui Ratramnum fuisse Paschasii Ratberti in scholis Corbeiensibus magistri discipulum opinati sint, tum & postea adversarium in omnibus atque æmulum. Alii e contra ambos ita amicos credunt, ut phantasticas tantum atque recenter inventas, amborum in sensibus & scriptis oppositiones scribant. Ita unicuique placet, abundare in suo sensu. An unquam autem discipulus Paschasii Ratramnus fuerit, nullo modo constat: suppares autem atque commensales in eodem Corbeiensi Cœnobio fuisse utrumque, certo certius est. Ac sane doctissimus Joannes Mabillon in insigni illo quod conscripsit *Sancti Paschasii Ratberti Corbeiensis Abbatis Elogio*, seculo IV *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* parte 2. pag. 112 & sequentibus, cap. 3 num. 8 & 9. insigniores quidem Paschasii Ratberti discipulos recenset, inter quos *Ratramnum* non omisisset, si scholas Corbeienses sub Paschasii magisterio frequentasset, vel ejus lectionibus discipulus assedisset. Imo ex scriptis utriusque constat, naturalem quandam intercessisse in ingeniis utriusque oppositionem, nec modicam forsan æmulationem, quæ etiam ad noxias usque partialitates erumpere putuit: quibus de rebus Annales silent.

„Paschasius anno 844 Corbeiensis Cœnobii Abbas factus juxta MS. Chronicon ejusdem Abbatiæ, haudquaquam longa tranquillitate potitus est. Variis enim in hoc munere pulsatus curis ac dissentionibus domesticis, intermittere studia coactus est. Qui ita hanc in rem loquitur initio tum Expositionis *in Psalmum 44.* tum libri quinti in Matthæum, ubi hæc legimus. *Expositum in Matthæo Carissimi, quod olim inchoaveram, ut eo in officio fratribus pensum servitutis meæ pro voto persolverem: multis demum suscepto regiminis loco præpeditus sollicitudinum curis, & causarum secularium variis implicatus negotiis: tantum à me longe abductus, quantum a studio litterarum remotus, non solum illud imperfectum reliqui, quod cœperam: verum etiam prætermisso quietis bono, meipsum pene plurimis curarum allisus impulsionibus, in naufragium dedi. Sed quia Deus nobis, ut ille Vates ait, sua providentia hæc otia fecit &c.* Ex quo loco intelligimus, Paschasium graves aliquas sustinuisse turbas, ut loco cedere coactus sit, Centulamque Abbatiam solvere. Quod apertius paulo post significat, dum ait suceptum se a Centulensibus in adversis rebus. *Quoniam ut in præsenti ex omnibus & in omnibus gratissima me dilectione in Christo suscipere dignati estis, & refovere sinu charitatis Deoque committere precibus: maxime eo in tempore juxta illud antiquum proverbium, quando Amicus & Medicus in necessitate probantur. Hinc est Carissimi, quod tanto studio causa visitationis ad vos, quam sæpe venire decrevi, desiderans vos videre, & corrigere in me, quod diu negligentius omisertum: qui me dilectionis affectu contra omnia adversa consolati estis in orationibus vestris.* Quæ fuerit hujusce tumultus caussa, accurate paucis investigandum est.

Principio huic malo originem forsan præbuerunt dissidia nonnulla, quæ Paschasium inter & Ratramnum intercesserunt, tum de partu beatæ Virginis, tum de rebus (ut plerique volunt) Eucharisticis, tum etiam de gemina prædestinatione: qua in re Gotescalco favebat Ratramnus, improbante Paschasio, ut superius vidimus num. 13. Fit enim, ut inter Litterarias hujusmodi lites, ubi partium studiis abrepti fervent, alii ab aliis secessionem faciant. Quod quidem contigit in Paschasii causa. Si quidem Ivo Monachus, de quo infra, & Chremes unus ex interlocutoribus à Paschasio in libro 1 *de Epitaphio Walæ* adhibitis, inter discrimina illa discessisse memoratur initio Libri secundi. An etiam Ratramnus discesserit, mihi non liquet. Certe in eodem loco adhuc residebat sub anni DCCCXLIX finem, quo ei Lupus Ferrariensis Abbas pro Hilmeradi Ambianensis Episcopi confirmatione Epistolam 79. direxit, *Carissimo suo Ratramno* inscriptam, in qua ei quædam Hildemaro electo suggerenda committit. Quod argumento est, ipsum in vicino Ambianis Monasterio, scilicet Corbeiensi tunc degisse, aut certe in Centulensi. Atque inde etiam putat, magni tunc nominis sub Abbate Paschasio fuisse Ratramnum apud Corbeienses & alios, quem ita honorat Epistolis Lupus Abbas. His etiam turbis materiam subministrare potuit, Caroli Principis retrusio in Corbeiense Monasterium. Anno quippe DCCCXLIX Carolus Pipini Aquitaniæ Regis filius, alterius Pipini frater, tonsus retrususque est, testante Fontanellensi Chronographo apud Duchesnium tomo 2. Quamvis Annales Fuldenses tonsionem Caroli retrusionemque ad annum DCCCLI referant, quo anno Paschasius Abbatiali dignitati cessit." Hæc verbotenus Joannes Mabillon, loco citato; quibus satis indicat intercessisse inter Paschasium & Ratramnum discordias, quæ amplius ex infra dicendis patebunt.

Nam Paschasius Ratbertus Corbeiensis Abbas, anno DCCCXLIX interfuit conventui Carisiacensi, adversus Gothescalcum convocatæ, nec dubium quin cum aliis condemnationi ejus sententiam dixerit. Quem fine dubio habebat in mente, cum Libro octavo in Matthæum dixit: *Quapropter scire certo debemus, quotiens aliquis perit, non ex prædestinatione Dei,*

Dei, ut quidam male senserunt, neque ex voluntate Patris perit, sed proprio suo peccato, justoque Dei judicio. Contrariam autem Paschasio Abbati sententiam ab Ratramno Monacho susceptam affectatamque, nullus omnino negabit, qui legerit libros duos quos *de gemina prædestinatione* in Gothescalci Monachi damnati atque incarcerati, gratiam & patrocinium, anno sequenti conscripsit. De illis Gilbertus Mauguinus Regi à consiliis & rei monetariæ Parisiensis Præses, in *Chronologica & Historica Dissertatione fabulæ Prædestinatianæ*, cap. 17. ad annum 850 quos hos Ratramni libros (& recte) compositos opinatur. *Hoc etiam anno Ratramnus Corbeiensis Monachus, non levis armaturæ in Ecclesia Christi miles, Regio mandato obtemperans, duos libros de Prædestinatione composuit:* quos ille primus in lucem edidit. Quam porro intimus esset amicus Gottescalco etiam incarcerato Ratramnus, abunde docet Epistola ipsius *Gottescalci ad Ratramnum Corbeiensem Monachum* & condiscipulum: quam primus eduxit Ludovicus Cellotius Parisinus, Soc. Jesu Presbyter, in *Historia Gottescalci Prædestinatiani* pag. 415. Ipseque passim Cellotius in hoc suo opere, plurimis locis. Quomodo autem Ratramnus sub adversante sibi Paschasio Abbate suo & contra ipsius mentem, in Gottescalci Monachi damnati atque incarcerati gratiam scripsisset, nisi ardens intrepidusque conclamati istius amicus extitisset?

CAPUT SECUNDUM.

RATRAMNUS CORBEIENSIS MONACHUS, SCRIBIT LIBRUM *DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.*

Ratramnus Lugo Abbati Ferrariensi Rotamnus, ab undecimo seculo quo Francica vocabula corrumpi cœperunt, Bertramus, Bertamnusque, Corbeiæ Gallicæ Monachus velut temporibus illis eruditus, & in Patrum lectione non mediocriter versatus, plurima scripsit Opuscula. An etiam librum *de corpore & sanguine Domini* compositus erit, qui sub nomine Bertrami anno 1532 Coloniæ Agrippinæ in Germania, & in Orthodoxographia Basileæ anno 1555 folio 1130 & sequentibus, in fol. apud Henricum Petri vulgatus extat, celebris nunc quæstio inter eruditos est. Ante annum hujus seculi 1657 vulgaris erat sententia, etiam inter Pontificios omnes, hunc librum esse verum Ratramni Monachi Corbeiensis fœtum. Persuasionem auxit Anonymus à Ludovico Cellotio evulgatus (is est Herigerus Abbas Laubiensis) qui librum eundem Ratramno tribuere videtur. Sed anno 1657 præfato Tomus 2 *Spicilegii Dacheriani* in publicum prodiit, in quo præter opus Ratramni adversus Græcos ibi editum, inserta est Epistola illustrissimi Petri de Marca Archiepiscopi tum Tolosani ad Lucam Dacherium Spicilegii editorem: qui cum intellexisset Ratramnum ob vulgatum de *Eucharistia* librum, nonnullis male traduci; quid de hoc Ratramni libro sentiret, eruditissimum Antistitem interrogaverat. Rescripsit ille ac Epistola contendit, non *Ratramnum*, ut recepta ferebat sententia, esse præfati libri authorem: sed *Johannem Scotum*, qui quoniam videbat se novitare sua incessere vetustatem, dissimulato proprio *Johannis Scoti* nomine, sub *Bertrami vel Ratramni* larva latere voluerat, assumpto isto nomine, quod Operi suo præfixerat. Multis tentiam suam Antistes stabilivit conjecturis & argumentis, quæ quivis in tomo 2 *Spicilegii* citati legere potest. In eandem postea cum Archiepiscopo Tolosano opinione de hujus libri authore venit, anonymus Canonicus Regularis Ordinis Divi Augustini, Abbatiæ Sanctæ Genovefæ Parisiensis, cujus Opusculum hoc de argumento consumptum tanti fecit Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus: ut ex eo *librum duodecimum* integrum compegerit, hujus voluminis quod *Perpetuitas fidei Catholicæ circa veritatem substantiæ corporis & sanguinis Domini in Sacramento Eucharistiæ* nuncupatum, in 4. anno 1669 Parisiis apud Carolum Savreux impressum est. Mirum est quantis in hoc argumento nervis incubuerint, quantam utriusque operis Johannis Scoti & Ratramni, ex Veterum testimoniis inter se collatis ostenderint: ut si non verum, omnimodam saltem verisimilitudinem attigisse censendi sint. De his plura Joannes Mabillon in præfatione ad tomum seu partem 2 seculi IV *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* paragr. 4 pag. 44 quem hic ut plurimum sequimur.

Mihi vero spectare librum illum ad Ratramnum Corbeiensem Monachum, post lectam ea de re Mabillonii lucubrationem, dubium jam nullum amplius superest. Imprimis hoc constat testimonio Sigeberti *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 95 *Bertramus* (sive Ratramnus) *scripsit librum de corpore & sanguine Domini: & ad Carolum librum de prædestinatione.* Idem Joannes Trithemius Abbas *de viris illustribus Ordinis Divi Benedicti* lib. 2 cap. 48 *Bertramus Monachus in divinis Scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus litteris nobiliter instructus, scripsit non parvipendenda lectionis Opuscula, quibus suum magnifice exercitavit ingenium: è quibus ego tantum reperi de corpore & sanguine Domini Lib. I. Ad Carolum de Prædestinatione Lib. I. Claruit anno Domini 770.* Præterea favent MSS. Codices. Anno enim 1657 Joannes Mabillon in Belgii partes profectus, Laubiensi lustrato Monasterio, ibi inter MSS. Codices bene paucos, qui restant, binos reperit: vetustissimum unum ab annis fane octingentis exaratum, in quo continebantur Opuscula duo, *primum* de Corpore & Sanguine Domini, *secundum* de prædestinatione; illud unico, hoc duo-

duobus libris constans. Cujus utriusque inscriptio & exordia ita se habent in Codice MS. *Incipit Liber RATRAMNI de Corpore & Sanguine Domini. Jussistis Gloriose Princeps &c.* post hunc librum, *Incipit Liber RATRAMNI de prædestinatione Dei. Domino Glorioso atque Præcellentissimo Regi Karolo RATRAMNUS* &c. ut in editis. In alio Codice legitur Indiculus Librorum *Armarii*, id est, *Bibliotheca Laubiensis*, cum hoc titulo: *Anno Dominica Incarnationis M XLIX fratres Lobienses secum recensentes Armarium, hanc sibi repererunt haberi summam Librorum*: & infra, *RATRAMNI de Corpore & Sanguine Domini Lib. I. Ejusdem de prædestinatione Dei ad eundem Libri 2.* Ex quo intelligitur, superiorem codicem, in quo hæc Ratramni Opuscula continentur, esse ipsummet qui in hoc Indiculo descriptus est anno MXLIX, ac proinde prædictum codicem ante illud tempus esse exaratum. Et certe scriptum esse sub seculi noni finem, facile suadet ipsa Scripturæ forma, quæ omnino *Ratramni* ætatem sapit: nec dubito quin is ipse sit Codex, quo usus est Herigerus ejus loci Abbas in fine seculi decimi. Alterum refert se vidisse Codicem MS. eorundem librorum, ante annos septingentos exaratum, in Monasterio Salemensi Ordinis Cisterciensis in Bavaria, quod anno Domini 1137 constructum est: in quo vulgatus Bertrami *de Eucharistia* liber, quem nonnulli Joanni Scotto tribuendum censuerunt, hanc inscriptionem præfert: *Incipit Liber Ratramni de perceptione corporis & sanguinis Domini ad Karolum Magnum*: id est Calvum, qui nonnunquam *Magnus* dictus est, ut alias demonstravi. Tum Liber incipit: *Jubes Gloriose Princeps, ut quid de sanguinis & corporis Christi Mysterio sentiam &c.* Et in fine: *Explicit liber primus Ratramni de corpore & sanguine Domini. Incipit secundus de Prædestinatione ad eundem. Domino Glorioso &c.* Hæc idem Mabillon. tom. 4. suorum *Analectorum*, tum pag. 80. in descriptione itineris Germanici, tum pag. 628 in ipsis *Analectis*. Denique vidi ego & tertium (nisi fallit memoria) inter MSS. Codices Abbatiæ Signiacensis ejusdem Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Remensi, annorum circiter 600. in Codice continente plurimos tractatus ad Eucharistiam spectantes, quales sunt, tractatus Herigeri Abbatis Laubiensis de eodem argumento, & aliorum. Item *dicta cujusdam sapientis de corpore & sanguine Domini &c.* quæ retulit idem Mabillonius ad calcem secundæ partis seculi IV *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* pag. 592 & seqq.

Jam superest investigandum, quo anno Ratramnus librum suum scripserit? quod accurate definire, censet difficile dictus Mabillonius. „Credit hoc esse factum eodem tempore, quo „Johannes Scotus suum edidit. Quippe veri-„simile est, Carolum Calvum, cum de Eucharistiæ sacramento exortæ essent disputationes, „proposuisse istud argumentum eodem tempore ambobus istis auctoribus tractandum.„ Atqui (inquit) Johannes suum vulgaverat ante annum 859 ut patebit ex iis quæ mox dicturus sum. Ita ille in prolegomenis ad secundam partem *seculi IV Benedictini* pag. 63. num. 128. tum num. 134. Tempus libri ab Johanne scripti colligimus, ex prælaudato Hincmari testimonio in libro *de prædestinatione*: qui Carolo Regi anno 859 directus est, ut disserte habet Hincmarus. Adeoque veri simile est, Johannis librum conditum fuisse paulo ante istud tempus. Hæc Joannes Mabillon.„ At ego sentio Opusculum istud Ratramni *de corpore & sanguine Domini*, conscriptum ab eo, eodem anno quo Opusculum *de gemina prædestinatione*. Favet huic sententiæ meæ, tum quod utrumque Opusculum ad eundem Carolum Calvum oblatum est, tum quod utrumque compositum, ad unius ejusdemque Regis instantiam, ut ex lectione constat. Unde recte uno, eodemque tempore vel saltem eodem anno, ab Ratramno conscripta sunt. Favent quoque MSS. Codd. allati, qui utrumque Opusculum simul compactum habent: denique favent & Nomenclatores Trithemius & Sigebertus, qui utrumque simul conjungunt. At Opusculum *de gemina prædestinatione* ab eo conscriptum anno 850 ferventibus contra Gottescalcum contentionibus, unde Opusculum *de corpore & sanguine Domini*, hoc anno 850 vel sequenti compositum est. Præterea cum temporibus istis intestino bello seu Monastico fatigaretur Paschasius, potuit hoc eodem anno Corbeiâ relictâ ob tumultus domesticos secessisse Centulam: cujus absentiæ occasione captâ, facile fuit, Ratramno scribere librum suum *de corpore & sanguine Domini*, quem Abbati suo gratum non fore, utpote ei in multis oppositum, sagax Monachus noverat. Annon istæ doctrinarum contentiones, occasionem dederint Paschasio abdicare Pastorale onus, nescimus: sed certum tamen, oneri cessisse ob tædium & tumultus fratrum, anno 851. seu sequenti. Quamvis sententia Joannis Mabillonii maxime etiam arrideat, juxta quam dicendum esset, Ratramnum scripsisse suum *de Eucharistia* Tractatum, postquam Abbas Paschasius Dignitati cessisset, quem sibi antea adversarium habuisset.

CAPUT TERTIUM.
DE DOCTRINA RATRAMNI IN LIBRO *DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.*

Non una fuit omnium Eruditorum sententia de doctrina Ratramni in libro *de corpore & sanguine Domini*: aliis ipsum inter hæreticos annumerantibus, excusantibus aliis, Catholicumque & fide Orthodoxum asserentibus.

bus. Prima igitur ſententia vult, librum hunc eſſe Orthodoxæ fidei conſonum, neque Ratramnum unquam intendiſſe impugnare, quod corpus & ſanguis Chriſti eſſent vere, ſubſtantive & realiter, in ſacramento Altaris poſt verba Benedictionis ab Sacerdote prolata: qua de re tunc temporis quæſtio non erat. Sed quæſiſſe tantum & diſputaſſe, an in hoc ſacramento poſt verba conſecrationis; *eſſet idem corpus & ſanguis Jeſu Chriſti viſibile & viſibiliter*, id eſt, *ſub iiſdem formis & figuris, ſub quibus ex alvo virginis Matris in hunc mundum prodierat, & in quibus quamdiu vixit, cum hominibus viſus & converſatus eſt.* Hoc volunt patere ex ipſis Ratramni verbis quibus quæſtionem movet: *An quod in Eccleſia ore fidelium ſumitur, corpus & ſanguis Chriſti in Myſterio fiat, an in veritate? id eſt, utrum aliquid ſecreti contineat, quod oculis fidei ſolummodo pateat: an ſine cujuſque velamine Myſterii, hoc adſpectus intueatur corporis exterius, quod mentis viſus inſpiciat interius, ut totum quod agitur, in manifeſtationis luce clareſcat?* Et hoc quidem ea occaſione quærit, quia dicebant aliqui: *quod nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis manifeſtatione peragitur.* Non impugnabat itaque juxta iſtos *veritatem & ſubſtantiam* corporis & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramento Altaris, ſed *Manifeſtationem & ſenſibilitatem* hujus corporis & ſanguinis, quam certe habuit corpus & ſanguis Chriſti, dum ex alvo virginis matris proceſſit, & quamdiu hic œconomiam ſalutis noſtræ per Incarnationem ſui operatus eſt. Hæc ſane ſi ita eſſent, id eſt, ſi eſſet idem omnino corpus in ſacramento Altaris, quod proceſſit ex Maria virgine, cum iiſdem formis, figuris ſub ſenſum cadentibus: absque dubio jam nullus daretur locus Calviniſtis dubitandi amplius de veritate hujus ſacramenti, vel diſputandi: Nullius Catholicis credendi locus, cum hoc corpus pateret omnium oculis, (quod hucusque non vidimus.) Sic autem argumentum proponit RATRAMNUS adverſus eos qui corpus Chriſti *nulla ſub figura, ſed nuda veritatis manifeſtatione* exhiberi dicebant, inquiens. *Si ſecundum quosdam, figurate nihil accipiatur, ſed totum in veritate*, id eſt vere, realiter ac manifeſte, *conſpiciatur: nihil hic fides operatur.* Cur ita? *Quia cum fides, ſecundum Apoſtolum, ſit argumentum rerum non apparentium, id eſt, non earum quæ videntur, ſed quæ non videntur ſubſtantiarum: Nihil hic ſecundum fidem accipiemus, quoniam quidquid exiſtit, ſecundum corporis ſenſus judicamus.*

Jam quod Ratramnus veritatem & ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento non impugnaverit, imo ſuppoſuerit & aſſeruerit: aſſerunt ipſi Centuriatores Magdeburgenſes ingenue, quibus hac in parte credere ſenſatus quivis debet, Centuria IX. Cap. *de Doctrina*, Col. 212. ibi ita ſcribunt: *Tranſubſtantiationis habet ſemina Bertramus, utitur enim vocabulis Commutationis & Converſionis.* & Cap. 6 *de Cerimoniis & ritibus Eccleſiæ*, Col. 243. inquiunt: *Bertramus Lib. de corpore & ſanguine Domini, oſtendit corpus Domini & ſanguinem ſuper altare ſeu menſam poni, & inde populo diſtribui &c.* 2. idem Claudius Eſpenſæus Doctor Pariſienſis Lib. 4 *de Euchariſtia* Cap. 19 ſub medium. *Et merito ſane, cum verus, ut ita loquar, ille Bertramus, totos annos ſeptingentos, nec à quoquam hæreſeos fuerit inſimulatus, vel reprehenſus quaſi male ſcripſerit: ſed in Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum relatus, ut vir non minus vita, quam doctrina, ingenio & eloquio inſignis.* 3. Claudius de Sanctis Epiſcopus Ebroicenſis *de Controverſiis Euchariſtiæ* Repetitione 2. cap. 14. *Verùm illum Bertramum totos annos ſeptingentos nemo hæreſeos reprehendit, quaſi male ſcripſerit: ſed refertur in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ut vir non minus vita, quam doctrina, ingenio & eloquio inſignis & Catholicus.* Denique idem ſentiunt Joannes Mabillon ſeculo IV *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* in præfatione ad partem ſecundam fol. 48 & ſeqq. ubi plurimis validisque argumentis Ratramnum in hoc opuſculo orthodoxum contendit, ad quæ Lectorem mittimus. Idem Natalis Alexander Ord. FF. prædicatorum in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſeculo 9 parte a Diſſertatione 13 quæ de hoc ipſo argumento eſt, quamque omnem verbotenus ex Joanne Mabillonio hauſit. Jacobus de Perron Cardinalis in *Opere* egregio *de Euchariſtia* Lib. 2 in diſcuſſione Scriptoris XXXIX. Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in Opere *de perpetua Eccleſiæ Catholicæ fide circa Euchariſtiam* tom. I Lib. 8 Cap. 12. Petrus de Marca Tholoſanus Archiepiſcopus, vir doctiſſimus, in Epiſtola quam anno 1657 ſcripſit Calcedis Januarii ad Lucam Dacherium S. Germani de Pratis Pariſienſibus Bibliothecarium, ab eodem Dacherio ante ſecundum *Spicilegii ſui* tomum, præfationis inſtar, præfixam. Merito itaque Aubertus Miræus in Scholiis ad cap. 95. Sigeberti *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ita loquitur. *Bertramus ſcripſit librum de corpore & ſanguine Domini excuſum Coloniæ 1532, Baſileæ in Micropresbytico & alibi, ſed damnatum à Tridentinis cenſoribus: in Molanus in Bibliotheca MS. Hæretici eum primi typis ediderunt, videnturque illa inſeruiſſe quæcunque vel obſcura, vel in ſpeciem pravæ ſonantia leguntur. Plurimis certe locis veram Chriſti præſentiam adſtruit, & tranſubſtantiationem docet, ut ne ipſe quidem interpolator id ſub finem diſſimulet, dicens multa non cohærere, & præcedentia ſequentibus contradicere. Hoc inter alios obſervavit Bartholomeus Petrus Lintrenſis Doctor Theologus.* Hic eſſet locus referendi plurimos hujus libri locos & textus, quibus volunt illi, adſertam eſſe ab Ratramno Corbeienſi Monacho, realitatem & præſentiam ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento. Sed iſta Nomenclatoris excedunt metas, ſpectant-

stantque ad controversiarum Scriptores, quales nos haud sumus. Quisquis illos legere optaverit, habet amplissime deductos apud Jacobum Perronium, Johannem Mabillonium, & Natalem Alexandrum, locis supra allatis.

Altera atque ex adverso opposita seotentia quorundam est, doctrinam Ratramni in hoc Opusculo esse sacramentariam & Calvinianam. In eam primum venerunt illi, qui librum hunc sub Bertrami nomine editum, conjecerunt in Indicem Librorum prohibitorum jussu Clementis VIII Summi Pontificis editum. Nec enim inter libros hæreticos vel suspectam doctrinam continentes conjectus fuisset, nisi tunc pessime audivisset. 2. Quicunque illi opinati sunt ac scripserunt, opus istud esse unum atque idem cum libro Joannis Scoti: haud recte de doctrina illius judicarunt. Certum est enim quod isti opinabantur sententiam Ratramni in opere *de corpore & sanguine Domini* sacramentariam fuisse: Nam damnatus est liber Johannis Scotti in Concilio Parisiensi anno ML teste Durando Abbate Troarnensi in Libro *de corpore & sanguine Domini*, parte 9. Imo hunc Joannis Scotti librum in Synodo Romana sub Nicolao II anno MLIX Berengarius comburere coactus est, decreto summi Pontificis & Patrum, ut Guitmundus & Lanfrancus testantur. 3. Ludovicus Cellot Parisinus Soc. Jesu in *Historia hæreseos seu Gottescalci Prædestinatiani* anno 1655 in fol. Parisiis apud Sebastianum Cramoisi editâ, hoc Opus Ratramni passim cum authore Sacramentarium & Novatorum antesignanum appellat, zelo sane præpostero, quem moderari quam incitare æquius fuisset. Denique Calvinistæ opus istud velut doctrinæ suæ consentaneum, anno 1672 in Gallia, Latine & Gallice versum duabus colomnis ediderunt, ad Clieotum in fide sua confirmationem. Legi sane semel atque iterum illud, tam ex editione hæreseologiæ Basileensis, quam ex recentissima Parisiensi: atque ut ingenue fatear, quamvis plures loci sint, qui favere videantur sententiæ Romanæ *de realitate corporis Christi in Eucharistia*, ut recte anootarunt Jacobus, Johannes Mabillon & Natalis Alexander: attamen longe plures sunt, qui faveant Calvinistis aliisque realitatem negantibus, totumque mihi videtur Opus teodere & collimare, in gratiam Calvinistarum. Vnde cum hoc anno 1686. Jacobus Boisleau Senonensis Ecclesiæ Metropolitanæ Decanus, Opusculum istud Latine & Gallice binis colomnis cum ingenti præludio & notis Gallicis, edidisset in 8. apud Johannem Boudot & viduam Edmundi Martini. Opusculo à doctis pariter & indoctis lecto, Calvinistis de illo triumphantibus, Clarissimus Parisiensis Ecclesiæ Archiepiscopus Franciscus Harlæus, post deliberationem in Conventu Sorbonico habitam, prudentissime jussit Exemplaria illius Opusculi supprimi, ac inhibitum bibliopolis ne ullatenus venderentur. Hoc certe haudquaquam factum fuisset, si aperte Catholicis favisset partibus, Ratramnus Corbeiensis Monachus, in Opere suo *de corpore & sanguine Domini*. Quamvis inde nolim vel censere ipsum hæreticum, multo minus cum Cellotio injuriis opprimere Theologum insignem, aut appellare *Calvinistarum & Sacramentariorum antesignanum*. Certum quippe est in Ecclesia veteri utramque de hoc argumento sententiam, ut fundamentale fidei punctum, consideratam non fuisse: neque fidem veri & substantialis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, ut fidei punctum, admissam esse: donec tandem ita seculo XI adversus infelicem Berengarium definitum injustissime est. Ante autem, liberum fidelibus, quam vellent ea de re sententiam, amplecti absque nota hæreseos: ut patet ex libris Ratramni & Joannis Scoti, quos Carolo Calvo obtulerunt.

CAPUT QUARTUM.

OPUSCULUM RATRAMNI *DE NATIVITATE CHRISTI.*

Alia istius seculi controversia fuit *de nativitate Christi Domini*, quomodo scilicet ex utero Mariæ virginis & matris prodierit, via ne communi, an singulari? Hæc controversia uti & superiores duæ, originem cœpit ex Germania, in Galliam deinde per Ratramnum Corbeiensem Monachum invecta: cui Ratramno adversarius fuit Paschasius Radbertus ejusdem loci Cœnobita. Contentionis principium Ratramnus in libello *de Nativitate Christi*, quem ignoto cuidam Monacho, & quidem (ut credere pronum est) Germano nuncupavit, obsecrans, ut sibi de hoc argumento respondere non gravaretur. Sic breviter Cap. 1 exponit. *Fama est, & quorumdam non contemnenda cognovimus relatione, quod per Germania partes serpens antiquus perfidia nova venena diffundat, & Catholicam super Nativitate Salvatoris fidem, nescio qua fraudu subtilitate subvertere molitur: dogmatizans Christi infantiam per virginalis januam vulva, humana Nativitatis verum non habuisse ortum, sed monstruose de secreto ventris incerto tramite, luminis in auras exisse: quod non est nasci, sed erumpi.* Hoc in libello, quem Ratramnus *de more studentium luserat*, ut in fine testatur, liberius aliquando in adversarios suos invehitur, quos novæ hæreseos cap. 10. insimulare audet. *Quid amplius vultis, nova & inaudita præteritis seculis hæreseos, vel authores vel defensores?* hunc errorem seu verum seu fictitium, toto libello evertit, & probat Christum, *per natura jannam, per solemnem parturitionis viam ex utero sacratissima virginis protessisse at vulvam aperuisse:* non tamen ita ut clausam corrumperet, *sed ut eam sua Nativitati hostium aperiret: non quo violaret integritatem uteri, sed quo ventris Palatium vacuaret*, ut loquitur Cap. 5.

Quan-

Quando ſcripſerit hunc librum Ratramnus neſcimus, at quantum conjecturis datur, hoc poſt annum 850 præſtitiſſe credendus eſt. Cum enim alios jam duos præcedentes tractatus occaſione quæſtionum in Germania ortarum, anno 850 Ratramnus conſcripſit, nempe *de gemina prædeſtinatione, ac de corpore & ſanguine Domini:* credendum eſt tertiam hanc eodem tempore quæſtionem fuiſſe motam, cui eodem anno vel ſequenti 851 Ratramnus ſolutionem dederit. Nec patiebâtur ardens Ratramni ingenium, ut dudum otio torperet poſt excitatas litterarum querelas, ut ad plures annos vel aliud tempus ſuas Reſponſiones aut quæſtionum ſolutiones protelaret. Hæc contra Joannem Mabillon in præfatione ad ſecundam partem ſeculi IV *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* cap. 3. pag. 74 num. 150 ubi vult Paſchaſium reſpondiſſe huic Ratramni Corbeienſis opuſculo, ante annum 846. de quo nos poſtea.

Probat autem Chriſtum ex vulva intemeratæ Virginis exiviſſe, teſtimoniis ſacrarum Scripturarum. Vulvam autem aperuiſſe probat teſtimonio *S. Ambroſii* lib. 2 in Lucam cap. 2 ubi de Chriſto ſcribit: *Qui ergo vulvam ſanctificavit alienam ut naſceretur Propheta, hic aperuit Matris ſuæ vulvam ut immaculatus exiret.* S. Auguſtini in ſermone de Nativitate, dicentis: *Dominus noſter natus ut homo, ſed non genitus ut homo.* S. Hilarii qui lib. 2 de Trinitate, Ambroſio & Auguſtino præivit, dicens: *Qui omnia continet, & intra quem & per quem cuncta ſunt, humani partus lege profertur.* S. Hieronymi lib. adverſus Helvidium, cui contra Catholicos objiciebat Helvidius: *Turpius eſt juxta vos Deum per Virginis pudenda genitum, quam Virginem viro ſuo nupſiſſe poſt partum.* Helvidio reſpondet S. Hieronymus. *Junge ſi libet & alias naturæ contumelias, novem menſibus uterum inſolentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos. Ipſe tibi deſcribatur infans tegmine membranarum ſolito convolutus, ingerantur dura præſepia, vagitus parvuli, octava diei circumciſio, tempus purgationis ut probetur immundus; non erubeſcimus, non ſilemus. Quanto ſunt humiliora quæ pro me paſſus eſt, tanto illi plus debeo, & cum omnia replicaveris, nihil cruce contumelioſius proferes, quam profitemur & credimus, & in qua de hoſtibus triumphamus. Sed ut hæc quæ ſcripta ſunt, non negamus: ita ea quæ non ſunt ſcripta, renuimus: natum Deum eſſe de Virgine credimus, quia legimus: Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus.*

Cæterum integerrimam etiam in partu Deiparæ virginitatem, ut dogma fidei confitetur ac propugnat *Ratramnus* Cap. 2 quod ab hodiernis ejusdem perpetuæ virginitatis hoſtibus, obſervari velim. *Intellige tandem vecors præſumptio, quoniam ſi per quamcumque virginei corporis partem, ortus Salvatoris potuit fieri ſine damno integritatis, conſequenter & hoc potuit per januam vulvæ. Quod ſi hanc fuerat violaturus, nihilominus quacunque eſt egreſſus, violavit. At Catholica fides de virgine Salvatoris matre confitetur, quod virgo fuerit ante partum & in partu & poſt partum. Propter namque inviolatam pudoris aulam, virginitatem prædicat & ante partum, & in partu, & poſt partum: & propter vera nativitatis exortum, verum parientis partum confitetur. Non peperit autem, ſi partus aliter quam per naturæ januam proceſſit: Siquidem jam talis ortus non virgini eſt partus, ſed proprius videtur ipſius infantis egreſſus. Obmuteſcat igitur hujuſce commentum falſitatis, & Catholica fides inconcuſſa teneatur: quæ & vere natum de matre confitetur Chriſtum, & vere virginem Mariam concepiſſe, peperiſſe, & poſt partum, id eſt poſt editum filium, credit, prædicat & veneratur permanſiſſe virginem.* Hinc autem colligimus quale fuerit Ratramni ingenium, nempe ſolidum atque in ſtupendis & miraculis abſque fundamento allatis prorſus alienum, cui parum arridebant ſententiæ iſtæ, quas *devotæ ac Chriſtianæ pietati faventes*, hodierni ſimplices appellitant.

Mox in Ratramnum inſurrexit Paſchaſius Radbertus ex Abbate olim Corbeienſi jam vulgaris Monachus, ratus per ejus librum virginitatem Deiparæ ex obliquo ſeu ex conſequenti impugnari. Et quidem adorſus eſt hominem ſcripto *de partu virginis* libello, quem Matronæ Chriſti, id eſt Abbatiſſæ, & ſacris virginibus Veſonæ, hoc eſt Sueſſione monaſtice degentibus, dedicavit hoc exordio:

Venerabili Matronæ Chriſti, una cum ſacris virginibus Veſona, id eſt, Sueſſione degentibus, Paſchaſius Ratbertus Monachorum omnium peripſema.

Quæſtionem Cariſſimæ, de Partu beatæ Mariæ virginis, mihi nuper allatam vobis perſolvere decrevi, quoniam vos eam plurimum amare non ambigo: ut ex hoc ſciatis, quantum vos diligam, longe diu à puero veſter alumnus, multo jam ſenio confectus. Qua ex inſcriptione, vult Joannes Mabillon loco citato, eam controverſiam natam eſſe Paſchaſio Ratberto jam ſene, ſed tamen ante annum 846 quo Imma Abbatiſſa Theodradæ Matri ſuæ ſucceſſit. Nam *Matronæ Chriſti* nomine ſignificari Abbatiſſam, quæ olim in ſeculo conjugata fuerat (qualem fuiſſe Theodradam conſtat ex vita S. Adalhardi Abbatis) pro comperto habet. Ita ille. At lubentius opinarer, hanc elucubrationem factam fuiſſe à Paſchaſio Ratberto, poſt quam ceſſit Corbeiæ Regimini, ſeu poſt annum 851. tum quia vocibus iſtis *Monachorum omnium peripſema* videtur alludere ad hominem e ſublimiori loco ad infima dejectum, atque tempeſtate attritum: tum quia qui vixit usque poſt annum 866 juxta eundem Mabillonium, non poterat ante annum 846 appellare ſe *multo jam ſenio confectum:* quomodo ſe, in ipſo tractatus limine, Paſchaſius appellat. Denique quia hic eodem modo loquitur, *multo jam ſenio confectus &c.* quomodo ſub initium ſuæ explanationis in

Threnos, *multo longoque confectus vitæ tædio.* At juxta eundem Mabillonium in suo Paschasii Elogio doctissimo, Cap. 8 num. 40. Explanationem hanc in Threnos aggressus non est, ante annum 857. unde idem censendum est, quoad ejus librum *de partu virginis*. Ad allatam vero rationem, qua Tractatus hic *Matrona* dicatus legitur, necesse nequaquam est hoc nomine *Abbatissam olim in sæculo conjugatam* intelligi: cum ea vox applicari etiam possit *Abbatissis virginibus*, quando illæ adoleverint, atque ad ætatem provectiorem regimine irreprehensibili fultam, pervenerint: qualis *Imma*, vel altera quævis esse potuit.

Hinc colligi datur, aliud omnino fuisse Ratramni ingenium, aliud Paschasii: horrebat enim Ratramnus ab stupendis & miraculis fidei haudquaquam necessariis, alienabatur ab iis sententiis quæ licet quandam præ se devotioem ferant, nullum tamen in traditione fundamentum habent: at e contra Paschasius gustabat quæ stupenda & admiranda erant, inclioabat propensius in eas sententias, quæ devotis ac simplicibus magis allluberent, & in se insoliti atque supernaturalis aliquid effareotur. Nec vererum cum Ratramoo olim discordiarum alitarum oblitus, injurias æmulis etiam hoc seculo nono frequentissimas omisit: accusans imprudentissime Ratramnum, *cæca pietatis & præsumptionis, qui tam impie loquitur de Christo:* appellans *Novum disputatorem, & investigatorem novi & inauditi partus.* Juvat quam modeste, quam placide, fratres cum fratribus in eodem Cœnobio secum agereor, in controversiis ad fidei integritatem nullo modo spectantibus, intelligere, ex sequentibus Paschasii verbis. *Dicunt,* inquit, *non aliter beatam virginem Mariam parere potuisse, neque aliter debuisse, quam communi lege naturæ, & sicut mos omnium fœminarum: ut vera Nativitas Christi posßit dici. Alii autem inquiunt; si non ita natus est ut cæteri nascuntur infantes, vera nativitas non est. Et ideo ne phantasia putetur, aut ne sicut aqua per alveum transisse, ita per uterum virginis absque nascentis ordine natus credatur: pium est sentire sic eum lege naturæ natum fuisse, quomodo cæteri nascuntur infantes; & eam sic peperisse, sicut reliquæ pariunt mulieres. O cæca pietas, quæ tam impie sentit de Maria Virgine! & cæca præsumptio, quæ tam impie loquitur de Christo! Non dico quod dicant virginitatem amisisse, quæ nesciens virum Virgo concepit, virgo peperit, & virgo permansit: sed quia idipsum quod confitentur, negant, cum dicunt eam communi lege naturæ puerperam, filium edidisse.* & infra: *Audiant igitur novi disputatores, & investigatores novi & inauditi partus &c.*

CAPVT QVINTVM.
DE
RATRAMNI TRACTATV *DE ANIMA*, ET EPISTOLA *DE CYNOCEPHALIS.*

Tolerabilior quidem, sed non moderatior fuit Ratramni censura in commentum cujusdam Monachi Corbeiensis, qui unam in omnibus hominibus animam esse contendebat. Hujus Quæstionis originem & statum Mabillonio indicavit Membraneus Codex bibliothecæ Monasterii S. Eligii Noviomensis, in quo extat Ratramni tractatus adversus prædictum Monachum, inscriptus Odoni Episcopo Bellovacensi. In eo libro Ratramnus significat *primo* se ab Odone sollicitatum, ut ejusdem Monachi Anonymi insanam opinionem refelleret: *deinde* se jam id præstitisse dicit scripta ad eundem Epistola, cui Monachus ille alia responderit. *Tertio* Monachum illum hanc opiniooem hausisse à Macario Scotto, quem idcirco ejus *Magistrum* vocat. *Quarto* præceptorem ac discipulum erroris sui occasionem sumpsisse ex loco male intellecto S. Augustini in libro *de Quantitate animæ*, in quo sanctus Doctor de unitate in diversis hominibus animæ dubitanter scripsisse videtur. Hæc omnia accurate ac fuse discutit Ratramnus, professus initio libri sui, Monachum hunc *magis dignum esse auctoritate Pastorali reprimi, quam disputatione convinci.* Porro sæpe dictum Mooachum Corbeiensis Cœnobii alumnum fuisse intelligimus ex initio tractatus *Ratramni,* quod sic se habet: *Domino sancto, summaq; venatioais honore prosequendo Patri ODONI Reverendissimo Præsuli, RATRAMNVS, servus servorum Christi novissimus. Suscepi vestræ sanctitatis debita cum veneratione litteras, quibus præcipitis postulantes, ut respondeam cujusdam Monachi de Cœnobio vestro scriptis, quibus de anima contra Catholicam fidem perversa sentiendo, disputare non timuit.* Fuit Odo Monachus, & post Paschasium Abbas Corbeiensis, ac demum Bellovacensis Episcopus: idemque mortuo Trasulfo Abbate, qui ei in Cœnobii regimine suffectus fuerat, rursus in Abbatiæ dignitatem restitutus. Cum ergo Monachus ille de Odonis Cœnobio fuisse dicatur à Ratramno, id sine dubio Corbeiensi intelligendum est. Hæc Mabillonius in præfatione ad secundam partem *seculi IV Benedictini* fol. 77 num. 157. *Macarium* qui hanc excitarat quæstionem, per deridiculum *Bacharium* Ratramnus vocat, inquiens: *Quoniam non beatus, sed stultus & ebrius talia somniavit.* Nec absque ratione *Macarii Magistri*, Discipulique illius sententiam seu errorem impugnavit Ratramnus, cum non solum Philosophiæ, sed etiam fidei repugnaret, & à Scripturæ sensu aliena esset: quæ vel plures animas passim innuit, vel singulas proprie tribuit singulis, ac diversis diversas. Hinc Averrois, unicum omoium hominum intellectum asserentis, errorem Thomas Aquinas & omnes post ipsum Theologi confutarunt. Hinc Leo X in Concilio Lateranensi V contra quosdam qui unicam in omnibus hominibus animam eo tempore asserere audebant: *Omnes id asserentes vel etiam vertentes in dubium, sic reprobare* denunciat, *& pro corpo-*

perum quibus infunditur multitudine, singulariter multiplicabilem & multiplicandam credi oportere decernit: *ut & omnes hujusmodi erroneis assertionibus inhaerentes, tanquam Haereticos & puniendos & vitandos.* Ceterum de Macario Scoto, si conjecturis indulgere licet, eum non alium esse putat citatus Mabillon, quam aut Johannem Scotum, qui similibus Dialecticæ argutiis maxime lasciviebat, incautosque prensabat: aut certe Macarium Monachum, cui Rabanus librum suum *de Computo* nuncupavit. Extat hoc idem opus Ratramni *de anima* MS. in bibliotheca Lambesiana Illustrissimi Cantuariensis Archiepiscopi. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 734 in MSS. Codicibus Collegii Sidney Sussex litera K.IV. Codice 9 num. 3. Ibidem Codice 1567 in MSS. Codicibus Collegii D. Benedicti Codice 300 num. 3. Ratramnus de Nativitate Christi. Num. 4. Idem de Anima. Inter MSS. Codices bibliothecarum Hiberniæ, Codice 816. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis, litera W Codice 676 Num. 2 Ratramni liber de eo, quod Christus ex Virgine natus esset, Num. 3. Ejusdem de Anima.

Idem Ratramnus occasione cujusdam loci ex Augustino lib. 16 de Civitate Dei Cap. 8 *quid dicam de Cynocephalis quorum canina capita, atque ipse Literatus magis bestias quam homines confitetur?* Scripsit insignem Epistolam *ad Rimbertum Presbyterum de Cynocephalis, an ex stirpe Adæ sint progeniti, & an animas Bestiarum habeant?* quam esse manuscriptam in Bibliotheca Paulina Lipsiensis Academiæ, testatur Catalogus MSS. Codicum hujus Bibliothecæ fol. 125. n. 2. impressus in 12. anno 1686 Lipsiæ sumptibus Johannis Friderici Gledirsch, cura Joachimi Felleri Academiæ Bibliothecarii: quo autem anno illa scripta sit, mihi rescire non licuit. At præcedens Ratramni Opusculum *de Anima*, cum instante Odone Bellovacensi Episcopo scriptum sit, post annum 860 necessario compositum est, quo ad sedem elatus est Episcopalem, quam ad annum 888 possedit.

Dubium istud *de Cynocephalis*, Augustino ortum videtur ex Claudii Æliani opusculis *de Animalibus*, ubi *Cynocephalos* tum inter bruta, tum inter homines collocasse videtur. Collocat autem inter bruta lib. 4 *de Animalibus* cap. 46 his verbis. Γίνεται δ' ἐνταῦθα τῆς Ἰνδικῆς ἔνθα οἱ κάνθαροι, καὶ οἱ καλούμενοι, οἷς ἔδωκε τὸ ὄνομα, ἡ τοῦ σώματος ὄψις τε καὶ φύσις. τὰ δ' ἄλλα ἀνθρώπων ἔχουσι, καὶ ἠμφιεσμένοι βαδίζουσι δορὰς θηρίων, καὶ εἰσὶ δίκαιοι καὶ ἀνθρώπων λυποῦσι οὐδένα, καὶ φθέγγονται μὲν οὐδὲν, ὠρύονταί δε. Τῆς γε μὲν Ἰνδῶν φωνῆς ἐπαίουσι. τροφὴ δὲ αὐτοῖς τῶν ζώων τὰ ἄγρια, αἱροῦσι δὲ αὐτὰ ῥᾷστα, καὶ γάρ εἰσιν ὤκιστοι, καὶ αποκτείνουσι καταλαβόντες, καὶ ὀπτῶσιν οὐ πυρὶ, ἀλλὰ πρὸς τὴν εἵλην τὴν τοῦ ἡλίου, εἰς μοίρας διαξήναντες. τρέφουσι δὲ καὶ αἶγας καὶ οἶς, καὶ σῖτον μὲν ποιοῦνται τὰ ἄγρια· πίνουσι δὲ τὸ ἐκ τῶν θρεμμάτων γάλα, ἃν τρέφουσι. μνήμην δὲ αὐτῶν ἐν τοῖς ἀλόγοις ἐποιησάμην, καὶ εἰκότως, ἔναρθρον γὰρ καὶ ἀνθρωπίνην φωνὴν οὐκ ἔχουσι. In eodem Indiæ tractu ubi Canthari jam dicti, Cynocephali etiam reperiuntur, quibus à facie & corporis specie nomen inditum est. Cætera fere humana habent, & vestiti pellibus ferarum ingrediuntur. Justi sunt, hominum nemini molesti & injurii. Non sermone, sed ululatu sonant, Indorum tamen linguam intelligunt. Venatione animalium ferorum vivunt, quæ, ut celerrimi cursu sunt, facile consecuti interimunt, & frustatim divisa ad solem assant. Capras etiam & oves alunt, ut ex lacte & carnibus, cibo & potu utantur. Horum inter animantes rationis expertes, non temere mentionem feci, articulato enim, discretoque & humano sermone non utuntur. Idem lib. 6 cap. 10. *de disciplina & memoria animalium quorundam Cynocephalorum, Equorum, Canum, Boum &c.* Μαθεῖν δὲ ἀγαθὰ ζῶα καὶ ταῦτα κατέγνωμεν. Ἐπὶ τῶν Πτολεμαίων οἱ Αἰγύπτιοι τοὺς Κυνοκεφάλους τὰ γράμματα ἐδίδασκον, καὶ ὀρχεῖσθαι καὶ αὐλεῖν ψαλτικήν: καὶ μισθὸν Κυνοκέφαλος ἐπράττετο ὑπὲρ τούτων, καὶ τὸ διδόμενον εἰς τὸ φασκώλιον ἐμβαλὼν ἐξηρτημένον ἔφερεν, ὡς οἱ τῶν ἀγειρόντων δεινοί. Animalia disciplinæ idonea hæc esse percepimus. Regnantibus Ptolomæis, Cynocephalos Ægyptii literas & saltare & tibiam inflare & pulsare citharam docebant. Tum verò unusquispiam Cynocephalorum mercedem Domini nomine sic scite tanquam peritus aliquis mendicus exigebat, & id quod dabatur, in marsupium, quod appensum ferebat, congerebat. Libro autem 10 cap. 25 *de Cynoprosopis hominibus*, diserte hos *Cynocephalos* hominibus accenset. Ὄασιν τὴν Αἰγυπτίαν διελθόντι, ἀπαντᾷ ἑπτὰ ἡμερῶν ὅλων ἐρημία βαθυτάτη. μετὰ δὲ ταύτην Κυνοπρόσωποι νέμονται ἄνθρωποι κατὰ τὴν ὁδὸν εἰς Αἰθιοπίαν ἄγουσαν· ζῶσι δὲ ἄρα οὗτοι θηρῶντες δορκάδας τε καὶ βουβαλίδας. ἰδεῖν γε μὴν. μέλανές εἰσι, κυνὸς δὲ ἔχουσι τὴν κεφαλὴν καὶ τοὺς ὀδόντας ἐπεὶ δὲ ἐοίκασι τῷδε τῷ ζώῳ, καὶ μάλα γε εἰκότως, αὐτῶν ἐνταυθοῖ τὴν μνήμην ἐποιησάμην. Φωνῆς γοῦν ἀμοιροῦσι. τρίζουσι δὲ ὀξύ. κάτεισι δὲ ὑπὸ τὴν ὑπήνην αὐτοῖς γένειον, ὡς εἰκάσαι τοῖς τῶν δρακόντων αὐτό. οἱ δὲ χεῖρες αὐτῶν ὄνυξιν ἰσχυροῖς καὶ ὀξυτάτοις εἰσὶ τεθηγμέναι, τὸ δὲ πᾶν σῶμα δασεῖς πεφύκασι, κατὰ τοὺς κύνας καὶ τοῦτο ὤκιστοι δέ εἰσι τὰ ἐν τοῖς τόποις ὕδατα, ἐνταῦθα τοι καὶ δυσάλωτοι δοκοῦσι. Vltra Oasin Ægypti, solitudo maxima ad septem dierum iter extenditur. Eam excipit regio, quam *Cynoprosopi* homines incolunt, in via Æthiopiam versus. Vivunt illi capreatum & bubalidum venatu. Aspectus niger, caput & dentes canis, quod animal cum referant, non absurda eorum hoc in loco, existimanda est mentio. Nam & Sermonis usu carent, & acuto quodam stridore sonant. Barbam infra supraque os gerunt, quadam

Dra-

Draconum similitudine. Manus eorum validis & acutissimis unguibus armantur. Corpus omne hirsutum est, hoc etiam instar canum. Sunt aurem pernicissimi, & aquas regionis norunt, atque eam ob causam difficiles captu sunt. *Eorum denique meminit* lib. 17 cap. 8 *de Animali Cepo nuncupato*, qui vultus forma Cynocephalo recte comparari potest: *προσώπου δὲ μορφὴν ἐκείνου Κυνοκεφάλῳ παραλαβὼν αὐτὴν, ἀληθεύσεις, εὖ ἴσθι.*

Opusculum porrò istud Ratramni cum Epistola honorificentissima ad me misit Dominus Gabriel du Mont Minister Ecclesiæ Reformatæ Lipsiensis, anno 1714. die Februarii 9. data, qua indicat esse Epistolam Ratramni ad Presbyterum Rimbertum de *Cynocephalis* scriptam atque hactenus ineditam, cujus meminit Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis pag. 125. num. 2. Cumque illam inserere vellem Dissertationi quam *de doctrina & operibus Ratramni* scripseram, Cl. Doctor ac in Theologia Professor *Barnerus* atque Universitatis Bibliothecarius, illam cum otio domi transcribendam permisit, quam ad me misit sub hoc tenore, dictus Gabriel du Mont.

EPISTOLA RATRAMNI DE CYNOCEPHALIS AD RIMBERTUM PRESBYTERUM SCRIPTA ANTE ANNUM 865, QUO ASSUMPTUS EST AD ARCHI-EPISCOPATUM HAMBURGENSEM.

Divinæ Gratiæ muneribus honorato, plurimumque in Christo diligendo Rimberto Venerabili Presbytero, Rathramnus sempiternam in Domino Jesu Christo salutem. Quod nostræ petitionis memores effecti, scripsistis nobis illa, quæ de Cenocephalorum natura potuistis cognoscere, non modice me lætificastis. Quod vero ad ea quæ postulastis minime rescripserim, noveritis negligentiæ torpore nequaquam hoc contigisse, verum quia delatoris præsentia non affecerat, suspensum fuisse. Nunc autem veniente fratre Sarwardo ad nos & ad vos remeante, data occasione folliciti fuimus, breviter intimare, quæ nobis videbantur super inquisitione vestrâ. Quæritis enim quid de Cenocephalis credere debeatis, videlicet utrum de Adæ sint stirpe progeniti, an bestiarum habent animas: quæ quæstio compendiosè ita potest determinari. Si hominum generi deputandi sunt, nulli dubium debet videri, quod primi hominis de propagine descenderint. Neque enim fas est humanam credi, aliunde deduci originem, quam primi de parentis substantia. Quod si bestiali generi connumerantur, nomine tantum hominibus, non natura communicant. Inter hæc sciendum vero si contenti fuerimus opinione nostrorum, videlicet Ecclesiasticorum Doctorum, inter bestias potius, quam inter homines deputandi sunt, siquidem & forma capitis & latratus canum, non hominibus sed bestiis similes ostendit. Hominum denique est rotundum vertice cœlum aspicere, canum vero oblongo capite rostroque deducto terram intueri. Et homines loquuntur, canes vero latrant. Verum quo litteræ à vestra caritate nobis directæ, dum naturam illorum diligentius significarunt, nonnulla docuerint, quæ humanæ rationi potius, quam bestiali sensibilitati, convenire videntur; scilicet quod societatis quædam jura custodiant, quod villarum cohabitatio testificatur: quod agri culturam exercent, quod & frugum messione colligitur: quod verenda non bestiarum more deregant, sed humana velent verecundiâ, quæ res pudoris est indicium. Quod in usu tegminis, non solum pelles, verum etiam & vestes eos habere scripsistis. Hæc enim omnia rationalem quodammodo testificari videntur eis inesse animam. Nam cum dicatur civitas esse cœtus hominum eodem sub jure pariter degentium, istique simul cohabitare per villarum conrubernia dicantur, civitatis distinctio talibus convenire, non abs re creditur. Siquidem & collectione sua multitudinem faciunt, & pariter habitare, nonnisi sub alicujus jure conditionis poterant. Ubi vero jus aliquod servatur, consensu quoque animorum una continetur. Neque jus aliquod potest esse, quod consensus communis non decreverit. Verum talem præter moralitatis disciplinam nec constitui, nec custodiri aliquando potuit. Jam vero agros colere, terram proscindere, sementem rurali fenori concredere, artis peritiam demonstrat. Quæ res nisi ratione præditis, haudquaquam favere cognoscitur. Etenim rationis est causam requirere, singularum actionum, ubi causæ quæ res pingues efficiat terras, quæ causa sementis ubertatem producat: quarum sine scientia, agricultura nunquam digne poterit exerceri. Porro tegumenta nosse conficere, vel pelle, vel lanâ, linoque, studium est rationalis animæ. Nisi enim artificio quodam hæc parari non possunt: & artis scientia nonnisi rationali conceditur animæ. At pudenda velari, honestatis est signum, quod non quæritur, nisi ab animo inter turpe & honestum, habente distinctionis judicium. Erubescere namque nemo potest de turpitudine, nisi cui contigit quædam honestatis cognitio. Hæc autem omnia rationalis animæ esse propria, nemo nisi ratione carens negabit. Inter honestum turpeque discernere, artisque scientiâ pollere, jura pacis concordiæque condere, nec sine judicio rationis, nec præter acumen ingenii, fieri possunt. Qua de re cum talia dicitis apud Cenocephalos videri, rationalem eis inesse mentem, reipsa testificamini. Homo vero à bestiis ratione rantummodo discernitur. Quæ, quod videtur inesse his de quibus loquimur, ho-

homines potius quam bestiæ, deputandi videntur. Huic intelligentiæ non parum suffragari videtur, libellus de Martyrio Sancti Christophori editus. Quemadmodum autem in eo legitur, hoc de genere hominum fuisse cognoscitur, cujus vita atque Martyrium claris admodum virtutibus commendatur. Nam & Baptismi sacramentum divinitus illum consecutum fuisse, nubis ministerio eum perfundente, sicut libellus ipse testatur, creditur. Famà quoque vulgante, plura feruntur, quæ hujusmodi hominum genus, rationis compos insinuare videntur. Isidorus quoque cum de portentorum ex humano genere defluxorum varietate loqueretur in Libris Etymologiarum, inter reliqua sic ait. „Sicut autem in „singulis gentibus quædam sunt monstra ho„minum, ita in universo genere humano quæ„dam monstra sunt gentium, ut Gigantes, Ce„nocephali, Cyclopes, & cætera.„ Hoc dicens manifeste signavit, quod Cenocephalos ex primi hominis propagine originem duxisse fuerit opinatus. Nam sicut in singulis gentibus quædam contra legem naturæ videntur procreari, ut bicipites, trimani, pumiliones, ermafroditæ, sive androginæ, vel alia perplura, quæ tamen contra naturæ legem non fiunt, sed propriâ quodammodo dispositione proveniunt, siquidem lex naturæ, Divinitatis est dispositio. Sic quoque universi generis humani ordini naturali, videntur monstruosam inferre procreationem: illa quæ superius commemorata sunt hominum prodigiosa portenta, vel alia plura, quæ longum est commemorare, ut piginæi, anticaudæ, quorum aliis cubitalis dicitur inesse statura corporis, aliis plantarum conversio post crura, & in plantis octoni digiti. Ippodes, qui humanam formam pedibus miscent equinis, Macrobii humanam staturam pene duplo superantes, Gensque fœminarum in India quinto anno concipiens, & octavum vitæ annum non excedens, & alia complura, fatuque incredibilia. Et quamvis ferantur ista ex humano genere duxisse originem: non tamen mox, neque temere, homines ratione præditos esse, firmandum. De Gygantibus vero inter hæc portenta quidem, numerantur homines fuisse, de hominibus natos nemo fere qui dubitet, quandoquidem divinarum auctoritate litterarum, hoc adstrui non ignoremus. Quibus Cenocephali dum connumerantur, hoc etiam & de istis sentiendum esse putatur, maxime si illa constiterint quæ de Sancto Christophoro leguntur, utquæ fama de eis vulgaris dispergit. Nec tamen ista dicentes vel sentientes, consequitur ut quidquid de homine procreatur, hominem quoque esse, humanæque rationis ingenio præditum: verbi gratià cum legatur vitulus ex muliere procreatus, ut serpens editus de fœmina. Proinde tamen neque vitulum, neque serpentem illum, humanam animam vel rationalem habuisse consenserim. Monstruosus quoque partus ille tempore Regis Alexandri de muliere præfusus, cujus superior pars hominem praeferebat, inferior vero bestiarum formas diversarum viventiumque protulerit. Nec tamen bestias illas, licet humano femine procreatas, rationalem habuisse animam, nisi rationis expers, unquam puto præbebit assensum. Qua de re nec hos, de quibus res agitur, propterea quia duxerant originem ex hominibus, eos continuo rationali pollere mente crediderim, si non vel ea quæ scripsistis, vel quæ leguntur & feruntur de iis talia, quomodo sentirem, moverent. Nunc autem tanta, tamque fortia videntur esse, quæ super his dicuntur, ut his vel fidem non adhibere, vel contradicere velle, pervicacia potius videatur esse quam prudentia. Accedit ad hæc, quod Scripta vestra testantur, domesticorum omne genus animalium, quæ nostris in regionibus habentur, apud illos haberi. Hoc vero fieri posse, si bestialem & non rationalem animam haberent, nequaquam video. Siquidem homini animalia terræ fuisse divinitus subjecta, Geneseos lectione cognoscimus. Vt vero bestiæ, alterius à se generis animantia, & maxime domestici generis curent, & eis diligentiam adhibeant, suisque cogant Imperiis subjacere, & usibus parere: sicut nec auditum, ita nec creditum cognoscitur. At vero Cenocephali, cum domesticorum animalium dicuntur habere multitudinem, eis minime convenit bestialis feritas, quorum animalia domestica lenitate mansuefiunt. Hæc sunt quæ de Cenocephalis arbitror sentienda. Cæterum an & aliis sic sentire placuerit, an è diverso, non erit nostri judicii. De libro vero beati Clementis quod interrogastis, non inter doctos viros plenæ auctoritatis habetur, quamvis non usquequaque repudietur. Leguntur enim quædam in illo, nostro, id est, Ecclesiastico dogmati non usquequaque respondentia. Verum quæ de gestis Pauli Apostoli scribuntur in illo, recipiuntur: utpote nihil quod Doctrinæ Christianæ vel contradicat vel repugnet, continente. Valere Beatitudinem vestram semper in Christo gaudemus, & ut memor sis nostri, deprecamur.

DOCTISSIMA DISSERTATIO DOMINI GABRIELIS DV MONT AD EPISTOLAM RATHRAMNI DE CYNOCEPHALIS, EX GALLICO LATINE VERBOTENVS FACTA.

Ecce Domine Epistolam Ratramni exactè à me transcriptam, quæ tanto curiosior est, quod ab illis qui Syllabum Opusculorum Scholastici hujus obtulerunt, mentio nulla fiat Epistolæ ullius ab ipso ad aliquem scriptæ. Cum vero me adhortatus sis, ut Epistolam hanc *de Cynocephalis* observationibus aliquibus illu-

ſtrarem, quos Codex noſter MS. *Cenocephalos* ſemper vocat: hanc ob cauſam, lectionem reſponſionis utcunque fatigantis in te accerſiviſti. Ac unice te moneo, Diſſertationis hujus citationum maximam partem debere me, Jacobo L'Enſant Berolinenſi Miniſtro, viro eruditione conſpicuo. Non ambigit, quin Presbyter Rimbertus cui Ratramnus reſpondet, ſit S. Rembertus S. Anſcharii Hammeburgenſis Archiepiſcopi ſucceſſor, ab anno 865 ad annum 888 meritis & ſanctitate clariſſimus, de quo cum laude Nomenclatores Eccleſiaſtici. Quoad Epiſtolam Ratramni, tantam illa ſimilitudinem habet cum libro 16 de Civitate Dei Divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi cap. 8, ut expilatum fuiſſe Hipponenſem à Corbeienſi Monacho Epiſcopum, dubitare nemo poſſit. At plagiarii animalia ita rara in Republica litteraria nunquam fuerunt, uti in natura Cynocephali rati ſunt. Jam ad rem veniamus.

Antiquiſſimi Scriptores pene omnes conveniunt, ut Cynocephalos beſtiis annumerent, de quibus primus loquitur Herodotus *Hiſtoria* libro 2. ubi Lybiæ mentionem facit: καὶ οἱ κυνοκέφαλοι, οἱ ἐν τοῖς στέθεσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντες ὡς λέγεταί γε ὑπὸ λιβύων. Vox iſta ὡς λέγεται indicat ſatis Herodotum non fuiſſe de facto certum, unde nonnullæ aliæ Herodoti editiones pro κυνοκέφαλοι, legunt ἀκέφαλοι, *animalia ſine capite*. Quidquid ſit, Herodotus de Cynocephalis tanquam beſtiis loquitur.

Poſt Hiſtoriarum parentem, juxta rationem temporum accedit Philoſophorum princeps Ariſtoteles *Hiſtoria Animalium* lib. 2 cap. 8 qui ex Cynocephalis ſpeciem quandam Simiarum facit. Titulus capitis eſt, περὶ τῶν ἐπαμφοτεριζόντων ζώων τὴν φύσιν, τῷ τε ἀνθρώπῳ καὶ τοῖς τετράποσι, πιθήκων, κήβων, κυνοκεφάλων: id eſt, *de Animalibus quæ utrique naturæ hominum & quadrupedum beſtiarum participant*, ut Simiæ, Cebi, Cynocephali. Ita capitulum orditur, ἔνια δὲ τῶν ζώων ἐπαμφοτερίζει τὴν φύσει τῷ τε ἀνθρώπῳ καὶ τοῖς τετράποσιν, οἷον πίθηκοι, καὶ κῆβοι, καὶ κυνοκέφαλοι. ἔστι δὲ ὁ μὲν κῆβος, πίθηκος ἔχων οὐράν. καὶ οἱ κυνοκέφαλοι δὲ τὴν αὐτὴν ἔχουσι μορφὴν τοῖς πιθήκοις, πλὴν μείζονές τ' εἰσὶ, καὶ ἰσχυρότεροι, καὶ τὰ πρόσωπα ἔχοντες κυνοειδέστερα. ἔτι δὲ ἀγριώτερά τε τὰ ἤθη, καὶ τοὺς ὀδόντας ἔχουσι κυνοειδεστέρους καὶ ἰσχυροτέρους. *Quædam ſunt animalia, quæ participant naturâ hominis & beſtiarum quadrupedum, ut Simiæ, Cebi, Cynocephali. Cebus eſt Simia caudam habens, ac Cynocephali autem eandem cum Simiis formam habent, niſi quod majoresque ſunt & fortiores, & faciem habent canibus magis accedentem. Adhuc autem moribus agreſtiores ſunt, ac dentes habent caninis ſimiliores ac fortiores.* Scriptor antiquæ Latinæ verſionis, confudit hic ſicut & in aliis pluribus locis, proprias gloſſas cum Ariſtotelis textu: ſed hac de re quæſtio hic non agitur.

Strabo libro VI Geographiæ ſuæ pag. 205, ex fide Artemidori antiqui geographi, Cynocephalos cum Spingibus jungit; hoc eſt, poſt ducem quem ſequitur, Cynocephalos ut vera animalia ac beſtias cenſuit, ſive ut puras machinas, ut ſtilo Carteſiano loquamur.

Teſtimonia Plinii ac Solini ejus ſimiæ, audiri hic mererentur: ſed cum uterque in illis quæ de Cynocephalis ſcribunt, valde inconſtantes fuerint, illosque nunc beſtias, nunc homines effecerint: æquum eſt ut inconſtantiæ ſuæ pœnas dent, atque ante illos audiamus, quid Ælianus in Hiſtoria Animalium, nubis de Cynocephalis narret. Reperiuntur, inquit, libro IV cap. 46 in eadem Indorum provincia *Cynocephali*, qui nomen ſuum à forma corporis & faciei accipiunt. Omnia fere alia ab homine habent, incedunt graviter pellibus beſtiarum induti, ſpeciem aliquam manſuetudinis & æquitatis ſervant. Nihil mali omnino hominibus inferunt, non loquuntur ſed latrant. Interea linguam Indorum intelligunt, vivunt ex venatione ferarum, quas facile curſu aſſequuntur, quas occidunt & in fruſta diſcerpunt, ut ad ſolis radios facilius torreantur. Habent etiam capras & oves, quarum lacte veſcuntur. Illos non temere inter animalia ratione carentia conſtitui, vocis enim articulatæ nec vocis humanæ uſum habent. Sed pace Domini Æliani, hæc ratio nimium probat; probaret enim tollendos fore ex hominum numero, mutos omnes, vocis humanæ uſu carentes, quos tamen eſſe veros homines conſtat. Quod alibi de *Cynocephalis* ſcribit, oſtendit non eſſe illos ita beſtias, ut credi à nonnullis poſſet. Illos enim exhibet Libro VII cap. 19 ut animalia mulieres ardenter amantia, atque Libro X. cap. 6 docet nos ſub regno Ptolomæorum, Ægyptios informaſſe Cynocephalos, ut fiſtulâ canant, ut lyram vel citharam concinne pulſent. Cum autem hi Cenocephali conventum hominum præſentem induſtriâ ſuâ veneraſſent, illorum unus in circuitu mercedem ab adſtantibus exigeret, pro ſe ac ſibi ſimilibus; quam in crumena collo vel cingulo appenſa ſervabat, eadem dexteritate, quâ vel mendici in arte ſua præſtantiſſimi facere potuiſſent: ὡς οἱ τῶν ἀγυρτῶν δεινοί.

Dominus Doctor Gottfredus Olearius, de quo me continere non poſſum quin illum laudem ut potiſſimum Academiæ noſtræ Lipſienſis ornamentum: in eruditis ſuis ad Philoſtratum Notis, arbitratur Philoſtratum de Cynocephalis loquutum fuiſſe *de Vita Apollonii* lib. 5 cap. 30, dum mentionem fecit, certæ cujusdam Simiarum nigrarum ſpeciei, facie Caninâ, καὶ τὰ εἴδη κυνεῖοι, qui parvis hominibus ſimiles ſunt.

Jam tempus eſt ut Plinius in Scena cum ſuis compareat. Primi Cynocephali qui viſi ſunt, inquit libro 6 cap. 29 ex editione Joannis Harduini, Tergedo venerant. Affirmat libro ſequenti 7 cap. 2 Meniſſenos Ægypti po-

populos, juxta fluvium Astragum, aluisse greges Cynocephalorum, quorum mares omnes occidebant, iis exceptis tantum qui ad speciei conservationem necessarii erant, feminas autem conservasse, ut earum lacte vescerentur. Et libro 8 cap. 80 Cynocephalos in numero Simiarum collocat, cum hoc discrimine, quod illos Simiis ordinariis ferociores scribat, ac fere æque ut satyras lascivos. Id quod non male convenit his, quæ Ælianus jam nobis libro 7. dixit. Solinus ad Plinii exemplum, quem verbotenus exprimit, cap. 27 pag. 53 de Cynocephalis loquitur, ut de speciei Simiarum aliqua loquitur, sed quæ valde efferata sit. S. Isidorus Hispalensis Episcopus, *Originum* lib. 11. art. *de portentis*, & libro 12. cap. 2. idem scribit.

Julius Cæsar Scaliger voluit Cynocephalum esse animal, quod in Galliis *un Magot* appellatur, ac se illic unum vidisse inquit, quem his verbis describit: *Cynocephalum unum barbatum vidimus, fœdum aspectu, nigrum, maleficum, moribus infamem, Magot genus illud maximum Galli vocant. In aula Regis unus fuit, qui diu bipes deambulabat, amictus sagulo militari, ensiculo accinctus. In sella jussus concinuit sese pernox, cum perdius publico spectaculo, ita ut non deessent qui hominem putarent verum.* Vossius *Idololatriæ* libro III, cap. 74 inquit, hoc animal Italos appellare *Babuinum*, Gallos *Babiou*, & Flandros *Baviaen*.

Plinius longe melius fecisset, si primam de Cynocephalis opinionem suam servasset, sed fabulosis ordinarie magis delectatur. Primus est qui ex auctoritate Ctesiæ maximi Græciæ mendacis, illos hominibus accensuerit Libro VII p. 11. *In multis autem montibus*, inquit, *genus hominum capitibus caninis, ferarum pellibus velari, pro voce latratum edere, unguibus armatum venatu & aucupio vesci. Horum supra centum viginti millia prodente se, Ctesias scribit.* Solinus quoque Polyhistoriæ cap. 52 pag. 79 unam nationem vel plures nationes ex ejusmodi Cynocephalis facit, ex fide Megasthenis in Historia Indica. *Megasthenes per diversos Indiæ montes esse scribit, nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantum sonantes, asperu rictibus.* Vult Salmasius legendum *ritibus*, sed absque ratione.

Cum vero Photius in Bibliotheca pag. 150 & 151 Historiam Indicam Ctesiæ se legisse testetur, audiri illum convenit. Narrat in iisdem montibus reperiri homines caninis capitibus, pellibus ferarum indutos, humanâ & articulata voce non uti, sed canum instar latrare, qui seipsos intelligant. Dentes illorum caninis dentibus esse majores. Vngues habere canibus similes, sed magis longos & rotundos: habitare in montibus usque ad fluvium Indorum. Horum color fuscus est. Maximi justitiæ observatores sunt, ut & Indi alii, inter quos isti vagantur. Intelligunt, quæ ipsis ab Indis dicuntur, quamvis loqui nequaquam possint: ac se explicare velut surdi & muti per signa aliqua manuum vel digitorum teneantur, vel latratu. Indi Calypsias illos appellant, quos nos Græce *Cynocephalos* dicimus. Numerus horum populorum ad centum & viginti millia assurgit.

Aulus Gellius recenseri de Cynocephalis vix meretur lib. 9 cap. 4, cum Plinium sequutus sit, velut is Ctesiam, agminis ductorem, quorum ex Auctorum fide Patres aliqui de *Cynocephalis* loquuti sunt, ut Tertullianus duobus in locis. Primum *Apologetici* cap. 8, deinde libro primo *ad Nationes*, quibus liquet, non admisisse illos, nisi ut fabularum portenta. *An vos putatis* (inquit gentibus) *esse Cynocephalos & Simpodes?* Versionem Girii sequor, nam uno in loco *Cinepena* in textu, & *Cynopenna* in altero. Salmasius opinatur esse legendum κυνοπεῖνας, quasi diceret, *qui fame canina laborant, qui manducant id quod canes devorare solent.* Jacobus L'Enfant conjecturam Samuelis Bocharti *Hierozoici* parte Ima cap. 55 col. 667 magis probat, qui inquit relinquendam esse vocem *Cynopena* vel *Cynophana*, id est, *faciei Canina.* Quoad S. Augustinum, ex cap. 8 libri 16 *de Civitate Dei*, perspicue apparet Doctorem hunc *Cynocephalos* excludere ab hominum cœtu.

Optandum fuisset pro Assipitis, vt opinione hujus Patris informati fuissent, aggredi sane Lombardos nunquam rimuissent. Strata-gema quo isti usi sunt, narrationem meretur. Invenitur apud Paulum Warnefridum, *de Gestis Longobardorum* lib. I cap. XI. Hic Scriptor ita loquitur de Winilis seu Longobardis. *De quo*, (id est Scoringa Provincia) *egredientes, dum in Mauringam transire disponerent, Assipitti eorum iter impediunt, denegantes eis omnimodis, per suos terminos transitum. Porro Longobardi cum magnas hostium copias cernerent, neque cum eis ob paucitatem exercitus congredi auderent, dumque quid agere deberent decernerent: tandem necessitas consilium repperit. Simulant se in castris suis Cynocephalos habere, id est Canini capitis homines. Divulgant apud hostes hos pertinaciter bellum gerere, humanum sanguinem bibere, & si hostem assequi non possint, proprium potare cruorem. Vtque huic assertioni fidem facerent, ampliant tentoria, plurimasque in castris ignes accendunt. His hostes auditis, visisque creduli effecti, bellum quod minabantur, jam tentare non audent.*

Hinc Assipitos fuisse credulas plebes merito concludendum venit, quamvis non tam difficile fuerit, erexisse Cynocephalos in milites magnanimos & intrepidos, vel etiam Christianismi Martyres, uti Ratramnus noster fecit, quam efformasse illos in Deos, quibus religiosum cultum populi integri exhibuerint. Interim maxima paganismi cæcitate & confusione, Cynocephalus multis in locis, numinis instar veneratus est. Constat Anubim Ægyptiorum nihil aliud fuisse quam *Cynocephalum* seu

seu Deum canini capitis, sicut illum diserte appellat Minutius Fœlix in *Octavio* cap. 22. Lucanus quoque Poeta illum *Semideum canem* nominat. Atque eandem ob rationem Virgilius Æneidos VIII versu 698 *latratorem Anubim* vocat:

Omnigenumque Deûm monstra, & latrator Anubis.

Virgilium imitatus est Prudentius Poeta libro 2 in Simmachum vers. 53, qui observans infirmitatem Deorum Ægyptiorum adversus Romanam classem inquit:

Nil potuit Serapis Deus & latrator Anubis.

Vide etiam vers. 353 & Apotheosim ejusdem vers. 195. 196.

Doctissimus Bochartus observat, vocem ipsam Anubis, originem suam habere ex voce Hebræa, quæ latrare significat, Isaiæ 56 vers. 10. *Anubis* Hunnobrâh, qui instar canis latrat. Opinatur imo referri posse eidem voci Etymologiam nominis Nubiæ, quia Ptoemphani qui partem maximam populorum Nubiæ faciebant, Canem pro Rege habebant, *Canem pro Rege habuerunt, motu ejus imperia augurantes*, inquit Plinius libro 6. cap. 30. Vide etiam Ælianum *de animalibus* libro VII cap. 40. Hoc prorsus admiratione dignum videtur, ut populus totius Universi maxime eruditus, in superstitionem tam ridiculam prolapsus fit. Cambyses juxta Polyænum libro VI Stratagematum, utiliter illa usus fuit, dum in obsidione Pelusii, bovem Apim ad lanienam projici jussit: & quod postea contigit, Ægyptios à superstitione revocare poterat, atque bovem Apim cultu divino exuere, quod esca canum atque ferarum factus esset. Vide Plutarchum in Tractatu *de Iside & Osiride*; Verum quidem ad ignominiam hanc declinandam, præcurrerat fama per Ægyptum, Presbyteros Osiridis secreto bovem Apim abstulisse atque recondidisse, quem Cambyses occiderat. Annon ut tam insanam devotionem derideret, ordinarie Socrates per *canem* jurabat *& anserem*, ut Tertullianus *Apologetici* cap. 14 opinabatur: *Socrates in Deorum contumeliam per quercum & hircum & canem dejerabat*: vel an serio, ut Divus Augustinus supponit, libro *de vera religione* cap. 2. Qualemcunque opinionem quis induat, difficile omnino est hunc Philosophum excusare. Atque Zeno Epicuræus juxta Lactantium *de falsa sapientia* libro 3. cap. 20. non immerito exclamabat: *O hominem Scurram, ineptum, perditum, depravatum, si cavillari voluit religionem; dementem, si hoc serio fecit: ut animal turpissimum pro Deo haberet!*

Certum est, quod quamvis sapientissimi Pagani Ægyptios deriserint, ut Juvenalis Satyra 16.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Romani tamen admittere Cynocephalos in numerum Deorum suorum non dedignati sunt, ut Sanctus Augustinus nos docet libro 2. *de Civitate Dei* cap. 14. atque Prudentius ipsis exprobrat libro 2. contra Symmachum versu 353.

Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini Effigies.

Venerabatur adhuc populus Cynocephalum sub figurà Mercurii cum capite canino depicti. Sed ut hanc Dissertationem finiam urgeor, quam his concludo carminibus Cælii Sedulii Carminum libro I. vers. 229. 230. 231. qui meritissime idololatriæ homine tam indignæ irascitur.

Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit?
Ut volucrem, turpemque bovem, tortumque draconem,
Semihominemque canem, supplex homo pronus adoret?

Hæc ad me de Cynocephalis Gabriel du Mont eruditissima, quæ in latinum transferre sermonem non piguit.

CAPUT SEXTUM.

DE LIBRIS A RATRAMNO CONTRA GRÆCOS CONSCRIPTIS.

JAm veniamus ad Ratramni Corbeiensis Monachi *libros quatuor contra Græcorum opposita*, impressos tomo 2 Spicilegii Dacheriani, nobis jam pridem ex Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Thuaneæ, nunc Colbertinæ notissimos: quorum apographum eleganter authoris ætate, sive ut alii volunt, etiam manu exaratum, eadem Bibliotheca Lucæ Dacherio suppeditavit. Commonuerat jactatus Ecclesiæ Summus Hierarcha Nicolaus I. anno 867 litteris suis Galliarum Episcopos, ut Græcorum Romanæ sedis adversariorum objectis occurrerent: ut author est Frodoardus in *Historia Remensis Ecclesiæ* lib. 3 cap. 17. *Nicolaus Papa Epistolam eidem (Hincmaro) & cæteris Archiepiscopis & Episcopis in regno Caroli constitutis transmisit innotescens præfatos Græcorum Imperatores, sed & Orientalis Episcopos sanctam Romanam Ecclesiam damnare, imo omnem Ecclesiam quæ Latina utitur lingua: quod jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre filioque procedere dicimus: quia Presbyteros chrismate linire Baptizatorum frontes inhibemus, dicentes ipsi Græci, quod chrisma ex aqua fluminis Latini conficiamus: reprehendentes nos Latinos, quod octo hebdomadibus à casei & ovorum esu more suo non cessamus: dicentes etiam, quod in Pascha more Judæorum super altare pariter cum Dominico corpore agnum benedicimus & offeramus: succensentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas suas radunt: & dicentes, quia Diaconum non suscepto Pres-*

Presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur. Deinde Epistolæ Nicolai verba subtexit: *Tua Hincmare charitas cum hanc Epistolam legerit, mox ut etiam ad alios Episcopos & Archiepiscopos, qui in regno filii nostri Caroli Regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat: ut & de his singuli in suis Diœcesibus propriis una cum suffraganeis suis, in cujuscumque regno sint constituti, convenienter tractare & nobis qua repererint suggerere curent, eos incitare non negligat &c.*

Quod sub finem Epistolæ facere jubetur Hincmarus, ut eam ad Archiepiscopos alios deferendam curet, id ab ipso diligenter esse factum docet Flodoardus lib. 3. cap. citato. *Quam inquit Epistolam Hincmarus suscipiens in Carbonaco Palatio consistenti Regi Carolo cum pluribus Episcopis relegit, & ad alios Archiepiscopos, sicut in mandatis acceperat, dirigere studuit.* Idem etiam Suffraganeos suos, ut Græcorum objectis responderent excitavit, ut Odonem Bellovacensem: ad quem Hincmari de hoc argumento extat Epistola IV Calendas Januarias hoc anno scripta. Respondit ergo inter cæteros Odo, & librum à se compositum Hincmaro misit, ut Flodoardus de Odone Bellovacensi ex conjecturis opinatus est, dum Epistolam ab Hincmaro Odoni ob hoc negotium scriptam legit. Sed sive ad suscipiendam hanc provinciam minus esset idoneus, sive aliis occuparetur negotiis Odo Bellovacensis Episcopus: credibile est ipsum post acceptam ab Hincmaro Epistolam doctissimum Corbeiæ Ratramnum Monachum rogasse, ut hoc onus respondendi ad objecta Græcorum in se susciperet. Maxime cum ab annis jam multis hunc Monachum quocum Corbeiæ vixerat, eruditum virum cognosceret: qui etiam & ipsi librum *de Anima* adversus Macarium Scottum scriptum, obtulerat. Rogavit itaque Odo sive nomine proprio, sive tertius Remensis Provinciæ, quod probabilius est, Ratramnum hujus erga Ecclesiam obsequii laborem, & laboris obsequium: qui & suos libros Episcoporum hortatu, jussuve elucubrasse se persuadet, ex istis libri quarti postremis verbis: *Egimus velut potuimus, respondentes ad ea, quæ nobis scripta misistis. Quæ si placuerint, Deo gratias agimus: sin vero displicuerint, vestræ correctionis censuram præstolamur.* Alter MSS. Codex hujus Operis inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 684 in MSS. Codicibus sanctissimæ Trinitatis Dublini liceta R. Codice 544. ubi *Ratramni Monachi Corbeia contra opposita Græcorum Imperatorum pro Romana sive Latina Ecclesia libri IV* circa annum Christi 868. cum aliis Opusculis Rhabani, Hincmari, Johannis Scoti, & Lotharii Imperatoris ad Leonem Papam pro usu pallii dirigendo ad Hincmarum, Folio in charta. C. 45.

Itaque Ratramnus noster id impositum sibi muneris accurate, eleganter, & prorsus erudite, libris quatuor complevit. In prioribus totus est cum in sacris Scripturis, tum in Græcorum, Latinorumque placitis, quo novarorum percellat novitates & stabiliat *de Spiritu Sancto* Catholicam veritatem. Quarto autem in libro de variis Quadragesimæ observatione, deque vario ciborum usu: de jejunio Sabbati apud Latinos, de Clericorum barbæ & capitis tonsurâ ac cœlibatu: de Confirmationis Sacramento: à solo Episcopo conferendo: de Romani Pontificis in Patriarcham Constantinopolitanum, atque adeo in universos Orbis Christiani Præsules summo jure: deque aliis Ecclesiæ ritibus agit omnino feliciter. Quam porro in sacræ Scripturæ & in antiquorum Patrum & Conciliorum lectione versatus fuerit Ratramnus, facile qui libros hosce quatuor evolverint, animadvertent. Non enim sinit amplitudo jam satis expansa hujus argumenti, ut prolixiori stylo, tanti viri laudes percurram. Cum autem hos libros Odo Bellovacensis Episcopus à Ratramno compositos & acceptos, postea ad Hincmarum Remensem Metropolitanum authore forsitan non designato destinasset: inde factum successu temporis ut Flodoardus lib. 3. *Historia Remensis* cap. 23 illos ab Odone Bellovacensi Episcopo conscriptos & compositos opinatus fuerit. Scripserat equidem Hincmarus Odoni, ut de hoc argumento ageret, sed hanc ille provinciam Ratramno Monacho commiserat, quem in omnibus doctissimum noverat & expertus fuerat.

Denique antequam Dissertationem finiam, non abs re fuerit lectorem præmonere, Jacobum Sirmondum immortali memoria dignum virum, edentem S. Fulgentii Opuscula quædam anno 1612. *De veritate* prædestinationis & gratiæ: dum in calce fragmenta eorum quæ lateant, recenseret; istos ipsos Ratramni libros Hincmaro Remensi Archiepiscopo ad hunc modum adscripsisse: *Ex libro tertio Hincmari Archiepiscopi Remensis adversus objecta Græcorum ad Odonem Bellovacensem.* Deinde ipsissima Ratramni verba subjicit: *Fulgentius Episcopus litterarum studiis admodum eruditus &c.* quæ in Ratramni lib. 3 pag. 92 inveniuntur. Idem deinum loca duo Fulgentii incdita, atque à Ratramno locis citatis allata, sub Hincmari quoque nomine profert. Quid Sirmondo persuaserit, prolem hanc alieno parenti supponere, mihi prorsus incompertum: cum alioquin cæteris Hincmari Operibus per duodequadraginta prope annos à se summo studio, summaque diligentia conquisitis, illud non ignobile opus accensere debuisset. Hæc latissime de doctrina & scriptis Ratramni Corbeiensis Monachi, à Joanne Mabillonio, ut plurima, accepta. Plura dabunt celebres hujus seculi authores, allati à me, in hujusce Dissertationis prologo, ad quem lectorem mitto.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS FLORI LVGDVNENSIS ECCLESIÆ DIACONI.

PROLOGVS.

840. FLORVS Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, quem sæpius MSS. Codices *Magistrum Florum* appellant, quod forsitan Ecclesiæ ejusdem Scholis præfuerit, vir doctus atque eruditus, Agobardi & Amulonis temporibus Lugdunensium Archiepiscoporum, fama celebris fuit. Collegerat ingentem MSS. Codicum multitudinem, cujus ope ac subsidio seu usum præcipue Waudelbertus Diaconus agnoscit in Præfatione *Martyrologii* sui metrici ad Olricum illustrem Clericum: *Sancti & nominatissimi viri Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore re vera singulari studio & assiduitate in divina Scriptura scientia pollere: ita librorum authenticorum non mediocri varietate & copia cognoscitur abundare.* Breve quidem sed insigne hoc Flori elogium, ex quo colligimus eum adhuc in vivis fuisse, dum Waudelbertus Diaconus *Martyrologio* suo insudaret. Cui favet & Synchronus auctor nobilis Walafridus Strabo in Carmine ad Agobardum, ubi hæc inter cætera Florum Lugdunensem eximie commendantia leguntur.

At de Flore novo, qui vos penes ortus, odorem
Prodit ubique sui, hæc loca rumor alit.
Flora venit quondam, dum singula quæque Deorum
Sunt afflata jugis prata, thymumque gerens.
Huic Floro melius sententia Christicolarum
Attribuit, quidquid dogmate & ore viget.
Nam hic Florus florem sequitur de germine Jesse,
Et trahit quod amans, attulit ille homini.
Quæ tam segnis erit, donis ingrata supernis,
Quæ se non sponte nectare pascat apis?
Floreat haud flacceus hic flos, & florea fragrans
Spiramenta ferat, semper ubique Deo.
Donec in astriferas porrecta cacumina sedes
Erigat, & fructum jam sine fine habeat.

Cum itaque ex tam luculentis Waudelberti, ac Walafridi insignium sua ætate virorum testimoniis, tam uberem doctrinam, quam Flori sanctitatem notissimam habeamus, non incongruum videbitur, de scriptis ejus Dissertationem singularem hic inserere, quam potissimum transscripturi sumus ex ea *Disquisitione* quam scripsit Joannes Mabillon Tomo I. *Analectorum* pag. 12 & seqq. & Tomo 4 pag. 630. Nihil enim laboribus hujus viri amici nostri, nihil eruditioni addi unquam potest.

CAPVT PRIMVM.

DISQVISITIO DE VENERABILIS *BEDÆ* ET *FLORI* DIACONI LVGDVNENSIS COMMENTARIIS IN PAVLVM EX DICTIS S. AVGVSTINI, EX JOANNE MABILLONIO TOMO I. *ANALECTORVM* PAG. 12. ET TOMO IV. PAG. 630.

TRes inveni antiquos auctores, qui Commentarios in Epistolas Pauli Apostoli ex meris S. Augustini centonibus contexuerunt. Primus est *Petrus Abbas Tripolitana provincia, qui Sancti Pauli Epistolas ex capitulis Opusculorum beati Augustini subnotasse narratur, ut per os alienum sui cordis declararet arcanum*, inquit Cassiodorus in libro *de divinis lectionibus* cap. 8. Alter est venerabilis Beda, cujus hæc verba sunt in fine Epitomes historiæ, *In Apostolo quacunque in Opusculis Sancti Augustini inveni dicta, per ordinem transcribere curavi.* Tertius est Florus Diaconus, seu ut Wandalberto Monacho Prumiensi ejus æquali visum est, Ecclesiæ Lugdunensis Subdiaconus, vir suo tempore doctrina & eruditione clarus. Ex his tribus Commentariis unicum habemus typis editum inter Opera venerabilis Bedæ, ipsiusque nomine prænotatum: sed an vere Bedæ tribui debeat, jam dudum magna lis est inter eruditos. Id testatur Robertus de Torinneio Abbas in Monte sancti Michaelis, in Prologo quem præfixit *Abbreviationi Expositionis Epistolarum Apostoli secundum Augustinum*: quo in Prologo apud Acherium nostrum in Appendice ad Guibertum edita, censet Robertus, prolixum illum Commentarium, quem ipsum esse qui inter Opera Bedæ modo extat, non dubito: potius tribuendum esse Petro Abbati Tripolitano, quam Bedæ, cui breviorem alium tribuit, ex libris itidem Sancti Augustini excerptum: *qui liber totus*, inquit, *non adæquatur magnitudine medietati solius Expositionis epistolæ ad Romanos*, quæ in alio Commentario habetur. Magno post Robertum intervallo Illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum Christi DLXII. existimat *Commentaria* illa typis edita non esse Bedæ, sed Petri Abbatis, qua in re cum Roberto consentit. Sed in hoc ab eodem recedit, quod

quod ullam hujusmodi Commentationem in Paulum à Beda conditam esse neget, aitque verba illa Bedæ quæ superius retuli, in ipsius Epitomen ex aliorum additamento irrepsisse. Dissentit à Baronio Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, aitque nihil impedire, quominus duo auctores, Petrus Abbas & Beda Presbyter, diversis temporibus & locis in Paulo ex Augustini Scriptis explicando desudaverint. Imo certe nihil impedit, quo minus his duobus tertium quoque adjungamus Florum Diaconum Lugdunensem, ut postea demonstrabo. Hæc cum ita sint, manent tamen distracta eruditorum circa vulgatum Commentarium suffragia, quem Bedæ alii tribuendum censent, alii detrahunt. Et mihi quidem aliquando, cum ipsius Bedæ elogium texerem in *seculo tertio Benedictino*, visus fuit Bedæ germanus foetus: sed postea deprehenso in Manuscriptis bibliothecis Commentario Bedæ germano, à sententia discedere coactus sum.

Commentarium aliquem in Paulum ex dictis Augustini à Beda consarcinatum fuisse, constans debet esse omnium persuasio, tum quia id diserte Beda testatur in Epitome sua, probantibus libris tam editis quam MSS. tum quia Hincmarus Remorum Archiepiscopus, ac Lupus Ferrariensis Abbas hoc Bedæ Collectaneum laudant. Hincmarus quidem in posteriori Opere adversus Gothescalchum cap. 1. *Si quis tamen*, inquit, *eosdem libros non habet, videat in Collectione venerabilis Bedæ Presbyteri de Opusculis Sancti Augustini super Apostolum, & ibi discere poterit quod antea ignoravit.* Lupus vero in epistola 76 ad eundem Hincmarum, *Collectaneum Bedæ in Apostolum ex Operibus Augustini veritus sum dirigere, propterea quod tantus est liber, ut nec sinu celari, nec pera possit satis commode contineri.* Itaque nemo jam in dubium revocare potest, an Beda Collectaneum in Apostolum ediderit, nec Baronius dubitasset, si ad ea quæ jam protuli argumenta, animum suum intendisset. At videndum porro est, qualis iste Bedæ Commentarius sit. Duos inveni codices membraneos *Collectaneum* ejusmodi sub Bedæ nomine continentes, unum annorum fere 800, alterum 700. Primus codex hunc præfert titulum, *Collectaneum Bedæ in Apostolum ex Operibus Beati Augustini.* Tum Commentarius in hæc verba, *Paulus Servus JESU Christi, vocatus Apostolus &c.* incipit in hunc modum: *Ex libro contra quinque hæreses. Ordo iste sequendus est, ut loquens de Evangelio, non sileam de Prophetis &c.* Hic codex definit in Epistola ad Thessalonicenses, aliis foliis avulsis. Alter codex ita inscribitur: *Incipit liber Collectionum venerabilis Bedæ Presbyteri, ex scriptis beati Augustini Episcopi, in Epistolas Beati Pauli Apostoli elaboratus.* Idem habet exordium ac primus, definit vero his verbis, *Explicit Collectio Bedæ Presbyteri ex Opusculis beati Augustini in Epistolas beati Pauli Apostoli.* Genuini hujus Bedæ Commentarii necdum typis editi copiam habemus, quem Deo dante aliquando cum aliis ejusmodi monumentis in lucem proferemus.

Nunc videndum est, cui auctori Collectaneum tribuendum sit, sub Bedæ nomine hactenus vulgatum. Nempe Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono, ut fidem faciunt multi MSS. Codices, quorum nonnulli in manus meas pervenerunt. In primis id probant duo volumina membranea Bibliothecæ Corbeiensis, in quorum priori statim ab initio hæc leguntur: *Continentur in hoc volumine Expositiones Epistolarum beati Pauli Apostoli ex libris Sancti Augustini Doctoris eximii, à quodam FLORO collecti.* Tum in fine Epistolæ cujuslibet, nomen Flori auctoris repetitur, & initio sequentis. Ad calcem porro posterioris voluminis hæc subscriptio legitur: *Compositus*, id est scriptus, *est liber iste à Richero superiore, & Johanne suo scriptore & monoculo, anno quo restituta est Ecclesia Sancti Johannis Corbeiæ, & Turonis est secunda sedes Romana urbis, anno MCLXIII Ludovico Rege Francorum, Theodorico Episcopo Ambianensi, Johanne Abbate Corbeiensi.* Insignem hunc locum jam advertit illustravitque eruditissimus vir Stephanus Baluzius in notatione ad Lupi Epistolam 76. ubi observat, scriptorem istum hoc loco respicere ad Synodum in urbe Turonica ab Alexandro III tunc temporis celebratam: quam urbem Scriptor, eo quod tum ibi Alexander III sederet, vocat secundam sedem Romanæ urbis. Apposite quidem ad hunc locum Baluzius. Verum ut ad propositum revertar, non solum Corbeiensis codex, sed & alii plures Commentarium prædictum Floro Diacono tribuunt: quos inter enumerandus ille est qui Trithemio fuit usui, quem Codicem forsan quia reperit in Monasterio Sancti Trudonis, Florum illum Diaconum cujus nomen præferebat codex, Monachum Trudonianum fuisse Trithemius existimavit. His codicibus adjungo Aquicinctensem, in quo prima pars Expositionis Epistolarum beati Pauli ex libris Sancti Augustini *à quodam Floro collecta dicitur*, ea nimirum quæ apud Bedam legitur.

Idem Mabillonius Tom. 4 Analectorum pag. 630. In tomo 1. *Analectorum* edita Disquisitio est de Bedæ Commentario in Paulum ex Scriptis Sancti Augustini, quem Commentarium alium à vulgato inter Bedæ opera, atque ineditum esse contendimus, vulgatum autem Floro Lugdunensi Diacono tribuendum. Nunc vero celare non debeo, quid in Sancti Galli Bibliotheca super hac re invenerimus. In tribus voluminibus tota continetur Expositio Bedæ adscripta, sed sub nomine *Flori Presbyteri.* Codices ab annis 800 scripti sunt, ut probat ipsa forma Carolina litterarum. Et quidem apud Ratpertum Monachum

chum *de casibus Monasterii Sancti Galli* cap. 10. inter libros quos Harmotus Abbas describi curavit, & qui anno 872 Grimaldo successit, recensentur, *Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus Sancti Augustini in Epistolam Pauli ad Romanos.* Idem titulus legitur in alio codice, in quo Expositio in priorem ad Corinthios continetur. Jam ad Disquisitionem tomo 1. *Analectorum* redeamus pag. 17. ubi idem Mabillon argumentum ita persequitur. Praeterea prolixius istud Collectaneum Floro tribuitur in veterrima Collectione Canonum, quae sub finem saeculi noni, id est ipso Flori saeculo scripta videtur, asservata in Antissiodorensi Abbatia Sancti Mariani. Nam in illa Collectione haec referuntur: *Ex libro Sancti Augustini à Domino FLORO collecta. Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Quod Propheta praeviderunt & praedixerunt, hoc Apostoli viderunt & praedicaverunt. Qui erat, factus est. Quid erat? Quid factus? Verbum erat, caro factus est.* Quae quidem vulgo leguntur in Bedae Commentario, in Epistolam ad Romanos. Item in praedicti apographi pag. 17. adducitur *Dictum Domini FLORI* in haec verba: *Anathema est maledictio, devotatio, item condemnatus, detestabilis, abominabilis, alienatus &c.* Item aliud, *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema, maranatha, simul Syro & Graeco utitur verbo, si quis non amat &c. Anathema Graeco sermone dixit, condemnatus: maranatha definivit, donec Dominus redeat.* Quae duo loca in vulgato Collectanco apud Bedam reperiuntur, prior quidem initio Commentarii Epistolae ad Galatas, alter autem in fine Epistolae prioris ad Corinthios. Denique Sigebertus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 92. meminit Commentarii à Floro consarcinati in Epistolas Pauli ex libris Sancti Augustini. Ex his manifeste, nisi fallor, conficitur, Commentarium istum non esse Bedae, sed Flori Diaconi Lugdunensis. Non negaverim tamen, eum in nonnullis MSS. Codicibus Bedae tribui, sed fere semper addito *Flori* nomine: quasi Florus non esset nomen proprium, sed commune, Florigerium significans. Audi Robertum de Torinneio in Prologo superius citato, ita de Commentario isto agentem. *Hoc opus à quibusdam vocatur Florus, quia ex diversis opusculis beati Augustini excerptus, & quasi desloratus est: à quo autem illud opus collectum & ordinatum sit plurimi dubitant. Quidam autem hunc Bedae Presbytero adscribunt, & hoc ideo, quia in fine Historiae Anglorum enumerans opuscula sua, inter alia hoc ad verbum posuit:* In Apostolum quaecunque in Operibus Sancti Augustini inveni dicta, per ordinem transcribere curavi. *Unde & quidam praedicta verba, & alia nonnulla in eadem historia sibi connexa assumentes, loco Prologi praedictae Collectioni sententiarum Sancti Augustini ponunt, ex eo volentes probare Bedam auctorem hujus Operis.* Certe quod Robertus dicit, ita esse deprehendi in Collectaneo MS. Claromariscensi duobus voluminibus contento, in cujus priori haec inscriptio apponitur: *In hoc volumine continetur Expositio Epistolarum beati Pauli Apostoli à Venerabili Beda Presbytero, ut Gesta Anglorum testantur, collecta ex libris Sancti Augustini Episcopi, Doctoris eximii & fidelissimi, sicut in singulis locis adscripti sunt &c.* Et in fine secundi voluminis haec subjiciuntur; *Explicit Epistola ad Hebraeos, & tertia pars Flori collecti à venerabili Beda Presbytero ex dictis Sancti Augustini.* Vbi nomen Bedae vides huic Collectaneo apponi, cum Flori nomine, quod pro Florigerio usurpatur. Vnde quo intelligitur, Collectionem illam antiquitus Floro adscriptam fuisse.

Hic unum objici potest, nempe Florum Collectionem aliam in Paulum ex Patribus multis composuisse, nec esse verisimile, aliam ex Scriptis Sancti Augustini ab ipso conditam fuisse. Imo vero id maxime facit pro nostra sententia, quandoquidem Florus posteriorem Collectionem hanc ex duodecim Patrum Opusculis eruit, Augustino praetermisso, quem sane non praetermisisset, nisi aliam separatim prius edidisset. Posteriorem hanc Collectionem ex Codice MS. Majoris Carthusiae descriptam, Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis Jesu Presbyter eruditus, Acherio nostro transmisit ac dono dedit, observatque statim in limine, Collectionem istam delibatam esse, non tantum ex decem, ut Sirmondus scripsit in Notis ad Avitum, sed ex duodecim Patribus, nimirum ex Cypriano Carthaginensi, ex Hilario Pictavensi, ex Ambrosio Mediolanensi, ex Paciano Barcinonensi, ex Theophilo Alexandrino, ex Gregorio Nazianzeno Episcopis, ex Ephrem Diacono, ex Leone Papa, ex Cyrillo Alexandrino variisq; Romanorum Pontif. & Conciliorum canonibus & decretis: sed etiam ex Fulgentio Ruspensi, ex Paulino Nolensi, ac demum ex Avito Viennensi Episcopis. In duodecim libros pro totidem Patribus, Collectionem suam uno volumine contentam Florus partitus est, decimum tertiū ex Augustino contexuit, quem quia majoris erat molis, uno volumine separatim inclusit. Haec de Bedae ac Flori Commentariis in Paulum, fusius dicenda fuerunt, ut nemo imposterum cujus sint ambigat. Haec Mabillon loco citato.

CAPUT SECUNDUM.
DE ALIIS FLORI LUGDUNENSIS DIACONI OPUSCULIS.

Scripsit quoque *Commentarium* seu *Expositionem in Canonem Missae*, qui extat impressus saepe una cum aliis Flori opusculis in variis editionibus & Collectaneis Opusculorum ejusmodi in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis 1575. tomo 4. col. 641. 1589. tomo 6. col. 261.

261. 1610. tomo 6. col. 163. Editionis Coloniensis 1618. Seculo IX. parte 2. pag. 297. Parisiensis 1624. tomo 6. col. 168. editionis denique Lugdunensis 1677. tomo XV pag. 61. Hujus MSS. exemplaria extant in multis bibliothecis, sed duo in bibliotheca Christinæ serenissimæ Sueciæ Reginæ num. 929 & 1348. ex quibus suppleri possunt occulta, quæ in editis desunt, ut habet Johannes Bona Cardinalis lib. 2 *Rerum Liturgicarum* cap. 14 paragr. 1. pag. mihi 643.

Item Librum *de prædestinatione contra Joannis Scoti erroneas definitiones*, uti scribit Matthæus Westmonasteriensis in *Floribus Historiarum* ad annum 883 quem accuratissime edidit Gilbertus Mauguin Parisiensis monetæ Præf. anno 1650. in 4. tomo 1. *Vindiciarum prædestinationis & gratiæ* pag. 575 & sequentibus, cum *Sermone ejusdem Flori Magistri de eodem argumento*, ejusdem tomi pag. 21. Ejusdem autem esse, fidem facit Matthæus Florigerus supra allatus, & pervetustus codex MS Curbeiensis, in cujus tum initio tum fine, diserte Floro nostro adjudicatur, ut habet dictus Mauguinus. Cum autem anno circiter 850 vel 851 fervescente controversia Prædestinatiana contra Gotteschalcum, Joannes Erigena seu Scotus calamum acriter strinxerit, libello *de prædestinatione* ad Hincmarum Rhemensem & Pardulum Laudunensem conscripto, vix ante annum 852. illum Prudentius & Florus Lugdunensis oppugnare potuerunt.

Collectionem ex Lege & Canonibus de exercitione Judæorum & auctoritate ac si mutate jud cii & testimonio Episcoporum, quam Lucas Dacherius tomo 12 *Spicilegii* pag. 48 evulgavit, de qua etiam loquitur Franciscus Chiffletius in Notis ad Ferrandum Diaconum p. 272 & 273.

Collectionem ex sententiis antiquorum Patrum, de electionibus & officio Episcoporum, quam habet Stephanus Baluzius tomo 2. *Agobardi operum* pag. 254. atque ediderat jam antea Cardinalis Baronius in Appendice ad Tom. XII Annalium pag. 920.

In Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis 1624. tomo 9 col. 1155. extat *de quorundam illustione figurorum Bartholomæo Episcopo*, Agobardus, Hildigisus, & Florus, inter opera Agobardi Lugdunensis, quæ primum in lucem prodierant Parisiis 1605. in 8. apud Dionysium Vallium, studio & diligentia Papirii Massoni. Idem opus in editione Agobardi, quam procuravit Stephanus Baluzius, anno 1666. 2. tomis in 8.

Scripsit etiam *Psalmos aliquot carmine elegantii, Hymnos item & Epistolas*, quæ hucusque perperam sub Drepani Flori nomine, poëtæ seculo V florentis, evulgata sunt, errore aperto. Sunt autem Poemata ista IX. videlicet *Paraphrasis Psalmorum XXII. XXVI & XXVII. Hymnus trium Puerorum. Hymnus ad Michaelem Archangelum. De cereo Paschali. Epistola ad Moduinum Augustodunensem Episcopum, alia ad amicum quendam, & ad Wulfium Grammaticum.* Edita primum ista sunt sub nomine *Drepani Flori Poëtæ*, qui seculo quinto floruisse dicitur, in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis 1589 tomo 8 col. 727. Hinc in alteram editionis Coloniensis 1618 tomo seu Seculo V parte 3 pag. 663 quem errorem secuta est editio Lugdunensis 1677 tomo IIX p. 567. Sapiunt autem Flori nostri Lugdunensis poësim, cujus etiam ætatem indicat *Epistola ad Modoinum Augustodunensem Episcopum*, Floro Lugdunensi æqualem atque amicum. Item *Carmina alia* apud Joannem Mabillon tomo 1 *Analectorum* pag. 388 & sequentibus, quibus adde *Carmen ad Moduinum aliud* in Collectione variorum Epigrammatum typis Morellianis, edita Parisiis anno 1550 ab his verbis incipiens:

Solve pater profluas hilari de pectore grates,
Quod referas Floro labra benigna tuo.

Item aliud *de titulo altaris* in persona Agobardi, quod retulit Sirmondus in Notis ad Theodulphum Aurelianensem, de quibus idem Mabillon ibidem loquitur.

Jam ad *Martyrologium* Flori Lugdunensis Diaconi, de quo prolixe ad annum 760 supra jam disseruimus, contra Guillelmum Cavum. Opus istud unum videtur ex primis, quod Florus Lugdunensis conscripserit. Atque ante annum 840. productum colligimus, ex hoc quod illius faciat mentionem Wandalbertus Monachus Prumiensis in Proœmio Martyrologii. Juxta autem Johannem Bollandum Præfatione Generali in Vitas Sanctorum ad Abbatem Lætiensem cap. 4 paragr. 8 pag. 51 & 52. Martyrologium Wandelberti anno 842 compositum est, unde argumentamur Martyrologium Flori Bedam supplentis ante annum 840 scriptum fuisse.

Neque perfunctorie, aliudque agendo, Florus huc opus aggressus est, sed data opera atque repetita diligentia, seu semel atque iterum, ut testatur Usuardus, quod bene annotandum est. *Quos tamen secutus* (Hieronymum & Bedam) *censui & Flori memorabilis viri labora in ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus libro: ibi enim multa quæ in priore omiserat, & correxit & addidit.* Quibus verbis Usuardus indicat Florum illum bis incubuisse in opus *Martyrologii*, cujus secundum ipse laborem seu editionem secundam sequeretur.

Quod autem auctor *Martyrologii* non sit Florus Monachus S. Trudonis, sed Florus Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, censent & merito, tum doctissimi Monachi Ordinis divi Benedicti qui Ordinem suum illustrarunt scriptis insignibus, tum Belgæ hujus etiam seculi scientia clarissimi, qui Belgicas partes suis operibus celebres fecerunt. Ex Benedictinis Monachis, Dominus Johannes Mabillon Tomo I. *Analectorum* pag. 12. in Disquisitione *de Commentariis Venerabilis Bedæ & Flori Lugdunensis*

Diaconi in Paulum ex dictis Sancti Augustini, fontem hujus erroris censet Trithemium in lib. 2 *de viris illustribus Ordinis Divi Benedicti* cap. 44. ubi Florum quendam Monachum Sancti Trudonis admittit, qui, ut ait Franciscus Sweertius, *Martyrologium* scripserit, de quo tamen silet Trithemius. Putat autem illic citatus Mabillon, inde in hanc opinionem venisse Trithemium, quod Opera & Commentaria Flori Lugdunensis Diaconi, Manuscripta in Cœnobio Sancti Trudonis repererit, unde Florum illum minus sibi cognitum, Monachum Benedictinum Trudonopoli in episcopatu Leodiensi opinatus sit. Verum hunc errorem idem Mabillonius, licet Monachus Benedictinus, in gratiam sui Ordinis admittere noluit. Lucas Dacherius ejusdem instituti vir hoc seculo ob *Spicilegium* celeberrimus, licet admittat Florum illum Trudonianum Monachum, attamen in Præfatione ad Tomum V *Spicilegii* paragraph. 10. pag. 20. agnoscit Florum illum de quo agit Wandalbertus Prumiensis Diaconus in Præfatione Martyrologii sui, esse Florum, Lugdunensis Ecclesiæ Diaconum.

„Denique Florus quem mire in Præfatione „laudat Wandalbertus, non Martyrologus no„tatur, cujus meminere Vsuardus, Ado & alii: „sed junior ipso, nimirum acerrimus ille, Caro„lo Calvo imperante, Ecclesiæ Lugdunensis „pro gratia Christi & libero arbitrio propu„gnator.

Sic etiam Joannes Bollandus Præfatione Generali in Vitas Sanctorum cap. 4. §. 6. pag. 49. „Post Bedam Florus extitit quidam, de quo „Vsuardus, *Quos tamen secutus* (Hieronymum & „Bedam) *census & Flori memorabilis viri latiora* „*in ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo* „*ejus libro: ibi enim multa, quæ in priore omise„rat, & correxit & addidit.* Ado quoque, *Pri„mum fuit imperium ut jussio sanctorum virorum,* „*ut supplerentur dies qui absque nominibus Marty„rum in Martyrologio, quod venerabilis Flori studio* „*in labore Domini Beda accreverat, tantum notati* „*erant.* Fuit Vsuardi & Adonis coætaneus „Florus Ecclesiæ Lugdunensis Sub-Diaconus, „sed Adone senior, junior Vsuardo, siquidem hic „sub Carolo Magno, & non sub Carolo Calvo, „Martyrologium scripsit: nam Wandalber„tus de quo infra, qui sub Lothario Calvi fra„tre florebat, ista habet: *ope & studio præcipue* „*usus sum Sancti & nominatissimi viri Flori Lugdu„nensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui in nostro tempore* „*vere vera singulari studio & assiduitate in divina* „*Scripturæ scientia pollere, ita librorum authentico„rum non mediocri varietate & copia dignoscitur* „*abundare.* Hunc ego suspicor illum Florum „Magistrum esse, cujus vastum vidi Laetiis vo„lumen ex S. Augustini operibus magno studio „collectum, & alia alibi servari dicuntur. In „Bibliotheca Patrum extat tractatus quidam „*de vulgi erroribus circa tempestatum & tonitruum* „*caussas*, Agobardi Episcopi Lugdunensis & hujus Flori nomine inscriptus. Idemne fuerit„ Martyrologii auctor, mihi modo non liquet.„ Eum vero quod Trudonopoli in Belgio nostro„ Monachum fuisse, Trithemius lib. 2. *de viris„ illustribus Ordinis divi Benedicti* cap. 44. scribat,„ haud equidem scio quo authore, neque ejus„ mentio est in Chronico Trudonensi ulla.„ Hæc Bollandus qui idem affirmat paragr. sequenti. Suam autem apertam sententiam protulit doctior factus, dum hoc Martyrologium edidit sub Flori Lugdunensis Ecclesiæ Diaconi nomine, ad MSS. etiam Codices collatum, in Prologo ad tomum 2. Martii mensis.

Denique unum eundemque Florum Lugdunensis Ecclesiæ Diaconum, Joannis Erigenæ seu Schoti æmulum, quem circa annum 870 floruisse scribit, qui etiam *Martyrologium* scripserit, affirmat Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 36. pag. mihi 322. his verbis. „Æqualis anno 870 fuit Florus ille,„ cujus *Expositionem Missæ* habemus tomo 6 Bi-„ bliothecæ Patrum, quemq; Sigebertus in Cata-„ logo cap. XCIV auctor est, Epistolas Pauli A-„ postoli exposuisse, verbis beati Augustini hinc„ inde collectis. De ætate quod dixi, colligo„ inde, quod æqualis fuerit Johannis Erigenæ„ Scoti, atque adversus eum scripserit, ut didici„ ex Matthæo Westmonasteriensi ad annum„ 883 uti & monitum nobis lib. 7 *Historiæ Pelagianæ* parte 4 pag. 741. Memoratur autem„ à nobis, quia ut ait Franciscus Schweertius„ in *Athenis Belgicis* Martyrologium condidit,„ qui & addit eum fuisse Monachum Benedi-„ ctinum, Trudonopoli in Episcopatu Leo-„ diensi.„

Joannes Mabillon Tomo 2. *Musæi Italici* quem edendum curavit in 4 Parisiis anno 1698 apud Edmundum Martinum & Joannem Boudot, testatur extare adhuc apud se manuscripta tria Flori opuscula, nempe *Epistolam adversus Amalarium nondum editum*, *Opusculum aliud adversus eundem*, & *alteram Epistolam ad Patres Concilii apud Theodonis villam congregati.* Ita ille in Commentario ad Ordinem Romanum pag. 3. 4 & 5.

Amalarius Mettensis (ut videtur) Ecclesiæ„ clericus, Lugdunensis Chorepiscopus fuit.„ Hujus sententiæ auctorem habemus Florum„ ejusdem Ecclesiæ Diaconum, qui in priori E-„ pistola adversus eundem Amalarium inedita,„ tria ejus Opera commemorat, nempe *ma*„ *gnum quendam Codicem quatuor voluminibus*, id„ est libris, *diffusum, quem Officialem nuncupavit*;„ deinde *Antiphonarium velut à se digestum ac cor-„ rectum; novissime novum volumen, quod Embo-„ lim opusculorum suorum* appellavit, quodque„ *apud Lugdunum ornate induit, ac vittis sericeis„ distingui fecit.* Hæc ex prima Flori Epistola„ *contra falsiloquas adinventiones Amalarii, quondam Lugdunensis Chorepiscopi, de corpore Domini„ tripartito*: qua in epistola Florus Amalarium„ du-

„durius carpit, uti & Agobardus ipse Lugdu„nensis Antistes. Nam etsi fortasse longius „progressus est Amalarius in quærendis mysti„cis significationibus sacrorum rituum, quibus „Ecclesia utitur: non ea tamen acerbitate „tractandus erat vir, ut illis temporibus do„ctus, qui pia religione & studio res sacras il„lustrandi utique ducebatur. Typis vulgata „sunt priora duo ejus opuscula, nempe *Officia„lis*, & *Liber de Antiphonario*, at *Embolim* adhuc „in tenebris latere credimus. Edita illa duo „non sine fructu, studiosi rerum Ecclesiastica„rum, qui longe aliis oculis quam Florus & „Agobardus, hæc legunt. Libellum *Officia„lem* appellavit Amalarius, post Patres Concilii „IV Toletani in Canone XXVI.

„Agobardi libri tres extant adversus Ama„larium scripti. Primus est liber *de Psalmodia*, „in quo Amalarium quasi *stultum & improbum* „*calumniatorem* arguit, quod in nocturnis offi„ciis quædam *humani ingenii figmenta* adhibe„ret. Idem explicat in altero libro *de correctio„ne Antiphonarii*, in quo nonnullas Antiphona„rum & Responsoriorum emendationes ab A„malario factas reprehendit: correctus & ipse „a viro, modestissimo, Josepho Maria Thomasio „in Notis ad Responsorialia & Antiphonalia „Romana, ubi quædam Amalarii restitutiones „vindicantur ad fidem veterum Codicum Ec„clesiæ Romanæ. Sic rigidi censores, aliquan„do in se provocant justam censuram aliorum. „Tertius denique Agobardi fœtus est *contra li„bros quatuor Amalarii Abbatis*, id est contra li„brum ejus *Officialem*, in quo nonnullas mo„rales interpretationes Agobardus idem su„gillat.

„Non minus Amalario infensus fuit Florus „Diaconus, ac demum Presbyter Ecclesiæ „Lugdunensis, à quo Amalarius in medium „provocatus fuit in Concilio Carisiacensi: ab „eodemque in Concilio Episcoporum apud „Theodonis villam annis 835 & 837 accusatus, „quod *Christi corpus triforme* dixisset, & quod ri„tus sacrorum *passim induceret ad mysticas signi„ficationes*. Quid in utroque Synodo gestum „sit, explicat Florus ipse in Epistola mox lau„data, tum in Opusculo subsequenti, tum in „alia Epistola ad Patres Concilii apud Theo„donis villam congregati. Prima Epistola „*Drogoni fatri Consilii Magistro & Pontifici claris„simo, Hetti Trevirorum Antistiti, Aldrico reveren„dissimo Cenomannorum Episcopo, Rhabano Abba„ti venerabili, & ex provincia Lugdunensi prima „Alberico Lingonensi Episcopo* nuncupata est. „Primum ac præcipuum caput accusationis „est, quod doceret *præceptor ipse Amalarius e„gregius, ita corpus Christi esse triforme ac triparti„tum, ut tria sint Christi corpora: primum, quod „ipse suscepit: secundum in nobis, qui super terram „ambulamus: tertium, in illis qui sepulti jacent.* „Atque ideo in sacrificio Missæ *tres debere fieri „partes: unam in calice pro Christo: alteram in„patina pro vivis: tertiam in altari pro mortuis:*" Alterum accusationis caput est, quod idem Amalarius, plerosque Sacrificii ritus ad mo„rales & figuratas, uti mox dicebam, significa„tiones transferret. Tertium denique est,„ quod *Libellum Romani Ordinis tanta auctoritatis„ haberet, ut eum pene ad verbum niteretur expo„nere: tametsi huic libellum Romano Archidia„cono, cujus traditionibus gloriabatur, ignotum fuisse„* fateretur. Verum tantum abest, ut Amala„rius ob expositum *Romani Ordinis* libellum, de„ Ecclesia male meruerit: ut econtra multum„ ei obstricti simus, quod hujus libelli antiqui„tatem dignitatemque nobis unus ex priscis au„ctoribus comprobaverit."

Præter superius memorata opuscula, idem„ Amalarius composuit *Eclogam de Ordine Roma„no*, quæ ab eruditissimo Stephano Baluzio pu„blici juris facta est in Appendice ad Capitu„laria Regum Franciæ, tomo 2 col. 1352 &„ sequentibus, atque iterum hic Joannes Ma„billon ad calcem Scriptorum *de Ordine Roma„no* pag. 549. In hujus Opusculi titulo Ama„larius vocatur *Abbas*, cum in Codice Sancti„ Galli, ad quem Baluziana editio accurata est,„ tum in Einsidlensi: quemadmodum etiam in„ titulo tertii libelli, quem Agobardus adversus„ Amalarium condidit, de quo hæc modo dicta„ sufficiant."

Hæc nobis *de Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono primum ac postea Presbytero* collecta, verbatim fere suggesserunt Aubertus Miræus in Scholio ad caput 92. Sigeberti *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Joannes Bollandus, Præfatione Generali in Vitas Sanctorum cap. 4. paragrapho 6 pag. 48 & 49. & paragr. 7 pag. 50 & 51. Et in Præfatione ad Tom. 2. mensis Martii, ubi Martyrologium Bedæ ac Flori ex MSS. Codicibus produxit in lucem. Joannes Mabillon Tomo I. Analectorum in Disquisitione *de Venerabilis Beda & Flori Diaconi Lugdunensis Commentariis in Paulum ex dictis S. Augustini* pag. 12. & sequentibus. Et tomo 4. eorundem pag. 630. Denique Tomo 2. *Musæi Italici*, Commentario ad Ordinem Romanum pag. 3. 4. & 5.

WANDELBERTUS MONACHUS PRUMIENSIS ABBATIÆ ET DIACONUS, cujus mentionem facit Sigebertus cap. 128. *Catalogi*, circa annum 840 clarus extitit, quem laudat Trithemius lib. 2. *de Viris illustribus Ordinis divi Benedicti* cap. 36. his verbis. „Wandalbertus Diaconus & Monachus„ Prumiensis Monasterii in Diœcesi Trevirensi„ natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis„ doctus, & in secularibus literis valde peritus,„ Rhetor & Poëta insignis, sermone clarus &„ nitidus &c, Scripsit etiam metrice *Martyrolo„gium totius anni lib. I.* & alia plura quæ ad„ meam notitiam non venerunt. Claruit sub„ Lothario Imperatore, an. Domini DCCCLIV." 840.

Aubertus autem Miræus verba Trithemii repetit in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 316 ad annum DCCCXL. Exscripserat autem manu sua *Martyrologium* Wandelberti doctissimus Emericus Bigotius, cum Bataviam inviseret, ex Cod. MS. Isaaci Vossii, viri comitate singulari ac politiori literatura, multarumque rerum scientia clarissimi. Adscripserunt falso Venerabili Bedæ, typographi Parisienses & Basileenses, illud cum *Ephemeridibus* anno 1563 & sequentibus Bedæ editionibus accensentes. Deinde Joannes Molanus, distributum in dies, sparsim Vsuardi Martyrologio Coloniæ & Lovanii in 8. 1568. interseruit, subductis nonnullis versibus. Nunc integrum & purum, suo auctori restitutum & nitori, edidit Parisiis in 4. anno 1661. Tomo V. *Spicilegii* pag. 305. Lucas Dacherius Monachus Benedictinus, una cum Præfationibus soluta & stricta oratione concinnatis, atque iis quibusdam quæ *Martyrologium* subsequuntur, quæ Vossius ipsemet descripta ad privatum Bigotium misit, eo tempore quo *Spicilegii* tomo V finem Dacherius imponeret. Wandelbertus autem *Commendatione* ad Cæsarem ubi Lotharium laudat, non obscure annum exprimit quo *Martyrologium* texuit, istis præcipue versibus.

Lustra per orbem
Quinque excurrunt,
Nomine postquam
Clarus & armis,
Cæsariana
Jura retentas.

Vbi aut ab imperio Lotharii, Wandelbertus initium ducit, cum Ludovicus Pius anno 817. coronatum voluit filium Imperatorem: aut ab eo tempore, quo Romæ anno 823 à Paschali Papa Lotharius inauguratus fuit. Si primo modo, addens quinque lustra, sive viginti quinque annos, tum annos 842 salutis numerabis, quæ est sententia Joannis Bollandi. Si secundo modo supputes, anno salutis 848. conscriptum fuit. Suum vero *Martyrologium* confecisse testatur, dum annum ætatis XXXV. ageret, in *Conclusione* pag. 343.

Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser, quintus & insuper
Ævi curriculis orbis adest, atque mentibus.

Joannes Molanus in Præfatione ad Vsuardi Martyrologium cap. 5 de Wandelberto ingenue fatetur, ipsius Martyrologium à Bedæ Ephemeridibus mutuatum esse, deinde subinfert: *In Codice quodam variarum bibliothecarum, qui ante annos 80. aut circiter conscriptus est, & Lovanii asservatur, quæsivi MSS. Wandelberti exemplaria, sed unicum tantum indicabatur in Bibliotheca Regularium Lovanii in Valle S. Martini, ubi tamen nunc non est, quomodocunque id acciderit: ac proinde æqui bonique consulas, Candide Lector, quod Wandalbertus non satis castigatus prodeat.* Hæc Molanus, sed falso, certum enim est Wandalbertum non accepisse sua ex *Ephemeridibus* Bedæ adscriptis, quæ non sunt antiquiores seculo XIII, sed auctorem harum *Ephemeridum* anonymum, utpote Wandalberto quadringentis annis recentiorem, mutuatum esse ex Wandalberti Martyrologio antiquiore. Nullum enim in Wandalberti Martyrologio interpolationis indicium. Vt autem in Dissertatione *de Operibus Bedæ* cap. 1. diximus, Auctor hujus operis longe Beda recentior est, quippe qui ad diem Junii V mentionem faciat Sancti Bonifacii Moguntinensis Archiepiscopi, qui anno tantum 754 viginti circiter post Bedam annis, mortuus est. Ad diem Julii IV Sancti Vdalrici Augustani Episcopi, qui seculo X anno 973 humanis fato functus est. Die 15. Augusti, meminit festi Assumptionis B. Mariæ Virginis. Die 8. Septembris, meminit Nativitatis B. Mariæ Virginis: quæ festivitates apud Latinos seculum 9. non excedunt. Denique in Versibus, quibus omnem anni distributionem collegit sub finem operis, mentionem facit *Sanctæ Elisabeth Thuringiæ*, ordinis Sancti Francisci, quæ seculo demum XIII floruit. *Fertilis Elisabeth cantat Thuringia laudes* &c. quibus se recentissimum ac Germanum prodit.

Idem scripsit jussu Marquardi Abbatis librum unum *de Vita Sancti Goaris*, & alterum *de miraculis ejusdem*, quorum narrationem ad annum usque 839 perducit. Extat vero uterque liber apud Laurentium Surium ad diem Julii 6. & apud Joannem Mabillon seculo 2. Sanctorum Ordinis divi Benedicti pag. 275 & alios. Florebat anno 855 quo Lotharius Imperator in eodem Cœnobio mortuus est, de quo plura Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 316 pag. 239 & in Scholio ad caput 128 Sigeberti, *de viris illustribus* pag. 149. Ego in Supplemento Bellarmini, *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 850. pag. 243. Gerardus Joannes Vossius libro 2. *de Historicis Latinis* capite 35 pag. mihi 316. Diffuse autem admodum *de Martyrologio* Wandelberti Diaconi, Joannes Bollandus Præfatione Generali in Vitas Sanctorum ad Abbatem Lætiensem cap. 4. paragr. 8 p. 51 & 52 ubi illud anno DCCCXLII compositum esse vult. Lucas Dacherius in Præfatione ad Tomum V. *Spicilegii* cap. 10. pag. 18.

ERMENRICVS AVGIENSIS MONACHVS, claruit post annum 840 atque præceptorem habuit, ut ipse testatur, Walafredum Strabonem, cujus post mortem quæ anno 849 contigit, missus ab Auvavensi Monasterio ad Abbatiam Sancti Galli, scripsit circa annum 850. librum *de Grammatica* inscriptum ad Grimoldum seu Grimaldum S. Galli tunc temporis Abbatem ac Ludovici Imperatoris Archi-Capellanum, quam edidit Joannes Mabillon tomo 4. *Analectorum* pag. 329 ubi multa de suis rebus, atque sub Opusculi finem testatur 840.

tur se scripsisse librum *de Origine ac viris illustribus Abbatiæ Augiensis*, quod lapsu temporum excidisse creditur. Sic ergo de se Ermenricus loquitur.

„Ac ne me in his laudibus hypocritam sentiens, dicam tibi absque fuco simulationis, „quia prout nnsti, beatissimo præceptore meo „Walahfredo pro resporsso quudam Domini „Regis ad Carolum germanum suum pergente, ibique defuncto interim, quocum sperabas incolumem reversurum: jussisti me de „Auvavensi Monasterio ad Monasterium Sancti Galli commorandi & discendi gratia, proficisci, ibique à fratribus honorifice receptum, „aliquamdiu commoravi: quod & feci juxta „præceptum benignitatis vestræ. Idem pag. „335. sed quia de omnibus longum est commemorare, vel *de Vita Sancti Galli*, cujus tu „pastor quam optime tugurium possides & familiam regis, liceat amoris causa, virtutum „qunsdam flocccllos decarpere, & metricis „melodiis seu floreum diadema capiti tuo „componere: ut si superius te omni virtutum decore dixi gemmatum, sine corona tantum non te videat Sol stellatum. Scripsit „itaque ejusdem *Confessoru Christi vitam* supradictus præceptor meus, vir simplicissimæ vitæ & per omnia rectæ, *Dominus Walafredus* „tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum Sophistam, enutristi: „& ut plus in domo Dei luceret, lumine Dei „præventum, super candelabrum elevasti. „Sed heus proh dolor! Mors acerba quæ nulli pareere novit, subito eum nobis abstulit, nec „tamen sibi animam illam vindicavit, quam „Christus assumpsit. Voluit vero ille Poëtico cothurno *Gesta beatissimi Galli* canere, sed „morte præventus, vitam in vita finivit. Vnde ego rogatus sum à quibusdam fratribus, & „præcipue à devotissimo Gozperto, ne dicas „Calvo, sed pilis cephali aure tenus nudo, „omni tamen sanctâ benevolentiâ pleno, felicissimi Abbatis Gozperti nepote, cum quadam vi impulsus, ut quod Magister devotus „non impleret, ego cliens assecla complcam „illud factum asserens esse unum tan incipientis ex animo, quam præficientis præmium. „Fecissemque fateor in hac re votis satis, si „supradictus dilectus noster, in hac petitione „aliquam patientiam habuisset. Est enim tam „ferventis studii, ut unâ eademque hora, & lac „velit mulgere, & caseum premere: cum nec „Roma una die sit condita, sed neque triticum „eodem die metitur, quo seminatur.“ Agunt de *Ermenrico* Joannes Mabillon tomo citato 4. *Analectorum* in Notis ad Opusculum. Guillelmus Cavus, ad annum 850 pag. 544. *Historia rei litteraria*.

840. GRIMALDVS MAGISTER SCHOLÆ SANCTI GALLI, circa annum 840. claruit sub Grimaldo seu Grimoldo Abbate S. Galli, atque Ludovici Pii Archi-Capellano, qui postquam anno 849 Walafridus Strabo mortuus fuisset, Gozperto S. Galli Monacho instante, aggressus est libris duobus *Carmine* scribere *Vitam S. Galli Abbatis*, quam etiam voluerat aggredi Walafridus, sed morte præventus non perfecit. De hoc Opere Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pag. 640 num. XV. „Ibidem in alio codice *Vita S. Galli* metrice, auctore (ut creditur) Walafrido Strabone, ita incipit:

Promissi memor ecce mei, Gozberte, quod olim
Devovi, ad præsens, solvere chare volo.

Nihil continet singulare, ac Jodocus Mezlerus, ineunte hoc sæculo ad S. Gallum Decanus, Walafrido hoc carmen abjudicat, ob stili, ut putat, dissimilitudinem.“ Atque Ermenricus superius pag. 335. illam Vitam Walafrido denegat, dum inquit se rogatum esse à Gozperto post mortem Walafridi, ut vitam hanc metrice scribendam susciperet. Imo diserte hanc alteri anonymo tribuit, seu Grimaldo ad sanctum Gallum Magistro, quem nomine non expresso *Homerum novum* appellat. Rem autem à se non perfectam, quod sibi hujusce otium non adesset. Cum ergo Ermenricus Walafredo mortuo, id ad instantiam Gozperti facere non potuisset, Gozpertus moræ impatiens, Grimaldum Magistrum Scholarum Sancti Galli, qui ob famam poëseos *Homerus novus* dicebatur, rogavit ut idem aggrederetur Opus, de quo pag. 336. Ermenricus. *Ad hæc etiam de uno fonte non putavit sitibundus* Gozpertus, *sitim suam posse sedari. Ad mare cucurrit, scilicet ad Homerum nescio quem novum, pro hac re invocans cis Rhenum, qui in morem Flacci non currit in Poëmate, sed fluit.* Vbi alium à Walafrido *Vita S. Galli* metricum Scriptorem anonymum constituit, Grimaldum nempe Magistrum ad Sanctum Gallum, quem Homeri nomine designat. Nam Walafridus Strabo carmen quoddam *de Grimaldo Magistro* inscripsit, quem postea *Homerum* his versibus appellat.

Quamvis subter agas Regum tabularia vitam,
Non te prætereo, specubusne latebis *Homere?*
Novi namque Sicana tibi spelæa placere,
Solus ubi mensis Musarum & amore fruaris.

Homerus ergo ille, est Grimaldus Magister Scholæ S. Galli, qui caute distinguendus venit à Grimaldo seu Grimoldo sub quo scholas regebat, Abbate S. Galli & Archi-Capellano, qui anno 841. illius Cœnobii regimen Eckerhardo teste iniit, cui idem Ermenricus Augiensis Monachus suum *de Grammatica* librum nuncupavit, apud Joannem Mabillon tomo 4. *Analecto-*

ctorum pag. 329. Atque Abbas S. Galli anno 872. obiit juxta breves Annales Weingartenses, tomo 4. eorundem *Analectorum* pag. 477. Hæc summatim suggesserint Ermenricus & Joannes Mabillon locis citatis, ac pag. 640. num. XV.

840. GRIMALDUS SEU GRIMOLDUS, ABBAS S. GALLI, AC LUDOVICI IMPERATORIS ARCHI-CAPELLANUS, ante annum 840. clarus extitit, Walafridum Strabonem Fuldensem Monachum à Rhabano Abbate obtentum, Decanum S. Galli ob doctrinæ celebritatem instituí obtinuit. Extat inter Poëmata Walafridi Strabonis tomo 6 *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii *Hortulus Florum ad Grimaldum Cœnobii S. Galli Abbatem*, qui extat etiam in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis anni 1618. seculo seu tomo 9. parte I. pag. 1003. Ermenrico etiam teste oculato, de quo supra diximus, Grimbaldus plurimum laboravit, ut Walafridus Strabo *super candelabrum* poneretur, hoc est (ut interpretor) anno 842 eligeretur in Abbatem Augiæ Majoris, ob eximiam Grimaldi apud Ludovicum Imperatorem auctoritatem. Hic suscepit in se provinciam emendandi atque ad pristinam antiquitatem & puritatem restituendi *Sacramentarium divi Gregorii Papæ*, in qua se negligentissime gessit, atque plurima novæ etiam institutionis reliquit, unde corrupisse magis quam correxisse à multis dicitur. Ita censet Joannes Mabillon tomo 4. Musæi Italici *Commentario in Ordinem Romanum* pag. 167. his verbis. „Hic consequenter agendum esset de variis additionibus Sacramentario Gregoriano factis à Grimoldo Abbate, & aliis, qui Grimoldus videtur Abbas fuisse monasterii S. Galli apud Helvetios, is qui Grimaldus & Ludovici Augusti cognomento Pii, capellanus vocatur: quique Benedictiones Episcopales Sacramentario Gregoriano adjecit, quas non esse Romanæ institutionis, supetius observavimus. Sed longius nos ferunt hæ Commentationes. Ita loco citato Mabillonius.

Factus itaque GRIMALDUS anno 841. Abbas Sancti Galli, suscepit Sacramentarium S. Gregorii corrigendum, quod potius ab ipso corruptum dicitur. Illud edidit primum Angelus Rocca Romanus Bibliothecarius Romæ anno 1597. in 4. Idem autem factum de *Antiphonario* seu *Graduali* à Grimaldo creditur ac in *Sacramentario*, cum eædem accessiones ubique atque iisdem in locis reperiantur. *Antiphonarius* sive *Gradualis Liber*, ordinatus per anni circulum: & *Sacramentarius* sive *Sacramentorum liber de circulo anni*, bina ista opuscula prodierunt simul ex emendatione Grimaldi, inter Pamelii Liturgica tomo 2 Coloniæ 1571. in 4. Posterius separatim Parisiis 1642. in 4. cum Hugonis Menardi Monachi Benedictini eruditis notis. *Benedictionale* seu *Syntagma benedictionum* à S. Gregorio in rebus sacris usitatarum, de quo Joannes Mabillon loco citato, antea ratus Lambecius ineditum, ex MS. Codice bibliothecæ Viennensis integrum evulgavit libro 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ cap. 5. p. 300. Verum errorem suum postea correxit, idque à Menardo editum deprehendens Parisiis 1642. in Gregorii Magni libro Sacramentorum, non tamen Appendicis aut peculiaris operis loco, sed respectu temporis & argumenti singularum benedictionum, sparsim insertum & permixtum. Denique hæc edita in ultimis editionibus Parisiensibus omnium Operum Gregorii Magni, annorum 1640. & 1675. Porro tam diffuse de interpolatione *Sacramentarii* & *Antiphonarii* à Grimaldo Abbate S. Galli circa annum 840. vel 844. facta, egimus in Dissertatione singulari *de Operibus Gregorii Magni* cap. 5. supra, ut esset plane superfluum eadem hic repetere, ad quæ lectorem mittimus. Agunt autem pluribus de Grimaldo Abbate S. Galli, Jacobus Pamelius in Liturgicorum suorum præludiis, atque Hugo Menardus in editione *Sacramentarii divi Gregorii*, anno 1642. Parisiis in 4. Diffuse post hos duos Petrus de Gussa in villa Presbyter Carnotensis in editione omnium Operum divi Gregorii, quam Parisiis ad MSS. Codices collatam multo labore procuravit, anno 1675. tribus in folio tomis. Illic multis Tomo 3. in Præludiis ad *Sacramentarii Gregoriani* editionem, de Grimaldo correctore hujus Operis col. 1313. quem consulas ut sitim expleas. Hinc enim hausimus, atque ex ipsa Sacramentarii lectione, quæ protulimus supra cap. 5. Dissertationis *de Operibus Gregorii Magni*.

HAYMINUS, Ordinis Sancti Benedicti Monachus & Presbyter in Abbatia S. Vedasti Atrebatensis hoc quoque tempore claruit, ac reliquit Opuscula duo valde modica, unum *de Miraculis S. Vedasti interventu, suo tempore factis*, cujus initium *Sane quæ nuper & oculis probavimus &c.* quod legi per Octavam S. Vedasti in Choro Basilicæ Cathedralis Atrebatensis solet. Aliud instar Exhortationis *de virtutibus ejusdem Sancti* incipiens, *Excitentur obsecro filii lucis corda vestra &c.* Editum autem utrumque opusculum in *Probatis Sanctorum Vitis* à Jesuitis Antverpiensibus Tomo I. Februarii mensis ad diem 6 pag. 801, à Godefrido Henschenio. Claruit autem eodem tempore quo Milo Monachus Elnonensis, qui ad ipsum scripsit Libros IV. *de Vita S. Amandi Trajectensis Episcopi* à se carmine conscriptos, unde vix ante annum 840 collocare eum possumus. Cujus mentionem facit Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Hayminus* pag. 340 editionis 1643. Lovanii in 4. ubi eum Alcuini Discipulum, Caroli Magni condiscipulum facit, anno 834. mortuum. At Godefridus Henschenius in Commentariis ad Vitam S. Vedasti prævüs §. 7. num. 840.

num, 38. pag. 789. vult illum anno 843. mortuum, non anno 834. ut Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* scribit, quia annum illum prætergressum esse constat.

840. ANDREAS AGNELLUS, Abbas primum S. Mariæ ad Blachernas, & Sancti Bartholomæi Ravennatis, hinc autem Ravennatensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in ea sede ordine decimus, temporibus Ludovici Pii circa annum 840 floruit, vir arte eloquentiæ præstantissimus atque acri in omnibus rebus ingenio præditus, ut de eo Hieronymus Rubeus Libro V *Historiæ Ravennatis* pag. 238. tradidit, atque idem de Historia ejus Ravennatensi hæc paulo post subjungit: *Hac ex Andrea Agnello descripsimus, qui his non solum interfuit, sed præfuit, summaque doctrina eruditus, de Ravennatibus Archiepiscopis volumen gravissime scriptum reliquit. Quod cum diu in Archiepiscopatus bibliotheca fuisset, superioribus annis cum multis aliis sublatum, nullibi invenitur, magna quidem certe jactura.* Ejusdem quoque semel iterumque mentionem facit lib. 2 uti & 3, ac ut idem auctor est. *Joannes Petrus Ferretus ad verbum eum exscribere amat.* Opus porro istud Agnelli *de Archiepiscopis Ravennatensibus*, cum tandem nescio quo casu, in Bibliothecam Serenissimi Ducis Mutinensis pervenisset, illud in lucem emisit Benedictus Bacchini Benedictinus anno 1708. duobus in 4. tomis, qui Notis eruditis & Dissertationibus illustravit. Ita habet *Supplementum Diarii Eruditorum Parisiensium* anni 1708 mense Septembri pag. 584 editionis Amstelodamensis in 12. Idem *Diarium in Supplemento* mensis Martii anni 1709. p. 552. Mentionem facit hujus *Agnelli Ravennatensis* juxta Hieronymum Rubeum, *Joannes Petrus Ferretus, Poëta celebris Vicentinus*, qui eum transscribere amat, in *Historia Latina V. libris distincta*, quas auspicatur ab excessu Friderici II qui in annum MCCL incidit, atque eos ad annum MCCCXVII. quo ipse florebat, perduxit. Inscripta simplici titulo istiusmodi, *Ferreti Poetæ Vicentini, suorum & paulo ante actorum temporum Historia*, cujus meminit Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 9 pag. 794 editionis ultimæ. Idem Vossius *de Andrea Agnello* post Baronium Tomo IX *Annalium* ad annum DCCCXXIV, sed ex Rubeo, quod ne in Vaticana quidem bibliotheca superfuisse indicium est, libro eodem 3. *De Historicis Latinis* cap. 4. p. 757. editionis præfatæ.

Acta Eruditorum, Lipsiæ anno MDCCX. mense Augusto, pag. 330. ad 336. accuratum & sincerum de hoc Andreæ Agnelli Opere judicium ferunt, & injurias atque convicia quibus illum immerito Benedictus Bacchinius infamavit, confutant atque eliminant: ut ab ipsis illorum analyseos verbis recedere non ausim. Is autem ante censuram & analysim titulus:

Agnelli, qui & Andreas, Abbatis Ravennatis, liber Pontificalis, sive Vitæ Pontificum Ravennatensium. D. Benedictus Bacchinius, Abbas S. Mariæ de Lacroma, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, ex Bibliotheca Estensi eruit, Dissertationibus & Observationibus, nec non Appendice monumentorum illustravit & auxit. Mutinæ typis Antonii Capponii, 1708. 4. Alphab. 5. plagis 16.

„Præsens Agnelli Scriptum laudabili nunc primum opera doctissimi Bacchinii (cujus de Ecclesiasticæ Hierarchiæ origine Dissertationem, quam ut scriberet, ex hoc ipso Agnelli opere occasionem nactus est, justis elogiis mactavimus in Actis anni 1705. pag. 330. & seqq.) in lucem protractum sistimus, postquam per plurium seculorum decursum in Italia latuit, nec nisi ex Hieronymi Rubei testimonio, qui in describenda Ravennæ historia, Agnello illo sæpius duce usus fuerat, in plerorumque notitiam devenerat. Unde & factum, ut Eruditorum quidam in errorem sint adducti, rati Agnellum hunc eundem esse, qui sexto seculo Ravennatium Episcopus fuit. Hunc enim errorem Vossius Lib. 3. de Historicis Latinis cap. 4. pag. mihi 757. editionis 1651. aberravit, quem Guilielmus Caveus in Historia litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum, ad seculi VI annum 555. secutus videtur: ac merito proinde Vossium emendat eruditissimus Agnelli editor, cujus tamen errorem jam notatum observamus à Sandio in Notis & Animadversionibus ad Vossium pag. 291. Præmissa est autem Operi huic Præfatio longior, cujus initio vitia quædam Agnelli recensentur, sed ejus fere generis, ut ea facile condonaturus Auctori ipsi videatur Cl. Bacchinius, nisi idem sæpius invectus esset in Præsulum suæ ætatis mores corruptissimos, ac præterea juta Romani Pontificis in Archiepiscopos Ravennatium identidem oppugnasset: quæ & causa fuisse videtur, cur liber jam tum anno 1708 prælo absolutus, nuper demum in vulgus prodierit. Hac enim re inductus, non solum sæpenumero eum Schismaticum vocat: sed & contra eum parte I. pag. 281. tradit, Valentinianum III. Imp. Præsuli Ravennati pallium concessisse, quod idem Rubeus memoriæ prodidit: & parte II pag. 85. refert, Maximianum Episcopum Ravennatium pallium à Justiniano Imp. accepisse, copiose disputat, eumque erroris convincere operose conatur, in Præfatione à pag. 20. usque ad pag. 45, adeoque usque ad finem Præfationis. Illud tamen non dissimulat, Agnellum omnium primum Ravennatium Pontificum Acta perscripsisse, ejusque operâ esse usos, quotquot eodem

dem de argumento postea scripserint. Ipsum opus in duas Partes secuit, priore Vitas Archiepiscoporum ab Apollinari ad Ecclesium usque complexus, posteriore ab Ecclesio ad Georgium, qui seculo IX Episcopatum gessit, Agnello σύγχρονος. In utraque parte ita versatus est editor, ut non solum vitis ab Agnello descriptis Observationes subjecerit, multum lucis Auctori affundentes: verum etiam Dissertationes septem Historico-chronologicas interseruerit, quibus singulorum Pontificum ætatem exquirit, ac temporis diligentissimam habet rationem. Quid? quod nec dubitavit Agnello præmittere Scholastici anonymi versus, rudes quidem & impolitos, qui in MS. codice extiterant, quos & docte illustrat explicatque. Quando vero ad hosce versus perventum est, de Petronacio Archiepiscopo agentes:

Alterum ab undecimo quem Presbyterumque creavit,
Summus is Antistes, merito sede (lege sed &) *urbis opima.*

eos ita pag. 57. explicat, quod significetur his verbis, Petronacium undecimum esse à Theodoro, qui Romani Pontificis obedientiæ se submiserit. Sed pag. 61. ingenue fatetur, ne sibi quidem ipsi hanc explicationem satisfacere, *cum alter ab undecimo non sit undecimus.* Liceat igitur paucis Poëtæ mentem declarare. Nimirum citatis verbis non Petronacius describitur, sed Agnellus noster, quem Petronacius alterum ab undecimo, hoc est, decimum Presbyterum ordinarit. Id quod confirmamus ex ipso Agnello, qui in Vita Maximiani parte 2. pag. 103. diserte scribit se esse *decimum Presbyterum in ordine sedis.* Absolutum hac methodo opus excipit Appendix, quæ continet primum compendiosissimam Archiepiscoporum Ravennatium histotiam, ab Anonymo quodam usque ad Opizonem, qui fuit octogesimus tertius Archiepiscopus, anno 1300. mortuus, deductam. Vbi tamen diligentissimus Editor complura alia monimenta nondum ante edita inseruit: ut pag. 29. ad 34. Vitam S. Severi, Ravennæ Archiepiscopi, ex Lectionario antiquo Ravennati descriptam. Hanc vero Vitam ex Agnello desumptam esse, collatio manifestum reddit: ita tamen, ut historiis ab Agnello narratis (si modo sunt historiæ, & non potius manifestæ & putidissimæ fabulæ) additæ sint morales digressiones. Rursus a pag. 39. ad pag. 58. ex antiquo quodam Lectionario publicatur Vita Barbatiani Confessoris, quæ & ipsa referta est magna & vere incredibili miraculorum ab eo patratorum multitudine. Porro pag. 62. ad 67. exhibetur venerandæ antiquitatis documentum de fundis Siciliensibus, ex autographo in papyro Ægyptiaca descripto desumtam. Quod cum Mabillonius in Appendice operis sui Diplomatici jam ediderit, Bacchinius facta autographi & editionis Mabillonianæ collatione, id recudendum curavit. Sic pag. 80 ad 90. ex cathedralis Mutinensis Tabulario, edidit Acta ἀνέκδοτα Concilii Romani sub Nicolao I. Papa, contra Joannem Ravennatem Archiepiscopum habiti. Memoratu etiam digna est, quæ pag. 94 ad 96 exstat, Constitutio Ottonis Imperatoris in Romano Concilio A. 998. habito, (cujus alibi mentionem heri Bacchinius non meminit) qua Episcopi & Abbates prohibentur, possessiones Ecclesiasticas vendere, vel cognatis suis donare. Pag. 110. hujus Appendicis, ubi finitur Historia Anonymi memorata, sequitur continuatio ejus, Auctore Paulo Scordilli, qui se fuisse Doctorem Decretorum & Præpositum Ravennæ, ipse testatur pag. 131. 134 & 137. Auctor iste sequentium Archiepiscoporum Ravennatum vitas uberius persequitur, atque ad sua tempora, adeoque usque ad Joannem Archiepiscopum XCV, qui vixit initio seculi decimi quinti. Hic rursus doctissimus Editor interjecit curiosa quædam & antiquitatum cultoribus gratissima. Nam post pag. 138. quatuor æneis laminis descripta exstat sedes Pontificum Ravennatium, quam se vidisse Bacchinius testatur in archivo Archiepiscopalis illius Ecclesiæ. Denique pag. 341 & seqq. ex Codice membranaceo Tabularii Mutinensis Cathedralis, qui seculo XI scriptus videtur Editori, exhibetur Calendarium pro divinis officiis & regulæ pro anni temporibus, quibus ex Computistarum rationibus ea disponebantur. Sed redeundum est ad Agnellum, cujus fides in antiquorum Episcoporum vitis non videtur omni exceptione major: quippe cum ipsemet fateatur, se conscribere historias vulgo creditas & communi traditione nixas: sed circa tempora ab se propius remota, major ejus esse debet autoritas. Primum Ravennæ Episcopum facit S. Apollinarium, natione Antiochenum, Petri Apostoli discipulum, quocum Romam pervenisse, & ab eo post aliquot annos Pontifex ordinatus esse scribitur. Ab eo refert Agnellus, plurima miracula patrata esse quæ recenset, addens, ei in vincula conjecto, Angelus victum cœlestem ministrasse. Tandem Episcopatu annis 28. gesto, cum martyrio coronatum esse refert temporibus Vespasiani Cæsaris. Inprimis lectu digna est Vita Mauri parte 2. pag. 270 & seqq. cujus contentiones cum Papa Romano enarrat Agnellus, & simul affert ejus Epitaphium hisce verbis conceptum: *Hic requiescit in pace Maurus Archiepiscopus, qui vixit annos LXVII, qui tempore Domini Constantini Imperatoris, liberavit Ecclesiam suam de jugo Romanorum servitutis.* Nec observatu indignum, quod Agnellus in Prologo operis sui pag. 73. *Libros Dialogorum* Gregorio Magno Papæ tribuat, de quorum auctore alias Eruditi disputant. Nec pauca sunt

in

„in Agnello, civilem illustrantia historiam. Sic „parte 2. pag. 178. meminit, Narsetem Romæ „obiisse annos 95. natum, ibidemque & sequentibus paginis Alboini Longobardorum Regis „cædem opera uxoris Rosmundæ, cui patris „sui cranium vino repletum præbuerat „bibendum, patratam meminit, quam „historiam paulo aliter enarrat Paulus Warnefridi lib. 2. cap. 28. Idem Agnellus parte 2. pag. 466. testatur, Carolum Magnum „obiisse die 30. Januarii. Sed operæ pretium „majus facturi videmur, si ex Editoris annotationibus doctissimis, nonnulla afferamus in „gratiam studiosorum antiquitatis. Parte 2. „pag. 488. observat, Oblatas sive Hostias Agnelli ævo diversæ quidem formæ fuisse & „differentis artificii à vulgari pane: eas tamen, „licet ex azimis confectas, ad placentarum modum crassas fuisse & in furno coctas. Parte „I. pag. 104 & sequentibus erudite demonstrat, „Acta Concilii Romæ à Julio celebrati Anno „337, quæ circumferuntur, & à Baronio pro genuinis habita sunt, esse suppostitia. Julium „Firmicum Maternum, quem à Baronio inter „Episcopos Mediolanenses male referri notat, „Opus suum *de Mysteriis profanarum religionum*, „scripsisse imperantibus Constantio & Constante, post annum Christi 348. ostendit parte I. pag. 113. & seqq. Elegans quoque est „observatio parte 1. pag. 298 & seqq. & parte „2. pag. 65, non licuisse olim intra Basilicas sive templa, fidelium corpora sepeliri: sed tamen fas fuisse, cœmeteria circa templa fieri, „nec non ædiculas fidelium sepulturæ dicatas. „Cum vero ex Petri Chrysologi, qui seculo V „Ravennæ Archiepiscopus fuit, versibus ab A„gnello parte 1. pag. 330. allatis:

- - *sesternat bumi, morbosque latentes*
Ante pedes Medici cura properante recludat.

„Bacchinius in Præfatione §. VIII. pag. 14. probari posse putat *auricularis confessionis proximam*, „illo jam tempore vigentem: veremur, ut cordatiorum multos in assensum pertrahat. „Quando Agnellus parte I. pag. 233. in Vita „Petri memorat, cum *alapas Evangeliorum* ex auro optimo & geminis lucidissimis fecisse, & „effigiem illius itidem factam fuisse: annotat „Bacchinius pag. 235. per *alapas*, hoc loco intelligi tabulas exteriores, quibus Evangeliorum liber compactus fuerat: addens, barbarum illud *alaparum* nomen, Glossariorum scriptoribus ignotum esse. Sed veremur, ne librarii manus isthoc loco aberraverit, & pro „*alas* oscitanter *alapas* scripserit. *Alarum* certe vocabulo commode insigniri possunt duæ „illæ tabulæ, quibus libri compinguntur: quem „ad modum & latera templi *alas* vocata esse, ex „Gervasio quodam, probat Carolus du Fresne „in *Glossario*. De Hieronymo Rubeo, Ravennatis historiæ scriptore percelebri, parte 1. „pag. 8. hoc fert judicium: *Fecit id ille sane summa latini sermonis puritate, eoque accurato scri-*

bendi genere, quo Livii gloria amulus audit: at“ *quod pertinet ad chronologiam, rerumque & scri-*“ *ptorum crisin, plura ex arbitrio scripsit, & sæpius*“ *veritatem ita parergis ornavit, ut simplicitate ad*“ *emptas fucum obtruserit. Verum, quod pluris est,*“ *spretis vera Agnello narratis, falsa nonnulla ita in-*“ *fernit, ut Agnello tanquam gravi auctore laudato,*“ *& ejus & vera esse, ullus vix inficiari posset.* Etiam parte 1. pag. 80. refert, Rubeum historiam illam suam, nova editione, eaque supra dimidium aucta, Venetis typis anno 1590. in publicum produxisse. In antiquarum fabularum numero ponendum est, quod Monachi in vitis Episcoporum describendis persæpe memorant, supra caput eorum ad Episcopatum electorum apparuisse columbam. Videatur hujus operis Appendix pag. 4. 5. 13. 14. & pluribus locis, & ipse Bacchinius parte 1. pag. 173 & seqq. Id quod in memoriam nobis revocat historiam in Actis de Martyrio Polycarpi supra mense Majo recensitis constantem, quæ traditur ex Polycarpi gladio confossi corpore columbam processisse. Hinc enim liquet, Auctorem illorum Actorum eo respexisse, quod sicut Spiritus Sanctus sub specie columbæ, supra Polycarpi, cum Episcopus eligeretur, caput apparuerit: ita jam ex ejus corpore, cum anima discesserit, hoc facto testatus, Polycarpum verum, sanctoque Spiritu repletum fuisse Episcopum. Ex quo colligere licet, Acta illa Martyrii, si non plane subditiria, certe à credulo quodam & superstitioso Græculo interpolata fabulisque aucta esse. Antequam de manu deponamus eximium hoc Opus, lubet quædam Agnelli testimonia afferre, de corruptis Clericorum moribus. Ac sane mirandum est, Bacchinium in his fidem derogare Agnello, cum tamen omnis ævi historia confirmet, nimiis Episcoporum honoribus opibusque, sanctitatem morum velut suffocatam esse, & ejusdem generis complura testimonia in hoc ipso opere exhibeantur, & quidem in monimentis non ab Agnello profectis. Graviter itaque Agnellus conqueritur de Episcoporum sui ævi avaritia, luxu & turpissimis moribus, parte 2. pagg. 101. 202. 224. & sequentibus 231. 233. 295. & 304. Et parte 1. pag 39. laudato Ecclesio Archiepiscopo exclamat, *Heu vobis gregibus, quales erant Pastores? quantum mutati estis ab illis!* “

Qui hoc *Pontificale Archiepiscoporum Ravennatensium* edidit, Benedictus Bacchinius, Monachus Ordinis D. Benedicti Congregationis Cassinensis, quod olim in archivis Ecclesiæ Ravennatis MS. asservatum, hinc furto subtractum, in biblinthecam Estensem venit: hic inquam Bacchinius multa mentitus dicitur, in Romanæ Ecclesiæ gratiam, quæ ab antiquis temporibus Ecclesiam Ravennatem à se ab omni ævo independentem, sibi subjugare, omnibus machinis & fraudibus tentaverat. Cum autem multa de hoc facinore dissimula-

verit, ne Romanis Pontificibus displiceret, Bacchinius Abbas, ideo ad Eruditorum satisfactionem & votum, placuit *independentiam Ravennatis Ecclesiæ* explicare ipsis verbis viri clarissimi qui argumentum diffuse tractavit, Christophori Sandii *Historia Ecclesiastica enucleata* seu *Historia Arianorum* libro 3. pag. 297. 298. 299. & 300. editionis Amstelodamensis in 4. 1676. quæ Coloniæ apud Joannem Nicolai impressa scribitur.

„Anno 454 tempore Attilæ vixit S. Joannes
„Pontifex Ravennæ, prout vocatur à Michaele
„Ritio. Hic fuit Arianus, & teste Agnello lib.
„*de Archiepiscopis Ravennatibus*, idem est cum eo,
„cui Flavius Valentinianus primatum videtur
„concessisse præ Romano, cui conjecturæ an-
„sam dedit defectus in Epistola illa Valenti-
„niani ad Joannem Episcopum Ravennatem
„apud Baronium & Rubeum: qui defectus
„annon studio Romanorum sit inductus, diju-
„dicent eruditiores. Ita enim legitur, *Proinde*
„*Imperiali auctoritate sancimus, sanctitatem tuam,*
„*& sanctam tuam Ravennatem Ecclesiam, atque*
„*universos postea Deo . . . . . . præsules Archi-*
„*cratica dignitate evectam, Metropolita decore sub-*
„*limandam, seu Archiepiscopali fastigio . . . . .*
„*præponendam.* Hoc privilegium, quod certo
„Joanni jus pallii concessit, innuit Simplicius
„Papa ad Joannem Ravennatem scribens:
„*Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi ab-*
„*utitur potestate.* Nec aliter verosimile est fe-
„cisse Valentinianum, cum ipse, ut scribit Ma-
„chiavellus in *Historia Florentina*, relicta urbe
„Roma, Ravennam transtulerit Imperii sedem.
„Nam novimus etiam Joannem Patriarcham
„Constantinopoleos sedis Imperialis in Orien-
„te, de prærogativa cum Præsule Romano
„certasse, primatum ei tribuente Imperatore
„Mauritio. Cumque potestas esset illo tem-
„pore penes Imperatores, constituendi digni-
„tates Episcopatuum: quis non credat Impe-
„ratores Episcopum istius urbis aliis antepo-
„suisse, cujus sedem ipsi eligerent, adeoque ca-
„put Imperii constituerent? Quod autem
„non fuerit ex traditione Apostolica prærroga-
„tiva Romani Pontificis, vel exinde liquet,
„quod non tantum Episcopi Orientis legun-
„tur se opposuisse Episcopo Romano: sed &
„Theodorus Archiepiscopus Ravennas, primus
„se subjecisse sedi Romanæ dicitur. Quid?
„quod Ecclesia Mediolanensis (fuit autem Me-
„diolanum etiam quasi sedes Imperialis & Re-
„gum plurium Longobardorum) legatur etiam
„a temporibus Apostolorum libera fuisse. Ipsi
„Clerici Mediolanenses contra Petrum Damia-
„num, *Ambrosianam*, ajunt, *Ecclesiam antiquis Pa-*
„*trum institutis liberam, nec Romanis legibus obno-*
„*xiam esse, neque Pontificem Romanum jus ullum*
„*in sua Ecclesia ordinanda atque constituenda ha-*
„*bere.* Neque vero solum Mediolanensis, sed
„& Carthaginensis (ubi fuit sedes Regum Van-
„dalorum & Alanorum) Antiochena, Alexan-
„drina, & Aquilegiensis sedes, æqualitatem si-
bi cum Ecclesia Romana vendicarunt. Ita“
seculo XII Rudolphus sive Radulphus co-“
gnomine Mamistanus, Antiochenus Patriar-“
cha, detrectabat subjici Romano Pontifici,“
quem dicebat non sibi superiorem, sed parem.“
quod utraque cathedra Petri esset, imo &“
Antiochenæ quasi primogenitæ insignior præ-“
rogativa Baronius ad annum 1236. Qua“
fronte autem aut quo saltem argumento,“
Constantinopolitana Ecclesia aut Ravennas,“
interque alios hujus urbis Antistites, Joannes“
hic de quo agimus, primatum præ Ecclesia“
Romana sibi vendicassent, sine constitutione“
Imperatoria (& quod Ravennam concernit,“
sine privilegio Imperatoris Valentiniani) si“
contrarium ex consuetudine primæva sem-“
per obtinuisset? Nominent utique Romani“
saltem primum Ravennatem aut Constanti-“
nopolitanum Episcopum, qui propria auctori-“
tate primatum sibi vendicasset: aut primum“
Mediolanensem, Carthaginensem, Antioche-“
num, Alexandrinum, Aquilegiensem, qui æ-“
qualitatem cum Romano temere usurpasset.“
Cæterum antiqui Episcopi Romani, aliique“
Episcopi fratres & coepiscopos se mutuo vo-“
cabant: nec tantum Romanus cum aliis di-“
ctus est *Episcopus*: sed & alii cum Romano,“
Papa, Pontifices, Præsules, Antistites, Sacerdotes, Apo-“
stolici, Successores & Vicarii Petri & Pauli, alio-“
rumque Apostolorum, quin etiam *Christi Vicarii*:“
ipsorumque sedes *Sedes Apostolicæ* dictæ. Vide“
hac de re Baluzii Notas in Salvianum & Vin-“
centium Lirinensem. Sed redeamus ad pri-“
vilegium Valentiniani, in quo pergit ille:“
Conferentes ei ob decorem Apostolicæ dignitatis, ho-“
norem pallii & omnem Pontificalis decoris usum.“
Subjicit autem ei sedes 14. Sarsenæ, Cæsenæ,“
Forum populi, Forum Livii, Faventiæ, Forum“
Cornelii, Bononiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, Pla-“
centiæ, Brixilli, Vico Rabentiæ, Hadriæ.“
Blondus recenset 12 Arimini, Cæsenæ, Fori Li-“
vii, Fori Pompilii, Faventiæ, Fori Cornelii, Bo-“
bii, Bononiæ, Mutinæ, Regii Lepidi, Parmæ &“
Placentiæ: prioribus 14 etiam superaddens“
Ariminum & Bobium. Nunc etiam dicen-“
dum de ipso S. Johanne Ravennate, quem“
Vghellus tradit sanctimonia vitæ fuisse præ-“
clarum, cui Valentinianus jus pallii & alia“
munera concessit, cui angelus apparuit, quem-“
que Attila confitetur se quasi cælitem vidisse,“
quando sibi obviam procederet. Ita Andreas“
Agnellus, qui vixit anno 823. *de Archiep. Ra-*“
vennatibus & Joannes Petrus Ferretus. De“
eodem ita scribit Johannes Thurocz *Chronici*“
Hungarici cap. 20. *Erat temporibus Attilæ in*“
civitate Ravenna Archipræsul quidam Johannes“
vocitatus, Ariana perfidia pollutus. Hic in fidis“
Apostolica, pariterque fidei Christianæ contemtum,“
duodecim Cardinales suæ sectæ constituisse, thesau-“
rumque ingentis copia habuisse narratur. Nico-“
laus Olhaus *de Vita Attilæ* cap. 15. *Erat*, in-“
quit, *tempore Attilæ Regis Hunnorum Johannes*“
Ra-

„*Ravennas Episcopus, hæresèos Arianæ defensor acerrimus, opibus jam olim congestis prædives, non minus in æmulationem, quam contumeliam Romani Pontificis, duodecim creavit Episcopos Arianos, ut eorum opera & adminiculo hæresim latius in Italia diffunderet.* Duodecim illi Episcopi, procul dubio præfuere duodecim locis secundum Blondum, Joanni Ravennati subjectis, & paulo ante enumeratis. Antonius Bonfinius Decade I. libro 6. *Ferunt*, ait, *Ungari in Ungaricis Annalibus, tempestate Attilæ, Joannem Ravennæ Antistitem fuisse Ariana perfidia infectum, & Apostolicæ fidei hostem pronunciatum, cui aqua & igni fuerat interdictum. Qui se Pontificem cum duodecim Cardinalibus Romano more statuens, & ad sustentandam dignitatem multum sibi auri fortè congesserat. Hunc etiam infulatum, pontificio habitu cultum, cum universo collegio Sacerdotum adventanti Attilæ occurrisse dicitur &c. Quod apud cæteros invenire non potui, de Ravenna nihil dixerim, quando Joannem* nominat *hæresiarcham, ex nomine aliquid oritur conjectura.* Hæc Bonfinius quidem scribit, quæ qui potest, intelligat. Historia autem illa quoque legitur in Hieronymo Rubeo de rebus Ravennatibus, qui sæculo superiore vixit. Ille eam allegat, ex *Pomerio Ravennatis Ecclesiæ* Ricobaldi Ferrariensis Ravennatis Ecclesiæ Canonici Cardinalis, qui vixit circa annum 1291. Et hic rursus ait eandem se legisse, in *Commentario Pontificio istius urbis* : In adventu Attilæ de Ravenna, sic legi in Commentario Pontificio ejus urbis. *Ravenna Attila hoc pacto pepercit, Joannes urbis illius Episcopus, sacris viris comitatus, vestibus sacris indutus, inalbescente cælo, extra urbem ad Attilam obsidentem pervenit, oravitque urbi & civibus ut parceret. Rex audita viri sancti postulatione, Deo sic animum inclinante & flectente se, sine maleficio quidem, respondit, sed dejectis tamen in terram postibus, ab exercituque & equis conculcatis, ingressurum : ne forte Ravennates suis id viribus aut consilio adscriberent. Eam conditionem libenter Joannes & Ravennates sunt amplexi, Attilaque aditum permisere : qui nihil contra fidem perpetrans, mediam per urbem transivit.* Ducibus suis tantam clementiam admirantibus, respondit Attila, Ravennatensem Archiepiscopum sibi cœlitem visum fuisse. Rubeus. Idem certe memoriæ prodidit Andreas Agnellus, qui circa annum 823. vixit, Volumine *de Archiepiscopis Ravennatibus*, quod opus cum aliis pluribus magni pretii MSS., fraude sublatum ex Bibliotheca Ravennate, conqueritur Rubeus. Callimachus Experiens quoque dictam historiam allegat, sed Episcopum vocat *Ionem* pro *Ioanne* : quem errorem ex abbreviatione scripturæ ortum suspicor. Verba autem ejus hæc sunt: *Convastata exinde Æmilia, pluribusque solo aquatis urbibus, cum Ravennam obsideret* (Attila) *Jones Episcopus cum universo populo, candidatus ac supplex suscepto imperio, ut civitati ædificiisque parceretur, obtinuit. Victoria tamen ingentem speciem prabuere, fores urbis à vectis deposita, pedibus intrantis & per adversam partem exeuntis exercitus, subjecta & calcata.* Adde *Theatrum Vitæ humanæ* Zwingeri, in Catalogo Hæreticorum.“

Subjungamus tamen adhæc quædam de Primatu Ecclesiæ Ravennatis, qui anno 593 exinde perspicue elucescit, quod Episcopus Ravennæ Johannes, qui teste Rubeo, de pallio cum Gregorio Romano disceptabat, vivus in Missarum solemnibus nominabatur: Ita enim scribit Gregorius Lib. 3. Epistola 37. ad ipsum Constantium Episcopum Mediolanensem, Romani æmulum : *Quia plurimi scandalizantur, quia fratrem & coepiscopum nostrum Johannem Ravennatis Ecclesiæ inter Missarum solemnia nominatis : requirenda vobis antiqua consuetudo est, & si consuetudo fuit, modo à stultis hominibus reprehendenda non est.* Romani autem Episcopi nomen illo tempore non nominabatur inter mysteria, quod conqueritur Pelagius I. Papa, qui sedit anno 555. ad 566. Huc etiam facit, quod Hieronymus Rubeus in Historia Ravennatensi scribit, *Non desunt qui affirment, ante Petri Apollinarisque in Italiam adventum, Ravennæ plerosque Christianos extitisse: atque ideo jure Ravennam θεόπολιν appellatam: quod nomen Antiochia, quia primam ibi Pontificatus sedem collocaverit, impositum etiam constat. Verum utut se res ista habeat, illud patet, in vetustissimis Ecclesiæ monumentis, Ravennam Apostolicum thronum vocari.* Errat itaque Baluzius, quando Notis ad Agobardi librum *de comparatione utriusque regiminis* cap. 2. dicit, Romanam sedem solam in Occidente *Apostolicam esse.* Porro scribunt quidem Theodorum Patriarcham Ravennatem, qui sedit anno 677. ad annum 688, primum se subjecisse Romanæ sedi. At prout hujus vecordia successoribus nihil juris derogat, ita legimus noluisse sedi Romanæ obedire Archiepiscopos Ravennates, Felicem sub Sisinnio Papa anno 707, Sergium sub Stephano Papa anno 752. Leonem sub Adriano Papa anno 772. & Johannem VII. sub Nicolao Papa anno 858. Ille enim noluit concedere suis, ut Romam visitarent, aut ad Pontificem Romanum provocarent, ideoque excommunicatus quidem est, sed ille nihilo fractior, voce & scriptis Papam Romanum vocavit *Antichristum*. Micrælius in Syntagmate Historico. Deinde initio seculi XI in eadem cum Mediolanensibus causa Adelbertus, & Successores ejus Heribertus, Gebehardus, Vuidgerus, Hunfridus, Henricus, Vuibertus, Otto Buceatorta, Hieremias & Philippus minime agnoverunt Romani Pontificis superioritatem, usque ad annum 1119: donec Gualterius Philippi Successor, secundum Vghellum se denuo Pontifici Romano Gelasio submitteret, reciperetque Æmiliam, quam Ottoni Buccatortæ anno 1106 Pascha-

„lis Pontifex ademerat : eo quod Ravenna-
„tium Metropolis tum per annos jam fere
„centum, adversus sedem Apostolicam se ere-
„xisset, ut scribit Baronius ex *libro Censuum*
„Centii Cameralis. De Reparato Ravennate
„hic monendum, quod Rubeus Libro 4. anno
„672. scribit, imaginem ejus atque Constan-
„tini Cæsaris librum privilegiorum Ravennatis
„Ecclesiæ Reparato porrigentis, in Apollinarii
„templi Classensis testudine, vermiculato ope-
„re conspici : & sicut hic meruit, ut in Vitis
„Ravennatum Archiepiscoporum de eo scri-
„beretur : *Verus pastor pie cum Clero suo vixit,*
„*nec passus est sub Romana subjaceri sede, ditavit &*
„*ampliavit Cleros :* ita Successor ejus Theodo-
„rus meruit quoque, ut de eo in iisdem Vitis
„scriberetur : *In sua sede fuit ille aque ac in*
„*grege lupus, leo inter quadrupedia, accipiter inter*
„*aves, & frugibus jam maturis procella & grando.*
„*Obiit hic nequissimus Præsul, maxima sacerdotum*
„*lætitia, qui Clerum totum suffocans devoravit, XIV*
„*Kal. Februarii. Elatus à quatuor Clericis, & hu-*
„*mi in porticu Divi Apollinaris submersus est.*
„Nam ipse non solum abrogavit diuturnas
„quasdam consuetudines, & decreta, quæ pro
„sacratis viris facere plurimum ad eorum di-
„gnitatem augendam videbantur, concrema-
„vit : sed & libertate Ecclesiæ Ravennatis post-
„habita, semet submisit Romano Pontifici, quod
„ejus facinus ægre tulisse visi sunt, Antistites
„Mediolanensis & Aquilegiensis ; & ob id in
„apertum odium incurrit Cleri, populique Ra-
„vennatis, dicentium Romanam Ecclesiam mul-
„to minorem esse Ravennate, quæ non solum
„Siciliæ, sed & Istriæ, plurimisque præterea ur-
„bibus ac locis dominaretur. Rubeus annis
„680. 685. 702. Tempore autem Caroli Ma-
„gni Roma prima, Ravenna secunda, Mediola-
„num tertia sedes habitæ sunt : & Luitpran-
„dus *de rebus Imperii* lib. I. cap. 13. scribit jam
„anno 916. temporibus Johannis IX. dicti XI.
„Ravennatis, Ravennæ sedem habitam secun-
„dam & proximam post Archipræsulatum Ro-
„manum. At anno 971 Valbertus Medices
„Mediolanensis in Synodo Romana ante Ar-
„chiepiscopum Ravennatem consedit & sub-
„scripsit, plurima enim oppida ab Imperatore
„Ottone dono acceperat. Contra anno 1050
„circiter, ex decreto Romani Pontificis, Hum-
„fridus Ravennas præcessit Archiepisc. Mediola-
„nensem & Patriarcham Aquilegiensem. Attila
„vero postquam Ravennæ pepercisset precibus
„Joannis, (ubi aliqui addunt Joannem Archiepi-
„scopum bellum potius contra Romam sua-
„sisse) Romam profectus, urbi etiam illi peper-
„cit. Id enim obtinuit Leo Romanus, cum
„persuasisset ei, ut Italia relicta, quæ sponte
„victoris *Ethnici* nutum spectatura esset, Visi-
„gotthos (*Arianos*) in Gallia subigeret, quæ
„unica gens in orbe toto, Hunnici imperii
„æmula atque hostis esset. Callimachus Ex-
„periens. “ Hucusque Christophorus Sandius, de Ravennatensis Ecclesiæ à Romana independentia.

THEOPHANES METROPOLITA NICÆNUS, Theodori Grapti frater Germanus, ejusdem fuit instituti, dogmatis atque certaminum pro venerandis Imaginibus socius, quarum causam maxime sub Theophilo Imperatore, qui eas impugnabat, tuitus est. Cum igitur Theophilus ille Imagines impugnaret, illique cum fratribus repugnaret Theophanes, nempe Theodoro atque Theophilo, jambicis versibus à Theophilo Imperatore exaratis eorum frontibus, in exilium missi sunt, in quo positus magnus & strenuus pugil Theodorus, cæteris superstitibus persecutioni, migravit ad Dominum. Cum autem Imperator Theophilus ab anno 829. ad 841. Imperium tenuerit, vix ante annum 830 ad 850 vel circiter, claruisse Theophanem Metropolitam Nicænum censeri debet. Narrat Guillelmus Cavus *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo IX. anno 818. pag. 519. *Theodorum Graptum* scripsisse *Epistolam ad Joannem Cyzicenum Episcopum de pœnis &, tormentis sibi fratrique à Theophilo Imperatore illatis*, quæ habetur Græce & Latine apud Vitæ ejus Authorem à Combefisio editum in Opusculo *Originum Constantinopolitanarum* ibidem pag. 204. Extat tamen Opus istud MS. Græce separatim sub nomine Theophanis ac fratrum ejus inter MSS. Codices bibliothecæ Marquardi Gudii, Consiliarii dum viveret Serenissimi Daniæ Regis, ut constat ex Catalogo hujus bibliothecæ tam impressorum Operum quam manuscriptorum, Kilonii anno 1706 in 4. impresso apud Bartholdum Reutherum. Illic Catalogi pag. 536. Codice 46. qui membranaceus, antiquus ac notæ optimæ, sexque foliis constat, Opusculum sub hoc titulo est. *Τῶν ὁσίων Πατέρων ἡμῶν Θεοφάνους Ἀρχιεπισκόπου Νικαίας, καὶ Θεοδώρου Μοναχοῦ καὶ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Θεοφίλου, ἀμφοτέρων Ὁμολογητῶν, καὶ τὰ μέτωπα διὰ Κυρίου κολαφθέντων, Ἐπιστολὴ ἐγκύκλιος πρὸς Ἰωάννην Ἐπίσκοπον Κυζίκου* &c. Hoc est, *Sanctorum Patrum Theophanis Archiepiscopi Nicani & Theodori Monachi & Theophili ipsius fratris, amborum Confessorum, Epistola circularis ad Joannem Episcopum Cyzicenum & reliquos omnes orthodoxos.* Incipit, *Ἀδικοίην τὰ μέγιστα σιωπῇ παραδοὺς τὰ εἰς ἡμᾶς γεγενημένα* &c. desinit autem *σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ καὶ παναγίῳ ζωαρχικῷ Πνεύματι αὐτοῦ, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.* Non igitur Theodorus hujus Epistolæ scriptor videtur, ut Cavus scribit, sed Theophanes, qui Archiepiscopus jam tum appellatur. Qui multis demum post fratris obitum annis, ærumnarum fructum tulisse creditur, Metropolitanus Nicænus circa annum 845 factus. Extat etiam Græce ab eodem scriptus *Canon seu Hymnus IX Odis constans, in Theodorum Fratrem*, in Menæo Græcorum ad diem Decembris XXIX, & exinde 840.

inde addita versione Latina, apud eundem Combefis. *Originum Constantinopolitanorum*, pag. 224. cujus etiam tenorem retulit Cardinalis Baronius, *Annalium Eccles.* seculo IX ad annum 842. quem videas. De *Theophane Niceno Archiepiscopo* Guillelmus Cavus loco citato, à quo nonnihil diffidemus.

840. ERMANRICUS seu ERMENRICUS FULDENSIS MONACHUS, litteris illic anno circiter 830 operam dedit, sub præceptore Rudolpho Monacho, qui vitam Rhabani Mauri Maguntinensis Archiepiscopi atque librorum ejus seriem posteris reliquit. Factus postmodum Ermenricus, Elwangensis Monasterii in Augustana Diœcesi Abbas, quod postea sub decimi medium seculi, degenerantibus illic ab instituto Monachis, ad Canonicos vertisse dicitur. Scripsit circa annum 840 *Vitam sancti Soli*, eo tempore, quo Fuldensi Monasterio Rhabanus Maurus præerat, ut ex cap. 6. patet, proindeque ante annum 847 quo Sedi Moguntinæ admotus legitur. Cum Ermanricus Fuldæ sub Rodulto Monacho litteris operam contulisset, hanc ob causam Opusculum istud præceptori suo dedicavit: quod primus edidit Henricus Canisius tomo 4. *Antiquæ Lectionis*, ac post eum Joannes Mabillon Seculo III. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 429 & sequentibus. Hic etiam interpolavit seu auxit *Vitam Sancti Magni seu Magnoaldi*, qua de re idem Mabillon Seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, ad annum 665. Hic caute distinguendus ab altero *Ermenrico Augiensi Monacho*, qui eodem tempore floruit, scripsitque *Libellum ad Grimoldum Archicapellanum*, in quo de Viris illustribus Monasterii Sangallensis agit: de quo Joannes Mabillon tom. 4. *Analectorum* pag. 329. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesia*, Seculo IX ad annum 850 p. 544. Et nos supra.

840. ALTFRIDUS, MONASTERIENSIS EPISCOPUS, ordine tertius, ad hanc sedem anno 839 assumptus, doctrina pariter & moribus clarus, *Vitam Sancti Patris Ludgeri primi Monasteriensis Episcopi*, qui Episcopus anno 802. factus, anno 809 die 26 Martii mortuus fuerat: scribere aggressus est, quam duobus complevit libris: *quatenus tam veneranda illius exempla multis ad ædificationem proficerent, nefas putans tanti viri latere virtutes*: inquit in prologo Vitæ istius, quam ediderunt Joannes Bollandus ad diem 26 Martii, & Joannes Mabillon seculo 4. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 1. pag. 15. & sequentibus. Guilielmus Leibnitzius inter *Scriptores Rerum Brunswicensium illustrationi inservientes*, Hanoveræ anno 1707. in folio, sumptibus Nicolai Foersteri editos, pag. 85. ad 100, de quo loquitur in *Introductione* ad Scriptores istos præmissa paragrapho seu cap. 4. Extat MS. Codex hujus Operis in nostra Bibliotheca Lugduno-Batava inter MSS. Codices qui ab hæredibus Isaaci Vossii empti sunt, Codice MS. Latino 184. Et etiam in Bodleiana Bibliotheca Codice 8678. in MSS. Codicibus quos Thomas Marescallus Bibliothecæ huic moriens legavit, Codice 116 quem Thomas Marescallus ipse ex Codice Vossiano descripserat. Altfridus autem iste qui obiit anno 849 die 22 Aprilis, caute distinguendus venit, ab Altfrido alio Hildesheimensi Episcopo, qui seculo etiam isto nono floruit, cujus elogium texuit Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 259. De *Altfrido* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 35. pag. 318. editionis ultimæ 1651.

HINCMARUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS, Monachus primum S. Dionysii in agro Parisiensi, Abbas postea Reomacensis, ac anno deinum 844 Remensis ordinatus Archiepiscopus, hoc seculo nono celeberrimus fuit. Multis interfuit Synodis, Meldensi, An. 845. Parisiensi 846. Carisiacæ 848. Suessionensi 851. Tullensi 859. ac Trecensi 867. Carolum Calvum in Austrasiæ Regem anno 869. Metis, & Ludovicum II. cognomine Balbum anno 858. inunxit: qui anno tandem 882. vivere desiit. Varia de Hincmaro sententia ad posteros, seculo præsertim nostro pertransiit: aliis, ut Ludovico Cellotio, cæterisque Molinistis, Hincmarum velut ævi sui ornamentum ad cœlos inferentibus: ut sceleratissimum atque fraudulentissimum virum, aliis cum Mauguino accusantibus: qua de re pluribus agere, nostri non est instituti. Omnia quotquot extabant hujus Opera procuravit imprimi Jacobus Sirmondus duobus tomis in fol. Parisiis anno 1645 apud Sebastianum Cramoisy sub Ciconiis. De illo Bellarminus & Labbeus in opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Quibus addo *Concilium Duziacense primum*, quod purum Hincmari opus est, evulgatum à Ludovico Cellot ex MS. Codice Sirmondi anno 1648. in 4. ejusdem Sebastiani Cramoisy typis. Tum in Conciliis ultimæ impressionis Parisiensis anni 1671: quæ Labbeana dicitur, tom. 8. col. 1542. & sequentibus cum Notis Cellotii, *& Opusculis ac Epistolis omnibus* amborum Hincmarorum Remensis & Laudunensis, usque ad colum. 1845. Adde varia quæ in Appendice ejusdem tomi 8. Conciliorum habentur, ut *Epistola Lotharii Imperatoris ad Leonem IV. Papam* contra Ebbonem pro *Hincmaro*, cujus gratia pallium petit, quamque Hincmarus ipse meditatus composuit atque dictavit. Nec enim in aucupandis honoribus deses inventus hic Archiepiscopus est. Habetur illic pag. 193. & apud Ludovicum Cellotium in *Historia Prædestinatiana*, pag. 407. cum præludio ae notis. Item *Epistolam ad Adrianum Pontificem Caroli Calvi nomine, de Causa Hincmari Laudunensis Episcopi, cum rescripto* 850.

 Con-

Concilii Duziacensis ad eundem Pontificem de eodem negotio: quæ absque dubio ejusdem Hincmari Rhemensis fraudes sunt, quos videsis in Appendice ad Librum *de Causis Majoribus*, anno 1679. in 4. Parisiis impressum apud Franciscum le Cointe, via Jacobæa è regione Collegii Rhemensis. Item *Epistolam ejusdem Hincmari* ad Æneam Parisiensem Episcopum, quam refert Baronius ad annum 912. occasione Bernonis ejus discipuli, postea primi Abbatis Cluniacensis. Item *Epistolam* quam habet Joannes Mabillon, tomo 1. *Analectorum* pag. 59. quibus omnibus Opera Hincmari plurimum ampliantur. Denique scripsit *Poëma Carmine heroico*, quod pro seculi sui more, obscurum satis est, horridum atque neglectum, quod Hincmaro hac in parte laudis modicum allaturum est. Inscriptum *de Fonte vita ad Andradum Modicum*, Galliarum Episcopum, a me relatum ex irincre Belgico, Lugduni Batavorum in 8. anno 1692. apud Petrum van der Meersche, cum aliis aliorum Opusculis impressum est. Quonam circiter tempore hoc Hincmari Opusculum exaratum sit, ominari licet ex temporibus Audradi ad quem illud misit, anno circiter 854. vel ultra. Fuit ille Burchardi Carnotensis Episcopi consanguineus, claruitque familiarissimus Weniloni Senonensi, Hincmaro Rhemensi, Amalrico & Leopardulo venerabilibus Galliarum Archiepiscopis. Adfuit Concilio Senonensi anno 853. ut ipse testatur, de quo Ludovicus Cellotius in *Historia Gotteschalci Prædestinatiani* Lib. 4. cap. 10. pag. 272. his verbis loquitur. „Lubet animi causa Revelatio„nes Audradi Modici ex MS. Sirmondi Codice „in Historiam Francorum immissas, huc refer„re: quæ hoc ipso anno 853. quem nonum *in„duciarum* Vates appellat, de Burchardi electio„ne & consecratione sic loquuntur. Narrat „enim Audradus, se Carolo Regi præsentibus „testibusque principibus Ecclesiarum Weni„lone, Hincmaro, Amalrico, Leopardulo vene„rabilibus Archiepiscopis, mense tertio, retulis„se quæ antea revelante Christo didicerat: „*Non sine querela, quod Sancti Martini Basilicam, „quod promiserat, non refecisset. Sed ad provo„candam adhuc iram Omnipotentis, accersisset quen„dam Diaconum nomine Burchardum, qui erat à „partibus Lotharii Regis.* Lotharius autem nar„ratur in Annalibus Bertinianis tomo 2. *Histo„ria Francorum*, eodem anno 853. Carolum fra„trem invisisse, & ejus filiam è sacro fonte sus„cepisse: unde conjicere possumus venisse „cum eo Burchardum atque ab illo Regi com„mendatum fuisse. Tum idem Audradus: „*Et commendavit illi Ecclesiam Carnotensem, ut „esset in ea Pontifex, ac si nullum in Regno digno„ris nominis Clericum invenire potuisset: & dixit „Weniloni Senonum Archiepiscopo, ut eum ordina„ret Episcopum. Vocavit autem me idem Archiepi„scopus, & dixit: Scio ad iram Dei provocandam, „Regem nostrum Carolum egisse, ut Burchardum à partibus Lotharii evocaret, & pastorem Ecclesiæ„ constitueret. Nam de eo per universas regni hu„jus Ecclesias, infanda fama & dictu horribilis di„vulgata est. Sed si esse posset, ut Dei iracundia„ non provocaretur, quia apud seculi causam strenu„us esse dignoscitur, rogo te omnimodis ut ores De„um, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit„ ullo modo, ut secundum ejus voluntatem idem Bur„ chardus fieri mereatur Episcopus. Nam ego si esse„ posset, satis hoc vellem, est enim mihi consanguineus.„* Pluribus ille suum rempus declarar in *Revelationibus* Historiæ Francorum Duchesnianæ veteri immixtis, tum loco citaro Ludovicus Cellotius. Sed hæc satis sunt, ut Scripti hujus tempus utcunque designetur. Ignotum porro mihi est, cujusnam sedis Episcopus Audradus fuerit, cujus non meminit *Gallia Christiana* in Episcopis & Archiepiscopis. Addo in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 449. fol. 89. qui 500. annorum & amplius est, inveniri *Compendium quoddam Theologiæ nascentis* sub nomine *Hygmari*, quod ex titulo sequenti inscribitur, *Assertio fidei nostræ*. Incipit, *Ad justitiam credere debemus corde & confiteri ore, quia in Patre totus est filius* &c. Sequitur, *Ordo assertionis fidei nostræ*. Augustinus in libro de Trinitate, *Christus in forma Dei æqualis Patri* &c. Habet hoc Opus quandam Theologiæ methodum, estque in allegandis authoritatibus Patrum perpetuus: nec mihi ab ingenio Hincmari Archiepiscopi Rhemensis alienum esse videtur, qui seculo IX ubi Theologicæ mareriæ acriter agitatæ sunt, tentare simile aliquid potuit. Hoc valde mihi probabile, nisi alius quis reperiatur Hincmarus, qui sub seculi XII. initium, quo MS. Codex factus est, scripsisse Opusculum simile legatur. Plura de Hincmaro Jacobus Sirmondus, qui ejus Operum editionem procuravit, anno locoque citatis. Fratres Sammarthani, tomo 1. *Gallia Christiana*, in Archiepiscopis Rhemensibus. Ludovicus Cellotius, qui Acta ejus singulari opere conscripsit, atque in *Historia Gotteschalci Prædestinatiani*, passim. Gilbertus Mauguinus in *Vindiciis prædestinationis & gratiæ*. Natalis Alexander seculo 9. *Historia Ecclesiastica*, parte 1. cap. 3. art. 23. pag. 248. Parte 2. Dissertatione 5. *de Gotteschalci causa* &c. pag. 264. & sequentibus. Denique Dissertatione 8. *de causa utriusque Hincmari Laudunensis & Rhemensis*, pag. 428. & sequentibus. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 845. pag. 536.

PRVDENTIVS TRICASSINVS EPISCOPVS, natione Hispanus, cognomine Galindus, cujus tanta dum viveret pietas fuit, ut mortuus in Ecclesia Trecensi *Sanctus* appellatus sit, cultuque publico dignus habitus, cujus ea in Ecclesia quotannis Festum die 6. Aprilis celebraretur. Interfuit Concilio Parisiensi anno 846. Turonensi IV anno 849. Suessio- 850.

nensi

nenſi II. anno 853. Extat ad ipſum Lupi Ferrarienſis Abbatis Epiſtola LXIII. cujus etiam meminerunt Rhabanus, Hincmarus, & Flodoardus. Scripſit anno 852. prolixum *Tractatum de prædeſtinatione adverſus Joannem Scotum Erigenam* ad Wenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, qui XIX Capitula e Scoti libro excerpta ad ipſum transmiſerat, quem *Librum Joannis Scoti de prædeſtinatione ex prolatis veterum Patrum teſtimoniis refutatum & correctum* inſcripſit, quem primus edidit Gilbertus Mauguinus tomo 2. *Vindiciarum prædeſtinationis & gratiæ* pag 191. ad 562. ejusdemque *Recapitulatione* pag. 563. Idem ſcripſit *Collectaneum de tribus Epiſtolis ad Hincmarum Rhemenſem & Pardulum Laudunenſem Epiſcopos*, editum ad calcem *Hiſtoriæ Gotteſchalci Prædeſtinatiani* pag. 415. quam ſcripſit Ludovicus Cellot Pariſinus Soc. Jeſu Presbyter, impreſſam in fol. Pariſiis anno 1655. apud Sebaſtianum Cramoiſy, via Jacobæa ſub Ciconiis: cujus antea *Præfationem* ſeu *Epiſtolam præliminarem* idem Mauguinus ediderat Tomo I. parte 2. pag. 6. Item *Tractoriam Epiſtolam adverſus 4. Capitula Conventus Cariſiacenſis*, editam ab eodem Mauguino tomo 2. *Vindiciarum prædeſtinationis & gratiæ* pag. 176. Scripſit quoque *Epiſtolam brevem ad quendam Epiſcopum fratrem ſuum*, à Joanne Mabillonio editam *Analectorum* tom. 4. pag. 324. Extat denique in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4598. fol. 56. *Prudentii Epiſcopi Tricaſſini Tractatus aſceticus*, ſeu *Abbreviatio Pſalmorum in gratiam nobilis cujusdam Matronæ, quæ variis ſive ærumnis ſive infirmitatibus afflicta erat.* Illa incipit, *Cum quadam nobilis Matrona in civitatibus vel oppidis fuiſſet obſeſſa, atque ex accidentibus, variis tribulationibus ut plerique noverunt, adeſſet anguſtata & animi tædiis afflicta, direxit ad me, rogans obnixe* &c. Obiit Prudentius juxta Annales Bertinianos, anno 861. die 6 Aprilis, de quo plura apud dictum Gilbertum Mauguinum invenies, qui potiora illius Opera Litterario orbi obtulit. Apud Bollandum in probatis Sanctorum Vitis, ad diem 6. Aprilis, & Sammarthanos fratres tomo III. *Galliæ Chriſtianæ* in Epiſcopis Trecenſibus. Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 9. ad annum 846. pag. 539.

850. JOSEPHUS HYMNOGRAPHUS cognomento, qui ſeculo eodem Chriſti nono floruit, ita appellatus eſt, ut ab altero diſtingueretur ejusdem ſeculi Joſepho, qui *Studita* dictus eſt, & Archiepiſcopatum Theſſalonicenſem obtinuit, fraterque Sancti Theodori Studitæ Abbatis fuit, qui anno Chriſti 827 obiit. *Joſephus* autem *Hymnographus*, hoc eodem ſeculo nono, à Sancto Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui anno 847. ad principalem hanc totius Orientis Eccleſiam promotus eſt, ad annum 850. *Scenophylax* ſeu *Cuſtos ſacræ ſupellectilis Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſanctæ Sophiæ* electus eſt. Ita apud Græcos ſanctitate moribusque inculpatis inclaruit, ut inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Codice 324. à fol. 87. ad usque fol. 100. *Officium Eccleſiaſticum* ſeu *Acoluthia in Sanctum Joſephum Hymnographum* habeatur, cujus etiam Synaxarium Vitæ, eidem inſertum eſt. Ipſa tituli Græci verba cum initio Officii hæc ſunt: Ἀκολουθία εἰς τὸν ὅσιον Πατέρα ἡμῶν Ἰωσὴφ, τὸν ὑμνογράφον. Ἔχων ἐν καρδίᾳ σου &c. Extat ſub Joſephi Hymnographi nomine, inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codex CCCX membraneus pervetuſtus & optimæ notæ in 8. in quo continentur *Joſephi Melodi Canones*, ſive *Cantica ſacra quadraginta octo*: quorum unumquodque ſpecialem ſuam habet acroſtichidem, quæ itidem uti quælibet *Ode nona* nomine *Joſephi* inſignita eſt. *Primi Canonis acroſtichis* cum initio talis eſt: τῇ β' Κανὼν κατανυκτικὸς, οὗ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη. Τῶν πλασμάτων μου τὸν ῥύπον πλῦνον Λόγε Ἰωσὴφ, τῶν ἁμαρτιῶν μου τὴν πληθὺν &c. In eadem Bibliotheca Codice 299 MS. Theologico Græco, extat ſub nomine Joſephi Studitæ *Canon de* ſecundo adventu Chriſti, cujus principium eſt: Χαίρει χορὸς τῶν σῶν ἁγίων Κύριε &c. qui ad Joſephum Studitam Sancti Theodori Studitæ fratrem, tum poſtea Theſſalonicenſem Archiepiſcopum ſpectare videtur, de quo ſupra diximus. Agit de *Joſepho iſto Hymnographo*, Petrus Lambecius tomo ſeu libro V. *Commentariorum* Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pag. 274. & 284. itemque in Catalogo, pag. 338. & 364. Joannes magnæ Dei Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Orator, circa annum 890. ſcripſit *Vitam Sancti Joſephi Hymnographi*, quam habes Græce & Latine apud Joannis Bollandi continuatores Godefridum Henſchenium & Danielem Papebrochium, ad diem 3. Aprilis quos conſulere potes.

SABAS MONACHUS GRÆCUS, diſcipulus & ſynchronus Sancti Joannicii Anachoretæ atque Abbatis, cujus mentionem facit Cæſar Baronius *Annalium Eccleſiaſticorum* tomo 9. ad annum Chriſti 782. ubi *S. Joannicium* tunc egiſſe annum ætatis ſuæ LIII. utpote natum anno Chriſti DCCXXIX. & ad annum Chriſti 846. quo eundem S. Joannicium obiiſſe, annos CXV natum refert. Sabas itaque Monachus atque Joannicii diſcipulus, circa annum DCCCL. *Vitam Magiſtri ſui* ſcribere aggreſſus fuiſſe videtur, qui in hoc Opuſculo Synchroniſmum ſuum atque magiſterium Joannicii atteſtatur. Hoc Opus extat Græce Manuſcriptum in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter Codices Hiſtoricos Græcos Codice XIX. de quo paucis ita, Lambecius Libro ſeu tomo 8 Commentariorum hujus Cæſareæ Bibliothecæ pag. 266. his verbis. „ Quinto- 850.

&c.

„& quidem à fol. 52 pag. 2 colum. 2. usque ad „folium 64 pag. 2 colum. 2 *Saba Monachi Synchroni, Historia Vitæ, rerum gestarum & miraculorum S. Joannicii Anachoretæ & Abbatis, ex Bithynia pago Maricato, ad borealem Paludis Apolloniadis partem sito, oriundi.* Μηνὶ τῷ αὐτῷ δ' „nempe, *Mensis Novembris die quarto.* Ἐπίγραμμα ἤτοι Βίος καὶ πολιτεία καὶ θαύματα „τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννικίου συγγραφεὶς „παρὰ Σάβα Μοναχοῦ. *Scriptum sive Vita & „Conversatio & miracula Sancti Patris nostri Joannicii, conscripta à Saba Monacho.* Τὰ ψυχωφελῆ καὶ θεάρεστα τῶν ἁγίων Πατέρων ἀνδραγαθήματα τοὺς εἰδότας λόγῳ καὶ γραφῇ ἄξιόν ἐστιν„ ἐνσημαίνειν, μετὰ τὸ ζηλοῦν τοῖς ἀγνοοῦσι, ὅπως„ &c. *Utilia animabus ac Deo placentia sanctorum Patrum fortia facta, eos qui norunt, dignum„ est Sermone vel Scripto consignare, ut qui ignorant„ æmulentur* &c.„ Vide Menæa Græcorum eadem die quarta Novembris, ut & Martyrologium Romanum ubi hæc leguntur: *In Bithynia S. Joannicii Abbatis.* De Saba autem Vitæ illius Scriptore, Petrus Lambecius lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 266. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi seu libri, p. 566 & 577.

DISSERTATIO SINGVLARIS

DE

VITA, SCRIPTIS AC CERTA ÆTATE ANDREÆ HIEROSOLYMITANI MONACHI, CRETENSIS ARCHI-EPISCOPI.

PROLOGVS.

850. ANDREAS HIEROSOLYMITANVS MONACHVS e Damasco oriundus, tum Cretæ Archi-Episcopus, in ecclesia orientali celeberrimus fuit, ob *Magnum Canonem*, cujus auctor fuit, qui collecta universa veteris ac N. Testamenti historia hoc canticum composuit, exhortatus omnes, ut quæ videant in historiis esse bona & laudabilia, pro viribus sectentur: quæ mala fugiant & execrentur. De illo autem Triodium Græcorum feriæ 2 hebdomadæ I. jejuniorum. Ἐις ὅλους ἀρχόμεθα τοῦ μεγάλου Κανόνος ποιοῦντες αὐτὸν τμήματα δι' καθ' εἱρμὸν ἀναπληροῦσθαι τοῦτον τῇ ἑσπέρας. Eadem feria εἰς ἀπόδειπνον ψάλλομεν τὸν παρόντα μέγαν κανόνα ποίημα τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου Κρήτης, τοῦ Ἱεροσολυμίτου. Hic porro Canon ille integer describitur ut & feria 3. 4. & 5. Ita Combefisius in notis ad opera S. Andreæ Cretensis pag. 369. colum. 2. „Magnus canon qui in ecclesia Orientali canitur feria quinta hebdomadæ quintæ quadragesimæ, prima etiam jejuniorum hebdomada „cum iisdem veniis recitandus habetur, in „Triodio Græcorum, sed in dies quatuor ob „prolixitatem distributus, cum Canone S. Mariæ Ægyptiacæ ab eodem Andrea conscripto. „Præterea feria V hebdomadis quintæ, quæ „Græcis peculiari appellatione festum τοῦ μεγάλου κανόνος dicitur, interdum πέμπτη τοῦ „μεγάλου κανόνος dicitur.„ Meminit μεγάλου κανόνος τῆς ἀκολουθίας Cantacuzenus lib. 1. c. 13. pag. 43. Codinus *de officiis Aulæ Constantinopolitanæ* cap. 12. num. IV. Quo vero tempore Canon hic compositus fuerit, quare Magnus appelletur, & hac hebdomada quinta Quadragesimæ totus quantus integer legatur, pluribus Synaxarium Nicephori Calisti recitat. De eodem Marcus Hieromonachus de dubiis typicis cap. 33. ἐὰν τύχῃ ὁ Εὐαγγελισμὸς τῇ πέμπτῃ μεγάλου κανόνος &c. quem integrum cùm labore multo ac pulmonum fatigatione Græci recitabant. Alii quoque Canones Sancti Andreæ Cretensis in Ecclesia Græca aliis diebus canuntur, ut feria sexta ante Ramos palmarum canitur *Andreæ Cretensis canon in sanctum Lazarum.* Item dominica in ramis palmarum Triodium D. Andreæ Cretensis, sicut & reliquis majoris hebdomadæ diebus fere omnibus ad completorium. Celeberrimus itaque fuit seculo IX apud Græcos ob canones s. cantica ab iis cani solita, quæ composuit. Hunc tamen clarissimum doctorem & patrem idem Combefisius accensuit illis, qui Eucharistiam non esse aliud, quam Symbolum & figuram corporis & sanguinis Christi, cum aliis Græcis censuerunt ex his verbis *orationis ejus in Ramos palmarum* pag. 81. editionis Græco-Latinæ Parisiensis 1644. in folio, quæ legitur in Triodio Græcorum Dominica illa ante odam 4. θύεται γὰρ ἐν ἀντιτύποις ὑπὲρ ἡμῶν συμβόλοις ἱεροθυτούμενος. *Immolatur enim pro nobis in figuralibus Symbolis sacrificatus.* Idem Amphilochius Iconiensis Episcopus, juxta Combefisium, vel quod verius, alter Cizici Archiepiscopus seculi IX Scriptor, & Photii Constantinopolitani amicus intimus, in vita D. Basilii cap. 17. p. 221. Ἀδύνατον οὖν ἐστὶν ἄνθρωπον ὡς λέλεκται εἰς τὴν εἰσελθεῖν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, εἰ μὴ δι' ὕδατος καὶ πνεύματος: καὶ μετάσχει τῶν ζωοποιῶν ἀντιτύπων τοῦ ἀχράντου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. *Itaque fieri nequit, ut dictum est, ut quis intret in regnum Dei, nisi per aquam & Spiritum, & nisi vivificata antitypa intemerati corporis & sanguinis Christi sumserit.* Sic autem hæc commentatur Combefisius Not. 128. in vitam S. Basilii ab Amphilochio p. 278. „Vix fuerit sacer Scriptor, qui non„ ita Eucharistiam dixerit: eoque suspectius„ Joan-

„Joannes Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa „cap. 14. id amoliens à Missa Magni Basilii, aut „certe non de ipsa Eucharistia, & à consecra-„tione, contendens dictum: ut & Epiphanius „septima Synodo, qui forte à Damasceno ac-„cepit. Videndus Claudius de Sainctes. Ar-„cadius &c. Eandem igitur uterque Scriptor „de Symbolis Eucharistiæ sententiam seculo „nono habuit." Sed cum alia multa S. Andreas Cretensis scripserit, hujus Dissertationis occasionem nobis obtulit.

CAPVT PRIMVM.

DE VITA ET SCRIPTIS ANDREÆ CRETENSIS ARCHI-EPISCOPI.

ANDREAS CRETENSIS ARCHIEPISCOPVS, ex urbe Damasco oriundus, dictus Hierosolymitanus ob Monachismum in his regionibus professum: qui tandem ob eminentiam virtutis & eloquentiæ, Cretensis ecclesiæ Archiepiscopus factus est, quem etiam in hujus operis primo molimine, fuisse elevatum atque ad sedem Ecclesiæ Cæsareæ in Cappadocia promotum, ex nonnullis conjecturis putaveram. Hinc circa annum 720 floruisse & vere in *Supplemento Scriptorum Ecclesiasticorum* scripseram; sed maluit Guillelmus Cavus in historia Scriptorum Ecclesiasticorum, eum anno 635. sec. VII. pag. 453. affigere, ac sequi fabulas Græcorum, quam veram aliorum contra sententium opinionem. Audiamus oraculum ex tripode: *Alii eum ad annum DL. vel DLXX. perperam referunt; Alii & in his Casimirus Oudin, nescio tamen qua auctoritate ducti ad annum DCCXX. deprimunt. Verum ut annum ei DCXXXV. assignemus, facit Triodii Græcorum auctoritas, in quo Sophronio Patriarcha Hierosolymitano σύγχρον@ fuisse dicitur. Vitam tamen ultra annum DCLXXX. eum protraxisse, patet ex Jambis Eucharistii ad Agathonem Diaconum, Concilii VI scribam, pro sibi ad exscribendum commodatis Actis Synodalibus.* Hæc Cavus; quibus ostendit fabulas Græcorum palato suo haud esse insipidas, talibusque lactucis pasci se ac recreari. Multa de illo igitur Triodium Græcorum, quæ refert Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 182. Sed falsissima sunt, oreque pleno Græcorum somnia atque deliria sapiunt. Illa quoque ex Synaxario Græcorum retulit Franciscus Combesis in notis suis ad opera S. Andreæ Cretensis Archiepiscopi omnia à se collecta, pag. 285. Juvat tamen hic ista referre ad defensionem Guillelmi Cavi, qui his innixus est.

„ Laus Sancti Andreæ Cretensis Archi-
„ episcopi ex magno Canone, in Syna-
„ xario Græcorum.

Eodem die ex antiqua traditione, canimus" officium magni canonis. Hunc vere ex o-" mnibus canonibus maximum optime & inge-" niose composuit & conscripsit Sanctus Pater" noster Andreas Archiepiscopus Cretæ, cogno-" mento Hierosolymitanus, sed Damasco oriun-" dus. Decimo quarto ætatis anno gramma-" ticæ studia aggressus, & omnibus artibus li-" beralibus probe excultus, Hierosolymam per-" venit, vitamque monasticam iniit: qui sancte" & pie vitam peragens, in quieto illo & à" turbis remoto vivendi instituto multa quidem" cum alia ecclesia Dei fructuosa ingenii sui mo-" nimenta reliquit, tum varias orationes & ca-" nones. Crebrior tamen & copiosior in Pa-" negyricis orationibus extitit. Ex multis au-" tem aliis hunc quoque magnum canonem" infinita contritione animique compunctione" refertum, elaboravit. Collecta enim in u-" num universa Veteris & Novi Testamenti" historia, Canticum hoc composuit: ab Ada-" mo videlicet, usque ad Christi assumtionem," & prædicationem Apostolorum. Quo qui-" dem omnem animam exhortatur, ut ea quæ" in historia videt esse bona & laudabilia, pro" viribus sectetur: quæ vero mala fugiat & a-" versetur: semperque ad Deum recurrat" per pœnitentiam, per lachrymas, per con-" fessionem, & per alia ejusmodi Deum placan-" di, eique placendi media. Quin adeo hic" Canon canorus est, & in animos tam facile" influit, ut & mentem etsi perduram, abunde" emolliat, & ad recipiendum id quod bonum" & honestum est, excitet: dummodo corde" contrito, & debita cum attentione psallatur." Fecit autem hunc canonem eo tempore, quo" Magnus Sophronius Patriarcha Hierosoly-" mitanus *Vitam Mariæ Ægyptiacæ* literis com-" mendavit, quæ & ipsa compunctionis plenis-" sima est, lapsisque & peccatoribus multum" consolationis affert, si modo a pravis operibus" desistere velint. Lege autem receptum est," ut hoc die legatur hac de causa. Cum enim" sancta quadragesima ad finem tendat, ne ho-" mines segniores effecti, spiritualia certamina" negligentius ineant, vitamque sobriam &" temperantem vadere jubeant: Maximus ad-" est Andreas, qui velut aliptes, per historias" magni canonis enumerando insignem viro-" rum virtutem; & improborum casum &" eversionem: eos qui laboribus insistunt, ala-" criores &, ut ita dicam, generosiores facit:" ut viriliter ea quæ supersunt, capessant." Sanctus vero Sophronius, mirabili sua illa o-" ratione & tractatu sobrios & ipse facit & ad" Deum excitat, ne corruant, neve desperent," licet aliquibus peccatis irretiti fuerint." Quanta enim sit Dei humanitas, & clemen-" tia in illos, qui ex toto corde, præteritæ vitæ" noxas relinquere cogitant, narratio *de Mariæ Ægyptiaca* abunde docet. Appellatur autem" canon Magnus, ut forte quisquam dixerit" pro-

„propter etiam sententiarum pondus & gravitatem, quarum feracissimus est hujus canonis author, in his componendis præclare exercitatus. Quodque cum cæteri canones XXX aut paulo amplius troparia continerent, iste ad CCL progrediatur, quolibet ex istis ineffabiliter distillante dulcedinem & voluptatem. Jure optimo igitur & convenienter sancitum est, ut Magnus iste canon & compunctionis plenissimus, in magna saltem quadragesima psallatur. Hunc præclarissimum & maximum Canonem, nec non tractarum vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ, ipsemet Pater noster Andreas primus Constantinopolim tulit: quando ab Hierosolymorum Patriarcha Theodoro ad sextam Synodum subsidio missus est. Tunc autem Monasticam vitam adhuc profitens, cum adversus Monotheliras fortiter decertasset, ecclesiæ Constantinopolitanæ Clero adscriptus est. Deinde in ea Diaconus & pupillorum curator & ultor constituitur: nec longo post tempore Archiepiscopus Cretæ ordinatus est. Postea proxime ad locum qui Hierisus, cum Mytelenum pervenisset, migravit ad Dominum, cum satis multo tempore suam sedem tenuisset. Ejus intercessionibus miserere nostri Deus. De Andrea Monacho Hierosolymitano *τοῦ ἁγιοπολίτου στιχηροῦ Auctore Magni Canonis* agunt Acta Sanctorum Bollandi die 2. Aprilis; & Ducangius in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* verbo *μέγας κανὼν* col. 583.

Hæc autem deliria Græcorum atque somnia secutus Cavus, S. Andream Cretensem Archiepiscopum, Synchronum S. Sophronio Patriarchæ Hierosolymitano fecit, quo tempore nondum è lumbis patris egressus erat, cujus & vitam protraxit usque ad tempora concilii sexti œcumenici, seu ad annum 680. & ultra. Errorem hunc crassum poterat facillime corrigere ex lectione operum S. Andreæ Cretensis Archiepiscopi, quæ procuravit in fol. anno 1644. Lutetiæ Parisiorum Græce & Latine, Franciscus Combesis, ex ordine fratrum prædicatorum. Verum in errore cum aliis Cavus manere, quam hunc sibi laborem assumere maluit. Errantem ergo corrigamus ex iterata atque attenta lectione omnium S. Andreæ Cretensis Archiepiscopi operum, ad quam Cavus me adegit. Id positive admittit Combefisius, qui accurate in omnia Andreæ opera commentatus est. Nam Andreas Homilia *in Apostolum Titum* p. 173. sic loquitur, „*Οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν αὐτὸς ταῖς νίκαις τοὺς ὁμοστεφεῖς καὶ συνθρόνους βασιλεῖς στεφανώσειε μακραῖς τὸ κράτος αὐτοῖς ἐτῶν διατηρῶν ἀνελίξεσιν· αὐτὸς ὑπὸ χεῖρα τούτοις καθυποτάξειε τὰ φῦλα πάντα τὰ βάρβαρα, τὰ τοῖς αἵμασι χαίροντα.* „*Hic DEus noster ipse corona ejusdem consortes Imperatori eodemque sublimes throno, victoriis coronaverit in longas armorum revolutiones, eorum conservans imperium.* Combefisius autem in notis pag. 357. adjunctis iis quæ habent Græci de Andrea in Triodio, (ex quo damus) liquet esse sermonem de Justiniano II. & Philippo filio, quem is statim ab imperio anno 703. recuperaro & occiso Tiberio, imperiali corona insignivit, de quo Baronius ad annum 702. Fuerunt ea rempora, turbantibus qua Patriarchis, qua Imperatoribus Constantinopolitanis, satis Græciæ obscura: ut non mirum sit sic atra nocte, velut latuisse Latinos nostri Andreæ sanctitatem: quam non consignarint quod sciam, publicis ecclesiæ tabulis." Ex Combefisio igitur, Andreas hic floruit *tempore Justiniani II. & Philippi ejus filii* post annum 702. Cum ergo Justinianus in imperio restitutus, in eo per octennium ab anno 703. ad 710. permanserit: ac Philippicus 711. & 712. imperium renuerit, qui ita ambobus felicitatem optat hoc tempore dubio procul scribebat vel concionabatur. *Secundo* id apertius patet *ex Jambicis Eucharisticis ad Agathonem* Diaconum, pro commodatis sibi Synodi sextæ actis, quæ Græco-Latine idem Combefisius edidit Tom. 2. pag. seu col. 235. *Auctarii primi* ad Bibliothecam veterum Patrum Parisiensis 1648. in folio. Jambi enim illi sunt posteriores *Epilogo* quem fecit Agatho Diaconus, quando Acta Concilii sexti œcumenici transscripsit ad usum suum. Atque *ista Acta* cum Epilogo ipse Cavus ad annum 712. refert *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 680. pag. 468. verbo *Agatho Magnæ ecclesiæ* &c. Namque jambis suis alludit Andreas Cretensis, ad Epilogum istum Agathonis. Erat ergo recte eodem Cavo, clarus sec. VIII. & quidem post mortem Philippici Bardanis, anno 713. & ultra Andreas Cretensium Archiepiscopus. Non florebat igitur annis centum antea, hoc est anno 635. cui illum Guillelmus Cavus imperite alligat, *in historia rei literariæ* pag. 453. *Tertio* hinc colligitur esse purum mendacium, quod Cavus scribit, *Andream Diaconum adhuc adfuisse Synodo sextæ œcumenicæ atque Theodoro Patriarchæ Hierosolymitano suppetias tulisse.* Si enim juxta Triodium mendax Græcorum, huic Synodo sextæ anno 680. coactæ Andreas interfuisset: non opus fuisset, cum illis omnino tanquam præsens instructus fuisset, ut annis triginta duobus post finitam Synodum, illius *Acta* ab Agathone transscripta, ad se mittenda peteret, quorum lectione erudiretur. Instantia igitur illa Andreæ ad Agathonem Diaconum, argumentum est validum, quod huic Synodo sextæ Andreas non adfuerit: quodque mentiatur impune *Triodium Græcorum*, dum istud diserte scripto tradidit. *Quarto* denique Andreas Cretensis Archiepiscopus, juxta Cavum in historia rei *literariæ* pag. 453. supra citatum, anno 635. florebat, quo annorum circiter 30. saltem tunc erat. Anno autem 680. quo ab eodem Cavo, ex fide Triodii mendacis Græcorum, ad Synodum œcumeni-

cam sextam, ad instantiam Theodori Hierosolymorum Patriarchæ, licet Diaconus tantum accessit, annos 75. juxta Cavum natus erat. Qua ætate minus erat idoneus, ad opem Theodoro vel alicui alteri ferendam. Anno 712. quo Acta Concilii istius ab Agathone transscripta obtinuit, annorum 107. nempe 32. annis post Synodum œcumenicam sextam elapsis. Reversus forsitan tunc temporis ad infantiam, ob grave senium oblitus fuerat Actorum Concilii istius, quibus præsens fuisse scribitur à Cavo. Erat ergo tunc annorum 121. juxta Gvillelmum Cavum; quis ergo in tanta ætate Andream habuisse ad populum homilias credat? *Quinto* poterat rectius & verius Cavus adjecisse huic ætati Andreæ, annos totidem, atque vitam ejus protelasse usque ad annum 840, 850. vel circiter, quo Theophilo Iconoclasta Imperatore anno 842. mortuo, causa tandem imaginum, contra Iconoclastas triumphum egit. Nam plurimæ homiliarum quæ Andreæ Cretensi Archiepiscopo huic tribuuntur, *Canon item Magnus, & Expositio in carmina sacra seu in Troparia festorum*, quæ ipsi in MSS. Codicibus passim adscribuntur, non nisi obtinentibus ubique imaginibus, ac nube festivitatum recenter institutarum & absque fundamento introducta, pronuntiatæ fuerunt. Tales sunt festivitates *nativitatis Mariæ Virginis item annuntiationis ejusdem, dormitionis & assumtionis ejusdem, in conceptionem Sanctæ Annæ*, quæ Seculo Ecclesiæ VIII. & ante Secul. IX. medium, nullibi Ecclesiarum auditæ fuerant. Andreas igitur Cretæ Archiepiscopus, ætate ista antiquior non videtur qui in MSS. Codicibus passim *Hierosolymitanus* atque Archiepiscopus Cretensis dicitur. Denique quod omnem tollit ambiguitatem, vixit noster Andreas, etiam post ablatas ab insula Cretensi imagines: quod nonnisi sub Leone Armeno anno DCCXXVI. contigit, ut ipse Cavus narrat in *Historia Monothelitarum* Seculo IIX. præmissa, atque in Gregorio II. ad annum 715. pag. 478. Audiamus ea de re Andream ipsum, *Oratione in Circumcisionem* & in Sanctum Basilium, sub finem Orationis pag. 38, his agit contra Iconoclastas, qui insulam imaginibus spoliaverant: Οὕτω δὲ ὀρθοδοξοῦντες, ἐθνῶν φόβον ἀποδράσοιμεν, καὶ νῆσοι λύτρωσιν εἰσδέξονται αἱ τῆς ἐκκλησίας, διὰ λοιμῶν ἀνδρῶν οἰκονομίαν, ἀφαιρέσει εἰκόνων παθοῦσαι ὑπὸ Ἀγαρηνῶν συγκινδυνεύσασαι. *Sic recti in fide, effugerimus gentium timorem atque Insulæ redemptionem susceperint, Insulæ in quam illa ecclesiæ, ablatis abolitisque per pestes quasdam imaginibus, deturpatæ: pariique cum Agarenis periculo jactata.* Ex quibus aperte liquet, non anno 635. ut imperite vult Cavus, sed ad annum circiter 730. vel ultra, in procellosa ista imaginum contentione, vixisse & floruisse Andream Archiepiscopum Cretensem. Ecce Cavo damus rationes, ob quam Andream hunc, non anno DCXXXV. sed anno DCCXXXI. juxta scripta ipsius Andreæ, assignamus: imo annis 840. vel 850. ob festivitates, de quibus homilias scripsit, ut infra dicemus. Omnia S. Andreæ Cretensium Archiepiscopi opera, hic inde dissipata in unum collegit, in lucem eruit, & cum notis atque onomastico Græce & Latine edi curavit, Franciscus Combefisius in folio, Parisiis anno 1644. apud Symonem Piget. Suntque Homiliæ septendecim hoc ordine: *In Mariæ natalem diem* pag. 1. *In Mariæ annuntiationem* pag. 11. *In circumcisionem & in Basilium* pag. 28. *In transfigurationem* pag. 38. *In Lazarum Quadriduanum* pag. 56. *In ramos palmarum* pag. 75. *In crucis exaltationem* prima pag. 96. altera *in eandem* pag. 103. quæ pariter habentur & apud Jacobum Gretserum tom. II. *De Cruce* pag. 1171. *In Mariæ dormitionem* prima pag. 115. *In eandem* altera pag. 131. *In eandem* tertia pag. 143. *In Apostolum Titum* pag. 155. *In Sanctum Georgium* pag. 175. *In Sanctum Nicolaum Mirensem Episcopum* pag. 188. *In Sanctum Patapium* prima pag. 196. *In Sanctum Pampium* secunda, ex ore Andreæ pag. 216. *De vita humana & defunctis* pag. 229. Canones præcipui & Triodia seu Canones IX. nimirum, *in conceptionem S. Annæ* pag. 252. *In Mariæ nativitatem* pag. 258. *Magnus Canon* pag. 265. *In Lazarum* pag. 301. *Triodia 4. majoris Hebdomadæ* pag. 311. *In mediam pentecostem* pag. 326. Idiomela quædam brevicula in varios dies festos hinc inde collecta pag. 334.

Orationes autem *de Maria Virginis nativitate & assumtione* quæ huic Andreæ Cretensi Archiepiscopo attribuuntur, ad eum spectare nequaquam possunt: cum festa ista virginis, nondum extarent tempore Andreæ Cretensis, unde in MSS. Codicibus aliquando inveniuntur sub Andreæ nomine, aliquando sub Joannis Damasceni vel Germani Constantinopolitani nomine, junioris nempe qui Seculo XIII. floruit, ad quem probabilius spectant. Sane si tot tantæque Orationes in cultum beatæ virginis ab Andrea vel Joanne Damasceno vel Germano Seniore Constantinopolitano Archiepiscopo scriptæ fuissent: illas non omisisset Nicæna Synodus II. anno 787. celebrata, ad probandum Sanctorum venerationem & cultum. Maxime cum huic Synodo adesset Elias Metropolita Cretensis, teste Cavo ad annum 787. pag. 499. qui has Orationes Andreæ Sedis suæ Archiepiscopi ad SS. cultum stabiliendum allegare non omisisset.

Orationes quoque duæ quæ habentur inter opera S. Amphilochi Iconiensis Episcopi, nempe una *in Circumcisionem Christi & in Sanctum Basilium* illic pag. 10. & altera *in occursum Domini nostri JEsu Christi, deque Deipara, & Anna, & Simone*, illic p. 23. pertinere mihi videntur ad S. Andream Cretensem Archiepiscopum & jam antea in *Amphilochio* prædiximus.

Idem Combefisius anno 1648. edidit duobus in foliis tomis, *Auctarium* Græco-Latinum ad Bibliothecam veterum Patrum, Parisiis, cujus primo tomo addidit opuscula quatuor Græco-Latina, sub nomine ejusdem Andreæ Cretensis Archiepiscopi, nimirum: *Homilias duas in S. Deipara nativitatem*, quarum posteriorem Andreas Schottus jam antea ediderat sub nomine *Germani Patriarchæ Constantinopolitani*, quam MSS. multi quoque Codices Joanni Damasceno adscribunt. *Homiliam in decollationem Joannis Baptistæ. Idiomelem in festum annuntiationis* illic pag. 1289, 1327. Tomo autem 2. ejusdem operis pag. 235. editi ab eodem græce & latine *Jambi Eucharistici ad Agathonem Diaconum*, pro commodatis sibi Synodi sextæ actis. Denique ejusdem *Andreæ Cretensis Archiepiscopi Computus Paschalis*, græce & latine editus à Dionysio Petavio, tomo 3. de doctrina temporum pag. 393. seu in Chronologin quod Parisiis in fol. editum anno 1630. apud Sebastianum Cramoisy. Ejusdem *Oratio in S. Georgium*, edita latine & græce à Bollando ad diem 23. Aprilis. Extat autem græce MS. apud Eusebium Renaudotum, Gallum, antiquarium eruditum, *Andreæ Hierosolymitani Cretensis Archiepiscopi* Ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους καὶ καλλινίκους δέκα μάρτυρας, ὅτε ὑπὸ τῆς τοῦ χειμῶνος βίας ἐξ ὑποστροφῆς τοῦ πλοὸς ἐπιστὰς, τὸν παρόντα ἐξεδίασε λόγον, ut habet Carolus du Fresne ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, in indice authorum ineditorum & editorum, col. 24. Extant in *Nova bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum, seu Specimine antiquarum lectionum Græcarum Philippi Labbei, Soc. Jesu*, potissimum concinnata ex Catalogo MSS. Codicum regiæ bibliothecæ Galliarum, (edita Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault) parte 2. pag. 82. *Andreæ Archiepiscopi Cæsareæ quæstiones ex libro Tempeuticon, quo abeunt anima post mortem corporis*, in regio Codice MS. 930. Unde colligunt nonnulli, hunc Andream fuisse successive tum Archiepiscopum Cæsareæ in Cappadocia, tum Archiepiscopum Cretensem antea. Ibidem parte 2. pag. 97. *Theodori Prodromi Expositio Canonum in festa Domini nostri Jesu Christi*, autoribus Cosma & Joanne Damasceno: cum *Nicephori Blemmyda* Canone & Jambis in Sanctum Gregorium Theologum, *& Nicetæ expositione Tetrastichorum* cujusdam Nazianzeni, aliisque in Codice Regio MS. N. & O. *Enarratio Sacrorum carminum seu tropariorum Andreæ Archiepiscopi Cretæ ad Riginum.* Hæc opuscula tria Andreæ Archiepiscopi Cretensis vel Cæsareæ, nondum edita annotasse, non inutile posteris fuerit. Atque jam aliis notis aut numetis, Codices illos recensitos fuisse arbitror, in Catalogo ultimo Græcorum omnium MSS. Codicum regiæ hujus Bibliothecæ, quem dum Parisiis eram, magnis adornarunt curis Carolus du Fresne, Dominus du Cange & Joannes Baptista Cotelerius, ambo celebres in cognitione Græcorum MSS. Codicum. Fuisse vero Scriptores duos distinctos Andream Cæsareæ Archiepiscopum in Cappadocia & Andream Cretensem Archiepiscopum opinor, quamvis suppares atque ætate eadem vixerint, ad quod, ut credam, hac ratione adducor: quod utriusque stylus & institutum discrepent. Nam Andreas Cæsareæ Archiepiscopus hoc seculo IX. per *Eclogas* atque *excerpta* ex antiquioribus aliis totum suum *Commentarium in Apocalypsin* consarcinavit, atque ex meris aliorum laciniis contexuit, ut ad annum 840. de illo diximus, idemque dicendum, de quæstionibus ex libro *Tempeuticon* de quo antea, quas in MS. Codice Bibliothecæ Regiæ 930. sub ejusdem nomine extare, scribit loco citato Labbeus: unde *exceptor* magis quam Scriptor dici meruit. At Andreas Cretensium Archiepiscopus alio prorsus stylo atque instituto, ex proprio fonte, multis verbis, Orationes & *Homilias* ad plebem sibi commissam aliasque ecclesias, in solemnibus festivitatum potissimarum diebus, habere consueverat. Discrepabant itaque stylo & instituto licet eadem ætate florerent. Hinc recte ex istis tribus opusculis nondum editis, duo Andreæ Cretensium Archiepiscopo, unum Andreæ Cæsareæ Archiepiscopo, ex fide Manuscriptorum Codicum attribuitur.

CAPUT SECUNDUM.

DE VERA ÆTATE ANDREÆ CRETENSIUM ARCHIEPISCOPI, EX SCRIPTIS ILLIUS PETITA.

Omnibus autem neglectis quæ de ætate Andreæ Archiepiscopi Cretensis, à Guilielmo Cavo *in historia literaria*, qui ei annum 635. assignaverat, atque Francisco Combefisio, operum hujus Andreæ Cretensis Archiepiscopi anno 1644. græce & latine editore, (qui in notis eum ad annos 701. & 710. affixerat) afferuntur: contendo illum anno 840. vel 850. non esse antiquiorem, ob rationes sequentes ab opusculis ipsi attributis petitas, quas nullus hucusque observavit. Rationes ob quas Andreas Cretensis Archiepiscopus sub Seculi IX. medium claruisse videtur, hæ sunt: 1. ob festivitates novas & plurimas, quarum nulla seculis septimo & octavo est mentio, in quas homilias scripsisse legitur, quas omnes cap. 1. Dissertationis hujus retulimus. Nempe in Sanctæ Mariæ natalem diem pag. 1. circumcisionem & in Basilium pag. 28. in crucis exaltationem homilias pag. 96. & 103. in Mariæ dormitionem homilias tres pag. 115. 131. & 143. ejusdem sunt Canones præcipui & Triodia, seu Canones IX. nimirum in conceptio-

ptionem Sanctæ Annæ pag. 252. in Mariæ nativitatem pag. 258. Magnus Canon pag. 265. in Lazarum pag. 301. Triodia quatuor majoris hebdomadæ pag. 311. & alia. Hæ enim festivitates omnes à Græcis noviter institutæ sunt, postquam anno 842 decreto solemni post Theophili Imperatoris mortem & Michaele Imperatore & Theodora ejus matre atque Methodio Patriarcha CP, cultus imaginum sancitus fuit. 2. Hæc omnia opuscula Andreæ Cretensis Archiepiscopi, non extabant tempore Nicenæ Synodi secundæ. Si enim Orationes istæ omnes, Canones & Troparia ætate Concilii Nicæni II. anno 787. extitissent, illas allegare non omisissent patres hujus Synodi, qui tot fabulas atque nugas, & falsa Scriptorum opera ad Iconoduliam & invocationem cultumque Sanctorum stabiliendum collegerunt & adduxerunt. Maxime quia huic Synodo adesset Elias Cretensis Archiepiscopus, qui hæc opuscula antecessoris in sede sua Andreæ indicasset & ad cultum imaginum & Sanctorum confirmandum allegasset. 3. Quod omnem tollit ambiguitatem, Andreas noster vixit post ablatas ab Insula Cretensi imagines, qua de re ipsum audiamus Oratione *in circumcisionem & in Sanctum Basilium*, sub Orationis finem his verbis pag. 38. contra Iconoclastas, qui Insulam imaginibus spoliaverant. Οὕτω δὲ ὀρθοδοξοῦντες, ἐθνῶν φόβον ἀποθρέψομεν, καὶ νῆσοι λύτρωσιν εἰσδέξονται αἱ τῆς ἐκκλησίας, διὰ λοιμῶν ἀνδρῶν ἀκοσμίαν, ἀφαιρέσει εἰκόνων παθοῦσαι ὑπὸ Ἀγαρηνῶν συγκινδυνεύσασαι. *Sic recti in fide, effugerimus gentium timorem, atque Insulæ redemptionem susceperint, Insulam inquam Ecclesiæ illa, ablatis abolitisque per pestes quasdam imaginibus deturpata parique cum Agarenis periculo jactata.* Saraceni autem Cretam Insulam & Siciliam occuparunt tandem sub Michaele Balbo Imperatore, qui ab anno 821 & 829. imperium tenuit, ut testatur Tursellinus *Epitomes historiarum* lib. 7. cap. 2. num. 23. Tum postea Theophilus *Cretam* eandem sub Imperii finem circa annum 840. imaginibus spoliavit, quibus bellum indixit, de quo loquitur in hac homilia *in circumcisionem & Sanctum Basilium* Andreas Cretensis Archiepiscopus, ubi utriusque cladis hujus comparationem facit, atque Iconoclastas recrudescentes, Agarenis seu Saracenis fuisse similes inquit. Factam autem esse istam Iconoclastarum in Cretam insulam invasionem, tempore Theophili Imperatoris, testatur diserte Tursellinus *Epitomes historiarum* lib. 7. cap. 2. num. 29. his verbis: *Hujus Balbi hæres Theophilus Iconomachus, impietate cum patre certans, sacras imagines pingi vetuit omnino, earum loco pecudum aviumque simulacra reponi jussit. Qua lex magnam piis hominibus, poribusque pistrocellam concitavit in oriente.* Hæc Tursellinus, quibus disertius nihil dici potest. Imperavit autem Theophilus à patris morte, seu ab anno Christi 829. ad 841. quo Michael cum Theodora matre illi successit. Porro in publica concione ac solemnitate circumcisionis, apud Cretensem plebem non ausus fuisset ita loqui Andreas Cretensium Archiepiscopus, Theophilo vivente & imperante, qui libertatem ejus atque audaciam ultus fuisset: unde colligimus homiliam hanc primam *in Circumcisionem & Basilium* anno 842. vel 843. pronuntiatam fuisse, cum Iconodulia ex Decreto Michaelis & Theodoræ Theophilo mortuo ubique obtineret. Immani sane parochronismo peccat Gulielmus Cavus, dum vult *ablatas fuisse imagines ab Insula Cretensi sub Leone* Armeno anno DCCXXVI. ut ipse narrat Cavus in historia Monothelitarum seculo octavo præmissa, atque in Gregorio II. ad annum 715. pag. 478. Annis centum & amplius à veritate aberrat. Nec anno 715. Iconoclastæ adhuc in orbe innotuerant, nec ante annum DCCXXV Imperii Leonis Armeni decimum, bellum Imaginibus illatum fuit, ex Theophane aliisque melioris notæ historicis, neque anno DCCXXVI. illud bellum ab Insula Cretensi incœpit, ut male hariolatur Cavus. Neque hæc responsio Cavum ab hallucinatione eximere potest, qui anno 635. Andream Cretensem Archiepiscopum affixit, non autem belli Iconomachici temporibus. 4. Andreas Cretensis *Homilia in Apostolum Titum* pag. 173. ita loquitur: οὗτος ὁ Θεὸς ἡμῶν, αὐτὸς τοῖς νίκαις, τοὺς ὁμοστεφεῖς καὶ συνθρόνους Βασιλεῖς στεφανώσειε μακραῖς, τὸ κράτος αὐτοῖς ἐτῶν διατημῶν ἀνελίξεσιν, αὐτὸς χειμαι τούτοις καθυποταξεῖε τὰ φῦλα πάντα τὰ βάρβαρα τὰ τοῖς αἵμασι χαίροντα. *Hic Deus noster ipse coronæ ejusdem consortes Imperatores, eodemque sublimes throno, victoriis coronet in longas annorum revolutiones, eorum conservans imperium. Ipse manu subjiciat illis barbaras omnes gentes quæ sanguine gaudent.* Hæc autem verba diserte intelligenda sunt de Michaele Porphyrogenito & Theodora ejus matre, quos in plurali *Imperatores* vocat, eo quod simul imperaverint ab anno 842. ad 855. quo magnus hic imaginum cultor, matrem occidisse scribitur: quibus dubio procul sub Imperii initium tantam felicitatem precatur. Absurdus est autem Franciscus Combefisius in notis ad hanc homiliam pag. 357. adjunctis iis quæ Græci de *Andrea* habent in *Triodio* quæ illic dedit. Putat enim esse hic Sermonem de *Justiniano II. & Philippico ejus filio*, quem is statim ab imperio anno 703. recuperato & Tiberio occiso, imperiali corona dicitur insignivisse, de quo Baronius ad annum 702. in Annalibus. Fuerunt, inquit, ea tempora, turbantibus qua Patriarchis, qua Imperatoribus Constantinopolitanis, satis Græciæ obscura, ut non mirum sit, sic atra nocte velut latuisse Latinos, Andreæ nostri sanctitatem: quam non consignaverint, quod sciam, publicis ecclesiæ tabulis. Ex Cumbefisio igitur Andreas hic, tempore Justiniani II. & Philippici ejus filii,

post annum 702. floruit. Sed Combefisium in errorem Baronius adduxit, neque verum est, Justinianum II. & Philippicum ejus filium simul imperium tenuisse, sed contra Philippicum semper cum Justiniani hostibus conspiraisse in patrem, in tantum ut ei imperium ademerit. Ita Tursellinus *in Epitome Historiarum* lib. 6. c. 13. num. 16. *Cæterum Chersonenses Bosphoranique injusto bello a Justiniano vexati, Philippicum exulem salutant Imperatorem, qui ipsorum armis Byzantio potitus ac Justiniano obtruncato, invadit imperium.* Verba igitur ante allata ex Homilia Andreæ Cretensis Archiepiscopi in Apostolum Titum, diserte intelligenda sunt, de imperatoribus Michaele Porphyrogenito & Theodora matre ejus, ab anno 842. ad 855. simul imperantibus: unde certa ætas Andreæ Cretensis Archiepiscopi cognoscitur. 5. Eandem ætatem indicant *canones, cantica sacra & Troparia*, qualia in operibus illius multa leguntur. Nempe canones præcipui & Triodia, seu Canones IX. nimirum in conceptionem Sanctæ Annæ pag. 252. in Mariæ nativitatem pag. 258. Magnus Canon pag. 265. in Lazarum 301. Triodia quatuor Majoris hebdomadæ pag. 311. & alia. His enim temporibus canones illi & cantica sacra maxime invaluerunt, ut constat ex *Canone Epinicio* odis IX. constante Theophanis Grapti Nicæni Archiepiscopi, quem græce & latine inseruit Annalibus suis ecclesiasticis Baronius ad annum 842. num. 50. Ex canticis multis quæ composuit Josephus Hymnographus dictus, qui circa annum 850. sub Ignatio Patriarcha in Ecclesia Constantinopolitana floruit. Ad horum igitur æmulationem, quibus Synchronus erat, Canones & cantica sacra Andreas Cretensis Archiepiscopus conscripsit. Imo in regia Galliarum Bibliotheca, græce MS. *extat enarratio sacrorum carminum seu Tropariorum Andreæ Archiepiscopi* Cretæ ad Riginum, ut testatur *nova bibliotheca MSS. librorum Græcorum Latinorum & Gallicorum seu specimen antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* Philippi Labbei Soc. Jes. concinnatum potissimum ex Catalogis MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ parte 2. pag. 97. editum Parisiis anno 1653. in 4to, apud Johanoem Henault. Denique quod petit Andreas Cretensis Archiepiscopus, Acta Concilii VI. œcumenici, ab Agathone Diacono: non intelligendum est, de Agathone qui Acta hujus Concilii anno 680. tanquam Notarius scripsit: sed de altero ejusdem nominis, qui eadem qua Andreas, nempe circa annum 840 vel 850 ætate vivebat, ut qui Acta illa descripta habebat, quorum apographum Andreas petiit. Andreas enim noster de quo agimus, ætate Concilii sexti œcumenici, annis CLX. recentior erat. Hæc quidem, quantum licuit, de operibus impressis Andreæ Hierosolymitani Monachi, Cretensis Archiepiscopi. Harum porro orationum quæ sub ejus nomine circumferuntur, plurimæ, imo fere omnes MSS. sunt in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ut habet Petrus Lambecius libro seu tomo 4. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 220. his verbis: „Andreæ Archiepiscopi Cretensis, patria quidem Damasceni, cognomine autem Hierosolymitani, ob Monasticam vitam Hierosolymis initam, qui circa annum Christi 720. vel 728. obiit, *Oratio in Dominicam Palmarum extat* Cod. 116. num. 5. Ejusdem *Orationes duæ in nativitatem beatissimæ Virginis deiparæ extant* Cod. 140. n. 6. *Oratio in annunciationem beatissimæ Virginis Deiparæ, extat* Cod. 144. n. 36. Ejusdem *Oratio panegyrica in obitum & assumtionem beatissimæ Virginis Deiparæ*, extat Cod. 151. num. 33. Ejusdem *Oratio in vitam humanam & de mortuis*, extat Cod. 152. num. 13." Insigniori adhuc sollicitudine, idem Petrus Lambecius collegit libro seu tomo octavo Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 530. in Catalogo Scriptorum, qui hoc tomo continentur, quidquid diversarum homiliarum S. Andreæ Cretensis, habetur MS. in Imperiali Bibliotheca: ubi cum inter illas nihil non editum animadverterim, ad citatum locum curiosos lectores mittimus, ut suam istorum, si quam habent, sitim expleant. Atque illæ exdemque Orationes inveniuntur in plurimis MSS. bibliothecarum Regiæ Gallicæ, Seguicranæ, Colbertinæ, quæ tam ipsi Andreæ, quam aliis interdum inscribuntur. Extabat olim Constantinopoli apud Constantinum Barinum, MS. *Andreæ Cretensis solutio in omnes interpretationes Sacræ Scripturæ*, ut habet Antonius Possevinus, ad calcem apparatus sacri, pag. mihi 46. Vnde plurima hunc Andream scripsisse liquet, quæ partim extant, partim perierunt, vel adhuc MSS. in Bibliothecis latent. Sed quod prætereundum silentio non est in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, extat Codex XXVI. qui chartaceus antiquus in fol. est, atque ab Augerio Busbechio, ut ipse solita propriæ manus suæ inscriptione testatur, olim Constantinopoli comparatus fuit. In quo continentur à folio 1. usque ad fol. 71. *Proverbia Salomonis* cum amplissima catena sive Commentario, *ex diversorum Sanctorum Patrum aliorumque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collecto*, cujus principium: Αἱ παροιμίαι περιέχουσιν παιδεύσιν ἠθῶν καὶ παθῶν ἐπανόρθωσιν &c. *Secundo* & quidem a fol. 72. usque ad fol. 319. Esaias Propheta cum amplissima catena seu Commentario ex variorum Sanctorum Patrum, aliorumque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum operibus collecto, cujus principium à Cyrillo est: Τοῦ ἁγιωτάτου Κυρίλλου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας εἰς τὸν Ἡσαΐαν προοίμιον. Ἀσυμφανὴς μὲν τῶν ἁγίων Προφητῶν ὁ λόγος &c. Collector utriusque catenæ, nempe tam in Proverbia Salo-

mo-

„monis, quam in Esaiam, fuit Andreas quidam „Presbyter, ut videre est folio 329. sive ultimo: quippe ubi scriba, qui totum hunc Co„dicem sua manu exaravit, lectores rogat „orare Deum, ut in tremendo ultimi judicii „die misereatur non solum sui, verum etiam „Ἀνδρέυ ἐλέει Θεῦ Πρεσβυτέρυ, τῦ συναγάγοντος „καὶ παραθεμένυ τὰς ἐμφερομένας τῇ βίβλῳ ταύ„τῃ παραγραφάς. Tempus autem quo idem „Codex exaratus est, indicatur folii 73. pag. 2. „per fragmentum Canonis Paschalis ab anno „mundi secundum communem Ecclesiæ Con„stantinopolitanæ supputationem 6744. hoc est „anno Æræ Christianæ 1236. usque ad annum „mundi 6749. sive annum Christi 1241. Ita Lambecius tomo 3. Commentariorum suorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, fol. 40. Quæ vel ad hunc Andream Cretensem Archiepiscopum, vel ad alterum Cæsariensem Archiepiscopum, Seculi IX. Scriptorem spectare possunt. Quantum autem ad horum Commentariorum seu Catenarum ex Patribus anterioribus collectarum rationem atque methodum attinet, cum ad seculum nonum duntaxat pertineat, tam in græcis quam in latinis Scriptoribus, ut recte observavit Labbeus *in Sedulio Scoto juniore*, ratione similis Commentarii: ideo verosimilius has de quibus agimus catenas spectare ad hunc *Andream* Cæsariensem Archiepiscopum, seculi IX. Scriptorem existimamus, qui simili agit methodo, *Commentario suo in Apocalypsin.*

Agunt *de Scriptis S. Andreæ Archiepiscopi Cretensis*, Antonius Possevinus, tom. 1. *Apparatus sacri.* Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica *Auctarii* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 182. pag. 216. Franciscus Combesis locis citatis, tam in *Notis* & Commentariis specialibus editionis omnium Andreæ Operum quam anno 1644. in folio Parisiis procuravit: quam in *Commentariis & Notis* ad Orationes insertas *Auctario* suo græco-latino anno 1648. ad Bibliothecam veterum Patrum & in *Apparatu* ad Bibliothecam concionatoriam prævio verbo *Andreas Cretensis Archiepiscopus.* Petrus Lambecius locis citatis, ubi eundem collocat iisdem quibus nos olim temporibus, contra Cavi sententiam. Carolus du Fresne Dominus du Cange in Indice Scriptorum tam MSS. quam editorum quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ græcitatis* coll. 24. & 44. & in Glossario ipso verbo *μέγας κανών*, columna 583. post verbum *κανόνες*, col. 582.

850. JOANNES ARCHIEPISCOPUS THESSALONICENSIS, claruit anno circiter 850, quem JUNIOREM dicimus, ut ab aliis ejusdem nominis & sedis Archiepiscopis distinguamus: fuerunt enim duo vel plures, qui ad notitiam meam non pervenerunt, qui sedem eandem diversis temporibus tenuerunt, quos imperite Scriptores in unum confuderunt. Nam JOANNES ARCHIEPISCOPUS THESSALONICENSIS SENIOR, anno 680. claruit, adfuit enim Concilio III. Constantinopolitano anno 680. cujus nomen profertur Actione 10. pag. 781. Act. 18. pag. 1029. & 1077. Tomo 6 Conciliorum Labbeanæ editionis, quam semper sequimur. Hujus Joannis Archiepiscopi Thessalonicensis Senioris, in Concilio Niceno II. Actione 4. citantur *Dialogi Joannis Thessalonicensis Archiepiscopi duo, quorum primus* erat inter Gentilem & Christianum, *alter* inter Judæum & Christianum. In *primo* probabat pingi posse *Angelos & animas*, quia corporei sunt: In *secundo imagines de Christo & Sanctis factas*, atque inter Christianos usu receptas, *idola non esse* affirmabat. Meminit hujus *Joannis Thessalonicensis* Petrus Lambecius lib. 4 Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 82. 132 & 244, qui tamen absurde fallitur, dum eum anno 451 floruisse & Concilio Chalcedonensi interfuisse scribit. Item libro 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ, in examine MS. Codicis Theologici Græci CCX num. 20 pag. 23. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 333. Atque in Catalogo juxta seculorum rationem, Seculo V ad annum 451 pag. 363. Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca nova Ecclesiastica*, Seculo VII sub initium pag. 13, ubi cum aliis circa ætatem illius assignandam, maxime fallitur. Quem etenim sub Seculi VII initium uti viventem assignat, anno 680 Concilio VI Oecumenico, adfuisse certum est. Quamvis autem Joannes hic Thessalonicensis Archiepiscopus Senior, ut supra monuimus, *Dialogorum libros duos* contexuerit, cum Opuscula ejusmodi à Niceno Concilio II citata, lapsu temporum exciderint; hujus hic tantum per transennam mentionem fecimus, ut ab altero Juniore, cujus opera quædam extant, distingueremus.

Jam ad JOANNEM ARCHIEPISCOPUM THESSALONICENSEM nominis secundum seu Juniorem veniamus, cujus *homilias tres de variis argumentis*, primus ex MSS. Codicibus profert Leo Allatius in Diatriba *de Simeonibus & eorum Scriptis* locis citandis. *Joannis Thessalonicensis Archiepiscopi, quod nulla dissensio in Evangelistis de Resurrectione Domini* pag. 97. ὅτι ὐδεμία διαφωνία, ὐδὲ ἐναντίωσις ἐν Εὐαγγελισταῖς, „περὶ τῆς ἀναστάσεως. *Hymnus in Deum & in Demetrium Martyrem* pag. 105. Πάντος ἔργῳτε καὶ „λόγῳ καὶ διανοίαις ἡγείσθω Θεός. *Joannis Episcopi* Thessalonicensis ὕμνος εἰς Θεὸν καὶ εἰς τὸν „πανένδοξον ἀθλόφορον Δημήτριον, ἐν μερικῇ διη„γήσει τῶν αὐτῦ θαυμάτων. *In dormitionem* „*Sanctæ Mariæ* pag. 110. τῇ θαυμαστῇ καὶ ὑπερ„ενδόξῳ Παναγίᾳ. *Joannis Episcopi Thessalonicensis*, „Προοίμιον εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας Θεοτό„κυ." Ex Homiliis iltis, *Homiliam in mulieres unguenta ferentes ad sepulchrum Domini*, ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, Græce & Latine produxit Franciscus Combesis, in *Auctario primo* quod Bibliothecæ Sanctorum Patrum ad-

je-

jectum est. Hanc jam autem antea Græce ediderat Henricus Savilius Tomo V Operum Sancti Joannis Chryfoftomi, editionis in Anglia, *in triduanam Christi Resurrectionem* inscriptam. Habetur à pag. 740 ad pag. 747, sed tanquam dubiæ fidei, & in principio mutila: integra autem & fub auctoris fui nomine, eadem extat Tomo I. dicti *Auctarii* Bibliothecæ Græco-Latinæ veterum Patrum anno 1648. Parifiis in folio editi à col. 791. ad 822. Eadem Græce MS. Codice Theologico Græco CXXXI Bibliothecæ Cæfareæ Vindobonenfis num. 2. & quidem à folio 367. ad folium 375. *Joannis Archiepiscopi Thessalonicensis homilia de concordia Evangelistarum circa Dominicam Resurrectionem*, cujus titulus & principium: Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, ὅτι οὐδεμία διαφωνία, οὐδὲ ἐναντίωσις ἐν τοῖς Εὐαγγελισταῖς περὶ τὴν ἀνάστασιν. Καθὼς ἐνεχώρει διεσαφήσαμεν τῇ φιλοχρίστῳ ἡμῶν ἀκοῇ τὰ πρὸ τοῦ πάθους τοῦ δεσποτικοῦ γεγενημένα &c. Aliam quoque editioni paratam habebat idem Combefifius *de obitu & assumtione beatissimæ Virginis Deiparæ*, quam ob eas quas complectebatur enormes fabulas, idem Combefifius, licet homo maxime credulus, fupprimere voluit. Verum illius nobis fabulofi operis memoriam Petrus Lambecius confervavit Libro feu Tomo V Bibliothecæ Cæfareæ Vindobonenfis pag. 23 in examine Codicis MS. Theologici Græci CCX. num. 20. his verbis. „Vigefimo & quidem à folio 153. pag. 1. ad „folium 168. pag. 2. *Joannis Archiepiscopi Thessalonicensis Oratio historica de obitu & assumptione* „*beatissimæ Virginis Deiparæ*, cujus titulus & prin„cipium: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἀρ„χιεπισκόπου Θεσσαλονίκης, λόγος πάνυ ὠφέλι„μος εἰς τὴν κοίμησιν καὶ πρὸς Θεὸν μετάστασιν „τῆς ὑπερενδόξου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀει„παρθένου Μαρίας. Incipit, τῇ θαυμαστῇ καὶ ὑ„περενδόξῳ καὶ ὄντως μεγάλῃ τοῦ παντὸς κόσμου „Δεσποίνῃ καὶ ἀειπαρθένῳ Μαρίᾳ &c." Eadem extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 286 in MSS. Codicibus Oliverii Cromvelli Codice 107 n. 18 p. 249.

Ejusdem tituli & argumenti Liber *de transitu seu assumptione Mariæ Virginis* olim Melitoni Sardenfi Epifcopo datus eft, multis feculis ante ætatem & tempora Joannis Theffalonicenfis Archiepifcopi Junioris nuncupati, qui fub feculi IX medium, nec ante floruit. De hoc Opere Gerardus Joannes Voffius lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. XIV ubi de Melitone his verbis. „Ac longe minus locum fibi hic vendicari pos„fit Melito Sardenfis Epifcopus, qui Marci Aure„lii tempore floruit, juxta Eufebium libro 4. „*Historia Ecclef.* cap. 25. & pro Chriftianis Apo„logiam obtulit. Nifi forte referre huc libet „propter librum *de Vita Prophetarum*, quem ab „eo fcriptum fuiffe, Hieronymus ut & Hono„rius inquiunt: at non item huc pertineat, fi „fpectes, quæ extant. Ei tribuitur quidem *li*„*ber de transitu* Beatæ Virginis, qui in Bibliotheca Patrum Tomo VII legitur, imo Trithemius" quoque inter Melitonis fcripta recenfet: fed" non Eufebius vel Hieronymus, quorum æta-" te non extabat, & quorum uterque accurate" texuit Catalogum eorum, quibus Melito me-" moriam fui propagavit. Primus Veterum," quod fciam, ejus meminit Gelafius in Concilio" Romano anno 494, fed ejus judicio *liber qui*" *appellatur transitus, id est Assumptio Sanctæ Ma*-" *riæ, apocryphus est.* Ac Beda quoque *Retractationum in Acta* cap. 8 notavit multa continere," quæ Apoftolicis Actis repugnent. Bellarmi-" ni etiam judicio, in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, liber eft indignus, qui tanto viro tribua-" tur. Atque idem cenfet Sixtus Senenfis Libro 2. *Bibliothecæ Sanctæ*, Baronius Tomo 1." Annalium ad annum XLVIII num. 12 & To-" mo 2 anno CLXII num. 5. Item Poffevinus" in Apparatu facro, & Joannes Maria Magifter" facri Palatii in *Indice Romano*." Atque Opus hoc primum fuiffe ab homine Latino, non Græco confcriptum arbitror, unde primum in notitiam & cenfuram Gelafii venerit.

Idem Gerardus Joannes Voffius Libro 4 *de Historicis Græcis* cap. 18 agens de Epiphanio Salaminæ in Cypro Epifcopo, qui fub Valente & Gratiano, imprimis autem fub Theodofio Magno floruit, inquit Gefnerum in *Bibliotheca Universali* verbo *Epiphanius*, tribuere ipfi librum *de Vita Mariæ & laudibus ejus*, qui deeft inter Opera Sancti Epiphanii Salaminæ in Cypro Epifcopi. Græce & Latine Tomo 2 pag. 291. Alter, qui juxta Dionyfium Petavium, operum D. Epiphanii editorem & cenforem, creditur effe Epiphanii alterius, ejufdem fedis Epifcopi, qui Seculo IX. circa annum 870. Synchronus Ignatio & Photio Patriarchis Conftantinopolitanis floruerit, atque homilias plures tunc temporis fcripferit. Opus autem iftud Epiphanii Junioris, inter Epiphanii Senioris Opera computatum & expreffum, non eft unum & idem cum Opufculo Joannis Theffalonicenfis Archiepifcopi Junioris, de quo loquimur, fed ifto aliquanto recentius. Epiphanio attributum. Effunditur omne illud in laudes beatæ Mariæ Virginis, nullatenus autem hiftoricum eft, vel de affumptione illius fingularis agit, uti de Opufculo Joannis Archiepifcopi Theffalonicenfis Junioris, poft Lambecium, ante obfervavimus.

Veniamus ad pretium hujus *Opusculi* feu *Orationis Historicæ* Joannis Archiepifcopi Theffalonicenfis Junioris. Hanc plurimum extollit Tomo V Bibliothecæ Cæfareæ Vindobonenfis pag. 23 Scriptor MS. Codicis CCX Theologici Græci, utpote recentior Græcus atque fabularum & imaginum amans, quem velut Heroëm aliquem aut Ecclefiæ primitivæ Patrem, exornat, laude τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης: atque Opufculum feu Libellum vocat λόγον πάνυ ὠφέλιμον. At longe aliter Leo Allatius in Diatriba,

De

De Symeonibus & eorum Scriptis pag. 97. 105. & 110, quem simpliciter *Joannem Episcopum Thessalonicensem* vocat, nec titulo *Sancti Patris nostri* adornat, utpote Scriptorem ævi recentioris, atque vel nullius vel exigui meriti. Hominem autem deridet & censura notat Epiphanius Monachus & Presbyter, quem seculo X vel XI scripsisse arbitror, in Libro à se scripto *de Vita Sanctæ Deiparæ & vita illius temporibus*, qui Græce MS. extat in Bibliotheca Vaticana, cujus excerpta profert Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis* pag. 106 & Petrus Lambecius Lib. V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 23 & 24. itemque Libro IV. paginis 132. & 244. Laudat illum ac sine meritis extollit, ut habet Lambecius Libro V allegato pag. 24, Hippolytus Maraccius in *Bibliotheca Mariana* his verbis. „Joannes Thessalonicensis Archiepiscopus, natione Græcus; auctor perantiquus, & non minus dignitatis quam virtutis celsitudine sublimis, scripsit *de vita & morte Deiparæ Virginis* librum seu Orationem unam, quemadmodum Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus, aliique litteris prodiderunt. Sed cum in ea hæreticorum fraude, vera cum falsis permixta, & quæ cum fidei veritate pugnantia, contineantur, merito inter apocrypha rejici scribit Petrus Canisius Lib. 5 *de Deipara* cap. 5. Extat autem Græce manuscripta in perantiquo Codice Bibliothecæ Vaticanæ, & Latinitate donata à Vincentio Riccardo Clerico Regulari extat apud Cerusolam Tomo VI *de beata Virgine*. Quo tempore effulserit, mihi adhuc ignotum. Hæc Maraccius de eodem Joanne Archiepiscopo Thessalonicensi. Quem autem Maraccius laudibus extulit, hunc irridet ac censura notat, apud Leonem Allatium in Diatriba *de Symeonibus & eorum Scriptis* pag. 106, Epiphanius Monachus & Presbyter Constantinopolitanus, in libro Περὶ τοῦ βίου τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνων, *de Vita Sanctæ Deiparæ & temporibus vitæ ipsius*, his verbis, „unde sua hauserit, ipse in principio Orationis exponens. Ἐγκωμιάσαι δ᾽ αὐτῆς πολλοὶ ἐκ τῶν ἁγίων πατέρων γεγόνασιν. οὐδεὶς δὲ ἐξ αὐτῶν περὶ τῆς βιώσεως αὐτῆς καὶ τῶν χρόνων, ἢ τῆς ἀνατροφῆς, ἢ τοῦ τέλους ὀρθῶς καὶ ἀναπεδέκτως ἐσήμασεν. ἀλλὰ καὶ οἱ ἐπιχειρήσαντες, καὶ μέρη τινὰ εἰπόντες, οὐκ ὀρθοτόμησαν, ἀλλ᾽ ἑαυτοῖς ἐγένοντο κατήγοροι: οἷος Ἰάκωβος Ἑβραῖος καὶ Ἀφροδισιανὸς Πέρσης, καὶ ἄλλοι τινὲς, μόνον περὶ τῆς γενέσεως αὐτῆς εἰπόντες, εὐθέως ἀπεσιώπησαν. Περὶ δὲ τῆς κοιμήσεως αὐτῆς Ἰωάννης Θεσσαλονικεὺς πολυθρύλλετον ποιησάμενος λόγον, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπεσκίασεν καὶ ἕτερος ὁ Ἰωάννης ἑαυτὸν θεολόγον ἐπιχρώσας, τὸ τοῦ ψεύδους ἔγκλημα ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἐπεσπάσατο. Ἀνδρέας δ᾽ ὁ ἐξ Ἱεροσολύμων Ἐπίσκοπος Κρήτης, ὀλίγα τινὰ εἰπὼν καὶ ὀρθοτομήσας, εἰς ἐγκωμίου τάξιν τὴν διήγησιν ἔστησεν· ἡμεῖς δὲ τοὺς πολλοὺς διευκρινησάμενοι καὶ συλλέξαντες, τὰ εὔπιστα καὶ βέβαια καὶ ἀληθῆ, ἔκ τε τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Εὐσεβίου τοῦ ἀπονομαζομένου Παμφίλου, καὶ ἐκ τῶν λοιπῶν συγγραφέων καὶ διδασκάλων, ἁπλαῖς ταῖς λέξεσι, τοῖς ποθοῦσι, τὰ περὶ αὐτῆς παραστήσομεν: καὶ ἑκάστου τὸ ὄνομα παρ᾽ οὗ τι ἐλάβομεν, ἐπὶ τοῦ μετώπου σημανοῦμεν. Ἵνα μὴ δόξῃ τὶς, διαβάλλειν ἡμᾶς ὡς ἴδιον τι προσθεῖναι, ἢ ὑφεῖλαι, κἂν ἐκ τῶν ἀποκρύφων τι λάβωμεν, ἢ ἐξ αἱρετικῶν μηδεὶς ὑμᾶς ἐπιμεμφέσθω· αἱ γὰρ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτύριαι ἀξιοπιστότεραι εἰσίν: ὥς φησὶν ὁ μέγας Βασίλειος. Ἀλλὰ καὶ ὁ θαυμάσιος Κύριλλος ὁ Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπίσκοπος, αὐτὸ τοῦτο ἐποίησεν, ἀπὸ Ἀβραὰμ ἕως Δαυὶδ εἰς τὴν γενεαλογίαν τοῦ Ἰωσὴφ τοῦ μνηστευσαμένου τὴν πανάμωμον καὶ θεοτόκον Μαρίαν· καὶ τὰ ἑξῆς. Laudatores porro illius multi ex Sanctis Patribus fuerunt, sed nullus de ejus vita, annis, educatione & vitæ fine, certa assertaque pronuntiavit. Verum ii ipsi qui ad hoc ipsum manus admoverunt & quædam sigillatim narraverunt, non recte rem peregerunt: imo alter alterum improbavit, qualis fuit Jacobus Hebræus & Aphrodisianus Persa, & alii, qui principiis de nativitate ejus prolatis, illico sibi silentium indixerunt. De ejus vero dormitione Joannes Thessalonicensis, quanquam Orationem satis prolixam edidisset, non multam laudem consecutus est: & alius Joannes qui Theologi nomen sibi vendicat, notam mendacii in sese suscepit; Andreas vero Hierosolymitanus Cretensis Episcopus, paucis pronuntiatis cum rem tetigisset, narrationem suam in laudationem convertit. Nos multis examinatis, & credibilibus ac stabilibus, nec non & veris in unum collatis, ex Eusebii Pamphili Historia Ecclesiastica, & ex aliis Scriptoribus & Doctoribus, Sermone simplici cupientibus, res illius proponemus: cujuscunque nomen ex quo aliquid exhausimus, in fronte proponentes, ne quis nos aversandi, argumentum sibi assumat, quasi ex nostris aliquid addiderimus aut detraxerimus: nemoque de nobis conqueratur, quod ex Apocryphis aut Hæreticis in medium proferamus. Testimonia enim ex adversariis comparata, multo fide digniora sunt, ut tradit Magnus Basilius: & admirabilis Cyrillus Episcopus Alexandrinus hoc idem perfecit, ab Abrahamo usque ad Davidem, Josephi Sponsi immaculatissimæ & Deiparæ Mariæ Genealogiam scribens. Et reliqua &c.«

Quoad ætatem qua Joannes Archiepiscopus Thessalonicensis Junior floruit, hanc non esse antiquiorem medio seculi noni crediderim, ex argumento quod assumpsit *de Dormitione & Assumptione beatæ Mariæ Virginis*. Hoc ut probè intelligatur, sciendum est, in Ecclesia antiquiori Græca & Latina per sex priora secula, nullam fuisse festivitatem B. Mariæ Virginis institutam, atque omnem illam multitudinem festorum in ejus honorem institutorum, auditam fuisse tantum sub seculi IX initium, ac vix an-

ante seculi hujus medium, fuisse institutam, Metropolitanis, Episcopis & Archimandritis, salutem suam certam arbitrantibus, si festum aliquod ejusmodi in honorem Mariæ Virginis, instituendum procurare possent. Primum festum, quod institutum fuit in Ecclesia Orientali, fuit festum *Hypapantes Domini*, id est *Oblationis Christi in templo*, dum à Maria Matre in oblationem Domino offerretur, occurrentibus simul cum Christo, Maria ejus Matre, Symeone Sene & Anna Prophetissa. Refert Anastasius Bibliothecarius hoc festum non tanquam Mariæ Virginis, sed Christi Domini, in Historia Ecclesiastica his verbis: *Anno decimo quinto Imperii Justiniani Hypapante Domini sumpsit exordium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda Februarii mensis.* Annus autem XV imperii Justiniani, est annus Incarnationis Christi DXXXXI, Vigilii Papæ quartus. Appellatur autem *festum occursus Domini in templo*, qui tunc celebrabatur, non autem *Festum Purificationis Mariæ Virginis*, ut à Pontificiis recentioribus seculo IX. postea per corruptionem dictum est: neque enim erat *Festum Purificationis Mariæ Virginis*, sed *Festum Oblationis Christi in templo.* Vnde Paulus Diaconus Libro XVI Historiæ Miscellæ, in Justiniano, *& eodem anno Hypapante Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii mensis.* At Suffridus Presbyter Misnensis, Libro 2 *Epitomes Historiarum* ad annum DLI, pro Pontificiorum recentium more, hoc festum quod Christi fuit, velut *Purificationis Mariæ* admisit, atque his verbis tanquam Mariæ festum exposuit: *Sub Sergio Papa & Justiniano Imperatore sumpsit initium apud Constantinopolim, ut ὑπαπαντῇ Domini, id est, Purificatio beatæ Mariæ Virginis solemniter celebraretur.* Mansit hoc festum quod Christi fuit, non Virginis, usque ad finem seculi VII seu ad annum DCC vel circiter, quo jam Festa plura Mariæ Virginis in Ecclesia instituta fuisse videntur. Sic enim Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, vel potius Damasus Portuensis Episcopus in Historia *de Vitis Romanorum Pontificum* in Sergio: *Constituit autem ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis & Dormitionis Sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, ac Sancti Symeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat, & ad Sanctam Mariam populus occurrat.* Vnde constat jam tunc temporis Festa Mariæ Virginis in Ecclesia admissa fuisse, ut *Nativitatis & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis Mariæ*, in quibus Litania è Laterano exibat, & ad Sanctam Mariam populus occurrebat: alia enim duo festa, nempe *Annuntiationis & occursus Domini in templo*, festa erant Christi, non Beatæ Virginis: unum enim erat *Annuntiatio Christi incarnationis*, aliud *Oblatio Christi in templo.*

Quid factum sit de his duobus festis Beatæ Mariæ Virginis, *Nativitatis & Dormitionis seu Mortis* ejus, seculo VIII perstante, mihi rescire non licuit. Tantæ enim in hoc seculo tenebræ, tanta ignorantia & Scriptorum penuria, ut illius nihil nobis relictum sit. Cum autem ab anno DCCXV vel juxta alios DCCXXV controversia de cultu Imaginum & invocatione Sanctorum efferbuisset, Imperatoribus nunc iconoclastis, nunc iconolatris sibi in Imperio succedentibus, aliisque destruentibus quæ ab aliis statuta fuerant: verisimile est duas illas Mariæ Virginis festivitates suppressas fuisse, tum ob earum novitatem, tum quia nullo Scripturæ Sacræ testimonio niterentur, tum quod nullam rationem habuissent, qui instituerant: nam Maria Christi mater, & nata & mortua fuit, ut & mulieres cæteræ, corpore ejus atque cineribus, aliarum mulierum more, in tumulo remanentibus. Hoc confirmatur, quod sub seculi IX initium, inter capitula festorum quæ celebrari à Carolo Magno jubentur, faciat mentionem solius festi *Hypapantes*, quod erat festum *Oblationis Christi in templo*, ut supra diximus: *de festo autem Assumptionis Mariæ Virginis interrogandum relinquimus*, id est, *examinandum an illud authoritate mereretur atque institui posset.* Ita Capitularium lib. 1. capitulari 158. col. 731. editionis Balusianæ Tomo 2. Parisiis in folio anno 1677. apud Franciscum Muguet. Vnde colligimus festivitates *Nativitatis & Dormitionis seu Mortis Mariæ Virginis*, seculo VIII. non obtinuisse, sed suppressas fuisse, quas alioquin Carolus Magnus princeps maxime superstitioni addictus, in suis Capitularibus non omisisset. Sub initium autem seculi IX. imaginibus & cultu Sanctorum atque eorum invocatione obtinentibus, Ludovicus Pius anno 817. Imperii sui IV. Aquisgrani sexto idus Julias celebrem conventum habuit, ubi plurima constituit atque Capite 46. col. 585. inter Festivitates quas in Imperio suo observari voluit, *Purificationem & Assumptionem Sanctæ Mariæ* recensuit. Idem libro 2. Capitularium cap. 35. col. 748. & libro 6. cap. 189. col. 955. In Martyrologiis quoque quæ sub falsis nominibus *Eusebii Cæsariensis Episcopi* & *Hieronymi Presbyteri* fabricata sunt ab hominibus otiosis, atque edita à Luca de Acherio Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri in Gallia, viro in Antiquitatibus versatissimo, in celebri *Spicilegio* ex ejusdem Seculi IX. MSS. Codicibus, extant die 2. Febr. Festum Purificationis Mariæ Virginis, die 25. Martii Festum Annuntiationis Mariæ virginis, die 15. Augusti Festum Dormitionis Mariæ Virginis, & die 8. Septembris Festum Nativitatis ejusdem. Idem quoque Vsuardus S. Germani Parisiensis Monachus in *Martyrologio* suo, quo Gallicanæ omnes Ecclesiæ Episcopales & Monasticæ utebantur, ad dies 2. Februarii, 25. Martii, 15. Augusti & 8. Septembris, ex vetustis illius editionibus & MSS. Codicibus antiquissimis constat. Sub seculi ejusdem IX. initium, Festivitates aliæ plures ejusdem Deiparæ Virginis, à Scriptoribus Græcis ejusdem temporis, excogitatæ & inven-

ventæ sunt ad æmulationem, ut constat ex homiliis Scriptorum qui hac ætate floruerunt. Antipater Bostrensis Junior quem anno 840. collocamus, habuit Homiliam in *Præsentationem beatæ Virginis in templo*, dum triennis esset: & alteram in *Dormitionem Mariæ Virginis, id est mortem*, quam Latini interpretes *Assumptionem* malè interpretati sunt, in editione Operum illius. Andreas Hierosolymitanus Monachus, & Cretensis Archiepiscopus, Homiliam unam in Natalem diem Mariæ Virginis, alteram in Annuntiationem ejusdem, ac tres in Dormitionem seu mortem illius. Georgius Nicomediensis Archiepiscopus homilias duas in Conceptionem Deiparæ, alteram in Præsentationem Sanctæ Mariæ in templo, dum adhuc triennis esset, alteram in assistentiam Sanctæ Mariæ ad sepulchrum. Nicetas Paphlago, unam in Natalem diem sanctissimæ Dei genetricis Mariæ. Photius Patriarcha Constantinopolitanus, orationes duas in Annunciationem B. Mariæ Virginis, & tertiam in Nativitatem ejusdem, atque alias alii.

Quotquot autem ex Græcis Patribus, post Seculi IX. initium, habuerunt Orationes *de Dormitione Mariæ Virginis*, per *Dormitionem* intelligebant *mortem* qua è vivis excesserat, anima in cœlos ascendente, corpore autem seu ossibus & cineribus in tumulo remanentibus. Ita Andreas Cretæ Archiepiscopus in homiliis quas reliquit, ut habet Petrus Lambecius libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis ad MS. Codicem CLI. theologicum Græcum ejusdem Bibliothecæ num. 33. pag. 132. his verbis. „Trigesimo tertio & quidem à folio 176. pag. 2. usque ad folium 182. „pag. 2. Andreæ Archiepiscopi Cretensis cognomine Hierosolymitani Oratio panegyrica „in Obitum & Assumptionem Beatissimæ Dei „genitricis, cujus titulus & principium, „Ἀνδρέου Ἀρχιεπισκόπου Κρήτης, τοῦ Ἱεροσολυ„μίτου ἐγκώμιον εἰς τὴν πανσέβαστον κοίμησιν τῆς „ἀχράντου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀεὶ „παρθένου Μαρίας. Μυστήριον ἡ παροῦσα πανή„γυρις ὑπόθεσιν ἔχουσα τὴν Θεοτόκου τὴν κοίμησιν &c. Argumentum igitur *Dormitionis Deiparæ* apud Græcos, seu *Assumptionis*, erat *obitus seu mors Beatæ Virginis*. Quamvis autem Franciscus Combefis, qui Opera S. Andreæ Cretensis Archiepiscopi, Græcè & Latinè collecta, Parisiis simul in folio procuravit, tres orationes in *Assumptionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ* pag. 115. 131. 143. inscriptas, illis inseruerit: illæ tamen omnes Græcè inscribuntur εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, *in dormitionem seu mortem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ*. At Latini contra, qui eadem die qua Græci *Dormitionem* celebrabant, beatæ Virginis *Assumptionem* die XV. Augusti recolentes, per illam intelligebant *translationem Mariæ Virginis in cœlos cum corpore & anima*, nihil remanente corporis ejus vel ossium in sepulchro, sed illam ita translatam ante resurrectionem generalem & communem arbitrantes. In hoc sensu de *Assumptione* in Capitularibus suis locuti sunt Carolus Magnus & Ludovicus Pius, unde non *Dormitionem* quemadmodum Græci, sed *Assumptionem* appellarunt.

Porto solus ex Græcis & primus qui alludit ad hanc *Assumptionem* beatæ Virginis à Latinis excogitatam, Joannes est Junior Thessalonicensis Archiepiscopus, qui homiliam suam inscripsit, Περὶ τῆς κοιμήσεως καὶ μεταστάσεως τῆς Μαρίας τῆς ἀεὶ παρθένου, *de obdormitione seu morte & Translatione sanctæ Mariæ Virginis in cœlum.* Vnde colligo ipsum anno circiter 850. claruisse, quia primus qui hoc festum *Assumptionis Mariæ in cœlum, quoad animam & corpus*, instituit, fuit Leo IV. Romanus Pontifex circa annum 850, ut habet Damasus Portuensis Episcopus, in libro *de Vitis Romanorum Pontificum* in Leone IV. his verbis. *Octavam Assumptionis beatæ Dei genitricis diem, quæ minime Romæ antea celebrabatur, Vigiliis sacris matutinisque, cum omni Clero pernoctans laudibus in Basilica ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros juxta Basilicam beati Laurentii Martyris sita est, celebrari præcepit: in omnes qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit.* Hanc eandem à Latinis festivitatem, atque eodem sensu quo à Latinis celebratur, postea Græci recentiores, utpote miraculi proximiorem, de veritate parum solliciti, admiserunt. Nam juxta Labbeum in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum & Latinorum*, quam anno 1653. in 4. Parisiis edidit, apud Joannem Henault, parte 1. pag. 75. extat Græcè MS. *Joannis Furnæ de Assumptione Beatæ Virginis, seu de translatione sacri corporis Deiparæ, quod surrexit ante communem resurrectionem*, in Codice Regio MS. G. cum Theophanis Coramei homiliis, & in Regio 801. in quo & aliæ homiliæ plures sunt. Hæc multa ex diversis collecta, ad ætatem Joannis Thessalonicensis Archiepiscopi detegendam, quæ paucioribus verbis à me explicari non potuerunt. Facit mentionem Joannis Thessalonicensis Archiepiscopi Junioris dicti, præter citatos recentiores, Allatium, Lambecium, & Petrum Canisium locis allatis, Epiphanius Monachus & Presbyter Constantinopolitanus in libro *de Vita Deiparæ Virginis & vita ejus temporibus*, Scriptor antiquus, qui mihi circa seculi XI initium scripsisse censetur: eo quod hunc Joannem Thessalonicensem, Joannem alterum qui se Theologum nuncupavit, & Andream Hierosolymitanum Cretæ Archiepiscopum, seculi IX. scriptores, ut antiquiores se, alleget.

RVDOLPHVS SEV RODOLPHVS FVLDENSIS MONACHVS, his etiam temporibus clarus, cujus insigne elogium in *Annalibus Fuldensibus* ad annum 865. ob artem Poeti- 850.

ticam & Historiam, in quibus excelluisse atque per omnes totius pene Germaniæ partes, Doctor egregius audivisse perhibetur. Verum ut ad Opuscula procedamus, scripsit *Vitam sanctæ Liobæ Virginis & Abbatissæ Bischofsheimensis* in Germania, quam graviter compositam habes editam apud Surium in editione secunda, ad diem 28. Septembris. Et apud Joannem Mabillon Seculo III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* tomo seu parte 2. pag. 245 & sequentibus. Scripsit etiam *Vitam Rhabani Mauri Magistri sui*, Fuldensis primum Abbatis, tum Moguntini post Otgarium Archiepiscopum anno 847 mortuum electi Archiepiscopi, qui anno 856 die 4 Februarii fato functus est: quam habes editam primum à Georgio Colvenerio in ipsis *Prolegomenis* ad Opera Rhabani Mauri Coloniæ anno 1627 impressa, & apud Joannem Bollandum in probatis Sanctorum Vitis, ad diem IV Februarii, qua mortuus est. Denique Seculo IV *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2 pag. 1 & sequentibus. Mortuus autem est Rudolphus anno 865, cujus elogium ad annum 865 ita ferunt Annales Fuldenses apud Duchesnium. *Anno 865. Ruodulphus Fuldensis Cœnobii Presbyter & Monachus, qui apud totius pene Germania partes, doctor egregius & insignis floruit Historiographus & Poëta, atque omnium artium auctor nobilissimus habebatur: octavo Idus Martii, diem ultimum feliciter clausit.* De Rudolpho Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 35. pag. mihi 316.

850. GOTTESCALCUS ORBACENSIS MONACHUS in Episcopatu Suessionensi, cujus occasione hoc nostro seculo ingentes inter Doctissimos Viros querelæ motæ sunt, cum aliquamdiu per varias provincias excurrisset, variisque in locis docuisset, Moguntiæ degens à Rhabano Moguntinensi Archiepiscopo in Concilio illic anno 848 collecto, hæreseos damnatus fuit. Unde in Galliam remissus, ab aliis quoque Galliarum Episcopis, sollicitante potissimum Hincmaro Remensi Metropolitano, anno sequenti 849 in Conventu Carisiacensi condemnatus est. Hic natione Germanus, cujus etiam nomen *Gottescalcus* fuisse Germanum satis docet, quod lingua Germanica *Dei servum* significat. Junior in Monasterio Augiensi seu Augiæ Divitis sub Tatonis disciplina, humanioribus litteris institutus, in quibus eousque excelluisse dicitur, ut Fulgentii nomen inde habuisse dicatur. Veniens postea in Gallias, vitam Monasticam professus fuit in Cœnobio Orbacensi, Ordinis divi Benedicti, Diœceseos Suessionensis, cui tunc Bavo Abbas præerat. Sacris postmodum litteris & sanctorum Patrum doctrinæ, Augustini potissimum ingentem contulit operam, non talem qualem, ut vult perperam Natalis Alexander. Amicissimus ille maximis seculi hujus viris fuit, Lupo Ferrariensi Abbati, Walafrido Augiæ divitis Monacho, Ratramno Corbeiæ Gallicæ Monacho, doctissimis viris: ut patet ex Epistola XXX. Lupi Ferrariensis ad ipsum data, ex altera Ratramni ad eundem, & ex Carmine gratulatorio, quod ipsi cecinit Walafridus Strabus. Inde autem insigne argumentum eximiæ Gotteschalci doctrinæ & eruditionis sumi potest: cum ejusmodi homines vix litterarum inirent commercia, nisi cum viris vel dignitate vel eruditione præstantibus. Ratramno autem Corbeiensi Monacho, insigni ob suam eruditionem viro, quam intime carus esset, Metrica ad ipsum Gottescalci Epistola testatur, quam Ludovicus Cellotius ex Sirmondi schedis primus edidit. A Rigboldo Remensis Ecclesiæ Corepiscopo contra regulas anno circiter 847. ordinatus, absque Rothadi nimirum Suessionensis Antistitis licentia. Mox Romam peregrinationis causa se contulit, unde postea in Germaniam trajiciens patriam, male ob doctrinam audire cœpit. Ejus in Synodo Moguntina examinati fuere errores, seu verius, articuli doctrinæ. Ipse præsens auditus, atque à Rhabano convictus scribitur, non probatur: unde hinc ad Hincmarum suum Metropolitam remissus est, dato sacramento se in Ludovici regnum nunquam rediturum. Id anno Christi 848. contigit, ad quem Annales Francorum Fuldenses hæc memoriæ produnt. Anno 849. ineunte, Episcopi Abbatesque plurimi ad Palatium Carisiacum convenerunt, Carolo Calvo Francorum Rege convocante. Adfuerunt Wenilo Senonensis Archiepiscopus, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, cum multis aliis Remensis provinciæ Suffraganeis. Hic autem ventilata Gottescalci causa à Carisiaca Synodo, his in eum verbis lata sententia fuit. *Frater Gottescalch sacrosanctum Sacerdotalis Ministerii officium, quod irregulariter usurpasti, & in cunctis moribus ac pravis actibus, atque perversis doctrinis, eo hactenus abuti non pertimuisti. Judicio Spiritus Sancti, cujus gratia munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum: & ne ulterius eo fungi præsumas, penitus interdictum. Insuper quia Ecclesiastica & Civilia negotia contra propositum & nomen Monachi conturbare, contemnens jura Ecclesiastica præsumpsisti: durissimis verberibus te castigari, & secundum Ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi, authoritate Episcopali decernimus. Et ut de cætero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo, virtute æterni Verbi imponimus.* Mandata executioni sententia est, cæsus flagris Gottescalcus, cujus Canonicam uti quidem volunt, emendationem Ecclesia Lugdunensis ipsi aperte favens, inhumanitatem & crudelitatem existimavit; immerito juxta Molinistas, æquissime autem juxta Augustinianæ doctrinæ alumnos. Compulsus est igni tradere libellum co-

coram Concilii Patribus, in quo Scripturarum & ſanctorum Patrum teſtimonia, ad ſuas doctrinas & ſenſus ſingulares accedentia deſcripſerat: atque inde in ergaſtulum Abbatiæ Altivillaris conjectus, ne aliis noceret, ex mandato Hincmari, hominis iracundi & immiſericordis, omnia pro nutu in Conciliis Gallicanis ſuo tempore diſponentis & ordinantis. Scripſit *Librum de Prædeſtinatione* in Concilio Moguntino anno 848. Rhabano Mauro oblatum: ex quo in ignem tunc conjecto fragmenta quædam nobis conſervavit Hincmarus Libro *de Prædeſtinatione*, quæ hinc inde collegit & ad ſua capita revocavit Mauguinus Tomo 1. parte 2. p. 3. & Tomo 2. *Diſſertatione Hiſtorica* c. 14. p. 62. Item *Confeſſionem ſuæ fidei breviorem & prolixiorem*, quas primus extulit & ſuæ *Hiſtoriæ Gotteſchalcanæ* ſubjecit Jacobus Vſſerius, Dublini 1631. in 4. Hanoveræ 1662. in 8. Deinde Gilbertus Mauguinus, Tomo 1. *Vindiciarum prædeſtinationis & gratiæ*, pag. 9 & 19. Idem *Epiſtolam metricam ad Ratramnum Corbeienſem Monachum*, horridam ſatis & incultam, quæ mihi ergaſtuli ſquallores præ ſe ferre videtur, ſubjunctam à Ludovico Cellotio Pariſino Soc. Jeſu Presbytero, *Hiſtoriæ Gotteſcalci Prædeſtinatiani* pag. 415. Mortuus eſt Gotteſcalcus apud Altivillaris Abbatiam, in carcere quo jubente Hincmaro detentus fuit, anno circiter 870. Qui plura cupit de Gotteſcalco & ejus doctrina, legat *Hiſtoriam Gotteſcalcanam* Jacobi Vſſerii Armachani Archiepiſcopi, Dublini 1631. in 4. *Vindicias Prædeſtinationis & Gratiæ*, quas ſcripſit Gilbertus Mauguinus, doctiſſimus Rei monerariæ Pariſienſis Præſes, cum Collectaneo Variorum hujus ſeculi IX Scriptorum, duobus in 4. tomis impreſſas Pariſiis anno 1650. apud Ludovicum Billaine ſub ſigno divi Auguſtini. Legat & iteratam *Hiſtoriam Gotteſcalci Prædeſtinatiani* à Ludovico Cellotio, jam citatam atque in fol. Pariſiis contra prædictum Mauguinum editam anno 1655. apud Sebaſtianum Cramoiſy via Jacobæa ſub Ciconiis. Omnia vero paucioribus complectitur, Natalis Alexander ex Ordine Fratrum Prædicatorum, licet Gotteſcalco infenſus, in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus*, Seculo IX tomo ſeu parte 2. Diſſert. V. p. 264. & ſeqq.

860. PHOTIVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, Taraſii Patriarchæ nepos, parentes habuit generis ſplendore illuſtres. Ipſe doctrina, genere, virtuteque conſpicuus ad ſummas Imperii dignitates quam primum maturuit, promotus eſt: Protoſpatarius ſeu Regiorum Satellitum dux conſtitutus. Tum Protoſecretarius, & Senatus Conſtantinopolitani princeps, ita ut Imperatoris nomine ad Aſſyrios legatione functus ſit. Anno 858. dejecto Ignatio, atque ab eo ſeu ſponte ſeu metu, libello abdicationis oblato, cum de ſucceſſore ageretur, in Patriarchatum Conſtantinopolitanum promotus eſt. Cujus potiſſimas vitæ epochas atque periodos exacte proſequitur Gvillelmus Cavus ſeculo 9. ad annum 858. pag. 550. quem vide, ut & alios innumeros qui de Photii rebus ſuſe ſcripſerunt. Quantus eruditione fuerit, ex Bibliotheca illius conſtare poteſt attento animo lecta, quæ MS. Græce in Bavarica Bibliotheca Codice 191. charta in ſolio, & in Bibliotheca Cardinalis Beſſarionis Veneta, juxta Jacobum Thomaſinum in Catalogo Bibliothecarum MSS. Venetarum tam Publicarum quam Privatarum, quem Vtini in 4. 1650. edidit. Photius P. CPP. ſcripſiſſe legitur pro Imaginibus. Nam referente Lambecio Lib. 3. Commentariorum B. Cæſareæ Vindobonenſis pag. 169. Euthymius Zigabenus Monachus Græcus in Panoplia fidei: excerpſit Photium ex libro ſeu libris adverſus Iconomachos. *ἐκ τῶν τοῦ Νικηφόρου καὶ Φωτίου τῶν Πατριαρχῶν Κωνςαντινουπόλεως καὶ τοῦ μεγάλου Θεοδώρου τοῦ Στουδιώτου κατ' Εἰκονομάχων. Ἀρχέτυπον ἐςὶν ἀρχὴ καὶ παράδειγμα.* Ibidem paulo inferius appellatur quoque cum Reverentia ab Euthymio Sanctiſſimus P. Conſtantinopolitanus. *κατὰ τῶν λεγομένων Παυλικιανῶν ἐκ τῶν Φωτίου τοῦ μακαριωτάτου Πατριάρχου Κωνςαντινουπόλεως. Σαμόσατα πόλις ἐςὶ τῆς Συρίας* &c. Volumen quoque Epiſtolarum Photii, nomen *Sanctiſſimi* inſcriptum habet, *Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου τοῦ Κωνςαντινουπόλεως.* Ibidem Codice MSS. Theologico Græco 79. num. 9. & quidem à fol. 51. pag. 1. usque ad fol. 58. pag. 1. Photii ſanctiſſimi P. CP. inſtitutiones & demonſtrationes accuratæ, collectæ & ex Synodicis & Hiſtoricis libris de Epiſcopis & Metropolitis & aliis neceſſariis & Eccleſiaſticis quæſtionibus. *Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου ἀγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις ἀκριβεῖς συνειλεγμέναι ἔκτε συνοδικῶν καὶ ἱςορικῶν γραφῶν. περὶ Ἐπισκόπων καὶ Μητροπολιτῶν καὶ λοιπῶν ἑτέρων ἀναγκαίων καὶ ἐκκλησιαςικῶν ζητημάτων.* His non obſtantibus, Lambecius innumeris ubique injuriis Photium opprimens, ut conſtat ex libro 3. Commentariorum pag. 259. verbo Photius & pag. 101 ad marginem, ubi miris illum onerat injuriis, fatetur tamen in veteribus MSS. Codicibus appellari Sanctiſſimum. Ita Codice MS. Theologico Græco B. Cæſareæ Vindobonenſis LXIV num. 23. & quidem à fol. 352. pag. 2. usque ad fol. 354. pag. 2. *περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος Λόγος σύντομος κεφαλαιώδης, συγγραφεὶς καὶ ἀποςαλεὶς πρός τινα παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Φωτίου.* Hoc eſt de proceſſione Spiritus Sancti Diſputatio Compendiaria, capitulatim conſcripta & ad quendam ex Latinis miſſa à Sanctiſſimo P. Conſtantinopolitano Photio. Cum vero de impreſſis Photii Operibus late admodum à Labbeo & Guillelmo Cavo actum ſit, hic tantummodo de nonnullis paucis adhuc MSS. extantibus, in variis Europæ Biblio-

N 3 the-

thecis, mentionem facere apud me statutum est.

Primò quidem *Concilium illud celeberrimum Constantinopolitanum*, in quo post mortem S. Ignatii anno 879. Photius in sedem hanc restitutus est, quam solummodo Synodum Photianam, Oecumenicam octavam agnoscunt Græci, cujus Acta ex Joannis Becci Patriarchæ Constantinopolitani Codice exscripta, primus Græce & Latine extulit Guillelmus Beveregius, tomo 2. *Pandecta Canonum*, Oxonii in folio anno 1672. caractere insigni, cum multis Veterum Ecclesiæ Patrum Canonicis Epistolis, cum Synopsi Matthæi Blastaris, & aliis ad Canones vel Canonicam disciplinam spectantibus. Spirare ex eruditorum omnium judicio videtur, ingenium atque astutiam Photii, in quo disponendo atque dictando plurimam partem, vel in componendo omnimodam, subscribentibus tantum aliis atque approbrantibus habuit: unde neque hic immerito velut Opus Photii proprium recensetur. Extat hic MS. Codex plane eximius & singularis, inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, Codice 691. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Archiepiscopi Cantuariensis, & Academiæ Oxoniensis Cancellarii, litera C. Codice 39.

2. *Liber de Voluntatibus qua in Christo dicuntur* Gnomicæ, teste Guillelmo Cavo in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 9. ad annum 858. pag. 553. extat Latine tantum ex versione Francisci Turriani soc. Jesu, in Supplemento seu Auctario *Antiqua Canisii lectionis* Stevartiano, pag. 437. ad 452, quod Ingolstadii typis Ederianis anno 1616. in 4. editum est. Habetur autem Opusculum istud Græce Manuscriptum in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice CCVIII. num. 1. ut habet Petrus Lambecius libro seu tomo V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 13. his verbis. „*Primo* & quidem fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 10. „pag. 2. *Photii Patriarcha Constantinopolitani liber* „*de Voluntatibus in Christo qua Gnomica vocantur.* „Ipsa tituli Græci verba & principium libri, „sunt hæc: Φωτίȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Κωνςαντινȣ„πόλεως, περὶ τῶν γνωμικῶν θελημάτων ἐπὶ „Χριςȣ͂, λόγος. Περὶ γνωμικῶν Θελημάτων ἐπὶ „Χριςȣ͂ λόγος, πῆ μὲν ἐςὶ χαλεπὸς, πῆ δὲ ῥᾴδιος. „διότι μὲν γὰρ ȣ̓δεὶς ὅσαγε ἐμὲ εἰδέναι, τῶν ἀξιο„λόγων καὶ θεοφρόνων πατέρων &c. In Bavarica „Bibliotheca, Codice 103.

3. Commentariis in divi Pauli Epistolas, ex quo sua ut plurimum desumpsit Oecumenius, teste Guillelmo Cavo extat Græce MS. in Bibliotheca publica Cantabrigiensi, Classe 4 fig. 9. in folio. Cujus Codex quidem admodum antiquus, atque in principio & fine mutilus est, cui certe deest integer *Commentarius in Epistolam ad Romanos*. Juxta Catalogum impressum anno 1698. omnium MSS. Codicum Vniversitatis Cantabrigiensis, illic extat Num. seu Codice, 2430. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Cantabrigiensis Codice 250. ex dono Reverendi Patris Matthæi Parkeri Cantuariensis olim Archiepiscopi. Extant quoque in Bibliotheca Colbertina Cod. 1859. Epistolæ Manuscriptæ Photii, unde in Epistolis ejus impressis multa emendari possent. Item in Catalogo impresso MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ pag. 271. columna 2. in Adversariis Gerardi Langbaini Codice 19. num. 2. extant *Epistola quadam Photii inedita* pag. 103. ad 161. Epistolæ autem illius editæ sunt ex MS. Codice Bodlejanæ Bibliothecæ 217. Barocciano, ubi CCXLIX. occurrunt. Aliæ Photii Epistolæ atque aliorum, in Lugdunobatava Bibliotheca inter Codices MSS. ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Cod. Græco 88.

4. Ejusdem Photii Amphilochiana, seu Quæstiones ac Dubia ad Amphilochium Cyzici Metropolitam, de *variis Sacra Scriptura locis*. Hæc ita inscripta Franciscus Combefis perperam existimavit, quasi Photius Amphilochil veteris Iconiensis Episcopi sententias eo in opere complecteretur, quas collegisset ipse tantummodo: verum ita se res nequaquam habet. Quæstiones enim hæ nomen habent ab Amphilochio Cyziceno Episcopo, Photii amico, cui dubia tredecim supra ter centum dissolvit. Opus est varium & multiplici eruditione refertum, Theologis atque Interpretibus divinæ Scripturæ maxime necessarium, in Bibliothecam Vaticanam ex libris Lollianis sub Vrbano VIII. invectum: quod inde ab Arcudio caracteribus elegantissimis descriptum, reposuisse Franciscum Barberinum, bonarum omnium Artium & disciplinarum restauratorem in Bibliotheca sua, testatur Allatius lib. 2. *de perpetuo consensu Ecclesia Graca & Latina* cap. 6. Habetur etiam hoc Opus manuscriptum in Bibliotheca clarissimi Galliarum Cancellarii Petri Seguierii, ut testatur Catalogus impressus MSS. Codicum hujus Bibliothecæ Seguieranæ, Parisiis hoc anno 1686. in 12. Et Franciscus etiam Combefis in *Apparatu* ad Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam, verbo *Photius*: cujus Operis fragmenta duo inde accepta edidit idem Combefisius, alterum ad calcem Operum S. Amphilochii pag. 226. alterum tom. 1. *Auctarii* sui, Itemque *Amphilochiana Photii*, seu *Quastionum ab Amphilochio ipsi propositarum varia solutiones*, prælo dignissimæ, extant MSS. in Bibliotheca Colbertina Græce, Codice 444. Denique idem Opus in Bavarica Cod. 175. & ex Heidelbergensi MS. in Vaticana Cod. 281.

5. Ejusdem *Photii libri quatuor de nova Manichaorum repullulatione*, extant Græce MSS. in eodem Codice Colbertino 444. cum *libro 2. de Processione Spiritus Sancti, & de Spiritu Sancto adversus Latinos*: quæ omnia idem MS. Codex complectitur. Atque hi quatuor libri *de nova Manichaorum repullulatione*, nisi fallor, sunt iidem quos

quos Metrophani Smyrnensi Archiepiscopo adscribit Antonius Possevinus, ad calcem *Apparatus sacri*, dum ibi agit de MSS. Codicibus Heidelbergensis Bibliothecæ his verbis.

„1. *Metrophanis Archiepiscopi Smyrnensis, de recens exorta Manichæorum hæresi, brevis & lucnlenta narratio.*

„2. *Ex ejusdem Metrophanis diversis contra eosdem Manichæos homiliis Excerpta.*

„3. *Contra Manichæorum recens prognatum errorem, secunda editio ad Antonium Metropolitam Cyzicenum.*

„4. *Ejusdem Metrophanis Liber de Spiritus Sancti Mystagogia, & quod quemadmodum Filius è solo Patre genitus dicitur sacris Oraculis, sic etiam Spiritus Sanctus ex eadem causa Theologica procedere dicatur: Filii autem esse dicatur, quia Consubstantialis illi sit, & per eum mittatur.*

Verum hi libri IV in MS. Codice 444. Colbertino, omnes Photio attribuuntur, nec immerito.

6. Ejusdem Photii *Libri* 2. *de Processione Spiritus Sancti & de Spiritu Sancto adversus Latinos*, Græce extant MSS. in eadem Bibliotheca Colbertina, Codice 444. jam citato. Opus quoddam *de Spiritu Sancto Photii CP.* Patriarchæ, cum ejusdem argumenti altero, quod ad *Metrophanem Smyrnensem Archiepiscopum* spectat, scribit esse Romæ impressum Leo Allatius in Dissertatione *de Fabula Joanna Papissa* pag. 37. cujus verba Petrus Lambecius refert tomo 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ubi de MSS. Codicibus *Chronici* Martini Poloni loquitur. Sed uterque fallitur, atque hoc ipso anno 1688. falso quoque auditum est, Opuscula ista Photii editione apparari, ex MS. Codice 216. Heidelbergensis Bibliothecæ in Vaticanam admissæ. Vnum aliquod ex his duobus Opusculis esse auguror, Opusculum quod habetur sub nomine Photii in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco LXIV ut habet Lambecius libro seu tom. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ his verbis, pag. 117. „Vigesimo tertio & quidem à fol. 352. pag. 2. usque ad fol. 354. pag. 2. περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος λόγος σύντομος κεφαλαιώδης συγγραφεὶς καὶ ἀποσταλεὶς πρός τινα, παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Πατριάρχου: hoc est, *de processione Spiritus Sancti à solo Patre Disputatio compendiaria, capitulatim conscripta, & ad quendam ex Latinis missa à Sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano Photio.* Initium ejus est. Τὶς πῶλος ἀνάσχοιτο τῶν ἐν Χριστιανοῖς τελούντων ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος δύο εἰσάγειν αἴτια. Τοῦ μὲν καὶ Πνεύματος τὸν Πατέρα, τοῦ Πνεύματος δὲ πάλιν τὸν υἱὸν &c. *Quis omnino sustineat eorum qui Christianis imbuuntur doctrinis, ut in Sanctam Trinitatem duo inferunt principia: Filii quidem & Spiritus Sancti Patrem, Spiritus autem Sancti Filium iterum* &c." Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 9124. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis, Codice 53. extant *Photius & Ignatius de Processione Sp. S.*

7. Ejusdem Photii *de Episcopis & Metropolitis Collectio*, quam olim manuscriptam extitisse in Bibliotheca Naudeaoa Parisiensi scribit Cavus in *Photio* pag. 553. Extat quoque in Bibliotheca Bavarica Codice Græco 119. & in Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco LXXXIX. ut habet Lambecius tom. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 195. his verbis. „Nono & quidem à fol. 51. pag. 1. usque ad fol. 58. pag. 1. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani Liber Schismaticus de Episcopis & Metropolitis, & contra Romanos sive Latinos, quæstionibus decem distinctus:* cujus titulus, Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου συναγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις ἀκριβεῖς συνειλεγμέναι ἔκ τε συνοδικῶν καὶ ἱστορικῶν γραφῶν περὶ Ἐπισκόπων καὶ Μητροπολιτῶν, καὶ λοιπῶν ἑτέρων ἀναγκαίων καὶ ἐκκλησιαστικῶν ζητημάτων. Prima autem quæstio talis est: Ἐν ποίοις φαίνονται οἱ Ῥωμαῖοι πεπρακότες παράλογος &c." Idem quoque Opus habetur in eadem Bibliotheca, Codice MS. Theologico Græco CCXVII. num. 2. ut habet idem Lambecius tomo seu Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 46. Extat quoque frequenter in Anglicanis Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Oxonii in Anglia, Codice 91. Barocciano pag. 342. *Collectanea Photii & Demonstrationes ex Synodicis & Historicis Scriptis, de Episcopis & Metropolitanis, & aliis Ecclesiasticis controversiis contra Latinos.* Incipit, ἐπὶ Κωνσταντίου. Ibidem Codice 196. fol. 7. *Photii Patriarchæ Collectanea & Demonstrationes è Synodicis & Historicis Scriptis excerpta, de Episcopis Metropolitanis, & aliis Ecclesiasticis controversiis contra Latinos.* Ἐρώτησις. Φαίνονται πεπρακότες οἱ Ῥωμαῖοι. Ibidem Codice 264. in MSS. Codicibus Thomæ Roë Codice 18. p. 102. *Photii Collectanea & Demonstrationes è Synodis & Historiis Ecclesiasticis, de Episcopis & Metropolitis, & aliis Ecclesiasticis quæstitis.* Ἐν ποίοις φαίνονται &c. Idem Opusculum inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 3778. in MSS. Codd. Abrahami Selleri Codice 9. Et Codice 5926. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Galei Codice 92. num. 3. *Photii Patriarchæ Collectanea de Episcopis & Metropolitis, per Quæstiones & Responsa, præsertim contra Latinos.* Denique in Lugdunobatava nostra Bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 192. *Photius de Episcopis, Metropolitis* &c. Græce & Latine, interprete Patricio Junio. Idem Opus in Vaticana Bibliotheca.

8. Ejusdem Photii *Epitome Actorum septem Conciliorum Generalium*, MS. Græce in eadem Bibliotheca ista Cæsarea, eodem Codice MS. Theologico Græco CCXVII num. 3 ut habet Lam-

Lambecius loco proxime citato his verbis: „Tertio & quidem à fol. 316. pag. 1. usque ad „fol. 321. pag. 1. ejusdem Photii *Epitome Actorum Conciliorum septem Generalium*, cujus titu„lus & principium: Ἐπιτομὴ τῶν πρακτικῶν „τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων. Ἀναγκαῖον ἐστὶν „μέλλοντας ἡμᾶς Χριστιανικῶν αἱρέσεων ἐπιμνημονῆσθαι &c.

9. Ejusdem Photii *Odæ novem* extare dicuntur MSS. in Bibliotheca Collegii Claromontani Parisiensis Soc. Jesu, ut ex Catalogo MSS. hujus Bibliothecæ constat.

10. Ejusdem Photii *Lexicon*, volumen satis crassum, hoc tempore penes Marquardum Gudium Hamburgensem manuscriptum asservatur. Optimus sane liber, quem edi è re literaria esset, ut olim Epistola ad Thomsonum notavit Josephus Scaliger. Jam Hamburgo Bibliotheca Marquardi Gudii abiit, hærede alibi sedem suam ambiente. Sane *Etymologicum* ejus MS. se apud hunc Marquardum Gudium vidisse affirmat Ezechiel Spanhemius *de Numismatibus* pag. 358. ut testatur Thomas Pepeblount *in Censum Celebriorum Auctorum* in Photio ad annum 858. pag. 354. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 5985. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 151, *Photii Lexicon*, liber antiquus in membrana. Editus anno 1706. in 4. Kilonii apud Bartholdum Reutherum Catalogus Bibliothecæ Marquardi Gudii dum viveret Consiliarii Regiæ Majestatis Danicæ in supremo Tribunali Slesvicensi, in quo pag. 539. inter MSS. Codices Græcos, quos penes se habuit, recenset Codice 64. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani Etymologicum Magnum*, Codice Chartaceo, duobus voluminibus in majore quarto, usque satis spissis constans, rarissimus sane ac præstantissimus liber, quo Græcæ litteraturæ thesaurus incomparabilis contineri dicitur. Unicus tantum illi similis hactenus in Anglia innotuit, qui penes Thomam Galeum fuit, crassus quidem valde, litteris quadratis in membrana manu antiquissima, non satis tamen accurate scriptus, teste ejus ad Dominum Marquardum Gudium Epistola. Prima pagina præ vetustate pæne evanuerat, ac illi etiam quædam in fine deesse Galeus suspicabatur. Desiderabat igitur hujus Codicis, quem in Bibliotheca Gudiana servari Henricus Oldenburgerus ex litteris ab illustri ejus possessore transmissis Thomæ Galeo significaverat, collationem: constituto sponsore Dn. Elzevirio Bibliopola Amstelodamensi, qui mille florenorum summa, de eo mature reddendo sponderet. Codici Gudiano nihil in fine deest, Præfatio autem cujus Galeus meminit, non apparet. Inscriptio & initium est ejusmodi. Σὺν Θεῷ ἡ Ἀρχὴ τῆς κατὰ στοιχεῖον Ἐτυμολογίας. Ἀρχὴ τοῦ Ἀστοιχείου. Ἄβαλε σχετλιαστικὸν ἐπίρρημα παρὰ τοῦ βάλλω. Lectio hujus libri perdifficilis est ob litterarum compendia, quibus totus conscriptus est. Editionem ejus linguæ Græcæ studia magnopere juvare atque ad innumera Auctorum illius loca emendanda, restituenda, explicanda, inservire posse, nullus dubitaverit, cum totus in tradendo & exponendo genuino vocum Græcarum sensu versetur. Hæc Catalogus Gudii p. 539. quem transcripsimus.

11. In Manuscripto Codice Philosophico Græco XXIX. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quo loquitur Lambecius tomo seu libro VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 65. extant *Scholia* seu *Annotationes in Categorias Aristotelis*, sive *librum de decem Prædicamentis*, Joannis Grammatici Alexandrini cognomine Philoponi, ex Collationibus seu colloquiis Ammonii Hermiæ filii: nempe à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 103. pag. 2. Ibidem quoque & quidem à fol. 103. pag. 2. usque ad fol. 276. pag. 2. Commentarius Ammonii Hermiæ filii, in Aristotelis librum de Interpretatione in capita 61. divisus. Auxit autem istos *Ammonii & Joannis Philoponi in Categorias Aristotelis Commentarios*, Photius Patriarcha Constantinopolitanus, *Synopsi sua* earundem Categoriarum, quæ in hoc MS. Codice Cæsareo *Ammonii & Philoponi* expositionibus intermixta extat, foliique 25. pagina 1. inscribitur atque his verbis incipit: Κατηγοριῶν σύνοψις Φωτίου ἥδε. Τῶν ὄντων κατὰ τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν, τὰ μὲν ἐστὶν ὁμώνυμα, τὰ δὲ &c. Ibidem etiam fol. 45. pag. 2. ubi expresse legitur: Περὶ τοῦ ποσοῦ. Φωτίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. Ποσόν ἐστι κατηγορία, καθ' ἣν ἕκαστον τῶν ὄντων &c. Item fol. 55. p. 2. Φωτίου, περὶ τοῦ πρός τι. πρός τι ἐστὶ κατηγορία. Quod imprimis quidem notandum est, quod Philippus Labbeus in Catalogo Græcorum Aristotelis Interpretum, hujus nullam fecerit mentionem *Synopseos Photii* in Categorias Aristotelis. Concinunt his quæ scribit Guillelmus Cavus, hic pag. 553. *haberi MS. Librum Photii in Categorias Aristotelis, in Regia Gallicarum Bibliotheca*.

12. Ejusdem Photii *Symbolum fidei, compositum pro iis, qui ordinandi sunt Episcopi*, MS. extat in Bibliotheca Vindobonensi, Codice MS. Historico XLV num. 73. ut habet Lambecius libro 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 453. his verbis. „Septuagesimo tertio„ & quidem fol. 231. pag. 1. & 2. *Symbolum fi*-„ *dei compositum à Photio Patriarcha Constantino*-„ *politano, pro iis qui ordinandi sunt Episcopi*. In-„ scribitur illud atque incipit hoc modo: „ Ἔκδοσις Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου„ Κωνσταντινουπόλεως. Σύμβολον πίστεως πρὸς τοὺς„ μέλλοντας χειροτονεῖσθαι Ἐπισκόπους. πιστεύω„ εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐ-„ ρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τὰ ἑξῆς. Οὕτω φρονῶν καὶ„ ὁμολογῶν τὴν ἐν καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκ-„ κλησίᾳ ἐφιδρυμένην τε καὶ κηρυττομένην πίστιν, τὰς„ ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους ἀποδεχόμε-„ νος, ἅπαντά τε τὰ ὑπ' αὐτῶν &c.„ Ejusdem Pho-

Photii *Encomium S. Lucilliani* MS. in Bibliotheca Vaticana, conscriptum à Photio Scevophylace & Logotheta Constantinopolitano, quod in Latinum Sermonem translatum à Conrado Janningo Soc. J. Presbytero, editum extat inter *Acta Sanctorum Junii* tomo 1. pag. 276 & sqq. apud Henricum Thjeullier Antverpiæ 1695. in folio. Ejusdem Photii Patriarchæ CP. στιχηρὸς in Methodium ejusdem Ecclesiæ CP. Patriarcham quem ex Octoëcho ediderunt Jesuitæ Antverpienses, successores Bollandi in Actis Sanctorum Junii Tomo 2. p. 969. in fol.

13. Ejusdem Photii *Annotatio Historica de Patriarchis, sede sua injuste pulsis*, extat MS. Græce ibidem in Bibliotheca Cæsarea, Codice MS. Historico Græco XLVIII. num. 5. ut habet Lambecius loc. cit. p. 458. his verbis. „Quinto & quidem à fol. 21. pag. 2. usque ad folium „22. pag. 2. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani „Annotatio Historica, de Patriarchis sede sua injuste „pulsis*: cujus titulus & principium. Φωτίε „Πατριάρχε. Πόσων ἐκβληθέντων πατριαρχῶν „τῇ τῶν κρατούντων πρὸς αὐτοὺς βασιλέων ἀπεχ„θείᾳ, οἱ μετ' αὐτοὺς ὀρθόδοξοι ἀποδέχονται. Ἀ„ναστάσιε ἐκβληθέντος τοῦ θαυμαστοῦ, ὁ θαυματουργος Γρηγόριος ἐκράτησε τὴν τῶν Ἀντιοχέων „ἐκκλησίαν &c. *Epitome Historiæ Ecclesiasticæ Philostorgii ἀπὸ φωνῆς Photii Patriarchæ*, extat inter Manuscriptos Codices Bodlejanæ bibliothecæ, quæ in MSS. Baroccianis Codice 142. num. 7. pag. 243. multum diversa ab ea quæ apud Photium in *Bibliotheca* extat, & multo amplior.

14. Ejusdem *Photii Historica Synopsis ad Leonem Imperatorem*, extat inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum ejusdem regni, Codice 4068. in MSS. Codicibus bibliothecæ Sionensis Londini, Codice 4. sub finem, in folio.

15. Cum postea legerem Catalogum MSS. Codicum Hispano Regiæ Scorialensis bibliothecæ ab Alexandro Barvoëtio Societatis Jesu anno 1648. Antverpiæ editum, ita illum de Photio loquentem describere placuit. „*Photii „Patriarchæ Epistolæ 59.* quarum plerasque ex „iis Laurentius Cocus apud se collectas habet. „*Ejusdem Homiliæ XI.* Δ. v. 1. *In Parasceven de „Ascensione.* Ἐις τὸν ἔφοδον τῶν Φώτων. *De An„nuntiatione. In Parasceven. In Baia & Laza„rum. In Nativitatem Deiparæ. De detectione „Imaginis. Ejusdem de templo, De Heresi.*

16. In Basileensi Bibliotheca inter MSS. Codices chartaceos, *Photii Constantinopolitani Patriarchæ judicium de Athanasio, ejusque scriptis. Ejusdem Libellus de fide*, Græce in 4.

17. Epistola autem Photii Patriarchæ Constantinopolitani ad Archiepiscopum Aquilejensem, quam ex MS. Codice Bibliothecæ Vallicellanæ Romæ, Baronius in Annalibus ad annum 883. Latine tantum ediderat, atque post eum Richardus Montacucius Anglus, inter *Epistolas* plurimas quas Græce & Latine anno 1651. Londini in folio edi curavit: hanc Græce & Latine primum protulit Franciscus Combefis in *Auctario ultimo* Græcolatino *Bibliothecæ Veterum Patrum* in lucem producto Parisiis in folio anno 1672. apud Ægidium Hotot, parte 1. pag. 527. ad 537, cui Notas suas adjecit p. 544 ad 549. Ibidem p. 549 ad 552 ab eodem Combefisio refertur, his verbis,

Syllabus Epistolarum trium MSS. Canonum Septendecim Concilii Constantinopolitani & Orationum Sexdecim, nondum impressarum: quem Syllabum contulit vir Clarissimus Emericus Bigotius à Domino Nicolao Heinsio nuper acceptum, cui ipsi ante annum, (anno nempe 1670. vel 1671.) dum Liberorum Belgiæ Ordinum Legatum agens, Mosco iter haberet, illustrissimus Gazensis Metropolita Dominus Paiïsius Ligarides contulisset.

Photii Epistolæ.

1. Τῷ τὰ πάντα ἁγιωτάτῳ, Ἱερωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ Συλλειτουργῷ Νικολάῳ Πάπᾳ Πρεσβυτέρας Ῥώμης, Φώτιος Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης. Per omnia sanctissimo sacratissimoque fratri ac Comministro Senioris Romæ Nicolao, Photius Episcopus Constantinopolitanus Novæ Romæ. Ὅτε τῆς Ἱεραρχίας κατὰ νῦν, τὸ μέγεθος ἀνελήψομαι, καὶ πολλῷ τὴν ἀνθρωπίνην εὐτέλειαν τῆς ἐκείνῃ πρεπούσης ἀπολείπουσαν τελειότητος. Καὶ τὰ ἕτερα. Cum Pontificalis muneris magnitudinem in animum assumo, humanamque tenuitatem ab illius longe perfectione deficere cogito. Et cætera.

2. Τοῖς θεοφιλεστάτοις Συλλειτουργοῖς, τῷ θεοσεβεστάτῳ, Οἰκονόμῳ καὶ Συγκέλλῳ τῆς Θεοῦ πολιτῶν Ἐκκλησίας, Φώτιος Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης. Deo charissimis Comministris, religiosissimo Oeconomo & Syncello Theopolitanæ Ecclesiæ, Photius Episcopus Constantinopolitanus, novæ Romæ. Μεγίστων μὲν ἄνωθεν τετυχηκότες ἀγαθῶν, ὧν ὁ λόγος τὴν τῶν ἐννοιῶν διαδιδράσκειν κατάληψιν πέφυκε. καὶ τὰ ἕτερα. Maxima olim bona consecuti, quorum summa ac ratio cogitatus omnis comprehensionem, à seipsa excedat. Et cætera.

3. Τῷ πανταγιωτάτῳ καὶ ἱερωτάτῳ ἀδελφῷ καὶ Συλλειτουργῷ, τῷ Νικολάῳ Πάπᾳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, Φώτιος Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης. Sanctissimo & sacratissimo fratri & Comministro Senioris Romæ Papæ Nicolao, Photius Episcopus Constantinopolitanus Novæ Romæ. Ἀγάπης μὲν ὡς ἀληθῶς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον, οὐδὲ τιμιώτερον καὶ ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἀνωμολογητῆσαι, καὶ τοῖς θείοις λο-

λογίοις ἐπιμαρτύρεται &c. Revera ſane nullum charitate pignus auguſtius, aut nobilius, tum communi omnium exiſtimatione exploratum eſt, tum divinis oraculis comprobatum &c.

4. *Κάνονες ἐκτεθέντες παρὰ τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης ἐν Κωνςαντινουπόλει πρώτης καὶ δευτέρας Συνόδου τῆς συναχθείσης ἐν τῷ πανσέπτῳ ναῷ τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων Ἀποςόλων.* Canones edidi à ſancta, magnaque Synodo prima & ſecunda Conſtantinopoli habita, in venerabiliſſimo templo ſanctorum ac celeberrimorum Apoſtolorum.

Sunt autem Canones ſeptendecim, quibus diverſæ continentur conſtitutiones, ac præcipue de Monaſteriis, & illis qui in ipſis Monachi vitam: deque Epiſcopis, iisque qui ſponte Epiſcopale munus abdicarunt.

Photii Homiliæ.

1. *Λεχθεῖσα τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἁγίας Εἰρήνης, κατὰ τὴν συμπλήρωσιν τῶν κατηχήσεων.* Dicta eſt die ſancto Paraſceves in ambone ſanctæ Irenæ, poſt expletas Catecheſes. *Ἀλλὰ ταῦτα μὲν προηγουμένως λόγῳ τοῖς ἤδη παρεσκευασμένοις πρὸς τὸ βάπτισμα, οὔπω δὲ κατηρτισμένοις τὴν τελειότητα, ἀλλὰ ἔτι καὶ τῆς καθάρσεως ἐπιδεομένοις, καὶ τῆς μυςικῆς τραπέζης ἀπειργομένοις.* Verum hæc quidem præcipue ad eos, qui ad baptiſma jam parati ſunt, nec tamen perfectionem hactenus adepti ſunt, ſed & adhuc emundatione indigent, & à myſtica menſa arcentur &c.

2. *Φώτιος Ἀρχιεπίσκοπος Κωνςαντινουπόλεως Νέας Ῥώμης καὶ Οἰκουμενικὸς Πατριάρχης.* Photius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Novæ Romæ & Oecumenicus Patriarcha. *Μετὰ τὴν κατηχητικῶν λογίων ἀνάγνωσιν, ὧν ἡμεῖς ἐν προσοχῇ, καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἐπιδεικνῦντες κατάνυξιν ἐποιεῖσθε τὴν ἀκρόασιν, καὶ ἡμᾶς τὸν παρόντα καιρὸν προσομιλεῖν ὑμῖν ἔγνωμεν ἀποδεῖν. καὶ τὰ ἕτερα.* Poſt lecta divina eloquia divinæ Inſtitutionis, quæ vos attenta mente animiſque compunctis audiſtis; noſque opportunum judicavimus, ut ad vos in præſenti tractatum haberemus. Et cætera.

3. *Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου ὁμιλία πρώτη εἰς τὴν ἔφοδον τῶν Ῥώς.* Ejuſdem ſanctiſſimi Photii Homilia prima in Ruſſorum irruptionem. *Τί τοῦτο, τίς ἡ χαλεπὴ αὕτη καὶ βαθεῖα πληγὴ καὶ ὀργή, πόθεν ἡμῖν ὁ ὑπερβόρειος οὗτος, καὶ φοβερὸς ἐπέσκηψε κεραυνός. καὶ τὰ ἕτερα.* Quid, iſtud? quæve gravis hæc altaque plaga & ira? Vnde nobis Hyperboreum hoc ac tremendum fulmen immiſſum? Et cætera.

4. *Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνςαντινουπόλεως Νέας Ῥώμης ὁμιλία Β' εἰς τὴν ἔφοδον τῶν Ῥώς.* Ejuſdem ſanctiſſimi Photii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Novæ Romæ, homilia altera in Ruſſorum irruptionem. *Οἶδα μὲν, ὅσοι πάντες συνεπίςασθε ὅσοι δεινοὶ συνιδεῖν ἀποςροφὴν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους Θεοῦ, ὅσοι τε ἀμαθέςερόν πως περὶ τὰ τοῦ Κυρίου διάκεισθε κρίματα καὶ τὰ ἕτερα.* Novi ſane, ſcitis omnes, quotquot ſagaces eſtis, ut averſionem à Deo intelligatis, quotquot item rudius fere erga Domini judicia affecti eſtis. Et cætera.

5. *Τοῦ αὐτοῦ Φωτίου ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνςαντινουπόλεως, ὁμιλία λεχθεῖσα εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου Μαρίας.* Ejuſdem ſanctiſſimi Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani, homilia dicta in Annuntiationem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ. *Φαιδρὰ τῆς παρούσης ἡμέρας καθέςηκεν ἡ πανήγυρις. καὶ λαμπρὰν τὴν χαρὰν τοῖς πέρασιν ἀποφέρεται. Χαρὰν χορηγεῖ, λύπην παλαιὰν διαλύουσαν Χαρὰν χορηγεῖ, κοσμικὴν ἀρὰν ἐξορίζουσαν, καὶ τοῦ πεπτωκότος πάλαι τὴν ἔγερσιν ἐγκαινίζουσαν, καὶ τὴν σωτηρίαν πᾶσιν ἡμῖν ὑπογράφουσαν.* Lætus præſentis diei conventus ac celebritas, lætaque orbis finibus affert gaudia. Gaudium ſubminiſtrat, quod veterem triſtitiam diſſolvat. Gaudium ſubminiſtrat, quod mundi maledictionem exterminet, collapſique pridem generis humani excitationem initiet, ac ſalutem cunctis nobis ſanciat &c.

6. *Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Κωνςαντινουπόλεως ὁμιλία τρίτη λεχθεῖσα ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἁγίας Εἰρήνης, τῇ ἁγίᾳ Παρασκευῇ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς κατὰ συνήθειαν κατηχήσεως.* Sanctiſſimi Photii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani homilia tertia, dicta in ambone ſanctæ Irenæ, die ſancta Paraſceves, poſt lectam de more Catecheſim. *Ὅτε τοῦ διαβόλου τὸ κράτος σκυλεύεται, ὅτε τοῦ θανάτου τὸ κέντρον ἀμβλύνεται, ὅτε τὸ κατὰ τοῦ ᾅδου τρόπαιον ἵςαται, τότε τῶν συνθηκῶν ἡμῖν ὁ πίναξ ὑπαναγινώσκεται, τότε τῆς ὁμολογίας τὸ χειρόγραφον προνομίζεται, τότε τῶν ὑποσχέσεων ἡ ςηλογραφία τρισμβεύεται. διὰ τί.* Quando diaboli imperium ditioque diripitur, quando mortis aculeus retunditur, quando adverſus infernum trophæum erigitur: tunc teſtamentorum nobis tabulæ releguntur, tunc confeſſionis chirographum profertur, tunc pollicitationum titulus orbis theatro reſeratur. Quid ita?

7. *Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Πατριάρχου Κωνςαντινουπόλεως, ὁμιλία δευτέρα εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου· Ἐλέχθη ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ βασιλέως.* Ejuſdem ſanctiſſimi Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani Homilia altera in Annuntiationem ſanctiſſimæ Dei genitricis. Dicta eſt in præſentia Imperatoris. *Ὡς ἀγαπητὰ τὰ σκηνώματά σου Κύριε τῶν δυνάμεων, καιροῦ καλοῦντος μετὰ τοῦ Προφήτου βοήσομαι Δαυίδ, τῶν λογικῶν προβάτων τὰς τῆς Ἐκκλησίας αὐλὰς ὁρῶν τῷ πλήθει ςενοχωρουμένας, πολυανθεῖ τῇ τερπνότητι, καὶ ποικίλας τῶν συνεληλυθότων* &c. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, ita poſcente ipſa temporis ratione, cum Propheta David clamabo, qui Eccleſiæ caulas rationalium ovi-

ovium multitudine angustatas videam, longe florida lætitia & varietate eorum qui convenerunt &c.

8. Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία εἰς τὰ βαΐα, καὶ εἰς τὸν Λάζαρον. Photii sanctissimi Patriarchæ, Archiepiscopi Constantinopolitani homilia in ramos Palmarum & in Lazarum. Ὅτε τῶν παίδων Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις ἀναβοώντων ἡ Ἐκκλησία σαλπίζει, καὶ τῆς λαμπρᾶς ἐκείνης καὶ θεοπρεπεστάτης φωνῆς ταῖς ἀκοαῖς τὸν ἦχον ἑλκύσω, μετάρσιος ὅλος γίνομαι τῇ προθυμίᾳ. καὶ τὰ ἑτέρα. Dum Ecclesia, pueris Hosanna in altissimis clamantibus, tuba canit: lætaque illius ac divinissimæ vocis auribus sonitum traho, animi alacritate totus sublimis feror. Et cætera.

9. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Πατριάρχου, Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. Ejusdem sanctissimi Photii Patriarchæ, Archiepiscopi Constantinopolitani, Homilia in diem Natalem sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis. Edita prioris mei *Auctarii* ad Bibliothecam sanctorum Patrum, ex eminentissimi Cardinalis Julii Mazarini Codice MS. tomo 1. col. 1583. editionis Parisiensis 1648. in folio. Πᾶσα μὲν ἑορτὴ καὶ πᾶσα πανήγυρις καθ' ἣν ὁ τῶν Εὐσεβούντων φαιδρύνεται σύλλογος, λύει μὲν τὰς πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς καὶ τὰς ἔριδας, συνάγει καὶ τοὺς ἀπ' ἀλλήλων γνώμῃ διεστῶτας, καὶ τὸν δεσμὸν τοῦ φίλτρου στάσει λύσαντας. καὶ τὰ ἑτέρα. Omnis quidem festivitas, celebrisque omnis conventus, quo piorum cœtus exhilaratur, tum dissidia, litesque mutuas dissolvit, tum animis studiisque divisos, ac eos qui amoris vinculum seditione diruperunt. Et cætera.

10. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία ῥηθεῖσα ὡς ἐν ἐκφράσει τοῦ ἐν τοῖς Βασιλείοις περιωνύμου ναοῦ. Ejusdem sanctissimi Photii, Archiepiscopi Constantinopolitani, Homilia dicta, specie quasi exornandi ac describendi celeberrimi templi, quod in Palatio existit. Edita in Combefisii *Manipulo rerum Constantinopolitanarum* pag. 296. Græcè & Latinè cum notis, ex editione Parisiensi 1664. in 4. quam Græcè anteà Lambecius produxerat, ac Codino subjecerat Parisiis anno 1655. in folio. Est autem descriptio Novæ Beatæ Virginis Ecclesiæ in Palatio à Basilio Macedone extructæ. Φαιδρὸν ὁρῶ τῆς παρούσης ἡμέρας τὸν σύλλογον, καὶ οἷον οὐκ ἄν τις ἀνθρωπίνῳ σπουδάσματι καὶ χωρὶς ἐπινοίας θείας συγκροτῆσαι κατισχύσειε. καὶ τὰ ἑτέρα. Lætum video præsentis diei conventum, ac qualem nemo humana solertia atque opera, ac nisi divini afflatu numinis conflare unquam possit. Et cætera.

11. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία ῥηθεῖσα εἰς τὴν θεόσωμον ταφὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ ἁγίῳ Σαββάτῳ. Ejusdem sanctissimi Photii, Archiepiscopi Constantinopolitani, Homilia dicta in Domini nostri Jesu Christi divinam sepulturam, die Sabbati sancti. Ἀφ' ἑκάστου μὲν τῶν τοῦ Χριστοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν ἔργων καὶ πράξεων, τῆς περὶ ἡμᾶς φιλανθρωπίας τὸ μέγεθος ἐμφανίζεται, καὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν λαμπρῶς αἱ χάριτες ἀναπλύσσονται. καὶ πολὺς ὁ τῆς εὐφροσύνης γλυκασμὸς ταῖς τῶν ἀνθρώπων ἐπιστάζεται ψυχαῖς. καὶ τὰ ἑτέρα. Nulla est Christi ac Salvatoris nostri actio atque functio; quæ non ejus erga nos benignitatis magnitudinem manifestet, nostræque salutis gratiæ splendidè enitescunt, ingensque est lætitiæ dulcedo hominum animis affusa. Et cætera.

12. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία λεχθεῖσα ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἁγίας Σοφίας, τῇ παρασκευῇ τῆς πρώτης ἑβδομάδος τῶν Νηστειῶν. Ejusdem sanctissimi Photii, Archiepiscopi Constantinopolitani, homilia dicta in ambone sanctæ Sophiæ, in parasceve primæ hebdomadis jejuniorum; id est prima ante illam Dominica. Ἥκομεν ὑμῖν τὴν προθεσμίαν προφθάσαντες, καὶ τῆς ὀφειλῆς τὴν καταβολὴν προκαταβάλλεσθαι σπουδάσαντες. καὶ τὰ ἑτέρα. Venimus vobis præstitutum tempus antevertentes, atque debili pretium occupato vobis solvere studentes. Et cætera.

13. Τοῦ αὐτοῦ Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως ὁμιλία λεχθεῖσα ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς Μεγάλης Ἐκκλησίας. Ejusdem Photii Archiepiscopi Constantinopolitani Homilia dicta in Ambone Magnæ Ecclesiæ. Τῆς προλαβούσης ὁμιλίας τὸ τέλος, εἴ τι μέμνησθε τὸν Ἄρειον παρεδίδου καθαιρούμενον, τῆς Ἐκκλησίας ἐξωθούμενον, ἀνασχυντοῦντα, πλαττόμενον, ὑποκρινόμενον τὴν Εὐσέβειαν, καὶ τὰ ἑτέρα. Superioris tractatus finis, si quid meministis Arium exauctoratum tradebat, ab Ecclesia ejectum, protervientem, caussificantem, pietatem simulantem. Et cætera.

14. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως ὁμιλία λεχθεῖσα ἐν τῷ Ἄμβωνι τῆς Μεγάλης Ἐκκλησίας. Ejusdem sanctissimi Photii Archiepiscopi Constantinopolitani, Homilia dicta in Ambone Magnæ Ecclesiæ. Τῶν προμάχων τῆς Ἐκκλησίας, ὡς καὶ πρόσθεν ἔφημεν, ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν τῆς ἀληθείας συσκευασθέντων, καὶ τῶν ἰδίων μὲν νομέων τῶν ποιμνίων ἐρημωθέντων. καὶ τὰ ἑτέρα. Ecclesiæ defensoribus, ut & antea dicebamus, à veritatis hostibus insidiis appetitis, gregibusque pastoribus suis viduatis. Et cætera.

15. Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Φωτίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ὁμιλία λεχθεῖσα ἐν τῷ Ἄμβωνι τῆς Μεγάλης Ἐκκλησίας, τῷ μεγάλῳ Σαββάτῳ ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ φιλοχρίστου Βασιλέως, ὅτε τῆς Θεοτόκου ἐξεικονίσθη καὶ ἀνεκαλύφθη μορφή. Ejusdem sanctissimi Photii Constantinopolitani Patriarchæ, Homilia dicta in Ambone Magnæ Ecclesiæ, in die Magni Sabbati, sub præsentia Christi amantis Imperatoris, quando san-

sanctæ Dei Genitricis effigies expressa imagine est, atque detecta. Σιγῶν εἴ τις διὰ παντὸς μελετήσειε τῷ βίῳ, νῦν λάλος τις εἶναι, καὶ πρὸς ῥητόρων τέχναις παρεσκευάσθε τὴν γλῶτταν, ὥσπερ ἄλλοτι διὰ σπουδῆς ἂν ἔτι μάλιστα πεποίηται &c. Si quis in omne tempus silentium sibi indixisset, nunc, ut verbis loquar, instructáque Rhetorum præceptis linguâ atque artibus esset, omni majore opera summopere studeret.

16. Τῷ αὐτοῦ ὁμιλία λεχθεῖσα ἐν τῷ ἄμβωνι τῆς ἁγίας Σοφίας ἡνίκα τοῖς ὀρθοδόξοις καὶ μεγάλοις ἡμῶν Μιχαὴλ καὶ . . . . . ὁ κατὰ πάσης αἱρέσεως ἐστηλογραφήθη θρίαμβος. Ejusdem sanctissimi Homilia dicta in Ambone sanctæ Sophiæ, quando Orthodoxis magnisque nostris Michaeli & . . . . . adversus omnes hæreses perenni titulo, cippo triumphus inscriptus est. Ἦν ἄρα ἐκ πολλοῦ γεγηρακὼς ὁ χρόνος. καὶ νέαν ἤν ἔχων ὠδῖνα, καθ' ἣν ἀκμάζων ἰθάρρει σεμνύνεσθαι Jam pridem ergo tempus consonuerat, carebatque nova parturigine, qua magnifice floreret atque honestari præsumeret &c.

In Regia Galliarum Bibliotheca, Codicibus Græcis amplissima licet, non multi tamen Codices sunt MSS. Photii Patriarchæ Constantinopolitani: ut constat ex Philippi Labbei *Nova Bibliotheca MSS. Codicum tam Græcorum quam Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum tam Græcarum quam Latinarum & Gallicarum*, ex MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, quam Parisiis anno 1653. in 4. edendam curavit apud Joannem Henault. Illic enim solum parte 2. pag. 90. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani de processione Spiritus Sancti contra Latinos* in Codicibus Regiis 572. 1379. 1771. & 2180 in quo sunt *ejusdem Photii, Eustathii & Arsenii Monachi Syllogismi* de eodem argumento. Ibidem parte 4. pag. 114. *Photii in Categorias Aristotelis*, in Codice Regio 547. Testatur quoque Alexander Barvoëtius in Catalogo Manuscriptorum Græcorum Regiæ Scorialensis Bibliothecæ, in ea extare *Epistolas XLVII. Photii Patriarchæ Constantinopolitani*, quas omnes inter editas à Richardo Montacutio, reperiri eruditi arbitrantur.

860. NICETAS DAVID qui & Nicetas Paphlago cognominatus est, atque *Philosophus Christianus* in MSS. Codicibus dicitur, his iisdem temporibus vixit, Photii de quo proxime loquebamur adversarius scripsit *Vitam S. Ignatii Monachi & Patriarchæ Constantinopolitani*, Michaelis Trauli Imperatoris Filii, quo deposito Photius ex Senatore Patriarcha factus est. Extabat Græcè in Columnensi bibliotheca Cardinalis Sirleti, unde erutam Latinè transtulit Fridericus Metius, quo opere se adjutum fatetur Baronius in *Annalibus* ad an. 847. num. 34. Meminere etiam Nicetæ istius, Joannes Caropalates & Georgius Cedrenus, uterque initio Operis historici. Eandem hanc *Vitam S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani* edidit Græcè & Latinè Matthæus Raderus Soc. Jesu, una cum *Actis Concilii 4ti Constantinopolitani*, Ingolstadii 1604. in 4to, quæ etiam in Conciliis ultimæ editionis Parisiensis anni 1672. Tomo VIII. col. 1179. & seqq. Eidem *Nicetæ Davidi Philosopho Christiano*, attribuitur *Paraphrasis in Tetrasticha & Monasticha & Epigrammata sancti Gregorii Nazianzeni*, Græcè Venetiis 1563. in 4. Sed rectius hæc Opuscula adscribuntur Nicetæ Serronio, qui Episcopus primum Dadybrensis, deinde Heracleæ Archiepiscopus, seculo XI. Theophylacto suppar floruit, quam Jacobus Billius inseruit editioni suæ Operum S. Gregorii Nazianzeni, Parisiis 1583. & 1609, pag. 1406. in folio, atque idem mecum sentit Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 880. pag. 563. *Liber* quoque *pro Synodo Chalcedonensi adversus Epistolam Regis Armeniæ*, extat Græce & Latine apud Leonem Allatium *Græcia Orthodoxa* tomo 1. pag. 663. quæ tamen Nicetæ cuidam juniori deberi videtur, qui seculo XII. vixisse scribitur. Rectius sub Nicetæ Davidis nomine, *Orationem laudatoriam Archangelorum Michaelis & Gabrielis*, Græce & Latine cum Notis edidit Petrus Possinus, Tholosæ 1637. in 8. *Orationem Panegyricam in inclytum Martyrem Eustathium, Agapium, Theopistum & Theopistem*, Græce & Latine cum notis, edidit Franciscus Combefisius in *Selectis Martyrum Christi triumphis*, Parisiis 1660. pag. 45. in 8. Ejusdem *Apostolorum duodecim, Encomia totidem; Oratio in Marcum Evangelistam, in Nativitatem S. Mariæ, in Exaltationem sanctæ crucis, in Gregorium Theologum, Oratio panegyrica in S. Hyacinthum Amastrensem Martyrem*. Has omnes Orationes, ut dubias omittam ab eodem editas, in lucem eruit ex MS. Codice Cardinalis Mazarini, Græce & Latine evulgavit Combefisius in *Auctario Novissimo* Bibliothecæ Veterum Patrum parte 1. pag. 327. & seqq. editionis Parisiensis 1672. in fol. Hæc Cavus in *Historia litteraria* ad annum 880, pag. 563. Sed fallitur, hæ Orationes ita se habent.

Nicetæ Paphlagonis Orationes laudatoriæ Summorum primique ordinis Apostolorum, aliæque quædam festivæ.

7. Lau-

7. Laudatio sancti ac celeberrimi Apostoli Philippi pag. 379.
Ex Miraculis Philippi Apostoli pag. 387. quæ eadem habent Menæa Græcorum die 14. Novembris.
8. Laudatio sancti ac celeberrimi Bartholomæi Apostoli p. 392.
Reversio Reliquiarum sancti Apostoli Bartholomæi in Liparim insulam p. 399.
9. Laudatio sancti celeberrimique Apostoli & Evangelistæ Matthæi p. 401.
10. Laudatio sancti ac celeberrimi Apostoli Simonis Zelotæ p. 408.
11. Laudatio sancti ac celeberrimi Judæ Thadæi Apostoli p. 415.
12. Laudatio sancti celeberrimique Matthiæ Apostoli p. 422.
13. Laudatio sancti ac celeberrimi Marci Apostoli & Evangelistæ p. 429.
Argumentum in sanctum Marci Evangelium, ex sancti Cyrilli Alexandriæ Archiepiscopi expositione in ipsum p. 435.
14. In diem natalem sanctissimæ Dei genitricis p. 437.
15. In exaltationem venerandæ ac vivificæ Crucis p. 440.
16. Laudatio sanctæ protomartyris & Apostoli Theclæ p. 445.
17. Laudatio sanctæ magnæ Martyris atque Virginis Anastasiæ p. 462.
Notæ ad Nicetæ Paphlagonis Orationes panegyricas pag. 477.
Commentarius in sanctum Apostolum & Evangelistam Lucam pag. 513. cujus Author Metaphrastes ut videtur, qui teste Psello ita *ὑπομνήματα* conscripsit.
Commentarius rerum sancti Jacobi Apostoli & Dei Domini Fratris pag. 519. qui etiam Metaphrastæ ejusdem fuisse videtur. Hæc Combefisius ex MSS. Codd. loco citato.

Alias quoque ejusdem *Nicetæ Davidis, Paphlagonis Orationes* esse à se in MSS. Codicibus inspectas, testatur Leo Allatius in *Diatriba de Symeonum Scriptis*, Latinè anno 1684. in 4. Parisiis edita. Nimirum *Nicetæ Rhetoris Paphlagonis εἰς τὲς ἁγίες ἐνδόξες καὶ πανευφήμες δώδεκα ἀποςόλες* pag. 111. *In sanctos gloriosos & celeberrimos duodecim Apostolos, τί καλὸν Ἐκκλησίας ἡ τάξις, τί τερπνὸν τῶν ἐπ' αὐτῆς* &c. Ejusdem *in sanctum Timotheum Apostolum Nicetæ Rhetoris & Philosophi, εἰς τὸν Τιμόθεον Ἀπόςολον. τί δὲ Τιμόθε@! τῦτο γὰρ μετὰ τὲς Ἀποςόλες* pag. 111. Item pag. 102. *Ἐγκώμιον εἰς τὸν Μέγαν Νικόλαον τὸν Μυροβλύτην καὶ Θαυματεργόν. In sanctum Nicolaum Nicetæ Rhetoris Paphlagonis. ὁ μὲν θεοπάτωρ Δαβὶδ καὶ μετάρσιον.* Denique pag. 115. *εἰς τὲς ἁγίες καὶ καλλινίκες Μεγαλομάρτυρας Κήρικον καὶ Ἰυλίτ]αν, In sanctos Martyres Clericum & Julittam ὥσπερ ἐκ ἔςι συνεχόμενον τῷ Κυρίῳ Ἰεδαῖον.* His longe plura unus Cardinalis Mazarini MS. Codex, ex quo plura Latina edidit Franciscus Combefis in *Bibliotheca* Patrum Concionatoria, 6 in fol. voll. Parisiis eodem tempore edita. Agunt de Niceta Davide Paphlagone Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 847. num. 34. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 25. pag. 289. editionis ultimæ. Franciscus Combefis in *Apparatu ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam*, verbo *Nicetas David Paphlago.* Guilielmus Cavus in *Historia rei litterariæ* seu *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Seculo 9. ad annum 880. pag. 563.

DISSERTATIO
DE
OPERIBUS SANCTI AMPHILOCHII ICONIENSIS EPISCOPI NOMINE IMPRESSIS, QUÆ OMNIA AD AMPHILOCHIUM PHOTII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI ÆQUALEM, CIZICI METROPOLITAM, SPECTARE VIDENTUR.

860. SANCTUS AMPHILOCHIUS ICONII EPISCOPUS, si quid in rebus obscuris conjicere fas est, ex Cappadocia oriundus erat. Cum arti rhetoricæ aliquandiu studuisset, forensibus causis animum adjecit, earumque vel judex vel patronus extitit. Hanc ob causam Gregorius Nazianzenus Epistolis variis, 19. nimirum, 106. ac 160. amicorum suorum causas ipsi commendat, qui & Epistola 106. ipsum injustitiæ accusatum fuisse a multis testatur. E forensi tumultu ad solitudinis quietem pertransiit, ubi cum ab hominum strepitu curarumque seculi nugis alienus aliquandiu vixisset: anno demum 375. ad Episcopalem sedem Iconii Lycaoniæ Metropoleos *elevatur*. *Adfuit* cum præclarissimis Episcopis *plurimis* anno 381. in Constantinopolitano Concilio, ut testis est Socrates Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 8. Theodoretus Historiæ lib. 5. c. 8. Narrat autem idem Theo-

Theodoretus lib. 5. cap. 16. „Cum in Orientem „Imperator Theodosius reversus esset, accessis„se ad eum, admirandum illum virum Amphi„lochium, cujus jam antea cap. 8. mentionem „fecit, poscentem ut Arianorum conventicula „ex urbibus pellerentur. Verum Imperator „(inquit) petitionem duriorem esse ratus, ne„quaquam admisit. Tum sapientissimus Am„philochius, illico tacitus, rem excogitavit, „memoratu dignissimam. Ingressus enim de„nuo in palatium cum Arcadium filium Impe„ratori adstantem vidisset, quem ille paulo an„te Augustum renuntiaverat, ipsum quidem „Imperatorem solito more salutavit, filium ve„ro honoris expertem dimisit. Imperator ve„ro, id ab Amphilochio per oblivionem existi„mans, factum, accedere eum jussit & filium „osculati. Verum Amphilochius sufficere ho„norem dixit, quem ipsi exhibuisset. Quod „indigne ferens Imperator, contemtum filii, „suam esse ajebat injuriam. Tum vero sapien„tissimus Amphilochius facti sui causam ape„ruit, & contenta voce dixit: Vides Impera„tor te filii tui contumeliam ferre non posse, „sed succensere iis qui contumeliam faciunt. „Credo igitur, Deum quoque hujus universi „eos adversari, qui filium ipsius unigenitum „blasphemant: eosque tanquam ingratos erga „servatorem ac bene de se meritum odio ha„bere. Re hoc modo intellecta, Imperator „tum factum, tum dictum Amphilochii admo„dum miratus: legem extemplo dedit, qua hæ„reticorum conventicula vetabantur.“ Vult Theodoretus hoc factum esse post annum 392, hoc est post regressum Imperatoris Theodosii in Orientem: sed longe probabilius est, ita Amphilochium Imperatori Theodosio, paulo post Concilium Constantinopolitanum anno 382. celebratum, locutum fuisse: cum hoc tempore, lex Theodosiana, qua conventicula Hæreticorum vetantur, facta fit. Sic *Sozomenus* lib. 7. c. 16. Historiæ refert istud Amphilochii factum, ad ipsa Concilii Constantinopolitani tempora, atque Concilio ipso instante, quod anno 381. celebratum est. Vide *Nicephorum Callistum* lib. 12. historiæ cap. 8. & 9. Anno eodem 381. cum Theodosius Imperator lege lata Episcopos quosdam celebriores intra certos Orientalium Diœceseon terminos constituisset, ut Ecclesiæ illis solummodo traderentur, qui cum ipsis communicarent, & fidem Nicænam confiterentur: Asianæ Diœceseos cura Sancto Amphilochio testibus Socrate lib. 5. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 8. & Sozomeno lib. 7. cap. 9. demandata est, cui lex Theodosiana de fide Catholica leg. 3. optimum Antiochiæ Pisidiæ Episcopum adjungit, quod Socrates quoque loco citato testatur. Idem Amphilochius anno 383. præsedit Concilio Sydensi in Pamphilia, ubi XXV. Episcopi collecti Hæresin Massalianorum sententia sua damnarunt: Epistola ea de re ad Flavianum Antiochenum Episcopum conscripta, quæ quidem interiit: quam tamen Photius olim legerat, ac cujus in *Bibliotheca* Cod. 52. mentionem facit. Hujus occasione Synodi Amphilochius ipse librum *contra Massalianos* scripsit, quemadmodum Theodoretus *Hæreticarum fabularum* lib. 4. cap. 11. testatur. De illo Hieronymus in libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 143. Amphilochius Iconii Episcopus, nuper mihi librum legit de *Spiritu Sancto*, quod DEus est, & quod adorandus, quodque omnipotens est. Quibus verbis Hieronymus in libro isto, quem anno 392 ad *Dextrum* scripsit, Amphilochium adhuc viventem testatur. In vivis adhuc erat anno 394. quando Bagadii & Agapii causa apud Synodum Constantinopolitanam ad diem 29. Septembris congregatam agebatur. Constabat enim secundum Balsamonem qui nobis illius fragmentum servavit, ex tribus Patriarchis Orientis & Asiæ, Nectario Constantinopolitano, Theophilo Alexandrino & Flaviano Antiocheno, adjunctis sexdecim Episcopis Orientis & Asiæ, inter quos Amphilochius nominabatur. Vir erat Amphilochius & seculari eruditione, & Sanctarum Scripturarum scientia eximie excultus: adeo ut Hieronymus in Epistola ad *Magnum*, cum sanctis Basilio & Gregorio Nazianzeno, conferre eum non dubitaverit. Ejusque eruditionem abunde testantur, tum liber de Spiritu Sancto, quem Sanctus Basilius ad eum misit, tum frequentes ejusdem ad ipsum scriptæ Epistolæ, quæ in operibus Basilianis leguntur. Scripsit plures tractatus Amphilochius, sed Homilias maxime multas de variis argumentis atque Evangelii locis quæ omnes interciderunt: de quibus abunde loquuntur Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* tomo 2. in Amphilochio pag. mihi 233. Guilelmus Cavus in *historia litteraria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 370. pag. 204. sed quoniam nostri non est instituti, ut de Operibus antiquorum, quæ interciderunt, loquamur: de solis illis quæ sub Amphilochii nomine hucusque circumferuntur atque edita sunt, discussionem instituemus. Ut autem verbo unico sententiam aperiam meam, de operibus omnibus sub sancti Amphilochii Iconiensis Episcopi nomine à Francisco Combefisio productis, mihi omnia nullo excepto pertinere videntur ad Amphilochium Cizici Metropolitam, magnum Photii Constantinopolitani Patriarchæ amicum, circa annum 860. celebrem, qui Photio huic quæstiones 313. de variis argumentis solvendas proposuit, quibus ille respondit, uti ad annum 860. in Photio postea dicemus. Innumera enim sunt in his homiliis & in vita S. Basilii, quæ auctorem hunc non esse seculo nono antiquiorem ostendunt. Facillimum enim fuit, ut nomen Amphilochii Combefisio imponeret, ut tribueret Iconiensi Episcopo, quæ spectabant ad alterum Cizici Metropolitam, altero quadringentis & ultra annis posteriorem. Addo errores illos in-

insignes qui reperiuntur in vita Sancti Basilii ab Amphilochio conscripta, in Amphilochium Iconii Episcopum Basilio æqualem cadere omnino non potuisse, rectè autem in Amphilochium illum Cyzici Archiepiscopum, 500. annis à Basilii ætate remotum, cui turpiter errare, pronum fuit.

Franciscus itaque Combefis anno 1644. collegit quicquid in MSS. Codicibus invenire potuit sub Amphilochii nomine, illicoque græce & latine subjunctis ad calcem Annotationibus, Parisiis in folio, edidit, una cum Operibus sanctorum Methodii Patarensis Episcopi, atque Andreæ Cretensis. Mirum autem est, quod cum Opuscula plurima sub nomine Amphilochii Iconii Episcopi, ab antiquis vel excerpta & recensita nomine tenus saltem fuerint, quorum fragmenta producit ipse Combefisius: nullum tamen ex his Opusculis, Epistolis vel Homiliis, in hac sua Collectione produxerit: sed ea omnia, quorum nullus veterum mentionem unquam fecerit: unde maximam in spurietatis suspicionem æquis lectoribus venerunt. Ego Combefisium Parisiis novi & cum illo conversatus sum, viro laboriosissimo atque eum ad antiqua evulganda propensum expertus sum: sed quem facillime abripiebat indiscreta fides, ad cujusque Manuscripti Græci Codicis inscriptionem, etsi quæ in illis continebantur, autores quorum nomina præferebant, mentirentur. Excusabat omnia specioso interpolationis prætextu quæ quisvis alter suppositionis atque mendacii arguisset. Quamvis itaque magna, ut sic loquar, pompa anno allato græco-latina additis etiam notis evulgaverit, apud paucos tamen hoc obtinuit, ut quæ ille splendido Amphilochii Senioris nomine, seu Iconii, in *Lycaonia Episcopi* edidit, illius germana crederentur. Imo spuria omnia ea esse censent, & Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* tomo 2. seculo 4. in Amphilochio pag. mihi 234. Eandemque sententiam induit Guillelmus Cavus in *Historia litteraria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 370. pag. 204. Extat etiam epistola Synodica Græco-Latina apud Cotelerium *veterum monumentorum* tom. 2. pag. 99. unicum forsan quod hodie superest, Amphilochii opus genuinum. His enim verbis cætera omnia tanto zelo à Combefisio producta, *suppositionis arguit. Hæc epistola Synodica quam* Cotelerius ex MS. Codice Regiæ bibliothecæ eduxit, est forsitan liber ejus contra Arianum, Eunomium & *Macedonium*, quem antea manuscriptum haberi Parisiis in Bibliotheca regia, nobis fidem fecerat Philippus Labbeus *in Bibliotheca Nova Manuscriptorum*, p. 82. neque abludit Epistola ista, a libro *de Spiritu Sancto*, quod Deus, & quod adorandus, & quod omnipotens, de quo mentionem habet Hieronymus in *Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 143. Hæc autem Epistola Synodica, seu nomine cujusdam Episcoporum Synodi, ad Episcopos alterius provinciæ scripta est. Episcopi quorum nomine Amphilochius scribit, testantur quam cupide optarent ut Basilius Synodo suæ interesset, sed morbum gravem, in quem Basilius inciderat, ipsos spe sua frustrasse. Interim mittunt ad illos librum Basilii de Spiritu Sancto, testantur se suscipere Nicænam fidem, quæ ut *in Patrem, & Filium, ita quoque in Spiritum Sanctum* esse credendum dixerat. Hinc latius mentem suam ea de re explicantes, divinitatem Spiritus Sancti ex forma baptismi probant: atque in Deo naturam unicam cum tribus hypostasibus confitentur. Inde Episcopos ad quos scribunt, ad fidem ac pacem ecclesiæ conservandam, ad communem Patri & Filio ac Spiritui Sancto doxologiam canendam, hortati: frustra communionem Arianorum, nisi divinitatem Spiritus Sancti credant, à se rejici pronuntiant. Convenit hæc epistola Amphilochii Synodica, cum 403 Basilii epistola, quæ Amphilochio, ut quosdam mittat in Lyciam ad Episcopatum hujus regionis ad orthodoxorum explorandam fidem, literis persuadet. Cum dubio procul, Amphilochius his quæ à Basilio suggesta fuerant, obtemperasset; atque ab Episcopis Lyciæ, delegati Amphilochiani epistolam attulissent, huic Amphilochius epistola Synodica ista respondit.

Jam ad discussionem eorum quæ sub Amphilochii nomine, à Francisco Combefisio evulgata sunt, accedamus. Sunt autem

Oratio in Christi Natalitia pag. 1.

Oratio in Christi circumcisionem & in Basilium, pag. 10.

Oratio in occursum Domini nostri JESV Christi, deque Deipara, & Anna, & Simeone, pag. 23.

Oratio in Sanctam Deiparam & Simeonem, pag. 36. quæ procul dubio spuria est, atque Amphilochio Seniori supposita quem constat Seculi IV. finem non attigisse, cum Nestorium ὀνομαστὶ illa memoret. Vnde autorem ejus Amphilochium Sidæ Episcopum esse qui Concilio Ephesino anno 431. interfuit, nonnulli suboluit, ut Elliæ du Pin & Guillelmo Cavo locis citatis, quod & de aliis quibusdam, imo ferme omnibus hic enumeratis opusculis dictum volunt. Sed neque quoad hanc Orationem quartam, ad ullum ex his duobus Amphilochiis spectare potest: rectius enim faciunt, qui autoritate Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani in Antirreticis freti, illam Theodoto Ancyrano tempore Concilii Ephesini claro viro attribuunt. Hæc Cavus contra conjecturas Combefisii. Vtramque longe posteriorem temporibus tum Amphilochii Senioris, Theodori Ancijiani judicio, cum in festo purificationis, utraque facta sit, quod Justiniani tantum ætat. institutum esse recte censet Cæsar Baronius in notis ad *martyrologium Romanum* ad diem 2. Februa-

bruarii. Vide quæ diximus in Sancto Gregorio Neocæsar. supra.

Oratio in Lazarum quatriduanum. pag. 57.

Oratio in mulierem peccatricem, pag. 64.

Oratio in diem Sabbathi sancti, pag. 86.

Homilia de pœnitentia, & quod desperandum non sit pag. 91. spuria si qua alia, quippe quæ Iconoclastas nominatim refellat & putidissimis fabulis scateat: unde patet, ad nullum amborum Amphilochiorum spectare eam posse, neque ad illum Iconiensem, qui circa annum 395 mortuus creditur, annis ante Iconoclastas trecentis; nec ad Sydensem, qui anno 431. Concilio Ephesino *interfuit*, atque etiam post Synodum Chalcedonensem, quam recipere noluit, vixit: ut testatur Evagrius Scholasticus lib. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 10. his verbis: *Solus Amphilochius Episcopus Syda, in Epistola quam scripsit ad Imperatorem, Timothei quidem ordinationem, Chalcedonensem autem Synodum non admisit. Scripsit de istis rebus Zacharias Rhetor, qui Epistolam quoque Amphilochii historiæ suæ inseruit.* Vnde rectè concludimus nullam harum *orationum* certo esse vel Amphilochii Iconiensis vel Sydensis, cum nullo veterum testimonio illæ nitantur. Non semel autem pag. 92. sub initium mentionem Iconoclastarum facit, sed iterum etiam p. 101. qua de re Combefisius in notis ad hanc Orationem pag. 210. unde conjicio autorem illius esse Amphilochium juniorem, qui temporibus Iconoclastarum hanc Orationem scripserit, circa annum 840. pag. 92. hic autor jam suscitatum Iconoclastarum (ut vocant) hæresin his indicat: *Alios contra venerabiles imagines excæcabilis ille efferat, inutiles illas dicens, & quæ nihil prosint.* De Amphilochio multa habet Guilielmus Cavus parte 1. historiæ literariæ ad annum CCCLXX. itemque parte 2. anno 1698. decennio post primam edita ad eundem annum, ubi multa habet, quæ diserte faciunt ad Dissertationem hanc nostram quam de eo facimus confirmandam, his verbis.

„Amphilochius ex Monacho Iconii Episcopus, claruit anno CCCLXX. Amphilochii „Operibus à *Combefisio editis*, ejusdem utpote „furfuris, accusari meretur Tractatus *de non desperando* quem græco-latin. evulgavit Petrus „Possinus *Thesauri Ascetici seu Syntagmatis Opusculorum Asceticorum* &c. Græc. Lat. Parisiis „1684. in 4to pag. 255. qui Opusculum hoc „Amphilochii nostri esse contendit, idque manifeste constare dicit. Verum ægre à me „impetrare possum, ut illud credam. Multa „continet fabulosa, puerilia, ridicula, seculo „Amphilochiano, ingenio & gravitate summi „viri indigna. Voces adhibet sequioribus demum Ecclesiæ seculis natas & usurpatas. „Quis enim Amphilochii ævo ψάλλειν τὰς ὥρας „pro *officio Canonico recitando* usus est? Quis „*κοσμικοὺς* pro sacerdotibus secularibus „prout à Monachis distinguuntur? Apage nugas, gestis Siculis nugaciores? Verum ut „opusculi sui autoritatem tueatur *Possinus*, pro- „vocat ad aliam Amphilochii homiliam de pœ- „nitentia, quod desperandum non sit, quæ in- „ter ejus opera habetur pag. 91. in qua binæ „in hoc opusculo recitatæ narrationes idque „totidem verbis reperiuntur: sed dignum pa- „tella operculum. Vt enim omnia quæ sub „Amphilochii nomine extant, incertæ admo- „dum fidei sunt, sic hæc homilia prima statim „fronte imposturam suam manifeste prodit. „Scriptum esse post exortas de cultu imagi- „num controversias, sole clarius est: ubi ve- „nerabilium imaginum oppugnatores inter „*insigniores Hæreticos* reputantur. Meminit „non semel imaginis Christi in templis collo- „catæ, introducitur Christus b. Petro Principi „suo & Coryphæo mandata tradens, denique „historias suas seu verius fabulas ex libro de „vitis Sanctorum se deprompsisse diserte tra- „dit. Hæccine ævi Amphilochiani? Videant „æqui & prudentes rerum æstimatores, qua „fronte ejusmodi quisquiliæ sub sanctissimorum „& antiquissimorum Patrum nominibus nobis „obtrudantur. Certe utrumque opusculum „ex una eademque officina prodiisse videtur: „nisi dicere malimus autorem posterioris, ex „homilia ista, paucis aliunde adscitis, opuscu- „lum suum consarcinasse. Habentur apud Cl. „*Galeum* ista Amphilochio adscripta, *Diegesis de* „*Sancto Sylvestro Papa*, *de miraculis Sancti Blasii*, „*Iambi de sanctu libris legendis*. Extat apud „Virum nobilem Georgium Wheclerum *Homilia Amphilochii in Mariam Magdalenam*. „Hæc Cavus loco allato. At hæ omnes absurditates disparent atque dissipantur, si homiliæ istæ duæ, de quibus Cavus atque Possinius loquuntur, Amphilochio Cizici Archiepiscopo & Photii Patriarchæ Constantinopolitani Synchro & Amico tribuantur, cui maxime conveniunt.

Carmen ad Seleucum pag. 116. habetur quoque inter opera Sancti Gregorii Nazianzeni tomo 2. pag. 190. in quem sic Billius Vir judicio par col. 477. ita commentatur. „Et si „hoc carmen Amphilochio Iconii, Episcopo „tribuitur, ipsa tamen phrasis, Gregorii co- „thurnum plane respicit, ut etiam in Græco „Codice quidam Græcis verbis annotavit. „Nam quod aliorum nomine ad quosdam scri- „bat, nemini mirum videri debet, cum in he- „roicis carminibus id aliquoties usurpavit. „Ita enim pag. 112. Carmine XLIX. ad Nicobu- „lum patrem, nomine filii Nicobuli: & pag. „120. Carmine LVII. ad Vitalianum iratum, „filiorum nomine patrem mitigantium: Gre- „gorius scripsit. In hac porro epistola ad Se- „leucum, probæ indolis juvenem primo ad- „monet, ut Dei metum atque amorem in ani- „mo infixum habeat: ac morum probitati, „quæ juvenibus æque ac senibus multo majo- „ri, quam opes ullæ, ornamento est, obnixo ani-

„animo ſtudeat. Deinde ut animum bonis artibus, & diſciplinis expolire curet, omnis generis ſcriptores evolvendo: Sic tamen ut ſelectis iis & decerptis, quæ aliquam ei utilitatem allatura ſint; ea fugiat quæ cum detrimento & pernicie conjuncta ſunt. Maxime autem illud præcipit, ut inproborum ſocietatem & conſuetudinem fugiat. Tum vero ut Theatra & pugnas eas quæ cum feris ineunt, ac ludos equeſtres, tanquam peſtiferos & exitioſos deteſtetur, eundem monet. Demum ei autor eſt, ut poſtquam externis diſciplinis, quantum ſatis eſt, temporis dederit: jam ad ſacrarum litterarum ſtudium, totum ſe conferat. Cumque in eis magnos profectus fecerit, non propterea inſolenter ſe efferat, ſed cum Moſe animi ſubmiſſionem colat. Ad extremum, ne ille nothos & adulterinos libros pro veris & genuinis ſumens, in fraudem incidat, qui libri pro germanis & Canonicis habendi ſint, apetit.

Nec objiciat Combefiſius Gregorium Nazianzenum Carmine XXXIII. *pag. 98.* in veris & germanis Scripturæ libris Eſtheram & Apocalypſin omiſiſſe: quos tamen admittit in *Carmine ad Seleucum:* Atque proinde carmen illud non poſſe ſpectare ad Gregorium Nazianzenum. Objectio etenim iſta puerilis eſt ac nugatoria, cum in carmine ad Seleucum, admittat tantum, librum Eſther & Apocalypſin, ut dubios, quia nonnulli eos admittunt, licet maxima tamen pars rejiciat. Itaque imaginatoria duntaxat inter utrumque carmen contradictio recte animadvertenti eſt, neque idonea quæ alium hujus carminis à Gregorio Nazianzeno parentem prodat. Quam reſponſionem ante me quoque obtulit, Elias du Pin, dum carmen ad Seleucum in Amphilochii operibus ingeſtum, Gregorio Nazianzeno ob ſtyli ſimilitudinem attribuit, *p. 234.* Utrumque carmen Gregorii Nazianzeni ut Amphilochii cum commentariis Theodori Balſamonis, extat tom. 2. *Pandectarum Guilielmi Beveregii* pag. 178. & 179. & ibidem in Alexii Ariſtini Appendice ad Synopſin Epiſtolarum quæ dicuntur canonicæ, una cum Magni Athanaſii Epiſtola *de libris Canonicis*, p. 195. & 196.

Plurima autem ſunt, quæ nobis ſuſpectiſſimam hanc omnem commentationem S. Amphilochii operum à Combefiſio factam perſuadeant, quæ ab aliis annotata non ſunt. Quantum enim ad orationem 2. pag. 10. *in circumciſionem domini & in Baſilium magnum*, quam exhibuiſſe ſibi teſtatur codicem Regiæ Bibliothecæ MS. *num. 275.* hanc utroque Amphilochio longe recentiorem exiſtimo, ex iis quæ continet pag. 17. Supponit enim ibi, *Chriſti circumciſionem* feſtum quoddam medium quomodo hodieque reperitur in Eccleſia Pontificia, inter Chriſti Domini nativitatem, atque Chriſti Epiphaniam vel Chriſti Baptiſmum, qui ipſo epiphaniæ die ab antiquis celebratus eſt. Hoc autem inauditum omni antiquitati fuit, ut ſeculo eccleſiæ IV. ſtaret feſtum circumciſionis ejusmodi medium, inter natalitia Chriſti atque epiphaniam ſeu baptiſmum ejus. Præterea quod magis admirandum eſt, atque recentiorem autorem ſapit, in hac homilia ſupponit feſtum S. Baſilii in eccleſia univerſali ubiq; jam admiſſum p. 18. Idcirco uhiverſalis per omnes orbis partes „ ſanctorum univerſorum Eccleſia ſanctiſſimam „ ejus ſacramque hac die agent, glorificantque „ memoriam, gratiſſimis Deo laudibus una Chri „ ſtum, qui glorioſus eſt in ſanctis ſuis, canticis „ celebrat & conglorificat: velut cujus opera, „ omni quidem hæreſi liberata ſit, totius veræ „ pietatis ſtabilita dogmatibus. „ Quis autem audivit unquam, ſeculo eccleſiæ IV. Epiſcopos aliquot ab iis qui martyrio coronati ſunt alios: ſeu ſanctos aliquot non Martyres, feſto publico cultos fuiſſe? Hoc primus omnium Combefiſius ſomniavit, in gratiam Sancti Baſilii, quem hac in parte deſerit omnis Criticorum Pontificiorum chorus, qui ſerius in eccleſiam introductum volunt cultum confeſſorum non martyrum, ſive Pontifices illi fuetint, ſive non. Huic objectioni reſpondere conatus eſt Combefiſius in notis pag. 239. Magnum ut tam cito ab obitu Baſilii, ubique „ gentium celebrata ſit ejus memoria: quan„ quam non ita mirum aut incredibile, attenta „ adhuc viventis hominis fama & gloria, quam „ Gregorius tantam teſtatur, ut ipſa ejus non„ nulla vitia & defectus, ceu virtutes nonnullis „ ceſſerint in exemplum. Adde quod non po„ tuetunt non pauci anni effluxiſſe ab ipſo o„ bitu, quando Amphilochius hæc ſcripſit: & „ vero effluxiſſe non paucos, ſequentia indi„ cant: Adſtipulanturque noſtra de longæva „ ejus ætate poſt Baſilium & Synodum Con„ ſtantinopolitanam, quæ ſtatim à Baſilio obi„ tu coacta fuit. „ Hæc Combefiſius, ut ſomnia ſeu phantaſias ſuas adſtruat. Cum autem Baſilius anno 379. Calendis Januarii mortuus ſit, atque de Amphilochio poſt annum 394. nihil audiamus: quis niſi vulneratæ mentis, intra ſexdecim annos qui ab anno 379. ad 394. excurrunt, feſtum Sancti Baſilii per univerſalem eccleſiam factum, ejusque memoriam in omnibus eccleſiis, græcis ac latinis celebratam, excepto credulifſimo Combefiſio, velit? Eſt ergo homilia iſta, temporis atque autoris longe recentioris. Oratio iſta ejusdem omnino ſtyli atque argumenti, cum ea quam evulgavit Combefiſius, idem *in Circumciſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & *in Sanctum Baſilium:* Sub nomine Sancti Andreæ Cretenſis inter opera illius pag. 28. ad quem illam pertinere opinor, neque hoc authore antiquiorem eſſe.

Orationes quoque duæ *de Occurſu Domini noſtri Jeſu Chriſti, de Deipara, Anna & Simeone*, pag. 10 & 23. recentioris autoris ſunt. Conſtat enim ex autoribus omnibus græcis atque latinis, ut vult eximie Cæſar Savonius *in notis Ro-*

ad Romanum Martyrologium ad diem 2. Februarii, *festum Purificationis seu Occursus* ut Græci vocant, seculo ecclesiæ 6. atque Justiniani tempore Imperatoris, antiquius non esse. Vnde concludit prudenter solideque hic Baronius, homilias omnes de argumento hoc scriptas subantiquiorum Scriptorum nomine evulgatas, nothas prorsus esse illisque suppositas. Ex hac itaque hypothesi, aërem percutit Combefisius, dum hic homilias duas Amphilochio seniori de Occursus Domini nostri Jesu Christi festo adscribit, quæ ducentis forsan annis recentiores sunt. Quod autem Combefisius in notis ad has orationes subjicit p. 240. contra Baronium iratus, puerile est gravique viro indignum. Vt enim imaginariam festo occursus apud Græcos antiquitatem affingit, ita imaginariis instrumentis Vir bonus sed parum cautus utitur. Non enim ipsi sufficit ut has duas homilias de hoc festo Amphilochio Iconiensi vel saltem Sidensi, (ut pag. 243.) supponat: sed allegat quoque Hypopanticus ille Monachus, alias duas æque ambiguas, incertis incertum probans: unam nempe Cyrillo Hierosolymitano suppositam, cujus mentionem nullam veteres faciunt, proindeque nihil causam adjuvantem: alteram sub nomine Sancti Methodii Olympi Lyciæ seu Patarorum Episcopi, anno Christi 300. vel circiter celebris, cujus suppositionem luce meridianâ clarius ibidem in Methodio ostendimus. Ita dum ille plurimum tum pag. 240. tum 243. garriit, contra Baronium, hac in parte invictissimum, egregie se festi hujus Justinianei institutionem antiquiorem probavisse arbitratur. Qui plures in huc argumento consulere voluerit, Baronium adeat ad diem 2. Februarii, in *notis ad Martyrologium Romanum.* Unica igitur *excerpta Amphilochii, ex variis autoribus* à pag. 138. ad 154. legitima sunt; spuria autem collectionis hujus cetera omnia.

Vita quoque Basilii Magni ab Amphilochio conscripta, ibidem pag. 228. spuria est, quæ vel unica prodit modicum Francisci Combefisii judicium, ad recte solideque de Scriptis veterum judicandum. Allegat Combefisius in notis ad Amphilochii opera pag. 155. *Ursum* quendam Cardinalem Amphylochium anonymæ D. Basilii vitæ authorem existimasse, quam ante annos 800. latinam fecit; nititurque conciliare quæ dictis à Gregorio dissona videntur, ut non contraria sint, sed alia atque ab eo & aliis Vitæ Basilii laudatoribus omissa, quod idem Autor in exordio ipse profitetur. De illo autem *Sigebertus* in *Catalogo Illustrium ecclesiæ Scriptorum* cap. 7. *Vincentius Bellovacensis* lib. 14. *Summa historialis* cap. 78. *Antonius* parte 2. lit. 9. cap. 4. art. 1. & 2. *Petrus Equilinus* in *Catalogo Sanctorum* lib. 2. c. 28. *Gerardus Vossius* qui in suo *Ephram* Collationem Basilii & Ephrem cum elogio editam habet, quæ nihil aliud est quam c. 13. Vitæ S. Basilii Amphilochio imputatæ pag. 202. editionis Combefisianæ. Hæc Combefisius loco citato, ad sententiæ suæ firmitatem stabiliendam. Hoc opus autem ut spurium eruditi plerique Pontificii proscripserunt. *Baronius Tom. 4. annalium ad annum 363. num. 55.* inquit: *Commentarius de rebus gestis Basilii, qui extat nomine Amphilochii, scatet mendaciis. Idem ad annum 378.* num. 10. *Quæ Amphilochii falso nomine fertur Vita Basilii, haud digna satis habetur, quæ eruditorum auribus ingeratur.* Denique in notis ad Martyrologium Romanum ad diem Januarii, qua Basilius obiit. *Extat Amphilochii nomine scripta Vita Sancti Basilii, quæ tamen omnium prudentium sententia, alterius cujuspiam potius, quam Amphilochii Basilio æqualis esse putatur: cum aliqua illic habeantur quæ illi minus convenire videntur. Antonius Possevinus tomo 1. apparatus sacri verbo Amphilochius,* inquit, *vitam Basilii quæ edita est, non posse esse Amphilochii illius, sub cujus nomine circumfertur, Glycas 4. suorum Annalium parte nos docuit.* Idem verbo *Sixtus Senensis tomo 2 Sixtum* eundem taxat *quod non monuerit Basilii vitam quæ sub Amphilochii nomine circumfertur, non fuisse Amphilochii.* Idem censet Bellarminus in lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 380.* ubi Amphilochium collocat. „Extat sub nomine Amphilochii vita S. Basilii magni, sed haud dubio falsa vel supposititia. Primum enim narrat ille Autor *Basilium* factum Episcopum, ante mortem Juliani: quod repugnat historiæ, & ipsi Sancto Gregorio Nazianzeno in *oratione de Basilio.* Deinde narrat autor S. Basilium ostensum fuisse per revelationem Eusebio Cæsariensi, cum ante eum non nosset. Quod autem falsum esse certum est, ex eo quod Nazianzenus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse, ac ea de causa inimicum Basilio factum. Tertio constat S. Basilium obiisse anno ultimo Valentis Imperatoris, & 8. annis episcopatum administrasse, ex Gregorio Nazianzeno atque aliis, proinde Episcopum factum anno 6. Valentis. At juxta supposititium Amphilochium Basilius vel sedisset annis XV. vel ante mortuus esset quam Episcopus fieret, si vivente Juliano jam Episcopus erat. Omitto multa alia, quæ perperam narrantur in illa vita, tum de Libanio, tum de aliis. „ Hæc Bellarminus. Nihilominus post tot insignia Baronii, Possevini ac Bellarmini nomina, Combefisius ut palatum suum male sanum in distinguendis à pretioso vilibus orbi litterario ostenderet, in collectione ista gustu prorsus depravatu, vitam hanc Basilii Amphilochianam putativam legitimum illius partum opinatus est, quam quoad substantiam operis, vere Amphilochii Iconiensis esse sensit, licet in multis successu temporis adulteratam atque interpolatam. Nec tamen prolixæ ejus in hanc vitam excusationes seu Commentarii insulsi à pag. 256. ad 279. impediverunt, quominus aliter sentirent *Guillelmus Cavus* hic pag. 204. qui vitam

tam hanc *Nugivenduli cujusdam opus* appellavit: & Ellias du Pin in *Amphilochio* pag. 234. ubi Combefisium tentasse dicit impossibilia, dum vitam hanc asserere Basilio aggressus est. „Inquit enim Ellias citatus, Autorem hujus vitæ „supponere Basilium Juliani Apostatæ tempore Episcopum fuisse, Libanium Sophistam Juliano occiso, conversum, paucis post mortem „hanc diebus, apud Basilium vixisse. Constat „porro neque Juliani Imperatoris tempore, „Episcopum extitisse Basilium: tantumque à „vero abhorrere, Juliano mortuo Libanium „conversum esse, ut Juliani mortui in laudem „Panegyricum pronuntiaverit. Denique historiæ omnes hujus vitæ fabulosæ sunt, ne„que conveniunt cum his quæ de Basilio ve„teribus dicta sunt. Uno verbo, nullus lege„re hanc historiam potest, qui non statim illius „falsitatem agnoscat.„ Hæc *Ellias du Pin Pontificius*, contra Combefisium. Quamvis autem hanc vitam suppositam Bellarminus arbitrecur, citatur tamen ab ipso, Apologia ad librum Jacobi *Magnæ Britanniæ Regis* cap. 8. & lib. 4. de Eucharistia cap. 24. ubi probat apud veteres consuevisse deferri ad ægrotos Eucharistiam sub sola *specie panis*. Et lib. de *Confirmatione* cap. 5. ut approbet confirmationem esse Sacramentum. Citatur à Costero in *Enchiridio Controversiarum* cap. 8. de Eucharistiæ Sacramento, pro reali Christi præsentia in Sacramento. Citatur ab Hardingo in Responsione ad Irelli provocationem, Art. 1. pro missa privata. Art. 9. pro suspensione Sacramenti supra altare Art. 11. pro fractione hostiæ in tres partes. Ita commenta sua commentis probare, assueti sunt Pontificii. In hac vita Sancti Basilii quæ Sancto Amphilochio tribuitur, cap. 6. pag. mihi 175. *ille paulo ante mortem mysteriis celebratis, hostiam in tres partes divisisse* ibi dicitur, *unam earum communicasse cum timore multo, alteram* ἔφύλαξε συνταφῆναι αὐτῷ *reservasse secum sepeliendam, tertiam vero imposuisse columba aurea pendenti super altare.* Ut istud autem recte intelligatur, observandum est, veteres Christianos nunquam credidisse Eucharistiam esse vere ac realiter corpus & sanguinem Christi, sed in figura tantum, mysteriumque sacrum esse meram commemorationem corporis Christi pro nobis crucifixi & fracti, ac sanguinis ejus pro nobis effusi. Hoc liquido constare potest ex duobus moribus & consuetudinibus quæ priscis ecclesiæ temporibus circa Eucharistiam obtinuerunt, atque usque ad seculi XII. finem perstitisse videntur. Primus fuit mos ille, quo mortuis præsertim Antistitibus Eucharistia exhibita fuit, rem prohibentibus Conciliorum Canonibus. Cui affinis fuit alter ille mos, quo eucharistia vel oblatæ consecratæ cum fidelium corporibus seu cadaveribus sepultæ fuerunt. Primus ille mos dando Eucharistiam onibus mortuorum in usu fuit, seculo IV. in aliquibus Africæ ecclesiis. Nam Concilium Carthaginense 3. anno 397. sub Aurelio habitum, cui Augustinus subscripsit, Canone 6. Conciliorum tom. 2. col. 1168. ita habet. *Item placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: dictum est enim à Domino: Accipite & edite: cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.* Idem seculo VI. Concilium Antissiodorense anno 578. tempore Pelagii 2. Papæ canone 12. *non licet mortuis nec Eucharistiam nec osculum tradi*, nec velo vel pallio *corpora eorum involvi.* Mos ergo ille obtinebat seculo sexto in aliquibus Galliæ ecclesiis. Idem mos seculo VII. in Græciæ ecclesiis obtinens, cohibitus fuisse legitur, in Concilio Trullano, quod anno Domini 692. sub Pontificatu Sergii & imperio Justiniani junioris, Constantinopoli celebratum est, ubi Canones centum & duo editi fuerunt. Canone autem 83. sancitum ita est. Μηδεὶς τοῖς σώμασι τῶν τελευτώντων τῆς Ἐυχαριςίας μεταδιδότω, γέγραπἶαι γὰρ, λάβετε καὶ φάγετε: τὰ δὲ τῶν νεκρῶν, ὐδὲ λαβεῖν δύναἶαι, ὐδὲ φαγεῖν. *Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communicet, scriptum est enim, accipite & comedite: mortuorum autem corpora non possunt accipere nec comedere.* Quæ verba desumta sunt a patribus Trullanis, ex Concilio 3. Carthaginensi sub S. Aurelio Episcopo, ut supra diximus. Hanc tamen pravam consuetudinem dandi Eucharistiam cadaveribus antistitum mortuorum, non obstante hac inhibitione Concilii Trullani, permansisse in ecclesiis Græcis multis, usque ad seculi XII. finem, temporibus Balsamonis, constat ex Balsamonis ejusdem scholio in Canonem 83. Trullanum, *quod Sanctus panis post mortem antistitibus tradatur, & sic sepeliantur.* Hæc de consuetudine dandi Eucharistiam, cadaveribus mortuorum, antequam sepelirentur.

Alius mos non minus antiquus in aliis ecclesiis obtinuit, Eucharistiam vel oblatas consecratas ponendi super pectus cadaverum mortuorum, vel sub capite vel in manibus pectori adjunctis, ut ex sequentibus exemplis constat. Seculo enim IV. sive Amphilochius sive alius anonymus rerum Divi Basilii Scriptor, jam antea citatus cap. 6. pag. mihi 175. positive istud in sepultura Sancti Basilii observatum affirmat, cujus verba denuo repetere operæ pretium non est. Idem repetit cap. ultimo vitæ ejusdem pag. mihi 224. his verbis: Διέδετο δὲ συνταφῆναι αὐτῷ τὴν τρίτην μερίδα τῆς ὑπὸ τῦ κυρίυ δοθείσης αὐἶῷ κοινωνίας, καὶ ἀνακλιθεὶς ἐν τῇ κλίνῃ, Ἐυχαριςίας ἔσης ἐν τῷ ςόματι αὐτῦ, ἀπέδωκε τῷ κυρίῳ τὸ πνεῦμα. *Testamento autem sepeliri sanxit, cum tertia portione data sibi à Deo communionis: recumbensque in lecto, Eucharistia adhuc in ore, spiritum Domino reddidit.* Refert quoque Sanctus Gregorius Magnus *lib. 2. Dialogorum* cap. 24. in vita Sancti Benedicti Abbatis qui anno circiter 545. mortuus est. Cum aliquis junior Monachus ipsius

ipsius discipulus ad parentes suos invisendos ex affectu nimio perrexisset mortuum fuisse ibidem, quem sepultum terra sæpius ex sinu suo ejiceret. Cum vero parentes inde afflicti, rem sancto Abbati retulissent: ipsum ad illorum consolationem jussisse *Domini eum corpus super pectus illius in sepulchro adponi*: quo mediante Monachum terra tenuit, nec amplius è sinu suo emisit. Factum istud ante seculi sexti medium. Seculo VII. Sanctus Cuthbertus Lindistarnensis Episcopus claruit, cujus acta descripsit Beda tum lib. 4. *Historiæ Anglorum* cap. 27. 28. & 29. tum in *præfatione ad historiam de gestis Anglorum* vitam ipsius non tantum oratione soluta, sed etiam versu heroico se scripsisse testatur. Sedere cœpit anno Domini 685, migravit è vita anno 688. licet Sigebertus anno 687. obiisse diem suum affirmet, cujus memoria in martyrologio Romano ad diem 20. Martii. De illo ita Beda: *Postquam ergo sancta memoria Cuthbertus Episcopus peracta communione, elevatis oculis & manibus ad Deum, commendans ei animam suam & omittens spiritum, sedensque sine gemitu abiit in viam patrum: à navigantibus ad Insulam nostram delatus, toto corpore levato, capite sudario circumdato, oblatis super sanctum pectus positis, vestimento sacerdotali indutus in obviam Christi calceamentis suis preparatus, in Sindone cerata involutus, animam habens cum Christo gaudentem &c.* Seculo VIII. Sanctus Othmarus Abbas floruit, cujus res gestæ à Walafrido Strabone scripta sunt, quas habet Surius tomo 6. ad diem 16. Novembris, qui obiit anno Christi 758. Pipini Francorum regis anno septimo, de quo agit etiam Trithemius *lib. 3. de viris illustribus ordinis D. Benedicti cap. 23.* Iso autem Sancti Galli Monachus & Scholæ Magister circa annum 860. *translationem & miracula Sancti Othmari Abbatis*, libris duobus descripsit, quos habet Seculum III. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti tomo 5. parte 2. pag. 162. Hic porro lib. 1. cap. 3. ita scribit: *Sub capite autem & circa pectus viri Dei, quadam panis obula, qua vulgo oblata dicuntur, ita illæsa atque ab omni correptione extranea, ab eodem Episcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte, colorem vel speciem sui amittentes, aspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomada, viderentur esse confecta.* Secundum Heppidannum in Chronicis anno 871. Iso Magister obiit pridie idus Maji, quem quoque mortis ejus annum Hermannus Contractus in Chronico suo assignat.

Denique inter opera Sancti Ephræm Syri, extat sub nomine Sancti Amphilochii Iconiensis Episcopi, *Vita Sancti Ephram Syri, cum comparatione Sanctorum Basilii & Ephram Syri*: quæ Opuscula cum nullum in antiquitate testimonium habeant, ut gratis sub specioso hoc nomine evulgata sunt, ita facile Amphilochii esse negantur. *Comparatio autem* ista *Basilii & Ephram*, ex capite IX. vitæ Divi Basilii Amphilochio imputatæ pag. 202. desumta verbotenus est, ut idem Combefisius in ootis pag. 256 fatetur. Obiit *Amphilochius circa annum 394. vel 395.* ad diem 25. Novembris, cujus mentionem facit utraque ecclesia *Orientalis & Occidentalis* in *Martyrologio* & *Menologio* ad diem *citatum*. De Scriptis ejus Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus sacri* verbo *Amphilochius*. Robertus Bellarminus in libro de *Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 380. Natalis Alexander in *selectis historiæ ecclesiasticæ capitibus*, ubi de Seculi IV. Scriptoribus. Guillelmus Cavus, & Ellias du Pin, locis citatis.

METROPHANES SMYRNENSIS, ARCHIEPISCOPUS patria Constantinopolitanus, matre quidem sub læsæ famæ quæ Methodium Patriarcham stupri olim accusavit natus, ante annum 858. Metropolita Smyrnæorum factus est, quo Ignatii CP. à Barda depositi partes, quantum potuit tutatus est, ita tamen ut Photium Patriarcham admiserit. Anno sequente, recrudescente iterum dissidio, Metrophanes contumacior atque ardeotior in Photium hostis factus, in Synodo Constantinopolitana depositus, Ignatio carceris socius datur. Anno 867. deposito Photio, sedem suam ipse recuperavit, & in Cooncilio CP. anno 870. inter primarios Photii Persecutores enituit. Scripsit *Epistolam ad Manuelem Patricium* qua res à Photio ab anno 858. ad an. 870. gestas ex ordine narrat, quam habes Græcè & Latinè cum Actis Concilii CP. IV. Ingolstadii 1604. in 4. & Conciliorum ultimæ editionis Græco-Latinæ, Tomo VIII. col. 1385. Latinèque tantum in Annalibus Baronii ad an. 870. num. 453. Photio ad annum 878. restituto, Metrophanes eum pro Patriarcha habere præfractè recusavit, & à Joanne licet Papa anno 879. Photio morem gerere admonitus simul ac jussus, cootumaciam suam mordicus retinuit. Quo oomine in Concilio CP. ineunte anno 880. tanquam obstinatus Schismaticus, Episcopatu simul ac Communione privatur. Hæc Cavus de Metrophane nostro Smyrnensium Archiepiscopo, ex Epistola illius ad Manuelem Patricium, & ex Actis Concilii IV. Constantinopolitani, Act. III. col. 1292. IV. col. 1297. VI. col. 1313. Cui addimus extare sub ejusdem Metrophanis Smyrnensis Archiepiscopi nomine, Libros quatuor Græcè MSS. in Bibliotheca Heidelbergensi Palatina, ut Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus Sacri* testatur his verbis. 860.

1. *Metrophanis Archiepiscopi Smyrnensis, De recens exorta Manichæorum hæresi, brevis & luculenta narratio.*

2. *Ex ejusdem Metrophanis diversis contra eosdem Manichæos Homiliis, excerpta.*

3. *Contra Manichæorum recens prognatum errorem, secunda editio ad Antoninum Metropolitam Cyzicenum.*

4. E-

4. *Ejusdem Metrophanis liber de Spiritu Sancti Mystagogia, & quod quemadmodum Filius è solo Patre genitus dicitur sacris Omeulis: sic etiam Spiritus Sanctus ex eadem causa Theologica procedere dicatur: Filii autem esse dicatur, quia consubstantialis illi sit, & per eum mittatur.* Ita hæc Possevinus loco citato, ex MS. Codice 216. Bibliothecæ Heidelbergensis, quæ jam in Vaticanam transiit. Saoe quisquis vel tantillum animadvertit ad inveteratum odium, dirasque inimicitias, quas exercuerunt simul Photius CP. & Metrophanes Smyrnensis, nullo negotio agnoscet, falsam esse inscriptionem horum librorum Metrophani factam, qui Photii hostis ad mortem usque mansit. Quis enim unquam sibi persuadeat, Metrophanem qui Photium jubente etiam Papa Johanne, pro Patriarcha agnoscere noluerit, eamque ob causam depositus sede & excommunicatus sit, eundem Photium contra Latinos altercantem adjuvisse, atque favisse novis ab ipso quæstionibus excitatis? Sunt autem ut supra diximus in *Photio*, Opuscula ista quatuor fœtus Photii genuini, qui ejus ingenium ardens, atque vehementiam ad imponendas Latinis calumnias facilem arguunt. Appellabat ille Latinos *Novos Manichæos* impositione prorsus nugaci, ex eo quod illi contra Photium ad Græcos, asserant *Spiritum Sanctum procedere à Patre simul & Filio:* unde inscriptus primus Liber, *de recens exorta Manichæorum hæresi.* Recte itaque sub *Photii Patriarchæ CP.* nomine, hi *Libri quatuor de nova Manichæorum repullulatione*, extant Græce MSS. in Codice Colbertino 444. cum *Libris 2. de processione Spiritus Sancti, & de Spiritu Sancto adversus Latinos*, quæ omnia idem MS. Codex complectitur. Denique iidem habentur sub Photii nomine, paucis ab annis Manuscripti in Bibliotheca Lugduni Batavorum, ex Codice MS. Isaaci Vossii, cujus integram Bibliothecam hæredes huic Vniversitati seu Academiæ vendiderunt. Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum Latinarum & Gallicarum* collecta ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum bibliothecæ, quam Parisiis anno 1653. in 4. edendam curavit apud Joannem Henault, hæc habet parte 2. pag. 88. *Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, Metrophanis Smyrnensis Episcopi aliorumque Expositiones fidei, cum Responsis Gennadii Scholarii Patriarchæ Constantinopolitani ad Amuræ interrogationes de sancta fide*, in Codice Regio 898. Agunt de Metrophane Smyrnensi Archiepiscopo Antonius Possevinus Tomo 2. Apparatus Sacri, verbo *Metrophanes Smyrnensis Archiepiscopus*, & ad calcem *Apparatus Sacri*, in Catalogo MSS. Codicum bibliothecæ Heidelbergensis, quæ jam in Vaticanam transiit, Cod. 216. Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* Seculo IX. ad annum 858. pag. 554.

ISAAC LINGONENSIS EPISCOPUS, 860. cognomento *Bonus*, olim Diaconus fuit Parduli Laudunensis Episcopi, & Hilduini Sancti Dionysii Abbatis discipulus, qui ad Lingonensem Episcopatum post Theobaldi obitum promotus, Concilio seu Synodo Tullensi apud Saponarias anno 859. Tusiacensi anno 860. Suessionensi III. anno 866. tum Pontigonensi anno 876. ac Tricassinæ anno 878. interfuit. Adornavit *Collectionem Canonum ex Decretis Synodorum à S. Bonifacio Sedis Apostolicæ per Germaniam & Gallias congregatarum Legato, & ex Capitularibus Regum Francorum:* præcipuè vero ex Libris tribus posterioribus, quos Benedictus Levita ad Ansegisi Abbatis Collectionem adjecit. Id autem Isaac præstitit, ut in restauranda Ecclesiastica disciplina & procuranda Canonum observantia, obtrectatores severioris sui studii comprimeret, seque novatorem non esse probaret, ut in *præfatione* asserit. Hanc in titulos XI. distributam ex Codice Archiepiscopi Tolosani, primus in lucem edidit Sirmondus tomo 3. *Conciliorum Galliæ*, ac post eum Stephanus Baluzius tomo 2. *Capitularium Regum Franciæ* pag. 1257. Vnde in Concilia novissimæ editionis Parisiensis accesserunt, tomo VIII. columna 598. Ex hac Collectione Canonum, perspicuum est publicam pœnitentiam pro publicis criminibus in usu fuisse Gallicanæ Ecclesiæ, usque ad illud tempus. Prolixam sub ejusdem *Isaaci Lingonensis Episcopi* nomine, *Epistolam de Canone Missæ*, edidit tomo I. *Spicilegii* sui pag. 345. Lucas Dacherius. Sed ut recte observat Matthæus Larrocanus, *Adversariorum Sacrorum* Lib. 2. cap. XI. pag. 276. *Epistola de Canone Missæ*, quæ à Dacherio, Isaaco Lingonensi Episcopo tribuitur, non illius est, sed Isaaci Stellæ Abbatis, seculo XII. florentis, cui Opusculum istud adjudicatur in duobus antiquis MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ, & à Bertrando Tissier sub ejus nomine editum est, tomo 6. *Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 104. In uno Codice Regio hunc præ se fert titulum, *Domino Patri ac venerabili Pictavorum Episcopo, Isaac dictus Abbas Stellæ, obedientiam in Christo & reverentiam, Ecce quod diu multumque postulasti &c.* In alio autem Codice sic legitur, *Isaac Abbas Johanni Pictaviensi Episcopo T. A. salutem, obsequium, & obedientiam. Ecce quod diu multumque postulasti &c.* Vide Stephanum Baluzium tomo 2. *Capitularium Regum Francorum*, colum. 1257. His adde nullum Episcopum Pictaviensem nomine Johannem, extitisse temporibus Isaaci Senioris seu Lingonensis Episcopi. Hinc corrigendus error Guillelmi Cavi, qui propria lectione nihil discussit, dum *Epistolam* hanc adscribit Isaaco Lingonensi Episcopo: io quem etiam impegeram in *Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus attigit, ad annum 870. pag. 264. Plura de illo Lupus Ferrariensis *Episto-*

la LXXXI. ad Amolonem Lugdunensem Archiepiscopum. *Capitularia* Caroli Calvi, Titulo XXV, num. V. Flodoardus *Historia Remensis* lib. 3. cap. 21. & 24. Chronicon Sancti Benigni Divionensis. Ex recentioribus vero, Sammarthani fratres in *Gallia Christiana*, tomo 3. in Lingonensibus Episcopis. Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus*, seculo IX. tom. 1. cap. 3. art. 22. pag. 146. Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesia*, ad annum 859. pag. 555. Matthæus Larrocanus Lib. 2. *Adversariorum sacrorum* cap. XI. pag. 276. post Baluzium ac Tilleriumi locis citatis.

DISSERTATIO
DE
JOANNE SCOTO ERIGENA.

CAPUT PRIMUM.

QUIS JOANNES SCOTUS ERIGENA SEU ERIUGENA FUERIT.

860. JOANNES SCOTUS ERIGENA, seu ERIUGENA, vir obscuræ quidem expressionis, sed multæ doctrinæ, de quo plura ultro citroque nostris temporibus, Antonius Arnaldus maxime vel Canonicus Regularis anonymus, Libro 12. integro *Perpetuitatis fidei realitatis corporis & sanguinis Christi* in Eucharistia, quæ Parisiis anno 1668. in 4. & alibi postea impressa est, ubi *de Joanne Scoto* specialem doctissimamque Dissertationem instituit. Hic concrepantibus bellorum fragoribus, circa annum 870. ad Carolum Calvum in Franciam transfretaverat ex Anglia vel Scotia, à quo singulariter dilectus, magnam nominis & eruditionis famam comparavit. Communem vero doctrinam aspernatus, in opiniones singulares tumente animo, abiisse à Pontificiis scribitur, ob quas reverti in Angliam compulsus est. Illic circa annum 896. obiit, si tamen unus atque idem est cum Joanne Ethelingiæ Abbate, ut postea probabimus: mortuus est cum duobus Sicariis Clericis luctatus, ab iisque necatus. Scripsit Joannes Scotus plurima, ex quibus *Libri quinque de natura divisione*, amplissimi, & multis ut audio obscuritatibus pleni, MSS. quidem in Bibliotheca S. Germani Parisiensis, Ordinis divi Benedicti, duobus voluminibus in folio. Itemque in Bibliotheca Sancti Michaelis in Periculo, Littera T 5 & T 6. denique inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 6027. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 193. ubi etiam habetur, de Auctore & opere Epistola præmissa Guillelmi Malmesburiensis, quæ nondum edita est. Verum nuperrime illi impressi in Anglia, Oxonii nempe anno 1681. in folio, cum *Ambiguis S. Maximi*, seu *Scholiis pancis ejusdem Maximi in difficiles locos S. Gregorii Nazianzeni*, ab eodem Eriugena Latinè versis. Item *de prædestinatione Dei contra Gottescalcum librum I.* impressum tomo 1. *Vindiciarum prædestinationis & gratiæ* pag. 103. Gilberti Mauguini rei monetariæ Parisiensis Præsidis, de quo egimus in *Prudentio Tricassino Episcopo* superius. Transtulit in linguam Latinam *Scholia Græca Sancti Maximi Monachi in locos difficiles Sancti Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi*, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca atque in Cluniacensi, ut ait Franciscus Combefis apud Labbeum tomo 1. Dissertationis *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *Maximus Monachus*. Hæc quidem vulgo creduntur edita cum *Libris quinque de Naturis*, Græce & Latinè Oxonii in Anglia in fol. anno 1681. ex theatro Scheldoniano. Vt opinor ex MS. Codice, quod extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 6109. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 275. At quod illic impressum est, non potest esse Opus, quod à Francisco Combefis apud Labbeum loco citato indicatum est: cum dicat Combefisius qui MSS. codices vidit, *Opus istud esse spissum & arduum*: quæ sane non conveniunt scholiis illis paucis, Oxonii anno 1681. in fol. impressis. Idem transtulit *Opera Græca Sancti Dionysii Areopagitæ in Latinam linguam*, versione Carolo Calvo Francorum Regi & Imperatori inscriptâ, Manuscripta in Bibliotheca Soc. Jesu Collegii Bituricensis, de qua Labbeus in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, tomo 1. verbo *Anastasius Bibliothecarius*, pag. 67. Hanc versionem nimiâ Græci sermonis affectatione vitiatam, adeoque Latinis non satis esse intelligibilem, observavit dudum Matthæus Westmonasteriensis dictus Florigerus, in *Historia* ad annum 883. pag. 253. Duplicem versionis istius Præfationem ad Carolum Calvum, unetricam alteram breviorem, alteram prolixiorem, edidit Cl. vir Vsserius in *Epistolarum Hybernicarum Sylloge*, pag. 57. Extat quoque hæc versio Joannis Scoti in Dionysii Opera, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Cod. 111. in Regia etiam Galliarum Bibliotheca, Cod. 3626. Eadem ter manuscripta in celebri Bibliotheca Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, paginis 101. 102. & 103. qui anno 1686 Lipsiæ in 12. impressus est. Eademque Joannis Scoti in Dionysium interpretatio, sæpe MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi: nimirum in-

Inter MSS. Codices Theologicos Latinos, Codicibus XXII. & CCCCXCVI. ut habet Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ, in tabula hujus tomi. Itemque Lib. 8. Commentariorum eorundem, pag. 183. Et inter MSS. Codd. Bibliothecæ Collegii S. Joannis Baptistæ in Oxonia, littera A. Codice 11. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 142. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis apud Cantabrigiam, Classe à dextra, serie suprema Codice 5. Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Cod. 3614. in MSS. Codicibus Hyperei Bodlejani Codice 148. Denique hæc interpretatio Opusculorum S. Dionysii Areopagitæ à Joanne Scoto facta, Coloniæ Agrippinæ anno 1536. apud Quentelium edita est, cum aliis eorundem Operum versionibus: ut in *Dionysio Areopagita* supra diximus. Idem scripsit Opusculum *de visione Dei*, quod MS. asservat Bibliotheca Abbatiæ de *Claromarisco*, Ordinis Cisterciensis, juxta Audomaropolim in Artesia, ut testatur Joannes Mabillon. Huic pariter *Liber de corpore & sanguine Domini* qui sub nomine Bertrami editus est, attributus fuit; sed perperam, cum spectet ad Ratramnum Corbeiensem Monachum, ut in *Ratramno* diximus. Scripserat quidem Joannes Scotus, Caroli Calvi jussu, *Librum de corpore & sanguine Domini*, Ratramni sententiis ubique consonum, Christi sanguinem & corpus figurative tantum & sacramentaliter in Eucharistia admittens, ex communi doctiorum hujus seculi IX. sententia: verum hoc nomine à Synodo Vercellensi anno 1050. damnatus, ut ex Berengarii Epistola ad Richardum, à Dacherio tomo 2. spicilegii pag. 510. evulgata patet, licet à Carolo Calvo gratissima mente acceptus fuisset, sicut & Ratramni Liber.

Quis fuerit iste Johannes Scotus de quo loquimur, inter authores nequaquam convenit, inque varias sententias itum est. Harum prima vult Johannem hunc Scotum fuisse Bedæ discipulum, Alcuini socium, tumque Vniversitatis Parisiensis conditorem: unde floruisse censet illum sub Carolo Magno circa annum 800. & ultra. Ita censuit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 939. Arnoldus Wiou in *ligno vitæ*, & cæteri quidam. Alii ut Joannes Trithemius, Joannes Balæus & Ludovicus Cellotius in *Historia Gotescalci Prædestinatiani*, duplicem Joannem Scotum distinguendum censent: unum Bedæ discipulum, qui Carolo Magno imperante, Vniversitatis Parisiensis cum Alcuino fundamenta jecerit, alterum Carolo Calvo synchronum & familiarem, qui Operas S. Dionysii Græca Latine reddiderit. Nituntur Anonymi testimonio apud Vincentium Bellovacensem in *Speculo Historiali* lib. 23. cap. 173. inquientis: *Alcuinus studium de Roma Parisias transtulit, quod illuc à Græcia translatum fuerat à Romanis: fueruntque Parisius fundatores illius studii, quatuor Monachi Bedæ discipuli, scilicet Rabanus & Alcuinus, Claudius & Joannes Scotus.* Verum utraque hæc sententia falsi convincitur. *Primum* quidem quod Beda vivere anno Christi 735. desiit, Joannes autem Scotus adhuc superstes erat anno 860. vel 880. Quomodo igitur Bedæ discipulus esse potuit, qui integro & amplius seculo, posterior illo est? *Secundo* hæc sententia pariter hinc corruit. Author enim anonymus, quem unicum testem advocant istius sententiæ patroni, *Johanni Scoto* quem Vniversitatis Parisiensis cum Alcuino fundatorem facit, Rabanum Maurum Archiepiscopum Moguntinum adjungit, cujus obitus anno 856. consignatur: & Claudium Taurinensem Archiepiscopum, qui anno 839. adhuc superstes erat, ut testatur Ferdinandus Vghellus in *Italia sacra* tomo 2. in *Episcopis Taurinensibus*. Quod argumento invincibili est, hunc anonymum de alio Johanne Scoto non loqui, quam de eo qui vulgo *Erigena* cognominatur: quem Bedæ discipulum non fuisse, ratio temporum demonstrat. Accedit quod Alcuinus Parisiensis Academiæ conditor non fuerit, nec Parisiis publicas scholas moderatus sit unquam, ut observat Natalis Alexander post alios in *selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo VIII. de Alcuino & ejus Operibus agens. In Vniversitate quidem ista turbas excitasse dicitur Johannes Scotus, suisque alumnis opiniones suas insinuare conatus est: à qua hominem ut averteret Nicolaus I. Romanus Pontifex, Carolum Calvum Regem Christianissimum ut eum Romam mitteret rogavit, nec deinceps morari Parisiis pateretur, inquiens: *Dilectioni vestræ vehementer rogantes mandamus, quatenus Apostolatui nostro prædictum Johannem repræsentari faciatis: aut certe Parisiis in studio, cui olim capitalis fuisse perhibetur, morari non sinatis: ne cum tritico sacri eloquii, grana lolii & zizania miscere dignoscatur; & panem quærentibus, venenum porrigat.*

CAPUT SECUNDUM.

VERA SENTENTIA DE JOANNE SCOTO ERIGENA EXPONITUR.

Altera sententia, quæ mihi maxime arridet, licet contra plurimos nobilissimosque Scriptores recentes sit, vult, Johannem Scotum Erigenam esse unum eundemque hominem, qui nunc *Johannes Sophista*, nunc *Johannes sapiens*, nunc *Johannes Scotigena*, nunc ex *Ealdsaxonum genere* dicitur. Qui cum male apud ignaros, ob privatas opiniones in Gallia tempore Caroli Calvi Francorum Regis audiret, eodem tempore cum Grimbaldo Sacerdote & Monacho, in Angliam ab Alfredo Rege evocatus est, quorum uterque Vniversitatem Oxoniæ institutam eruditione sua illustrave-

rit.

rit. Ac Grimbaldus quidem postea Vintoniæ Abbas præfectus est, Johannes Scotus seu Sapiens & Sophista, Ethelingiæ factus Abbas: qui & postea vitam Martyrio consummavit, atque publico cultu ab antiquissimis etiam temporibus, in Anglia decoratus est. Contra hanc sententiam acerrime pugnant Antonius Arnaldus doctor Sorbonicus, seu potius Canonicus Regularis Anonymus Lib. 12. *de perpetua Catholicæ Ecclesiæ fide circa Eucharistiam adversus Claudium Ministrum*. Johannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. in eo Elogio *Johannis Abbatis Æthelingiensis* quod contexuit. Natalis Alexander in *Selectis suis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, Seculo IX. ac X. parte 2. Dissertatione XIV. *de Johanne Scoto, ejusque Operibus & erroribus*. Sed lectis excussisque absque præjudicio illorum Scriptis, nihil mihi validum apparuit, quo hic Johannes Scotus distingui debeat aut possit ab Abbate Æthelingiæ Johanne, cujus sanctitatem & cultum publicum omnes fatentur. Imo juxta communis sensus regulas, haudquaquam in hac parte recentes audiendi sunt, nisi utriusque distinctionem hanc evidenter ipsi ostendant: cum ab annis circiter sexcentis authores omnes Anglici conveniant, unumque faciant Johannem Scotum Erigenam, cum Johanne S. Grimbaldi socio, ab Elfredo Rege in Angliam revocato, Vniversitatis Oxoniæ fundatore, Æthelingiæ Abbate, Martyre, & publicis cultibus longe ante tempora Guillelmi Malmesburiensis honorato. Audiamus Guillelmum Malmesburiensem Libro 2. *de Gestis Regum Angliæ* cap. 4. „*Hoc tempore creditur fuisse Johannes Scottus, vir „perspicacis ingenii & multæ facundiæ, qui dudum „concrepantibus undique bellorum fragoribus, in „Franciam ad Carolum Calvum transierat &c. „Succedentibus annis munificentia Alfredi allectus, „venit in Angliam, & apud Monasterium nostrum „à pueris quos docebat, graphiariis (ut fertur) suf„focatus, etiam Martyr æstimatus est. Quod sub „ambiguo, ad injuriam sanctæ animæ non dixerim: „cum celebrem ejus memoriam sepulchrum in sini„stro latere Altaris & Epitaphii prodant versus, „scabri quidem & moderni temporis lima carentes, „sed ab antiquo non ita deformes.*

Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro,
Martyrio tandem CHristi conscendere regnum,
Qui meruit: Sancti regnant per secula cuncti.

Idem Simeon Dunelmensis in recapitulatione ad annum Christi 882.

Hujus Regis Alfredi tempore venit in Angliam Johannes Scottus, vir perspicacis ingenii & multæ facundiæ, qui dudum relicta patria ad Carolum Calvum transierat &c. Quare & hæreticus putatus est &c. Hujus opinionis particeps fuisse cognoscitur Nicolaus Papa, qui ait in Epistola ad Carolum: Relatum est Apostolatui nostro &c. Propter hanc ergo infamiam, tæduit eum Franciæ, venitque ad Regem Elfredum, cujus munificentia illectus, & magisterio ejus, ut ex scriptis Regis intelligitur, Meldunì resedit: ubi post aliquot annos à pueris, quos docebat, graphariis foratus, animam exuit, tormento gravi & acerbo: ut dum iniquitas valida & manus infirma sæpe frustraretur, & sæpe impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquandiu inhonora sepultura in beati Laurentii Ecclesia, quæ fuerat nefanda necis conscia. Sed ubi divinus favor multis noctibus super eum lucem indulsit igneam, admoniti Monachi in majorem transtulerunt Ecclesiam, & ad sinistram Altaris partem posuerunt. Ecce igitur ex Guillelmo Malmesburiensi & Simeone Dulmensi, ambobus seculi XII. Scriptoribus, unum eundemque Johannem Scottum Erigenam, quem fragor bellorum in Gallias projecerat, post quasdam ob singularem doctrinæ sensum toleratus calumnias, iterum in Angliam patriam suam precibus Alfredi Regis ac munificentia redeuntem, eumque Martyrem à pueris factum, tumulo triumphali honoratum, publicis honoribus cultum. Cui assertioni favent, teste etiam Parisio apud Arnaldum anonymo, Dissertatione singulari *de Johanne Scotto Erigena* art. 6. pag. 21. inter alios Rogerus de Hoveden ad annum 887. Matthæus Westmonasteriensis ad annos 883. & 888. Ex Gallis autem, Helinaudus Frigidimontis Monachus in *Chronico*, Vincentius Bellovacensis, & Antonius Florentinus Archiepiscopus.

Consonat huic sententiæ Ingulfus Abbas Croilandensis, qui Historiam Monasteriorum Angliæ ab anno 664. usque ad ann. 1067. contexuit, ubi unum atque eundem Johannem Scottum & Johannem Æthelingiæ Abbatem, longe ante Guillelmum Malmesburiensem censet, his verbis. *Viros Literatissimos de terris exteris ad se accersens Alfredus, aliquandiu in Palatio secum pro sacris litteris addiscendis retentos, diversis demum Prælatiis & dignitatibus promovit. Hinc sanctum Grimbaldum evocatum è Francia, suo novo Monasterio, quod Vintoniæ construxerat, præfecit in Abbatem. Similiter de veteri Saxonia Johannem cognomento Scottum, acerrimi ingenii Philosophum ad se alliciens, Adelingiæ Monasterii sui constituit Prælatum. Ambo isti doctores, Sacerdotes gradu, professione Monachi sanctissimi erant.* Quid clarius? Quid expressius, ad probandum Johannem Scottum Erigenam, ab Alfredo in Angliam revocatum, fuisse socium S. Grimbaldi, & Abbatem Ethelingiæ? Ac consequenter ut ab aliis proditum scripto est, Martyrem fuisse ac publico cultu honoratum. Novi ergo recentesque venerunt, quos non coluerunt Patres eorum: ut cum Scriptura loquar, Deuteronomii cap. 32. v. 17. Adstipulantur eidem veritati, Annales Monasterii Vin-

Vintoniensis, cujus Abbas fuit Grimbaldus, eodem tempore quo collega ejus Johannes Scotus, Abbas Ethelingiæ factus est. *Igitur anno Dominicæ Incarnationis 886. anno secundo adventus S. Grimbaldi in Angliam, incœpta est Universitas Oxoniæ, primitus in ea regentibus S. Grimbaldo &c. Johanne Monacho & collega S. Grimbaldi, viro acutissimi ingenii.* Florentius Worcestrensis Monachus in *Chronico* ad annum 872. de Alfredo Anglorum Rege loquens. *Legatos etiam ultra mare ad Galliam direxit. Inde sanctum Grimbaldum Sacerdotem & Monachum, Johannem quoque æque Presbyterum & Monachum acerrimi ingenii virum, Asserum etiam è Monasterio Sancti David advocavit.* Et Asserus ipse contemporaneus & oculatus testis, recentibus mille authoribus fide dignior, in *Vita Alfredi Regis* loquitur his verbis. *Anno 884. Legatos ad Gallias, Magistros inquirere direxit, indeque advocavit Grimbaldum Sacerdotem & Monachum, Johannem quoque, æque Presbyterum & Monachum, acerrimi ingenii virum, & in omnibus disciplinis Litteratoria artis eruditissimum, & in multis aliis artibus artificiosum: quorum doctrina, Regis ingenium multum dilatatum, & eos magna potestate ditavit & honoravit. His temporibus ego quoque à Rege advocatus de Occiduis & ultimis Britannia partibus, ad Saxoniam adveni.* Denique Matthæus Westmonasteriensis in *Historia* ad annum 872. *Legatos ad Gallias direxit Rex Alfredus, & inde sanctum Grimbaldum Sacerdotem & Monachum, nec non Johannem Presbyterum & Monachum, moribus bonis adornatum, ex ultimis etiam Wallanorum finibus, de Monasterio Sancti David, ad suum ascivit consortium.* Vnde nullus est aliquantuli vel judicii homo, qui non ex similibus verbis de eodem viro ab omnibus istis Scriptoribus usurpatis & affectatis, concludat unum eundemque hominem fuisse, Johannem Scottum Erigenam in Galliis olim male audientem: quem Alfredus Angliæ Rex appellavit ad fundandam Oxoniæ Academiam, ad regendam Ethelingiæ Abbatiam, quem postea Martyrem ab Scholasticis (casu nescio quo) factum, publicis Divorum honoribus Angli venerati sint. Ejusdem martyrium attestatur Anonymus Lib. 12. *de perpetua Catholica Ecclesia fide circa Eucharistiam.* Nam cap. ultimum dictæ Dissertationis talem titulum habet: *Declaration sincere de l'Autheur, touchant quelques faits, quil avoit avancés dans sa Dissertation, & que depuis il a reconnu n'estre pas veritables.* Tum num. 6. hujus capitis, Author in art. 7. pag. 15. inquit his verbis: *„L'on a dit quil est faux que l'on ait „imprimé un Martyrologe à Anvers par le commandement de Gregoire treiziéme l'an 1586. 2. Que „l'on ne trouvera point dans aucun Martyrologe „Romain imprimé à Anvers ou ailleurs, la commemoration de Jean Scot marquée au 4 des Ides de „Novembre.* Il feroit inutile de rapporter icy „les raisons que l'on a eu de nier ces deux „faict si positivement. Il suffit que l'on sache

1. Quil y a un Martyrologe Romain, mis au« jour par le commandement de Gregoire 13.« & imprimé à Anvers chez Plantin l'an 1586.« 2. que l'on voit dans ce Martyrologe la commemoration de Jean Scot, marquée au 4 des« Ides de Novembre en ces mots: *Eodem die Sancti Johannis Scoti, qui grafiis puerorum confossus, Martyrii coronam adeptus est.*«

Contra sententiam hanc nostram, quæ mihi evidens apparet, varia nobis objiciunt, ut Johannem Scotum Erigenam & Johannem Ethelingiæ Abbatem duos faciant, Parisius apud Antonium Arnaldum loco citato, atque Natalis Alexander: quæ mihi levia plurimum ac puerilia videntur. De quibus breviter in sequenti Capite videbimus.

CAPVT TERTIVM.

OBJECTIONES ALLATÆ IN CONTRARIVM, DILVVNTVR.

Objiciunt primum. Florentius Worcestrensis ad annum 887. Guillelmus Malmesburiensis *de gestis Regum Angliæ* Lib. 2. cap. 4. Simeon Dunelmensis ad annum 888. Rogerus Hovedenus ad annum 887. & Matthæus Westmonasteriensis ad annum 888. concordant consentiuntque Johannem Ethelingiæ Abbatem, fuisse Anglum, ex Saxonibus Occidentalibus. Idem Asserus in *Vita Alfredi Regis* affirmat, quam vivente adhuc Abbate Ethelingensi scripsit: *Ideo diversi generis Monachos in eodem Monasterio congregare studuit, primitus Johannem Presbyterum & Monachum, scilicet Ealdsaxonem genere, Abbatem constituit.* Contra autem Veteres omnes Johannem Scottum fuisse Hibernum censent, ut Hincmarus Libro *de prædestinatione* cap. 31. *Author jactitatur à multis Johannes Scottigena.* Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Carolum Regem, *Johannem imo Scottigenam.* Nicolaus Papa in Epistola ad Carolum Calvum, *Quidam vir Johannes natione Scotus.* Matthæus Monachus Westmonasteriensis in *Chronico* ad annum 883. *Venit in Angliam Johannes natione Scotus.* Vnde concludunt duos fuisse Johannes, eodem tempore claros, qui in Angliam trajecerunt. Sed infirmum prorsus hoc argumentum est, hæque diversæ appellationes *Scotigena atque Ealdsaxonis,* confundebantur priscis illis temporibus, ac pro uno & eodem sumebantur.

Objiciunt *secundo* ut inter utrumque discrimen demonstrent, quod Johannes Ethelingiæ Abbas, & *Presbyter & Monachus* ab Assero dicatur, & *Alfredo Regi à Sacris.* At Johannes Scotus à nemine authorum istius ætatis *Presbyter* aut *Monachus* dicitur, nec in Operum suorum inscriptione aut alibi hæc nomina usurpat, sed se *Excremum Sophiæ studentium,* vel sim-

simpliciter *Johannem* appellat. Nusquam in Monasterium aliquod se recepit, sed semper in Palatio Caroli Calvi Francorum Regis versatus est. Respondeo argumentum istud negativum esse, & nihil concludere. Vocatur praeterea & *Monachus* & *Abbas*, & *Presbyter* à Seculi XI & XII. authoribus: quod sufficiens plusquam est, ut unus & idem credatur cum Johanne Abbate Ethelingiæ. Denique cum idem ipse sit cum Johanne isto Ethelingensi, qui ab Assero *Presbyter* & *Monachus* appellatur: falsum est, quod ab sui temporis authoribus, neque *Presbyter* neque *Monachus* appelletur.

Objiciunt *tertio* Johannem Scotum sponte in Angliam à Galliis trajecisse, eo quod infamiam nomini suo ob errores aspersam ferre diutius non posset: ut Simeon Dunelmensis ad annum 882. Matthæus Westmonasteriensis ad annum 883. & Rogerius de Houeden ad eundem annum testantur. At Johannes S. Grimbaldi socius, Alfredi Regis præceptor, ac deinde Ethelingensis Abbas, ab eodem Rege è Gallia in Angliam honorifice vocatus est per legatos, ut Asserus ad annum 884. Matthæus Westmonasteriensis ad annum 872. & Florentius Worcestrensis ad annum pariter 872. testantur. Argumentum istud puerile est. Quid enim facilius, quam ut dum vir doctissimus malos doctrinæ patiebatur in Gallia à populo indocto rumores, ab Alfredo Rege qui virum magni ducebat, appellaretur atque muneribus & benevolentia invitaretur ad redeundum in Angliam? Nihil tam frequens, quam cum viri insignes & Litterati ex invidia vel alias ob causas alicubi dilacerantur aut spernuntur: ut ab aliis Magnatibus sæpe invitentur, muneribus etiam ac pinguioris fortunæ promissis. Certum porro est ex Epistola Nicolai Papæ ad Carolum Calvum, Johannem Scotum Erigenam, apud plebejos forsitan solos, fama laborasse sinistra in Galliis: nec enim ita apud Carolum Regem laborasse legimus. At anno 884. ex Assero oculato teste & socio, Johannes Scotus ille nempe qui in Galliis erat, cum Grimbaldo rediit in Angliam à Rege vocatus & rogatus: Ergo Johannes Scotus ille qui male audiebat in Gallia, ille idem est S. Grimbaldi socius, qui cum Grimbaldo Oxoniensem Academiam instituit: & qui Abbas Ethelingiæ postea fuit, eo tempore quo Sanctus Grimbaldus Wintoniæ Abbas erat.

Objicit *quarto* Natalis Alexander, quod Johannes Saxonius seu Ethelingiæ Abbas, ante annum 884. in Angliam non trajecerit: quod sub annum 895. cum duobus Sicariis luctatus sit, necatusque ab ipsis: quod bellicosæ artis non expers fuerit, ut Asserus memorat. Hæc autem Johanni Scoto non conveniunt, qui cum sub initia Regni Caroli Calvi in Galliam ex Hibernia accesserit, jam vir factus & litteris instructus, usque ad annum 895. pervenire non potuit, multo minus cum duobus Clericis luctari. Respondeo è contra, optime omnia ista convenire Johanni Scotto Erigenæ, hancque impossibilitatem esse prorsus imaginariam: imo hæc omnia concludere, Johannem Scottum Erigenam & Johannem Ethelingiæ Abbatem, esse unum & eundem hominem. Venit etenim Johannes Scottus sub initium Regni Caroli Calvi, qui cum ab anno 840. usque ad annum 877. regnaverit, hoc circa annum 845. vel 850. intelligi commode potest, Johanne Scoto annos circiter triginta nato. Si autem Johannes Saxonicus seu Ethelingiæ Abbas, ante annum 884. teste Natali Alexandro in Angliam non trajecit: inde ego infero esse unum & eundem cum Johanne Scoto Erigena, qui juxta Scriptores allegatos anno 883. vel anno ipso 884. in Angliam trajecit, quo pariter anno vult Natalis Alexander Johannem Grimbaldi socium & Ethelingiæ Abbatem trajecisse. Tunc temporis autem Johannes Scotus erat annorum 64. juxta supputationem nostram. Anno autem 895. quo luctatus cum duobus Clericis Sicariis dicitur, & ab iis occisus, erat annorum 75. Quod soli ut opinor Natali Alexandro, impossibile videbitur. Conveniunt igitur omnia, ut Johannes Scotus Eringena, & Johannes Etheliogiæ Abbas & Martyr, in unum eundemque hominem componantur & coalescant.

Objiciunt *quinto*, atque ex aliis Natalis Alexander, his verbis. „Argumentum est, „quod Johannem Scottum ab Alfredo Rege in„Angliam accitum non fuisse persuadeat, Asseri„silentium: qui inter viros doctos ab Alfredo„Rege è Galliis evocatos, *Grimbaldum & Johannem Ealdsaxonem, Wertfridum, Plemundum,*„*Ethelstanum, seque ipsum*, nusquam *Johannem*„*Scottum* commemorat. Unde conjicere licet,„errasse Wilhelmum Malmesburiensem cum„aliis nonnullis, & authorem Anonymum„Chronici qui in anno 1137. desinit apud Du„chesnium tomo 3. *Historicorum Franciæ*, apud„quem hæc verba leguntur: *Rogatu Ælfredi*„*Johannes Scotus redit è Francia, ubi erat cum*„*Carolo Calvo.* In hoc quoque falsus Ingulfus„Abbas, qui *Johannem Scottum cum Johanne Ethelingia Abbate* confudit. Falsus & Harpsfeldius, qui *Johannem Saxonicum & Johannem*„*Scottum* ab Assero memoratos scripsit. „ Ita ex suppositis agit Natalis Alexander. Sed solutio hujus argumenti in promptu est. Loquitur Asserus de Johanne Scotto Erigena, dum de Johanne Ealdsaxone loquitur, neque de illis duobus separatim loquitur, quia utrumque unum & eundem hominem credidit. Quod autem subdit Natalis Alexander, falli Guillelmum Malmesburiensem, Authoremque anonymum apud Duchesnium, qui sub medium seculi XII. floruit. Ingulfum quoque Croilandensem seculi XI. Scriptorem, Nicolaum denique Harpsfeldium, quod unum eundemque virum fuisse, & Johannem Scot-

tum

tum Erigenam, & Johannem Ethelingiæ Abbatem, Martyrem & fanctis honoribus cultum, fcripferint. Hoc dicens, ipfe fallitur folus, qui ex leviffimis & nihil probantibus conjecturis, contra tot Veteres unanimiter idem afferentes infurgit: nec eft ipfe idoneus, nec plures etiam recentes, ad convellendam antiquorum authoritatem, absque demonftratione in contrarium.

„Objicit *fexto* idem Natalis Alexander, & „Antonius Arnaldus locis citatis. Anaftafius „Bibliothecarius Johannem Scottum accufans, „quod Opera S. Dionyfii Areopagitæ è verbo „ad verbum Latine reddidiffet, de eo feu de „homine jam vita functo loquitur. *Quod* „*eum*, inquit, *non egiffe ob aliam caufam exiftimo,* „*nifi quia, cum effet humilis fpiritu, non præfumpfit* „*verbi proprietatem deferere, ne aliquo modo à fen-* „*fu veritate decideret. Unde factum eft, ut tan-* „*tum virum (Dionyfium) intra cujusdam Labyrinthi* „*ædificia irretiret. & in antris profundioribus in-* „*vifibiliorem quodammodo collocaret: & quem* „*interpretaturum fufceperat, adhuc redderet inter-* „*pretandum.* In MS. Codice Bibliothecæ PP. „Societatis Jefu Bituricenfium, datæ hujus ab „Anaftafio ad Carolum Calvum Epiftolæ tem„pus confignatur X. Calendas Aprilis Indictio„ne VIII. id eft anno Chrifti 875. fex annis „poft octavam Synodum œcumenicam, cujus „meminit. Quod argumento eft Johannem „Scottum non fuiffe Ælfredi Regis Præcepto„rem, qui in ftudia litterarum non incubuit „ante annum 884. adeoque à Johanne Ethelin„genfi Abbate, qui Ælfredi Regis Præceptor „fuit, diftinguendum." Ita Anonymus in libro *de perpetua Catholicæ Ecclefiæ fide circa Eucharifliam, contra Claudium Miniftrum*, ac poft eum Natalis Alexander. Sed refpondemus hæc verba Anaftafii, haudquaquam indicare murtuum Johannem Scottum, folumque præ fe ferre obfcuram quandam expreffionem hujus Itali, qui ita fcripferit, nefcius adhucne viveret, an mortuus effet. Imo & hæc verba de homine adhuc vivente intelligi & fcribi poffunt. Addo cum ex Anaftafio conftet, anno illo 875. adhuc in Galliis fuiffe Johannem Scottum Erigenam, fuosque Commentarios Carolo Calvo obtuliffe: ac præterea conftet ex Affero oculato tefte & collega Johannis iftius, Johannem hunc qui in Galliis celeberrimus erat, anno 884. tantum fuiffe evocatum in Angliam juffu Ælfredi Regis: inde recte colligi, effe unum atque eundem hominem, Johannem illum Scottum, qui anno 875. ad Carolum Calvum fcripferit, & anno 884. in Angliam remeaverit: ubi poftea Oxonienfem Academiam cum Grimbaldo inftituerit, Abbas Ethelingiæ factus fit, & Martyrio à Sicariis Scholafticis honoratus. Hæc quidem latiffime, contra tres iftos authores fub initium allatos, qui Differtationes fingulares fcripferunt, fed ftramineas, ut Johannem Scottum Erigenam, & Johannem Ethelingiæ Abbatem, fanctum & Martyrem, duos homines diftinguerent.

CAPUT QUARTUM.

CUR JOANNES SCOTUS, A NICOLAO I. ROMANO PONTIFICE DAMNATUS SIT?

Quæres, cur Johannes Scottus Erigena, anno 859. à Nicolao I. Romano Pontifice ut emendaretur, apud Carolum Calvum Francorum Regem expetitus fit? Vel enim ob librum *de prædeftinatione*, vel ob librum *de corpore & fanguine Domini*, vel ob *Verfionem fuam Operum Divi Dionyfii Areopagitæ?* Refpondeo, non ob Opus *de corpore & fanguine Domini*, fed ob *Verfionem Operum divi Dionyfii Areopagitæ.* Contrarium fenfit Johannes Mabillon, evocatum nempe fuiffe a Nicolao primo Johannem Scotum Erigenam, ob Opus *de corpore & fanguine Domini.* Non enim, inquit, ob librum *de prædeftinatione*, quem fcripfit circa annum Domini 849. vel 850. ferventibus contra Gottefcalcum controverfiis, quo tempore nondum erat Romanus Pontifex Nicolaus primus, qui anno tantum 858. cathedram S. Petri obtinuit. Præterea cum fcripfiffet adverfus Gottefcalcum & fententiam *de gemina prædeftinatione* tunc apud plerosque odiofam: nihil erat cur ob communem quam amplexabatur opinionem, apud Nicolaum male audiret. Non etiam ob verfionem minus rectam Operum divi Dionyfii Areopagitæ, quia hanc anno tantum 874. aggreffus, Carolo Calvo anno 875. dedicavit, quo tempore mortuus erat jam dudum Nicolaus primus, anno nempe 867. Reftat ergo ut propter Opufculum *de corpore & fanguine Domini*, male apud Nicolaum Romanum Pontificem audierit: in quam fententiam omnia quadrant. Nam tefte Hincmaro, qui opus fuum *de prædeftinatione* Carolo Calvo anno 859. dicavit, hoc Erigenæ Opufculum *de corpore & fanguine Domini* ante hunc annum factum erat, cum tefte Mabillonio, Hincmarus ibidem illius meminerit. Atque hoc eodem anno Nicolaus ad Carolum Calvum fcripfit, ut emendandum à fe Erigenam traderet: ergo propter Opufculum iftud. Sed abfurde fallitur hic Mabillonius. Sunt enim aperta Nicolai Papæ verba: *Relatum eft Apoftolatui noftro*, quod Opus B. Dionyfii Areopagitæ, quod *de divinis nominibus* vel *de cœleftibus ordinibus* Græco defcripfit eloquio, quidam vir Johannes, Scotus genere, nuperius latinum transtulerit; quod juxta morem vobis mitti, & veftro judicio debuit approbari: præfertim cum idem Johannes, licet multæ fcientiæ effe prædicetur, olim non fane fapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.

Sententiam Mabillonii amplexus eft Hof-

mannus in *Lexico* his verbis: „Johannes Scotus, dictus *Erigenus*, è Scotia in Franciam delatus, Carolo Calvo gratus fuit. Vir pusillo corpore, sed ingenio maximus, festivus ac facetus, unde & mensæ & cubiculi Imperatorii non raro particeps. Philosophus porro eximius, Theologus consummatus. Eodem tempore, anno 876. quo Rhabanus Episcopus Moguntinus, diligens Augustini Sectator, in libb. *de institut. Clericorum* figuratam locutionem in verbis sanctæ Cœnæ agnoscebat, à *Bertramo Presbytero* (dic *Ratramno*) jussu Caroli defensus, edito libro *de Eucharistia*, dogma quoque Augustini retinuit. Hinc Parisiis Papæ instigatu pulsus, cum in Angliam ille pervenisset, à Discipulis instinctu Monachorum graphiis confossus est anno 884. Opus ejus aliquot in Conciliis damnatum, & Berengarius, qui ex illo salutarem doctrinam hausit, Romæ anno 1059. sub Nicolao II. in ignem conjicere coactus est, quasi igni contra veritatem jus esset." At contrariam docuit vir doctissimus Jacobus Vsserius Armachanus Archiepiscopus in *Responsione ad Jesuitæ provocationem* pag. 76. 77. his verbis.

„Carolus Imperator ad quem pervenit Bertrami (dic *Ratramni Monachi Corbeiensis*) liber *de Eucharistia*, celebrem nostrum popularem in aula sua tunc habebat, cui nomen *Johannes Scotus*, qui eodem argumento librum conscripsit & in eundem finem in quem scripserat alter. Vir iste ob minime vulgarem ejus eruditionem, in Anglia, ubi magno in pretio apud Alfredum Regem fuit, *Johannis Sapientis* cognomen adeptus est: & haud ita pridem in Ecclesiæ Romanæ Martyrologio locum occupavit, quamvis illinc hodie ejectus sit. Revera enim ab Ecclesia Lugdunensi & aliis, eodem tempore reprehensum legimus, ob opiniones quasdam ab ipso evulgatas circa Dei præcognitionem & prædestinationem ante conditum orbem, circa liberum hominis arbitrium, hujusque cum Dei gratia in præsenti seculo concursum, & circa genus punitionis reproborum hominum & Angelorum in futuro seculo: sed nusquam nobis constat hunc *de Sacramento Eucharistiæ* librum fuisse damnatum ante Lanfranci tempora, qui primus Anglicanam Ecclesiam hoc corruptæ doctrinæ *de Carnali præsentia* fermento deinceps infecit. Eo usque quæstio hæc *de reali præsentia* problematica semper fuerat, & perinde liberum erat cuique *Bertrami aut Johannis Scoti* hac in parte doctrinam sectari, ac illam *Paschasii Radberti*, quæ à tempore solutionis Sathanæ, superior evasit." Hæc cum zelo aliquanto, sed cum veritate Vsserius Armachanus Archiepiscopus, loco citato. Tantum autem abest, ut Nicolao Pontifici hac in parte Carolus Calvus morem gesserit, ut potius è contra ab hoc tempore cariorem sibi habuerit Erigenam, eumque usque ad mortem suam tenuerit: quod demonstrative patet ex aliis Erigenæ Operibus, ipsi dedicatis usque ad annum 875. Agunt pluribus de Johanne Scotto Angligena, Gilbertus Mauguinus monetæ Parisiensis Præses, in Collectaneo suo *Vindiciarum prædestinationis & Gratiæ*. Ludovicus Cellotius in *Historia Gotteschalci Prædestinatiani*. Joannes Mabillon seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. in *Elogio Historico Johannis Scoti Æthelingiensis Abbatis*, quem à Johanne Scoto Erigena perperam distinguit. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo IX. parte 2. Dissert. XIV. p. 621. & sqq.

ISO SANCTI GALLI MONACHVS, circa annum 860. descripsit *Translationem & Miracula sancti Othmari libris duobus*, quos habet Seculum III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* tomo seu parte 2. pag. 162. Laudatur hic multum ab Ekkerardo juniore in libro *de casibus Monasterii Sancti Galli* cap. 2. ubi Notkerum Balbulum, Tutilonem & Ratpertum habuisse discipulos dicitur. Apud Hepidannum vero *anno 871. Iso magister obiit pridie Idus Maji*, quem itidem annum mortis ejus assignat Hermannus Contractus in *Chronico* suo. 860.

OTHELGRIMVS WERTHINENSIS MONACHVS, Sancti Ludgeri Monasteriensis Episcopi socius & contemporaneus, scripsit *Vitam illius* libris duobus, admiscens subinde quædam nonnihil discrepantia à narratione Altfridi: cujus scriptionem eruit ex membranis Fuldensibus Christophorus Browerus atque in suis *Syderibus Germaniæ* edidit. Verum cum author hujus vitæ non longe post annum 864. scriberet, ut patet ex libro 2. cap. 26. difficile admodum est hunc annum 864. conciliare cum discipulatu Sancti Ludgeri Episcopi, qui anno 809. die 26. Martii mortuus est: nisi valde senex Othelgrimus fuerit, quando Vitam hanc sui Magistri scripsit: vel valde juvenis, disciplinæ Sancti Ludgeri traditus fuerit, sicut olim in Ordine divi Benedicti factum est. Conditor tamen Litaniæ Werthinensis, primos Vitæ Lutgerianæ Scriptores fuisse *Othelgrimum ejus discipulum, Altfridum III. Monasteriensem Episcopum, & Vffingum Cœnobitam Werthinensem*, inquit. Hanc Vitam ediderunt Joannes Bollandus seu ejus Successores, ad diem 26. Martii cum Commentariis præviis. Eandem habet Joannes Mabillon cum *Altera* ab Altfrido Monasteriensi Episcopo composita, Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 1. pag. 15. & seqq. quos quisque per otium adire potest. 860.

S. VDALRICVS AVGVSTANVS EPISCOPVS, qui & VLRICVS & VLDERICVS dicitur, natione Germanus, ex illustri familia Comitum de Kilburg & Dillingen 860.

or-

ortus, Hupaldi & Diapurgæ Sueviæ Ducissæ filius, circa annum 817. natus est. Deinde sub Adalberto Augustano Episcopo, in Collegio S. Galli educatus & literis humanioribus eruditus tanta se prudentia gessit animique moderatione, ut junior quamvis, ab illo Romam objurgentia Ecclesiæ suæ negotia missus sit. Eo autem interea temporis defuncto, Vdalricus in Augustanum Episcopum renuntiatus fuisset, nisi ætas immatura promotioni impedimentum extitisset. Tandem post Hiltini mortem, juxta Pantaleonem *de viris illustribus Germaniæ* part. 2 pag. 52. tum Imperatoris tum Canonicorum consensu, circa annum DCCCLX. illius Ecclesiæ Antistes factus est. Ecclesiam suam per XL. annos magna cum laude gubernavit, & Romano Pontifici Nicolao I. qui anno DCCCLVIII. electus, anno DCCCLXVII. die 12. Novembris fato functus est, *Cælibatus* jugum sacerdotibus suis imponenti, auctoritate sua atque eruditione fortiter restitit, ad quem scripsit Epistolas seu libellos duos *de nuptiis Presbyterorum permittendis*, illumque, *cælibatus* legem rigide nimis urgentem, ex Scripturâ & Ecclesiasticâ antiquitate, libere & acriter tanquam delinquentem coarguit. Contigit hæc dis inter Vdalricum Augustanum Episcopum anno DCCCLXIV occasione Epistolæ cujusdam Nicolai Papæ I. ad S. Adonem Viennensem in Gallia Archiepiscopum, de qua Gratianus in Decreto parte 1. Distinct. 31. cap. 4. Juxta autem Gratianum Nicolaus Papa expostulat adversus Adonem, quod Alrico Presbytero, uxorem ducere permisisset: *De illo Clerico Alrico nomine, quem per ordines Ecclesiasticos usque ad subdiaconatum caste vixisse dicitis, cur vestra auctoritate uxorem duxerit, miramur: eo quod nulli unquam, exceptis illis quibus Ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam damus.*

At juxta ipsam Epistolam Nicolai Papæ I. ad eundem Adonem, quæ jam integra in Appendice 2. Epistolarum Nicolai Papæ Tomo 8. Conciliorum Labbeanæ editionis col. 563, data 3. Kalendas Aprilis Indictione XII. hoc est anno 864. extat, Alricus Presbyter attulerat falsas literas Adoni Viennensi Archiepiscopo ex parte Nicolai Papæ, quæ illi permittebant ut uxorem duceret: quibus ab Adone ut genuinis acceptis, nec fraude detecta, Archiepiscopus Alrico permisit ut uxorem duceret. Admonitus autem hujusce rei Nicolaus Papa ab Adone Viennensi Metropolita obstupuit, literas à se tales datas negavit, Adoni injunxit ut sedula inquisitione quis impostura author esset, inquireret. Nec contentus hujus Epistolæ transcripto ad se misso, originalem ipsam Epistolam ad se mitti mandavit, ut in illam attentius intenderet & fraudem melius detegeret. Hæc omnia constant ex sequentibus Epistolæ verbis. *Interea de illo Clerico Alrico nomine, quem per ordines Ecclesiasticos usque ad Diaconatum caste vixisse dicitis, cur nostra auctoritate uxorem duxerit miramur, & eo quod nulli unquam, exceptis illis quos Ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam dedimus. Nam exemplar Epistolæ misistis, neque recognovimus, sed nec illius stylum à nobis directum meminimus. Quo circa vestra fraternitas sollicita investigatione perquirat, ut quis auctor illius Epistolæ fuerit, valeat inveniri: quatenus cum Apostolica auctoritas mittitur, non fuscetur: & si vestros legatos destinaveritis, per eos ut ipsam Epistolam nobis dirigatis optamus, quo cum illam contemplati fuerimus, vos hac de causa certissimos reddere possimus.*

Extat una Epistola Vdalrici edita primum Basileæ anno 1569. inter *Orthodoxographos* Tomo 1. pag. 481. ubi se non *Vlricum* aut *Vldericum* uti apud Henricum Pantaleonem dicitur, sed *Vdalricum* appellat, in Epistolæ inscriptione ad Nicolaum Papam. Eandem recudit Joannes Wolfius Lavingæ anno 1600. *Memorabilium lectionum* Tomo 1. pag. 241. quæ etiam apud Joannem Foxum Anglum *Actorum & Monumentorum Ecclesiæ* Tomo 2 p. 456. Londini 1641. Anglice in folio, & ad calcem Callixti *de Conjugio Clericorum* pag. 444. editionis Francofurti 1653. in 4. qui diffuse illius meminit pagg. 358. & 359. Vtraque autem Epistola extat inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Num. 1144. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli Codice 80. num. 7. & 8. Et prima etiam ibidem numero 1641. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 374. num. 8. Ambæ editæ à Joanne Foxo loco citato, quas sub Volusiani Carthaginensis Episcopi falso nomine illic latitantes eruit. Vtrumque autem opusculum pertinere dubio procul ad *Vdalricum Augustanum Antistitem*, constat ex Bertoldo Constantiensi Presbytero, in *Historia rerum sui temporis ab anno 1053. ad annum 1100.* Nam apud Vrstitium, ita Bertoldus ad annum 1079. pag. 349. Gregorius Papa VII. Synodum Romæ mense Februario collegit &c. „ In hac Synodo Papa Presbyteros deinceps in fornicationem lapsos, absque spe recuperationis deposuit: & scriptum quod dicitur Sancti Vdalrici ad Papam Nicolaum *de nuptiis Presbyterorum*, atque capitulum Paphnutii de eadem re, imo omnia sacris Canonibus adversa damnavit." Illic autem *Vdalricus* non *Vldericus* dicitur. Mortuus est circa annum DCCCC. qui caute distinguendus est ab alio Sancto Vdalrico hujus nominis 2. Augustano Episcopo, cum quo plurimi ex Pontificiis hunc S. Vdalricum nominis primum, tempore Nicolai Papæ I. florentem & in Augustana Ecclesia clarescentem, confuderunt. Nam ille S. Vdalricus 2. anno 924. ad hanc sedem promotus, anno 973. vel 974. ut Germanorum Annales testantur, obiit. Meminerunt hujus *Vdalrici primi* tanquam scriptoris, quotquot Epistolas vel Opuscula illius ediderunt. Sed ex antiquioribus Bertoldus ille Constantiensis Presbyter in *Hi-*

Historia rerum sui temporis ad annum 1079. quem etiam *Sanctum Vdalricum* appellat, neque id de Vdalrico II. intelligi potest, cum tempore Nicolai Papæ primi floruisse testetur. Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* seculo IX. ad annum DCCCCX. pag. 555. ubi observat, Magni quidem olim Epistolam istam à Conjugii Clericalis defensoribus habitam esse: „adeo ut Bertoldo teste Constantiensi Gregorius VII. anno 1079. coacta Romæ Synodo, „istud Hulderici scriptum nominatim damnare necesse habuerit. Vnde liquet falsos esse „hujus Epistolæ Codices quosdam MSS. in Anglia, qui Volusiani Carthaginensis Episcopi „nomen præferunt, præcipue vetustum illum, „Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuariensi dono datum à Johanne Balæo, quem se à „Parkero accepisse testatur loco citato, Joannes Foxus Martyrologus Anglus: ubi aliam„ hac de re sub Volusiani etiam nomine Epistolam plane elegantem adjunxit, qua Clerici uxorati causam suam adversus Nicolaum Papam„ strenue & nervose agunt.„

ERMENTARIUS TRENORCHIENSIS ABBAS, scripsit anno 863. *Translationem corporis Sancti Philiberti Abbatis ex Heriensi Monasterio ad varia loca*, quam primus in lucem protulit Petrus Franciscus Chiffletius in *Historia Monasterii Trenorchiensis*, quam composuit. Et post eum Johannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 537. & sequentibus. De Ermentario, uterque Chiffletius & Mabillonius, locis citatis. 860.

DISSERTATIO
DE
OPERIBUS ANASTASII ROMANÆ ECCLESIÆ BIBLIOTHECARII.

870. ANASTASIUS ABBAS ROMANUS, ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS, Ordinis mihi incomperti, sed quantum augurari licitum est, Ordinis divi Benedicti: Bibliothecarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, officium quod hoc seculo nono viris litteratissimis conferri consueverat. Cujus autem ille loci Abbas fuerit, constat jam ex *Itinerario Italico* Litterario Johannis Mabillonii, parte 2. pag 82. ubi Anastasius iste in prologo ad quædam Miracula sancti Basilii Episcopi, sic orditur, *Viro venerabili Subdiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu Medico & Domestico Domini nostri sacratissimi Papæ Nicolai Anastasius exiguus Abbas Monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis, siti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino salutem* &c. Hic labente seculo nono, sub summis Pontificibus Nicolao I. Hadriano II. & Johanne VIII. floruit. Juxta clarissimum Spanhemium in Disquisitione Historica *de Papa Fœmina* §. 55. pag 271. „Claruisse eum jam sub Leone IV. cui à secretis „fuerit, & successuris aliquot Pontificibus, urgent precario nonnulli Historici Pontificii. „Et quod habet Onuphrius pag. 126. ad *Platinam*, referre ipsummet Anastasium *se creationibus Sergii* II. *Leonis* IV. *Benedicti* III. *Nicolai* I. „*Hadriani* II. *& Johannis* VIII. *interfuisse*, in Anastasio hocce minime legimus. Verius autem „Joannes Launoius, Epistola ad Michaelem Morollium parte 3. Epist. 11. pag. 170. *floruisse* „*sub Hadriano II. & Johanne VIII. Pontificibus.* „Petrus Lambecius in Commentariis *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* Lib. 2. pag. 277. *floruisse sub Papa Nicolao I. Hadriano II. & Johanne VIII.* Sane Hadriano II. inscripsit Versionem Synodi Anti-Photianæ, vulgo octavæ, cujus extremis interfuit anno DCCCLXIX. Constantinopolim eo ablegatus anno ad Basilium Macedonem, à Ludovico II. Imperatore, in caussa *nuptialis commercii* (sic ille) inter filium Imperatoris Basilii & Ludovici Augusti filiam procurandi. Addunt huncipsum Anastasium, creationis Papalis non unius testem, Benedicti III. mox ab excessu Leonis IV. creationi speciatim interfuisse, ex his verbis: *Missi quoque qui Imperatori nostrum Decretum de benignissimi electione Benedicti porrexerunt.* Talem igitur esse, qui nonnisi perspecta & animadversa literis mandaverit, nec in rebus hujus temporis memorandis *malæ fidei accusari possit*: ut idem Launoius in Epistola ad Carolum Mauricium Tellerium, parte 4. pag. 155. *Errat Vossius & si qui alii, illum cum Anastasio Presbytero Cardinale S. Marcelli, & Bibliothecario Gregorii IV. Papa confundunt, qui à Leone IV. in Synodo Romana anno 850. est exauthoratus, eo quod contra Canones Ecclesiam suam quinquennio deseruisset.* Hæc Labbeus contra Vossium, quem cum in Opere *de Historicis Latinis* accurate volverim, nihil tale ab eo scriptum, à me repertum est. Verum sententia ista, est Antonii Possevini Jesuitæ, tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 71. ubi sic. „*Anastasius* Romanus Monachus, & Abbas Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Specuensis, Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marcelli, & Bibliothecarius Gregorio IV. Pontifice Maximo. Sed anno 850. in Synodo Romana, à Leone Papa IV. exauthoratus, quod Ecclesiam suam contra Canonum decreta, per annos quinque deseruisset. Vir qui-

"quidem perdoctus, ingenii sui monimenta re- "liquit Continuationem Historiæ Pontificiæ S. "Damasi Papæ, ab ejus obitu usque ad Ha- "drianum Papam, hujus nominis secundum. "Transtulit è Græco in Latinum sermonem "Vitas SS. Johannis Eleemosynarii, Demetrii "Martyris, & aliorum Patrum. Unam Dio- "nysii Hierarchiam, Septimam Synodum, & "alia." Hæc Possevinus. Vir fuit pro ævi sui genio non indoctus Anastasius, qui utriusque linguæ Græcæ & Latinæ peritiam habuit haud vulgarem, denique cum primariis seculi hujus viris, Photio & Hincmaro arctam satis amicitiam coluit. Si porro vera est Cardinalis Baronii chronologia, usque ad annum ferme 886. vitam produxit: etsi quonam mortuus sit anno, nullus huc usq; detexerit. De scriptis autem ejus agunt Bellarminus in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 858. breviter. Sed fusius post ipsum Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, tomo 1. pag. 65. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 870. pag. 559. ubi cum multa à Bellarmino omissa referant, non omnia tamen Anastasii Opuscula recensent: unde occasionem hic agendi de omnibus nobis notis Anastasii Abbatis Operibus accepimus. Claruit ergo tum propriis Operibus, tum Græcorum Operum seu Græce Scriptorum variis in linguam Latinam versionibus, quibus nomen suum posteris immortale commendavit.

CAPUT PRIMUM.

DE VARIIS OPERIBUS ANASTASII ABBATIS ET ROM. ECCL. BIBLIOTHECARII.

I.

Itaque *Concilium Generale octavum* seu *Constantinopolitanum IV.* cui præsens ipse Constantinopoli anno 869. interfuit sub Basilio Macedone, partim Latine scripsit, partim ex Græco vertit, atque Adriano Papæ II. dicavit, quod extat Conciliorum tomo VIII. col. 961. ad 1175. ultimæ editionis Parisiensis, anni 1672. quæ Labbeana passim dicitur. Illud autem ex Græcis in Latinam linguam, horridiorem quidem illam & minus cultam transtulit, liberiori modo adjiciens & mutans: cujusmodi sunt & quæ sequuntur.

2. *Concilium VII. Generale seu Nicænum secundum*, quod ille obtulit Johanni Papæ VIII. inscriptum, *Domino Coangelico Johanni Pontifici summo, & Universali Papæ, Anastasius Exiguus.* Ex interpretata nuper &c. quod extat quoque tomo VII. dictorum Conciliorum citatæ editionis, col. 29. & sequentibus. Addit Labbeus, *ut quod omiserunt alii observare, etiam VI. Generale seu Constantinopolitanum tertium.* Sed debuerat Labbeus indicare, quibus ille rationibus vel quanam authoritate hoc assereret: an ob styli similitudinem interpretationis hujus Concilii œcumenici sexti, cum interpretationibus septimi atque octavi? An ex vetere quodam scriptore hoc attestante? id quod me latet.

3. Latinam fecit *Vitam Sancti Johannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini*, de qua hæc Sigebertus cap. 103. de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Anastasius jubente Nicolao Papa transtulit in Latinam linguam Vitam Johannis Eleemosynarii, scriptam Græce à Leontio Episcopo.* Idem ferme Joannes Trithemius. Habes autem illam ex interpretatione Anastasii in *Vitis Patrum* Heriberti Rosweidi Societatis Jesu, Antverpiæ & Lugduni sæpius impressis, ut omnes sciunt. De illa sic Lambecius tomo 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 271. Transtulit hanc Vitam ex Græco in Latinum" Sermonem *Anastasius, S. Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius*, Abbas Romanus Ordinis S. Benedicti," & Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, jussu" Papæ Nicolai primi, qui anno Christi 858. e" lectus est, & anno 867. obiit. Eaque versio" Latina, post alias varias editiones impressas," optime edita est ab Heriberto Rosweido Soc." Jesu in Libro I. *de Vitis Patrum*, & à Bollando" & Henschenio in tomo 2. *de sanctis Januarii*" mensis, die 23."

4. Item *Vitam sancti Demetrii Martyris* ex Græca Latinam reddidit, nec non Acta pleraque & Passiones quæ in Manuscriptis Codicibus occurrunt. Extat autem *Passio Sancti Demetrii Martyris* ab eodem Anastasio translata, tomo 1. *Veterum Analectorum* Joannis Mabillonii, *Domino piissimo Imperatori Carolo semper Augusto* nuncupata, p. 65.

5. Inter ea multa quæ ex Græcis Latina fecit, habes *Vitam S. Dionysii Areopagitæ*, cujus translationem anno 876. ad Carolum Calvum Imperatorem misit. Opusculum istud deperiit, Præfatione excepta, quam habemus apud Surium tomo V, ad diem XI. Octobris, in fine *Areopagiticorum*. Hanc eandem Præfationem recudit ad MSS. Codicum fidem, Joannes Mabillon in *Analectis* suis. In ea autem ait, se non κατὰ πόδας vertisse omnia, sed sensum tamen bona fide expressisse.

6. Scribit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 35. pag. 319. editionis ultimæ, in Bibliotheca Cantabrigiensis in Anglia Academiæ, haberi MS. Dionysium *de Hierarchia cœlesti, de Hierarchia Ecclesiastica, de divinis nominibus & Mystica Theologia*, Codice 111. *cum præfatione Anastasii ad Regem Carolum Calvum.* Hæc ille aliena fide, ex relatu nempe Thomæ Jamesii in *Ecloga Oxonio Cantabrigiensi*, cui reponit ipse Labbeus in Opere suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 1. verbo *Anastasius Bibliothecarius*, pag. 67. "In Codice MS." Collegii nostri Bituricensis societatis Jesu, ele-" gan-

„gantissima manu ab octingentis circiter annis, in membranis exarata leguntur S. Dionysii Areopagitæ Opuscula quatuor. I. De „cœlesti Hierarchia. II. De Ecclesiastica Hierarchia. III. De divinis nominibus. IV. De „Mystica Theologia, ex versione Johannis Eringenæ Scoti, cujus etiam habetur Præfatio „cum quibusdam versibus, ad Carolum Calvum Regem Francorum. Præmisit vero „Anastasius S. R. Ecclesiæ Bibliothecarius, ad „eundem Carolum Regem Epistolam datam „X. Kal. Aprilis, Indictione VIII. Hoc est, „anno ut reor 875. in qua de Scholiis à se in „latinum sermonem conversis, quæ in Codice „ad marginem adscripta habentur, hæc habet: „*Ipso merito anxius cœpi sedulus quærere* &c. quæ „si cui arriserint, non erit operosum communicare, profutura publicæ eruditorum utilitati, " Extant quoque duo MSS. Codices ejusmodi, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Latinos XX. & CCCCXCVI. ut supra jam in Johanne Scoto annotavimus, post Lambecium Lib 8. Commentatiorum hujus Bibliothecæ paginis 183. & 186. Item ejusmodi alter Codex inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 3614. in Codicibus Hyperoi Bodlejani, Codice 148. Hæc denique eodem Dionysii Areopagitæ Opera cum *Præfatione Anastasii Bibliothecarii* ad Scholia à se in Latinum versa, habentur quoque in MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo Manuscriptorum hujus Bibliothecæ Librorum, impresso Lipsiæ anno 1686. cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, p. 102. n. 2. & 3.

7. *Historia Ecclesiastica sive Chronologia tripartita*, in qua S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani Chronicon, Ordinem & maximam partem Chronici à Georgio Syncello, & Theophane Confessore atque Agri Abbate celeberrimo, ab initio mundi ad Leonis Armeni imperium deducti, Latine interpretatus est: ut ipsemet pluribus, in Præfatione ad Johannem urbis Romanæ Diaconum explicat. Ex his vero Græcorum Excerptis, multa in Miscellam quæ dicitur Historiam derivata sunt: aut ab hoc ipso qui precibus suis extorserat, Johanne Diacono: aut à Landulfo Sagaci, aut quocunque alio illius consarcinatore: qui alius omnino esse debuit à Paulo Wanefridi Longobardo, Aquilejensi Diacono ac Cassinensi postea Monacho, cui tamen plerique ferme omnes Miscellam hanc hactenus Historiam tribuerunt.

8. *Collectanea de iis, quæ spectant ad historiam Monothelitarum Hereticorum, & Martyrium Sancti Martini Papæ, itemque Sancti Maximi Abbatis & aliorum*, quæ Jacobus Sirmondus edidit in 8. Parisiis anno 1620. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub Ciconiis. Ibi de iis qui sub Constante Imperatore Orientis, vincula, carceres, variasque vexationes passi sunt, in quibus duo Anastasii recensentur. Alter S. R. Ecclesiæ Apocrisiarius, alter Sancti Maximi discipulus, quorum Epistolæ in iisdem leguntur Collectaneis, quæ in gratiam supradicti Johannis Diaconi, cum Ecclesiasticam Historiam meditaretur, è Græcis versa in unum concinnavit. Quod vero idem sit & Collectaneorum & Historiæ Ecclesiasticæ author, ex Præfatione disces, in qua id aperte profitetur, nonnullaque ex iis Opusculis exponit, quæ Latinitate donata, in hanc Collectionem conjecerat: quæ tibi ex subjecto indice, si careas, imposterum saltem erunt notissima.

1. Anastasii Bibliothecarii Epistola ad Johannem Diaconum urbis Romæ.

2. Johannis IV. Papæ Apologia pro Honorio I. Papa ad Constantinum Imperatorem, Heraclii filium.

3. Excerptum ex Epistola Sancti Maximi ad Marinum Presbyterum, apologiam inter cætera pro Honorio facientis.

4. Ex Epistola ejusdem Sancti Maximi ad Petrum illustrem, ubi Pyrrhi & Sophronii Hierosolymitani, ac Papæ Honorii mentionem facit.

5. Ex Epistola ejusdem Sancti Maximi, ad Marinum Presbyterum Cyprium, de processione Spiritus Sancti.

6. Theodori Papæ Synodica, ad Paulum Patriarcham Constantinopolitanum.

7. Ejusdem Propositis transmissa Constantinopolim.

8. Ejusdem Epistola ad Episcopos, qui consecraverunt Paulum Patriarcham Constantinopolitanum.

9. Commemoratio quid Legati Romani Constantinopoli gesserint, ex Epistola S. Maximi ad Abbatem Thalassium.

10. Anastasii Bibliothecarii Epistola ad Martinum Episcopum Naruiensem.

11. Martini Papæ Epistola ad Theodorum.

12. Ejusdem Epistola secunda ad Theodorum.

13. Commemoratio eorum quæ in Sanctum Martinum Constantinopoli acta sunt, ex Epistola cujusdam ad Occidentales.

14. Martini Papæ Epistola duæ ab exilio scripta.

15. Relatio facta motionis in Sanctum Maximum & socium ejus, coram Principibus in Secretario.

16. Sancti Maximi Epistola ad Anastasium Monachum, discipulum suum.

17. Anastasii Monachi Epistola ad Monachos Calaritanos.

18. Relatio de Dogmatibus quæ agitata sunt inter sanctum Maximum, & Theodosium Cæsareæ Bythyniæ Episcopum, & Proceres qui cum eo erant.

19. Anastasii Presbyteri & Apocrisiarii Romæ, Epistola ad Theodosium Gangrensem, una cum subjacentibus testimoniis & Syllogismis.

20. Hypomnesticon declarans Gesta Sanctorum Maximi & utriusque Anastasii atque Martini Papæ, nec non Theodori, Euprepii & aliorum. Bern-

Bernardus de Montfaucon vir eruditus, Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, in *Diario Italico* Parisiis in 4to anno 1702. edito, cap. 21. pag. 309. hæc *Collectanea Anastasii Bibliothecarii*, Græce MSS. extare inquit in Italia, in Bibliotheca Sancti Joannis de Corbonaria, Augustinianorum.

9. Transtulit quoque ex Græco in Latinam linguam, *Passionem MCCCCLXXX. Martyrum*, quæ versio extat Romæ in Bibliotheca Sanctæ Crucis in Hierusalem, cujus Prologum nobis obtulit Johannes Mabillon in *Itinerario suo Italico* parte 2. pag. 80. ubi etiam in hac Præfatione Anastasius meminit, quod Opusculum istud susceperit agendum: *Post translatam à se ad petitionem ejusdem, Passionem præcipui Doctoris & Martyris Petri, Alexandrinæ Urbis Episcopi:* quæ etiamnum alicubi in Legendariis illis infinitis latet, quæ in Bibliothecis pulvere obtecta latent.

10. Idem ex Græco in Latinum produxit *Vitam Sancti Basilii Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopi*, cujus Operis integram Præfationem edidit idem Johannes Mabillon, in eodem *Itinere Litterario Italico*, parte 2. pag. 82. Hanc operam laudat Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die ptima Januarii, ibidemque indicat Præfationem Vrsi S. R. Ecclesiæ Subdiaconi in Vitam S. Basilii à se Latinitate donatam. Quam etiam habes apud Heribertum Rosweidum in *Vitis Patrum* Lib. 1. pag. 116 & in Notis pag. 125. versu *Vrso*. Verum Præfatio illa cum Vita quæ subsequitur, non alia est ab Anastasiana, quæ habetur in isto *Itinere Italico*, inscriptione excepta, quæ apud Rosweidum aliosque decurtata ac mutila est. Ex qua autem integra manifeste colligitur, Anastasium vulgatæ Vitæ esse interpretem, quæ Vrso perperam in impressis tribuitur: ideoque impositerum Vitæ interpretationem istius, tribuendam esse Anastasio Bibliothecario, qui eam Vrso instigante aggressus est.

11. Idem aggressus Versionem *Passionis sanctorum Cyri & Johannis*, cujus Prologus refertur in eodem *Itinerario Italico* pag. 83. extatque cum textu Passionis in veterrimo Codice Bibliothecæ Sancti Petri apud Carnutas, Ordinis divi Benedicti. Nomen quidem Anastasii, quod in vitioso atque ex situ corrupto MS. exemplari erat oblitteratum, ex conjectura restituit Johannes Mabillon loco citato, eo quod tempus & stylus Anastasio conveniant. Idem sane dicendi genus, eadem Præfationis methodus, quæ in Præfatione Anastasii ad *Passionem MCCCCLXXX. Martyrum*. Itemque in *Præfatione Vitæ Sancti Johannis Eleemosynarii*, apud Heribertum Rosweidum in *Vitis Patrum* p. 137 editionis Lugdunensis anni 1617.

12. Denique idem edidit *Translationem ex Græco in Latinum Vitæ Sancti Donati Episcopi apud Euriam in Syria*, cujus prologum idem qui supra profert in eodem *Itinere Italico* pag. 85. hanc Versionem esse Anastasii non dubitans, tametsi ejus nomen in Cassinensi Codice desideretur, ex quo Præfationem descripsit. Integrum autem libellum edere, ipsi visum non est operæ pretium, cum ipsissima ista quæ in Codice Cassinensi sunt, apud Mombritium vulgata sint: tametsi in Aprili Bollandiano ad diem XXX, non alia Donati Acta referantur, quam ex Menæis Græcorum.

13. Extat *Anastasii Presbyteri & Abbatis ac Bibliothecarii S. Romanæ Ecclesiæ ad Adonem Archiepiscopum Viennensem Epistola* in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ Parisiensis anni 1671. tomo VIII. col. 568. *De obitu Nicolai Papæ I. & electione Hadriani II.* inter Epistolas Nicolai Papæ primi, Anno 867. Indict. XV. Videas & ejus Epistolam nonis Januarii anni 876. ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum Indictione IX. datam, tomo III. Conciliorum Galliæ pag. 423. quam ex Codice Remensi exhibuit Jacobus Sirmondus, Bioio aliisque Collectoribus antea incognitam. Vnam quoque ad Anastasium Bibliothecarium scripsit Epistolam, Photius Patriarcha Constantinopolitanus, ordine CLXX. pag. 144. brevem, ex qua concludere promptum est, magnæ tunc authoritatis fuisse Anastasium Romæ.

14. Extat quoque *S. Theodori Studitæ* Abbatis Constantinopolitani sermo *de Sancto Bartholomæo Apostolo*, qui circa annum 820. inter Græcos clarus doctrina atque pietate emicuit, quem Anastasius S. R. Ecclesiæ Bibliothecarius ex Græcis in Latinam linguam transtulit & ex MS. Codice edendum curavit *Spicilegii* Tomo 3. pag. 13. Lucas de Acherio Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia.

15. Cum mortuo Hadriano II. Romano Pontifice cujus Bibliothecarius seu Referendarius vel ut modo loquuntur, Secretarius & ab Epistolis fuerat, idem munus sub Joanne VIII. successore egisset, tanquam Bibliothecarius seu Secretarius Joannis VIII. Papæ prædicti, cujus lateri & Epistolis adhærebat, Epistolas sex sub nomine ejusdem Græcas Latinasque simul edidit, ad negotia Orientalis Ecclesiæ spectantes, quæ extant Tomo 8. Conciliorum editionis Labbeanæ, in Appendice ad Concilium octavum Constantinopolitanum ex MS. Codice Vaticano, columnis 1451. 1461. 1473. 1477. 1479. 1485. Qui si superstes diutius in vivis fuisset, alias quoque Pontificis ejusdem Epistolas utràque linguà Græcà ac Latinà posteris reliquisset. Mortuo autem illo sub Joannis VIII. Pontificatu, Zacharias illi in Bibliothecarii seu Referendarii officio successor datus est, anno mihi incomperto.

16. Hæc scribit Ludovicus Jacob à Sancto Carolo, Cabilonensis, Ordinis Fratrum Carmelitarum, in *Bibliotheca Pontificia* Lugduni anno 1643. in 4. edita lib. 1. p. 160.

S. Martinus I. Tuscus, patria Tudertinus, Pa-

„pa 76. anno 649. die 1. Julii creatus, Ciaconio „die 6. Julii creatus, & 16. Septembris cornna„tus Romæ, scripsit *Epistolas varias*, quarum o„ctodecim edidit Binius Tomo IV. *Conciliorum* „ex duobus MSS. Codicibus Græcis Vaticanis, „quorum unus ab Anastasio Bibliothecario ex „Græco in Latinum versus est, cum *Præfatione* „*ejusdem Anastasii ad Martinum Narniensem Epi*„*scopum.* Item Baronius Tomo V. *Annalium*, „una cum Concilio ejus Lateranensi, quod pro„mittit Josephus Maria Suarezius, eruditissimus „Episcopus Vasionensis, ut nos per Epistolam „monuit. Hoc Concilium asservatur MS. in „Bibliotheca Sfortiana in classe Theologorum „num. 3. Græcè, & Monachii in Bavaria cum „variis Epistolis.“ Hæc Ludovicus Jacob loco citato.

Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus recenset, tomo 1. pag. 710. *in addendis & corrigendis*, validum opinatur se elicere argumentum, in gratiam omnimodæ potestatis Romani Pontificis, adversus Heterodoxos, quos *Ecclesiæ hostes supremique Capitis profligatissimos* appellat: ex Præfatione Anastasii ad Nicolaum Papam, præfixa Vitæ Sancti Johannis Eleemosynarii. *Neque enim fas est, ut absque Vicario Dei, absque Clavigero cœli, absque curru & auriga spiritualis Israelis, absque Universitatis Pontifice, absque unico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali patre, absque te omnium arbitro, aliquid consummetur aut divulgetur. Tu enim tenes claves David, tu accepisti claves scientiæ: in area quippe pectoris tui, Tabula Testamenti & manna cæleste saporis requiescunt. Tu enim quod ligas nemo solvit, quod solvis nemo ligat: qui aperis & nemo claudit, claudis & nemo aperit: vicem namque in terris possides Dei.* Ego vix hoc argumentum validum video, quid enim aliud expectandum fuit, ab Abbate Romano, Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario, Paparum amico atque Domestico? Nihil ita obvium atque ordinarium est, quam ut amplissimis atque hyperbolicis titulis compellemus eos, quibus Opuscula aliqua & elucubrationes inscribimus: unde puerile prorsus argumentum istud, mihi semper visum est.

CAPUT SECUNDUM.

UTRUM VITÆ ROMANORUM PONTIFICUM, AD ANASTASIUM BIBLIOTHECARIUM PERTINEANT?

Vitæ Romanorum Pontificum seu *Historiam Romanorum Pontificum à Sancto Petro usque ad Stephanum Sextum* inclusive, vel usque ad *Papam Formosum*, & annum Christi 890. sub Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii nomine, edidit primum Joannes Busæus vir eruditus Soc. Jesu, Moguntiæ anno 1602. in 4. Recusæ autem in folio, collectæque ad MSS. Exemplaria sub ejusdem nomine ante aliquot annos, anno nimirum 1649. Lutetiæ Parisiorum cum *Historia Ecclesiastica* ejusdem, studio viri clarissimi, Caroli Annibalis Fabroti Jurisconsulti. Bartholomæus Platina, Onuphrius Panvinius, Gerardus Joannes Vossius & plerique alii, qui hoc Collectaneum ad Anastasium spectare volunt, ultimam censent esse ab Anastasio scriptam Nicolai I. Papæ Vitam, & à Guillelmo S. R. E. itidem Bibliothecario, additas fuisse alias Vitas aliorum Pontificum. Verum Cardinalis Baronius iis refragatur, eidemque authori omnes alias adscribit. Sunt quoque qui velint à Sancto Damaso Papa priorem partem compositam, quæ à S. Petro ad Liberium usque Sancti Damasi decessorem protenditur: qua de re plura suo loco Labbeus in *Damaso* pag. 252. Ubi planum quoque fit, neque integram illam Historiam, quod nonnulli falsò sibi persuadent, ab Anastasio fuisse conscriptam, rudi stylo, imo semilatino, planeque barbaro, qui Anastasium virum eruditum & eloquentem, neutiquam refert. Fidelissime tamen scribere, judicium est Baronii tomo IX. *Annalium* ad annum Christi 752. & imprimis ad annum 799. Hoc opus *de Romanis Pontificibus* plerique hoc tempore Pontificii Anastasio Bibliothecario vindicant, repugnantibus longe plurimis. Etsi enim librum hunc adjectis ad priores multorum Pontificum Vitis auxisset vel locupletasset Anastasius, (quod non concedimus:) prioris tamen partis author esse non potuit, cum viderim MS. Codicem optimæ notæ, temporibus Caroli Magni exaratum, in quo Vitæ istæ Damaso jam tunc tribuebantur: multo antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset. Quia vero Damasum Papam parentem non agnoscunt, vel inde fit mihi manifestissimum, quod S. Hieronymus aliquot post Damasi obitum annis, texens Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum, sola Pontificis istius carmina commemoret: tam insigne Opus haud dubie non prætermissurus, si ejus author ipse fuisset, ut missa faciam quæ congerunt alii. Neque mihi eruditius sapere videntur, qui cum Papirio Massono adscribere moliuntur, Damaso nescio cui Episcopo Portuensi. Quare Damasi neutiquam esse, agnoscunt etiam Bellarminus, Baronius, Possevinus, Miræus, & multi alii ut Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 200. ultimæ editionis. Unde idem concludit esse fœtum Anastasii Bibliothecarii, de quo jam dictum est: ac plane eandem esse dictionem priorum & posteriorum, eorum quæ Damasi vitam consequuntur & antecedunt. Nec tamen primus hic erravit Trithemius, qui Damaso partem priorem adscripsit: nam & jam olim Martinus Polonus *Chronicon Damasi Papæ de Gestis Pontificum* reposuit in Præfatione, inter ea unde *Chronicon suum* congesserat. Extat inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ,

niæ, Codice 157. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera A. Codice 17. Anastasii Bibliothecarii *Liber de Vitis Romanorum Pontificum*, Moguntiæ anno 1602 impressus, cum *Additionibus & Emendationibus Jacobi Armachani* MSS. in 4. juxta Manuscriptum Regium, Litera H. 27.

Ego ut de Collectaneo isto quid sentiam, aperiam. Dicam *igitur* Collectaneum istud esse simul conflatum & compaginatum ab Anastasio Bibliothecario vel Anonymo aliquo, ex variis authoribus & tractatibus, quibus Anonymus suas adjectiones suamque methodum simplicem, & stylum ubique barbarum atque semilatinum immisit: ut Opus omne unius tenoris efficeret, atque ejusdem authoris Lectoribus suis incautis persuaderet: cujus tamen tres quodammodo vel quatuor partes, mihi illud attente consideranti, attendi possunt. *Prima pars* constat tribus anonymis Catalogis manuscriptis Romanorum Pontificum, ex quibus nunc compactis atq; collectis orditur suum hoc Collectaneum, usque ad annum circiter 500. Atque hoc mihi videntur sufficienter probasse successores Bollandistæ, qui Catalogos adduxerunt istos atque Legendarum suarum uni volumini præfixerunt: quos quivis conferre potest, cum Vitis Priscorum Pontificum Collectanei Anastasiani, vel anonymi authoris illius. *Altera pars* ab anno circiter 500. procedit, usque ad annum 648. & Vitam Sancti Martini Papæ: quam partem collegisse breviter opinor Anonymum hinc & inde, ut Romanorum Pontificum successionem non interruptam haberet. Si enim plura invenisset, non tam breviter & jejune de his Pontificibus, à quibus longe remotus erat, scripsisset. *Tertia pars* ab anno 649. seu à Vita Sancti Martini primi incipere videtur, ubi author Anonymus, jam latius & non breviter pro more solito, sed cum multis omnino circumstantiis Vitas Pontificum persequitur, prout ex instrumentis vel antiquis rescire potuit: vivebat enim ille tempore Concilii Sexti Oecumenici Constantinopulitani, anno 680. vel 681. celebrati. Cum ergo viveret & scriberet aliquanto & paucis post Concilium istud temporibus, potuit ille facile cum diligentiâ majori & circumstantiis, scribere Vitas istas ab Martino I. seu ab anno 648. Cum tunc temporis extarent adhuc testes oculati & viventes, ultimorum istorum Pontificum. Jam quod his temporibus viveret hic Anonymus, constans est ex Vita Leonis Papæ II. ubi sic loquitur. *Hic suscepit sanctam sextam Synodum quæ per Dei providentiam, nuper in Regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam.* Hic ergo anonymus ducentis circiter annis ante Anastasium Bibliothecarium vivebat, qui Vitas istas Romanorum Pontificum usque ad Sergium I. Papam inclusive, seu usque ad annum 700. vel 701. scripsit, designans specialius indoles Pontificum, natalia, dotes animi & corporis: quæ Synchronum denotant Scriptorem. Nec quæ habentur in Vita Leonis II, illa esse Anastasii Abbatis, diserte asserit Franciscus ille Combefisius mihi amicus, in Dissertatione pro *Actis Sextæ Synodi* cap. 3. his verbis. *Vox illa nuper satis arguit, quod supra ex stylo deprehendimus, esse hunc alium auctorem ab Anastasio: haud quippe ita vicinus fuit VI. Synodo ut hoc modo loqui posset.* Ita Combefisius, verè quidem. Hinc *Quarta pars* sequitur cum solita brevitate Anastasii vel Anonymi ab his remoti temporibus, nimirum à Vita Johannis Papæ sexti: ubi jam nulla Natalium vel aliarum circumstantia rerum ponitur, sed tantum, *fuit Temporibus Tiberii Augusti &c.* quod remotum ab his temporibus authorem prodit, qualis Anastasius vel anonymus fuit: decurruntque omnes illæ Vitæ methodo eadem, paulatimque amplificantur, quo propius ad anonymi tempora accedunt, isque singularia omnia rescire vel vidisse potuit. Hæc quantum ex lectione attingere potui, œconomia fuit hujus Collectanei *de Vitis Romanorum Pontificum.*

Mihi vero, inquit Spanhemius in Historia *de Papa fœmina Dissertationis Historicæ* §. LX. pag. 278. ac sequentibus, anno 1691. Lugduni Batavorum in 8. impressæ: „nunquam persuasi Vitas illas aut Damasi quod ad priorem„ sui partem, aut quoad posteriorem, comprehensis Vitis Benedicti III. Nicolai I. & Hadriani II. vel si vis etiam Johannis IX. Anastasio Bibliothecario esse tribuendas. Idem„ pag. 279. Cur autem Anastasio Bibliothecario, qui sub Hadriano II. & Johanne IX. potissimum floruerit, eas abjudicem Vitas, vel„ certe cur ambiguus mihi sit author, hæ me„ rationes movent. 1. Quod nec Guillelmus Bibliothecarius qui censetur continuator, nec Sigebertus in Chronico, aut in Scriptoribus Ecclesiasticis: nec Trithenius ubi de„ iisdem Scriptoribus, nec Platina in Johanne IX.„ sub quo *in pretio fuisse Anastasium* dicit, dum„ alias Versionum Scriptorumque hujus Anastasii cum laude meminerunt, ullam hujus„ Operis Anastasiani *de vitis Pontificum*, mentionem injecerint. Imo Platina in *Præfatione*,„ ait excepto Damaso alios omnes qui de Vitis„ Pontificum commentati sunt, *nullum florem orationis, nullam compositionem & elegantiam secutos, non de industria ornatum fugientes, sed inscitia & ignorantia Litterarum:* quod in præfatum Anastasium R. Ecclesiæ Bibliothecarium„ minime quadrat. Vnde de authore litigatum, aliis unum, aliis plures hujus Operis„ consarcinatores arbitratis, & inter cæteros„ Cæsare Baronio. In multis MSS. Codicibus„ simpliciter inscriptum, *Damasi de Gestis Pontificum.* In Gelasii II. qui Paschali II. successit,„ *Pandulphus* quidam affirmavit se ista scripsisse, ut habentur hodie, quod *de toto Opere intelligi posse usque ad sua tempora*, alicubi ad-„ ver-

„vertit Fabrotus in Notis, pag. 252. editionis Regiæ. Petrus Lambecius absurdissime tribuit primum *Notariis sedis Apostolicæ, ex S. Papæ Clementis Institutione*, deinde *studio ejusdem sedis* conflatum paulatim Opus à *Romanæ Ecclesiæ Tabulariis seu Archivi Vaticani Præfectis*, continuatuto post tempora Ludovici Pii *Anastasio illo Bibliothecario*, & quidem *pari stylì barbarie.* Certe abrogant huic Anastasio MSS. Codices, exarati antequam natus esset Anastasius, vel antequam emersisset: puta temporibus Caroli M. & Ludovici Pii, ut à Philippo Labbeo in *Damaso*, & à Petro Lambecio *Commentariorum* libro 2. cap. 8. pag. 927. & ab aliis observatum. Quo factum, ut Codices nonnulli terminent Historiam in *Paulo Papa*, qui successit anno DCCLVII. Sicut Palatinus alter Codex, testibus Moguntinis: alii pertingant tantum usque ad *Papam Stephanum II. vel Stephanum III.* qui Paulum antecessit, ut de Ambrosiano Codice refert Petrus Lambecius tomo 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Adeo ut nonnisi paucissimorum Pontificum Vitas addere potuerit Anastasius, cum Codex Thuaneus in *Leone IV.* terminetur, Codex Freheri major desideret seu non habeat *Benedictum III.* Multis tamen Anastasium existimantibus, produxisse Pontificum Vitas usque ad *Nicolaum I*, Baronio etiam sed absurde, *Stephani VI. res gestas conscripsisse Bibliothecarium* statuente. Quod autem totum Opus recognitum fuisse ab Anastasio scripserunt alii, nonnisi quædam istorum conjectura est, ob appositum Codicibus Vaticanis, & si quibus aliis, nomen Anastasii. 2. Accedit nusquam hujus sui Operis recordari Bibliothecarium, qui suarum Versionum, suorumque Excerptorum alias meminit, ut in *Epistola ad Johannem Diaconum*, quam Sirmondus edidit in Opusculis. Imo qui Honorii causam egit magno studio, ut ex ejus *Collectaneis* apparet, quæ *ad Hæresim Monothelitarum* spectant, & à calumniatoribus iniquissime damnatum eum Pontificem censuit, inseruisse debuisset in *Vita Honorii* mentionem aliquam natæ Hæreseos, ac falso eidem Honorio imputatæ, ut prolixe istius meminit scriptor *Vitæ Agathonis.* Nihil autem hujusmodi in ea *Vita Honorii*, quæ inter Anastasianas relata est. 3. Movet laus insignis qua præfatum Bibliothecarium omnes exornant, tanquam virum *in utrâque linguâ eloquentissimum*, sic Guillelmus Bibliothecarius: *Græco & Latino peritissimum eloquio*, sic Trithemius: *Sane in utraque lingua doctum*, sic Platina, & ex his reliqui. Unde factum est, ut tot illi Versiones *ex Græco sermone in Latinum eloquium* ex ætas extorserit: cui *sufficeret fata ab aliis rustica falce collegisse, & ad aream Latinitatis fideli humero transvexisse*, ut Epistola ad Johannem Draconum de se ipso testatur Anastasius, Latinior longe & alias, quam Historia sit, quæ ejus nomine inscribitur. Arguit enim ista Authorem plane barbarum, inconditum, rudem bonarum literarum, barbarismis & solœcismis delectatum: *Opus caeatæ carthæ bardum & ridiculum* inquit Richardus Montacucius, Notis in Epistolam 170. Photii. Adeo vix quicquam in eo dignum tali Anastasio, seu stylum seu argumentum spectes, sive etiam conferas cum Scriptoribus ejus ævi, Rabano Moguntino, Hincmaro Rhemensi, Servato Lupo, Adone Viennensi, & aliis. Fatentur id ingenue editores Moguntini in præfatione: *In hoc de Pontificibus Opusculo phrasis inculta, rudis & impolita... Ad hæc multa in hac Historia reperiuntur à veritate aliena, quæ nullius gravis & prisci authoris testimonio confirmari possunt: quæ nec sermonis cultum nec rerum doctrinam habent.* Neque testibus opus, sed sola apertione lectioneque inficetæ carthæ, citra cachinnum quandoque non legendæ, ob solœcismos & barbarismos, ut iidem in Præfatione Moguntini, sed à se ut libuit castigandos. 4. Non sufficit etiam, ut vendicetur hoc Opus Anastasio Bibliothecario extra controversiam omnem, authoritas Onuphrii Panvinii; quâ unà se tuentur Editores Moguntini, & ex his Carolus Annibal Fabrotus. Nisi pari authoritate *Damasus* Pontifex *prioris partis* usque ad Silverium, auctor credatur, *Guillelmus Bibliothecarius* continuasse Vitas usque ad *Alexandrum II.* qui sedit ab anno MLXI. *Martinus Cisterciensis* edidisse *Opus Vitarum usque ad Honorium IV.* & alia multa quæ Onuphrius ad Platinam aut palam falsa; aut dubia certe & secum invicem pugnantia, alia occasione castiganda. Nihil autem mirum, hasce Vitas, incerto Scriptore, nomen Anastasii esse ementitas: quando & *Damasi* nomen, & diu post ipsum *Luitprandi Cremonensis*, falso prætulerunt Vitæ Romanorum Pontificum. Posterius agnovit ipse quoque Lucas Holstenius, in *Collectione Romana* parte 1. pag. 121. ad Breviarium Synodi sub Leone IV." Hæc Spanhemius loco citato.

CAPUT TERTIUM.

QUID CIAMPINUS SENSERIT DE VITIS ROMANORUM EPISCOPORUM SUB ANASTASII BIBLIOTHECARII NOMINE IMPRESSIS.

EDitum Romæ *Examen libri Pontificalis* seu *Vitarum Romanorum Pontificum, quæ sub nomine Anastasii Bibliothecarii circumferuntur, authore Johanne Ciampino Romano, Magistro Brevium Gratiæ, nec non Abbreviatore Majoris Præsidentiæ, ac in utraque Signatura Referendario.* Romæ ex typographia Johannis Jacobi Komarck 1688. in 4. In auctorem libri *Pontificalis,*

lis, quo *Vita Romanorum Pontificum* continentur, inquisiturus celeberrimus Ciampinus, diversas opiniones enumerat. *Primam* quam *Ptolomaeo Lucensi*, *Landulpho de Columna* & pluribus aliis adscribit, iis tribuit, qui Vitas Romanorum Pontificum à Petro usque ad Liberium, Damasi opus esse statuunt, reliquas usque ad Nicolaum I. esse Anastasii Bibliothecarii. *Secundam* ad eos spectare ait, qui gesta Pontificum à Petro ad Liberium, non ad Damasum, sed ad incertum auctorem referunt, in qua classe *Baronium* & *Labbeum* collocat. *Tertiam* assignat *Tortesio* & *Sylvagio*, quos Damaso & Anastasio praetermissis, vitas Pontificum Gulielmo Bibliothecario, sive Pandulpho Ostiatio, vel etiam Petro cuidam Lateranensis Ecclesiae Bibliothecario adscribere memorat. *Quarta* est *Panvinii*, *Ludovici Jacobi à S. Carolo*, *Tesserii* & aliorum, qui Historiam Romanorum Pontificum integram, saltem usque ad Benedictum III. vel Nicolaum I. Anastasio Bibliothecario acceptam referunt. *Quinta* est *Henschenii* & *Papebrochii*, qui ex Catalogis Romanorum Pontificum vetustis, quorum ratio in *Actis Sanctorum* Aprilis prolixe recensetur, vitas illas depromptas arbitrantur. *Sexta Petri Lambecii*, qui Tomo 2. *Bibliotheca Vindobonensis* statuit, primam historiae de vitis Romanorum Pontificum originem, non tantum S. Damaso multo antiquiorem esse, verum etiam inde à prima Notariorum Romanae sedis institutione, quae per Clementem I. facta sit, derivandam esse. Tunc enim Vitas Romanorum Pontificum instar Catalogi alicujus simplicis, scribi coepisse ait, quo compendiose indicaretur cujusque nomen, patria, parentes, Pontificatus tempus, ordinationes, constitutiones, obitus denique & sepultura. Quibus postea, cum Ecclesiae splendor & opulentia succrevit, extructiones, instaurationes & templorum exornationes, cum speciali recensione sacrae supellectilis & variarum donationum accesserint. Ejusmodi Catalogum diversis temporibus & à diversis authoribus compositum, ordine tamen & stylo sibi haud dissimilem, Lambecius in tabulario Basilicae Vaticanae usque ad Pontificatum Damasi latuisse asserit, qui ab Hieronymo monitus curaverit, ut Acta Romanorum Pontificum ex tabulis Vaticanis descripta, Roma Hierosolymam mitterentur. Quantum autem historiae illius continuationem post mortem Damasi attinet, eam Lambecius à diversis Romanae Ecclesiae Bibliothecariis, inter quos omnium celeberrimus Anastasius fuerit, compositam judicat. *Septimo loco* exponitur, quid in Henschenii & Papebrochii sententia desideravetit Dn. *Emmanuel Schelstraat*, qui inter alia Epistolam Hieronymi & responsionem Damasi, quae Vitis Pontificum vulgo praefigi solent, suppositas esse probat: cujus argumenta tantum apud Papebrochium ejusque socios valuerunt, ut quae de Epistolis illis in Diatriba praeliminari ad Acta Sanctorum Aprilis scripta fuerant, in *Propylaeo* ad Acta Sanctorum Maji retractare non erubuerint, ubi controversia illa de Catalogis Romanorum Pontificum, iterum prolixe ad examen revocatur. *Octavo & ultimo loco* producitur sententia *Fioravantii Martinelli*, qui in *Roma sua ex ethnica sacra* p. 409. editionis secundae, argumentis pluribus probat Anastasium non esse auctorem libri Pontificalis, asserens primam illius partem jussu Damasi consarcinatam, sed amanuensium inscitia vel malitia passim interpolatam: cum Pontificibus Damasi praedecessoribus multa tribuantur, quae quadringentis demum post Damasum annis conficta sunt. Post Damasi autem tempora, neminem praeter Petrum Gulielmum Bibliothecarium, & Pandulphum Lateranensem Ostiarium, Pontificum rebus gestis consignandis operam dedisse. Varia autem in Martinelli sententia Ciampinus reprehendit, quae ad nostrum argumentum nihil omnino faciunt.

Variis his opinionibus recensitis, stylum libri *Pontificalis* discutit, atque hic observat, phrasin in Vita Lini usurpatam, quem primum à Petro Pontificem fuisse scribit, candem etiam deprehendi in sequentibus vitis usque ad Liberium, sola Sylvestri vita excepta, quam caeteris prolixiorem, inconcinnam, & dictionibus quibusdam barbaris conspurcatam agnoscit. Vitam Liberii & sequentes usque ad Sylverium fluido stylo gaudere, à gestis autem Vigilii qui Sylverio successit, usque ad Martinum, planiorem & apertiorem stylum animadverti. Meliorem & floridiorem in Vita Martini & Eugenii simplicem iterum in Vita Vitaliani & sequentibus usque ad Canonem: ut quae de reliquis Pontificum vitis, eatumque vario stylo notat, silentio involvamus. Ad Nicolai I. vitam ubi pervenit, ut eam ab Anastasio scriptam probet, eandem cum aliis quibusdam Anastasii monumentis, ratione styli comparat. Eligit autem ex Anastasii monumentis non *Vitam Joannis Eleemosynarii*, cum eam ex Graeco idiomate latine reddiderit, neque etiam *Praefationem* Synodi octavae actis praemissam, cum ea ad Pontificem directa cultiorem solito & nitidiorem stylum poposcerit: sed duas tantum Epistolas, quarum stylum vitae Nicolai admodum conformem esse, pluribus indiciis ostendit. Postea Nicolai vitam cum Hadriani II. & Stephani VI. vitis conferens, etsi has *Baronius* ab Anastasio concinnatas judicaverit, contrariam tamen sententiam tueri minime dubitat, cum & styli diversitas alium auctorem probet, & insuper in Hadriani II. vita, Anastasius egregiis non semel laudibus ornetur, quod ab Anastasii humilitate & modestia alienum putat. Existimat igitur, Anastasium non esse auctorem vitae Hadriani II, quod Baronio placuit: nec Petrum Gulielmum Bibliothecarium, ut Panvinio visum est: Sed Zachatiam,

riam, quia Nicolao I. Constantinopolim legatus, sed Romam reversus, quia Photii partibus addictus fuerat, omnibus muneribus & bonis exspoliatus fuerat. Postea tamen ab Hadriano II. in pristinum statum restitutus, & ab ejusdem successore Johanne VIII. bibliothecarii munere condecoratus fuit. Hunc inquam Zachariam Hadriani II. vitam literis consignasse Ciampino tanto probabilius videtur, cum huic Pontifici ob dignitatis suæ restitutionem obstrictus fuerit. Nec sententiæ isti obstare putat, quod in hac Hadriani II. vita, Zachariæ depositio & degradatio narretur, quam ut sibi ignominiosam prætermissurum fuisse Zachariam verisimile videtur. Nam cum degradationis historiam restitutionis narratio statim excipiat, illam ignominiam Zachariæ parum obesse purat, utpote renovatis honoribus iterum extinctam. Causam vero, cur Anastasius Bibliothecarius vitas Hadriani II. & Stephani VI. non scripserit, hanc esse putat Ciampinus, quod sub Hadriani Pontificatu Constantinopolim ad octavam Synodum generalem missus fit, & post reditum suum, ut Acta Synodi è Græco in Latinum sermonem converteret, compulsus fuerit: hisque & aliis occupationibus detentus, ad vitam Hadriani II. aliorumque Pontificum ipsi succedentium vitas posteritati tradendas, animum applicare non potuerit. Quamobrem Ciampinus Nicolaum I. inter Pontifices, quorum vitas Anastasius descripsit, ultimum esse censet. Ad eos autem regrediens, qui ante Nicolaum I. Romanæ sedi præfuerunt, ad eundem etiam Anastasium auctorem *Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. & Benedicti III. vitas* pertinere existimat. Reliquas omnes aliis auctoribus, iisque diversis attribuit, quos ut plurimum Pontificibus quorum vitas descripserunt, coætaneos fuisse probat. Quod dum facit, obiter observat, à Vossio in tractatu *de Historicis Latinis* & Lambecio Libro 2. *Bibliotheca Cæsarea*, Anastasium Cardinalem tituli B. Marcelli cum Anastasio Bibliothecario perperam confundi. Hæc verbotenus nobis suggessit Dissertationi convenientia isti, Supplementum ad *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo I. anni 1692. Sectione 4. p. 167. 168. 169. 170. 171.

Agunt de *Anastasio Bibliothecario* Robertus Bellarminus in libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 858. pag. mihi 253. Labbeus in Dissertatione Historica. *De iisdem Scriptoribus* à Bellarmino recensitis, tomo 1. pag. 63. Antonius Possevinus tomo primo *Apparatus sacri*, qui pro indulto sibi errandi & multiplicandi unum hominem in duos aut tres privilegio, hunc Anastasium in tres dissecuit vel multiplicavit. Horum unus pag. 69. *Anastasius Abbas & Bibliothecarius Apostolicus*. Alter pag. 71. *Anastasius Romanus Monachus & Abbas Ordinis divi Benedicti*. Tertius eadem pagina, *Anastasius Romanus, Apostolica Bibliotheca instaurator &c.* Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 35. pag. 318. ultimæ editionis. Johannes Mabillon in suo *Itinere Literario Italico* parte 1. pag. 80. & sequentibus: quibus omnibus addendi Johannes Busæus & Carolus Annibal Fabratus, in Editionibus suis Anastasii, *de Vitis Romanorum Pontificum*. Fredericus Spanhemius in Disquisitione Historica *de Papa Fœmina*, innumeris in locis, de quibus postea latius loquemur.

CAPUT QUARTUM.

DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM, QUAS SUB FALSO NOMINE ANASTASII BIBLIOTHECARII, EDIDERUNT JOANNES BUSÆUS ET CAROLUS ANNIBAL FABROTUS, AC DE VITIIS ISTARUM EDITIONUM ENORMIBUS.

Diximus hujus Dissertationis cap. 2. atque abunde probavimus *Vitas Romanorum Pontificum* quæ sub Anastasii Abbatis & S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii nomine à Joanne Busæo Jesuita Moguntino anno 1602. Moguntiæ apud Joannem Albinum, in 4. editæ sunt, nullatenus ad ipsum pertinere. Idem quoque nobiscum & cum Eruditis omnibus, opinatus est Ciampinus hujus Dissertationis cap. 3. qui ex omni illo syntagmate de *Romanis Pontificibus*, Vitas antiquiores Scriptoribus ejusdem ætatis Anonymis attribuit; Anastasio autem Bibliothecario & Abbati Romano Vitas tantum quæ à Gregorio IV. usque ad Nicolaum primum excurrunt, Zachariæ autem alteri Bibliothecario, qui huic muneri post Anastasii Bibliothecarii mortem præfectus est ex delectu Joannis Papæ VIII. vel IX, *Vitas Hadriani II. & Stephani VI.* quæ hanc Syllogen claudunt. Cum vero juvet scire, quibus rationibus Busæus motus, editionem hanc novam susceperit, ideo hic rationes ejus ac verba referemus, Præfatione omni relata, quam non sine mysterio, Jesuita gloriæ cupidus, sub Joannis Albini typographi nomine, Operi Anastasiano supposito præmittendam voluit. Sic orditur itaque.

Habes hic tandem Amice lector, Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii *Historiam* jampridem à literaris optatam & desideratam *de Vitis Romanorum Pontificum*, inde à Beato Petro Apostolo, usque ad Nicolaum I. (qui anno à Deiparæ partu 867. è vivis excessit) conscriptam. Beneficium hoc integrum solidumque debemus nobilissimo doctissimoque viro D. Marco Welsero Augustanæ Reipublicæ Duumviro, qui è locuplete sua Bibliotheca sua exemplar hujus auctoris unum è Codice Vaticano descriptum & cum binis MSS. Codicibus collatum, benigne nobis

„bis ut Moguntiæ formulis exprimeretur, com„municare nuper dignatus est. Optandum „autem erat, ut non ante prælo committere„tur, quam cum variis MSS. ab erudito aliquo „viro sedulo collatus esset, & à mendis quibus „scatet, expurgatus: sed quia ad manum non „fuerunt, id tantum in hujus Operis editione „perfectum est, quod intra duorum triumve „mensium angustias, typographicis operis in „proximas vernales nundinas partum novum „molientibus, fieri potuit. Bina autem capi„ta occurrunt, de quibus Amice Lector, in „hoc Proloquio nostro, videbare commonefa„ciendus.

„Primum est de germano harum Vitarum „auctore, nec enim ignorare potes, in quæstio„nem apud eruditos vocari, sitne omnium il„larum auctor, noster Anastasius. Nam B. „Platina, Trithemius, Onuphrius, alii, arbi„trantur, omnium quæ in hoc Opere haben„tur, à B. Petro Apostolo usque ad B. Dama„sum, auctorem esse ipsum Damasum Pontifi„cem Romanum. At huic attribui non posse, „multa convincunt argumenta. Primum Bea„tus Hieronymus ad quem missæ à Platina di„cuntur, in suo illustrium virorum Catalogo, „hujus scripti non meminit: *Damasus* inquiens „ad Dextrum Prætorio Præfectum, *Romanæ Ur„bis Episcopus, elegans in versibus componendis in„genium habuit, multaque & brevia metro edidit, „& prope octogenarius sub Theodosio Principe mor„tuus est.* Deinde reclamat stylus, totaque „forma & series orationis. In Epistolis enim „quæ extant Beati Damasi, aliisque ejus mo„nimentis, phrasis culta est & nitida: in hoc „vero de *Pontificibus* opusculo, inculta rudis & „impolita. Ad hæc multa in hac Historia as„seruntur, à veritate aliena, quæ nullius gra„vis & prisci auctoris testimonio confirmari „possunt. Multi etiam chronographici lapsus, „nonnulla pugnantia & asystata. Quare Pa„pyrius Massonus vir doctissimus, in libris sex „*de Episcopis Urbis Romanæ* editis, existimat ab „alio potius Damaso Portuensi Episcopo, ad „quem ab Eusebio Cremonensi Hieronymi o„lim discipulo, Vita ejus scripta dicitur, edi„tam esse. In quam sententiam facile inclina„remus, si persuadere nobis possemus, illius „doctissimi seculi Scriptoribus, neque puriorem „sermonis cultum, neque reconditiorem do„ctrinam, quam in hoc Opere appareat, exti„tisse. Illustrissimus certe Cardinalis Baro„nius ob crebras libri anrilogias, quas nomina„tim de Consulum Romanorum annis, Anna„lium Ecclesiasticorum Tomo primo in *Lino „Papa* demonstrat, tantum abest ut Beatum „Damasum credat esse ejus auctorem & pa„trem: ut etiam suspicetur à pluribus, nimi„rum duobus Scriptoribus, esse consarcina„tum. Verum quia stylus totaque scribendi „ratio, ordo & methodus omnium Vitarum, „quæ post Beati Damasi vitam in hoc Codice extant, omnino consentire videtur cum phra„si universaque scribendi ratione, quæ est in vi„tis prioribus Damaso hactenus inscriptis, uti„ quivis non obesæ naris lector facile odorari„ & advertere poterit: prorsus in eam senten„tiam inclinamus, omnium illarum (licet non„nullis in locis adulterina aliorum adjectione„ vel detractione, ob summam superiorum se„culorum inscitiam depravatæ sint) verum &„ germanum parentem esse Anastasium S. R. E.„ Bibliothecarium, quare & ejus nomenclatu„ra totum opus ornare non dubitavimus.„ Quod autem Vitæ quæ post Beatum Dama„sum in hoc opere sunt, exceptis duabus po„stremis, quæ Guillelmo Bibliothecario tribu„untur, Anastasium vendicent auctorem, extra„ controversiam est. Sie enim scribit Onu„phrius in Platinam *Annotatione prima* ad divi„ Petri Vitam, *B. Platina* &c. Et alibi *Annota„tione* ad Nicolai I. vitam: *Ad hunc* inquit *u„que Nicolaum, Romanorum Pontificum Vitas„ scripsit Anastasius Monachus, S. R. E. Bibliotheca„rius, sub quo & ejus Successoribus Hadriano II. &„ Johanne VIII. in Urbe floruit. Quæ sequuntur,„ concinnavit Guilielmus quidam alter Bibliotheca„rius, qua in libro qui sub Damasi nomine circum„fertur, extant.* Quod autem post Hadriani II.„ vitam, omissæ sint trium Pontificum, qui in„ter ipsum & Stephanum VI. intercesserunt, Vitæ, id non alia de causa contigisse, recte su„spicatur ante nominatus D. Welserus, quam„ librarii incuria, qui similitudine nominum Ha„drianus II. & III. deceptus, non ejus Pontifi„cis Vitam descripsit qui secundum, sed qui„ tertium Hadrianum insequebatur. Extare„ autem illorum trium intercessorum vitas, „ aliasque plures auctore Guilielmo Bibliothe„cario, jam testem Panvinium audivimus.„ Hæc Joannes Busæus de *Vitis Romanorum Pontificum* ejusque Scriptore, ubi diserte supponit, quod ipsi cum Onuphrio atque Baronio probandum incubuit. Jam alteram hujus Præfationis partem ipsis Busæi verbis subjiciamus.

Venio jam ad alterum caput, in quo Bene„vole lector, certior reddendus es, quid Novi„ typographicæ hujus editionis beneficio, Ana„stasiano operi accesserit. Accessere nimirum„ omnia, quæ inter singulorum Pontificum Vi„tas, vel ad marginem annotata sunt. Pon„tificum nempe numerus, anni Christi, Impe„ratorum tam Orientalium quam Occidentali„um, & Consulum Romanorum, quos ex An„nalibus Ecclesiasticis Baronii & Chronico O„nuphrii descripsimus. Deinde loci quidam„ ab eodem Baronio fusius in novem Tomis ex„plicati. Demum variæ lectiones, quarum„ quædam jam ante MS. exemplari inerant,„ quod diximus cum binis minimum MSS. Co„dicibus fuisse collatum, & notantur fere so„lo asterisco *. Aliæ vero ex duobus Conci„liorum tomis Surianæ editionis, vel ex An„na-

„nalibus Baronianis, in quibus verba Anastasii „passim in singulis Pontificibus, paucis prætermissis citantur, sunt desumptæ: quarum „priores litteta C, posteriores littera B indicantur. Quo loco notandum est, quamplurimotum Romanorum Pontificum Vitas, licet „non omnes, uti in hoc opere descriptæ sunt, „in Conciliorum Tomis contineri. Deinde „Baronianam lectionem magis nobis probari, „quam illam Conciliorum: eo quod is affirmet „se vetustissimotum quotumque Exemplarium „scripturam esse fecutum. Quoties vero annorum, mensium, dierumque, quibus Pontifices sederunt, chronologia ex propria Baronii sententia, ab omnibus Anastasii exemplaribus discrepare annotata est: eam diverso „charactere signandam cutavimus, hoc est: „eo quo alia omnia, quæ extra variam contextus lectionem inciderunt, signata fuere. „*In ipso quidem contextu nihil admodum mutavimus, nihil detmximus vel addidimus, nisi quod librarii incuria videbatur prætermissum, vel perperam exscriptum. Nihil loco movimus, præter barbarismos & solæcismos quosdam fœdiores, qui citra cachinnum legi non potemnt: ea in re secuti exemplum non solum Baronii, verum etiam eorum, qui jam olim pleraque vitas in Conciliorum Tomos retulerunt.* Accedit quod MSS. Exempla, „ad quæ in Vrbe collatio facta est, crebro puriorem sanioremque lectionem demonstrarint. Id vero diffitendum non est, haud semel tam scopulosa salebrosaque loca in hoc „Exemplari occurrisse, ut spes post diuturnam „luctam, nulla fuerit ex eis emergendi. Quid „vcro faceremus? Relinqueremus omnia, ut „ante fuerant, aspera atque inaccessa? Minime „videbatur. Id ergo omni studio in summa „tempotis angustia contendimus, ut servata „similitudine literarum, aliqua saltem ex scopulis & anfractibus pateret via, hoc est, ut aliquem tolerabilem sensum exsculperemus. „Cæterum duo hic superesse video, quæ tuos, „Amice Lector, oculos, auresque, in hujus novi fœtus editione offendere possint. Alterum est, mendarum & erratorum reliquias, „quas neque paucas neque exiguas, ubi lucem „aspexerit, veremur superfuturas. Verum „quia aliorum Manuscriptorum supplemento, „& diuturnioris usura temporis deserti, oblitterare illa non potuimus, prorsus confidimus, „veniæ locum apud te nos inventuros. Quippe cum aliud hac editione non fuerit nobis „propositum, quam Anastasii Historiam quomodocunque affectam, tandem in publicum „divulgare, & novi scriptoris accessione litteratorum locupletare bibliothecas. Sed nec „defuturos speramus alios, qui abundantes „otio & exemplarium emendatiorum copia, „accuratiore studio omnes hujus Auctoris corruptelas & lacunas sint suppleturi. Alterum est, rudis & agrestis Anastasii nostri stylus. At duplici nomine veniam ille meretur. Semel, quod in illud seculum inciderit," quo doctissimi censebantur, qui vel solam calluerent Grammaticam. Constat enim Anastasii ævo, etiam Episcopos in tradendis Grammaticæ præceptionibus operam suam locavisse. Iterum, quod ruditatem simplicitatemque sermonis abunde compenset, Auctoris in scribendo insignis fides. Nullum siquidem istius temporis fideliorem melioremque Anastasio, ut Baronius quoque notavit, scriptorem habemus. Nimirum ut in arbore non folia, sed fructus quærendi; & in pecunia, non monetæ percussio, sed materies proba: sic in bono Historico non lingua, sed pectus; non verborum fucus, sed lux veritatis spectanda est. *Quis enim nescit*, inquit apud M. Tullium in altero de Oratore libro Antonius, *primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne quid veri non andeat, ne qua suspicio gratia sit in scribendo, ne qua simultatis?* Verum jam tempus est, ut quæ jam olim fuerint de Anastasio nostro, Doctorum hominum judicia & εὐλόγια subjiciamus."

Jam ad enormia hujus Moguntinæ editionis vitia veniamus. Primum omnium & enorme vitium, quod primus *Vitas istas Pontificum Romanorum* nomine Anastasii Abbatis & S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii, Joannes Bulæus inscripserit. Nullam hujusce faciendi rationem aliam habuit, quam Onuphrii Panvinii & Cæsaris Baronii auctoritatem, quam cœco modo amplexus est, ut in Præfatione editionis parte I. testatur. Cum autem conjecturas utriusque scriptoris vanas & inanes multo verborum ornatu Jesuita attulerit, *Prorsus in eam sententiam inclinamus omnium Vitarum verum & germanum parentem, esse Anastasium S. R. Ecclesiæ Bibliothecarium, quare & ejus nomenclatum totum opus ornare non dubitavimus. Quod autem Vitæ quæ post beatum Damasum in hoc opere sunt, exceptis duabus postremis, quæ Guillelmo Bibliothecario tribuuntur, Anastasium vendicent auctorem, extra controversiam est.* Mira Joannis Busæi impudentia simul & ignorantia est. Nihil falsius est, quam Anastasium Bibliothecarium esse Vitarum istarum auctorem. Hoc probavimus argumentis invictis hujus Dissertationis cap. 2. itemque contra Busæum Ciampinius, à nobis cap. 3. ejusdem allatus. Idem quoque postea latius adhuc probaturi sumus ad annum 890. in Dissertatione *de Vita, moribus & scriptis Damasi Portuensis Episcopi*, qui postea formosus Papa dictus est, capitibus 6. & 7. ad quæ lectorem mittimus. Quod prodigiosum est, ex triginta MSS. Codicibus, quorum partem vidi, alteram per amicos examinandam curavi, in Bibliothecis Europæ totius insignioribus, ne unus quidem Codex qui nomen Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii habeat, nisi recenter à Jesuita aliquo exscriptus fuerit. Omnes universim vel simpliciter titulum *Pontificalis Urbis Romæ*, vel nomen *Damasi Papæ* obtinent. Id quod

quod etiam de MSS. quinque Codicibus Vaticanis, Onuphrius Panvinius contra Jesuiticam impudentiam ingenue confitetur, qui illos in manibus habuit, Annotatione ad *Vitam Joannis VIII. seu fœminæ* à Platina scriptam, ubi hæc habet. *Insuper in vetustis quinque Damasii Bibliothecarii* (lege *Papæ*) *& Pandulphi Pisani Vitarum libris, nulla hujus fœminæ mentio est. sed in margine inter Leonem IV. & Benedictum III. alienis characteribus, ab exemplaribus vetustis longe differentibus, hujus rei fabula à posteriori auctore est addita.* En testem oculatum, Romæ agentem, contra Jesuiticam audaciam, quæ Vitas Romanorum Pontificum contra MSS. omnium fidem sub Anastasii S. R. E. bibliothecarii nomine in lucem edere non erubuit.

Secundum hujus editionis Moguntinæ vitium, quod Epistolas duas *Pontificali Urbis Romæ*, unam Hieronymi nomine ad Papam Damasum, alteram Damasi Papæ ad Hieronymum respondentem, præmissas, Jesuita infidus, contra fidem Manuscriptorum hujus Operis omnium, consulto omiserit. Damnabant enim illæ audaciam Jesuitæ, opusque abjudicabant Anastasio illi Pseudoparenti. Epistolæ istæ, in omnibus MSS. Codicibus omnium bibliothecarum, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Belgii extant, ut ignorare illas Busæus non potuerit, cum & illarum mentionem sub initium lectionum variantium faciat. Ex malitia igitur, non id ex oblivione factum: quia præmissæ illæ Operi, lectores retardassent, ne Anastasii Bibliothecarii lucubrationem esse crederent. Meliori fide usus est Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis ad Volumen CCLXXVII. Bibliothecæ Ambrosianæ cap. 8. pag. 924. ad 928. his verbis. Volumen membranaceum „pervetustum magnique pretii in 4. Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ, quo continetur „Historia Romanorum Pontificum, quæ vulgo „quidem attribuitur *Anastasio S. R. Ecclesiæ Bibliothecario*, in hoc autem & in alii quatuor „Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus „MSS. *Sancto Damaso Papæ* adscribitur, nempe „propter duas præfationis loco illi præfixas „Epistolas, quarum exemplar hic exhibeo &c. Eodem modo ac titulo reperiuntur hæ *Vitæ Romanorum Pontificum* in MSS. Codicibus variis Galliæ, in Bibliothecis Augusti Thuani, Regia, Mazarini, in duobus Codicibus Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici, ut inspicientibus paruit nobis. Eodemque modo ac sancti Damasi Papæ nomine, in MSS. Codicibus sex Bibliothecæ nostræ Lugduno batavæ, ut ex Catalogo illius impresso anno 1674. in 4. constat, atque Spanhemio Bibliothecario illos recensenti, ad oculum constitit. Summæ igitur temeritatis & audaciæ Joannes Busæus fuit, quod contempta omnium MSS. Codicum etiam Vaticanorum inscriptione & fide, inscripserit hanc editionem Anastasio Abbati & S. R. Ecclesiæ Bibliothecario, ob leves ac falsas tam Onuphrii Panvinii, quam Cæsaris Baronii hominis in sua opinione inconstantissimi conjecturas: nullusque sanæ mentis fuerit, qui non ob hanc animi levitatem, dictam Joannis Busæi Jesuitæ Moguntinam Editionem contempserit.

Tertium hujus editionis Moguntinæ vitium, quod *barbarismos & solæcismos quosdam*, licet non omnes correxerit. Audiamus ipsa Joannis Busæi, in Præfatione verba. *In ipso quidem contextu nihil admodum mutavimus, nihil detraximus vel addidimus, nisi quod librarii incuria, videbatur prætermissum, vel perperam exscriptum. Nihil loco movimus præter barbarismos & solæcismos quosdam fœdiores, qui citra cachinnum legi non poterant: ea in re secuti exemplum Baronii non solum, verum etiam eorum, qui jam olim plerasque vitas in Conciliorum Tomos retulerunt.* Ex hac Busæi confessione, *immutavit, detraxit, addidit, ubi librariorum incuria aliquid prætermissum vel perperam exscriptum*, Jesuita Busæus. Quis autem Jesuitæ affirmanti fidem habeat, cum ex Privilegio & quarto voto quo Societas Jesu promittit obedientiam Romano Pontifici, arbitrentur sibi esse licitum imo mentiri meritorium, dummodo *mendacium sit in gratiam Romanæ Ecclesiæ, atque ad majorem Dei gloriam?* Ex hac Busæi confessione, innumeras ab ipso factos immutationes, detractiones vel additiones, credere par est, ad quas ex librariorum incuria adactum se semper excusabit. Quamvis autem se *barbarismos & solæcismos quosdam fœdiores, qui extra cachinnum legi non poterant*, se correxisse fateatur: non omnes tamen correxit barbarismos neque solæcismos hujus Operis barbari & incompti. Nam Antonius Dadinus Alteserra juris utriusque Professor & Decanus Universitatis Tolosanæ, edendas curavit Parisiis in 4. anno 1680. apud Ludovicum Billaine, *Notas & observationes in Anastasium de Vitis Romanorum Pontificum*, quibus insigni cura collectis, plusquam quadringentos barbarismos vel phrases barbaras ac semilatinas vel semigræcas corrigit, quas Jesuita Busæus per incuriam omiserat. Nec ullus unquam Opus istud *de Vitis Romanorum Pontificum* correctum ac Latinum reddere potuisset, nisi totum immutasset, atque aliud prorsus ab Anastasiano opere in lucem eduxisset. Nec desunt etiam *fœdiores solæcismi, qui risum moveant*, atque ostendant prorsus hebetem fuisse Jesuitam Busæum, dum opus istud Anastasio Abbati & S. R. E. Bibliothecario homini in Latinis ac Græcis cultissimo, imprudenter contra fidem MSS. omnium adscripserit. Nam in Stephano I. habet, *Hic constituit Sacerdotes & Levitas, vestes sacratas in usu quotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantum.* In Sylvestro, *Hic in exilio fuit in montem Soracten.* Ibidem ubi de donis, *Amas argenteas duas, pensantes singula libras denas.* In Leone III. ubi de donis, *In Monasterio S. Andreæ, qui ponitur in*

cliva Scauri. In Leone IV, *omnes qui aderant huic celebr. tati, plures argenteos erogavit.* Hinc Busæus, quod multa in hac editione corrupta & ipsi inaccessa fuissent conscius, in Præfatione eadem inquit: *Id vero diffitendum non est, haud semel tam scopulosa salebrosaque loca in hoc Exemplari occurrisse, ut spes post diuturnam luctam, nulla fuerit ex eis emergendi. Quid ergo faceremus? Relinqueremus omnia, ut ante fecerunt, aspera & inaccessa? minime videbatur &c. Sed nec defuturos speramus alios, qui abundantes otio & exemplarium emendatiorum copia, accuratiore studio, omnes hujus Aucteris corruptelas & lacunas sint suppleturi.*

Quartum editionis hujus vitium, quod Vitas istas Romanorum Pontificum usque ad Nicolaum I. duntaxat, Anastasio Abbati & S. R. Ecclesiæ Bibliothecario tribuat: finem operis nempe Vitas Hadriani II. & Stephani VI. Guilielmo alteri S. R. E. Bibliothecario, contra Baronii mentem & verba, quem tamen se sequi in omnibus profitetur. Guillelmus hic Bibliothecarius scriptor imaginarius, est, qui nunquam in rerum natura fuit, quamvis illum Onuphrius Panvinius ac Baronius multis in locis adoptaverint. At quisquis attentione vel modica Vitas istas legerit & cum anterioribus Leonis IV, Benedicti III. & Nicolai contulerit, eundem ætatis hujus omnium scriptorem nullo negotio fatebitur. Qui enim Guillelmum has Vitas ultimas Hadriani II. & Stephani VI. scripsisse volunt, hunc Vitas istas ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. composuisse scribunt, hoc est ad annum Christi MLXII, quo ducentis fere annis ætate ista recentior est. Has ipsas Vitas Hadriani II. & Stephani VI. Anastasio eidem Baronius attribuit in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 872. num. 1. *Res autem ab Hadriano II. gesta, descripta ab Anastasio, fine carent.* Et de Stephano VI. postea ad annum 886. num. 41, *Anastasius Bibliothecarius Stephani VI res gestas conscripsit, sed eadem nobis haud integra conservata, quæ decurtata in multis habentur.*

Quintum vitium, quod editio ista à Busæo facta fuerit ad fidem MS. Codicis Marci Welseri Reipublicæ Augustanæ Duumviri, qui ad Codices duntaxat duos Vaticanæ bibliothecæ collatus sit. Constat autem Manuscriptos Codices Vaticanos & Italos fuisse corruptos, ideoque minus idoneos, ad Anastasii operis editionem adornandam. Hoc ipsum agnoscit Busæus Jesuita editor, in Præfatione editionis suæ, *Vitas Anastasii nonnullis in locis adulterinas aliorum adjectione vel detractione, ob summam superiorum seculorum inscitiam depravatas fuisse.* Et fassus postea in *Confutatione fabulæ Papissæ* Leo Allatius Chius, parte VIII. *Unusquisque*, ut in Martiniano Chronico sic in aliis, *quæ ipse digna memoria judicabat, addidit; erasit quæ sibi indigna lectu videbantur.* Quo factum est, ut suppleverint alii in margine, quod in contextu deesse cognoscerent. Hinc Onuphrius Annotatione ad Vitam Joannis VIII. fœminæ à Platina scriptam, subdit de MSS. Codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, *in vetustis quinque Damasi Bibliothecaris & Pandulphi Pisani libris Vitarum Romanorum Pontificum, additam fuisse in margine, alienis characteribus, à posteriore auctore, Joannæ Papissæ fabulam.* Sed hinc certo colligimus MSS. Vaticanos Codices esse recentissimos, cùm in MSS. Codicibus Gallis Regio, Mazarini ac duobus aliis Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici, hæc *Historia Joannis VIII. fœminei*, non in margine, sed in contextu ipso Pontificalis urbis Romæ sub Damasi nomine inscripti, ut his qui Codices istos contulerunt patuit, habeatur. Corruptionem vero & interpolationem MSS. Codicum bibliothecæ Vaticanæ per adjectiones ac detractiones plurimas, aliasque mutationes, testantur non unus homo, sed eruditi plurimi, etiam Pontificii, qui contra Joannæ Papissæ historiam, labores etiam suos obtulerunt. Primus sit Joannes Launoïus Parisinus Theologus, licet Joannæ Papissæ ex professo adversarius, quo nemo liberius perstrinxerit hujus Operis *lacunas*, *mendas* & falsatum datâ operâ contextum. Ita in Collectione Epistolarum editionis Cantabrigiensis in folio, Epistolarum parte VIII. pag. 732. in Epistola ad Johannem Gerbasium. *Qui opus Anastasii de Vitis Romanorum Pontificum transcripserunt, aut typis mandare curarunt, cum vox PRÆSIDENTE sibi incommodaret, ab eam litteram P sustulerunt*, & reliqua. Ibidem in Epistola ad Raimundum Ferrentinum, quæ extat parte VII. pag. 669. *Hic certa duo sunt, unum est Anastasii librum de Vitis Pontificum, emendatione & ad priscos Codices manuscriptos recensione penitus indigere, quia passim lacunis & mendis adspergitur & inobscuratur.* Idem David Blondellus in Anacrisi *de Joanna Papissa* pag. 45. ingenuè agnoscit, licet Historiam Papissæ neget: *Nullos fere nisi à fine mutilos, utpote in Leonis IV. elogium desinentes, Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, Belgium, Manuscriptos Anastasii Codices habere recenditos.* Claudius Saravius vir clarissimus ac Parlamenti Parisiensis Consiliarius, Calvinianæ communionis alumnus, qui quamvis cum Blondello sentiret, *Historiam Joannis VIII. feminæ esse fabulam*, in Epistola ad Claudium Salmasium anno 1645. 29. Septembris data, hanc quoque de Manuscriptis Vaticanis corruptis & interpolatis, ex quibus Jesuita Busæus éditionem Moguntinam anno 1602. aggressus est, sententiam amplectitur, pag. 173. his verbis. *In Epistola dedicatoria ad Welserum Typographus Joannes Albinus* (debuerat dicere, Jesuita Joannes Busæus) *alios duos locos citat, ex Vita Nicolai I. & Hadriani II, qui in ejus editione extant pag. 306. & 329. quibus idem omnino evincatur, Leoni nempe IV. immediate successisse Benedictum. At in nostro MS. non comparent, contractior quippe est narratio Gestorum istorum Pontificum*

cum in scripto quam inedito. Hac volui nescius ne esses. Imo non tantum in MS. Codice Regio, sed etiam in altero Mazarini, & Gabrielis Naudæi duobus aliis desiderantur. Idem testatur ibidem, *Regium Codicem in membrana scriptum esse manu valde recenti, utpote qui Paparum Vitas ad usque Martini V. tempora deduxerit. In principio satis bene illi convenit cum editione Moguntina anni 1602. ex Marci Welseri codice procurata: in sequentibus multa reperiuntur varietates, & habet plurima editus, qua in Regio desiderantur.* Denique Petrus Lambecius ex Lutherano Papista factus, ut Bibliothecarii Imperatoris dignitatem nancisceretur, eandem MSS. Codicum novitatem, corruptionem & interpolationem agnoscit Tomo VI. *Commentariorum Bibliotheca Casarea Vindobona* Epistola XXI. pag. 270, quam à Luca Holstenio ex MSS. aliis corrigendam & conferendam habuit, qui Romæ positus, Vaticanos Codices maxime incertos ac inconstantes animadverterat. *In Anastasio conferendo, si vetus & probum exemplar operam exactiorem mereatur, minutias omnes exequi nolim: sed Gracanica illa & mixo barbara potissimum inspice, si qua lux istis tenebris parari possit. Tum vero ea qua in Italicis Codicibus desiderantur, quam potes diligentissime excerpe, & lacunas qua opus deturpant, exple.* Hæc Holstenius Romæ pridie Kalendas Octobres 1647. ad Lambecium nepotem suum.

CAPUT QUINTUM.

QUIBUS RATIONIBUS PONTIFICALE DAMASI PAPÆ, SEU VITAS ROMANORUM PONTIFICUM, ANASTASIO S. R. E. BIBLIOTHECARIO SPANHEMIUS ABROGANDAS CENSEAT.

EDidit a. 1691. Frederic. Spanhemius Primariæ Academiæ Lugduno-Batavæ Theologiæ atque Historiæ Ecclesiasticæ Professor, *Disquisitionem Historicam de Papa famina* doctissimam, Lugduni-Batavorum in 8. impressam, in qua omnia quæ de hac Historia dici possunt, amplissimè & accuratissimè paragraphis seu Numeris LXXXIII. complexus est. Potissimè autem discussit quæstionem: Utrum Anastasius Romanus Abbas & S. R. E. Bibliothecarius esset auctor Libri *de Vitis Romanorum Pontificum*, diligentià tantà ut scribi accuratius nihil possit, cujus tibi rationes & verba hoc capite velut amanuensis illius olim mihi amicissimi depingam. Sic autem §. LVII. p. 270:

„Nunc de *Anastasio* Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario, hoc est Cancellario, dicendum superest: qui & Monachus & Abbas dici consuevit, etiam apud Photium Epist. 170. πρεσβύτερος, vulgo scriptor Historiæ quæ *de vitis Romanorum Pontificum* inscribitur. Floruisse eum jam sub *Leone IV.* cui à secretis fuerit, & successuris aliquot Pontificibus, urgent precario Adversarii Joannæ. Et quod habet Onuphrius ad Platinam pag. 126. *referre ipsummet* Anastasium, *se creationibus Sergii II. Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. Hadriani II. & Joannis VIII. interfuisse*, in Anastasio hocce hodierno minime legimus. Johannes Launoïus verius Epistolarum parte 3. Epistola 11. pag. 170. ad Michaelem Morollium, *floruisse Hadriano II. & Johanne VIII. Pontificibus.* Petrus Lambecius in Commentario *de Bibliotheca Casarea* lib. 2. pag. 277. *floruisse sub Papa Nicolao I. Hadriano II. & Johanne VIII.* Sane Hadriano II. inscripsit versionem Synodi Anti-Photianæ, vulgo *octava*, cujus extremis anno DCCCLXIX. interfuit, Constantinopolim eo anno ablegatus ad Basilium Macedonem, à Ludovico II. Imperatore, in *causa nuptialis commercii* (sic ille) procurandi inter Filium Imperatoris Basilii & Ludovici Augusti Filiam. Addunt hunc ipsum Anastasium, creationis Papalis non unius testem, interfuisse speciatim illi Benedicti III. mox ab excessu Leonis IV. ex verbis, *Missi quoque qui Imperatori nostrum decretum de benignissima electione Benedicti porrexerant.* Talem igitur esse, qui nonnisi perspecta & animadversa literis mandaverit, nec in rebus hujus temporis memorandis *mala fidei accusari possit*, ut idem Launoïus, in Epistola ad Carolum Mauricium Tellerium, Epistolarum parte IV. pag. 155. Atque ex uno illo Anastasio Doctor hic Parisinus, ne jam Onuphrium, Baronium, ac cæteros dicam, censet *mulieris Pontificatum fictum palam, & in omnium oculis defigi.* Idem Paragr. LX. pag. 279. Cur vero Anastasio Bibliothecario, qui sub Hadriano II. & Johanne IX. potissimum floruerit, eas Vitas abjudicem, certe cur ambiguus mihi sit auctor, hæ me rationes movent.

1. Quod nec Guilielmus Bibliothecarius qui censetur Continuator, nec Sigebertus in Chronico, aut in Scriptoribus Ecclesiasticis, nec Trithemius ubi de Scriptoribus iisdem, nec Platina in Johanne IX. sub quo *in pretio fuisse Anastasium* dicit, dum alias Versionum Scriptorumque hujus Anastasii cum laude meminerunt, ullam hujus Operis Anastasiani *de Vitis Romanorum Pontificum* mentionem injecerint. Imò verò Platina in *Prafatione*, unum *Damasum si exciperet*, qui anno CCCLXVII. sedit, nec scribere potuit nisi ad suam ætatem: alios omnes qui de Vitis Pontificum commentati, *nullum* ait florem orationis, nullam compositionem & elegantiam secutos, non de industrià ornatum fugientes, sed inscitià & ignorantià literarum. Quod in præfatum Anastasium R. Ecclesiæ Bibliothecarium minime quadret. Unde de Auctore litigatum, aliis unum, aliis plures hujus Operis consarcinatores arbitratis, & inter eos Cæsare Baronio. In multis Codicibus simpliciter intitulatum, quanquam absurdè, *Damasi Papæ*

de Gestis Pontificum. In Vita Gelasii II. qui Paschali II. successit, *Pandulphus Pisanus* affirmavit se ista scripsisse, *ut habentur hodieque*, quod *de toto Opere intelligi posse usque ad sua tempora*, alicubi in Notis. Fabrotus observat, editionis Regiæ pag. 252. Petrus Lambecius ex precaria hypothesi absurdissime, cum pace tanti viri dixerim, tribuit primum *Notariis sedis Apostolica, ex Sancti Papa Clementis institutione*, deinde *studio Sedis ejusdem* paulatim fuisse Opus conflatum *à Romanæ Ecclesiæ Tabulariis, seu Archivi Vaticani Præfectis*, dum in Laterano habitarent Pontifices, *continuaturo* post tempora Ludovici Pii *Anastasio Bibliothecario*, & pari quidem styli barbarie. Certe abrogant huic Anastasio MSS. Codices *antequam natus esset Anastasius* exarati, vel antequam emersisset, puta tempore Caroli Magni & Ludovici Pii, ut à Philippo Labbeo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in Damaso, à Petro Lambecio Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis libro II. cap. VIII. pag. 927. & ab aliis observatum. Quo factum est, ut Codices nonnulli *Historiam in Paulo Papa*, qui Anno DCCLVII. successit *terminent*, qualiter Palatinus alter, testibus Moguntinis editoribus: alii *pertingant tantum usque ad Papam Stephanum II. vel Stephanum III.* qui Paulum antecessit, ut refert de Ambrosiano Codice præfatus Lambecius Tomo 2. Commentariorum, loco citato. Accedat Codex *Pontificalis Damasi* ut inscribitur, ævi Carolini, membranaceus *nec dentibus ævi vitiatus*, inter MSS. Codices Vossianos Num. 195. ex Bibliotheca *S. Remigii Remensis* Vol. LXIX, qui omnino cum Vita Stephani III. ante Paulum I. desinit, ut finis respondeat paginæ 127. editionis Moguntinæ. Idemque Codex ab editis, inde à S. Petro Apostolo, ex datis speciminibus in nostra Collatione Chronologica, in quamplurimis discrepans. Adeo ut nonnisi Pontificum Vitas paucissimorum addere Anastasius potuerit, dum Codex Thuaneus & tot alii terminantur in Leone IV. nec integro; dum Codex Freheri major desideravit Benedictum III: aliis cum Onuphrio Panvinio, Anastasium tantum *usque ad Nicolaum I.* produxisse Pontificum Vitas existimantibus, Baronius autem ad annum 886. num. 41, sed quâ solet affirmandi fiduciâ, etiam *Stephani VI. Papæ res gestas conscripsisse Bibliothecarium*, non semel statuit; scribentem ita sub formoso, aut serius. Quod vero totum Opus recognitum fuisse ab Anastasio scripsere alii, nonnisi quædam istorum conjectura est, ob appositum Codicibus Vaticanis, & si quibus aliis, Anastasii nomen.

Hoc excidit Spanhemio non cogitanti scribere, *Vaticanis Codicibus nomen Anastasii adpositum fuisse*: quod verum non est, atque ex Onuphrio Panvinio constat Vaticanos MSS. Codices V. extare sub *Damasi Papa & Pandulphi Pisoni nominibus*, ut idem habet Onuphrius Annotatione in Vitam Joannis Fœminæ à Platina scriptam. Nullus ex XXX. MSS. Codicibus quos in Bibliothecis variis novi, nomen Anastasii Bibliothecarii habet: ac Busæus qui primus hoc Opus sub ejus nomine edendum curavit, nullam suæ novitatis confirmationem ex MS. ullo Codice produxit.

2. Nunquam hujusce Operis sui recordari Bibliothecarium accedit, qui Versionum suarum, suorumque Excerptorum alias meminit, uti in *Epistola ad Johannem Diaconum* quam Sirmondus edidit in Opusculis. Imò qui Honorii causam egit magno studio, ut ex ejus *Collectaneis* apparet, quæ ad *Hæresim Monothelitarum* spectant, & à calumniatoribus iniquissime damnatum eum Pontificem censuit, debuisset in *Vita Honorii* inseruisse mentionem aliquam natæ Hæreseos, ac falso eidem Honorio imputatæ, ut prolixe istius meminit *Vita Agathonis* scriptor. Nihil autem hujusmodi in ea Vita Honorii, quæ inter Anastasianas relata est. Nec quæ habentur in *Vita Leonis II.* esse Anastasii, diserte habet Franciscus Combefisius in Dissertatione *pro Actis Sextæ Synodi* cap. 3. *Vox illa* nuper *satis arguit, quod supra ex stylo deprehendimus, esse hunc alium auctorem ab Anastasio: haud quippe ita vicinus fuit VI. Synodo, ut hoc modo loqui posset.*

3. Movet laus insignis qua Bibliothecarium præfatum omnes exornant, tanquam virum *in utrâque linguâ eloquentissimum*: sic Guilielmus Bibliothecarius *Græco & Latino peritissimum eloquio*, sic Trithemius *sane in utraque lingua doctum*, sic Platina, & ex his reliqui. Quo factum ut tot illi Versiones, *è Græco sermone in Latinum eloquium* ea ætas extorserit, cui *sufficeret jam ab aliis rustica salee collegisse, & ad aream Latinitatis fideli humero transvexisse*: ut de se ipse Anastasius Epistola ad Johannem Diaconum, latinior longe & alias, quam est Historia quæ ejus nomine inscribitur. Arguit enim Auctorem plane barbarum, inconditum, rudem bonarum artium, barbarismis & solœcismis delectatum: *opus cacatæ chartæ bardum & ridiculum*, dixit Richardus Montacutius ad Epistolam Photii 170. in Notis. Adeo vix quicquam in eo dignum tali Anastasio, seu stylum seu res ipsas spectes, seu etiam conferas cum Scriptoribus hujus ævi, Rabano Moguntino, Servato Lupo, Hincmaro, Adone, aliisque; quin & cum sequentis ætatis aliquot Historicis, quos inter castigatior Luitprandus, nec tamen is Libri *de Vitis Romanorum Pontificum* auctor. Dixerint Editores Moguntini, *In hoc de Pontificibus Opusculo phrasis inculta, rudis & impolita: ad hæc multa in hac Historia asseruntur à veritate aliena, quæ nullius gravis & prisci Auctoris testimonio confirmari possunt*: quæ nec *sermonis* cultum nec rerum *doctrinam* habent. Neque testibus opus, solà apertione lectioneque inficetæ chartæ, *citra cachinnum* quandoque non legendæ ob *solœcismos, barbarismos*, ut in

„in Præfatione Moguntini iidem asserunt, sed à „se ut libuit castigandos.

„ 4. Non etiam sufficit, ut vendicetur hoc „Opus *extra controversiam* Anastasio Bibliothe-„cario, auctoritas Onuphrii Panvinii, quâ unâ „se tuentur Editores Moguntini, & ex his Fa-„brotus. Nisi pari auctoritate *Damasus Ponti-„fex* credatur auctor partis prioris: *Gulielmus „Bibliothecarius* continuasse Vitas *usque ad Ale-„xandrum II.* qui sedit ab anno MLXI. *Marti-„nus Ostiensis edidisse Opus Vitarum usque ad „Honorium IV.* quæ Onuphrius ad Platinam „pag. 7. & 148. &c. Aut *Galfridus Monachus „vixisse post Martinum Polonum*, quo tamen an-„terior fuit toto & amplius seculo. Et quæ „alia multa Onuphrius ad Platinam, aut palam „falsa, aut pugnantia secum invicem, aut du-„bia certè, aliâ occasione castiganda. Videsis „quæ supra Numeris XIV. XXXV. LVII. at-„que etiam infra Num. LXII. & deinceps, nota-„mus Onuphrianæ levitatis & inconstantiæ spe-„cimina. Tale est illud, tutandæ scilicet Ro-„manorum Pontificum causæ, ad Vitam *Ho-„norii primi*, quod *constet condemnatam ab eo fu-„isse Heresim Monothelitarum*, & quidem *ex Ma-„ximi Monachi Epistolis Græcis*: quas nunquam „viderat, & excidisse fatetur Combefisius in „Causa Honorii Papæ cap. 3. Sed hæc & quæ „id genus plura sunt, occasione alia.

„ 5. Nihil adeo mirum, ementitas esse has „Vitas nomen *Anastasii*; quando & *Damasi* no-„men, & diu postea *Luitprandi Cremonensis* il-„lud, falsò prætulerunt Vitæ Pontificum Ro-„manorum. Posterius agnoscit ipse quoque „Lucas Holstenius in Collectione Romana par-„te 2. pag. 121. ad Breviarium Synodi habitæ „sub Leone IV. Sic incertis adscribuntur au-„ctoribus Vitæ reliquæ, quæ post Guilielmum „Bibliothecarium scriptæ fuerunt, qui & ipse „qualis fuerit, incertum. Taceo Vitas Si-„meoni Metaphrastæ, aliisque in Orbe utroque „Scriptoribus, falsò vindicatas.

„ 6. Tandem quidquid scripserit Anastasius „Bibliothecarius, passum est tot mutationes „hodiernum Opus *de Vitis Pontificum*, editum „primo à Jesuitis Moguntinis anno 1602. & „infinitis in locis ita interpolatum, ut non u-„num sed sexcentos Auctores referat. Colla-„tis equidem inter se Codicibus, quibus usi sunt „Editores Conciliorum, & Vaticanis quibus Ba-„ronius, aut quibus Onuphrius ad Platinam: „tum Augustano Marci Welseri, Cæsareis, Pa-„latinis, Parisiensi Regio, Thuaneo, Mazarini, „Cantabrigiensi, Leidensibus &c. apparent *ad-„jectiones, detractiones, variationes* & rerum & „phrasium fine fine, fassis Editoribus, ipsoque „Davide Blondello. Exempli gratiâ, in anti-„quissimis Codicibus terminatur Historia, ut „monitum supra in Stephano III. vel in Paulo „I. toto ante Anastasium seculo. In plurimis „vero desiderantur. Vitæ post Leonem IV. „Johannæ antecessorem, quæ alibi insertæ. In alio Cod. deest Vita *Benedicti III*, ut in Pala-„tino pervetusto Marquardi Freheri, quæ ex-„tant in aliis, & in vulgatis. In his Vita *Jo-„hannis Fœminæ* expressa, quæ omissa ineditis„ est. Ita integræ modò narrationes, modo pe-„riodi, insertæ nonnullis Codicibus, uti in Vi-„tis priorum Pontificum, ita in illis Leonis II.„ Hadriani I. Paschalis I. Leonis IV. Benedicti„ III. Nicolai I. &c. quæ in aliis Exemplaribus„ desiderantur: ut ex collatione Gratiani, Pla-„tinæ, Onuphrii, Baronii, Bellarmini, Conci-„liorum, ac variantium lectionum, etiam infra„ liquebit. Non igitur supponendum pari fi-„duciâ & securitate, τὸ ἀμφισβητούμενον fuerat,„ modo ab Editoribus, modo à Johanne Lau„ noïo, aut Davide Blondello, aut Philippo Lab-„beo, reliquisque: *Auctorem harum Vitarum* ut„ leguntur hodie, necessario fuisse hunc *Ana-„stasium Bibliothecarium*, Johannæ coævum, ἀυ„ τόπτην, scribentem res quibus interfuit, fui-„que temporis. Qua de re etiam postea.„

CAPUT SEXTUM.

QUIS PONTIFICALE URBIS ROMÆ SEU VITAS ROMANORUM PONTIFICUM SCRIPSERIT, ET AN HISTORIA JOHANNIS OCTAVI FOEMINÆ, IN MSS. CODICIBUS ILLARUM REPERIATUR?

COllectaneum omne quod *Pontificale Damasi Papæ* in MSS. fere omnibus inscribitur, in editis *Liber de Vitis Romanorum Pontificum*, à Sancto Petro usque ad Stephanum VI. pertingens, etiam juxta Baronium in Annalibus Ecclesiasticis, à Scriptoribus duobus Anonymis & barbaris, ut infra dicemus, exaratum fuit. Primus scriptor Anonymus Vitas istas Pontificum Romanorum collegit a Sancto Petro non solum usque ad tempora Damasi seu usque ad annum circiter 366, sed usque ad annum DCC. vel DCCL. sub titulo *Gestorum Romanorum Pontificum* quo ex prioris Anonymi labore extendebantur, cum aliquanta brevitate ac styli barbarie. Cum autem à temporibus Pontificum primorum quorum Vitas scriberet, remotus procul esset, ac de eis nihil singulare aut certum fere rescire potuisset: ideo Anonymus hic prior illorum Vitas breviter, obscure & cum falsâ etiam & temeraria Consulum designatione deduxit methodo eadem, ad usque tempora Martini primi, qui circa annum 648. Romanam sedem obtinuit. Quia autem temporibus Concilii VI. œcumenici anno DCLXXXI. celebrati, ex Vita Leonis II. viveret, Vitas illas à Martino I. diligentius paullo & diffusius, hoc est, ab anno 648. persecutus est, usque ad annum DCC vel DCCL seu usque ad Joannem VI. quo vixit: quod ipsi facile fuit, cum res temporum quibus vivebat scriberet. Nihil

autem mirum fuisse tam barbarum hunc scriptorem, nam ita hæc ferebant tempora, nempe à seculi septimi medio, usque ad octavum integrum & initium noni, quo paulatim puduit scriptores hujus barbaræ ac sordidæ dictionis. Ita Baronius ad annum 802. num. 12. in *Annalibus Ecclesiasticis: Qui sciret Grammaticam tantum, illo seculo rudi doctissimus habebatur.* Quo tempore id verum fuit, non autem ætate Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii sub seculi IX. finem clarissimi & eloquentissimi viri, ut imperitè Jesuita Moguntinus retulit. Hinc Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* seculo IV. ad annum 366. in *Damaso Papa* pag. 183. post Labbeum, Lambecium & alios, hoc *Pontificale Damasi Papæ seu Vrbis Romæ*, antiquius esse multo temporis intervallo, ætate Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii sub annum 880. florentis, quod citant illud Scriptores Anastasio antiquiores, Venerabilis Beda, Walefridus Strabo & Rhabanus Maurus, Legati Agathonis Papæ, qui anno 680. Romanam Sedem tenuit. Hoc quidem esse verissimum de Parte prima hujus Operis, ab Anonymo scriptore conscriptæ & ad annum circiter DCC. pertingentis concesserim. Anonymus enim antiquior, ubi de Concilio Constantinopolitano Oecumenico VI. anno DCLXXXI. habito Constantinopoli in Trullo loquitur, in Vita Leonis II. hæc habet, quæ ætatem ejus produnt. *Hic suscepit sanctam sextam Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Regia Vrbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam.* In eandem mecum sententiam accessit, nec quæ habentur in Vita Leonis II. esse Anastasii, diserte sentit Franciscus Combefisius mihi notissimus, in Dissertatione pro Actis Synodi capite 3. *Vox illa* nuper *satis arguit, quod supra ex stylo deprehendimus, esse hunc alium auctorem ab Anastasio, haud quippe ita vicinus fuit VI. Synodo, ut hoc modo loqui posset.* Constat igitur ex his Antiquiorem Anonymum qui *Pontificale Vrbis Romæ* conscripsit, vixisse circa annos 680. 690. usque ad annum circiter 700. quo antiquior pars Operis hujus extendi videtur. Si conjecturis agere liceret, opinarer, antiquiorem hujus Operis scriptorem, fuisse Johannem Portuensem Episcopum, qui anno 681. ab Agathone Papa missus fuit Constantinopolim *pro adunatione facienda Sanctarum Dei Ecclesiarum* cum Abundantio Paternensi & Joanne Regitano Episcopis, Theodoro & Georgio Presbyteris, quos hanc ob legationem Agatho Papa honoribus amplificaverit. Reversum autem ab hac Legatione, Joannem Portuensem Episcopum, scripsisse primum has *Vitas Romanorum Pontificum* ad suam usque ætatem, hoc est ad annum DCC vel circiter. Hoc ex conjecturis tantum.

Huic Anonymo alius recentior successit Anonymus, & barbaro pariter barbarus, nec nisi nugas fere & donaria Romanorum Pontificum aut Principum, quibus priorem Collectionem amplificavit enarrans, qui Continuationem hujus Operis novam sub Damasi nomine, à Johanne VI. & anno Christi DCC, usque ad Stephanum VI, id est, usque ad annum Christi DCCCXC orditur, ad quem Anonymum spectant omnes Vitæ istæ, ut Cæsari Baronio rectè visum fuit: ac tam compilavit Vitas Leonis IV, quam Johannis VIII. Fœminæ, Benedicti III, Nicolai I, Hadriani II & Stephani VI, usq; ad Formosum Papam, hujus continuationis seu appendicis Scriptorem. Omnes enim eodem marte conscriptæ sunt, eadem methodo & stylo: idque tantum discriminis inter primas Vitas & ultimas est, quod cum remotior esset à primorum Pontificum ætate quorum Vitas scribebat, ipsas antiquiores & à se remotiores brevius perstrinxit hic Anonymus, recentiores autem atque ætati qua scribebat proximiores, diffusius ac diligentiori circumstantiarum historicarum descriptione depinxerit, eandemque methodum atque barbariem cum Anonymo præcedente servaverit. Licet igitur totius Operis duo Scriptores fuisse videantur, Anonymus antiquior partem sibi priorem vendicat, Alter Damasus nomine postremam, nimirum à Johanne VI. ad Stephanum VI. vel VII, qui ultimus in hoc Collectaneo includitur.

Inscripsit Formosus Papa seu Damasus Portuensis Episcopus Opus à se continuatum *Pontificale Vrbis Romæ* seu *de Vitis Romanorum Pontificum à Damaso Papa*, nomen suum sub *Damasi Papa* nomine occultans, atque ad tituli hujus inscriptionem, Epistolas duas falsas, à se doloso homine confictas præmisit, unam Divi Hieronymi ad Damasum & alteram Damasi Papæ ad Hieronymum, quâ Pontifex significabat scripsisse se *de Vitis Romanorum Pontificum*, ut ipsius desiderio fieret satis. Vtramque hanc Epistolam constat reperiri in MSS. Codicibus omnibus Operis hujus, cujus plures in Bibliothecis occurrunt, ac nullus fere legitur sine his ambabus & falsis Epistolis. Vnde factum, ut plerique etiam eruditi, ex Epistolarum istarum fide, Vitas istas primæ partis à Sancto Petro usque ad Damasum Papam, ipsi Papæ Damaso incauti adscripserint, plura de his posteà dicemus ad annum 890. in Dissertatione singulari *de Vita, moribus & scriptis Damasi Portuensis Episcopi, qui Formosus Papa dictus est* cap. 2. sub initium. Joannes Busæus Jesuita Moguntinus, fraude Jesuiticâ quæ honesto prorsus homini adversatur, in editione quam anno 1602. Moguntiæ in 4. procuravit, utramque Epistolam de qua egimus suppressit, quamvis in MSS. Exemplaribus omnibus habeantur. Cum enim ausu temerario, ex levissimis Onuphrii Panvinii & Baronii Cardinalis conjecturis, huic Operi nomen *Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii* indere voluisset, fraude intolerabili Epistolas præfatas ubique MSS. Codicum, in iis etiam quos Heidelberga habuit, suppressit impudenter,

ter, quia nomenclaturæ Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii opponebantur: quæsi ad Operis frontem ut oportebat adpositæ fuissent, hujus editionis omnem fidem abstulissent. Formosus Papa cum artes fallendi more Italo calleret, nomen suum in hoc Opere sub nomine *Damasi Papa* contexit, atque eam ob fraudem Epistolas binas falsas de quibus supra locuti sumus, præmisit, hac ambiguitate posteritati insultans, quæ illud *Damasi Papa D. Hieronymo aqualis* fœtum esse crederet. At per *Damasum* intellexit seipsum Portuensem Episcopum, & per *Papam* seipsum, qui ad Romanam Sedem post Stephani VI. mortem pervenisset: atque hac calliditate odiosum sui nomen & famam infamem contexit.

Non tantum autem Formosus Papa seu Damasus Portuensis Episcopus, opus Anonymi anterioris quod ultra annum DCC non excurrebat, usque ad annum DCCCXC seu ad Stephanum VI. decessorem suum adduxit sub *Damasi Papa* nomine æquivoco, sed Anonymi etiam prioris Commentarium multis in locis ampliavit, ex Opere in Archivis Romanæ Ecclesiæ recondito, quod *de Donationibus ab Imperatoribus, Regibus, Principibus ac Pontificibus Ecclesia Urbis Roma primaria factis*, inscriptum fuit. Ex hoc enim Opere, adjecit singulis scripti antiquioris Vitis Romanorum Pontificum, quæ vel ab ipsis ex præfato Opere, vel ab aliis ætate qua Pontificatum tenebant, Ecclesiis Urbis Romæ principalibus collata fuerant. Atque ex hoc mirum, quantum Vitæ Romanorum Pontificum quæ antea breviores erant, amplificatæ fuerint & extensæ. Hoc facile quilibet advertere potest, in Vita S. Sylvestri Papæ 34. ab his verbis editionis Regiæ 1649. pag. 13. *Episcopos per diversa & a diversis temporibus in Urbe Roma, numero LXXV.* Hujus temporibus &c. usque ad Vitæ finem à pag. 13. ad 19. Ampliavit Vitam Innocentii I. Papæ 41. editionis Regiæ pag. 23. Idem fecit in Vitis Sanctorum Bonifacii, Cœlestini, Sixti III, addendo donationes varias pag. 25. ab his verbis, *Hic fecit Basilicam Sancta Maria &c.* Itemque in Vita Sancti Leonis I, Sancti Hilari, Sancti Symmachi & aliorum, ita ut hæ donationum vel reparationum atque ædificiorum recensiones maximam partem Operis *de Vitis Romanorum Pontificum* efficiant.

Omnes autem Vitas Romanorum Pontificum suæ ætatis in Pontificali suo exacte recensuit, Sergii II. de quo multa desiderari apud Pseudo-Anastasium videntur teste Baronio Annalium Tomo X. ad an. 847. num. 6. Leonis IV. Johannis VIII. fœminæ, Benedicti III, Nicolai I, Hadriani II, & Stephani VI. usque ad Formosi ætatem suam, sola Vita Joannis IX. excepta, licet multo tempore, annis nempe decem Romanam Sedem tenuerit. Hoc autem non ex ignorantia, sed ex malitia & vindicta. Cæsar Baronius qui Annales suos Ecclesiasticos nugis innumeris ac deliriis ubique sparsit, Annalium Tomo eodem ad an 88·. num. 7. misere conjectatur *Johannis VIII* die IX. *res gestas desiderari apud Anastasium, fortassis omissas ob odiosam Photii restitutionem.* Magnum Baronii delirium. Vera ratio, cur Formosus Papa seu Damasus Portuensis Episcopus, qui hujus *Pontificalis Damasi Papa* ad ætatem suam Scriptor indubius fuit, Vitam Joannis Papæ IX. omiserit quam apprime & optime noverat ac scribere & adjungere aliis potuit, unica hæc est. Vindicta *Formosi Papa* in Johannem IX, qui illum dum esset *Damasus Portuensis Episcopus*, ob conjurationem cum Romanis proceribus in se factam, cujus antesignanus erat, Episcopatu Portuensi spoliaverat, Urbe Roma proscripserat, ad ordinem Laicorum cum infamia dejecerat. Unde *Damasus* ille in Laicorum ordinem redactus, successu temporis ac fortunæ mutatione, *Formosus, Papa* per usurpationem & malas artes in quibus excellebat factus; ubi Romanam Sedem occupasset, nihil prius habuit, quam ut *Acta Johannis IX.* omnia rescinderet, ordinationes omnes ab eo in Pontificatu Romano factas, nullas atque irritas declararet, Episcopos ac Presbyteros ab eo ordinatos reordinandos decerneret, ut in Vita ipsius Formosi ad annum 891. latius postea dicturus sum Dissertationis ea de re conscriptæ cap. 1. Cum ergo illius Acta irrita declarasset, in *Pontificale Urbis Roma* referre eundem noluit. Jam totius quæstionis hic cardo vertitur, an *Vita Joannis VIII. Fœmina seu Papissa*, in MSS. Codicibus Pseudo-Anastasii Bibliothecarii contineatur? Non male equidem illustris olim Claudius Sarrarius, Epistola ad Claudium Salmasium data anno 1648 pag. 227. in qua de Larino D. Blondelli scripto, *Omnino tutius est, recentioribus omissis, in antiquis & coaeaneis, præsertim quid tenendum sit quærere. Unus Anastasius sibi constans, rem possit conficere.* Insistendum igitur ulterius Anastasio est, an Historiam Johannæ Papissæ habeat. Ita contra editionem Busei Jesuitæ adulteratam & infidam Moguntiæ anno 1602. in 4. Johannem Albinum factam, contendit Fridericus Spanhemius in Disquisitione Historica *de Papa Fœmina* inter Leonem IV. & Benedictum III, quâ ut Onuphrii, sic præcipue Allatii, Labbei, Blondelli, Launoji, Mabillonii, adversus Papissam præsidia excutiuntur, Lugduni Batavorum anno 1691. in 8.

Primum igitur Vita ista Johannæ Fœminæ extitit in MS. Codice Palatino majori, optimæ notæ quem Marquardus Freherus Jesuitis Moguntinis ad editionem suam commodaverat cum Codice altero, ad editionis Anastasianæ adjumentum. Id testatissimum habet in Opere *de Papa fœmina* §. 61. pag. 291. his verbis: Dum meminerunt Jesuitæ iidem Codicis Palatini utriusque MS. suppeditati à Marquardo« Frehero V. clarissimo, quorum major *omnium« Pontificum Vitas quas nunc in lucem darent* (ex«

ce-

„ceptis duabus Benedicti III. & Stephani VI.) *complexus esset*, idemque ex Freheri & Salmasii oculari testimonio antiquitatis venerandæ, premunt isti fraudem suam, quâ & Frehero & Orbi litterario imposuerunt. Nam complexus fuit ille Codex quoque *Vitam Johannis Fœmina* post Leonem IV, sed exprimendam iis tantum Exemplaribus novæ Editionis, quæ una cum MSS. restitutione, miserunt ad Palatinos: omittendam vero in omnibus reliquis, ac rejiciendam ad calcem Leonis IV. tanquam quæ *à quibusdam falso interjecta esset*, hoc Anastasii Codice Palatino non expresso. Testis rei Marquardus Freherus in Epistola quadam ad Amicum, & alias hac de re conquestus: testis ipse Blondellus in sua *Anacrisi de Johanna Papissa* pag. 48, Jesuitas Moguntinos *os sublevisse Frehero* blandis sermonibus. Prolixius rem narrat & confirmat Vir optimus in Epistola præfixa Libello Gallico *de Johanna Papissa*, edito anno 1647. & 1647. *Cum Marcus Welserus ex præcipuis Augustæ Magistratibus, misisset anno 1601, ad Jesuitas Moguntinos Manuscriptum Anastasii ut prælo committeretur: rogarunt Marquardum Freherum Electoris Palatini Consiliarium, ut Symbolam huc conferret, polliciti se bona fide publico daturos, quod cum ipsis fuisset communicatum. Misit itaque duo Manuscripta Anastasii, in quorum uno Vita Papissæ extabat. At illi tantum duo Exemplaria ejusmodi curaverunt excudi, & in aliquis omnibus Exemplaribus suppresserunt quod habebant Palatina manuscripta, adeo ut illud in publicum non exiterit, & necessitas Frehero imposita sit conquerendi edito Libello, in speciem Manifesta ut vocant, fraudis adversus ipsum commissæ. Facti hujus fidem in dubium vocare nullus cogito, affirmantibus id tot viris, quos eo loco habeo, ut nisi mei oblitus, atque eorum existimationi maximaque virtuti injurius, eo devenire non possim.* „ Testis denique Heidelbergæ tum agens, Claudius Salmasius, qui omnem hanc fraudem amicis commemorare solitus fuit, & mihi ipsi olim, cum adolescens adhuc familiarius uterer summo viro, Parentis mei manes reverito. Idem professus in Gallia fuit coram & literis ad Claudium Sarravium Senatorem Parisinum, & in Suecia apud Henricum Böeclerum virum clarissimum, ut multis iste in Commentario *de rebus Seculi IX.* in Lothario I. Sectione IX. pag. 118. Idem in Belgio apud Andream Rivetum integerrimum Theologum, ut idem Spanhemius testatur pag. 292. Neque id modo asseruit Eruditorum princeps, sed & auctoritatem vetustatemque hujus Manuscripti, qui in versandis MSS. regnum obtinuit, adjecitque sibi esse persuasum, *Marianum Scotum* descripsisse compendio ex dicto Anastasio, indeque sua Martinum Polonum, sed pluribus. Ac multis apud me profitebatur, quod apud Sarravium, Böeclerum ac alios confidentissime, se fidem hujus Johannis Fœminæ facturum Orbi Christiano, quidquid destruere visus esset Clarissimus Blondellus.“ Hæc illi multis contra Jesuiticam perfidiam, qui inter Leonem IV. & Benedictum III. *Hic à quibusdam falso interjicitur Johannes VIII. Fœmina*, in editione sua Moguntina adjecerunt, nulla Palatini MS. antiquissimi mentione habita.

2. Vita eadem Johannis VIII. Papæ Fœminæ habetur in MSS. Codicibus Gallicanis, Regio Mazarini ac duobus Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici, ut testantur qui Codices excusserunt viri eruditi: quamvis hi Codices MSS. satis recentes sint. „ Ita Spanhemius idem §. 62. pag. 295. Non solum Codicem alium Bibliothecæ Regiæ præferentem nomen non Anastasii sed Damasi Papæ, protulit idem Sarravius Epistola ad Salmasium anno 1645. pag. 172. in quo disertis verbis legeretur *Vita Johanna Papissa*, sed ipse quoque Venerabilis Blondellus, in *Anacrisi* pag. 50. 51. quæ anno 1657. in 8. post Blondelli mortem impressa fuit, ac Codicem Vir uterque ea parte descripsit. Quanquam interpolatum à recentiore Librario esse iidem suspicentur, qui Paparum seriem usque ad *Martini V.* tempora deduxerit. Vnde insertum illud, *ut asseritur, ut dicitur*: quod non quadret in rei testem Anastasium, præter verba quædam è Martino Polono mutuata. Sed & ipse Editor Regius Anastasii Carolus Annibal Fabrottus in *Variis Sectionibus*, diserte de Codice utroque *Regio & Mazarino*, p. 290. editionis Regiæ anni 1649. *Heic interseritur Vita Johannis Anglici in utroque Codice.* Audi tamen quæ mox ipse subjungit: *Sed quia fabula hæc jamdudum explosa est, ideo heic expungendam duximus, ne male feriati homines exinde calumniandi occasionem raperent. Si quis autem ægre ferat hanc Vitam à nobis prætermissam, is Regium Codicem consulat, ibique Martini Poloni verba interpolata leget, quæ inepti homines Codicibus Anastasii inseruerunt.* Hæc Fabrottus. At cur non ea verba utriusque Codicis, extraneis viris inaccessa, qua debuit fide, ipsemet Fabrottus expressit: Vnde liberum saltem lectori judicium esset, num derivata omnia ex Martino in Codice Anastasii, an verius ex Anastasio, seu quocunque Auctore de Vitis Pontificum, in Martinum compilatorem. Adde Codices alios MSS. Anastasii, sed nobis haud accessibiles, qualis ille Codex qui penes Gabrielem Naudæum fuit, in quo *Papissæ elogium repertum esse*, ipse rursus Blondellus in *Anacrisi de Johanna Papissa* pag. 57. admonuit.“

3. Onuphrius Panvinius Annotatione ad *Vitam Johannis VIII. Fœminæ* à Platina scriptam, observat *in Vetustis quinque Bibliothecæ Vaticanæ MSS. Codicibus Damasi Bibliothecarii & Pandulphi Pisani Vitarum Pontificum libris*, additam fuisse *in margine, alienis characteribus, à posteriore auctore, hujus rei fabulam.* At cum Spanhemio p. 299. regero *Additiones istas*, nisi ex Codicibus aliis de hiatu persuasi, non permisissent Præfecti

rei

rei librariæ Bibliothecis ac Monasteriis, præsertim in Roma tantæ invidiæ tantique probri in Romanæ Ecclesiam. Accepta igitur fuerat & excepta ex Antiquioribus Anastasii seu Pontifical Vrbis Romæ Exemplaribus, atque marginem MSS. recentiorum in quibus prætermissa erat, adposita. Atque hoc indicat MSS. Codices unde editionem suam Anastasii aggressus est Johannes Busæus, nempe Vaticanos, esse centissimos atque nullius bonæ notæ, ut loquitur.

4. In antiquioribus *Pontificalibus Vrbis Romæ*, seu *Vitis Romanorum Pontificum* à Pseudo-Anastasio & Formoso Papa conscriptis, quale Palatinum majus erat, occurrisse *Vitam Johannis VIII. Papissæ*, aperte constat, ex Pandulpho Pisano Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui primus Supplementum Operis Damasi Papæ ad *Vitas Romanorum Pontificum*, incipiens à Leone IX. ad Honorium II. & ultra adjecit. Visus fuerat ille duo ptocul Pontificalibus antiquioribus, in quibus Historia Johannis VIII. Papissæ, cum ejus puerperio & aliis circonstantiis habebatur, Nisi enim in Pontificalibus primigeniis repisset, non enarrasset ritum illum *componeri ita Pontifices in sella pertusa* explorandi sexus causa, uti oppido vetustum, de quo Spanheius *de Papa Fœmina* paragrapho 22. pag. 106. „Leguntur similiter, ritum illum componendi „Pontifices in Sellâ pertusâ oppido vetustum „fe, de quo legatur Seculo XI. in consecratio„ne Honorii II. anno MLXI, dein Paschalis II. „anno MXCIX. apud Pandulphum Pisanum & „presbyterum Cardinalem Libro *de Romanis Pontificibus* à Leone IX. usque ad Honorium „II. & ultra. Quo tempore Papa fœmina à „Mariano ac deinceps, nullâ dissimulatione tra„dita chartis fuit. Licet autem hujus Cere„moniæ institutæ initium obscurum sit quoad „tempus, an à Papatu Benedicti III. vel Nico„lai I. aut à Johannis VIII. excessu proxime, „antiquissimum tamen fuisse ex his Pandulphi „exemplis constat. Cujus quidem Pandulphi „exemplaria interpolata fuisse *à Schismaticis aut Hæreticis* illius temporis, nemo nisi Raimun„dus aliquis aut Richeomus Jesuita, & id ge„nus serva Romanæ Curiæ ingenia, dixerint. „Ac Blondellus ipse in *Anacrisi de Joanna Pontifice* pag. 101. Florimundum explodit, qui Pan„dulphi *additamentum insertum esse Manuscriptis „contenderet*: & quidem à talibus qui ante Pan„dulphum vixerint, *ab eorum ullo interpolata „Pandulphi exemplaria vel scribere vel putare, ab„surdissimum est.* Hinc *Sedes* illas referre vetu„statem, antiquo admodum opere & sculptu„râ, convenit inter omnes. Neque profectò „Pandulphus ait, tunc primum fuisse ritum „illum institutum, imo vero ceremoniam re„fert usurpari tunc consuetam statim ab ele„ctione Pontificam. Mabillonius Commenta„rio in *Ordinem Romanum* pag. CXXIII. inquit, „*Ex his intelligi par est, prædictarum Sedium usum longe ante natam, auctore Martino Polono, Pseu„do-Papissa fabulam, in creatione Pontificis inve„ctum fuisse.*"

CAPVT SEPTIMVM.

QVARE JOANNES BVSÆVS JESVITA IN EDITIONE MOGVNTINA ANNI MDCII. HISTORIAM JOHANNIS VIII. FOEMINÆ SVPPRESSERIT, AC FORMOSVS PAPA SEV PSEVDO-ANASTASIVS ILLAM PER MODVM DVBITANTIS EXPRESSERIT?

POtissimum crimen quod Joanni Busæo Jesuitæ Protestantes adscribunt, illud est quod in editione Moguntina anni 1602. in 4. in Vitis Romanorum Pontificum, *Historiam Joannis VIII. Fœminæ* suppresserit, sed unde sibi Jesuita laudem plurimam adscribit. Non enim hominibus Societatis Jesu, desunt rationes speciosæ saltem, ad suppressionem eorum quæ licet vera concedantur, in dedecus & ignominiam Ecclesiæ Romanæ Romanorumque Pontificum tendunt, quorum suppressioni ex voto Societatis suæ quarto, se teneri quantum possunt, arbitrantur.

Primum Jesuitæ Moguntini affirmant secutos se esse Manuscriptum Codicem Marci Welseri Augustanæ Reipublicæ Duumviri, cum aliis duobus Bibliothecæ Vaticanæ collatum, cui integrum & solidum editionis suæ debere beneficium confitentur. Cum enim discrepent innumeris in locis tam MSS. Codices Anastasii personati, quam Vitæ sub ejus nomine in Conciliorum Tomis expressæ, & rursus quæ in Annalibus Baronii leguntur, huic se adhæsisse profitentur, *magisque sibi probatam Baronianam lectionem*: eo quod *affirmarit ipse Baronius* (satis id nempe ad securitatem & fidem) *se vetustissimorum quorumdam Exemplarium Scriptum esse secutum.* Nihil igitur habere Marquardum Freherum, quod conquereretur, si nullam MSS. Codicum Palatinorum rationem habuissent. *Secundo* asserunt ingenue se *quædam in ipso contextu mutavisse, aut detraxisse, vel addidisse*, imo etiam *locomovisse*: nempe quidquid ipsis *Librarii incuria videbatur prætermissum, vel perperam exscriptum*, aut etiam *barbarismis & solœcismis fœdum.* Ac ne primos id ausos esse Jesuitas crederes, tuentur se exemplo *non solum Baronii, verum etiam eorum, qui jam olim pleras que Vitas in Conciliorum Tomos retulerant.* *Tertio* fatentur in Præfatione, *aliud sibi non fuisse in hac editione propositum, quàm Anastasii Historiam quomodocunque affectam, tandem in publicum divulgare, & novi scriptoris accessione litteratorum locupletare bibliothecas. Sed nec defuturos sperare alios, qui abundantes otio & exemplarium emendatiorum copia, accuratiore studio omnes Auctoris hujus corruptelas & lacunas sint suppleturi.* Hac etenim protestatione, editionem suam non ut omni-

bus mendis immunem, litterario orbi offerunt. *Quarto* quoad Vitam Johannis VIII. Fœminæ in MS. Codice Palatino contentam, illam attente considerasse ac aliud esse nihil quam Martini Poloni ea de re fabulam opinatos fuisse, unde mentionem illius in editione sua nullam fecerint. Hæ Jesuitarum Moguntinorum rationes, quæ speciem honestatis præ se ferunt. *Quinto* Consentaneum erat æquitati, ut cum hæc Pontifex fœmina esset natione Germana, ortu Moguntina, atque hinc Athenas & Athenis Romam veniens, Romanam sedem diffamasset, partu suo ac dissimulatione sexus: ita quoque à Jesuitis Moguntinis & Moguntiâ simul & Pontificatu Romano, per expunctionem ac suppressionem expelleretur. De illa sic Wernerus Rollvinck Carthusianus Germanus, vir doctissimus ac devotissimus, *in fasciculo temporum* ætate VI. ad annum DCCCLIV. *Joannes Anglicus cognomine, sed natione Moguntinus, circa hæc tempora fuisse dicitur. Et erat fœmina, habitu vestita virili, sic in divina Scriptura profecerat, ut par ei non inveniretur, & in Papatu eligitur. Sed post impragnata, cum publice in processione pergeret, peperit & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit usque huc. Et similiter sicut alii, à Deo plagatus fuit, nec ponitur in Catalogo Pontificum.*

Jure hinc Protestantes Lutherani & Calvinistæ perfidiam Joanni Busæo Jesuitæ Moguntino in editione Anastasii Moguntina 1602. in 4. tribuunt, quod *Vitam seu Historiam Joannis VIII. Fœminæ* in MS. Codice Palatino majori antiquissimo contentam, etiam in Notis & lectionibus variantibus, ex malitia ac fraude Jesuitica omisisset. Sed jacturam hanc, ex MSS. Codicibus Aliis hujus Operis, repararunt alii duo Calvinistæ, Claudius Sarravius Senator Parisiensis, ac David Blondellus, ambo insignis litteraturæ & pietatis viri. David quidem Blondellus, in Libello posthumo pag. 50. apud Batavos Latine edito sub hoc titulo, *famosæ quæstionis an fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices media federit, anακρισις*, Amstelodami 1657. in 8. Claudius Sarravius in *Epistolis ad Salmasium*, quas cum aliis Opusculis ejusdem viri Isaacus Sarravius filius anno 1654. Arausioni in 8. edendas curavit, Serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ dicatas. In Epistola igitur 138. quam anno 1645. die 29. Septembris Sarravius ad Salmasium misit, pag. 171. editionis Parisiensis hæc habet. *Accipe quod te non mediocri perfundat statim lætitia, sed nescio, an sincera & diuturna. Penes me jam est Bibliotheca Regia Codex MS. Anastasii Bibliothecarii* (Damasi inscribitur, non Anastasii nomine) *in quo disertis verbis legitur Vita Joannæ Papissæ, quam huic Epistolæ cum Deo alteram.* In altera autem Epistola ad Salmasium eundem Parisiis scripta anno 1645. Octobris die 21. hanc Joannæ Papissæ Historiam Regio manuscripto Codici aliisque MSS. Codicibus insertam atque à se descriptam & Salmasio missam, his verbis impugnat, contra Salmasii sententiam. *Quidquid de* Johanne Papissa confidentius dicas, intricatissimum est omne illud negotium, federit illa, necne. Longior est disquisitio, nec unius Epistolæ. Jam autem quæro tantum, utrum Anastasii Bibliothecarii legitimus sit fœtus, Vita quam ad te nuper transmisi. Ut cum censeam ὑποβολιμαῖον, præterum allatas rationis, hæc suadent. *Primo*, quod tunc temporis, unico nomine Pontifices, aliosque uno nomine vocari, moris erat. Percurratur totus Anastasius cum Pontificali Damasi, vix unum aut alterum binominem repetias, ut hic διώνυμος *Joannes Anglicus*. *Secunda* si Anastasius hanc Historiam inscripsit, cum sua ætate, se vivo & Romæ gestam litteris mandavit. Atqui tanquam de re parum compertà & sibi tantum ex fama cognita loquitur hic Auctor, cum ait, *ut asseritur, ut dicitur.* Qui ita loquitur, non curat suo testimonio fidem haberi, quasi diceret, *Crede quod volueris, fides sit penes auctores.* An autem credibile est virum doctum & sagacem, de re singulari sui temporis eventu non inquisisse diligenter, ut ad posteros res notabilis, ut hæc maxime, indubià fide, cum suis omnibus circumstantiis dimanaret? *Tertia.* Expendantur hæc verba *Roma legens & magnos Magistros:* non existimo ætate Anastasii verbum *legere* in usu fuisse, pro *scientias ex cathedra profiteri, & in scholis publice docere.* Hæc locutio sequioris est & posterioris ætatis: ut & illa quæ *Magistros* vocavit eos, qui gradum & titulum acquirebant in scientiis Philosophiæ, Medicinæ aut Theologiæ. Nondum enim isti honorum apices doctrinales baccalaureatus & magisterii vigebant in Academiis. *Quarta.* Anastasii ætate non habitabant Papæ in Sancto Petro sive in Vaticano Palatio ad S. Petrum, cujus Ecclesia tunc temporis erat, (saltem aliquot ante annis) extra Urbis pomeria, sed in Lateranorum ædibus. Et tamen Auctor noster supponit Johannam enixam esse, *cum iret de Sancto Petro in Lateranum.* Eum autem intellexisse Papam solitum habitare in Sancto Petro, constat ex eo quod alias dixisset, *cum rediret. Quintum* addo & finio. *Coliseum* non erat vox usitata ea ætate pro *Colossæum*, sed est verbum mere Italicum, quo jam vocatur famosissimum illud Vespasiani amphitheatrum. Suscita si lubet labantem istius fœminæ Historiam, sed quæ superius attuli omnia impedimenta amovenda sunt. Blondellus noster contendit & ratione temporum eruit, non posse istam Papissam locum suum tueri. Vale Lutetiæ Parisiorum, 21. Octobris anno 1645.

Hæ Sarravii rationes quibus Historiam Joannis VIII. fœminæ in Opere Pseudo-Anastasii contentam, suppostitiam probare conatus est, quibus respondere omnibus arduum non fuerit. Ad *primam* enim quod attinet, ea nul-

nulla prorsus est, nulliusque roboris. Fatetur enim alios quoque Pontifices apud Pseudo-Anastasium binomines fuisse seculo IX, ut Sergius II. anno 841. vel 843. ad Romanam sedem promotus, qui *os porci* dictus est. Præterea hoc seculo nihil frequentius in illustribus viris, quam duplex vel triplex nomen: uti evincunt *Albinus Flaccus Alcuinus*, *Christianus Druthmarus*, *Walefridus Strabus*, *Lupus Servatus*, *Rabanus Maurus*, *Joannes Scotus Erigena*, & alii, ut *Paschasius Ratbertus*, *secundam* rationem, non valere etiam contendit Spanheimius in Disquisitione Historica *de Papa fœmina* pag. 507. in addendis ad paragr. XV. pag. 86. linea 17. „Quanquam his verbis, *ut fertur*, *asseritur*, *dicitur* &c. „soliti scriptores ea tradere, quæ quamvis ve„rissima, haberent aliquid comparati ad invi„diam vel odium. Ita Platina non semel, „Chiuangius, Onuphrius & alii, ubi de factis aut „dictis Gregorii X. Alexandri III. Johannis „XXIII. Pii II. &c. quæ singula describere ni„hil attinet. Alanus Copus, idem qui Nico„laus Harpsfeldius Dialogo 3. cap. 11. defen„surus Apparitiones Sanctorum post mortem, „in specie Potamiænæ Virginis ex Eusebii lib. 6. „cap. 5. de quibus relatum sic per τὸ φασὶ, γρά„φουσι, λόγος ἔχει, πολὺς λόγος ᾄδεται: *fe„runt*, *dicunt*, *scribunt*, *fama est*, *frequens sermo „est* &c negat inde colligi, res sic enarratas esse „*incertas aut dubias*. Si enim hanc istorum ra„tionem sequamur, propter *ferunt & dicitur*: „non hanc modo Potamiænæ apparitionem, „*inquit Copus*, sed & reliquam ejus historiam, „nec ipsam modò, sed & Serenum, de Marty„rum albo expungamus, & quæ ibi plura. „Sexcenta vel Baronius exempla suppeditaret. Addo rationem aliam, nempe ut cap. præcedenti probavimus, fuisse *Pontificalis Damasi Papæ*, scriptorem verum, non Anastasium S. Rom. Ecclesiæ Bibliothecarium, sed *Formosum Papam*, qui sub Damasi Papæ nomine, nomen Damasi Portuensis Episcopi suum contexit, atque Romanorum Pontificum seriem ab Anonymo primum incœptam & usque ad annum circiter DCC perductam, amplificatam & auctam, à Sancto Petro usque ad Stephanum VI. & ætatem suam prosequutus fuit, sub alieno Damasi Papæ nomine, quod nomen proprium posteris omnibus odiosum & execrandum resciret, ob Romanæ sedis invasionem. Cum fuisset à Nicolao I. & Hadriano II. Romanis Pontificibus ad seditiones inter utramque Ecclesiam Latinam & Græcam seminandas missus, erat ingenio comparatus ad fraudes & divisiones in fratribus spargendas, ob quas ab Episcopatu Portuensi dejectus à Johanne IX. fuerat, & ad Laicam sortem depressus. Cum itaque ob ingenium turbulentum infamia laboraret, hac de causa proprium *Damasi Portuensis Episcopi* & odiosum nomen, sub æquivoco Damasi Papæ nomine & Epistolis fictis occultavit. Calliditatem autem suam in hoc Opere ostendit, dum *Historiam* Joannis VIII. fœminæ descripsit. Cum illa esset evidens ac ipsi certissima, dissimulare illam noluit, rei veritate convictus: sed quia Ecclesiæ Romanæ ejusque Pontificibus infamiam hinc maximam ex Joannæ puerperio accessisse noverat, calliditate & astutia, per verba dubitantis agens, *ut asseritur, ut dicitur*, dedecus & turpitudinem facti his expressionibus extenuavit & emollivit. Quod ergo in *Vitis Romanorum Pontificum* Historiam Joannis VIII. Fœminæ retulit, ingenuitatem Formosi Papæ indicat: quod autem verbis dubitantibus loquatur, Pontificis est Romani, qui per has dubitandi voces, famæ & honori sedis suæ consulere voluerit. Rationem quoque *Tertiam* Sarravii desumptam ex terminis seu vocibus *legere* & *Magistros*, ætate ista non usitatis, levem ac nullam arbitror. In prima editione *Bibliothecæ Veterum Patrum* Parisiensi, anno 1575. facta octo tomis in folio apud Michaelem Sonnium, Tomo IV. col. 641. extat *Magistri Flori*, qui à tempore Ludovici Pii Imperatoris, seu ab anno circiter DCCCXXX, usque ad ætatem Caroli Calvi floruit, *Exegesis seu Expositio Missæ*: atque sane in MSS. Codicibus seculi IX. operum ipsius, *Magister Florus* passim inscribitur. Idem testatur Guilielmus Cavus seculo IX. in *Historia rei litterariæ* ad annum 837. pag. 526, atque ita appellatum fuisse: quod licet Diaconus tantum ac junior, Scholæ Lugdunensis Ecclesiæ annis multis præfectus, doctrinam singularem exhibuisset. Iso quoque Abbatiæ S. Galli Monachus, circa annum 860. floruit & antea, qui cum scholam hujus Abbatiæ celebrem cui præfectus erat, cum laude multis annis rexisset, inde *Magistri* nomen obtinuit. Laudatur hic multum ab Ekkerardo Juniore in Libro *de Casibus Monasterii Sancti Galli* cap. 2. ubi Notkerum Balbulum, Tutilonem & Ratpertum habuisse discipulos dicitur. Et apud Hepidannum in Chronico ad annum 871. legitur, *Iso Magister obiit pridie Idus Maji.* Voce autem *legere* pro *docere* Pseudo-Anastasius uti potuit, nam Magistrorum in Scholis non una & eodem methodus fuit, sicut & modo in diversis Collegiis & nationibus contingit. In Scholis aliis Magistri viva voce tantum docebant, in aliis autem Magistri lectiones à se in otio factas & congestas legentes repetebant, quas discipuli & auditores tachygraphi exciperent: unde fiebat, ut legendo docerent, & docendo legerent. Constat porro Scholas fuisse plures Romæ Francorum, Anglorum, Saxonum, Longobardorum, ex Anastasio in Vitis Romanorum Pontificum Leonis III. Sergii II. Leonis IV, quibus qui præficiebantur, *Magistri* nomine insigni honorabantur. Idem in Galliis ab ætate Caroli Magni, ut testatur Ademarus in Vita illius. Vide *Notas & observationes ad Anastasium* de Vitis Romanorum Pontificum ab Antonio Dadino Alteserra editas pagg. 128. 144. 250. Parisiis

1680. in 4. Nomen igitur *Magistri* ante Anastasium viguit. Ad *quartam* rationem, quâ runc temporis habitasse dicuntur Romani Pontifices in Laterano, atque ita Joannam Papissam male dici *peperisse*, dum supplicatura pergeret e Vaticano ad Lateranum. Et sane hæc ipsa via est, quæ ducit in *Lateranum*, Colossæo Vespasiani & Titi Vrbe olim mediâ sito, inter Cælium & Esquilinum, uti templum Sancti Clementis situm fuit in monte Cælio, in quo & illud S. Johannis Lateranensis. In Patriarchio quidem Lateranensi licet Pontifices ordinarie habitarent, habuisse tamen & ad Basilicam S. Petri in Vrbis pomœriis, & in spectatissimis Vrbis locis, *ædes spatiosas* in quibus cum *omni famulatu amplissimo hospitarentur*, vel ex Pseudo-Anastasio in Vita Leonis III & illa Gregorii IV sub finem, discimus. Vt autem moris est meretricum, dum uterum portant, ad suburbana vel villas urbibus proximas pergere ad tempus, donec uterum abjecerint: ita Johannam Papissam uterum gerentem, ad tempus ad Vaticanas ædes ab Vrbe utcunque remotas & in agris positas secessisse, atque illinc Supplicationem seu Processionem versus Lateranum incœpisse, illuc reversuram dum uterum dimisisset. Hæc ad objectionem quartam responsio, quæ omni verisimilitudine destituta non videtur. Denique objectio *quinta* de Colossæo seu Colisæo voce Italica nihil probat, tantis enim barbarismis auctor hic utitur, ut nullus alius. De illo ita Alteserra in *Notis & observationibus ad Anastasium* in Vita Stephani IV. *Dum ad Colosseum adveniffent, illic ejus oculos eruerunt.* „Colosseum olim Amphitheatrum sic dictum, quia Neronis cum capite Colossus in vicinia erat, vulgo Colisæo.

CAPVT OCTAVVM.

SOLVVNTVR OBJECTIONES EX FORMOSO PAPA SEV EX ANASTASIO ET GVILLEMO SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ BIBLIOTHECARIIS DESVMPTÆ.

Restant nunc objectiones solvendæ, quas ex editione Anastasii sub Moguntiæ factâ, adducit Joannes Busæus Jesuita, quibus hanc Johannam Papissam ex serie Romanorum Pontificum excludi dûerre probare intendit. Sic igitur ille in Vita Benedicti III. Papæ. „Leo „quidem (nempe IV.) ubi hac luce subtractus, „præsul occubuit, *mox* omnis Clerus istius „Romanæ protectæ urbis, universique proceres, cunctusque Senatus ac populus congregati sunt, Domini clementiam exorantes, ut „beatificum illis omnibus demonstrare dignaretur pastorem, qui Apostolatus culmen regere valuisset tranquille. Divinitus igitur „æthereo tunc lumine inflammati, unoq; consensu, unoque conamine, BENEDICTVM, pro„rantis quibus pollebat sacris operibus, Ponti„ficem promulgarunt„ Addunt autem Pontificii hunc ipsum Anastasium, creationis Papalis non unius testem, interfuisse speciatim illi Benedicti III, mox ab excessu Leonis IV. ex his verbis, *Missi quoque qui Imperatori nostrum decretum de benignissimi electione Benedicti porrexerunt.* Talem igitur esse, qui nonnisi perspecta & animadversa litteris mandaverit, nec in rebus hujus temporis memorandis *mala fides accusari possit*, ut Joannes Launoïus in Epistola Carolum Mauritium Tellerium, Epistolarum parte IV. pag. 155. Atque ex uno illo Anastasio Doctor hic Parisinus, ne jam Onuphrium, Baronium ac cæteros dicam, censet mulieris Pontificearum fictum palam & in omnium oculis defigi. 1. ex silentio hujus Bibliothecarii, qui inter Leonem IV. & Benedictum III. nullam Johannam describerit: auctor licet æqualis, sincerus, prior reliquis omnibus, qui res Pontificum hujus ævi tradiderunt. 2. ex variis ejusdem Anastasii, vel in *una electionis Benedicti Historia*, quæ Johannam VIII. id est Papam fœminam prorsus excludant. Hæc Spanhemius diserte in Disquisitione Historica *de Papa fœmina* paragrapho LVIII. pag. 272. Argumentis itaque variis Launoïus nullam fuisse Johannam fœminam contendit, quæ idem Spanhemius paragr. LIX. *Papissa fœmina* pag. 273. & sequentibus refert. *Primum* est,„ post subtractum hac Luce Leonem IV, refe„rente eo Historico, tunc *mox, illico*, electum„ promulgatumque fuisse *Benedictum III. uno„ consensu, unoque conamine*, coactum vi tandem„ suscipere Papatum, atque ita ad Lateranense„ Patriarchium deducendum, repetit in Vita„ Nicolai I: *Leone Papa defuncto Benedictus miræ„ beatitudinis vir &c. Romanæ præpo itur sedi.*„ Nec aliter Guilielmus Bibliothecarius, qui„ Vitam Anastasii prosecutus est, in Vita Hadria„ni II, deinde & Annales Bertiniani, Regino„ Prumiensis, Ado Viennensis, Hincmarus Re„mensis Scriptor seculi IX. In sp. cie autem„ Hincmarus Operum Tomo 2 Epistola XXVI.„ pag. 307. *Missos suos cum literis* ad Leonem„ nuntios, *in via* dum essent, intellexisse *de obi„tu Leonis Papæ:* hinc tamen Romam pergen„tes, incidisse *in Domnum nomine & gratia Bene„dictum*, à quo Hincmarus privilegium quod„ petebat acceperit. Non igitur Leone mor„tu», electa est Mulier aliqua, quæ *Johanna*„ vocaretur, sexum mentita, & *qua nullum in*„ *Romana Ecclesia gradum obtineret.* Quod &„ mire urgent Editores Moguntini in *Epistola*„ ad Marcum Velserum. *Alterum* est Decre„tum de electo Pontifice Benedicto, illico ab o„mnibus confectum roboratumque, *quod mos„ consuetudo prisca poscebat, invictissimis Lothario„ ac Ludovico destinaverunt Augustis.* Vbi vero,„ inquit Launoïus, de electa Antistite Johanna„ decretum, ab universis obsignatum, ad Im„

pe-

peratores Lotharium ac Ludovicum perferendum fuisse legitur? ubi & quales illi Missi, qui decretum pertulerunt? *Tertium* ex Anastasio argumentum surgit, ex circumstantia *Lotharii* adhuc *Imperatoris*, quo tempore Benedictus electus est. Constantissimam vero esse Historicorum fidem, & ipsius Mariani Scoti, quod Lotharius diviso inter filios Imperio, in Prumiensi Cœnobio anno DCCCLV. obierit. *qui Mulieris primus fuerit.* Non igitur *ea Mulier post Leonem IV sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor* vivente adhuc Lothario, *ut opifices fabulæ sedisse volunt*, ita Launoïus. Unde *quartum* adversus Johannam præsidium: Videlicet si hæc sedit usque *ad annum Christi octingentesimum quinquagesimum sesquioctavum*, tum deferri non potuisse ad Lotharium Decretum de Benedicto electo, *annis fere post Lotharii excessum duobus.* Quod tamen ad eum fuisse perlatum, retulerit *coævus Scriptor, & rerum in electione Benedicti particeps.* Denique urget Launoïus *conflatum schisma, statim atque facta est Benedicti electio*: nempe a nonnullis *in Romanum Pontificem, antequam alter Pontifex eligeretur, optatum esse Anastasium Presbyterum*, quem Leo IV. antea abdicatum excommunicasset. Quanquam post multas & graves altercationes, Benedictus pulso Anastasio admissus fuerit. Necessario ergo id factum fuerit *confestim à morte Leonis*, ut etiam habent Annales Bertiniani, *Post mortem jam dicti Leonis, ipse anathematisatus atque depositus Anastasius &c.* Nisi quis sibi persuadeat, Anastasium, qui se injuste depositum excommunicatumque crederet, *expectare voluisse, dum Leonis successor alius, Johannes seu Johanna fuerit, Pontificatu defunctus esset.* Quod abhorrere putant à veri specie, si modo Anastasius rerum suarum prudenter sategisse existimetur. Hæc summa argumentorum ex Anastasio præcipue, nullis dissimulatis, quæ sola censuit Doctissimus Launoius, Parisiensis Theologus, ut alios taceam, sufficere Johannæ confingendæ: minus ille tribuens rationibus cæteris, quibus Onuphrius, Baronius, aliique fœminam istam impetiissent.

Juvat autem objectiones alias ab Anastasio vel Guilielmo Bibliothecariis acceptas, ut à Busæo in Epistola ad Marcum Velserum proponuntur, hic subjici. Sic apud Anastasium Busæanum in Vita Nicolai primi habentur.

„Sergio igitur Papa ab hac corruptibili vita subtracto, Romanæ Ecclesiæ Leo gubernacula Præsul suscepit. Leone autem Papa defuncto, Benedictus miræ beatitudinis vir & sacratissimus Pontifex, supremo protectus auxilio, Romanæ præponitur sedi, suæque illum *Nicolaum* administrationi conjunxit, eo quod illum magis, quam suæ consanguinitatis propinquos dilexit.

Deinde Guilielmi Bibliothecarii qui Vitas Anastasii prosecutus dicitur, in Vita Hadriani II. quam in hoc Opere habes, hæc verba sunt. „Hadrianus pater erat pauperum, & cordis viduæ consolator, ostium ejus viatoribus patebat, nec erat clausa janua domus ipsius quippiam postulantibus ab eo: ut ab omni Clericali gradu, ab omni Senatorio & populari, concordissimo cœtu, sicut post mortem Quarti Leonis Papæ, ita post obitum Tertii Benedicti Pontificis, subire summum Pontificum, nisi ipsi diversis argumentis & exquisitis excusationibus verecunde subterfugisset, cogeretur.“

Ad Objectionem ex authoritate Anastasii Bibliothecarii velut auctoris Operis *de Vitis Romanorum Pontificum* acceptam, recte respondet Spanhemius *de Papa fœmina* §. LX. p. 277. & sequentibus, nempe *Vitas istas* Anastasio abrogat, de qua diffusissime diximus hujus Dissertationis capp. 2. 5. & 6. ut hæc repetere, tædiosum fuerit. Atque miror, quomodo id in Joannis Busæi vel alterius sensati hominis venire potuerit mentem, ut Anastasio Bibliothecario homini Græce & Latine eloquentissimo, tribueret opus tam incultum ex barbarum, solæcismis & barbarismis usque ad cachinnum, ut Busæus ipse confitetur, fœdum. Argumentis autem à Launoïo ex narratione Schismatis post Benedicti III. electionem factis, respondet Spanhemius §. LXVI. p. 330. & seqq. in hac verba.

„Neque stringunt quæ urget præ cæteris Johannes Launoïus, in Epistola ad Tellerium præfata. Multis ille ex historia conflati Schismatis, per *Anastasium expresbyterum* à Leone IV. depositum ac anathemate percussum, optandum vero in Pontificem, simul ac Benedictus III. electus fuerat, conficit, *nullas machinas, arietibus & tormentis inter Leonem IV. & Benedictum III, Joannis vel Joannæ Pontificatum interponi.* Ratio illi gemina est. Prima, quod nemo sibi persuadeat istum Anastasium, qui se injuste excommunicatum à Leone crederet, nihil movisse sedente Johanne, sed expectare voluisse *donec iste Pontificatu defunctus esset*, quasi præscivisset hujus fatum, *post annos duos, menses V. dies IV.* Altera ratio est, ab auctore Annalium qui Bertiniani dicuntur, in quibus refertur, *Post mortem Leonis, ipsum anathematizatum atque depositum Anastasium, redeuntem ab abditis, quibus sicut fur latitaverat, Ecclesiam invasisse*, & quæ ibi plura. Ego vero hanc machinam, hunc arietem, hoc tormentum Johannæ de solio Pontificio deturbandæ impar esse, mihi omnino persuadeo. 1. Anastasianæ narrationi nec secum ipsa satis, nec cum Annalibus Bertinianis, convenit. Nam si Codicibus hodiernis fides est, Benedictus *mox* ab obitu Leonis, & ut vult Blondellus *biduo post*, alii *sexto post die*, in Papam assumptus est: & quidem summo omnium consensu, *omnis Cleri, universorum Procerum, cuncti Se-*

 na-

„*natus*, *universæ plebis*, quasi inspiratione divinâ.
„Si tamen credimus antiquis Anastasii Codici-
„bus, & tot Chronographis aliis, à morte Leo-
„nis ut supra §. LXII. diximus, *vacavit Sedes*
„*mensibus II. diebus XV.* Clero populoque Ro-
„mano ad tempus suspensis. Et cum mortu-
„um Leonem ferant *XVI. Kal. Augusti*, alii An-
„no DCCCLIV, alii Anno DCCCLV, Lothario
„adhuc imperante: narratio illa de electo *mox*
„Benedicto, & prælato ab aliis Anastasio *pridie*
„*ejus diei*, quo Benedicti *pedes de more osculati*
„*sunt omnes*, ut vult Platina; idque solo tunc
„imperante (ut vidimus) *Ludovico*, & prope-
„rantibus Romam *Legatis Ludovici*, connecti
„non potest cum morte Leonis. Hinc Berti-
„niani Annales *post mortem Leonis* prodiisse sa-
„ne è latebris Anastasium, non autem illico,
„vel immediate. Quod nec patitur id quod
„Pontificale addit, statim ab electione Bene-
„dicti III, nempe lætatam omnem Vrbem, ex-
„ultasse Ecclesiam, Senes, Virgines, Pauperes
„&c. quia *extensa in iis tristitia fuerat, contempla-*
„*bantur confusa*, & turbatis modo rebus *jam*
„*tranquillitas videbatur erecta.* Atqui sedente
„Leone fruita ad extremum Vrbs & Ecclesia
„fuerat summâ tranquillitate & felicibus votis
„post Saracenos fugatos: nec *confusio* illa &
„*tristitia & conturbata res*, quo tempore electus
„primum Benedictus fuit, respiciunt tempus
„prius Leonis, sed potius dolorem acceptum
„& confusionem natam ex infamia, & puerpe-
„rio Johannis Fœminæ. 2. Qui pensitatius
„legerit in hodierno Anastasio historiam hujus
„schismatis, & nati & coerciti, cognoscet
„perplexam illam & secum ipsa pugnantem, ac
„phrasi barbatam. Ne dicam in Codicibus
„quibusdam MSS. aliter expressam, primis
„turbis cuidam adscriptis *Johanni Diacono La-*
„*teranensi*, qui *collecta seditiosorum manu in Pa-*
„*triarchium per vim fractis januis ingrederetur*, *in*
„*throno Pontificali* locandus, sed inde *magna*
„*cum vi expellendus.* Postea aliis & brevioribus
„verbis describitur factio pro Anastasio, quæ
„*Francis* tribuitur, dum alias primum studium
„Benedicti prædicant, ex verbis Hincmari &
„Privilegii Corbeiensis, de quibus nos Num.
„LXX. & seq. ut *Francis* gratificaretur. Ex-
„empli gratiâ, quis illa satis expediat, *Prope-*
„*rantibus quidem ad Martyris jam fati Basilicam*
&c. quæ idem Spanhemius erudite ac diffuse
prosequitur à pag. 334. ad 340. quem adire
juvat. Idem §. LXIV. pag. 322. „Vendi-
„cent nunc hujus Anastasii, *optimam fidem*,
„*candoremque* ipse Launoïus, alias ingenuus, &
„hujus deinceps auctoritate Papam Fœminam
„explodant. Certe movebit ea neminem
„paulo æquiorem, nec mirum accidet Viris
„quibus oculi in fronte, si in Historia præfa-
„ta Pontificum, & in Paparum serie ac laudi-
„bus quas Anastasius prosequitur, Johanna
„nulla compareat. Sive factum sit vitio eo-
„rum qui Opus illud interpolarunt, sive Ana-

stasii ipsius, scribentis ut volunt sub Nicolao“
I. vel Hadriano II. vel Johanne IX. Quo“
tempore rescissum atque abolitum infandum“
nomen oportuit, ut supra Num. seu §. VIII.“
dictum est, *non numerandum in Catalogo Ponti-*“
ficum, ut uno ore qui Johannæ meminerunt.“
Idem Spanhemius Num. seu §. LXV. pag. 323.“
ad alias objectiones ex Pseudo-Anastasio de-“
sumptas. Sed de his adhuc postea & fuse“
jam in superioribus, quædam tantum auctarii“
loco subjicienda. Exempli gratia: Editores“
Moguntini sub nomine Johannis Albini Ty-“
pographi, pro immediata successione Benedi-“
cti III. & ex his alii, urgent tanquam verba“
Anastasii & Guilielmi Bibliothecarii ex Vita“
Nicolai I. & Hadriani II, quæ in ea editione“
extant pag. 306. & 329. At qui Codices Re-“
gios inspexere, negant in iis comparere ea“
verba, inter eos Claudius Sarravius Epistolâ“
anni 1645. 29. Septembris ad Salmasium“
pag. 172. ante laudatâ Num. seu §. LXII.“
pag. 295. his verbis. *Johannes Albinus duos*“
locos citat ex Vitis Nicolai I. & Hadriani II. qui-“
bus idem omnino evincatur, Leoni nempe imme-“
diate successisse Benedictum: at in Manuscripto“
nostro non comparent. Idem supra observa-“
tum de Codice MS. ex Bibliotheca Vossiana.“
Minus extant in iis Codicibus Anastasii, quos“
terminari in Leone IV. eoque mutilo, supra“
Num. LXII. docuimus. Ita quæ citantur ex“
Vita *Benedicti III.* tanquam Anastasii Biblio-“
thecarii, pari ratione desiderata in præfatis“
Codd. in quibus Vita nulla Benedicti est, for-“
tè ne sola *Johanna* mutilati apparerent. Et“
ipsi illi Moguntini fatentur de Codice MS.“
Palatino, quo de supra pluribus, *Benedicti III.*“
vitam non complexum esse. Vnde omnibus pa-“
lam fit, quæ sit vis illi instantiæ, desumptæ ex“
Vita Benedicti III. hodierna, in qua Benedi-“
ctus surrogatus Leoni dicitur, *mox ubi hac lu-*“
ce subtractus Præsul occubuit, illico properantibus“
Clero, universa plebe: quasi nulla interpositâ“
morâ. Quod nulla ratione componi posse“
cum eo intervallo quod inter Leonem & Be-“
nedictum definiunt Codices MSS. Anastasia-“
ni; Regius & Mazarinius, Palatinus, & qui-“
bus usi sunt Albertus Stadensis, Platina, Onu-“
phrius, Baronius, Bellarminus, alii ut modo“
Num. LXII. visum est. Blondellus noster in“
Marginalibus Notis ad Tabulam suam Chro-“
nologicam, agnovit certo indicio has parti-“
culas *mox, illico*, & quæ cum illis connectuntur,“
fuisse in textum Anastasianum illatas, Johanni“
VIII. fœminæ deturbandæ.“

Par videtur omnino ratio ejus quod addi-“
tur, *decretum* de Benedicto electo *invictissimis*“
Lothario ac Ludovico destinatum Augusti. Vn-“
de conficiunt omnes, ipse Doctissimus Lau-“
noïus, nullum esse Johannæ locum, ante hunc“
Benedictum: utpote quæ ultra *biennium*“
sedisse fertur, ab anno DCCCLV. Quo fit“
ut *migraverit annis fere post Lotharii excessum*“

duo-

„*duobus*, in Prumiensi scilicet Monasterio mortui, in quod diviso in Filios Imperio, anno „DCCCLV. secesserit, juxta omnes Historicos. „Ac de tempore quidem excessus Lotharii Imperatoris dicimus infra, ut de characteribus „annorum, mensium, dierum, quibus sedisse feruntur hujus ævi Pontifices inde à Sergio II. „Quod verò insertum est Vitæ Benedicti III. „de *decreto* electionis *Benedicti destinato ad Lotharium & Ludovicum Augustos*, fraudem Interpolatoris arguit. Aut enim dictum de Benedicti electione, quod electioni Johannis aptandum fuit, insinuandæ Lothario adhuc superstiti, prout alias observatum ex Codicibus „MSS. Martini Poloni, etiam ex Sigeberto, quod „qui *Johannes* fuit, *alibi legitur fuisse Benedictus* „*III.* Aut verius *Lotharii* nomen ad illud *Invictissimi Ludovici Augusti* additum, ut semel „*Augustorum* positum in plurali, *quod nullatenus* „*Augustorum jussione praeceperunt*, pro *Augusti:* „quod proclive fuit, dum uterque in Leone IV. „conjungitur, & alias. Hinc immemores sui „Interpolatores, mox subjiciunt *decretum Ludovico benignissimo Cæsari datum*, nullâ mentione mortis Lotharii quæ intervenisset. Inde etiam unius *Cæsaris*, unius *Augusti*, *Imperatoris*, unius *Ludovici*, in eodem contextu mentio „est: non modo ubi de porrecto illo electionis Benedicti decreto, à Nicolao & Mercurio „Legatis, clam pro Anastasio conspirantibus: „verum etiam ubi de *jussionibus*, *responsis*, *missis* „*Imperialibus*. Nec aliter Platina in Benedicto „III. *Ludovici Imperatoris Legati ad confirmandam* „*Cleri & Populi electionem Romam missi*. Sed „nec Baronius ad Annum 855. Num. 36. qui „in hac de electione Benedicti historia meminit *unius Imperatoris Ludovici*, *& Legatorum Imperatoris*. Atque antilogiæ hujus manifestæ, „quales in his Paparum Vitis frequentes largiuntur, & accusat ipse Baronius, haud obscura ratio est.

CAPUT NONUM.

ALIOS PLURES AGNOVISSE MANUSCRIPTORUM VATICANÆ BIBLIOTHECÆ IN VITIS ROMANORUM PONTIFICUM, LACUNAS AC ALIOS DEFECTUS INTERPOLATIONIS.

Quamvis argumentis invictis interpolationem Anastasianæ editionis, qualem Joannes Busæus expressit, Spanhemius probaverit, alia tamen adhuc paucis hic ad probandam eundem proferemus. *Primum* sit Anastasium à Busæo impressum, atque etiam in MSS. Regio, Mazarini & aliis, in Vita Leonis IV. affirmare post Leonis IV. mortem, *Romanam sedem vacasse 2. mensibus & 15. diebus*. At post decem circiter lineas statim sub Vitæ Benedicti III. initium, asserit Benedictum III. *mox à Leonis IV.* morte fuisse electum *Cleri ac procerum & plebis consensu unanimi:* quæ contradictoria aperte sunt, ut nemo non videt. Quis igitur crediderit, Anastasium vel Damasum Portuensem Episcopum, ita fuisse hebetem & stupidum, ut post lineas decem vel circiter, quæ antea scripserat, oblivisceretur? Est ergo istud *assumentum* alterius scriptoris in Anastasium intrusum, & interpolatio facta à Pontificis recentioris ævi, ad Johannis VIII. Fœminæ exclusionem. Nec Labbæus vel Jesuita alius objectionem istam solvere unquam possit. *Secundum*, desumitur ex eo qood Anastasius non tantum Vitas Romanorum Pontificum à Sancto Petro usque ad Nicolaum I, ut Busæus in editione sua inquit: sed etiam usque ad Formosum Papam, seu usque ad Stephanum VI. deduxerit. ut ex Baronio Dissertationis hujus cap. 4. probavimus, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 872. Num. 1. & 886. Num. 41. Cum igitur unus idemque scriptor sit Vitarum istarum omnium, quis credat, sive is Anastasius sive Damasus Portuensis Episcopus sit, unum eundemque scriptorem, fecisse non tantum semel, sed iterum & tertio, mentionem *electionis Benedicti III. mox post Leonis IV. mortem factæ*, In Vita Benedicti III., Nicolai I. & Hadriani II? Satis erat Scriptori, illius fecisse semel mentionem. Hoc aperte indicat *assumentum & interpolationem* Pseudo-Anastasii, ad Joannis VIII. Fœminæ exclusionem, à Pontificiis factam. Cum autem nimia præcautio sit doli præsumptio juxta Juris regulam, hinc istam repetitionem trinam electionis Benedicti III, *assumentum & interpolationem* à Pontificiis vel à Busæo factam, merito Protestantes suspicantur. Vel simile aliquod exemplum in Collectaneo illo omni Romanorum Pontificum, nobis ostendant. *Tertio*, hi tres quoque loci quos in Epistola ad Marcum Welserum Busæus, ad Johannæ Papissæ exclusionem refert, ipsi etiam sigillatim considerati, *assumentum & interpellationem* proferunt. Nam ad primum locum, ubi Busæus legit, *Leo quidem ubi hac luce subtractus Præsul occubuit*, *mox omnis Clerus &c.* oratione continuâ & connexà, in MSS. Codd. qualis Regius qui recentioris ætatis est & post Martini V. tempora scriptus, legitur, *Leo quidem hac luce subtractus Præsul occubuit. Mox enim omnis Clerus &c.* ubi *assumentum & Interpolatio* scriptoris intelligitur, nam nihil connexionis necessariæ est inter Leonis mortem & Benedicti electionem. Atque ut assumentum & interpolationem Busæus astutus occultaret, adjecit vocem *ubi* ac vocem *enim* sustulit, ut orationem continuam faceret. Omne autem interpolamentum istud ab his verbis incipiens, usque ad donationes extenditur, enarrans seditionem Anastasii verbis innumeris, quæ in aliis Anastasii exemplaribus melioris notæ, paucissimis describitur. Sane omnis illa Anastasiani Schismatis narratio, ab iisdem facta qui electionem ejus fecerant,

rant, ostendit evidenter, falsam fuisse præcedentis electionis narrationem. Alii quoque loci in Vitis Nicolai I. & Hadriani II. sunt *assumenta & interpolationes* hominis otio abusi. Nam in loco ubi ait Benedictum III. *adjunxisse Nicolaum I. administrationi suæ, eo quod illum magis quam sua consanguinitatis propinquos dilexit*: ostendit interpolatorem esse verentissimum, qui post Nepotismum in Vrbe Roma inductum scripserit, quem hac phrasi arguit. Ad locum tertium ex Vita Hadriani II, *assumentum quoque & interpolatio* recentissimi scriptoris est, nam in omni Opere Anastasiano, nunquam leges Leonum aliquem IV. dictum, vel III. vel II, ut hic scriptor facit: atque hæc consuetudo quæ Pontificum nominibus numerum primi vel secundi vel tertii adjicit, post Martinum Polonum usurpata fuit.

Infirmitatem atque defectus alios editionis seu Moguntinæ non dissimulavit Johannes Busæus in Præfatione ad Lectorem, dum hortatur alios, ut si nanciscantur Manuscriptos Codices melioris notæ & antiquioris, quibus *inaccessa sibi ac salebrosa* corrigi & emendari possint, candem spartam iterum adornare non dedignentur. Certissimum est enim, MSS. Codices Vaticanos, lacunis corruptos fuisse atque interpolationibus, ob inquisitionem illic iniqua ratione dominantem. Vnde contigit Codices MSS. *de Vitis Romanorum Pontificum*, non interpolatos paucissimas, vel à fine non mutilos inveniri. Hoc testatur David Blondellus vir doctissimus, in *Anacrisi de Joanna Papissa* pag. 45. *Nullos fere nisi à fine mutilos, utpote in Leonis IV. elogium desinentes, Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam, Belgium, Manuscriptos Anastasii Codices reconditos habere.* Idem testatur Claudius Satravius Senator Parisiensis in Epistola ad Claudium Salmasium pag. 172. his verbis: *Accipe quod te non mediocri perfundat statim lætitia, sed nescio, an sincera & diuturna. Penes me jam est Bibliotheca Regia Codex MS. Anastasii Bibliothecarii, in quo disertis verbis legitur Vita Johannæ Papissæ, quam huic Epistolæ cum Deo attexam. In charta pergamena scriptus est manu valde recenti, utpote qua Paparum seriem ad Martini V. tempora deduxerit. In principio satis belle illi convenit cum editione Moguntina anni 1602. ex Marci Velseri Codice procurata. In sequentibus multæ reperiuntur varietates, & habet plurima editus, qua in Regio desiderantur. In Vita Benedicti III. hæc leguntur, quæ ex ipso Exemplari cum suis mendis descripsi.* Leo quidem hac luce subtractus Præsul occubuit. Mox enim omnis Clerus &c. *In Epistola dedicatoria ad Velserum, Typographus Joannes Albinus, alios duos locos citat ex Vita Nicolai I. & Hadriani II. quæ in ejus editione extant pag. 306. & 329, quibus idem omnino evincatur, Leoni nempe* immediate *successisse Benedictum: at in nostro Manuscripto non comparent, contractior quippe est narratio Gestorum istorum Pontificum in scripto, quam in edito. Hæc volui, nescius ne esses. Lutetiæ Parisiorum 29. Septembris 1645.* Neque hoc tantum Protestantes scribunt, sed & Pontificii, ac cæteros inter celeberrimus Johannes Launoïus Doctor Parisiensis Navarricus in Epistola ad Raimundum Formentinum, quæ extat Epistolarum parte VII. pag. 669. *Hic certe duo sunt. Unum est, Anastasii Librum de Vitis Pontificum, emendatione & ad priscos Codices MSS. recensione penitus indigere, quia passim lacunis & mendis aspergitur & inobscuratur* &c. Et Epistolarum parte VIII, ad Johannem Gerbasium pag. 732. *Qui opus Anastasii de Vitis Pontificum transcripserunt aut typis mandari curarunt, cum vox* PRÆSIDENTE *sibi incommodaret, ab eo litteram P sustulerunt, &c.* Adde Lucam Holstenium, Romanæ Bibliothecæ custodem, qui in Epistola XXI. ad Petrum Lambecium Nepotem suum tunc Parisiis agentem, pridie Kalendas Octobres 1647. scriptâ, quam Lambecius Tomo VI. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonæ pag. 270. edendam curavit, illum admonet, ut si in Regiis Codicibus MSS. reperiat *exemplar vetus & probum, quod operam exactiorem mereatur, minutiis relictis, Græcanica illa & mixobarbara potissimum inspiciat, si qua lux istis tenebris parari possit: tum vero ea qua in Italicis Codicibus desiderantur, quam poterit diligentissime excerpas, & lacunas, qua opus deturpant, expleat.* Hæc de MSS. Codicibus Pontificalis Vrbis Romæ Italicis.

Optantibus autem Historiam Johannis VIII. Fœminæ ejusque circonstantias cognoscere, suppeditabunt pro & contra, viri plures seculo anteriori ac nostro insigniores, qui de hoc argumento data opera ex professo scripserunt, tam ex grege Pontificiorum quam Protestantium, quorum Catalogum brevem ad Dissertationis coronidem hic adtexam.

Primus omnium Onuphrius Panvinius, qui Vitis Romanorum Pontificum Platinæ, Continuationem & Annotationes adjecit, anno 1562. Venetiis & alibi in 4. editas, de hoc argumento diffuse in Annotatione ad Vitam Joannis VIII. Papæ à Platina editam. Centuriatores Magdeburgenses Centuria IX, cap. 10. De Romanis Pontificibus col. 560. & seqq. editionis 1565. Basileæ in folio. Cæsar Baronius Tomo X. Annalium Ecclesiasticorum in Leone IV. ad annum 853. à Num. 62. usque ad Num. 71. Severinus Binius in Collectione Conciliorum facta Coloniæ Agrippinæ & edita annis 1602. & 1606. seculo IX. ante Vitam Benedicti III. ad annum 854. Florimondus Ræmundus Consiliarius Burdegalensis Parlamenti, seu potius Ludovicus Richeomus Jesuita Gallice in Opere inscripto *Refutation de l'erreur populaire de la Papesse Jeanne*, postea latine facto, & edito Burdigalæ anno 1601. in 8. apud Simonem Millangium. Robertus Bellarminus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, Tomo primo *Controversiarum de rebus fidei* Controversia III. Libro 3. cap.

cap. 24. Philippus Moroaius, Plessiaci ac Marliani Dominus, Salmuriensis ditionis Præfectus in *Mysterio iniquitatis* seu *Historia Papatus*, quam Jacobo primo Angliæ & Hiberniæ Regi anno 1611. obtulit, ad annum 854. pagina 163. ad 169. editionis Salmuriensis apud Thomam de Porta in fol. Conradus Deckherus in Opere inscripto *de Romano Papa & Papissa Romana*, hoc est, *Quadraginta Demonstrationum Nicolai Sanderi*, quod Papa Romanus non sit Antichristus ille insignis, *solida refutatio à Guillielmo Whitackero adornata*. Et *Assertio veritatis historiæ de Papa Johanne VIII, quod fuerit mulier & puerpera, contra Bellarminum & Baronium instituta* à Magistro Conrado Deckhero Juliacensi, Collegii Sapientiæ quod est Heidelbergæ Magistro. Oppenhemii 1612. in 8. typis Hieronymi Galleri. Samuel des Marets seu Maresius in *Joanna Papissa* à Blondello *restituta* ut putat, Scriptores multos ab ipso omissos observat, pag. 11. qui Historiam hanc operibus suis inseruerint, & pag. 12. advertit Egbertum Grimmium natione Anglum, Licentiatum in Theologia, edidisse Librum *de Joanna Papissa* Flandricum, in quo testimonia CXXXV. Scriptorum produxerat, quamvis opus à Blondello editum non plures quam LXX. alleget aut referat. Fuit Grimmius Professor Vesaliæ, qui anno 1636. mortuus est, ætatis 28. annorum duntaxat. Anno quoque 1598. Anglus anonymus latine edendum curavit librum inscriptum, *Assertio contra Jesuitas Papam Johannem VIII, fuisse mulierem*, impressum in 4. Londini anno citato: qui à Labbeo in *Cenotaphio Johannæ Papissæ* cognominatus *Guillelmus Perkinsius*, anno 1620. mortuus fuisse scribitur. Omnes ergo isti ejusdem ætatis cum Philippo Mornaio seu Mornæo, ut scribunt. Leo Allatius Chius, qui ex Monumentis Græcis, edidit *Confutationem fabulæ Papissæ* Romæ 1630. in 8. typis Cameræ Apostolicæ, quam Coloniæ anno 1645. recudendam curavit Bartoldus Nihusius, prologo, epilogo & telescopio adjunctis. Alexander Cook Anglus Minister Ecclesiæ Leedensis in Comitatu Eboracensi, in *Historia Joannæ Papissæ* Anglicâ, quam Gallicam fecit Joannes de la Montagne, editam in Dialogi forma Genevæ 1656. in 8. & Sedani anno 1633. Claudius Sarravius Parlamenti Parisiensis Consiliarius, de hoc argumento diffuse in *Epistolis duabus* ad Salmasium anno 1645. datis, quas cum aliis ejusdem viri Opusculis, Isaacus filius anno 1654. in 8. Arausioni edendas curavit, Serenissimæ Christinæ Suecorum Reginæ dicatas. David Blondellus Catalaunensis, Calvinianæ fidei & doctrinæ Minister, hanc spartam exornandam suscepit, conquisitis ex antiquitatis penu plurimis argumentis, tum in *Gallica elucidatione*, *Gallice Familier Eclaircissement sur la Papesse Jeanne* par David Blondel, quæ præmissa ad fratrem Epistola Amstelodami annis 1647. & 1649. in 8. edita fuit: tum in Libello posthumo in eadem Hollandia Latine edito, hujus tituli, *Famosa quæstionis, an fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices media sederit*, ἀνάκρισις: Amstelodami 1657. in 8. Samuel Desmarets seu Maresius, etiam Gallus, Professor Academiæ Groninganæ & Ecclesiæ Minister, quem multis injuriis in eum effusis Labbeus Jesuita insolentissimus lacerat, quæ laudem ejus & meritum ostendunt, Opus istud Blondelli posthumum, sub titulo *Johanna Papissa restituta*, cum eruditis suis animadversionibus, quas ejus hostis Labbeus *mendacissimas ac mendosissimas in Cenotaphio Joanna Papissa everso* appellat, Groningæ Frisiorum an. 1658. in 4. recudendum curavit, anno autem 1661. *Animadversiones Chronologicas in Joannem Papissam* in 4. Groningæ addidit. Philipp. Labbeus Jesuita Gallus edidit *Cenotaphium Joanæ Papissæ eversum* Demonstratione Chronica ineluctabili, impressum anno 1660 Parisiis in 8. ad calcem Tomi II. *de Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis*, & anno 1672. Tomo VIII. Conciliorum editionis Parisiensis col. 154. ad 222. quod his arrogantibus verbis concludit. *Hic vero erit impostorum favente Christo meta & tumulus Papissica fabulæ, nemine Hæreticorum contra mutire auso, ausurove, in æternum.* Et col. 157. ante Tabulam annorum XL. seculi IX, ex folio seculi ejusdem Scriptoribus synchronis digestam, eandem superbiam Jesuiticam omnibus palam facit, his provocationibus insolentibus. *Ad cujus examen & censuram, ex illis ipsis ejusdem temporis coætaneis Scriptoribus faciendam, provocatur & per totidem sociales quot hic sunt litteræ, diffidatur, ut ejus voce utar, Samuel Maresius Groningana Professor Academiæ, cæterique omnes πα̣πισ-σομανοῦντες, Heterodoxi Ecclesiæ Catholicæ, ejusdemque Romanorum Pontificum calumniatores.* Hæc Labbeus, vates hac in parte infelix. Licet enim omnium Protestantium ora occlusisse *Cenotaphio Joannæ Papissæ everso* arbitraretur, accessit post illum vir clarissimus Fridericus Spanhemius Theologiæ & Historiæ Ecclesiasticæ Professor in Universitate Lugduno-Batavâ, qui anno 1691. edendam curavit in 8. *Dissertationem Historicam de Papa Fœmina* quâ *Cenotaphium Labbei* penitus profligavit, & ejus *Tabulam Chronologicam Seculi IX. Romanorum Pontificum*, ut nullius omnino roboris, innixam Epistolis interpolatis, auctoribus incertis, falsis Corbeiæ Gallicæ privilegiis à Monachis confictis contrivit & exsufflavit. Alteram ad Operis calcem *Tabulam Chronologicam* ex insignioribus Scriptoribus adjecit, quâ inter Leonem IV, anno DCCCLIV. mortuum, & Benedictum III, anno DCCCLVI. finiente, vel DCCCLVII. inchoante electum, Joanni VIII. Fœminæ tempus Pontificatus assignatum reperit, contra Labbei aliorumque Pontificiorum nugas. Opus istud inter Spanhemii Opera omnia anno 1701. tribus in folio Tomis Lugduni Batavorum collecta, editum iterum Tomo 2. p. 577. &

& sequentibus apud Jordanum Lucman & socios. Denique Jacobus L'Enfant Gallus, Ecclesiæ Gallicanæ Berolinensis Minister, Gallico idiomate edendam curavit *Historiam Joannæ Papissæ* quadripartitam Amstelodami anno 1695. in 8vo, totam desumptam ex *Dissertatione Historica Spanhemii* præfata, adjunctis paginæ cuique citationibus à Spanhemio acceptis, cum *Tabula Chronologica Romanorum Pontificum seculi IX*, in qua locum *Johannæ Papissæ* inter Leonem IV. ac Benedictum III. ac tempus, contra Pontificias supputationes, ex insignioribus Chronologis invenit. Quisquis hoc argumento pro & contra saturari voluerit, scriptores antea productos, consulat.

Ad conclusionem Dissertationis addimus Vitam Joannæ Papissæ, qualem ex Anastasio Bibliothecario Regiæ Galliarum Bibliothecæ misit ad Salmasium vir Clarissimus Sarravius ad finem Epistolæ suæ CXXXVIII.

VITA JOHANNÆ PAPISSÆ EX MS. CODICE BIBLIOTHECÆ REGIÆ ANASTASII BIBLIOTHECARII.

POst hunc Leonem (quartum scilicet) Johannes Anglicus natione Moguntinus sedit annis duobus, mense uno, diebus quattuor, & mortuus est Romæ, & cessavit Episcopatus mense uno. Hic ut asseritur fœmina fuit, & in puellari ætate à quodam suo amasio in habitu virili Athenis ducta, sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur: adeo ut, post Romæ legens, magnos magistros discipulos & auditores haberet. Et cum in urbe vita & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu, per suum familiarem idem impraegnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colisæum & Sancti Clementis Ecclesiam, peperit: & post mortua ibidem, ut dicitur, sepulta fuit. Et quia Dominus Papa cum vadit ad Lateranum, eandem viam semper obliquat, creditur a pluribus, quod ob detestationem facti, hoc faciat. Nec ponitur in catalogo Pontificum propter muliebris sexus deformitatem, quantum ad hoc.

Hæc Vita Joannæ Papissæ quam retulit Sarravius ex MS. Codice Regiæ Bibliothecæ, de qoa loquitur Epistolis 138. 140. & 146. tam editionis anno 1654. Arausioni à filio Isaaco factæ in 8vo, quam alterius quæ Vltrajecti anno 1697. in 4. apud Franciscum Halmam recusa fuit. Eandem refert ex MS. Codice 733. Regiæ Bibliothecæ eodem, David Blondellos in *Anacrisi de Joanna Papissa* pag. 50. editionis Amstelodamensis 1657. in 8. Eandem hanc *Joannæ Papissæ Vitam* refert Fridericus Spanhemius Tomo 2. omnium operum suorum, ex duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Vltrajectinæ Num. 247. & 248. chartaceo uno & membraneo altero, *Miscellaneorum Sacra antiquitatis* lib. V. ad calcem Dissertationis *de Papa Fœmina* cap. XI. seu ultimo Num. 6. colum. 704 & 705 sub finem Operis.

JOHANNES ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONUS, postea Romanus Pontifex isto nomine octavus, si Heriberto Rosweido fidem adhibere velimus. Tantum vero abest, ut hic Johannes Diaconus sit idem cum Johanne VIII. Pontifice Romano, qui ab anno 872. sedit ordinatus die XIV. mensis Decembris in Dominica, & mortuus anno 882. die XV. ejusdem mensis: ut è contra noster hic Johannes Johanni huic Summo Pontifici *Vitam Sancti Gregorii Magni* à se compositam dicaverit, sicut ex ipsa inscriptione constat. Vnde si ad Romanam sedem assumptus unquam est, vel post Theodorum II. anno 898. Johannes nonus fuit, vel post Laudonem Johannes decimus, ab anno 915. ad 928. Sed omne istud ratiocinium, supervacaneum. Idem etiam Johannes Diaconus sub id temporis scripsit insignem Epistolam, *de variis ritibus ad baptismum pertinentibus & aliis observatione dignis*, quam *Itineri Italico* suo inseruit Johannes Mabillon pag. 69. erutam ex vetusto Codice Bibliothecæ Christinæ Reginæ, qui olim fuit Monasterii Ferrariensis in Gallia. In ea quædam occurrunt observatione digna *De ministro Confirmationis, de septem altaribus Sabbato Sancto in Ecclesia Romana erigi ac consecrari solitis, deque immissione lactis & mellis in calicem, eodem die*: cujus utriusque postremi ritus nullam invenimus mentionem, in Ordine etiam Romano, nisi benedictio lactis & mellis, quæ post benedictionem agni in die sancto Paschæ præscribitur, huc referenda sit. Hæc eadem Epistola, cum Gauderici alterâ, de Johanne isto, duo nos docet: alterum Johanni huic cognomen fuisse HYMONIDEM: alterum, eundem decessisse superstite Johanne VIII. cui Gaudericus suam inscripsit Epistolam, in qua Johannis Diaconi mortem commemorat. Vnde varius fuisse Pontificatus Johannis hujus colligitur, quem ei affinxit Heribertus Rosweidus. Laudatur à Sigeberto in Catalogo cap. 106. qui Anastasio quoque Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario inter intimos ac familiares fuit. Scripsit Johannes noster, cognomento *Hymonides*, Vitam *Sancti Gregorii Magni Romani Pontificis Libris IV.* quos ante Opera ejusdem Pontificis, impressos sæpius habes: atque apud Bollandum tom. 2. Martii ad diem 12. ejusdem mensis, & seculo I. Sanctorum Ordinis divi Benedicti pag. 398. denique apud Surium in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem 12. Martii mensis. Idem scripsit *Eclogas* seu *Breves Commentarios in Heptateuchum* desumptos magna ex parte ex verbis divi Augustini, quos vidi MSS. in folio, in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, atque illos editioni 870.

pa-

paratos. Composuit hos *Commentarios in Pentateuchum & libros duos sequentes, Josue & Judicum* ex sententiis Patrum, divi Augustini & Hieronymi passim, Origenis, Eusebii ex *Quæstionibus Pentateuchi*, Victoris Capuæ Episcopi, ex libello suo *Reticulo*, vel *de arca Noë*: itemque *ex libro Paradisi.* Tum ex Scholiis Diodori Tarsensis Episcopi, ad hæc ex Sermone Sancti Basilii *de Dogmatibus*, apud eundem Victorem. Ambrosii ex tribus libris Officiorum, & ex libro *de Martyrio Agricolæ & Vitalis*: & Hilarii ex libro quinto *de fide*: ac denique Pagati, seu Pacati contra Porphyrium. Hi Commentarii in Codice Sancti Germani Parisiensis optimæ notæ ita inscripti sunt: EXPOSITVM JOHANNIS ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONI IN GENESIM. Ita vero incipit hæc Expositio: *In principio creavit Deus cœlum & terram. In primo libro Augustinus contra adversarium legis & Prophetarum. Aut sic intelligendum est, quod scriptum est &c.* Insuper Johannes, rogante Gauderico Veliterno Antistite, adorsus est *Scriptionem Gestorum Sancti Clementis Papæ*, quemadmodum ex Gauderici Epistola intelligitur. Idem attestatur ipse Johannes, in fine Libri IV. de Vita Sancti Gregorii Magni. *Ego tamen divina spei fiducia roboratus, quia Gaudericus Veliternus Episcopus expostulat, ad Clementem Romanæ Sedis Antistitem suffragante Domino, stylum convertam: quatenus qui continuis infortuniis attenuatus, amicis meis, à quibus utcunque sustentor, meritum rependere nequeo, saltem verba quæ valeo, minime denegasse cognoscar.* At imperfectum hoc opus ob authoris mortem remansisse, ex Epistola Gauderici manifestum est. Hæc satis de Johanne Diacono cujus facta obscuriora erant. Quod ergo attinet ad Johannem, Vir fuit ætate sua eruditissimus, magna cupidine Literarum accensus, ut probant Opuscula varia, quæ componenda aggressus est. Nempe Libri IV. ab eo conditi *de Vita Sancti Gregorii Papæ primi*, qui recentibus Scriptoribus, Vitas Sanctorum ex propriis eorum Scriptis contexendi, exemplum præbuerunt. Sed nullum majoris momenti ac pretii Opus à Johanoe excogitatum fuit, quam Consilium scribendæ Historiæ Ecclesiasticæ. Ad id exequendum, Anastasius Johanni petenti suppetias tulit ex copiis Græcis à se Latine versis, unde concludimus, Johannem Græce nescivisse. Imprimis ergo Historiam seu Chronologiam tripartitam contexuit Anastasius ex tribus authoribus Græcis, Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane Abbate, *cum Præfatione ad Johannem Diaconum Vrbis Romanæ*, quam ita orditur: *Ecclesiasticam Carissime frater & digne Christi Levita Johannes, scripturus Historiam, exigi à me, quædam in Latinum stylum ex Græcis Voluminibus transferenda: quæ & ipsa quoque proposito inferas operi & intexas.* Alterum Anastasii opus in gratiam Johanois, sunt *Collectanea de iis quæ spectant ad Historiam Monothelitarum Hæreticorum*, quæ Jacobus Sirmondus juris publici fecit. Quid ex his suppetiis, à Johanne confectum fuerit, non constat. Quidam tamen ei tribuunt *Historiam Miscellaneam*, quasi ex illis tribus Historicis Græcis, aliisque consarcinatam, quæ ab aliis Paulo Warnefridi, Diacono ac Monacho Cassinensi attribuitur. Denique idem Johannes Anastasio fuit author, transferendi ex Græco in latinum sermonem, Passionem Sancti Demetrii Martyris, *cujus in domo sua Johannes mira antiquitatis & pulchritudinis oratorium habebat.* Agunt de *Johanne R. E. Diacono*, cognomento *Hymonide*, Possevinus in *Apparatu sacro*, pag. 866. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 271. pag. 231. Et in Scholio ad Caput 106. Sigeberti, de quo supra. Johannes Mabillonius in *Itinere Italico* pag. 76. secundæ partis, seu inter Instrumenta vetera producta recenter.

ÆLFREDVS SEV ALFREDVS ET ALVREDVS ANGLIÆ REX, *Magnus* a rebus gestis dictus, gente Anglus, Waddingtonæ in agro Bercheriensi anno 849. natus, filius Ethelwolphi Occidentalium Saxonum regis & Osburgæ, natu minimus, ab anno ætatis duodecimo literas nesciens, sed Saxonica Poemata, quæ diu noctuque audiebat, memoria fideli retinuit. Ætate provectior, tempus puerile deperditum, omni studio ac diligentia redemit, adeo ut non infimum inter eruditos seculi viros locum obtineret. Anno 871. Angliæ Munarchiam obtinuit solus, ac per triginta ferme annos tenuit, frequentibus Danorum incursionibus exercitatus, quos multis præliis superavit, & ipse ab iis ad summas angustias sæpe redactus, semelque etiam regno exutus. His vero omissis ad alia veniamus. Monasteria condidit, Ecclesias extruxit, Scholas atque Academiam Oxoniensem fundavit, in quibus Procerum liberos bonis literis imbuendos præcipue curavit. Quin & ipse exemplo suo aliis præivit, nam quotidie octo horas legendo, scribendo, dictitando & orando transigebat: adeo ut Grammaticus, Philosophus, Rhetor, Historicus, Musicus & Poëta, non ignobilis haberetur. Obiit Vir doctissimus, sapientissimus ac piissimus Princeps VII. Calendas Novembris anno 900. Christi, 29. regni sui, ætatis 51. in Wintoniensi civitate reconditus: cujus Vitam literis mandavit Asserius Menevensis ipsius domesticus & familiaris, unde pressiorem sitim explere possit curiosus lector. Hæc Guillelmus Cavus in Historia rei literariæ seculo IX. ad annum 871. pag. 560. Ingulfus Abbas Croilandiæ, illum eximie commendat à viris sanctis atque eruditis, quos accersitos undique Britannicarum partium, summo honori & contubernio familiari habuit. Audiamus, nec enim hæc pars minima est laudum hujus Regis, nec ab instituto nostro de- 870.

Scriptoribus Ecclesiasticis aliena est. Ita ille in *Historia Croylandia*, ubi de gestis Alfredi Regis ad annum DCCCLXXIV. Sanctorum pedibus acclivis & subditus, Sanctum Neotum „& S. Werfredum Episcopum Wigorniæ, qui „Libros *Dialogorum Beati Gregorii* ipse in Linguam Saxonicam jussu Regis transtulit, in summa veneratione habebat. In divinis libris & „sacra lectione tam assiduus erat, quod Davidicum psalterium, vel alium aliquem librum „ædificatorium in sinu suo semper secum ferret: & viros literatissimos de terris exteris „ad se accerseret, aliquandiu in palatio suo secum pro sacris literis addiscendis retentos, „demum diversis prælatiis & dignitatibus promovebat. Hinc S. Grimbaldum artis Musicæ peritissimum, & in divinis Scripturis eruditissimum evocatum è Francia, novo suo Monasterio, quod Wintoniæ construxerat, præfecit in Abbatem. Similiter de veteri Saxonia *Johannem* cognomento *Scotum*, acerrimum ingenii philosophum ad se alliciens, Athelingiæ „monasterii sui constituit Prælatum. Athelstanum & Wervulphum ad se advocans de „Mercia, qui ambo Sacerdotes erant devotissimi. Plegmundum etiam postea promotum „in Archiepiscopum Cantuariæ, ac Askerum „Abbatem Bangorensem, postea Schireburnensem Episcopum, illis in temporibus Doctores „celeberrimos, suo lateri adjunxit. „ Scripsit ut dixi, Asserius *Vitam Alfredi* quam edidit Matthæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis doctissimus, Londini 1574. in fol. literis Saxonicis, sed linguâ Latinâ unà cum Præfatione linguâ Saxonicâ: quæ iterum edita literis Latinis per Camdenum Francofurti anno 1602. In MSS. Codicibus Vniversitatis Oxoniensis numero 136. Littera I. Codice 8. extat *Vita Ælfredi Regis*, primi Monarchiæ Anglicanæ fundatoris, Anglicano sermone, in folio. Jam ad Opera Ælfredi Regis veniamus, quæ ex Catalogis MSS. Codicum Anglicarum Bibliothecarum, qui hoc anno 1698. in lucem dati sunt Oxonii 2. tomis in folio, maximis eruditorum votis.

Ælfredi Regis *Paraphrasis Saxonica Historiæ Ecclesiasticæ Venerabilis Bedæ*, quam cum Bedæ Historia edendam curavit Abrahamus Whelocus Cantabrigiæ 1644. in folio. Ejus autem MS. exemplar extat in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Othonis, littera B. Codice XI, cui etiam appendix additur.

Leges quamplurima, quarum pars longe maxima ad Ecclesiam spectat, quas etiam Latine & Saxonice edendas curavit idem Abrahamus Whelocus loco citato, in Appendice pag. 15. Extant autem in Codice MS. bibliothecæ Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ 269. num. 3. *Leges Alvredi Regis Saxonice*. Et in bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis, Littera B. Codice XI. num. 10. *Regis Ælfredi leges & Regis Ina leges*, & aliæ, in unum corpus collectæ *Saxonice*.

Pauli Orosii Historiam sive *Hormestam* in Saxonicam linguam transtulit, cujus versionis Præfatio habetur apud D. Henricum Spelmannum in Appendice ad Vitam Regis Ælfridi pag. 205. Ipsa vero translatio Saxonica habetur MS. ex interpretatione Regis Alfredi in bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii B. Codice 1. num. 1. Saxonice. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ 5127. in MSS. Francisci Junii Cod. 15. *Orosii versio Saxonica*, quam ex MS. Cottoniano descripsit manu propria Franciscus Junius. Postmodum hoc Apographum collatum fuit cum Codice MS. è bibliotheca Lauderdaliana petito, qui olim fuit Joannis Deè M D peculium, continetque pag. 102. in folio chartaceo.

Psalterium Davidis saltem ex parte Saxonice convertit, cujus versio prodiit una cum textu Latino, à Joanne Spelmanno Henrici filio, edita Londini anno 1640. in 4.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 2079. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji littera C 3. Codice XI. *Boethius de consolatione philosophiæ* Saxonice versus per Ælfredum Regem. Item ibidem num. 5124. in MSS. Codicibus Francisci Junii Codice 12. *Boetius de Consolatione Philosophiæ* ab Alfredo Rege translatus in linguam Saxonicam, cum Notis & emendationibus Francisci Junii, omnia manu Junii propria conscripta.

Ælfredi Regis Parabola Saxonice, inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ, Classe V. in MSS. Codicibus num. 1605. Kenelini Digbræi Codice 4.

Inter MSS. Codices ejusdem bibliothecæ Bodlejanæ num. 5181. Codice 70. Francisci Junii, *Flores ex divi Augustini Soliloquiorum libro collecti & Saxonice redditi ab Alvredo Rege Anglorum*. Descripsit Junius ex Cod. MS. in bibliotheca Cottoniana, sub effigie Vitellii littera A. Cod. 15, continetque p. 48.

Ibidem num. 4113. bibliothecæ Bodlejanæ, in Hyperoo Bodleiano Cod. 88 *Gregorii Magni liber de cura pastorali, ab Alvredo Rege in linguam Saxonicam* versus, in fol. Ibid. num. 5165. in Codicibus MSS. Francisci Junii Codice 53. n. 1. Ibidem num. 5165. in MSS. Codicibus Francisci Junii Cod. 53. num. 1. *Natale S. Gregorii Papæ ex parte secunda Homiliarum Saxonicarum* bibliothecæ Cottonianæ. Num. 2. *Gregorii Pastorale Saxonice Alfredo interprete*, collatum cum Codice bibl. Cottonianæ, & altero exemplari. Hi duo Tractatus sunt scripti manu Francisci Junii. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, extat in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, num. 257. *Gregorii Pastorale ab Alvredo Rege è Latino in Saxonicum conversum*. Ibidem num. 2433. Codice 253. Bibliothecæ publicæ, *Pastorale Gregorii ex versione Alvredi in Saxonicam linguam*. Denique ejusdem exemplar vetustissimum, & quod olim erat

erat Codex Plegmundi Archiepiſcopi, qui anno 890. floruit, cujus character elegans, perpulcher & vetuſtiſſimus, habetur in bibl. Cottoniana ſub Tiberio, littera B. Codice II. nom. 1. Alius item Codex ibidem ſub Othone B. 2. num. 1. Denique non interierunt penitus ut Cavus arbitratus eſt, *Dialogorum S. Gregorii libri IV. ab eo Saxonice verſi*, ſed extant Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti Codice 270. ubi hæc nota adjungitur: *Werefrethus Epiſcopus Wigornienſis, juſſu Alvredi Regis libros Dialogorum B. Gregorii de Latinitate in Saxonicam linguam tranſtulit.* Rogerus Hoveden ita inquit, imò & Ingulfus autor citatus.

Ejuſdem Teſtamentum extat apud Aſſerium Meneveſem in Vita illius pag. 22. Et inter MSS. Codices Hiberniæ num. 414. in Codicibus MSS. Collegii Sanctiſſimæ Trinitatis Dublinenſis littera E Codice 284. qui Excerptorum diverſorum eſt, num. 39. *Alfredi Regis Teſtamentum* extat p. 685. ad 689.

Meminit Ælfredi Regis tanquam Scriptoris Joannes Baleus Centuria 2. cap. 26. Joannes Lelandus, Collectaneorum volumine 4. num. 81. pag. 110. Gerardus Joannes Voſſius libro 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 38. pag. 335. editionis ultimæ. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ſeculo IX. ad annum 871. p. 560.

870. OTFRIDUS MONACHUS WEISSEMBURGENSIS, claruit apud Germanos annum circa 870. Diſcipulus haud ignobilis clariſſimi Magiſtri Rhabani Mauri, Abbatis primum Fuldenſis, tum poſtea Moguntinenſis Archiepiſcopi. Hujus inſignem habet mentionem, Johannes Trithemius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, impreſſo ſeparatim in 4. Coloniæ Agrippinæ typis Peſli Quentel anni 1531. & 1546. Atque in fol. Francofurti typis Wechelianis anno 1601. conjunctim, cum omnibus ejus Operibus Hiſtoricis.

„Ibi ita loquitur. Otfridus Monachus „Wiſſemburgenſis Cœnobii, Ordinis divi Pa„tris Benedicti, natione Theutonicus, Rhabani „Mauri Abbatis Fuldenſis quondam auditor at„que diſcipulus, vir in divinis Scripturis erudi„tiſſimus, & in ſæcularibus litteris egregiè do„ctus, Philoſophus, Rhetor & Poëta inſignis, „ingenio excellens & diſertus eloquio, ſcripſit „tam metro, quam proſâ, multa præclara Opu„ſcula, quibus nomen ſuum ad poſteros trans„miſit. Exemplo etiam Caroli Imperatoris „Magni, conatus eſt barbariem Linguæ Theu„tonicæ ad regulas Grammaticales reducere, „quod & ex parte perfecit. Unde ea quæ pa„trio ſermone conſcripſit, non facile noſtrâ æta„te legi & intelligi poſſunt, etiam ab homine „quantumvis Theutonicæ Linguæ perito. De cujus Opuſculis extant ſubjecta.

„*Ad Liutbertum Moguntinenſis Eccleſiæ Archi„epiſcopum Octavum, in Evangelium, Opus grande „& inſigne, quod prænotavit Gratiam Theotiſce Libris V.* Dignitatis culmine, gratiâ divinâ præ„celſo &c. Ad Ludovicum Regem Lib. I. Lu„dovico Orientalium. *Ad Salomonem Epiſco„pum Lib. I.* Salomoni Epiſcopo Otfridus. *Ad„ Monachos ſancti Galli Lib. I.* Otfridus Wiſſem„burgenſis. *In Pſalterium Volumina tria Lib. 3.„ De judicio extremo Lib. I. De gaudiis regni Cœleſtis„ Lib. I. Carmina diverſi generis Lib. I. Epiſtola„rum ad diverſos Lib. I.* Alia inſuper multa com„poſuit, quæ priorum negligentiâ perdita, &„ ignorantia Monachorum eraſa & lacerata, ad„ me non pervenerunt. Claruit ſub Ludovico,„ Lothario & Carolo Imperatoribus, ſibi invicem„ ſuccedentibus, anno Domini DCCCLXX.„ Hæc Johannes Trithemius.„

Otfridi porro Volumen Evangeliorum in quinque libros diſtinctum, continet MS. Codex membranaceus in 4. (ut vocant) maiori, qui inter MSS. Codices Theologicos latinos Cæſareæ Bibliothecæ Vindobonenſis ordine 524. eſt. Continet is Codex Otfridi Monachi Wizanburgenſis ſive Weiſſemburgenſis, Ordinis S. Benedicti, qui Rhabani Mauri Archiepiſcopi Moguntini fuit diſcipulus, *Volumen Evangeliorum* antiquis Richmis Theotiſcis compoſitum, & in quinque libros diviſum, quod is Liutberto Archiepiſcopo Moguntino, qui anno Chriſti 865. electus, & anno 889. mortuus eſt, ſingulari præfatione Latinâ dedicavit. Otfridus nempe inter Rhabani Mauri diſcipulos ſine controverſiâ fuit præcipuus, qui patriæ linguæ poſt ipſum excolendæ, egregiam navavit operam, ut vel ex unico iſto ſupra memorato *Volumine Evangeliorum Theutonico* videre eſt. Quod autem ad MS. iſtum Codicem, de quo in præſens agitur, attinet: conſtat certo, cum ex ſcripturâ tum quoque ex aliis indiciis, exaratum eum eſſe ipſo Otfridi ſæculo, hoc eſt ante annos octingentos, ſi à tempore Liutberti Archiepiſcopi Moguntini, uſque ad præſentem annum 1688. ſucceſſio temporis deducatur. Diſtinctus autem eſt hic Codex Cæſareus, ab altero illo, quo uſus eſt Matthias Flacius Illyricus, qui inſigne illud Otfridi Opus edidit primus Baſileæ anno 1571. in 8. Obtulitque ſeu dedicavit Generoſiſſimo Domino Adolpho Hermanno Riedeſel, Marſchallo Haſſiæ hæreditario, cum duplici præfatione, Latina nempe & Germanica. Quæ quidem editio ob Codicis manuſcripti quo uſus eſt, corruptionem, mendoſa plurimum eſſe dicitur & mutila. Cui malo ſuccurrere quis poſſet, collatione facta ad MS. Codicem vetuſtiſſima Cæſareæ Bibliothecæ. Nam *primum* titulus generalis, *Otfridi Evangeliorum liber*, quem Illyricus toti huic operi præfixit, hoc modo corrigendus eſſet: *Otfridi Volumen Evangeliorum, in quinque libros diſtinctum.* Hoc enim indicat ipſe Otfridus in Præfatione ad Liutbertum Archiepiſcopum Moguntinum, inquiens: *Volumen iſtud in quinque libros diſtinxi.* Aliud ergo eſt *Libri ſingularis*, aliud *Volumen in quinque Libros diſtinctum ſive diviſum.* Addo *ſecundo* in

in eodem Illyricianæ editionis titulo, perperam legi: *Otfridus de Weissemburg, Monachus S. Galli.* Otfridus enim non fuit Monachus Cænobii Benedictini S. Galli in Helvetia, sed Cænobii Benedictini Wizemburgensis in Alsatia, quod nunc sub titulo Præposituræ ad Episcopatum Spirensem pertinet. Errandi causam Illyrico præbuit, quod in Johannis Trithemii Spanheimensis primo, deinde autem S. Jacobi Majoris apud Herbipolim Abbatis, *Catalogo Illustrium virorum Germaniæ:* & in ejusdem libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, legerat: *Otfridum composuisse librum unum ad Monachos S. Galli.* Hinc enim falso credidit, ipsum quoque Monachum fuisse sancti Galli. Verum Carmen istud *Theotiscum* Otfridi ad Monachos S. Galli, quod Trithemius perperam librum appellat, etiam nunc integrum extat, in citato MS. Codice Cæsareo, cum inscriptione ista: OTFRIDUS WIZANBURGENSIS MONACHUS, HARTMUATÆ ET WERIMBERTO SANCTI GALLI MONASTERII MONACHIS. *Tertio* falsum est, quod Illyricus in Præfatione sua scribit *Otfridum* huic Volumini Evangeliorum, nomen GRATIÆ in titulum imposuisse, voluisseque hoc modo significare, *bona opera non esse necessaria ad salutem, sed justificationem nostram esse gratuitam, & per solam fidem contingere sine ullis nostris meritis.* Abhorruisse videtur *Otfridus* ab illo dogmate Epicureo & perniciosissimo, inquit Lambecius optimus Pontificius, saltem specie tenus: atque Illyrico fingendæ istius calumniæ occasionem præbuit, error quidam inveteratus & à nemine hactenus animadversus, qui extat in libro Johannis Trithemii *De Scriptoribus Ecclesiasticis:* atque ex eo fonte sine ulla correctione à Conrado Gesnero, Joanne Jacobo Frisio, Antonio Possevino, & compluribus aliis ad verbum descriptus & propagatus est. Ex verbis enim Trithemii, ad hujus argumenti frontem allatis, clare satis apparet, quod is crediderit, Titulum primum quo *Otfridus* quinque suos Evangeliorum libros insignivit, fuisse hunc, *Gratia Theotista*, quem errorem postea, alii multi authoritate ipsius decepti, atque alios inter potissimi, Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, Joannes Jacobus Frisius in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, atque Antonius Possevinus in suo *Apparatu sacro*, simplici descriptione approbarunt. Nec quisquam eorum inquisivit, quid per absurdum illud & nullius significationis *Theotista* nomen, esset intelligendum: quanquam interim Illyricus præcedens *Gratiæ* nomen, in alium ab *Otfridi* sententia sensum prorsus diversum, pravitate heretica ut vult Lambecius detorquere ausus fuerit. Sed ambiguum omne tollit MS. Codex Cæsareus, in quo inscriptio libri primi istius Evangeliorum voluminis, hoc modo majusculis literis legitur: *INCIPIT LIBER EVANGELIORUM PRIMUS, DOMINI GRATIA THEOTISCE CONSCRIPTUS*, Hic profecto DOMINI GRATIA nihil aliud significant, quam *Divina benignitate & permissione*, vel *Divino auxilio:* nihilque favent ad hominum salutem ab operibus independentem affirmandam. Hoc pluribus & magno cum æstu prosequitur Petrus Lambecius tomo & *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ*, cap. 5. pag. 419. & sequentibus. Atque hujus Voluminis Evangeliorum Theotisce conscriptorum ab *Otfrido Monacho*, tria olim in partibus Germanicis MSS. Exemplaria inventa sunt: unum sancti Corbiniani Frisingensis, ut testatur Beatus Rhenanus Lib. 2. Commentariorum *De rebus Germanicis:* aliud ex quo procuravit editionem suam Matthias Flacius Illyricus: ac tertium, quod extat Imperiali Bibliotheca Viennensi; de quibus latissime loquitur Lambecius tomo 2. *Commentariorum Bibliothecæ hujus Cæsareæ* cap. 5. à pag. 453. ad 459.

Præter istas jam appositas animadversiones, adverte *Quarto* quam modicam debeamus Joanni Trithemio fidem, multa sæpius Opera antiquis, sub nomine *Librorum* attribuenti, quæ vel nulla sunt, vel tam modica, ut nomen *Libri* haud mereantur. Hæc ille sane ut tibiam inflaret suam, prolixisque Operum Syllabis, clariores redderet scriptores. Hoc ipsi contigit, de Otfridi operibus scribenti: quorum elenchum hic reformare, cum Lambecio citato allubet. Itaque per *Librum ad Regem Ludovicum* quem Trithemius recenset atque Otfrido adscribit: constat nihil aliud intelligendum esse, quam *Carmen quoddam Theotiscum dedicatorium*, Volumini Evangeliorum præfixum, cujus initium incipit: *LUDOWIG THER SNELLO &c.* quod refert Lambecius loco citato, pag. 421. Item quoque per *Librum ad Salomonem Episcopum Constantiensem*, nihil aliud intelligendum est, quam Theotiscum illud carmen dedicatorium, Volumini Evangeliorum præmissum, cujus initium: *SI SALIDA GIMUATI &c.* de quo Lambecius loco citato, pag. 429. Item per *Librum de judicio extremo*, significantur libri quinti Voluminis Evangeliorum caput decimum nonum, cujus lemma, *de die judicii.* Caput vigesimum, cujus Lemma: *Quomodo Christus judicaturus sit mundum.* Caput vigesimum primum; cujus lemma: *Quam districtum futurum sit tunc judicium Dei?* Caput vigesimum secundum, cujus lemma: *Ibunt justi in vitam æternam.* Per *librum de gaudiis regni cœlestis*, significatur ejusdem libri quinti jam memorati caput vigesimum tertium sive antepenultimum, cujus argumentum: *De æqualitate cœlestis regni, & inæqualitate terreni.* Denique per *Librum ad Monachos sancti Galli*, significatur Carmen illud Theotiscum ad duos Monasterii S. Galli Monachos Hartmutum & Werimbertum scriptum, quod hoc Volumini Evangeliorum subjectum est, & hisce incipit verbis: *OBA IH THERO BUACHO GUATI &c.* Hinc ergo apparet, jam memorata *Otfridi* quinque Poëmata Theotisca modica, quæ Volumini suo Evangeliorum partim præ-

præfixit, partim inferuit atque fubjunxit: perperam à Johanne Trithemio & cæteris, qui authoritatem ejus abfque diffenfione amplexi funt *Libros fingulares* appellari.

Veruntamen, in compenfationem tot Operum Otfrido fubtrahendorum, reftituendum eft ei aliud Volumen, de quo abunde loquitur Petrus Lambecius, Libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæfarea* cap. 8. pag. 757. occafione *Codicis XXII.* Bibliothecæ arcis Ambrafianæ, quæ a. 1665. in Imperialem Bibliothecam Viennenfem allata eft. „Codex XXII. Pfalterium Davidis „membranaceum in 4. (ut vocant majori,) „cum Otfridi Mon. Wizanburgenfis five Weif- „fenburgenfis Ordinis S. Benedicti, antiqua „Theotifca Paraphrafi profaica, fingulis cujuf- „que Pfalmi Latinis Verficulis fubjuncta, quæ „quidem hactenus nondum in lucem prodiit. „Digniffima tamen perfecto eft, cum propter „*antiquam Theotifcam five Franticam linguam, Imperatoris Caroli Magni avo ufitatam*: tum vero „etiam ob ipfius argumenti, & reconditæ do- „ctrinæ præftantiam, ne diutius in tenebris la- „titet, beneficio typographiæ quam pri- „mum publicetur. Scriptus autem eft fine du- „bio hic Codex, ut ex fcriptura, aliisque variis „certiffimis indiciis aparet, ipfo *Otfridi* ævo, „nempe poft medium fæculi noni inclinantis: „quo eodem tempore idem *Otfridus* Volumen „Evangeliorum *antiquis Ritbmis Theotifcis* com- „pofitum, & in quinque libros divifum, Ludo- „vico Imperatoris Ludovici Pii filio, Franciæ „Orientalis Regi, ut & Liutberto Archiepifco- „po Moguntino, atque Salomoni primo ejus- „dem nominis, Epifcopo Conftantienfi dedica- „vit: uti fupra pag. 415. & 421. non minus fo- „lide, quam prolixe à me demonftratum eft. „Cæterum in quo ftatu perveruftus ille Pfal- „terii Codex Theotifcus ad noftram pervenerit „ætatem, & quid præter ipfos Pfalmos Davidi- „cos contineat, ex fequenti fuccincta recenfio- „ne videre eft &c." Quam autem ille fuccinctam vocat recenfionem, nos nimiam atque jejunam opinati, omifimus: ut ad breviorem, viroque digniorem reverteremur, quam ille habet ibidem, cap. 5. pag. 459. his verbis, quibus Johannem Trithemium commendat *de Operibus Otfridi* differentem, amplius quam oporteat. „Notandum *fecundo* eft, per *tria Otfridi Volumina*, five *totidem libros in Pfalterium*, „nihil aliud intelligendum effe, quam *Theotifcam Paraphrafim profaicam*, fingulis cujusque „Pfalmi Latinis verfibus fubjunctam. Reperi „enim anno 1665. cum Sacræ Cæfareæ Maje- „ftatis in itinere Oenipontano comes effem, „egregii hujus & publica luce tam refpectu „argumenti, quam antiquitatis & linguæ, di- „gniffimi Operis perveruftum, & uti ex Scri- „ptura aliisque circumftantiis liquet, ipfo *Otfridi* ævo exaratum Codicem Membraneum, in „Bibliotheca arcis Ambrafianæ juxta Oenipon- „tem fitæ, eumque una cum aliis multis præftantibus Codicibus MSS. in Auguftiffimam Bi- „bliothecam Cæfaream Vindobonenfem trans- „tuli. Extant etiam in eodem rariffimo Codi- „ce, *ejusdem Otfridi Homilia quædam Theotifca in Evangelia*, quarum Joannes Trithemius fupra „citato loco itidem meminit. Item *Paraphra- fes Theotifca* in Canticum Efaiæ Prophetæ, „*Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi* „&c. In Canticum Ezechiæ Regis Judæ, *Ego dixi in dimidio dierum meorum* &c. In Canti- „cum Annæ, Cantemus Domino, gloriofe enim „magnificatus eft &c. In Canticum Habacuc „Prophetæ, *Domine audivi auditionem tuam, & timui* &c. In Canticum Mofis, *Audite Cæli quæ loquor* &c. In Orationem Dominicam. In „Canticum Zachariæ Prophetæ, *Benedictus Dominus Deus Ifraël* &c. In Canticum beatiffimæ „Virginis Mariæ, *Magnificat anima m a Dominum* „&c. In Symbolum Sancti Athanafii, *Quicunque vult falvus effe* &c." Hæc ille multis imperiales MSS. Codices explicans v rbis, tomo 2. Commentariorum fuorum hujus Bibliothecæ Cæfareæ Vindobonenfis, pag. 459. & 460. Sed latius atque ad naufeam usque, de eodem MS. Codice, ibidem cap. 8. pag. 757. usque ad pag. 761. Agunt autem de *Otfrido Weiffemburgenfi Monacho* Johannes Trithemius in libris fuis tam *de Scriptoribus Ecclefiafticis*, quam *de viris Illuftribus Germania*. Conradus Gefnerus, ejusque Epitomator Jofias Simlerus. Antonius Poffevinus tomo 2. *Apparatus facri*, verbo *Otfridus*. Sed ampliffime locis citatis Lambecius, quem heic in compendium collegimus atque exfcripfimus.

RATPERTUS THUREGIENSIS, MONACHUS ABBATIÆ S. GALLI IN HELVETIA, confanguineus Sancti Notkeri cognomento Balbuli & coætaneus extitit, de quo infra dicemus. Eckerardus Junior in libro *de cafibus monafterii Sancti Galli* cap. 2. laudat Magiftrum Ifonem, quod illic eximios in Schola fua habuerit difcipulos, *Notkerum Balbulum, Tutilonem & Ratpertum*, ut in *Ifone* fupra diximus. Hinc conftat floruiffe illum temporibus Ludovici II, Caroli Calvi, Ludovici III. & Caroli Craffi, ut fcribit Gerardus Joannes Voffius Libro 3. *de Hiftoricis Latinis* parte 4. de Hiftoricis prætermiffis cap. 4. pag. mihi 760. Melchior Goldaftus Haiminsfeldius in Collectaneo Scriptorum Germaniæ, quod anno 1606. in Folio Francofurti 3. tomis fimul junctis edendum curavit, habet pag. 19. *Excerpta de Origine & diverfis cafibus Monafterii Sancti Galli in Helvetia, ex libris Ratperti & Eckerardi Junioris Abbatis Sancti Galli*, quæ in ætatis fuæ temporibus definunt. Hæc eadem extant Tomo III. *Hiftoricorum Francia* ab Andrea Duchefnio collectorum, edito Parifiis anno 1641. in fol. pag. 481. poft Hepidanni ab anno Chrifti 709. ad annum usque 1044. Chronicon pag. 471. Idem condidit *Monafterii fui Chronicon* usque ad 870.

ad Abbatem Bernardum primum, qui Cœnobio isti anno 883. præerat, unde Scriptor iste eo ipso anno decessisse à nonnullis dictus est, quoniam ultra Chronicon suum non produxisset, quod in Monasterio ante dicto, quater MS. vel amplius extare dicitur. Scripsit etiam *Vitam Sancti Galli* linguâ Germanicâ, quam Eckerardus Junior postea Latine reddidit. Reliquit pariter Hymnos de S. Gallo & S. Othmaro, opuscula momenti nullius. Hæc nobis suggessit Gerardus Joannes Vossius, cujus sententiam in ætate Ratperto assignanda secuti fuimus.

870. EPIPHANIUS CONSTANTIÆ IN CYPRO ARCHIEPISCOPUS nominis Tertius, anno 870. claruit, quo circiter tempore restitutum Ignatio Constantinopoleos Patriarchatum per literas gratulatus est, se Synodo anno superiore ab illo habitæ decreta ex animo suscipere professus: cujus hæc extat *Epistola* Græco-Latina in *Prolegomenis* Synodi VIII. Generalis, Conciliorum Tomo VIII. columna 1276. Cum autem Archiepiscopi Græci aliunde declamandis ad populos homiliis seculo isto nonn maxime claruerint, recte Epiphanio isti seculi IX, adscripserunt Critici nasutiores, *Homilias plures de diversis argumentis*, quæ Græce ac Latine habentur Tomo 2. omnium S. Epiphanii Senioris Operum, tam editionis Græco-Latinæ Parisiensis 2. Voll. in folio anno 1622, quam Coloniensis anno 1682. quæ ibidem hoc ordine extant.

Oratio in Festo Palmarum pag. 251. interprete Stanislao Phœnicio, Græce & Latine.

Oratio in Christi sepulturam Græce & Latine pag. 259. interprete Consalvo Pontio Regionensi.

Oratio in Christi Resurrectionem Græce & Latine pag. 276. interprete Dionysio Petavio.

Oratio in Christi Assumptionem Græce & Latine pag. 285. interprete Theodoro Peltano.

Oratio de laudibus beatæ Mariæ Græce & Latine pag. 291. interprete Joanne Pico Parisiensi Canonico.

Oratio in Festo Palmarum Græce & Latine p. 301 interprete Dionysio Petavio.

Oratio de Numerorum Mysteriis Græce & Latine pag. 304. interprete Dionysio Petavio.

Oratio de Christi Resurrectione Latine tantum pag. 310. interprete Gerardo Vossio.

„ Jam Orationes illæ (inquit Dionysius Petavius in Prolegomenis ad Tomum secundum) quæ Epiphanii nomine fucum jamdudum faciunt, satis cum stylo ipso, tum aliis quibusdam indiciis, alterius vel Epiphanii vel Authoris, se esse declarant. Epiphanios enim fuisse complures, Cypri etiam Episcopos, observabat R. P. Jacobus Sirmondus, hoc est, præter nostrum illum & insignem, duos. Alter Cypri Archiepiscopus fuit, cujus nomine in Synodo sextâ anno 680. subscripsit Theodorus Episcopus Trimethuntorum, ut in Actione XVIII. legitur. Alter Archiepiscopus perinde Cypri, cujus Epistola extat ad Ignatium Patriarcham à Matthæo Radero nostro edita, cum Synodo VIII. Horum igitur alteri, vel ambobus, vel cuivis denique potius, quam Epiphanio nostro, Orationes istæ tribuendæ sunt. Quare nullo à nobis flagitio prætermitti in hac editione poterant. Sed ne quid, quod Epiphanii nomine utrumque esset inscriptum desideraret Lector: tum ut nec paulatim, quamvis alienæ, non contemnendæ tamen lucubrationes obliterarentur, eas ad calcem Tomi hujus Secundi, conjiciendas decrevimus." Hæc Petavius loco citato. Petrus Lambecius in Commentariis Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, alia ipsius nomine in MSS. Codicibus hujus Bibliothecæ Græce extantia profert Tomo 3. Commentariorum pag. 163. & 196. his verbis. „Codice Manuscripto Theologico Græco LXXVIII. Num. 68. folio 146. pag. 2. Sancti Epiphanii Episcopi Constantiæ sive Salaminis in Cypro, Explanatio verborum Epistolæ I. ad Corinthios cap. 2. vers. 10. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Item Num. 69. fol. 146. ejusdem Explicatio verborum Christi Matthæi 24. versu 36. *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angelus, neque filius, nisi Pater.* Item Codice LXXIX. num. 19. inquit, Decimo nono & quidem à fol. 117. pag. 2. usque ad folium 118. pag. 2. Epiphanii Constantiæ Cypri Episcopi, *Recensio viginti duorum operum Hexam.* creationis mundi, cujus titulus & principium, Τοῦ ἁγίου Ἐπιφανίου Ἀρχιεπισκόπου Κύπρου εἴκοσι δύο ἔργα ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τῆς ἑβδόμης ἡμέρας, ἅτινά ἐστι τάδε. Τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ &c. " Præter Petavium & Lambecium allatos, faciunt mentionem Epiphanii istius, Leo Allatius in Diatribe *de Symeonibus & eorum Scriptis* pag. 111. & 114. Guillelmus Cavus in *Historia rei litteraria* ad annum 870. pag. 560, itemque in Epiphanio Seniore Salaminæ in Cypro Episcopo seculo IV. ad annum 368. p. 186.

PROCOPIUS DIACONUS ET CHARTOPHYLAX MAGNÆ ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ claruit iis temporibus in Oriente & Constantinopoli, quibus tot insignes viri claruerunt, celebres illi in declamandis apud plebes suas homiliis & Concionibus anno 870. vel circiter, quo ob eloquentiam in homiliis ad populum pronuntiandis, etiam Photius Patriarcha Constantinopolitanus eminuit, quem Cavus in *Historia Litteraria* parte 1. ad annum 858. collocat. Nicetas David, Paphlago etiam dictus anno 880. Georgius Magnæ Ecclesiæ CP. Chartophylax ac postea Nicomediensis Archiepiscopus Ecclesiæ. Epiphanius Junior, Salaminæ in Cypro urbis, quæ Constantia postmodum dicta fuit, Archiepiscopus, uti Dionysius Petavius 870.

qui

qui Opera S. Epiphanii Senioris Græce & Latine imprimenda curavit, testatur, quem anno 870. assignat. Michael Monachus & Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyter quem Cavus anno 878. alligat, cuique Homilias ejusmodi de *diversis argumentis* & *festorum solemnitatibus* in Ecclesia Constantinopolitana tunc obtinentibus, parte 2. ad annum 878. adscribit, eadem igitur tempestate, qua celebris ille vir, Procopius apud Constantinopolim inclytus extitit. Scripsit *Encomium divinorum Archangelorum Michaelis & Gabrielis.* Principium Ἀγγελικῆς πανηγύρεως ἡ προαφωρισμένη κυρία παρέστα, συναθροίζει, de qua Allatius in Diatriba *de Symeonibus* loquitur pag. 87. Item *Encomium in Sanctum Apostolum & Evangelistam Joannem.* Initium Ἀπόστολος ὁ τὴν φαιδρὰν ταύτην συγκροτήσας πανήγυριν &c. quæ extat MS. in Bibliotheca Bodleiana, inter Codices MSS. Baroccianos Codice CCXL. *Encomium in Sanctum Apostolum & Evangelistam Marcum*, quod incipit Πάλιν Ἀποστολικὴ καταστράπτει πανήγυρις, cujus meminit Leo Allatius loco citato pag. 104. Hæc Procopii Opuscula tria Græce & Latine edenda voluerunt Bollandistæ socii in Aprili mense ad diem XXV. Ejusdem *Sermo in celebrationem Sanctarum & venerabilium imaginum* asservatur Græce MS. in Bibliotheca Eusebii Renaudot Parisiensis Theologi, cujus meminit CL. du Fresne in Indiculo *Auctorum Græcorum* MSS. quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 32. his verbis: Procopii Diaconi & Chartophylacis λόγος εἰς τὴν τῆς Ὀρθοδοξίας τῶν σεπτῶν καὶ ἁγίων εἰκόνων πανήγυριν ex Codice MS. C. V. Eusebii Renaudoti. Hinc ætatem Procopii agnoscas, qui Panegyrim in festum Orthodoxiæ scripsit, quod post imagines anno 842. restitutas, recenter apud Græcos ob memoriam tantæ rei ab Iconodulis ex superstitione institutum fuit.

870. NOTKERVS BALBVLVS SANCTI GALLI MONACHVS, natione Germanus, à linguæ impedimento quo tenebatur *Balbulus* dictus, claruit ab anno 870. discipulus Magistri Isonis in Cœnobio S. Galli atque Ratperti condiscipulus ac Tutilonis, ut habet Eckerardus Junior in libro *de Casibus Monasterii S. Galli* c. 2. quem nonnulli, quibus assentior, anno 912. die 6. Aprilis obiisse volunt. Hujus Vitam scripsit idem Eckerardus tertius seu Minimus dictus, ratione ætatis qua vixit, Sancti Galli Monachus ætate Friderici II. Imperatoris clarus, quam habes in Collectaneo *Historicorum Germaniæ* Marquardi Freheri, edito Francofurti Vechelianis typis, annis 1600. 1602. & 1611. in folio. Juxta Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 57. pag. mihi 428. apud Henricum Canisium tomo 6. *Antiquæ Lectionis.* Apud Successores Joannis Bollandi in *Actis Sanctorum*, ad diem 6. Aprilis, denique apud Joannem Mabillon, Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 11. At juxta Gerardum Vossium, quem non amplector, longe serius vixit, ut habet Lib. 3. *de Historicis Latinis* cap. 5. pag. mihi 696. & 697. ubi sic. „Extremis Ottonis Magni temporibus atque item Ottonis II. ætate, doctrina vitaque excelluit S. NOTKERVS S. Galli Monachus, Ottonis Magni nepos, ut de eo scribit discipulus Notkeri Hartmannus, qui aliis Hartmundus nominatur. *Composuit Vitam S. Fridolini Abbatis Lib. 1. item Vitam S. Galli Lib. 3.* hæcque habes Manuscripta in Bibliotheca S. Galli. Idemque est author *Martyrologii*, quod ex Bibliotheca Sancti Galli primus edidit Henricus Canisius tomo IV. *Antiquæ Lectionis* pag. 761. Sed aliquot dies Octobris, & duo extremi menses penitus desiderantur. Absque dubio autem hic est unus ex tribus illis Notkeris, quos Eckerardus in Vita Notgeri Balbuli cap. 5. commemorat, & in Monasterio S. Galli vixisse dicit. Primus à vitio linguæ dictus est *Balbulus*, stirpe nobilis, scientia virtuteque clarus, cujus Vitam scripsit Eckerardus. Alter *Piperis granum* cognominatus est, nempe ab ingenii acrimonia, vir sane pietate & doctrinâ insignis. Tertius est Notkerus *Physicus*, Abbas postea factus, cujus Gesta referuntur in Libro *Casuum Monasterii Sancti Galli.* Primus horum *Martyrologii* author est, ut Judocus Metzlerus Monasterii Sancti Galli professus, in libro *de viris illustribus Sancti Galli:* & ex eo Henricus Canisius in Notis ad tomum IV. *Antiquæ Lectionis* ostendit. Illum autem Ottonis Magni ætate vixisse, clare liquet ex Vita ejus ab Eckerhardo prodita capp. 5. 31. aliisque locis. Satis autem mirari non possum, quid in mentem venerit eidem docto viro, ut apud Canisium tomo 5. *Antiquæ Lectionis* pag. 740. traderet, Notkerum fuisse nepotem Ottonis Magni: atque adderet floruisse anno 850. Idemque referret, quædam de *Notkero* hoc legi in Codice (nisi librarii is error est) ante annos 800. scripto. Nam Otto Magnus demum anno 936. imperare cœpit, & anno 973. mortuus est. Quo pacto igitur *Nepos* illius anno 850. floruerit, tanto ante natum Ottonem tempore? Et quomodo potuit vidisse librum de *Notkero*, qui scriptus esset ante annos octingentos, si Notkerus, ut ipse ait, anno demum 850. claruerit? Nam ab eo tempore usque ad annum 1604. quo ex Metzlero ista Canisius in Notis ad tomum IV. *Antiquæ Lectionis* retulit, sunt anni tantum septingenti quinquaginta quatuor. At quanto minus potuit tam vetustus esse Codex, si Notkerus Ottonis Magni, ut idem fatetur, nepos fuit? Nam ab Ottonis Magni excessu, usque ad annum quo ista ex Metzlero tradebat Canisius, anni solum sunt sexcenti triginta & unus. Quid igitur absurdius, quam ut Librum *de Notkeri hujus Vita* conspexerit Metzlerus, qui sesqui-

„ſeculo toto ante Notkerum natum conſcriptus eſſet ? Hæc Voſſius.“ Notkerus Labeo Abbas S. Galli tranſtulit in linguam Germanicam *Pſalmos Davidis* & librum Job, quorum illi apud nos, nempe in Cœnobio S. Galli extant, alter periit. *Ita Goldaſtus in fine Tomi 2. Rerum Alemannicarum pag. 156. & Joachimus Vadianus lib. 2. Antiquitatum Germaniæ pag. 34. Tomi tertii Rerum Alemannicarum Goldaſti hæc refert.* „Extat apud nos Sangalli Pſalterium à „Notkero Monacho, quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominarunt, in noſtram „linguam translatum Arnolpho imperante „(circa annum Domini 890) tanta autem verborum difficultate, ut nonniſi ab attento & „immorante lectore accipi & intelligi queat: „tam dura olim & anhelans, vetus illa Francorum & Alemannorum lingua fuit. Ita Vadianus. Idem Pſalterium manu Ekkeratdi „Junioris ſctiptum, mandato Imperatricis Cunegundis, conjugis Hentici II. Imperatoris, „ad ejus uſum, circa annum 1004, quod opus „nunc in manu noſtra eſt, inquit idem *Goldaſtus ibidem Tomo I. pag. 2. de Auctoribus ab eo laudatis.* Hæc Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Pariſienſis in *Bibliotheca ſacra* Tomo ſeu parte 2. cap. 9. ſectione 2. *de Codicibus MSS. antiquis Bibliorum. Germanicorum* pag. 180. editionis Lipſienſis 1709. 2. tomis in 8. „Idem Jacobus Longus ibidem poſtea, „Otfridus Vizemburgenſis monachus, tria in „Pſalterium magna volumina in Francico ſermone contexuit, ut Trithemius teſtatur in „*Catalogo illuſtrium Germaniæ Scriptorum.* Hujus „Pſalterii ſpecimen publico dedit Petrus Lambecius ex authentico exemplari, nempe Pſalmi primi paraphraſim Theotiſcam, in ſuis „Commentariis de Bibliotheca Cæſarea lib. 2. „cap. 5. Sed Paraphraſim hanc & verſionem „Pſalmorum Teutonicam, *Notkero Labeoni* Abbati Sancti Galli, qui ante ſeptingentos annos „floruit, Joannes Schilterus adjudicat, qui hoc „Pſalterium in lucem dare ſuperioribus annis „laborabat.“ Hæc Georgius Hickeſius, initio Grammaticæ Francico-Teutonicæ, Tomo I. Theſauri Archæologi linguarum Septentrionalium.

Accuratiſſimus itaque inter Latinos Scriptor, Gerardus Joannes Voſſius, loco citato errorem quidem nobis apertum declaravit, dum ſcriptum fuit ab Hartmanno, Egkerardo atque Metzleto, S. Notkerum Balbulum S. Galli Monachum, fuiſſe nepotem Ottonis I. Imperatoris, atque etiam Ottonis II. ætate claruiſſe, quod abſolute falſum eſt, cum Notkerus anno 912. die 6. Aprilis in Sancto Gallo diem ſuum obierit. Erroris autem occaſionem non aperit, nempe quod hi Scriptores longe remoti à temporibus Notkeri Balbuli, illum incaute confuderint cum Notgero ſeu Notkero Leodienſi Epiſcopo, qui vere fuit Ottonis primi Imperatoris nepos, atque Ottonis II. ſucceſſoris ejus cognatus, ob magnam animi virtutem & ſanguinis Imperatorii ptopinquitatem, anno 971. promotus ad Epiſcopatum Leodienſem. Non hoc autem ſcripſit Hartmannus in Vita Notkeri Balbuli quam non habemus, ſed Sanctæ Viboradæ. Atque ex hoc loco conjicimus, Hartmannum hanc Vitam ſcripſiſſe longe poſt obitum Viboradæ, vel ætate Ottonis I. vel II. Imperatorum. Idem Notkerus Balbulus auctor videtur librorum duorum *de vita Caroli Magni*, qui extant in Collectaneo *Scriptorum XII. Coetaneorum Hiſtoriæ Francicæ* quod Petrus Pithœus edendum curavit Francofurti anno 1594. in 8. Immiſſi poſtea in Collectaneo *Hiſtoricorum Franciæ* Andreæ Ducheſnii Tomo 2. pag. 107. Pariſiis 1636. in folio. Scripti ſunt ſane à quodam Cœnobii S. Galli Monacho, *ex relationibus Adalberti Militis, qui Hunnico, Saxonicoque & Slavico Caroli bello interfuit, ejusque filii Wernberti Sacerdotis*, quos Henricus Caniſius primus edidit anno 1601. ex MS. Codice Bavaricæ bibliothecæ. Hunc fuiſſe Notkerum Balbulum S. Galli Monachum, Melchior Goldaſtus poſtea neſcio quibus argumentis ductus prodidit. Tempora conveniunt, nam ſcripſit ad Carolum Craſſum Imperatorem, Ludovici Germaniæ Regis filium, nepotem Ludovici Pii, proncpotem Caroli Magni, ut ex lib. 1. cap. 20. & 32. lib. 2. capp. 14. 15. 25. 26. & 28. colligitur. Eodem cap. 15. meminit Abbatis olim Hartmuti, tunc temporis incluſi, quem Hepidannus in Chronico ceſſiſſe anno 884. his verbis ait, *Ex petitione Hartmuoti Abbatis Bernardus in locum illius conſtituitur.* Hæc autem Notkeri Balbuli temporibus conveniunt. Idem poſitive affirmat Vſſerius in Præfatione ad Epiſtolas Hibernicas. Hic itaque caute diſtinguendus eſt ab altero *Notkero ſeu Notgero Leodienſi Epiſcopo*, ſequentis temporis Scriptore, de quo Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiæ*, ſeculo X. ad annum 971. pag. 586. Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 38. pag. mihi 311. Vivebat enim iſte Ottonis ejusdem Magni tempore, cui & Ottoni II. primi filio & ſucceſſori carus erat, mortuus anno 1007. die 10. Aprilis.

ODO ORDINIS DIVI BENEDICTI MONACHVS primum, tum poſtea Glannafolii in Diœceſi Cenomanenſi Abbas, ac tandem Foſſatenſis in Agro Parienſi Abbatiæ, quæ jam ab olim ad Canonicos ſeculares tranſiit: unde paſſim hic Odo tum Abbas Glannafolienſis, tum Foſſatenſis nuncupatur. 870.
Naſutiores hujus ſeculi Critici, volunt S. Maurum Abbatem nunquam acceſſiſſe in Gallias, neque de eo in Gallias mittendo Sanctum Benedictum Abbatem unquam cogitaſſe, ne per ſomnium quidem. Vnicum Odonem Glannafolii Abbatem, ſub ſeculi noni medium hoc finxiſſe, ut ampliorem Abbatiæ ſuæ gloriam, ex

gra-

gratissima ejusmodi fabula procuraret. Quod ut successu majori faceret, postetisque persuaderet, Vitam Sancti Mauri sub cmentito Fausti nomine conscripsisse Odonem, adventum Sancti Mauri in Gallias, cum parachronismis plane enormibus enarrantem. Volunt ergo Critici *Vitam Sancti Mauri* sub nomine *Fausti* conscriptam, esse opus Odonis Glannafoliensis Abbatis: quam ipse (ut fraudem tegeret) ait à se esse emendatam, postquam illam emerat à nonnullis peregrinis: quasi vero soleant ejusmodi merces, & secum ferre & vendere, peregrini. Hanc ergo non tantum ab Odone emendatam, sed compositam alii volunt omnimode: unde nihil mirum inquiunt, quod Scriptor ab ipsis S. Mauri Abbatis temporibus tam remotus, in tot temporum ac personarum anachronismos lapsus sit. Plura de hac re in *Fausto scriptore*, supra diximus ad annum 600. ad quem Lectorem mittimus, nihil absolute definientes. Habetur hæc Vita Manuscripta speciatim, in duobus Codicibus Bibliothecæ Galliarum Regiæ 3561. & 4432. vetustissimis in fol. & in 4. qui 700. vel 800. annorum esse videntur. Abbas Fossatensis in agro Parisiensi factus, scripsit anno 869. Opusculum *de translatione reliquiarum Sancti Mauri Abbatis in Fossatense Monasterium*, quod legitur editum apud Joannem Bollandum in *Actis Sanctorum* ad diem XV. Januarii, & seculo IV. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 165. & sequentibus. Ita S. Maurum Abbatem dilexit Odo, ut ejus reliquias non tantum ex Italia in Galliam seculo nono, ad suam Glannafolii Abbatiam adduxerit eumque hujus loci fundatorem & primum Abbatem per annos XL. constituerit: sed translatus è Glannafolio ad Fossatensem Abbatiam, illius quoque reliquias secum transtulerit: ut hac quoque ratione, celebriorem redderet Fossatensem Abbatiam. Plura qui de Odone cupit, legat Bollandistas in *Actis Sanctorum* ad diem XV. Januarii. Johannem Mabillonium Seculo I. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 275. & sequentibus, ubi multa de Scriptore & Emendatore *Vita S. Mauri Abbatis*: sed suis favens Monachis, mentemque dissimulans. Item Seculo IV. parte seu tomo 2. pag. 165. & sequentibus.

870. MILO SANCTI AMANDI ELNONENSIS MONACHUS, scientia litterarum clarus, scripsit metrico stylo *Vitam Sancti Amandi*. Scripsit etiam ad Carolum Regem metrice *Librum de Sobrietate*. Hæc Sigebertus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 106. de Milone breviter loquitur. Item Chronicon de eodem ad annum 869. ubi ait: *Hoc tempore clarebat Milo, Monachus S. Amandi, qui Vitam Sancti Amandi metrice composuit, & Librum de sobrietate ad Carolum Calvum scripsit.* Godefridus Henschenius in suis Commentariis ad Vitam S. Amandi Episcopi Trajectensis cap. 18. Num. 125. opus istud metricum conscriptum esse judicat anno 840. quia illud dicavit Haimino Magistro suo, Monacho Vedastino, Alcuini quondam discipulo, an. 843. vita functo. Ut diximus, inquit, ad Vitam S. Vedasti, ubi aliquot ejus Tractatus dedimus, indeque colligimus Poema suum absolvisse Milonem circa annum 840. quo jam florebat. Istud Milo ipse indicat, sub finem libri primi, inquiens: *Aptum opus, ut juvenis juvenem laudare mererer.* Fuit ergo Milo longe ante annum 870. clarus, apud Sanctum Amandum in Elnone Monachus, Ordinis divi Benedicti, avunculus & magister Hugbaldi Elnonensis, a temporibus Ludovici Pii & Caroli Calvi Imperatorum celebris, ultra seculi IX. medium. Scripsit de *Sancto Amando* Sermones duos qui continent *Historiam translationis & elevationis corporis sancti Amandi*, oratione soluta. Idemque *Vitam S. Amandi metrice Libris IV. ad Hayminum Abbatem Vedastinum*: quæ omnia ex MSS. Codicibus collecta edidit Johannes Bollandus ad diem 6. Februarii, Tomo 1. pag 873. 889. & 891. vel potius Godefridus Henschenius. Vivebat ante seculi IX. medium, ut ex Commentario *ad Vitam Sancti Amandi* §. 18. Num. 125. & §. 19. pag. 842. apparet. Liber autem *de Sobrietate ad Carolum Calvum*, nondum quod sciam impressus, extat Manuscriptus mutilus in Bibliotheca Lugduno-Batava Codice 192. ut constat ex Catalogo Manuscriptorum hujus Bibliothecæ, impresso anno 1674. in 4. pag. 409. Opus modicum est, capitibus XXIV. non magnis constans, quod orditur à laudibus B. Mariæ Virginis atque in ejusdem laudibus concluditur. Præfatio ad Carolum Calvum in MS. codice nostro non comparet, unde mutilum ab initio illum arbitror, licet constantem duobus libellis integris. Quos si integros habuissem, huic Operi, ne exciderent, subjecissem: Sed ex initio libri primi caput primum incipiens ab hac voce abrupta *Hactenus* &c. indicat manifeste *prologum* deesse, in quo loquebatur de viris illustribus in Scriptura Sacra expressis. Itemque in libro I. undecim capitibus constante, desunt cap. 3. & 5. & 6. libri hujus primi, capitibus reliquis usque ad libri secundi ultimum & XXIV. totius Operis, integris restantibus. Capite autem 24. opus suum *de Sobrietate* inscriptum agnoscit, oratque lectorem humilibus verbis, ut *pro se Milone peccatore ac Monacho, Deum precari dignetur.* Interitus tam Prologi ad libros, quam capitum 3. 5. & 6. libri primi, debetur negligentiæ Gerardi Joannis Vossii, qui cum olim haberet opus integrum post Ovidii libros una ad calcem Codicis MS. compactum, illud disjunctum separari voluit, cumque compacturam operis novam neglexisset, factum inde, ut folia nonnulla Operis minimi dispergerentur atque exciderent, non in-

inventa ab aliis qui compingendi illius curam novam fecerunt. Hæc nostris temporibus facta vidimus. Quantum ad antiquitatem MS. Codicis, spectat illa ad seculum IX, opusque ætate ipsius Milonis scriptum videtur. Idem scripsit & *Homiliam de sancto Principio Suessionensi Episcopo*, quam habes apud Surium ad diem 27. Septembris. Idem Surius tribuit huic Miloni *Vitam Sancti Amandi*, quæ est tomo I. die 6. Februarii: quam ei abrogat Libro 2. de Historicis Latinis cap. 36. pag. 323. Gerardus Joannes Vossius, quod ea non metro, verum prosa exarata sit: quare aliis non Milonem, sed Baudemundum, authorem esse placet. *Vide quæ diximus*, inquit Vossius, *Libri hujus cap. 27.* Nec Vossius ipse fallitur, sed Milonis falsum Epitaphium quod *Vitam Sancti Amandi tribuit Miloni*, tam metro quam prosa, ut infra patebit.

Edidit & sanctum pulchre depinxit Amandum,
Floribus exornans, metro prosaque venustans.

Vult Godefridus Henschenius contra Miræum Vitam prosaicam à Surio editam, perperam etiam Miloni attribui, in Commentariis ad Vitam S. Amandi præviis cap. 18. Num. 125. ad diem 6. Februarii pag. 840. col. 2. Non scripsit igitur Milo Vitam S. Amandi Oratione soluta, sed carmine tantum, contra quam Epitaphium canit.

Carmine Hexametro descripsit conflictum Veris & Hyemis. Etiam Hexametrum carmen *de sancta cruce* in modum Sphæræ ingeniose conscripsit: quæ universa, Elnone, & ad sanctum Amandum MSS. habentur, ut author est Antonius Sanderus. Hunc conflictum damus ex MS. Codice Bibl. Colbertinæ.

MILONIS SANCTI AMANDI ELNONENSIS MONACHI, CONFLICTVS VERIS & HYEMIS.

Conveniunt subito cuncti de montibus altis
Pastores pecudum, vernali luce sub umbrâ,
Arboreas pariter lætas celebrare camœnas.
Omnes hic Cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque Florigero succinctus stemmate venit,
Frigida venit Hyems, rigidis hirsuta capillis,
His certamen erat Cuculi de carmine, grande.
Ver. Ver prior allusit ternos modulamine versus:
Opto meus veniat Cuculus, carissimus ales,
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes,
Intret is modulans, rutilo bona carmina rostro.
Hyems. Tum Glacialis hyems respondit voce serenâ,
Non veniat Cuculus, nigris sed dormiat antris:
Iste famem secum semper portare suescit.
Ver. Opto meus veniat Cuculus cum germine læto,
Frigora depellat, phœbo comes almus in ævum.
Phœbus amat Cuculum, crescenti luce serenâ.
Hyems. Non veniat Cuculus, generat qui forte labores,
Prælia congeminat, requiem disjungit amaram,
Omnia disturbat, pelagi terræque laborant.
Ver. Quid tu tarda hyems Cuculo convicia cantas?
Qui torpore gravi tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.
Hyems. Sunt mihi divitiæ, sunt & convivia læta,
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde,
Hæc Cuculus nescit, sed perfidus ille laborat.
Ver. Ore refert flores Cuculus, & mella ministrat,
Ædificatque domos, placidas & navigat undas,
Et generat soboles, lætos & vestiet agros.
Hyems. Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur:
Sed placet optatas gazas, numerare paratas:
Et gaudere cibis, simul & requiescere semper.
Ver. Quis tibi tarda Hyems, semper dormire parata,
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas:
Si ver aut æstas tibi nulla, vel ante laborat?
Hyems. Vera refers, illi nunquam mihi multa laborant,
Sunt etiam servi, nostra ditione subacti,
Jam mihi servantes Domino, quæcunque laborant.
Ver. Non illis Dominus, sed pauper inopsq; superbus,
Nec te jam poteris per te tu pascere tantum.

Ni

Ni tibi quis veniat Cuculus, alimonia præstet.
Palæmon. Tunc respondit ovans, sublimi à sede Palæmon,
Et Daphnis pariter, pastorum & turba piorum:
Desine plura hiems, rerum tu prodigus atrox:
Et veniat Cuculus, pastorum dulcis amicus,
Collibus in nostris erumpant germina læta,
Pascua sit pecori, requies & dulcis in arvis,
Et virides rami præstent umbracula fessis
Uberibus plenis, veniantque ad mulctra capellæ,
Et volucres varia Phœbum sub voce salutent.
Quapropter citius Cuculus nunc ecce venito,
Tum jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes,
Omnia te expectant, pelagi tellusque salutant:
Salve dulce decus Cuculus, per secula salve.

Obiit Milo anno 882. sepultusque in Cœnobio suo cum Epitaphio ejusmodi, quod & carminis *de Sobrietate*, ac *Vitæ Sancti Amandi* mentionem injicit,

Milo Poëta Sophus, cubat hoc sub marmore clausus,
Carmine dulciloquus, qui librum Sobrietatis
Edidit, & sanctum pulchre depinxit Amandum:
Floribus exornans, metro prosaque venustans.
Tanti Pontificis palmam capit, atque coronam.

Quem accenset Scriptoribus Ecclesiasticis Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Aubertus Miræus in Scholio ad Caput 105. Sigeberti *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, pag. 146. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 36. pag. 325. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, verbo Milo Elnonensis pag. 676. editionis 1643. Lovanii in 4. Johannes Mabillon in suis Præludiis ad Vitam Sancti Amandi, seculo II. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, p. 709. & seqq.

870. WALTERIUS seu WALTERUS AURELIANENSIS EPISCOPUS, anno circiter 870. celebris, anno sequenti 871. Concilio Duziacensi interfuit & subscripsit. *Constitutiones quasdam seu Capitula*, suæ Diœceseos Presbyteris in Synodo apud Bullensem fundum, 8. Calendas Junii, anno 11. Ordinationis suæ conscripsit, quæ tomo 8. *Conciliorum Labbeanæ editionis*, seu ultimæ anni 1671. Parisiensis habentur, cum Notis paucis Ludovici Cellotii, eruditi Soc. Jesu Presbyteri. Hæc *Capitula* cum Caroli Magni Capitularibus atque Theodulphi Aurelianensis Episcopi & Herardi Turonensis Archiepiscopi Capitulis, magnâ ex parte conveniunt: quam ob caussam hi tres Capitularium Collectores, ob materiæ subjectæ & temporis convenientiam, simul collocantur. Plura de Walterio Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tomo 2. pag. 139. Alter Walterius Senonensis Archiepiscopus, hujus Aurelianensis Episcopi nepos eodem tempore floruit, scientiâ & nobilitate clarissimus, ex Chronico Antissiodorensi. Obtinuit hanc sedem anno 887. quo etiam anno Odonem Roberti Andegavensis Comitis filium, Franciæ Regem consecravit. Testatur *Flodoardus* Senonas Garnerio Comite obsidione cinctas anno 896. à Richardo Burgundiæ Duce: quibus captis, Walterius ob contentiones quasdam quæ intercesserant, carceri per novem menses mancipatus sit. Quod cum formosus Papa rescivisset, omnes hujus rei nefariæ fautores anathemate percussit: nec prius tamen *Walterius* à carcere liberatus, quam fide & obsidibus datis. Huic quoque attribuuntur *Constitutiones Synodicæ* præfatæ, quæ extant tomo III. *Bibliotheca Veterum Patrum*, & in *Coll. Ultimo* Conciliorum ultimæ impressionis Labbeanæ Parisiensis, cum Cellotii Commentariis. Hic Walterius junior seu nepos, anno 923. mortuus est, XIII. Decembris, humatusque in Ecclesia Sancti Petri, cujus Monachis Ecclesiæ, privilegium *de Abbatis electione* olim concesserat. Hæc Sammarthani Fratres tomo 1. *Gallia Christiana* in Archiepiscopis Senonensibus, pag. 624.

RODULPHUS BITURICENSIS ARCHIEPISCOPUS, qui sub Caroli Calvi imperio vivebat, hac eadem ætate clarus, scripsit *Capitula seu statuta Presbyteris suæ Metropoleos*, quæ Clarissimus Sevinus Caturcensis Episcopus, ex Exemplari MS. suæ Ecclesiæ, Stephano Baluzio contulit, qui illa cum Capitularibus Theodulphi Aurelianensis Episcopi, unde magnam partem Statutorum suorum Rodulphus collegerat, recensuit atque anno 1713. edenda curavit Tomo VI. *Miscellaneorum* Parisiis in 8. apud Ludovicum Guerin & Socios. Ita *Diarium Eruditorum Parisiense* anni 1714. editionis Amstelodamensis p. 29. in 12. 870.

REMIGIUS SANCTI GERMANI ANTISSIODORENSIS MONACHUS, ordinis divi Benedicti, natione Gallus, non autem Episcopus, ut quidam temere scripserunt: illum confundentes vel cum Remigio Remensi Archiepiscopo, qui anno 480. claruit, vel cum Remigio Archiepiscopo Lugdunensi, qui hoc eodem seculo IX. paulo ante, circa annum 860. & ulterius, floruit. Hic sub seculi noni finem celeberrimus audiit, qui Remos evocatus circa 880.

annum 882. à Fulcone Rhemensi Archiepiscopo, ad scholas ibidem restaurandas, quæ collapsæ in ruinam fuerant, ut habet Flodoardus Lib. 4. *Historiæ Remensis* cap. 9. Hic noster Remigius Episcopales infulas nunquam assecutus videtur, cum id taceant Flodoardus loco citato, & Sigebertus *de Scriptoribus cap. 123.* qui de eo mentionem faciunt. Jam ad Opera procedamus.

1. Scripsit *Commentarium in omnes Psalmos*, in quo quæcunque Augustinus, Ambrosius & Cassiodorus in Psalmos scripserunt, vir ille brevissime (ut inquit Sixtus Senensis) in divinis, & humanis litteris eruditissimus coarctavit, intermissis tamen de suo non contemnendis omnino cogitationibus. Hic est emissus in lucem Coloniæ anno 1536.
2. Scripsit & *Commentarium in duodecim Prophetas minores*, qui cum Commentariis Oecumenii *in Apostolum*, & Aretæ Cæsariensis *in Apocalypsim*, Antverpiæ anno 1545. prodierunt, extatque Manuscriptus in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4604.
3. *Expositionem etiam de celebratione Missa*, Sanctorum Patrum sententiis & authoritatibus confirmatam: quæ extat tomo VI. editionis secundæ *Bibliothecæ Sanctorum Patrum* Margarini Bignæi, anni 1589. *Exposuit* (inquit Sigebertus Libro *de viris illustribus* cap. 123.) *Canonem Missa, quid, à quibus in ea sit positum vel additum, demonstrans.* Extant autem hæc omnia in Bibliotheca Veterum Patrum ultimæ editionis Lugdunensis anni 1677. quæ Anissoniana dicitur, Tomo XVI. p. 883.
4. Attribuunt illi multi, *Commentarium in omnes XIV. S. Pauli Epistolas*, qui aliquando sub nomine *Sancti Remigii Remensis Archiepiscopi*, anno nempe 1598. Romæ à Joanne Baptista Villalpardo Soc. Jesu impressus est, & a. 1614. Moguntiæ. Itemque sub nomine *S. Remigii Lugdunensis Archiepisc.* cui ex conjecturis adscribitur, in ultima Lugdunensi editione *Bibliotheca Veterum Patrum* anni 1677. Rectius autem Remigio huic Antissiodorensi Monacho tribuitur, in Bibliotheca Veterum Patrum editionis Coloniensis, anni 1618. quamvis sub nomine etiam Haymonis Halberstatensis Episcopi editus seorsim sit, Parisiis annis 1556. & 1608. atque alibi. Sane frequens est in MSS. Codicibus, ut hic Commentarius, nunc Remigio, nunc Haymoni Episcopo inscribatur, ut constat ex MSS. Cassinensibus. Attribuitur hic Commentarius Remigio, in duobus MSS. Codicibus, nimirum Regiæ Galliarum Bibliothecæ 3650. & Colbertinæ 462. Et in Bibliotheca Sanctæ Mariæ Florentina, ut constat ex *Diario Italico* Domni Bernardi de Montfaucon Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in Gallia, cap. 25. pag. 372. edito Parisiis anno 1702. in 4to, apud Joannem Anisson. Sed in Regiis pluribus, Haymoni Halberstatensi Episcopo, nempe Codicibus 3649. 3814. & 4061. Imò Codice 4072. Radulpho etiam Flaviacensi tribuitur, qui anno 1160. florebat, licet MS. Codex ducentis & amplius annis, ætatem hanc superare videatur.
5. In eadem Bibliotheca Regia Codice MS. 4186. folio 73. *Commentarius in Cantica Canticorum* sub Remigii nomine, & in Bibliotheca Cluniacensi Littera C. 6 *MSS. Commentaria Remigii in Cantica Canticorum*, quæ tamen olim jam sub nomine Haymonis Halberstatensis Episcopi impressa, Coloniæ anno 1533. In eadem Bibliotheca Regia, Cod. 4107. *Commentarius in Apocalypsim* sub Remigii nomine, cujus prologus incipit, *legimus in Ecclesiastica Historia* &c. qui pariter olim sub nomine Haymonis Halberstatensis Episcopi, anno 1521. impressus Parisiis apud Johannem Parvum. Coloniæ anno 1529. apud Euchovium, atque iterum Parisiis, anno 1540. Imo in iisdem MSS. Codicibus Regiis num. 3815. & 3816. sub nomine Haymonis legitur. Hinc vides, quam frequens in Manuscriptis sit, ut quæ sunt *Haymonis Episcopi Halberstatensis*, Remigio Antissiodorensi Monacho attribuantur.
6. *De singulis* (inquit idem Sigebertus) *festivitatibus Sanctorum scripsit.* In Bibliotheca Galliarum Regia Cod. 3817. habetur *Homiliarium* in folio, pro singulis totius anni Dominicis & Festis, quarum Homiliarum plurimæ sunt *Sanctorum Veterum Ecclesiæ Patrum*, aliæ autem multæ nomine *Remigii* inscriptæ, unde nullus dubitem, quin hoc Homiliarium hujus *Remigii Antissiodorensis* esse possit.
7. Ejusdem Remigii *Interpretatio Vocabulorum Biblicorum*, in duobus optimæ notæ Codicibus MSS. Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, Littera QQ 19 & QQ 21. Incipit: *Aaz apprehendens vel apprehensio* &c. estque hoc Opus in MSS. Codicibus frequentissimum, sed anonymum.
8. In Bibliotheca Longipontis, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Suessionensi, Liber Remigii MS. *de indumentis Ecclesiasticis*, & Homilia una, *de filio prodigo*. Opinor tamen hunc librum *de indumentis Ecclesiasticis*, vel esse unum & idem opus cum *Expositione Canonis Missæ*, vel partem quandam hujus Operis.
9. *Ejusdem Remigii Monachi* Glossæ in Martianum Capellam *de Nuptiis Mercurii & Philologia*, MS. in Bibliotheca Colbertina, Codicibus 1050. & 1935. In Regia Gallica, Cod. 5304.

10. De-

10. Denique in eodem MS. Regio 5304. *ejusdem Remigii Glossa in Donatum de grammatica*, fol. 36. quæ incipiunt, *Rursum, id est, iterato* &c. In librum *de Dialectica* fol. 38. *primo dicendum* &c. In librum *de Rhetorica* fol. 54. Rhetorica est &c. In librum *de Geometria* fol. 66, Geometria est &c. In librum *de Arithmetica* fol. 76, Permensio id est &c. In librum *de Astrologia* fol. 84. Astrologia &c. In librum *de Musica* fol. 91, Musica dicta &c. Quæ eædem Glossæ habentur Codice MS. 5117. Bibliothecæ Colbertinæ, & Cod. J. JJ. 18. Bibliothecæ Victorinæ. Idem Bernardus de Montfaucon in Opere *Diarii Italici* superius allato cap. 3. ubi Monasterii Sancti Benedicti Padotironensis prope Mutinam Bibliothecam & MSS. Codices Latinos recenset, pag. 36. Codicem XI. Seculi membraneum affert, ubi post opuscula aliquot nomine S. Ambrosii, *sequitur tractatus Domini Remigii venerabilis Monachi in Marcum, & eruditissimi Commentatoris. In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Hic Operis titulus, qui Remigium Antissiodorensem dubio procul Monachum designat. Idem ubi MSS. Codices Ambrosianæ Bibliothecæ à se inspectos enarrat, cap. 2. pag. 19. *antiquum Remigii Commentarium in Apocalypsim habet.* Denique cap. 25. ubi de Bibliotheca Monachorum Camaldulensium B. Mariæ de Angelis, haud procul Mediolano differit, pag. 354. *Remigii Antissiodorensis, ut putatur, Commentarium in Regulam Sancti Benedicti*, illic positum enumerat. Plura de *Remigio Antissiodorensi Monacho* Bellarminus & Labbeus, quisque in libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. pag. 319. Sigebertus loco citato. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo 9. vel 10. tom. XV. cap. 3. art. 31. p. 282.

880. GEORGIVS MAGNÆ ECCLESIÆ CP. CHARTOPHYLAX, deinde NICOMEDIENSIS ARCHIEPISCOPVS, circa annum 880. claruit, familiaris Photio, quem plurimis ille Epistolis compellavit. Quod autem Photio perdite adhæserit Georgius Nicomediæ Metropolita, nihil mirum, cum ab ipso in Archiepiscopum Nicomediæ ordinatus sit, ut constat ex Epistola 24. Photii pag. 84. ad Georgium his verbis. „Γεωργίῳ Μητροπολίτῃ Νικομηδείας. „Καλόν σε καὶ ἀγαθὸν οἱ αὐτόθεν φημίζουσι ἥκοντες, καὶ οἱ μὲν ἄλλοι θαυμάζουσι χαίροντες. ἔσθ' ὅτε γὰρ, ὑπνοῦντος τοῦ φθόνου, οὐδὲν ἧττον ἄνθρωποι τοῖς ἀλλήλων, ἢ τοῖς αὐτῶν, ἥδονται κατορθώμασιν. Ἐγὼ δὲ χαίρω μόνον, τὸ θαυμάζειν ἀφέμενος. οὐ γὰρ ἠγνόουν σε τοιοῦτον ὄντα, οὐδὲ ἀνεμιαίας πάλαι τὰς ἐλπίδας εἶχον, ὅσγε καὶ θείαις τελεταῖς μυσταγωγήσας ἱέρωσα. Θαυμάζειν δ' ἂν οἶμαι προσαχθείην, εἴ τί σου τῶν τρόπων καὶ τοῦ ἐγνωσμένου ἤθους, ἀλλοτριώτερον διακήσαιμι. εἰ δὲ μὴ φεύγειν τὴν ἐφορίαν, ἐφ' ἣν νῦν ἐτάχθης, καλῶς κατορθώσης, λειποταξίαν κρίνων τὴν ἐπαινουμένην πάλαι ἡσυχίαν. Ἴσθι, ὡς τοῦτο ἂν ἅμα χαίρων, καὶ σὺν ὅτι μάλιστα ἐπαίνῳ θαυμάσαιμι. *Georgio Nicomediæ Metropolitæ.* Virum probum & honestum te prædicant qui ad nos à vobis accedunt, alii quidem cum admiratione gaudent. Ita enim interdum fit, ut sopito livore, non minus aliorum recte factis, quam suismet ipsorum oblectentur homines. Ego mirari quidem mitto, tantum gaudeo. Neque enim te qualis eras ignorabam, nec dissimiles jam olim spes fovebam, quippe qui sacris Christianorum institutis Episcopum ordinavi. Ad mirandum vero, arbitror, procederem, si quid accepissem fando immutatum esse de moribus, & mihi notâ satis conditione, tuis. Quod si non subterfugere provinciam, in qua constitutus es, recte tecum statuas, desertionem ordinis existimans laudatam tibi olim tranquillitatem: notum tibi sit, quod affectum istum cum gaudio, & magna etiam cum laude admirarer." Idemque Photius Epistola 156. laudat eundem, quod Grammatices ac Poeseos studio suam excoluerit mentem. Huic itaque etiam ex MSS. Codicum fide, adscribendæ sunt plures Homiliæ, quas edidit Franciscus Combefis, ac Georgio cuidam Pisidæ, qui sub Heraclio floruisse dicitur, antiquitatis nimium amans, adjudicandas censuit. In hoc autem Combefisius lapsus videtur, quod cum Homilias Georgii Nicomediensis Græce Manuscriptas cum Opusculis Georgii Pisidæ simul compactas viderit, (id quod sæpissime in MSS. Codicibus contingit) Georgio Pisidæ quod ad Nicomediensem spectabat, incaute & imprudenter adscripserit. Certum enim atque meridiana luce clarius est anno 640. quo Georgius Pisides vixit, non extitisse ea omnia Festa B. Mariæ Virginis, nempe *Conceptionis S. Deiparæ*, *Præsentationis S. Mariæ in Templo anno ætatis suæ tertio*, quæ seculo nono antiquiora non sunt. Extant ergo Georgii Nicomediensis

In Conceptionem S. Deiparæ Homiliæ II. columnis 995. & 1043.

In Conceptionem S. Annæ Matris Deiparæ Homilia. col. 1015.

In Sanctæ Mariæ præsentationem in Templo, cum adhuc triennis esset, Homilia. col. 1069.

In ingressum S. Dei Genitricis in Templum post partum Christi, Orationes II. col. 1091. & 1113.

In illud, stabant juxta crucem Jesu mater ejus &c. col. 1137.

In assistentiam S. Mariæ ad sepulchrum & gratiarum actio pro gloriosa resurrectione. col. 1173.

Oratio in Sanctos Cosmam & Damianum Medicos. col. 1191.

Idio-

Idiomela III. videlicet in Festum Præsentationis B. M. Virginis, in S. Joannem Chrysostomum, & in Patres Nicænos, col. 1135. 1221. Eruit in lucem Opuscula ista & Græc. Lat. edidit Franciscus Combefis, Tomo I. Col. 995. *Auctarii ad Bibliothecam Patrum*, edit. Parisiensis 1648. Idem Franciscus Combefis emisit ex MS. Codice Bibliothecæ Cardinalis Mazarini Græc. Lat. prolixum *Encomium sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris* sub nomine S. Joannis Damasceni, in ultimo suo *Auctario ad Bibliothecam Patrum*, edito 2. tomis in fol. Aureliæ anno 1672. apud Ægidium Hotot. Verum Allatius hoc *Encomium* recte attribuit Georgio Nicomediæ Archiepiscopo, in Diatriba *de Georgiis* pag. 312. Idemque asserit vir in Græcis exercitatissimus Carolus du Fresne Dominus du Cange in *Catalogo Scriptorum*, quem subjunxit Tomo 1. *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* pag. seu col. 26. ex fide Manuscripti Codicis Eusebii Renaudoti, quem in manibus habuit, ut jam supra diximus in Dissertatione *de Scriptis S. Johannis Damasceni* cap. 1. & 5. Extant Photii ad Georgium Nicomediæ Metropolitam, Epistolæ 24. 126. 156. 164. 165. 166. 169. 199. 201. 216. 248. De illo Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 880. pag. 564. Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis* pag. 312. Petrus Lambecius in Commentariis suis ad Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem, lib. 4. pag. 21. & in Catalogo hujus Tomi pag. 231. lib. 5. Cod. 249. p. 144. & Codice 315. num. 5. pag. 277. & in Catalogo p. 325.

880. MICHAEL MONACHUS, DIACONUS CONSTANTINOPOLITANÆ ECCLESIÆ, ET IGNATII PATRIARCHÆ SYNCELLUS claruisse mihi videtur sub Constantinopolitanis Patriarchis Methodio atque Ignatio & Photio, quorum ætate floruit ab anno 842. ad 880. & ultra. Caute distinguendus hic venit, ab alio Michaele Syngello qui Monasticen amplexus junior in Monasterio S. Theodori Studitæ, unde *Michaelis Monachi* cognomentum quoque vulgo sortitur. Illic positus admittendam Imaginum venerationem ardenti amplexus animo, quam ad mortem usque constanter tenuit. Cum ergo anno 842. ubique Orientis, obtinuisset Imaginum cultus ex decreto Michaelis III. Imperatoris, atque tunc Martyres audirent, qui sub Iconocastis Imperatoribus earum causa mortem vel exsilium passi erant: motus pietate in S. Theodorum Studitam Abbatem, vitam illius scripto consignandam suscepit Michael Monachus. Modo dictus enim Theodorus multa passus occasione Imaginum, quas venerandas affirmabat, postquam varia loca exsulis instar circuivisset, in Chalcide tandem Insula considens, anno demum 826. ætatis 67. die XI. Novembris, ultimum diem obiit. *De hujus* ergo *Vita liber Michaelis Monachi* in Vaticana Bibliotheca Græce MS. extat, multaque inde Annalibus suis inseruit Baronius in Tomum IX. ad annum 798. ac deinceps. Extat inter Vitas Simeonis Metaphrastis, cujus meminit Leo Allatius in sua Diatriba *de Symeonibus* pag. 107. Inscribitur *περὶ τȣ̃ βίȣ τȣ̃ Θεοδώρȣ ἡγȣμένȣ μόνης τῶν Στȣδίων.* Incipit, *Πολλοὶ μὲν τῶν ἁγίων κατὰ διαφόρȣς χώρας* &c. Joannes etiam Lævinejus in Præfatione ad S. Theodori Studitæ Sermones Catecheticos, quos Latine anno 1602. in 8. Antwerpiæ vertit, hunc sibi librum lectum fuisse ait, indeque pluscula Studitæ loca in Notis suis illustrat. Judicio tamen Lævincji is liber *Michaelis Monachi copiosior est quam eruditior*: quem non incongrue Guillelmus Cavus in Historia rei literariæ ad annum 878. pag. 562. *Scriptorem præcipue in rebus Theodori pene ad ineptias fabulosum, & cæco plane in Imagines zelo & amore flagrantem vocat.* Idem Opus Michaelis Monachi extat quoque Græce MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, ex cujus Codice fragmenta quædam Græca allegat Carolus du Fresne Du Cange in *Appendice altem* ad Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis col. 203. voce *βασιλικόν.* Col. 205. voce *ἐπιστημονάρχης* & *ἐπιτηρητής.* Col. 205. voce *κανδήλας.* Col. 208. voce *λαύρατον.* Col. 209. voce *μυγάς* & *μιτάτον.* Col. 212. voce *στάσεις* seu *Divisiones.* Denique col. 213. voce *τριώδιον*, & *ὑδροστάτης.* Mirum autem cur hoc Opusculum in gratiam & miracula Imaginum totum conscriptum, in tenebris tamdiu latuerit? Hæc autem de Michaele Syncello seniore, hic autem ætate junior Syncellus scripsit *Encomium Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani*, quem anno 878. Kalendis Maji ipsa die Jacobo Domini fratri sacra defunctum inquit idem Michael. Extat initio mutilum Græc. Lat. à Matthæo Radero editum una cum Actis Concilii VIII. Ingolstadii 1604. in 4. tum Tomo VIII. Conciliorum ultimæ editionis Parisiensis col. 1260. Denique scripsit *Encomium Sancti Philippi Apostoli*, quod extat in Collectaneo Simeonis Metaphrastis, inscriptum ita, *Ἐγκώμιον εἰς τὸν πανένδοξον τȣ̃ χριστȣ̃ Ἀπόστολον Φίλιππον*: cujus initium *Πᾶσα μὲν μαρτύρων χριστȣ̃ τελετὴ καὶ πανήγυρις.* Agunt de *Michaele Monacho & Ignatii P. Syncello* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 25. pag. mihi 287. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria*, tum ad annum 812. in *Theodoro Studita* pag. 510. tum ad annum 878. p. 562. Joannes Lævinejus in Præfatione ad *Catecheses* S. Theodori Studitæ.

IOANNES MAGNÆ ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ DIACONUS & ORATOR, circa annum 880. & sequentes floruisse creditur, quem circa annum 890. scripsisse *Vitam S. Josephi Hymnographi Scevophylacis* seu *Custodis Sacræ supellectilis Sanctæ Sophiæ, magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ*, volunt Godefridus Henschenius & Daniel Papebrochius, qui Vi- 880.

Vitam hanc Græce & Latine cum Commentariis præviis ediderunt in *Actis Sanctorum* ad diem 3. Aprilis. Illic de hoc Scriptore in Prolegomenis agunt, quos de illo egisse solos arbitror, silentibus aliis. Leo tamen Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis*, vitæ quoque hujus meminit pag. 97. *Joanni Diacono Magnæ Ecclesiæ & Rhetori* inscriptæ, cujus titulus: *Εἰς τὸν βίον τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωσὴφ τοῦ Ὑμνογράφου*, initium autem *Καὶ ἅπας μὲν βίος τῶν ἐναρέτων τὴν ἐρῶσαν ψυχὴν ἀρετῆς πρὸς μίμησιν ἐκκαλεῖται.*

880. ADELHELMUS SAGIENSIS IN NORMANNIA EPISCOPUS, seu *ADHELMUS* & *ADELMUS* circa annum 880. claruit, scripsitque *Vitam Sanctæ Oportunæ Abbatissæ*, quæ Godegrandi primi Sagiensis Episcopi soror fuit, quam Laurentius Surius ad diem 22. mensis Aprilis habet, sed mutilam & imperfectam: integram Bollandistæ ad eundem diem & Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 220. & sequentibus. Labbeus in *Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum*, Adelmo male annum 790. assignavit, quo floruisse dicitur: Fratres enim Sammarthani doctissimi, in *Gallia Christiana* tom. 3. pag. 962. *Adhelmum* in Episcopatu Sagiensi successisse Hildebrando docent, & non Godegrando Sagiensi primo Episcopo, sed ab illo tantum fuisse sextum. Primus enim Godegrandus, 2. Rogemfridus, 3. Patratus, 4. Reginaldus, 5. Saxobodus, 6. Hildebrandus, 7. Adhelmus seu Adelhelmus. Porro Hildebrandus seculo tantum nono floruit, Concilioque Bonoliensi in Agro Parisiensi anno 834. interfuit, ut probat Stephanus Baluzius tomo 2. Capitularium Regum Francorum, col. 1267. Item Vermeriensi anno 853. ibidem tomo 2. col. 57. Denique Ticinensi Conventui, anno 877. ibidem col. 244. Imo Joannes Mabillon in præludiis ad dictam *Vitam Sanctæ Oportunæ*, Adelhelmum ad annum 910 sed ex conjecturis tantum rejicit: quas tamen plurimum valere comperimus. Cum enim Hildebrandus esset Sagiensis Episcopus anno 834. seculi noni, imo & annis 853. & 877. ex allegatis supra Conciliis: Non potuit ante annum 878. vel 880. Adelhelmus adiisse Episcopatum Sagiensem, quem consequenter usque ad annum 910. possidere potuit: quo eum adducunt Mabillonianæ conjecturæ, quibus adhærere me fateor.

880. RIMBERTUS SEU REMBERTUS BREMENSIS VEL HAMBURGENSIS ARCHIEPISCOPUS, sanctitate atque doctrina circa annum 880. clarus, doctrinæ suæ specimen posteris exhibuit, scribens *Vitam Sancti Anscharii Prædecessoris sui*, quam cum Vitis aliorum Sanctorum Bremensium, edidit primus Coloniæ Agrippinæ Philippus Cæsar, de qua in *Anschario* plura dicuntur. Habes eandem apud Bollandum Tomo I. pag. 408. & sequentibus, *De Vitis probatis Sanctorum* ad diem 3. Februarii. Et apud Joannem Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 75. Scripsit autem Rembertus hanc Sancti Anscharii Hamburgensis simul ac Bremensis Ecclesiarum simul unitarum Archiepiscopi post annum 865. vel 866. Nam juxta Gulielmum Cavum in *Historia rei litterariæ* parte 1. ad annum 830. pag. 368. editionis Genevensis, Anscharius natione Germanus, Corbeiensis Novi Monasterii in Saxonia alumnus, circa annum 826. ad gentes Boreales, Danos & Suecos ad fidem convertendos animum adjecit, idque per plures annos sedulo & feliciter præstitit, inde *Danorum & Aquilonarium Apostolus* dictus. Anno 830, vel ut referunt alii anno 832. vel sequenti, Hamburga à Ludovico Imp. in Metropolim erecta, Anscharius in Conventu Aquisgranensi, primus Hamburgensium Archiepiscopus constituitur, à Drogone Antistite Metensi ad majorem honoris cumulum consecratus. Paulo post pallium Roma impetravit, ipse à Gregorio IV. Sedis Apostolicæ in partibus Borealibus Legatus renuntiatus. Post exactum Hamburgi septennium à Barbaris fugatus, constructo ad prædium suum Ramsolenie tribus ab Hamburgo milliaribus Monasterio, in eo vitam egit. Anno 846. sede Bremensi vacante, isti etiam Ecclesiæ præficitur, qui post annos demum XII. Ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis unione impetratâ, anno 864. vel saltem 865. sequenti, Episcopatus sui 34. diem supremum obiit.“ Vix itaque ante annum 865. vel 866. hanc Sancti Anscharii Vitam scribere aggressus videtur, Rembertus vel Rimbertus, illius in utraque Ecclesia Hamburgensi & Bremensi simul unitis successor. Recte autem idem Cavus Tomo 2. seu Parte 2. *Historiæ literariæ S. Rembertum* anno 865. assignavit pag. 164. editionis ultimæ Genevensis 1702. quem Germanum natione facit, Corbeiæ Novæ Monachum, Anscharii hujus discipulum, cui anno DCCCLXV. in sede Hamburgensi & Bremensi successit. Scripsit autem noster Rembertus, dum adhuc Presbyter esset, hoc est, ante annum 865, quo Archiepiscopus Ecclesiæ utriusque renuntiatus est, *Epistolam de Cynocephalis* ad Ratramnum Corbeiensis in Gallia Abbatiæ Monachum, virum erudítione celebrem, quæ lapsu temporum excidisse creditur. Sed ad solamen eruditorum, *Epistola Ratramni de Cynocephalis ad Rimbertum Presbyterum*, quique postea Hamburgensis & Bremensis Ecclesiarum simul unitarum Archiepiscopus anno 865. institutus est, extat adhuc MS. inter Codices MSS. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, cujus transscriptum ad me misit, vir honestate & eruditione clarissimus, Gabriel du Mont, Genevensis, Minister Ecclesiæ Reformatæ Lipsiensis, Epistolâ scriptâ ad me Lipsiæ anno 1714. die

8. Martii, ac 28. ejusdem mensis acceptâ, quam integram inserui Dissertationi à me compositæ, *de Operibus Ratramni Corbeiensis in Gallia Monachi* cap. 6. ad quam lectorem nostrum mittimus. Plura *de Sancto Remberto* qui anno 888. die 4. Februarii, vel ex aliis die 11. Junii obiit, apud eundem Mabillionem in *Vita Sancti Remberti*, eodem Seculo, eademque Seculi IV. parte 2. pag. 471. & sequentibus. Obiit Rembertus anno citato, de quo Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 37. pag. 329. & cap. 38. pag. 334. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Rembertus* pag. 792. editionis 1643. Lovanii in 4.

880. MEGINHARTUS SEU MEGINHARDUS FULDENSIS MONACHUS, natione Germanus, Ordinis divi Benedicti, circa annum 880. floruisse mihi videtur, seu aliquanto post mortem Rabani Mauri Moguntini Archiepiscopi tempore, qui anno 856. fatis functus legitur. Hunc Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*, ait fuisse Monachum Fuldensem Congregationis Luxoviensis, atque vixisse anno 770. annis centum circiter, antequam vere vixerit. Credo, ut ita sentiret adductus est, quod in Opusculo seu sermone quem scripsit, legas, S. Ferrucii corpus à S. Lullo in lætantium cœnobium quod Bleidenstad vocatur, magno cum honore fuisse translatum. At Lullus successit S. Bonifacio in Archiepiscopatu Moguntino anno Christi DCCLXXV. qui annis XXXII. sedem hanc tenuit. Ut omnino verum dixerit Possevinus, si Meginhartus tempore translationis ejus quam refert, extitisset ac floruisset. Sed obstant verba illa quæ paullo post subdit: *Postquam autem domus illius* (Lulli) *terrestris habitationis hujus lutea soluta est, ut non manufactam, sed æternam in cælis habitaret: Pontificatus illius pariter, & religionis successores, Richolfus, Haistolphus, & Rhabanus, eadem devotione locum sanctum coluerunt* &c. Ut Meginhartus ante Rhabanum, quintum Archiepiscopum Moguntinum, vixisse minime potuerit. Atqui Rhabanus Richolfo anno DCCCXLVII. successit, ac novennio Ecclesiæ præfuit, anno DCCCLVI. die 4. Februarii mortuus. Cum autem Meginhartus ex verbis allatis, Episcopos Moguntinos referens, ultra Rhabanum non progrediatur: aliquanto post excessum ejus vixisse suspicari licet, circa annum 880. verisimilius igitur Possevinus pro eo, quod Meginhartum ait in pretio fuisse anno 770, dixisset eum claruisse anno 870. vel 880. quo scripsit Opusculum seu Sermonem *de Actis & translatione corporis S. Ferrucii Martyris*, quem apud Surium ex antiquissimis Codicibus expressum habes, tomo V. ad diem 28 Octobris. De *Meginharto* Antonius Possevinus, loco citato. Gerardus Johannes Vossius, quem hic exscribimus Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 36. pag. mihi 301.

BASILIUS GRÆCUS ex Armenia provincia Oriundus, anno 883. floruit, quo scripsit 883.
τὴν τάξιν προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν Ordinem præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum, quam vir eruditus Guilielmus Beveregius Græce & Latine edendam curavit, ad calcem Tomi 2. *Conciliorum & Canonum ab Ecclesia Græca receptorum*, quæ 2. in folio vol. Oxonii anno 1672. edita sunt. Retulit autem Beveregius hunc Ordinem Præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum inter *Annotationes* ad Canones Concilii Trullani pag. 135. ad 147. Opus autem istud editum est ab illo ex MS. Codice Bodlejanæ bibliothecæ Barocciano 185. num. 2. in quo à pag. 16. ad 21. Codex ille præstantissimus est, atque in eo Scriptoris nomen notatur pag. 146. ubi in Provincia Armeniæ notatur *Regio* 12. unde ortum habuit Basilius qui præsentem librum elaboravit, *ὁ τὴν παροῦσαν φιλοπονήσας βίβλον Βασίλειος*. Neque hoc tantum notatur, sed etiam pag. 147. in Provincia Armeniæ n. 8. notatur *Lapithus, qua natus est Georgius Cyprius, qui librum scripsit ex quo hæc sumpta sunt. Λάπιθος, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Γεώργιος ὁ Κύπριος, ὁ γράψας τὴν βίβλον, ἐξ ἧς ταῦτα μετελήφθησαν.* Carolus a Sancto Paulo Fuliensis Abbas ac postea Abrincensis Episcopus edidit anno 1641. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy *Geographiam sacram* sive *Notitiam antiquam Diœceseon omnium tam Patriarchalium, quam Metropoliticarum & Episcopalium Veteris Ecclesiæ*, ex SS. Conciliis & Patribus, ex Historia Ecclesiastica & Geographis antiquis collectam. Adjecit ad calcem hujus Operis, *Parergon notitias aliquot Ecclesiasticas & civiles diversis temporibus editas complectens.* Hæ quatuor sunt, duæ Græcæ, & Latinæ totidem. Prima Græca pag. 2. inscripta, *Ἀνακεφαλαίωσις τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν, τῶν ὁμοθεσίων, καὶ συναρίθμησις τῶν Ἀποστολικῶν θρόνων. Brevis descriptio finium Sanctissimorum Patriarcharum & Apostolicarum sedium enumeratio* quæ Hieracli cuidam pag. 20. non leviter tribuitur. Secunda pag. 38 *Τάξις προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν* &c. *Ordo sedium sanctissimorum Patriarcharum.* Cujus ad finem pag. 62. *ἡ παροῦσα ἔκθεσις ἐγεγόνει ἐν ἔτει ςτϞα ἐπὶ τῆς βασιλείας ζ Λέοντος τοῦ Σοφοῦ καὶ Φωτίου πατριάρχου. Hæc Expositio facta est anno 6391.* juxta Constantinopolitanam Græcorum Epocham, *sub imperio Domini Leonis sapientis 7. & sub Photio Patriarcha.* Tertia pag. 64. Notitia quinque Patriarchatuum, Latine tantum ex Bibliotheca Regia. Quarta pag. 78. ad 85. ex veteri MS. Bibliothecæ Thuanæ. Hoc idem Opus Caroli à Sancto Paulo recusum fuit Amstelodami anno 1704. in folio, cum notis & animadversionibus Lucæ Holstenii, ad varia hujus Geographiæ loca. Opinatus est igitur Carolus à Sancto Paulo hanc secundam seriem Græcam pag. 38 relatam, spectare ad Leonem Imperatorem cognomento sapientem, cujus tempore ad *Τάξεως* finem

pag.

pag. 62. facta legitur. Idem quoque credidit Jacobus Goar, qui anno 1648. ex typographio Regio post Codini editionem, adjunxit pag. 335. *Notitias quatuor Græcas Episcopatuum*, primam illam inscriptam Τάξις προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν cujus ad finem pag. 362. adjecta est hæc clausula, ἡ παροῦσα ἔκθεσις ἐγεγόνει ἐν ἔτει ςτςα ἐπὶ τῆς βασιλείας Κύρου Λέοντος τοῦ Σοφοῦ καὶ Φωτίου Πατριάρχου. Secunda Notitia pag. 363. ex MS. Codice Vaticano, quam primo loco collocavit Carolus à Sancto Paulo Abbas Fuliensis. Tertia pag. 379. inscribitur, *Ordo dispositus per Imperatorem Leonem Sapientem, quem locum & sedem habeant, throni Ecclesiarum Patriarchæ Constantinopolitano subjectarum.* Quarta pag. 400. ad 409. *Expositio Imperatoris Domini Andronici Palæologi Senioris, quem locum teneant Metropoles, quæ Constantinopolitano throno subjectæ sunt.* Immerito autem tam Carolus à Sancto Paulo, quam Jacobus Goar loco citato pag. 362. ex allatis supra verbis, hunc *Ordinem Præsidentiæ sedium Patriarchalium* adscripserunt Leoni Sapienti Imperatori, cui altera adscripta est ab eodem Goaro pag. 379. quamque etiam retulit Joannes Leunclavius in *Jure Græco Romano* Francofurti anno 1596. in folio edito, Libro 2. pag. 90. Nam calculus hic Græcus ςτςα juxta Græcorum Constantinopolitanorum epocham, annum Orbis conditi 6391. significat, à quo si annos 5508. subduxeris, restabunt anni à Christo nato 883. non 891. ut male observavit Guilielmus Beveregius loco citato pag. 148. quem vere dixit esse sextum dicti Leonis Imperatoris. At annus 883. qui restat ex calculo allato, est annus 17. Basilii Macedonis, annis quatuor antequam Leo Sapiens patre mortuo ad imperium eveheretur. Non igitur hæc Τάξις τῆς προκαθεδρίας facta est, nec à Leone, nec sub Leone, sed sub Basilio anno 883. quo tempore Photius quidem Patriarcha Constantinopolitanus adhuc erat, qui Leone ad Imperium anno 887. assumpto, statim ab eo, Patriarchatu Constantinopolitano dejectus est. Scriptor igitur τῆς τάξεως προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων Πατριάρχων, est Basilius ille Armenus qui illam sub Basilio Macedone anno 883. composuit, ut habet Guilielmus Beveregius in Annotationibus ad Canones Concilii Trullani pag. 146. de qua amplissime disserit post illam expressam, pag. 148. Notandum autem τὴν τάξιν προκαθεδρίας à Carolo de Sancto Paulo, in Parergo pag. 35. fuisse vitiosissime editam, mutilam in multis partibus, ut docet Guilielmus Bevrigt loco citato pag. 148. sed longe postea correctius editam fuisse à Jacobo Goar ex MSS. regiorum fide, an. 1648. ad calcem Codicis *de Officiis aulæ atque Ecclesiæ Constantinopolitanæ* pag. 335. ac perfectissime à Guilielmo Beveregio Tomo 2. *Conciliorum & Canonum ab Ecclesia Græca receptorum* in Notis ad Concilium Trullanum p. 135. à quo solo Scriptorem hunc *Basilium Græcum* habuimus.

HEREMPERTUS CASSINENSIS MONACHUS, vivebat anno 888. Hic ex 888.
Longobardorum illustri stirpe genus habuit, ex Beneventanis Ducibus, patre natus Rodelgario. Professus est vitæ Monasticæ institutum in Monasterio Theanensi, ut Leo Ostiensis tradit Lib. 1. cap. 46. & ipse Herempertus se Monachum prodit pag. 75. cum narrat missum se ab Angelmario Abbate ad Papam Stephanum nomine VI. ad bona Monasterii Capuani quæ Athenolphus Capuæ Castaldeus rapuerat, recuperanda. Scripsit *Chronicon breve de Gestis Principum Beneventanorum*, editum in 4. Neapoli anno 1626. opera Antonii Caraccioli Congregationis Theatinorum, cum Nomenclatore & propylæo, atque antiquis aliis Chronographis historiam Neapolitanarum rerum continentibus: *Lupo* nempe *Protospata, Anonymo Casinensi, Falcone Beneventano, & Appendicibus historicis.* Ætatem produxit Herempertus, annis aliquot post nonum Christi seculum. Nam pag. 80. Lamberti Principis obitum memorat, filii Guidonis, Ducis Spoletani: qui teste Sigonio, anno Christi 910. defunctus est. Quo autem signate anno Herempertus mortuus sit, reperire non potui. Plura Leo Ostiensis in *Chronico Casinensi* Lib. 1. capp. 9. 19. 46. Petrus Cassinensis in libro *de Viris illustribus Casinensibus.*

NICOLAUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, COGNOMENTO MYSTICUS, quod erat nomen 890.
primæ post magnum Carthularium dignitatis, cujus insignia fuisse Thiaram & prætextam loris vittam præferre, tradit Georgius Codinus, in libello *de officiis urbis Constantinopolitanæ*: successit anno 895. in sede Patriarchali Novæ Romæ, quo mortuus est Antonius Patriarcha pariter Constantinopolitanus, postquam duos tantum, annos sedisset, ut habetur in serie Patriarcharum Constantinopolitanorum, intexta *Corpori Juris Orientalis*. Hic anno 901. è throno isto depositus est jussu Leonis Imperatoris, cum annos undecim sedisset, ut habet Græca ista series Constantinopolitanorum Episcoporum. Quænam autem caussa præcesserit ejus dejectionis, narrat in ipso Leone Curopalates: nimirum quod Imperator cum tertia uxore defuncta, quartam nomine Zoën superinduceret, quamvis id faceret liberorum quærendorum causa, quia nullos ex tribus prioribus sustulisset: attamen quod frequens ejusmodi nuptiarum repetitio contra Canones esset, ut contra Concilium Neocæs. Can. 3. & 7. Basilium Epistola ad Amphilochium Can. 4. Caussa 41. q. 1. *De his qui* &c. Imo & contra ipsius Leonis promulgatam olim Constitutionem 90. *ut qui ad tertium matrimonium convolarent, pœnis Canonum subjacerent*: has quartas ejusdem nuptias Patriarcha non solum consecrare recusavit, sed & Presbyterum qui benedixerat, de-

posuit: atque ipsum Imperatorem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit. Cumque insuper nollet, quamvis diu rogatus, Imperatorem in Ecclesiam admittere: ipse exulare jussus, in Monasterium à se conditum relegatus est. Subrogatus vero in ejus locum anno 906. suffragio Cleri, Euthymius genere Isauricus, professione Monachus, dignitate Syncellus Patriarchæ, & Imperatoris pater spiritualis: vir pius & summa virtute præditus, atque etiam dono Prophetiæ decoratus, quem & ajunt summum sacerdotium renuentem, divino fuisse oraculo impulsum, ut illud susciperet: qui mox ut ordinatus est, Imperatorem in communionem recepit. Ita ex Curopalate, qui ait Nicolaum depositum esse mense Januario: & ex Aretha Cæsareensi Archiepiscopo apud Lipomanum, in Oratione Funebri ad *Translationem S. Euthymii* habita: nec non ex præambulis Constantini Porphyrogeniti ad edictum Unionis: ubi additur ex hac occasione scissam fuisse Ecclesiam Constantinopolitanam, cum alii Nicolao, alii Euthymio adhærerent. Ex hoc facto integritas animi in Nicolao Mystico manga intelligitur, servandorumque Canonum sacer zelus, quo pauci hodie premuntur. Cui neque scientia defuit. Extant enim ejus *Epistola II.* altera ad Anastasium Papam, altera ad Joannem X, Latine, Conciliorum tomo IX. col. 1264. *Decretum de literis Patriarchalibus gratis concedendis*, extat Græcolatine *Juris Græco-Romani* lib. 4. p. 249. *Epistola ad Simeonem Bulgariæ Principem* habetur Græcolatine apud Baronium, ad annum 917. Atque *aliæ quinque* ibidem Latine tantum ad Armenorum, Saracenorum, Longobardorum & Amalphitanorum principes, & ad Episcopos extra communionem existentes. Item ex Possevino ad calcem *Apparatus Sacri* pag. 46. *Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani Explicatio in omnia divinæ Scripturæ loca*, extat Constantinopoli MS. apud Constantinum Barinum. Denique *Epistola Nicolai Archiepiscopi Constantinopolitani*, quarum initium, πᾶσα ἐπίγειος ἐξουσία: *Omnis terrena potestas &c.* Manuscriptæ in Monasterio Insulæ Pathmos, quæ in mari Ægeo est, ex Catalogo illius à Reverendo Aloysio Lullino Episcopo Bellunensi contexto, quem adjecit ad calcem *Apparatus sacri* idem Possevinus, pag. 42. Item post *typicum Sancti Sabæ Abbatis* anno 1643. Venetiis in folio Græce editum, inter varia quæ subjuncta sunt, extant Num. 4. *Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani ad Anastasium Montis Sinæ Abbatem de jejuniis Græcorum carmina polytica CCXXIV.* Græce, de quibus in S. Saba Abbate ad annum 520. supra egimus. Mortuo autem Leone Imperatore, inquit Curopalates, accersitum Nicolaum Patriarcham à Leone expulsum, Constantinopolitano sedi restituit novus Imperator, Euthymio anno 911. in exilium ejecto: quem Clerici Nicolao addicti inhumaniter tractantes, pugnis percusserunt, colaphis ceciderunt, barbam evulserunt, aliaque prorsus feralia in sanctissimum senem perpetrarunt: quæ narrat Curopalates ac deplorat Arethas Cæsareensis Archiepiscopus Oratione funebri habita in *Translatione Euthymii*, quæ extat apud Lipomanum tomo 3. ubi & causam odii Clericorum in eum fuisse ait, quod illos palam simoniæ intentos coërcuisset. Nicolaus autem restitutus non tantum in sedem, sed anno 912. Constantini Porphyrogeniti tutor factus, quo pariter anno scripsit ad Romanum Pontificem adversus Quadrigamiam. Recuperatâ sede, Nicolaus memor injuriarum sub Leone Imperatore acceptarum, cùm suadentibus Apostolicæ sedis legatis in exilium pulsus fuisset, qui à parte fortiori stabant: plenam querelis ad Romanum Pontificem scripsit Epistolam, quâ rei tunc gestæ seriem exacte narrat, apud Baronium tomo X. *Annalium*, hoc anno 912. ex Bibliotheca Episcopi Bellunensis. Ista paucis quoque Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* p. 155. his verbis. *Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus anno Domini 912. ad Summum Pontificem Romanum Epistolam satis longam scripsit, conquerens de tetragamia Imperatori Orientis concessa: quin & alteram ad Joannem Papam, pro ineunda perfecta concordia cum Romano Pontifice. Alias item ad Symeonem Bulgariæ Principem, alias ad Armeniæ Principem, ad Principem Saracenorum, ad Episcopos extra communionem existentes, ad Ducem Longobardiæ, ad Principem Amalphitanum. Ea in Appendice ad tomum undecimum Annalium Baronii Cardinalis extant, accepta & è Græco in Latinum conversa, ab Aloysio Lullino Episcopo Bellunensi.* Anno 914. cum adversus Constantinum Imperatorem, Bulgaricum bellum exortum esset, Symeone ipsorum Rege Constantinopolim obsidente, atque repulsus ille & in Hebdomum reversus esset: Symeonem convenit Nicolaus Patriarcha Imperatoris junioris tutor, quem etiam victorem ad componendam pacem adduxit: quâ stabilita Bulgarus Rex benedictionem à Patriarcha accepit, imposito pro coronâ cajutio. Hæc pluribus Curopalates. Anno 916. qui XV. ab exilio ejus numeratur, idem una cum Imperatore Legatos misit ad Joannem Papam, cùm litteris quas hoc anno recitat Baronius tomo X. *Annalium*, ex Episcopi Bellunensis bibliotheca, ad perfectam cum Ecclesia Romanâ concordiam ineundam: cujus & Nicolai Mystici aliæ extant Epistolæ in *Annalibus* ejusdem Baronii, anno 917. Post hæc idem Patriarcha, per Zoën Augustam Imperatoris matrem, ex Palatio ejectus est, qui per multos tamen adhuc annos Constantinopolitanam sedem tenuit: ad annum circiter 925, juxta alios autem ad annum 930, quo in defuncti Nicolai locum Stephanus Amasææ Archiepiscopus subrogatus est, ut Joannes Scylitzes Curopalates author est. De illo pluribus Cæsar Baronius in *Annalibus* suis, secu-

culo decimo. Henricus Spondanus ejus epitomator, ad annum 890. n. 3. 901. n. 2. 911. n. 3. 912. n. 8. 914. n. 1. 916. n. 2. 930. n. 2. cum aliis plurimis.

DISSERTATIO SINGVLARIS
DE
VITA, MORIBVS ET SCRIPTIS DAMASI PORTVENSIS EPISCOPI, QVI POSTEA FORMOSVS PAPA DICTVS EST.

PROLOGVS.

Sicut Cæsar Baronius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, iratus tot invectivis & contumeliis, quas in Centuriis suis contra Romanos Pontifices, Romanamque Ecclesiam congesserunt, Centuriatores Magdeburgenses, scribere Annales suos Ecclesiasticos aggressus est: ita quoque non defuerunt ex Protestantibus, qui contra Baronii lapsus, injurias, falsitates, antilogias seu contradictiones in Annalibus suis Ecclesiasticis admissas, calamum acuerent, atque probra & contumelias retunderent. Extant *Exercitationes XVI. Isaaci Casauboni de rebus sacris & Ecclesiasticis ad Baronii Annales*, Londini 1614. in folio & Francofurti 1615. eadem forma. Itemque *Casauboni & Blondelli Animadversiones in Baronii Annales*, editæ Amstelodami 1675. in fol. Atque *Exercitationes V. ad Baronii Annales ubi Casaubonus desiit*, auctore Adamo Tribbechovio Professore Historiæ Ecclesiasticæ in Academiæ Kiloniensi, editæ primum anno 1666. Kilonii in 4, tum Hamburgi anno 1708. apud Reuman, habentes ad frontem Epistolas duas, *unam fratris Pauli Sarpii Veneti ad Isaacum Casaubonum*, qua ipsi congratulatur quod contra Baronium scribere velit, quem confutatione facillimum censet, ex ipsis potissimum factis, quæ tuetur. Itemque *Responsionem Casauboni ad Paulum Sarpium:* quas binas Epistolas nunquam impressas Marquardus Gudius olim apud se habuit & cum Christiano Kortholdo Theologiæ in eadem Academia Professori, Tribbekovii Socero, tunc cummunicavit, ut Dissertationibus suis præmitteret. Ipsi quoque Pontificii seu Papicolæ, sæpe vocibus elatis adversus hos Annales Baronii Ecclesiasticos, ob mendacia, falsitates, aliosque hujus historiæ lapsus reclamarunt: ut doctissimus Dionysius Petavius Soc. Jesu, in Theologicis & Historicis clarissimus, inter confabulandum sæpe dixerit, se non multo cum negotio vel labore, usque ad octo millia errorum & hallucinationum, in his Annalibus Baronii Ecclesiasticis reperturum, si operæ pretium foret. Hoc instinctu ductus, Antonius Pagi, Ordinis S. Francisci alumnus, nobis olim amicus, aggressus fuit labore non ingrato nec improbo, *Criticam Historico Chronologicam in Annales Baronii* à Christo nato ad annum 1198. quo Baronius desiit; cujus Volumen primum Parisiis anno 1689. in folio Joannes Boudot cum sociis edendum sategit: quam integram Voluminibus IV. in folio post ipsius Antunii Pagi mortem, Typographi Genevenses, forma præter morem nitida evulgarunt, de quibus agunt plene *Acta Eruditorum Lipsia* ad annum 1706. pagg. 110. 337. & 433. Ita veritas omnibus cordi est, quidquid contra palpones scribant aut scripserint. Cum itaque legendo reperissem, Baronium Tomo X. *Annalium* supra modum & fidem, laudasse *FORMOSVM PAPAM*, antea *DAMASVM PORTVENSEM EPISCOPVM*, quem *virum sanctissimum ac doctissimum* non semel vocat: licet alii plurimi ut *scelestum ac nequissimum* atro carbone depingant: subiit mihi in mentem, ut DISSERTATIONEM SINGVLAREM *de Vita & Scriptis Damasi Portuensis Episcopi, qui postea Formosus Papa dictus est*, Collectaneo huic nostro ad annum 890. insererem, quam lectoribus non fore injucundam arbitratus sum. Spectat enim ille ut postea ostendam, ad Scriptores Ecclesiasticos.

CAPVT PRIMVM.
DE
VITA ET MORIBVS DAMASI PORTVENSIS EPISCOPI.

ITa *Formosi Papa* seu *Damasi Portuensis Episcopi* vitam seu encomium à Cæsare Baronio Tomo X. *Annalium Ecclesiasticorum* passim elaboratum, indubium ac verum credidit Labbæus, ut simul collectum velut *legendam quandam auream* Tomo IX. Conciliorum editionis Parisiensis 1672. col. 426. ad perpetuam sanctitatis illius memoriam inseruerit. Dabitur hic verbotenus, cum censuris nostris ad calcem paragraphi cujusque, ut quam falsa vel incerta sint omnia ab isto Cardinale in gratiam Damasi Portuensis Episcopi conscripta, lectoribus appareat, & quam modicam fidem vel nullam Annalibus ipsius Ecclesiasticis debeamus, attendant.

1. Formosus, religione, morum integrita- "
te atque doctrina laudatissimus, electione "
tumultuariâ, elevante se contra eum Sergio "
Diacono, anno Domini 891. Pontifex creatus "
est, vere optimus, ut constat ex Luitprando. "
Eundem Stephano V. immediate subrogatum "

 fuisse,

„fuisse, præter Luitprandum & Flodoardum „lib. 4. cap. 1. asserunt omnes antiqui Romano„rum Pontificum Scriptores, omniaque vete„rum Græcorum antiqua monumenta. Nam „in Codice Columnensi Græco supra sæpius „laudato, ubi redarguitur Pseudo-Synodus „Photiana, successorumque Nicolai & Hadria„ni Romanorum Pontificum series texitur, „hæc habentur. *Post Hadrianum hunc Joannes, „post Joannem Marinus, post Marinum Hadrianus „alter, deinde Stephanus, deinde Formosus: post „hunc alii quatuor, videlicet Bonifacius, Stephanus, „Romanus & Theodorus: ac post hos Joannes, qui „hæc scripsit.* Quod igitur Leo Ostiensis *Histo„riæ Cassinatis* lib. 1. cap. 48. Formosum Hadria„no subjungit, & Stephano V. anteponit, nisi „fortasse intermediis omissis de Stephano VII, „qui vulgo sextus nuncupatur, intelligi velit, „erroneum est. Marianus vero & Sigeber„tus, eorumque imitatores recentiores Histo„rici, nonnisi per somnum excogitasse viden„tur, quod Agapetum & Basilium duos ima„ginarios Pontifices, nunquam visos vel audi„tos, Stephano ejusque posteris anteponunt. Baronius.

Censura. Series Romanorum Pontificum ab Hadriano II. usque ad Formosum Papam obscurissima & incertissima est, nam *Pontificale urbis Romæ*, seu *Liber de Gestis Romanorum Pontificum*, cujus Auctor huic ætati Synchronus est, subjungit proxime Hadriano II. Stephanum VI, omissis tribus Pontificibus Baronianis, *Joanne VIII.* quem IX. alii vocant, *Marino & Hadriano III.* Dignior autem fide est auctor Pontificalis Romani, quisquis ille sit, Pseudo-Luitprando vel Flodoardo: nam primus Opus suum de vitis Romanorum Pontificum, ex *Pontificali* excerpsit: Flodoardus autem recentior est, quam ut comparetur, cum Pontificali urbis Romæ quod sub Damasi nomine excurrit, & antiquitate multum superius est. Quodcunque igitur statuit hic Baronius de serie, ordine, & numero Romanorum Pontificum, incertissimum est.

„ 2. Hunc Anastasius in *Nicolao* magnæ san„ctitatis virum nominat. Hincmarus Rhe„mensis Archiepiscopus, teste Flodoardo libro „3. *Historiæ Rhemensis* cap. 20. eidem scripsit, col„laudans ejus quam audierat sanctitatis ac sci„entiæ famam, quærensque ejus habere fami„liaritatem: & ut ipse pro se dignaretur ora„re, vicem rependere spondens, & quidem ei „munera mittens, ut sui memoriam in oratio„nibus habeat. Episcopatum Portuensem „multo tempore pie & sancte administravit, „adeo ut judicio sanctissimi Nicolai Papæ I. di„gnus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide or„thodoxa imbuendos Apostolus mitteretur: „cumque ibidem plurimis annis egisset, gen„temque illam ad Christi fidem convertisset, „maximam sibi inde gloriam comparavit. „Hunc Joannes Papa VIII. qui magno suo decore res suorum prædecessorum bene di„spositas visus est adversari, (nam Photium„ Constantinopolitanum & Zachariam Anagniæ„ Episcopum, quos Nicolaus & Hadrianus Joan„nis prædecessores sæpius damnaverant, vix„ que ad pœnitentiam vel laicam communio„nem recipiendos esse juste statuerant: ille„ non tantum restituit, verum etiam ipsum Za„chariam Anagninum, honorifico munere Bi„bliothecarii Apostolicæ sedis auctum, consilia„rium suum fecit, eique legationes plures cre„didit) Episcopatu depositum, degradatum, &„ ad sortem laicorum redactum, ab Vrbe rele„gavit, jurareque coegit, se nunquam Episco„patum suum repetiturum, sed laicâ commu„nione contentum deinceps quieturum. Qua„ de causa Joannes in eum hac ratione anim„advertit, non constat: nisi quod fortasse, ob„ res male gestas, à Formoso correptus & admo„nitus, ipsum velut rebellem ex albo Episcopo„rum eradendum esse putaverit.„ Baronius.

Censura. Anastasius Formosum in Nicolao *magnæ sanctitatis virum* non nominavit, sed *venerabilem* duntaxat cum Paulo, quando anno 867. missi sunt in Bulgariam: non ad convertendam illam gentem quæ jamdudum Christiana erat, sed ad satisfaciendum ambitioni Nicolai Romani Pontificis, qui fraudes & technas omnes commovit, ut Bulgariam christianam à sede Constantinopolitana dependentem & Ecclesiæ Græcæ mores ac ritus sequentem, ad Romanam sedem adjungeret, contra justitiam & possessionem. Missi igitur hi Pseudo-Apostoli, non ad fidem propagandam apud Bulgaros, sed ad revocandam ex invidia hanc gentem promissionibus vanis & fraudulentis, ab obedientia quam faciebant Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ex qua fidem susceperant. Falsus igitur hic Apostolatus Damasi & Pauli, qui potius perversitatem utriusque hominis, quam sanctitatem prodit. Splendidum quoque Baronii mendacium est, dum scribit *Hincmarum Remensem Archiepiscopum anno 891. scripsisse ad Formosum Romanum Pontificem illique munera misisse ac precum communionem mutuam petiisse:* nam Hincmarus novem annis mortuus erat, antequam Damasus ad Pontificatum perveniret. Claruit enim Hincmarus ob doctrinam ab anno 830, tum post Ebbonem anno 835. depositum, post biennium vacantis sedis, anno 837. Remensis Archiepiscopus factus, quam Ecclesiam administravit usque ad annum 882. quo Normannis in Gallias irrumpentibus, desertis Remis, in villa Sparnaco X. Kalendas Januarii diem extremum clausit, in S. Remigii Monasterium relatus & sepultus. Hincmarus igitur annis novem post mortem, ex tumulo surgens, ad Formosum Papam scripsit. Grande hoc miraculum, quod *Legendæ* Formosi convenit. Quod ait Baronius, *hunc Episcopatum Portuensem multo tempore pie & sancte administrasse, adeo ut judicio Sanctissimi Nicolai Papæ I. di-*

dignus habitus fuerit, qui ad Bulgaros fide Orthodoxa imbuendos Apostolus mitteretur: cumque ibidem plurimis annis egisset, gentemque illam ad Christi fidem convertisset, magnam sibi inde gloriam comparavit. Quot verba Baronii, tot mendacia. Conversi erant Bulgari ad fidem Christianam jamdudum, qui melius fidem Christianam noverant, quam Episcopi illi Itali, qui illuc anno 867. & ultimo Pontificatus Nicolai I. hominis ambitiosissimi missi, anno 869. Romam ad Hadrianum II. reversi sunt, ut habet Pontificale Urbis Roma, non in Nicolao I. ut Baronius male habet, sed in Hadriano II. fuerunt igitur Ministri & Apostoli, non fidei Catholicæ, sed iniquitatis & ambitionis Nicolai Papæ I. *Nec multis annis illic*, ut vult Baronius, *egerunt*: sed ubi fraudes suas ad Bulgaros ab Obedientia Constantinopolitanæ Ecclesiæ subtrahendos, adhibuissent; statim in Italiam remeantes, negotiatione velut facta triumpharunt. Quod autem Damasus Portuensis Episcopus pessime & negligenter se gesserit in *Apostolatu Bulgarorum*, hinc evidenter patet, quod Hadrianus II. anno 869. eodem Legatos alios tres ob eandem rem miserit, de quibus Platina in Hadriano II. his verbis.

„ Haberi etiam Synodum Constantinopoli „passus est, qua & pulsus Photius vir seditio„sus, & restitutus Ignatius jam antea injuria „pulsus. Habita etiam in eadem Synodo lon„ga contentio est, Bulgarine quorum Legati „tunc aderant, Sedi Romanæ, an Constantino„politanæ, subjecti essent? Tandem vero Ba„silio contradicente, Romanæ Sedi adjudicatur. „Quare Hadrianus à Bulgaris rogatus, ut vi„rum vita & doctrina insignem in provinciam „mitteret, cujus auctoritate & exemplo in fide „Christi retinerentur: tres sanctissimos viros „eo cum summa potestate misit, qui Ecclesias „illas ex sententia ad meliorem cultum redi„gerent. Hi autem fuere, Sylvester Subdia„conus, Leopardus Anconitanus, Dominicus „Tarvisinus, qui rem omnem ex sententia „Pontificis brevi composuere. Quanquam „Bulgari non ita multo post, donis & pollicita„tionibus à Constantinopolitanis corrupti, pul„sis Latinis Sacerdotibus, Græcos receperint: „quæ quidem seditio multorum malorum in„cendia inter Græcos & Latinos suscitavit. En qualis erat Apostolatus Italorum in Bulgariam Christianam ac Constantinopolitanæ sedi subjectam, nempe *ambitionis Romanæ*, non *fidei propagandæ*: id quod Baronius si verax Historicus fuisset, tacere non debuit, nec facere Apostolos, ex ministris iniquitatis.

Quod scribit Baronius, Joannem VIII. aliis IX. voluisse restituere Photium depositum in Constantinopolitana sede, hoc æquitati consentaneum fuit, atque ad Joannis IX. commendationem & moderationem facit: nam Ignatius juste depositus, Photius in ejus locum canonice suffectus fuit. Factum audiamus, ex Historia litteraria Guillelmi Cavi, seculo Photiano ad annum 858. „ Anno 858. dejecto Ignatio & oblato ab eo seu sponte„ seu metu abdicationis libello, cum de succes-„ sore ageretur, Photium τὸν ἐπ' εὐλαβείᾳ καὶ„ γνώσει πολλὰ φημιζόμενον, fatente Michaele„ Monacho, causæ Photianæ aliter minime fa-„ vente, magnopere reluctantem, tum Aulici„ tum Clerici in Patriarchatum Constantino-„ politanum elevarunt, ipso die natali Domini„ consecratum. Anno 861. habita est Con-„ stantinopoli Synodus, Episcoporum cccxix,„ in qua solemni sententiâ deponitur Ignatius,„ cui & aderant & consenserunt Legati Ponti-„ ficii Rodoaldus Portuensis & Zacharias Ana-„ gninus Episcopi: etsi postea ipse Nicolaus Pa-„ pa consensum denegaverit, pessima convicia„ minasque quotidie in Photium jaculatus.„ His accessit nova Nicolai in Photium & in-„ justissima odii ratio, causa nempe Bulgaro-„ rum, quos missis illic anno 867. prædicatori-„ bus, Sedi Romanæ arripere molitus erat.„ Hos interim Photius, utpote Sedi suæ subje-„ ctos, cui se nuper ultro subjecerant, Sedi suæ„ strenuè vindicavit. Libellus *de Septem Synodis* toties editus, nihil aliud est, quam pars„ Epistolæ, quam Photius scripsit ad Michaelem„ Bulgariæ Principem *de officio Principis*, ac pro-„ inde inter Epistolas Photianas à Montacucio„ editas primum locum obtinet. Opusculum„ autem istud evidenter ostendit, Bulgaros„ Constantinopolitanæ sedi fuisse subjectos, at-„ que doctrinam aliam non habuisse, quam„ Photii, & Patriarcharum Constantinopolita-„ norum, quibus subjecti erant, & à quibus„ Christianam susceperant fidem. „ Photius igitur Nicolao & Hadriano II. Romanis Pontificibus infensus erat, quia effræni illorum ambitioni, æquos justitiæ limites imponere pro viribus satagit, unde illorum indignationem & iras in se accersivit.

Addit Baronius *qua de causa Joannes VIII. in eum hac ratione animadverterit, non constat*: quam Baronii ignorantiam fuisse affectatam arbitror. Damasus enim Portuensis Episcopus, dominandi avidus, ad Joannem VIII. à sede sua dejiciendum Romana, seu ex Pontificatu deturbandum cum Proceribus Romanis infidus & prævaricator deliberavit, hujus conjurationis antesignanus factus, quâ perfidiâ nulla major esse potest. Conspiratione detecta, Episcopatu Portuensi dejectus est atque ad Laicorum sortem redactus, pœnâ quæ sceleri tanto æquiparanda non fuit. Ac ne quis narranti mihi fidem neget, audiat Horatium Tursellinum Jesuitam in *Epitome Historiarum* lib. 7. cap. 5. his verbis. *Ingens subinde Roma extitit motus. Joannes Pontifex Romanorum procerum conspiratione comperta, Formosum Portuensem Episcopum, aliosque conjuratos solemni ignominia notavit.* En facinus & scelus, quod in *Legendam Sanctissimi Damasi Portuensis Episcopi* ad Aposto-

la-

latum ipsius confirmandum, inseri meruerat.: cujus ignorantiam Baronius prætexuit.

„ 3. Marinus Joannis Papæ successor, virum meritis supra recensitis insignem, Apostolatus honore condecoratum, hac ignominia obrutum, ut par erat, erexit, erectumque haud dubie à juramento per vim & metum extorto absolvit, & pristinæ dignitati restituit. Obtemperans sententiæ & mandato Pontificis Formosus Episcopatum resumpsit. Baronius.

Censura. Nec Marinus absolvere jurejurando Formosum justè depositum debuit, nec sedi suæ restituere potuit.

„ 4. Cumque hoc potissimum tempore, pessimorum tyrannorum invasione Romana Ecclesia gravissime affligeretur, ipse vero Formosus Portuensis Episcopus toto terrarum orbe, ut supra ex Flodoardo & Luitprando ostendimus, laudatissimus simul & doctissimus haberetur & coleretur: bono totius Ecclesiæ Catholicæ, prout sæpius factum fuerat, ex Episcopo Portuensi ad moderandas habenas totius orbis Catholici, translatus est ad Episcopatum & Pontificatum Romanæ Ecclesiæ: cujus initio, Epistolam illam, quam Stylianus destinaverat ad Stephanum VI, priusquam Romam afferretur defunctum, accepit, aliamque infra extantem reddidit. Baronius.

Censura. Ecclesia tunc temporis magis afflicta fuit, ex usurpatione, malisque moribus Romanorum Pontificum, quam ex tyrannide Principum sæcularium. Cum autem ob conjurationem in Joannem VIII. vel IX. factam, Damasus Portuensis Episcopus depositus & ad laicam sortem dejectus fuisset, incapax fuit velut infamia notatus, possidendæ ullius dignitatis Ecclesiasticæ, multo minus Pontificatus Romani assequendi, cujus in Pontificem scelerate conspiraverat. Nec latere Baronium hoc potuit. Sincerior prorsus Baronio fuit, Antonius Dadinus Alteserra, Juris utriusque Professor & Universitatis Tolosanæ Decanus, qui in Notis & Observationibus ad Anastasium personatum *de Vitis Romanorum Pontificum*, anno 1680. Parisiis in 4to editis, licet Pontificius in *Agathone* pag. 74. Damasum invasorem & usurpatorem Romanæ Sedis appellare non timuit his verbis. *Eodem jure Formosus Portensis Episcopus, Sedi Romanæ incubator, mortuus è sepulchro detractus à Sergio Rom. Pontifice, & demptis Pontificiis vestibus, tribusque digitis abscissis, in Tyberim projectus.* Narrat idem accidisse Formoso, quod posteà Benedicto V. invasori ejusdem, anno 963. contigit: Benedictus Sedis Apostolicæ invasor à Leone VIII. depositus, per abscissionem pallii, & fractionem ferulæ pastoralis, salvo Diaconatu. Regino *Chronici* lib. 2. *Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo, eundem Benedictum Romanæ Sedis invasorem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & Pontificale pallium quod sibi imposuerat, abscidit: ferulamque pastoralem manu ejus abreptam, coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, Diaconatus ei tantum gradu uti concessit.* Nihil igitur commendabile habuit Formosus Papa dictus, seu Damasus Portuensis Episcopus, quam quod à Nicolao I. ad annum 867. velut iniquitatis minister atque divisionis, missus fuerit in Bulgariam, ut gentem illam Constantinopolitanæ Sedi à Christiana fide susceptа subjectam, ab obedientiâ huic Patriarchatui debitâ revocaret, Hic Apostolatus Damasi.

Jam quid egerit in Pontificatu Romano, tam iniquis modis positus, videamus. Prima illi cura fuit vindictæ, ut injurias justè sibi à Joanne VIII. vel IX. irrogatus ulcisceretur, ac par pari intrusus Pontifex referret. Rescidit omnia acta à Joanne VIII. in Pontificatu, irrita illius omnia ac nulla finxit, ordinationes ab illo factas nullas ac iterandas pronuntiavit, ac si Romanus Pontifex nunquam fuisset: quæ agendi ratio discordias enormes Romanæ Ecclesiæ peperit, ac scandalum orbi Christiano & posteritati nunquam oblivione sepeliendum. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*, inquit David Psalmo 73. v. 23. Hujus rei testis est Auxilius Scriptor Italus, Formoso Synchronus, qui anno 894. claruit, cujus mentionem facit Guilielmus Cavus in *Historia rei litterariæ* seu *de Scriptoribus Ecclesiasticis* sæculo IX. ad annum 894. pag. 569. Ejus Opuscula ex MSS. Codicibus ediderunt Joannes Morinus & Joannes Mabillon, viri sæculo elapso inter Pontificios celeberrimi. Scripsit igitur *libros duos de Ordinationibus Formosi Papæ seu Contra intestinam discordiam Romanæ Ecclesiæ*, sive ut Sigeberti verbis urar, qui Operis istius meminit in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 112. apud Aubertum Miræum in sua *Bibliotheca Ecclesiastica* pag. 147. „ Auxilius scripsit Dialogum sub persona insensoris & defensoris, divinis & Canonicis exemplis munitum, contra intestinam discordiam Pontificum Romanæ Ecclesiæ, scilicet de ordinationibus, exordinationibus & superordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus & superordinationibus." Quo ex opere, Formosum Papam, Romanæ Sedis incubatorem, ad vindictam implendam, omnia perturbasse *exordinationibus suis & superordinationibus* constat. Primus hos libros in lucem edidit Joannes Marinus Ordinis Patrum Oratorii vir doctissimus, ad calcem Commentarii *de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus, secundum Latinos, Græcos, Syros & Babylonios*, editi Parisiis anno 1686. in folio: ad calcem inquam parte 2. pag. 298. recusos deinde in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis anno 1677. incœptæ, sed Tomo XVII. pag. 1. qui post annum 1686. impressus fuit. *Alium ejusdem librum*

brum seu Dialogum super causa Formosi Papæ exhibuit Joannes Mabillon Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, vir celeberrimus *Analectorum* tomo 4. pag. 610. Hæc Opuscula siquidem Protestantes illa in lucem protraxissent, statim Pontificii apertis clamoribus, suppositionis accusassent, sed producta à Clarissimis Pontificiæ factionis hominibus & religiosissimis, atque ex Bibliothecis Pontificiis, os omne Pontificiorum obstruunt, Formosumque Papam Christianæ fidei & Romanæ communioni fuisse perniciosissimum fateri coguntur. Extant hæc opuscula inter MSS. Codices clarissimi viri Caroli de Montchal Archiep. Tolosani Codice LVI. quos Mauritius Tellerius Remensis Archiepisc. ab ejus hæredibus non exiguo ære comparavit suæque Bibliothecæ inseruit, qui tandem ex Tellerii dono ad Regiam Parisiensem Bibliothecam non ita pridem delati sunt. De illis Philippus Labbeus Jesuita in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum* sive *Specimine antiquarum lectionum Latinarum & Græcarum*, Supplemento IV p. 195. editionis Parisiensis anni 1654. in 4.

„ 5. Valde sollicitus fuit, ut Carolum Sim„plicem filium Ludovici Balbi, legitimum Gal„liarum regni hæredem, in regno stabiliret, ut „constat ex Epistolis, quas hac de re ad Fulco„nem Remensem Archiepiscopum & alios scri„psit, ut ex Flodoardo lib. 4. c. 2. & 3. discimus. Baronius.

Censura. Egit pessime dum Carolum Simplicem, ingenio debilem, ætate adhuc puerum, & regnandi incapacem, curavit eligi. Commissus enim multis ac sibi invidentibus proceribus, propter Hoganonem Consiliarium à Proceribus derelictus, ab Heriberto Viromandiæ Comite in carcerem conjectus, in eo Poronæ obiit & conditus est, regno multis calamitatibus disjecto.

„ 6. Widonem qui ante XV. annos sibi no„men Imperatoris usurpaverat, ut ex quodam „antiquo Diplomate docet Baronius, anno „Pontificatus sui secundo, filium vero ejusdem „Widonis Lambertum sequente anno, Occi„dentis Imperatores legitime creavit, unxit & „coronavit. Quare non aliter quam per sur„reptionem, ut Acta Concilii Romani sub Jo„anne IX. testantur, accidisse potuit, quod idem „Pontifex Formosus anno Pontificatus sui sexto „& ultimo, Arnulphum vocaverit, eique coro„nam Imperii Occidentalis imposuerit. Cor„rigendus est igitur communis error Chrono„graphorum, qui contra præscriptum sacro„rum Canonum & auctoritatem Sedis Aposto„licæ, post Carolum Calvum Widone & „Lamberto omissis, in serie Occidentalium „Imperatorum enumerant Arnulphum, qui le„gitime nunquam electus & coronatus, Impe„ratoris titulo nunquam condecorandus erat. Baronius.

Censura. Hoc facinus seu scelus Formosi Papæ tam enorme est, quo jus sibi creandi Imperatores Occidentis usurpavit, ut in antiquitate omni nihil simile reperiri queat. Nullum ipsi jus ad Imperium Occidentale gubernandum, atque ad transferendum ad Italos principes, quod multis ab annis à Caroli Magni stirpe occupabatur, ex qua multi adhuc inter Germanos principes erant. Merebatur hoc Formosi scelus depositionem à Pontificatu Romano, carcerem, aliasque graviores pœnas, quas ob Romanæ sedis reverentiam & ad scandalum Ecclesiæ declinandum, Imperatores Occidentis infligere veriti sunt, temporum iniquitati aliquid indulgentes. Recte ab Historicis & chronologis, omissi duo illi Itali, Wido & Lambertus à Formoso Papa electi & coronati, velut *Imperatores simmunei*. Hæc contra Baronii insolentiam, perversamque doctrinam.

„ 7. Per electiones & coronationes supra“ enarratas, civium Romanorum invidiam & o“ dium maximum incurrit, eorumque vivens“ simul & mortuus gravissimas injurias, contu“ melias & sacrilegia sustinuit. De iis quæ à“ Romanis civibus passus est vivens, Luitpran“ dus lib. I. Historiæ cap. 8. his verbis enarrat.“ *Hoc in tempore Formosus Papa religiosus à Roma*“ *nis vehementer afflictabatur, cujus & hortatu rex*“ *Arnulphus Romam advenerat. In cujus ingressu,*“ *ulciscendo Papa injuriam, multos Romanorum Prin*“ *cipes obviam sibi properantes decollari præcepit.*“ Baronius.

Censura. Habemus hic Baronium confitentem, Formosum Papam ob usurpationes suas electionis & institutionis Principum Italorum Widonis & Lamberti in Imperatores Occidentis, multas injurias à Romanis civibus passum fuisse, illorum odium incurrisse, hortatu ad vindictam Formosi Papæ faciendam, manus suas Arnulphum Romam advenientem inquinasse cæde cruenta Romanorum Principum, ut hac ratione Formosum sibi devinciret, à quo coronandus accesserat.

8. Quas injurias quæve probra; successo“ res illius Stephanus VI. & Sergius III. vel per“ facti ignorantiam, vel per summum sacrile“ gium eidem Pontifici intulerint, quomodo ex“ humatus & tribus digitis mutilatus sit, itera“ tis & repetitis ordinibus eorum, quos For“ mosus ordinaverat, dicam infra in Vita Ste“ phani VI. Anno Domini 896. Pontificem à“ Scriptoribus hujus temporis valde commen“ datum obiisse, postquam 6. annis sedem Pon“ tificiam tenuisset, testatur Regino, Luitpran“ dus & Adamus Bremensis. Errant ergo re“ centiores, qui anno 895. Pontificatus sui anno“ quinto, eundem ex hac vita decessisse scribunt.“ Hæc Baronius tomo X. *Annalium.*

Censura. Juste ita cum Formoso actum est à Successoribus illius, qui omnia ob suam inconstantiam atque partialitatem passus fuit. Qui non contentus Sedem Romanam usurpasse, eligendi etiam Imperatores Occidentis, & transferendi Imperium ab una gente ad ali-

aliam, à Germanis ad Italos, jus sibi impudens & effrons usurpavit. Tursellinus Jesuita factum Stephani VI. & VII. his verbis describit in *Epitome Historiarum* lib. 7. cap. 9. *Roma interim ex contentione partium, infandum facinus ortum Stephanus VI. aliis VII. Pontifex, pessimo exemplo, Formosi Pontificis velut vitio creati acta rescidit, irrita declarata consecratione eorum, qui ab illo initiati fuerant sacris. Indignum deinde facinus proditur. Formosi cadaver effossum, & in conspectu omnium, Pontificalibus exutum insignibus, & cum prophano habitu in Tiberim projectum ferunt.* Cum autem credulus homo esset, ut fabulæ multæ ac falsa miracula *Historia* illius adjecta evincunt, addit vir bonus cap. 10. miraculum in Formosi gratiam sub Romano ejus successore factum: *Romanus Stephano sublectus, Formosi causam inde suscepit, ejusque corpus ad Tiberina ostia repertum, referri in Vrbem jussit ad sepulturam. Id cum Vaticana inferretur ædi, sacra imagines venerabunda excipere visa, divino Numine ejus Pontificatum approbante. Proinde Pontifex in conventu Episcoporum, Formosum sacrisque ab eo initiatos in integrum restituit.* Hæc Tursellinus credulus nimium, nam Baronius miraculum tantum non omisisset, utpote causæ suæ maximè favens, nisi fabulam & mendacium credidisset. Miraculum enim istud fecisset ad perfectionem *Legenda aurea Sanctissima Formosi Papa*, quæ præter miracula aliud nihil ad complementum exigere poterat. Platina etiam in *Vitis Romanorum Pontificum*, Romanum rescidisse acta Stephani VI. vel VII. refert, sed de miraculo in gratiam Formosi facto, prorsus silet. Audiamus. *Romanus patria Romanus, ubi Pontificatum iniit, Stephani Pontificis Decreta & Acta statim improbat abrogatque. Nihil enim aliud hi Pontificuli cogitabant, quam & nomen & dignitatem majorum suorum extinguere, quo nihil potest esse pejus & angustioris animi. Qui enim his artibus nituntur, nulla virtute muniti, eo de loco abradere bene merentes conantur, quem ipsi ob ignaviam & malitiam attingere non possunt.* Nihil hic de miraculo à Tursellino Jesuita allato, quia falsum, dubio procul credidit. Præterea Platina, ex auctoritate Martini Poloni quem profert, non ait *Corpus Formosi Papa exhumatum in Tiberim projectum fuisse*, sed tantum *Pontificali habitu spoliatum, indutumque seculari, sepultura Laicorum mandatum*. Nullus igitur locus miraculo à Tursellino allato, cum Formosi corpus in Tiberim projectum non fuisset, sed Laicorum sepulturæ datum. Quia vero Platina ingenue corruptissimos tunc temporis Romanorum Pontificum mores depingit, intestinasque quibus seipsos mutuo Pontificatu expellebant discordias, quarum auctor Formosus fuit, transcribemus hic verbotenus.

Stephanus VI. vel VII. patria Romanus, Anagninus Episcopus, Pontifex creatus, tanto odio prosecutus est Formosi nomen, ut statim ejus Decreta abrogaverit, res gestas resciderit, licet quidam scribant ipsum Stephanum Episcopatum Anagninum à Formoso consecutum fuisse. Sed ego arbitror hoc odium ex ambitione ortum fuisse, cum jam eo devenissent Ecclesiastici, ut non coacti ut antea, sed sponte & largitionibus Pontificium munus obirent. Hinc odium ortum est, quo etiam in mortuum Stephanus saviebat, quod ei antea impedimento fuisset, quominus optata sede potiretur. Refert Martinus scriptor, Stephanum tanta rabie desævisse, ut habito Concilio, corpus Formosi è tumulo extractum, Pontificali habitu spoliatum, indutumque seculari, sepultura Laicorum mandaverit, abscisis tunc ejus duobus digitis, illis potissimum quibus in consecratione Sacerdotes utuntur, in Tiberim projectis. Quia (ut ipse inquiebat) contra jura sacramenti, Romam & sacerdotium repetisset, quo à Johanne VIII. jure spoliatus fuerat. Magna fuit hac controversia & pessimi exempli, cum postea fere semper servata hac consuetudo sit, ut Acta priorum Pontificum sequentes, aut infringerent aut omnino tollerent. Quod hactenus certe ab optimis illis Pontificibus, quorum vitas conscripsimus, alienum fuit. Paulum autem abfuit, quin nostra tempestate Paulus II. Venetus, Formosi nomen (ut fit) sibi inderet, quia id nomen ei maxime convenire videbatur, propter proceritatem corporis & majestatem. Quominus autem id faceret, deterruere eum Cardinales quidam, historia non ignari, ne post mortem id accideret, quod olim Formoso. Tulit agrè Paulus, quia nihil ei prater hoc nomen, ad summam felicitatem deesse videbatur.

Porro quam aliqui attribuunt Stephano VI. vel VII. exhumationem Formosi corporis atque in Tiberim projectionem, Romano autem relationem illius ad ædem Vaticanam cum miraculo splendenti factam: alii illique antiquiores & fide digniores historici, adscribunt Sergio III. Romano Pontifici anno DCCCCII, post Christophorum electo, restitutionem vero in Vaticanam ædem Anastasio III. ejus Successori anno DCCCCX. electo, unde miraculum in relatione corporis factum Formosi, adhuc splendidius micat. Audiamus, atque bis etiam Formosi corpus in Tiberim projectum à Pontificibus duobus Stephano VI. vel VII. & Sergio III, atque bis etiam miraculum factum, Pontificii ad majus in Formoso sanctitatis argumentum credant.

Luitprandus lib. I. *Rerum per Europam gestarum* cap. 8. *Nam Formoso defuncto, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur; Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarumque Sanctarum inscius, Formosum à sepulchro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis indutum, collocare pracepit, cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis Spiritu, Romanam universalem Sedem usurpasti? His expletis, sacris mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscisis, in Tyberim jactare pracepit. Quanta autem auctoritatis, quantaque religionis*

Pa-

Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus; quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque à religiosissimis Romanæ Urbis viris persæpe audivi. Idem Leo Ostiensis lib. I. *Chronici Casinensis* cap. 9. Eadem confirmat Platina in Vita Sergii III. Romani Pontificis CXXIII. his verbis. *Sergius tertius, patria Romanus, patre Benedicto. Pontificatum iniens, Basilicam Lateranensem, quæ jam corruerat, restituit. Christophorum è monasterio extractum, in vincula conjecit. Confirmatis deinde rebus, in Galliam profectus, Lotharii gratia & amicitia fultus, qui tum regnabat, in Italiam rediens, Christophorum arctiore custodia revinxit, & Formosi Acta ita improbavit, ut denuo ad sacros ordines eos admittere necesse fuerit, quos Formosus antea sacerdotali ordine dignos censuerat. Neque hanc quidem ignominiam mortuo intulisse contentus, ejus cadaver è sepulchro erutum, capitali supplicio, ac si viveret, afficit: corpusque ipsum in Tiberim projicit, tanquam sepultura & honore humano indignum. Ferunt piscatores, corpus ipsum inter piscandum repertum, ad Basilicam Petri detulisse, atque dum funus celebratur, Sanctorum imagines qua in templo locata erant, corpus ipsum veneratas fuisse: & ob eam rem creditum fuisse, Formosum injuria tali ignominia affectum fuisse. Sed factumne hoc fit à piscatoribus, haud satis constat, vivente præsertim Sergio, qui Formosi factionem persequebatur: quia antea ei impedimento fuerat, quominus Pontificatum consequeretur. Vide quæso, quantum isti degeneraverint à Majoribus suis. Illi enim utpote viri sanctissimi, dignitatem ultro oblatam contemnebant, orationi & Christiana doctrinæ vacantes: hi verò largitione & ambitione Pontificatum quærentes, & adepti posthabito divino cultu, inimicitias non secus ac sævissimi quidam tyranni inter se exercebant, suas voluptates postea securius expleturi, cum nullibi extarent, qui eorum vitia coercerent. Crediderim ego Sergium hoc facere à Lothario compulsum, quia Formosi opera, à Gallis in alienigenas Imperium translatum sit. Sergius autem his artibus vitam ducens, septimo Pontificatus sui anno, mense quarto, die XVI. moritur.* Hæc ex diversis probatisque Scriptoribus hinc inde collecta, de factione à Formoso Papa Romæ suscitatâ, cujus historiam Pontificii fabulis multis, factisque incredibilibus conspurcarunt.

CAPUT SECUNDUM.

DE PONTIFICALI URBIS ROMÆ, SEU LIBRO DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM, SUB NOMINE DAMASI PAPÆ EDITIS.

Omne Collectaneum *de Vitis Romanorum Pontificum* à Sancto Petro usque ad Stephanum VI, a Scriptoribus duobus Anonymis & barbaris, ut infra dicetur, exaratum fuit. Primus Scriptor Anonymus Vitas istas Pontificum Romanorum collegit à Sancto Petro usque ad Silverium seu usque ad Damasum, qui circa annum 366. Romanam sedem adiit. Adscripsit huic parti primæ titulum *Gesta Romanorum Pontificum*, quæ breviter usque ad annum DCC vel DCCL. seu usque ad Joannem VI. extendebantur: Sed Damasus Portuensis Episcopus & Formosus Papa dictus, qui Opus primum amplificavit & ad suam ætatem continuavit, apposuit nomen *Damasi Papæ*, atque Pontificali huic Epistolas duas præmisit, unam Sancti Hieronymi ad Damasum Papam, & alteram Damasi Papæ ad Hieronymum, ut nominibus istis speciosis & antiquis posteros deciperet. Cumque Anonymus argui imposturæ facillime potuisset, si scriptum istud viventibus Damaso Papa & Hieronymo Presbytero conscriptum fuisset, qui impostorem falsitatis arguere viva voce potuissent, juxta recti sensus leges, credendum est, opus istud primo quidem confictum, ultra Silverii Vitam non processisse, neque tamen exaratum fuisse, nisi postquam Damasus & Hieronymus mortui essent, hoc est, post annum 384. vel circiter, quo Damasus fatis humanis cessit: & post annum 420, quo Hieronymus juxta Prosperum mortuus fuit. Post mortem ergo utriusque, quæ his annis obtigit, Anonymus impostor, hoc Pontificale Romanum aggressus est, cui Epistolas falsas Hieronymi ad Damasum & Damasi ad Hieronymum, ut incautos deciperet, majoremque supposito Operi fidem apud Posteros conciliaret, impudens præmisit. Opus ergo istud Damaso Papæ affictum est, annis ad minus XXXVI. post mortem illius: quod vero annis post Hieronymi mortem id factum sit, conjectari non potest. Si porro Opus istud X. vel XX. post mortem divi Hieronymi annis, ab Anonymo sub Damasi nomine elaboratum fuerit, ad annum circiter 430. vel 440. quoad primam partem referri debet. Damasus porro Papa anno 384. octogenarius obiit, & Hieronymus post Damasi mortem anno 385. variis Origenistarum, qui eum in partes suas pertrahere frustra annisi erant, calumniis exagitatus, Roma discedere compulsus, comite Pauliniano fratre solo navem conscendit, & Cyrum delatus ab Epiphanio suscipitur. Inde Antiochiam pergit, & à Paulino deductus, media hyeme Hierosolymam intravit. Hoc igitur eo lepidius est, quod eum Hieronymus nonnisi post Damasi Papæ mortem, Romà derelictà Hierosolymam concesserit; his tamen Epistolis, & rescribat Hieronymus ad Damasum jam mortuum, ut *Acta Episcoporum Romanorum ad sua usque tempora* scriptis mandare velit: & Damasus post mor-

tem, *Acta iſta à ſe conſcripta*, ad Hieronymum jam tunc Hieroſolymis agentem transmittat. Hæc ſtupenda figmenta, quæ Pontificali Damaſi Papæ *de Vitis Romanorum Pontificum*, præmiſſa ſunt. Epiſtolas ipſas aliâ occaſione, ex Lambecio & MSS. multis à nobis lectis proferemus. Juxta aliorum autem opinionem certam, Idem Anonymus Opus iſtud continuavit à Damaſo vel potius ab Hieronymi morte, usque ad Sergium primum, ſeu usque ad annum DCC vel DCCI. quo Joannes VI. Romanam ſedem tenuit. Cum autem eſſet à temporibus primorum Pontificum remotus, ac de eis nihil ſingulare & certum reſcire potuiſſet: ideo illorum Vitas breviter, obſcure & cum falſa etiam ac temerariâ Conſulum deſignatione, deduxit methodo eadem ſcriptor primus, usque ad tempora Martini primi, qui circa annum 648. Romanam ſedem obtinuit. Quia autem tempore Concilii VI. œcumenici anno DC LXXXI. celebrati, ex Vita Leonis II. viveret, Vitas illas a Martino I. diligentius & diffuſius, hoc eſt, ab anno 648. perſecutus eſt, usque ad annum 700. vel 704. ſeu usque ad Joannem VI. quo vixit: quod ipſi facile fuit, cum res temporum quibus vivebat ſcriberet. Nihil autem mirum, fuiſſe tam barbarum hunc Scriptorem, nam ita hæc tempora ferebant. Huic Anonymo alius recentior ſucceſſit Anonymus, & barbaro pariter barbarus, nec niſi nugas fere & donaria Romanorum Pontificum, quibus priorem Collectionem amplificavit, enarrans, qui Collectionem hujus Operis novam ſub Damaſi nomine orditur a Joanne VI. & anno Chriſti DCC, usque ad Stephanum VI, id eſt, usque ad annum Chriſti DCCCXC, ad quem Anonymum ſpectant omnes Vitæ iſtæ, ut Cæſari Baronio recte viſum fuit: ac tam compilavit Vitas Leonis IV. quam Johannis octavi fœminæ, Benedicti III, Nicolai I, Hadriani II. & Stephani VI, usque ad Formoſum Papam. Omnes enim eodem marte conſcriptæ ſunt, eadem methodo & ſtylo, idque tantum diſcriminis inter primas Vitas & ultimas eſt, quod cum remotior eſſet a primorum Pontificum ætate, quorum Vitas ſcribebat, antiquiores & a ſe remotiores brevius perſtrinxerit hic Anonymus, recentiores autem atque ætati quâ ſcribebat proximiores, diffuſius ac diligentiori circumſtantiarum hiſtoricarum deſcriptione depinxerit, eandemque methodum atque barbariem cum Anonymo præcedente ſervaverit. Licet igitur totius Operis duo Scriptores fuiſſe videantur, Anonymus antiquior partem priorem ſibi vendicat, alter Damaſi nomine poſtremam, nimirum a Joanne VI. ad Stephanum VI. vel VII, qui ultimus in hoc Collectaneo includitur.

Hoc *Pontificale Vrbis Romæ* vel *Liber de Vitis Romanorum Pontificum*, ſub Damaſi Papæ nomine, ut MSS. Codices omnes habent, editum primum anno 1547. tum 1600. Venetiis in folio, collatum accurate cum MSS. duobus Vaticanis, Codd. 226. & 3762, & cum omni Scriptorum barbarie & ſolœciſmis, diligenter a Venetis typographis expreſſum fuerit a Sancto Petro usque ad Stephanum VI. ſeu VII. & Chriſti annum DCCCXC. Cujus editionis mentionem facit Ludovicus Jacob a Sancto Carolo Carmelita Cabilonenſis lib. 2. *Bibliotheca Pontificia* pag. 410. editionis 1643. Lugduni in 4. Operi *Supplementum* adjectum eſt, quod Pandulphus Piſanus compoſuit, erutum ex Manuſcriptis Vaticanis iisdem. Orditur autem a Pontificatu Leonis IX, ſeu ab anno 1049. atque excurrit usque ad Innocentii III. tempora quibus ille vivebat, ſeu usque annum Chriſti 1198. Nullus autem quem noverim, a Stephano VI. vel VII. *Vitas Romanorum Pontificum* ſcriptis mandare aggreſſus fuit, ob mores ſceleratos frequentesque intruſiones in Romanam ſedem Pontificum, qui a Formoſo per ſeculum omne decimum & undecimum reſederunt. De hoc *Supplemento* latius poſtea ad annum 1190. in *Pandulpho Piſano* loquemur.

Primi qui hanc editionem Venetam anni 1547. *Pontificalis Vrbis Romæ*, omnium antiquiſſimam ac fideliſſimam allegarunt, *Centuriatores Magdeburgenſes* ſunt, celeberrimi illi viri, Matthias Flacius Illyricus, Joannes Wigandus ac Matthæus Judex, Proteſtantium coriphæi, in Centuriis ſuis XIII. à Centuria prima usque ad nonam. Centuriæ autem præfatæ diverſis locis elaboratæ. Opus circa annum 1557. Magdeburgi ſuſceptum, unde nomen Operi adhæſit, cujus Centuriæ 1. 2. & 3. Baſileæ 1559. editæ expenſis Joannis Oporini, menſe Auguſto. Centuria 4. ibidem, edita Baſileæ 1560. Centuriæ 5. & 6. Jenæ conſcriptæ, quæ Baſileæ anno 1562. impreſſæ. Centuriæ 7. & 8. anno 1564. in Ducatu Megalopolenſi in Civitate Wiſmaria conſcriptæ. Centuria 9. ibidem 1565. menſe Septembri. Centuriæ 10. & 11. ibidem 1567. Centuria 12. ibidem conſcripta anno 1569. Centuria denique 13. ibidem cum Centuria 12, ſed anno 1574. Abſurdi autem ſunt Cenſores Romani, dum *Vitas Romanorum Pontificum à Centuriatoribus Magdeburgenſibus allatas*, legendas prohibent: nullas enim alias illi referunt, quam productas ex Pontificali Papæ Damaſi, Luitprando, Martino Polono, Platina atque aliis Pontificiis Scriptoribus, qui ante Proteſtantes, illas ediderunt.

Hæc Editio prima *Pontificalis Vrbis Romæ* Veneta, reperita fuit variis temporibus à Scriptoribus Pontificiis, ſed an eadem fide, quâ primæva editio Venetiis in lucem exiit, non aſſeruerim. Conciliorum Generalium, Provincialium & Particularium facta eſt Collectio per Laurentium Surium Carthuſianum, diſtributa in Tomos V, edita Coloniæ Agrippinæ 1567.

1567 quatuor voll. in folio apud Gervasium Calenii, cujus Tomis 1. & 2. *Pontificale Vrbis Romæ* sub nomine Damasi Papæ, a S. Petro ad Stephanum VI. insertum fuit.

Concilia Generalia & Provincialia per Dominicum Nicolinum, edita pulchro charactere Venetiis 1585. V. tomis, dedicata Sixto V. Pontifici Maximo VI. Kalendas Octobris, ubi se sequutum fuisse Surianam editionem testatur, ac *Vitas Romanorum Pontificum* inseruisse tomis 1. 2. & 3. a Sancto Petro usque ad Stephanum VI. ex *Pontificali Damasi Papæ* nomine edito.

Anno autem 1602. Joannes Buscus Noviomagensis, Soc. Jesu Theologus non incelebris, edendum curavit Moguntinis typis in 4. hoc *Pontificale Vrbis Romæ*, non sub nomine Damasi Papæ ut in MSS. Codicibus semper occurrit, sed *Vitas Romanorum Pontificum* sub nomine *Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii*, sub quo nunquam antea prodierant: quibus adjunctum fuit *Luitprandi Ticinensis Diaconi*, vel potius alterius anonymi *Opusculum de Vitis Romanorum Pontificum*, itemque *Abbonis Abbatis Floriacensis Epitame ex Pontificali Vrbis Romæ excerpta* &c. Hic Jesuiticà audaciâ primus hoc *Pontificale Vrbis Romæ*, ut in MSS. Codicibus omnibus habetur, sub Anastasii S. Rom. Eccles. Bibliothecarii nomine, ad quem nullatenus spectat, edendum curavit, sequutus falsam opinionem Cardinalis Baronii, qui ita Tomis 8. & 9. Annalium suorum Ecclesiasticorum censuit, adoptans opinionem Onuphrii Panvinii, in Annotationibus ad Platinam *de Vitis Romanorum Pontificum*. Huic audaciæ aliam Jesuita Moguntinus adjecit, ut barbariem styli, quæ opus istud a viro cultissimo Anastasio S. R. E. Bibliothecario amoliebatur, corrigeret atque pro captu emendaret, hoc titulo quod idem jam ab anterioribus Scriptoribus factum fuerat, in præjudicium Editionis primæ Venetæ anni 1547. Jesuita audaciam suam in Operis præfatione non dissimulat. *Nihil loco movimus, præter barbarismos & solæcismos quosdam fœdiores, qui cum cachinnum legi non poterant: ea in re secuti exemplum, non solum Baronii, verum etiam eorum, qui jam olim plerasque vitas in Conciliorum tomos retulerunt.* Non minus igitur Jesuita Moguntinus textum corrupit quam Operis titulum, ut Cardinalem Baronium sequeretur.

Concilia Generalia & Provincialia Latine tantum, cum Epistolis Decretalibus & Vitis Romanorum Pontificum Severinus Binius edenda curavit 4. tomis in fol. Coloniæ Agrippinæ anno 1606. & Græce ac Latine cum Notis 8. Tomis Colnniæ Agrippinæ 1618. secundis curis. Severinus autem Binius, in editione anni 1506. hæc habet in Præfatione ad Lectorem. *In Vitis Pontificum Romanorum recensendis addidi ad Damasum, Anastasium Bibliothecarium & Luitprandum, Vitarum Pontificiarum antiquos celeberrimos Scriptores, quæ in aliis auctoribus alicujus pensi sunt, ut Historia perfectior esset.* Errores autem tantos, tamque frequentes in istis Romanorum Pontificum Vitis observavit Severinus Binius, ut labore ingenti, Tomo 1. & 2. Conciliorum Collectionis suæ utriusque Notas maximas adjecerit, quibus errores in his Vitis occurrentes corrigeret, quæ post Vitas singulorum Pontificum a Sancto Petro usque ad Stephanum VI. vel annum Christi DCCCXC. Ipsum autem Severinum Binium, aliæ omnes Conciliorum editiones quæ secutæ sunt, imitatæ, Notas easdem ut omnino necessarias, Collectionibus suis inseruerunt.

Conciliorum Omnium Generalium & Provincialium Collectio Regia Tomis XXXVII. Græce & Latine, cum Epistolis Decretalibus & Vitis Romanorum Pontificum allatis, Notis atque Observationibus Severini Binii & aliorum adjunctis, anno 1644. in folio Parisiis expressa fuit, ornatu prælorum majori, quam utilitate eruditorum, qui editione ista ob voluminum nimiam multitudinem & pondus, uti vix possunt: unde factum ut exemplaria admodum pauca distracta fuerint.

Anno 1649. Carolus Annibal Fabrotus vir eruditus & in MSS. discernendis idoneus, edidit ad calcem *Historiæ Ecclesiasticæ Anastasii S. R. E. Bibliothecarii*, Librum *de Vitis Romanorum Pontificum* a Sancto Petro usque ad Stephanum Sextum, seu ad annum DCCCXC, quem contulit cum 3. MSS. Codicibus Thuaneo, Regio & Mazarini Cardinalis. Edidit autem sub *Anastasii Bibliothecarii* nomine, Joannem Buzæum imitatus, sed omnes MSS. Codices, quos in manibus habuit, opus *Damaso Papæ* inscribebant, ut idem Fabrotus in Lectionibus variantibus ingenue agnoscit. Itaque tantum abest, ut in editione sua Codices manuscriptos secutus sit, ut e contra, attribuens Opus istud Anastasio, contra fidem illorum processerit: de quibus dicemus hujus Dissertationis cap. 4. ubi de MSS. Codicibus *Pontificalis Vrbis Romæ* agemus.

Anno denique 1672. Philippus Labbeus curavit edendam Conciliorum Generalium Provincialium & aliorum editionem, Græce & Latine Voluminibus in folio XVII. Parisiis, typis Societatis typographicæ librorum Ecclesiasticorum jussu Regis constitutæ, in qua *Pontificale Vrbis Romæ* sub Damasi nomine continetur, cui Tomo 1. col. 63. hæc præmittuntur, ut in editionibus Binii & aliis anterioribus. *Liber Pontificum Romanorum jam inde à Sancto Petro usque ad Nicolaum nominis Primum*, dic usque ad Stephanum Sextum: *in quo eorum gesta describuntur, primorum per Damasum Papam, reliquorum autem per alios veteres & fide dignos auctores.*

Nota Severini Binii.

Hujus libri Pontificalis Damasus auctor non est, sed potius ex duobus diversis auctoribus

ribus consarcinatus esse inde probatur, quod in unoquoque Pontifice pugnantia inter se contineat: adeoque dictorum ac scriptorum inter se dissidentium, nulla ratio haberi potuerit. Ita Baronius anno Christi 69. num. 35. anno 384. num. 16 & 17. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* verbo *Damasus*. Hæc de *Pontificali Damasi Papæ*, seu *Vitis Romanorum Pontificum*, illiusque variis editionibus.

CAPVT TERTIVM.

DE

COMPENDIIS ET SVPPLEMENTIS LIBRI *DE VITIS ROMANORVM PONTIFICVM.*

COmpendium primum, quod *Pontificalis Vrbis Romæ*, seu *de Vitis Romanorum Pontificum*, anno 1602. ex MS. Codice Marci Welseri Duumviri Augustani, Moguntiæ in 4. apud Joannem Albinum productum est, quod sub nomine Luitprandi Ticinensis Diaconi, nullo nixus fundamento in lucem protulit, Joanoes Busæus Jesuita Moguntinus. Ita tamen obtinuit apud Ludovicum Jacob à sancto Carolo Cabilonensem Carmelitam, qui ita Libro 2. *Bibliothecæ Pontificiæ* de hoc Opere pag. 391. „ Luitprandus seu Eubrandus Ticinensis, Italus, cognomento Diaconus vel Levita, Episcopus Cremonensis, Legatus Berengarii Imperatoris ad „Constantinum Imperatorem Græcum, scripsit *de Romanorum Pontificum Vitis*, quas in lucem emisit Joannes Busæus S. J. Theologus, „anno 1602. Moguntiæ ex bibliotheca Marci „Welseri. Floruit anno Gratiæ 946. sub Summo Pontifice Agapeto. Erravit autem Ludovicus Jacob, neque Præfationem editioni præmissam à Joanne Busæo legerat, qui Compendium istud Luitprando absolute non attribuit, imò Scriptorem hunc Germanum fuisse contendit, atque synchronum fuisse Romanorum Pontificibus ultimis Nicolao I. Hadriano II. & Joanni VIII. ac floruisse sub annum Domini DCCCLX.

Rectius itaque Auberti Miræi judicium in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 290. pag. 233. his verbis.

„Luitprandus Ticinensis Diaconus, postea „Cremonensis Episcopus, Berengario illius no„minis secundo, Italiæ Regi à Secretis fuit, „Quo quidem defuncto, adhæsit Othoni I. Cæ„sari, à quo ad *Nicephorum Phocam* anno 968. „Legatus Constantinopolim missus est, ad con„ciliandas nuptias inter Othonem ipsius Otho„nis I. filium, & Theophaniam Romani Impe„ratoris Constantinopolitani filiam, Nicephori „privignam, ut Curopalates tradit. Scio in„super extare librum *de Vitis Romanorum Ponti„ficum* titulo nostri Luitprandi, Moguntiæ 1602. „ex MS. Codice à Joanne Busæo editum. Sed fatetur ipse Busæus, se nullum in dicto Codi„ce nomen inscriptum invenisse, & conjectu„ram facit, libelli istius auctorem, fuisse Ger„manum aliquem, qui sub annum 850. vixerit.„ De aliis suppositis fœtibus, qui Luitprandinæ„ dictionis periti fuerint, judicium ferant.„

In eandem sententiam contendit, qui Opus istud esse excerptum & compendium ex Pontificali Vrbis Romæ Damasi Papæ opinatur & recte, Gerardus Joannes Vossius libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 40. pag. 345. editionis 1651. his verbis.

Etiam sub Luitprandi hujus nomine edi„tus est, sæpiusque à Centuriatoribus Mag„deburgensibus, priusquam editus esset, citari„ solet, Liber *de Vitis Romanorum Pontificum*. Sed„ cujus inscriptio non injuriâ suspecta sit, cum„ liber is ex Anastasio seu Pontificali Damasi„ Papæ, excerptus sit, nec vel Sigebertus vel„ Trithemius ejusmodi opus Luitprando tri„buant. Præterea Opus hoc de Pontificibus,„ terminatur in Formoso qui anno 895. exces„sit. At Luitprandus si historiam scribere„ voluisset, eam ad sua usque tempora produ„xisset. Vixit vero Luitprandus quinquagin„ta annis postea, intra quod tempus Pontifi„ces XX. fuerunt. Accedit, quod in postre„mis Pontificibus quædam particulatim prodat„ ad Ecclesiam Osnaburgensem, Corbeiensem &„ Herifordensem, aliasque ad Germaniæ Eccle„sias pertinentia, quæ Germanum potius quam„ Italum scriptorem fuisse produnt. Etiam„ Pontificum eorum, qui ante Formosum pro„xime fuerunt, Decreta adducit, quæ in Con„ciliorum Tomis non leguntur: ut ista quo„que eorum tempore fuisse, ac proinde Luit„prando esse priorem ostendant. Vt non ab„surda sit opinio editoris, qui suspicatur fuisse„ Monachum Corbeiensem vel Hirsfeldensem,„ ac partim sub Pontificibus ante Formosum„ circa annum 860, partim sub Formoso cla„ruisse, in quo Collectionem suam concludit.„ Quæ vero de Formoso habes in fine Operis,„ ea ab illo scriptore non sunt, sed exscripta„ sunt ex Luitprandi Libro I. *Rerum per orbem gestarum* cap. 8. Atque ibi quoque legas il„lud *Pater sanctissime &c.* quo alloquitur non„ Pontificem Romanum aliquem, sed Raymun„dum Episcopum Hispanum, cui Antapodo„sim suam, ut superius diximus, dedica„vit.„

Quæ retulit de hoc Compendio *de Vitis Romanorum Pontificum* sub Luitprandi nomine verissima sunt, & ingenue explicata à Joanne Busæo Jesuita Moguntino in Præfatione ad editionem suam, quam Gerardus Joannes Vossius uti prolixiorem in compendium contraxit. Qui illam legere voluerint, adeant editionem Moguntinam anni 1602. in 4. cui præmittitur, atque eam Operum Luitprandi editionem omnium Antverpiæ anno 1640. in folio Plantinianis typis factam, ubi hæ Vitæ

·Pon-

Pontificum extant à pag. 163. ad 284. cum præfatione allatà. Ex lectione autem Operis & præfatione Bufæi, observo tria hæc. *Primum*, Opus istud esse desumptum ex *Pontificali Damasi* nomine edito, atque in eo nullam reperiri notam, unde Collectoris tempus certum assignari possit, vel circa annum 860. floruisse aut scripsisse, aut Synchronum fuisse Nicolao I. Hadriano II. & Joanni VIII. seu IX, vel etiam Formoso, per cujus vitam compendium concludit. *Secundum*, ut Opus ejus non esset compendium purum, adjecisse aliqua ex historiis Germanicis accepta, in ultimis Pontificibus Hadriano I, Paschali, Nicolao I. Hadriano II. Joanne VIII. & aliis, maxime quæ spectabant ad Canones, & donationes decimarum Monasteriis factas, & contentiones Ecclesiarum quarundam Germaniæ. *Tertium*. Quod Formosi vitæ adjunxit, accepit ex lib. I. cap. 8. *Historiæ rerum per Europam gestarum*, quam in manibus habuit. Ex quo autem istud assumentum Operi suo ad conclusionem inferuit à Luitprando, qui annis 950,960,968. floruit: hinc juniorem Luitprando fuisse quem allegat, atque vix ante annum 980. Collectaneum istud *de Vitis Romanorum Pontificum* scripsisse, concludimus contra Vossium, & Busæum.

Abbo Abbas Floriacensis in Diœcesi Aurelianensi, quantum valuerit in utraque scientia ostendit, cum super calculum Victorii commentatus est: inquit Sigebertus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 139. in Bibliotheca Ecclesiastica Auberti Miræi pag. 152. Claruit circa annum DCCCCXC. mortuus anno MIV, atque à Monachis suis disciplinam refugientibus occisus. Confecit autem *Compendium de XCI. Romanorum Pontificum Vitis*, ex Pontificali Damasi Papæ excerptum, ut titulus Operis ipsius testatur, etiam in Joannis Busæi editione Moguntina anni 1602. in 4. quod adjectum ad calcem Anastasii suppositi seu Pontificalis Damasi Papæ ab eodem editi. Eodem igitur tempore, quo Luitprandinum, conscriptum videtur.

Pandulphus Masca, ortu Pisanus, Italus, sub Lucio III, S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum XII. Apostolorum, Prior Presbyterorum, scripsisse dicitur *Romanorum Pontificum Vitas à Sancto Petro usque ad Innocentium III.* seu ad annum 1198. quæ editæ sunt cum Pontificali Damasi Papæ, Venetiis annis 1547. & 1600. in folio. Extant MSS. in Bibliotheca Vaticana num. 226. & 3762. atque in Musæolo Alexandri Cherubini, itemque in duobus MSS. Codicibus Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici, & alibi. Scripsit autem potius *Supplementum ad Pontificale Damasi Papæ*, quod excurrit usque ad Stephanum VI. seu annum Christi DCCCLXXXX. Omissis autem omnibus Pontificibus intermediis, à Formoso usque ad Leonem IX. seu annum MXLIX, *Supplementum suum à Leone IX.* orditur, quod ad ætatem Innocentii III. serie continuâ protenditur. Plura de Scriptore isto, ad annum 1190. verbo *Pandulphus Masca* postea loquemur.

Nicolaus Rosselli Tarraconensis, Arragonius, unde vulgo Cardinalis *de Arragonia* dictus, Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, ex Provinciali & Inquisitore Generali Arragoniæ, S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli Sancti Sixti, deinde sanctæ Sabinæ, scripsit *Romanorum Pontificum Vitas*, nimirum ut Baronius qui Opus in manibus habuit testatur, a Leonis IX. Pontificatu seu ab anno MXLIX. usque ad suam ætatem, hac in parte Pandulphi Mascæ exemplum imitatus. Extant MSS. in Bibliotheca Romæ Sfortiana, in Vaticana etiam Codice 498. ac in ipsa Bibliotheca Collegii Capranicensis. Obiit anno Salutis 1362. V. Calendas Aprilis sub Innocentio VI. Papa, sepultus Majoricis in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Hæc Ludovicus Jacob a Sancto Carolo, Carmelita Cabilonensis lib. 2. *Bibliotheca Pontificia* pag. 405. editionis 1643. Lugduni in 4. Nos plura de Nicolao Rossellio, infra ad annum 1350, ubi *Supplementum* ad Vitas Romanorum Pontificum, aliaque scripsisse asserimus.

Petrus Guillelmi tandem ejusdem cum Nicolao Rossellio ætatis, de quo pluribus ad annum 1360. postea loquemur, scripsit Glossas in *Pontificale Romanorum Pontificum* sub nomine Damasi Papæ excurrens, atque continuationem illius, quemadmodum Pandulphus Pisanus fecerat, quæ extant MSS. Romæ in Bibliotheca Barberina. Vixit sub Vrbano V. Pontifice Maximo, ab anno 1362. ad 1370, ut colligitur ex locis aliquot prædicti operis. Hæc Ludovicus Jacob a Sancto Carolo Lib. 2. *Bibliotheca Pontificia* pag. 415. editionis citatæ.

CAPVT QVARTVM.
DE
MANVSCRIPTIS CODICIBVS LIBRI *DE VITIS ROMANORVM PONTIFICVM.*

Extant plurimi MSS. Codices libri *de Vitis Romanorum Pontificum*, in Bibliothecis Italiæ, Angliæ, Germaniæ, Galliæ ac Belgii, qui fere omnes *Damasi Papæ* nomen inscriptum habent, atque usque ad Stephanum VI. seu annum Christi DCCCXC. excurrunt, sub cujus Damasi nomine opus a Damaso Portuensi Episcopo ad majorem fidem obtinendam posterosque decipiendos inscriptum fuit: unde neque Guillielmum Bibliothecarium, neque Petrum aut Guillelmum alterum, Vitas ullas hnic addidisse vel Hadriani II. vel Stephani VI. certum est; cum antecessorum suorum ad æta-

ætatem suam quâ ad Romanam Sedem Furmosus Papa seu Damasus Portuensis Episcopus pervenit, Vitas omnes Opere sub Damasi Papæ nomine ementito, complexus fuerit. Hi autem Scriptores Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, Guillelmus & Petrus itidem Bibliothecarii, a Baronio, Miræo, Vossio, Labbeo, Lambecio inventi sunt, qui fraudem & suppositionem Damasi Portuensis Episcopi ex industriâ factam, minime intellexerunt. Vnde nihil mirum, quod tot tantique errores in hoc opere appareant, quos a Scriptoribus Sycochronis fieri, impossibile fuit. Facillimum autem Damaso Portuensi Episcopo a temporibus remotissimo, quem non poduit opus proferre sub Damasi Papæ nomine, ut ipsi auctoritatem ex falso nomine procuraret. Nihil mirum, quod tanto labore Notas plurimas & eruditas ad singulorum Pontificum Vitas, Severinus Binius in editione Conciliorum addiderit, quem postea alii omnes in Collectionibus Conciliorum secuti sint. Jam MSS. Codices recenseamus.

Extant in Bibliotheca Vaticana MSS. duo Codices hujus Operis sub oomine Damasi Papæ, Codd. 226. & 3762. ex quibus editio Veneta anni 1547. & 1620. in folio, sub ejosdem nomine facta fuit, ut ipse testatur Onuphrius Panvinius.

Item Vitæ Romanorum Pontificum a Sancto Petro usque ad Stephanum Sextum, extant sub Damasi nomine, io Bibliotheca Medicæa Sancti Laurentii pluteo 18. & 66. Codicibus binis, ut testatur Ludovicus Jacob à Sancto Carolo Carmelita Cabilonensis lib. 2. *Bibliotheca Pontificia* pag. 451. editionis 1643. Lugduni in 4.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium ejusdem regni Bibliothecarum Codicibus 2329. 2464. 2521. in Manuscriptis Codicibus Latinis Isaaci Vossii Codice 4. 139. 196. *Liber de gestis Romanorum Pontificum sub Damasi nomine*, cui immerito tribui, agnoscit ioter Pontificios Papyrius Massonus in Opere *de Episcopis Vrbis Romæ.* Jam hi MSS. Codices ex Anglia ad Bibliothecam Lugduno Batavam, emptione ab hæredibus Vossii factâ pervenerunt. Ibidem Codice 351. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis littera H. Codice 285. Num. 14. Epistola Hieronymi ad Damasum & Damasi rescriptum pag. 102. tum Ordo Episcoporum Vrbis Romæ pag. 103. Ibidem Codice 239. in MSS. Codicibus Ecclesiæ ejusdem Dunelmensis Cathedralis littera D. Codice 174. Damasi Epistola ad Hieronymum & ejusdem rescriptum de Vitis Pontificum Romanorum, io folio. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 2208. in MSS. Codicibus Bibliothecæ publicæ Codice 28. Num. 9. Gesta Pontificum Romanorum auctore Damaso.

In Bibliotheca Augustana MS. unus Codex hujus *Pontificalis* sub nomine Damasi Papæ, quem olim Joanni Busæo Jesuitæ Moguntino, Marcus Welserus Duumvir Augustanus anno 1602. dum editionem hujus Operis aggrederetur, sub falso nomine Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii, transmisit Moguntiam. Cum autem Busæus contrariam sibi Codicis inscriptionem vidisset, Jesuiticâ astutiâ illam dissimulavit & subticuit, de qua tamen ante varias lectiones loqui debuerat. Factum istud non ex oblivione, sed ex Jesuitica malitiâ, quia MS. Codicem sibi suæque audaciæ contrarium haberet. Extat adhuc in eadem Bibliotheca, de quibus Antonius Reiserus ejusdem Bibliothecæ Præfectus, in Catalogo Manuscriptorum Codicum ejusdem, quem anno 1675. in 4to, Augustæ edendum curavit.

Longe aotem sinceritate & fide majori quàm Jesuita dolosus, Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ad Volumen CCLXXVII. Bibliothecæ Ambrosianæ Cap. 8. pag. 914. ad 928. hæc scribit.

Volumen CCLXXVII. membranaceum" pervetustum, magnique pretii in 4. Augustis-" simæ Bibliothecæ Cæsareæ, quo continetur" Historia Romanorum Pontificum, quæ vulgo" quidem attribuitur *Anastasio S. R. Ecclesiæ Bibliothecario*, in hoc autem & aliis quatuor Au-" gustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicibus" Manuscriptis, *Sancto Damaso Papæ* adscribitur," nempe propter duas præfationis loco illi præ-" fixas Epistolas, quarum exemplar hic ex-" hibeo."

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus.

Gloriam Sanctitatis tuæ oostra humilitas" deprecatur, ut secundum ordinem Apostoli-" cæ sedis, quam cognovimus gubernari per" tuam Sanctitatem, Actus gestorum Pontifi-" cum à Beati Petri Apostoli pontificatu, usque" ad nostra tempora, quæ gesta sunt in Sede tua, enarrare digneris: quatenus nostra" humilitas sentire cognoscat, qui meruerunt" Episcoporum supradictæ sedis, martyrio coro-" nari; vel qui contra Canones Apostolorum," excessisse cognoscatur. Ora pro nobis Bea-" tissime Papa."

Damasus Episcopus Vrbis Romæ, Hieronymo.

Gaudet Ecclesia tuo fonte satiata; & am-" plius sitit curiositas temporum Sacerdotalis," ut quod dignum est, cognoscatur; & quod" indignum, respuatur. Tamen quod gestum" est, quod potuimus reperire, nostræ Sedis" studium, ad tuam charitatem gaudentes di-" reximus. Ora pro nobis, ad Sanctam Resur-" re-

„rectionem frater & compresbyter. Vale in „Christo Deo Domino nostro. Data Kalendis „Junii, accepta sexta Kalendas Octobris, missa de „Roma in Hierosolymam.

„ Propter has igitur duas Epistolas, quæ non „solum in jam memoratis Augustissimæ Biblio„thecæ Cæsareæ, verum etiam aliarum illu„strium Bibliothecarum Codicibus quibusdam „Manuscriptis, Historiæ isti *de Vitis Pontificum „Romanorum* præfixæ sunt: creditum à non„nullis est, Omnium Vitarum istarum quæ eo „opere continentur, à Sancto Petro Aposto„lorum Principe usque ad Damasum, ipsum S. „Damasum esse auctorem. Sed reclamant a„lii, obstare ipsam auctoritatem S. Hieronymi, „utpote qui in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* „cap. 103. omissa historiæ istius mentione, de „Sancto Damaso, nihil aliud scribit quam hoc, „*Damasus Romanæ Urbis Episcopus, elegans in „versibus componendis ingenium habuit, multaque „& brevia opuscula heroico metro edidit, & prope „octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est.* „Huc etiam accedere ajunt, quod non solum „stylus ejusdem Historiæ, totaque forma & se„ries orationis, tanquam inculta, rudis & im„polita, ab Epistolis aliisque monumentis San„cti Damasi valde discrepet: verum etiam „Historia ipsa multis chronographicis errori„bus, & incertis ac à veritate alienis assertioni„bus referta sit.

In Bibliotheca Palatina Heidelbergensi, olim duo MSS. Codices extiterunt, qui cum aliis postea in Vaticanam bibliothecam transisse videntur. Quorum inscriptionem sub Damasi nomine dissimulavit & suppressit Jesuita Busæus, quia editioni suæ fraudulentæ & mendaci Anastasii Bibliothecarii factæ anno 1602. Moguntiæ, contrariam arbitratus est. De his autem duobus MSS. Codd. ante varias lectiones, ita loquitur ad Lectorem Joannes Busæus, quibus in editione sua jam ad finem perducta, uti non potuit. „Cum Amice Lector, hujus „Anastasiani operis editio jam ad finem occur„risset, nobis nihil tale sperantibus, Mogun„tiam allatus est geminus Codex MS. Anasta„sii nostri (lege Damasi Papæ nomine) quem „utrumque Nobilis & Clarissimus Vir Domi„nus Marquardus Freherus, simul atque hunc „auctorem prelo Moguntino subjectum co„gnovit, pro insigni sua humanitate nobis sup„peditavit. Utrque sane pervetustus est, „major alter in folium, alter minor sed opti„mæ notæ, in quartum explicatus. Major „omnium Pontificum Vitas, quas nunc in lu„cem damus, duabus exceptis, Benedicti III. „nimirum & Stephani VI. complexus est. „Minor in Paulo Papa, qui Stephanum IV. an„tecessit, historiam terminavit: (hoc est, ad „annum 766.) Paucis diebus utrumque per„currimus, & cum exemplari jam typis excu„so contulimus. Multas varias lectiones, quæ „partim lucem, partim incrementum adferre possunt, summâ festinatione, ut ad nundinas „proximas vernales paratæ essent, descripsi„mus: ac majorem quidem codicem brevi„tatis causâ littera A, minorem vero littera B„ denotavimus, quem laborem nostrum tibi per„ gratum fore non ambigimus. Vale.

In Bibliothecis quoque nostris Gallicanis non desunt MSS. Codices bonæ notæ. In Codice MS. Bibliothecæ Thuaneæ antiquissimo, extant vitæ istæ sub Damasi nomine uti fieri consuevit. Inscribitur, Incipit Liber Episcopalis, in quo continentur Acta beatorum Pontificum Urbis Romæ. Incipit Epistola Beati Hieronymi Presbyteri ad Beatissimum Damasum Episcopum Urbis Romæ & rescriptio B. Damasi Papæ ad Hieronymum. Desinunt in hoc MS. Codice in Leone IV, atque ut in Regiis editis pag. 192. ad hæc verba lineæ 23. *In qua si ut diximus, manere cupitis.* Item in MS. Codice Regio, quæ incipiunt ut supra, ab Epistola Damasi ad Hieronymum. Item in Codice Cardinalis Mazarini, cujus hic titulus, *Incipit Series Pontificum Romanorum*, qui in sede beati Petri Apostoli ab ipso usque ad hoc tempus sederunt. Ut autem in lectionibus variantibus Regiæ editionis pag. 291. additur, in hoc autem Stephano VI. desinit editio Moguntina, quæ anno 1602. prodiit. Sed in utroque Codice Regio & Mazarini, sequuntur aliorum Pontificum Vitæ usque ad Martinum V, qui anno 1424. mortuus fuit. In ora Codicis Mazarini, *Liber iste intitulatur Damasi de gestis Romanorum Pontificum.* Sed cum non potuerit nisi ad sua tempora scribere, quod superadditum est, alterius est auctoris, cujus nomen non teneo. Verum in Vita Gelasii II. quidam Pandulphus Ostiarius affirmat se ista scripsisse: quod vel de toto opere usque ad sua tempora intelligi potest, vel de Vita Gelasii II. tantum, quod ex Vita Paschalis II. conjectari licet. Denique MSS. duo Codices, ejusdem operis sub Damasi nomine, inter MSS. Codices Gabrielis Naudæi Parisiensis Medici, qui procedunt usque ad Martinum V. quem ictus sanguinis anno 1430. è vivis sustulit, ut hic scribitur. Ita testatur Philippus Labbeus Jesuita in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum, sive specimine Antiquarum Lectionum Latinarum & Græcarum*, in Appendice ad Supplementum V. ex MSS. Codicibus Naudæanis pag. 222. & in alio item Codice pag. 232. editionis 1654. Parisiis in 4to, apud Joannem Henault.

In Bibliotheca nostra Lugduno-Batava, præter MSS. Codices Vossianos, de quibus supra egimus, extant *Vita Pontificum Romanorum* auctore Damaso inter MSS. Codices Latinos veteris Bibliothecæ Codice 72. membranâ in folio pag. 403. Et inter MSS. Codices Bonaventuræ Wulcanii Codice 13. Series & Vitæ Romanorum Pontificum auctore Damaso Papa Urbis Romæ, pag. 413. in folio. Item Co-

dice 37. pag. 415. Liber Episcopalis in quo continentur Acta Pontificum Urbis Romæ, cum Epistola Hieronymi ad Damasum Episcopum Romanum, membranâ in 4to, ex Catalogo librorum ejusdem Bibliothecæ, impresso Lugduni Batavorum anno 1674. in 4.

CAPUT QUINTUM.

UTRUM DAMASUS PAPA, VEL EJUSDEM NOMINIS ALIUS, SIT SCRIPTOR LIBRI DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM?

Ita plerique senserunt, atque omnium primi Centuriatores Magdeburgenses, ex editione non Moguntinâ & falsâ Joannis Busæi; Moguntinâ quæ anno 1602. facta fuit, sed ex primariâ & genuinâ quæ Venetiis anno 1547. in folio, ex MSS. Vaticanis sincera prodiit sub Damasi Papæ nomine, ut suprà cap. 2. hujus Dissertationis diximus. Sic Centuriatores igitur Centuria I. pag. 639. ubi de Lino Episcopo urbis Romæ etiam dum S. Petrus adhuc viveret instituto loquuntur. „In qua „sententia & Sabellicus est Enneade 7. lib. 2. „Petrus inquit Linum & Cletum, quia pluri„bus simul intentus esse non potuit, Episcopos „ordinavit. Atque sic igitur nimirum, si unà „cum Petro Episcopi fuisse Linus & Cletus pu„tantur, excusari aliquo modo possint Damasi „verba in *Libro Pontificali*, ubi Linum fuisse tradit „temporibus Neronis, à Consulatu Saturnini „& Scipionis usque ad Capitonem & Ruffum „Consules. Quæ aliàs, si scilicet post Petrum „tot annis Linum sedisse statuatur, nullo mo„do conciliari possent: cum anno proximo „Petri obitum præcedente, Linum martyrem „factum, inde eliciatur. Idem quoque statu„unt Centuria IV, pag. 510. his verbis. Ac „de Julio Papa Polydorus libro 4. cap. 11. & Sa„bellicus Enneadis VII. libro 8. referunt, cu„rasse eum ut res omnes ad Ecclesiam perti„nentes, litteris per Notarios ad id conductos „mandarentur: *iidem & Damasum ipsum, Pon„tificum Romanorum ante se vitas conscripsisse & „ad Hieronymum misisse testantur.* Idem Centuria 7. pag. 477. cap. 10. refert Romanorum Pontificum Vitas à Sabiniano ad Cononem & Sergium, quas se accepisse scribit ex variis Scriptoribus, sed præsertim ex libro Pontificali, Luitprando, Platina & aliis, ut testatur.

Baronius qui Annales suos Ecclesiasticos duntaxat, ut Centuriatores Magdeburgenses confutaret, composuit, quos anno 1588. die 26. Junii Sixto V. Pontifici Maximo, anno IV. Pontificatus illius dedicavit, ita quoque censuit ad annum Christi 60. Num. 33. ubi antiquioris istius editionis Venetæ anni 1547. in folio mentionem facit. „Non sic Romana Ecclesia, ut aliquis existimavit deceptus com„mentitiis Scriptis Damasi nomine pervulgatis, „ab Orientali Ecclesia mutuata est modum „Psallendi, cum jam ab ipso institutæ sedis ex„ordio, Psalmorum cantus in eadem coaluisset „Ecclesia. Nam Damasus non canendi ritum, „sed Psalterium ex translatione Septuaginta „duorum ex Oriente, ab Hieronymo scilicet „Hierosolymis agente, accepit. Idem ad an„num 80. Num. 30. & 40. de Lino, ubi refu„tat Consulatum in ejus Martyrio annotatum „his verbis: Errorem vero qui ex appositis „Consulibus irrepsit in librum, qui nomine „Damasi vulgatur à multis *de Romanis Pontifi„cibus*, quo Lini martyrium accidisse ponitur „sub Consulatu Saturnini & Scipionis, supe„rius cum egimus de ingressu Lini, refellimus. „Ad annum 384. Num. 20. Hactenus hic de „Damasi Papæ versibus, quæ vero fertur no„mine Damasi texta breviter series Vitarum „Romanorum Pontificum, alterius potius, „quam ipsius esse opus, alibi diximus ac sæpius „inculcavimus. „ Non opinatus est igitur Baronius, Vitas istas ante Joannem Busæum Jesuitam Moguntinum, ex fide MSS. Codicum Romanæ bibliothecæ Venetiis anno 1547. in folio editas sub Damasi nomine, pertinere ad Ipsum, licet MSS. Codices fere omnes hanc inscriptionem habeant, quam Busæus perfidus dolosè subticuit. Aliter tamen alii, illique doctissimi viri, & Pontificiæ causæ addictissimi, opinati sunt.

Alphonsus Ciaconius natione Hispanus, patriâ Blacensis, Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarius Apostolicus, edidit *Vitas & res gestas Pontificum Romanorum & S. R. E. Cardinalium*, ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad Clementem VIII. cum eorundem insignibus, Romæ 1601. fol. apud Stephanum Paulinum, & 1602. apud Franciscum de Franciscis, cum continuatione *Francisci Cabrera Morales*. Sed auctiores prodierunt ibidem typis Vaticanis 1630. 2. tomis in fol. studio *Andreæ Victorelli* Bassanensis Theologiæ Doctoris, & Ferdinandi Ughelli Abbatis Ordinis Cisterciensis Theologi. Sic autem Alphonsus Ciaconius in *Isagoge ad Historiam Romanorum Pontificum*. Damasus et„enim Papa, qui Vitas Pontificum Romano„rum ad sua usque tempora scripsit, vel quis„quis est auctor, qui Damasi nomine circum„fertur: & Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bi„bliothecarius, qui eundem Damasum supple„vit, historiamque cœptam ad Adrianum us„que secundum perduxit, annum inquam sa„lutis DCCCLXXII. Citra id, quod deprava„tissimi leguntur, veterum Pontificum succin„ctam tractationem ediderunt: cæteri eos se„cuti, fragmenta potius & compendia quæ„dam concinnarunt, quam justam histo„riam. „

Bellarminus Cardinalis in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 367. „Damasus Roma-

„manus Pontifex anno sexto Theodosii obiit, & scripsit de Virginitate, & alia quorum meminit S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Sed vera ejus Opera non extant, exceptis paucis Epistolis, quarum aliquæ sunt inter Epistolas S. Hieronymi, aliquæ, in Historia Theodoreti lib. 2. cap. 22. & lib. 5. capp. 10. & 11. Tribuitur Sancto Damaso liber *de Vitis Pontificum Romanorum*, qui extat Tomo I. Conciliorum, sed liber iste est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est.

Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 8. pag. 200. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. „Floruit etiam Valentiniani & Valentis temporibus Damasus Antonii filius, Hispanus, qui annis 22. Romanæ præsedit Ecclesiæ, de quo sic Beatus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 103. *Damasus &c. &c.* Non meminit Operis quod inscribi solet *Pontificale seu de gestis Romanorum Pontificum*, ac Damaso quoque tribuitur à Trithemio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ad annum 370. cap. 73. Imo & Platina qui sic scribit; *Damasus otio literario delectatus, Vitas Pontificum omnium qui ante se fuere, conscripsit, easque ad Hieronymum misit.* Sed præterquam quod Hieronymus ejus non faciat mentionem, etiam phrasis Trithemio reclamat, quæ hic rudis & inculta, contra quam de Damaso testatur Hieronymus. Præterea multa in eo opere falsa occurrunt, nec ullius gravis scriptoris auctoritate subnixa. Quare Damasi neutiquam esse, agnoscunt etiam Bellarminus, Baronius, Possevinus, Binius & multi alii. Est autem fœtus is Anastasii Bibliothecarii, de quo infra dicemus. Plane enim eadem dictio est priorum, & eorum quæ Damasi vitam consequuntur. Nec tamen primus hic erravit Trithemius, nam etiam olim Martinus Polonus *Chronicon Damasi Papæ de gestis Pontificum* reposuit in Præfatione, inter ea unde Chronicon suum congesserat.

Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica, sive Nomenclatoribus septem veteribus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in Hieronymo cap. 103. ita commentatur pag 30. „Sanctus Damasus natione Hispanus, Liberio in Pontificatu successit, eoque laudatissime per annos XVI. gesto, anno Christi CCCLXXXIV. decessit. Vir eleganti fuit ingenio, in componendis præsertim versibus, ex quibus pauci supersunt, Venetiis 1502. ab Aldo Manutio, & postea in Bibliotheca Patrum excusi. Extant & aliquæ ejus Epistolæ inter Epistolas Sancti Hieronymi, itemque apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 10. & 11, ut & in Tomis Conciliorum. Librum porro *de Vitis Pontificum*, a Beato Petro Apostolo usque ad Damasum, non posse Damaso attribui, multa argumenta convincunt. Primum, quia Hieronymus in hoc suo *Illustrium virorum Catalogo*, istius scripti non meminit. Deinde quia reclamat stylus, totaque series orationis. In Epistolis enim Damasi, aliisque ejus monumentis, phrasis culta est ac nitida, in hoc vero de Pontificibus opusculo inculta, rudis & impolita. Ad hæc multa in hac historia narrantur à veritate aliena, quæ nullius gravis aut prisci auctoris testimonio confirmari possint. Multi in eadem Chronographici lapsus, nonnulla pugnantia & asystata. Papyrius Massonus existimat ab alio potius *Damaso Portuensi Episcopo* Pontificale istud editum fuisse, ad quem ab Eusebio Cremonensi Hieronymi olim discipulo, Vita ejus scripta dicitur. Sed doctissimi illius seculi Sctiptoribus, purior fuit sermonis cultus & reconditior doctrina, quam in hoc Opere appareat. Panvioius, Baronius & alii, tantum abest, ut Damasum credant istius libri esse auctorem, ut etiam suspicentur, à pluribus, minimum duobus Scriptoribus esse consarcinatum. Verum quia stylus, totaque scribendi ratio, ordo & methodus earum Vitarum, quæ post Sancti Damasi vitam in isto Codice leguntur, omnino consentire videntur cum phrasi universaque scribendi ratione, quæ est in Vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis, censeo omnium Vitarum istarum (licet nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione vel detractione, sint depravatæ) verum & germanum parentem esse *ANASTASIVM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ BIBLIOTHECARIVM*, cujus etiam nomine typis 1602. in 4. Moguntiæ excusæ fuerunt, Marco Welsero Augustanæ Reipublicæ Duumviro, procurante."

Papyrius Massonus Segusio Pedemontii urbe oriundus, scriptis multis in lucem eductis claruit. Inter alia Opuscula edidit libros IV, *De Regibus Francorum* elegantiori stylo & historica accuratione Spectabiles, quos Henrico III. Poloniæ & Galliæ Regi dedicavit, editos Parisiis anno 1577. in 4. Itemque postea *De Vitis Episcoporum Vrbis Romæ libros* VI. dictione accurata insignes, editos anno 1586. Parisiis apud Sebastianum Cramoisii in 4. Cæsar Baronius ob opus istud Papyrium Massonum *virum ingenio & pietate præstantem* vocat in Annalibus Ecclesiasticis tomo 10. ad annum 853. Num. 62. Teste autem Auberto Miræo in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 30. ad Hieronymi cap. 103. de Scriptoribus Ecclesiasticis, itemque Joanne Busæo seu Albino in Præfatione ad editionem Anastasii S.R.E. Bibliothecarii *De Vitis Romanorum Pontificum* Moguntiæ anno 1602. factam, *Papyrius Massonus vir doctissimus, in libris sex de Episcopis vrbis Romæ editis, existimat ab alio potius Damaso Portuensi Episcopo, ad quem ab Eusebio Cremonensi Hieronymi olim discipulo, Vita ejusdem scripta dicitur, editum esse. In quam sententiam facile inclinaremus, si persuadere nobis possemus, illius doctissimi sæculi scriptoribus, neque puriorem*

„sermonis cultum, neque reconditiorem doctrinam, „quam in hoc Opere appareat, extitisse. Censuit igitur Papyrius Massonus hoc *Pontificale Urbis Romæ* spectare ad *Damasum Portuensem Episcopum* quem fuisse Synchronum Eusebio Cremonensi Hieronymi olim discipulo opinatus est, unde Vitas istas circa annum 430. vel 440. post Hieronymi mortem factas arbitratus est. Antonius Possevinus *Apparatu sacro* tomo I. verbo *Damasus Papa* idem opinatur his verbis: *Quæ autem nomine Damasi Papæ fertur, brevis series Vitarum Romanorum Pontificum, alterius sunt, non hujus Damasi.* At nullus alius Damasus Papa, quam Damasus Portuensis Episcopus, qui occupata sede Romana *Formosus Papa* dictus est, ad quem usque seu ad Stephanum VI. hæ Vitæ ex Baronio procedunt: ergo Damasus Portuensis Episcopus seu Formosus, ex sententia Possevini, Vitarum istarum scriptor est. In eandem cum Papyrio Massono sententiam Augustinus Oldoinus Soc. Jesu in *Athenæo Romano* edito Ragusiæ anno 1676. in 4. littera *Damasus* pag. 179. ubi sic. *Romanorum Pontificum Vitas ad suam ætatem eleganti copiosoque volumine complexus est, unde ea quæ Damasi nomine circumferuntur, indigna tanti viri eruditione videntur. Illas quas continuavit Anastasius Bibliothecarius, non sunt nostri, sed Damasi Portuensis Episcopi.* Nihil expressius his Augustini Oldoini verbis, pro sententia nostra, cujus assertor est, dici poterat. Eandem denique opinionem amplectitur Ludovicus Jacob à Sancto Carolo Carmelita Cabi„lonensis in *Bibliotheca Pontificia* lib. 2. verbo *Da„masus* pag. 296. his verbis, Damasus Episcopus „Portuensis, Sancti Hieronymi æqualis, scripsit „rudi stylo *Romanorum Pontificum Vitas*, quæ fal„so tribuuntur S. Damaso Papæ, ut diximus „lib. I. Hujus Bibliothecæ, verbo *Damasus*. Cla„ruit sub Sancto Damaso Papa. Ar quotquot „hanc sententiam amplexi sunt, omnes ex æquo ignorantiam suam posteris ostendunt, dum *Damasum quendam Portuensem Episcopum* ex falsis litteris S. Hieronymi ad Damasum & Damasi ad Hieronymum, quæ in MSS. plerisque Codicibus ante Vitas istas Romanorum Pontificum leguntur, qui anno circiter 420. extiterit, comminiscuntur. Nullus unquam in rerum natura fuit alius Damasus Episcopus Portuensis, quam ille qui anno DCCCXC. vel DCCCXCI. ad Romanam sedem assumpto Formosi nomine, per usurpationem notoriam promotus est. Itaque scriptores ejusmodi, hoc ipsu fatentur, hunc Damasum Portuensem Episcopum qui anno 891. Pontificatus Romani sedem invasit, esse illum qui sub Damasi Papæ nomine ut posteris imponeret, *Vitas Romanorum Pontificum* primus a Sancto Petro usque ad Stephanum VI. seu ad annum 890. quo mortuus dicitur, stylo rudi & barbaro qualiter hæc tempora ferebant, conscripsit. Si autem aliquantam vel modicam Historiæ Ecclesiasticæ notionem Ludovicus Jacob à Sancto Carolo ac alii ejusdem opinionis defensores habuissent, nullum extitisse Damasum Portuensem Episcopum ætate S. Hieronymi cognovissent, sed falsas Hieronymi ad Damasum & Damasi Papæ ad Hieronymum Epistolas, occasionem dedisse huic Errori, atque ita scribere debuerant. *Damasus Portuensis Episcopus, Hadriano II. & Stephano VI. Romanis Pontificibus æqualis, scripsit rudi stylo Romanorum Pontificum Vitas, quæ falso tribuuntur S. Damaso Papæ, usque ad suam ætatem, ut diximus lib. I. hujus Bibliothecæ verbo Damasus pag. 60. Claruit sub Hadriano II. & Stephano VI. Romanis Pontificibus, in quorum Vitis collectionem suam concludit.* Spectant igitur *Vitæ istæ Romanorum Pontificum*, seu etiam *Pontificale Urbis Romæ*, ad Formosum Papam, qui ante Pontificatum *Damasus Portuensis Episcopus* dictus, sub ementito Damasi Papæ nomine, ut majorem ipsi auctoritatem conciliaret, opus istud ad suam ætatem atque annum Christi 891. stylo rudi ac barbaro composuit.

CAPUT SEXTUM.

UTRUM ANASTASIUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ BIBLIOTHECARIUS, EJUSDEM OPERIS SCRIPTOR FUERIT?

Primus qui hanc opinionem invenit, Onuphrius Panvinius fuit, ortu Veronensis, ex Ordine Eremitarum divi Augustini, in illis Annotationibus quas fecit ad Platinam *De Vitis Romanorum Pontificum* quem anno 1562. Venetiis in 4. edendum fategit sub hoc titulo: Ba„ptistæ Platinæ Historia de Vitis Romanorum„ Pontificum à Christo ad Paulum II. cum Onu„phrii Panvinii continuatione usque ad Pium„ V. Venetiis Tramesini typis 1562. in 4. Sic„ autem scribit Onuphrius in Platinam ad Divi„ Petri Vitam Annotatione prima. *Baptista Platina Vitas Pontificum Romanorum scribere aggressus, Damasum Papam qui à Beato Petro initium faciens, usque ad sua tempora perduxit, & qui eum suppleverunt, auctores est sequutus. Hi fuere Anastasius Monachus & S. R. E. Bibliothecarius, id est Cancellarius, qui à Damaso ipso usque ad Nicolaum I, scripsit. Guillelmus alter Apostolicæ sedis Bibliothecarius, qui ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. Et Paudulphus Pisanus, qui à Gregorio VII. usque ad Honorium II. easdem Vitas persecuti sunt. Martinus Polonus Ordinis Cisterciensis, à Beato Petro incipiens, usque ad Honorium IV. Vitarum opus edidit. Theodoricus à Niem vero ab eodem Honorio IV. usque ad Urbanum V. Qui autem deinceps usque ad Martinum V. Vitas conscripserint, incompertum est.* Idem quoque Annotatione ad Vitam Nicolai I. *Anastasius Monachus & S. R. E. Bibliothecarius usque ad Nicolaum I. Romanorum Pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit, sub quo & ejus successoribus Hadriano II. & Joanne VIII. in Urbe floruit. Quæ sequuntur, concinnavit Guillel-*

Guillelmus quidam alter Bibliothecarius, qua in libro qui sub Damasi nomine *circumfertur, extant.* Quot fere verba, tot mendacia hic scribit Panvinius. Supponit in his Vitis quæ *sub Damasi nomine* circumferuntur, nam sub hoc nomine editæ fuerant Venetiis anno 1547. ex fide MSS, Codicum Bibliothecæ Vaticanæ in fol: Damasum esse scriptorem illarum usque ad suam ætatem, quod falsum est. Supponit 2 Anastasium quendam Bibliothecarium illas continuasse usque ad Nicolai I. vitam, quod falsum est. Supponit 3. Guillelmum alterum Bibliothecarium easdem continuasse ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. quod falsum quoque est. Nam Romana Ecclesia nihil antiquius habet de Vitis Romanorum Pontificum, *Pontificali Urbis Roma* sub Damasi nomine ex MSS. Vaticanis edito, quod usque ad Vitam Stephani VI. seu annum 890. vel 891. excurrit. Guillelmus ille alter qui ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. illas Vitas continuasse dicitur, homo imaginarius est, è cerebro Onuphrii Panvinii natus, cujus existentiæ nec leve ullum indicium est. Nullus qui Vitas Romanorum Pontificum à Pontificali Damasi Papæ seu a Stephano VI. excepit, usque ad Leonem IX. à quo seu ab anno 1049. continuationem suam Pandulphus Pisanus incepit, usque ad tempora Innocentii III. seu sæculi XII. finem, omnibus Pontificibus Romanis ab anno 890. usque ad 1049. ob pessimos illorum mores & vitam perversam, oblivione ac silentio sepultis. Pandulphus eterim Pisanus primus, Pontificali Damasi Papæ *Supplementum* adjecit, quod Romæ quoque MS. adservatur, atque etiam cum *Pontificali* ipso, Venetiis ex MSS. Codicibus Vaticanis anno 1547. editum fuit. Illud autem à Leone IX. seu ab anno 1049. orditur, usque ad Innocentii III. ætatem.

Baronius hanc Onuphrii opinionem amplexus, Tomos IX. & X. Annalium Ecclesiasticorum locis innumeris implevit ex rebus ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario in Libro *De Gestis Romanorum Pontificum* relatis, nunc pro more suo Anastasium laudans, nunc vituperans; nunc attollens, nunc deprimens. Ex multis pauca dicam. Anno 752. N. 11. rudi stylo sed fidelissimo Historiam scripsisse inquit. Anno 725. N. 5. de numero Saracenorum in Gallia à Carolo Martello interfectorum, varie ab aliis scriptoribus sensisse inquit. Anno 817. num. 1. & 2. Cum in Anastasio, Stephanus V. septem tantum menses sedisse dicatur juxta MSS. Codices, juxta Anastasium impressum, septem annos esse scribendos statuit. Quisquis hoc cognoscere voluerit, volvat Indices TomorumIX. & X. verbo *Anastasius Bibliothecarius*, ubi columnas integras ab Anastasio illic occupatas reperiet. Atque Baronium licet errantem, sequuti sunt fere scriptores omnes, qui postea de Anastasio isto scripserunt. Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 858. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 35. pag. 318. editionis ultimæ 1611. Lugduni Batavorum in 4. Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica sive Septem Nomenclatoribus veteribus de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad caput 103. Sigeberti de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. mihi 146. Ludovicus Jacob à sancto Carolo Carmelita Cabilonensis Lib. 2. *Bibliotheca Pontificia* pag. 249. verbo *Anastasius Abbas Romanus & S. R. E. Bibliothecarius.* Differt tamen ab aliis, quod velit illum *scripsisse Romanorum Pontificum Vitas à S. Damaso usque ad Stephanum VI.* quæ omnes ex Bibliotheca V. C. Marci Welseri prodierunt in lucem Moguntiæ apud Albinum 1602. in 4. cura Joannis Busæi Soc. Jesu theologi. Cum alii velint has Anastasii Bibliothecarii Vitas non procedere, nisi ab ætate Damasi Papæ usque ad *Nicolaum I.* seu annum Christi 867.

Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ad MS. Codicem Historicum CCLXXVII. Bibliothecæ Ambrasianæ Cap. 8. pag. 917. à Baronio & Onuphrio dissentit, atque Opus istud Anastasio Bibliothecario abjudicat his verbis, „Celeberrimus autem omnium jam memoratorum continuatorum est *Anastasius S. R. E. Bibliothecarius*, qui sæculo post Christum nono floruit sub Papa Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. secundum Cardinalis Baronii chronologiam & vitam usque ad annum fere 886. produxit. Quod enim solus Anastasius non sit auctor totius illius continuationis, satis patet ex antiquis illis Codicibus, qui sine controversia ulla, ante ipsius ætatem scripti sunt. Cujusmodi fuit ille Codex quem Philippus Labbeus in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. nempe 252. ubi de S. Damaso agitur, testatur se vidisse, tempore Imp. Caroli Magni exaratum, in quo Vitæ illæ Romanorum Pontificum *S. Damaso Papa*, jam tunc tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primæ infantiæ crepundiis emersisset. Ejus generis est etiam præstantissimus ille & collatu dignissimus Codex MS. *Ambrasianus*, de quo inpræsens agitur: utpote cum tam exscriptura, quam aliis circumstantiis certo constet, eum ad Imp. Ludovici Pii tempora pertinere. Pertingit autem ibi Historia Romanorum Pontificum tantum, usque ad Papam Stephanum secundum vel ut alii supputant tertium, qui Anno Christi 752. electus est & anno 757. obiit. Ultima Vitæ ipsius hæc verba sunt. *Et annuente Deo Rempublicam dilatans, & universam Dominicam plebem, videlicet rationabiles sibi commissas oves, ut bonus pastor, animam suam ponens, omnes insidias exuit inimicorum, cursumque consummans. Interea renovavit in atrium ante fores Beati Petri Apostoli, qui Quadriporticos dicitur, columnas marmoreas octo mira pulchritudinis, superpasque desuper quadris composuit, & arcum desuper conlocavit tegumen. Fecit autem & juxta Basilicam*

Beati Petri Apostoli, & ab alia parte Beati Andreæ Apostoli, in loco qui Musileus appellatur, Basilicam in honorem S. Petronillæ, qua prædicto benignissimo Pipino Regi in Francia spoponderat, ut Beata Petronillæ corpus ibidem conlocaret: ubi posuit canistra argentea multa, & alia ornamenta plura que dedicavit, & omnia utiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens, ad æternam migravit requiem. Voluit igitur Petrus Lambecius ex MS. hujus Codicis fide, Anastasium S. R. E. Bibliothecarium non fuisse continuatorem Pontificalis Damasi Papæ, usque ad annum 757. unde pauca restarent in Vitis Romanorum Pontificum, quæ ipsi merito attribuerentur.

Guillelmus Cavus de Damaso Papa, in *Historia rei litterariæ* seu Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 366, eandem sententiam cum Lambecio amplectitur pag. 182, 183 184. ubi diffuse de *Libro Pontificali* seu *De Vitis Romanorum Pontificum*, quæ Anastasio Bibliothecario „vulgo tribuuntur. Ejus vero non esse, testantur MSS. Codices Anastasio vetustiores, citant illum sub nomine Gestorum Pontificalium, Antiquiores Anastasio Walafridus „Strabo, Rabanus Maurus, Beda, Legati Agathonis Papæ, qui Pontificatum iniit circa annum DCLXXVIII. Ita pag. 183. itemque in „*Anastasio Bibliothecario* ad annum 870. pag. mihi 559. Historia de Vitis Pontificum Romanorum, seu Liber Pontificalis à Sancto Petro „usque ad Nicolaum I. pertingens. Partem „libri hujus priorem quæ à Sancto Petro usque „ad Liberium protenditur, Anastasium parentem non agnoscere, inde probat Labbeus tomo I. Dissertationis p. 252. quod viderat MS. „Codicem optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratum, in quo Vitæ illæ jam tum Damaso „tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset. Codicem haud dissimilem in „Bibliotheca Cæsarea haberi testatur Lambecius Commentariorum libro 2. pag. 927. Verum de hoc opere *Pontificali* abunde satis supra in *Damaso* egimus. Extat Historia ista in „omni Conciliorum editione, quin & Moguntiæ 1602. edita, & ad calcem *Historiæ Ecclesiasticæ* Anastasii Bibliothecarii cum Caroli Fabroti notis, Parisiis 1649. in folio.

At Anastasium Abbatem S. R. E. Bibliothecarium, nullam omnino partem habere in *Pontificali Damasi Papæ*, quod à S. Petro usque ad Stephanum VI. seu annum Christi DCCCXC. excurrit, prorsus censeo, idque variis solidis argumentis me probaturum arbitror. Ut plane Jesuita impudens fuerit Joannes Busæus, qui *Vitas Romanorum Pontificum* primus ex somniis Onuphrii Panvinii ac Cæsaris Baronii, sub Anastasii istius nomine anno 1602. Moguntiæ in 4. edendas curaverit, quem postea Annibal Fabrotus anno 1649. ex editione Regia, Parisiis imitatus fuerit. 1. Ex plurimis MSS. Codicibus hujus Pontificalis Damasi Papæ, quos longo agmine hujus Dissertationis cap. 4. deduximus, extantes in celebrioribus Europæ Bibliothecis, in Italia, Germania, Anglia, Gallia & Belgicis partibus, qui omnes sub nomine Damasi Papæ leguntur, quorum plerique habent præmissas illas Epistolas falsas S. Hieronymi ad Damasum & Damasi responsionem ad Hieronymum: inter quos ne unus quidem qui Anastasii nomen præfixum habeat repetitur. Ita ut obstupescam qua fronte tantum nefas Joannes Busæus ausus sit, dum editionem Moguntinam anno 1602. suscepit, qui nullum MS. Codicem sub Anastasii titulo à se lectum aut visum profert, sed persuasum se tantum imaginatione & authoritate falsa Onuphrii Panvinii & Cæsaris Baronii. Repugnant etiam audaciæ huic Jesuiticæ antiquæ editiones tam Venetiis annis 1547. & 1620. factæ, quam editiones Conciliorum tam Laurentii Surii, quam Dominici Nicolini, Severini Binii, quæ cum Vitas istas plerasque in Collectionibus suis habeant, illas semper velut ex Pontificali Damasi Papæ, vel in illo contentas, legendas lectoribus præbuerunt. Facinus igitur istud Jesuiticum, contra omnes MSS. Codices & veteres editiones, correctione atque animadversione dignum est.

2. Stylus totius Operis hujus incultus, rudis, barbarus, plenus solœcismis & barbarismis innumeris ac ubique paginarum sparsis indicat alium omnino virum, quam Anastasium Abbatem & Bibliothecarium, qui hujus Collectanei scriptor sit. Ita quotquot eruditi, Opusculis viri Anastasii Abbatis ac Bibliothecarii legendis occupati fuerunt, admirantur nitorem & elegantiam hominis; qui quamvis multa vel scripserit vel ex Græcis in Latinam linguam transtulerit, omnia tersa latinitate, judicio acri ac solido, barbarie & solœcismis procul eliminatis executus est, ea solertia ut legentibus etiam cum eruditione iucunditatem ac suavitatem pariat. Hinc fit ut opiner à Joanne Busæo nec vel paginam illius ullam attente unquam lectam fuisse, alias enim nunquam tam propudiosum opus, ad illius infamiam & dedecus, Bibliothecario huic docto inscripsisset. Laudatissimus fuit ætate sua, utraque lingua excelluit, cumque tam fideliter & terse ex Græcis in Latinam linguam Opera multa posteritati transmiserit; injuriam ipsi maximam inferunt, qui Collectaneum latinitate ac barbarismis tam miserum, ei nihil discutientes tribuunt. Videant Critici num solœcismos & barbarismos in aliis Anastasii veri Operibus frequentes atque in singulis paginis inveniant, ut in hoc opere incerto contingit. *Nihil loco movimus, præter barbarismos & solœcismos quosdam fœdiores, qui citra cachinnum legi non poterant, ea in re secuti exemplum, non solum Baronii, verum etiam eorum, qui dum olim plerasque vitas in Conciliorum Tomos retulerunt.* Hæc Jesuita Busæus, qui non omnes solœcismos vel barbarismos scripti hujus, imo nec centesimam partem correxit. Hujus rei quis-

quisquis certus esse voluerit, videat Antonii Dadini Alteserræ *Notas & Observationes* in Anastasium *De Vitis Romanorum Pontificum*, editas Parisiis anno 1680. in 4. Nam pleræque Notæ & Observationes eo tendunt, ut voces ac phrases barbaras quibus ubique locorum utitur, Commentarin explicet.

3. Qui scripsit *Pontificale Damasi Papæ* nomine, à sancto Petro usque ad Stephanum VI. seu Christi annum DCCCXC. loquitur in Vita Hadriani II. de Anastasio S. R. E. Bibliothecario, tanquam de homine à se alio, quem eximiè laudat ob peritiam utriusque linguæ Græcæ & Latinæ. Non ergo Anastasius hic Bibliothecarius hoc *Pontificale* rude & barbarum in gradu summo, scribere potuit. Hoc argumentum demonstrativum est, nec Jesuitæ omnes Moguntini, solvere illud possent. Audiamus quomodo Pontificale Damasi loquatur de Anastasio Bibliothecario in tertia persona. *Legati S. R. E. textum Synodi* (nempe octavæ Generalis Constantinopoli celebratæ) *verentes ne quid falsum Græca levitas in eam congesserit, Anastasio sedis Apostolicæ Bibliothecario* (*qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti, cum Suppone Archiministro, post eos Constantinopolim, divina ut creditur dispensatione advenerat*) *subtiliter inquirendum, antequam subscriberent, committunt. A quo quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris, Sanctissimus Dominus Hadrianus Pontifex in Epistola sui decessoris, Arsenio Episcopo imminente adjecerat, resertatum invenium.* Videant Critici eruditi an tanto homini *in utrisque linguis eloquentissimo* attribui possit Opus solœcismis & barbarismis plenissimum, ut ex lectione illius, omnibus constare potest. Hæc legatio pro Ludovico Imperatore apud Basilium Imperatorem, juxta Baronium Tomo X. Annalium num I. anno 869. contigit. De eodem anno. 867. num. II. & 47. Octavam Synodum de Græco in Latinum quomodo verterit 869. num. 78. & 92. Citatur 870. num 61. Cum Cæsario Abbate Neapolim ab Hadriano Papa directus, eam excommunicat 870. 10. Vitam S. Dionysii Areopagitæ Latinè à se redditam Carolo Calvo Imperatori misit anno 876. num. 36. Neque ultra id temporis aliquid de ipso legitur, nam quod illum suspectum ob amicitiam cum Photio Baronius anno 878. 9. refert ex Epistola Photii 174. ad ipsum scripta, nullam temporis certi notam habet. Idem dicendum, ubi ad annum 885. num. 1. à Baronio citatur.

4. In eodem *Pontificali Urbis Romæ*, narratur in Vita Hadriani II. Zachariam qui à Nicolao I. Constantinopolim legatus fuerat, Romam reversum, quia Photii partibus addictus fuerat, omnibus muneribus & bonis spoliatum fuisse. Qui postea tamen ab Hadriano II. in pristinum statum restitutus, & ab ejusdem successore Joanne VIII. (dic IX.) Bibliothecarii munere condecoratus fuit. Cum autem noster Anastasius hoc munere antea sub tribus Pontificibus, Nicolao I. Hadriano II. & Joanne VIII. ante hunc Zachariam honoratus fuisset: hinc concludimus, Anastasio Bibliothecario sub Joanne VIII. mortuo, Zachariam in Bibliothecarii munere ei successisse circa annum 878. Non potest igitur Anastasius esse auctor *Pontificalis* sub Damasi nomine editi, qui sub Joanne VIII. mortuus fuisse merito creditur, quia Opus illud usque ad Stephanum VI. seu ad annum 890 eodem tenore styloque simili protenditur.

5. Anastasium non esse scriptorem *Pontificalis Damasi Papæ*, usque ad annum 890. pertingentis, hinc quoque demonstratur. Juxta Baronium Tomo X. Annalium ad annum 868. num. 33. & 34. maxima necessitudo amicitiæ erat, inter Anastasium Bibliothecarium & Hincmarum Remensem Archiepiscopum. At scriptor *Pontificalis Urbis Romæ*, contra in Nicolao I. de Hincmaro cum contemptu & reprobatione loquitur, quem velut sibi ignotum & Ecclesiæ Romanæ adversarium & hostem his verbis compellat atque reprobat, eo quod appellationes Episcoporum à Metropolitanis ad Sedem Pontificiam, uti disciplinæ Ecclesiasticæ perturbativas & Juris Canonici veteris subversivas, ferre contra Romanæ Ecclesiæ prætensiones, nollet, *Quidam præterea Hincmarus Remorum Archiepiscopus &c.* Non igitur Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, est operis præfati scriptor.

6. Anastasius Bibliothecarius, Photii Patriarchæ Constantinopolitani fuisse amicus perhibetur, in tantum ut juxta Baronium in Annalibus ad annum 878. num. 9. suspectus ob amicitiam cum Photio, Romanæ Sedi fuerit. Scriptor autem Pontificalis Romani usque ad Stephanum VI. seu annum 890. Photio maxime infensus fuit, quem *Pseudo-Patriarcham Constantinopolitanum* per convicium vocat, de quo verbis maxime injuriosis, ubi de Libro quem Photius ad defensionem suam scripserat, loquitur. *Et Spatarius &c.* Constans igitur est *Pontificale Urbis Romæ* ad Anastasium Bibliothecarium Photii amicum pertinere non posse, uti post Onuphrium Panvinium hujus somnii inventorem, & Baronium ejusdem in *Annalibus Ecclesiasticis* Tomis 9. ac 10. fautorem, Joannes Busæus Jesuita Moguntinus & post illum Carolus Annibal Fabrotus annis 1602. & 1649. in editionibus suis falsis ac temerariis, ignoranter ac petulanter asseruerunt. In hanc sententiam Baronius, *Joannis VIII. res gesta desiderantur apud Anastasium, fortassis prætermissa ob odiosam Photii ab ipso restitutionem*, Annalium Tomo X. ad ann. 882. num. 7.

CAPUT SEPTIMUM.

DAMASUM PORTUENSEM EPISCOPUM ESSE SCRIPTOREM LIBRI *DE VITIS ROMANORUM PONTIFI-*

TIFICVM ITEMQVE DE ALIIS OPERIBVS EIDEM DAMASO PORTUENSI EPISCOPO ATTRIBVENDIS.

Editio *Pontificalis Damasi Papa* sub nomine Anastasii S. R. E. Bibliothecarii, facta primum à Joanne Busæo Jesuita Moguntiæ anno 1602. in 4. non omnibus placuit Pontificiis. Audax sane istud facinus, quod nullo scriptore antiquo nititur, imo quod contra manuscriptorum Codicum omnium fidem invenitur. Hinc Joannes Ciampinus, Romanus, Magister Brevium graciæ, necnon abbreviator majoris præsidentiæ, ac in utraque signatura referendarius, edidit Commentarium in Auctorem *Libri Pontificalis seu Vitarum Romanorum Pontificum*, quæ sub nomine Anastasii Bibliothecarii circumferuntur, Romæ anno 1688 in 4. publici juris factum. Contendit ille Collectaneum istud non esse unius aut duorum vel trium scriptorum, sed plurium: atque Anastasium paucas illas tantum scripsisse, quæ circiter à Gregorio IV. incipiunt usque ad Nicolaum I. Vitas autem Hadriani II. & Stephani VI. scriptas fuisse non à Guillelmo Bibliothecario, qui nullus hac ætate extitit, contra quam Busæus, Baronius, Labbeus aliique male affirmant: sed à Zacharia Bibliothecario, quem Joannes VIII. huic muneri post Anastasium mortuum addixit. Quotquot igitur de hoc *Pontificali Vrbis Roma* scripserunt, in diversas abierunt sententias, quas idem Ciampinus prolixe hic profert. Nobis itaque opinionem nostram exponere ac pro virili defendere, nullus opinor absurdum arbitrabitur, maxime si conjecturis aut rationibus validis fulciatur.

1. Inveniuntur plurimi MSS. Codices hujus Operis, de quibus diffuse hujus Dissertationis cap. 4. disseruimus, quorum usque ad XXVI. qui in variis Bibliothecis Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Galliæ & Belgii, notionem certam habuimus, qui omnes anonymis paucis exceptis, sub Damasi Papæ nomine inscribuntur, sub quo & in vetustioribus editionibus Veotiis annorum 1547. & 1620. atque in Tomis Conciliorum Laurentii Surii, Dominici Nicolini, aliisque prodierunt. Spectat igitur hoc Opus ad Damasum aliquem vel Papam qui anno 384. mortuus dicitur. Non posse autem Opus ad annum 890. eadem methodo styloque ubique simillimo excurrens, pertinere ad Damasum illum Papam, liquidius est, quam ut probatione indigeat. Vnde factum ut scriptores tres qui de Romanis Pontificibus scripserunt, Papyrius Massonus, Ludovicus Jacob à sancto Carolo, atque Augustinus Oldoinus, ob manuscriptorum pene omnium inscriptionem & multitudinem, opus adscripserint Damaso cuidam Portuensi Episcopo, divi Hieronymi qui circa annum 420. fato functus est discipulo ac Cremonensi Episcopo. Sed in hac opinione, idem semper difficultatis nodus remansit: nec credere quisquam potuit, quomodo hic Damasus creditus Hieronymi discipulus, potuerit scribere hoc Opus de *Vitis Romanorum Pontificum*, uno eodem stylo, à S. Petro usque ad Stephanum VI. seu annum Christi 890. pertingens. Præterea ex Nomenclatoribus veteribus scriptorum Ecclesiasticorum, nullus qui hujus Damasi Portuensis, D. Hieronymi discipuli vel verbum protulerit, ante Joannem Trithemium ultimi temporis scriptorem in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* qui ante annum 1494 foras non erupit. Igitur ob uniformem MSS. omnium consensum, nec Damaso Papæ seculo IV. florenti, nec Damaso Hieronymi discipulo quem seculo V. assignent necesse est, sed Damaso illi Portuensi Episcopo seculo IX. viventi, qui anno 891. Romanam sedem occupavit, tribuendum primus censui, ob MSS. Codicum fidem constantem ac vetustam. Scripsisse illum Opus istud in gratiam Romanæ Ecclesiæ, atque ad illius magnitudinem exaltandam, cum illam jam ambiret: atque forsitan ob odiosam proprii nominis *Damasi Portuensis Episcopi* inscriptionem futuram, aliam astutum hominem *Damasi Papa* clarissimi viri substituisse, quà majorem Operi suo fidem atque authoritatem procuravit, parum curans an posteros scripto supposito deciperet, dummodo finem suum concocta malitia assequeretur. Cum enim utpote Sedis Romanæ invasor, scrupulosæ admodum conscientiæ non esset, hoc Opere velut ratione quadam callidâ, ad sedem hanc invadendam, uti potuit. Opus ipsum ex diversis vel monumentis vel catalogis quos penes se habuit, totum à S. Petro usque ad ætatem suam prorendisse videtur: unde nihil omnino mirum, quod tenore semper simili procedat: qui si quid forsitan antiquius reperisset, simili methodo ad ornatum, fecisset sibi proprium. Vnde falli opinor turpiter Baronium, aliosque qui Opus istud ex tribus minimum Scriptoribus compaginatum arbitrati sunt. Hæc mea sententia, quæ conjecturis non spernendis nisi videtur. Nullus enim est Damasus Portuensis Episcopus, quam is de quo loquimur, cui præfatum opus ratione majori attribui possit.

2. Idem probatur ex contextura totius Operis, quod usque ad ætatem Formosi Papæ pertingit, qui ante Damasus Portuensis Episcopus dicebatur. Nam ante hanc ætatem nullus hucusque *De Vitis Romanorum Pontificum* scripserat, summaque de Gestis illorum oblivio ac silentium ubique, pauci erant qui nonnisi illorum nomina jejuna exhibuerant, ut testatur Alphonsus Ciaconius & alii recentiores qui multis ac spissis voluminibus de factis illorum postea scripserunt. Contextura igitur Operis à S. Petro usque ad Stephanum VI. excurrentis seu usque ad Damasum Portuensem Episcopum, juncta cum titulo in MSS. Constanti *Damasi Papa* operi præfixo, Damasum Portuensem Episcopum, postea Papam factum, indubium

bium auctorem, nec alium ab eo esse quærendum, ostendit.

3. Scriptor hujus Operis *De Vitis Romanorum Pontificum*, maxime Græcis infensus fuit, unde evidenter constat auctorem illius non posse esse Anastasium S. R. E. Bibliothecarium, qui Græcos Græcamque linguam impensè coluit, ac per omnem vitam scriptores Græcos in Latinam dialectum vertere, gaudio habuit. Hinc Baronius Tomo X. Annalium ad annum 878. num. 9. Anastasium ob amicitiam cum Photio Constantinopolitano Patriarcha curiæ Romanæ suspectum fuisse refert, ex Epistola Photii ad Anastasium Bibliothecarium 174. inter Photianas. At Formosus Portuensis Episcopus, zelo in Romanam Ecclesiam ut eam sibi demereretur, cæco, Græcos non tantum contempsit, sed summo etiam odio habuit, eo quod eius præcessor in Episcopatu Portuensi Rodualdus, ut in Vita Nicolai I. legitur, anno 861. cum Zacharia Anagnino Episcopo Constantinopolim missus, ambo Legati coacti fuerant subscribere Concilio CCCXVIII. Episcoporum illuc collecto, in quo solemni sententiâ, depositus Ignatius & Photius omnium consensu & acclamationibus in eius locum substitutus fuerat. Photius igitur Nicolao & Hadriano Romanis Pontificibus summo odio fuit, tum quod illorum affectatæ potestati in Ecclesiam Orientalem pro viribus adversaretur, ac jura Patriarchalium sedium tueretur, tum quod Bulgaros ingentem Constantinopolitanæ sedis portionem eique ab antiquo subjectam, ambitioni Romanæ Sedis cedere nollet. Cum igitur Formosus Portuensis Episcopus annu 867. à Nicolao I. missus fuisset ad Bulgaros ab Orientalis Ecclesiæ & Constantinopolitanæ sedis subjectione, quibusvis artibus Photio renitente revocandos: ab hoc tempore Damasus Portuensis Episcopus adversantem sibi Photium odio summo habuit, illumque ubique ut hæreticum conviciis proscidit. Scriptorem igitur *De Vitis Romanorum Pontificum* esse Damasum Portuensem Episcopum, indicant illa verba in Vita Hadriani secundi. *Et Spatharius calce suo ensque librum percutiens, nihilominus ait:* Liber Photii Pseudo. Patriarchæ damnatus pedibus conculcatur, tum igni crematur, ut infra eodem. *Ad extremum pra foribus graduum, nefandi dogmatis librum, cunctorum pedibus conculcatum excussit, quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis, exussit. Legati sancta Romana Ecclesia textum Synodi, nequid Graca Levitas falsum in eam congesserit, Anastasio sancta sedis Apostolica Bibliothecario &c.* Hæc verba seu convicia in Photium & Synodum Græcam, non sunt Anastasii Græcis amici, sed Formosi Papæ seu potius Damasi Portuensis Episcopi, qui *Pontificale Romanorum Pontificum* vitas continens, ad ætatem suam primus sub Damasi Papæ falso nomine composuit.

4. Cum ambivisset Episcopatum Portuensem Damasus, illumque malis artibus occupasset, licet à Joanne VIII. seu IX. ut cap. I. hujus Dissertationis in Vita illius diximus, depositione atque ad laicum ordinem dejectione castigatus fuisset: hinc tamen ambitionis illius ardor nihil remisit sceleris, nam restitutus in gradum pristinum à successore Joannis VIII. Marino, sede Portuensi quam resumpserat, non contentus, ambitionem suam ut satiaret, Romanam sedem Occidentis totius primariam ac reginam, iisdem artibus quibus anteà Portuensem ingressus fuerat, homo astutus atque insatiabilis, quæsivit & assequutus est. Cum igitur ad id assequendum, *Historiam de Romanis Pontificibus* à nemine unquam compositam usque ad suam ætatem scribere aggressus fuisset, opere isto in Ecclesia novo, quo Romanam Ecclesiam omnium matrem, ita Orbis Christiani magistram & dominam titulis juribusque indebitis elevabat, populum Romanum ac Clerum ob novum opus sibi devinciens, Sedem Petri his artibus assecutus fuit, quam ad elevationem suam perduxit.

5. Affectatio quam habet ut agat de Episcopis Portuensibus, qui ob negotia atque amplificationem magnitudinis Romanæ Ecclesiæ diversis temporibus, cum laude legationibus variis functi sunt, hunc scriptorem fuisse Damasum Portuensem Episcopum, postea *Formosum Papam* dictum, argumento est. Nam in Agathone ad An. Christi 678. Imp. Constantini Pogonati, II. narrat, ut hic Papa in Regiam urbem Constantinopolim direxerit missos suos pro adunatione facienda Sanctarum Dei Ecclesiarum: nempe Abundantium Paternensem, Johannem Rhegitanum & Joannem Portuensem Episcopos, Theodorum & Georgium Presbyteros, quos hanc ob legationem honoribus amplificaverit. Idem ad Annum 858. in Vita *Nicolai primi*, ut Ignatio Patriarcha C. P. deposito & Photio in ejus locum ex laico subrecto, Pontifex duos Legatos à latere suo miserit, Rodoardum Portuensem Damasi, de quo agimus, præcessorem proximum, & Zachariam Anagninum Episcopos, ut de causis depositionis Ignatii cognoscerent, & ad eum referrent. Idem in Vita *Hadriani secundi*, se Damasum missum fuisse refert ad Bulgarorum conversionem, atque illorum cum Ecclesia Romana unionem, qui antea Constantinopolitanæ Sedi subjecti atque obedientes fuerant. Affectatio igitur ista ostendendi obsequia à Portuensibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ ad ejusdem amplificationem collata, Damasum Portuensem Episcopum hujus Operis scriptorem profert. Audiamus pag. 224. editionis Regiæ, in *Vita Hadriani II.* Itaque Sabbato peractis ritè orationibus, vigiliis & eleemosynis, Dominico secundum morem, idem venerabilis sacerdos ab universitate ad Ecclesiam Sancti Petri Apostolorum Principis ductus nono decimo Calendarum Januariarum Indictione I. præfati Augusti decimo nono, per Episco-

„Episcopos reverendissimns scilicet Petrum Govenscm, Leonem Sylvæ candidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia Episcopus Albanensis obierat: *Formosus vero Portuensis à Beatissimo Nicolao ad prædicationem & instructionem Bulgarorum destinatus extiterat:* benedictionem Summi Pontificatus ad consolationem videlicet multorum Sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum, qui factiosorum tyrannide liberius fulito sæviente, inter unius decessionem & alterius successionem Pontificis, diversis agebantur exiliis, multisque afficiebantur incommodis, suscipere meruit in nomine Domini. Eandem quoque legationem suam pag. 232. editionis ejusdem Regiæ his repetit verbis. Superiori tempore Formosus Portuensis & Paulus Populoniensis, venerabiles Episcopi, qui cum cæteris jussu Sanctissimi Papæ Nicolai causa prædicationis destinati fuerant, remeantes de christianitate Bulgarorum, ac omnimoda subjectione, quâ specialiter sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotissime colla summiserant, Sedem Apostolicam recrearunt: & Michaëlis Bulgarici Regis legatum, Petrum nomine, Summo Pontifici præsentarunt &c. Sed *Marino* Constantinopolitanum missaticum devotissime ut diximus sortito, Summus Pontifex Sylvestrum quendam Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano & Dominico Tarvisiensi Episcopis, simul & litteras pro Archiepiscopo aut Formoso Portuensi Episcopo remittendo, importunissime deprecantes, remittentibus Bulgaris, magnâ sub velocitate recepit.

6. Juxta Baronium in Annalibus Tomo X. ad an. 882. num 7. *Res gesta Johannis VIII. desiderantur apud Anastasium fortassis prætermissa ob odiosam Photii restitutionem.* Verum ut diximus hujus Dissertationis cap. I. in Vita *Formosi Papa* ad Sectionem IV. Baronianæ Laudis, omisit Damasus Portuensis Episcopus hujus Operis scriptor, ob invidiam ac vindictam *Acta Johannis Papa VIII. seu IX.* eo quod ipse Johannes præfatus Damasum Portuentem Episcopum ob factam cum Romanis proceribus conjurationem, muneribus omnibus æquissime spoliatum & infamia notatum, ad laïcorum ordinem & statum in perpetuum dejecerat. Ex omnibus igitur Romanis Pontificibus à Sancto Petro usque ad Stephanum VI. qui ultimus ante Formosum fuit, solius Johannis IX. Vitam consulto omisit, ac si Pontificatum nunquam tenuisset: quia ipse Pontifex factus, irrita Johannis IX. omnia ac nulla sanxit, ordinationes ab illo factas, nullas ac iterandas ex vindicta pronuntiavit. Omissio igitur ista *Actorum Johannis IX.* Damasum Portuensem Episcnpum atque Formosum Papam dictum, scripsisse hoc *Pontificale Vrbis Roma* seu Librum *De Vitis Romanorum Pontificum*, evidenter ostendit.

Joannes Ciampinus de quo sub hujus capitis initium diximus, nobiscum in multis, non tamen in omnibus consentit. Inquit igitur ille, post Damasi autem tempora, præter Petrum Guillelmum Bibliothecarium & Pandulphum Lateranensem Ostiarium, Pontificum rebus gestis consignandis neminem operam dedisse: id quod verissimum, unde falsum omnino sit, quod Onuphrius Panvinius, Baronius, Joannes Busæus & Philippus Labbeus mendaci calamo scripserunt, *Vitas nempe Hadriani II. & Stephani VI. Pontificali Vrbis Roma contentas, à Guillelmo S. R. E. Bibliothecario fuisse scriptis mandatas*, nam talis scriptor Hadriano II. synchronus nunquam in rerum natura fuit. Petrus autem Guilielmus, de quo loquitur, anno 1360. claruit: ac præcedens illum Pandulphus Lateranensis ostiarius, Pisanus dictus, anno 1196. vel 1198. ætate Innocentii III. Vult præterea Anastasium Bibliothecarium ultra Vitam Nicolai I. non processisse, occupatum Actis Concilii Constantinopolitani octavi ex Græco in Latinam linguam vertendis: Zachariam autem Episcopum Anagninum olim ob partes Photii amplexas depositum, sed ab Hadriano II. restitutum, Vitas Hadriani II. & Stephani VI. litteris consignasse. Quamobrem Ciampinus Nicolaum I. inter Pontifices, quorum Vitas Anastasius conscripsit, ultimum esse censet. Ad eos autem regrediens, qui ante Nicolaum I. Romanæ sedi præfuerunt, ad eundem etiam Anastasium auctorem, Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. & Benedicti III. Vitas pertinere existimat. Reliquas omnes aliis auctoribus, iisque diversis attribuit, quos ut plurimum Pontificibus quorum Vitas descripserunt, coætaneos fuisse probat. Ita quidem Ciampinus opinatus est, ego autem omnes omnino à Sancto Petro usque ad Stephanum VI. seu ad Formosum & annum 891. excurrentes, eadem methodo & stylo scriptas, licet à Damaso Portuensi Episcopo ex diversis hinc inde Romanæ Ecclesiæ monumentis acceptas, unum idemque opus existimo esse Damasi Portuensis Episcopi, qui nomen *Damasi Papa* operi suo ad majorem illi fidem & posterorum venerationem adscripserit. Hæc contra Ciampini conjecturas, plausibilioribus omnino argumentis dicta sunto. Agnoscas hinc, quam Jesuitis audacibus fidem debeamus, qui Collectaneum illud omne, ex Onuphrii & Baronii falsa opinione, sub Anastasii unius Bibliothecarii nomine, nullo MS. Codice nixi, typis Moguntinis anno 1602. in 4. edendum voluerunt.

Alia quoque Opuscula ad eundem *Damasum Portuensem Episcopum*, tum ob titulum fallacem tum ob stylum non dissimilem mihi pertinere videntur, quæ edita sæpius extant Tomo IV. Operum divi Hieronymi, omnium Erasmi editionum, atque in editionibus aliis passim. Inscribitur primum, *Eusebii de morte Hieronymi ad Damasum*, Incipit, *Patri Reverendissimo Damaso Portuensi Episcopo & Christianissimo Theodosio Romanorum Senatori; Eusebius olim Hieronymi sanctissimi*

ctissimi discipulus, nunc vero eodem orbatus lumine, pium dolorem & suavissimum gaudium. Cum nullus unquam fuerit *Damasus Portuensis Episcopus*, quam noster ille qoi anno 891. Romanam Sedem tenuit, illeque soleret Opuscula sua aliorum nominibus inscribere, ut ex *Pontificali Vrbis Roma* sub Damasi Papæ nomine inscripto constat: ita sub Eusebii Cremonensis Monachi nomine, ad seipsum Damasum Portuenscm Episcopum, Opusculum istud *De morte divi Hieronymi* idem Damasus composuisse mihi videtur. Quamvis autem stylus simplex sit, multaque in eo contineantur absurda ac fabulosa, indigna tamen non sunt, quæ hanc ob causam Damaso Portuensi Episcopo attribuantur. Ex unitate igitur Damasi Portuensis Episopi & consuetudine Opuscula sua sub alienis nominibus inscribendi, istud eidem attribuendum esse, nequaquam ambigimus. Aliud quoque est *Augustini Hipponensis Episcopi ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum de Mirabilibus beati Hieronymi*, itemque tertium *Cyrilli Episcopi Hierosolymitani de Miraculis Hieronymi ad sanctum Augustinum Hipponensem Episcopum. Venerabili viro Episcoporum eximio Augustino Hipponensi Præsuli, Cyrillus Hierosolymitanus Pontifex, & omnium Sacerdotum infimus.* Absurdæ etenim illæ inscriptiones & Cyrilli Hierosolymitani ad Augustinum Hipponensem Episcopum, & Augustini Episcopi ad Cyrillum dudum mortuum, antequam Augustinus Episcopus fieret, notant eundem esse fabrum trium Opusculorum istorum, *Damasum Portuensem Episcopum*, quem constat *Pontificale urbis Roma* sub nomine Damasi Papæ edidisse, præmissis Epistolis falsis tum Hieronymi ad Damasum, tum Damasi ipsius ad Hieronymum. Ita solebat ille Opuscula sua occultare alienis & absurdis inscriptionibus.

CAPUT OCTAVUM.

SCOPUM ET INTENTIONEM HUJUS SCRIPTORIS FUISSE, MONARCHIAM PONTIFICIS ROMANI, ECCLESIÆQUE ROMANÆ, ERIGERE AC DEFENDERE.

ISTUD *Pontificale Pontificum urbis Roma* composuit Formosus Papa seu Damasus Portuensis Episcopus diserte adversus *Pontificali Pontificum seu Archiepiscoporum Ravennalium*, quod Andreas Agnellus circa annum 840. seu temporibus Ludovici Pii Imperatoris conscripsit, quo maxime tyrannidem Romanorum Pontificum in Archiepiscopos Ravennatenses describit, illos præsertim laudans qui jugo Romanorum Pontificum se subjicere fortiter ab omni memoria recusarunt. Vide Acta Eruditorum Lipsiæ anni MDCCX. mense Augusto pag. 330. ad 336, & quæ supra ad annum 840. verbo *Andreas Agnellus* de hoc Pontificali Ravenna-

tensi late diximus. Contendit autem in Opere suo Formosus, ut Pontificale istud diffamaret, Archiepiscopos omnes qui antiquitus jugo Romani Pontificis collum subjicere noluerunt, ultionis divinæ punitionibus apertis ob rebellionem hanc ut vult percussos esse. *Cum tamen id juris ab omni ætate in Ecclesia Ravennatensi observatum extitisset contra Romanas* usurpationes, Ecclesiæ hujus ab ea independentiam quavis machinâ destruere tentantes.

Scopus inde Scriptoris hujus, nempe Damasi Portuensis Episcopi, qui Formosus posteà Papa dictus est, fuit in syntagmate isto *de Vitis Romanorum Pontificum*, ut Monarchiam Pontificis Romani Ecclesiæque Romanæ erigeret ac pro viribus defenderet. Cum autem maximum huic rei semper impedimentum fuisset, quod in ipsa eriam Italia, tum Mediolanenses Archiepiscopi tum Ravennatenses in Exarchatu, Romanam potestatem ac in Ecelesiis suis superioritatem agnoscere nollent: hinc lapidem movit omnem, ut Romanæ Ecclesiæ obsistentem semper Ravennatensem metropolim quâ dolis, quâ artibus Romano Pontifici subjiceret. Ab antiquis Ecclesiæ temporibus id obtinuit, ut Metropolitani in provinciis suis neminem quoad rerum Ecclesiasticarum administrationem, superiorem agnoscerent: unde factum ut Augustinus unâ se ratione vivere, dum Mediolani esset; ratione autem alterâ, dum Romæ foret, scriberet. Idemque in Æmiliæ provinciâ atque in Exarchatu Ravennatensi fieret. Ab antiquis igitur temporibus, Archiepiscopi Ravennates, innixi tum privilegio Constantis Cæsaris circa annum CCCCXXX. ipsis concesso, tum Canonibus Ecclesiæ antiquis, provinciam suam independenter à quoquam regebant, adeo ut Episcopos sibi subjectos ipsi consecrarent, & Metropolirani à tribus suæ ditionis Episcopis consecrarentur, neque ullam à Romano Pontifice confirmationem cui nihil juris in Æmilia tunc temporis erat, peterent. De quo Hieronymus Rubeus *Historia Ravennatensis* lib. 4. ad annum 648. Hanc autem Ravennatensis Ecclesiæ subjectionem falsissimis verbis, Damasus Portuensis Episcopus, in Vita Doni Papæ his describit. *Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, qua se ab Ecclesia Romana segregaverat, causa autocephalia, denuo se pristina Sedi Apostolica subjugavit, cujus Ecclesia Prasul Reparatus, e vestigio ut Deo placuit, vitam finivit.* Quot hic verba in gratiam Ecclesiæ Romanæ Damasus Portuensis Episcopus affert, tot mendacia sunt. Ecclesia Ravennatensis ab ævo omni independens ab Romana Ecclesia fuerat, autocephaliâ gloriabator, ut sub nullius quam Metropolitani proprii legibus regeretur. Cum autem Romani tonc temporis Pontificis Doni promissionibus ac donis Reparatus Ravennatensis Archiepiscopus seductus ad se subjiciendum

fuiſſet, hinc tantum ob ignaviam doluit, ut præ triſtitia non multo poſt, vita exceſſerit. Hinc ſub Agathone Theodorus Ravennatenſis Archiepiſcopus, ut gratius jugum ſibi à Reparato impoſitum ferret, nec ſubreptitio oneri reluctaretur, *Arcarius ſeu Præfectus ærarii Ecclesiæ Romanæ* factus fuit, ut ibidem in Vita Agathonis legitur. His Romanæ Eccleſiæ cavillationibus atque fraudibus Ravennatenſes Archiepiſcopi non contenti, jugum excuſſerunt, autocephaliam Eccleſiæ ſuæ primævam, contemptà etiam Romanæ Eccleſiæ ærarii præfecturà Archiepiſcopis ſuis in perpetuum conceſſà, reſumentes. Hinc ut in Vita Leonis II, legitur, cum apertà violentià in Ravennatenſes Archiepiſcopos agere Romanus Pontifex non poſſet, per fraudem & ſubreptionem Leo 2. *Conſtitutionem* à Conſtantino Pegonato vir doloſus obtinuit, *ut Archiepiſcopus Ravennas electus ordinationem ſeu conſecrationem à Romano Pontifice peteret, quia ex privilegio Conſtantis Cæſaris à tribus Epiſcopis ditionis ſuæ ordinabatur, & à Cæſare pallium petebat*, ut habet Hieronymus Rubeus *Hiſtoria Ravennatenſis* lib. 4. Hæc facta Leonis II. ætate, anno Chriſti 683. Cum autem Maurus Ravennatenſis Archiepiſcopus, privilegium ſeu typum *Autocephaliæ* a Conſtante Imperatore obtinuiſſet, quæ ſacris Eccleſiæ canonibus conſona erat, ſed Romanæ ambitioni contraria: fultus auctoritate Imperatoris tunc Leo II, in pœnam vetuit *Ne dies anniverſarius ordinationis Mauri Archiepiſcopi Ravennatis ſchiſmatici celebraretur, qui Sedi Apoſtolicæ valde infenſus fuit, & ne Agenda id eſt Miſſa pro defuncto eo fieret:* atque ad cautelam futuri, *ut typum autocephaliæ, quem ſibi elicuerant Ravennatenſis Archiepiſcopi, ad amputanda ſcandala, Sedi Apoſtolicæ reſtituerent.* Hæc præclara Pontificiæ tyrannidis & injuſtitiæ, in Ravennatenſem Eccleſiam indicia. Neque etiam ob pœnas iſtas Mauro Ravennatenſi Archiepiſcopo mortuo irrogatas, neque ob privilegium *Autocephaliæ* à Ravennatibus ablatum, Ravennatenſes Romanæ ſuperbiæ & ambitioni ceſſerunt, ſed in juribus ſuis antiquis & moribus permanſerunt, usque ad tempora Conſtantini Papæ anno Chriſti 708. & Juſtiniani iterum V. Sic enim idem Pontificale Vrbis Romæ, ſeu Damaſus Portuenſis Epiſcopus in *Vita Conſtantini*, ubi ſic. *Hic ordinavit Felicem Archiepiſcopum Ravennatem, qui ſecundum Priorum ſuorum, ſolitas in ſcrinio noluit facere cautiones, ſed per potentiam judicum expoſuit ut voluit; cujus cautio à Pontifice in ſacratiſſima B. Petri Apoſtoli confeſſione poſita, poſt non multos dies, terra & quaſi igne combuſta reperta eſt. Nam Ravennatium cives elati ſuperbia, digna ultionis pœna mulctati ſunt. Mittens quippe Juſtinianus Imperator Theodorum Patricium & Primicerium exercitus inſulæ Sardiniæ, cum claſſe navium, Ravennam civitatem cepit, præfatum Archiepiſcopum arrogantem in navi vinctum tenuit, & omnes rebelles, quot ibi reperit, compedibus ſtrinxit, divitias eorum abſtulit, & Conſtantinopolim miſit. Dei autem judicio, & Apoſtolorum principis ſententia Petri, quia inobedientes fuerunt Apoſtolicæ Sedi, amara morte perempti ſunt: & iidem Archiepiſcopus lumine privatus, dignam factis recipiens pœnam, exul in Ponticam transmiſſus eſt regionem.* His liquet Ravennatenſes Archiepiſcopos nunquam Romanæ Sedi voluiſſe ſubjici, etiamſi Imperatores id ſanxiſſent, atque *Autocephaliam* etiam conſervaſſe, usque ad Vrbis exciſionem, Archiepiſcopi excæcationem & exilium, ad bonorum omnium direptionem, quam Romanis Pontificibus apud Juſtinianum inſtantibus, conſtanti animo patiebantur. Porro Pipinus Francorum Rex per Falradum Sancti Dionyſii Abbatem, *Exarchatum Ravennatem* ab Aiſtulpho Longobardorum Rege armis oblatum, Sancto Petro Apoſtolorum principi & ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus in perpetuum conceſſit, in ſignum donationis, clavibus ſuper Confeſſione id eſt ſepulchro Beati Petri depoſitis, de quibus *Pontificale Vrbis Romæ* ſeu Damaſus Papa in Vita Stephani III. Romani Pontificis, & Baronius Tomo IX. Annalium Eccleſiæ ad annum 753. num. 12 & 755. num. 25. 26. 27. Neque tamen ſic, Romanæ tyrannidi & oppreſſioni hac donatione facili, ceſſiſſe Ravennates Archiepiſcopos atque *Autocephaliæ* renuntiaſſe certum eſt. Narrat etenim *Pontificale Vrbis Romæ* ſeu Damaſus Portuenſis Epiſcopus, Formoſus Papa dictus, in Vita Nicolai I. Romani Pontificis, pag 211. 212. & 213. quomodo tunc Johannes Ravennatenſis Archiepiſcopus Romano Pontifici in omnibus reſiſteret, mandata ejus velut huic Autocephaliæ adverſa ac nulla rideret, ac pro viribus tum Eccleſiaſticos tum ſeculares ad jugum Romanæ Eccleſiæ injuſtum excutiendum provocaret atque hortaretur. Vide locis citatis, quæ latiſſime de hac tragœdia literis mandata ſunt.

2. Ad eandem Romanæ Eccleſiæ exaltationem facit, quod idem *Pontificale Vrbis Romæ* ſcribit in *Vita Sancti Sylveſtri Papæ*. Nimirum, quamvis apud omnes melioris notæ hiſtoricos id fabula ſit, quia tamen ad Eccleſiæ Romanæ ſplendorem decusque confert, audaci calamo Damaſus Portuenſis Epiſcopus ſcribit, Conſtantinum Magnum fuiſſe Romæ baptizatum, atque in memoriam Chriſtianæ fidei illic acceptæ & baptiſmatis quo lotus fuerat, Eccleſias ibi plures ædificaſſe munificentia non vulgari, donaria plurima ac maximi pretii Eccleſiis Romæ potioribus contuliſſe, imo *Sardiniam Inſulam cum omnibus poſſeſſionibus ad eandem pertinentibus obtuliſſe Baſilicæ SS. Marcellini & Petri à ſe conditæ, in dotem Eccleſiæ.* Inde Sardinia Inſula juris & proprietatis Eccleſiæ Romanæ fuit, *Dedit Eccleſiæ SS. Marcellini & Petri Inſulam Sardiniam cum poſſeſſionibus omnibus ad eandem pertinentibus, præſtantem ſolidos mille & viginti quatuor*

tuor &c. Ab anno igitur 324. vel circiter, Pontifices Romani contendebant ex falsa ista Constantini Magni donatione, Sardiniam insulam esse proprietatis Ecclesiæ Romanæ, ut in Sylvestri vita *Pontificale Urbis Romæ* narrat. Cum autem priscis temporibus Archiepiscopus Calaritanus hujus insulæ Metropolitanus esset atque ordinandi Episcopos insulæ sibi suffraganeos potestatem absolutam haberet, ea semper uti voluit, quidquid Romani Pontifices ob Constantini donationem Ecclesiæ suæ factam prætenderent. Atque contra Romanæ Ecclesiæ ambitionem & usurpationes, jure antiquo Calaritani Archiepiscopi usque ad annum 684. potirbantur, quo Joannes V. Pontifex Romanus, Episcopi Turritani qui ordinatus fuerat à Calaritano Metropolita sine consensu Romani Pontificis, ordinationem nullam & irritam declaravit. At Citonatus Calaritanus Archiepiscopus, ordinationem Ecclesiæ Turritanæ quam sine auctoritate Romani Pontificis fecerat, canonicam ac legitimam, antiquis Metropolitanorum juribus consonam, factum autem Romani Pontificis, oppressionem & Canonum transgressionem contemnens, in consuetudine antiqua ac possessione jurium permansit.

3. Damasus Portuensis Episcopus seu Formosus Papa, in hoc Pontificali Urbis Romæ in *Vita Leonis III*, velut Romanæ Ecclesiæ prærogativam insignem ac principalem statuit *Romanum Pontificem quantumvis gravissimis criminibus infamatum vel accusatum, à nemine judicari posse; imo ad ipsum pertinere, ut alios omnes sive Patriarchas sive Primates & Archiepiscopos tam Occidentis, quam Orientis, tam in causa fidei quam morum judicare possit.* Baronius Tomo IX. Annalium ad annum 800. num. 4. & 5. Hæc autem quomodo se habuerint apud Anastasium satis accurate ita narrata reperies, inquit, „Fecit Carolus Magnus in eadem Ecclesia congregare Archiepiscopos, Episcopos & Abbates „& nobiles Francorum atque inclytos Romanorum, & sedentes pariter tam Magnus Rex „quam beatissimus Pontifex, fecerunt residere „sanctissimos Archiepiscopos, Episcopos & Abbates, stantibus reliquis Sacerdotibus & Optimatibos Francorum & Romanorum, ut crimina quæ adversus almum Pontificem dicta fuerunt, examinarent. Qui universi Archiepiscopi, Episcopi & Abbates, unanimiter audientes, dixerunt: *Nos Sedem Apostolicam quæ est „caput omnium Ecclesiarum judicare non audemus, „nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, „ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum „antiquitus mos fuit: sed sicut ipse Summus „Pontifex censuerit, jubeat, canonice obedimus.* „At venerabilis Leo Papa inquit, Prædecessorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus „falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum „&c.

4. Cum itaque Romanus Pontifex à nemine quantumvis sceleratissimus judicari posset, nihil ab aliis metuendum habuit: & cum Romanam Ecclesiam aliarum omnium Ecclesiarum caput & dominam judicemque, Archiepiscopi & Episcopi in Concilio Romano collecti declarassent, nihil mirum quod Romani Pontifices omnibus aliarum Ecclesiarum causis sese immiscerent. Ex effræni igitur ubique dominandi Romanorum Pontificum libidine, factum ut Romani Pontifices insidiarentur occasione facta, jurisdictioni Patriarcharum Ecclesiæ Orientalis, Primatuum ac Metropolitanotum ipsius Occidentis, ut hac ratione ad Romanam Ecclesiam omnes, velut Universalis Ecclesiæ magistram & Canonum omnium dominam, concurrerent & appellarent. Cum vero Ecclesia Constantinopolitana velut nova Roma, latissime omnium dominaretur atque amplissimam ditionem obtineret, Romana Ecclesia tantæ potestatis æmula, rebus Ecclesiæ Constantinopolitanæ à Romana independentibus perturbandis, occasionem omnem arripuit. Anno 858. sub Nicolao Papa I. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus velut contra Canones ob eunuchismum promotus, seu vi seu sponte sede dejectus est, Photio viro ob eminentes scientiæ dotes incomparabili in locum Ignatii electo ex unanimi omnium consensu. De hac causa quæ ad Romanam Ecclesiam non spectabat, cognoscere velut judex Nicolaus volens, Legatos à latere suo Constantinopolim misit Rodoardum Portuensem & Zachariam Anagninum Episcopos, qui de hac quæstione mota cognoscerent. Anno 861. Synodus Episcoporum CCCXVIII. Constantinopoli convocata, ad quam cognitio hujus tota pertinebat, quæ Ignatii depositionem Photiique substitutionem, utpote canonicam & justam, subscribentibus etiam Decreto Synodi illic congregatæ Legatis Romanæ Ecclesiæ, sanxit ac confirmavit, Nicolao I. Pontifice postmodum frendente licet ac interminante. Nec minor invidia fuit Romanorum Pontificom in Constantinopolitanum Patriarchatum, ob ditionem illius Ecclesiasticam amplissimam, quam sibi usurpare modis omnibus Nicolaus Pontifex voluit, allecto promissionibus moltis ac vanis Michaele Bulgarorum Principe ac Rege, ut Constantinopolitana Ecclesia spreta, cui ab initio fidei susceptæ suberat, Romanam Ecclesiam ejusque mores amplecteretur. Missus anno 867. ob hanc rem & schisma formandum Ecclesiæ Bulgarorum adversus Constantinopolitanam Ecclesiam, à Nicolao Pontifice *Damasus Portuensis Episcopus*, seu Formosus postea dictus, qui hoc *Pontificale Urbis Romæ* composuit, quem Nicolaus noverat ut hominem astutum, atque ad dissensiones inter Bulgariæ Ecclesias & Constantinopoleos disseminandas fovendasque aptissimum. Loquitur hic in *Vita Hadriani II.* de legatione hac sua,

quasi ad fidei propagationem ac dilatationem missus fuisset, qui nonnisi ad discordias inter utramque Ecclesiam Græcam & Latinam disseminandas mittebatur, atque ut minister ambitionis Nicolai primi, Bulgaros Ecclesiæ Romanæ adderet. Hic fuit Apostolatus iniquitatis & ambitionis Romanæ Ecclesiæ, quam Formosus Papa suscepit.

5. Ne prolixior sim, paucis dicam, in hoc *Pontificali Vrbis Romæ*, consilium Formosi Papæ seu Damasi Portuensis Episcopi, fuisse, ut Appellationes à Sedibus Patriarcharum, Primatuum, & Metropolitanorum omnium, ad Romanam Ecclesiam factas, stabiliret & canonicas decerneret: qua ratione jura Metropolitanorum omnium convelleret dissiparetque, ac Episcopos omnes suffraganeos judiciis Metropolitanorum contemptis, Romam omnium caput & dominam appellaret. Nam in *Vita Nicolai I. Quidam præterea Hincmarus Remorum Archiepiscopus Rhotadum Suessionica urbis Episcopum, Sedis Apostolica judicium appellantem, contra Sardicensis Concilii regulas deposuit, custodiaque recte servari præcepit.* Nicolaus Rhotadum Suessionensem Episcopum restituit, quod ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo depositus & custodiæ traditus esset, spreta ejus ad Sedem Apostolicam appellatione, de quo Nicolaus Epist. 44. unde desumptus est canon *Argum* 2. quæst. 6. Scripsit vero Hincmarus *contra πρωτεῖον Papæ* Remensis Archiepiscopus, ut habent Anastasius Bibliothecarius, Aimoinus, Joannes Aventinus, atque Onufrius Panvinius.

890. LEO VI. IMPERATOR, COGNOMENTO SAPIENS ET PHILOSOPHVS, Basilii Imperatoris ex Eudocia conjuge filius, quamvis non desint Historici Byzantini, ut Zonaras tomo 3. *Annalium* pag. 133. & 141, qui suspicionem injiciant, illum Michaelis Porphyrogeniti, ex furtivo cum Eudocia concubitu paulo antequam nuberet Basilio Macedoni, fuisse filium. Habuit præceptorem atque magistrum institutionis, magnum illum Photium Patriarcham Constantinopolitanum, sub quo immensam litterarum optimarum scientiam hausit, Philosophiæ, Historiæ, eloquentiæ atque Jurisprudentiæ peritissimus: præ cæteris vero Astrologiæ judiciariæ addictissimus fuit. Junior adhuc à Theodoro Santabareno Euchaitarum Episcopo, quem ob pessima facinora odio habuit, in insidiarum suspicionem apud Basilium patrem adductus, carceri mancipatus est: unde postea Senatu deprecante à Basilio liberatus, qui postmodum inter venandum à cervo percussus, Leonem hæredem suum & Imperii successorem instituit. Anno igitur 886. mortuo Basilio, Imperii gubernacula Calendis Martii suscepit. Imperium adeptus, ingratitudine insigni Photium olim præceptorem suum sede Patriarchali statim dejecit, substituto ei Stephano fratre suo, qui & Episcopos à Photio in exilium actos revocavit. Ita Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 9. ad annum 886 pag. 565. & 566. ubi Opera impressa exactissime recenset, atque inter illa Leonis Imperatoris qui sapiens dictus fuit, τροπάρια ἑωθινὰ undecim in Octoëcho leguntur, de quo vide Dissertationem nostram *de operibus S. Joannis Damasceni* in Octoëcho. Opera autem illius tam impressa quam MSS. accuratissima cum editionibus habet ac recenset Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 5. à pag. 361. ad pag. 379. editionis Hamburgensis 1714. in 4. qui cum Cavo instar omnium esse potest. Sed ad Manuscripta in Bibliothecis adhuc latitantia, quæ foras nondum eruperunt, veniamus.

Inter MSS. Codices Historicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice XLIII. num. 37. extat *Ecloge Novellarum Constitutionum Imperatoris Leonis Sapientis, divisa in Capitula quinquaginta quinque*, de qua sic Lambecius Libro seu tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 489. „*Trigesimo septimo*, & quidem à fol. 377. pag. 1. usque ad folium 387. pag. 2. *Ecloge Novellarum Constitutionum Imperatoris Leonis Sapientis, divisa in Capita quinquaginta quinque*: quorum primum inscribitur atque incipit hoc modo: Ἐκλογὴ τῶν Νεαρῶν Λέοντος τοῦ Εὐσεβοῦς βασιλέως. Α! Θεσπίζομεν ἀπὸ τοῦ νῦν, καὶ εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον ἅπασιν, εἷς οὓς ἀνήρτηνται τὰ τῆς δίκης ζυγὰ &c. *Ecloge Novellarum Leonis Sapientis Imperatoris*. Prima. *Definimus ab hoc nunc & ad omne imposterum tempus omnibus, quibus lances justitia appensa sunt &c.*"

Meminit quoque Cæsar Baronius, *Annalium Ecclesiasticorum* tomo X. ad annum 911. num. 3. refertque extare ejusdem Imperatoris Leonis Sapientis *Orationes XXXIII. de variis solennitatibus anni & Sanctorum festis*, in MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ num. 803. quarum hucusque octodecim tantum esse impressas observavit Guillelmus Cavus loco citato, adhuc *quindecim* integris in blattis & tineis absque prælo, MSS. remanentibus. Harum unam extare quoque manuscriptam in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, advertit Petrus Lambecius in discussione Codicis MS. Theologici Græci CCXXVIII. num. 2. ut habet Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 57. his verbis. „*Secundo* & quidem à fol. 228. pag. 1. usque ad fol. 238. pag. 2. *Imperatoris Leonis cognomine Philosophi seu Sapientis, Oratio in Spiritum Sanctum, quod propria authoritate adoptionem Filiorum Dei hominibus largitus est.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Orationis, hæc sunt: Λέοντος ἐν χριστῷ βασιλεῖ αἰωνίῳ βασιλέως λόγος εἰς τὸ σύνθρονον, ὅτι παρ᾽ οὗ καὶ δι᾽ οὗ καταφοιτῆσαν αὐτοδεσπότως παρέσχε τὴν υἱοθεσίαν ἀνθρώποις, Θεῖον Πνεῦμα. Τὴν μὲν οὖν χθὲς ἐποίει πανήγυριν ἐπιδημῶν ὁ Παράκλητος,

καὶ

„αὐτοῦ φωσφόρον ἡμῖν τὴν ἡμέραν τελῶν &c. Oratio hæc, quod ego ſciam, hactenus nondum „edita eſt. Meminit autem illius Em. Card. „Baronius *Annalium Eccleſiaſticorum* tomo X. „anno 911. num. 3. eamque refert extare in „Bibliotheca Vaticana Codice MS. 803. qui „ejusdem Imperatoris Leonis *Orationes triginta* „*tres* continet.

In Bibliotheca igitur Vaticana Codice MS. 803. extant Leonis Imperatoris Orationes XXXIII.

1. Videlicet *In admirabilem & glorioſam Aſcenſionem Domini.*
2. *In adventum Spiritus Sancti in ſpecie ignis.*
3. *In Spiritum Sanctum, quod propria authoritate, adoptionem Filiorum Dei, hominibus largitus eſt.*
4. *In omnes Sanctos.*
5. *In magnum Apoſtolum Orbis, Sanctum Paulum.*
6. *In glorioſum Prophetam Eliam.*
7. *In glorioſam Domini noſtri Jeſu Chriſti Transfigurationem, Orationes tres.*
8. & 9. *In eandem Transfigurationem.*
10. *In tranſitum Beatæ Mariæ Virginis.*
11. *In decollationem Præcurſoris.*
12. *In Nativitatem Beatæ Virginis.*
13. *In Exaltationem Sanctæ Crucis.*
14. & 15. *In admirabilem & glorioſum Domini Diſcipulum Thomam, Orationes duæ.*
16. & 17. *In glorioſum & à Deo coronatum Demetrium, Orationes duæ.*
18. *Quando domus Imperatoris conſecrata fuit.*
19. *In Sanctum Johannem Chryſoſtomum.*
20. *Quando ingreſſa eſt beatiſſima Virgo in ſancta.*
21. *In fulgentiſſimum Eccleſiæ lumen Nicolaum.*
22. *In Nativitatem Domini ſecundum carnem.*
23. *In Sanctum Stephanum Protomartyrem.*
24. *In ſancta Lumina.*
25. *In ſanctum Clementem Ancyranum, Martyrem.*
26. *In glorioſum Martyrem Tryphonem.*
27. *In occurſum Domini.*
28. 29. & 30. *In Capite ſacratiſſimi jejunii, Orationes tres.*
31. *Epiſtola Catholica hortatoria.*
32. *In Feſtum Palmarum.*
33. *In Sabbathum ſanctum.*

Ex his autem Orationibus XXXIII. Plurimæ impreſſæ ſunt. Nimirum *Orationes tres in Sepulturam, Reſurrectionem & Aſcenſionem Chriſti*, quæ hic recenſentur 33. 1. & 14. *Orationes duæ in Feſtum Pentecoſtes & Feſtum Palmarum*, quæ hic recenſentur 2. & 32. *Oratio una in Aſſumptionem B. Virginis*, quæ hic recenſetur 10. *Orationes duæ in decollationem S. Joannis Baptiſtæ & in Omnes Sanctos*, quæ hic recenſentur 4. & 11. Orationes inquam iſtas octo Græcè & Latinè edidit Jacobus Gretſerus Soc. Jeſu anno 1600. Ingolſtadii cum *Oratione ejusdem Leonis Imperatoris in Annuntiationem B. Virginis*, quæ in hoc MS. Codice Vaticano deeſt. *Orationem quoque in Exaltationem Sanctæ Crucis*, quæ hic recenſetur 13. una cum duabus poſtremo loco memoratis Orationibus *In Decollationem S. Joannis Baptiſtæ & in Omnes Sanctos*, iterum Græce & Latine edidit idem Gretſerus tomo II. *De Cruce* pag. 1219. & ſequentibus. *Orationes tres in Nativitatem, Præſentationem & Purificationem Beatæ Mariæ*, quæ hic recenſentur 12. 20. & 27. has inquam tres una cum ſeptem Orationibus primo loco recenſitis, Græce & Latine edidit Franciſcus Combefis *Auctarii Novi* Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1672. tomo 1. pag. 1605. *Orationem de Sancto Nicolao Mirenſi Epiſcopo* quæ hic recenſetur 21. Græce & Latine edidit Petrus Poſſinus Toloſæ anno 1644. *Orationem Panegyricam in Sanctum Joannem Chryſoſtomum*, quæ hic recenſetur 19. Latine edidit Laurentius Surius in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem XXVII. Januarii. Græce autem Henricus Savillius in editione Operum Sancti Joannis Chryſoſtomi, Tomo VIII. pag. 267. Denique *Orationem Paræneticam* ſeu *Epiſtolam Encyclicam ad omnes Chriſti fideles ad bene vivendum hortatoriam*, quæ hic recenſetur 31. Latine translatam Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* edidit ad annum 911. num. 5. Ex his ergo XXXIII. Leonis Imperatoris de variis argumentis Orationibus, ſuperſunt octodecim, nondum quod ſciam impreſſæ.

1. Nimirum *In Spiritum Sanctum, quod propria authoritate, adoptionem Filiorum DEI, hominibus largitus eſt*, quæ ibidem numero 3.
2. *In magnum Apoſtolum Orbis Sanctum Paulum*, quæ ibidem 5.
3. *In glorioſum Prophetam Eliam*, quæ ibidem 6.
4. 5. & 6. *In glorioſam Domini noſtri Transfigurationem*, quæ ibidem 7. 8. & 9.
7. & 8. *In glorioſum & admirabilem Chriſti Diſcipulum Thomam*, & *In Nativitatem Domini ſecundum carnem, Orationes duæ*, quæ ibidem 15. & 22.
9. & 10. *In glorioſum & à Deo coronatum Demetrium Orationes duæ*, quæ ibidem 16. & 17.
11. *Quando domus Imperatoris conſecrata fuit*, quæ ibidem 18.
12. *In Sanctum Stephanum Protomartyrem*, quæ ibidem 23.
13. *In ſancta Lumina*, quæ ibidem 24.
14. *In Sanctum Clementem Ancyranum Martyrem*, quæ ibidem 25.
15. *In glorioſum Martyrem Tryphonem*, quæ ibidem 26.
16. 17. & 18. *In Capite Sacratiſſimi Jejunii Orationes tres*, quæ ibidem 28. 29. & 30.

In-

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Oxonii in Anglia Codice 149. *Condemnatio Judicum iniquorum, per Leonem & Alexandrum Imperatores* pag. 16. *οἶμαι δὲ τῶν κρίνειν λαχόντων* &c. Et ibidem num. 264. in MSS. Græcis Thomæ Roe Codice 18. *Leonis & Constantini imprecationes contra Judices corruptos* pag. 172. b. *Οἶμαι δὲ τῶν κρίνειν λαχόντων.*

Oracula & Vaticinia XVII. de futuro Constantinopolis statu, extant inter MSS. Codices Græcos Bodlejanæ Bibliothecæ Codice Barocciano 145. *Leonis Imp. & aliorum Vaticinia aut somnia* pag. 46. *Τῇ πρώτῃ τῆς ἰνδίκτυ.* Et ibidem, *Leonis Imp. vaticinia cum aliis Græculorum nugis* pag. 205. Et Codice 170. Leonis Imperatoris vaticinia Græco-latinè per Franciscum Barocium, picturis graphice adumbrata, *πολλὰ τάλας κάκιστα τῇ* &c. Ibidem num. 294. in MSS. Græcis Oliverii Cromwelli Codice 115. §. 24. *Leonis Sapientis Prophetia* pag. 474. Ex his edita sunt priora XVI. Græce & Latine cum Rurgersii notis inter ejus *Lectiones varias* Lugd. Batavorum 1618. in 4to. Ultimum autem Græc. Lat. prodiit anno 1573. Basileæ ad calcem Annalium Constantini Manassis, in 8. Omnia denique XVII. Gr. Lat. habentur ad calcem *Antiquitatum* Georgii Codini, Parisiis 1655. in folio.

Constitutio Leonis Sapientis de ordine Ecclesiarum, quæ throno Patriarchæ Constantinopolitani subdita sunt, extat MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Baroccianos, Codice 158. pag. 141. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 5932. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galei Codice 98. Edita autem illa Græce & Latine à Joanne Leunclavio *Juris Græco-Romani* lib. 2. p. 88.

Πρόχειρον Νομικὸν, five Delectus Legum Compendiarius, titulos LX. complectens, extat MS. sæpius in Bodlejana Bibliotheca, in Codicibus Baroccianis Codice 8. *Leonis Imperatoris & Constantini Leges Selecta* pag. 195. *Ὁ δεσπότης καὶ ποιητής.* Et ibidem Codice 264. in MSS. Græcis Thomæ Roe Codice 18. *Leonis & Constantini Leges selecta titulis XL* pag. 68. *Ὁ δεσπότης καὶ ποιητὴς* &c. Ibidem Codice 6437. in MSS. Codicibus Thomæ Barlovii Codice 25. Πρόχειρον Νόμων, *sive Enchyridium Juris* ab Impp. Basilio, Constantino, & Leone, in Titulos XL. distinctum, & ad Basilica repetitæ prælectionis felicius evolvenda amussitatum, e duobus MSS. in Oxoniensi Bibliotheca repositis, erutum, & descriptum. Cujus Operis Titulos priores XXVIII. exhibet Græc. Lat. Joannes Leunclavius *Juris Græco-Romani* Tomo 2. p. 79.

Ingens & immensi laboris opus postea Leo Imperator aggressus, omnes Græcorum Imperatorum Leges & Constitutiones in unum corpus coadunari, & in LX. Libros distribui procuravit, indicto iis *Basilicorum* & Ἑξηκοντα-βίβλου titulo, quorum Basilicorum Synopsin antiquam Græc. Lat. Joannes Leunclavius Basileæ anno 1575. in fol. edidit. Integrum autem opus in septem Tomos distinctum Græc. Lat. Carolus Annibal Fabrotus, an. 1647. in folio evulgavit, ex MSS. Regiis.

Novella Constitutiones III. à Leone & Constantino fratre, Augustis datæ, extant Græc. Lat. ad Synopseos Leunclavianæ calcem pag. 32. & alibi. Item *Leonis Imperatoris varia Novella*, in Bodlejana Bibliotheca, Codice Barocciano 173. p. 339. ad 345.

In eodem MS. Codice Theologico-Græco-Cæsareo CCXXVIII. num. 4. habetur ejusdem Leonis Sapientis *Poëma Jambicum de Martyrio Sancti Clementis Ancyrani Episcopi*, ut habet idem Lambecius Libro seu tomo 5. Commentariorum suorum hujus Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 58. his verbis. "*Quartò* & quidem à fol. 243. pag. 1. usque ad fol. 259. pag. 1. *Leonis Imperatoris* cognomine *Philosophi seu Sapientis Poëma Jambicum de Martyrio Sancti Clementis Episcopi Ancyrani, & Socii ejus S. Agathangeli*, qui sub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano Ancyræ in Galatiâ passi sunt, quorumque memoria in *Martyrologio Romano* celebratur die 23. Januarii. Ipsa tituli Græci verba cum principio Poëmatis hæc sunt: Λέοντος βασιλέως διὰ στίχων ἰαμβικῶν, εἰς τὴν ἄθλησιν τοῦ ἁγίου Κλήμεντος."

Λέοντος, ὃς τὰ σκῆπτρα δεξιᾶς ἔχει
Ἀεὶ κρατήσης, ὧν παρέσχε καὶ λόγον,
Δῶρον λόγον τῷ δόντι τῆς σφαίρας χνοῦν,
Λαβόντι κλῆρον ἀντίδωρον δεσπότῃ.
Κλήμεντι τῷ τρέψαντι τὴν πλάνην πάλη
Δέσποτα θύτα, εὐλόγει μοι τὸν λόγον.
Ἀθλητικὰς ἀγῶνας εὐφημεῖν θέλων,
Πολλὴν ὁρῶ μοι τῶν λόγων ἀγωνίαν &c."

Hoc Poëma publicâ luce dignissimum, hactenus quod sciam, nondum est editum. Consului enim hujus rei causâ Joannis Bollandi & Godefridi Henschenii *Acta Sanctorum* mensis Januarii, ubi quidem de Sanctis Martyribus *Clemente & Agathangelo*, tomo 2. pag. 458. & deinceps usque ad pag. 483. diligenter & erudite agitur, nulla tamen jam memorati *Poëmatis Imperatoris Leonis Sapientis* mentione factâ. Eminentissimus autem Cardinalis Baronius, *Annalium Ecclesiasticorum* tomo X. anno 911. num. 3. meminit quidem *Orationis Prosaica Imperatoris Leonis in S. Clementem Martyrem*, non autem hujus Opusculi, seu Poëmatis."

Ibidem in Manuscripto Codice Theologico Græco CCXCVII. num. 15. *Canon Catanycticus seu compunctivus sub nomine Leonis Imperatoris cognomento Sapientis*, cujus meminit Petrus Lambecius tomo seu libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 261. his verbis. "*Decimo quinto* & quidem fol. 104.

pag-

„pag. 1. & 2. *alius Canon Catanycticus Alphabeticus* „*Imp. Leonis Sapientis*, cujus titulus & principi„um : Ἕτερον Ἀλφάβητον, ποίημα κυρίου Λέοντος „τοῦ Σοφοῦ. Ἀδάμ τὸν πρῶτον ἄνθρωπον &c. „Denique ibidem in Manuſcripto Codice Theo„logico Græco CCCXXXIII. num. 4. ineſt „*Odarium Catanycticum*, cujus meminit Lambe„cius tomo citato, pag. 295. his verbis. *Quar*„*to* & quidem à fol. 9. pag. 1. usque ad fol. 24. „pag. 2. *Imperatoris Leonis Philoſophi ſeu Sapien*„*tis Odarium Catanycticum, anacreonticum, ordine* „*Alphabico*, cujus titulus & principium : Ὠδά„ριον κατανυκτικὸν ποίημα κυροῦ Λέοντος Φιλοσό„φου καὶ Βασιλέως κατ' Ἀλφάβητον. Στίχοι „ἀνακρεόντειοι. Ἄρα τίς γῆθεν αἰείρας &c. Idem MS. in Bodlejana Bibliotheca Oxonii in Anglia in Codd. Baroccianis Codice 133. pag. 173. Latine editum à Jacobo Pontano Soc. Jeſu, Ingolſtadii an. 1603. Denique in noſtra Lugduno-Barava Bibliotheca inter MSS. Codices Bonavent. Wulcanii Codice 40. num. 3. *Leonis Imperatoris Agricultura Evangelica* num. 4. *Ejusdem Oracula*. Denique *Leonis Imperatoris* Libellus περὶ ἀρετῶν Γεωργίου καὶ μοναχικῆς κυβερνήσεως. De quibus vide Catalogum Librorum impreſſorum & MSS. Bibliothecæ hujus editum anno 1674. Lugduni-Batavorum in 4. paginis 416. & 418. librorum Manuſcriptorum.

Cum autem Leo Philoſophus ex tribus prioribus uxoribus nullam prolem ſuſcepiſſet, anno circiter 901. quartam nomine Zoëm Epiphanii Agri Abbatis ſororem duxit. Iſtas verò nuptias, utpote Canonibus & Ipſius Leonis conſtitutioni contrarias, Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus non ſolum conſecrare recuſavit, ſed & Presbyterum qui benedixerat, depoſuit : Leonemque ipſum ſacris interdixit. Hic cum à ſententia Nicolaum flectere non potuiſſet, Patriarchatu dejectum, in Monaſterium relegavit. Cæterum quod Patriarcha CP. noluit, hoc fecit Sergius Papa, qui fatente Baronio, cum Imperatore hac in parte diſpenſavit. Obiit Leo ſapiens anno 911. Maji vel ut alii volunt, Julii die XI. cujus Scriptores omnes Hiſtoriarum Græci, mentionem faciunt.

890. COSMAS VESTITOR natione Græcus; in aula Conſtantinopolitana inter primos enituit, ea ætate qua Imperium Orientale cum gloria & laude Leo VI. Imperator cognomento *Sapiens* & *Philoſophus* adminiſtrabat. Dictus *Veſtitor* ſeu Βέστητορ apud Græcos ætatis ſequentis, quod ſub Imperatore iſto officium *Veſtitoris* ſeu *Protoveſtiarii* nobile obtineret, cujus partes erant, ut ipſi Imperatori veſtiendo adeſſet, ac Veſtibus Imperialibus tum comparandis tum cuſtodiendis præfectus eſſet. Ætatem illius Scriptoris adſequutus ſum ex Anonymo qui *Vitam Sancti Joannis Chryſoſtomi* ex diverſis auctoribus conſcripſit circa annum 950. aliquanto poſt Conſtantini Porphyrogeniti tempora, quem profert Henricus Savilius in editione Græca Operum D. Joannis Chryſoſtomi omnium Tomo 8. pag. 293. Etonæ facta. Collegit hic Anonymus *Vitam Chryſoſtomi*, ex Scriptoribus XX. antiquioribus, quorum Catalogum operi ſuo juxta rationem temporum præmittit, atque una velut ejusdem temporis, *Coſmam Veſtitorem* loco XIV. *Leonem Imperatorem* loco XV. qui ambo de Chryſoſtomi Laudibus ante ſe egerant, conjungit. Cum itaque Leo Imperator ac Sapiens dictus, multas Homilias & encomia in laudem Sanctorum atque Feſtorum & Solemnitatum Eccleſiæ ex ante dictis collegiſſet: COSMAS VESTITOR ſeu Veſtiarius, Dominum Imperatorem ſuum imitatus cujus lateri aſſidebat, Opuſcula quoque in laudem Sanctorum nonnulla Græce compoſuit, quæ adhuc MSS. in Bibliothecis Anglicis atque aliis inveniuntur. Juxta Allatium in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 95. *Coſmæ Veſtitoris in Sanctos Joachim & Annam parentes Deiparæ.* Εἰς τοὺς ἁγίους Ἰωακεὶμ καὶ Ἄνναν τοὺς γονεῖς τῆς Θεοτόκου. Incipit Ἡ χθὲς τῆς Θεοτόκου γενεθλιακὴ πανήγυρις τῆς κοσμικῆς χαρᾶς &c. Heſterna Deiparæ nativitatis panegyris, ſeculari ſeu mundano gaudio &c. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ in MSS. Codicibus Baroccianis Codice 234 num. 1. *Coſmas Veſtitor in Zachariam Prophetam* pag. 1. Μοῦσα τῶν ἀῤῥήτων. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni inſignium Bibliothecarum Codice 5950. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Græcis, Codice 116. num. 1. *Coſmæ Veſtitoris Encomium Zachariæ Prophetæ.* Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis* pag. 100. *Coſmæ Veſtitoris* λόγος ἐγκωμιαστικὸς εἰς τὸν προφήτην καὶ ἀρχιερέα Ζαχαρίαν. Incipit Μοῦσα τῶν ἀῤῥήτων ἱερουργημάτων Ζαχαρία. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 269. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 23. num. 3. *Coſmæ Veſtitoris de reportatis Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolim reliquiis* fragmentum pag. 161. ἥκουσαν πάντως ὑμῖν &c. & inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni inſignium Bibliothecarum Codice 6043. in Manuſcriptis Codicibus ejusdem Thomæ Galei Codice 209. *Sermo Coſmæ Veſtitoris in Joannis Chryſoſtomi reliquias Conſtantinopolim reportatas.* Leo Allatius pag. 94. loco citato, *Coſmas Veſtitor de relatione corporis S. Johannis Chryſoſtomi Conſtantinopolim.* Εἰς τὴν ἐπάνοδον τοῦ λειψάνου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ χρυσοστόμου. Incipit ἤκουσαν πάντως ὑμῖν &c. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 3561. in MSS. Codicibus in Hyperoo Bodlejano exiſtentibus litera A. Codice 71. num. 1. *Coſmæ Veſtitoris Canon in Theophaniam Domini Noſtri Jeſu Chriſti die 6. Januarii* pag. 1. ad 8. Agunt por-

porro de *Cosma Vestitore* Henricus Savilius in editione Græca illa Omnium D. Johannis Chrysostomi Operum quam anno 1613. VIII. voll. in folio Etonæ procuravit, Tomo VIII. pag. 293. & pag. 943. & 944. ubi testatur se habuisse in manibus *Encomium Cosmæ Vestitoris Græcum* in reportatas S. Joannis Chrysostomi reliquias ad urbem Constantinopolim atque alia ad eundem spectantia, quibus edendis abstinuerit. Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum Scriptis* pagg. 94. 95. & 100.

890. NICEPHORUS PHILOSOPHUS ET ORATOR PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI, sub Antonio Caulea ejusdem Sedis Archiepiscopo & Patriarcha vivens, his iisdem temporibus aliquanto post ann. 890. floruit, scripsitque *Orationem funebrem* seu *Narrationem encomiasticam Vitæ Sancti Antonii cognomento Caulea, Patriarchæ Constantinopolitani*, qui anno Christi 891. *sub Imperatore Leone Philosopho seu Sapiente* die XII. Februarii mortuus est. Extat hæc *Oratio* seu *Vita* apud Laurentium Surium, ut & apud Joannem Bollandum atque Henschenium, in *Actis Sanctorum* ad diem 12. Februarii, sed utrobique Latine tantum. Eadem autem *Oratio* seu *Vita* extat Græce manuscripta, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter Manuscriptos Codices Historicos Græcos, Cod. XI. num. 20. & quidem à folio 95. pag. 2. col. 2. usque ad fol. 109. pag. 2. colum. 1. ut habet Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 83. cujus titulus & principium: „ Νικηφόρε τῦ „μακαριωτάτε φιλοσόφε καὶ Ῥήτορ☉, Ἐπιτά„φιον ἤτοι βί☉ ἐγκωμίῳ συμπεπλεγμέν☉ εἰς „τὸν μέγαν ἐν Ἀρχιερεῦσιν Θεῦ, καὶ θαυμαστὸν ἐν „Πατριάρχαις Ἀντώνιον. ἐκ ἦν ἄρα τῶν προλα„βόντων καλῶν εἰς πίστιν &c. id est: *Nicephori „beatissimi Philosophi & Oratoris Oratio funebris „sive Vita cum Encomio conjuncta, in magnum Dei „Archiepiscopum & admirabilem in Patriarchis „Antonium* &c. „ Minime autem confundendus est hic Nicephorus Philosophus & Rhetor cum *Nicephoro Gregora*, integris aliquot seculis recentiore, qui Historiam suam Byzantinam, usque ad obitum Imp. Andronici Junioris, sive ad annum Christi 1341. perduxit. Nam & de eo Vir doctissimus Leo Allatius in Diatribâ *de Symeonum Scriptis* pag. 87. refert, quod *Vitam ejusdem S. Antonii Patriarchæ* scripserit, cujus titulum & principium ibi hoc modo exhibet: Nicephori Gregoræ βί☉ τῦ ἐν ἁγίοις Πατριάρχε Κωνσταντινεπόλεως, Ἀντωνίε τῦ τὴν μονὴν τῦ Καλέως συστησαμένε. Εἰ δὲ καὶ θνητὴν ψυχὴν ὁ χρόν☉, καὶ πάντων ἐσὶ πατὴρ ὁπόσα φθορᾶ καὶ γένεσις βόσκει &c. Quod porro ad Nicephorum Orationis seu Vitæ istius scriptorem attinet, ille sub Leone Sapiente Imperatore vixit, ut ipse clare satis indicat, dum diserte ait: *plerarumque rerum de S. Antonio Patriarcha narrandarum magistram sibi non multo ante tempore fuisse ipsam inspectionem & experientiam.* Verba ejus Græca hæc sunt: καὶ τῶν μὲν ἀνελίξειν τὴν μνήμην, ὧν ὄψις μοι ἢ πεῖρα χρόνοις ἐ συχνοῖς διδάσκαλ☉ ἦν &c. *De Nicephoro isto Philosopho & Oratore*, Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Græcis* cap. 26. ubi perperam legitur S. Antonium Caulcam obiisse an. Christi 901. pro 891. Gulielmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiast.*, ad annum 895. pag. 569. Petrus Lambecius, quem hic exscripsimus, Lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 83. & in Indicibus, p. 562. & 578.

GREGORIUS MONACHUS, BASILII JUNIORIS, ASCETÆ, DISCIPULUS, circa annum 896. celebris ob asceticam sub hoc Basilio Vitam, nomen suum posteris transmisit scribendo *Vitam hujus sui Magistri Basilii junioris dicti & ascetæ*. Videndus eam ob rem Godefridi Henschenii & Danielis Papebrochii tomus tertius de *Actis Sanctorum* mensis Aprilis, ubi videbis eos ad diem 26. jam dicti mensis, non solum doctè & accuratè de eodem S. Basilio juniore agere; verum etiam *Vitam ejus* integram *à Gregorio Monacho ipsius discipulo* conscriptam, ibidem in Latinum sermonem translatam, & Annotationibus necessariis illustratam, à pag. 667. usque ad pag. 681. Ipse autem *textus Græcus ejusdem Vitæ*, ex Codice quodam MS. Eminentissimi Cardinalis Julii Mazarini desumptus, extat in ejusdem tertii tomi *Appendice*, à pag. 24. usque ad pag. 39. atque hoc modo incipit: ὁ θειότατ☉ καὶ προφητικώτατ☉ Δαβὶδ ἔλεξε φάσκων &c. Transiit hic Codex in Bibliothecam Galliæ Regiam, ubi extat Num. 2458. Sed *Vitam aliam ejusdem Basilii Junioris ab eodem Gregorio discipulo*, Græce Manuscriptam reperiri in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi docet Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 359. in examine Manuscripti Codicis Historici Græci XXXIV. num 2. his ver„ bis. *Secundo* & quidem à fol. 12. pag. 2. usque„ ad fol. 38. pag. 1. *Vita & Conversatio S. Basilii*„ *junioris, Ascetæ, conscripta à Gregorio ipsius disci*„ *pulo*: cujus titulus & principium. Βί☉ καὶ„ πολιτεία τῦ ὁσίε πατρὸς ἡμῶν Βασιλείε τῦ„ Νέε, συγγραφεῖσα παρὰ Γρηγορίε ταπεινῦ καὶ„ φιλοχρίστε μαθητῦ. τῆς ἀκαταλήπτε θεῦ περὶ τὸ„ βρότειον γέν☉ ὑπεραγάθε φιλανθρωπίας καὶ„ ἀγαθότητ☉ σαφῶς καὶ βαθέως οἰκονομέσης &c.„ venit is Constantinopolim circa seculi post„ Christum noni finem, sub Imperatoris Basilii„ Macedonis filiis *Leone Philosopho & Alexandro*,„ anno illorum decimo qui in annum Christi„ 896. incidit, ut apparet ex his verbis: Κατὰ„ τὲς καιρὲς τῆς βασιλείας τῶν υἱῶν τῦ μεγάλε„ βασιλέως κυρῦ Βασιλείε τῦ Μακέδον☉: Λέον„ τός φημι καὶ Ἀλεξάνδρε, τῷ δεκάτῳ ἔτει τῆς„ βασιλείας αὐτῶν, ἀποστάλησαν Μαγιστριανοὶ„ τινες πρὸς τὴν Ἀσιάτιδος χώραν προστάξει βασι„ λικῇ 900.

πλακῇ περί τινων ὑποθέσεων. καὶ κατέλαβον διερχόμενοι ἐν ὄρει τινὶ δυσβάτῳ τὸν αὐτὸν ὁσιώτατον Βασίλειον, καὶ ὁπλείτορα τοῦτον τυγχάνειν ὑποτυπώσαντες, κατέσχον τὸ αὐτὸν, ὀξέως αὐτοὺς φεύγοντα, καὶ πρὸς τὴν βασιλεύουσαν δεσμώτην ἐκεῖθεν εἰσῆγον. Ἐυφαντασθεὶς τοίνυν τῷ βασιλεῖ &c. Ex Vitæ igitur istius solo „principio, luculenter ac primo intuitu appa„ret, diversam esse hanc *Vitam*, ab altera supe„rius memoratâ, quæ producta est in lucem ex „MS. Codice Cardinalis Mazarini. Scripsit „enim *Gregorius* semel & iterum *Vitam Magistri* „*sui Basilii*, nempe primum quidem imperfecte, „ut ipse indicat num. 55. his verbis: Ἀλλ' ἐκ „ὅσατον αὐτὸν τοῦτο εἰς ἔργον ἀγαγεῖν Ἰωάννης ἐκεῖ„νος, ὃ πάλαι ἐν τοῖς τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν μερι„κοῖς θαύμασιν ἀπεμνημονεύσαμεν, πῶς αὐτὸν τῆς „δαιμονικῆς μανίας ἀπήλλαξεν, ἐκ περιεργίας τῆς „πάλαι ἐκείνας δόξης αὐτῷ προσγινομένης: *Secundo* au„tem auctius & perfectius. Hanc itaque ob „caussam valde necessarium est, ut præfata edi„tio impressa ex Codice MS. Cardinalis Maza„rini, cum præsenti Codice MS. Cæsareo, di„ligenter & accurate à capite ad calcem con„feratur, ut hinc plena utriusque Narrationis „differentia pateat. Hæc Lambecius Lib. 8. „Commentariorum Bibliothecæ Vindobonensis pag. 359. Et in *Indice Scriptorum* hujus tomi, pag. 555.

900. ALTMANNUS ALTIVILLARIS ABBATIÆ MONACHUS, Ordinis divi Benedicti in tractu seu Diœcesi Catalaunensi, vixit eo tempore quo à Normannis Gallia vastabatur, circa annum 900. De illo sic Sigebertus in Catalogo, cap. 99. *Almannus Monachus Altvillerotensis scripsit Vitam Sancti Nivardi Archiepiscopi Rhemensis. Vitam S. Sindulphi, Vitam Helenæ Reginæ, & translationem ejusdem à Roma ad Cœnobium Altvillarense. Et quia suo tempore Francia à Normannis vastabatur, exemplo Hieremiæ Prophetæ desolationem Franciæ & sui Cœnobii, quadruplici planxit Alphabeto.* Ex his *Vita translatioque Helenæ* extat MS. in Bibliotheca Rubræ Vallis prope Bruxellas, & in Monasterio Resbacensi Benedictinorum, Diœcesis Meldensis in Gallia. Quantum ad *Vitas sanctorum Nivardi Remensis Archiepiscopi & Sindulphi solitarii Presbyteri*, vide Laurentium Surium & continuatores Bollandi suis mensibus & diebus. De Altmanno dictus Johannes Mabillon abunde tomo 2. suorum *Analectorum* pag. 93. & sequentibus, occasione *Vitæ sancti Memmii Catalaunensis primi Episcopi*, quam Altmannus scripsit, vel qui potius Veterem emendavit ad petitionem Theudoini Catalaunensis Præpositi, cujus præfationem seu Epistolas prævias evulgavit Joannes Mabillon, *Analectorum* tomo 2. pag. 86. Vitâ exstante manuscripta in urbe Catalaunensi & in Cœnobio Altivillaris, ut ibidem legitur. Vide quoque eundem Mabillonium Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 158. Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 36. pag. mihi 302.

ASSERIUS MENEVENSIS, SCHIREBURNENSIS EPISCOPUS, 900. natione Anglus, patria Menevensis, unde cognomen illi remansit, Monachus primum Ordinis divi Benedicti in fano S. Davidis, ac Johannis Erigenæ discipulus fuisse dicitur, quem magistrum nactus insigniores in scientia progressus fecit. Inter illos autem nuncupatur tum Angliæ celeberrimos Doctores, quos undique conquisitos, ad se accersivit Alfredus Angliæ Rex, de quibus Ingulfus Abbas Croilandensis in *Historia Croilandia* ubi de gestis Alfredi Regis ad annum DCCCLXXIV. Sanctorum„ pedibus acclivis & subditus Sanctum Neotum„ & S. Werfiedum Episcopum Wigorniæ, qui„ Libros *Dialogorum beati Gregorii* ipse in linguam„ Saxonicam jussu Regis transtulit, in summa„ veneratione habebat. In divinis libris & sacra„ lectione tam assiduus erat, quod Davidicum„ psalterium vel alium aliquem librum ædifi„catorium in sinu suo semper secum ferret, &„ viros literatissimos de terris exteris ad se ac„cersens, aliquandiu in palatio suo secum præ„sacris literis addiscendis retentos, demum di„versis prælatiis & dignitatibus promovebat.„ Hinc S. Grimbaldum artis Musicæ peritissi„mum, & in divinis Scripturis eruditissimum e„vocatum e Francia, novo suo Monasterio, quod„ Wintoniæ construxerat, præfecit in Abba„tem. Similiter de veteri Saxonia *Johannem*„ cognomento *Scotum*, acerrimum ingenii„ philosophum ad se alliciens, Athelingiæ mo„nasterii sui constituit Prælatum. Ambo isti,„ Doctores literatissimi, Sacerdotes gradu &„ professione Monachi, sanctissimi erant. Athelstanum & Werwulphum ad se advocans de„ Mercia, qui ambo Sacerdotes erant devotissi„mi. Plegmundum etiam postea promotum„ in Archiepiscopum Cantuariæ, ac *Askerum* Abbatem Bangorensem, postea Schireburnensem Episcopum, illis in temporibus Doctores„ celeberrimos suo lateri adjunxit. Erat ergo„ anno 874. Asserius Bangorensis Abbas scientia„ inclitus, quando ab Alfredo Rege advocatus est. Scripsit ille Asserius *Vitam Alfredi Regis* qui obiit anno 900. Septimo Calendas Novembris, ætatis suæ LI. regni XXIX. in civitate Wintoniensi sepultus. Scripsit ut dixi Asserius *Vitam Alfredi*, quam edidit Matthæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis doctissimus Londini 1574. in fol. literis Saxonicis, sed lingua latina una cum Præfatione lingua Saxonica, quæ iterum edita literis Latinis per Camdenum Francofurti anno 1602. Codex autem ipsissimus, quo Parkerus usus est, extat in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Othonis littera A. Codice 12. num. 1. *Asserius Menevensis De rebus gestis Alfredi Regis*, charactere antiquo. Extant

tant que alii MSS. Codices hujus Operis in aliis Angliæ bibliothecis, nimirum inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ 5131. in Codicibus MSS. Francisci Junii Cod. 19. num. 1. *Asserii Menevensis Vita Alfredi* Anglosaxonicæ, ex editione Parkeri impressa. Ibidem 6135. in Codicibus MSS. Thomæ Galei Cod. 299. *Asserius Menevensis De rebus gestis Alfredi Regis*. Denique Codice MS. 577. Bibliothecæ Jacobææ, *Asserius De rebus gestis Alfredi Regis*, sed Codex recenti admodum manu scriptus. Mentionem hujus Operis facit Joannes Bomton in *Chronico Jorvallensi* col. 753. in 33. At Asser Historicus „veraxque relator gestorum Regis Alfredi, dicit quod crescentibus circa Martyris sepul„chri loca virtutum & prodigiorum signis, Rex „Offaduos Episcopos, quibus præcipuam fidem „habebat, ad investigandam istorum eventu„um certitudinem, Ferulegam quæ nunc He„refordia dicitur, destinavit. Thomas Galeus „Collegii S. Pauli Londinensis Gymnasiarcha „doctissimus, edidit anno 1691. è theatro Sheldoniano, Oxonii in fol. *Historiæ Britannicæ, Saxonicæ & Anglodanicæ Scriptores quindecim*. Inter quos extat pag. 141. *Chronicon Fani S. Neoti* sive *Annales Joannis Asserii, ut nonnullis videtur*. Incipiunt, *Igitur Britannia Romanis usque ad Caium Julium Cæsarem inaccessa atque incognita fuit*. Finiunt autem ad annum 914. pag. 175. his verbis, *Anno DCCCDXIV. facta est pax inter Carolum Regem Francorum & Rollonem Ducem Normannorum*. Hos Annales Galeus primum publici juris fecit ex antiquo Codice MS. etiam cum illa Appendice, quam in calce adpositam putat. Joannes Lelandus appellavit *Chronicon Sancti Neoti*, quia ibi in manus ejus incidit. Habent sane hunc titulum membranæ, sed manu recentiori, quæ nunc extant in Bibliotheca S. Trinitatis apud Cantabrigienses, Classe 24. Serie secunda Codice 4. inscriptæ *Historia Asserii Menevensis*. Itemque in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Vitellii Littera E. Codice 14. *Annales Asserii Schireburnensis ab anno 596. ad annum 914. per Joannem Joscelinum exscripti*: qui Codex recentissimus esse debet. Horum Annalium maximam partem Marianus in suum *Chronicon* transtulit, tantâ fide, tantâ diligentiâ, ut non mutaverit etiam illas formas sermonis & loquendi proprietates, quæ Asserii ævo & personæ conveniebant, Mariano autem Scoto nullatenus. Jam quæstio est, an Annales isti spectent ad Asserium Menevensem, Schireburnensem Episcopum, quos Galeus edidit ex fide solius MS. Codicis Cantabrigiensis, ubi inscriptio recentioris manus est. Prudenter sane Thomas Galeus, in fronte Operis, *ut nonnullis videtur*, adjecit. Nam Opus istud esse Asserii Menevensis non constat, imo longe probabilius est contrarium. Primo enim excurrit hoc Chronicon usque ad annum 914. ut antea dictum est, ad quem excurrere non potuit Asserius Menevensis anno 909. mortuus, nec in Chronico illo aliqua nota est Appendicis. Secundo hoc Chronicon diserte facit mentionem mortis Asserii Schireburnensis Episcopi ad annum 909. his verbis: *Anno 909. Asserius Schireburnensis obiit, & Friteslanus suscepit Episcopatum Wintoniæ*. Quibus indicatur alius plane author hujus Chronici, quam Asserius Schireburnensis Episcopus. Plura de *Asserio* nostro, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ 5105. Joannes Lelandus in *Collectaneis* voluminine 4. num. 79. pag. 108. & num. 84. &c. pag. 118. Gerardus Joannes Vossius Lib. *De Historicis Latinis* cap. 39. pag. 338. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ*, ad annum 890. pag. 567.

REGINO ABBAS PRUMIENSIS, Ordinis divi Benedicti in Archiepiscopatu Trevirensi, hoc eodem tempore claruit, de quo ita Sigebertus in libro *de scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 112. *Rhegino Abbas Prumiensis scripsit ad Alberanum primum Metensem Episcopum, Chronicam continentem præcipue Gesta Francorum, quam à nativitate Christi perduxit, usque ad annum nati Christi DCCCVIII*. Hic natione Germanus, primum Monachus Prumiensis, deinde anno DCCCXCII. Faraberto Abbati regimem abrenuntianti, unanimi Monachorum suffragio successor electus est, quam non diu præfecturam obtinuit, cum Monachorum quorundam æmulorum invidia post septennium cedere honori coactus est, quade re hæc ipse in *Chronico* ad annum 899 *Eodem anno Richarius Prumiensis Abbas constituitur, qualiter autem erga me actum sit, idcirco in hoc loco notari distuli, ne forte injuriis provocatus, ultra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ caussas exaggeraſſe videretur*. Ipse Rhegino in *Chronico* hujus rei narrationem promittit, sed vel fato præreptus non addidit, quod innuere videtur ille, qui margini adscipsit ista, *Omissum est, quod dicere proposuit*: aut improba & invida manu, ne impia Richarii tractatio & depulsio ad posteros manaret, rescissum est. Scripsit ad Adolleronem primum Metensem Episcopum *Chronicon* à Christo nato ad annum 907. libris duobus, quibus res gestas Francorum & Teutonicorum præcipue complexus est. Appendix autem quæ ab anno 907. ad an. 972. progreditur, à recentiore quodam scriptore adjecta est. Prodiit hoc *Chronicon* inter alios *rerum Germanicarum scriptores* Francofurti 1583. una cum Ursgergensi, & Argentorati 1609. in fol. scripsit adhuc Rhegino *De Disciplinis Ecclesiasticis & Religione Christiana libros duos*, capitula circiter 900. continentes, in quorum *primo* agit de rebus & personis Ecclesiasticis, in *secundo* de vita & conversatione Laicorum. Hoc opus circa annum 906. aggressus est, hortante Rathbodo Trevirensi Archiepiscopo, in usum præsertim Diœceseos Trevirensis, ex antiquorum Synodorum Canonibus, Pontificum Romanorum Epistolis genuinis,

nis, SS. Patrum sermonibus, Codice Theodosiano, & Imqeratorum Francorum Capitularibus præcipue collectum. Primus id *Appendice* aliunde consarcinatâ auctum, ex MS. Codice Helmstadiensis bibliothecæ in lucem emisit Joachimus Hildebrandus, Helmstadii 1659. in 8. Deinde Stephanus Baluzius recognitum, & *Appendice Helmstadiensi* auctiore, novaque à se addita, cum Præfatione doctissima & Notis, & & *Appendice Actorum Veterum* ornatum, edidit Parisiis anno 1671. in 8. apud Franciscum Maguet. Hæc Guilielmus Carus in *Historia rei literaria* seu *De scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 892. pag. 564. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. juxra auctoritatem Simleri, Romerius duos Annalium libros composuit, quibus Rheginonis Historiam ab anno DCCCCVII. usque ad annum DCCCCLXXVII. persequitur. Cumque Appendix illa quæ Rheginonis hodie addi solet, totidem annorum sit, plane sit veri simile, eam vel Romerii excerptam. Denique Gerardus von Maestricht, Juris & Historiæ Professor, itemque bibliothecarius in Academia Bremensi, an. 1703. pridie Kal. Novem. scripsit Epistolam ad Burcardum Gotthelffium Struvium, quam idemStruvius inseruit in *Introductione ad notitiam rei literaria & usum Bibliothecarum* c. 4. §. 19. pag. 156. editionis 1706. Jenæ 1708. Illic pag. 166. ipse Maestrich αὐτόπτης testatur extare MS. in Bremensi Bibliotheca, *Rheginonis Epistolam de Harmonica institutione ad Radboldum Archiepiscopum Trevirensem. Manuscriptum est dubio procul ipsius auctoris, & quidem unicum in orbe, nullus enim hujus meminit, ne quidem rei bibliothecaria peritissimus Stephanus Baluzius, qui nobis ejus libros De Disciplina Ecclesiastica cum notis dedit, in quorum Præfatione vitam Auctoris tradit. Liber hic non tam ad Musices institutionem, quam ex antiquis descripsit, æstimabilis est: verum quia ei subjectum est* Lectionarium totius anni, *cum superscriptis perpetuo Musicis notis sui temporis, nempe Seculi noni & decimi, antequam Seculo XI. à Guidone Abbate Monasterii S. Crucis Avellona prope Aretium in Hetruria substituta essent nota nostrates, ut, re, mi, fa, sol, la, A. B. &c. Sunt nota ista mirabiles, quas hactenus nemo, nec ullus mihi scriptor explicare potuit.* Agunt de Rheginone Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 39. Et in *Romerio* lib. 3. cap. 5. Guilielmus Carus in *Historia rei literaria* seu *De Scriptoribus Ecclesiasticis* seculo IX. ad annum 892. pag. 564. cum ante allatis.

910. JOANNES MALELA PATRIARCHA ANTIOCHENVS, ut nonnulli volunt, vel patria saltem Antiochenus, vixit juxta Antonium Pagi, sub magno Justiniano Imperatore, & Historiam scripsit, quæ anno ejus XXV. vel circiter desiit, hoc est anno Christi 552. De Joanne Malela Antonius Pagi amicus noster in *Critica Chronologia Annalium Baronii*, ad annum Christi 107. ubi de Martyrio sancti Ignatii Antiocheni Episcopi loquitur num. 3. 4. & 5. quam in Ignatio supra retulimus. Sic autem ille num. 3. "Joannes Fellus Episcopus Oxoniensis nuper defunctus, Joannis Malelæ chronicon ex typographia Sheldoniana edendum susceperat: sed postquam comperit authorem fuisse nullius judicii, & librum Fabulis scatere, noluit eum edendo, tum opera sua, tum prælo abuti. Liber tamen non est nihili. Habet quædam præclara præcipue in ea parte historiæ, quæ ad sua tempora pertingebat. Vixit sub magno Justiniano, & videtur anno ejus XIV. aut circiter, scribere desiisse. Ita clarissimus Guilielmus Sloydius Episcopus Alaphensis e secta Protestantium, vir solidissimi criterii. Chronicon istud adhuc ineditum cum videre non potuerim, ad Sloydium, scripsi, qui non tantum ea, quæ de eo Martyrio in eo habentur, mihi describenda curavit, sed mihi suam de illo sententiam indicavit." Franciscus Combetisius, homo nullius prorsus in discernendis Authoribus judicii, in *Manipulo Originum rerumque Constantinopolitanarum*, in Notis ad *Demonstrationes Chronicas incerti Autoris* pag. 59. hunc Joannem Malelam longe antiquiorum adhuc, sed sine duce & Consule adstruit, dum ait Marcellinum in *Chronico* sub Longinii Decii que Consulatu, Joannis Antiocheni meminisse his verbis, *Joannes Antiochenus paracia ex Grammatico Presbyter, scripsit adversus eos, qui in una tantum substantia adorandum esse Christum asserunt, nec acquiescunt duas in Christo esse confitendas naturas.* Hunc Jovinem mihi olim amicum colui, sed facillim & levem in asserendis authoribus expertus sum. Ita plurimas Homilias in Laudem Mariæ Virginis & Sanctorum, Georgio Pisidæ anno 640. asseruit, qui sub Heraclio floruisse dicitur, quæ ad Georgium Nicomediæ Archiepiscopum anno 880. scribentem spectant. Ita quoque Homilies S. Germanno Patriarchæ Constantinopolitano anno 715. sedenti asseruit, quas jam Juniori anno 1220. sevicit, omnes attribuit, in Tabula quam subjunxit Diatribæ *De Symeonum Scriptis* Leonis Allatii pag. 264. scribens, *Hic palam junior, nec forte alia cuncta Senioris & Sancti.* Guillelmus Carus vir majoris zeli quam judicii, hoc opus ut ederetur, maxime cordi habuit. Nam in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* Seculo VII. ad annum 601. pag. 442. ita moræ impatiens loqultur. *Vtinam nihilominus, qualo quale id demum sit, eruditorum orbi non inviderent.* Vt autem ex ungve leonem agnoscas, & quam prudentie; oblivionis nubi commendatus sit hic author, Fragmentum hujus tibi dabimus ex Dissertatione Cl. Friderici Spanhemi *De temere credita Petri in urbem Romam profectione*, ad calcem hujus Dissertationis I. pag. 169. impressæ cum aliis tribus *De Ara conversionis Sancti Pauli; De Apostolatu & Apostolis, & de æqualitate veterum*

 Metro-

Metropoleon cum Romanis, Lugduni Batavorum 1689. in 8. apud Danielem Gaesbeeck.

Καταφθάσαντος δὲ τοῦ ἁγίου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου τὴν Ῥώμην, καὶ μαθόντος πῶς μένει Σίμων ὁ μάγος, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, ἔνθα κατέμενε· καὶ ηὗρεν ἐκεῖ κύνα μέγαν ἐν τῷ πυλεῶνι ποιμενικὸν, ὅπου κατέμενε Σίμων ὁ μάγος, ἁλύσεσι δεδεμένον. ἔντινα ὁ Σίμων διὰ τὸν Πέτρον καὶ τοὺς θέλοντας ἀνιέναι πρὸς αὐτὸν, ἐδέσμησε, εἰς τὸ μηδένα (ὡς ἔτυχεν) δίχα τοῦ τὸν Σίμωνα κελεύειν τῷ κυνὶ, καὶ συγχωρεῖν τὸν κύνα παριέναι οὓς ἠβούλετο ὁ Σίμων. καὶ τοῦτο ἦν πρῶτον θαῦμα, τῷ μέλλοντι ἀνιέναι πρὸς τὸν αὐτὸν Σίμωνα. ὁ δὲ Πέτρος ἑωρακὼς τὸν κύνα οὕτω μέγαν καὶ φοβερὸν, καὶ μαθὼν παρὰ τῶν ἑστηκότων ἔξω τοῦ αὐτοῦ πυλῶνος, ὅτι εἰ μὴ κελεύσει ὁ Σίμων τῷ κυνὶ, οὐ συγχωρεῖ ὁ αὐτὸς κύων τινὰ ἀνελθεῖν, ἀλλ' ἀπερχόμενος φονεύει τὸν πλησιάζοντα αὐτῷ· κρατήσας οὖν ὁ Πέτρος τὴν ἅλυσιν τοῦ κυνὸς, ἔλυσεν αὐτὸν, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἄνελθε πρὸς Σίμωνα, καὶ εἰπὲ αὐτῷ ἀνθρωπίνῃ φωνῇ. Πέτρος ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὑψίστου, ἀνελθεῖν θέλει. Ὁ δὲ αὐτὸς κύων ἀνῆλθεν. εὐθέως δρομαῖος. καὶ ἐν τῷ ἐκεῖνον διδάσκειν τινὰ μαγικὰ πλανήματα, ἔστη ἐν μέσῳ ὁ κύων, καὶ ἀνθρωπίνῃ φωνῇ λέγει τῷ Σίμωνι, Πέτρος ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ἀνελθεῖν θέλει πρὸς σε. οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ κυνὸς λαλοῦντος ἀνθρωπίνῃ φωνῇ, ἐθαύμασαν λέγοντες· τίς ἐστι Πέτρος, ἢ ἡ δύναμις αὐτοῦ τοῦ Πέτρου, οὗ εἶπεν ὁ κύων, ὅτι ἐποίησε τὸν κύνα ἀνθρωπίνως λαλῆσαι, καὶ ποιῆσαι αὐτῷ τὴν ἀπόκρισιν. καὶ λέγει ὁ Σίμων τοῖς ἑστῶσι καὶ θαυμάζουσι τὸν Πέτρον τοῖς ἀνθρώποις· τοῦτο ὑμᾶς μὴ ξενίσῃ, ἰδοὺ γὰρ κἀγὼ λέγω αὐτῷ τῷ κυνὶ, τῇ αὐτῇ ἀνθρωπίνῃ φωνῇ ἀπόκρισιν αὐτῷ κατενέγκαι. καὶ λέγει ὁ Σίμων τῷ κυνὶ, κελεύω σοι ἀπελθεῖν καὶ εἰπεῖν τῷ Πέτρῳ ἀνθρωπίνῃ φωνῇ, ὅτι εἶπεν ὁ Σίμων, ἄνελθε. καὶ ἀνῆλθε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ Πέτρος, καὶ συνέβαλε μετὰ Σίμωνος τοῦ Αἰγυπτίου ποιῶν καὶ αὐτὸς θαυμάσια. καὶ ἐνίκησε τὸν Σίμωνα τὸν μάγον, ποιῶν ἰάσεις· καὶ ἐπίστευσαν τῷ Πέτρῳ πολλοὶ καὶ ἐφωτίσθησαν. Cum pervenisset sanctus Petrus Apostolus Romam, atque didicisset ubi maneret Simon Magus, accessit ad ipsum ubi manebat. Et invenit illic canem magnum in vestibulo, canem opilionis, ubi manebat Simon Magus, vinctum catenis: quem Simon ob Petrum & eos qui ad ipsum ascendere vellent, ligaverat: ut nullus (sicut contingit) nisi Simon cani juberet, & canis concederet, pertransiret, sed hi tantum quos volebat Simon. Et hoc fuit primum miraculum ascensuro ad ipsum Simonem. Petrus autem cum vidisset canem ita magnum & tremendum, & didicisset à stantibus extra ipsius atrium, quod nisi juberet Simon cani, non fineret ipse canis quenquam ascendere; sed irrumpens, sibi accedentem discerperet. Petrus igitur apprehensa canis catena solvit eum, & dixit ipsi: Ascende ad Simonem & dic ei humana voce *Petrus servus Dei altissimi, ascendere vult ad te.* Idem autem canis statim ascendit, citato cursu: & cum doceret ille quasdam magicas præstigias, stetit canis in medio, & humana voce Simoni dixit: *Petrus Servus Dei altissimi ascendere jubet ad te.* Qui autem audierant canem humana voce loquentem, admirati sunt dicentes: Quis est Petrus vel quæ virtus hujus Petri, de quo dixit canis, *Quoniam fecit canem humana voce loqui, & dare ipsi responsum.* Et dicit Simon stantibus ac admirantibus Petrum hominibus, hoc vos in admirationem non rapiat. Ecce enim & ego ipsi cani dico, eadem humana voce ipsi responsionem dare. Et jubet Simon cani, Impero tibi ascendere & dicere Petro humana voce, quia dixit Simon, Ascende. Et ascendit ad Simonem Petrus, & contulit cum Simone Ægyptio, miracula & ipse faciens. Et vicit Simonem Magum faciens sanationes, & crediderunt multi Petro, & illuminati sunt. Hæc scribebam anno 1689. ex allata Dissertatione Spanhemii, ut hinc pateret, quam fabulosus sit Chronographus, nihilique æstimandus sit Joannes Malela. Votum autem Guilielmi Cavi tandem consummatum, atque hæc *Chronologia Joannis Antiocheni* cognomento *Malela*, libris XVIII. distincta, Græce & Latine in 8. anno 1691. Oxonii e theatro Scheldoniano in lucem data ex interpretatione Edmundi Chilmeadi, ædis Christi Sacellarii, de quo eximie loquitur Humfredus Hodius in *Dissertatione preliminari* seu Prolegomenis huic authoris editioni præmissis, num 42. Plurima autem atque eximia hinc inde collegit dictus Hodius, quæ mihi suppetias tulerunt, ad meam sententiam confirmandam de ætate huic Joanni Malelæ assignata. Quem autem hujus Chronologiæ locum cum interpretatione mea ex Opusculo Spanhemii attuli, habet allata editio parte I. pag. 326. & 327. At stupendum sane quantum uterque fallatur in ætate Joannis Malelæ designanda, quam Antonius Pagi anno circiter 530. assignat, anno autem 601. Guillelmus Cavus. Utrumque egregie confutat in Prolegomenis ad dictam Chronologiam Humfredus Hodius num. 16. 17. & 18. Ut enim habet idem Hodius num. 5. Prolegomenorum dictorum, oportet dicere Excerptorum istorum scriptorem post *Georgium Chronographum* vixisse, adeoque sub imperio *Heraclii* quod viri eruditi statuerunt hactenus, non floruisse: nam expresse asserit Tzetzes Chiliasta *Joannem Antiochenum* à se memoratum claruisse post *Georgium Chronographum Syncellum* intellige vel *Hamartolum*. Porro istud de *Hamartolo* intelligendum esse, luce meridiana clarius patebit, quisquis non tantum librum primum hujus Chronologiæ sub *Auctoris Anonymi* nomine, qui Georgius Hamartolus est, editum ut constat ex num. 41. Prolegomenorum Humfredi Hodii inspexerit: sed etiam ea quæ Libro secundo eum expresso nomine *Joannis Malela* pag. 25. & sequentibus quoque libris habentur. Ut enim testatur *Appendix ad Annotationes* ad calcem hujus Chronologiæ subjecta, pleraque desumpsit Joannes Malela ex Georgio

gio Hamartolo in prioribus illis libris, cujus historias & voces author *Appendicis* istius, contulit verbotenus cum vocibus & verbis propriis *Georgii Hamartoli*. Constat ergo aperte Joannem Malelam exscriptorem duntaxat fuisse ex *Hamartolo*, quem verbotenus imitatur: unde juniorem isto *Georgio Hamartolo* extitisse sequitur.

Ætatem autem *Hamartoli* his designat Humfredus Hodius, in Dissertatione Prologomena ad editionem Chronologiæ *Joannis Malela*
„num. 41. Quod spectat ad ista quæ huic edi-
„tioni præmittuntur *Chronologica*, sub titulo *Ex-*
„*cerptorum Chronologicorum Auctoris Anonymi*, non
„alia sunt, quam Chronici Georgii Monachi
„cognominati *Hamartoli* sive *Peccatoris* princi-
„pium. Hoc nobis compertissimum fit, nam idem
„est horum initium cum initio Chronogra-
„phiæ *Georgii Hamartoli*, quod ex Codice MS.
„à Leone Allatio in Diatriba *De Georgiis* habe-
„tur. Χρονικὸν σύντομον ἐκ διαφόρων χρονογρά-
„φων τε καὶ ἐξηγητῶν συλλεγὲν καὶ συντεθὲν
„ὑπὸ Γεωργίου Ἁμαρτωλοῦ Μοναχοῦ. βίβλος γενέ-
„σεως ἀνθρώπων ᾗ ἡμέρᾳ ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν
„Ἀδὰμ κατ᾽ εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν αὐτοῦ. ὁ δὲ
„Ἀδὰμ ἐγέννησεν υἱὸς τρεῖς. *Breve Chronicon e*
„*diversis Annalium Scriptoribus & Expositoribus*
„*decerptum, concinnatumque a Georgio Monacho*
„*Peccatore. Liber generationis hominum, ab eo die*
„*quo Deus Adamum ad imaginem & similitudinem*
„*suam creavit, exorditur. Adamus tres suscepit*
„*filios &c.* Neque solum ex initio apparet, ve-
„rum etiam ex *Præfatione*, quæ initio in Codi-
„ce MS. unde sua Chilmeadus descripsit, præ-
„mittitur: quæ eadem est omnino, cum illa
„quam ibidem ex *Georgio Hamartolo* ponit Al-
„latius. Extat integrum Opus in varis Euro-
„pæ Bibliothecis, seque illud editioni parasse,
„& e Græca lingua in Latinam vertisse, scri-
„bit Allatius. Tum postea. De illo hic loci
„hoc solum subjungam, vixisse eum eodem
„cum Malela seculo, id est Christi incarnati
„*nono*, & Chronicon suum perduxisse non mo-
„do ad initium *Michaelis Theophili Filii*; quod
„nonnulli Doctorum decernunt, sed usque ad
„ejus mortem, hoc est usque ad annum 866.
Cavus edendam curavit anno 1698. Londini in folio *Historia literaria partem ædam* etiam post Chronicum Joannis Malelæ editum, ubi ad annum DCI. eandem authori Malelæ ætatem asseruit contra editorem Hodium, quam pag. 213. ita locis communibus nuper asseruit, ut tantæ infirmitatis hominem pudere deberet. Mentitur autem splendide ibidem, dum ita scribit. Quarto Chronographia Malaliana è Joanne Damasceno, qui circa annum DCCXXX.
„floruit, disertissime citatur Orat. 3. de *Imagi-*
„*nibus* pag. mihi 776. Orationem vero hanc
„genuinam esse Damasceni fœtum, uno ore
„agnoscunt omnes tum è Reformatis, tum
„ex Pontificiis Critici Ecclesiastici. Hoc fal-
„sissimum de Reformatis, ac de Pontificiis etiam
multis qualis est Michael Lequien, ultimus, qui"
Opera Damasceni edenda 2. in folio tomis"
Græce & Latine Parisiis anno 1711. curavit,"
ubi diserte hoc Opus de *Imaginibus*, non esse in-"
dubium Damasceni opus scribit."

Cum ergo Joannes Malela ex *Georgio Hamartolo* descripserit, constat ipsum post annum 866. vixisse, & mortuum inter hanc ætatem atque annum 930. quo claruit Constantinus Porphyrogenitus Imperator, qui eum allegat. Itaque illum anno circiter 910. assignamus, quo tempore fabulæ inter Græcos obtinuerunt plurimum. Obscurum enim ejusmodi seculum spargendis impune in vulgus fabulis, præclaram occasionem obtulit. Atque hoc absque præjudicio illius, qui inter annum 866. & 920, certum definitumque *Joannis Malela* tempus aliunde habere potuerit, cui semper lubens subscribam. Jam autem hoc nobis probandum incumbit, si tamen prius ipsa Cavi verba retulerimus, ad annum 601. pag. 442. *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum.* Joannes
Malela, patria Antiochenus, ineunte hoc secu-"
lo circa annum 601. claruit. Ejus meminit,"
& ex eo quædam profert Joannes Tzetzes"
Chiliade 5. Hist. 29. 30. Vnus etiam ex XIV."
Historicis erat, ex quibus Collectanea sua *De*"
Virtutibus & Vitiis compilavit Constantinus"
Porphyrogenneta. Condidit Chronicon à"
Christo nato ad sua usque tempora, fabulis"
immane quantum deditus, in quo judicium"
& fidem merito desideramus. *Excerpta Con-*"
stantiniana reliquis adjungere noluit CL. Va-"
lesius, uti in Præfatione ipse nos docet: eo"
quod præter tres quatuorve fabulas de Mi-"
noë, Antiopa ac Bellerophonte, easque illepi-"
do sermone textas, nihil bonæ frugis conti-"
nerent. Vidimus *Chronicon* integrum in Ar-"
chivis Bibliothecæ Bodlejanæ hodie serva-"
tum, quod Latine transtulit, & notis illustra-"
tum, prælo dudum Græce & Latine excu-"
dendum paravit, Edmundus Chilmead, Ædis"
Christi Sacellarius, qui anno 1653. obiit. Ve-"
rum typis excudere hucusque distulerunt,"
Scheldoniani præli Curatores, quod luce pu-"
blica haud satis dignum judicarint. Vtinam"
nihilominus, quale quale id demum sit, eru-"
ditorum orbi non inviderent. Interim ex"
hoc Chronico nonnulla adducit Seldenus"
Lib. I. *De Synedriis* cap. 8. Alia ὁ πάνυ Vsse-"
rius, tum suis notis in Epistolam Ignatii ad"
Philadelphenos, tum in *Appendico Ignatiana*"
p. 9. Quin & ex eo desumpta esse, quæ de"
Tiberiano habet Suidas in verbo Traïanos,"
nullus dubito." Erravit autem Guillelmus Cavus non tantum in designanda ætate *Joannis Malela*, quem male supra ad annum 601. pag. 442. refert: Sicut & Antonius Pagi, qui loco citato temporibus Justiniani Imperatoris floruisse scribit. Sed Cavus etiam unum hominem in duos partitus est, paucis post prædicta paginis. Sic enim ille ad annum 660.

pag.

pag. 449. „Joannes Monachus Antiochenus, „claruit circa annum 620. Scripsit *Historiam „Chronologicam ab initio mundi ad sua usque tem- „pora*; quæ inedita in Bibliothecarum forulis „adhuc delitescit. Amplissima tamen Excer- „pta ejus, Collectaneis suis *de Virtutibus & Vi- „tiis* inseruit Constantinus Porphyrogenneta, „quæ notis illustrata ex Codice Peirésciano „Græc. Lat. edidit Henricus Valesius Parisiis „1634. in 4. “ Quot sane verba, tot menda sunt in Guillelmo Cavo. Primo enim unum eundemque in duos multiplicat, unum *Joannem Malelam patria Antiochenum* ad annum 601. pag. 442, alterum *Joannem Monachum Antiochenum*, ad annum 620. pag. 449: quod multis super hac re perpensis, noluit definire sed incertum reliquit Humfredus Hodius in sua Dissertatione Præliminari, ad editionem *Chronologia* Joannis Malelæ. 2. dicit illum condidisse suam *Chronologiam à Christo nato ad sua usque tempora*, quod falsum est: neque enim Chronologiam suam à Christo nato, sed ab orbe condito deduxit: & quæ jam sub Joannis Malelæ nomine edita est, initio deficiente, incipit à morte *Vulcani*, vel à regno *Solis* illius filii in Ægypto. 3. Cavus pag. 442. dicit Valesium noluisse dare in lucem publicam *Excerpta Joannis Malela Antiocheni*, quæ in suum Collectaneum *de Virtutibus & Vitiis* immiserat Constantinus Porphyrogenitus, cujus contrarium asserit pag. 449. Sententiam suam eandem de ætate Joannis Malelæ ad annum DCI. defendit Gulielmus Cavus, post editionem etiam Operis ipsius, *Historia Literaria* parte 2. seculo VII. anno DCI. pag. 213. quam Londini anno 1698. in folio edendam curavit apud Richardum Chiswel. Ætatem autem Joannis Malelæ Patriarchæ Antiocheni, qui Chronicon scripsit, post annum 866. statuimus ex authoritate Joannis Tzetzes veteris Scriptoris, qui ita mentionem illius facit in libro *Variarum Historiarum* versibus politicis, Chiliade 2. Historia 33. *de Cleopatra & Pharo.*

Μέμνηται μὲν Βιργίλιος ταύτης τῆς Κλεοπάτρας,
Λουκιανὸς, καὶ γαληνὸς, καὶ Πλούταρχος, σὺν τούτοις
Διόδωρος, Γεώργιος ὁ Χρονικὸς σὺν ἄλλοις,
Καὶ Ιωάννης μετ' αὐτοὺς Ἀντιοχεὺς ὑστέρως.

Mentionem quidem Virgilius hujus Cleopatra facit,
Lucianus, & Galenus, & Plutarchus, cum his
Diodorus, Georgius Chronicus seu Chronologus cum aliis
Et Joannes post hos Antiochenus postremo loco.

Ex Joanne igitur Tzetze, Joannes Antiochenus qui Malela est, Georgio Chronico seu Chronologo posterior ætate collocatur, quem *Georgium Chronologum* nempe *Hamartolum* excerpsit in sua Chronologia Joannes Malela ut supra diximus, utque ex utriusque collatione constare potest. „Constat autem hunc Georgium Hamartolum deduxisse Chronicon suum usque ad annum 866. seu usque ad mortem Michaelis qui Theophilo successit. Unde hac ætate atque adeo anno 866. posteriorem esse hunc Joannem Antiochenum necesse est. Aberrant ergo multum Antonius Pagi qui eum temporibus Justiniani claruisse anno 530. asserit, Guillelmus Cavus qui anno 601. pag. 442. vel anno 620. pag. 449. collocavit. Fuisse autem illum Constantino Porphyrogenneta anteriorem, qui ab anno 930. ad 959. in Orientali imperio floruit, ex omnibus & ipso Cavo constat: quia illum habet hic Imperator inter XIV. Scriptores, ex quibus Collectaneum suum *De Virtutibus & Vitiis* collegerat ut fatetur Henricus Valesius. Habuit eum Henricus Valesius, cum Excerpta Polybii, Diodori, Nicolai Damasceni, triumque aliorum in lucem ederet, cur vero omiserit, in præfatione sua hanc ipse rationem affert: *Joannem Malelam, ne quis forte illum hic desideret, consulto missum feci, eo quod præter tres quatuorve fabulas de Minoë, Antiopa, ac Bellerophonte, cæteque illepido sermone textas, nihil bona frugis contineret.* Floruit igitur hic *Joannes Malela Antiochia Patriarcha*, inter a. 866. & a. 930. ut supra diximus. Idq; demonstrative habetur, ex duorū istorum veterum indubio testimonio Constantini Porphyrogeniti & Joannis Tzetzæ, qui illius mentionem fecerunt. Hæc sane verba Joannis Tzetzæ attente perpensa, καὶ Ιωάννης μετ' αὐτοὺς ὁ Ἀντιοχεὺς ὑστέρως, *Et Joannes post ipsos Antiochenus postremo loco:* Joannem hunc Antiochenum, Malelam dictum, indicare videntur non fuisse remotum à Constantini Porphyrogeniti anno 930. imperantis temporibus, quam ob rationem nos illum anno 910. adscripsimus. Tertius ex veteribus qui mentionem illius facit, Anonymus author est Librorum III. *De Imaginibus* inter Opera Damasceni, ubi Lib. 3. habet *Ex temporum descriptione Johannis Antiochia Pontificis, qui & Malela dictus est, de muliere qua sanguinis fluxum perpessa fuerat, deque monumento quod Christo Servatori constituit.* Vult hanc mulierem *Berenicem* dictam, atque Paneadis Dominam, quæ in memoriam sanguinis sibi fixi, in medio oppidi sui Paneadis, Domino & Deo columnam, ex ære, argento, auroque commixtis, confectam erexit. „Quæ quidem columna in oppido Paneade (inquit Joannes Malela)„ ad hoc usque tempus manet: atque hoc„ quidem monumentum in hac ipsa urbe Pa„ neade, apud Bassum quemdam, qui ex Judæo„ Christianus evaserat, inventum esse. “ Hæ merces seu fabulæ Joanne Malela dignæ, quem eam ob causam ad annum 910. ubi fabulæ plurimum obtinuerant, remittimus, donec alius certam ipsius epocham inveniat. * Ex hoc autem Anonymo discimus, illum non fuisse tantum

tum patria Antiochenum, vel etiam Monachum, ut ad annum 601. & 620. scribit Cavus, sed Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem. Recte autem conjicit Cavus, ex eo desumpta esse fabulosa illa, quæ de Tiberiano habet Suidas in verbo Traϊanos, nam totus quantus, quamvis Antistes Ecclesiæ Orientalis potissimæ, fabulis exundat ac somniis. Extant hujus Chronici in Anglia 2. MSS. Codices inter MSS. Græcos Bodleianæ Bibliothecæ. Primus Codice 182. in MSS. Baroccianis ubi liber primus desideratur & initium secundi. Videtur autem ab Orbis condicu initium duxisse, definit vero in tempora Justiniani. Secundus Codice 8713. in MSS. Codd. Joannis Felli Codice 5. in folio.

Agunt quoque de hoc Joanne Malela Isaacus Tzetzes duobus in locis *Scholiorum* in Lycophronem. In primo pag. 24. de ratione cur Cecropi Regi Athenarum, nomen Διφυής impositum fuerit: quod cum ante ejus tempora, conjugio nullo apud Atticos inito, patres suos liberi non cognoscerent: ille lege de nuptiis sancitâ effecerit, ut non solum *matres*, sed & *patres* suos filii agnoscerent. *ταῦτα γοῦν αὐτὸν λέγουσι Διφυῆ, ἢ ὡς εὗρον ἐν Ἰωάννῃ Ἀντιοχεῖ, ὅτι πρότερον* &c. In altero pag. 64. *de Palladio Trojano*, ab Asio quodam Mathematico Telesmatice confecto, & Regi Troi ab eodem donato, ut quamdiu in Vrbe Troja servaretur, inexpugnabilis illa ac tuta permaneret. His adde Joannem Tzetzem, Isaaci citati fratrem, qui in *Historiarum Chiliadibus*, Chiliade 2. Hist. 33. inter illos Scriptores qui de Cleopatra Ægypti Regina in Operibus suis commentati fuerint, *Joannem Antiochenum*, nempe Malelam hunc nostrum recenset. Item Chiliade 5. Hist. 29. & 30. de *Sisypho Coo*, quod Teucro fuerat *scriba*, sub quo cum militasset, de illis quæ ipse viderat, *Iliadem* conscripserit, & quod postea *Homerus* ex ea suam contexuerit. Et de *Dicti Cretense*, quod in bello Trojano Idomenea comitatus sit, & de belli gestis historiam conscripserit, quam etiam *Homerus* secutus sit. Denique Chiliade 6. Hist. 61. citat eundem Joannem Antiochenum, de Pentheo ab Agare occiso, & istius fabulæ explicationi Historiæ hujus Tzetzianæ titulus ita se habet, *Περὶ τοῦ ὁ Ἀντιοχεὺς Ἀγαυὴν τὸν υἱὸν προδοῦσαν εἰς θάνατον.* Quod interpres ita vertit, *de eo quod Antiochenus ait, Agaven filium prodentem ad mortem.* Hæc de veteribus, ex recentioribus autem agunt de *Joanne Antiocheno Malela* isto, Gerardus Joannes Vossius libro 3. *De Historicis Græcis* ubi de Scriptoribus incertæ ætatis, pag. 380. editionis 1651. Lugduni Batavorum in 4o. & Libro 2. cap. 23. pag. 278. ubi meæ opinioni accedere videtur. Guillelmus Cavus, in *Historia rei litteraria* ad annum 601. pag. 442. & ad annum 620. pag. 449. Antonius Pagi in *Critica Chronologia Annalium Baronii*, ad annum Christi 107. num. 3. 4. 5. Fridericus Spanhemius in Dissertatione *De temere credita Petri in urbem Romam profectione*, ad calcem primæ hujus Dissertationis, pag. mihi 169. Carolus Drelincurtius in *Achille Homerico* num. 42. pag. 19. 181. pag. 73. 208. pag. 83. 252. pag. 111. 257. pag. 113. 299. pag. 128. 307. pag. 132. 327. pag. 143. 332. pag. 147. 337. pag. 150. 353. pag. 160. quem anno 1694. in 4. iterum edidit Petrus van der Aa Lugduni Batavorum. Sed omnium maxime Humfredus Hodius in Dissertatione præliminari præmissa editioni *Chronologiæ* hujus Joannis Malelæ, quam lector adeat. Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 4. pag. 138. ad 142. editionis 1714. Hamburgi in 4to.

HVCBALDVS seu HVGBALDVS ELNONENSIS MONACHVS Ordinis Divi Benedicti, Milonis itidem Elnonensis Monachi nepos, de quo ad annum 860. diximus, hoc Milone jam sene Caroli Calvi temporibus adolescens tantum erat, qui postea præclarum sibi nomen comparavit. De eo ita Sigebertus in *Chronico* ad annum 879. *Sub hoc Milone adolescebat etiam nepos ejus Hugbaldus, qui in septem liberalium artium peritia præclarus, egregie præter cætera in Musica claruit, & de multis Sanctis cantus dulci ac regulari modulatione composuit.* „ Idem in Catalogo cap. 108. *Hubaldus* Monachus S. Amandi, peritia liberalium artium ita insignis ut Philosophis conferretur, *Vitas multorum Sanctorum* scripsit: & quia in arte Musica præpollebat, *Cantus multorum Sanctorum* dulci & regulari melodia composuit. Scripsit etiam librum *de arte Musica*, sic contemperans chordas monochordi literis Alphabeti, ut possit quis per eas sine magisterio alterius, discere ignotum sibi cantum. Scripsit etiam ad Imperatorem Carolum Calvum librum trecentorum versuum in laudem Calvorum, cujus omnia verba incipiunt ab una littera, id est C ut, *Carmina clarisona Calvis cantate Camena.* Carmen id semel iterumque Basileæ 1516. & 1546. excusum fuit, sed cum auctario antea inedito idem repræsentat Barthius *Adversariorum* libro 46. cap. 21. pag. 2175. editionis Francofurti 1624. Idem Opus inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem Regni insignium bibliothecarum Codice 5953. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Galei Codice 153. 910.

Ex Vitis Sanctorum quas eum scripsisse Sigebertus auctor est, extat *Vita S. Rictrudis Abbatissæ Marchianensis*, dicataque ea *Stephano Episcopo Leodicensi*, quam habes ex Stylo mutato apud Surium Tomo 3. ad diem XII. Maji, sed puram ac primigeniam, & ad Codices MSS. restitutam apud Joannem Mabillon *de Sanctis Ordinis D. Benedicti* seculo 2. pag. 937. & apud Successores Joannis Bollandi in *Probatis Sanctorum*

rum Vitis, ad diem XII. Maji. Quam optima fide scriptam esse, Baronius ait ad annum 631. §. 11. Item ejusdem esse Surius censet *Vitam Sanctæ Aldegundis Abbatissæ primæ Malbodiensis*, quæ ibidem legitur die 13. Novembris, & apud Joannem Mabillon loco citato pag. 710, & apud Joannem Bollandum in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 2. ad diem 30. Januarii, p. 1040. Trithemius quoque eidem tribuit, *Vitam S. Lebuini Presbyteri Daventriensis & Confessoris*, quam Petrus Archiepiscopus Cameracensis plurimum commendat. Scripta illa est ad Albricum seu Baldricum Vltrajectensem Episcopum, quæ apud Surium Tomo 6. die 12. Novembris legitur. Ejusdem *Vita S. Madelberta Virginis & Abbatissæ Malbodiensis*, MS. dicitur apud S. Gislenum in Hannonia. *Vita S. Brigittæ* MS. apud S. Amandum. Scripsisse etiam *Historiam S. Ciliniæ, matris S. Remigii Francorum Apostoli*, itemque *Officium & Cantum de eadem*, testatur Joannes Molanus ad Vsuardum die 21. Octobris. Obiit Hucbaldus anno 930. septimo Kalendas Julii, sepultus ad S. Amandum in Milonis avunculi monumento, cum hoc Epitaphio.

> Dormit in hac tumba simplex sine felle columba
> Doctor, flos & honos, tam Cleri quam Monachorum
> Hucbaldus: famam cujus per climata mundi
> Edita Sanctorum modulamina, gestaque clamant.
> Hic Cynici membra pretiosa reperta Nivernis,
> Nostris invexit oris, scripsitque triumphum.

Agunt de Hugbaldo pluribus Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Hucbaldus* pag. 395. editionis 1643. in 4. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 36. pag. 324. editionis ultimæ. Guillelmus Cavus ad annum 916. *Historia rei litterariæ* p. 578.

910. PSEUDOABDIAS BABYLONIUS EPISCOPUS, impostor & Latinus author, hac quoque tempestate, mihi floruisse videtur, de quo ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 9. pag. mihi 200. editionis ultimæ. „Etiam Abdias Babylonius creditur „Hebraice fecisse libros decem *De Historia Apostolici certaminis*, quos Græce transtulerit Eutropius, ac Latine interpretatus sit Julius Africanus, nobilis ille Chronographus, de quo „suo loco dicetur. Scribit vero Abdias iste „Libro VI. se Salvatorem nostrum Christum „vidisse in carne, cumque unus esset ex LXXII. „discipulis, asseclam se fuisse Simonis & Judæ, „quando in Persiam ad prædicandum Evangelium abibant: ab iis denique, priusquam oris „istis excederent, se Babyloniæ Episcopum factum esse. Atque eadem legere licet apud interpretem seu imposturæ hujus evulgatorem in *Præfatione*, Wolffgangum Lazium, qui" opus istud genuinum pravissimo gustu arbitratus est. Quæ si vera sunt, jure magnum" apud omnes Scriptoris hujus nomen esse debet. Sane Wolffgangus Lazius, qui primus" ex Cœnobio Ossiacensi Carinthiæ, nec non e" Cœnobio S. Trutberti in Hercinia sylva, illum" in lucem anno 1551. Basileæ in folio, cum præfatione ampla protraxit, unde postea etiam Parisiis 1566 8. & Coloniæ anno 1569. 12. prodiit," tanti cum fecit: ut dubitare se dicat, utrum" ea in quibus cum Luca consentit, hauserit ex" hoc Evangelista, an Lucas ea potius ex Abdia" isto descripserit? Nempe quia ὁμήλικες seu æ" quales fuerant, in qua eadem sententia fuit" Johannes Faber, Theologus Parisiensis. Sed si" adeo antiquus est Abdias ille, mirum est non" Eusebium, non Hieronymum, non alium veterum quempiam, meminisse vel Abdiæ, vel interpretationis istius, ne istic quidem, ubi Africani scripta recensentur. Præterea quomodo ei fidem habere possumus, qui dicat se" Christum vidisse, dum in terris versaretur: atque interim *Hegesippum Historicum* laudet, e" jusque verba ex libro V. *Commentariorum* citet?" Nam Hegesippus ille Justini & Athenagoræ æqualis fuit, ut constat ex Eusebii Hist. Ecclesiasticæ Libro IV. cap. XXI. & Hieronymo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Quare centum & triginta circiter annis floruerit necesse est, postquam Christus in cœlum ascenderat. Ad hæc" quomodo Abdiam illum Julius Africanus Latine transtulit, quem ex Eusebio atque aliis," Græcum fuisse Scriptorem constat? Denique" in Scriptore hoc multæ adeo sunt fabulæ &" mendacia, ut eos libros *velut fide indignos*, Paulus Papa IV, inter Scripta à se damnata rejecerit, sicut scribit Sixtus Senensis lib. 2. *Bibliotheca sancta*. Multa quoque erronea in eodem Opere, notavit Johannes ab Hessels in" Censura *De quibusdam Sanctorum Historiis* cap." 10. Eundem rejiciunt Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 100. Baronius in *Annalibus Ecclesiæ* ad an. 44. num. 44." & ad an. 51. num. 51. Joannes Molanus libro" I. *De fide Hæreticis servanda* cap. 6. Antonius" Possevinus in suo Apparatu sacro, verbo *Abdias* & *Severus Sulpitius*. Claudius Espensæus" *De Continentia* lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. 2. Ad" hæc Salmeron Commentario in 2. ad Timotheum 2. Disputatione 2. pag. 585. & Nicolaus Nancelius in Catalogo librorum quos" scripsit, ubi hunc auctorem *plurimis indiciis & argumentis à se falsi convictum, interimque correctiorem multo redditum* ait. Acpaulo post dicit, *Scriptorem illum licet suppositiium, uti & Clementem Romanum, multis argumentis à se notiusque illustratum*." Hæc Gerardus Johannes Vossius, qui tamen hos Abdiæ libros agnosci à B. Augustino *Contra Adimantum* cap. 17. arbitratus est, dum ait: *Manichæi legunt Scripturas apocry-*

cryphas quas etiam incorruptissimas esse dicunt: ubi scriptum est, Apostolum Thomam maledixisse homini, nec multo post à leone dilaniatum & occisum esse. Nam Historia hæc vel fabula potius, ut Melchior Canus Lib. 2. *Locorum Communium* cap. 6. appellat, refertur ab hoc Abdia, libro 9. qui *De Gestis Thomæ in India* est. Verum hanc Gerardi Johannis Vossii rationem improbat Guilielmus Cavus in *Historia rei litteraria* seculo I. ad annum LIX. pagina 16. Multæ enim Augustini ævo erant fabulæ, diuque anteà de Apostolis confictæ, partim scriptæ, partim ore traditæ, quas consarcinator hujus Historiæ in suam farraginem transferre poterat. Quin imo in ipso istius libri initio affirmat impostor, se ea quæ habet de divi Thomæ gestis, ex libro quodam antiquiori in quem incidit, omissis supervacaneis, exscripsisse. Hinc colligimus impostorem hujus Operis, non tantum non esse Abdiam Babylonium Episcopum, ut ipse fingit, nec esse etiam veteris Ecclesiæ Scriptorem, sed recentiorem aliquem, quem circa medium seculi X. & obscuri collocavimus, qui ex anteriorum etiam Commentariis hoc collectaneum consarcinaverit, ut sub initium libri 9. ipse ingenue agnoscit. Sane etiam apud Vincentium Bellovacensem, nullum Auctoris nomen appictum erat in Codice, quo usus est, unde illum non nominavit. Nullum etiam Auctoris nomen erat adpositum, in fronte duorum Codicum MSS. quibus in illo evulgando Wolffgangus Lazius usus est, sed calci Trutbertini Codicis adjectum erat: *Scripsit hæc gesta Abdias Babylonia Episcopus, qui ab ipsis Apostolis ordinatus est, sermone Hebræo, qua universa ab Eutropo Græco, & ab Africano Latino sunt translata sermone, & in decem libros descripta.* Tandem quæ habet PseudoAbdias de Martyrio Sancti Petri Apostoli, accepisse mihi certo compertum est, ex Martyrologio Romano seu Vsuardi ad diem 29. Junii, cujus & voces Vsuardi ætate congruas, Pseudo-Abdias assumit *sua ante falsas & absurdas:* nam scribit *Petrum in urbe Roma capite ad terram verso, cruci affixum, & in Vaticano juxta viam triumphalem sepultum, totius urbis vel orbis veneratione celebrari.* Vera hæc erant tempore Vsuardi & Adonis idem scribentis in libro *De festivitatibus Sanctorum Apostolorum* cap. 1: Sed falsa & absurda erant temporibus Abdiæ Babylonii, qui se ab Apostolis ordinatum esse, Episcopum scribit. Nulla enim tunc temporis, nisi persecutionis acerbissimæ, sors penes Apostolos fuit. Non ergo Pseudo-Abdias seculo X. antiquior esse potest, qui phrases ab Vsuardo & Adone Viennensi Archiepiscopo, authoribus seculi IX. desinentis mutuo accipit. Agnoscit incognitum hunc Scriptorem Vincentius Bellovacensis, anonymum licet, quem exscribit in *Speculo Historiali* lib. 8. cap. 4. & 5. ubi de *Jacobo Zebedæi filio, Johannis fratre*, de quo Abdias lib. 4. Item lib. 9. cap. 12. ubi de *Simone Mago & ejus ante Capitolium casu*, ex Abdiæ lib. 1. *De gestis Sancti Petri Apostoli*, ut conferenti utrumque planum erit. Eundem denique licet anonymum, sæpe allegat ubi de Apostolis, Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, in *Summa Historiali* parte 1. Hæc à nobis scripta sunt, donec quis certiora inveniat.

CONSTANTINUS PORPHIROGENITUS ORIENTIS IMPERATOR, Leonis VI. cognomento Sapientis ac Philosophi filius, de quo supra egimus, Imperium ab anno 912. die 6. Junii sub tutoribus vel cum matre Zoe aut Romano socero tenuit, qui & ab anno 946. ad 959. imperavit solus, ob eruditionem emicuit, quam Scriptis etiam multis ad nos usque servatis testatus est. De cujus gestis quæ dicenda sunt, rectius Lector petat ex Scriptoribus Annalium seculi decimi, sive veteres illi sint, ut Zonaras, Cedrenus, Glycas aliique & continuatores Theophanis, Simeon Magister & Logotheta, Georgius Monachus, Leo Grammaticus, Joannes Scylitzes &c. sive recentiores Baronius, Spondanus, Antonius Pagi, & qui de Imperatoribus Commentarios edidere copiosos Joannes Cuspinianus &c. & qui Constantini hujus Vitam singulariter composuit Martinus Hanckius *De Scriptoribus Historiæ Byzantinæ* lib. 1. cap. 25. Et qui omnes prætergressus esse videtur, Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* cap. 5. pag. 349. potissimum à pag. 486. ad 509. & à pag. 612. ad 640. cujus tibi compendium ex verbis ejus expressum hic afferam, ex editione anni 1714. Hamburgi in 4to. 910.

1. Extant igitur Constantini Porphyrogeniti Liber *de Vita Basilii Macedonis* avi, de qua Fabricius idem dixit loco citato pag. 349. quam Vitam jam ediderat cum versione sua Leo Allatius in σύμμικτοις anno 1653. in 8. Coloniæ, in Sectiones sive Capita LXX. distinctam. Sed Franciscus Combefisius Græca ad Cardinalis Barberini apographum recensuit, cui versionem novam adjunxit, atque opus Sectionibus una & centum, aliter quam Allatius distinxit. De hac Vita, quam Philippus Labbeus, non à Constantino ipso, sed ab alio ejus jussu conscriptam suspicatus est, dubium refellit Martinus Hanckius, *De Scriptoribus Historiæ Byzantinæ* pag. 473. Atque solus ille Anonymi locus, quem Fabricius profert, sufficit ad conjecturam elidendam Labbei atque Cavi Tomo 1. *Historiæ litterariæ* ad annum Christi 920, ubi de Leontio Byzantino Chronographo agit.

2. *De administrando Imperio Liber*, scriptus ex parte A. 6457. Christi 949. Indictione septima, & Anno 6460. Christi 951. Indictione decima. Hunc primus ex Codice Palatino qui anteà Baptistæ Egnatii fuit, edidit Joannes Meursius cum versione sua & castigationibus, Lugd. Batavorum 1610. in 8. deinde aliis Constanti-

ni hujus ſcriptis præmiſſum Lugd. Bat. 1617. in 8. noviſſime librum eundem recudi curavit Anſelmus Bandurius Tomo I. *Imperii Orientalis*, addita verſione á ſe paſſim interpolata & emendata, integrisque in ea capitibus *de Iberia & Hiſpania* 23. & 24. ſuppletis, quæ utpote nimis corrupta, interpretari Meurſius non aggreſſus fuerat. Caſtigavit Bandurius Græca ex MS. membranaceo Bibliothecæ Regiæ 2662, annis ab hinc quingentis ſcripto, cujus ope mendas quamplurimas ſuſtulit, eruditas & copioſas addidit notas, præmiſitque tabulam Geographicam Imperii Orientalis, concinnatam à Geographo celeberrimo Guillelmo de L'Isle Inſulano, qua facies ejusdem qualis fuit ſub Conſtantino Porphyrogenito & ejus prædeceſſoribus, apte repræſentatur.

3. *Tactica* ſive Βιβλίον Τακτικὸν, *τάξιν περιέχον τῶν κατὰ θάλατταν καὶ γῆν μαχομένων: Liber Tacticus, mari terraque pugnantium ordinationem continens.* Primus edidit ſed *Græcè* tantum idem Joannes Meurſius ex Codice Bibliothecæ Palatinæ, & caſtigationibus ſuis illuſtravit, cum aliis Conſtantini, quæ jam recenſeo ſcriptis Lugd. Bat. 1617. in 8. Palatinus ille Codex ex alio Vindobonenſi deſcriptus fuit, de quo Lambecius Lib. VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ p. 201.

4 Περὶ Θεμάτων, *De Thematibus Imperii Orientalis & Occidentalis libri II.* Ex his librum priorem de thematibus Imperii Orientalis, primus ex Codice Thomæ Clementis Angli, Medici Mechlinienſis edidit, & verſionem ſuam notasque addidit Bonaventura Vulcanius Lugd. Bat. 1588. in 8. apud Franciſcum Raphelengium. Liber poſterior de thematibus Occidentis ſive Europæ, quem & ipſe Vulcanius editurum ſe in Notis ad Agathiam pag. 4. receperat, primus evulgavit Fredericus Morellus cum verſione ſua & notis Pariſiis 1609. 8. Vtramq; Vulcanii & Morelli editionem Meurſius conjunxit & cæteris Conſtantini Scriptis addidit Lugd. Bat. 1617. in 8. Noviſſime duos hos libros Anſelmus Bandurius paulò ante mihi laudatus, ex Codice Regis Galliæ 2431. in charta bombycina ante annos 500. exarato caſtigavit, verſionem novam ſive ex veteri plurimum interpolatam adjunxit, tabulamque Geographicam Guilelmi Inſulani præmiſit, quæ Imperium Conſtantinopolitanum quale ab Heraclii ævo extitit, per θέματα digeſtum exhibet. *Imperium Orientale* Bandurii, cujus Tomo priore *Libri Conſtantini Porphyrogeniti*, ut poſteriore *Notæ* editoris continentur, Pariſiis 1711. in folio.

5. *Novellæ Conſtitutiones XIII.* cum Joannis Leunclavii verſione & caſtigationibus, ex ejus jure Græco Romano Tomo I. Libro 2. p. 103. & ſeqq. & Tomo 2. in libro Novellarum pag. 139 & ſeqq. Francofurti 1596. in folio. (α) *de alienatione fundorum*, cujus conſtitutionis Cedreno etiam memoratæ duo exempla paululum diverſa unà cum Synopſi ejus a Michaele Attaliata compoſita aſſeruntur. (β) *de potentibus in prædia pauperum ſuccedentibus.* (γ) *de militibus.* (δ) *de reſtitutione pretii militarium prædiorum.* (ε) *de fuga mancipiorum*, hujusque Novellæ argumentum. (ς) *de non deſerendo judicio ab iis qui actionem inſtituunt, & de his qui ad tres menſes vel annum abſunt.* (ζ) *de eo quod judices civiles nihil accipere debeant.* (η) *de Sportulis* περὶ ἐκταγιατικῶν. (θ) *de conſuetudinibus.* (ι) *de teſtamentis aperiendis.* (ια) *de conſuetudinibus ſcribæ.* (ιβ) *de his qui cædes committunt gladio, vel magnis fuſtibus, vel lapidibus, idque conſulto.* (ιγ) *de ſecundis, tertiis & quartis nuptiis.* Duodecimam conſtitutionem ediderat etiam, ſed capite mutilam vir cl. Enimundus Bonafidius in *Juris Orientalis* lib. 1. pag. 19. editionis Pariſienſis 1574. in 8, quem vide etiam pag. 15, ubi de alia Conſtantini hujus conſtitutione περὶ τῦ ἀναθεματίζεσθαι τὰς ἀποστάτας καὶ μελχαρίους. Conſtitutio XIII. περὶ πολυγάμων, *adverſus quartas nuptias*, eodem loco legitur pag. 10. & ſeqq.

Hiſce in Meurſiana Conſtantini opuſculorum editione Lugd. Bat. 1617. in 8. poſt paginam 252. *Quatuor Conſtitutiones novellæ* ſubjiciuntur, quas e Codicibus Regiis auctiores melioresque edidit, cum nova verſione & caſtigationibus *Carolus Labbeus* Pariſiis 1606. in 8. (α) Περὶ στρατιωτικῶν, *de militaribus fundis*, quam dictavit Theodorus Patricius & Quæſtor Decapolitanus. (β). *De fundis Armeniicis aliorum & homicidarum.* (γ) *De ſportulis, de aperiendis teſtamentis, & de eo quod certus ac definitus conſuetudinum modus eſſe debeat.* Hanc dictavit Theophilus Patricius & Quæſtor. (δ) *De ſportulis, qua abrogatur ſuperior conſtitutio*, permittens judicibus & ſcribæ ſportulas accipere. Hanc dictavit Theodoſius, idem qui ante Theodorus, Patricius & Quæſtor Decapolitanus.

6. Leonis Sapientis & Conſtantini filii Ἐκλογὴ τῶν νόμων, *Delectus Legum compendiarius* ex MSS. Palatino & Jo. Sambuci deſcriptus, & cum Latina Leunclavii verſione editus in jam laudato ejus Jure Græco-Romano Tomo 2. pag. 79. ad 134. Numerus anni quo publicatus hic delectus fuit, corruptus eſt, & pro ϛτμζ legendum ϛημζ, qui anno Chriſti reſpondet 939. quo Conſtantinus delectum Legum à Patre Leone fieri cœptum, promulgare potuit. De *Baſilicis*, Baſilii Macedonis & Leonis Sapientis auſpicio digeſtis, & à Conſtantino Porphyrogenito recognitis, dicendi locus erit infrà libro VI, ubi etiam de Operis hujus Synopſi & aliis Græcis Juriſconſultis.

7. *Διήγησις περὶ τῆς πρὸς Αὔγαρον ἀποσταλείσης ἀχειροποιήτε θείας εἰκόνος χριςῦ τῦ θεῦ ἡμῶν. Narratio de Imagine Chriſti, ab ipſo ad Augarum Edeſſæ Regem miſſa, & Conſtantinopolim Edeſſa translata Anno Chriſti 944*, Latinè legitur apud Aloyſium Lipomannum, atque in-

inde apud Surium ad 16. Augusti. Græce ex Regio Codice una eum nova versione sua notisque primus vulgavit Franciscus Combefisius in Fasciculo Originum & Antiquitatum Constantinopolitanarum pag. 75. ad 101. Parisiis 1664. in 4. Conjecturam Lipomanni & Baronii ad Annum 944. N. 14, qui narrationem hanc Constantino Romani filio tribuunt, refellit præter Combefisium Hanckius *de Scriptoribus Historiæ Byzant.* pag. 475. & seqq. & Antonius Pagi in Critica Baroniana ad annum 944. N. 5. & seqq. Extat etiam Narratio hæc MS. in Bibliotheca Vindobonensi, juxta Lambecium libro VIII. Commentariorum pag. 195. & seqq.

8. *Orationem MS. de translatione reliquiarum S. Chrysostomi* laudat Allatius *De Purgatorio* pag. 711. ad *Georgium Heropolitam* pag. 201. & *De Simeonibus* pag. 111. Incipit, *τί τερπνότερον τοῦ νῦν ὁρωμένου θεάματος, ἢ τί λαμπρότερον τῆς παρούσης ἡμέρας:* Titulus est, *λόγος ἡνίκα τὸ τοῦ Χρυσοστόμου ἱερὸν σκῆνος ἐκ τῆς ὑπερορίας ἐν τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων ἀπετέθη.*

9. *Theophanis Historiam Constantini jussu continuatam*, memoravi suprà pag. 349.

10. Superest præcipuum opus, quod non ab ipso Constantino quidem elaboratum, sed egregio ejus consilio atque auspiciis per varios viros peritos digestum est, *κεφαλαιωδῶν ὑποθέσεων*, sive *Collectaneorum atque Excerptorum* Historico-Politicorum & Moralium sub capitibus sive titulis LIII. dispositorum conquisitorumque ex probatissimis quibusque Historicis, omnis ætatis monumentis. Ex tribus hisce & quinquaginta titulis, nonnisi duo, neque illi integri plane ad nos pervenerunt, vigesimus septimus *περὶ πρεσβειῶν, de legationibus*, & quinquagesimus *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, de virtute & vitio*. Tituli de legationibus alteram partem à *Johanne quodam Constantinopolitano* digestam ex Bibl. Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis, vulgavit Fulvius Vrsinus Græcè Antverpiæ 1582. in 4. eum notis. In hac parte extant *παρέκβολαι*, Excerpta è *Polybio* pag. 1. ad 228, e *Dionysio Halicarnasseo* pag. 295. ad 312, & *Diodoro Siculo* pag. 313. ad 333, ex *Appiano* pag. 334. & 372, & è Dione Cassio pag. 373. ad 447. Alteram ejusdem tituli de legationibus partem, ex recentioribus paullò Historicis excerpta complexam, edidit David Hæschelius. Tituli *de virtutibus & vitiis* maximam partem Henricus Valesius, qui ex ea, quæ digna luce videbantur, selegit ac cum notis vulgavit Parisiis 1634. in 4.

11. Constantini quoque hujus jussu Theophanes quidam *Synopsim totius artis Medicæ*, ex Oribasii scriptis potissimum collectam, septem libris sive capitibus 296. digessit & Constantino eidem inscripsit. Incipit Procemium, *τὰς προσταχθείσας ἐπιτομὰς παρὰ τῆς σῆς θειότητος ἐκ Θεοῦ Αὐτοκράτορος, περὶ τῆς τῶν ἰατρικῶν θεωρημάτων συναγωγῆς ἔσπευσα κατὰ τὸ δυνατόν* &c. Extat hoc Opus aliquoties Græcè MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, de quo vide Lambecium libro VI. Commentariorum pagg. 114. 116. 157.

12. Eidem Constantino debemus *Collectionem Hippiatricorum*, sive *De Veterinaria Medicina libros duos* capitibus 129. distinctos, ex Scriptoribus pluribus hujus generis collectos, & e Græco Latine versos atque editos Parisiis 1530. in folio, interprete Joanne Ruellio Suessionensi, qui rei Veterinariæ nomenclaturam, & brevem *Diodori* de ponderibus & mensuris tractationem subjunxit. Hi primum Græce vulgati sont à Simeone Grynæo, Basileæ 1537. in 4. MS. Codex plenior & alio ordine digestus fuit in Biblioth. Card. Scripandi, atque inde in Williana. Insignis etiam Codex membranaceus ae vetustus Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Emanuelis extat, quo V. C. Petros Needhamus in luculentà suà, de qua mox dicemus, *Geoponicorum* editione, usum se testatur.

13. Certum est etiam *Geoponica* jussu & auspiciis *Constantini hujus Porphyrogeniti* collecta fuisse, ut eos fugerit ratio, qui de *Constantino Magno*, vel ut Cornarius, de *Constantino Pogonato* cogitarunt. Certe Constantino nostro Leonis Sapientis filio soli & ex asse competit elogium, quod hujus *συναγωγῆς* auctor, in Præfatione ad Constantinum scripta, inquit *eum omne genus doctrinæ & omnes disciplinas summo studio instaurasse*, quem *τερπνὸν τῆς πορφύρας ἀπάνθισμα* appellat, quibus verbis dubio procul ad *Porphyrogeniti* appellationem alludit. Ecquis verò *Constantini* hujus jussu, quem etiam libro XX. cap. 6. verbis *ὦ τιμιώτατε* alloquitur Auctor, Collectionem ipsam composuerit, atqoe opus hoc in XX. libros distributum, quorum priores duodecim *de Agricultura* sunt, octo postremi *de cura rei pecuariæ*, ex variis Scriptoribus ita digesserit, adhuc incertum esse puto. Vnica *Geoponicorum* Græca editio extat Joannis Alexandri Brassicani studio in lucem edita, unà cum Aristotelis libris duobus de Plantis, & Præfatione Simonis Grynæi, Basileæ 1539. apud Robertum Winter in 8. Codex MS. ex quo hæc editio curata fuit, à Brassicano deinde ad Joan. Oporinum pervenit, inde ad Joannem Sambucum, ac denique Bibliothecæ Cæsareæ illatus est, ut testatur Lambecius libro 2. pag. 539. & seqq. & libro VI. pag. 163. & seqq. Latine vertit *Janus Cornarius* ex uno Codice omni inscriptione carente, quem illi Matthæos Aurogallus Bohemus suppeditaverat. Prodiit hæc versio uno ante Græcam editionem anno, Basileæ ex officina Frobeniana 1538. in 8. & eodem anno Venetiis recusa est, & Lugduni 1541. in 8vo. Posteriores libri octo, qui pecorum curam tangunt, post Cornarium, & ut ait Vossius lib. *de Philosophia* pag. 53, longe majori cura qoam ille, transtulit *Andreas à Lucuna* Secobiensis, castigationibus etiam additis ad inter-

pretationem octo illorum librorum Cornarianam, Coloniæ 1543. in 8vo. Denique lucem vidit inſignis & ſingulari ſtudio adornata editio *Græco-latina* Petri Needhami, Cantabrigiæ 1704. in 8vo. Is enim hortante illuſtri Joanne Moro, Novicenſe tunc temporis, hodie Elienſe Epiſcopo cui opus inſcriptum eſt, *Græca* ad quinque MSS. Codices integros & duos mutilos contulit, ipſi ex Bibliothecis Bodleiana & Cottoniana ſuppeditatos. Mittimus alia quæ Fabricius habet loco citato pag. 506 507. 508. 509, quippe quæ inſtituto noſtro non conveniant.

14. Denique *Ceremoniale MS. Conſtantini Porphyrogeniti* libris duobus diſtinctum, de quo ampliſſime loquitur idem Fabricius ibidem, ac cujus ſpecimen refert à pag. 623. ad 640. Opus ineditum ad res Conſtantinopolitanæ aulæ & Eccleſiæ pertinens, quod MS. extat Francoſurti ad Mœnum apud virum clariſſimum nobilitate & eruditione Zachariam Conradum ab Vffenbach, cujus titulum hunc affert. *Ratio Expeditionum bellicarum Imperatoris, & Memoriale pro Caſtris, quanam obſervare oporteat, quando Imperator expeditionem ſuſcipere inſtituit.*

Conſtantini in Chriſto Rege ſempiterno Imperatoris Romanorum, filii Imperatoris venerandi ac ſapientiſſimi Leonis, Nepotis vero Baſilii fortiſſimi ac nobiliſſimi Imperatoris, ad Romanum à DEO coronatum Imperatorem, filium ſuum. Codex MS. in folio majori, ſcriptus autem in membrana, cujus editio Hiſtoriæ Byzantinæ illuſtrandæ & ampliandæ conferre plurimum poteſt. Hæc verbotenus ex Joanne Alberto Fabricio, locis citatis, dicta per Compendium.

910. BERTHARIVS VIRDVNENSIS ECCLESIÆ PRESBYTER, circa annum 910. atque ultra clarus, ſcripſit *Commentariolum de Virdunenſibus Epiſcopis, Dadoni ejuſdem urbis Epiſcopo nutritori ſuo oblatum:* quem cum Appendice unius Anonymi & altera continuatione *Laurentii Leodienſis*, Monachi Sancti Vitoni in Vrbe eadem, evulgavit Lucas Dacherius tomo 12. *Spicilegii* pag. 251. De hoc Scriptore author Anonymus *Vitæ S. Pauli Virdunenſis* apud Surium, qui Seculo XI. florebat, de Berthario Virdunenſi Presbytero ad diem 8. Februarii, ita legit: *Bercharius rogatus à Dadone Virdunenſi Epiſcopo, omnium Superiorum Antiſtitum ejus Eccleſiæ nomina & res geſtas, quatenus noſſe potuit, mira brevitate conſcripſit.* De Berchario Gerardus Joannes Voſſius Lib. 3. *De Hiſtoricis Latinis* pag. mihi 623. Sammarthani fratres tomo 3. *Galliæ Chriſtianæ* in Epiſcopis Virdunenſibus, ubi de Dadone Epiſcopo.

920. ARETHAS CÆSAREÆ CAPPADOCVM ARCHIEPISCOPVS, anno circiter 920. claruit, ut ſtatim oſtendam. Certam hujus Scriptoris ætatem, docuit me poſt alios omnes vacillantem Bernardus de Montfaucon, qui anno 1708. Pariſiis in ſolio *Palæographiam Græcam* VII. libris edidit, ubi profert Codicem MS. Græcum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem anno 914. ſcriptum ſcribit manu *Baanis Secretarii Aretha tunc Cæſarea Cappadocia Archiepiſcopi.* Ita *Palæographia Græca* lib. 1. cap. 6. pag. 43. „ Codex Regius 2271. membr. ubi Clementis Alexandrini, Juſtini Martyris opera & aliorum ad calcem habet Ἐγράφη χειρὶ Βαάνους Νοταρίου Ἀρέθα Ἀρχιεπισκόπου τῆς Καισαρείας Καππαδοκίας ἔτει κόσμου ςυκβ: hoc eſt, *Scriptus eſt manu Baanis Notarii Aretæ Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ anno mundi 6422. nempe Chriſti 914.* Et libro 4. cap. 2. pag. 275. Eximiæ notæ eſt, Codex Regius Num. 2271. unde tertium hujuſce Fabulæ exemplum prodiit. In eo autem continentur Clementis Alexandrini προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας, id eſt *Admonitio ad Græcos.* Pædagogi libri tres. Juſtini Martyris Epiſtola ad Zenam & Serenum. Ejuſdem Juſtini admonitio ad Græcos. Euſebii Pamphili Præparationis Evangelicæ libri V. Athenagoræ Philoſophi legatio pro Chriſtianis. Ejuſdem de reſurrectione mortuorum. Euſebii Pamphili cont. a Philoſtratum & Herodem. Codex annum & Calligraphi ſive Notarii nomen in line profert his verbis: Ἐγράφη &c. ut ſupra, hoc eſt, *Scriptus eſt manu Baanis Notarii Aretæ Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, anno mundi 6422. id eſt Chriſti 914.* Quidam autem perperam legunt Βαάνους νότου, *Baanis noti*, decepti à Græculo infimi ævi, qui hanc primigeniam notam eadem in pagina exſcripſit: & quia Νο͂, ſcribitur, νότου eſſe exaratum exiſtimavit. Sed Νοταρίου haud dubie legendum, ut exemplis multis declaratur, in Notis Calligraphorum lib. 1. hujus *Palæographiæ:* ubi Notariorum manu exaratos multos Codices diſcimus, qui Notarii officii ſui nomen ſic non ſemel exprimunt. Scripſit *Commentarium ſeu Explanationem in Apocalypſim*, quæ Græce primum Veronæ anno 1532. in fol. impreſſa fuit, tum poſtea anno 1568. Illum autem Commentarium in latinam linguam convertit Joannes Hentenius Mechlinienſis, Hieronymitanus Monachus, quæ anno 1545. Antverpiæ prodiit in ædibus Joannis Steelſii, & Pariſiis apud Carolum Guillard. Denique *Commentarius hic in Apocalypſim* interprete Joanne Hentenio Mechlinienſi, Hieronymitano Monacho, & emendatore illius editionis Frederico Morellio, Græce ſimul & Latine ad calcem Operum Oecumenii duobus in ſol. tomis editi, Pariſiis anno 1631. impreſſa eſt apud Claudium Sonnium.

Hinc paret, quantum erraverint omnes, qui de Aretha Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopo ſcripſerunt Guillelmus Cavus qui in *Hiſtoria rei litterariæ*, anno 540. pag. 408. aſſignavit. Noviſſimus editor *Maximæ Bibliothecæ Veterum Patrum* editionis Lugdunenſis 1672. Philippus Deſpont amicus noſter, qui illius Commentarium

rium Latinum in Apocalypsim seculo VI. parte 1. pag. 518. edidit. Philippus Labbeus qui in *Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* hunc Aretham anno 700. assignat. Jacobus Perizonius in Dissertatione adversus Gronovium Collegam *de morte Juda & voce τῦ ἀπάγξασθαι* Cap. 4. pag 40; eundem seculo 6. adscribit.

Idem cum esset Presbyter tantum Cæsareensis in Cappadocia Ecclesiæ, creditur à nonnullis scripsisse *Orationes duas insignes in Translationem Sancti Euthimii Patriarcha Constantinopolitani*, qui Nicolao Mystico anno 901. pulso ad Constantinopolitanam Ecclesiam gubernandam evectus est, ut habet Baronius ad annum 901. num. 2. Hic verò Euthymius, post Leonis mortem expulsus, atque in exilium delatus, anno 911. in exilio mortuus est, ut idem habet Baronius ad annum 911. num. 18. Tandemque anno 920. Constantinopolim cum honore & pompa deportatus, ut narrat idem Baronius ad annum 920. num. 2. At fallitur turpiter Baronius, quando homilias istas duas in Translationem Sancti Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani, Arethæ Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopo, licet tunc viventi, adscribit. Habitæ illæ sunt centum annis postea, Eustathio primo Papa novæ Romæ præsente, id est Constantinopolitano Patriarcha: id quod notandum est. Sedit autem post Sergium nominis secundum ab anno 1019. ad annum 1025. quo Alexius electus est, juxta Chronologiam Archiepiscoporum Constantinopolitanorum. Spectant ergo hæ homiliæ ad Aretham Cæsareensis Ecclesiæ Presbyterum, integro seculo juniorem altero Aretha ejusdem sedis Archiepiscopo.

Hunc nostrum seniorem tamen ut Homiliarum istarum authorem, Ludovicus Mainburgius citat, Theologus Soc. Jesu & Historicus in *Schismate Græcorum* edito Parisiis anno 1677. in 4to, apud Cramoisy. Citat inquam ad annum *Schismatis* 911. pag. 233. & 237. post Baronium & ejus epitomatorem Spondanum, ad annos 901. 911. & 920. quos adeas.

920. THEODORUS CONSTANTINI PORPHYROGENITI IMPERATORIS PÆDAGOGUS SEU PRÆCEPTOR, ab anno 920. claruit, Imperium administrantibus simul Orientale, prædicto Constantino Porphyrogenito & Romano Lecapeno, cujus filiam in uxorem Constantinus duxerat. Eloquentia valuit THEODORUS, cujus extant *Orationes quinque* eloquentissimæ *de diversis argumentis*, quæ illustrando Constantini Porphyrogeniti imperio conducunt, MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco 101. num. 2. ut habet Petrus Lambecius Lib. 4. Commentariorum Bibliothecæ citatæ pag. 11. his verbis, quibus authorem in MS. Codice anonymum indicavit.

Secundo & quidem à fol. 116. pag. 1. usque ad fol. 147. pag. 2. continentur eodem Codice, Anonymi cujusdam auctoris, qui *Imp. Constantini Porphyrogeniti Præceptor* fuit atque *Monitor*, cum is post Patris sui *Imp. Leonis* cognomento *Philosophi*, & Patrui sui *Imper. Alexandri* obitum, anno Christi 912. puer adhuc sub matris suæ Zoes regimine imperare cœpisset, *Opuscula* quædam præcipue quidem *Oratoria*, magnam tamen partem *Historica* etiam, hæc nempe.

1. *Oratio Encomiastica ad Magnum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomum, Patriarcha Constantinopolitani fratrem*, cujus titulus & principium, Πρὸς τὸν Μέγαν Οἰκονόμον, τὸν τῦ Πατριάρχυ ἀδελφόν. Μικρόν μοι πρός σε τὸν Μέγαν τὸ τῦ λόγυ δῶρον τῦ Θεῦ ἄνθρωπε &c.

2. *Oratio objurgatoria ad discipulos suos turbidos & inobedientes*, cujus titulus & principium, Πρὸς τὺς αὐτῦ μαθητὰς ἀτακτήσαντας. Πῦ ποτὲ εἰσιν, οἱ τὸ αὐστηρὸν ἡμῖν ὀνειδίζοντες, οἱ τῦ λόγυ δυσλογίαν κατειπαιρόμενοι, οἱ τῆς εὐκοσμίας ἄκοσμοι τῷ ὄντι κατήγοροι; δεῦρο ἡ γλῶσσα πορνικὴ καὶ φαυλίστρια καὶ ὀξεῖα κατὰ τῶν καλῶν μάχαιρα. δεῦρο καὶ μικρὸν &c.

3. *Oratio Apologetica pro Eunuchismo & Eunuchis, in gratiam & solatium fratris sui, qui fuit Eunuchus, composita.* Præfixa autem sunt duo Proœmia huic Orationi, quorum primum inscribitur atque incipit hoc modo: Προθεωρία τῦ λόγυ δι' Ἰάμβων. Ἀδελφός ἐστιν αἴτιός μοι τῦ λόγυ, Εὐνῦχος ὢν ἄγαλμα κοσμίυ βίυ, πλὴν δυσχεραίνων τὺς κατ' Εὐνύχων λόγυς &c. Secundum autem sic, Προθεωρία τῦ λόγυ. Λόγος μὲν ἀδελφῷ μὲν εὐνύχῳ χαρίζεται, πικραινομένῳ πρὸς τὰ καθ' εὐνύχων ἁπλῶς λεγόμενα. Ἐπιστομίζει δὲ, τὺς καθόλυ τὸν εὐνυχισμὸν ὡς κακίας δημιυργὸν διαβάλλοντας &c. Finitis duobus hisce *Proœmiis*, sequitur deinde ipsa *Oratio Apologetica*, integris decem foliis constans, quæ his verbis incipit: Εὕρηκα σοι τῆς εὐνυχίας συνήγορον ἄμισθον. Ἦν μὲν γὰρ &c. definit autem hoc modo: ὐ γὰρ Σιμωνίδης, ἢ Ἱππίας ἐγὼ, τὴν μνήμην ἔχων κἀπὶ τῦ γήρως ἀκμαζῦσαν. Cæterum notabile est, in Orationis hujus principio exagitari etiam & refelli locum *Sancti Basili Magni contra Eunuchos*, quem ex Epistola ipsius ad *Simpliciam hæreticam* desumptum, libro 3. horum Commentariorum pag. 132. integrum exhibui.

4. *Oratio partim Encomiastica, partim Parænetica ad Imperatorem Constantinum Porphyrogenitum, Imp. Leonis cognomine Philosophi* seu *Sapientis filium*, cujus titulus & principium: Τῦ αὐτῦ πρὸς τὸν Πορφυρογέννητον Κύριον Κωνσταντῖνον. Δῶρόν τι καὶ ἐγὼ, Βασιλεῦ, τῦτο δίδωμι, δῶρον ἐμοὶ διδόναι καί σοι λαμβάνειν ἱλαρῶς οἰκειότατον, καὶ τάχα κρεῖττον τῶν ἀλ-

ἄλλων, ἃ δαπάνη τε χρόνε καὶ φθόνε, καὶ λησοῖς εὐπορία, καὶ κλέπταις ἅρπαγμα. Οἱ μὲν γάρ σοι τε̃ Κράτες ὑπήκοοι &c. Paulo autem post, Orationis hujus Auctor *Praeceptorem Imp. Constantini Porphyrogeniti* se esse gloriatur his verbis: Κἀγὼ τοίνυν ὁ σὸς διδάσκαλος (πετε̃ρμαι γὰρ τῷ ὀνόματι, καὶ δεκάπηχυς γίνομαι βασιλέως ΚΑΘΗΓΗΤΗ'Σ προσκαλέμενος) ἐθελοντὴς ἄγω σοι τε̃ λόγε δῶρον σήμερον &c. Item alibi hoc modo: προφθάνεις δὲ σύ με Ο' ΜΑΘΗΤΗ'Σ τὸν ΔΙΔΑ'ΣΚΑΛΟΝ, καὶ προαρπάζεις τὸ νόημα &c. Eidem Orationi præter gloriosam mentionem Imperatoris Basilii Macedonis, utpote qui *Imp. Constantini Porphyrogeniti* avus fuit, & *Imp. Leonis Philosophi* seu *Sapientis*, qui ejusdem pater fuit, amplissima etiam inserta est laudatio Matris ipsius *Zoes*, incipitque ea his verbis: Ἀλλὰ γάρ ὁ με διέλαθε, τὰ τῶν σῶν γονέων καλά. Οἷς καὶ αὐτοῖς σε Θεὸς πρὸς πᾶν καλὸν συνεκρότησε. Σὺ γὰρ ὦ καλὲ ΠΑΙ', καὶ πάντων βασιλέων ἐμοὶ ποθεινότερε, ἐ τὴν μὲν φύσιν τοιαύτην ἔχες, οἷαν μετρίαν ὁ λόγος ὑπετυπώσατο, τῇ δὲ τῶν γονέων ἐπαισχύνῃ φαυλότητι ὡς τοῖς ἑτεροφθάλμοις πάσχειν παροιμία, καὶ τῇ μὲν ἐκλάμπεσθαι, τῇ δὲ καταδύεσθαι. ἀλλά σοι καὶ βασιλικὸν πατρόθεν τὸ γένος, καὶ δικαιότατον. καὶ τῷ μακαρίῳ σε ΠΑ'ΠΠῼ μᾶλλον τῆς ἀρχῆς τὸ ἐν ταῖς κρίσεσιν ἰθυτενὲς καὶ ἀπροσκλινές. τῷ τε θειοτάτῳ σε ΠΑΤΡΙ' ποῖον ἀρετῆς εἶδος τὴν ψυχὴν οὐκ ἐμόρφωσεν, ἢ τίνι παρῆκεν ἄλλῳ τὰ πρῶτα φέρεσθαι τῆς τε φιλομαθίας καὶ τῆς περὶ τὸ θεῖον φροντίσιν. ὥγε καὶ ἡ βασιλεία οὐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ βίβλοι καὶ λογίων ἀνδρῶν ὁμιλίαι, καὶ τὸ εἰπεῖν τι καὶ ἀκε̃σαι παλαιε̃ σπέδασμα. Τὰ δὲ τῆς ΜΗΤΡΟ'Σ· ἀλλὰ τίς μοι δώσει τὴν Ἡροδότε γλυκύτητα, καὶ τὴν Ἀρισείδε πυκνότητα, ἵνα μηδὲν ἀξιόλεκτον παραλείψαιμι. Ἡ τοίνυν σοι ΜΗΤΗ'Ρ, βασίλισσα μεν αὕτη, καὶ πανολβίε τε̃ σπέρματος &c. Clauditur denique tota illa Oratio adhortatione ad obedientiam & pietatem, erga suam matrem ZOEM, hoc epilogo: Καὶ τῇ ὁσίᾳ σε ΜΗΤΡΙ' καταπειθὴς ὢν ἔσαεὶ, καὶ τοῖς ταύτης χαλινοῖς ὑπαγόμενος, Θεὸν ἔχοις ἀεὶ καὶ τῶν ἔργων συμπράκτορα, καὶ τῆς βασιλείας συλλήπτορα. πάντως δὲ σοι τε̃το δώσει ΜΗΤΡΟ'Σ ἀρετὴ καὶ εὐλογία, ἐπὶ κεφαλὴν καταβαίνεσα, καὶ τὸν οἶκον, τὸν τε βασιλικὸν, καὶ τὸν ψυχικόν σοι σηρίζεσα.

5. *Oratio ad discipulos*, cujus principium: Ἔδει μὲν με λέγειν ὦ παῖδες, ἱλαρώτερα τε καὶ εὐφημότερα. καὶ ἀεὶ τιχάρι ἐπιδείκνυσθαι λόγε πρόσωπον, ἵνα μὴ δυσξύμβολές τις εἴη καὶ δυσώνητος &c.

Quod superest, etsi nomen Auctoris jam recensitarum quinque Orationum in Codice illo MS. de quo inpræsens agitur, omissum sit: ex multis tamen indiciis verisimillimum apparet, authorem earum esse *THEODORUM* illum, quem Historiæ Byzantinæ Scriptores Joannes Zonaras, Georgius Cedrenus & Leo Grammaticus *Imperatoris Constantini Porphyrogeniti PÆDAGOGUM* nuncupant. Habuit is in Aula Constantinopolitana authoritatem non exiguam, & Imperatrici Zoæ publice ac privatim favit, donec *Constantinus Accubitor*, sive *Summus Cubiculi Imperatoris Præfectus*, apud eandem adeo prævalere cœpit, ut *Imperatorem Constantinum Porphyrogenitum* folio Imperiali deturbare, & sororis suæ maritum *Leonem Phocam* loco ipsius per vim & rebellionem intrudere ausus sit. Hanc enim sceleratam & periculosissimam conspirationem, ipsi *Imperatrici Zoæ* incognitam, *Theodorus Pædagogus* fidelissimâ vigilantiâ suâ opportune detexit, & strenuâ operâ *Romani Lecapeni*, Patricii & Magni Classis Imperatoriæ Drungarii, non minus prudenter quam feliciter oppressit atq; extinxit. Cum autem jam memoratus *Romanus*, ea ratione *Imperatoris Socer* factus, & *βασιλεοπάτορος* titulo insignitus, potestatem ac dignitatem *Imperatoris Constantini Porphyrogeniti* in dies magis ac magis imminuere cœpisset, ægerrime hoc *Theodorus Pædagogus* præ cæteris tulit: ideoque à Romano, tanquam ob structas sibi insidias, una cum fratre suo *Symeone Eunucho* in *Opsicianam* Asiæ Minoris regionem deportatus est. Ipsa verba Græca *Leonis Grammatici*, quibus in Continuatione *Chronographiæ Theophanis* de *Theodoro* isto nominatim mentionem facit, hæc sunt pag. 492. editionis Parisiensis in Corpore *Historiæ Byzantinæ*. ΘΕΟ'ΔΩΡΟΣ ἓν ὁ τε̃ βασιλέως Κωνσαντίνε ΠΑΙΔΑΓΩΓΟ'Σ ὁρῶν Κωνσαντῖνον παρακοιμώμενον εἰς Λέοντα τὸν ἴδιον γαμβρὸν, τὴν βασιλείαν σφετεριζόμενον, ὑπέθηκεν Κωνσαντίνῳ τῷ βασιλεῖ, Ῥωμανὸν Δρεγγάριον προσλαβέσθαι &c. Hoc est, *THEODORUS igitur Imp. Constantini PÆDAGOGUS, animadvertens Constantinum Eunuchum, Summum cubiculi Imperatoris Præfectum, machinari translationem Imperii in Leonem sororis suæ maritum, suggessit Imperatori Constantino, ut Romanum Magnum Classis Imperatoriæ Drungarium, sibi adsciscere defensorem &c.* Et aliquanto post, pag. 493. ejusdem editionis. Ἕωθεν ἓν ἐξελθε̃σα Ζωὴ ἐν τῷ τε̃ Βεκολέοντος ἡλιακῷ, ἐπεφώνει τῷ υἱῷ καὶ πᾶσιν. πῶς ἄρα γέγονεν ἡ ἀνταρσία αὕτη; ἔφησαν δὲ πρὸς αὐτὴν ὁ ΠΑΙΔΑΓΩΓΟ'Σ τε̃ βασιλέως Κωνσαντίνε ΘΕΟ'ΔΩΡΟΣ. Διὰ τὸ ἀπολέσαι ὦ Δέσποινα. Λέοντα τὸν Φωκᾶν, τὰ Ῥωμαῖα σρατόπεδα. καὶ Κωνσαντῖνον παρακοιμώμενον τὸ παλάτιον, ἡ τοιαύτη γέγονε κίνησις. Hoc est: *Mane ergo sequentis diei Imperatrix Zoe ad solarium Bucoleonis egressa, filium totamque ipsius familiam inclamavit his verbis: Unde orta est hæc rebellio? Cui respondit THEODORUS Imp. Constantini PÆDAGOGUS, Quia Leo Phocas Romanas Legiones, Constantinus autem Accubitor Palatium Imperatorium perdidit, ideo motus ille factus est. Imperator autem &c.* Item porrò

„rò pag 494. ejusdem edirionis, Μὴ συνευδοκοῦντος δὲ Νικολάου Πατριάρχου τούτοις, ἐμηνύθη Ῥωμανῷ παρὰ ΘΕΟΔΩ΄ΡΟΥ τοῦ ῥηθέντος ΠΑΙΔΑΓΩΓΟῦ, ἐλθεῖν μετὰ στόλου παντὸς μέχρι Βουκολέοντος &c. Hoc eſt, *Cum autem Nicolaus Patriarcha hac non comprobaret, ſignificatum eſt Romano à ſuprà memorato Imperatoris Conſtantini PÆDAGOGO THEODORO, ut totam claſſem ad Bucoleontem appelleret &c.* Et randem pag. 496. ejusdem editionis. Προσεκλήθη δὲ παρὰ Θεοφυλάκτου Πατρικίου καὶ Κόμητος τοῦ στάυλου εἰς ἄριστον Ο῾ ΠΑΙΔΑΓΩΓΟ΄Σ Κωνσταντίνου Βασιλέως ΘΕΟ΄ΔΩΡΟΣ, καὶ ΣΥΜΕΩ΄Ν, ὁ αὐτοῦ ἈΔΕΛΦΟ΄Σ. ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, εἰσῆλθεν Ἰωάννης Δρουγγάριος τῆς βίγλας, ὁ Κουρκούας μετὰ πλείστου λαοῦ, καὶ τούτους ἀναρπάσας εἰς τὸ Ὀψίκιον ἐξώρισεν ἐν τοῖς αὐτῶν προαστείοις, ὡς κατὰ Ῥωμανοῦ μελετῶντας. Hoc eſt, *THEODORO autem Imperatoris Conſtantini PÆDAGOGO, & SYMEONE ipſius fratre, à Theophylacto Patricio & Comite Stabuli, ad prandium invitatis, & jam comedentibus, intravit Joannes Drungarius Vigiliæ, cognomine Curcuas, cum multo populo, eosque tanquam Romano inſidias machinantes abripuit, & in ſuburbana ipſorum prædia, in Opſiciana Aſiæ Minoris regione ſita, deportavit.*

„ Hæc de *Theodoro Imperatoris Conſtantini Porphyrogeniti Pædagogo* Leo Grammaticus, eademque verbis etiam fere iisdem refert Georgius Cedrenus pag. 614. 615. 616. 618. & 619. editionis Græco-latinæ Pariſienſis in Corpore Hiſtoriæ Byzantinæ. Vbi inſuper tamen & hoc valde norabile eſt, quod *Conſtantinum Accubitorem* expreſſe nuncupat μέγα τότε τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις δυνάμενον εὐνούχων: hoc eſt, *omnium in Aula Imperatoria tunc temporis degentium Eunuchorum potentiſſimum.* Hinc enim apparet, non exiguum eo tempore in Aula Conſtantinopolitana fuiſſe Eunuchorum numerum, nec immerito illos ob nimiam potentiam, effrenatam rapacitatem, & factioſas turbas, aliisque variis nominibus male audiviſſe: ideoque haud mirum eſt, *Theodorum Imp. Conſtantini Porphyrogeniti Pædagogum*, conſolandi atque defendendi fratris ſui Symeonis cauſa, ſupra memoratam pro *Eunuchiſmo & Eunuchis* tunc ſcripſiſſe *Apologiam*: utpote cum & *Symeon* ille inter præpotentes ac divites ætatis hujus *Eunuchos*, non poſtremum locum obtinuerit. Quod ſupereſt, quandoquidem tam *Apologia* iſta, quam *Orationes quatuor reliquæ Theodori* ſupra enumeratæ, nondum quod ego ſciam, hactenus divulgatæ ſunt, omnes quinque inſerentur *Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ*, quod ex Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ variis præſtantiſſimis MSS. Codicibus, à me poſthac, Deo volente, publicabitur. “ Hæc ad verbum Petrus Lambecius Libro 4. *Commentariorum Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pag. 11. 12. 13. 14. & 15. quem deſcripſimus.

CAPPIDVS STAVRIENSIS FRISIVS 920.
SACERDOS anno circiter DCCCCXX, Conradi Imperatoris & Henrici Aucupis temporibus floruit: cujus Opera incendio abſumpta fuiſſe dicuntur, cum Stauriæ conflagraret bibliotheca in templo Stavonis, quod B. Nicolao poſtea dedicatum fuit. Cæterum ex fragmentis & aliis quæ de eo alii dicunt, collegit Suffridus Petri vir antiquitatum Friſicarum longe doctiſſimus, ſcripſiſſe illum *Genealogias principum, Ducum ac regum Friſiæ*, adhæc *Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Friſiæ, Vitas item Sanctorum quatuor Lebuini, Otgeri, Plechelmi & Odulphi.* Arbitratur autem, ſi hujus viri monumenta integra extarent, fore ut nihil magnopere, quod ad antiquitates Friſicas pertineret, à quoquam deſiderari poſſet. Hæc Suffridus Petrus in Opere *De Scriptoribus Friſiæ* edito Coloniæ 1599. & Franekeræ 1699. Decade 7. capite 3. pagina 57. in 12. quod conſulas. Vix tamen ego his fidem præbuerim, ut ſeculo illo decimo quo ſcientia maxime languebat & pauciſſimi de ſcribendo cogitarent, Cappidus aggreſſus ſit ſcribere *Genealogias principum, Ducum & Regum Friſiæ*, itemque *Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Friſiæ*, ut habet Joannes Gerardus Voſſius libro 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 39. pag. 341. editionis ultimæ anni 1651. Lugduni Batavorum in 4to. Adſcribit ipſi tantum ex his omnibus, *Vitas Sanctorum quatuor Lebuini, Otgeri, Plechelmi & Odulphi* Chriſtophorus Sandius in *Notis & Animadverſionibus* ad Libros tres Gerardi Joannis Voſſii *De Hiſtoricis Latinis* pag. 70. editionis Amſtelodamenſis anno 1677. in 16. Atque ex illis *fortaſſe extare Vitam illam S. Odulphi* quam Laurentius Surius edendam curavit ad diem Junii 12. inter *probatas Sanctorum Vitas.* Idem Sandius ibidem pag. 330. hæc habet *De Vita S. Odulphi Presbyteri.* „ Forte author hujus Vitæ eſt Cappidus Staurienſis, Scriptor ſeculi decimi de quo pag. 341. Scripta ſane eſt Vita illa poſt obitum Ratbodi Epiſcopi Vltrajectini qui anno 917. periit, fuitque poſt id temporis Cappidus Staurienſis ſuperſtes. Ipſe Odulphus florebat anno 862. ſociusque fuit Friderici Epiſcopi Vltrajectini, cujus opera ille ad breve tempus Friſiam ab hæreſi Arriana expurgavit, ut patet ex Vita dicti Friderici & Odulphi, Chronico Magno Belgico, Chronico Joannis de Beka, Hiſtoria Friſiæ Vbbonis Emmii, Annalibus Belgicis Auberti Miræi, Molani Indiculo Sanctorum Belgii, & Chronico Sanctorum Belgii & aliis, probabo in *Appendice* ad Nucleum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad annum 838. “ Hæc Chriſtophorus Sandius, quem ſecutus eſt & verbotenus refert Vincentius Placcius SS. Theologiæ Profeſſor Hamburgenſis in Opere ampliſſimo *De Anonymis & Pſeudonymis* cap. 5. quod eſt *De Hiſtoricis Anonymis* pag. 313. num. 1252. editionis in folio, quæ anno 1708. poſt mor-

tem illius à Joanne Alberto Fabricio procurata est.

930. JOANNES ITALUS, CLUNIACENSIS MONACHUS, patria Romanus, natione Italus, ac professione Canonicus, quem Sanct. Odo Abbas Cluniacensis anno 939. Romam profectus, hinc secum adduxit usque Ticinum, ibique Monachum instituit, ut constat ex ipsius Joannis Itali verbis, Libro I. *Vita sancti Odonis* num. 2. & 4. Inde cum illum aliquandiu in peregrinationis locum assumpsisset, priorem postea ordinavit, ut non semel legitur in Libro 2. num. 4. 7. & 10. Num Cluniaci, an Romæ ad sanctum Paulum, vel alibi, incerta res est: quæ dubitatio oriri potest conferenti num. 10. & 21. *Se Neapolim missum esse Monasterii sui cogente necessitate* idem Joannes testatur, num. 21. Bienniumque in Lib. 3. num. 5. computat, totum illud temporis spatium, quo sancti Odonis socius fuit. Scripsit autem *Vitam sancti Odonis Abbatis Cluniacensis Libris tribus*, mandans litteris quidquid vel ipse per istud intervallum ex ejus factis aut dictis vidit atque audivit, vel ab aliis postmodum assequi potuit. Porro cum sanctus Odo anno 942. die 18. Novembris mortuus sit, non procul ab hoc tempore hanc Abbatis sui Vitam scribere aggressus est. Opusculum istud à se compositum, Salernitanis Monachis sibi amicis atque familiaribus olim, dedicavit Joannes Italus: quem multi postea imitati fuerunt. Eandem enim Odonis Vitam circa annum 1120. scribendam suscepit *Nalgotus Cluniacensis Monachus*, in compendium simul ac meliorem ordinem, Joannis Opusculum redigens. Habetur hæc *Vita Sancti Odonis* à Joanne Italo composita, in Collectaneis Laurentii Surii, tomo 6. ad diem 18. Novembris. Itemque hæ duæ Vitæ Joannis & Nalgoti, in *Bibliotheca Cluniacensi*, cum Notis Andreæ Duchesnii. Denique seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 124. & sequentibus, 150. & sequentibus. Agunt de *Joanne Italo* Vitæ S. Odonis scriptore, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 40. pag. mihi 324. Joannes Mabillon & Andreas Duchesnius, locis allatis.

930. ODILO SANCTI MEDARDI APUD SVESSIONES MONACHUS, circa annum 930. procedente seculo X. clarus, scripsit *Librum de Translatione reliquiarum sancti Sebastiani Martyris & sancti Gregorii Magni Papæ, in sancti Medardi Monasterium suum*, circa annum 928. vel 930. Liber enim oblatus est Jugranno Medardensi Decano, seu Monasterii sancti Medardi Suessionensis, qui ut in *Chronico* Flodoardi legitur, ad annum 932. Episcopus Lauduni ordinatus fuisse perhibetur. Opusculum autem istud habetur, apud Acta Sanctorum Joannis Bollandi, ad diem 20 mensis Januarii. Itemque Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo I. pag. 383. & sequentibus. Idem Odilo edidit quoque *Historiam translationis Sanctorum Tiburtii, Marcellini, Petri & sociorum in idem sancti Medardi Cœnobium*, quæ anno 828. facta fuit. Editam habes ibidem, Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* tomo seu parte I. pag. 49. & sequentibus. Pauca de Odilone isto Joannes Mabillon, locis citatis. Alius ab isto fuit, S. Odilo Abbas Cluniacensis, qui anno 994. sub hujus seculi finem successor à Majolo designatus est, de quo nomen clatores omnes Scriptorum Ecclesiasticorum.

GENESIUS HISTORICUS GRÆCUS qui aliis Josephus Byzantius dicitur, eadem ætate claruit, atque Constantini ejusdem Porphyrogeniti Imperatoris mandato, circa annum 940. scripsit *Historiam rerum Constantinopolitani Imperii libris V. ab initio Leonis Armeni usque ad excessum Basilii Macedonis gestarum*, hoc est *usque ad annum Christi 886.* quam Græce MS. in Paulina Lipsiensi bibliotheca extare novi, ex Catalogo impresso Manuscriptorum Codicum hujus bibliothecæ, Lipsiæ anno 1686. in 12. cura Joachimi Fellerii bibliothecarii. Hujus scriptoris meminit Franciscus Halma typographus Amstelodamensis, in Admonitione ad Literatos, quam in publicum anno 1699. præmisit editioni secundæ, quam meditatur omnium *Scriptorum Historiæ Byzantinæ*. Sic autem sub citatæ Admonitionis finem. 940.

"Præter omnia hæc opera editioni nostræ inseretur Scriptor Historiæ Byzantinæ nunquam typis excusus, quem nobiscum communicavit vir CL. Joannes Georgius Grævius. Titulus ejus sic se habet. *Genesii* Βασιλειῶν *libri V.* sive *Historia rerum ab initio Leonis Armenii, usque ad excessum Basilii Macedonis Imperatoris gestarum, jussu Constantini Porphyrogeniti Imperatoris, ante annos quasi DCCC. conscripta.* Joannes Andreas Bosius ex MSS. membranis Bibliothecæ Collegii Paulini Lipsiensis describsit anno Christi CIƆ. IƆCLII. Scriptorem autem hunc Ludovicus Neocorus in linguam Latinam transferet, & notis illustrabit." Hæc Franciscus Halma scripsit, suggerente Grævio, viro clarissimo. Josephus Genesius à Joanne Curopalata refertur in *Historiæ suæ Proœmio* inter eos qui de seculi sui rebus aliqua consignarunt, de quo Gerardus Joannes Vossius, libro 3. *De Historicis Græcis*, qui sunt incertæ ipsi ætatis pag. 381. editionis Lugduni Batavorum 1651. in 4. *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni 1699. Mense Aprili latissime agunt pag. 159. & 160. de Chronico Græco MS. apud Lipsiensem Bibliothecam ejusdem Genesii, atque illud opus complecti *Historiam Imperatorum Græcorum Byzantinorum, Leonis Armeni, Michaelis Balbi, Theophili, Michaelis & Basilii Macedonis scribunt*, quod Germani duo Bosius & Wagnerus in publicam lucem dare voluerunt, qua ratione nescio, ab instituto impediti. Ita ex Actis

ctis Eruditorum Lipsiensium præfatis, de quo præclare Guillelmus Cavus Tomo 2. seu parte 2. *Historia literaria* ad annum 940. qui omnium instar esse potest.

Sic vero Cavus Parte 2. ad annum 940. editionis Genevensis 1699. pag. 183 Atque *Acta Eruditorum Lipsia* 1699. mense Aprili pag. 159. & 160. ad Partem Secundam *Historia literaria* Gulielmi Cavi, editionis Londinensis 1698. in folio apud Richardum Chiswell.

"Contexuit Josephus noster *Historiam* sive „*Vitas Imperatorum Byzantinorum, Leonis Armeni*, „*Michaelis Balbi, Theophili Michaelis filii, Michaelis Theophili filii & Basilii Macedonis*, partem Hi„storiæ Constantinopolitanæ non modicam, „quam Georgius & Theophanes non attigerant, „quam Constantino Porphyrogenito Leonis fi„lio, cujus jussu opus illud aggressus fuerat, „nuncupavit. Patet id ex dedicatione, ubi ver„sibus Elegiacis Operi præfixis, auctor ita Con„stantinum alloquitur.

Τὴν ἐξ ἱστορίας τελέσας βίβλον, ὡς ἐκέλευσας.
Αὐτόκρατορ μελετᾶις καὶ καμάτοις μεγάλοις
Ἐν σοὶ δῶρον ἔθηκα, ὅπως ἐγνασμένον ᾖ,
Ἐκ φιλοδεσποτίας συνθετὸν, ἐκ τε πόθου.

„Extat MS. in Bibliotheca Collegii Paulini „Lipsiensis, Codice paginis LXXVII. in folio „constante, nomine Genesii præfixo. Sic au„tem *Acta Eruditorum Lipsia*, de quibus antea „loqvuti sumus.

„Sed ut ad Genesium perveniamus, cujus „Historiam Imperatorum Byzantinorum, Leo„nis Armeni, Michaelis Balbi, Theophili, Mi„chaelis & Basilii Macedonis, nescio quod invi„dum fatum, ex Bibliothecæ nostræ Paulinæ „forulis in publicam lucem protrahere, & cele„berrimum Bosium & doctissimum Wagne„rum nostrum prohibuit. Abiudicaverat ei „Wagnerus historiam illam manuscriptam, ve„ros auctores Georgium & Theophanem esse „existimans, quem in hanc sententiam induxe„rant Jambi Olympii cujusdam, qui Codicem „hunc manu propria descripserrat, calci Ope„ris subnexi. Illos satis corrupte scriptos, pro„ut in Codice repræsentantur, hic exhibebi„mus.

Λοιαθος ἀνὴρ ἄριστος, ὡς ἐγὼ κρίνω,
Γεωργίου τε φημὶ καὶ Θεοφάνους,
Τῶν χρονογράφων τήνδε τῆς βίβλου, Πάτερ,
Ἰωάννη σοι λάβε, φίλω Δαιμόνων.
Ὁ τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης,
Διοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης.
Ὀλύμπιος Ὀλύμπιος.

„Corruptissimos hosce Jambos esse vidit B. „Wagnerus, esseque in iis nonnulla, quæ non „satis intelligat, ingenue fassus est. Id tamen dubio carere existimavit, quod Georgium & „Theophanem illi, Joannis τῶν προέδρων πρώτου „καὶ Διοκαισαρείας θύτου filios, Historiæ hujus„ auctores prodant. Indeque suspicio ipsi sub„nata fuit, Codice MS. Paulino Lipsiensi, Γεωρ„γίου nomen primum adscriptum fuisse, postea„ vero cum litteræ quædam hujus nominis eva„nuissent, non neminem lacunas expleturum,„ Γενεσίου nomen efformasse. Verum quemad„modum nulla diversæ manus vestigia conje„cturam hanc probabilem reddunt, ita non du„bitamus, veram esse Doctissimi Cavei senten„tiam, qui omnino Genesio opus illud vindi„candum censet. Ejus rei ille argumentum„ habet fidem Joannis Scylitzæ Curopalatæ, qui„ in Præfatione operis sui, in editione Græce„ Latine Parisiensi, male omissa, sed in versione„ Latina quæ Venetiis A. 1570. ab Joanne Bapti„ste Gautorcio prodiit, repræsentata, diserte„ Genesium inter Historicos Byzantinos recen„set. Jambos vero qui B. Wagnerum nostrum„ seduxerunt, advocato ad consilium ferendum„ Eduardo Bernardo, ita restituendos & expli„candos esse existimat."

Λοιπῶν ἀνὴρ ἄριστος, ὡς ἐγὼ κρίνω,
Γεωργίου τε φημὶ καὶ Θεοφάνους,
Τῶν χρονογράφων, ὁ τῆσδε τῆς βίβλου πατήρ,
Ἰωάννη σοὶ λάβε, φίλε δαιμόνων,
Ὁ τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης,
Διοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης,
Ὀλύμπιος Ὀλύμπιος.

Inter recentes scriptores optimus quantum ego arbitror, Georgium inquam & Theophanem Chronologos, est hujus libri author, Josephus Genesius. *Sume ergo tibi Joannes hoc opus, vir dilecte Deo, Præsulum primus atque etiam Episcopus, sive Sacerdos Diocæsarea qua Anazarba est.*

Hæc autem carmina Jambica ad finem Codicis, quem manu sua Olympius quidam Joanni cuidam Diocæsareæ Anazarbæ Episcopo seu Sacerdoti obtulit & calci Operis subtexuit, non fine mendis sunt: quæ male Gulielmus Cavus cum Eduardo Bernardo ad consilium appellato intellexit, ego paucis admodum mutatis, absque dubio, ita intelligenda esse arbitror, sensu plane aperto atque naturali: nam his carminibus Olympins illorum scriptor, synopsim illorum, quæ in his libris continentur, exprimere voluit.

Λοιπῶν ἀνὴρ ἄριστος ὡς ἐγὼ κρίνω, (*)
Residuorum vir optime, ut ego judico,
Γεωργίου τε φημὶ καὶ Θεοφάνους,
Georgiique dico atque Theophanis,
Τῶν χρονογράφων, τήνδε τῆς βίβλου, Πάτερ,
Chronographorum huncce librum, Pater,
Ἰωάννη σοι λάβε, φίλω καὶ Δαιμόνων, (**)

 Joan-

(*) Id est quæ ab eis scriptis tradita non sunt, cessant enim in Nicephoro Imperatore uterque.
(**) Certum est hic monosyllabam deesse, ad integritatem versus necessariam, ac MS. Codicem non habere φίλω, sed φίλε, uti adnotatur.

Joanni tibi accipe & amico Beatorum vel Cælitum,
ὁ τῶν προέδρων πρῶτος, ἀλλὰ καὶ θύτης.
Qui Prœdrorum primus sed & sacerdos.
Διοκαισαρείας τῆς Ἀναζάρβης (supple ἐς,)
Diocæsareæ Anazarbæ es.
Ὀλύμπιος. Ὀλύμπιος.

Acta Eruditorum Lipsiæ anno 1685. Kalendis Octobris mentionem amplam faciunt *scriptorum Historia Byzantina post Theophanem. quorum alii partim nunc primum editi, alii partim illic recensiti & nova versione adornati, opera & studio amici nostri Francisci Combefisii Ordinis fratrum Prædicatorum Congregationis S. Ludovici*, Parisiis ex Typographia Regia 1685. in fol. De quo opere anno 1685. mense Octobri à pag. 437. ad 441. ubi latissime de *Collectione Historicorum Byzantinorum* Parisiis ab anno 1645. ad 1685. disserunt à pag. 437. ad 440. quæ ad præsens institutum non pertinent. At Acta eadem pag. 441. loquuntur de *Josepho Genesio* in Bibliotheca Lipsiensi Paulina MS. ac nondum edito, cujus editio ad Historiæ Byzantinæ ornamentum & integritatem plurimum conferret, his verbis. „Poterat ad Theophanis continuatores hoc vo„lumine contentos, etiam GENESIVS ad„jungi, qui Byzantinam Historiam à Leone Ar„meno usque ad Basilium Macedonem perdu„xit, Scriptor insignis, quamvis paucis notus, „paucioribus visus. Manuscriptus extat in Bi„bliotheca Academiæ nostræ Paulina, quem co„dicem edendi spe facta, jam pridem celeberri„mi nominis Polyhistor *Joannes Andreas Bosius* „descripsit, Sed quod morte præventus, præ„stare non potuit, nunc à clarissimo viro *Geor„gio Schubarto* expectamus. Quod indicasse „Byzantinæ historiæ cultoribus, non ingratum „fore pollicemur.

Diarium denique Eruditorum Parisiense anni 1713. mense Septembri in Novis litterariis pag. „341. editionis Amstelodamensis in 12. Do„minus Gottfredus Olearius Doctor Vniversi„tatis Lipsiensis evulgabit in paucis Græcum „cum versione Latina Josephi Genesii, unius „ex Auctoribus Historiæ Byzantinæ minus co„gnitis, ac cujus unicus MS. Codex Græcus in „Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Hic scriptor „nominatur *Josephus Genesius* in versionis Lati„næ Præfatione Joannis Curopalatæ qui Scy„litzes dicitur, Latinæ editionis quæ anno 1540. „Venetiis impressa fuit, cujus etiam meminit „Philip. Labbeus in *Appar. ad Histor. Byzant.* ver„bo *Joseph. Byzantinus*. Dolendum tamen Celeb. „*Olearium*, morte præventum, optimum suum „consilium exequi non potuisse. De eo etiam loquitur Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 5. parce quidam pag. 228. sed diffuse admodum itidem, paginis 620. 621. & 622. illa eadem quæ Cavus dixit, recoquens.

940. BASILIVS SCHOLIASTES Homiliarum seu orationum Sancti Gregorii Nazianzeni circa annum 940. floruisse videtur. Istius Basilii mentionem facit Elias Cretensis anno circiter 1120. clarus, ut apud Petrum Lambecium lib. 3. Commentariorum *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 202. ad marginem, testatur Joannes Leunclavius in editione latina operum S. Gregorii Nazianzeni editionis Hervagianæ Basileensis anni 1571. in fol. his verbis. "Sancti Gregorii Nazianzeni orationes" una cum epistolis interjectis numerantur con-" junctim quinquaginta duæ: quarum illæ sede-" cim quæ uno libro comprehensæ sunt, ma-" nam interpretum copiam nactæ sunt, tam pri-" scorum quam recentiorum, quorum in dicen-" do linguæ perpolitæ essent. Cæteræ vero a" nemine qui vel dicendi facultate floruisset," vel cum spiritu dijudicare posset, saltem me " diocrem, quantum quidem nobis constat, sunt" explicationem consecutæ. Solus *Basilius* qui " dam & *Gregorius*, qui & sedecim istis orationi-" bus enarrandis operam impenderunt suam," voluerunt quidem illi quasdam *Annotationes*" scholiis consimiles etiam in orationes quas" nunc contemplaturi sumus, nobis relinquere." Verum quod in ipsis fuit, nulla ex parte per" ipsorum doctrinam adjutos nos reliquerunt:" quippe quibus neque dicta vel de libris divini-" tus scriptis vel de exteris sumta, curæ fuerint:" neque quicquam aliorum, ad quæ magnus hic" vir partim alludendo partim quædam adgluti-" nando, partim mutando & multipliciter vari-" ando, suas orationes contexuit. Hæc Elias" Metropolita Cretensis interprete Joanne" Leunclavio." Quibus in verbis testatur Elias, atque aliunde constat, quod non solus Nicetas seculo Ecclesiæ undecimo, verum etiam alii non pauci antiqui autores græci supra memoratas Sancti Gregorii Nazianzeni orationes sedecim, commentariis suis explanaverint. Sane cum Basilius iste MS. Constantini Imperatoris mentionem faciat, cui scholia sua obtulit: hoc spectare videtur ad Constantinum Porphyro-genetam, qui ab anno 912. ad 944. Imperium tenuit. Sane inter MSS. codices græcos Isaaci Vossii quos domini Curatores hujus Academiæ Lugduno-Batavæ ac bibliothecæ publicæ pretio compararunt ab hæredibus dicti Vossii, extat codice 20 in folio, ex catalogo dictorum codicum *Basilii Minimi* βασιλείου ἐλαχίστου *Cæsariensis Episcopi ad Constantinum Porphyrogenetam Imperatorem commentarius in plurima Gregorii Nazianzeni scripta.* Nec legenti præfationem dubium, quin ea omnia quæ in ipsa enuntiantur Constantino Imperatori Porphyrogenetæ conveniant, cujus temporibus uterque hic scholiastes seu commentator operum Gregorii Nazianzeni florebat. Hæc de tempore *Basilii* atque *Gregorii*, qui orationes Theolog. Scholiis illustrarunt, designato, jam ad utriusque scripta ac primum Basilii veniendum est.

Codice MS. Theologico græco XCVIII. pag. 1. Bibliothecæ cæsareæ Vindobonensis."

con-

„contioentur *Basilii cujusdam* hactenus inedita
„*Scholia* in easdem sæpe jam supra memoratas
„*S. Gregorii Nazianzeni orationes sexdecim:* qua-
„rum 1. ibi est *in sanctum pascha & in tarditatem.*
„2. itidem *in sanctum pascha* 3. in *Novam domi-*
„*nicam & S. Mamantem Martyrem* 4. *In penteco-*
„*sten* 5. *In Maccabæos* 6. *In sanctum Cyprianum*
„*Martyrem* 7. *ad patrem silentem ob plagam gran-*
„*dinis* 8. *Ad Julianum tributorum exæquatorem*
„9. *In nativitatem Christi* 10. *Funebris in laudem*
„*S. Basilii Magni* 11. *In sancta lumina* sive *in fe-*
„*stum Epiphaniæ* 12. *In sanctum baptisma,* 13.
„*Ad sanctum Gregorium Episcopum Nyssenum,* 14.
„*In laudem Sancti Athanasii Archiepiscopi Alexan-*
„*drini* 15 *in præsentiam centum quinquaginta Epi-*
„*scoporum,* 16. *de amore erga pauperes.* Notan-
„dum autem est, quamvis *Scholia primæ oratio-*
„*nis* ob defectum aliquot foliorum in initio mu-
„tila sint, ideoq; etiam titulus eorum desit, no-
„men tamen Basilii non solum singulis fermé fo-
„liis abbreviate scriptum legi in margine, verum
„etiam integrum extare in principio *orationis*
„*nonæ in Christi nativitatem:* cujus utpote scho-
„liis præfixa est *Epistola Basilii ad Imperatorem*
„*Constantinum*, non quidem illum magnum, aut
„ejus filium *Constantinum secundum*, sed ad alium
„aliquem ex recentioribus ejusdem nominis Im-
„peratoribus. Ipsa jam tituli & principii jam
„memoratæ Epistolæ dedicatoriæ verba sunt
„hæc: Ἀρχὴ τῶν Σχολίων τοῦ χριστὸς γεννᾶται βα-
„σιλείου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδο-
„κίας τῷ φιλοχρίστῳ Δεσπότῃ Κωνσταντίνῳ Αὐτο-
„κράτορι. ἐν ταῖς μεγίσταις καὶ δημοτελέσι, τῶν
„πανηγύρεων μέγιστε Αὐτοκράτορ, οὐ μόνον ἐν τέλει
„καὶ βάρει πλούτου &c. ut igitur per Imperato-
„rem *Constantinum*, cui hæc epistola inscripta
„est, intelligendus non est Constantinus Ma-
„gnus: Sic quoque Basilius iste qui Sancti Gre-
„gorii Nazianzeni orationes Scholiis suis illu-
„stravit, cum Sancto Basilio Magno Cæsareæ
„Cappadociæ Archiepiscopo confundendus non
„est; Ideoque verba illa Ἀρχιεπισκόπου Καισα-
„ρείας Καππαδοκίας, tanquam absurda imperi-
„ti librarii commentum, sine controversia ibi
„delenda sunt. Cujus alterius Basilii meminit
„etiam Elias Metropolita Cretensis, ut in re-
„censione præcedentis codicis proxime asserui-
„mus: qui nec aliter ibi, quam simpliciter tan-
„tum *Basilius quidam* appellatur. A Joanne
„autem Jacobo Frisio in *Bibliotheca universali,*
„idem Basilius vocatur *Thessalonicensis:* Sed un-
„de Joannes Sambucus cujus autoritatem Fri-
„sius hac in re secutus est, cognomen istud *Thes-*
„*salonicensis* desumserit, omnino mihi est inco-
„gnitum. Imo nec iste Basilius quem allegat
„Elias Cretensis anno 787. clarus, haud idem
„esse potest cum Thessalonicensi Basilio, qui
„tempore Adriani IV. Seculo XII. floruit, ut in-
„fra dicemus. Cæterum haud silentio præ-
„tereundum est, in Codice MS. præfato XCVIII.
„de quo in præsens agitur, *Scholiis Basilii* non
„pauca etiam alia Scholia permixta esse, quo-

rum quibusdam, præter inscriptionem ordi-“
nariam ἄλλως εἰς τὸ αὐτὸ, ad marginem ad-“
scriptum esse Μαξίμου, hoc est, ut ego inter-“
pretor, *Sancti Maximi Monachi Martyris.*“

Codice quoque MS. Theologico græco C.“
& quidem a folio 1. ad folium 96. pag. 1. ejus-“
dem memorati supra *Basilii Scholia hactenus*“
inedita in Gregorii Nazianzeni orationes quinde-“
cim, quorum titulus minus antiqua manu scri-“
ptus, talis ibi est: ὑπομνηματισμοὶ καὶ ἐξήγη-“
σις τοῦ μεγάλου βασιλείου εἰς τὸν μέγαν Γρηγόριον“
τὸν Θεολόγον. Harum 1. est, *Magna apologe-*“
tica post reditum ex fuga in pontum, 2. *est secun*“
da de Theologia, 3. Cujus orationis in Scho-“
liorum principio titulus legitur, ut in proxi-“
mo præcedenti codice XCIX. ὑπομνηματισ-“
μοὶ σύντομοι βασιλείου: *Tertia de Theologia, sive*“
prima de filio, 4. est *quarta de Theologia* sive se-“
cunda *de filio:* 5. est *quinta de Theologia* sive“
de spiritu sancto. 6. *ad eos qui ex* Ægypto ad“
venerant, 7. *est epistola prima ad Cledonium*“
8. *est epistola secunda ad Cledonium.* 9. *De*„
seipso ad eos qui dixerunt ipsum affectare Ca-“
thedram Constantinopolitanam 10. *cum postea*“
quæ a Maximo perpetrata fuerant, rure in urbem“
rediisset 11. *in laudem Heronis philosophi Alexan-*“
drini 12. ad *Evagrium Monachum de divinitate.*“
13. De *modestia in disputationibus servanda.* 14.“
Est prima Invectiva in Imperatorem Julianum Apo-“
statam 15. *Invectiva secunda in Imperatorem Julia-*“
num Apostatam. Secundo & quidem a folio 96.“
pag. 1. *Ejusdem Basilii epilogus apologeticus Scho-*“
liorum suorum in sancti Gregorii Nazianzeni ora-“
tiones, & præcipue quidem *in invectivas duas in*“
Imperatorem Julianum Apostatam, Incipit is abs-“
que ulla peculiari inscriptione, his verbis:“
μηδὲ τῶν ἐντυγχανόντων ἐπιτιμάτω, εἰ καὶ ταῦτα &c.“

Denique codice MS. theologico græco“
XCIX. qui membraneus antiqvus in mino-“
ri folio est, atque olim ad Arsenium quendam“
Monachum, ut primo ejus folio his verbis an-“
notatum est φιλοθέου μοναχοῦ ἡ βίβλος αὕτη,“
pertinuit: extant a folio 1. usque ad folium“
144. pag. 2. *Ejusdem Basilii* hactenus inedita,“
sed præter tamen *dignissima scholia in sancti Gre-*“
gorii Nazianzeni orationes viginti novem, qua-“
rum pleræque in MSS. antecedentibus duo-“
bus codicibus expressæ sunt, aliæ autem diver-“
sæ sunt. Quarum 1. *est prima de Theologia* sive“
disputationis adversus *Eunomianos præludium.*“
2. *est secunda de Theologia* 3. *est tertia de Theo-*“
logia sive *prima de filio* 4. est *quarta de Theo-*“
logia sive *secunda de filio* 5. *est quinta de Theolo-*“
gia sive *de spiritu sancto* 6. *est tertia de pace,* 7.“
ad eos qui ex Ægypto venerant 8. *est epistola pri-*“
ma ad Cledonium. 9. *Est epistola secunda ad Cle-*“
donium 10 *de seipso & ad eos qui ipsum dixe-*“
runt affectare cathedram Constantinopolitanam 11.“
Cum post ea quæ a Maximo perpetrata fuerunt, ru-“
re in urbem rediisset 12. *In laudem Heronis Phi-*“
losophi Alexandrini 13. *Est magna apologetica*“
post reditum ex fuga in pontum. 14. *Est apologe-*“

„*tica ad Patrem præsente S. Basilio Magno* 15. *est* „*apologetica ad patrem & sanctum Basilium Magnum, post reditum ex fuga* 16. *ad eos qui ipsum* „*vocaverunt, & postea non venerant, cum factus esset* „*presbyter.* 17 *Ad Cives Nazianzenico timore per-* „*culsos & præfectum irascentem* 18. *oratio funebris* „*in laudem cæsarii fratris* 19. *Funebris in laudem* „*Gorgoniæ sororis.* 20. *Funebris in laudem patris,* „*præsente S. Basilio Magno* 21. *Invectiva prima* „*in Imperatorem Julianum Apostatam.* 22. *Inve-* „*ctiva secunda in eundem* 23. *De se ipso & ad Ar-* „*rianos* 24. *De dogmate & constitutione Episcopo-* „*rum* 25. *De ordinatione Eulalii Episcopi Doaren-* „*sium* 26. *ad Evagrium Monachum De divinitate.* „27. *Est prima de pace post reconciliationem Mona-* „*chorum* 28. *est secunda de pace* 29. *est de mode-* „*stia sive moderatione in disputationibus servanda.*

„Atque inter illas orationes fol, 122. pag. 2. „*Ejusdem Basilii præfati epilogus apologeticus Scho-* „*liorum suorum in sancti Gregorii orationes, & præ-* „*cipue quidem in invectivas duas adversus Impera-* „*torem Julianum Apostatam. Inscribitur is atque* „*incipit* hoc modo: τῦ ἐν ἐπισκόποις ἐλαχίςυ „Βασιλείυ Καισαρείας, ἀπολογία εἰς τὺς ὑπο- „μνημαλισμὺς τῶν τῦ μεγάλυ Γρηγορίυ λόγων. Μη- „δεὶς τῶν ἐντυγχανόντων ἐπιτιμάτω, εἰ καὶ τινὰ „τῶν μὴ λίαν ἀσαφῶν σημειώσεων ἔτυχε τῆς παρ' „ἡμῶν, ὡς δῆθεν ἑρμηνείας δεῖσθαι καὶ σαφη- „νείας εἰς δήλωσιν τῶν ὑποκειμένων εἰναῦν. ἐμε- „λησε γὰρ ἡμῖν &c. porro ut jam monuimus su- „pra observandum est, *Basilium S. Gregorii Na-* „*zianzeni Scholiastem*, æque ac in præcedenti co- „dice 98. præfato perperam hic confundi cum „S. Basilio Magno Cæsareæ Cappadociæ Archi- „episcopo: ideoque pro τῦ ἐν Ἐπισκόποις ἐλα- „χίςυ Βασιλείυ Καισαρείας Ἀπολογία, scriben- „dum esse simpliciter Βασιλείυ Ἀπολογία. Idem „enim Basilii nomen simpliciter absque ullo „episcopalis dignitatis additamento, nude & „simpliciter extat pag. 1. folii 18. ejusdem co- „dicis, quippe ubi titulus *Scholiorum orationis* „*prima de filio*, sive inscriptio talis est: εἰς τὸν „περὶ υἱῦ Γρηγορίυ τῦ Θεολόγυ λόγον α'. ὑπο- „μνηματισμοὶ σύντομοι Βασιλείυ ipsa autem scho- „lia incipiunt hoc modo: ὁ μετὰ χεῖρας αὐτὸς „περὶ υἱῦ λόγος πρῶτος, ὡς καὶ μετὰ αὐτὸν δεύ- „τερος, πρὸς αἱρετικὺς ἠγώνισαι τῷ ἱεραιο- „φοίτῃ καὶ ἐν Θεολογίαις ὑψηλῷ Γρηγορίῳ, τὺς „ἀπὸ Ἀρείυ καὶ Ἀετίυ καὶ τύτων μάλιςα πρὸς „Εὐνόμιον, τὸν τὴν λύμην τύτων διαδεξάμενον, „καθάπερ τινὰ Κλοπιμαῖον ὑποδοχεῖα γενόμε- „νον &c. Extat *nova bibliotheca MSS. librorum* „*græcorum latinorum & gallicorum seu specimen* *antiquarum lectionum græcarum, latinarum ac* *gallicarum* Philippi Labbei Soc. Jes. edita Pari- fiis 1653. in 4. apud Joannem Henault illic spe- ciminis antiquarum lectionum supplementum VII. pagina 269. inscriptum *Analecta quadam* ex ditissima gaza Bibliothecæ regiæ ubi pag. 281. codice 782. *Basilii minimi Cæsareæ Cappadociæ commentaria in orationes 44. Sancti Gregorii Nazianzeni.* Non tantum igitur ut Elias Cretensis earundem Gregorii orationum commentator in prologo suo ad has orationes scripsit imperite, Basilius Minimus scripserat in sexdecim Gregorii Theologi orationes commentarium, sed in longe plures, ut ex MSS. codicibus allatis constat, cum ex codice cæsareano allato in XXXIII. scripsisset, atque quod magis adhuc, ex MS. codice regiæ bibliothecæ usque ad XLIV. laborem suum produxisset. Huic quoque Basilio Scholiastæ orationum S. Gregorii Nazianzeni attribuimus *Commentarium in Esaiam prophetam*, inter opera S. Basilii cæsareæ Cappadociæ impressum, de quo in censura *Scriptorum S. Basilii*, supra diximus. Hæc hausimus ex lib. 3. commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Petri Lambecii pag. 202. 203. 204. 205. 206. qui solus sed amplissime hujus Basilii S. Gregorii Nazianzeni Scholiastæ mentionem facit.

GREGORIUS PRESBYTER CÆSARIENSIS, ex inspecto a me quodam codice græco homiliæ ipsius *in Sanctos CCCXVIII. patres concilii Nicæni* claruit hoc eodem tempore 940. Antiquior sane quam Elias Cretensis, qui temporibus Nicæni concilii II. anno 787. non floruit, sed circa annum 1110. vel 1130. Quippe enim Gregorii mentionem faciat dictus Elias Cretensis ut testatur Joannes Leunclavius in editione latina operum Sancti Gregorii Nazianzeni editionis Hervagianæ Basileensis anni 1571. in fol. pag. 1. his verbis. *Solus Basilius quidam & Gregorius, qui & sedecim istis orationibus enarrandis operam suam impenderunt, voluerunt quidem illi quasdam annotationes scholiis consimiles etiam in orationes quas nunc contemplaturi sumus, nobis relinquere. Verum quod in ipsis fuit &c.* Scripsit ergo Gregorius teste Elia Cretensi non tantum *commentarios quosdam in sedecim orationes S. Gregorii* quæ vulgo simul uno libro continentur sed *quasdam annotationes Scholiis consimiles in orationes* reliquas *quas Elias Cretensis se contemplaturum esse profitetur.* Scripsit quoque *vitam Sancti Gregorii Nazianzeni* ex ipsius Nazianzeni jambis quos *de vita sua* condidit, & orationibus ut plurimum concinnatam, quam habes græce & latine operibus Gregorii Theologi præmissam. Scholia autem ista Gregorii hujus, Cæsareæ Cappadociæ presbyteri, conjicio ea esse quæ continentur codice MS. Theologico anonymo LXXIX. Bibliothecæ cæsareæ Vindobonensis, cujus mentionem facit Petrus Lambecius libro tertio commentariorum hujus Bibliothecæ pap. 175. ubi post orationes quinquaginta & unam Scholiis illustratas, legitur & quidem a fol. 321. pag. 1. usque ad folium 336. pag. 2, *Vita S. Gregorii Nazianzeni a Gregorio presbytero Cæsareæ Cappadociæ* composita cujus titulus & principium. βίος τῦ ἁγίυ Γρηγορίυ Ἐπισκόπυ Ναζιανζῦ τῦ Θεολόγυ. Συγκαλεῖ μὲν ἡμᾶς ὦ ἄνδρες Γρηγόριος ὁ πάνυ, ὁ τῆς Θεολογίας ἐπώνυμος &c. Scripsit quoque

que *orationem historicam in sanctos CCCXVIII. patres concilii Nicæni & in Constantinum Magnum* quæ latine primum prodiit apud Laurentium Surium ad diem decimum Julii græce & latine apud Franciscum Combefisium *Auctarii Novi* anno 1648. tomo 2. pag. 547. cum notis.

Extat eadem inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Num. 234. in MSS. Baroccianis Codic. 234. pag. 381. & ibidem num. 725. in MSS. Cod. Guilielmi Laudi Codice 84. pag. 233. b. & inter MSS. codices Ecclesiarum Angliæ cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 9098. in MSS. Codd. Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis codice 27. Eadem extat quoque græce MS. in regia Galliarum Bibliotheca codice MS. 91. unde edidit illam Franciscus Combefis juxta Labbeum parte 1. pag. 71. *Nova bibliotheca MSS. librorum græcorum latinorum & gallicorum* ex MSS. Codicibus regiis, quæ edita Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault.

Mentionem facit hujus *Gregorii Cæsareæ presbyteri* Gerardus Joannes Vossius lib. 4. *de historicis græcis* cap. 19. pag. 491. editionis 1651. in 4. ultimæ, qui rem acu tetigit, dum ex conjecturis, (nullam enim rationem affert) illum ad annum 940. collocavit. Idem quoque post Vossium ducem hac in parte non cæcutientem, scripsit Petrus Lambecius lib. 3. commentariorum *Bibliothecæ cæsareæ Vindobonensis* pag. 243. in catalogi Seculi X. pag. 271. Idem qui Vossium exscripsit, Guillelmus Cavus, in *Historia scriptorum Ecclesiæ*, Seculo X. ad annum 940 pag. 581. Hic tamen venia dignus non est, etiam dum veritati patrocinatur. Qua enim ratione loco citato pag. 581. Hunc Gregorium presbyterum, Scholiastem orationum 3. Gregorii Nazianzeni, anno 940. alligat, atque Eliam Cretensem Archiepiscopum anno 787. temporibus Nicænæ Synodi, cui interfuisse legitur? dignus plane Cavus qui hanc ob causam multis vapulet. Certum namque est Eliam illum Cretensem, quem Synodo Nicænæ II. adfuisse asserit *in historia scriptorum ecclesiæ* pag. 499. non semel sed iterum meminisse in commentariis suis ad orationes Gregorii Nazianzeni, hujus de quo nunc loquimur Gregorii Cæsariensis Presbyteri, cujus verba supra attulimus *Solus Basilius quidam & Gregorius, qui & sedecim istis orationibus enarrandis operam suam impenderunt &c.* Quomodo ergo, bone Vir, Elias Metropolita Cretensis qui juxta te temporibus Nicænæ Synodi II. vivebat, meminisse potuit Gregorii Presbyteri Cæsariensis, qui centum & quinquaginta post annis vixit secundum te, anno nimirum 940. Solve nodum hunc indissolubilem. Quomodo quis meminisse potest hominis, qui post annos centum & quinquaginta postmodum floruit? Errat ergo aperte Cavus, dum etiam illum Cretensem, qui Gregorii Cæsariensis Presbyteri meminit anno 787. pag. 499. *historia scriptorum Ecclesiæ* assignat: quem nos postea demonstrative circa annum duntaxat 1130. vel 1120. floruisse docebimus, duosque extitisse Elias Cretenses, quorum ultimus assignatum a nobis tempus chronologiæ non excesserit.

BERNERUS SANCTI REMIGII REMENSIS MONACHUS, Ordinis divi Benedicti, hoc obscuro seculo, moribus insignis fuit, nomenque suum posteritati Opusculis aliquot Latinis commendavit. Hic anno 948. ex Archicœnobio sancti Remigii Remensis, Monachorum coloniam secum Humolarias in Viromandicis partibus duxit, ad Disciplinam regularem, quæ Monialibus ob scandalum vel extinctis vel inde pulsis pessum abierat, restituendam. Humolariensi Cœnobio Bernerus præfectus, mirum est quantum huic loco desolato ac diruto decorem, quantaque bona contulerit: sub quo quippe nobilissimi viri Monasticen complecti gestiebant. Claruit autem & scientia in isto obscuro seculo, quam testatus est scribens *Vitam sanctæ Hunegundis Humolariensis I. Abbatissæ*, quam habes apud Joannem Mabillon Seculo II. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*. Idem scripsit Opusculum *De Translatione corporis sanctæ Hunegundis*, quod edidit idem Joannes Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 214. & sequentibus. Lucubratio Berneri *De translatione sanctæ Hunegundis*, desinit in descriptione Miraculorum, quæ ante annum 965. patrata sunt. Anno autem 964. Bernerus adhuc in vivis superstes, alumnos suos ad Insulanum Quintiniani oppidi Monasterium adduxit, qui Clericis illic cum scandalo & turpitudine viventibus ejectis, ibi Monasticas leges instituerunt. De *Bernero* Joannes Mabillon in prælūdiis ad Opuscula citata. 950.

FLODOARDUS SEU FRODOARDUS, qui & Flavaldus Sigeberto in Catalogo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 132. dicitur, de quo hæc inquit: *Flavaldus Monachus Rhemensis, scripsit Gesta Pontificum Rhemensium, orditus narrationem suam, à conditione ipsius Civitatis, quæ à qualitate civium, qui in bello erant duri cordis, primo aucupata est sibi nomen*, Cordurus. *Postea milites Remi à Romulo fratre suo à facie Romuli fugientes ad eam profugerunt, eamque à nomine principis sui Remi, Remum denominaverunt. Hic scriptor digne scriptoribus ideo connumeratur, quia digressus ab opere suo memoriam faciens sanctorum Martyrum vel Confessorum, quiescentium in Ecclesiis Remensi Ecclesiæ adjacentibus vel subiacentibus, Vitas vel Passiones eorum legentibus notificavit.* Hæc Sigebertus, ubi male Gerardus Joannes Vossius pro *Cordurus* legendum putat *Durocortorum*, ut est apud Frodoardum. Claruit autem ab anno 940. Culmiciacensis simul pastor & Canonicus Remensis, qui locus *Cormicy* Gallice dicitur, Rhemis 4. horis distans. Cum enim Heribertus Viromandiæ Comes, jura omnia Ecclesiæ Rhemensis deprædatus, Hugonem filium septenne puerum in Rhemen- 950.

Rhemensem Archiepiscopatum ante aliquot annos promoveri fecisset: Flodoardum nostrum utpote electioni filii sui adversantem, *Ecclesia Culmiciacensi una cum terra beneficii, quam tunc temporis tenebat, privavit*, ut ipsius verbis utar. Nec id modo, sed cum nonnulli illum insidiarum apud Comitem insimularent, in libera custodia ipsum detinuit, unde post quinque menses dimissus est. Hugo autem postmodum, illi jam adultus factus Ecclesiam S. Mariæ in Colvido sitam dedit, terram quam abstulerat reddidit, aliamque in prædicta villa largitus est. Obiit anno 966. Martii die 28. ætatis suæ 73. Hæc de Vita Flodoardi ex Flodoardi ipsa Historia, apud Guilielmum Cavum in *Historia rei literaria* Seculo obscuro ad annum DCCCCXL. pag. 581.

Condidit *Historiam Ecclesia Remensis libris IV.* qui prodierunt una cum Appendice Anonymi, antiqui tamen authoris, à Sirmondo editi Parisiis 1611 in 8. Et cum Notis Georgii Colvenerii Duacensis academiæ Professoris Duaci, 1617. in 8. Denique etiam in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis tantum, Tomo XVII. pag. 500.

Item *Chronicon* reliquit ab anno 919. ad annum 966. quod reperies in *Annalibus Francia coætaneis* à Petro Pithœo editis Parisiis 1588. in 8. & Francofurti 1594. in 8. pag. 109. Neque deest inter Scriptores *Historia Francorum* ab Andrea Duchesnio, editos Parisiis in folio Tomis V. ab anno 1536. & sequentibus. Exorsus tamen altius videtur hoc Chronicon, nempe ab anno DCCCLXXVII. quo Carolus Calvus decessit. Indicium faciunt Opusculi prima verba, *Anno Domini DCCCCLXXVII & indictione XII. Nonis Octobris præcellentissimus Imperator Karolus &c.* Vbi rescribendum est, *Anno DCCCLXXVII. indictione XI. Nonis Octobris.* Nam ut sequentia docent, clare loquitur de excessu Karoli ejus, qui Ludovici Pii filius, Karoli Magni nepos extitit. Post ista de Karoli Calvi obitu, pluscula desiderantur, usque ad annum DCCCCXIX. Hæc ingeniose observavit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 40. pag. mihi 347. editionis ultimæ. Sed remedium huic malo non mediocri afferri potest, nam illud Chronicon Frodoardi, integrum atque rarissimum opus, extat inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Othonis Codice 3. num. 3. ubi ita exprimitur.

„Num. 3. Chronica Frodoardi Monachi san-„cti Albani ab Octaviano Imperatore ad annum „Christi DCCCCLXVI.

„Num. 4 Chronica Reginaldi Archidiaconi „Andegavensis, nempe Continuatio prioris „ad annum MCCLXXVII. In fine est ge-„nealogia Regum Francorum à Faramundo ad „Philippum filium Hamonis. Hæc me docuit Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, quem anno 1696. in folio ex theatro Scheldoniano Oxonii conscripsit, pag. 69. columna 2. Codex sane rarissimus, ex quo Chronicon Frodoardi integrum sperare ab Anglis aliquando possumus, & *Supplementum illius à Reginaldo Andegavensi Archidiacono, usque ad annum MCCLXXVII.* Quod autem in MS. Codice, Frodoardus *Monachus S. Albani* dicatur, hoc tribuendum videtur Exscriptori, qui ita perperam opinatus est, forsitan quod in eo nonnulla legerit ad Abbatiam S. Albani spectantia, unde hujus loci Monachum fuisse credidit. Sed hoc nihil contra Chronicon Frodoardi facit, quod hinc integrum assequi cum *Supplemento* possumus. Joannes Bunderius in *Indice Manuscriptorum Codicum Belgii*, auctor est & Vitas Sanctorum scripsisse, nam ab eo ista laudantur: Flodoardus Presbyter de triumphis *Italicis Martyrum & Confessorum metrice, Libri XV. MSS. Treviris in summo templo. De triumphis Christi & sanctorum Palestina, metrice libri III. MSS. ibidem. De triumphis Christi & Sanctorum Antiochia gestis, metrice libri II. MSS. ibidem.* Quæ Trevirensium beneficio lucem adspectura speramus. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib 2. *De Historicis Gracis* cap. 40. pag. 347. editionis ultimæ. Sed juxta Joannem Mabillionem Opus istud carmine herocio XIV. libris constans, extat in MSS. Codicibus Carmelitarum Claromontanorum in Auvernia, unde optante eodem Mabillione, dum incumberet Legendis Sanctorum Ordinis Divi Benedicti colligendis, opus est missum à Carmelitis Claromontanis ad Carmelitas Discalceatos Parisienses, quorum beneficio, sunt enim Mendicantes ignavissimi ac litteratorum parum solliciti, in manus Mabillionis devenit, non sine multis instantiis, de quibus ita loquitur Libri XIV. versuum heroicorum initio qui-“dem mutili, *de Summis Pontificibus à B. Petro ad*“ Leonem VII. quo etiam in opere sub singulis“ Pontificibus, non pauca Sanctorum Elogia in-“serta extant. Prolixam admodum hujus Ope-“ris partem, nempe à Gregorio II. ad Leonem“ VII. dictus Mabillio edendam curavit Seculi“ III. Benedictini parte 1. pag. 596. Ex eodem Co-“dice, nempe Libro XIV. cap. 18. Vitam Sancti“ Columbani Abbatis edidit idem Mabillio Se-“culo II. pag. 30. ut & *Sancti Attala Vitam* ibi-“dem pag. 127. *Carmen etiam de Sancto Bertulfo*“ *Abbate Bobiensi* ibidem pag. 66. Denique ex li-“bro XIII. *Carmine VIII, de S. Benedicto multisque*“ *ejus miraculis carmen* integrum protulit idem“ Mabillio in Supplemento Seculi I. quod habe-“tur ad calcem Seculi II. pag. 1095. Idem hoc“ Opus est teste Mabillione qui in manibus ha-“buit, cum libris *Frodoardi XV. De triumphis Italicis Martyrum & Confessorum* metro barbaro scriptis, qui ut ex Indice MSS. Bonderiano liquet, Treviris asservabantur, ut mihi, dum Parisiis cum ipso eram, testatus est. Hæc ad ea quæ Cavus iterum de *Flodoardo* scripsit Tomo 2. seu parte 2. ad annum 940. *Historia literaria*, velut Supple-

Supplementum Tomi I. seu partis I. ad eundem annum pag. 581.

956 THEODORUS DAPHNOPATA, primus à secretis atque Patricius apud Constantinopolim, claruit anno 956. cujus mentionem faciunt Joannes Scylitzes ac Georgius Cedrenus, uterque in Historiarum suarum *proœmiis*, atque inter eos qui Historiam Byzantinam sive Constantinopolitanam scripserunt, præcipuum ibi locum obtinet. Ætatem qua vixit, indicat Oratio ipsius in *Manum S. Præcursoris Baptistæ*, quæ diu magnaque cura, inquit Cavus Tomo 2. seu parte 2. *Historiæ literariæ* ad annum 956. Antiochiæ in templo D. Petri custodita fuerat, quam tandem clam surripuit Jobus quidam Diaconus Antiochenus, & urbe noctu egressus, Chalcedonem detulit, ubi Imperatoriæ Triremi ad hoc ipsum emissæ impositam illustriores Senatores procedentes obviam, cum Polyeucto Patriarcha & universo Clero & Populo, cum cereis, facibus & suffitibus, eam in Palatium deduxerunt, anno circiter DCCCCLVI, referente hæc Cedreno *Historia Græco latina* pag. 640. Mox institutum hujus *Translationis* festum, & hac occasione anno sequenti, cum anniversaria istius festi rediret solemnitas, hanc Orationem Theodorus habuit, uti numeris XVI. XVII. XVIII. & XIX. ipse prolixe narrat. Hinc ejus ætas alioquin satis obscura clare deprehenditur. Hæc ex Laurentio Surio Cavus loco allegato. Scripsit quoque *Historiam* sive *Chronicon Byzantinum*, quod posteris invidit lapsus temporis omnium edacis. At alia nobis supersunt eius Opera, quæ famam Theodori posteris utcunque servant. Extant ejusdem *Apanthismata* sive *Flosculi ex variis Sancti Johannis Chrysostomi Operibus excerpti* inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codd. 2544. & 2545. in MSS. Thomæ Bodleii Codd. 254. & 255. quorum primus continet ejusmodi Eclogarum Sermones 52. secundus codex Sermones 14. ex Chrysostomo excerptos per Theodorum Magistrum Græce. Iidem & in Augustana Bibliotheca Codice 68. in Sermones 36. distribuuntur &c. Et in XXXIII. capita divisi, MSS. quidem in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codicibus MSS. Theologicis Græcis CLIII & CLIV. ut habet Lambecius Tomo IV. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 137. & 139. ad dictos „Codices his verbis. *Theodori Daphnopatæ Apanthismata sive flosculi, ex variis sancti Joannis Chrysostomi Operibus decerpti*, & in capita 33. divisi, ipsa tituli Græci verba sunt, Ἀπανθίσματα τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ χρυσοστόμου, ἀναθροισθέντα παρὰ κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Δαφνοπάτου. Extant quidem hæc Apanthismata in Operum Sancti Joannis Chrysostomi editione Græca Saviliana Tomo VII. pag. 665. & in editione Græco Latina Frontoniana Tomo VI. pag. 663. sed ordo & numerus utrobique discrepat ab hoc Codice Cæsareo, ut conferenti mihi patuit. Insignitur auctor titulo *Protosecretarii ac Patricii*, & sine dubio ille ipse est, ὁ Δαφνοπάτης Θεόδωρος, qui à Joanne Scylitza & Georgio Cedreno in suarum Historiarum *Proœmiis* citatur, & inter eos qui Historiam Byzantinam sive CP. particulatim scripserunt, præcipuum ibi locum obtinet. Extat quoque in eadem Bibliotheca Cæsarea, ut testatur idem Lambecius Tomo IV. ejusdem Bibliothecæ pag. 60. in Codice MS. Theologico Græco CXI. num. 5. & quidem à fol. 87. pag. 1. usque ad fol. 98. pag. 2. *Theodori primi à Secretis & Patricii cognomento Daphnopatæ, Oratio de Manu S. Joannis Baptistæ, Antiochia Constantinopolim translata*, cujus titulus & principium, Θεοδώρου Πρωτοασηκρήτου καὶ Πατρικίου τοῦ Δαφνοπάτου, λόγος εἰς τὴν ἐξ Ἀντιοχείας ἀνακομιδὴν τῆς σεμνῆς καὶ τιμίας χειρὸς τοῦ ἁγίου Ἰωάννου, τοῦ Προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ. Incipit Ἰδοὺ καὶ πάλιν ἡμῖν ὁ ἱερὸς τοῦ χριστοῦ ἐπεδήμησε Πρόδρομος, τῶν αὐτοῦ χαρίτων ἀναδιδοὺς ἀφθόνους τὰ νάματα. Extat quidem hæc Oratio apud Laurentium Surium Tomo IV. *De probatis SS. Historiis* die 29. Augusti, sed Latine tantum & absque nomine authoris sui *Theodori Daphnopatæ*, incipitque ab his verbis: *Ecce ad nos rursus venit sacrosanctus Christi Præcursor, abunde fluenta emittens suarum gratiarum.* Ejusdem Orationis de translatione manus S. Joannis Baptistæ, meminit etiam Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 96. ibidemque ea itidem ut in hoc Codice MS. Cæsareo, attribuitur *Theodoro Daphnopatæ*. Idem Allatius ibidem pag. 87. aliam Orationem Theodori Daphnopatæ profert *In Nativitatem Præcursoris* εἰς τὸ γενέσιον τοῦ τιμίου Προδρόμου, quæ incipit Εἰ μὲν ὁ τοῦ Λόγου κῆρυξ καὶ πρόδρομος, atque in Codice 1074. Vaticano tribuitur Theodereto Cyri Episcopo, Θεοδορίτου ἐπισκόπου Κύρου, cujus inter Opera impressa Græce & Latine invenitur. Ad eundem Theodorum Daphnopatam pertinet, *Encomium Sancti Pauli Apostoli ex diversis collectum*, cujus meminit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus* pag. III. Ἐγκώμιον ἀπὸ διαφόρων λόγων τοῦ Χρυσοστόμου, εἰς τὸν ἅγιον ἀπόστολον Παῦλον sub nomine *Theodori Magistri*, & incipit, Τῆς μὲν ἐπιγραφῆς τῶν ἀποστολικῶν πράξεων. Nam ut notat Savilius ad *Apanthismata* citata, illorum author in MSS. Codicibus Vaticano & Palatino, fertur *Theodorus Magister*, qui in Cæsareo diserte *Daphnopata* appellatur. Atque etiam hoc *Encomium* reperitur inter *Apanthismata* varia hujus Theodori in editione Saviliana, Operum Divi Chrysostomi. In Dissertatione *De Operibus Sancti Joannis Chrysostomi editis* cap. 9. Savilius refert *Florigeria XXXI. ex Homiliis Sancti Joannis Chrysostomi decerpta per Theodorum Magistrum* de quo loquimur, quæ habet dictus Savilius Tomo 7. pag. 665. editionis Græcæ Etonensis usque ad *Florigeria XLVIII.* additis nempe 5. 9. 11. 22. 28. 32. 33. 39. 40. 41. 42.

41. 42. 43. 44. 45. 46 47. & 48. Verum ex his quam plurima excerpuntur ex illis homiliis quæ supersunt, atque adeo alibi habentur. De his autem ita Savilius in Notis ad Tomum VII. col. 919. editionis suæ Græcæ. *Apanthismatum numerus in Manuscriptis fere 32. 33. vel 34. quibus si demas 9. 11. & 28. supersunt tantum capita 31. Eclogarum nomine, jure censenda.* Plura de his in Dissertatione *De Operibus Chrysostomianis* cap. 9. ad quod lectorem mittimus, omnibus ex Savilio acceptis. Hic Theodorus noster Daphnopata postmodum aula Imperatoris derelicta, per more Græcorum multorum, elegisse Monasticam vitam videtur, atque scripsisse *Encomium in sanctum Gregorium Nazianzenum & Constantinopolitanum Archiepiscopum*, uti habet Petrus Lambecius Libro 6. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis parte 1. ad Codicem MS. Juridicum Græcum Num. 10. pag. 36. his verbis.

„Decimo & quidem à folio 221. pag 1. usque „ad folium 292. pag. 2. *Theodori Magistri Oratio* „*encomiastica in Sanctum Gregorium Nazianzenum*, „cujus titulus & principium: Λόγος ἐγκωμιαστικὸς πρὸς τὸν ἐν ἁγίοις Πατέρα ἡμῶν Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως καὶ οἰκουμενικὸν διδάσκαλον Γρηγόριον τὸν Θεολόγον συγγραφεὶς παρὰ τοῦ τιμιωτάτου ἐν μοναχοῖς, σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Θεοδώρου τοῦ Μαγίστρου. Οὐκ ὅπως οὐδ᾽ ἂν εἷς οἶμαι τῶν πάντων, οὐδ᾽ ὅπως τι οὖν ἐμοὶ νεμεσήσει, οὐδ᾽ ἀπονοίας ἥττηνθο οὖν ἔλοι, καὶ θράσους, εἰ μηδὲν μήτε τὸ μέγεθος ὑπολογισάμενος τοῦ παρόντος ἀγῶνος, οὐδ᾽ ὡς &c. „Idem autem Lambecius Libro V. Commenta„riorum dictæ Bibliothecæ Codice 266. Num. „13. adscripserat ex conjecturis idem Encomi„um cuidam Symeoni Setho pag. 201. his ver„bis. Decimo tertio & quidem à folio 167. „pag. 1. usque ad folium 232. pag. 2. *Anonymi* „*cujusdam Magistri* qui Symeon Sethus esse vide„tur (solet enim illi etiam in aliis nonnullis „MSS. Codicibus Græcis, titulus Μαγίστρου καὶ „Ῥήτορος antonomastice attribui) *Oratio enco*„*miastica in Sanctum Gregorium Nazianzenum Pa*„*triarcham Constantinopolitanum*, cujus titulus „& principium: τοῦ σοφωτάτου καὶ ῥητορικωτάτου Μαγίστρου λόγος ἐγκωμιαστικὸς πρὸς τὸν ἐν „ἁγίοις Πατέρα ἡμῶν, καὶ οἰκουμενικὸν διδάσκα„λον, Ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως, Γρηγό„ριον τὸν Θεόλογον. Οὐχ᾽ ὅπως, οὐδ᾽ ἂν εἷς οἶμαι „τῶν πάντων, οὐδ᾽ ὅπως τι οὖν ἐμοὶ νεμεσῆσαι, οὐδ᾽ „ἀπονοίας &c. Denique in Bibliotheca Lugdunobatava nostra in MSS. Codicibus Græcis Isaaci Vossii Codice Græco 144. *Vita Sancti Theodori* Studitæ τοῦ τῶν Στουδίων ἡγουμένου, *à Theodoro Magistro, qui vulgo* Δαφνοπάτης *dicitur*, conscripta. Et in Augustana Bibliotheca Codice 68. sub finem Codicis, ut ex Catalogo constat. Petrus Lambecius libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Vindobonensis Codice 163. pag. 160. recenset hoc Codice contineri *Expositionem Theodori Antiocheni in 12. Prophetas Minores*, quem Petrus Lambecius fuisse Mopsvestiæ in Silicia Episcopum putat, qui anno 430. vel paulo ante obierit. Hujus titulus & principium, Θεοδώρου Ἀντιοχέως ἑρμηνεία εἰς τοὺς Προφήτας. Ἑρμηνεία Ὠσηὲ τοῦ Προφήτου. εἰς ἔλεγχον τῶν ἀδβασανίστως ἐπιβάλλειν ταῖς προφητικαῖς ἐπιχειρούντων φωναῖς. Putat autem Lambecius ex Photii Bibliotheca Codice 38. ubi memoratur Θεοδώρου Ἀντιοχέως τοῦ Μοψουεστίας ἑρμηνεία τῆς κτίσεως, hoc Opus ad eum spectare: ego autem longe recentioris ætatis, ex ipso illius initio hunc Commentarium esse arbitror atque pertinere ad Theodorum Daphnopatam Antiochenum, qui ex divi Chrysostomi Antiocheni operibus *Apanthismata* excerpsit. Sententiam Lambecii secutus est Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationes S. Mauri in Gallia in *Diario Italico* edito Parisiis in 4. anno 1702. apud Joannem Anisson, ubi de duobus aliis Commentarii hujus in Italia MSS. Codicibus loquitur his verbis cap. 3. ubi de" MSS. Codicibus musæi Grimani agit pap. 39." *Theodori Antiocheni* in 12. Prophetas, cujus O-" peris initium εἰς ἔλεγχον τῶν ἀδβασανίστως &c." Liber nondum editus videtur, extat quoque" in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi & in" Vaticana. Nescio cujus Theodori sit, an An-" tiocheni, an Heracleotæ, an alterius ejusdem" nominis, qui bene multi fuerunt. Hæc Com-" mentaria bonæ notæ sunt, codex recens. Et" pag. 46. ubi de Bibliotheca Meletii Typaldi" Archiepiscopi Philadelphiæ Græcorum Anti-" stitis. In alio Codice *Theodori Antiocheni in*" *XII. Prophetas*, idem opus, de quo supra in æ-" dibus Grimanis agitur. In monito ad Com-" mentarium Oseæ, hic Theodorus citat suum" librum in *Psalmos*, litteram vulgo explicat." Commentarius bonæ notæ, non memini an" vox Ἀντιοχέως *Antiocheni* in Codice legatur," an à me ex opinione adjecta sit." Hæc ego habui dicenda de *Theodoro Daphnopata*, quæ suppeditarunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Græcis* pag. mihi 418. Leo Allatius in Diatriba *De Simeonibus*, pag. 96. 87. & 111. Petrus Lambecius Libro IV. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 60. 137. & 139. Guillelmus Cavus Tomo 2. seu parte 2da *Historia literaria* ad annum 956. quo illum affixit.

HEREMBERTUS seu EREMPERTUS ad 956.
etiam ERCHEMPERTUS, gente Longobardus, Monachus & Diaconus Cœnobii Cassinensis, hac quoque ætate post annum 956. floruisse videtur, licet apud eruditos tum de Opusculis ejus, tum de ætate quà vixit, controversia sit, & inter Nomenclatores dissidium. Collocat illum Guillelmus Cavus sub Carolo III. seu Crasso Imperatore ad annum 887. p. 566. *Historia literaria* seu *de Scriptoribus Ecclesiasticis* de quo ita loquitur. „Herembertus seu Erchempertus gente Longobardus, illustri stemmate"

or-

„ortus, genus nempe à Beneventanis Ducibus sumens, Monachus & Diaconus Cœnobii Cassinensis, claruit anno 887. quo Romam ad Stephaoum Papam ab Angelario Abbate Cassinensi missus est, & monasterio suo privilegium impetravit. Scripsit *Chronicon sive Historiam Longobardorum fusiorem*, quam ad annum usque 888. deduxit. *Epitomen* illius ab ipso (ut creditur) Heremperto coocinnatam ex Codice MS. Vaticano eruit, & notis illustratam edidit Antonius Caracciolus Neapoli 1626. in 4to, una cum *Lupi Protospatha*, *Anonymi cujusdam Cassinensis*, *& Falconis Beneventani Chronicis*. Composuit etiam *Carmen de Vita Landulphi Episcopi Capuani*, *Acta translationis reliquiarum S. Matthæi Apostoli*, *de destructione & renovatione Cassinensis Cœnobii*, *Historiam de incursione Ismaelitarum*: de quibus videsis Petrum Diaconum cap. 14. & Joannis Baptistæ Mari in eundem notas." Hæc Guillelmus Cavus, qui plura Opuscula ipsi adscribit, quæ vel dubia vel falso ei attribuuntur. Nam qui non procul ab ætate illius aberat, Leo Marsicanus seu Ostiensis Libro I. Chronici Cassinensis cap. 10. ubi de Paulo Longobardo loquitur, unicum Heremberto opusculum adscribit *Continuationem Historiæ Longobardicæ Pauli Diaconi*, de aliis silet. Continuavit ejus historiam, *Dominus Herembertus in Historia quam de Longobardorum gente post Paullum Diaconum scripsit, ita refert*. Eidem quoque tribuit Petrus Diaconus Cassinensis Libro *de Viris illustribus Cassinensis Cœnobii* cap. 14. *Historiam de destructione & renovatione Cœnobii Cassinensis, & de Ismaëlitarum incursione*: sed hæc eadem videtur eruditis cum *Continuatione Historiæ Longobardicæ Pauli Diaconi*, cui Herembertus ad annum 884. inseruisse *Desolationis hujus & restaurationis historiam* dicitur, non autem Opusculum scripsisse singulare de hoc argumeoto. Eidem auctori tribuuntur quoque *Acta translationis S. Matthæi Apostoli*, sed Joannes Baptista Marus in Notis ad Petrum Cassinensem Diaconum, illa vindicat Paulino Episcopo Legionensi seu Londinensi. Vnde hac ratione, unicum opus Heremberti Longobardi superest, *Historia quam de Longobardorum gente post Paullum Diaconum scripsit*, quam ipsi solam adscribit Leo Ostiensis loco citato. Eandem hanc ætatem Erchemperto adscribit Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu in *Specimine antiquarum lectionum tam Græcarum & Latinarum quam Gallicarum* ex MSS. Codicibus & antiquis editionibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ potissimum collecta, & Parisiis anno 1653. in 4. edita apud Joannem Henault. Illic pagina 10. & *Supplemento X.* pag. 366. ad pag. 10. addit & observat *Heremperti seu Erchemperti Monachi Cassinensis Historiæ de gestis Principum Beneventanorum Epitomen chronologicam*, prodiisse in 4. Neapoli anoo 1626. cum antiquis Chronologis de rebus Neapolitanis ab Antonio Caracciolo editis. Eandem quoque usque ad annum 888. meliorem auctioremque à Camillo Peregrino in lucem fuisse emissam in 4to, cum Historia Principum Longobardorum, Neapoli 1643. Eminentissimus quoque Cardinalis Baronius ex Historia Eremperti, edidit Tomo IX. Annalium Ecclesiasticorum *Epistolam apologeticam* Ludovici II. Imperatoris ad Basilium Macedonem Constantinopolitanum Imperatorem missam a. 871. n. 51. atque ex eo Duchesnius.

Gerardus Joannes Vossius Herembertum sub Ludovico II. Imperatore circa annum 860. vel 870. assignat Libro 3. *De Historicis Latinis* parte 3. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 4. pagina 761. editionis ultimæ his verbis. „Ludovici II. Imperatoris ætate claruit Herembertus s. Herempertus, scripsit Longobardicam Historiam Principum Beneventanorum, cujus MS. Codicem se habere, alterumque etiam in Columnensi Bibliotheca extare, ait Baronius ad annum 871. Num. 51. Qui & alibi ejus meminit, & interdum *Rembertum* vel *Rempertum* vocat, uti ad annum 863. Num. 26, atque idem ad annum 874. Num. 2. ex eo se depromere ait, quæ ad Annales Ecclesiasticos pertinerent. Wolffgangus Lazius etiam *Heimberti* meminit *Operis de rebus à Carolo Magno gestis*, atque illud reponit inter ea, unde profecit in Commentariis suis de Republica Romana. Lazium sequitur hac parte Simlerus in *Bibliotheca*, & Poplinerius *Historia Historicorum* libro VIII. Videndum, idemne an alius sit, Rembertus seu Rimbertus ille, qui Vitam S. Anscharii tradidit, ut diximus Libro 2. cap. 37. pag. 329." Idem eodem libro *De Historicis Latinis* parte 3. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. XI. pag. mihi 817. *De Scriptoribus incertæ ætatis*. „Erchempertus Monachus & Diaconus Montis Cassini, Historiam reliquit *De eversione Monasterii sui à Saracenis & instauratione ejusdem*. Auctor Possevinus, sed ætatem præterit. Fortasse idem est, ac Erempertus seu Herembertus *Historiæ Longobardicæ* conditor. Quod si est, vixerit anoo 871. ut superius diximus, sed in re parum explorata, nihil certi spondemus." Hæc quoad ætatem Eremperti Cassinensis Monachi Gerardus Vossius anxius & hæsitans, qui etiam illum confudit cum Remberto Hamburgensi Archiepiscopo, de quo loquitur libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 37. pag. mihi 329. editionis ultimæ, Fridericus Spanhemius Professor Theologiæ & Historiæ Ecclesiasticæ in Academia Lugdunobatava, agit de *Heremperto Longobardo* in Dissertatione *De Papa fœmina* cap. 1. Num. 3. pag. mihi 582. & cap. 9. Num. 10. pag. seu col. 664. & 665. sed cujus ætatem non definit.

Christophorus Sandius edidit anno 1677. in 16. quidem *Notas & Animadversiones* eruditas Amstelodami in *Libros tres de Historicis Latinis* Gerardi Joannis Vossii apud Waesbergios, non infamandi hominis causâ, sed veritatis indagan-

dæ folius, in quibus femel atque iterum contendit, *Herempertum Cassinensem Monachum* esse annis centum recentiorem quam ab auctoribus scriptum fuerit, atque floruisse, non ætate Ludovici II. Imperatoris, neque Caroli III. seu Crassi, sed Othonis primi & Magni, circa annum 960. unde Vossium emendare coactus fuit. Sic ille pag. 296. ad Librum 3. *De Historicis Latinis* Vossii parte 3. capite 4. pag. 761. „Ludovici II. Imperatoris ætate claruit Herempertus, scripsit Longobardicam Historiam Beneventanorum Principum. *Auctor recentior est, constat enim scripsisse post annum 956.* Hæc Sandius ex lectione operis, qui etiam refellit dubium Vossii ibidem, an non Herempertus esset idem, an alius à Remberto seu Rimberto illo, qui Vitam S. Anscharii tradidit: *Videndum* inquit Vossius loco citato pag. 761, *idemne an alius Rembertus seu Rimbertus ille, qui Vitam S. Anscharii tradidit:* cui Sandius respondet, *Diversissimus patet fuisse Herempertus auctor Auctarii ad Paulum Diaconum, usque ad annum 888. Diaconus fuit Cassinensis, & omni dubio procul, gente Longobardus: Rembertus vero Archiepiscopus Hamburgensis & Bremensis, gente vel Flander vel potius Frisius: Rembertus obiit anno 888, Herempertus recentior fuit, ut jam ostendi.*

Idem adhuc repetit pag. 326. in Notis & Observationibus ad eundem librum 3. Vossii *De Historicis Latinis* parte 3. *De Historicis prætermissis* cap. XI. *de Scriptoribus incertæ ætatis* pag. 817. his verbis, Christophorus Sandius. „Erchempertus Monachus & Diaconus montis Cassini, Historiam reliquit de *Eversione Monasterii sui à Saracenis & de instauratione ejusdem*, Auctor Possevinus sed ætatem præterit. Fortasse idem est ac Herempertus sive Herembertus Historiæ Longobardicæ conditor, quod si est, vixerit anno DCCCLXXI. Non video cum ratione dubitari posse, quin unus sit Scriptor, nam & Erempertus quandoque *Erchempertus* nuncupatur. Nec nomen solum, sed & dignitas convenit, fuit enim Herempertus Monachus & Diaconus Cassinensis: nec ætatem disconvenire probabile est, quando verisimile est, Erchempertum non diu post restaurationem Monasterii Cassinensis, quod anno 884. à Saracenis totaliter combustum fuerat, scripsisse. Et Erempertum aliquandiu post illa tempora scripsisse, contra Vossium evici ad pag. 761. Possevinus quod scribit, accepit ex Petri Diaconi Cassinensis libro *de claris Cassinensibus* ubi cap. 14. traditur Erchempertus Monachus & Diaconus Montis Cassini composuisse *Historiam de destructione & renovatione cœnobii Cassinensis, nec non de Ismaëlitarum incursione.* Traditur quidem vixisse sub Ludovico Imperatore, ut & Vossius *Herempertum* pag. 761. sub Ludovico II. Imperatore floruisse scribit. Sed error ille, vel ex ipso scripto illo refellitur, quod Mons Cassinus à Saracenis fuerit destructus anno 884: Ludovicus II. obierit Anno 875, Ludovicus III. A. 879, Ludovicus IV. A. 911. regno ejectus anno 904. Omnibus his juniorem esse Erchembertum seu Erempertum probavi ad pag. 761. Eidem auctori tribuuntur quoque *Acta translationis S. Matthæi Apostoli*, sed Joannes Baptista Marus ea vindicat Paulino Episcopo Legionensi seu Londinensi.“ Hæc Sandius de ætate Heremperti adversus alios omnes, locis citatis, ex Lectione Operis.

Porro quatuor mihi opere lecto, constare videntur. *Primum* Opus istud non esse Historiam ipsam integram, quam Herempertus composuit, atque Paullo Diacono Longobardo subjecit: sed esse tantum epitomen quandam seu Excerpta quædam satis confusa & ordine perturbato, quæ ex integra Historia desumpta sunt. *Secundò* Epitomen hanc seu excerpta confusa & perturbata, non esse ab Heremperto collecta, sed ab anonymo quodam incertæ ætatis. Cum enim Historia Heremperti Monachi non fuerit prolixa, nulla prorsus ratio dari potest, cur Operis non magni neque multum prolixi, ipse Herempertus auctor *Epitomen* conscripsisset. Adde contra Cavum loco citato, quod si Herempertus ipse talem *Epitomen* operis sui concinnasset, hanc dubio procul, cum majori ordine & judicio, ac non ita perturbate & tumultuarie conscripsisset. *Tertiò* id quod habetur ad annum 887. pag. 75. editionis hujus, non videtur esse Heremperti, qui seipsum illic non nominat, sed Anonymi Cassinensis Monachi Heremperto antiquioris, quem Herempertus in Chronicon suum comportavit, contra quam Guillelmo Cavo visum fuit. *Quartò* ex pagina 82. hujus Epitomes, Herempertus Chronicon suum concludit in rebus gestis *Berengarii Junioris* Italiæ Regis, quem ab Ottone primo Imperatore regno spoliatum fuisse legimus: unde merito Christophorus Sandius contra Vossium & alios omnes, contendit Herembertum floruisse ac scripsisse post annum 956, quo Otto primus imperio jamdudum potiebatur. Hæc ex lectione *Epitomes* prædictæ.

EPIPHANIUS MONACHUS ET PRESBYTER HAGIOPOLITA SIVE HIEROSOLYMITANUS, non incertæ quidem 956.
ætatis ut arbitrabar, sed recentioris, atque ab anno 956. ad 969. floruisse quidem creditur. Cui Opuscula nonnulla adscribit Leo Allatius in Diatriba *de Simeonum Scriptis*, nimirum *Homiliam de Sancto Andrea Apostolo* pag. 90. vel potius *Vitam Sancti Andreæ Apostoli authore Epiphanio Monacho & Presbytero*, quam ille post multos alios se scripsisse ex Prologo operis refert, Ἐπειδήπερ πολλοὶ συνεγράψαντο βίους: unde colligimus Scriptorem non esse seculo X. vel XI. antiquiorem. Ejusdem Scriptoris *Opus de Vita Sanctæ Deiparæ*, post multos alios etiam conscripta,

prà, nimirum post Sanctum Andream Hierosolymitanum & Cretensem Archiepiscopum, qui sub seculi noni medium, post annum 850. floruit, quam diserte allegat atque minus laudat vel approbat, unde ætatem quoque illius recentem concludimus, de qua Vita Leo Allatius *de Simeonum Scriptis* pag. 106. Inscribitur Περὶ τῆς κυρίας καὶ ἀληθῶς Θεοτόκου Μαρίας. Cum itaque improbet Joannem Thessalonicensem qui de ejus dormitione scripserat, & alium Joannem qui Theologum se vendicat auctorem supposititium, & Andream Hierosolymitanum Cretensem, Archiepiscopum, quod pro Vita laudationem vagam effecerit, hinc illum fuisse recentissimæ ætatis, nec seculo X. antiquiorem arbitramur. *Ejusdem Syria & urbis sancta* Græce ex MS. Codice Vaticano cum versione Frederici Morelli per Allatium multis locis interpolata in *Symmiktu Allatii* libro I. pag. 48. ad 63, anno 1653. Amstelodami in 8. editis, non Coloniæ ut habet titulus editionis. Anselmus autem Bandurius in Conspectu Chronologico Historiæ Constantinopolitanæ, quem præmisit Collectaneo seu Collectioni suæ quam inscripsit *Imperium Orientis seu Antiquitates Constantinopolitanas*, anno 1711. Parisiis 2. in folio Tomis Græce & Latine editam, scribit hunc Epiphanium Monachum, factum Patriarcham anno 956. Constantinopolitanum, Theophylacto 27. Februarii defuncto, ad annum 969, sedem per annos XIV. occupasse ac *Polyeuctum* dictum, ita ut fuerit ille de quo multa commemorat *Nicephorus Presbyter Sancta Sophia Constantinopoli*, in Vita Sancti Andreæ τοῦ σαλοῦ, in Probatis Sanctorum Viris apud Henschenium Tomo VI, mensis Maji ad diem 28, de quo nos diximus, verbo *Nicephorus Presbyter Magna Ecclesia Sancta Sophia Constantinopoli.* In Scriptoribus Historiæ Byzantinæ post Theophanem editionis Græcolatinæ Regiæ anni 1685. anonymus continuator *rerum Constantini Porphyrogeniti* p. 277. his illum verbis effert, χειροτονεῖται δὲ ἀντ᾽ αὐτοῦ Πολύευκτος Μοναχὸς, ἀσκητικὸν βίον διαλάμπων καὶ μονάσας ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, καὶ διαπρέψας ἐν πάσῃ ἀρετῇ καὶ ὀρθῷ δόγματι, καὶ ὡς ἄλλος Ἰωάννης Χρυσόστομος παρὰ πολλοῖς ἐγνωρίζετο καὶ ἐλέγετο: καὶ οὐκ ἐλέγετο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐφαίνετο. *Ejus loco suffectus Polyeuctus Monachus, monastica palastra exercitationis clarus, ac qui Sanctioris vita institutum à teneris unguiculis consectatus, omni virtute sanaque doctrina excultus esset: quem velut alterum Joannem Chrysostomum plerique noscent ac dicerent, neque id nomine tenus, sed ita & vere talis.* Hæc ex fide Henschenii & Bandurii de Epiphanio Monacho isto dicta sunto.

956. ANONYMUS THEOPHANIS CONTINUATOR, post annum 950, ultimis Imperatoris Constantini Porphyrogeniti temporibus clarus emicuit, non exiguum seculi hujus decimi obscuri ornamentum, quoad Constantinopolitanam Historiam, cujus & nomen quod posteris agnosceretur, dignum plane extitit. *Historiam* autem *Byzantinam* scribere aggressus est ab eo tempore, quo Theophanes Agri Abbas desiit, nempe ab anno Christi 813. qui Leonis Armenii primus in Imperio fuit. Historiam porro illam vivente adhuc Constantino Porphyrogenito incepit, cui adhuc regnanti dicatam obtulit, uti ex Præfatione illius constat. Eandem autem extendisse atque amplificasse ex variis casibus atque ad imperiom Constantini adoptionibus, constat ex editione MS. Codicis. Etiam ex perfidiis Constantini & Stephani filiorum Romani Lecapeni, quos ipse Romanus vivente adhuc Constantino, Augustos fecerat, imperium familiæ suæ adsciscere in perpetuum volens. Et ex Imperio Romani Junioris, ejusdem Porphyrogeniti filii, quem Constantinus ipse vivens Augustum creaverat, prædictis Constantino Porphyrogenito Lecapeno & Stephano, Romani Lecapeni filiis exauctoratis, qui anno tandem 959. patri succedens, otio deliciisque fractus, obiit anno 967. die 15. Martii. Scopus Historici hujus extitit, ut personam *Constantini Porphyrogeniti* commendaret, ac posteris illustrem redderet, non tantum ex propriis naturæ atque ingenii dotibus, sed etiam à Majoribus, nempe ab Avo, à Patre, à Patruo, à Socero, atque à Filio Imperii successore, ut ex Præfatione ipsa ad Constantinum Porphyrogenitum constat. Historia hæc ex MS. Codice Græco Bibliothecæ Vaticanæ, cura Eminentissimi Francisci Barberini Cardinalis, à Francisco Combefisio, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Græce ac Latine edita est Parisiis in folio, anno 1685. ex typographia Regia à pag. 1. usque ad paginam 300. quam sequitur pag. 301. *Joannis Cameniata Clerici ac Cubuclesii Narratio de excidio Thessalonicensi* ad p. 383. Tum p. 385. extat *Demetrii Cydonis Occisorum Thessalonica Monodia*, & p. 401. *Symeonis Magistri ac Logotheta Annales à Leone Armeno usque ad Nicephorum Phocam*, ad paginam 498.

Prologus Historiæ ab Anonymo ad Constantinum Porphyrogenitum, talis. „Καὶ τοῦτο πάντως τῶν σῶν, ὦ Φιλοσοφώτατε Βασιλεῦ, καλῶν, μετά γε πολλῶν ἄλλων τε καὶ μεγάλων, τὸ τὰ τῷ χρόνῳ παραῤῥυέντα, καὶ κεχωρηκότα πρὸς τὸ μὴ ὂν, πρὸς παλινζωΐαν αὖθις καὶ παλιγγενεσίαν ἀναγαγεῖν, καὶ τοῦ τῆς ἱστορίας ἐπιμεληθῆναι καλοῦ. ἀλλὰ μὴ τοῖς πρὸ τοῦ τὴν Βασιλικὴν ἐπειλημμένοις, ἀμεληθῆναι, ἀρχήν· οἱ μὲν γὰρ ζῆλον ἐζηλωκότες τοῖς ἀγαθοῖς ἀζήλωτον, ὑπεξηρήσθωσαν τοῦ λόγου, τινὲς διενηνοχέναι ἐσπουδάκασι τῶν πολλῶν καὶ οὐδὲν, ὅτι μὴ λόγου σύντροφοι, ἀλλ᾽ ἀγροικίας γεγόνασι κατεντρύφημα. τί γὰρ τοιοῦτον ἐξασκεῖν Αὐτοκράτορα δεῖ, ὃ μὴ . . . . ἐπιφέρει τὴν ὄνησιν μετὰ λόγου γινομένων· δέον ἐπιμελεῖσθαι ἀνδρῶν, καὶ τῆς λογικῆς ὅτι μάλιστα

ἐπι-

ἐπιστήμης, ἐξ ὧν τὸ κράτος βασιλείας· ὡς ἂν μὴ λάθοιεν καταπρηνεῖς φερόμενοι ἀλογωθέντες οἱ ἄνθρωποι, καὶ κινδυνεύσῃ τοῦτο, ᾧ τῶν πάντων διαφέρομεν, ἀφωνίᾳ παραδοθέν. *Hoc quoque omnino, Sapientissime Princeps, ad alia tua multaque ipsa & magnifica ornamenta, virtutesque accedit, quod ea quæ tempore perefluxerunt, jamque esse desierunt, ad vitam denuo, ortumque oppido novum studeas revocare: Historiæque bonum cum prosequaris: nec velut ii, qui ante Imperii clavum moderati sunt, abs te negligi patiaris. At horum quidem, qui ea æmulati sunt, quæ nemo bonus unquam æmuletur, nulla nobis mentione habita: fuerunt quidam, qui ut supra vulgus præstarent, nihil operæ posuerunt, quod neque literis educati sint, sed rusticitatis ludibrium, propudiumque extiterint. Quid enim ejusmodi Imperatorem excolere deceat, quod homini ratione prædito nihil commodi afferat? Cum magis deceat virorum curam habere, præcipueque scientia rationalis, quibus Imperii robur præstatur: ne homines in præceps ruentes, paulatim obbrutescant: dein id, quo universis præcellimus, silentio traditum periclitetur.*

Ἀλλ᾽ ὅσον μὲν σοι πεπόνηται, πρᾳότατε βασιλεῦ, περὶ τὴν λογικὴν, καὶ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἐπιμέλειαν, ἵνα τ᾽ ἄλλα παραλείπωμαι, θεωρήσουσι μὲν οἱ σοφοὶ, ὅτι δὴ καὶ σύ. μᾶλλον δὲ δὴ σὺ σαφῶς, ὅτι γε καὶ ἐκεῖνοι σοφοί. ἱστορεῖς δὲ αὐτὸς, χεῖρα μόνως λαβὼν ἡμῶν διακονουμένην σοι, ὅσα τοῖς πρὸ σοῦ βεβίωται, κἂν ἀποχρόντως ἔχωσι τὸ φαῦλον, καὶ οὐ λαμπρόν. ἐπεὶ καὶ τούτων ἔνεστι θηράσαι τοῖς σπουδαίοις τὰ χρήσιμα. ἀμέλει τοιγαροῦν πάσης ἀχολίας καὶ ἀργίας τὴν περὶ λόγου προτετιμηκας σπουδὴν, ἅ το δὴ τοῦτο μάλιστα τοῖς ὑπηκόοις φιλομαθέσι τε καὶ φιλιστοροῦσιν ζῆλον καὶ ἀρετὴν ἐγγεννῶντος· τὰ μὲν ἐκ τῶν γεγραμμένων, τὰ δὲ ἐκ τῶν ἀκοῇ παραδεδομένων συνηθροικὼς, ὥσπερ τι κοινὸν διδασκαλεῖον προθεῖναι πᾶσιν ἐβουλεύσω καλῶς. ἐκείνην ταύτην ἀρχὴν εἶναι νομίσας τῆς ἱστορίας ἀρίστην, τὴν τῷ μακαρίτῃ Θεοφάνῃ γενομένην κατάληξιν. (πάντων τῶν βασιλέων ἕως τοῦ νυνὶ καιροῦ, καὶ τῆς βασιλείας σου τὰ πεπραγμένα διὰ λόγου συλλαβεῖν. Εἰ καὶ τοῦ ἀοιδίμου σου πάππου, τοῦ ἐν βασιλεῦσι εὐκλεοῦς Βασιλέως Βασιλείου τὰ παρὰ σοῦ ἱστορούμενα καὶ μετὰ πάσης σαφηνείας καὶ λόγου εὐκοσμίας κατὰ τὸ τῶν γενομένων ἀληθὲς καὶ εἰλικρινὲς εἰς τὸ φανερὸν παρὰ τῆς σῆς πολυμαθεστάτης εἰδήσεως ἐξαγορευθέντα, περιττὸν μὲν εἴη οὐδὲ ἡμῖν διηγήσασθαι.) ὃν κατὰ συγγένειαν καὶ ἀγχιστείαν, τὸ ἔγγονος λαχὼν, ἀποσεμνύνεις τε καὶ ἐκ τῶν σῶν ἱκανῶς, καὶ ἀντιλαμβάνεις αὖθις παρ᾽ αὐτοῦ τινα εὔκλειαν. *Quantam vero tu, mitissime Princeps, operam posueris, cum in rationali scientia, cum in hominum cura, ut & alia prætermittam, commemorabunt quidem homines sapientes: quando & tu ipse, vel potius tu ipse palam, quod & illi sapientes. Scribis autem ipse, manum duntaxat nostram tibi ministrantem assumens, quæcunque superioris ætatis hominibus gesta noscuntur: tametsi illa abunde vitiosa sint, nec virtutis laude admodum splendeant: quod hinc quoque viri studiosi commodum referant. Sane igitur omni alia occupatione otioque, eruditionis literarumque cura posthabitis, quod nimirum ea res doctrinæ historiæque amantibus subditorum animis, æmulationem virtutemque inferat, ex iis quæ aut ab aliis scripta, aut auditione accepta sunt, unum corpus contexens, communem quasi scholam universis proponere, sagaci consilio decrevisti. Hujus Historiæ illud optimum ratus initium, ubi felicis memoriæ Theophanes scribendi finem fecisset: (ita nimirum ut omnium Imperatorum ad hanc usque ætatem tuumque Imperium, res gestas sermone complectatur. Quanquam inclyti Avi tui inter Augustos fama celeberrimi Basilii Imperatoris gesta abs te conscripta, omnique perspicuitate ac sermonis ornatu verè sincereque ab eruditissima prudentia tua, omni denique fide narrata, superfluum nobis sit ullo modo retractare:) quem, sanguinis necessitudine (illius quippe nepos) propius contingens, cum tuis ornamentis abunde honestas, cum rursus quandam ab eo claritatem recipis.*

Ἐκεῖνος μὲν οὖν εἰς τὴν τοῦ Κουροπαλάτου Μιχαὴλ βασιλείαν, καὶ ἧτταν τὴν ἐκ τῶν Βουλγάρων συμβᾶσαν αὐτῷ καταπροδοθέντος ὑπὸ τοῦ ἑαυτοῦ, κατέληγε, τῆς τοῦ Λέοντος μόνον μνησθεὶς ἀναῤῥήσεως· μηδὲν μηθ᾽ ὅθεν ἦν, μηθ᾽ ὅπως ἐτράφη δῆλον τοῖς ἀναγινώσκουσι πεποιηκώς. ἡμεῖς δὲ, ὥσπερ τῇ κεφαλῇ τὰ ἄλλα μέρη συνάπτοντες, αὐτήν τε τὴν ἱστορίαν ὁλόσωμον, ἀλλ᾽ οὐκ ἡμιτελῆ ἀποδείκνυμεν, καὶ πρὸς τὸν ἑξῆς καὶ κάτω χρόνον, τοῖς μὴ ῥᾳθυμότερον ζῶσι, διαβιβάζομεν, κέρδος, ἀλλ᾽ οὐ ζημίαν αὐτοῖς πορίζομενοι. Εἴ γε δὴ καλὸν, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν εὔοδον, τῶν ἀγαθῶν τε καὶ μὴ, τὸν βίον διαγινώσκειν. *Is porro in Michaelis Curopalatæ Imperio, acceptaque à Bulgaris clade per suorum proditionem, Leonis duntaxat proclamati Augusti levius facta mentione, scribendi finem fecit: ejusque nec natales aut patriam, nec educationem Lectoribus aperuit. Nos autem velut membra reliqua capiti jungentes, tum ipsum Historiæ corpus integrum, non quasi dimidia parte mutilum, repræsentamus: cum ad ea quæ deinceps secutisque temporibus gesta sunt traducimus: rem scilicet præstantes, iis qui in otio & desidia vivere noluerint, utilem, nihilque eis damni afferentem. Quippe bonum est & ad securitatem cumprimis utile, ut bonorum pariter atque malorum vitam cognoscamus.*

Systema hujus Historiæ tale est. Post Prologum, incipit pag. 4. Leonis Armenii Imperium, pag. 26. Michaelis Amoriensis Imperium, pag. 53. Theophili filii Michaelis Imperium, pag. 92. Michaelis Theophili filii Imperium. Tum vero pag. 132. Historia *De Vita & rebus gestis Basilii* inclyti Imperatoris, quam Constanti-

tinus Dei gratia Romanorum Imperator, ipsius nepos, studiose ac diligenter ex variis narrationibus congessit, ac Scriptori Anonymo tradidit. Guilielmus Cavus Tomo 2. seu Parte 2. *Historia literaria* ad annum 920. seculi decimi in multis errat circa Scriptorem hunc, quem *Leontium Byzantinum Chronographum* appellat, quamvis de nomine an Germanum sit, an suppositirium, dubitent *primo* tum Labbeus tum Vossius, qui proinde tanquam Anonymus à Francisco Combefisio in lucem prodiit. *Secundo* assignatur à Cavo ad annum seculi 920, quem constat scripsisse sub extremis temporibus Constantini Leonis Philosophi filii, post annum 962, imo post annum 967. *Tertio* in hac editione Combefisiana pag. 132. sequitur *Vita Basilii Macedonis* ad pag. 217. nova versione ornata, quam sub nomine Constantini Porphyrogennetæ antea Græc. & Latine ediderat Leo Allatius *Symmictorum* parte 2. pag. 1. Coloniæ anno 1653. Coloniæ Agrippinæ in 8. Verum Constantini esse negat Labbeus, & Chronographo nostro potius adjudicandam censet *Protreptico ad Historiam Byzantinam* Num. 28. pag. 14. & rectissime quidem juxta Cavum loco citato. Auctor enim tot immensis Basilium ubique ornat præconiis, ejusque genus à tam vetusta, nobilique prosapia repetit, aliter quam istius temporis Scriptores facere solent, ut à Constantini modestia alienum plane videatur: neque aliud Scriptori fuisse consilium, quam ut avi laudes nimium decantando, nepoti suavius adblandiretur. De se tanquam Constantino nusquam vel levissimum indicium injicit, imo tanquam de alio ubique loquitur, præsertim Num. 34. ubi hæc habet. „Νῦν ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων Κωνσταντῖνος ὁ τῆς πορφύρας βλαστὸς, ὁ τοῦ σοφωτάτου μὲν τοῦ σοφωτάτου υἱὸς, ἐκείνου δὲ υἱωνὸς, τὸ τοιοῦτον προτέρημα &c. *Nunc atate nostra Constantinus purpura surculus, Leonis sapientissimi filius, illius autem nepos, hoc privilegium habuit.* Hæccine de se Constantinus loqueretur? Neque aliud ex operis inscriptione exsculpi potest, quam Constantinum Scriptori demum, quisquis erat, scribendi argumentum & materiam subministrasse. Sed post tam apertam Scriptoris hujus confessionem, qua in Præfatione operis testatur, Vitam hanc Basilii Macedonis, sibi à Constantino Porphyrogenito scriptam, datam fuisse: factum istud in dubium revocari nullatenus potest. Quidquid in contrarium Labbeus & Cavus loquantur. De hoc Scriptore Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1685. Kalendis Octobris, à pag. 437. ad 440. Pag. 217. Leonis cognomento Philosophi, sive Sapientis, qui Constantini Porphyrogeniti pater fuit, Imperium. Pag. 233. Imperium Alexandri filii Basilii, qui Constantini Porphyrogeniti patruus fuit. Pag. 235. Constantini Porphyrogeniti, Leonis filii Imperium. Pag. 246. Romani Lecapeni qui Constantini Porphyrogeniti Socer fuit, Imperium. Pag. 271. iterum Constantini Porphyrogeniti, Leonis filii Imperium, usque ad mortem. Denique pag. 293. Imperium Romani Junioris, Constantini Porphyrogeniti filii, usque ad annum tertium ac Christi Incarnati 962. Pergit ergo hoc Chronicon à Leone Armenio usque ad Romanum Juniorem pag. 1. ad pag. 300. quod Anonymus, Constantino Porphyrogenito vivente atque Imperium adhuc administrante, scribere aggressus est, ut ex *Præfatione* constat. Cum autem ille Anonymus, Constantino mortuo superstes fuisset, iterato *Historiam* suam labore aggressus, ejusdem Constantini Porphyrogeniti Imperium resumpsisse videtur, ab ejectione in exilium Stephani & Constantini, Romani Lecapeni filiorum, qui patrem suum Imperio expulerant: καὶ λογισάμενος, ὅπερ ἦν εἰκὸς, εἰ τοῦ ἰδίου πατρὸς οὐκ ἐφείσαντο, πῶς αὐτοῦ φείσοντα; *Nequando in se quoque attentarent eadem, secum reputans ut par erat, eos qui nec patri pepercissent, haud sibi parcituros.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius lib. 4. *De Historicis Græcis*, parte 3. pag. mihi 504. Carolus du Fresne in *Glossario media & infima Græcitatis*, cujus verba passim multis in locis profert. Et in Catalogo *Scriptorum Græcorum* editorum, quem Glossario huic subjunxit, verbo *Theophanis Chronographia Continuator*, col. 62. Guillelmus Cave Tomo 2. seu parte 1. Historiæ litterariæ ad annum 920. pag. 182. editionis Genevensis.

GEORGIUS MONACHUS GRÆCUS 956.
hac eadem tempestate anni 950. & sequentium claruisse mihi videtur, atque scripsisse *Vitas recentiorum Imperatorum*, seu *Compendium quoddam Imperatorum illorum*, quorum res gestas stylo latiori Anonymus Theophanis Continuator conscripserat. Scribit enim eadem prorsus ratione qua iste Anonymus, imo orditur *Vitas recentiorum Imperatorum* à Leone Armenio, quemadmodum Anonymus iste fecerat: atque etiam ad illius imitationem in *Romano Juniore* Constantini Porphyrogeniti filio scribere desinit. Ex collatione autem Operis utriusque, constat *Georgium Monachum* accepisse etiam plurima verbo tenus ab isto Anonymo. Dum autem Opus inscribitur Γεωργίου Μοναχοῦ βίοι τῶν Νέων βασιλέων, *Georgii Monachi Vita recentiorum Imperatorum*, hoc eodem tempore vixisse perhibetur, quo ejusmodi Vitæ desinunt, nempe circa annum 950. vel 960. Hic autem caute distinguendus est ab altero Georgio Monacho cognomento *Hamartolo*, qui circa annum 842. claruit, juxta Cavum in *Historia rei literaria* pag. 532. & ab altero *Georgio Monacho Tarasii Patriarcha Syncello* qui anno 792. Chronologiam conscripsit, cujus mentionem faciunt Gerardus Joannes Vossius, Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 24. pag. mi-

mihi 284. & Guillelmus Cavus loco citato, ad annum 792. pag. 499. *Vita Recentiorum Imperatorum* Georgii Monachi hujus, Græce & Latine editæ sunt a Francisco Combefis, vel post ejus mortem ex illius versione, anno 1685. Parisiis in fol. typis Regiis post illum *Anonymum Theophanis Continuatorem*, & *Chronicon Symeonis Magistri & Logothetæ*, nimirum a pag. 499. ad pag. 594.

960. SANCTUS NICON ARMENUS, insignis multarum Gentium Apostolus, seculo Ecclesiæ decimo miraculis, prædicationibus ac doctrina clarus enituit. Cujus *Res in Græcia præclare gestæ* extant Romæ in Bibliotheca Sfortiana, Græce conscriptæ ab Abbate Monasterii ejusdem Sancti Niconis, atque hoc seculo in Latinum conversæ. Porro ut tradit Curopalates, Creta insula postquam annis ferè quadraginta a Saracenis occupata fuisset, anno 961. a Nicephoro Phoca ejusque germano Leone, armis recuperata est. Cum autem longa Saracenorum occupatione, propemodum jam in ea ad Mahumetismum Christianitas defecisset: consilium Dei fuit, ut ad tantam desolationem restaurandam, S. Niconem Monachum genere Armenum mitteret, *Pœnitentiam agite* vulgo nuncupatum, quod illud Johannis *μετανοεῖτε*, ubique jugiter inclamaret. Qui quidem ubi primum Orientis regiones peragrasset, Apostolatus sui primitias in Armeniorum conversione, ab innumeris quibus detinebantur erroribus, Deo consecravit. Postea vero in Cretam divino monitu missus, hanc insulam in fide Christi bene instituit: indeque universam Græciam pœnitentiam prædicando peragravit, plura ubique (juxta Græcos) miracula operans, & uberes fructus ex sua prædicatione colligens. Idem author *Rerum gestarum S. Niconis μετανοεῖτε cognominati*, de quo jam superius dictum est, meminit maximæ cujusdam Bulgarorum in Græciam irruptionis, quæ anno 981. contigit, atque Spartam S. Niconis precibus esse protectam, eandemque expeditionem a Peloponneso propulsatam fuisse tradit. Illic enim apud Lacedæmonem habitabat tunc idem sanctus, carissimus Deo & miraculorum patrator egregius, ac ferme unica hoc tenebroso seculo fax Orientis. Qui & circa hoc ipsum tempus, eandem urbem Lacedæmonem, rogatus a civibus, gravissimâ peste liberavit: eâ lege, ut omnes Judæi (quos adeo aversabatur, ut nec linguâ nec auribus usurpare nomen eorum vellet) ab urbe pellerentur, quod & factum est. Scripsit ille *Pandecten rerum sanctarum atque Ecclesiasticarum, multis comprehensam sermonibus*, quam allegat Joannes Baptista Cotelerius tomo tertio *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, pagg. 439. & 441. Cujus etiam nonnulla referre videtur, Anastasius quidam Cæsareæ in Palæstina Episcopus, in Sermone seu Homilia *De jejunio Gloriosissimæ Deiparæ*, apud eundem Cotelerium ibidem, pag. 438. Extat autem Pandecte ista, in Bibliotheca Galliarum Regia, Codicibus 2423. & 2424. sub Sancti Niconis nomine, ad quam quivis accedere & legere potest. Et in MS. Codice Colbertino 5963. Quid vero Niconem impulerit, ut hunc librum scriberet, docet Colberteus Codex: τὸ παρὸν βιβλίον ποίημά ἐστι τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νίκωνος. πόνημα δὲ κατὰ σύναξιν οὐχὶ κατὰ τοὺς λόγους. ἔγραψε δὲ τοῦτο, εἰς τὰ μοναστήρια τῆς Θεουπόλεως. *Labor* seu *Opus S. Patris nostri Niconis, præsens liber est. Opus autem juxta Congregationem, non juxta eloquentiæ leges, scripsit enim illud ad Monasteria Alexandriæ.* Ita Carolus du Fresne du Cange in Catalogo MSS. Codicum Græcorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* columna 31. Idem scripsit Libellum *De impia pessimorum Armeniorum religione*, qui antea Latine tantum atque satis infeliciter in Bibliotheca Veterum Patrum impressus fuit, sed illum postea Græce & Latine ex MS. Codice Græco 1818. Bibliothecæ Regiæ iterum edidit Joannes Baptista Cotelerius anno 1672. in Notis ad Patres Apostolicos col. 152. Idem Cotelerius pag seu col. 237. ex eodem Codice Bibliothecæ ejusdem 1818. exhibet Græce & Latine Opusculum ejusdem cum præcedente brevitatis *De religione Armenorum* hoc titulo: Ἀπόταξις τῶν αἱρετικῶν Ἀρμενείων &c. *Renuntiatio hæreticorum Armenorum, quomodo debeant anathematizare, cum ad fidem Orthodoxorum Romanorum redeunt, non autem baptizantur, sed unguntur.* Attribuitur quoque a Cavo parte secunda seu Tomo 2. *Historiæ literariæ* ad annum 1094. Anastasio cuidam Palæstino seu Syro, qui ut videtur, Antiochenus Cæsareæ Palæstinæ Archiepiscopus extitit ac circa annum MXCIV, certe sub Joanne Patriarcha Antiocheno floruit, qui anno MXC. hunc Thronum asceodit, ὁ νυνὶ πατριάρχης κῦρις Ἰωάννης καὶ ἁγιώτατος: *Qui nunc Patriarchatum tenet, sanctissimus Dominus Joannes.* Huic inquam Anastasio attribuit Tractatum *De jejunio gloriosissimæ Deiparæ, quodque servandum sit ut legitimum*: quem Græce & Latine edendum curavit ex MS. Codice Regiæ Bibliothecæ Tom. III. Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ pag. 432. At idem Cotelerius ibidem non dissimulat, Opusculum istud *De jejunio Gloriosissimæ Deiparæ* in Bibliotheca Regia Codice MS. Græco 3027. multo prolixius, cumque varietatibus non paucis, sub Sancti Niconis Monachi Rheifensis nomine reperiri. Hæc de MSS. Operibus Niconis Armeni, in Regia Galliarum Bibliotheca extantibus, ex Coteleriо qui Catalogum illorum omnium, eum clarissimo Dufrenio, dum Parisiis manerem, conscripsit. Idem Sanctus Nicon suppetias etiam tulit, protectionemque Joanni Malaceno illustri viro Lacedæmonio, qui apud Imperatorem Basilium accusatus quod Bulgarorum partibus fa-

favisset, eàque de causâ Constantinopolim vocatus est, quod anno 998. contigit: ut habet Joannes Curopalates, qui quæ inde secuta fuerint, silentio obvoluta reliquit. Sed in *Rebus Gestis Sancti Niconis* de quibus supra, traditur Malacenum non solum ab ejusmodi invidorum calumniis esse absolutum, sed etiam adeo honoribus auctum, ut principem in Senatu locum obtineret: Virum quidem prudentem & eloquentiâ insignem, cui hæc omnia ex prædictione S. Niconis accidisse narrantur. Cæterum cum idem Sanctus Malaceno Constantinopolim abeunti promisisset fore, ut is vultum suum denuo cerneret: & tamen eo adhuc Constantinopoli degente, Sanctus Nicon ad cœlestem patriam migrasset: dolore æstuans Malacenus, sed fide confirmatus, ut veram aliquo modo redderet Sancti prophetiam, pictorem vultum ejus & lineamenta corporis omnia designans, depingere jussit. Sed cum non valeret pictor, arte licet manuque insignis, eum ad veram similitudinem exprimere: accidit ut ei adhuc in his angustiis existenti, apparuerit S. Nicon solito habitu vestitus, in ipso quo eum depingere conabatur cubiculo. A quo pictor jussus in eum respicere, idemque eo circumspecto ad tabulam reflexus, ut ejus formam imitaretur, sacram ejusdem imaginem in tabula suis Lineamentis suapte expressam sponte vidit: qui miraculo obstupefactus, ad sanctam iterum ut eum veneraretur, conversus, jam illum abscessisse reperit. Porrò delata Malaceno imago, eadem postea suspensa est in sacro ejusdem Sancti templo. Narrantur hæc fusius in iisdem S. Niconis Actis: ex quibus etiam constat, solitum ex Sancti loculo, unguentum factum colligi, quod sanctificationi, malisque omnibus & morbis depellendis proficuum esset. Hæc Græci stupendi Miraculorum figuli, inventores & narratores, apud quos vix alius sit, quam thaumaturgus Sanctus. Mortuus est Nicon anno 998. die 26. Novembris, de quo abunde Baronius seculo X. *Annalium Ecclesiasticorum*, ad annum 961. num. 4. & sequentibus. 969. num. 7. 971. num. 2. 982. num. 1. 987. num. 4. 998. num. 17. atque in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 26. Novembris. Ejusdem Epitomator Henricus Spondanus ad annum 961. num. 3. 981. num. 1. 998. num. 5. Joannes Baptista Cotelerius, tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, pagg. 439. & 441. Carolus Dufrenius du Cange ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, in Indice Authorum, col. 31. Alius extitit Nicon longe antiquior isto, qui olim curavit transcribi Græcè *Opera S. Ephræm Syri* circa annum Christi 531. Codex olim in Monasterio Cryptæ Ferratæ, cujus nota adfertur è Gerardo Vossio in fine Operum S. Ephræm: ad calcem verò exemplaris istius legebatur nota sequens; ἐγράφη ὁ ὁσιώτατος καὶ μακάριος Ἐφραὶμ, ἀπὸ χειρὸς τοῦ Ἰωνᾶ ἁμαρτωλοῦ, ἐν τῷ κυρίῳ ἔτει φλα' κατ' ἐπιταγὴν τοῦ ὁσιωτάτου καὶ πνευματικοῦ πατρὸς ἡμῶν Νίκωνος, οὗ ταῖς ἱκεσίαις καὶ πάντων θεοφόρων καὶ ἁγίων πατέρων, δώῃ ἡμῖν ὁ κύριος μερίδα καὶ κλῆρον μετὰ πάντων τῶν ἁγίων αὐτοῦ, ἀμήν. *Scriptus est sanctissimus & beatus Ephram, manu Jonæ peccatoris, anno Domini 531, jussu sanctissimi & spiritualis Patris nostri Niconis: cujus omniumque deiferorum & Sanctorum Patrum precibus, det nobis Dominus partem & sortem cum omnibus Sanctis suis, amen.* Voluit Bernardus de Montfaucon Benedictinus, Gallus ex Congregatione S. Mauri hanc corrigere subscriptionem Palæographiæ *Græcæ* Lib. 1. cap. 6. pag. 48. quam anno 1708. Parisiis in folio edendam curavit. Sed etravit & quæ illic ex conjectura profert, nihil valent contra authoritatem Gerardi Vossii & Manuscripti Codicis hujus Cryptæ Ferratæ, quam enervate vult.

THEODOSIUS ECCLESIÆ CP. DIACONUS anno circiter 960. sub Romani Junioris Constantini Porphyrogeniti filii Imperio claruisse mihi videtur. Scripsit ἀκροάσεις V. seu *Relationes ex auditu de capta à Romano Augusto Creta*, quibus impressis Historia Byzantina mirum quantum ditaretur, vel Scriptores post Theophanem. Agit de hac Romani expeditione Anonymus Historiæ Byzantinæ Scriptor, de quo anteà egimus decade præcedenti in Rebus Romani Junioris Gestis, num. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. anno Imperii ejus 2. Christi Incarnati 960. ubi ait *Romanum Imperatorem divino zelo succensum cautisque ac sacris Josephi Accubitoris consiliis inductum, ex omni Romana ditione bellicis navibus collectis, igneque Græco, ac ex Thracia, Macedonia & Sclavonia collectis copiis, in Cretam mittere statuit; quam depopulatur & occupat.* Cum autem istæ *Narrationes* Græcè MSS. in Vaticana Bibliotheca extarent, Leo Allatius illarum copiam fecit Claudio Maltredo Societatis Jesu Presbytero, quas edendas à se promiserat anno 1662. Tolosæ in Præfatione ad Lectorem præmissa Historicis operibus *Procopii Cæsariensis Rhetoris*, quorum Volumen III. promiserat. Sic autem sub Præfationis illius finem. „Nec malè Georgio Pisidæ (quem edendum pollicebatur) conveniet cum Theodosio itidem Diacono, cujus Ἀκροάσεις V. *De capta à Romano Augusto Creta*, mihi describendas curavit illustrissimus Leo Allatius, Custos Bibliothecæ Vaticanæ, & in Arce illa Reipublicæ litterariæ meritissime collocatus. “ Hæc Claudius Maltretus loco allato, unde discimus *Narrationes* istas Romæ Græcas extare, quarum transcriptum Tholosæ anno 1661. Maltretus ex Allatii dono possidebat. 960.

ROGERUS seu RUOTGERUS, Abbas Cœnobii Crucis S. Leufredi in Nortmannia, Ordinis divi Benedicti, Congregationis Cluniacensis, anno 960. & sequentibus claruisse videtur, dum scripsit *Vitam Sancti Brunonis Co-* 960.

lonensis Archiepiscopi, qui fuit Dux & frater Othonis primi Imperatoris, & Henrici Aucupis Imperatoris filius. Hic Wigfrido mortuo, anno 954. Coloniensem suscepit Archiepiscopatum, obiit autem anno 965. Coloniæque in Abbatia S. Pantaleonis sepultus est, Folcmaro ei ad quadriennium in Archiepiscopatu succedente. Legere est *Vitam* hanc apud Surium *De probatis Sanctorum Vitis* Tomo V. ad diem XI. Octobris. Item *Vita Domini Brunonis Coloniensis Archiepiscopi à Ruotgero scripta ad Folcmarum ejus successorem, Ejusdem Brunonis Testamentum cum ejus Epitaphio* pagg. 273. & 289. inter *Scriptores Rerum Brunsvicensium illustrationi inservientes*, collectos curâ Godefridi Guilielmi Leibnitii, in folio impressos Hanoveræ 1707. sumptibus Nicolai Foersteri. Cum igitur hoc Opus Folcmaro Brunonis in Coloniensi Archiepiscopatu per quatuor annos successori oblatum fuerit, atque Sanctus Bruno anno 965. fatis concesserit, ante annum 969. conscriptum esse necessarium est, quo Rotgerius seu Ruotgerus vixit. Huic porro *Brunoni Coloniensium Archiepiscopo* præter *Commentarium in Pentateuchum*, qui à Sixto Senensi in *Bibliotheca Sancta* lib. 4. laudatur, ac Bononiæ in Biblioth. Fratrum Prædicatorum MS. extat, etiam *Vita aliquot Sanctorum* attribuuntur. Errorem hunc Sixti Senensis amplexus est Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 40. pag. 344. editionis ultimæ. At errorem suum correxit Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 6. pag. 773. ubi illa restituit S. Brunoni Astensi qui Episcopus Signiensis anno 1079. à Gregorio VII. factus, quem ubi anno 1104. Casinum reversus deseruisset, anno 1106. Cassinensis XL. Abbas Othoni mortuo successit, tum anno 1111. Signiensem Episcopatum repetens, anno 1123. pridie Kalendas Septembris, anno 44. Episcopatus obdormivit in Domino. Inter enim Brunonis hujus Opera, anno 1651. Venetiis in folio impressa, extat Commentarius in *Pentateuchum Moysis*, cujus meminit Petrus Diaconus Cassinensis in *Historia Cassinensi* libro 4. cap. 33. qui etiam *Vitas Sanctorum aliquot* scripsisse legitur, ut *Sancti Leonis Papa IX.* & *Sancti Petri Anagnia Episcopi* anno MCV. mortui, cujus ad hunc annum Cæsar Baronius in *Annalibus* suis meminit. Jam ad Rogerum redeamus, de quo sic Sigebertus in libro *De Viris illustribus* cap. 130. *Rogerus scripsit Vitam Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, qui fuit Dux & frater Othonis Imperatoris.* Et in *Chronicis* ad annum DCCCCLIV. *Mortuo Wigfrido, Coloniensium Archiepiscopatum suscepit vir gloriosus Bruno, frater Ottonis Imperatoris, qui quantus qualisve fuerit apud Deum & homines, Lector edisicat ex Vita ipsius, quam Rigerus luculenter scripsit.* Quæ verba & Ægidius Leodiensis, Aureæ Vallis Monachus, exscripsit in *additionibus* ad Anselmum Leodiensem cap. XLIV. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. 367. editionis ultimæ.

FRIDEGODUS natione Anglus, Monachus Ordinis divi Benedicti, ordine Diaconus, claruit anno 960. temporibus Ottonis I. Imperatoris & Edgari Anglorum Regis, vir Græce doctus, quod rarum fuit his temporibus, ut de eo scribit Guillelmus Malmesburiensis. Hic carmine complexus fuit Vitas Sancti Wilfridi atque Audoëni Monachi, idque fecit postulato Odonis Cantuariensis Archiepiscopi, de quo proxime dictum: nam cum ille anno 956. horum duorum corpora Cantuariam transtulisset, à Fridegodo petiit, ut aliquid de utriusque laudibus commentaretur. Vitam S. Audoëni non Monachi, sed Rotomagensis Archiepiscopi inseruit Surius Historiæ Sanctorum Tomo IV. ad diem XXIV. Augusti, eaque illi videtur esse illa ipsa quam Fridegodus reliquerat, quem Surium in *Epitome* sua Haræus sequitur. Sed huic obstat sententiæ, quod Fridegodus carmine *Audoëni Vitam* tradidit, cum illa quæ apud Surium prosa exarata sit: neque illic fit, ut Fridegodus facere solet, ut Græcæ passim voces Latinis incongruè admisceantur. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 40. pag. m. 346. Eadem plane cum Vossio habet Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* seculo obscuro, ad annum 960. pag. 584. cujus ut voces, ita quoque errores imitatur & exscribit. De Stilo ejus hæc notat Guillelmus Malmesburiensis Lib. 1. De gestis Pontificum Anglorum pag. 114. *Scripsit versibus non ita improbandis, nisi quod Latinitatem perosus, Græcitatem amat, Græcula verba frequentat: ut merito dictis ejus aptetur illud Plautinum*, Hæc quidem præter Sibyllam leget nemo. Sane Guillelmus Malmesburiensis, qui Fridegodi mentionem illic facit, non dicit illum scripsisse *Vitas S. Wilfridi & Audoëni Archiepiscoporum*, sed tantum *Wilfridi Eboracensis Archiepiscopi*, versibus heroicis, poëmate satis prolixo, quam primus in lucem protulit Joannes Mabillonius seculo III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* parte 1 pag. 169. De Vita S. Audoëni à Fridegodo vel prosa vel carmine conscripta, prorsus silet, nec unde Surius, Vossius aut Cavus id habuerint, cognosco. Idem Guillelmus Malmesburiensis, in lib. V. *De gestis Pontificum Anglorum*, qui est *De Vita Sancti Aldhelmi Schireburgensis Episcopi*, quam in fol. anno 1691. e theatro Scheldoniano edidit inter Scriptores XV. *Historia Anglicana*, Thomas Galeus: idem inquam Guillelmus pag. 371. & 372. agit de translatione Reliquiarum S. Audoëni Rotomagensis Archiepiscopi in Angliam ab Emma Regina matre Eduardi Regis. Agit etiam de multis, qui scripserunt de *Vita* vel *Miraculis* S. Audoëni, sed nunquam dicit illam à Fridegodo conscriptam fuisse. Ejusdem autem Fridegodi videtur mihi esse Poëma heroicum, quod Thomas Galeus edidit loco citato inter Scriptores XV. *Historia Anglicana*, in fol. anno 1691. è theatro Scheldoniano, *De Pontificibus & Sanctis Ecclesia & agri Eboracensis* p. 703. ad 732. quod Thomas Galeus perperam Alcuino

no inscripsit, eductum ex MSS. Codicibus Sancti Remigii Rhemensis & S. Theodorici prope Remos, ubi nullum nomen auctoris est. Nec hoc probant Carmen 1515. ut vult in Prologo ad Lectorem Thomas Galeus.

Hoc duo discipuli, templum Doctore jubente
Ædificaverunt Eambaldus & Alcuinus, ambo
Concordes, operi devota mente studentes.

Nec carmen 1552. quod etiam in Alcuini auctoris putativi gratiam & argumentum profert.

Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Juvencus?
Alcuinus & Clemens, Prosper, Paulinus, Arator.

Author ejus enim Poëmatis, meminit *Sedulii* & *Alcuini*, & *Clementis*, tanquam virorum illustrium, quod sane Alcuinus de seipso non fecisset. Nam Clemens ille de quo agitur, Alcuino posterior fuit, cum quo missus est in Gallias, ut scribit Jacobus Vsserius Armachanus Archiepiscopus, *præfatione* in Epistolas Hibernicas, qui Carolo Magno supervixit, ad annum DCCCXX. vel circiter. Nec alius videtur esse *CLEMENS Vita Caroli Magni exarator*, in Catalogo Authorum, quorum testimonia à Wolffgango Lazio in Commentariis Reipublicæ Romanæ producuntur, nominatus. Sedulius quoque Anglus vel Scotus, ille ipse est, quem anno DCCCXIIX Hepidamus S. Galli Monachus in *Chronico* floruisse asserit. Author ergo hujus Poëmatis, qui celebres seculo IX. viros etiam Alcuino posteriores recenset, seculo X, illoque inclinante, antiquior mihi non videtur: id quod Fridegodo optime convenire potest, qui poëmate heroico ad prosam magis accedente lætabatur. Scopus hujus Scriptoris est, ut tractet de Præsulibus, Regibus & Sanctis agri seu sedis Eboracensis, ut constat ex his ultimis Poëmatis carminibus:

Hæc idcirco cui propriis de Patribus, atque
Regibus & Sanctis ruralia carmina scripsi.
Hos pariter Sanctos tetigi, quos versibus istis
Deprecor, ut nostram mundi de gurgite cymbam
Ad portum vitæ, meritis precibusque gubernent.

Quis autem credat ita tumidum fuisse Alcuinum, vel præsumptuosum, ut se adhuc viventem vel Eboracensibus Præsulibus, vel Regibus, vel Sanctis accenseret? Nullatenus ergo Alcuinus hujus Poëmatis author est, sed multo recentior aliquis, ut Fridegodus fuit, qui multis post annis, tum Alcuinum ipsum, tum Clementem & Sedulium, Eboracensis agri Sanctis, unde forsitan oriundi erant, accensuerit. Meminit Fridegodi Joannes Baleus *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 2. cap. 32. cui attribuit Opuscula varia, videlicet *De peccatrice in Evangelio, De Hierusalem, De visione Beatorum, Contemplationes varias*, quæ periisse putat Cavus loco citato.

S. ETHELWOLDVS VINTONIENSIS EPISCOPVS, natione Anglus, patria Ventanus seu Vintoniensis, quem Chronicon Johannis Bromton Abbatis Jornalensis, vocat *Patrem Monachorum & Sidus Anglorum* col. 877. 960
Vir iste Vintoniæ natus est, qui sub S. Dunstano Glastoniæ educatus & cucullatus est, tempore autem Regis Eldredi circa annum 950. factus est Abbas Abbendoniensis, tum tempore Regis Edgari anno 961. Vintoniensis Episcopus electus. Nam ut inquit Historia Ramesiæ cap. 13. *Eadem tempestate qua S. Dunstanus ad sedem Cantuariensem provectus est*, hoc est anno 961, *eadem quoque tempestate vir mira Sanctitatis Abbas Abbendoniæ Ethelwoldus, S. Dunstani alumnus, Brithelmo Wintoniæ Episcopo humanis rebus exempto, ejusdem sedis dignitatem volente Domino adeptus est.* Juxta Symeonem vere Dunelmensem in *Chronico* factus est anno 963. Episcopus, qui Clericis ab hac sede amotis ob nuptias ad quas passim convolabant, Monachos illic jussu Regis Edgari substituit. Ita autem Vitam ejus perstringit Abbas Jornalensis loco citato. „Factus est Episcopus Wintoniensis, ubi Monasterium Monialium constituit, & corpus S. Swithini transtulit. Vir igitur iste ex Monacho Wintoniensis Præsul factus, propter profusa convivia, quæ tunc in Anglia à Danorum adventu exhibebantur, pane & aqua utebatur. Vir iste per omnia Beatæ Mariæ, & Sancto Cuthberto devotus extitit, cujus sedem post obitum ejus, nunquam potuit aliquis impune dormitando premere, quin tetris imaginibus resiliret, increpantibus cur sedem Episcopi indignus usurparet. Igitur dum semel simultas anxia inter ipsum Episcopum & Godwinum Comitem esset exorta, nec die ad hoc statuto pacificari possent: Episcopus recedendo iratus dixit, *Per Dominam meam Mariam malè tibi erit.* Nec ab illa hora quievit Godwinus à viscerum tortura, donec benedictionem ab Episcopo reciperet. Tandem vir iste ad Dunelum profectus est, ubi quod magnæ videbatur audaciæ, revulso sepulchri operculo, cum S. Cuthberto quasi cum amico loquebatur, ubi munus amoris deposuit & obiit, anno Domini 984. Episcopatus 24. Regis Ethelredi 3. & visionem Domini quam semper optaverat, adeptus est. Huic Ethelwoldo successit S. Elphegus tunc Bathoniensis Abbas." In MSS. Codice 5164. Bibliothecæ Bodleianæ, inter MSS. Codices Francisci Junii Cod. 52. num. 2. extat *Ethelwoldus Episcopus Wintoniensis De diurna consuetudine Monachorum Ord. divi Benedicti*, Saxonice ex Codice bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Tiberii

A. 3. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Num. 2427. extat in Bibliotheca Publica Cantabrigiæ in MSS. Codicibus quos Matthæus Parkerus Cantuariensis Archiepiscopus huic Bibliothecæ dono legavit, Codice 247. num. 8. *Ethelwoldus de Abbatibus Lindisfarnensibus.* 9. *De Regibus & Regnis & Episcopatibus totius Angliæ.* 10. *De tempore Regum Britannicorum.* Ob hæc Opuscula Gerardus Johannes Vossius hunc Ethelwoldum accensuit *Historicis Latinis* Lib. 2. cap. 41. pag. mihi 354. Verum non spectant illa ad Ethelwoldum Wintoniensem illum Episcopum, qui nunquam de Lindisfarnensibus Abbatibus scribere potuit, sed recte de Abbatibus Glastoniensibus vel Abbendoniensibus, ubi Abbas fuerat. Recte igitur inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium ejusdem Regni bibliothecarum Codice 6115. in Codicibus MSS. Thomæ Galei Codice 281. *Ethelwoldi Lindisfarnensis De vitis Abbatum Lindisfarnensium* inscribitur: & Ibidem 6183. Codice 349. ejusdem Galei, *Ethelwoldi Opera*, Liber sic dictus. At Opus istud absque dubio spectat ad alium Æthelwulfum ducentis annis & amplius isto antiquiorem, qui dictus est *Bernicius* atque anno 750. clarus, Opus suum *De Lindisfarnensibus Abbatibus & viris illustribus Domino suo Egberto Eboracensi Archiepiscopo* inscripsit, in Præfatione sua quæ extat in veteri Codice Bibliothecæ Bodleianæ, in MSS. Bodleji Litera B. 4. Codice 10. *Amicorum præstantissimo atque dilectissimo Sacerdoti magno Egberto, Presbyter meritis Ædilwulf, intimæ charitatis salutem.* Hunc errorem admisit Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. qui tamen ibidem cap. 29. illud Opus idem tribuit & recte Ethelwolpho Bernicio, quem anno 750. claruisse scribit. Nihil igitur Historicum quod sciam, Ethelwoldus Wintoniensis Episcopus scripsit. Sed *De consuetudine Monachorum Saxonice Æthelwoldus* extat MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii Litera A. Codice 3. pag. 171. Codex antiquus & optimæ notæ per manus diversorum scriptus ante occupatam Angliam, in quo icones S. Benedicti, Eadgari Regis & S. Scholasticæ. Item inter Codices MSS. Collegii Corporis Christi Cantabrigiæ notato S. 6. sub finem Codicis post paginam 263. *Regula S. Benedicti Latine & Sclavonice auctore* Æthelwolfo. Cujus ob translationem Saxonicam, ut Historia Eliensis refert, Eadgarus Rex & Alfreth sive Ælfred Sancto Etelwoldo manerium de Suthburn cum cyrographo in perpetuum contulerunt. De opera ejus adversus Presbyterorum conjugia, vide Vincentium Bellovacensem in *Speculo Historiali* lib. 24. cap. 83. Antoninum Florentiæ Archiepiscopum in *Summa Historiali* parte 2. tit. XVI. Cap. 6. §. 4. Agunt de *Ethelwoldo Wintoniensi Episcopo* Joannes Lelandus in *Collectaneu* volumine 4 num. 90. pag. 127. quod extat inter MSS Codices Bibliothecæ Bodlejanæ in Anglia Cod. 5105. Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Latinis* Lib. 2. cap. 41. pag. mihi 354. Humphredus Wanleius in *Catalogo MSS. Codicum Anglo-Saxonicorum*, in Bibliothecis Angliæ occurrentium, Oxonii in fol. a. 1706. edito, pagg. 91. 122. & 199.

THEODORICUS TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPUS, claruit iisdem Othonis primi temporibus anno circiter 960. qui ex Ecclesiæ Moguntinensis Præposito, assumptus fuit anno 965. ad Trevirensis Archiepiscopatus clavum, & in literas retulit *Vitam Sanctæ Lutrudis*, virginis sanctimonialis in Corbeja Saxoniæ requiescentis, quam ipsam vel saltem epitomen illius habes apud Surium in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo V. ad diem 22. Septembris. Mortuus autem est hic Theodoricus anno 970. ac successorem habuit Egbertum, Arnulphi Hollandiæ Comitis fratrem. Hæc Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 40. pag. mihi 349. & lib. 3. parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 5. pag. 765. Errorem autem quem idem Vossius admiserat lib. 3. parte 1. cap. 6. pag. 572. ubi illum post alios anno 1490. assignaverat, corrigit tandem lib. 3. parte 2. quæ est *De Historicis incertæ ætatis*, littera T. pag. mihi 725. his verbis. Theodoricus Archiepiscopus Trevirensis fuit anno 1490. ac præter librum *De laudibus Beatæ Virginis Mariæ*, etiam conscripsit *Vitam S. Lindrudis*, ut quidem legitur in Epitome Gesneriana Simleri. Sed non dubito quin peccatum hac parte sit, nam ab anno 1449. usque ad annum 1505. Archiepiscopatum Trevirensem Joannes Marchio Badensis obtinuit. Quare quis iste Theodoricus sit, aut quando vixerit, dicere non possum. Scio Theodoricum quendam circa annum 1100. fuisse Abbatem monasterii S. Trudonis, ac *Vitam* scripsisse *Sanctæ Lindrudæ*. Pene est, ut eum signari arbitrer, ut non modo in authore sit error, sed etiam in nomine Sanctæ ipsius. Sane quæ sit illa S. Lindrudis, necdum reperio: at de S. Landrada, nulli ignotum puto. Aliquanto postquam ista jam literis commisissem, ecce incido in *Annales Archiepiscoporum Trevirensium*, à Mersæo Minorita conscriptos. Ibi lego, Henrico qui Archiepiscopus Trevirensis factus est, anno 965. successisse Theodoricum antea Præpositum Ecclesiæ Moguntinæ, decessisse autem Theodoricum anno 970. esseque hunc illum ipsum, à quo *Vita Lutrudis* exarata est. Ita enim appellat, atque addit, sacram hanc Virginem requiescere Corbeiæ. Quæ si ita sint, & sane in rebus Trevirensibus non est cur temere fidem illi detrahamus, cum illas ex professo tractaverit: totis quingentis annis & amplius, in Theodorici hujus ætate, Simlerus, uti & qui eum hac in re in *Apparatu sacro* sequitur Antonius Possevinus, aberrarunt. Hæc locis citatis Gerardus Joannes Vossius.

AIO,

960. AJO Anglus Monachus, ordinis divi Benedicti floruit in Monasterio Croylandensi ab anno 960. antea, vitam professus monasticam, clarus temporibus Othonum primi & secundi Imperatorum, ob juris peritiam laudatus ab Ingulfo Croilandensi Abbate in Historia sua ad annum 974. pag. mihi 885. Hic in Historicis etiam conscribendis valuit, nam *Monasterii sui Historiam* ex monumentis illius antiquioribus, jussu Abbatis sui Turketuli scripto consignavit, quæ Historia est quasi CC. & LXXIV. annorum, ab anno nempe DCC. usque ad annum DCCCCLXXIV. quo Edgarus in Anglia regnabat, cui Ajo familiaris erat. Inseruit hanc Historiam suæ Ingulfus, Abbas Croylandensis verbotenus, ut non obscure insinuat pag. 885. allata. Ajo autem, vel potius Ingulfus per Ajonem, ab anno 960. vel circiter, ita de rebus loquitur quasi præsens iis fuisset, licet ab hac ætate Ingulfus multum distaret, qui & anni 1107. in Chronico suo Croylandensi meminit Mortuus est sub Turketulo Abbate anno 974. valde grandævus, ut Ingulfus habet. Meminit Ajonis Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 5. pag. 765.

970. ROTGERUS SANCTI PANTALEONIS IN URBE COLONIENSI MONACHUS, Ordinis divi Benedicti, quem Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 345. scribit fuisse *Abbatem Cœnobii de Cruce S. Leufredi in Britannia, Ord. divi Benedicti, Congregationis Cluniacensis*. De quo ita Sigebertus in Catalogo cap. 131. *Rogerus scripsit Vitam Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, qui fuit dux & frater Ottonis Imperatoris*. Scripsit igitur Rotgerus stylo nitido atque eloquenti *Vitam Sancti Brunonis Coloniensis Archiepiscopi*, scriptionemque suam Folcmaro Archiepiscopo Brunonis successori, circa annum 970. nuncupasse videtur. Cum enim Bruno Remis in Gallia anno 965. quarto Idus Octobris, seu die XI. mortuus sit, in reditu à Compendiensi conventu, ubi nepotes suos, hoc est, Lotharium Regem & Hugonis Magni filios inter sese invicem dissidentes ad concordiam revocaverat: vix Opusculum istud ante annum 970. notare possumus, quod impressum habetur apud Laurentium Surium, tomo V. ad diem XI. Octobris. De *Rotgero*, Sigebertus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 131. mentionem facit. Joannes etiam Trithemius, *De viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti*. Ægidius Aureæ Vallis Monachus cap. 34. *De gestis Episcoporum Leodiensium*. Verum plenissime Joannes Mabillon seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 334. in præludiis ad *Translationem Sancti Maurini Abbatis & Martyris*, ubi *De rebus gestis* Sancti Brunonis Coloniensis Archiepiscopi. Falli autem videtur Gerardus Joannes Vossius, qui Libro 2. *De Historicis Latinis* c. 44. pag. 345. hunc Rotgerum, eundem putat cum Rogero Abbate de cruce S. Leufredi, ad quem etiam Guitmundus circa annum 1066. Libros contra Berengarium scripsisse creditur.

JOANNES PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS hoc tempore claruit, qui annis ducentis & amplius à Joannis Damasceni morte, *Vitam* illius, conscribendam suscepit, quæ quidem extat vel præmissa vel subjuncta partim Latine, partim Græce in editionibus variis, Operum S. Johannis Damasceni, cognomento Mansur. Extat autem Græce primum edita Romæ anno 1553. in 8. & in editione omnium Operum S. Damasceni Basileensi 1575. Latine autem in aliis multis editionibus tum Basileensibus tum Parisiensibus, tum apud Laurentium Surium Tomo 3. ad diem 6. Maii, Græce autem & Latine in *Actis Sanctorum* Joannis Bollandi & Comitum, ad eandem diem 6. Maii. Abunde ex hoc Opusculo liquet satis fabuloso, quantopere adversatus fuerit Constantino Caballino & Leoni IV. ejus filio, a quibus anno DCCLIV. Synodus Constantinopolitana contra cultum Imaginum habita fuit, ut ex Actis Concilii Nicæni II. Act. VI. liquet. Atque inde etiam est, quod comparans nomen Leonis Imperatoris & Joannis Damasceni simul, illud esse à leonis rugientis similitudine ait, alterum autem fuisse impositum à gratia, videlicet quod Hebræis Jochanan sive Johannes idem sit, quod Latinis, *Gratianus* est. *Vitam Damasceni*, si Antonio Possevino Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Joannes Patriarcha Hierosolymitanus*, credimus, iste Joannes Patriarcha primum Arabice exaravit: Sed in ipsa Vita Damasceni, Joannes ait Arabice primo scriptam fuisse, stylo tamen rudi & incompto, neque inquit lingua Arabica à se compositam, qui nempe nonnisi laborem in se susceperit illam Græce explicandi. Ex Græcis autem Latine reddidit Johannes Oecolampadius, sed elegantius deinceps Jacobus Billius Prunæus, præmissam divi Jo. Damasceni Parisiensibus editionibus 1577. 1603. 1619. Daniel Papebrochius Soc. Jesu in Commentariis quos præmisit huic Vitæ ad d. 6. Maii, hunc authorem Joannem Patriarcham Hierosolymitanum anno 969. assignat, cujus rationes ut valde probabiles amplector. Edidit quoque Franciscus Combesis conjectura plane levi *Orationem* sub nomine S. Joannis Damasceni *in Constantinum Caballinum pro sacris Imaginibus* ex duobus Codicibus MSS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Tomo 2. *Auctarii Græco-Latini* Bibliothecæ Patrum anni 1648. col. 663. At Carolus du Fresne Dominus du Cange in *Catalogo authorum MSS.* quibus usus est in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* concinnando, quem eidem Glossario subjunxit, hanc Orationem Joanni huic Hierosolymitano his verbis col. 28. adscribit. Joannis Hierosolymitani Archiepiscopi Synodicon hoc titulo ex Codice Regio 2951. Συνοδικὸν Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων σταλέντος τὰς 970.

„τὰς κατὰ τὴν ἄοικον καὶ ἀκέφαλον ψευδώνυμον „ἑβδόμην σύνοδον, editum à Combefisio in Histo„ria Monothelitarum col. 663. sub nomine S. „Joannis Damasceni, sed hic paullo diversum. Ejusdem quoque Joannis Patriarchæ Hierosolymitani est, *Epistola de Sanctis Imaginibus* quæ sub nomine falso *Joannis Damasceni*, Græce & Latine est edita ab eodem Francisco Combefis in *Manipulo Originum Constantinopolitanarum* pag. 110. quam tamen esse revera *Synodicam Episcoporum Orientalium*, dudum post Damasceni mortem conscriptam, luculenter probat idem Combefisius ibidem, de qua nos diximus supra, in Dissertat. *De Operibus S. Joannis Damasceni*. Denique *Joannis Hierosolymitani Monachi Narratio de origine hæreseos Iconoclastarum*, ad eundem Archiepiscopum pertinere prorsus videtur, qui ex Monacho ad hanc Patriarchalem sedem pro more Græcorum promotus sit. Edita illa Græce & Latine pag. 312. post Continuatorem Theophanis, qui ejus Chronologiam libris IV. protendit à Leone Armenio ad Michaelem Methystum Græce & Latine editis ab eodem Combefisio typis Regiis Parisiensibus A. 1685. in folio. Agunt De *Johan. Patriarcha Hierosolymitano* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 24. pag. mihi 283. ubi perperam scribitur floruisse sub extremis temporibus Constantini Copronimi ac matris ejus Irenes, ac filii ipsius Leonis IV. ætate eadem qua S. Theodorus Studita. Verum eximie hic Vossius fallitur, qui Joannem Patriarcham Hierosolymitanum S. Joanni Damasceno supparem facit, quamvis ducentis annis & amplius, posterior sit. Guilielmus quoque Cavus in *Historia rei literariæ* i-“ psum anno 842. pag. 532. assignat, postquam“ scilicet Imagines in Ecclesia Græca demum“ restitutæ, sedes fixas & non movendas ampli-“ us obtinuissent, & Iconodulia apud omnes“ Græcos in pretio esse cœpisset.“ At Daniel Papebrochius in Commentariis ad Vitam S. Joannis Damasceni, die 6. Maii Græce & Latine editam præmissis, ubi authorem illius examine accurato discussit, illum ad annum 969. ducentis & amplius post Joannis Damasceni mortem annis amandat, quem cæteris palpantibus atque errantibus amplexi prætulimus. Denique de *Joanne Patriarcha Hierosolymitano* Carolus du Fresne du Cange in *Catalogo MSS. Codicum & Operum impressorum*, col. 28. 52. & 62. quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*. Leo Allatius *De Consensu utriusque Ecclesiæ* lib. 2. cap. 18. paragr. 18. & in Creigtonem pag. 430.

970. FULCUINUS SEU FULQUINUS ex Monacho Sithiensi sive Sancti Bertini intra muros Urbis Audomaropolitanæ Abbas XXII. Laubiensis Monasterii, Ordinis S. Benedicti ad Sabim fluvium, milliari secundo à Binchio Hanoniæ oppido, circa annum 970. clarus, scripsit *De rebus gestis Abbatum Lobiensium* MS. Laubiis, Gemblaci, Tornaci in Collegio Societatis Jesu, & alibi, cujus Opusculi mentionem facit Sigebertus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. CXXXVIII. *Fulcuinus Abbas Lobiensis, scripsit Gesta Abbatum Lobiensium, subintroducens per digressionem plura legentibus utilia.* Hic defuncto Alatranno juvenis adhuc ætate Abbas anno 965. factus est, unde aliquanto post condidit hoc *Chronicon De rebus gestis Abbatum Laubiensis Cœnobii*, quod a Luca Dacherio *Spicilegii* tomo 6. impressum est. *De miraculis S. Ursmari suo tempore factis Opusculum*, quod MS. Leodii ad S. Jacobum, extatque editum ab Henschenio in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 2. mensis Aprilis ad diem XVIII. *Vitam Folcuini Tarvanensis Episcopi*, qui anno DCCCLV. XIX. Calendas Januarii obiit, MS. Camberonæ in Hannonia, & in Rubra Valle apud Bruxellam; quam tandem habes impressam apud Joannem Mabillonium *De Sanctis Ordinis divi Benedicti* Seculo IV. parte I. pag. 622. *Homiliam super Evangelio de Zizaniis*, MS Lovanii ad sanctum Martinum. Obiit anno DCCCCXC. apud suos ad S. Ursmarum conditus. Agunt de *Fulcuino* Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte IV. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 4. pag. 760. editionis ultimæ. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Fulquinus* pag. 252. editionis 1643. Lovanii in 4. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ*, ad annum DCCCCLXV. pag. 585.

LEO DIACONUS ECCLESIÆ CONSTAN- 970.
TINOPOLITANÆ anno 975. floruit, nomenque posteris suum commendavit, scribendo *Historiam Imperatorum Constantinopolitanorum* Græce, a morte Constantini Porphyrogennetæ, hoc est ab anno 959. usque ad mortem Joannis Tzemiscis, seu usque ad annum 975. libris octo, qui habentur MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, ex quibus Latine redditis Volumen secundum Scriptorum post Theophanem edere Franciscus Combefisius decreverat, nisi mors anno 1685. senem optimum ac nobis amicum abstulisset, non mediocri litterarum Græcarum damno. Mentionem hujus Operis facit, Clarissimus vir Carolus du Fresne Dominus du Cange in Indice Scriptorum Græcorum nondum editorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 28. velut MS. existentis in Regia Galliarum Bibliotheca, his verbis. Leonis Diaconi Historia hoc titu-“ lo, *Λέοντος Διακόνου ἱστορία ἀρχομένη ἀπὸ τῆς*“ *τελευτῆς τοῦ αὐτοκράτορος Κωνσταντίνου Πορφυ-*“ *ρογεννήτου, μέχρι τῆς τελευτῆς τοῦ αὐτοκράτο-*“ *ρος τοῦ ἐπιλεγομένου Τζιμισκῆ*, sub quo vivebat.“ Scriptor typis Regiis proxime edendus cum“ aliis ex Codice Regio, cujus mentionem habet“ Gulielmus Cavus Tomo 2. seu Parte 2. *Historia litteraria* anno 975. pag. 319. editionis Londinensis anni 1698. in fol. his verbis. „Opus ut videtur magni pretii, ex cujus libris VII. &“ VIII. quædam hinc inde citat idem vir claris-“ simus,

„simus, quique typis Regiis una cum aliis, pro-
„xime edendum esse spem nobis fecit. Certe
„Combefisius ei inter *Scriptores post Theopha-*
„*nem* locum destinavit, & absoluto Tomo pri-
„mo in secundum rejecit, quem tamen morte
„præventus non edidit. Extat etiam Leonis
„hujus *Oratio* ad Basilium Imperatorem Roma-
„ni Junioris filium, qui una cum fratre suo
„Constantino Joanne, Tzemisci in Imperio suc-
„cessit. Habetur Græce MS. in *Bibliotheca*
„*Bodleiana* inter Codices Baroccianos Codice
„CXXXI. folio 306. B. Incipit, Ἐδεῖ μὲν τὸ &c.

970. NICEPHORVS SANCTI ANDREÆ SALI SEV STVLTI DIRECTOR ET CONFESSARIVS, circa annum 970. *Vitam hujus Andreæ Sali seu Stulti* Græce scripsisse creditur, prolixam maxime, quam Conradus Janningus Soc. Jesu interpretatus est, Græce Latineque edidit anno 1688. in *Probatis Sanctorum Vitis* tomo 6. Maii mensis, ad calcem Voluminis velut *Corollarium* ad diem 28. Maii à pag. 4. ad 111. cui Commentarium non indoctum præmisit, sed conjecturis utcunque solis innixum, ex quo sequentia hic mutuati sumus. Andream appellatum *Salum* vult, fuisse familiarem Nicephoro vitæ scriptori, & Epiphanio postea Patriarchæ, non tamen sub nomine Epiphanii, seculo V. post Imperium Leonis Magni: sed post tempora Leonis sequentis seculo X. sub nomine Polyeucti. Sedisse autem vult Polyeuctum, inter multas quas sustinuit procellas, usque ad annum ab Incarnatione Domini DCCCCLXXX. & ultra, ut Janningus in Commentario prævio scribit. Ita autem ille num. 4.

„Porro completam fuisse Sancti de futuro
„ejus Patriarchatu prophetiam, quando scri-
„bebatur *Vita*, indicare Author sic finiens vi-
„detur. *Conscripsi mirabilem hanc & celebri fa-*
„*ma vulgandam Vitam religiosissimi sanctissimique*
„*Patris Andreæ, ea in præsentem commentarium re-*
„*ferens, quæ partim oculis meis vidi, partim ex Epi-*
„*phanio didici, facto hinc inde reverendissimo Ar-*
„*chiepiscopo secundum ipsius Sancti prædictionem.*
„At cujus ætatis tunc Auctor fuerit, quem jam
„inde à principio simulandæ stultitiæ *Andreas*
„arbitrum conscientiæ suæ habuit? atque adeo
„haud multo minorem quadragenario reperit,
„fuisset is profecto jam fere centenarius, quan-
„do is de quo agitur Patriarcha, quocunque
„appelles nomine, sedem conscendit. Quomo-
„docunque enim chronologiam ordines, mane-
„bit, quod *Nicephorus* Scriptor qui sacerdos e-
„rat, quando Andreas adhuc juvenis stultum
„agere cœpit, eidemque post annos ætatis
„LXVI. defuncto supervixit, admodum gran-
„dævus esse debuerit: quippe qui *Epiphanium*
„moriente *Andrea* non valde annosum, post
„plures in Monasterio annos traductos, factum
„viderit Patriarcham. Quapropter vereor,
„ne ut alia quædam, sic etiam locus iste, qui vi-
detur meminisse prophetiæ impletæ, interpo-«
latus sit. Ut autem hoc verear, facit *primo*,«
quod nulla ratione verisimile sit, dilatam fu-«
isse tam mirabilis Vitæ conscriptionem annis«
tam multis: & non potius exaratam esse re-«
centi adhuc utriusque tam *Nicephori* quam *E-*«
piphanii memoria. *Secundo* quod vix credibi-«
le sit, adeo ieiunam mentionem factam fuisse«
suscepti ab *Epiphanio* ex *Sancti Andreæ* prædi-«
ctione *Monachatus* atque *Patriarchatus:* & illud«
quod is tunc nomen gessit, silentio prætereun-«
dum, si Vita hæc non fuisset conscripta, pri-«
usquam ista fierent. Quoniam autem utrum-«
que MSS. in eandem phrasim consentit, dicen-«
dum esset, quod in ipso originali primo inter-«
polatio facta sit, cum Vita ista diu post mor-«
tem Auctoris in lucem proferenda esset.«

Hoc tamen posito, nondum certum manet,«
quod *Epiphanius* in illa Vita dictus, fuerit in or-«
dine Patriarcharum *Polyeuctus* potius quam«
Antonius nuncupatus, qui post *Polyeuctum* &«
Basilium monachum quidem & ipsum, sed Sca-«
mandria in Asia minori oriundum, ex Constan-«
tinopolitano Studii monasterio circa annum«
DCCCCLXXX. assumptus, deinde post«
sextum Patriarchatus sui annum, suo se mu-«
nere abdicarit, Selero Barda Duce exercitus«
contra Imperatores Basilium & Constantinum«
insurgente, tum paulo post mortuus sit. Tali«
autem casu solum opus esset, sub extremos Le-«
onis Sapientis annos *Andream* impium stulti-«
tiam circa annum DCCCCXXX. simulare«
cœpisse, circa vero DCCCCLVI. obiisse:«
quando *Nicephorus* quidem jam Septuagenari-«
us aut eo major esset, *Epiphanius* vero necdum«
tunc triicenarius, annis postea ut minimum«
XX. in Monasterio antequam Patriarcha fie-«
ret vixerit: in quo si ipse *Polyeuctus* esset, an-«
nis XII. vel XIV. solum vixisse potuisset. Hæc«
Janningus implicatus in *Commentario* num. 4.«
& 5. Num autem 8. Ad Vitam ipsam quod at-«
tinet, duplex illius nacti sumus exemplar, quo-«
rum alterum descriptum nobis è Vaticana bi-«
bliotheca sub nota numeri 1574 cum hoc ti-«
tulo, βίος καὶ πολιτεία τοῦ μακαρίου Ἀνδρέου τοῦ«
Σαλοῦ, τοῦ εἰς τὸ βυζάντιον τῆς θεοφυλάκτου πό-«
λεως ποιήσαντος ἑαυτὸν παραπάιοντα. *Vita &*«
Conversatio B. Andreæ Sali, qui Byzantiò urbe di-«
vino præsidio tuta, se ipse stultum simulavit. Al-«
terum e bibliotheca Eminentissimi Cardinalis«
Mazarini commodavit nobis, tantisper cum«
MS nostro conferendum, & alterum ex altero«
corrigendum supplendumque, R. P. Jacobus«
Quetif, sub hoc titulo, βίος καὶ πολιτεία τοῦ«
μακαρίου Ἀνδρέα, τοῦ διὰ χριστὸν Σαλοῦ συγγρα-«
φεὶς παρὰ Νικηφόρου Ἱερέως τῆς τοῦ Θεοῦ ἁγιω-«
τάτης μεγάλης ἐκκλησίας. *Vita & Conversa-*«
tio beati Andreæ, qui propter Christum stultus fu-«
it, conscripta a Nicephoro Magnæ sanctissimæque«
Dei Ecclesiæ sacerdote. Extat eadem Vita MS.«
in Bibliotheca Imperatoris Viennensi, ut in«
Bibliotheca Gesneri aucta legere est, Tiguri«
anno

„anno MDLXXXIII. impressa his verbis: „*Nicephorus de Vita Andreæ*, Liber vetus MS. in „4. Bibliothecæ Imperatoris Viennæ, cujus „mentionem facit Petrus Lambecius To„mo VIII. Bibliothecæ Cæsareæ Viodobonen„sis pag. 377. Codice MS. Historico Græco „Ecclesiastico XXXVII. Num. I. à pag. 1. ad fo„lium 95. pag. 2. Item ad calcem Glossarii „Domini du Cange in Indice Scriptorum Græ„corum MSS. col. 30. *Nicephorus Presbyter Ma*„*gnæ Ecclesiæ*, *De Vita S. Andreæ propter Christum* „*Sali*, *Codice Regio* 2458. Idem forsitan hic fuerit cum *Nicephoro Magistro Antiochia* qui *Vranus* cognominatur, atque ingenti scripto & ad nauseam prolixo, scripsit *Vitam & Conversationem Sancti Symeonis Studita junioris*, cognomento *simplicis & stulti*, *Hegumeni monasterii Sancti Montis Mirabilis*, quam Græce & Latine anno 1685. edidit Daniel Papebrochius in *Probatis Sanctorum Vitis*, tomo V. Maii mensis, ad XXIV. diem. Nam primus istius Vitæ scriptor dicitur Leontius Neapoleos Cypri Episcopus, in Indice MSS. Codicum Vaticanæ Bibliothecæ, & in Actione 4. Concilii Nicæni II. pag. 245. Atque in MS. Codice Colbertinæ bibliothecæ 977. *Sancti Symeonis propter Christum stulti Vita* hoc titulo, βίος καὶ πολιτεία τῦ Ἀββᾶ Συμεὼν διὰ χριςὸν τῦ ὀνομαςένlος Σαλῦ, ut testatur Carolus du Fresne Dominus du Cange in Indice Scriptorum quem subjecit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 41. *Secundo* idem de *Stultis propter Christum* eadem prolixitate scriptum, eodem stylo, eundem auctorem arguere videtur, potuitque Nicephorus Magister Antiochiæ & Vranus dictus, ex schola Antiochenæ præfectura fuisse assumptus ad Ecclesiam S. Sophiæ Constantinopolitanam, ob doctrinæ meritum. *Tertio* affectatio Synchronismi à Nicephoro tam in Vita utriusque Stulti Andreæ & Symeonis Stylitæ, quam in Vita S. Marthæ, Symeonis Stylitæ & Stulti matris, eundem ubique hominem scriptorem & mendacem arguere videtur. *Quarto* eadem prolixitas & amplificatio vaga, nihilque circumstantiarum temporis determinans, eundem ubique nugacem & garrulum evincit, qui nihil circumscribere determinate voluit, ne mendacii & synchronismi falso suppositi argueretur.

970. **WITIKINDUS SEU WIDUKINDUS**, natione Germanus è Saxonia oriundus, Monachus Corbeiæ Saxonicæ ad Wisurgim fluvium Ordinis divi Benedicti, claruit ab anno circiter 970. atque sequentibus. Synchronus enim fuisse videtur, Lamfrido Anglo, Monacho Benedictino in Wintoniensi Cœnobio vereti qui circa annum 980. sub Rege Anglorum Ethelredo vitam agebat, Roswitæ Moniali Gandeshemensi, Herigero Abbati Laubiensi & Notgero Leodiensi Episcopo, hac ætate celebribus. Scripsit *De rebus Saxonum gestis*, sive *De Henrici Aucupis & Othonis primi Imperatoris rebus gestis libros tres*, *ad Mathildem Reginam Othonis Imperatoris filiam*, qui Basileæ primum prodierunt anno 1532. apud Johannem Hervagium. Opus istud vix ante annum 975. aggressus fuisse videtur, cum in eo agat de morte Othonis I. Imperatoris qui anno 936. imperare cœpit, ac XXXVIII. annis in Imperio expletis, mortuus dicitur *Nonis Maii Feria IV.* Ita ipse Witichindus ait, quod idem est ac si diceret anno 973. ut Fastorum ratio docet. Vix ergo ante annum 975. suscepisse creditur, atque circa annum 980. absolvisse. Etiam *S. Theclæ passionem metro* & *Vitam S. Pauli Eremitæ tam prosa quam metro* scripsisse dicitur à Sigeberto *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 129. quæ exciderunt. Ejusdem *Versus aliquot* in Codice IV. Evangeliorum MS. in Monasterio Corbeiensis reperti, prodierunt in lucem una cum libris 3. *De rebus Saxonum* notis illustratis, Francofurti 1621. in folio, inter alios quosdam ejusdem Sæculi Scriptores ab Henrico Meibomio Seniore seu patre, cum Dissertationibus diversi argumenti adjunctis. Idem tandem Opus editum anno 1577. in folio in Collectione Rerum Germanicarum Reineri Reineccii & anno 1688. Francofurti inter *Res Germanicas* Henricorum Meibomiorum patris & filii, una collectas, Helmestadii, 3. tomis & 2. voluminibus in folio editas. Denique Godefridus Guilielmus Leibnitius edidit *Summam capitum, ex quibus constant tres libri Witichindi Corbeiensis, qualis legitur in Codice antiquo Bibliotheca Cassinensis* pag. 208. *Varias lectiones ex Widukindi Codice Archivi Electoralis Dresdensis* collato cum editione Meibomianis tomis inserta pag. 211. *Historia Witichindi* Basileæ apud Johannem Hervagium anno 1532. editæ, juxta *Collationem cum MS. Bibliotheca Cassinensis* pag. 221. ad 233. Aguot de *Witichindo* Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. 350. editionis ultimæ, ubi anno 980. & ultra eum assignat. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* pag. 581. quem male anno 940. floruisse inquit.

ROMERIUS ut Simlerus ait, composuit *duos Annalium libros*, quibus Rheginonis historiam ab anno DCCCCVII. usque ad annum DCCCCLXXVII. prosequitur. Cumque *Appendix* ea quæ Rheginoni hodie addi solet, totidem annorum sit, verisimile plane fit, eam vel Romerii hujus esse, vel ex Romerio excerptam. Illud quoque verisimile est, scriptorem eo anno vixisse, quo Annales suos finit, etsi tamen istud præfracte asseverare noluerim. Invenio ejus quoque mentionem fieri apud Aventinum, ubi historiam Romerii de Gestis Germaniæ refert inter illos auctores, quos in libro secundo *De Annalibus Boiorum* sequitur. Ejusdem vero mentionem faciunt Josias Simlerus præfatus in *Bibliotheca Conradi Gesneri contracta & aucta* verbo *Romerius* editionis 1574. 970.

Tiguri

Tiguri in folio. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. pag. 765. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4.

980. THEODULUS SEU THEODOLUS natione Italus, Græca & Latina lingua eruditus anno 980. vel circiter emicuit, qui cum Athenis studeret, Gentiles audivit cum Christianis altercantes, quorum rationes colligens, reversus ad propria, in *allegoricam Eclogam* Disputationem contulit, introducens duas personas altercantes, & tertiam de duarum dictis judicantem. Primam vocans *Pseustin* à falsitate dictam, humana & fabulosa proponentem: secundam *Alethiam*, divina & vera proponentem: tertiam *Phronesim* à prudentia dictam, per quam dubia examinantur. Theodolus vertitur *Dei Servus*. Titulus libri hujus est, *Ecloga Theodoli*. Hic sub Clericali norma obiit morte immatura, & ideo librum suum non emendavit. Hæc Sigebertus libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 134. pag. mihi 150. Miræi editionis. Porro Bernardus Silvestris dictus, professione Vltrajectensis Clericus, ut habet idem Sigebertus ibidem Cap. 169. editionis Miræi pag. 157. *Super Eclogas Theodoli* commentatus, Divinas historias & seculares fabulas allegorica expositione dilucidavit. De Theodolo quoque mentionem facit Honorius Augustodunensis libello tertio *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 13. pag. 123. editionis Auberti Miræi. Hæc autem *Ecloga Theodoli seu Theoduli*, extat MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 954. una cum Commentario dicti Bernardi Silvestris in eandem, ut postea dicemus ad annum 1110. in *Bernardo Sylvestro*, de quo agemus. Imitatus autem est hunc *Theodulum* seu *Theodolum* Joannes Wicleffus Anglus, scripsit enim *Trialogum Libris quatuor*, cujus interlocutrices personæ sunt *falsitas*, *aletheia & prudentia*: unde nulli dubium esse debeat, quin vetustiorem Theodulum imitatus fuerit. De hoc Trialogo Wicleffi mentionem faciemus infra ad annum 1360. in Dissertatione *De Operibus Joannis Wicleffi* cap. I. quam quæras. Alius pariter Theodulus, sed Græcus, de quo loquimur ad annum 1310.

980. HELPERICUS SANCTI GALLI MONACHUS ET DECANUS, clarus hoc eodem tempore, quo scripsit anno 975. *Tractatum de Computo Ecclesiastico ad Asprum* quem vidi Manuscriptum in Bibliothecis diversis. In Buciliensi Ordinis Præmonstratensis, Episcopatus Landunensis. In bibliotheca Viconiensi ejusdem Ordinis, unde Prologum eduxit Joannes Mabillon, quem evulgavit tomo I. *Analectorum* pag. 113. & sequentibus, ubi multa Helperico præmittit. Tertium exemplar extat in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, ex quo editioni paratum habuit idem Mabillonius. Creditur vixisse *Hilpericus* usque ad annum 1000. & ultra, cum in certis Exemplaribus *Computus* ejus designet annum 1005. Sed in Codice MS. S. Germani Parisiensis quem olim examinandum habui, annus 975. designatur, quo istud Opusculum *Computi* compositum est: unde sequitur in aliis Exemplaribus annum 1005. designatum esse, ab iis qui temporibus sequioribus illud describebant, adaptantes annis quibus transcriberent. Extat Epistola ejusdem Hilperici inserta Opusculo *De Divinis Officiis* sub Alcuini nomine cap. 18. unde constat hoc Opus Alcuini esse non posse, cum 200. annis Alcuino Helpericus ferme recentior sit. Plura *De Helperico* Joannes Mabillon loco citato, & Tomo 2. *Musæi Italici* Commentario in Ordinem Rumanum cap. 12. pag. 83.

HARTMANNUS SIVE HARTMUNDUS SANCTI GALLI MONACHUS, discipulus *Notkeri Balbuli*, quem anno 912. mortuum diximus, circa annum 930. claruisse in Abbatia S. Galli ob scientiam mihi videtur, usque ad annum 980. vel circiter. 980.
Scripsit *Vitam sanctæ Wiboradæ Virginis & Martyris apud sanctum Gallum reclusæ*, quæ anno 925. die 2. Maii mortua dicitur. Sed longe post hujus Viboradæ mortem, ut anno 870. in Notkere Balbulo supra diximus: quam primus in lucem edidit Godefridus Henschenius ad diem 2. mensis Maii, atque doctis ut consuevit *Commentariis* illustravit. Idemque etiam Hartmanno subjecit *Hepidanni libros duos, alterum de Vita, alterum de* Miraculis *sanctæ Wiboradæ*, quos Melchior Goldastus antea ediderat in Collectaneo *Veterum aliquot Scriptorum Rerum Germanicarum*, Francofurti in folio anno 1606. edito. Opus autem Hartmanni *De sancta Wiborada* rursus impressum Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 42. cum præviis ab Joanne Mabillone Monacho Benedictino observationibus. Extant quoque ab Hartmanno scripta *Carmina aliquot & Hymni* apud Henricum Canisium tomo V. *Antiquæ Lectionis* pag. 728. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* Seculo IX. ad annum 872. pag. 562. hunc Hartmannum cum Petro Lambecio Libro 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindebonensis*, pag. 451. & 100. confundit cum *Hartmuto*, qui Rodulphi Burgundiæ Regis consanguineus, Monasterii S. Galli primum Monachus, dein Abbas ordine 14. post Grimoaldi mortem anno 872. electus, anno 883. Monasterii regimine sese sponte abdicaverit. Certe qui anno 872. Abbas jam electus erat, & anno 883. cura Monasterii ob senium forsan vel infirmitates se abdicavit, vix videtur fuisse annis quadraginta duobus postea superstes, ut *Vitam sanctæ Wiboradæ* scriberet, quæ anno 925. die 2. Maii mortua est. Agit ergo nugas Guillelmus Cavus, dum *Hartmutum* anno 872. S. Galli Abbatem electum, atque anno 883. muneri pastorali cedentem, unum eundemque vult homi-

hominem cum Hartmanno Sancti Galli Monacho, qui Vitam S. Wiboradæ anno 925. die 2. Maii defunctæ, multis forſitan poſt ejus mortem annis ſcripſerit. Adde Hartmutum hunc anno 872. Abbatem electum, & anno 883. oneri cedentem, non potuiſſe eſſe *Notkeri Cognomento Balbuli* diſcipulum: ut de Hartmanno refert Gerardus Joannes Voſſius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 5. pag. 696. ubi de Sancto Notkero loquitur. Alter ergo *Hartmannus*, alter *Hartmutus*: quidquid contra ſentiant Guillelmus Cavus & Petrus Lambecius, locis allatis.

980. ADSO DERVENSIS ABBAS, Ordinis divi Benedicti circa annum 980. factus, insigni Litteratura & in temporalibus œconomia reſulſit, cujus laudes abunde proſequitur pag. 849. Auther Libri *Miraculorum S. Berchari Abbatis Dervenſis*, quem evulgavit Joannes Mabillon Secul. II. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 844. Ibi num. XI. *Postmodum excedente vita Domino Alberico, Adſo Abbas effectus, Baſilicam Sanctorum à beato Berchario quondam extructam parviſſimam reputans, maximi Templi fundamenta jecit: duas villas Drejam & alteram quæ vocatur Puellare Monaſterium incuria antecessorum amiſſas, Cœnobio recuperavit &c.* Scripſit autem *Vitam ſancti Berchari*, quæ habetur Seculo II. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 831. *Geſta quoque ſancti Baſoli Confeſſoris*, quæ habentur ibidem, pag. 67. *Translationem & Miracula ejusdem Sancti Baſoli*, quæ leguntur Seculo IV. *Sanctorum ejusdem Ordinis* tomo ſeu parte 2. pag. 137. *Item Vitam Sancti Frodoberti Abbatis primi Cellenſis prope Trecas*, quam habes Seculo 2. *Sanctorum ejusdem Ordinis*, pag. 626. *Hiſtoriam translationis Reliquiarum ejusdem ſancti Frodoberti*, quam habes Seculo IV. *Sanctorum ejusdem Ordinis*, tomo ſeu parte 2. pag. 243. *Vitam ſancti Manſueti Scoti*, quam Guillelmus Cavus refert editam Pariſiis anno 1636. à Franciſco Boſqueto Eccleſiæ Gallicanæ Hiſtorico, poſtea Montis Peſſulani Epiſcopo, tomo I. parte 2. pag. 23. Mortuus eſt Adſo anno 992. de quo in Præludiis ſuis ad dictas *Legendas* Joannes Mabillon. Hic autem diſtinguendus videtur, ab alio ejusdem temporis *Adſone* cognomine *Hermirico*, qui ſub Seculi X. medium, poſt Ralonoum Abbatem, Monachus primum, deinde Abbas Luxonienſis in Burgundia, circa annum 960. ſcripſit *Librum de Miraculis ſancti Waldeberti tertii Abbatis Luxonienſis*: quem edidit Joannes Mabillon Seculo III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo ſeu parte I. pag. 451. & ſequentibus, ubi in præludiis de *Adſone Luxonienſi* loquitur, quem Guillelmus Cavus omiſit.

980. NOTKERVS SEV NOTGERVS LEODIENSIS EPISCOPVS, patria Teutonicus, anno 972. Evrardo Epiſcopo mortuo ſucceſſit, qui à Gerone Colonienſi Archiepiſcopo confirmatus & unctus, magna cura urbem Leodienſem ornavit, cujus alter fundator appellatus eſt. De eo ita Albericus in Chronico MS. hactenus. Nothegerus vir ſanctus, Leodienſis Epiſcopus ordinatus, 36. annis præſuit. Hic urbem muro circumcinxit, Majorem Eccleſiam corpore ſancti Lamberti inſignitam à ſundamento renovavit, partem quoque fluminis Moſæ circa inſulam venire fecit, caſtrum ſormoſum Capræmontem urbi nimis contrarium ex toto cum Eccleſiis ſuis deſtruxit. Hic Othonis III. Imperatoris gratia plurimum valuit, epiſcopali Palatio inſtaurato, ad vitam alteram tranſiit 4. Idus Aprilis in Cœna Domini anno 1007. conditus in Eccleſia S. Joannis Evangeliſtæ, in qua Canonicorum inſtituit collegium. Qui plura cupit, adeat Joannem Chapeavillum, ubi de Notgero plura extant, in 3. Tomis quos in 4. anno 1612. evulgavit *De Epiſcopis ac rebus geſtis Epiſcoporum Leodienſium.* Claruit ergo anno 980. & ſequentibus, ætate trium Otthonum Impp. Otthonis I. nepos, Otthonis II. conſanguineus ac III. etiam, quam ob cauſam inter Germanos plurimam tunc temporis auctoritatem habuit. Incaute autem Hartmannus in Vita S. Wiboradæ, & Eckerhardus Minimus S. Galli Decanus in Vita Notkeri Balbuli capp. 5. & 31. hanc ſanguinis cum Ottonibus affinitatem, Notgero Leodienſi Epiſcopo convenientem, attribuunt Notkero ſuo Balbulo S. Galli Monacho, qui anno 912. die 6. Aprilis mortuus, multis annis tres iſtos Ottones Imperatores præceſſit, ut jam ſupra ad annum 870. in *Notkero Balbulo* obſervavimus. Nec ſcientia Notkero Epiſcopo defuit, qui compoſuit *Vitam Sancti Laudoaldi Presbyteri*, quam habes apud Surium & Bollandiſtas ad diem 19. Martii, itemque *Vitam Sancti Remacli Trajectenſis* ſeu *Tungrenſis Epiſcopi* anno 664. die 3. Septembris mortui, quam habes apud Surium die eadem. Accurate autem admodum de Notgeri opuſculis hiſtoricis, Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 41. pag. mihi 353. his verbis. Claruit tunc quoque Notgerus Epiſcopus Leodienſis, ſcripſit libris duobus *Vitam & Miracula ſancti Laudoaldi, Eccleſiæ Romanæ Presbyteri & Confeſſoris*, qui circa annum 670. deceſſit, quam habes apud Surium Tomo 2. ad diem Martii 19. Præterea conſignavit *Vitam ſancti Remacli*, qui obiit anno 691. quam habes ibidem ad diem 3. Septembris. At Surius, Haræus, Baronius & alii, tribuunt eidem libros 2. *De miraculis ſancti Remacli*, quam ſententiam licet ipſe primum ſecutus ſim, attentius tamen ea conferens, quæ libro 2. *De miraculis ſancti Remacli* ſcribuntur, cum illis quæ Notgerus habet, mutare ſententiam cogor. Nam auctor *De miraculis Remacli*, clare indicat ſe vixiſſe temporibus Lotharii, Ludovici II. Caroli Calvi, & Ludovici Craſſi Imperatorum, quod liquido oſtendimus ſupra cap. 38. pag. 332. Notgerus vero epiſcopatum geſſit ab anno Chriſti 971. uſque ad annum

„annum 1007. qui *Vitam S. Laudoaldi* anno „Christi 980. conscripsit, Ottonis II. Imperato„ris 8. Episcopatus sui 9. ut ipse disertim in „extrema præfatione, quæ est ad Wormatum „Abbatem Gandensem testatur, itemque ad „calcem ipsius opusculi. Adde quod etiam in „Opusculo antecessorem *Euraclum* vocat, „certum est autem *Euraclum* quem alii *He„raclium* appellant, atque eos inter Placen„tius quidam Dominicanus, Leodiensem fuisse „Episcopum ab anno 950. usque ad annum 971. „quo illi Notgerus successit. Cæterum Not„gerus non solum literis mandavit *Vitam S. Re„macli*, sed *aliorum etiam Traj. Bensium, imo & „Leodiensium Episcoporum*, Trajecto enim sedes „episcopalis Leodium translata est, ut hæc ejus „verba ostendunt *Epistola ad Weinfridum Ab„batem*, præmissa Vitæ S. Remacli. *Non ejus „modo cujus meminimus, sancti scilicet Remacli, ve„rum cæterorum nostræ sedis Pontificum tempora & „gesta, quæ undecunque potuere corradi, ad nostra us„que tempora collegi: & cujus potissimum anhelabar „desiderio, vitam inde exceptam, totis tuis porrexi.* „Atque hæc eadem verba ostendunt auctorem „hujusce libri fuisse Episc. Leodien. nam ait *no„stræ sedis Pontificum*: ut inde etiam colligamus „diversum fuisse à Monacho illo S. Remacli, qui „de Miraculis ejus scripsit. Nec qui *De vita S. „Remacli* scripsit, alius est ab eo qui *De vita S. Lau„doaldi* egit: quod & Haræus agnoscit, cum „utriusque auctorem facit Notgerium Leodi„ensem Episcopum. Quare parum considerate „auctorem quidem Vitæ S. Laudoaldi anno 980. „claruisse ait, sed scriptorem Vitæ S. Remacli „anno 850. Nec enim plures, sed unus ejusce „nominis Episcopus Leodiensis extitit. *Histo„ria* autem *Episcoporum Trajectensium & Leodiensi„um* quam ad sua usque tempora collegisse te„statur Notgerus Leodiensis Episcopus, lapsu temporum excidisse videtur. Historia enim quam habemus, Herigeri Abbatis Lobiensis qui eodem tempore claruit, revera est, si modo recte conjicit Aubertus Miræus in Scholiis ad caput 137. Sigeberti *De Script. Ecclesiast.* quam A. 1612. in 4. Leodii edendam curavit Joannes Chapeaville, Vicarius in Spiritualibus Leodiensis Episcopatus. Vt autem ingenue mentem meam ea de re aperiam, opinor *Historiam* illam *Episcoporum Trajectensium ac Leodiensium* quam ad sua usque tempora *collegisse ac corrasisse* se scribit Notgerus Leodiensis Episcopus in Epistola ad Weinfridum Abbatem, esse illam ipsam & eandem, quam sub nomine Herigeri Lobiensis Abbatis edendam curavit Leodii in 4. anno 1612. Joannes Chapeaville inter Scriptores *Rerum Leodiensium*. Vtrumque autem tam Notgerum citatum, quam Herigerum Lobiensem Abbatem, eadem ætate florentes, intima amicitia conjunctos, eandem Leodiensium Episcoporum gloriam ad posteros prodire cupientes, conjuncta simul opera *Historiam* hanc concinnasse, verisimile mihi prorsus est. Intima enim semper necessitudine Episcopis Leodiensibus colligati sunt Abbates Lobienses ab antiquo, unde olim ejusdem Episcopatus vicarii & intendentes generales, atque etiam sede per obitum vacante, administratores perpetui, donec à Capitulo novus Episcopus electus esset. Nihil mirum igitur, quod Notgerus Leodiensis Episcopus hanc *Historiam* sibi adscripserit, in *Epistola ad Weinfridum Abbatem*, Vitæ sancti Remacli præmissa: & hanc Herigero Abbati Lobiensi attribuat, Sigebertus Gemblacensis Monachus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 137. cum operam suam uterque in hoc Opusculo colligendo & corradendo contulerit. Sane, si primus *Historiam* hanc conscribendam atque ex variis corrasam composuit Notgerus Leodiensis Episcopus, quis credat Herigerum Lobiensem Abbatem, ipsi subjectum & intime amicum, ipso vivente Notgero & episcopatum tenente, eandem iterato labore, in Notgeri dedecus & injuriam gravem, suscepisse scribendam? Si autem primus *Historiam* hanc Herigerus Abbas Lobiensis aggressus fuisset, hanc provinciam iterum labore prorsus inutili non suscepisset Notgerus Leodiensis Episcopus, qui se primum hujusce *Historiæ collectorem & undecunque corrasorem* fuisse testatur. Recte ergo Guilielmus Cavus agit de hac *Historia Episcoporum Trajectensium & Leodiensium* bis, in *Historia rei literaria* Seculo X. tum in Notgero Leodiensi Episcopo ad annum 971. pag. 586. tum in Herigero Abbate Laubiensi ad annum 990. pag. 591. cum uterque operam suam in Opusculo isto colligendo & corradendo contulerit. Denique *Vita Sancti Hadelini Confessoris* quæ habetur inter *Probatas Sanctorum Vitas* Joannis Bollandi Tomo I. Februarii mensis ad diem 3. pag. 372. à Notgero Leodiensi Episcopo scripta creditur, de cujus auctore tamen ex conjecturis tantum Johannes Bollandus in Commentariis ad hanc Vitam præviis §. 3. num. 15. pag. 368. columna 2. Agunt de *Notgero Leodiensi Episcopo* Gerar. Jo. Vossius lib. 2. De *Historicis Latinis* cap. 38. pag. mihi 332. & cap. 41. pag. 353. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* Seculo X. ad annum 971. pag. 586. Ego quoque in Supplemento ad Bellarminum *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1000. pag. 319. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Notgerus*, qui illum confundit cum Notkero Balbulo sancti Galli Monacho.

HERIGERVS SEV HARIGERVS 980.
MONACHVS primum, deinde ABBAS LAVBIENSIS vel LOBIENSIS in Episcopatu Leodiensi, claruit ab anno circiter 970. usque ad annum 1009. vel 1010. quo die XXXI. Octobris obiisse scribitur, de quo ita Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri*, verbo *Herigerus*. „Herigerus Abbas Lobiensis ut ante„ Trithemium scripsit Sigebertus in Catalogo ad„ an. 990. cap. 137. literali scientia clarus edidit„

„*Gesta Episcoporum Leodicensium*, quin & metrice „*Vitam sancti Vrsmari*, & *ad Hugonem Epistolam* „*de quibusdam quæstionibus*. Item suo & Adebol„di Episcopi nomine *Dialogum de dissonantia quæ* „*videbatur Ecclesiæ, de adventu Domini*. Congesf„sit etiam adversus Ratbertum complura Ca„tholicorum Patrum scripta *De corpore & san*„*guine Domini*. Item *De divinis officiis Librum*. „At etsi omnes Codices habent *Ratbertum*, Mar„tiniensis tamen vera lectio habet *Ratherium*, „hic est enim Ratherius ille, de quo dicitur in „Catalogo Sigeberti cap. 127. Florebat anno „Domini 990. Hæc Possevinus. Claruit ille in Laubiensi abbatia ab anno circiter 970. atque ad hujus Ecclesiæ præfecturam anno 990. suffectus est Fulcuino homini erudito, quam pie ac prudenter per annos circiter 19. vel 20. administravit. Opus quod primum composuisse videtur Harigerus, liber est *De corpore & sanguine Domini*, quem sub nomine Herigeri MS. vidi in Bibl. Siguiacensi Ordinis Cisterciensis in Archiepiscopatu Rhemensi, quemque anonymum evulgavit ex Sirmondi schedis, Ludovicus Cellotius Soc. Jesu Theologus, ad calcem *Historiæ Gotteschalci Prædestinatiani* quam in fol. Parisiis anno 1655. edidit Sebastianus Cramoisy. Vt autem observavit supra Possevinus, omnes fere hucusque opinati sunt hunc librum *De corpore & sanguine Domini* scriptum fuisse ab Herigero adversus Rathbertum Corbeiensem Abbatem: sed falluntur illi, atque ut docet MS. codex Bibliothecæ S. Martini Lovaniensis, scriptus est adversus Ratherium olim ex Monacho Laubiensi Veronensem Episcopum ac Leodiensem, qui sede Veronensi, semel atque iterum pulsus, tertia jam vice exul, ad Monasterium suum Lobiense secessit, ibique diem extremum anno 973. vel sequenti, obiit. Scripsit autem Ratherius jam senex *Epistolam ad Patricium de Corpore & sanguine Domini*, quam ex MS. codice edidit Lucas Dacherius Tomo XII. *Spicilegii* pag. 37. Contra Ratherium hunc in Cœnobio Lobiensi degentem, scripsit Herigerus Lobiensis ipse Monachus, congressus præsens cum præsente, & *congerens complura Catholicorum Patrum scripta De corpore & sanguine Domini:* Cum autem Ratherius ille anno 973. vel 974. in Abbatia Laubiensi mortuus sit, hunc conjicimus librum hunc Herigeri esse ex primis Opusculis, atque ante annum 973. scriptum fuisse. Quid autem Herigero discordiæ & contentionis esse potuit cum Paschasio Ratberto, qui centum & quinquaginta annis Herigerum, ætate præcessit?

Scripsit quoque *Historiam Episcopatuum Trajectensium & Leodicensium*, quam cum aliis ejusdem regionis Historicis anno 1613. evulgavit Joannes Chapeaville Canonicus ac Vicarius Generalis in Spiritualibus Episcopatus Leodiensis. Recte autem notat Guillelmus Cavus, illam Notgero Episcopo vulgo adscriptam, de quà prolixe opinionem nostram in *Notgero Episcopo* supra explicuimus, unde superfluum prorsus huic immorari diutius. Item *Vitam sanctæ Berendis Virginis*, Merbecæ in Belgio, quam ediderunt Bollandus ad diem 3. Februarii, & Johannes Mabillon Seculo 3. Sanctorum Ordinis divi Benedicti, Tomo I. pag. 14. & sequentibus, correctiorem & auctori suo assertam. Denique *libros IV. De vita & miraculis Sancti Vrsmari*, carmine inculto & barbaro, præloque omnino indignos, quos vidi manuscriptos in Bibliotheca Sancti Vitoni Virdunensis, de quibus tamen referendis, non erubuerunt Bollandistæ in Vitis Sanctorum, ad diem 18. Aprilis. Primus autem hos Libros evulgavit Ægidius Waulde inter varia Monasterii Laubiensis monumenta, qui anno 1628. *Vitam S. Vrsmari & Historiam ejusdem Monasterii Lobiensis* evulgavit.

Juxta Guillelmum Cavum *Vita S. Laudoaldi*, quæ sub Notgeri Episcopi nomine extat apud Surium ad diem 19. Martii, Herigero non infirmis argumentis vindicatur ab Auberto Miræo in Notis ad Sigebertum *De Viris illustribus* cap. 137. pag. 151. Verum conjecturæ Auberti Miræi plane supervacaneæ sunt, *Vitam*que illam *Sancti Laudoaldi* argumentis invictis asserit Episcopo Notgero, Gerardus Johannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 353. uti supra in *Notgero* observavimus, ad quæ lectorem remittimus.

Epistola ad Hugonem de quibusdam quæstionibus, memorata à Sigeberto *De Scriptoribus* cap. 137. intercidit. *Dialogus de dissonantia Ecclesiæ* Adelboldo Episcopo & Herigero interlocutoribus, extabat MS. Gemblaci, teste Miræo in Scholiis ad cap. 137. Catalogi Sigeberti, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Opus autem istud videtur fuisse ultimum ex Herigeri Opusculis. anno 1008. vel 1009. paulo ante mortem ab Harigero conscriptum, ex quo colligimus certo illum non esse mortuum anno 1007. sed anno 1009. vel 1010. Nam Adelboldus vir nobilis, Henrici Imperatoris Consiliarius & exercituum dux, cum res bellicæ parum feliciter illi successerint, abrenuntiato seculo, monasticum cucullum in Cœnobio Laubiensi inductus, anno demum 1008. post Ansfridi mortem Episcopus Vltrajectinus factus est. Cum ergo Dialogus ille interlocutoribus Adelboldo Episcopo & Herigero conscriptus sit, vel anno 1008. vel post annum 1008. scriptus est, unde conjicimus certo Harigerum anno 1007. die 31. Octobris non esse mortuum, sed anno 1009. seu 1010. contra vulgarem sententiam.

Vltimo recenset Possevinus *De Divinis officiis librum*, cujus Sigebertus mentionem non facit. Opusculum autem istud Herigeri, videtur mihi esse liber ille *De Divinis officiis*, qui jam olim editus est sub Alcuini nomine, inter varios scriptores *De Divinis officiis* à Melchiore Historpio Coloniæ anno 1568. in fol. & Parisiis anno 1610. & 1624. pag. 225. quique ab Andrea Duchesnio inter Opera Alcuini Parisiis, 1617. in fol. col. 1007. duodecim integris capitibus au-

ctus

ctus est. Certum enim est opusculum istud esse auctoris qui sub finem Seculi X. vixit, qualis Herigerus Abbas Laubiensis est, atque allegare auctores Alcuino annis multis recentiores. Ita iste Anonymus cap. 32. col. 1076. allegat Anastasium, licet non nominatum *De gestis Pontificalibus*, seu in *Vitis Romanorum Pontificum*. Scriptum est in Gestis Pontificalibus, quod S. Bonifacius Papa quandam domum Romae Pantheon nomine, quae erat consecrata in honorem omnium Daemoniorum eliminatis omnibus Spurcitiis; sacraverit Ecclesiam in honorem S. Dei Genitricis, omniumque Sanctorum. Unde constitutum est ut plebs universa per totum orbem in Kalendis Novembris, sicut in die Natalis Domini, ad Ecclesiam in honore omnium Sanctorum ad Missarum solemnia convenire studeat: ut quidquid fragilitas humana per ignorantiam aut negligentiam in Solemnitatibus Sanctorum, minus plene peregisset, in hac sancta observatione solveretur. At Anastasius *Vitas Romanorum Pontificum* ante annum 870. collegisse non potuit, unde liquet auctorem hunc sub Alcuini nomine, longi Alcuini aetate posteriorem esse. Ita quoque Joannes Mabillon *Commentario in Ordinem Romanum* c. 12. p. 83. his verbis, Id tantum addimus, librum illum *De divinis officiis*, qui Alcuini nomen in editis praefert, esse farraginem ex diversis Amalarii, ipsiusque Alcuini genuinis consarcinatam centonibus, aliorumque Auctorum Alcuino posteriorum. Quippe caput XL. nihil aliud est, quam Remigii Antissiodorensis Monachi libellus *De expositione Missae*, quam post annum 880. conscripsit. Et in cap. XVIII. refertur Epistola Helprici Monachi ad Sanctum Gallum, sub finem Seculi decimi. Ad haec ut multa alia omittam, Pascha Graecam vocem esse dicit auctor, contra expressam Alcuini sententiam lib. VI. in Johannem cap. XXXII. ubi haec verba: *Pascha fratres, non sicut quidam existimant, Graecum nomen est, sed Hebraeum*. Denique personatus ille consarcinator *Sacerdotis* vocabulum Graecum esse ait in cap. XXXVI. quod erratum ab Alcuini doctrina prorsus alienum est. Ratio autem ista consarcinandi ex aliis, Hagerio apprime convenit, qui ita in libro *De corpore & sanguine Domini* fecisse legitur. Extat quoque in Bibliotheca Lugdunobatava *Ratio Abaci secundum Divum Harigerum* MS. folio in membrana, ut habet Catalogus ejusdem Bibliothecae impressus in 4. 1674. pagina 393. num. 31. in MS. Scaligeri. Obiit Harigerus Abbas Lobiensis anno 1009. vel 1010. die 31. Octobris, de quo Sigebertus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 137. Aubertus Miraeus in Scholio ad dictum Sigeberti caput, pag. 151. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 352. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 990. pag. 591. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica verbo Harigerus pag. 377. editionis 1643. Lovanii in 4. Ego ipse in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1000. pag. 320.

ÆLFRICUS & ALFRICUS cognomento *Grammaticus*, Malmesburiae Abbas, natione Anglus, temporibus Othonis III. sub Ethelredo Anglorum Rege, circa annum DCCCCLXXX. ob meritum probitatis & doctrinae singularis illuxit, quibus sub Edgaro Rege jam antea clarus habebatur. Anno 974. factus est Abbas Malmesburiae, ut testatur Guillelmus Malmesburiensis *De gestis Regum Anglorum* lib. 2. cap. 8. Imo ut testatur Ingulfus Abbas in *Chronico Abbatia Croylandensis* ad annum 974. pag. mihi 884. & ipse Ajo qui tunc temporis in Coenobio Croylandiae vivebat, cujus & Chronologicam Historiam ad hunc usque annum contexuit, ab Ingulfo Abbate adoptatam. Sic autem Ingulfus vel potius Ajo Historicus, *Hoc eodem tempore Clericis ejectis de monasterio Malmesburiensi, quos Edwinus frater suus Monachis expulsis nequiter intruserat, Monachos revocavit, praeficiens eis in Abbatem Alfricum virum in Ecclesiasticis officiis tunc celeberrimum, donans ei chartam in hunc modum*, Ego Edgarus totius Albionis basileus &c. Alius extitit eodem tempore Ælfricus seu Alfridus, quem cum Alfrico Grammatico & Malmesburiensi Abbate, omnes pene confuderunt, licet accurate distingui debeant. Alfricus ille alter primum fuit Abbas Abendoniensis post Ordgarum quem Æthelwoldus sibi successorem anno 963. constituerat, quo mortuo circa annum 980. Alfricus Abbas electus videtur. Hinc factus Cridiatunensis apud Devonienses Episcopus fuit, sive ut nunc vocant, Excestriensis. Ab anno etiam 990. ad 995. Wiltoniensium Episcopus post Siricium ordine VII. fuit, quo etiam post eundem Siricium anno 995. Archiepiscopus Cantuariensis factus, annis undecim huic Metropoli praefuit, anno 1006. mortuus. Guillelmus equidem Malmesburiensis, Alfricum Abbatem Abendoniensem, tum Wiltoniensem Episcopum, tum Cantuariae Archiepiscopum, post Siricium anno 995. constituit: at de Alfrico Malmesburiae Abbate, ipse Malmesburiensis Monachus omnino tacet, quod tamen non fecisset, si ullibi legisset aut accepisset, Alfricum Abbatem suum fuisse promotum, tum ad Episcopatum Wiltoniensem, tum ad Cantuariensem Metropolim. Audiamus libro 2. *De gestis Pontificum Anglorum* pag. mihi 249. *Alfricus Episcopus Wiltoniensis seu Wiltanensis post Siricium 7. qui ambo ut superius memoratum est, Archiepiscopi fuerunt Cantuarienses*. Et libro I. De Archiepiscopis Cantuariensibus pag. 203. ubi de Ethelgaro Cantuariensi Archiepiscopo loquitur, subdit: *Hoc de medio sublato sedit annis XI. Wiltunensium primo Episcopus Æ fricus, qui & ante Abbas Abendoniensis fuerat: de quo quod quidam dicunt, cum Cantuaria Monachos proturbatis Clericis posuisse, verisimile non videtur. Constat enim*

Iih 3 Mo-

Monachos in Ecclesia sancti Salvatoris fuisse à temporibus Laurentii Archiepiscopi, qui primus Beatissimo Augustino successit, sicut in Epistola Bonifacii Papæ ad Regem Ethelbertum, quæ inferius ponetur, constabit. Post eum Siricius & ipse Ventoniensis Præsul annis quinque. Idem Willelmus Malmesburiensis Lib. V. *De Pontificibus* pag. 365. affirmat illum anno 974. obtinuisse confirmationem & privilegium ab Edgaro Anglorum Rege. Idem pag. 366. „Hic est Elfricus qui omnem curam ad beatam transferens *Mariam*, possessionem & nomen Monasterii ejus delegavit ditioni, ut tanto interim beatissimi Petri nomine, ipsa sola loco videatur imperare. Nec fastidivit gloriosa Domina illustris & prædicandi viri munus, quin imo usque hodie præsidet Ecclesiæ sanctissimi *Aldelmi*, communionem in pietate amplectens, cum peritum literarum, præsertimque elegantissimum interpretem, nisi fallax tradit vetustas, ædificandi gnarum, qui omnes Monachorum officinas, eo tempore præstantissimas, nec adhuc adeo despicabiles, fundavit & consummavit. Hujus intermisso nomine facit mentionem *Abbo Floriacensis* in Præfatione Passionis Sancti *Edmundi* ad *Dunstanum* beatissimum Archiepiscopum his verbis: *Passionem S. Edmundi à nemine scriptam, pluribus ignotam, tua Sanctitas ex antiquitatis memoria collectam, historialiter me præsente, retulit Domino Episcopo Rofensis Ecclesiæ, & Abbati Monasterii, quod e Malmesbury, ac aliis circumassistentibus, sicut tuus est mos, fratribus.*

„Elfricus sane cum jam grandævus esset, in Episcopum Cridiensem altatus, vix quatuor annos superfuit. Reliquit aliquantos Codices, non exigua ingenii monumenta, *Vitam S. Adelwoldi*, antequam eam Wulstanus operosius concinnaret, atque *Abbreviationem Passionis Sancti Edmundi, libros multos ex Latino in patrium sermonem versos.* Pag. autem 368. ubi refert chartam Edeldredi Regis Abbatiæ Malmesburiensi factam, sub nomine Sanctæ Mariæ & S. Aldelmi, anno Dominicæ incarnationis 994. non 964. ut in impressis legitur. Scripta est, inquit hæc chartula, post transitum ejusdem Patris anno 263. *Subscripserunt illi qui in superiori charta, & cum eis Elfricus jam Episcopus, & Escinnus Dorcestrensis* Episcopus. Idem Gulielmus *De antiquitatibus Glastoniensis Ecclesiæ* pag. 317. linea 5. *Præfuit autem Glastoniæ tum temporis Elfricus Abbas XIV. annis.* Et pag. 328. in Catalogo Abbatum *Anno DCCCCLVII. Ælfric. XIV. ad annum 972.* Et pag. 325. De Archiepiscopis & Episcopis de Conventu Glastoniæ electis linea 30. *Anno 988. obiit Elfricus Episcopus, Abbas Glastoniæ.* Hæc Malmesburiensis pluribus de Elfrico, quem facit Abbatem Glastoniensem ac Malmesburiensem, indeque assumptum ad Episcopatum Critiadunensem, & Metropolim Cantuariensem. Extat autem in Catalogo MSS. Codicum Cathedralium Angliæ Ecclesiarum & aliarum bibliothecarum insignium, num. 6181. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 347. *Alfredus Malmesburiensis de naturis rerum.* Sed alium ab Archiepiscopo Cantuariensi fuisse Ælfridum Malmesburiensem nostrum, scriptoremque Ecclesiasticum, convincere videtur Epistola ipsius ad Wulstanum Eboracensem Archiepiscopum, qua seipsum solo Abbatis titulo cohonestat: cum tamen ex Simeone Dunelmensi, Rogero Hovedeno, aliisque liqueat, Ælfricum Cantuariensem Archiepiscopum ab anno 995. sedem istam tenuisse, integro sexennio antequam Wulstanus ad Eboracensem Metropolim promoveretur, id quod anno 1002. contigit. Nam Wulstanus non ante annum 1002. sedem Eboracensem adeptus est, ad quem cum Ælfricus scribat Abbas tantum, hinc sequitur illum scriptorem nec fuisse Ælfricum Cantuariensem Archiepiscopum, vel alterum Eboracensem Archiepiscopum post annum 1020. & ultrà, sed Abbatem simpliciter Malmesburiensem, qui ab anno 974. quo ab Edgaro Rege huic Cœnobio præfectus est, usque post annum 1002. in præfectura sua permanens, multa scribendi otium occasionemque nactus sit. *Vir certe erat,* inquit Cavus, *Ælfricus noster supra communem seculi sui sortem in Theologicis, præsertim vero in Grammaticis,* Grammaticus *inde dictus, eruditus: tantam exinde apud populares suos famam adeptus: ut Sermones ab eo scripti vel Saxonice versi, in Ecclesiis publice legi juberentur: atque ex ipsius Epistolis non pauca in Synodicon Ecclesiæ Anglicanæ vetustum cooptarentur.* Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 5105. *Collectaneorum* volumine 4. Joannes Lelandus num. 96. agens de Alfrico Grammatico ibidem pag. 133. in meam his verbis ingreditur sententiam. *De Ealfrico Grammatico, quem credo Abbatiæ Abbandunensi præfuisse, inde autem Clarofontanum Episcopum, & denuo Cantiæ Primatem: non ausim asserere hunc esse Ealfricum Grammaticum, cujus docta Conciones lingua Saxonica scripta, in Fontana extant Bibliotheca.* Hæc Lelandus ibidem. Extitit quoque Elfricus tertius, aliquanto post duos istos, qui sedem Eboracensem ab anno circiter MXX. usque ad annum MLI. obtinuit, & etiam cum Malmesburiensi nostro confundi posset. Tenuit Metropoliticam hanc sedem temporibus Regis Cnutonis qui anno 1017. regnare cœpit & regnavit usque ad annum 1032. Et Regis Hardacnuti & Haraldi, & Eduardi, usque ad annum 1051. quo apud Ingulfum Abbatem Croylandensem mortuus dicitur, de quo Guillelmus Malmesburiensis Libro 3. *De gestis Pontificum Anglorum* in Archiepiscopis Eboracensibus pag. 270. Post Wulstanum sedem Eboracensem tenuit Elfricus. „Elfricus tempore Cnuti & Hardacnuti fuit, habeturque in hoc detestabilis, quod Hardacnutus ejus consilio, fratris sui Haraldi cadavere defosso, caput truncari; & infami mortalibus exemplo, in Tamensem projici jussit. Quin & Wigorniensibus pro repulsa Episcopatus infensus, autor Hardacnuto fuit, ut

„ut quod illi pertinacius exactoribus Regiorum „vectigalium restiterant, urbem incenderet, for„tunas civium abraderet. Juxta autem Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 42. pag. m. 361. Ælfricus sive Alfricus Grammaticus, Abbas Malmesburiensis, obiit anno MXVI. sub Rege Anglorum Ethelredo, Idemque Carolus du Fresne Dominus du Cange in Præfatione ad *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis* §. XLIII. pag. 36. allegantes Joannem Pitsum *De Scriptoribus Angliæ*. Jam ad scripta veniamus. Omisso Opere *de Naturis rerum*, cujus antea mentionem fecimus.

Atque à Grammaticis incipientes, unde *Grammatici* cognomentum illi adhæsit, quæ in Anglicis Bibliothecis MSS. supersunt, ex Catalogis MSS. Codicum Angliæ desumamus, hoc anno 1698. 2. in folio tomis Oxonii in theatro Scheldoniano impressis.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 3627. in MSS. Codicibus qui sunt in Hyperoo Bodleiano, Cod. 161. Ælfrici Grammatica Saxonico-Latina. Ibidem num. 5119. in MSS. Codicibus Francisci Junii Codice 7. Guillelmi Somneri Dictionarium Anglo-Saxonicum, Oxonii 1659. impressum, in quo Ælfrici Grammaticam contulit & edidit, ut in margine adnoravit Franciscus Junius, ejusque etiam Glossarium. Ibidem num. 5182. in MSS. Codd. Francisci Junii Codice 71. num. 1. Ælfrici Præsulis Glossarium, quod ex membranis Rubenii Antwerpiani descripsit Junius. Item num. 5183. Francisci Junii Codice 72. Ælfrici Glossarium ex MS. Cottoniano collatum cum fragmento Dewisiano, cui hæc nota præfigitur. Est Glossarium in Cottonianæ Bibliothecæ MS. Ælfrici Grammatica, ipsi sic Grammaticæ annexum, ut cuivis liquere possit ipsum Præsulem Ælfricum, has Glossas huic suæ adjecisse Grammaticæ. Apographum Junianum in 4. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 1740. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ, in abaco secundo Litera A Codice 2. Ælfrici Grammatica Saxonica. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, num. 303. & 312. in MSS. Collegii Sanctæ Trinitatis, in parte sinistra, serie media, Codice 12. *Alfrici Grammatica* sive *Exceptiones ex Prisciano Saxonice*. Et ibidem num. 1467. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 190. *Exceptiones ex Prisciano minore in lingua Saxonica per Alfridum*, pars prima restituta est manu recentioris scribæ. Constat igitur *Exceptiones ex Prisciano, Grammaticam Saxonicam & Glossarium Saxonicum*, esse unum idemque opus, Oxonii editum cura Guillelmi Somneri, cum Ælfrici ejusdem Dictionario Saxonico, Latino, Anglico, anno 1659. Ælfricus autem non modo Grammaticam Saxonico-latinam, sed & Glossarium Latino-Saxonicum, non literarum quidem ordine, sed secundum certa rerum & argumentorum capita conscripsit, in quo complura vocabula aut nove dicta, aut rarioris usus, reperiuntur.

Tractatus *de Veteri & Novo Testamento*, quo enumeratis sigillatim utriusque voluminibus, ac rebus sub utroque fœdere gestis ordine enarratis, Historiam Sacram Saxonice, usque ad Hierosolymam à Tito expugnatam deducit. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 942. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera E. Codice 19. num. 1. *Pentateuchum Saxonicè cum Præfatione Ælfrici Monachi ad Æthelwardum Aldermannum*. Num. 2. Ejusdem *Libri Josue & Judicum, Saxonice*. Num. 3. *De Vetere & Novo Testamento, Saxonice*, pag. 120. Ibidem num. 8658. in MSS. Codicibus quos Thomas Mareschallus Bibliothecæ Bodleianæ moriens legavit, Thomæ Mareschalli Codice 72. *Ælfricus de Veteri & Novo Testamento*, publicatum per Guillelmum Lisle Londini 1623. & 1638. in 8. Ibidem num. 5182. in MSS. Codicibus Francisci Junii Codice 71. num. 2. *Glossa interlineares Latinæ & Saxonicæ in Proverbia Salomonis*, ex Codice Cottoniano sub effigie Vespasiani litera D. Codice 6. manu Francisci Junii in 4.

Inter MSS. Codices ejusdem Bibl. Bodlejanæ num. 6134. 6135. 6136. in Codicibus MSS. Francisci Junii Codice 22. 23. 24. *Homilia Saxonica 3. voluminibus*, quæ Ælfrici ejusdem esse creduntur. De his Sermonibus ita Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* seculo X. ad annum 980. p. 590. „*Sermonum lingua Saxonica LXXX. libri II.* quos „partim à seipso, partim ab aliis, Latine antea „scriptos, in plebis usum, Episcopis rogantibus, „Saxonice postea convertit. Plures hodie„num habentur Collectiones Sermonum Ælfri„ci Saxonicorum, quæ passim in Anglia, partim „in privatorum manibus, partim in Bibliothe„cis publicis asservantur. Ex his extant Can„tabrigiæ duæ, altera in Bibliotheca publica A„cademiæ, altera in Bibliotheca S. Benedicti. „Prima LX. constat Sermonibus, altera tantum „XXIV. In utraque verò habetur *Sermo Pa„schalis*, titulo *Sermonis de Sacrificio in die Pascha*. Ex „Ælfrici enim Sermonibus, præ cæteris XXIV. „selecti sunt, qui populo publice prælegerentur, „eo ordine ut XII. priores de rebus generalibus „agentes, ut *De initio creatura, De auguriis, De die „judicii, De vaniloquio & negligentia, De avaritia, „De falsis Diis &c.* quandocunque Sacerdoti vi„sum esset, legerentur. Posteriores vero XII. „propriis festis assignantur, videlicet *De Annun„tiatione B. Mariæ, De Nativitate Domini, De Cir„cumcisione Domini, De Epiphania, De Purificatione „B. Mariæ, Dominica prima in Quadragesima, Domi„nica Palmarum, Die Paschatis &c.* Ex his omni„bus *Homilia Paschalis De corpore & sanguine Do„mini nostri Jesu Christi*, quæ quovis anno in Pa„schate, ad populum recitari Canone olim lato „jussa est, prodiit typis impressa Saxonicis & La„tinis à Joanne Dajo Londini 1566. munita sub„scriptionibus quindecim Præsulum, aliorum„que Magnatum, eam ex Archivis Saxonicis de-

„deliter esse descriptam testantium. Præmittitur doctissima Præfatio de Ælfrico ejusque scriptis, à Reverendissimo Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuariensi conscripta. Edita est demum Saxonice, juncta versione Latina ab Abrahamo Wheloco, in editione sua accuratissima *Historiæ Ecclesiasticæ Bedæ* Saxonicâ Cantabrigiæ 1644. in fol. pag. 462. In Homilia ista repens tum sensim in Ecclesiam *Transsubstantiationis dogma* Ælfricus aggreditur, ac productis argumentis quamplurimis, ex Ratramni libro maximam partem desumptis, funditus convellit: adeo ut quænam Ecclesiæ Anglicanæ isto ævo de *Eucharistia* fides fuerit, luculentissimis exinde pateat indiciis.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 2406. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii f. 4. Codice 12. num. 7. *Elfrici Abbatis ad Wulstanum Archiepiscopum præfatio*, pag. 133. ad 165. Ibidem num. 5232. in MSS. Codicibus Francisci Junii Cod. 721. libro 4. Constitutionum Anglicanæ Ecclesiæ cap. 30. *Epistola Ælfrici ad Wulfsinum integra*, ex qua lacunæ supplendæ sunt in Codice Collegii S. Benedicti 107. & reliqua, quæ ab aliquo Pontificio plagiario, ut credere par est, abscissa sunt: quod in iis reperta erant, quæ manifeste contradicunt Tridentinæ doctrinæ, *De corpore & sanguine Domini*, fol. 101. Item cap. 31. *Epistola Ælfrici ad Wulstanum Eboracensem Archiepiscopum*, fol. 111. Denique *Homilia VIII. Saxonica ejusdem*, usque ad folium 160. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1384. in MSS. Codicibus Collegii D. Benedicti Codice 107. num. 5. *Epistola Alfrici de consuetudine Monachorum*, ubi nota hæc adjicitur. Quidam Pontificius ex hoc libro abraserat hæc verba, restituta ex veteri libro Exoniensis Bibliothecæ, in quo etiam hic habetur tractatus: *Non fit tamen hoc sacrificium corpus ejus in quo passus est pro nobis, nec sanguis ejus quem pro nobis effudit: sed spiritualiter corpus ejus efficitur & sanguis, sicut manna quod de cælo pluit, & aqua quæ de petra fluxit.* Hinc colligimus *Epistolam De consuetudine Monachorum*, ab Alfrico scriptam, non esse opus distinctum ab ejusdem *Epistola ad Wulfinum Episcopum Schireburnensem*, cum una ex altera emendetur. De his Epistolis, ita Cavus loco citato.

„ In his Epistolis multa ex Homilia Paschali, de Eucharistia ac Spirituali solummodo corporis & sanguinis Christi præsentia repetuntur. Vtraque Epistola Wulstano jubente, ab Ælfrico posteà in Latinum sermonem conversa est, & Ecclesiæ Anglicanæ libris Synodicis ac Pœnitentialibus inserta olim: cautumque est lege Ecclesiastica, ut loco Admonitionis Spiritualis ab Episcopo doctrinæ, data quavis occasione, ad Clericos & Presbyteros prælegerentur. Opuscula supra enumerata, ex Ecclesiarum Exoniensis, Herefordensis & Wigorniensis archivis eruit, & adjecta versione Anglicà Saxonicè edidit, exceptâ unicâ ad Wulstanum Eboracensem Epistola, quam Latine simul & Saxonicè dedit, vir spectabilis Guilielmus Lisle Londini 1623. & 1638. in 8. Edita prius fuerant Saxonice simul & Anglice, Tomo 2. *Actorum & Monumentorum Ecclesiæ* ad annum 1538. à Joanne Foxo, Londini 1641. in folio. Liber Pœnitentialis, Ecclesiæ Wigorniensi olim à Wulstano Episcopo qui sub Gulielmo Normanno floruit, donatus, in quo *Epistolæ istæ* inter Canones alios locum sortiuntur, etiamnum in Bibliotheca Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, asservatur. Extant etiam tam Saxonicè quam Latine, in libro Canonum Ecclesiæ Exoniensi donato à Leofrido Episcopo, qui ab anno 1043. sedem istam tenuit: habeturque iste liber in Bibliothecâ publicâ Oxoniensi. „ Ejusdem *Epistola de Canonibus ad Wulfinum Episcopum* capitulis XXXV. constans, quæ habetur Latinè *Conciliorum* Tomo IX. col. 1003.

Quanto applausu excepti fuerint Francisci Junii & Thomæ Mareschalli labores, quos insumpserant literis Anglo-Saxonicis restaurandis, maxime vero editis *Novi Testamenti* libris, ab Ælfrico Monacho & Abbate, ante septingentos annos in usum popularium suorum Anglo-Saxonicè redditis, tot virorum eruditissimorum elogia satis testari possunt, post Londinensem anno 1571. studio Matthæi Parkeri Archiepiscopi Cantuariensis, atque Joannis Foxi notissimi illius Martyrologi Anglicani primo publicatam editionem. Vita Junii conferatur, libro illius *De pictura Veterum* præfixa; de Mareschallo autem videndus Paulus Colomesius in *Observationibus sacris* p. 3. 20. & 81. Idem vero Ælfricus *versionem* quoque *Veteris Testamenti* adornaverat, ut cuivis legenti Tractatus *De Veteri & Novo Testamento* ab eodem Anglo-Saxonicè conscriptos innotescet, quæ tamen hactenus præter *Psalmorum librum*, quem Joannes Spelmannus Anno 1640. in lucem emisit, inter privatos parietes delituit. Hujus versionis partem *Pentateuchum, libros Josue & Judicum, ac librum Job*, nunc primum in publicum protraxit clarissimus horum monumentorum editor sub hoc titulo nimirum, *Heptateuchus, liber Job & Evangelium Nicodemi Anglo-Saxonicè, Historia Judith Fragmentum Dano-Saxonicè*, edidit nunc primum ex MSS. Codd. Eduardus Thwaites Oxonii è Theatro Scheldoniano typis Junianis 1698. in 4. Interesse Ecclesiæ existimavit, una cum viro celeberrimo Georgio Hickesio cui Opus suum istud dedicavit, quem literaturæ Anglo-Saxonicæ instauratorem nuncupat, & cujus industria proxime *Concilia Anglo-Saxonica* auctiora multo excusis, in lucem proditura esse spem facit: ut inter reliquas Scripturæ Sacræ versiones, quæ omnium fere gentium, omnium linguarum prodiere, ista Majorum suorum vernacula conspiceret lucem. Sub calcem notæ quædam tum in Præfationem Ælfrici, tum in ipsos sacros libros reperiuntur, in quibus passim di-

diversitas Codicis Laudiani, ad cujus fidem hæc expressa sunt, à Codicibus reliquis Cantabrigiensi & Cottoniano notatur. Nec non variantes lectiones ab Exodi fragmento, quod olim Guil. Nicolsonus Edmundo Gibsono dono dederat afferuntur, cujus characteres antiquitatem quatuor seculorum præ se ferunt. Hæc ex *Actis Eruditorum Lipsiæ*, anno 1698. mense Decembri pag. 549. & 550. Qui autem ad satietatem de Operibus Anglo-Saxonicis Ælfrici cognoscere voluerit, habeat *Thesaurum Linguarum Veterum Septentrionalium*, quem anno 1706. tribus in folio Tomis seu partibus edendum curavit, Oxoniæ in folio Georgius Hickesius, vir Linguarum Septentrionalium doctissimus. Opus inscriptum est, *Linguarum Veterum Septentrionalium Anglo-Saxonicarum & aliarum Thesaurus, Grammaticus, Criticus, Archæologicus* opera & studio Domini Georgii Hickesii Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Decani: cui volumen adjunxit Humphredus Wanleius, nempe *Catalogum MSS. Codicum Septentrionalium* Anglo-Saxonicorum & aliorum, extantium tam in publicis, quam in privatis totius Angliæ Bibliothecis. Hic autem Wanleius, in Indice *Auctorum & Tractatuum* qui describuntur in *Catalogo Codd. MSS. Anglo Saxonicorum*, omnes *Ælfridi, qui ex Monacho factus est Abbas, Episcopus, ac demum Archiepiscopus Cantuariensis, Epistolas* longo agmine, *aliaque Opuscula* recenset, *Latina, Anglo-Saxonica, homilias plurimas de passionibus & Vitis Sanctorum*: præsertim autem *Catalogi* citati pag. 153. ubi Ælfricus se paraphrastico more transtulisse *Homilias suas Saxonicè scriptas* ex Operibus SS. Augustini Hipponensis, Hieronymi, Gregorii Magni, Bedæ venerabilis, Smaragdi Abbatis & Haymonis Halberstatensis Episcopi, qui ultimi duo seculo duntaxat Ecclesiæ nono scribebant, ingenue fatetur. Wanleius in Præfatione Operis sui ad Robertum Harleyum Armigerum, hanc observantiam de Ælfrico nostro, quæ transcribatur non indignam, habet, ad posterorum cautelam.

„In instructissima Bibliotheca Collegii Corporis Christi Cantabrigiensi, extat Annalium Saxonicorum vetustus Codex, qui S. II. inscribitur, quem in Catalogo nostro p. 130. descriptum invenire est. Quamprimum Codicem illum inspexi, scriptum illum esse anno Domini 891. vel circa id tempus existimabam; quod ab initio Codicis ad istum annum, nihil non in una eademque antiqua manu, quæ Regnante Ælfredo in usu erat, scriptum esset: cui deinde ab isto anno usque ad finem, omnia in aliis manibus exarata sunt. In prima Codicis hujus pagina sic scriptum cernitur, *Tum accessit regnum Ælfredus illorum frater, atque tum fuit 23. annos natus*. Qui locus procul dubio non potuit non legi à RR. Matthæo Parkero Archiepiscopo Cantuariensi, qui quippe in margine summo hujus paginæ, hanc Epigraphen manu sua scripsit: *Chronica scripta anno 23. ætatis Alfredi*. Posteà vero, ut videtur, verba (XXIII.) minio notans, ex adverso in margine (XX.) scripsit. Verum in Catalogo, quem ex Codicum Saxonicorum syllabis ad se missis contexuit D. Georgius Hickesius, ac in fine *Institutionum Grammaticarum Anglo-Saxonicarum & Mæso Gothicarum* ante 16. annos Oxonii edidit, sic ille Codex inscribitur pag. 163. *Chronica vetustissima Saxonica, scripta anno 23. ætatis Ælfridi*, seu aliter, *Annales Saxonici Ecclesiæ Cantuariensis*. Sic etiam Doctissimus vir Wilhelmus Cave Sacræ Theologiæ Professor, in Scriptorum Ecclesiasticorum Historia sua Tomo I. pag. 590. Codicem illum, qui longe ante Ælfricum natum scriptus erat, Ælfrico adjudicavit, & inter Opera illius retulit, sic scribens: *Chronica Saxonica maxime de Ecclesia Cantuariensi, ab Ælfrico, anno ætatis suæ 23. Saxonice scripta, MSS. ibidem, id est in Collegio S. Benedicti, sive Corporis Christi Cantabrigiæ*. Præterea vir Doctissimus Henricus Wharton non tantum eodem in errore versatus est, in quem tot ante illum egregii viri lapsi sunt, Codicem illum Ælfrico inscribendo, verum etiam ulterius progressus, in Dissertatione suâ *De duobus Ælfricis*, parte I. *Angliæ sacræ*, summis viribus probare contendens, *Ælfricum Archiepiscopum* ac *Ælfricum Grammaticum*, fuisse diversos homines. Ita in Dissertatione pag. 130. de hoc Codice, deque Ælfrico Archiepiscopo Cantuariensi scribit. *Chronologiam Saxonicam à Julio Cæsare ad annum Christi 1070. Abrahamus Wheelocus edidit ex duplici Codice MS. altero Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis vetustiore, altero Cottoniano recentiore. Operis totius Auctor frustra quæritur, à diversis enim scriptum est. Codex autem Cantabrigiensis nota affixa præfert Chronologiam istam scriptam esse ab Ælfrico, anno ætatis suæ 23. Quod de parte ejus posteriore nequaquam intelligendum esse satis constat. Pars itaque prior Ælfricum authorem habet, quæ quidem res Ecclesiæ Wintoniensis tanta præ aliis diligentia persequitur, ut à Monacho quodam Wintoniensi concinnata primo intuitu videatur. Desinit ista in anno 975. primo scilicet Edwardi Regis & Martyris anno, quod cuivis locum consulenti facile patebit. Ibi enim Historicus post narratum Edwardi introitum, multos illi annos precatur. In proximo autem, cujus res gestas Chronologia illa exhibet, anno 977. scilicet, Edwardum Regem occisum esse narratur: quæ certe ab uno eodemque Authore proficisci nequaquam potuerunt. Elfricus igitur in anno 975. Chronologiam suam terminavit, annos jam 23. natus, adeoque anno circiter 952. natus est.*“

Aliorum quoque Doctorum ingenia, hæc de duobus Ælfricis controversia, sed me judice, sine causa exercuit ac torsit: tametsi in Dissertatione suâ præfatâ D. Whartonus affirmat alterum, quem vult *Ælfricum Grammaticum, Abbatem*, totque librorum auctorem *Putta, Puttoc* & *Puttunc* cognomen habuisse. Quod si D. Whartonus libros MSS. oculis suis perlustrasset, nunquam in hos errores inductus esset.

„Quinimo, Chronico tantum Collegii Corporis „Christi Cantabrigiensis à se inspecto, facile co„gnovisset, istud ab *Ælfrico* non potuisse scri„ptum esse, utpote cujus maxima pars ante na„tum *Ælfricum Abbatem* exarata esset, quem „etiam Codex Collegii S. Johannis Baptistæ „Oxoniensis, de quo *Catalogi* paginis 104. & 105. „diximus, *Ælfridi* Cognomento *Bata*, præcepto„rem fuisse his verbis ostendit. *Hanc sententiam* „(id est Tractatum) *Latini sermonis olim Ælfricus* „*Abbas composuit, qui meus fuit Magister. Sed ta„men ego Ælfricus Bata multas postea addidi appen„dices. Ælfrici* inquam Cognomento *Bata*, „quem unum eundemque fuisse *Ælfricum* existi„mo, atque illum quem *Ælfricum Vultam* antiqui „nostri Scriptores dicebant. Quamobrem si „*Ælfricum celebrem* illum apud *Anglo-Saxones* Au„ctorem, fuisse illum qui *Cantuariensis Archiepi„scopus* erat: & *Ælfricum dictum Batam* fuisse „istum, qui *Archiepiscopus Eboracensis* erat D. „Whartonus contendisset, equidem minime „ipsi repugnassem. Hæc Wanleius loco ci„tato.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1535. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codiee 168. *Canones Concilii Nicani & aliorum Latine & Saxonice*. Cui hæc Nota adjicitur: Hic liber videtur esse scriptus primo Latine per Theodorum Archiepiscopum VII. Cantuariensem, & per Alfricum translatus Angliee, & continet pag. 170. Ibidem num. 1536. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Codice 269. extant *Chronica vetustissima Saxonice, scripta anno 23. ætatis Alfrici*, vel aliter *Annales Saxonici Ecclesiæ Cantuariensis*. De hoc Codice anteà multis diximus ex Wanleio.

Inter MSS. Codiees Bibliothecæ Cottonianæ, sub effigie Julii litera E. Codice 7. num. 1. *Passiones & Vita Sanctorum translata ex Latino in Saxonicum Sermonem per Ælfricum*. Denique ibidem sub effigie Vespasiani litera D. Codice 21. num. 2. MS. *Vita Sancti Gutlaci Saxonicè ad Ælfwaldum Orientalium Anglorum Regem* Scripta. Verum cum juxta Rogerium de Hoveden *Annalium* parte priore pag. 402. linea 32. Elfwaldus Rex Orientalium Anglorum anno 749. defunctus sit, quo mortuo Humbenna & Albertus regnum sibi diviserint: hinc conclusimus Vitam istam S. Gutlaci Saxonicam non spectare ad Alfricum Grammaticum & Abbatem Malmesburiensem, qui ducentis & amplius annis ab illa ætate Ælfwaldi Regis Orientalium Anglorum aberat: sed pertinere ad Alfricum alium longe antiquiorem Monachum Croylandiæ Abbatiæ, qui circa annum 740. illam Saxonice scripsit, sicut anteà Latine Felix alter Croylandiæ Monachus fecerat, de quo nos anteà ad annum 740. locuti sumus.

Agunt de *Alfrico Grammatico* inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. n. 96. pag. 133. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* semel & iterum cap. 41. pag. 351. & cap. 42. pag. 361. Guillelmus Cavus in Historia rei literariæ seculo X. ad annum 980. p. 588. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Præfatione ad *Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis* §. seu num. XLIII. p. 36.

ETHELWARDUS seu ETHELWERDUS, natione Anglus, ex regio Anglorum 980. Monarcharum sanguine prognatus, Ethelredi quippe Regis, Ethelwulphi filii quarti abnepos, anno 980. claruit, & ad Mathildem Consobrinam *Historiam brevem libris IV.* scripsit, ab origine mundi ad Edgari Regis obitum qui anno 974. contigit: in quibus postquam tempora ante Christum enumeravit potius quam descripserit, ab eo deinceps anno, quo in Britanniam Saxones sive Angli primum appulerunt, unicis Anglorum rebus enarrandis dat operam. Prodiit Historia ista ab Henrico Savilio inter *Scriptores V. Anglicos* edita Londini 1596. pag. 472. Hæc Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad an. 980. pag. 587. Laudat hunc Scriptorem Joannes Lelandus, cujus etiam meminit Guillelmus Malmesburiensis in Prologo Historiæ suæ *De Regibus Angliæ*: sed hoc in eo culpat, quod affectato planeque turgido & pompatico Sermone utatur. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. mihi 390. qui tamen absurde fallitur dum asserit illum vixisse circa annum 1090. sub Guillelmo II. Anglorum Rege: quod verum fuisset, si extitisset abnepos Ethelredi II. Anglorum Regis, filii Edgari & Elfredæ, qui regnum adeptus anno 979. obsedit potius quam annis 37. rexit, mortuus an. 1016. Sed erat abnepos Ethelredi I. filii Ethelwulphi, qui annis centum altero antiquior est, unde merito ad annum 980. eum Guillelmus Cavus alligavit.

LAMFRIDUS MONACHUS WINTONIENSIS, Ordinis divi Benedicti in Anglia, 980. claruit circa annum 980. sub rege Anglorum Ethelredo, ætate Othonis III. Imperatoris. Hic *Vitam* & Miracula S. Swithini Episcopi, mox ab ejus translatione descripsit Opusculo, quod olim extabat in illustris Baronis Lumleii Bibliotheca. Extat *Lamfredus De Miraculis Sancti Swithini*, prosa & carmine, in MSS. Codd. Jacobææ Bibliothecæ, Cod. 349. Item in MSS. Codicibus Comitis Clarendonii in Hibernia Cod. 89. extat *Epistola Doctoris Lamfredi De miraculis S. Swithini Episcopi*, ex tribus MSS. Cottonianis, folio 35. pagina 1. Et in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Neronis litera E. Codice 1. num. 3. *Vita Sancti* Swithini Wintoniensis Episcopi, per Lamfredum Wintoniensem Monachum anno 980. cum libello de miraculis & hymno in honorem illius. Meminit *Lamfridi* Scriptoris Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, Tomo 4. ad diem 2. Julii, ubi de S. Swithino Episcopo, qui anno 695. die 2. Julii obiit.

obiit. Joannes Gerardus Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 351. ultimæ editionis.

980 WOLFTANUS MONACHUS ET PRÆCENTOR WINTONIENSIS, claruit etiam extremis Othonis 3. temporibus, circa annum 980. sub Ethelredo Anglorum Rege, qui præter librum *De tonorum harmonia*, etiam carmine prodidit *Translationem & miracula S. Swithini Episcopi*, quod paulo ante prosa Lamfridus fecerat. Extat inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ in MSS. Codd. Thomæ Bodleii Cod. 58. *S. Swithini Monachi Vita versibus hexametris & pentametris per Wolstanum Ecclesiæ Wentana Præcentorem.* Prætorea descripsit *Vitam præceptoris sui S. Ethelwolphi primi Monachi, postea Wintoniensis Episcopi*, cujus epitomen sed mutato stylo Surius expressit Tomo IV. Kalendis Augusti. Extat autem in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii litera D. Cod. 4. n. 48. *Vita gloriosi & beati Patris S. Athelwoldi Episcopi per Wolstanum Monachum Wigorniensem anno 1000.* Et sub effigie Neronis litera E. Cod. 1. num. 142. *Vita S. Athelwoldi Episcopi & Confessoris Kal. Augusti, per Wolstanum Wintoniensem Monachum anno 1000.* Meminit hujus Scriptoris Guillelmus Malmesburiensis Lib. 2. *De gestis Anglorum*, cujus de Wolstano judicium hoc est, *fuisse virum eruditum, bona vita, & eloquentia castigata.* Joannes Lelandus inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 5102. *Collectaneorum* Tomo I. n. 73. habet fragmentum ex Epistola Wolstani Monachi Præcentoris Wentanæ seu Wintoniensis Ecclesiæ ad Ælphegum Episcopum, pag. 149. Et num. 74. Ex primo libro Wolstani Monachi De Vita S. Swithini pag. 150. Ex secundo libro pag. 151. Ejusdem meminit ibidem num. 5105. idem Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. n. 91. his verbis pag. 128. „De Wolstano Monacho „Wentani Cœnobii, cujus reperi in Clarofon„tana sive Shiteburgensi Bibliotheca libros duos „*De translatione & miraculis S. Swithini Præsulis* „*Wentani.* Sane Georgius Hickesius natione Anglus, Sacræ Theologiæ Professor, Wigorniensis Ecclesiæ Decanus venerabilis, edidit anno 1705. in folio Oxoniæ è theatro Sheldoniano *Thesaurum Linguarum Veterum Septentrionalium Grammaticum, Criticum, Archæologicum*, in libros duos & partes IV. distinctum, cujus *primi* in tres partes distributi ipse Hickesius author est, *secundi* autem Humfredus Wanleius, vir in antiquitatibus ejuscemodi versatissimus. Continet ille Catalogum accuratissimum omnium *Codicum MSS. Anglo-Saxonicorum*, qui in omnibus & singulis tam publicis quam privatis Angliæ Bibliothecis extant. Item in Indice singulos Authores, Chartas, Homilias, Tractatus, resque præcipuas, quæ in MSS. Codicibus Anglo-Saxonicis continentur, studiose collectas refert. Dum autem pag. 140. & sequentibus, ad Cantabrigienses Bibliothecas deflectit, *Sermonis cujusdam* sub Danorum incursionem anno 1009. à Lupo seu Wulftano ad Anglos habiti mentionem facit, illic non inelegans adgreditur examen, quis ille Lupus fuerit? Ubi primo illum diversum à Lupo Ferrariensi Abbate statuit, qui anno 861. diem suum obiisse dicitur: tum multo magis à S. Lupo Trecensium Episcopo, qui anno 427. inclaruit. Inde veteres Anglos nomina sua Latine crebrius reddidisse docet, ita ut qui Saxonice Wulf audivit; aut inde forte terminationem nominis habuerit, *Lupum* se Latine appellavit. Sic Æthelwulphum Bernicium, Monachum Dunelmensem, *poematibus* suis nomen patriâ linguâ præfigere, pusteà vero in hæc verba desinere.

Hæc Lupus alte Pater stolido de pectore clarus,
Carmina composuit, corpore, mente rogans &c.

Itaque *Literas de pœnitentibus* à Lupo Londoniæ Episcopo ad Ælfricum Cantuariensem Archiepiscopum, quæ adhuc supersunt, non alteri posse vindicari judicat, quam Wulftano II, qui eâ ætate sedem Londinensem tenuerit, ad quam ex Monacho Wintoniensi, promotus sit: ex quibus colligit Lupum illum magnum homilistam, cujus in Anglicanis Bibliothecis tot Homiliæ extant in MSS. Codicibus Anglo-Saxonicis, eundem hominem esse cum Wulftano illo Eboracensium Archiepiscopo, qui ab anno 1002. ad usque A. 1023. Wigorniensem simul Ecclesiam rexerit: quandoquidem alius nullus tunc temporis in Anglia vixerit Episcopus, à Lupo nomen mutuatus, excepto solum Athulfo Herefordensi, de quo tamen altum apud Scriptores silentium sit. Præterea quoque inter varia Opuscula MSS. Lupi Episcopi, apparere *Parænesim* quandam Saxonice conceptam, cui nomen *Wulstani* præmittitur, haud obscuro indicio, Wulstanum & Lupum sub unâ personâ latere. Hæc Opuscula igitur omnia ad Wulstanum eundem & Lupum pertinere creduntur, de quibus longo agmine ac doctissime disserit Humphredus Wanleius in Catalogo MSS. Codicum Anglo-Saxonicorum, in diversis Angliæ Bibliothecis latitantium pagg. 140. 141. 142. 143. 144. 145. Nec minus Hickesius Operis libro primo, ad Homiliarum seu Concionum Saxonicarum Syllogen elaborandam *Philo-Saxones* instigat, eosque inescare videtur Sermone Pœnitentiali *Lupi istius Episcopi* ad populum Anglicanum in die jejunii, habito cum Dani terrâ marique patriam devastarent, cujus Latinam versionem Hickesius debet clarissimo viro D. Wilhelmo Esthob, Collegii Universitatis apud Oxonienses Socio dignissimo, qui *Ælfredi Regis versionem* Orosii libri Historiarum *Ormesta* dicti, literario orbi aliquando offeret, atque in nominibus propriis Septentrionalibus colligendis, illorumque sensibus eruendis, laudabilem operam huc usque insumit. Agunt de Wolstano Episcopo Wintoniensi, Cæsar Baronius in Notis ad Marty-

tyrologium Romanum ad diem 1. Augusti, ubi de Sancto Ethelwoldo agitur. Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. 356. editionis ultimæ. Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1706. Kalendis Martii pag. 108. & Kal. Maji pagg. 195. & 196.

980. JOANNES SANCTI ARNULPHI METENSIS ABBAS, Monachus primum Gorziensis & Sancti Joannis Gorziensis Abbatis discipulus, Ordinis divi Benedicti, unde posteà ad Abbatiam Sancti Arnulphi Metensis administrandam assumptus, floruit extremis seculi X. temporibus, sub Adalberone atque Theodorico Metensibus Episcopis. Scripsit Vitam Sancti Joannis Gorziensis Abbatis, cujus mors contigit anno 973. die 27. Februarii: quam ex mandato Deoderici seu Theoderici Metensis Episcopi, qui ab anno 964. ad annum 984. Metensi Ecclesiæ præfuit, scribendam aggressus est. Idem huic Joanni morienti inter alios adfuit, ut ipse testatur in *Prologo* num. 2. ubi ex alio Monasterio se Gorziam accitum dicit. Et quidem sub Ansteo Abbate vixit in Metensi S. Arnulphi Monasterio ex num. 66. unde Gorziam tunc accessisse dicendus est, jam tum Abbas. Siquidem inter Abbates, quos Joannes morti proximus advocavit, unum se nominat. Hanc *Vitam S. Joannis Gorziensis Abbatis* à Joanne isto scriptam, habes apud Joan. Bollandum tomo 3. ad diem 27. Februarii. Et apud Joannem Mabillonium, Sec. V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* p. 363. Idem scripsit *Vitam Sanctæ Glodesindis Abbatissæ Metensis, atque Translationem illius, Libris duobus:* quorum primus *De Vita Sanctæ Glodesindis*, legitur Seculo II. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 1087. Alter *De translatione ejusdem*, quæ anno 830. contigit, habetur Seculo IV. *Sanctorum ejusdem Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 1. pag. 435. Agit de hoc *Joanne S. Arnulphi Metensis Abbate*, in Observationibus ad hæc Opuscula prævius, Joannes Mabillon locis indicatis.

980. ROSWEITA seu ROSWEIDIS, Gandersheimensis in Germania sanctimonialis, clara natalibus, sed clarior in obscuro seculo ob liberales in sexu fœmineo disciplinas, quæ tunc à viris aberant, claruit anno circiter 980. & sequentibus, de qua pluribus agere hic, operæ pretium fuerit. Opera Roswithæ Joannes Trithemius in Libro *De viris illustribus Germaniæ* hoc ordine recenset. „Roswida Monasterii Gandersheimensis in Saxonia sanctimonialis, virgo nobilis, Ordinis divi Patris Benedicti, in Divinis Scripturis studiosa & erudita, secularium que literarum disciplinis probe imbuta, ingenio præstans & clara eloquio, nec minus conversatione quam eruditione insignis, scripsit tam metro quam prosa, multa præclara Opuscula, quibus sexum ingenio superans, nomen suum cum ingenti gloria transmisit ad posteros. Ex his ego legi subjecta:

Ad Gerbergam Abbatissam Heroico carmine De vita & conversatione intemerata Dei genitricis & Virginis Mariæ, Librum unum.

De ascensione Domini eodem carmine, Librum unum.

Item de Sancto Gangulfo Martyre Lib. I.

De passione Sancti Pelagii Martyris, his temporibus in Corduba passi. Lib. I.

De lapsu Theophili Vicedomini & ejus pœnitentia, Lib. I.

De lapsu cujusdam juvenis per Sanctum Basilium conversi, Librum I.

De passione Sancti Dionysii Episcopi & Martyris, Lib. I.

De passione Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris Lib. I.

Scripsit præterea sex Comœdias imitata Terentium, quarum Prima inscribitur,

Conversio Gallicani Principis, passionem includens SS. Joannis & Pauli Martyrum.

Secunda est *De passione Agapis, Chioniæ & Hirenæ Virginum.*

Tertia *De resuscitatione Callimachi & Drusianæ per Sanctum Joannem.*

Quarta *De lapsu & conversione Mariæ, neptis Abrahæ Eremitæ.*

Quinta *De conversione Thaïdæ meretricis inscribitur.*

Sexta *Passionem recitat Sanctarum Virginum, Fidei, Spei & Charitatis.*

Scripsit etiam metricè *Gesta Othonis Imperatoris, Lib. I. Epigrammatum diversorum Lib. I. & quasdam non inelegantes Epistolas.* Cætera quæ composuit, ad notitiam nostræ lectionis non venerunt. Claruit temporibus Othonis primi & secundi clarissimorum Imperatorum." Hactenus Trithemius, cujus verba repetit Conradus Gesnerus in Bibliotheca Universali, verbo *Roswida*, adjiciens tantum sed gratis forsan & absque idoneo ad id teste, Roswidam habuisse notitiam linguæ Græcæ. Henricus Bodo Monachus Clusensis in *Chronico Gandersheimensi MS.* meminit Poematis Roswithæ *De fundatione Monasterii Gandersheimensis*, cui *Vitas Pontificum Anastasii & Innocentii* patronorum præmiserit, verum hoc lucem nondum aspexit. Quæ à Trithemio commemorata diximus, primus evulgavit Conradus Celtes, Germaniæ primus Poeta laureatus, Norimbergæ anno 1501. in 4. cujus honorificam mentionem facit Petrus Lambecius Lib. I. *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pagg. 31. & 32. quem Vindobonæ anno 1508. die 4. Februarii mortuum scribit, relictâ insigni pro temporibus illis Bibliothecâ privatâ, quæ postmodum magna ex parte in Cæsaream transfusa est.

Ex his Operibus MSS. desumptum *Carmen panegyricum de Gestis Ottonis Magni*, quod Gerbergæ Abbatissæ suæ hortatu ad Ottonem II. Magni filium, versu heroico conscripsit, separatim vero recensuit & notis illustravit Henricus Meibomius avus, & Witikindi Corbeiensis An-

Annalibus à se anno 1621. Francofurti in folio editis adjecit. Gerberga autem Abbatissa, erat filia Henrici Bavariæ Ducis, qui Ottonis Magni frater fuit. Ejusdem Opera Roswidæ recudi curavit Wittebergæ 1705. in 4to apud Christianum Schrodterum, Henricus Leonardus Schurzfleischius junior, Juris utriusque Doctor, postmodum & Professor publicus in Academia Wittebergensi. Tandem vir illustris Godefridus Guilielmus Leibnitius, *Scriptorum de rebus Brunswicensibus collectorum* Tomo 2. exhibet tum scripta plura alias rariora, tum imprimis *Roswitæ Carmen De fundatione Ecclesiæ Gandesheimensis* hactenus ineditum, de quo hac occasione nonnihil referre placet. Carmen hoc Roswitæ *De fundatione Gandesheimensis Ecclesiæ*, nec à Trithemio, nec ab aliis memoratum est, excepto *Henrico Bodone* Monacho Benedictino Clusini monasterii prope Gandershemium siti, qui in *Syntagmate* suo quod Henricus Meibomius junior imperfectum edidit, nunc autem prodit integrum, refert: *Opusculum illustrissima fœmina Rhoswita, in quo Ecclesiæ fundationem heroico carmine, ex situ à se levatam, plurimum sibi profuisse.* Sed cum idem Opusculum rursus disparuisset, frustraque ab Eruditis quæreretur: evenit tandem feliciter, ut apographum ejus non recentissimum *Serenissimæ Principi Henricæ Christianæ Ducissæ Luneburgensi & Brunswicensi, Abbatissæ summa cum laude regenti*, redimendum pretio offerretur, cujus gratiosissimo beneficio ad editorem Leibnitium pervenit, ac edendum promittit. Qui etiam multa apographi vitia emendavit atque contulit non tantum cum Bosone edito, sed & cum antiquo carmine Saxonicà dialecto *de rebus Gandesbemensibus*, ante trecentos & amplius annos conscripto, quod etiam heic publico impertiendum judicavit: de quibus in *Actis Eruditorum Lipsiensibus* jam tum anno M DCC VIII. pag. 487. mentio per anticipationem facta est. At Guillielmus Leibnitius aliis occupatus, ab altero erudito viro, anno 1709. præventus est, de quo *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni M DCC X. mense Julio pag. 314. his verbis, *Antiquitates Gandersheimenses seu Historica Descriptio Monasterii Gandersheimensis à Joanne Georgio Leuckfeldio, Pastore primario Groningensi, anno M DCC IX. in 4to, Guelferbyti apud Godofredum Freytagium.* In fine Chronicon aliquod de hoc cœnobio scriptum, & à Canonico quodam hujus Ecclesiæ Eberhardo, anno 1216. è Latino in Germanicam linguam translatum: ut & *Rhoswita Gandersheimensis Canonica* suprà laudate *Carmen Latinum de constructione Cœnobii Gandersheimensis*, hactenus ineditum, diuque desideratum. Et idem plane Carmen ab illustr. Leibnitio in Tomum 2. *Scriptorum Brunswicensia illustrantium*, qui nondum quidem hactenus integer excusus, propediem tamen una cum tertio proditurus est, promissum: de quo in *Actis* jam tum anni M DCC VIII. pag. 487. mentionem fecimus. Prodiit Hanoveræ in folio anno M DCC X. apud Nicolaum Forsterum, ubi Num. XXVI. pag. 319. *Carmen Roswithæ de primordiis cœnobii Gandesbemensis.* Num. XXVII. pag. 330. *Henrici Bodonis Supplementum Chronici Gandesbemensis.* Num. XXVIII. pag. 345. *Selecta Henrici Bodonis ex Chronico Clusino seu Clusini monasterii Ordinis divi Benedicti* prope Gandeshemium, qui circa annum 1540. & 1550. scribebat.

Laurentius Humfredus Anglus, qui aliquandiu in Germania religionis causâ exsulavit, Roswitham Poetriam vendicare Angliæ suæ satagit. Vult enim fuisse filiam Hederici Nortumbrorum Regis ex Breyfinda uxore, vocatam alio nomine Hildam, quæ in Cœnobiis Britanniæ & Galliæ, annos tres & triginta peregerit, fœmina clarissima simul & doctissima. Verum temporibus decipitur, ut rectè notat Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 351. testesque alias sunt Georgius Fabricius *Originum Saxonicarum* lib. 2. pag. 98. & Henricus Bodo in *Chronico Gandersheimensi MS.* Roswitham Saxonici generis puellam fuisse. Nam nostra Roswitha Poetria in Gandersheimensi cœnobio ab adolescentia instituta est, quod Præfatione in Historiam Beatæ Virginis Mariæ, ipsa verbis sequentibus testatur. *Unde clam cunctis & quasi furtim, nunc in componendis sola desudando, nunc male composita destruendo, satagebam juxta meum posse, licet minime necessarium, aliquem tamen conficere textum ex sententiis Scripturarum, quas intra aream Gandersheimensis collegeram Cœnobii, primo sapientissima atque benignissima Richardis Magistra, aliarumque sua vicis instruente magisterio. Deinde prone favente clementia regia indolis Gerberga, cujus nunc subdor dominio Abbatia, qua atate minor, sed ut imperialem decebat neptem scientia provectior, per aliquot Auctores quos ipsa prior à sapientissimis didicit, me admodum erudiens.* Hæc ibi, quibus ex verbis colligere licet Richardam primo, deinde Gerbergam Roswithæ magistras fuisse, quibus ipsa mox in eodem munere successerit. Ibidem etiam fuisse prælectiones & exercitia Theologica ex Scriptis Roswithæ patet, quæ ex Scripturis multa eleganter profert: atque in præfatione quam diximus, protestatur se hac ætate immatura quædam ex apocryphis desumpsisse ex ignorantia, quæ licet dubia sint, tamen boni consulenda censet. Rectè ergo illam Saxonicam genere pronuntiant, Lilius Gregorius Gyraldus *de Poet. Historia* Dialogo 5. *Apud Saxonas, id quod mihi miraculo simile videtur, floruit Roswitha monialis, ut nunc dicimus, Ottone videlicet primo & altero Cæsaribus & Imperatoribus, qua non modo Latine sed & Græce scivit. Scripsit hæc Panegyricum de Ottonum Gestis, item Comœdias sex, Laudes Virginis matris Elego versu, quo etiam diei Dionysii Vitam & alia.* Joannes Cuspinianus in Ottone I. Imperatore. *Res gestas Ottonis Roswitha Monialis complexa est versibus, qui licet sint ut tempora ferebant, neque elegantes neque satis culti:* mi-

mirandum tamen est, ingenium muliebre in Saxonia, & in ipsa barbaria educatum & genitum, ea praestare potuisse. Georgius Fabricius Originum Saxonicarum Lib. 2. pag. 98. *In Cœnobio Gandershemio floruit Roswitha Sacerdos, quæ prosa & carmine libros edidit, & Panegyricum Ludolphi pronepoti Ottoni II. Imperatori scripsit. De hac Poetria rectius gloriantur Saxones quam Angli, nam Laurentium Humfredum sua eam patria vindicantem, non audimus neque ferimus.* Hæc de patria Roswithæ Monialis. Quantum autem ad stilum satis incultum, atque seculo X. obscuro apprime convenientem, ita habet Henricus Meibomius quem hic ferme transscribimus, in ejus *Vita* quam scripsit Tomo I. *Rerum Germanicarum* ante Ottonis I. Panegyricum, pag. 706. „Retinuit autem scriptiooem mediæ ætatis „Scriptoribus usitatam, quibus nomina Rudol„fus, Rutbertus, Ramwardus & similia, in ini„tio aspirare familiare fuit, cujus etiam meminit „Aventinus *Annalium Bojorum* lib. 1. in Nomen„clatura operi præfixa. Panegyricum *De lau„dibus Ottonis Magni* confecit hortatu Gerbergæ „Abbatissæ, ut in præfatione testatur, quæ in se„cundo Carmine præliminari innuit Ottonem „secundum Imperatorem, Poema ipsum videre „desiderasse. Dictio est toletabilis, seculum quo „vixit redolens, io prosodiam plurimum pecca„vit, quod sexui condonandum est.„ Ejus Panegyricum *De laudibus Ottonis Magni* non tantum edidit Conradus Celtes Norimbergæ anno 1501. uti supra diximus, sed etiam Justus Reuberus cum aliquot aliis Rerum Germanicarum Scriptoribus anno 1584. pag 161. Francofurti in folio: atque post ipsum Heoricus Meibomius Tomo I. Rerum Germanicarum pag. 709. ex editione Lipsiana apud Fredericum Gleditsch a. 1688. in folio.

Sunt qui eam confundunt cum Roswitha Gandersheimensi Abbatissa quarta, quæ Christinæ tertiæ, Ludolphi fundatoris filiæ in regimine Monasterii successit, sed & hi temporibus falluntur: de qua Roswitha Abbatissa Chronicon Cœnobii S. Michaelis apud Hildesiam in hunc modum loquitur. *Walbertus Septimus Episcopus Hildesheimensis post Christinam Gandersheimensem Abbatissam defunctam, ibidem Roswitham in regimen intromisit, quæ cæteris excellentior in Logica & Rethorica extitit, ut ejus libri & scriptura testantur: composuit namque librum Logicæ valde insignem.* Floruit autem Rosweita sive Roswidis juxta Antonium Possevinum Tomo 2. *Apparatus Sacri* circa annum Domini 990. ut patet ex ejus libro quem *De Gestis Ottonis Primi* scripsit, obiitque Ottone III. impetante, anno 1001. de quibus agere non potuisset, si ut ait Joannes Trithemius in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, centum & amplius annis antea floruisset, hoc est temporibus Leonis Papæ IV. sive paullo post, anno circiter 860. Et certe ut ait Arnoldus Vion, apud eundem Trithemium in *Chronico Hirsangiæ*, rectissimè collocata cerneretur ad annum 980. quo tempore verè floruit: nisi verba ad finem Vitæ ejus apposita in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cum inquit *Coætanea Joannis Anglici qui doctrina sua Papatum meruit*, errorem indicarent. Quæ tamen verba alterius potius, quam Trithemii esse opinor. Impostores enim nostri temporis, hujusmodi multa in Scriptis Catholicorum Doctorum iosetuerunt, ut venenatam doctrinam suam, eorum quasi authoritate robotarent. Quod in Trithemii secuoda editione ejusdem libri *De Scriptoribus Ecclesiasticis* fecerunt, in qua pleraque addita fuerunt, quæ Trithemius nunquam cogitaverat. Quantum ad ea quæ scripsi in *Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino omissis* ad annum 980. pag. 311. Rosweitam hanc scripsisse oratio„ ne soluta *Vitam S. Willibaldi Eistetensis Episcopi,*„ *itemque Vitam S. Wunebaldi primi Heidenshemensis Abbatis*, quas Surius habet in *Vitis Sanctorum.*„ Henricus Canisius Tomo IV. *Antiquæ Lectionis*„ & Joannes Mabillon Seculo III. Sanctorum Or„ diois divi Benedicti Tomo 2. pag. 176. & seqq.„ pag. 365. & seqq.„ Illud inquam quod scripsi revoco, velut perperam scriptum, nec veritati consooum. Fœmina enim quæ has Vitas Sanctorum *Willebaldi & Wunebaldi* composuit, circa annum 740. æqualis quodammodo S. Willebaldo cujus ὁδοιπορικὸν scripsit, ducentis & quadraginta annis antiquior Rosweitha Moniali de qua loquimur. Auctorem *Hodæporici* fuisse æqualem Willibaldi, vixisseque in Monasterio Heidenshem, hæc verba indicant: *Ab ipso audita, & ex illius ore dictata, perscripsimus in Monasterio Heidenheim, testibus mihi Diaconis ejus.* Ad quæ verba in Codice Monasterii Rebdorfensis quem Canisius expressit, adscriptum ad oram erat: *Hinc conjici datur S. Walpurgam scripsisse hanc legendam, quia etiam in prologo asserit, se esse de parentela S. Willibaldi.* Saltem à fœmina ac quidem Willibaldi consanguinea, opus hoc scriptum esse constat. Quod ostendunt ista in Præfatione, *Sed quia me indignam tamen de illorum genealogiæ stirpe, non aliunde propagatam, forte de extremis nimorum fore noverunt* &c. Vbi in eodem Codice adnotatum, *Forè hæc illustris fœmina S. Walpurgis fuit, quia asserit se consanguineam hic.* Verum isti sententiæ Glossographi obstare videtur, quod verisimile sit, esse ab eodem auctore ὁδοιπορικὸν S. Willibaldi, & Vitam S. Wunebaldi Confessoris atque Abbatis, quam Hodæporico S. Willebaldi Canisius eodem in Tomo subjungit. Sane qui Vitam Wunebaldi composuit, exaratæ à se vitæ S. Willibaldi non uno in loco meminit. Adde quod utriusque Opusculi simillima & quasi uoius auctoris dictio sit. Atqui Vita S. Wunebaldi alium auctorem habet quam S. Walburgim, ut hæc verba indicio sunt. *Compertam atque conscriptam, atque ex brevitate transcursam Vitam B. Wunebaldi, Christi Confessoris, quam à Sorore ejus & ab aliis viris venerandis, qui illi per familiaritatem & amicitiam conjuncti fuerunt, præsertimque ab iis, qui illo in discipulatu*

&

& magisterio subditi fuerunt, relatione didicerunt. Vbi clare inquit, se à Sorore Sancti viri quæ Walburgis seu Walpurgis erat, accepisse illa quæ refert. Non igitur ipsa Walpurgis ista exaravit, sed alia ei æqualis, id quod convenire non potest Rosweidæ, quæ ducentis quadraginta annis hoc tempore posterior est. Agunt autem de *Rosweitha* multis Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* verbo *Rosweita*, quem secutus est Josias Simlerus in *Bibliotheca Gesneri contracta & aucta* Tiguri 1574. in folio. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo, *Rosvidis*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 351. Henricus Meibomius Tomo I. Rerum Germanicarum pag. 706. in Vita ejus, quam hic expressimus.

980. GERHARDUS AUGUSTANUS PRESBYTER, qui hucusque anonymus, Sancti Vdalrici Episcopi Augustani capellanus & Presbyter ab illo ordinatus, primus circa annum 980. Scripsit *Vitam S. Vdalrici Augustæ Vindelicorum Episcopi*, plurimorum quæ litteris mandavit, oculatus ipse testis. Edidit Opus anonymum Marcus Velserus Reipublicæ Augustanæ Duumvir clarissimus, Augustæ Vindelicorum anno 1595. in 4. Et inter Opera omnia Marci Velseri à pag. 505. ad 587. editionis quæ in folio Norimbergæ anno 1682. facta fuit. Sed authoris nomen exprimit Codex MS. Monasterii Sancti Emmerami Ratisponensis, ante annos quingentos scriptus, in quo hæc Vita reperitur sub titulo post Capitulationes ita expresso: *In nomine Domini incipit Vita Sancti Vdalrici Episcopi & Confessoris Christi, edita à Gerhardo, qui ab eo fuit Presbyter ordinatus.* Anonymum itaque licebit imposterum appellare *Gerhardum*, qui nescio an idem sit cum Gerhardo S. Vdalrici Capellano, de quo in Vita num. 63. vel Præposito, de quo num. 70. atque Presbytero num. 83. Verisimile autem est, Gerhardum illum fuisse Præpositum S. Mariæ seu Majoris Ecclesiæ, qui morienti ipsi adfuit, cujus mentio *Vita* hujus cap. 26. & 27. ubi nunc *Præpositus*, nunc *Presbyter* nuncupatur. Ita enim insinuare videtur, tum in Prologo tum in Epilogo operis. Hos *Gerhardi* Libros *De Vita & Miraculis Sancti Vdalrici*, cum stylo simplici scriptos *Gebehardus Augustanus Episcopus* legisset, novo eos Orationis genere expolire aggressus fuit, ut ipse in *Prologo* suo testatur: qui præventus morte, opus perficere non potuit. Fuit is Episcopus à Sancto Vdalrico quartus, anno 995. Liutolpho succedens, post septem regiminis annos, anno post millesimum secundo mortuus. Hanc quoque *Gebehardi* Commentationem Velserus edidit, cum aliis multis ad S. Vdalricum spectantibus, anno & loco citatis. Opus *Gerhardi* sub nomine proprii authoris, iterum obtulit Joannes Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 419. & sequentibus, quod editum Parisiis anno 1685. in folio. De ambobus Sancti Vdalrici laudatoribus *Gerhardo Presbytero & Gebehardo Augustano Episcopo*, eodemque tempore viventibus, dictus Joannes Mabillon, in *Observationibus præviis* ad Vitam Sancti Vdalrici, pag. 415. & seqq. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 5. p. m. 764.

SABBO FLORIACENSIS ABBAS ET MARTYR, sive Sancti Benedicti ad Ligerim, in Episcopatu Aurelianensi, vir doctus ac sanctus, cujus doctrinam varia ab illo scripta opera probant, cujus sanctitatem effusus ad conservandam observantiam Ordinis, atque oblatus sanguis testatur. Meminere hujus Abbonis ut infra quoque dicemus, Sigebertus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 139. & in *Chronico* ad annum 990. cui hic affiximus. Et Senatus quoque Bravonius Seculi XII. Scriptor, in Vita S. Oswaldi apud Surium ad diem 15. Octobris. Ex quo cognoscimus hortatus. Dunstanni dum in Anglia moraretur, illum scripsisse *Passionem B. Edmundi Regis & Martyris*, quam habemus apud Surium tomo 6. ad diem 20. Novembris, & quæ Manuscripta extat in Bibliotheca privata Lumleiana in Anglia, atque etiam in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. 3861. fol. 66. Extant hujus Abbonis Opera nonnulla impressa, alia temporum lapsu interciderunt. Scripserat *Libros Dialecticos & Astronomicos* ut testatur Aymoinus in ejus *Vita* cap. 3. quos injuria temporum nobis abripuit. Ejusdem *Commentarius in Victorii Canonem Paschalem*, quo Cyclos annorum ab Incarnatione Domini ad sua usque tempora juxta veram Evangeliorum fidem correxit, lapsu temporum interiit: cujus memoriam nobis reliquit Sigebertus in libro *De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus* cap. 139. his verbis: *Quantum valuerit in utraque scientia ostendit, cum super calculum Victorii commentatus est:* quem ad sua usque tempora adductum, ad annos postea circiter M D XCV. dilatavit. *Apologeticus* quoque *Abbonis ad Hugonem Francorum Regem, pro immunitatibus Monasterii Floriacensis*, periit: cujus extant Fragmenta apud Aimonium in *Vita Abbonis* capp. 8. & 9. Jam ad Opera impressa veniamus. Extat *Epitome de Vitis Romanorum Pontificum XCI.* collecta ex Anastasii Bibliothecarii Historiâ Pontificiâ, & cum eadem Moguntiæ anno 1602. in 4. excusa, studio atque operâ Joannis Busæi Noviomagensis, Soc. Jesu Theologi. *Vita Sancti Edmundi Anglorum Regis & Martyris*, quam dum in Anglia commoratus est, à Dunstano rogatus scripsit, extat apud Surium ad diem XX. Novembris. *Epitome seu Collectiuncula Canonum sub certis materiarum capitibus*, quam edidit Joannes Mabillon tomo 2. Analectorum pag. 248. & sequentibus, ubi varia præludit *De Scriptis* tam editis quam deperditis Abbonis Abbatis, de quo etiam pluribus agit Seculo VI. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti.* 990.

Hunc

Hunc autem huc attulimus ob *Epitomen Canonum* quam Labbeus omisit, nondum quippe evulgatam. Audio recenter à Placido Porcheron Benedictinorum Sancti Germani Parisiensis Bibliothecario *Epistolas Abbonis* nonnullas in manuscriptis Codicibus quibusdam Pithæanis inventas, quas Bibliotheca quædam Parisina asservabat, quasque haud dubie Eruditi hujus Regiæ urbis viri, dudum latere ineditas non paterentur. Harum *unam ad Abbatem Fuldensem* edidit Stephanus Baluzius, tomo I. *Miscellaneorum* pag. 409. fragmenta autem aliarum dedit Aimonius in *Vita S. Abbonis*, Epistolarum quidem duarum *ad Bernardum Abbatem Bellilocensem* hujus Vitæ cap. 10. Alterius *ad Gregorium V. Romanum Pontificem*, ibid. cap. 12. Denique Epistolæ Hexametris versibus *ad Ottonem Imperatorem* scriptæ, ibid. cap. 13. Has olim *Abbonis Epistolas* videtat Joannes Balæus Anglus, quippe quarum assignatis earum titulis ipse meminit, in Opere suo *De Scriptoribus Angliæ*, ubi de Abbone ita habet. „Abbo Floriacensis Cœnobii Abbas, Gallus, patriâ Aurelianensis, scripsit „Vitam Eodmundi Martyris, libris 2. Apologeticum ad Francorum Reges Librum 1. Super caleulo Victorii Lib. 1. Additiones in eundem Lib. 1, De motibus stellarum Lib. 1. De „planetarum cursu Lib. 1. Demonstrationes „Astronomiæ Lib. 1. Contra Episcopum Aurelianensem Lib. 1. Rudimenta puerilia „Lib. 1. Cathegotiarum Spiritualium Lib. 1. „De computo Lib. 1. Homilias in Evangelia „Lib. 1. De cœna Domini Lib. 1. Epistolas „ad Gregorium V. Robertum Regem, Imperatorem Othonem, Bernardum Bellilocum, „Odilonem Cluniacensem. De Sancto Stephano Protomartyre sequentium unam, & „Responsoria quædam edidit. Circulos annorum Incarnationis Dominicæ, ad sua usque „tempora correxit. Obiit anno 1004. à suis „Monachis interfectus, cujus Vitam scripsit „Aimoinus Floriacensis. Hæc Balæus qui ex occasione Anglis suis hunc Gallum inseruit, forsan quod ejus Opera manuscripta simul omnia hæc in Anglia invenisset. *Epistola* porro *ista* cum *Apologetico ad Francorum Regem* hoc anno 1687. editæ sunt atque immissæ in Opera posthuma Petri Pithæi Trecensis, quæ tribus in folio Voluminibus ex prælo Galliarum Regio prodierunt, magno hujus insignis viri qui ab annis centum vel circiter obiit, multaque Manuscripta reliquit, honore & desiderio. Extat *Apologeticus iste Abbonis* cum *Epistolis variis* tomo 1. pag. 393. & sequentibus ad pag. 429. Quod diximus de ætate ejus, cognosci potest ex eo quod *Apologeticum* suum, ad Hugonem Capetum, filiumque ejus Robertum, Galliarum Reges scripserit. Nam hos & Ottonem tertium Imperatorem συγχρόνους fuisse, apertum satis est. Idem indicant *Epistola Abbonis* plures ad Gregorium V. Summum Pontificem atque alios, quæ nunc impressæ extant. Hujus Abbonis Vitam ac mortem sanctissimè obitam die 13. Novembris Indictione 2. anno Christianæ salutis 1004. in Monasterio Squirs seu Regulæ ad Gatumnam in Diœcesi Vasatensi, descriptam ab Aimoino Monacho Floriacensi, ejus discipulo ac comite qui præsens aderat, habes in *Bibliotheca Floriacensi* pag. 299. cum aliquot ejusdem viri Miraculis insertam, studio Joannis à Bosco Cælestini, anno 1605. Lugduni apud Horatium Cardon. Sigebertus attamen in *Chronico*, cædem ejus minus castigate, ad annum 1003. retulit, aliosque etiam summos Chronologos in errorem induxit. Videndi quoque Glaber Rodulphus Lib. 3. cap. 3. Joannes Trithemius, & recentiores alii, cum Labbeo in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis*, tomo 1. pag. 82. Joannes Mabillon, loco citato. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 354. ultimæ editionis: & pag. 331. editionis primæ. Jacobus Philippus Bergomas Lib. XII. *Supplementi Chronicorum* ad annum 982. qui eum *Abbonem* perperam vocat. Carolus Saussejus in suis *Annalibus Aurelianensibus* lib. 4. cap. 8. Atque imprimis conservator *Epistolarum Abbonis*, Petrus Pithæus in *Collectione* seu *Collectaneo Veterum Historiæ Francicæ Scriptorum*, ubi ex veteri membranâ Vitam hujus Abbonis habes, quam citatus Balæus *Aimoni* seu *Aimoino* potius *Floriacensi Monacho* attribuit, ut Labbeus scribit. Ibi inter alia, exponitur quomodo seditione inter Vascones & Francos coorta, lanceâ interemptus sit, quod anno 1004. contigit, Idibus Novembris, natali die Sancti Bricii, qui dies & à Monachis in honorem Abbonis celebratur. Vnde omnino diversus est ab Abbone illo Sancti Germani Parisiensis Monacho & Poëta, qui anno 886. & 887. floruisse legitur. Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti* seculo sexto parte 1. pag. 39. editionis Parisiensis apud Carolum Robustel a. 1701. in fol.

SYLVESTER PAPA II. natione Awernus, *Gerbertus* anteà dictus, patria Aureliacensis, non infimo loco natus, ingenuis artibus è puero enutritus, in studio autem Philosophiæ & Astrologiæ non vulgariter versatus, Monasticam vitam juxta D. Benedicti institutum amplexus, paullo post Roberti Galliarum Regis, ejusque filii Hugonis præceptor factus est. Hac occasione cum in Aula plurimum posset, Synodo anno 991. convocata, Arnulphum Remorum Archiepiscopum sede sua ejiciendum, seque in locum ejus subrogandum curavit. Verum a Joanne Papa depositus, anno 995. favente Ottone Imperatore & populo suffragante, Ravennatum Archiepiscopus constitutus est. Qui hucusque sedis Pontificiæ acerrimus oppugnator, Gregorio V. mortuo, Ottonis III. patrocinio, Romanæ tandem Ecclesiæ Pontifex an. 999. renunciatur, die 11. Aprilis inthronizatus. Quæ de modo ejus, per magicas nempe incantationes, 990.

ad

ad sedem Pontificiam perveniendi, depacta pro mercede diabolo anima, eique tandem erepta, Cardinalis Benno sequentis seculi Scriptor tradit, apud Bennonem ipsum in *Vita Hildebrandi* legi possunt. Plurima Ecclesiæ Romanæ beneficia ac territoria ab Othone Imp. donari obtinuit, multasque hæreses in Ecclesia paulò ante exortas feliciter consopivit. Obiit a. 1003. die 12. mensis Maji.

Epistolæ CLX. ab eo dum sedem adhuc Rhemensem teneret, scriptæ extant, quas Papirius Massonus Parisiis 1611. in 4. edidit, & Andreas Duchesnius *Historicorum Francorum* Tomo 2. pag. 787. quæ exinde in Bibliothecam Patrum editionis ultimæ Lugdunensis anni 1677. Tomo XVII. pag. 669. relatæ sunt. *Epistolæ III.* post Pontificatum susceptum scriptæ, extant Concil. Tomo IX. col. 777.

Liber de Sphæra & *Sermo de informatione Episcoporum*, quem utrumque Tractatum in lucem edidit Joannes Mabillon *Analectorum* Tomo 2. pag. 212.

Vita S. Adelberti Pragensis Archiepiscopi, ab Abrahamo Bzovio Romæ edita, teste Ludovico Jacob a Sancto Carolo *Bibliotheca Pontificia* lib. 1. pag. 214. de qua vide *Cosmam Pragensem Decanum*.

Epigramma elegantissimum in Severini Bœthii imaginem, habetur apud Baronium Appendice Tomi VII. *Ecclesiasticorum Annalium* p. 4. Hæc verbotenus Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* Seculo X. ad a. 999. p. 593.

Extant juxta Catalogum MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ, anno 1698. 2. in folio voluminibus, Oxoniæ è Sheldoniano theatro editum, inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 2406. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Bodleii litera F. 4. Codice 12. num. 10. *Expositio in Canticum Canticorum Domni Gereberti Papæ* pag. 170. b. Ibidem Codice 3413. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni in Pluteis superioribus Codice 25. num. 4. *Gerberti Theoria Arithmetica cum Prologo in eandem*. Inter MSS. Codices Bibliothecarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 2463. in MSS. Codd. Latinis Isaaci Vossii Codice 138. *Synodus Remensis Gerberti qui postea Papa fuit sub nomine Sylvestri secundi, cum ejusdem Epistola*. Ibidem Codice 2658. in MSS. Latinis ejusdem Vossii, qui nunc in Bibliotheca Lugduno-Batava nostra, Codice 333. num. 3. *Gerberti Regula de divisionibus*. In Catalogo librorum Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, edito 1674. Lugduni Batavorum in 4. Inter MSS. Codices Græcos & Latinos ex legato Scaligeri pag. 393. Codice 31. *Abacus* seu *Regula Arithmetices, Libellus multiplicationum, Epistola Gerberti ad Constantinum de Doctrina Abaci*, nempe Floriacensem Monachum Opus quod teste Cavo, extabat MS. apud Joannem Massonum Papirii fratrem in Gallia. Hæc de MSS. Gerberti Codicibus nondum impressis.

LETALDVS MICIACENSIS. MONA- 990.
CHVS, Ordinis divi Benedicti, scripsit *librum De Miraculis Sancti Maximini Miciacensis Abbatis*, quem edidit Joannes Mabillon Seculo I. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 598. cujus prologus incipit, *In flammam sciens & prudens mitto manum* &c. Incipiunt miracula, *Diu me pertractante quid potius assumendo, narrationis ordirer principium* &c. Inseruit Letaldus in illis Miraculis seriem quandam Episcoporum Aurelianensium, Abbatumque Miciacensium, qui se vixisse testatur temporibus Ermenthei & Arnulphi Episcoporum atque Annonis Abbatis, sub Seculi X. finem, & hæc cap. 11. Distinguendus autem à *Letaldo altero Abbate Miciacensi*, de quo agit iste cap. 4. Atque hunc Letaldum eundem esse putamus, qui expolivit *Vitam Sancti Juliani Cenomanensis Episcopi*, etsi Possevinus illum Monachum Cenomanensem existimet: qui tamen ab Arnoldo Wion in *Ligno Vitæ* refertur ad annum 990. Letaldo nostro convenientem. Habetur hæc *Vita Sancti Juliani Cenomanensis Episcopi* apud Laurentium Surium in *Probatis Sanctorum Vitis*. & MS. in Bibliotheca Galliarum Regiâ Codice 4185. De Letaldo Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 332. Joannes Mabillon Seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, in Observationibus præviis ad Vitam *S. Maximini Miciacensis Abbatis*, p. 580.

OLYMPIODORVS MONACHVS 990.
GRÆCVS, quem nonnulli Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, alii autem Alexandrinæ faciunt; nonnulli unicum, alii duplicem volunt: cujus de ætate inter eruditos est contentio, prudenter quidem à Cavo ad annum 990. assignatus in *Historia rei literaria* pag. 592. *donec* exurgat qui certiora doceat. De illo sic loquitur Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliotheca Sancta* pag. mihi 277. editionis Parisiensis 1610. "Olympiodorus Monachus natione Græcus, scholæ Peripateticæ Philosophus, cujus etiam præclari in *Metheora Aristotelis Commentarii*, scripsit Græcè juxta triplicem sensum, *Enarrationem in Ecclesiasten* succinctam, eruditam, brevem & elegantem, quam Zenobius Acciaiolus Florentinus in Latinum transtulit, cujus initium est *Rerum certam cognitionem*. Olympiodorus Diaconus natione Græcus, vir doctus, scripsit Græcè in totum *librum Job* eruditissimos & elegantissimos juxta literæ sensum Commentarios, quorum multa fragmenta adhuc extant in Catena Græca super Job, quæ Græce habetur in Bibliotheca Saulia. Opus incipit ὑπόθεσις μὲν ἡμῶν, Opus verò integrum in Bibliotheca Vaticana servatur." Hæc Sixtus Senensis, quibus ambiguum est, an unum, aut duos Olympiodoros constituat. Sed audacior plane fuit Antonius Possevinus qui Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Olympiodorus*, duos Olympiodoros velut rem certam his vocibus consti-

tuit. „Olympiodorus Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus *Catenam ex Patribus Græcis*, atque in ea luculentum Commentarium in totum fere *Librum Job* artificiosissime atque ingeniosissime contexuit. Accedo enim lubens ad sententiam Pauli Comitoli, qui eandem Catenam ut alibi diximus, e Græca Latinam fecit eleganter: qui idem solidis rationibus in editione Veneta quæ apud Jolitos 1587. prodiit, evincit eam esse non Nicetæ Heracleensis Archiepiscopi, sed ipsius Olympiodori. Olympiodorus alter, qui Monachus & quidem Græcus, *Enarrationem* & ipse *in Ecclesiasten* succinctam (ut inquit Sixtus Senensis) eruditam, brevem & elegantem Græce conscripsit, ad triplicem Scripturæ sensum in ea collineans, quam Zenobius Acciaiolus Florentinus in Latinum vertit, quæ & extat in Bibliotheca PP. Margarini Bignæi. Quin idem quoque Olympiodorus Peripateticæ Philosophiæ peritus, insignes *Commentarios in Aristotelis Meteora* reliquit, qui jam dudum Græce & Latine prodierunt. Porro falsi esse videntur, qui hunc Olympiodorum fecere Alexandrinum, cum superiore Diacono Alexandrinæ Ecclesiæ confundentes. Sane vero non solum in *Meteora* scripsisse fertur, verum etiam *Commentaria Græca in Platonis Phædrum*, quæ in Bibliotheca Sancti Salvatoris Bononiæ, & apud Didacum Hurtadum Caroli V. Imperatoris apud Venetos olim Legatum extabant: sicut item *In Gorgiam & Alcibiadem ejusdem Platonis*, quin & *in Phædrum & in posteriora Analytica Aristotelis*.

Quoad ætatem Olympiodori, Bellarminus in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* annum ipsi 1077. affinxit, sed perperam. Cum enim perpetuo allegetur à Niceta Heracleæ Archiepiscopo *Catenâ in Jobum*, qui anno circiter 1070. Theophylacto Bulgariæ Archiepiscopo Synchronus extitit: hac consequenter ætate anno 1077. antiquior est, neque recentior videtur anno 990. cui Guillelmus Cavus ipsum assignavit. Non tantum autem citatur Olympiodorus à Niceta Heracleensi in Catena in Jobum ut habet Lambecius Lib. 3. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Codice VII. pag. 19: sed etiam in Catena quam in Psalmos idem Nicetas conscripsit, ut habet idem Lambecius ibidem Codice XV. pag. 27. Frivolum quoque videtur, nec necessarium constituere *Olympiodoros duos* cum Possevino, unum Alexandrinum, alterum Constantinopolitanum: unum Diaconum, alterum Monachum: cum eidem uni homini *Monachismus* ac *Diaconatus* contingere potuerint, imo sæpe contigerint. Jam ad scripta procedamus, ac primum Theologica, tum Philosophica.

Extat *Commentarius in Ecclesiasten* Græco-Latino *Auctario Bibliothecæ Patrum* Frontonis Ducæi, edit. Parisiensis 1624. Tomo 2. pag. 602. qui anteà Latine tantum in Bibliotheca Patrum diversarum editionum Parisiensium anni 1575. 1589. & 1610. tum Latine Basileæ 1536. in 8. de quibus vide Thomam Hydium in Catalogo Bibliothecæ Bodleianæ Oxoniensis, verbo *Olympiodorus*. Illio & recenset *Origenis & Olympiodori Commentarium in Threnos Jeremiæ*, Latine Romæ 1598. in 4to, quem sibi non visum inquit Cavus. Inter Manuscriptos quoque Codices Græcos Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, extat *Olympiodorus de statu animæ à corpore separatæ*, ibidem MS. charta in folio, ut liquet ex Catalogo hujus Bibliothecæ impresso pag. 397. num. 17. Neque ambigo quin Opus istud ad Olympiodorum nostrum Diaconum vel Monachum pertineat, videturque ad Philosophiam hoc Opusculum spectare, & esse Scholia ex Olympiodori voce, in Platonis Phædonem, sive Dialogum *De immortalitate animæ*, ut posteà dicemus, in *Philosophicis*.

Quantum autem ad *Catenam in Jobum*, quam „Lugduni Laurentius Cumdius Latine translatam, anno 1586. in 4. edendam curavit sub nomine *Nicetæ Heracleensis Archiepiscopi*, quamque Paulus Comitolus sub nomine *Olympiodori* an. 1587. Venetiis in 4. apud Jolitos edidit: ad confutandam Antonii Possevini loco citato sententiam, proferemus Petrum Lambecium Libro 5. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, in examine Codicis MS. Theologici Græci CCXXXI. pag. 62. & 63. ita prolixe differentem. Codex CCXXXI. MS. Theologicus Græcus in fol. &c. Continetur eo *Nicetæ* primum quidem Serrarum in Macedonia prima, postea Heracleæ in Thracia Metropolitæ, Catena sive Commentarius amplissimus in librum *Jobi*, collectus ex Operibus diversorum sanctorum Patrum, aliorumque scriptorum Ecclesiasticorum Græcorum, nempe *Ammonii junioris*, *Apollinarii Episcopi Laodiceni*, *S. Dionysii Episcopi Alexandrini*, *Evagrii*, *S. Gregorii Nazianzeni*, *S. Gregorii Nysseni*, *Hesichii Presbyteri Hierosolymitani*, *S. Joannis Chrysostomi*, *Isidori Pelusiotæ*, *Juliani*, *S. Methodii*, *Sancti Nili*, *Olympiodori*, *Origenis*, *Polychronii*, *Severi Episcopi Antiocheni*, *Symmachi*, & *Theodoreti Cyrensis Episcopi*: quorum omnium & forte etiam paucorum quorundam aliorum, in transcursu a me non observatorum nomina, ibidem partim intermixta textui, partim in margine adnotata sunt. Titulus hujus Catenæ Græcus cum principio procemii talis ibi est, Ἐξήγησις εἰς τὸν μακάριον Ἰὼβ συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου Μητροπολίτου Ἡρακλείας κυρίου Νικήτα. ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν καὶ σκοπὸς τοῦ λόγου, ἡ τῆς βίβλου τοῦ πολυάθλου Ἰὼβ ἀνάπτυξις, οὗ καὶ μόνου μεμνῆσθαι μέλλοντας, ἀποπλύναι ἔδει τὸ στόμα, καὶ οὕτως αὐτοῦ μνησθῆναι &c. Primus hanc Catenam in Jobum à Paulo Comitolo Perusino ex Antonii Caraffæ Codice MS. Græco Latine translatam, edidit Laurentius Cumdeo Lugduni apud Joannem Stratium 1586. in 4. cum Epistola præfixa ad præfatum P. Comitolum, in qua ob summum consensum multorum veterum MSS. Codicum, recte asserit hujus *Catenæ* authorem esse *Ni-*

cetam

„*cetam Metropolitam Heracleensem*, quemadmodum etiam in hoc Codice MS. Cæsareo, æque luculenter videre licet. Secundo autem eandem ejusdem Catenæ translationem suam Latinam ipse Comitolus Venetiis apud Jolitos 1587. in 4. cum prolixa Disputatione, in qua contra memoratum Laurentium Cumdeo & veterum Manuscriptorum Codd. authoritatem, imperiose quidem sed perperam & frustra demonstrare annititur, authorem hujus Catenæ non esse *Nicetam Metropolitam Heracleensem, sed Olympiodorum Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum*, quod illius præ cæteris frequentissime in ea mentio fiat. Inter alia igitur invalida & nullius momenti argumenta, quibus Comitolus ad stabiliendam sententiam suam utitur, est etiam hoc, quod refert *Parisienses Patres ac sodales suos* super hac controversia rescripsisse his verbis. *Non est autem quod Reverendum Patrem Comitolum sua pigeat conjectura, Catenam istam Olympiodoro tribuentis: nam & in Epitome Bibliotheca Gesneri, & in Catalogo Librorum edito à Simlero an. 1586. Catena in Job Olympiodoro tribuitur quadam, qua dicitur in Bibliotheca Sambuci servari: itemque Olympiodori Hypoteses in Job.* At enim vero testimonium hoc adversatur *Comitolo*, magis quam prodest. Ipsa enim verba Bibliothecæ Gesnerianæ, à Josia Simlero & Joanne Jacobo Frisio auctæ, sunt ea de re hæc, *Olympiodori & aliorum piissima Catena in Job, extat in Bibliotheca Sambuci.* Ubi primo notandum est Catenam illam non simpliciter appellari *Catenam Olympiodori*, sed *Catenam Olympiodori & aliorum*: quo certe nihil aliud significatur, quam Catenam illam non ex solius Olympiodori, verum etiam ex aliorum supra memoratorum veterum Patrum Operibus collectam & coagmentatam esse. Quod autem ipse *Olympiodorus* hujus Collectionis seu Coagmentationis author sit, nulla ratione inde potest elici. Secundo notandum est, Codicem Manuscriptum Bibliothecæ Sambuci, qui in Bibliotheca Gesneriana jam citato loco memoratur, prorsus illum ipsum esse Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codicem MS. inter Codices MSS. Theologicos Græcos CCXXXI. de quo in præsens ex professo agitur. Hoc enim ipse Joannes Sambucus ibi testatur solita propriæ manus inscriptione, qua non solum nomen suum exprimit, verum etiam insuper indicat, Codicem hunc a se emptum *Coronatis septendecim*. In hoc igitur Codice Sambuci, non attribuitur Collectio seu Coagmentatio istius Catenæ *Olympiodoro Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiacono*, ut falso credidit Paulus Comitolus, sed *Niceta Metropolita Heracleensi*, ut ex supra dicto titulo Græco videre est. Huc quoque accedit authoritas duorum Codicum MSS. Bibliothecæ Bodleianæ, ex quibus eadem *Catena* sub ejusdem *Nicetæ* nomine à CL. V. Francisco Patricio serenissimi Regis Magnæ Britanniæ Bibliothecario, Londini an. 1637. Græce simul & Latine in fol. edita est. Tertio denique notandum est, ab hac Nicetæ Catena in Jobum, diversam eaque vetustiorem & ampliorem esse alteram illam *Catenam in Jobum*, Lib. 3. horum Commentariorum pag. 19. in recensione Codicis MS. Theologici Græci VII. memoratam: quamvis ibi etiam frequentissima *Olympiodori* mentio fiat, & Πϱοθεωϱίαι ejusdem, hoc est *Hypotheses* sive *Argumenta*, singulis libri Jobi capitibus eleganter maiusculis literis præfixæ sint.«

Authores tamen Catalogi Manuscriptorum Angliæ Codicum, qui Oxonii duobus in folio voluminibus anno 1698. impressus prostat, hunc in *Jobum* Commentarium pag. 57. tomi primi columna 2. huic Olympiodoro adtribuunt his verbis: *Numero 750. Codicum Manuscriptorum Guilielmi Laudi 108.* Olympiodorus Philosophus in Platonis Phædonem, Græce fol. 2. Ejusdem in Philebum Platonis, Græce pag. 128. *Numero 751. Guilielmi Laudi 109.* Catena Græcorum Patrum in Librum Job, per *Olympiodorum* &c. cum picturis, fol. Item ibidem *Numero 3016. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii*, Rotulis in Archivo A. Codice 27. *Olympiodori Diaconi Commentarius in Job*, Græce fol. An ex fide MSS. Angliæ Codicum, an ex impressis Comitoli id egerint ipsi videant.

Jam ad Philosophica veniamus. *Commentaria Græca Olympiodori in Meteora Aristotelis*, anno 1551. Venetiis in fol. edita, ut testatur Thomas Hydius in Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis Bodleianæ, verbo *Olympiodorus*. Extat quoque *Olympiodorus in Gorgiam & Alcibiadem Platonis* MS. in fol. inter MSS. Codices Bibliothecæ Lugdunobatavæ, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum impresso pag. 396. num. 13. Item *Olympiodorus de statu animæ à corpore separatæ*, ibidem MS. in fol. in charta, ex eodem Catalogo pag. 397. num. 17. seu potius *Olympiodorus in Platonis Phædonem sive Dialogum de immortalitate animæ.* Eadem hæc Opera in Regia Galliarum Bibliotheca, nam ut habet Carolus du Cange in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 1707. verbo Φωνὴ, in Codice Regio 2112. habentur Scholia εἰς τὸν τῦ Πλάτωνος Γοργίαν, & in Codice D. Hautini εἰς τὸν Ἀλκιβιάδην τῦ αὐτῦ ἀπὸ φωνῆς Ὀλυμπιοδώρυ τῦ μεγάλυ Φιλοσόφυ. Denique in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, extant Codice MS. Philosophico Græco XX. num. 1. ut habet Lambecius Lib. VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 51. *Ex Olympiodori magni Philosophi Alexandrini ore*, sive *Prælectionibus vivæ vocis*, *Scholia in Platonis Alcibiadem primum*, sive *Dialogum de Natura humana*: ab anonymo aliquo ejus Discipulo primum excerpta, deinde autem ab alio quodam incognito authore ex Procli & Damascii scriptis locupletata, & in formam justorum Commentariorum redacta, cum inserta Platonis vita. Item in eodem Codice num. 2. & 3. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 53.

53. *Ex ejusdem Olympiodori ore, sive Prælectionibus, Scholia in Platonis Phædonem sive Dialogum de immortalitate animæ, & in Philebum sive Dialogum de Voluptate vel de summo bono.* Item ibidem in MS. Codice Græco Philosophico XXI. num. 1. ut habet Lambecius ibidem pag. 54. *Ex ejusdem Olympiodori ore, Scholia in Platonis Gorgiam sive Dialogum de Rhetorica.* Denique ex ejusdem Olympiodori Scholiis in Platonis Gorgiam sive Dialogum de Rhetorica, extant Scripta quædam in Codice MS. Philosophico Græco LXXVII. num. 2. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 125. Et *ejusdem*, ut videtur, *Olympiodori Prolegomena generalia in universam Platonis Philosophiam*, in capita undecim divisa, extant in eodem Codice MS. Philosophico LXXVII. num. 3. ut habet Lambecius pag. 129. Hæc nobis dicenda de *Olympiodoro* suppeditarunt, Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliothecæ sanctæ* pag. 277. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Olympiodorus*. Petrus Lambecius in Commentariis *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* Lib. 3. pag. 19. & 27. lib. 5. pag. 62. 63. & 64. Lib. 7. pag. 51. 53. 54. 125. & 129. quem exscripsimus.

990. OECUMENIUS ætatis etiam admodum incertæ Scriptor Græcus, de quo altum silentium apud veteres, quem post annum 800. tantum claruisse constat, hic non incongruè ad annum 990. Olympiodoro adjungitur, donec certam illius ætatem assequi liceat. Porro ut in fronte Commentariorum præmittitur, nomina authorum ex quibus contexuit *Explanationem suam in Novum Testamentum*, hæc sunt. *Papias, Clemens, Methodius, Dionysius, Irenæus, Origenes, Hippolytus, Athanasius, Eusebius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Acacius, Isidorus, Photius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Severianus, Gennadius, Aretas, Andreas Cæsariensis, Cyrillus, Theodoretus.* Cum igitur ex citatis authoribus *Andreas Cæsariensis* qui in MSS. Codd. inscribitur, anno circiter 842. scripserit, & *Photius* anno 880. ut constat floruerit, cum Aretas anno circiter 920. extiterit: rectè meo quidem calculo Scriptorem hunc Cavus quem sequimur, ad annum 990. collocasse videtur. Extant ipsius *Enarrationes in Acta Apostolorum, in Epistolas Sancti Pauli omnes, & in omnes Canonicas*, quas sequitur *Commentarius Aretæ in Apocalypsim*. Edita *Commentaria Oecumenii & Aretæ* primum Græcè typo prorsus insigni Veronæ in folio anno 1532. à Donato Veronensi, dicata Clementi Papæ VII, quæ ibidem recusa anno 1562. Horum versionem in linguam Latinam aggressus est Lovanii anno 1545. Joannes Hentenius, Mechiliniensis Belga, Monachus Hieronymianus, quæ Parisiis anno 1547. in fol. prodiit. Denique Græcè & Latinè Parisiis 1631. 2. Tomis in folio. Agunt de *Oecumenio* Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi eum anno 1077. collocat. Sixtus Senensis Libro 4. *Bibliotheca sancta* pag. m. 277. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri* verbo *Oecumenius*. Thomas Hydius in Catalogo *Bibliothecæ Bodleianæ Oxoniensis*, verbo *Oecumenius*.

S. FULBERTUS CARNOTENSIS EPISCOPUS, vitæ sanctimonia & eruditione sua ætate clarissimus, Guillelmi Aquitanici Ducis favore, primum Pictaviensis Ecclesiæ S. Hilarii Thesaurarius factus, ut fragmentum *Historiæ Aquitanicæ* refert. Idemque leges apud Ademarum Cabanensem in *Chronico*. Insignis vita & eruditione, lucernaque ardens à Domino Ecclesiæ Gallicanæ candelabro accensus, Roberti Regis Christianissimi cui gratissimus erat, authoritate, Carnotensis Episcopus post Rodolfum creatus est, à Lietherico Archiepiscopo & Metropolitano consecratus, quemadmodum ipse Fulbertus affirmat *Epistola 23.* ad eundem. *Multum amoris atque fidelitatis, tibi Pater me debere censeo, per cujus manum, benedictionem & sacram unctionem accepi.* Is autem Episcopalem gradum assecutus, libertates Ecclesiasticas egregie tutatus est, ut passim variis Epistolis significat, quas ad Pontifices Maximos, Reges & Episcopos scripsit, quarum nonnullæ extant ad Franconem Parisiensem Præsulem, *De extirpandis è manu laica beneficiis.* Et apud Joannem Pontificem Maximum graviter conqueritur de Rodulfo Comite, jurium Ecclesiæ suæ pervasore sacrilego, auxilium Apostolicum implorans: *Magna*, inquit Fulbertus, *& præclara Ecclesia pusillus Episcopus.* Episcopatum ut diximus, favore Roberti Regis, cujus partes contra Constantiam Reginam gnaviter sectatus est, adeptum fuisse apparet ex Epistola ad eundem, qua de Godefridi Vicecomitis violentia adversus Carnotensem Ecclesiam, sic conquestus est. *Pietatem vestram cum tum fletu cordis & mentis genua flexi precamur, succurrite sanctæ Dei Genitricis Ecclesiæ, cui nos fideles vestros quantum possumus, licet indignos præesse voluistis: quorum à vobis solummodo post Deum, in his quæ ingeruntur molestiis, consolatio & respiratio funditus pendet.* Suam vero humilitatem adstruit his verbis *Epistola 68.* ad Odilonem Abbatem Cluniacensem. *Deces pater, ut tu quoque vicissim me suum servulum de te pendentem, teque non sine magna fiducia respectantem, sacris intercessionibus adjuves. Sum enim valde miserabilis homo, qui cum ad propriam non sufficerem, ad publicam curam, nescio qua seu ratione seu temeritate perductus sim.* Quanta vero amicitia inter ipsum & Odilonem prædictum fuerit, docet Monachus Sylviniaci hæc scribens in Vita Odilonis. *Hoc nomine* (Archangeli Monachorum) *censebat eum appellandum in suis Sermonibus & Epistolis, Fulbertus ille sibi præcordialis amicus, Carnotensis Episcopus, in sanctitate laudabilis, in sapientia mirabilis, in cujus morte stadium Philosophiæ in Francia periit, & gloria Sacerdotum pene decidit.* Quod autem nonnulli 1000

eum

eum Roberti Regis fuisse Cancellarium scribunt, probationis id documento destituitur: cum revera potius Cancellarius tantum Carnotensis Ecclesiæ fuerit. Porro cum anno 1020. Vrbs & Basilica conflagrassent, fundamenta Ecclesiæ Dei Genitricis Fulbertus jecit, eademque miro lapideo fornice & tabulatu perfecit: quo quidem insigni opere præcipuam apud posteros nominis sui propagavit famam, pecunias suppeditante imprimis Anglorum Rege. Hoc discimus ex Willelmo Malmesburiensi Lib. 2. „*De Gestis Anglorum* his verbis. Rex Cnuto ad „transmarinas Ecclesias pecunias mittens, maxi„me Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbertus Episcopus, in sanctitate & Philosophia„ „nominatissimus. Qui inter cætera industriæ „suæ documenta, Ecclesiæ Dominæ nostræ san„ctæ Mariæ, cujus fundamenta jecerat, summam „manum mirifico effectu imposuit, quam etiam „pro posse honorificare studens, musicis modu„lationibus crebro extulit. Quanto enim a„more in honorem Virginis anhelaverit, pot„erit conijcere, qui audierit cantus cælestia vota sonantes." Extat inter cætera opuscula ejus, Epistolarum volumen, in quarum una gratias agit Cnutoni magnificentissimo Regi, quod largitatis suæ viscera in expensas Ecclesiæ Carnotensis effuderit. Sacratissimæ vero Dei Genitricis Mariæ servus addictissimus fuit, cujus laudes peculiari libro edidit, à qua remuneratum tradunt. Dum enim morbo correptus esset, eadem per visum apparens Virgo, sacra ubera ipsi sugenda aperuit, ut Alberius longe tamen ab hoc tempore remotus, testis est in *Chronico* ad annum 1022. *Florebat Fulbertus Episcopus sanctitate & Philosophia nominatissimus, qui fundamenta sanctæ Ecclesiæ Dei Genitricis jecit, & eadem perfecit miro lapideo tabulatu, qui etiam ab eadem Dei Genitrice in infirmitate sua visitatus esse dicitur, & de ejus lacte sanctissimo recreatus. Hic enim multo amore & felicissimo in honorem beatæ Mariæ virginis, Dei genitricis exarsit: quod ostendunt cantus quos de ea ille edidit, cælestia vota sancientes. Inter cætera ejus Opera, extat Epistolarum volumen.* Et Willelmus Malmesburiensis Lib. 3. *De gestis Anglorum*, idem testatur, locutus de Berengario Andegavensi Archidiacono, suo olim in Schola Carnotensi discipulo. *Berengarius plane, quantumvis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Quod Episcopum Carnotensem Fulbertum, quem Domini mater olim ægrotum lacte mamillarum suarum visa fuit sanare, prædixisse ajunt. Nam cum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentibus sufficeret, ille inter oppositas catervas, oculo rimatus Berengarium, nisu quo valuit expellendum censuit: protestatus immanem draconem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu & illico anhelitu corrumpere.* Hæc stupenda posteri mirentur magis, quam credant ex ore duorum istorum testium. Demum è vivis excessit anno 1029. die 10. Aprilis. In quibusdam MSS. anno 1028. in æde Sancti Petri in Valle, tumulatus dicitur: magna sanctitatis & doctrinæ opinione passim commendabilis, quam utique deprædicant Glaber memoratus, Chronica & Auctores plurimi. Fulberti Epitaphium, tale in MS. Codice reperitur. *Anno ab Incarnatione Domini 1028. 4. Idus Aprilis, obiit dilectus Deo & hominibus Pater noster veneranda memoria Fulbertus, sui tempestatis Pontificum decus, lux præclara mundo à Deo data, pauperum sustentator, desolatorum consolator, prædonum & latronum refrænator, vir eloquentissimus & sapientissimus, tam in divinis, quam in liberalium artium libris. Qui ad restaurationem sancti Templi suæ Diœcesis, quod ipse post incendium à fundamento reædificare cœperat, bonam partem auri sui & argenti reliquit. Et disciplina ac sapientiæ radiis locum illum illuminavit, & Clericis suis multa bona fecit.* Item hæc Carmina de eodem leguntur,

concessit

Quem tibi Carnotis, concessit fons bonitatis,
Doctrinæ fluvium duplicis egregium,
Pontificum Sydus, Fulbertus fulgidus actu,
Vestis pauperibus, victus & assiduus:
Inclusus jacet hic, factus de pulvere pulvis,
Et præstolatur surgere cum reliquis.
Virtutum cultor, vitiorum mortificator,
Auxiliante Deo, perstitit à puero,
Bis denos annos, atque unum, dimidiumque,
Virgo Maria tuæ præfuit Ecclesiæ.
Ingressurus erat Phœbus, post lumina septem
Taurum, cum mœstum deseruit populum.

Ejus Opera singulatim impressa Parisiis an. 1608. tum postea immissa in tomum XI. *Bibliotheca Veterum Patrum* editionis Coloniensis an. 1618. ubi leguntur *Epistolæ CXXXIV. Sermones quidam. Canon de Pœnitentia mulierum. Hymni aliquot cum prosis. Tractatus adversus Judæos negantes hanc Jacob morientis Prophetiam,* Non auferetur sceptrum de Juda &c. *in Christo Domino fuisse impletam.* De quibus Bellarminus & Labbeus, quorum in supplementum addimus extare ejusdem Fulberti *Epistolam de rebus Ecclesiæ religiose & caute distribuendis*, tomo 2. *Spicilegii* Lucæ Dacherii, pag. 827. editionis Parisiensis. Ejusdem quoque nomine apud Surium in *Probatis Sanctorum vitis* ad diem 13. Decembris p. mihi 989. *Vita Sancti Auberti Cameracensis Episcopi*, quam etsi mutilam Surius ediderit, integram tamen habent Fratres ejus Abbatiæ, quæ nomen ipsius in urbe Cameracensi præfert, ut scribunt Sammarthani Fratres tom. I. *Gallia Christiana* in Archiepiscopis Cameracensibus, p. 233. Item ad eundem Fulbertum Carnotensem Episcopum spectat, *Sermo de Assumptione*

beata Maria Virginis, qui extat inter Opera divo Augustino suppositas, in Sermonibus suppositis, *Sermone* CCVIII. col. 343. novissimæ editionis quam procuraverunt his temporibus, Patres Benedictini Galli, congregationis sancti Mauri. Denique ejusdem egregium invenimus *Tractatum* in illud Actorum 12. Vers. I. *Misit Herodes Rex manus &c.* MS. in Bibliotheca Longipontis, Cisterciensis Ordinis in Episcopatu Suessionensi, quem anno 1692. Lugduni Batavorum edidimus in 8. apud Petrum Van der Meerche, sub hoc titulo, *Veterum aliquot Gallia ac Belgii Scriptorum Opuscula sacra:* idque ne lapsu temporum interiret. Agunt de Sancto Fulberto, Baldericus Noviomensis Episcopus, in *Chronico Cameracensi* Lib. I. cap. 77. Henricus Gandavensis, qui ab eo authore Catalogum suam incipit, *Fulbertum liberalium artium suo tempore peritissimum, virum religiosum, & erga beatam Virginem devotissimum* celebrans. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri*, verbo *Fulbertus* &c. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Aubertus Miræus in Notis ad librum Henrici Gandavensis, *De Scriptoribus illustribus*, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 43. pag. mihi 341. Sammarthani Fratres tomo 2. *Gallia Christiana* in Episcopis Carnotensibus pag. 485. quos heic ordine tantum mutato, verbotenus expressimus.

1000. ADALARDUS Monachus Blandiniensis, & Bridferthus Saxonicus Sacerdos, *Vitam S. Dunstani* ante Osbernum, eodem circiter tempore literis consignarunt. Ille opus suum S. Elphego, Bridferthus Elfrico Archiepiscopo nuncupavit. Hunc fuisse Bridferthum, Monachum Ramesiensem, Abbonis discipulum Mabillonius conjicit in *Actis Benedictinorum* Sec. 5. pag. 654. Bridferthum quidem Baleus Cent. 2. cap. 35. laudat, & sancto Dunstano coævum fuisse refert, sed Vitam Dunstani ab illo scriptam nequaquam memorat. Hanc *Dunstani Vitam* à Bridfertho scriptam ediderunt Successores Bollandi Antwerpiensis in *Actis Sanctorum* Tomo 4. Maij p. 345. 346. anno 1685. ad diem XIX. Maij, apud Michaelem Cnobarum. Inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ num. 6682. in MSS. Codicibus Eliæ Ashmolii extat *Compotus Latinorum ex Græcorum, Hebræorum, Ægyptiorum, & Anglorum, per Bridfrithum Ramesiensem*, qui anno 980. claruit, Latine & Saxonice, literis Saxonicis. Membrana in 8. 328. Idem Opus ibidem Codice 7420. Membrana, 314. Extitit penes eosdem *Vita ejusdem ab Adalarde*, jussu S. Elphegi Archiepiscopi scripta, & in XII. Lectiones ad matutinum recitandas distincta, quæ Compendium est quasi Vitæ superioris. Præfatur Adalardus in opere suo, *Responsoria Lectionibus suis & Lectiones respondere Responsoriis suis.* Responsoria in Codice decerant Antwerpiensi, habentur in Codice MS. Bibliothecæ Lambethanæ, ex quo Epistolam dedicatoriam Adalardi ad Elphegum, edidit Henricus Varthon Tomo 2. *Angliæ sacra* pag. 148. Utramque Vitam penes se Osbernus habuit, quando Librum ejusdem argumenti suum contexuit. Aliam utraque elegantiorem, ante sua tempora intercidisse dicit. Extat autem in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Neronis Littera C (Codice 7. num. 11. *Vita sancti Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis per Adalardum, Blandiniensis Cænobii Monachum*, qui illum Sancto Elphego ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo inscribit. Cum autem S. Elphegus anno 1006. ad Cantuariensem sedem promotus, anno 1012. è vivis excesserit: inter hanc annorum designationem, Adalardus opusculum istud conscripsit. Agit de hoc Adalardo Henricus Varthon quem exscripsimus, in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ sacra* num. V. pag. 9. ubi de Scriptoribus Vitæ Sancti Dunstani.

OSWALDUS WIGORNIENSIS MONACHUS, ordinis divi Benedicti, natione Anglus circa annum 1000. floruit, temporibus nimirum Ælfrici Cantuariensis Archiepiscopi, qui sedem hanc tenuit ab anno circiter 995. ad annum 1006. quo mortuus dicitur. Oswaldus autem scripsit revera, *Vitam Sancti OSWALTI PRIMUM WINTHONIENSIS EPISCOPI*, postea etiam *EBORACENSIS ARCHIEPISCOPI*, cognomento *ODONII*, qui anno 977. juxta Eisingrenium, juxta alios anno 990. vixit: quæ quidem non pugnant, cum multis annis tum Ecclesiam Wintoniensem, tum Metropolim Eboracensem tenuerit anno 962. ad Ecclesiam Winthoniensem electus, anno 979. vel circiter ad Eboracensem, ubi mortuus anno 992. die XV. Octobris. Hujus Sancti Antistitis Vitam scripsit Oswaldus ille Monachus, quem noverat, & quæ MS. extare dicitur in Bibliotheca Cottoniana, Ælfrici Cantuariensis Archiepiscopi tempore (ut propria manu illic annotavit Jacobus Usserius Armachanus Archiepiscopus) circa annum Domini 1005. scripta. Extat autem sub effigie Neronis, litera E Codice 1. num. 1. Meminit hujus Scriptoris Carolus du Cange in Catalogo Scriptorum, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* col. 156. Vita autem ista impressa dicitur apud Surium Tomo V. ad diem XV. Octobris, teste Antonio Possevino, tomo 2. Apparatus sacri, quam sive Oswaldus Wigorniensis monachus, sive alius Monachus anonymus composuerit, constat scriptam esse post mortem Abbonis Floriacensis Abbatis, quæ anno 1004. idibus Novembris contigit, cujus nimirum mentionem facit. 1000.

OTHLONUS FULDENSIS MONACHUS, hoc eodem tempore clarus, scripsit inter annum 999. & 1008. *Vitam ac* 1000.

Gesta

Gesta Sancti Pyrminii seu Firminii, qui Meldensis vel juxta alios, Metensis Episcopus fuit, S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo familiaris, ac patrocinio Theodorici Calæ & Caroli Martelli in prædicando Evangelio usus fuerat: ut constat ex Othloni cap. 1. & 13. atque ex iis quæ commemorat Marcus Welserus Lib. V. *Rerum Boicarum*. Dicavit hanc Vitam Liudolfo Trevirensi Archiepiscopo, qui ex Goslariensi Regali Ecclesia, ad hoc fastigium anno 999. pervenerat, atque anno 1008. decessit, ut ex Hermanno Contracto in *Chronico* cognoscimus, qui illum & *virum doctum* appellat. *Vitam* autem hanc *Sancti Firminii*, ut & aliorum illustrium Germaniæ Virorum Vitas, cum Annotationibus in lucem produxit Christophorus Brouwerus, soc. Jesu Theologus, in Opere inscripto, *Sydera Germaniæ*. Hujus Vitam alii etiam ante Othlonum scripserant, sed negligentius, qua de re sic in prologo Othlonus conqueritur, *Quæ fuerint Præsulis ab ineunte ætate rudimenta, quibus in adolescentia sanctitatis rutilaverit floribus, vel quibus per omnem juventutem, usque ad promotionem Pontificatus excreverit virtutum insigniis: nimium culpanda Scriptorum incuria notare neglexit. Pauca duntaxat, qua sub Pontificatus tempore gessit, obscura exarata reperimus: ipsa si Christus opem dederit, evidentius atque operosius exprimere studebimus.* Othlonus (idem an alter, ambiguum est) Fuldensis quoque Monachus, natione Germanus, illustrandis *Gestis Sancti Bonifacii* operam suam contulit, conquisitis ac relatis ad id Epistolis ipsius Bonifacii & aliorum, quæ Vitæ illius illustrandæ pertinere videbantur. Nomen *Othloni* quod diu latuerat, primus Henricus Canisius in Manuscripto Codice Monasterii Rebdorfiensis, in hæc verba deprehendit: *Incipit prologus venerabilis Presbyteri Othloni & Monachi Cœnobii Sancti Bonifacii in Vitam ipsius.* Ita enim ominatus est vocem initialem *M.* Canisius, quasi *Monachum* Coenobii Sancti Bonifacii designaret. Fuisse enim hunc *Othlonum Vita Sancti Bonifacii ex Epistolis compositorem*, Monachum, ex præfatione satis liquet: dum non solum *Fratres suos Fuldenses* vocat, sed semetipsum illosque *& intimos & mundo spectaculum factos* dicit. Ambigit tamen Mabillonius, an Fuldensis Cœnobita fuerit, quia Fuldenses Monachos in præfatione alloquens, *Cœnobium nostrum* nominat, quod de proprio sibi Cœnobio non dixisset: sed fuisse ex aliquo Monasterio sub sancti Bonifacii tutela & nomine, quippe quem *Patronum nostrum* appellat. Verum omnem tollere videtur ambigendi ansam, ubi *Fratres suos Fuldenses* vocat. *Vitam* hanc quam Othlonus in libros duos distinxit, edidit primus Henricus Canisius tomo 4. *Antiqua* Lectionis: atque post ipsum Joannes Mabillon Seculo III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 1. & sequentibus. Othlonum autem hunc arbitratur circa finem Seculi XI. vixisse, vel circa initium Seculi XII. quem & alium quoque esse ab Othlono authore *Vita Sancti Pirminii*, ob styli diversitatem, censet Christophorus Brouwerus in *Syderibus Germaniæ*, Moguntiæ anno 1616. impressis, quem consulere quisque poteit. Mihi magnæ suspiciones, unum eundemque Othlonum Fuldensem Monachum, esse authorem & *Vitæ Sancti Pirminii Episcopi*, quam Brouwerus edidit: & *Vitæ Sancti Bonifacii* ex ejusdem Epistolis conflatæ libris duobus, quos Canisius literario orbi obtulit. De *Othlono Fuldensi Monacho* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. mihi 333.

BVRCHARDVS WORMATIENSIS EPISCOPVS, natione Germanus, patria Hassus, & primum Lobii in Belgio Monachus & Olberti Lobiensis Monachi & Abbatis postea Gemblacensis discipulus, anno 996. Olberto magistro instante Episcopus Wormatiensis Ecclesiæ electus est, in qua resedit usque ad annum 1025. vel 1026. quo mortuus est. 1000.
Sigebertus in *Chronico* ad annum 1008. refert *collaborante Magistro suo Olberto Abbate, viro undequaque doctissimo*, magnum Canonum volumen *edidisse*: & in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 141. hæc de eo refert, *Burchardus Episcopus urbis Wangionum qua dicitur Wormatia magnum Canonum volumen, quod a nomine ipsius Burchardus denominatur, multo studio composuit, quod testimoniis omnium authenticorum Conciliorum & Decretis Romanorum Pontificum & sententiis omnium pene Catholicorum Patrum auctorizavit, ex quo adhuc omnium Conciliorum decreta authorizantur.* Ea quæ de auxilio Oberti ad Compilationem hanc faciendam *in Chronico* scripserat, confirmat in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* in Olberto cap. 142. verbis istis: *Buchardus Episcopus Wormatiensis, ejus Olberti magisterio ad hoc provectus, ut ita Ecclesiastica utilitati intenderet, & ejus studio, ore & manu* illud magnum Canonum volumen, *ad communem omnium utilitatem ederet.* Vbi & quibus auxiliantibus Burchardus hoc perfecit opus, docet auctor Anonymus, qui vitam ejus post obitum scripsit, cum Decreto ipsius editam. *Forestus sylva est*, inquit, *duobus milliaribus à Wormatia distans, abietibus abundans, & hanc palus limosa ex una parte ambiendo circumcingit, in cujus medietate collis pulcherrimus consistit, ad quem vir Dei se transferri præcepit: & quia mundanos tumultus devitare voluit, arboribus fruticibusque succisis, collem explanavit. Ibi quoque primum fecit oratorium, deinde aliis officinis peractis, cellam egregiam construxit. Illuc se post concilia regiaque colloquia, & post curam Synodalem diversosque mundi strepitus receperat. Ibi quoque negotiis secularibus post tergum projectis, totis viribus in obsequio Dei studebat. Eodem quippe tempore, in Collectorio Canonum in hac cella non modicum laborabat. Nam Domino Walterio Spirensi Episcopo adjuvante, & Brunichone Præposito exhortante & suggerente*, Canones *in unum corpus collegit.*

legit. Non pro ulla arrogantia, sed ut ipse dixit, quia Canonum jura pœnitentiumque judicia in Episcopatu suo omnino fuerant neglecta ac destructa: hoc vero Corpus seu Collectorium distinxit, & in viginti libros distribuit. Idem in Præfatione operis sui testatur. „Cum in sua diœcesi, Canones „& pœnitentium jura confusa, imo discrepantia „videret: ut aut ex toto neglecta, aut omni pe„ne auctoritate destituta, vel modice in Eccle„siastica disciplina institutis apparere potue„rint: rogatu Brunichonis Præpositi Ecclesiæ „Wormatiensis, cœpit congerere & digerere „jura Ecclesiastica ad utilitatem suæ Ecclesiæ, „ob negligentiam & inscitiam ut ipse loqui„tur) sacerdotum. Fontes autem & partes sui operis, ipse in fine Præfationis memoratæ ostendit.

„Synodalia, inquit, præcepta, sanctaque in„stituta, tam ex sanctorum Patrum sententiis, „quam ex Canonicis scriptis, adjutore Deo in „unum fascem ex amplissimo orbe collegi, ea„que ut potui uno veluti corpore connexa, vi„ginti libris distinxi. Et quibusdam interjectis, „Quantis autem hoc laboribus atque vigiliis „præstiterim, Deus Optimus judicabit, quem „quod pro nostræ Ecclesiæ necessitate fecerim, „non latet. Quare etiamsi nostræ Provinciæ „limites non exierit, nihil omnino aegre fere„mus, modo nostrorum Ministrorum manibus „teratur. Porro legentibus etiam id persua„sum esse cupimus, nihil de meo in hoc opere „additum esse, sed ex divinis testimoniis scri„pturarum (quænam hoc tempore hic & supra „divinæ scripturæ & Canonica scripta dicta fue„rint, id proh dolor statim patebit) singula esse „decerpta, ea sane fide, ut perpetuam aucto„ritatem habitura non dubitem. Ex quibus „autem scriptis selegerim, ordo sequens indicat.

Ex Canonibus qui *Corpus Canonum* vocantur.
Ex Apostolorum Canone.
Ex transmarinis Conciliis. Intelligit Orientalia.
Ex Conciliis in Germania, Gallia, Hispania celebratis.
Ex Romanorum Pontificum Decretis.
Ex Evangelicis, Apostolicisque Scripturis.
Ex Veteri Testamento.
Ex libris Sancti Gregorii. Ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Benedicto, Basilio Magno, Isidoro.
Ex pœnitentiali Romano. Ex pœnitentiali Theodori. Ex pœnitentiali Bedæ.

Distinxit Burchardus Opus suum in libros viginti, quorum quilibet sua Capita seu Canones habet: quodlibet autem caput est tantum unius, cuique autem Canoni summarium seu titulus prænotatus legitur. Summam librorum hanc Burchardus ipse præmisit.

Primus liber continet de potestate & primatu Apostolicæ sedis, Patriarcharum, cæterorumque Primatuum, Metropolitanorum, & de Synodo celebranda & vocatione ad Synodum. De accusatis, & accusatoribus, & testibus. De exspoliatis injuste, De judicibus, ac de omni honore competenti, ac dignitate, & diverso negotio, & ministerio Episcoporum.

Secundus liber continet de congruenti dignitate, & diversa institutione, ac nutrimento vel vitæ qualitate, & diverso negotio & ministerio Presbyterorum & Diaconorum, seu reliquorum ordinum Ecclesiasticorum.

Tertius Liber continet de divinarum domorum institutione & cultu & honore. De decimis & oblationibus, & judiciis singulorum, & qui libri in sacro Catalogo recipiantur, qui vero apocryphi, & quando apponendi sint.

Quartus Liber continet sacramentum baptismatis, & ministerium baptizandorum & baptizatorum, & consignandorum & consignatorum.

Quintus liber continet de sacramento corporis & sanguinis Domini, & de perceptione & observatione eorum.

Sextus liber continet de homicidiis sponte & non sponte commissis, & de parricidio & de fratricidiis, & de illis qui uxores legitimas, & seniores suos interficiunt, & de occisione Ecclesiasticorum, & de observatione & de pœnitentia singulorum.

Septimus liber continet de incesta copulatione consanguinitatis, & in quo geniculo fideles & conjungi & separari debeant, & de revocatione & de pœnitentia singulorum.

Octavus liber continet de viris & fœminis Deo dicatis, & sacrum propositum transgredientibus, & de revocatione & pœnitentia eorum.

Nonus liber continet de Virginibus & viduis non velatis, de raptoribus earum, & de separatione eorum. De conjunctione legitimorum connubiorum, de concubinis, & de transgressione, & pœnitentia singulorum.

Decimus liber continet de incantatoribus, de auguribus, de divinis, de sortilegis, & de variis illusionibus diaboli: & de maledicis & de contentiosis, & de conspiratoribus, & de pœnitentia singulorum.

Undecimus liber continet de excommunicandis & excommunicatis, de furibus & de deprædatoribus. Et de præsumptione & contemptu, & negligentia, & reconciliatione & pœnitentia eorum.

Duodecimus liber continet de periurio, & de pœnitentia ejus.

Tertius decimus liber continet de veneratione & observatione sacri jejunii.

Quartus decimus liber continet de crapula & ebrietate, & de pœnitentia eorum.

Quintus decimus liber continet de Imperatoribus, de Principibus, & de reliquis Laicis & de ministerio eorum.

Sextus decimus liber continet de accusatoribus, de judicibus, de defensoribus, de falsis testibus, & de pœnitentia singulorum.

Septi-

Septimus decimus liber continet de fornicatione & incestu diversi generis, & de pœnitentia utriusque Sexus & diversæ ætatis.

Octavus decimus liber continet de visitatione & pœnitentia & reconciliatione infirmorum.

Nonus decimus liber qui *Corrector* vocatur, continet correctiones corporum & animarum medicinas, & docet unumquemque sacerdotem etiam simplicem, quomodo vel qualiter unicuique succurrere valeat, ordinato vel sine ordine, pauperi, diviti, puero, juveni, seni, decrepito, sano, infirmo, in omni ætate, in utroque sexu.

Vigesimus liber *Speculationum* vocatur, speculatur enim de providentia & de prædestinatione divina, & de adventu Antichristi, de ejus operibus, de Resurrectione, de die judicii, de infernalibus pœnis, & de felicitate perpetuæ vitæ;

Hæc Summa Librorum viginti quos continet *Decretum* Burchardi Wormatiensis Episcopi.

Opus Decretorum Burchardi editum est primum Parisiis anno 1499. & iterum Coloniæ Agrippinæ anno 1548. in 8. denique Parisiis anno 1549. Comportavit Burchardus in *Collectionem* hanc quisquilias omnes ex Isidoro Mercatore, seu Decretalibus ejus epistolis suppositis, quod illum magno judicio non esse usum, apertum indicium est. Specimen exhibebunt sequentia exempla, quæ clarissimus vir David Blondellus in Prolegomenis *Pseudo-Isidori & Turriani vapulantium* cap. 18. accurate collegit.

„Assumit igitur ex *Pseudo-Clementis Epist.* 1.
„libro 1. cap. 124. 125. 126. 127. 133. 137. &
„155. lib. 2. cap. 94. libro 6. cap. 28. lib. 14.
„cap. 16. *Ex Epistola* 2. lib. 3. cap. 216 lib. 5. cap.
„11. & 14. *Ex Epistola* 3. lib. 2. cap. 93. lib. 3.
„cap. 59. lib. 4. cap. 15. Ex *Pseudo-Anacleti pri-*
„*ma* lib. 1. cap. 4. & 59. lib. 2. cap. 154. lib. 3.
„cap. 71. 77. lib. 11. cap. 18. *Ex Epistola secunda*
„lib. 1. cap. 1. & 15. lib. 2. cap. 5. Ex *tertia* lib. 1.
„cap. 136. 152. 178. Ex *Pseudo-Evaristi secunda*
„lib. 1. cap. 76. 99. 34 40. lib. 2. cap. 9. Ex *Pseu-*
„*do-Sixti primi secunda* lib. 3. cap. 214. Ex *Pseudo-*
„*Alexandri prima* lib. 1. cap. 129. 130. 132. lib. 2.
„cap. 52. lib. 5. cap. 5. Ex *Pseudo-Telesphori Epi-*
„*stola* lib. 3. cap. 63. Ex *Pseudo-Hygini priore* lib.
„1. cap 65. Ex *Pseudo-Pii secunda* lib. 11. cap. 29.
„Ex *Pseudo-Aniceto* lib. 2. cap. 28. 63. Ex *Pseudo-*
„*Soteris Epist. posteriore* lib. 3. cap. 215. Ex Pseu-
„do-Eleuthero lib. 16. cap. 30. Ex *Pseudo-Vi-*
„*ctoris priore* lib. 1. cap. 176. lib. 4. cap. 3. Ex
„*Pseudo-Zephirini priore* lib. 1. cap. 154. lib. 16.
„cap. 13. Ex *posteriore* lib. 2. cap. 3. Ex *Pseudo-*
„*Callisti priore* lib. 11. cap. 38. Ex *Posteriore* lib. 1.
„cap. 66. 80. 135. 171. lib. 3. cap. 49. lib. 7. cap. 1.
„lib. 10. cap. 64. Vide & librum 9. cap. 7. Ex
„*Pseudo-Vrbano* lib. 3. cap. 3. & 143. lib. 1. cap.
„1. Ex *Pseudo-Antero* lib. 1. cap. 77. lib. 4. cap.
„66. Ex *Pseudo-Fabiani secunda* lib. 1. cap. 147.
„148. *Ex tertia* lib. 1. cap. 183. lib. 2. cap. 10.
„Ex *Pseudo-Cornelii secunda* lib. 1. cap. 193. lib.
12. cap. 12. 19. Ex *Pseudo-Lucio* lib. 1. cap. 54.“
lib. 11. cap. 19. Ex *Pseudo-Stephani priore* lib.“
1. cap. 173. Ex *Posteriore* lib. 1. cap. 142. 161.“
177. & lib. 16. cap. 19. Ex *Pseudo-Sixti secun-*“
di posteriore lib. 1. cap. 143. 192. Ex *Pseudo Dio-*“
nysii secunda lib. 3. cap. 43. Ex *Pseudo-Felicis*“
primi prima lib. 1. cap. 157. 169. lib. 16. cap. 11.“
Ex *secunda* lib. 1. cap. 174. Ex *Pseudo-Euty-*“
chiano lib. 5. cap. 7. Ex *Pseudo-Cajo* lib. 1. cap.“
139. Ex *Pseudo-Eusebii prima* lib. 1. cap. 138.“
165. Ex *secunda* lib. 11. cap. 25. 27. Ex *tertia*“
lib. 4. cap. 63. Ex *Pseudo-Melchiadis priore* lib.“
3. cap. 2. 4. 5. Ex *Posteriore* lib. 1. cap. 2. lib.“
4. cap. 61. Ex *Pseudo-Marco* lib. 1. cap. 98. Ex“
Pseudo-Julii secunda lib. 1. cap. 144 170 Et ex“
Prima lib. 1. cap. 175. Ex *Pseudo-Felicis secundi*“
priore lib. 1. cap. 141 163. 167. 180. 221. 222.“
lib. 16. cap. 11. Ex *Pseudo-Damasi quinta* lib. 1.“
cap. 153. 156. 171. 179. lib. 16. cap. 31. Ex“
Pseudo-Anastasii priore lib. 3. cap. 103 & ex *po-*“
steriore lib. 19. cap. 129. Ex *Pseudo-Felicis quar-*“
ti secunda lib. 3. cap. 57. 58. Ex *Pseudo-Joannis*“
secundi priore lib. 3. cap. 32. Ex *Pseudo-Pela-*“
gii secundi nona lib. 3. cap. 69. Ex *Pseudo-Gre-*“
gorii Epist. ad Felicem lib. 7. cap. 19. Ex *Pseudo*“
Deus dedit lib. 17. cap. 44. Præterea multa a-“
lia nescio unde hausta congerit, quæ tribuit“
Evaristo lib. 3. cap. 17. lib. 18. cap. 16. *Alexan-*“
dro lib. 1. cap. 59. lib 19. cap. 100. *Sixto* lib 4.“
cap. 46. *Hygino* lib. 3. cap. 11 21 39. lib. 4.“
cap. 24. *Pio* lib. 3 cap. 72 124. lib. 5. cap. 27.“
47. lib. 6. cap. 37. lib. 8. cap. 18. lib. 12 cap. 4.“
15. lib. 15. cap. 10. lib. 19. cap. 63. *Aniceto* lib. 5.“
cap. 29. *Soteri* lib. 3. cap. 73. 74 lib. 5. cap. 20.“
44. lib. 12. cap. 18. *Zephyrino* lib. 8. cap. 40.“
Callisto lib. 18. cap. 2. *Fabiano* lib 4. cap. 1. lib.“
5. cap. 17. 24. 25. 36. lib. 7. cap. 21. lib. 9. cap.“
30. lib. 10. cap. 59. 60. lib. 12. cap. 40. lib. 13.“
cap. 8. *Eutychiano* lib. 1. cap. 91 92. 93. 94 lib.“
5. cap. 35. lib. 8. cap. 17. lib. 9 cap. 59. 60. lib.“
11. cap. 30. lib. 12. cap. 14. lib. 14. cap. 2. 3.“
10. lib. 19. cap. 105. *Marcello* lib. 3 cap. 139.“
Eusebio lib. 3. cap. 99. lib. 8. cap. 19. lib. 9 cap.“
13 lib. 13. cap. 17. lib. 14. cap. 7. lib. 18. cap.“
11. lib. 19. cap. 110. *Lucio* lib. 19. cap. 69. *Ju-*“
lio lib. 2. cap. 127. lib. 3. cap. 1. 204. lib. 5.“
cap. 1. libro 7. cap. 7. lib. 9. cap. 18 lib. 18. cap.“
21. *Liberio* lib. 13. cap. 13. 14. 18. *Felici* lib. 1.“
cap. 51. lib. 16. cap. 5. lib. 19 cap. 62. *Dama-*“
so lib. 1. cap. 25. *Bonifacio* lib. 1. cap. 73. 131.“
184. 202. lib. 3. cap. 26. lib. 11. cap. 17. *Silve-*“
rio lib. 3. cap. 23. lib. 5. cap. 19. lib. 13. cap. 12.“
Pelagio lib. 12. cap. 9. Citavit etiam *Præfatio-*“
nem Pseudo-Isidori lib. 1. cap. 42. Hæc colle-“
git doctissimus David Blondellus in *Prolegome-*“
nis nempe *Pseudo-Isidori & Turriani vapulanti-*“
um cap. 18.

Agunt De *Burchardo Wormatiensi Episcopo* Sigebertus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capp. 141. & 142. Henricus Pantaleo in *Prosopographia illustrium virorum totius Germaniæ*, parte 2. pag. mihi 46. editionis Basileensis anno

1565. apud Nicolaum Brylingerum, in fol. Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri* verbo *Burchardus Wormatiensis Episcopus*. Gerardus von Mastricht in *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii* num. 248. ad 254. pag. 280. ad 291. editionis, Doesburgi 1676. & Amstelodami 1686. in 8. Guilielmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 996. pag. 593. Londinensis editionis 1686. in folio.

1000. ANONYMUS *MENELOGII GRÆCORUM VETERIS* conscriptor, quem Guilielmus Cavus parte I. seu Tomo I. *Historia litteraria* Basilio Macedoni Græcorum Imperaturi anno 867. pag. 556. attribuit, parte autem Historiæ ejusdem 976. pag. 319. claruisse asserit: quippe qui illud jussu Basilii Imperatoris, non Macedonis, qui anno 867. solus regnare cœpit: sed Basilii Junioris alterius, Romani Imperatoris filii, qui imperium anno 975. obtinuit, scribere aggressus est: id quod tum ex Jambis operi præfixis liquet, quibus

Ἄναξ, ὅλης γῆς ἥλιος, τῆς πορφύρας
Βασίλειος τὸ θρέμμα τῆς ἁλουργίδος.

Basilius dicitur, quod de Macedone dici nequit: tum quod in ipso opere Sánctorum quorundam fit mentio, qui longe post Basilium Macedonem vixerunt. Primus qui mentionem Menologii hujus fecisse videtur, ipse Cæsar Baronius Cardinalis & Annalium Ecclesiasticorum parens, ex fide MS. Codicis Græci Vaticani, cujus αὐτόπτης fuit, de quo loquitur *Annalium* Tomo X. ad annum 886. Num. 14. his verbis, quibus Basilio Macedoni Imperatori illud erronee adscripsit.

„Ad eundem Basilium rursum spectat, ne „quid prætermittamus antiquitatis, quod scri„bendum curavir & augendum, *Græcorum Me„nologium*, quod etiam exornavit imaginibus, „quibus singulorum SS. exprimerentur certa„mina. In cujus fronte, ejusmodi scriptum in„venimus Iambicis versibus epigramma, in „scripto Codice Vincentii Pinelli, Patavio ad „nos Ferrariam, dum illic essemus cum Ponti„fice, misso.

Basilius Imperator hujus climatis,
In pace præstans, atque rebus bellicis,
Fecit volumen, sicut alterum Polum
E pellibus pactum, sequens ex ordine
Pulchras ferens imagines ut Sydera.

„Extat autographum ipsius Basilii volumen, „imaginibus magni pretii decoratum, per dies „singulos, singulosque Sanctos, de quibus men„tio habita in versibus. Vidimus & legimus „nobis concessum à Paulo Sfondrato Sanctæ Ce„ciliæ Cardinali, nepote Felicis memoriæ Gre„gorii Papæ decimi quarti &c. Ex quibus ver„bis constat hunc MS. Codicem Græcum venisse in manus Cardinalis Sfondrati, ex Bibliotheca aliqua Græca, ubi Opus erat integrum totius anni in duo volumina per sex menses distinctum, cujus una pars deperiit.

Nullus autem est qui majori pompa de hoc MS. Codice Græco Vaticano loquitur, quam qui habuit atque discussit, & Baronii errorem correxit, Leo Allatius, in Opusculo *De libris Ecclesiasticis Græcorum*, de quibus proinde duplicem Dissertationem instituit, ad Gabrielem Naudæum unam, ad Joannem Aubertum alteram, Parisiis anno 1645. in 4. editas. Ista Dissertatione 1. pag. 83. 84. 85. 86.

„Codex Græcus MS. Leone Allatio judice pag. 84. αὐτόγραφος est, prout jam extat, Semestre tantum Hyemale complectitur, nempe à mense *Septembri* ad *Februarium* inclusive, altera anni parte vel deperdita, vel nondum è tenebris eruta. Scriptus est in folio grandi pergameno, affabre perpolito, forma quasi quadrata, characteribus elegantissimis, capitalibus literis miro efformatis. Singularum paginarum pars superior, nomina Sanctorum istius diei repræsentat: alterius dimidia scripta compendio Sanctorum gesta, altera autem imaginibus coloribusque non ineleganter sub oculos ponit. Miniatura excellit, prout pictoris cujusque ars, ingenium, vel studium ferebat. Plures enim erant, qui imaginibus à se depictis nomina sua in margine Libri expresserunt. Venerandum hoc Ecclesiæ Græcæ monumentum Constantinopoli advectum, in Ludovici Sfortiæ possessionem cessit, postea in familiam Sfondratorum transiit, demum à Paulo Sfondrato Cardinali, Paulo V. Pontifici donatum, ab eoque solemni inscriptione ornatum, in Bibliothecam Vaticanam illatum est. Plura de hoc libro scire qui voluerit, adeat Leonem Allatium, & qui ex Allatio sua pene omnia desumpsit, Ferdinandum Vghellum in Præfatione. Codicem Græcum Latine reddidit Petrus Arcudius Corcyrensis. Arcudii versionem edidit Ferdinandus Vghellus *Italia Sacra* Tomo VI. pag. 1049. Hæc de MS. Codice Græco Vaticano, Leo Allatius.

Quamvis autem juxta Allatium αὐτόπτην, Codex Græcus Vaticanus in folio, menses tantum sex à Septembri ad Februarium inclusive contineret: duo tamen alii Codices MSS. Græce integri hujus operis, ut ex collatione constitit, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, anonymi inter MSS. Codices Theologicos Græcos inventi sunt, de quibus Lambecius libro V. *Commentariorum* hujus Bibliothecæ his verbis loquitur.

„Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Lib. V. Codice MS. Theologico Græco CCX. Num. 4.

Quarto & quidem à fol. 16. pag. 1. usque ad fol. 31. pag. 2. Menologium Græcorum seu Calendarium Sanctorum more Græcorum ab initio Septembris, usque ad finem Augusti. Principium ejus est, Μὴν Σεπτέμβριος ἔχων ἡμέρας λ΄. ἡ ἡμέρα ἔχει ὥρας ιβ! καὶ ἡ νὺξ ὥρας ιβ! εἰς τὴν ἀ΄ Ἀρχὴ τῆς Ἰνδικτυ, καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ Στυλίτου, καὶ σύνα-

ξις

„ξις τῆς ὑπὲρ ἁγίας Θεοτόκυ τῶν Μιασινῶν. Operæ pretium fuerit *Menologium* hoc diligenter „conferri cum altero, ejusdem generis *Menologio Græco* ab Henrico Canisio ex Bibliotheca & „interpretatione Cardinalis *Guilielmi Sirleti* Latine tantum edito Tomo 2. *Antiqua Lectionis* „à pag. 730. ad pag. 941.

„Codice MS. Theologico Græco CCXCVII. „Num. 23. Vigesimo tertio & quidem à fol. 132. „pag. 1. usque ad folium 139 pag. 2. & à fol. „159. pag. 1. usque ad folium 167. pag. 2. Ano„nymi cujusdam auctoris Menologium Græ„cum totius anni ab initio mensis Septembris, „usque ad finem mensis Augusti, cujus titulus „& principium: Μηνολόγιον σὺν Θεῷ ἁγίῳ τῦ „ὅλυ ἐνιαυτῦ. Μὴν Σεπτέμβριος ἔχων ἡμέρας „τριάκοντα. ἡ ἡμέρα ἔχει ὥρας ιβ, καὶ ἡ νὺξ ὥρας „ιβ. Εἰς τὴν πρώτην ἀρχὴ τῆς Ἰνδίκτυ, ἤτοι τῦ „νέυ ἔτυς, καὶ μνήμη, τῦ ὁσίυ Πατρὸς ἡμῶν Συ„μεὼν τῦ Στυλίτυ, καὶ ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας „Θεοτόκυ τῶν Μιασηνῶν, καὶ &c.

Sunt autem falsæ citationes horum MSS. Codicum quas allegavit Guilielmus Cavus, in Dissertatione *De libris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 47. verbo Μηνολόγιον. „Extat Græce MS. ab „initio Septembris usque ad finem Augusti, „Bibliothecæ Vindobon. Codice Theologico „CXCV. & Codice CCXLVII. Num. 4. fol. 16. „in quibus Codicibus nihil de Menologio Græcorum agitur, quod sæpius Cavo accidisse animadverti.

Atque ex his MSS. Codicibus Jesuitæ Antwerpienses, qui Vitas Sanctorum à Bollando inceptas prosequuti sunt, Menologii istius menses *Martium*, *Aprilem*, *Majum* & *Junium*, magno omnium eruditorum gaudio, Græce & Latine ediderunt, unde parum abest, quin integrum jam editum habeatur.

In eandem venit cum Leone Allatio sententiam de hujus Menologii ætate, Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Glossario mediæ & infimæ Græcitatis verbo Μηνολόγιον col. 926. „Menologium Liber Ecclesiasticus Græcorum, „qui Latinis vulgo *Martyrologium* dicitur, in quo „Sanctorum vitæ quolibet die per totum an„num summatim exponuntur, vel certe nomina „recitantur, ex quo non semel quæ ibi haben„tur, in Μηναίᾳ referuntur. Ejusmodi sunt Me„nologium ex versione Cardinalis Sirleti edi„tum Tomo 2. *Antiquarum Lectionum* Canisii. „Μηνολόγιον Basilio Porphyrogenito Bulgaro„ctono imperante, ejusque jussu exaratum, „quod asservatur in Bibliotheca Vaticana, un„de excerpta sunt quæ describuntur in Actis SS. „Bollandianis, & de quo copiose egit Allatius „in Dissertatione 1. *De Libris Ecclesiasticis Græco„rum* pag. 83. 84. 85. 86. Denique Menologi„um ex Menæis Græcorum erutum, in lin„guam vernaculam versum à Maximo Mar„gunio Cytherorum Episcopo, Venetiis ab An„tonio Pinello an. 1549. in 4. editum. Item „in Indice Auctorum Græcorum editorum ad calcem Glossarii col. 55. Menologium seu Syn-„ axarium Basilii junioris Porphyrogeniti im-„ peratoris jussu collectum, apud Bollandum in-„ Martio, Aprili &c.„

Opus istud factum sub Basilio Porphyrogenito nominis II. qui cum fratre suo Constantino IX. simul imperium ab anno 975. ad 1024. usque per annos 50. tenuerunt, & non antea, ut vult Cavus, qui parte 2. *Historia Literaria* p. 319. hunc Anonymum anno 976. seu primis hujus Basilii junioris initiis assignat. Scriptum itaque videtur circa annum 1000. & hujus quinquaginta annorum intercapedinis medium. Observat autem idem Cavus Tomo 1. seu Parte 1. *Historia literaria* in Basilio Macedone ad annum 867 pag. 556. Anonymum hunc, seu Menologium istud non parum discrepare ab aliis Græcorum Menologiis, sive eo quod Latine habetur apud Canisium Tomo 2. *Antiqua Lectionis* pag. 731. sive eo quod in Menæis Græcorum inseritum reperitur, seu eo denique quod in linguam Græcorum vernaculam à Maximo Margunio Cytherorum Episcopo versum, prodiit Venetiis 1549. in 4 apud Antonium Pinellum. Hæc ex Historia Cavi ut plurimum, qui de hoc Menologio tribus in locis agit, parte 1. *Historia literaria* in Basilio Macedone ad annum 867. pag. 556 & parte 2. ejusdem ad annum 976. pag. 319 & Dissertatione *De Libris & Officiis Ecclesiasticis Græcorum* verbo Μηνολόγιον pag. 47. unde pleraque paucis immutatis vel emendatis, accepimus.

Quod autem supra dixi de falsis citationibus Gulielmi Cavi in opere De *Historia literaria*, hoc frequens esse reperi, dum citationes cum originalibus locis conferrem. Ita ad annum DCI. p. 442. partis primæ editionis Londinensis, ubi de Joanne Malala Patriarcha Antiocheno quem falso anno DCI. claruisse affirmat, inquit ejus nomine & ex eo quædam proferre *Joannem Tzetzem Chiliade V. Historia 29. 30.* quæ illic quæsita inventa non sunt: habentur autem apud eundem *Chiliade 2. Historia 33.* Item in *Joanne Sancti Montis Sina Monacho*, scribit ad eundem hunc Joannem *Metaphrasim metricam Sancti Symboli*„ cujus principium, Πιστεύω Θεὸν εἰς ἕνα καὶ Πα-„ τέρα αὐτογένεθλον &c. extare ibidem in Bibliotheca Vindobonensi MS. Græce Codice Theo-„ logico CXXVIII. Num. 8. fol. 229. iterum Co-„ dice CCXLIII. Num. 3 folio 1. pag. 2. Sed ali-„ is plane in locis habentur in Bibliotheca Cæ-„ sarea Vindobonensi, juxta Lambecium Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ Codice MS. Theologico Græco CCLXXVII. Num. 3. Tertio & quidem fol. 1. pagina 2. Joannis„ Monachi Metaphrasis metrica Sancti Symboli,„ cujus titulus & principium, Ἰωάννυ, μοναχῦ„ Μετάφρασις εἰς τὸ ἅγιον Σύμβολον, Πιστεύω εἰς„ ἕνα Θεὸν καὶ Πατέρα αὐτογένεθλον &c. Codice„ MS. Theologico Græco CCCXX. Num. 8 O-„ ctavo & quidem fol. 229. pag. 1. & 2. Joannis„ Monachi Metaphrasis metrica Sancti Symboli,„ cujus

„cujus titulus & principium, *Ἰωάννου Μοναχοῦ Μετάφρασις τοῦ Συμβόλου, Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, καὶ Πατέρα αὐτογένεθλον* &c. Vide etiam supra pag. 224. ubi agitur de Codice 277. Num. 3. Hinc conjicimus Gulielmum Cavum adiutrices alterius manus in opere suo adhibuisse, quæ ipsi male auxiliatæ sint.„

1000. VFFINGVS WERTHINENSIS MONACHVS, qui & *Vffo Frisius*, à Suffrido Petri „*De Scriptoribus Frisiæ* Decade 7. cap. 5. circa annum millesimum claruisse dicitur. Hic post Othelgvimum, familiarem S. Ludgeri discipulum, item post Alfridum tertium Monasteriensem Episcopum, descripsit *Vitam S. Ludgeri*: quem secutus est ejus Vitæ quartus scriptor, S. Bernardi *σύγχρονος*, qui Carmine idem præstitit, ut posteà dicemus. Ex quatuor hisce, Vitam sancti Ludgeri se concinnasse agnoscit Joannes Cincinnius in *Præfatione* sua ad Monachos S. Ludgeri in Monasterio Werthinensi: ubi & *Vffingum* hunc *virum multæ eruditionis & elegantiæ* appellat. Is liber Coloniæ à Quentelio excusus fuit, ante annos centum & quod excurrit. Inque eadem editione, reperio & *Vffingi* hujus carmen in laudem Monasterii Werthinensis, cujus initium.

Singula de propriis, si gaudent mœnia Sanctis &c.

„Scripsit & *Vitam Sanctæ Idæ Viduæ*, quæ est apud Surium tomo IV. ad diem 4. Septembris, atque item tomo VII. eopse die. Cæterum Suffridus Petri testatur *Vffingum* reliquisse quoque *Historiam Sancti Lucii Britanniæ Regis*, atque addit extare etiamnum MSS. Codices ejus, quos videre mihi hactenus non contigit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 41. pag. m. 334.

SEC. XI.

1010. SYRVS CLVNIACENSIS MONACHVS, Ordinis divi Benedicti, discipulus Sancti Majoli hujus Ecclesiæ Abbatis qui anno 994. die XI. Maji mortuus est: quemque merita postmodum ad anonymæ Abbatiæ regimen extulerunt, scripsit circa annum 1010. *Vitam Sancti Majoli Cluniacensis Abbatis, Libris tribus, ad Sanctum Odilonem Cluniaci Abbatem, Majoli ejusdem successorem.* Aitid operis à se susceptum fuisse, Warnerio sanctæ recordationis Monacho flagitante, qui Syro ante perfectum istud opus in Italiam misso: ipse in Alsatiam directus, Opus imperfectum detulerat, quod ab Syro reverso postea completum est. Opus istud variis Carminibus & interpolamentis ab Aldebaldo Monacho mixtum, Bollandistæ ad diem XI. Maji mensis ediderunt, sed ab omni extraneo purgatum Joannes Mabillon, Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 786. ex Manuscripto Codice Collegialis Ecclesiæ Sancti Martialis Lemonicensis erutum. Habet nonnulla de *Syro* isto, in *Elogio Historico S. Majoli* cap. 1. pag. 760. idem Mabillon loco citato, ubi de Scriptoribus *Vitæ ejus* & laudatoribus agit.

MEGENFRIDVS seu MEGINFRIDVS 1010. FVLDENSIS MONACHVS, natione Germanus, floruisse legitur temporibus Othonis II. & III. & Henrici II. qui Othoni III. successit, nomenque suum posteris per Opuscula non contemnenda, quæ utplurimum interciderunt, commendaverat. Extabat adhuc Trithemii temporibus insigne *Chronicon Megenfridi De Abbatibus Fuldensibus usque ad sua tempora*, ut idem se vidisse & habuisse testatur Trithemius in *Chronico Hirsaugiensi* his verbis. „Claruit etiam his temporibus Meginfridus Monachus Fuldensis Chronographus, qui velut rosa inter spinas, ita studiosus & doctus inter desides, carnales, ignarosque Monasterii sui Monachos, clarus emicuit. Is inter cætera ingenii sui Opuscula, *Historiam sui Monasterii* ab origine diligenter complexus, Abbates singulos secundum ordinem temporis sibi ad invicem succedentes inseruit, & uniuscujusque gesta breviter annotavit. Eorum quoque Cœnobiorum, quibus vel Monachos ex Fuldensi missos novit, vel Abbates, pari ratione meminit: quorum & successiones Abbatum, & memorabilia facta interserendo, compendiose descripsit. Ex cujus viri Laboribus, multa me fateor, in hoc Opere nostro *De Hirsaugiensi historia*, necessario commiscuisse. Atque hujus Scriptoris meminit etiam, aliis ejusce operis locis: itemque in Vita S. Maximi Episcopi Moguntini, apud Surium ad diem 28. Octobris, ubi sic de eo scribit. *Presbyter Maximus in Episcopatu succedens, præfuit annis, ut Megenfridus refert in Chronicis, quatuor & viginti.* Ibi ad oram annotantur ista: *Is Megenfridus fuit Monachus Fuldensis, sub Imperatoribus Ottone II. & III. scripsitque Historiam, Libris XXIV.* Neque quod hic de Ottone II. & III. dicitur, adversatur ei, quod eum ad Henrici II. ætatem anteà retulimus: nam uti Ottonum temporibus vixit, ita & Henrici II. ætate, qui Ottoni III. successit. Scripsit quoque *Vitam Sancti Emmeramni Ratisponensis Episcopi*, quam habes apud Henricum Canisium tomo 2. *Antiquæ Lectionis*, Arnolfo Comiti Vogburgensi, tum posteà Monacho in Abbatia Sancti Emmerami Vrbis Ratisponensis dedicatam. Omisit hunc Scriptorem Cavus, de quo plura Henricus Canisius loco citato. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo 2. p. 101. Gerardus Joannes Vossius quem hic transcripsimus, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 42. pag. mihi 337.

TANGMARVS ECCLESIÆ HILDES 1010. HEIMENSIS PRESBYTER, BIBLIOTHECARIVS ET NOTARIVS, quem Guilelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* omisit, iisdem temporibus claruit. Hic

Ge-

Gesta Bernwardi, Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi decimi tertii scripto commisit, qui anno Christi Salvatoris nostri 993. ad hanc dignitatem promotus fuerat, ac trigesimo post anno, Christi nimirum 1023. naturæ debitum solvit, die 20. Novembris. Fuit autem *Tangmarus* Bernwardi hujus præceptor, quem & ubi ille ad Episcopale fastigium promotus fuerat, in Italica peregrinatione comitatus fuit: quod clarè eâ ex Vitâ dilucet, quam ad Manuscripta Exemplaria diligenter collatam edidit Christophorus Brouwerus societatis Jesu Theologus in *Sydtribus Germaniæ*, anno 1616. Moguntiæ. Epistola igitur, qua Vita istæc Sifrido nuncupatur, plane alterius authoris est. Nam Sifridus hic, ille omnino est è nobili de Quernenvorde familiâ, antea Magdeburgensis Ecclesiæ Decanus ac Canonicus, postea autem trigesimus tertius Episcopus Hildesheimensis, quem anno 1280. honorem adeptus est. Nec tamen *Vitam Bernwardi* omnem *Tangmarus* scripsit, si fidem ex iis quæ habemus, fieri oportet. Nam desinit in *Controversia*, quæ inter Bernwardum & Aribonem Moguntinum Archiepiscopum, de Gandesheimensi Ecclesia erat. Quibus expositis, in Veteri Codice, qui ad minimum ante annos CCC. scriptus est, disertim legas apud Brouweri editionem accuratam, *Explicit TANGMARVS.* Qui fortasse ubi eousque pervenerat, è vivis excessit: nam alterius saltem sunt, quæ postea narrantur, *D: condita ab eo Abbatia seu Monasterio Sancti Michaelis*, itemque *De quinquennali ejus morbo, atque instituto Monastico & obitu.* Cæterum cum de *Vita Bernwardi* loquimur, non eam intelligimus, quam interpolatam edidit Laurentius Surius tomo 6. de *Probatis Sanctorum vitis*, ad diem 20. Novembris, quia vix illa *breviarii* nomen meretur; sed istam quam Christophorus Brouwerus è Codice Hildesheimensi, in illustribus *Germania Syderibus* anno 1616. Moguntiæ edidit. Eandem hanc *Vitam S. Bernwardi XIII. Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi* recudendam curavit Godefridus Guilielmus Leibnitius inter *Scriptores Brunswicensium rerum illustrationi inservientes* pag. 441. ad 469. quos anno 1707. in folio Hanoveræ edendos curavit apud Nicolaum Foersterum. Pluribus de ea Leibnitius citatus in *Introductione* præmissa Scriptoribus istis paragr. seu cap. XXXI. Hæc de *Tangmaro* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 43. pag. m. 339. quem huc transtulimus. Plura Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, Seculo Sexto, parte 1. p. 202. editionis Parisiensis apud Carolum Robustel 1701. in folio.

1010. ARNOLFVS EX VOGBVRGENSI COMITE, SANCTI EMMERAMI RATISPONENSIS MONACHVS, quem Cavus quoque omisit in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, claruit iisdem temporibus, circa annum 1010. Megenfrido nimirum contemporaneus, qui Vitam Sancti Emmerami Ratisponensis Episcopi, de quâ paullo ante locuti sumus, ipsi dicatam reliquit. Cum insignem vero nobilitatem generis atque opes abundantes, Arnolfus cum paupertate & vili schemate Monachorum, in Abbatia Sancti Emmerami Ordinis divi Benedicti commutasset: ut suam erga Patronum Ecclesiæ pietatem, non esse cæteris inferiorem testaretur, *Libros duos de Miraculis Sancti Emmerami* composuit vir devotus & credulus, quos è tenebris MSS. Codicum eduxit Henricus Canisius tomo 2. *Antiquæ Lectionis*, post Opusculum Meginfredi, de quo supra, impressos. Hujus cum laude meminerunt, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, verbo *Arnolfus Comes*. Joannes Mabillon in *Elogio Historico Tutonis Ratisponensis Episcopi*, Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 108. Et ibidem in Observationibus præviis ad *Acta Sancti Wolfgangi Ratisponensis Episcopi*, pag. 811. Hunc *sui temporis fidelissimum Scriptorem* appellat Cæsar Baronius tomo *Annalium XI.* ad annum millesimum primum. Quem verò *Arnolfum* dixi, vocat *Arnoldum* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, cap. 5. pag. mihi 699.

ANDREAS LEVCANDER, natione Anglus, professione Monachus primum Ramesiensis Cœnobii, ordinis divi Benedicti apud Girvios, cujus & Abbas tertius extitit. Hic circa annum 1020. clarescebat, regnante apud Anglos Canuto Dano, qui vocatur Possevino *Lernander* sed corrupte, cum non à lerna id nominis acceperit: sed Græcum plane nomen Λευκανδρος exprimat, quasi Latine *Album Caput* nuncupamus. Joannes Lelandus appellat *Andream Leucandrum*, Anglice Whitehead, *Abbatem Ramesiensem*, quo nomine linguâ patriâ vocabatur, uti de conterraneo suo tres Angli tradiderunt, Lelandus, dico, & post illum Joannes Balæus, ac post utrumque Pitseus: non autem Withman, ut Gerardus Joannes Vossius quem hic sequimur, inquit. Dicitur pietatis ergo Hierosolymam adiisse ac *de suo itinere sacro* librum composuisse, cujus rei fides penes Vossium sit. Consignavit autem, uti Lelandus & Balæus scribunt, *Vitam Sancti Ivonis nationis Persica* in Britannia sepulti, cujus corpus Ailwinus Ostro-Anglorum Comes quæsiverat, ac posteà Ednotus primus Ramesiensis Abbas Cœnobii, Slepiæ Girviorum repererat. Extat MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Tiberii Littera D. Codice 3. num. 67. *Vita S. Ivonis Episcopi in Perside* VIII. Kalendas Maji, & num. 68. *Inventio Sancti Ivonis* VIII. Kalendas Maji, per Andream Abbatem Ramesiensem, ut testatur Gotselinus, qui Bertinianus Monachus, lecto Leucandri librò, idem argumentum, elegantius postmodum tractavit. Agunt de Andrea Leucandro Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. n. 92. pag. 129. à quo postea Baleus & Pitseus acceperunt. Gerardus Joannes Vossius Libro *De Hi-* 1020.

Historicis Latinis cap. 42. pag. mihi 361. editionis ultimæ.

1020. DITHMARUS seu DITMARUS, MERSEBURGENSIS IN MISNIA EPISCOPUS, quem Cavus omisit, Sigefridi in Saxonia Comitis filius, ex matre Cunegunda Saxonicâ anno 976. natus est. Cum adolevisset, Monachus Cœnobii S. Joannis Magdeburgi sub Riddago Abbate factus fuit, mox Præpositus Wallibicensis, atque hinc procurante Henrico II. Imperatore, Wigberto in Episcopatu Merseburgensi anno Domini 1018. successit. Reliquit autem *Chronicorum Libros VII.* quibus Imperatorum quinque gesta prosequitur, Henrici 1. Ottonis 1. 2. 3. & Henrici 2. cujus temporibus vixit. Ordicur enim ille tantum Historiam suam ab Henrico humili, qui primus hoc nomine & in hujus narrationis ordine imperavit: unde emensis Ottone Magno, secundo & tertio sibi invicem succedentibus, usque ad Henricum secundum quem cognomine *Pium & Sanctum* vocamus, protenditur. Opus vero Chronicorum scribere aggressus fuit, anno Christi 1027. ætatis suæ 41. Episcopatus 10, uno duntaxat ante mortem anno: quemadmodum cognoscere est, ex eo qui paullo post Dithmari mortem, Vitam illius litteris commisit. Sincerissimum Scriptorem appellat, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Istud Opus impressum in folio Francofurti ad Mœnum anno 1584. cum Vita ipsius Ditmari, curâ & studio Reineri Reineccii. Inter *Rerum Germanicarum Historicos* varios in folio, iterumque eodem modo a. 1600. Francof. apud Wechelum, sed multis lacunis imperfectus. „Cedit autem ipsi magnæ laudi (ait Cardinalis „Baronius) quod etiam argumentis mille & „exemplis innumeris, egregie fidem Catholi„cam testatam reliquit, adversus suos Gentiles „apostatas, qui nostro hoc seculo ex antris emer„serunt. Et sane sincerissimus est Scriptor. Hæc Baronius. Cum autem annos 10. menses 7. & dies 7. sanctè præfuisset Merseburgensi Ecclesiæ, obiit anno Christi 1028. ætatis suæ 42. ipsis Kalendis Octobris, & in æde sacra Mersburgi sepultus est. Ad id porro quod de obitu *Dithmari* ipsius diximus, addunt alii illum venturæ mortis accepto divinitus nuntio, ex hac vita excessisse, eadem die qua se natum esse profitetur. Nos hæc pauca de illo ab Antonio Possevino, qui illius mentionem habet in *Apparatu sacro* tomo 1. verbo *Dithmarus* pag. 480. *Chronicon Ditmari* mutilum & imperfectum edidit, sed huic vulneri medicam manum adhibuit Godefridus Guilielmus Leibnitzius in Opere quod inscripsit *Scriptores Rerum Brunswicensium illustrationi inservientes* collecti cura Godefridi Guilielmi Leibnitii, Hanoveræ in folio sumptibus Nicolai Foersteri. Inter hos num. 28. *Ditmarus Restitutus*, seu *Ditmari Episcopi Merseburgensis Gesta Saxonum libris VIII.* quibus *Cæsarum ex antiqua domo Brunswicensi ortorum Historia continetur* pag. 323. ad 427. Num. 29. *Vita Ditmari* pag. 427. ad 430. Denique *Varia Lectiones & emendationes Ditmari* serius allatæ & annotatæ Num. 64. pag. 1005. In Introductione autem ad Collectionem Scriptorum Historiæ Brunswicensi inservientium, Num. XXIX. fatetur, beneficio Danielis Papebrochii Viri in Societate Jesu celeberrimi, plusquam dici potest meriti, ob Historiæ sacræ pariter ac profanæ cognitionem, factam esse sibi Codicis antiqui MS. copiam, in quo integrior quam in editis Ditmarus extabat, inde restitutum huic operi inseruisse, ingentesque lacunas multis in locis in editionibus omnibus anterioribus factas supplevisse: unde meritò *Ditmarus primum restitutus & integer* posteris dici posset. Harum lacunarum plurimas recenset dictus Leibnitius in *Introductione* ad *Collectionem istam* cap. seu §. XXIX. ad quam lectorem mittimus. Meminit & Paulus Langius, initio penè *Chronici Citizensis*: ac sæpius in *Saxonia* sua Georgius Fabricius. Plura de illo Reinerus Reineccius, qui Vitam *Chronico* præmisit. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* c. 5. p. m. 698.

OLBERTUS sive ABBERTUS ABBAS IV. Gemblacensis ac primus ad S. Jacobum apud Eburones, in Lederna villa, Sambrensis pagi confinio natus est, *vir moribus, religione, gemina scientia, bonis doctisque viris aut conferendus aut præferendus*, ut ait Sigebertus in Chronico ad annum 1012. A puero in Monasterio Lobiensi, Ord. S. Benedicti sub *Herigeri* Abbatis disciplina educatus, hinc Parisios ad S. Germani Cœnobium se contulit, ubi operam & studio & sanctæ religioni quæ ibi fervebat, contulit. Audivit & *Fulbertbum* Carnotensem Episcopum. Demum *Burchardum* postea Wormaciensem Episcopum sacris ipse litteris Lobiis erudivit, qui Præceptoris sui *Olberti* studio ore & manu, ante Ivonem & Gratianum *Decretorum & Canonum libros XX.* edidit, inquit Sigebertus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 143. Plura Sigebertus in libro *De Gestis Abbatum Gemblacensium*, unde hæc hausit Valerius Andreas. Scripsit eodem teste Olbertus *Vitas aliquot Sanctorum & Cantum de eorundem Gestis rebus Ecclesiasticum*. Extat *Vita S. Veroni Confessoris* ab eo, Raginerio Hannoniæ Comite rogante conscripta, MS. in Annalibus Jacobi Guisii, Montibus apud Franciscanos, & alibi, quam nuper edidit & scholiis illustravit Georgius Galopinus ad S. Gislenum Monachus Benedictinus anno 1636. Montibus apud Joannem Havart. Obiit Leodii anno 1048. pridie Idus Julii, conditus in D. Jacobi templo, cum hoc Epitaphio. 1010.

Hic jacet Abbatum speculum, decus & Monachorum,
Abbas Olbertus, flos Paradise tuus.
Præfuit Ecclesiis normati tramite Binis
Legia corpus habes, Gembla carendo doles.

Hæc

Hæc Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 706. editionis 1643. in 4. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. de Histor. Latinis cap. 41. pag. 352. cap. 44. p. 369.

1020 ARETHAS ECCLESIÆ CÆSAREENSIS IN CAPPADOCIA PRESBYTER, anno circiter 1020. claruit, altero ejusdem nominis & sedis Archiepiscopo annis centum recentior. Scripsit *Orationes duas insignes in Sancti Euthymii Patriarchæ Constantinopolitani translationem*, qui Nicolao Mystico anno 901. pulso, ad Constantinopolitanam Ecclesiam gubernandam evectus fuit, ut habet Cardinalis Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 901. oum. 2. Euthymius verò post mortem Leonis expulsus atque io exilium delatus, anno 911. in exilio mortuus est, ut idem habet Baronius ad annum 911. num. 18. Tandemque anno 920. Constantinopolim cum honore & pompa deportatus, ut narrat idem Baronius ad annum 920. num. 2. Habitæ autem homiliæ istæ noo anno 920. ut Baronius & Mainburgius perperam opinati sunt, sed *Eustathio primo Papa Novæ Romæ præsente*, id est, *Constantinopolitano Patriarcha.* Sedit autem post Sergium nominis secundum ab aooo 1019. ad annum 1025. quo Alexius electus est, juxta Chronologiam Patriarcharum Constantinopolitanorum. Has *Orationes Encomiasticas in translationem Sancti Euthymii*, Græcas habes in *Collectaneo Legendarum de Sanctis* Simeonis illius Metaphrastis: Latinas autem apud Aloysium Lipomanum Veronæ Episcopum fol. 96. & 100. editionis Venetianæ anno 1551. & sequeotibus. Habetur etiam ibidem Latioe fol. 102. sub nomine ejusdem *Oratio de Sanctis Martyribus Guria, Samona & Abibo*, & apud Laurentium Surium *De probatis Sanctorum Vitis*, Tomo 6. ad diem XV. Novembris. Eadem autem Græce absque oomine sui scriptoris extat, in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. Græco 2018. Cautè igitur distinguendus venit, ab altero Arutha Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopo, qui *in Apocalypsim Commentarium* scripsit, de quo ad annum 910. diximus.

1020 ADELBOLDVS sive ADELBODVS, quem Baronius in Annalibus ad annum 1024. *ADALBERONEM* vocat, ex Lobiensi Monacho Vltrajectinus Episcopus anno 1008. V. Nonas Maji factus est, cujus Vitam videre licet in *Chronico* Joannis de Beka, unde cognoscas Episcopum XIX. hujus sedis fuisse, pro quo perperam apud Valerium Andream, *Episcopum fuisse XXIX.* legas, atque obiisse anno 1027. V. Kalendas Decembris. Sigebertus in Chronico ad annum 1024. & in Catalogo Virorum illustrium cap. CXXXIX. testatur eum exarasse *Vitam Imperatoris Henrici II. cognomento Claudi, à quo & magno in pretio habitus fuerit. Etiam de Danis Turonam invadere volentibus, & alia quadam:* etsi eorum nec Sigebertus nec Trithemius mentionem faciant. Joannes autem de Beka nequidem *Vitæ Henrici II.* meminit, de qua latius posteà loquemur. Iterum *Vita S. Walburgis sub nomine Adelboldi Episcopi Vltrajectini*, edita inter *Probatas Sanctorum Vitas* Joannis Bollandi & Sociorum, Tomo 3. ad diem 25. Februarii pag. 542. De authore autem Godefridus Henschenius in Commentariis ad Vitam præviis paragr. 1. num. 7. pag. 512. his verbis. Inter Episcopos Vltrajectinos XIX. sedit Adelboldus anno MVIII. ordinatus, quem Vitæ hujus auctorem fuisse, utcunque illud persuadere videtur, quod præcipuum hujus Vitæ exemplar Vltrajecti servatum fuerit, quod in Ecclesiâ Tilenii S. Walburgis à se restauratâ, Collegium Canonicorum, ut infrà dicetur, collocarit: quod vir ipse litteratissimus *De laude sanctæ Crucis & Deiparæ Virginis, ac Vitam S. Henrici Imperatoris, & Sanctæ Walburgis scripserit:* quæ singula testatur Wilhelmus Heda in Historia Episcoporum Vltrajectensium, ubi de Vita S. Walburgis ista habet: *Referunt aliqui Adelboldum natione Frisium & nobilem extitisse, sed ego potius Batavum crediderim, cum fratrem ejus prope Tielam in Sanctvica habitasse constet, ex Vita D. Walburgis, quæ ab Adelboldo scripta erat.* Potuit hanc fratri suo inscripsisse, aut ejus saltem mentionem fecisse in *Præfatione*, quæ periit. Hæc Godefridus Henschenius loco citato. Jam ad *Vitam S. Henrici Imperatoris* eidem attributam redeamus. Hæc Vita ab Henrico Canisio & Laurentio Surio edita, sed mutila; quæ in Divis Bambergensibus à Gretsero editis, amplior, non iotegra tamen legitur, ubi Vitæ S. Othonis subjungitur. Estque etiam in Codice MS. inscriptio hujusmodi, *Vita Henrici Imperatoris ab Adelboldo Episcopo Trajectensi, ut creditur, scripta.* Vbi nonnihil scrupuli hæc verba, *ut creditur*, adjecta faciunt. Talis enim inscriptio etiam fuit, in MS. Codice quem ex Bibliotheca Vltrajectina habuit, nec unquam restituit, Arnoldus Buchellius JurisConsultus: *Vita Sancti Henrici Imperatoris Virginei, quam scripsit Adelboldus Trajectensis Episcopus, ut legitur in speculo Historiali:* unde colligas, Vitam hanc primum fuisse editam absque nomine auctoris. Alioqui enim non aliunde probatione opus erat, ut quis ejus libri parens esset, nosceretur. Convenit autem Codex ille Buchellii cum eo, quem primus exhibuit Henricus Canisius Tomo VI. *Antiquæ Lectionis* pag. 583. ac post eum Surius ad diem XIV. Julii. Nam & in hoc desiderantur *Bullæ Pontificum & literæ Henrici Imperatoris, & Miracula aliquot* sub finem operis, quæ omnia in Gretseri editione reperias. Godefridus Guilielmus Leibnitz edendos curavit anno 1707. in folio, Hanoveræ sumptibus Nicolai Foersteri *Scriptores Rerum Brunswicensium illustrationi inservientes*, inter quos *Vita Sancti Henrici Imperatoris ab Adelboldo conscripta* pag. 430. ad 441. Prolixam *Introductionem* huicce Collectioni præmisit, ac §. seu Cap. XXX. agit de *Adelboldo* qui *Vitam*

S.

S. Henrici Imperatoris fcripfit, quam refert ex MS. Codice Bibliothecæ Vindobonenfis à Tegnagelio ad Gretferum miffam, fed mutilam & imperfectam. Illam autem Adelboldi effe, ex Synchronifmo qui in ea apparet, rectè fe probare Leibnitius contendit, cujus rationibus facile cedo. Non immerito tamen in dubium vocatur, fitne ea Vita Adelboldi genuina, necne. Nam Adelboldus anno 1027. obiit, ut ex Beka anteà referebamus, quem etiam Trithemius in *Illuftribus Germaniæ Scriptoribus* fequitur. At author ille Henricianæ vitæ, narrat ut Henricus hic Imperator ab Eugenio III. anno 1152. Sanctorum honoribus adfcriptus fuerit. Quare vel dicere oportet, Vitam hanc à junioribus interpolatam effe, ut in aliis plurimis factum fuiffe conftat: vel non effe Adelboldi, fed recentioris cujusdam, fortaffe ut Gretferus fufpicatur, *Nonnofii Monachi*, à quo etiam *Vita Henrici hujus & Cunegundis uxoris* literis prodita fuit: ut ex *Annalibus Bambergenfibus* Martini Hofmanni conjicere licet. Hæc Gerardus Joannes Voffius lib. 2. *De Hiftoricis Latinis* cap. 42. pag. 359. editionis ultimæ, poft teftimonium Sigeberti *De Viris Ecclefiæ Illuftribus* c. 139.

1020 EPIPHANIVS MONACHVS ET PRESBYTER CONSTANTINOPOLITANVS, hoc eodem tempore circa undecimi Sec. initium, mihi claruiffe videtur. Nam Opufcula quædam fcripfit, poftquam multi alii de iisdem argumentis ante illum fcripferant, ut ipfe teftatur quæ MSS. in Biblioth. Varic. Græce extant. Nempe *Vitam Sancti Andreæ Apoftoli & ejus actiones & finem*, de qua Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus & eorum Scriptis* pag. 90. hoc titulo *Epiphanii Monachi & Presbyteri* Περὶ τοῦ βίου καὶ πράξεων καὶ τέλους τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἀνδρέου. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἀνεγράψαντο βίους &c. Item pag 106. Περὶ τῆς κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, πολλοὶ διεξῆλθον τῶν πάλαι διδασκάλων, *Epiphanii Monachi & Presbyteri*, titulus περὶ τοῦ βίου τῆς ἁγίας Θεοτόκου, καὶ τῆς ζωῆς αὐτῆς χρόνων. Vnde fua hauferit, fcribens poft tot alios, Ipfe in principio Operis fui enarrat: de quo diximus in *Joanne Theffalonicenfi Archiepifcopo Juniore* ad annum 850. Hic Epiphanius Monachus & Presbyter Conftantinopolitanus, mihi circa feculi XI. initium fcripfiffe cenfetur, eo quod Joannem Theffalonicenfem Archiepifcopum, Joannem alterum qui fe Theologum appellat, & Andream Hierofolymitanum Cretæ Archiepifcopum, feculi IX. Scriptores, ut antiquiores feipfo alleget. Mentionem faciunt hujus Scriptoris Gerardus Joannes Voffius lib. 4. *De Hiftoricis Græcis* cap. 18. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus* pag. 90. & 106. Petrus Lambecius Lib. IV. Bibliothecæ Cæfareæ Vindobonenfis p. 132.

BERTRADA feu BERTHA VILECENSIS MONACHA, quam Guillelmus quoque Cavus præteriit, foror Sancti Wolfelmi Abbatis Bruwilerenfis, in Cœnobio Vilecenfi virgo inclufa, Conradi quoque Secundi imperium, fanctitate fimul ac doctrinâ illuftrius reddidit. 1020 Hujus Bertradæ meminit Conradus Bruwilerenfis Monachus in *Vita Sancti Wolphelmi Abbatis Bruwilerenfis*, his verbis: *Extiterat huic beatiffimo viro frater germanus Frumoldus nomine, forores fanctimoniales duæ, quarum una Ofwendis nomine, miræ fimplicitatis & innocentiæ fuit fœmina: altera verò Berta nuncupata, literarum plurimum emicuit fcientia. Hac Vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecenfis Abbatiffæ, eleganti fatis ftylo confcripfit: & plurimum religionis vel fcientiæ fuæ fructum in eodem loco dereliquit.* Libellum ergo edolavit *De Vita Sanctæ Adelheidis* five *A cidis, primæ Abbatiffæ Vilecenfis*: quem cum prologo quoque Surius emifit, fed mutato ftylo ad diem 5. Februarii exhibet. Verum finceritate majori, ea exhibita à Joanne Bollando in *Actis Sanctorum*, Tomo 1. Februarii menfis p. 714. ad eandem Februarii diem, quem adeas. In hoc Opere teftatur ipfa, accepiffe quæ refert, ab illis quæ Adelheidis in terra agentis doctrina atque exemplis inftitutæ fuerant. In ipfa Vita commemorat, quomodo Adelheidis Monafterio S. Mariæ præfecta fuerit, atque id volente Heriberto Colonienfi Archiepifcopo: qui Heribertus obiit anno Henrici II. Imperatoris octavo, qui Chrifti MXXI. erat. Eadem ait *Henricum Imperatorem nuper fuiffe defunctum*, ubi fatis liquet eundem Henricum II. defignari, qui an. Chrifti MXXIV. deceffit. Ex his igitur conftat Bertradam vixiffe fub Conrado II. Imperatore, qui Henrico II. fucceffit. Vt fallatur neceffario Poffevinus, qui fub Othone illam claruiffe ait: quâ ratione dum ita nude loquitur, *primum* ejus nominis defignare videtur. At Otho III. jam obierat anno MII. Inter Othonem autem III. & Conradum II, Henricus annis XXII. rexit: fub cujus fucceffore Conrado II. eam vixiffe diximus. De *Bertrada* Gerardus Joannes Voffius Lib. 2. *De Hiftoricis Latinis* cap. 43. pag. mihi 342. quem hîc exfcripfimus. Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti* feculo fexto parte 1. pag. 137. editionis Parifienfis apud Carolum Robuftel a. 1701. in fol.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
ANASTASIO EPISCOPO ANTIOCHENO ET SINAITA, NOMINIS QUARTO, EJUSQUE OPERIBUS TAM IMPRESSIS, QUAM MANUSCRIPTIS IPSI ATTRIBUTIS.

CAPUT PRIMUM.

MULTOS FUISSE EJUSDEM NOMINIS SCRIPTORES, QUORUM OPERA UNI EIDEMQUE TEMERE ATTRIBUTA SINT. TANDEMQUE LAMBECIUM ADMITTERE, QUARTUM QUENDAM ANASTASIUM SINAITAM.

1020 HOc primum atque potissimum Scriptorum veterum collectoribus attendendum est, maxime dum scripta ista nonnihil continent, quæ cum iis quibus adscribuntur quadrare nullatenus possunt; annon plures ejusdem nominis Scriptores variorum temporum, antiquorum vel recentiorum fuerunt, quorum idem nomeo incautis imponens, occasionem præbuerit attribuendi uni atque eidem, quod pluribus diversorum temporum ejusdem nominis jure merito atque ex ipsa operum lectione attribui debet. Hujus attentionis defectu multa antiquioribus attributa, quæ ad recentiores ejusdem nominis spectare noscuntur, ipsis contra indebitam antiquitatem reclamantibus opusculis, antiquioribus quam par sit authoribus attributis. Ita Gerardus Vossius ille Tungrensis præpositus in editione operum Divi Gregorii Neocæsariensis Episcopi se gessit, attribuens multa Seniori Gregorio Neocæsariensi Episcopo seculi tertii Scriptori: quæ si recte expendisset atque varios Gregorios qui variis vixere temporibus & Scriptis inclaruere, excussisset: minus sane in hunc Seniorem indebita attribuendo se liberalem exhibuisset, reportata majore æquitatis fama; dum aliis Gregoriis quibus nullatenus repugnabant, indebita Seniori adscripsisset. Extitit alter & junior Gregorius Neocæsariensis Episcopus, qui Nicænæ II. Synodo anno 787. interfuit, de quo actione 6. tomo 5. ut in Epiphanio diximus, qui idem absque dubio author homiliarum, quæ sub nomine S. Gregorii Taumaturgi seu Senioris evulgatæ sunt, vel sane Gregorius alius Antiochenus Episcopus, de quo loquitur abunde Evagrius lib. 5. *Historiæ Eccles.* cap. 6. & 18. lib. 6. cap. 11. 12. 13. & 24. Idem quoque contigisse non diffitetur Sancto Epiphanio Seniori, Salaminæ in Cypro urbis, quæ Constantia postmodum dicta est, Episcopo, Dionysius Petavius, qui omnia Sancti Epiphanii Opera anno 1622. duobus in folio tomis, Parisiis evulgavit. Inter hæc Opera, inveniuntur Homiliæ octo *de diversis argumentis*, Sancto Epiphanio attributæ, de quibus ita loquitur Petavius in præludiis ad tomum secundum, his verbis: Jam Orationes illæ quæ Epiphanii nomine fucum jamdudum faciunt, satis cum stylo ipso, cum aliis quibusdam indiciis, alterius vel Epiphanii vel authoris esse se declarant. Epiphanios enim fuisse complures Cypri etiam Episcopos, observabat R. P. Jacobus Sirmondus, hoc est, præter nostrum illum insignem, duos. Alter Cypri Archiepiscopus fuit, cujus nomine in Synodo sexta anno 680. subscripsit Theodorus Episcopus Trimithunto-rum, ut in actione XVIII. legitur. Alter Archiepiscopus perinde Cypri, cujus extat epistola ad Ignatium Patriarcham à Matthæo Radero nostro edita, cum Synodo VIII. Horum igitur alteri, vel ambobus, vel cuivis denique potius, quam Epiphanio nostro, orationes istæ tribuendæ sunt. Quare nullo à nobis flagitio, prætermitti in hac editiooe poterant, sed nequid, quod Epiphanii nomine utcunque esset inscriptum, desideraret lector: tum ut ne paulatim, quamvis alienæ, non contemnendæ tamen lucubrationes obliterarentur, eas ad calcem Tomi hujus Secundi, conjiciendas decrevimus. Hæc doctissimus Petavius.

Idem quoque contigit in Arnobiis. Nam primo quidem ab anriquis unus tantum Arnobius est agnitus, quem omnium quæ jam variis Arnobiis attribuuntur, parentem fecerunt: cujus meminit S. Hieronymus in Chronico ad annum CCCXXVII. cum autem huic Seniori recte attribui omnia opera ista non possent, agniti duo Arnobii: quorum alter Senior dictus, anno 327. ex Hieronymo floruit: alter dictus Gallus atque junior ad annum 461. collocatus est. Verum pensatis his quæ majori examine discussimus ad annum 460. in Arnobio juniore seu Gallo, tres necessario distinguendi sunt: Cum opera quæ juniori attributa, uni eidemque autori adscribi nequaquam possint. Horum enim operum quæ juniori attributa sunt authores oppositi & sibi maxime adversi, quorum alter doctrinæ S. Augustini maxime addictus fuit, omnemque huic doctrinæ adversantem, esse hæreticum habendum pronuntiat: cum alter econtra Semipelagianus sit, discipulos Augustini prædestinatianos appellet, & ex consequenti quemadmodum alii omnes Semipelagiani, de-

doctrinam divi Augustini in multis reprehenderet ac vilipenderet. Non mirum ergo authores ejusdem nominis multiplicari, recte argumenta ipsa tractantibus.

Idem quoque in Anastasiis Sinaitis & Antiochenis Episcopis contigit absque dubio & quidem juxta Lambecium Lib. VIII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ubi necessario tres Anastasios Sinaitas & Episcopos Antiochenos distinguit, in examine MS. Codicis historici Græci XLV. pag. 442. his verbis. „Quadragesimo quinto & quidem à fol. 187. pag. 2. usque ad folium 193. pag. 2. *Anastasii cujusdam Sinaitæ, qui circa annum Christi 685. vixit quem tertium ut ab aliis distinguatur appello. Narratio compendiaria de hæresibus ab initio Religionis Christianæ, & de Conciliis adversus eas celebratis:* cujus titulus & principium. Τοῦ ἁγίου Ἀναστασίου τοῦ Σιναΐτου κεφάλαιον ἐν ᾧ καὶ ἐπιτομὴν διὰ βραχέων περὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς αἱρέσεων καὶ τῶν Συνόδων τῶν γενομένων κατ' αὐτῶν. Ἤδη μὲν οὐ βραχεῖς, οὐδὲ ἐξαρίθμητοι οἱ ἄνωθεν τε καὶ ἐξαμνημονεύτων τῶν χρόνων φερεπονώτερον σὺν ἀκριβείᾳ πάσῃ τὰς ἐκκλησιαστικὰς ἀναταξάμενοι ἱστορίας ἐν αἷς οἱ φιλοπονώτερον ἐγκεκυφότες ἴσασιν ἐξ αὐτῶν τὰ περὶ πάσης αἱρέσεως, καὶ παντὸς αἱρεσιάρχου πόθεν τε, καὶ πότε καὶ πῶς, καὶ κατὰ ποίους χρόνους καὶ τόπους, καὶ ἐκ ποίας αἰτίας, ἐξέφυ τε, καὶ προκύψεν, καὶ &c. pertingit autem hæc narratio usque ad *geminum Concilium Constantinopolitanum tertium, sive œcumenicum sextum anno Christi 680. vel 681. sub Imperatore Constantino Pogonato contra Monothelitas celebratum, & desinit sub Imperatore Justiniano Rhinotmeto,* his verbis: Διάδοχος δὲ τῆς Κωνσταντίνου εὐσεβείας τε καὶ βασιλείας Ἰουστινιανὸς ὁ τούτου υἱὸς γίνεται. ὃς αἰσθόμενός τινας περὶ τῆς τοιαύτης θρυλλοῦντας Συνόδου, συναθροίζει μέχρι που βλ! Ἐπισκόπους καὶ πολλῆς ἀνακρίσεως γενομένης, ἐπισφραγίσας βεβαιοῖ. καὶ τῶν ὀρθῶν πολύς ἐστιν ἀντιποιέμενος δογμάτων, καὶ τῆς τῶν ἐκκλησιαστικῶν εἰρηνικῆς προμηθούμενος εὐσταθείας, ἐν πᾶσί τε συνιῶν καὶ κατευθυνόμενος, καὶ τῷ τῆς Θείας χάριτος φωτὶ ὁδηγούμενος. Successit autem Justinianus Rhinotmetus defuncto patri Constantino in Imperio Anno Christi 685. Naso autem amputato relegatus est à Leontio patricio Anno Christi 695. qui deinde recuperavit imperium ope Bulgarorum anno 705. tandem jussu Philippici Bardonis cum filio interfectus est anno Christi 711. de cetero notandum est, contineri ea narratione quædam singularia & observatu digna, ad concilia duo œcumenicum quintum & œcumenicum sextum pertinentia, quæ alibi vix reperiuntur. Anastasium autem ejusdem narrationis authorem diversum esse à duobus Anastasiis; patriarchis Antiochenis, quorum prior in his commentariis jam sæpe memoratus, anno Christi 561, constitutus anno 599. obiit: posterior autem 608. à Judæis occisus est. Item à duobus illis Anastasiis Sancti Maximi discipulis, quorum unus anno 662, alter anno 666. obiit: quippe quorum amborum in illo ipso de *hæresibus* & Synodis opusculo fol. 192. pag. 2. mentio fit his verbis: Μάξιμος δὲ Μαρτίνου ἐφάμιλλος μονάζων τὸ σχῆμα, λόγιος καὶ πρακτικώτατος ἅμα δυσὶ μαθηταῖς Ἀναστασίοις τὴν προσηγορίαν διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπὶ τὸ Βυζάντιον ἄγονται, καὶ τὸν Μαρτίνου κλῆρον δέχονται, ἀξίως τῆς τε γνώσεως καὶ πράξεως. ἐν ὀφθαλμοῖς μὲν ἀφρόνων ἀποθανεῖν δόξαντες, ἐν χειρὶ δὲ Θεοῦ τὰς ψυχὰς ὥσπερ οὖν καὶ τὴν ἐν τῷ βίῳ ζωὴν παραθέμενοι· τὸν μὲν γὰρ Μάξιμον &c.“

CAPUT SECUNDUM.

QUODNAM PROPRIE TEMPUS HUIC ANASTASIO SINAITÆ QUARTO ET ANTIOCHENO EPISCOPO ASSIGNARI DEBEAT?

Quartum hunc Anastasium etsi certo præcise anno assignare nequeamus, attamen quantum validissimis argumentis prorsus assequi datum est: distinctum ab aliis antecedentibus maximâ temporis intercapedine, eundem ad seculi XI. initium circiter assignamus. Atque hunc quartum Anastasium aperte nos, ejusque tempora deducimus, ex Tractatu *De tribus Quadragesimis* sub nomine *Anastasii Sinaitæ & Antiocheni Episcopi,* qui legitur tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ,* Joannis Baptistæ Coteleriip. 425. Itemque ex Opusculo altero ejusdem argumenti, sub nomine alterius *Anastasii Cæsareæ Palæstinæ Episcopi, De jejunio Gloriosissimæ Deiparæ, quodque servandum sit ut legitimum,* ibidem pag. 432. Priscis autem Ecclesiæ temporibus, neque tres Quadragesimas, imo nec duas, sed unicam duntaxat apud Græcos fuisse, constat ex antiquis. Quod etiam jejunium Quadragesimale ante Natalem Domini, multominus jejunium ante Dormitionem Deiparæ, apud Græcos valde antiquum non sit, docet Hugo Menardus Monachus Benedictinus, in notis & observationibus ad librum *Sacramentorum Sancti Gregorii Papæ,* pag. 217. Non enim erat tempore Concilii Trullensis anno 692. celebrati, quæ licet aliquanto postmodum tempore substiterit, jam cessaverat tempore Theodori Balsamonis, Patriarchæ Antiocheni anno circiter 1180. clarissimi. Ita nempe ad Canonem 52. Concilii præfati scribit, „σημείωσαι οὖν καὶ ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος, ὅτι κυρίως μία ἐστὶ τεσσαρακονθήμερος &c. Nota autem ex hoc Canone, quod propriè est una Quadragesima: Si enim alia fuisset, cautum esset, ne in illa fieret sacrum Mysterium, per perfectum sacrificium, sed per præsanctificata: quemadmodum quoque cautum est, ne fiat in magni Paschæ Quadragesima.“ Hæc ille quæ sane non scripsisset, si tempore Concilii Trullani vel aliquanto antè, plures

Qua-

Quadragesimæ, vel ambæ vel illarum altera, *Natalis Domini vel Dormitionis Deiparæ* appellata, apud Græcos in usu fuissent. Cum itaque nec Concilii Trullani sub septimi Ecclesiæ seculi finem celebrati temporibus adhuc, nec amplius tempore Theodori Balsamonis circa seculi XII. finem, essent tres Quadragesimæ, sed una tantum: ex institutione atque introductione trium istarum Quadragesimarum, atque immutationibus factis circa *Quadragesimam beatissimæ Deiparæ*, apud Orientales potissimum Ecclesias: tempus circiter quo vixit ac scripsit hunc suum Tractatum, Anastasius quartus, Monachus item Sinaita, atque Antiochenus quoque Episcopus, à nobis hic investigandum est.

Certum quoddam tempus, quo positive tres istæ Quadragesimæ, *Resurrectionis* nempe, *Nativitatis Domini, ac beatissimæ Deiparæ*, in Ecclesias Orientis potissimas ingressæ sint, designare quidem non possumus. Quantum autem conjici potest, postquam in Septima Synodo œcumenica anno 787. tum sanctorum tum Deiparæ cultus atque invocatio instituta fuissent: paulatim ut opinor successu temporis, vel sub hujus octavi seculi finem, vel sub noni initium, indiscretà Monachorum atque aliorum fidelium devotione, tres illæ Quadragesimæ, sub majoris Dei Domini nostri atque Deiparæ Virginis pietate introductæ sunt. Sane triplex hæc Quadragesima jam universim admissa erat in Ecclesiis potissimis atque urbibus Græciæ ante tempora Leonis VI. Imperatoris, Sapientis ac Philosophi appellati, Basilii Macedonis filii, qui tenuit imperium ab anno 886. Calendis Martii, ad diem XI. Junii anni 911. Hoc testatur in *Veteribus Monumentis Ecclesiæ Græcæ* apud Joanoem Baptistam Cotelerium tomo 3, pag. 437. Anastasius Cæsariensis Episcopus in Opusculo *De jejunio Deiparæ*, his verbis. Ἡ πρὸ τῆς κοιμήσεως τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκȣ νηστεία, παραδεχομένη ἐστὶν ἐξ ἁγίων Πατέρων καὶ θείων Πατριαρχῶν, καὶ ἐντίμως ταύτην φυλάττȣσι πᾶσαι αἱ πόλεις καὶ χῶραι τῶν ὀρθοδόξων, ἐξαιρέτως ἡ μεγαλόπολις καὶ εὐδαίμων Κωνσταντινȣ́πολις, καὶ ἡ μεγάλη ἐκκλησία. „Jejunium quod præcedit sanctissimæ Deiparæ „dormitionem, a sanctis Patribus divinisque Pa„triarchis traditum est, & honorificè illud ser„vant cunctæ urbes ac regiones Orthodoxo„rum, præsertim magna felixque civitas Con„stantinopolitana, magnaque Ecclesia. *Omnes* „itaque *urbes & regiones Orthodoxorum*, ante tem„pora Leonis Philosophi Imperatoris, hoc jejunium *Deiparæ* seu Quadragesimam unanimiter, atque à fortiori, alias duas alteram Resurrectionis, alteram Nativitatis Christi præcutsivam, observabant: hoc est ante annum 886. quo imperare cœpit Leo Philosophus. Imperante porro Leone, institutum ab eo festum seu Solemnitas *Transfigurationis Domini nostri JESV Christi*, quæ incidebat in dictam Quadragesimam *Deiparæ*, nempe ad diem 6. Augusti. Istud autem cautè observandum, fuisse turbatam hucusque illibatam observantiam Quadragesimæ *Deiparæ* ab institutione hujus festi: quod celebrandum jussit Leo Imperator & Philosophus, in festa & sanctus maximè propensus. Sumpta enim à nonnullis occasione instituti recenter hujus festi, usitatam *Deiparæ* Quadragesimam multi intercidebant, hac die à jejunio feriantes, devotioribus inde tamen scandalum accipientibus. Quod ut sanaretur, idem sapientissimus Imperator, narrante eodem Anastasio Cæsariensi Episcopo, lege sanxit, ne *Jejunium* seu *Quadragesima Deiparæ* hanc ob causam infringeretur. Πλὴν καὶ ὕστερον ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τȣ̃ Φιλοσόφȣ κυρίȣ Λέοντος καὶ Βασιλέως, τῆς ἑορτῆς τῆς μεταμορφώσεως ἐφευρεθείσης, κατὰ ταύτας δὴ τὰς ἡμέρας, τῆς νηστείας φημὶ παρ᾽ ἐκείνȣ τυπωθείσης ἑορτάζεσθαι: ἐδράξαντο τῶν φιληδόνων τινὲς ἀφορμῆς, ὡς δῆθεν τιμῶντες τὴν τȣ̃ σωτῆρος ἑορτὴν, ἤσθιον τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τὸ κρέας. ὃ καὶ σοφώτατος καταλύσας ἐνθέσμως, ὅλη ἡ νηστεία τῶν δεκαπέντε ἡμερῶν φυλάττεται παρὰ πᾶσι, καὶ καθαρῶς νηστεύεται. οἱ καὶ παρὰ τῆς τȣ̃ κόσμȣ σκέπης καὶ ὑπεραγίας Θεοτόκȣ μᾶλλον καὶ πλέον φυλάττονται. Verum postea ætate Domini Leonis„ Philosophi & Imperatoris, adinvento festo„ *Transfigurationis*, cum ille constituisset ut id„ celebraretur: per hosce dies jejunii inquam,„ occasionem ceperunt quidam voluptatis„ studiosi, & quasi honore prosequerentur so„lemnitatem Salvatoris, eo die carne vesce„bantur. Quod sapientissimus Imperator lege„ datà prohibuit: unde integrum jejunium quin„decim dierum, à cunctis servatur & jejunatur„ purè: qui etiam à sanctissimà Deiparà to„tius mundi protectrice, magis magisque de„fenduntur. „ Atqui hoc idem argumentum agitat Anastasius ille Sinaita quartus & Antiochenus Episcopus in Opusculo *De tribus Quadragesimis*, ubi vult jejunari ab initio mensis Augusti usque ad obitum *Deiparæ* per dies quindecim, etiamsi ab eo facta fuisset *Homilia in festum Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi*, à Leone Philosopho institutæ, quam Græcè Latinèque edidit Franciscus Combefis. Ergo florebat scribens Anastasius quidam Sinaita Monachus & Antiochenus Episcopus, vel temporibus vel post tempora Leonis Philosophi Imperatoris, qui ab anno 886. ad annum 911. clavum Imperii tenuit. Audiamus ipsum loco citato pag. 431, ita concludentem. „ Jejunabatur ergo hoc„ jejunium usque ad dormitionem seu mortem„ Deiparæ &c. Sancitum autem fuit, usque ad„ festum sanctorum Apostolorum jejunare, sic„ que postea solvere jejunium: deinde ab initio„ Augusti jejunare usque ad obitum Deiparæ,„ iterumque solvere jejunium, etiam tunc juxta„ admonitionem Constitutionum Apostolica„rum. „ ἐτυπώθη δὲ ἄχρι τῆς ἑορτῆς τῶν ἁγίων Ἀποστόλων νηστεύειν, εἶθ᾽ οὕτως ἐπιλύειν. εἶτα ἀπ᾽ ἀρχῆς Αὐγȣ́στȣ νηστεύειν ἄχρι τῆς κοιμή-

μήσεως τῆς Θεοτόκου, καὶ πάλιν διαλύειν. καὶ τότε ἔχοντες παρακέλευσιν ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν διατάξεων

Anastasium itaque hunc quartum, Sinaitam simul & Antiochenum Episcopum, ut in titulo Opusculi inscribitur, non fuisse his temporibus Leonis Imperatoris & Philosophi antiquiorem: liquidò constat ex homilia *De Transfiguratione Domini*, cujus solemnitatem Leo Philosophus instituit. Atque etiam ex *Quadragesima Deipara*, quam observandam esse contendit, quemadmodum Imperator præceperat, non obstante festo à se instituto. Non esse autem ætate hujus Leonis Philosophi & Imperatoris multo posteriorem, persuadet nobis authoritas S. Niconis qui sub finem seculi X. floruit, de quo luculentissimè Baronius in Annalibus suis Ecclesiasticis, ad annum 961. num. 4. & seqq. 969. num. 7. 971. n. 2. 982. n. 1. 987. n. 4. & 998. n. 17. tum in Notis ad Martyrologium Romanum die 26. Novembris. Sanctus itaque Nicon Armenus, qui hujus seculi decimi mediam serè partem ultimam illustravit factis, aliter in Ecclesiis Orientalibus, etiam in Antiochena suis factum temporibus statuit circa jejunium *Deipara*, quod interruptum fuit a sequentibus Patriarchis ob ipsum Transfigurationis Domini festum, aliter quam tum Leoni Imperatori, tum Anastasio Sinaitæ in Opusculo citato visum fuerat. Sic ille in *Pand. Ele* Sermone 57. Manuscripti Codicis Regii 2423. quem refert Cotelerius tomo 3. *Veterum Monumentorum* de quibus supra pag. 440. *Διὸ καὶ καταλύομεν τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου, χαίροντες ἐπὶ τῇ πανηγύρει τῆς μεταμορφώσεως. λέγουσι δὲ ὅτι τὰ τυπικὰ τῶν μεγάλων μοναστηρίων, ὥσπερ τὰ τῶν Ἱεροσολύμων, ὀκτὼ ἡμέρας ἑορτάζειν ὁρίζουσι. τὸ δὲ Στουδιτικὸν τέσσαρας. ὁ δὲ τύπος τοῦ πατριαρχείου τῆς Ἐκκλησίας Ἀντιοχέων, μίαν ἡμέραν ἑορτάζει. ἔνθα καὶ πολλοὶ ὁλοκλήρως τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου φυλάττουσιν.* „Vnde jejunium Deiparæ solvimus, gaudentes in festivitate Transfigurationis. Ajunt autem quod magnorum Monasteriorum Typica, ut ille Hierosolymorum, per dies octo festum agere constituant: Studiticum verò quatuor. At Patriarchii Ecclesiæ Antiochenæ typus, unum diem festum habet, ubi multi jejunium Deiparæ integrum servant.“ Itaque ex typo vel Rituali Patriarchii Ecclesiæ Antiochenæ, licitum postea fuit Antiochenis sequentibus Episcopis indulgentibus, ad diem 6. Augusti, Transfigurationi assignatam, jejunium solvere, licet multi hoc non facerent. Hoc enim hæc verba indicant, *μίαν ἡμέραν ἑορτάζει*: Licet ut idem Nicon ait, *ἔνθα καὶ πολλοὶ ὁλοκλήρως τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου φυλάττουσιν.* Quod anteriori tempore, nec Anastasius Sinaita noster & Antiochenus Episcopus, nec Leo Imperator & Philosophus concesserant. Et ex Codice Regio 2424. idem Sanctus Nicon, eodem Sermone, quem idem Cotelerius loc. cit. p. 443. refert. *Λέγουσι δὲ τοῦτο. ὅτι εὑρίσκομεν εἰς τὸ τυπικὸν τῶν μεγάλων μοναστηρίων τὴν ἑορτὴν τῆς μεταμορφώσεως ὀκτὼ ἡμέρας ἑορτάζειν, καὶ αὖθις ἐπάναι τὴν τῆς Θεοτόκου ἑορτήν, καὶ οὐ χωρεῖται καθολικῶς ἐπὶ μέσου νηστεία εἰς τὸ κοινόν· τοῦτο δὲ ἕτερον λογισμὸν ἡμῖν ἐντίθησι πάλιν. καὶ γὰρ τῶν Ἱεροσολύμων μὲν τὸ τυπικόν, ἡμέρας ὀκτὼ ἑορτάζει, τῶν δὲ Στουδίων τέσσαρας. τῆς δὲ μεγάλης Ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, ἤτοι τοῦ Πατριάρχου ὁ τύπος μίαν ἡμέραν ἑορτάζει. καὶ ταῦτα δὲ καὶ πολλοὶ ταύτην νηστεύουσι τὴν νηστείαν, καὶ εὐγνωμόνως φυλάττουσι καὶ μάλιστα τῶν γνωστικωτάτων οἱ προύχοντες τῆς αὐτῆς μεγαλοπόλεως.* Addunt etiam istud. „Ex Typico magnorum Monasteriorum discimus festum Transfigurationis octo diebus celebrari, iterumque instare Deiparæ festum: & generaliter in medio non tenetur jejunium ad commune. Hoc porro aliam nobis rursus cogitationem inducit. Siquidem Hierosolymorum Typicum octo dies festos habet, Studii quatuor: verum magnæ Ecclesiæ Antiochenæ, seu Patriarchæ typus unum diem celebrat. Ad hæc etiam multi hoc jejunium agunt & gratè servant, præsertim qui in ea magna urbe inter maximâ cognitione præditos eminent.“

Hæc Quadragesima Deiparæ primis Græcorum illam cum zelo & æmulatione observantium temporibus, teste quarto Anastasio nostro, observabatur ab ipsa Pentecostes octava usque ad festum Apostolorum Petri & Pauli: tum paucis diebus refocillationis ex indulgentiâ Patrum concessis, a Calendis Augusti mensis ad ipsam Dormitionis Deiparæ diem absque ullâ intermissione, ut idem Anastasius tradit, sub finem Tractatus *De tribus Quadragesimis*. Atque eam ob rem ex S. Nicone ab Anastasio Cæsariensi allegato, in Opusculo *De jejunio Deipara* pag. 439. appellabatur passim *Quadragesima vel jejunium Sanctorum Apostolorum, necnon gloriosissima Deipara* Nominibus binis: *priori* quidem, tum quia maxima pars hujus Quadragesimæ protendebatur ab octava die Festi Pentecostes, usque ad Festum Sanctorum Apostolorum: tum quia post illud Festum, ex indulgentiâ Patrum, modicæ jejunii induciæ datæ erant, ab hoc Festo nempe, ad Calendas Augusti. *Posteriori* autem, quod omnis tandem hæc Quadragesima in honorem Deiparæ fieret, atque ad Festum Dormitionis illius terminaretur. At ipsius Anastasii nostri Antiocheni Episcopi temporibus, jam mirum in modum indiscretus ille Græcorum fervor erga jejunium seu Quadragesimam Deiparæ pessumierat, perspicacioribus oculos ad superstitionem aperientibus: non Laicis tantum & conculcatæ plebis hominibus, sed Sacerdotibus etiam, Archiepiscopis, Episcopis, imo Monachis ejusmodi observantiarum superstitiosissimis, quos sequentibus graviter carpit, sub initium

Tra-

Tractatus pag. 425. Anastasius noster. „Modo „vero præcipue irrepsit in quosdam nostrum, „non tantum Laicos & ignotos & illiteratos, „sed etiam & ipsos quoque qui de doctrina glo„riantur, & de maxima sapientia supercilium „attollunt: Episcopos inquam, Metropolitas, „Sacerdotes, Diaconos, cæterosque Clericos, „necnon ipsos forsan utique Monachos, quo„rum Deus venter reputatus est, qui sic absque „rubore & pudore docent, unicum esse jeju„nium a sanctis Apostolis divinisque Patribus „traditum, illud quod vocatur *Magnum*. „Jejunium autem Natalis Christi, quod etiam „nonnulli nominant *Sancti Philippi*, ob causam „quam inferius proferemus: atque jejunium „quod præcedit festum & commemorationem „Sanctorum Principum Apostolorum Petri & „Pauli, non ortum habere ex Apostolicâ vel Pa„trum traditione, sed esse Monachorum quo„rumdam inventa & placita, qui duo hæc dicta „jejunia peragunt. Quocirca ex illis homini„bus ordinationis Dei adversariis, nonnulli die„bus octodecim abstinent duntaxat carne, „caseo & ovis: quidam vero carne solâ, qui „reliqua comedunt, excepto uno die. Alii au„tem pari modo abstinent diebus duodecim „tantum, alii sex, alii quatuor. Et non modo „se solos deceptos volunt esse, sed multitudi„nem quoque popularem simul post se trahunt, „ut non solum ipsorum sit peccatum: qui sane „graviores pœnas dabunt, quod multos scanda„lizaverint, atque a rectâ viâ abduxerint. Itaque Anastasii temporibus, ex omni illa intercapedine dierum ab octava Pentecostes *ad festum Dormitionis Deiparæ*, fatigatâ tunc temporis fidelium devotione, jam plurimi nihil omnino observabant, alii tantum abstinebant diebus octodecim, alii duodecim, alii sex, alii quatuor. Hæc autem Quadragesimæ seu jejunii Deiparæ solutio contigit potissimum post institutionem Festi Transfigurationis a Leone VI. Imperatore seu Philosopho factam ut supra diximus, de qua abunde S. Nicon in *Pandecte* Sermone 57. Codicibus MSS. Regiis 2423. & 2424. quem refert Cotelerius citatus tom. 3. *Veterum Ecclesiæ Græcæ Monumentorum* fol. 419. & 441. Monachis ipsis ad hujus Quadragesimæ Virgineæ extinctionem speciosam, aliis ad octo dies integros, aliis ad quatuor, Festivitatem Christi Transfigurationis extendentibus, ut jejunium solverent. Collatis ergo tam supra allatis de solutione hujus Quadragesimæ Deiparæ, ab Anastasio nostro Sinaita & Antiocheno Episcopo, sub Tractatus initium: quam quæ a S. Nicon Armeno allegantur, locis citatis: constat ut & ex homilia quam scripsit *De Transfiguratione Domini*, floruisse hunc Anastasium de quo loquimur, post tempora Leonis Philosophi & Imperatoris, vel serius.

Denique conficimus Anastasium hunc nostrum haud fuisse supergressum Seculi XI. initium, ex modo quo probat in suo Tractatu, *observandam esse Deiparæ Quadragesimam*: ad id nihil aliud allegans, quam Constitutiones Apostolicas Lib. 5. cap. ultimo. Si sane cognovisset Synodum *unionis* dictam, anno 920. temporibus Romani Senioris & Constantini Porphyrogeniti Imperatorum Constantinopoli congregatam: haudquaquam illam ad argumenti sui adjumentum, Anastasius Antiochenus omisisset. Quemadmodum nec omisit in Tractatu *De jejunio Deiparæ*, alter Anastasius Cæsariensis illâ posterior, tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* Cotelerii pag. 433. & 435. Hujus enim Concilii authoritate quæ plurimum apud Græcos valuit, intemeratam Quadragesimæ Virgineæ observantiam valide stabilivisset. Atque hæc de ætate hujus Anastasii quarti Monachi Sinaitæ, & etiam Antiocheni Episcopi, satis sint. Ista conjecturæ tantum, sed cum verbis longe durioribus, Quadragesimæ hujus neglectum ætate sua Antiochiæ factum testetur, quam S. Nicon allegatus egerit: hinc ipsum posteriorem opinamur S. Nicone Armeno, qui anno 998. die 26. Novembris mortuus scribitur: unde ad initium seculi XI. circa annum 1010. vel 1020. detrudimus hunc Anastasium Sinaitam quartum P. Antiochenum.

CAPUT TERTIUM.

AD QUEM EX QUATUOR ANTIOCHENIS ANASTASIIS, SPECTET OPUSCULUM ὁδηγὸς INSCRIPTUM?

ὁδηγὸς sive Dux viæ adversus Acephalos. „Videtur istud opus tum ex variis ipsius Anastasii, tum ex nonnullis Veterum opusculis„ consarcinatum, ut cuivis constabit, qui qua„tuor priora præsertim capitula attente per„legerit: nec id modo, sed & à recentiore qua„dam manu haud leviter interpolatum est. „Cap. enim 10. meminit Eulogii Alexandrini„ jam mortui, qui nonnisi anno 608. diem obiit. „Cap. 5. initio sex Concilia œcumenica comme„morat, sed forsitan menda cubat in numero, „cum in eodem capite quinque solum numeret. „Opus certe nulla diligentia, nullo ordine con„scriptum esse ipse Anastasius in procemio a„gnoscit: ubi veniam à Lectoribus petit ob va„rias correctiones passim adhibitas, & propter„ ταυτολογίας sæpius commissas: cum ægritudi„num frequentia non ferebat, ut in iis pro ani„mi sui sententia versaretur. „ Edidit hunc„ librum Græco-latinum Jacobus Gretserus Ingolstadii 1606. in 4. Hæc Cavus, quibus vir bonus Opus istud censet vere esse Anastasii Sinaitæ Senioris anno 599. mortui, *sed à recentiore quadam manu haud leviter interpolatum*: hac autem ratione quidquid incongruum sub nominibus Veterum Scriptorum prodit, etsi absurdissima atque aliena à temporum recta chronologia contineat, sub interpolationis prætextu, facile admitteretur, ut Cavus temere facit.

 Lon-

Longe mihi magis arridet Aubertini judicium, quo Opus citatum neque ad Anastasium Sinaitam & Antiochenum Episcopum 1. anno 599. defunctum, neque ad ejusdem nominis 2. anno 608. mortuum spectare posse, erudite asserit: tum lib. 2. *De Eucharistia Sacramento* pag. 893. & 894. argumentis invictis, tum lib. 3. p. 903. 904. & 905. Quem ipse Labbeus amplexus est in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus attigit, in *Addendis & corrigendis* ad hunc Anastasium. Vnde mirari subit, post hoc argumentum ita operose ab Aubertino tractatum, quantum illudatur publicoque illudat Antonius Arnaldus, qui magistrali ac thrasonico prorsus dicendi more, post Aubertinum etiam lectum, Anastasio seniori anno 599. mortuo, Opusculum istud causæ suæ favens assignavit in Opere suo *De perpetua fide Ecclesiæ circa realitatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia*, Lib. 7. cap. 2. p. 649. Nos ergo cum Aubertino, Labbeo, aliisque emunctæ naris hominibus, censemus ὁδηγὸν non esse Opus Anastasii Antiocheni Episcopi primi vel secundi, sed quarti, cujus tempus & ætatem cap. præcedenti assignavimus.

1. *Primum* enim Opusculum istud aliud nihil est, quam perturbatum diversorum à se invicem distinctorum Opusculorum Collectaneum, seu farrago potius incondita diversorum Tractatuum, uti ex lectione apparet, absque ordine vel methodo. Atqui ex oculis & judicio omnium eruditorum hujus seculi, nullus invenitur intra sex priora Ecclesiæ secula, qui farragines ejusmodi incompositas, scopasque dissolutas Ecclesiæ obtulerit; unde ex communi sensu atque judicio concludendum, Opusculum istud nullatenus posse convenire aut spectare vel ad Anastasium 1. seu seniorem, Sinaitam Monachum & Antiochiæ Episcopum ab anno 561. atque denatum anno 599. vel ad ejus successorem anno 608. mortuum. Contra vero apud authores Græcos recentiorum temporum, à Seculo Ecclesiæ Nono & sequentibus, plurima ejusmodi Collectanea seu farragines male compactæ, qualis illa est, emanarunt & extant. Vnde & per se clamat farrago ista, in Anastasii Sinaitæ Monachi atque Antiocheni Episcopi nomine quarti gratiam, quem seculo Ecclesiæ ineunti undecimo alligavimus, ubi scientia & erudirio inter Græcos maxime languuit. Hanc Rapsodiam præclare depingit Aubertinus loco citato, ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum „Bibliothecæ, à se diligenter excussis. Juvat „Lectores monere Tractatum hunc non esse li„brum continui tenoris, sed rapsodiam ex variis „scriptis tanquam centonibus ἀμεθόδως plane „congestam. Nam Caput tertium, est initium „alterius Operis à duobus præcedentibus capi„tibus distincti, ut patet ex titulo illi adposito: „*Anastasii Minimi Monachi opus de Orthodoxa fide, „ex sacris Litteris ac doctoribus excerptum.* Et ca„put quartum pariter, quod pro titulo habet, „*Anastasii Presbyteri montis Sina Opus de fide aconomia Christi Dei filii, ad sanctam Ecclesiam Catholicam Babylone scriptum:* novum prorsus opus esse & à cæteris separatum, non minus liquet. Penes me est Danielis Maucleri Doctoris Medici Victriacensis in Campania, Codex Græcus pro Joanne de Ragusio olim Manuscriptus, ubi sub hoc titulo, τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίου Πατριάρχου Θεουπόλεως, περὶ πίστεως: deprehendi extare tantummodo duo priora hujus ὁδηγοῦ capita, nec ea quidem inchoata à prioris initio, sed ab iis verbis quibus pro titulo apponitur, *Brevis Expositio fidei.* Vicissim autem ad compensationem, plurimas alias definitiones & distinctiones habens, quæ editioni Gretserianæ ad finem Secundi Capitis, & cæteris quos vidi MSS. Codicibus desunt. Tres autem vidi Bibliothecæ Regiæ, quorum, duo sine authoris nomine, unus Num. 2218. cum hoc titulo σὺν Θεῷ προθεωρία τῶν ὑποθέσεων τῶν ὅρων &c. Alter num. 1067. σὺν Θεῷ ὅροι διάφοροι κατὰ τὴν παράδοσιν καὶ πίστιν τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς καὶ Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας &c. ea tantum complectuntur, quæ tractatus editus habet duobus prioribus capitibus: ac revera idem sunt cum libello illis adhuc breviori, qui extat inter Athanasii Opera, sub titulo *Tractatus De Definitionibus.* Tertius num. 1026. ea fere omnia continet quæ habentur in editis, sed & in plurimis multo auctior, & ordine non eodem. Caret enim eo exordio & indice, quæ in editione caput primum antecedunt. Titulus fere idem, absque authoris nomine, cui subjiciuntur ea quæ primo editionis capite habentur, usque ad paragraphum τῆς καθ' ἡμᾶς πάντας βροτοὺς οὐσίας σύστασις &c. *universa generis nostri* &c. His dein verbis, quasi novum Opus inchoarent, præponitur hic titulus, Ἀναστασίου μοναχοῦ τοῦ Σινᾶ ὄρους, σὺν Θεῷ προθεωρία τῆς ὑποθέσεως τῶν ὅρων τῆς βίβλου, ἧς ἐπωνυμία λέγεται ὁδηγός. Inde ad finem usque capitis secundi (scholio excepto) cum editis consentiens, subjungit triginta duo folia, quæ ab illo prorsus absunt: excepta de Eucharistia cum Gajanitis disceptatione, quæ cum in editione remota sit, ad caput nempe vigesimum tertium, nono folio hic habetur. Ab his autem triginta duobus foliis redit cum editis, brevior tamen in nonnullis, usque ad finem: cui subjunguntur quasi continui operis, innumera Veterum testimonia tractatum sexies majorem efficientia.

2. Iterum vero ὁδηγοῦ hujus authorem non esse Anastasium hujus nominis primum, duo invicte ostendunt. Vnum est, quod in illo Codice Regio, foliorum supradictorum trigesimo secundo citetur Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας ἐκ τῆς πρὸς Σέργιον γραμματικόν: *Anastasius Antiochiæ Episcopus ex libro contra Sergium Grammaticum.* Quomodo enim se, in hoc Tractatu composito, cum adhuc Monachus & Presbyter foret, ut passim testatur & notat ipse Gretserus: se inquam tanquam E-

pisco-

piscopum citare valeret? Alterum est, quod author hujus Operis cap. 10. meminit Eulogii Alexandrini Episcopi tanquam dudum „mortui: *Narrabant* inquit, *nobis Catholici qui Alexandriæ degunt, satis diu post tempora beati Eulogii Papæ, ibi fuisse quendam Augustalem Severianum, qui satis diu quatuordecim librarios ejusdem secum sententia habuerit, ex ipsius mandato residentes, & depravantes libros dogmatum sanctorum Patrum.* Quomodo autem Anastasius primus Antiochenus anno Domini 599. defunctus, ut ipsemet Gretserus agnoscit, referre potuerit, quod in Alexandria contigit, post tempora Eulogii, teste Baronio, anno 608 mortui? Sed nec quoque dici potest, Tractatum hunc esse alterius Anastasii, qui huic immediate successit, propter eandem Eulogii defuncti mentionem. Interfectus enim fuit Anastasius secundus à Judæis, ineunte anno Phocæ septimo, id est anno Domini 608. die 21. Decembris. Obierat autem Eulogius, Septembris præcedenris die 13. Quomodo igitur hic author adhuc Monachus cum Tractatum hunc scriberet, potest esse Anastasius secundus, qui quando Eulogius obiit, jam per octennium Episcopatu fungebatur. Primo enim successit anno 599. ex omnium confessione. Ergo imposterum desinant aduersarii nobis librum hunc objicere sub nomine ullius horum duorum Anastasiorum: nisi nos illico velint falsi dicam illis inscribere.„ Hæc præclara Aubertinus, quibus Labbeum sibi alias in paucis æquum, suam tamen in sententiam adduxit. Restat ergo ut Opus istud ad Anastasium Antiochenum Episcopum alterum & juniorem multis seculis, quem quartum diximus, spectet, quem Aubertinus non novit. Ex tribus autem MSS. Codicibus hujus Operis, quos in Bibliotheca Galliarum Regia volvisse Aubertinus testatur loco citato, duos tantum vidi aliis numeris ob recentem Bibliothecæ Catalogum notatos, alterum Cod. 2909. alterum 2916 At in compensationem alterius qui illic positus me latuit, habetur quoque in Bibliotheca Colbertina Cod. 1539. Atque ut indicat Possevinus ad *calcem Apparatus Sacri*, unus in Bauarica & alius in Augustana Cod. 66. unde à Jacobo Gretsero fuisse evulgatum opinor. Duo quoque reperiuntur MSS. Codices in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, alter quidem Codice MS. Theologico Græco XLVI. Num. 4. à folio 72. ad 143. de quo ita Lambecius tomo seu Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 64. his „verbis. „Quarto & quidem à fol. 72. usque „ad 143. *Anastasii Sinaitæ senioris Patriarchæ Antiocheni* ὁδηγὸς sive *Dux viæ adversus Acephalos hæreticos*, ne Orrhodoxi in eorum laqueos & retia inciderent. Deest quidem ibi folium ejus primum, quod continuit Procemium & indicem capitum totius libri, atque insuper principium capitis primi usque ad hæc verba: ὅτι δεῖ γινώσκειν κατ' ἀκρίβειαν τὰ Φρονήματα τῶν ἐξ ἐναντίας &c. De cætero tamen dignissimum est hoc Exemplar Manuscriptum, ut diligenter & accurare cum eo conferatur editio Græco-latina, quæ anno 1606. ex Codice MS. Bibliothecæ Augustanæ, studio & opera Jacobi Gretseri, societatis Jesu, Ingolstadii in 4. typis Adami Sartorii in lucem prodiit. Quinto & quidem fol. 143. pag. 1. & 2. *Appendix quædam* jam memorati Operis Anastasii Sinaitæ, quæ quidem extat in Gretseriana editione impressa, sed tanquam *Proœmium*. Incipit ea his verbis: παρακαλοῦμεν τοὺς μέλλοντας ἐντυγχάνειν τῇ βίβλῳ, συγγνώμην ποιήσασθαι ἐπὶ ταῖς πλείσταις ἐν αὐτῇ διορθώσεσιν ἢ ταυτολογίαις. τὸ γὰρ ἀδιάλειπτον τῶν ἀσθενειῶν &c. quibus maxime confirmatur, quod asseruit supra Aubertinus, de visis à se MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ. Alter in Codice MS. Theologico Græco LXXVII. de quo ita Lambecius in eodem libro 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 164. his verbis.

Septuagesimo tertio & quidem à fol. 147. pag. 2. usque ad folium 202 pag. 1. *S. Anastasii Sinaitæ, Patriarchæ Antiocheni, Opus de fide orthodoxa adversus Acephalos hæreticos*, quod inscribitur ὁδηγὸς, sive *Dux viæ*, & à Jacobo Gretsero Soc. Jesu primum Græce & Latine anno 1606. Ingolstadii typis Adami Sartorii in 4 editum est. Differt autem Exemplar hoc Manuscriptum, tam respectu *ordinis*, quam ratione *variarum Lectionum & nonnullorum Additamentorum* non mediocriter, cum à jam memorata editione Gretseriana, tum quoque ab altero illo *Augustissima Bibliotheca Cæsareæ* antique *Manuscripto exemplari*, de quo supra in recensione Codicis XLVI. facta est mentio. Quamobrem valde necessarium est, ut *posterioris hujus Exemplaris Manuscripti* magna habeatur ratio, si posthac nova ejusdem Operis Anastasiani editio adornanda sit. Interim vero non possum, quin obiter & prævie significem, *Indicem capitum* omnino hic deesse, & quod in editione Gretseriana est *caput tertium*, illud hic collocatum esse capite primo, & inscribi atque incipere hoc modo: Ἀναστασίου τοῦ Σιναΐτου πόνημα περὶ πίστεως ὀρθοδόξου, ἀνθολογηθὲν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν, καὶ διδασκάλων. Προοίμιον πρὸ τῆς πραγματείας. Ἀρχὴ τῶν λόγων σου Χριστὸ ἀλήθεια &c. Quandoquidem etiam S. Anastasius in ejusdem Operis *capite duodecimo De salutifera Christi passione & contra Theopaschitas* inscripto, expresse refert *Imaginem Christi crucifixi singulari quodam modo à se delineatam, & adjuncta inscriptione illustratam esse:* simul etiam omnes qui idem Opus postea descripturi sunt, *Per filium Dei objurat, ne omittant similem Imaginem apographis suis inserere.* Eam ob rem silentio minime prætereundum est, duas illas Christi crucifixi Imagines, quas typographus *editioni Gretseriana* pro lubitu pag. 218. & 219. inseruit, longe discre-

pare

"pare ab illa vera & genuina *Imagine Anastasiana*, cujus apographum ex antiquo illo Codice "MS. Cæsareo, de quo in præsens ex professo "agitur, summa fide & diligentia desumptum, "& absque ulla immutatione æri incisum, è "regione hujus paginæ exhibeo." Hæc Lambecius quibus confirmantur quæ asseruit Aubertinus de MSS. Galliarum Regiis à se inspectis.

CAPUT QUARTUM.

IDEM LATIUS EXAMINATUR, ARGUMENTUM.

3. HInc argumentum tertium sumimus illudque meo sensu validissimum, Opus ὁδηγὸν inscriptum, nullatenus pertinere posse ad Anastasium nominis 1. vel 2. sed tantum ad illum Sinaitam nominis quartum de quo locuti sumus hujus Dissertationis Cap. 1. Anastasius enim iste author ὁδηγῦ, capite 12. *De salutifera Christi passione & contra Theopaschitas* inscripto, expresse refert *Imaginem Christi crucifixi singulari quodam modo à se delineatam & adjuncta inscriptione illustratam esse:* simul etiam omnes qui idem Opus postea descripturi sunt, *Per filium Dei adjurans, ne omittant similem Imaginem apographu sui inserere.* Atque hoc indicat scribentem hominem seu authorem post stabilitas publice imagines, quod in Concilio Nicæno II. anno tantum 787. factum est. Ergo author hujus ὁδηγῦ posterior est Synodo Nicæna secunda, qui consequenter nec esse potest Anastasius Sinaita & Antiochenus Archiepiscopus 1. anno 599. denatus, nec Anastasius alter seu secundus anno 608. mortuus: uterque ducentis fere ante Nicænam II. Synodum annis. Recte autem Anastasius Sinaita & Antiochenus Patriarcha nominis quartus hæc scribere potuit, quippe qui circa vel seculi X. finem vel XI. initium vixerit & floruerit, qui serius temporibus Leonis VI. Philosophi & Imperatoris, vel ulterius etiam longe vixerit.

4. Quartum argumentum, quo scriptorem hujus farraginis concludimus haud esse antiquiorum sæculo XI. sicque Opusculum convenire non Anastasiis primo vel secundo, sed quarto, desumitur ex ipsis authoris præcautionibus, quæ recentiorem aperte Græciam arguunt. Ita igitur ille Scriptor pag. 3. ad prologum primi hujus farraginis Opusculi. *Ad hæc obtestamur eos, qui librum hunc transcripturi sunt, ut & Scholia adjiciant, accentusque accurate observent, & puncta & semipuncta: & ipsa etiam soluca, seu solœcismi speciem præ se ferentia: quia alias quoque imperiti quidam nostrorum dogmatum, tomum blasphemiis in descriptione oppleverunt.* Tum pag. 73. ad Prologum Operis secundi anonymi, cujus hoc tertium caput *præfatio* est, & nihil aliud: eandem vir bonus cantilenam repetit. *Rogo autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ut etiam legant Scholia certis locis inserta: & si ut probabile futurum est, liber solœca quadam contineat, venia detur. Dum autem Author tota mente & cogitatione, in sensu notando & designando defixus hæret, sæpe usu venit, ut solœcismos & interpunctiones in postremis ducat.* Hæc autem Scriptoris præcautio *de solœcismis non corrigendis, de scholiis in Opus suum importandis, de accentibus accurate observandis*, qui recentes apud Græcos esse creduntur: hæc omnia (inquam) redolent Scriptorem seculi ut plurimum undecimi, seu Græciæ recentis authorem, qualem ejus parentem statuimus esse, Anastasium quartum nominis, Sinaitam Monachum & Antiochenum Episcopum. Sex autem priorum Ecclesiæ seculorum temporibus, quæ Anastasius primus anno 599. mortuus concludit, neque duobus etiam sequentibus, umquam precati sunt Patres Græci vel Scriptores ulli, *vel de scholiis suis Operibus adjiciendis, vel de accentibus, punctis ac semipunctis sedulo observandis, vel de solucismis non corrigendis.* Unde meo quidem sensu, bardus est hebesque, quisquis istud Opusculum ultra seculum XI. collocandum censuerit. Quæ si vel perfunctorie legisset Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus, haudquaquam fiducia tanta Opusculum præfatum, Anastasio seniori seu primo adscripsisset. Sed ea est hominum præjudiciis abreptorum infelicitas, ut quidquid causæ suæ militat, (verum nec ne sit) cæco amplexentur modo.

5. *Quinto* ex his solis verbis pag. 9. ubi legitimæ disputationis conditiones exigit, authorem sane recentissimum esse conjicio, non autem Anastasios illos duos antiquiores sæculi Sexti. "Exploratam (inquit) habeat Chronologiam, & quo tempore vixerit hic aut ille Pater, quando hæc aut illa hæresis extiterit. Neque illud ignorandum, Adversarium, quando per interrogationem ad angustias redactus est, conari alia interrogatione proposita, alio sermonem transferre, quod non est tolerandum. Ante disputationem, ab Adversario juramentum petendum est, quo polliceatur nullo verbo, contra conscientiam suam sese acturum." Expers omnino rerum antiquarum, atque judicii vacuus existo, si tantæ præcautiones quas in Disputationibus Polemicis author exegit, excedant trutinam & cautelas, à recentioris fori legibus & scholasticæ balbutiei temporibus excogitatas. Errant itaque cælo toto, qui Scriptorem hunc ante seculum Ecclesiæ undecimum, admiserint. Addo methodum hujus Opusculi esse ejusdem farraginis & confusionis cum Opusculo *Quæstionum CLIV. in Scripturam sacram*, quæ certo ad eundem Anastasium Sinaitam & Episcopum Antiochenum quartum spectant, ut postea probabitur. Quod confirmatur ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ, quem se volvisse testatur Aubertinus Lib. 2. *De Sacramento Eucharistiæ* pag. 894. col. 1. *Cui (ait) subjunguntur quasi continui operis*

operis inmoni ra Veterum testimonia, tractatum sexies majorem conficientia. Qua pariter methodo, seu Veterum allegatione utitur *Quæstionibus in sacram Scripturam*, ut legenti constabit.

Necopponant mihi vel Codicem MS. Græcum 33. Bibliothecæ Augustanæ præferentem „nomen *Anastasii*, juxta autem editum Catalo„gum *Athanasii, Montis Sina Monachi*: vel Nice„phorum Callistum *Historiæ Ecclesiasticæ* Lib. 18. „cap. 44. inter Anastasii senioris Opera, hunc„ce ὁδηγὸν referentem. Nam ista ad fidem ad„struendam, minime sufficiunt. Idem enim „Codex Augustanus annotante ipso Gretsero, „eidem pariter Anastasio tribuit Libellum, cu„jus titulus est, *Relatio de rebus gestis in Persside* &c. de quo tamen ait: *Oratio illa olet nescio quid fabularum, ut difficile creditu sit, ex Anastasii nostri officina prodiisse.* Ad Nicephorum autem quod attinet, ipse recentissimi temporis, seculi nempe XIV. Scriptor est, ad hanc stabiliendam rem insufficiens: qui cum non novisset plures fuisse Anastasios Episcopos & Monachos Sinaitas in sede Antiochena, omnes in unum confudit: dum & Martyrium Anastasii secundi, & ὁδηγὸν Anastasii quarti primo soli adscripsit. Recte ergo Aubertinus loc. citat. pag. 893. de Nicephoro: *Præterquam quod atque in eo falli potuit, ac quando eundem Anastasium aut à Judæis fuisse occisum: quod certe constat & fatetur Gretserus, contigisse non ipsi, sed alteri Anastasio ipsius successori.* Incertum denique est, an ὁδηγὸς de quo loquitur loco citato Nicephorus, sit ille liber seu farrago quam Gretserus hic edidit: an liber alius prolixus *Quæstionum* etiam editus, de quo postea, quem ipse Gretserus in MSS. Codicibus Bavaricis & Romanis pariter, inscribi testatur: βίβλος ἡ καλουμένη ὁδηγὸς τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίου τοῦ Σιναΐτου καὶ ἐπισκόπου θεουπόλεως Ἀντιοχείας: *Liber qui dicitur* Dux viæ, *Sancti Patris nostri Anastasii Sinaitæ, & Episcopi urbis Antiochiæ.* Quem spectare constat, ad Anastasium Episcopum Antiochenum quartum, non nominis primum vel secundum, qui seculo sexto claruerunt.

Sexto Michael Lequienus in Editione nova Operum S. Joannis Damasceni Græco-latina, quæ duobus in folio Tomis anno 1711. prodiit Parisiis, Tomo 1. pag. 661. refert Leonem Allatium misisse olim ad Dominum Joannem Aubertum qui tunc meditabatur Operum Sancti Joannis Damasceni editionem novam, nempe post absolutam à se Græco-latinam Sancti Cyrilli Alexandriæ Archiepiscopi Operum omnium editionem Parisiis anno 1638. septem in folio voluminibus factam: misisse inquam *Fidei confessionem* à se in MSS. Codicibus Græcis sub nomine Sancti Joannis Damasceni repertam, ut novæ Operum Damasceni editioni insereret: sed Lequienum inserere recusasse, eo quod reperisset illam Græce & Latine in ὁδηγῷ Anastasii Antiocheni Archiepiscopi & Sinaitæ cap. 1. pag. 10. & seqq. impressam. Ita ille Tomo 1. editionis novæ Operum S. Joannis Damasceni pag. 661. his verbis.

„Leo Allatius in *Commixtis* suis pag. 448. post „Epistolam ad Nihusium, indicem evulgavit „Opusculorum Sancti Joannis Damasceni, quæ „CL. Joanni Auberto Lutetiam miserat, ut in „proxima S. Doctoris Operum editione una „cum aliis publici juris fierent. In his duo sunt, „quibus suum in hac nostra locum deberi non „puto, utpote quæ nihil aliud sint, nisi partes „quædam Libri Anastasii Sinaitæ, qui ὁδηγός, „seu *Dux viæ adversus Acephalos* inscribitur, qui„bus librariorum imprudentia nomen Joannis „Damasceni præfixum fuit. Primi in codice „Vaticano titulus est, Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ „περὶ τῆς εὐσεβοῦς καὶ ὀρθοδόξου &c. quod vir cla„rissimus doctissimusque Laurentius Zacha„gnius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, pera„manter mihi cum describendum curasset, a„gnovi nihil aliud esse, quam brevem illam „*Fidei expositionem*, quæ cap. 1. pag. 10. τοῦ ὁδηγοῦ „& sequentibus ad 17. habetur, usque ad Scho„lium μὴ λανθανέτω τοὺς φιλοπόνους, *Noverint „studiosi Lectores* &c. Cum itaque hæc *Professio „fidei* quæ habetur in ὁδηγῷ cap. 1. pag. 10. & „sequentibus, juxta Leonem Allatium & Laurentium Zachagnium, in 2. MSS. Codicibus Græcis reperiatur sub nomine S. Joannis Damasceni, quem circa annum Christi DCCXL. floruisse constat: hinc aperte sequitur τὸν ὁδηγὸν non posse spectare ad tres priores Anastasios Sinaitas & Antiochenos Archiepiscopos, qui omnes multis annorum decadibus ætate Sancti Joannis Damasceni antiquiores sunt, nec hanc *Fidei confessionem* Opusculis suis inserere potuerunt. Spectat igitur Opusculum ὁδηγοῦ ad Anastasium Antiochenum Archiepiscopum & Sinaitam, quem quartum nominis dicimus, qui anno 1020. floruisse creditur, ut supra cap. 2. hujus Dissertationis explicuimus.

Septimo hæ *Definitiones variæ* quæ cap. 2. pag. 23. ὁδηγοῦ continentur, extant in MS. Codice Vaticano 495. collectæque dicuntur ἀπὸ τῶν τοῦ Κλήμεντος Ῥώμης, καὶ τοῦ Ἰωάννου Δαμασκηνοῦ καὶ ἑτέρων ἁγίων πατέρων, *Ex Clemente Romano, Joanne Damasceno & aliis sanctis patribus.* Item Leo Allatius in Diatriba *De Joanne Damasceno & Operibus ejus*, Num. 69 testatur hujus Opusculi in Schedis suis hunc titulum fuisse, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Δαμασκηνοῦ ὅροι διάφοροι πρὸς ἀκριβεστέραν παράδοσιν καὶ πίστιν τῆς ἁγίας καθολικῆς Ἐκκλησίας, συλλεγέντες ἀπὸ τοῦ Κλήμεντος Ῥώμης καὶ ἑτέρων ἁγίων πατέρων *Sancti Joannis Damasceni definitiones variæ, pro accuratiori traditione & fide Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, collecta ex Clemente Romano & aliis sanctis patribus.* Juxta itaque Leonem Allatium, ex MSS. istorum Codicum fide, istæ *Definitiones* eædem ipsæmet sunt, quæ cap. 2. τοῦ ὁδηγοῦ continentur, editæque multoties fuerunt inter Opera S. Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi sed non nihil auctiores. Unde liquido constat, Opusculum

ſculum τῦ ὁδηγῦ non poſſe pertinere ad tres priores Anaſtaſios Antiochenos Archiepiſcopos & Sinaitas: quippe qui omnes multis annis antiquiores ſint ætate Sancti Joannis Damaſceni, qui ſub ſeculi VIII. medium duntaxat, circa annum 740. clarus ob cultum imaginum propugnatum extitit. Vnde ſequitur pertinere ad Anaſtaſium Sinaitam & Antiochenum Archiepiſcopum, quem nominis quartum diximus, atque anno circiter 1020. aſſignavimus. Hæc ex editione nova Operum S. Joannis Damaſceni, quam anno 1711. tomis in folio duobus, Græce & Latine Lutetiæ Pariſiorum procuravit Michael Lequien Ordinis Fratrum Prædicatorum, Tomo 1. Operum pag. 661. & 662. Atque ex hoc etiam MS. Vaticani titulo, liquet τὸν ὁδηγὸν nihil eſſe aliud, quam *farraginem inconditam & perturbatam*, quæ Seculi Sexti ſcriptoribus attribui nequeat, merito autem Seculi undecimi initio, quod maxime obſcurum fuiſſe conſtat. Hæc donec quis certiora de ætate hujus farraginis Scriptoris habeat, quem absque repugnantia ulla amplectemur. Hæ porro *Definitiones variæ* de quibus loquimur, ita cap. 2. pag. 23. ὁδηγῦ inſcribuntur, *Definitiones variæ ſecundum traditionem Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, à Clemente & Sanctis Patribus collectæ, quas ante omnes alias diſciplinas diſcere oportet, illum, qui divina adiutus gratia, verbo pietatis praeeſſe cogitat.*

Octavo habentur in hoc ὁδηγῷ ſequentes tractatus ſub his titulis cap. 3. pag. 72. &c. Ἀναστασίου ἐλαχίστου μοναχοῦ πόνημα περὶ πίστεως ὀρθοδόξου. ἀνθολογηθὲν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν καὶ διδασκάλων: *Anaſtaſii minimi Monachi opus de fide orthodoxa, ex ſacris litteris ac Doctoribus decerptum.* Et cap. 4. pag. 78. ad pag. 85. Ἀναστασίου ἐλαχίστου πρεσβυτέρου τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, περὶ πίστεως τῆς οἰκονομίας Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἁγίαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν τὴν ἐν Βαβυλῶνι γραφεῖσαν, αἰτησαμένων τινὶ τῶν ἐν αὐτῇ φιλοχρίστων καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν ἀδελφῶν: *Anaſtaſii minimi Presbyteri ſancti montis Sina, opus de fide, œconomiæ Chriſti Dei filii, ad ſanctam Catholicam Eccleſiam Babylone ſcriptum, fratribus noſtris in ea Chriſti ſtudioſis, & orthodoxis petentibus.* Scripti autem hi tractatus non videntur ante seculi decimi medium, quo apud Græcos Monachi & Presbyteri affectabant epithetum *Minimi* nomini ſuo adijcere, ex humilitatis ſenſu, τοῦ ἐλαχίστου, ut patet ex iis quæ diximus ad annum 940. in *Baſilio Monacho*, qui Scholia in Orationes 44. S. Gregorii Nazianzeni conſcripſit: Ita enim ſe cognominare ſolebant tuoc temporis Scriptores Monachi. Cum itaque hujus ὁδηγῦ farraginis Scriptor, Opera quæ nonniſi ſeculo decimo ſcripta fuiſſe ex contextura & titulis conſtat, interſeruerit: hinc ipſum ante annum 1020. non ſcripſiſſe hoc Collectaneum conjicimus, atque ita illud non pertinere ad tres Anaſtaſios Antiochenos Archiepiſcopos & Sinaitas, qui multis annis & ſeculis ætate iſta anteriores ſunt, ſed ad quartum alium ejusdem cognominis, quem anno 1020. alligavimus.

Nonò Idem cap. 22. pag. 338. allegat S. Dionyſium Areopagitam libro De divinis nominibus cap. 9. Item pag. 340. *Rurſus cum Eccleſia doceat unam eſſe Angelorum ſubſtantiam, idem divinus & Apoſtolicus Dionyſius, nominat ſupernas virtutes, multas ſubſtantias.* Et Magnus Dionyſius Alexandrinus, ex Rhetorum numero Epiſcopus factus, in Scholiis quæ ſcripſit in ſibi cognominem Dionyſium, hæc habet: *Externa philoſophia ingenitam appellare ſolet naturam inaſpectabilem, ſimiliter & hypoſtaſes, ſubſtantias: ex cujus more Sanctus Dionyſius his locis eſt loquutus.* Item caput 24. pag. 360. inſcribitur: *Sancti & Apoſtolici Doctoris Dionyſii Areopagitæ, ex capite de conjuncta & diſcreta Theologia:* Τοῦ ἁγίου Ἀποστολικοῦ διδασκάλου Διονυσίου, τοῦ Ἀρεοπαγίτου, ἐκ τοῦ κεφαλαίου τοῦ περὶ ἡνωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας. Idem dic de Operibus Sancti Clementis Romani quæ cap. 2. pag. 23. allegantur, licet apud eruditos omnes ſuppoſititia ſpuriaque cenſeantur. Ex his Sancti Dionyſii Areopagitæ citationibus, concludo Scriptorem ὁδηγῦ eſſe hominem non Seculi VI, ſed Græciæ recentioris, maximè dum allegat *ſcholia fuiſſe ſcripta à Dionyſio Alexandriæ Epiſcopo, in Opera Sancti Dionyſii Areopagitæ*: quod apertum eſt mendacium. Nam Opera hujus Areopagitæ Dionyſii à nemine cognita vel allegata unquam fuerunt, ante Collationem anno 533. Conſtantinopoli factam inter Severianos atque Orthodoxos, Severianis illa primum allegantibus, ſed Orthodoxis velut incognita & incerta rejicientibus. Porrò cum Opera iſta ante annum 533. à nemine agnoſcerentur, quâ ratione alter Dionyſius Alexandrinus Archiepiſcopus, qui anno 260. inter celebres viros erat, *Scholia in ea* ſcripſiſſet, quorum nullus veterum mentionem facit, ante τοῦ ὁδηγῦ Scriptorem? Sunt igitur hæc mendacia, quæ probant authorem hujus Operis, eſſe Græciæ recentioris & mendacis, qui ante annum 1020. ſeu ſeculum undecimum & obſcurum, in quo judicium operum nullum erat, & omnia indiſcriminatim bona mala admittebantur, ſcribere iſta non potuit. Vnde nihil mirum, quod Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui circa annum 860. *Bibliothecam* compoſuit, atque omnes fere Græcos Scriptores legerat, qui ante illum vixerant, nullam Opuſculorum iſtorum mentionem habeat. Solent autem Græci recentiores à ſeculo præſertim undecimo, allegare opera multa incerta & falſa ſub ſpecioſo nomine Sanctorum Patrum, ut poſteris fucum faciant: quæ apud veteres Scriptores nunquam allegata ſunt.

Decimò Scriptor iſte τοῦ ὁδηγῦ ex editione Græco-latina Jacobi Gretſeri, facta Ingolſtadii in 4. anno 1606. typis Adami Sartorii, cap. 1. pag. 10. explicat latius ac verbis amplioribus *Compendiariam fidei expoſitionem* ab altero Anaſtaſio Sinaita

&

& Antiocheno Archiepiscopo nominis tertio factam ad tempora Concilii oecumenici sexti, annis 680. & 681. celebrati, cujus titulus Περὶ πίστεως ἔκθεσις ἐν Ἐπιτομῇ, *Brevis Expositio fidei*: atque illic sicut Anastasius ille tertius, eadem pag. 11. disertè agnoscit *duas in Christo naturas & voluntates, & duas naturales operationes.* Idem cap. 2. pag. 26. explicat diffusius per modum paraphraseos & Commentarii, *Compendiosam fidei institutionem*, quæ ab Anastasio Sinaita & Archiepiscopo Antiocheno nominis tertio facta est, de quo supra diximus ad annum 680, ubi de Scriptis Anastasii istius egimus. Agnoscit autem in Christo, duas Dei & hominis appellationes pag. 44. atque etiam duas voluntates & operationes, contra Monothelitas Hæreticos. Cum igitur Scriptor Ὁδηγοῦ alleget Opuscula Anastasii Antiocheni Archiepiscopi & Sinaitæ nominis tertii, opus istud Ὁδηγοῦ, nonnisi ad alterum Anastasium nomine quartum, & Antiochenum Archiepiscopum & Sinaitam Monachum spectare potest. Idem cap. 3. pag. 72. Ἀναστασίου ἐλαχίστου μοναχοῦ πόνημα περὶ πίστεως ὀρθοδόξου ἀνθολογηθὲν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν καὶ διδασκάλων. *Anastasii minimi Monachi Opus de orthodoxa fide, ex sacris litteris ac Doctoribus excerptum.* Cap. 4. pag. 78. Ἀναστασίου ἐλαχίστου πρεσβυτέρου τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ περὶ πίστεως τῆς οἰκονομίας χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἁγίαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν, τὴν ἐν βαβυλῶνι γραφεῖσαν, αἰτησαμένων τινῶν, τῶν ἐν αὐτῇ φιλοχρίστων καὶ ὀρθοδόξων ἡμῶν ἀδελφῶν. *Anastasii minimi Presbyteri sancti montis Sina, opus de fide œconomia Christi filii Dei, ad Sanctam Catholicam Ecclesiam in Babylone scriptum, fratribus nostris in ea Christi studiosis & Orthodoxis petentibus.* Quæ omnia cum pertineant ad Anastasium Sinaitam monachum & Antiochenum Archiepiscopum nomine tertium, atque ab authore Ὁδηγοῦ allegentur, probant evidenter istud opus spectare non posse nisi ad Anastasium Antiochenum Patriarcham & Sinaitam Monachum, qui anno 1010. vel 1020. vixisse creditur. Idem quoque probat cap. 5. pag. 86. *de sex œcumenicis Conciliis* ut titulus habet, de quibus ad pag. 90, sed ubi Concilium sextum œcumenicum deest, quia caput istud in fine mutilum est. Idque desumptum ex Anastasio nominis tertio, qui anno circiter 685. Narrationem brevem *De hæresibus & de Conciliis adversus eas celebratis usque ad Concilium sextum œcumenicum* conscripsit, ut ad annum 680. in Anastasio Monacho Sinaita & Archiepiscopo Antiocheno nominis tertio, antea diximus.

CAPVT QVINTVM.

AD QVEM EX QVATVOR ANTIOCHENIS EPISCOPIS ET SINAITIS MONACHIS SPECTENT, EDITÆ IN SCRIPTVRAM SACRAM QVÆSTIONES?

Quæstiones & Responsiones de variis argumentis in Scripturam sacram, num. CLIV. de quibus ita loquitur Guillelmus Cavus loco citato. "Infinitum esset, omnium de hoc Opere sententias, objectiones, responsiones recensere. Paucis igitur me expediam, Vel Anastasii nostri opus non est, vel insigniter interpolatum. Quæstione enim 16. meminit Phocæ tyranni, Imperium sibi arripientis. Alibi etiam in eo citantur Maximus Monachus videlicet quæst. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 18. 154. Nicephorus Patriarcha CP. videlicet quæst. 2. & 57. Olympiodorus, & Synodus sexta seu Trullana, quæst. 64. Joannes Moschus quæst. 60. & alii Anastasio nostro juniores. Porro quæst. 117. loca sancta Palæstinæ Orthodoxos Christianos per 700. annos tenuisse affirmat author. Sive igitur anni isti à Constantini imperio, quod rationi consentaneum magis videtur: Sive ab ipso Christo initium ducant, id parum refert. Anastasius certe Antiochenus, ejusmodi calculo uti non potuit. Quidquid sit, videntur mihi hæ quæstiones esse cento primum ab Anastasio inchoatus, deinde ab aliis, variis locis & temporibus auctus & absolutus. Hinc fit, ut in Codd. MSS. mire variet Quæstionum numerus, nec ipse Gentianus Hervetus qui eas primus edidit, plures quam XCIII. dederit, & istas quidem Anastasio Nicæno adscriptas. Integrum verò opus, Græco-latinè in lucem emisit Gretserus Ingolstadii 1617. in 4to." Hæc Cavus, quibus vult Opus quidem esse Anastasii Sinaitæ primi & Antiochiæ Episcopi, sed interpolatum: quâ sane ratione juxta Cavum, admittenda sunt indiscriminatim omnia Opera, etsi nullam antiquitatis notam habeant, dicendo ea interpolata esse à recentioribus. Hæc puerilia, viro gravi indigna: ad affirmandam enim Operum aliquorum interpolationem, assignari debent MSS. Codices, quibus illa interpolata esse ostendantur: aliis Manuscrptis sine interpolatione, aliis cum ipsâ recentioribus existentibus.

Itaque *Quæstiones & Responsiones de variis argumentis in Scripturam Sacram, num. CLIV.* ad Anastasios Antiochenos primum & secundum spectare non possunt, rectè vero ad Anastasium quartum. Quoad partem primam, hoc evidenter patet ex his omnibus quæ à Cavo allegata sunt suprà, atque ex temporibus utriusque Anastasii, de quibus loquimur. Nam ut ante prædictum, Anastasius ille primus, Antiochiæ Episcopus anno 561. factus, anno 599. die 21. Aprilis mortuus est. Alter secundus, qui ipsi in sede successit, mortuus est anno 608. die 21. Decembris. In his autem Quæstionibus, citatur quæst. 60. Joannes Moschus, qui anno 630. floruit, utroque Anastasio posterior. S. Maximus Martyr allegatur Quæst. 1. 3. 4. 5. 6. 8. 18. & 154. qui anno 640. clarus, anno 662. die 13. Augusti mortuus est. Synodus sexta seu Trullana citatur hic Quæst. 64. quoad Ca-

nonem 89. quæ tamen anno tantum 692. celebrata est. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus citatur quoque hîc quæst. 2. & 57. qui anno tantum 806. ad hanc sedem promotus, atque anno 828. die 2. Junii mortuus est. Olympiodorus incertæ ætatis author, ibi citatur quæst. 16. quem plurimi ad annum 900. vel serius collocant. Deniq; excerpunt atq; delibant *Quæstiones novissimæ Athanasii ad Antiochum* ab his Anastasii Antiocheni vetustioribus quæstionibus, 8. 9. 62. 81. 88. 89. 92. 95. 99. 113. 114. 117. 118. 119. 120. & 125: quæ tamen utroque Anastasio seniore recentiores sunt, nec seculo nono antiquiores. Vt nullum sit dubium, quin Opusculum istud spectare nequaquam possit ad Anastasios duos seniores, annis citatis mortuos: recte autem ad quartum Seculi XI. Scriptorem. Omnino autem absurdum est atque Cavi judicii ad interpolationes recurrere: quisquis enim mutuata hinc inde vellet ab his quæstionibus auferre, quæ centonis ad instar sunt, nihil omnino excerptoris remaneret. Imò ex hac ipsa collectione, inferendum omnino est, authorem esse valde recentem. Quod autem indubie spectet ad Anastasium quartum, quem sub Seculi XI. initium collocamus: ex eadem *De tribus Quadragesimis observandis* doctrinâ, & iisdem verbis probamus. De ea sufficienter dictum hujus Dissertationis cap. 4. quam audire tantum juvat in opere *Quæstionum istarum*. Trium itaque istarum Quadragesimarum adhuc stantium meminit Quæstione 64. pag. 425. his verbis: *Sciendum est autem, quod nemo potest jejunare octo hebdomadas in Magna Quadragesima, ut Ariani qui transcendunt numerum 40. dierum, quem Dominus dedit* &c. ubi enim meminit *Magnæ Quadragesimæ*, alias fuisse minores innuit. Quomodo & apud Coterium tom. 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 426. jejunium Resurrectionis Christi prævium, vocat *Magnum*. Sed & expresse in iisdem Quæstionibus pag. 431. uti iisdem verbis, quibus in tractatu *De tribus Quadragesimis*, loquitur. *Hinc merito ut videtur, etiam apud nos observantur tres Quadragesimæ, quas præsumebant illa festa Hebræorum, quæ additamentum tricenarii numeri nullo modo admittunt.* Ejusdem itaque Scriptoris sunt, *Quæstiones illæ in Scripturam sacram*, cum tractatu *De tribus Quadragesimis* à Cotelerio edito, Anastasii nimirum Antiocheni Episcopi nomine quarti. Harum autem *Quæstionum & Responsionum CLIV. Anastasii*, extant MSS. Codices in Bibliothecis Vaticanâ, Florentinâ, Messanensi. In Viennensi Bibliotheca Cæsarea, Codice MS. Theologico Græco LXXXIX. & quidem à fol. 120. pag. 2. usque ad folium 298. p. 1. ut habet Lambecius Libro seu Tomo 3. hujus Bibliothecæ pag. 197. Codice MSS. Theologico Græco CLV. & quidem à fol. 23. pag. 1. ad folium 16. pag. 1. ut habet idem Lambecius Libro 4. ejusdem Bibliothecæ pag. 139. Codice MS. Theologico Græco CLXV. & quidem a fol. 62. pag. 2. usque ad folium 140. pag. 1. ut ibidem habet Lambecius pag. 169. Codice MS. Theologico Græco CLXXXVII. & quidem a folio 1. pag. 1. usque ad folium 58. pag. 2. ut ibidem habet Lambecius pag. 200. Codice MS. Theologico Græco CCXIV. & quidem à folio 80. pag. 1. usque ad folium 132. pag. 2. & à fol. 145. pag. 1. usque ad folium 170. pag. 2. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 41. Codice MS. Theologico Græco CCXXXVIII. & quidem à folio 1. pag. 1. usque ad folium 102. pag. 2. ut habet ibidem Lambecius, pag. 92. Codice MS. Theologico Græco CCLII. Libro 5to hujus Bibliothecæ, pag. 158. Hi 7. MSS. Codices Græci harum *Quæstionum & Responsionum Anastasii Sinaitæ*, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi. Vnus in Bavarica Cod. 105. In Regia Galliarum Codicibus 1110. 1787. & alibi, de quibus agit Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum* ex MSS. Codicibus Regiis quæ anno 1653. Parisiis in 4. edita fuit apud Joannem Henault, nempe *Supplemento VII.* pag. 285. Codice Regio 1110. & pag. 297. Codice Regio 1787. & in Colbertina Cod. 1450. Denique inter MSS. Codd. Bibliothecæ Bodleianæ Oxonii in Anglia extant Codices illarum MSS. quatuor Codice 91. Barocciano pag. 70. Ibidem Cod. 206. itidem Barocciano, ubi aliqua adnotat author Catalogi MSS. Codicum Bibliothecæ istius, ad suppositionem illarum atque ætatem recentiorem. Codice 263. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 17. à pag. 1. ad 172. Denique ibidem Cod. 291. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 112.

Non omittendum autem id quod scribit & observat, Petrus Lambecius libro 3. *Commentariorum suorum* Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 197. Codice MS. Theologico Græco LXXXIX. Num. XXII, non ita esse perfectam Jacobi Gretseri Soc. Jesu, editionem Græco-latinam *Quæstionum istarum Anastasii Antiocheni hujus Archiepiscopi & Sinaitæ*, quin ipsi addi aliquid possit ad majorem perfectionem, quem audiamus Num. 22. „Numero 22. & quidem à fol. 120. pag. 2. ad usque folium 298. p. 1. Ejusdem *Sancti Anastasii Sinaitæ Quæstiones & Responsiones de variis capitibus Orthodoxæ fidei & de variorum sacræ Scripturæ difficilium locorum interpretationibus*. Ipsa tituli Græci verba sunt hæc, Τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Ἀναστασίου ἀποκρίσεις πρὸς τὰς προσενεχθείσας αὐτῷ ἐπερωτήσεις παρά τινων ὀρθοδόξων, περὶ διαφόρων κεφαλαίων. Prima autem Quæstio cum principio responsi est talis, Τί ἐστι τὸ σημεῖον τοῦ τελείου Χριστιανοῦ; Πίστις ὀρθὴ καὶ ἔργα εὐσεβῆ. Χριστιανὸς γὰρ &c. Plura de hisce Quæstionibus & Responsionibus videsis apud Jacobum Gretserum, qui eas post *Gentiani Herveti* editionem Latinam imperfectam primus Numero CLIV. Græce & Latine, & quidem sub vero *Anastasii Sinaitæ*, non autem *Anastasii Nicæni* nomine, edidit A. 1617. Ingolstadii typis Ederianis in quarto. Potest tamen etiam

Gret-

„*Gretseriana illa editio*, beneficio hujus Codicis „MS. Cæsarei, non exiguo supplemento augeri „inter Quæstionem XLII. & XLIII. Quippe „ubi Gretserus ipse in margine annotavit *sex* „*alias intermedias Quæstiones*, quæ in *Herveti* edi„tione tantum Latinæ extant, in Codice suo „Manuscripto Græco, sed rectè, non comparuis„se. Notandum insuper est, in eadem Gretse„riana editione, nonnullis etiam locis, deesse no„mina Auctorum, ex quorum operibus *Quæstio„nes & Responsiones quædam* desumptæ sunt. Sic „enim ante Quæstionem XLII, deest nomen Ἱπ„πολύτε sive *Hippolyti*, ex cujus Commentario „in *Cantica Canticorum*, Responsio desumpta est. „Similiter quoque ante Quæstionem LII, Ἰουδί„ϰε nomen deest, & ante Quæstionem LIII, hæc „verba Ἡσυχίε πρεσβυτέρε omissa sunt. Hæc Lambecius ad supplendam in editione Gretseriana lacunam in Græcis, & alios defectus à Quæstione 42. ad 43. Cum autem plurimi sint harum Quæstionum MSS. Codices in Europæ Bibliothecis celebribus, nullum mihi dubium, quin ex aliis quoque MSS. Codicibus Gretserianæ Lacunæ suppleri possint, maxime ex Regiis Galliarum Græcis MSS. unde suam editionem Gentianus Hervetus adornasse dicitur.

CAPUT SEXTUM.

AD QUEM EX QUATUOR ANASTASIIS SINAITIS, SPECTENT IMPRESSA ALIA OPUSCULA?

„ I. EX his *Anagogicarum contemplationum in* „ *Hexaemeron Libri XI.* Latine editi Pari„siis anno 1609. Librum duodecimum sive „Exemplarium raritate, sive Pontificiorum frau„de hactenus suppressum, Græco-latine eden„dum curavit Petrus Allix Londini 1682 in 4. Narrat hæc Cavus, addit autem Labbeus hos libros à Michaele Glyca aliisque citatos, Latine versos ab ignoto quodam interprete, cujus nomen frustra requiras in Parisiensibus & Coloniensi Patrum Bibliothecis, ubi annis 1575. 1589. & 1618. opus præfatum impressum est. Idem Labbeus, *Observatione primâ* in Anastasium Sinaïtam, inquit vidisse se aliquos qui *Contemplationes Anagogicas in Hexaemeron*, scriptas esse ab aliquo alio Anastasio aut Pseudo-Anastasio post annum 1050. vel 1278. dicerent. Quo tempore etiam vixisse contendebant authorem *Quæstionum & Responsionum de diversis sacræ Scripturæ capitibus*, sive XCIII. tantum, sive CLIV. numerentur: neque enim sibi constare in similibus eclogis, Codices MSS. Bibliothecarum, fere omnes discrepantes. Hæc Labbeus, quibus nostram de Anastasio IV. confirmat sententiam: longe à Guillelmo Cavo remotus, qui omnia hæc devotè, sub nomine Anastasii Senioris, Sinaitæ Monachi & Antiocheni Episcopi, amplexatur. Injustissimè autem conqueritur hic Cavus *Contemplationes istas Anagogicas sive Exemplarium raritate, sive Pontificiorum fraude hactenus suppressas*: Græci enim illarum multi reperiuntur MSS. Codices, licet Latine tantum prodierint: ut in Bibliothecis Vaticana ex Heidelbergensi Codice 372. ubi Homiliæ ejusmodi Anagogicæ duodecim recensentur, his verbis: *Codice 372. Anastasii Sinaitæ in Hexaëmeron & quæ deinceps sequuntur in Genesi, usque ad contactas vestes Adamo & Evæ datas, Homilia 12. in 4to.* In Bibliotheca Cæsarea Viennensi Codicibus duobus, Codice MS. Theologico Græco CLXXXV. & CLXXXVI. quamvis in posteriori Codice sub Cyrilli Alexandriæ Patriarchæ nomine legantur: quorum meminit Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 198. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 220. verbo *Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus*. In Bavarica Codicibus 202. & 243. Vallicellana Romæ quæ ad Oratorii Patres spectat: quod ex Catalogis ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini cognoscere potuit. Editio autem Græce & Latine facta Libris XII. in Anglia anno 1682. Londini in 4. prodiit ex MS Codice Joannis Dallæi apud Caventonium Ministri Divini verbi, qui jam in Colbertinam Bibliothecam Cod. 2153. pertransiit, ut mihi a Bibliothecario narratum est. Denique extat Opus Anastasii *De operibus sex dierum* Græce MS. in Lugduno-batava nostra Bibliotheca inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos Codice Græco 80. Certe ut habet Ellias du Pin in *Bibliotheca nova Ecclesiastica* seculo 6. pag. mihi 97. „Hi *Contemplatio„num Anagogicarum* libri ita mysticis sensibus ple„ni atque à litterali aberrantes, ut absque tæ„dio legi nequeant. Cumque dogmaticum ni„hil contineant, nullus supprimendorum illo„rum Papistis locus fuit, ut temere conqueri„tur Cavus.

2. *Orationes* quinque *dogmaticæ*, *de Sancta Trinitate*, *de Incircumscripto*, *de Incarnatione divina*, *de passibilitate & impassibilitate Christi*, *de Resurrectione ejusdem*, seu *de recta fidei Orthodoxa dogmatibus libri quinque*: prodierunt Latine Godefrido Tilmanno interprete, Parisiis 1556. in 8vo, & in Bibliotheca Patrum Parisiensis editionis annorum 1575. & 1589. Francisco Turriano interprete Ingolstadii 1616. in 4. Opera omnia Anastasii hactenus enumerata, habentur Latine tantum in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis anni 1677. tom. 9. in fine pag. 808. & seqq. Hoc opus genuinum Anastasii Sinaitæ & Antiocheni Episcopi Senioris anno 599. mortui, censet Aubertinus Lib. 2. *De Sacramento Eucharistiæ* pag. 894. his verbis. „Extat enim liber *De „recta fidei dogmatibus*, sub ejus nomine editus,„ Orationes quinque complectens, eundem„ prorsus genium spiritumque redolentes, quas„ ipsius esse, pene certò constare videatur: cum„ in primâ illarum notet, *sibi jam loqui non lice„re, se incurrisse divinam visitationem, inopia libro„rum laborare*: & in tertia, *se libros sacros non ha-*

„*habere*, quippe *in exilio constitutum*. Quod optime quadrat in Anastasium hujusce nominis „ptimum, a Justino imperatore (ut Evagrius „habet Lib. 5. Historiæ cap. 5.) vi in exilium „pulsum, ibidemque Gregorio interim ipsi suf„fecto, per annos pene viginti quatuor detentum. " De his nihil omnino pronuntiat Guillelmus Cavus, at Ellias du Pin in *Bibliotheca nova Ecclesiastica* seculo 6. pag. mihi 95. censet *Orationes istas plurima continere Scholasticorum ratiocinia*. Huic assentimur, inde concludentes spectare eas ad Anastasium nominis quartum, non ptimum vel secundum. Agit ergo in his Orationibus ratiocinatione plurimum Scholastica, quæ recte quidem ad seculum XI. referri potest, non autem ad sextum, ut Anastasiis anterioribus tribuatur. Certe satis sibi constare in hoc puncto Aubertinos non videtur, dum asserit has quinque Orationes convenire *pene certò Anastasio Seniori*: qui tamen negat ὁδηγὸν, esse genuinum illius opus. Ista itaque sibi contradicunt. Nam Anastasius ὁδηγȣ͂ author, Dogmatici tomi meminit sub finem Prologi τȣ͂ ὁδηγȣ͂, & cap. 8. vocat τὸν τόμον ἀπολογητικὸν πρὸς τὸν λαόν: in quo dicit se tractasse *De natura & persona*. Vel ergo utrumque Opus est Anastasii Senioris, quod non vult Aubertinus: vel neutrum spectat ad Anastasium seniorem, quod etiam contra Aubertinum jam allegatum est. Cum autem ex me ὁδηγὸς ad ultimū Anastasium Antiochensem Episcopum IV. nominis pertineat: idem quoque de his *Orationibus quinque* opinor, quarum scholastica argumentandi ratio, huic seculo convenire potest. Nec juvat argumentum Aubertini petitum ab Anastasii Senioris certissimo exilio, atque authorem *harum quinque Orationum* in angustias pares adductum fuisse, ex Orationibus primâ & tertiâ. *Orationes istas* ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Latine translatas edidit Godefridus Tilmannus, Parisiis 1556. in 8. quem inquisitum reperire non potui, alius inveniet forsitan. Sunt autem hujus Operis MSS. Codices in Vaticana Romæ, olimque in Sfortiana Cod. 31. atque inter MSS. Codices quos Franciscus Turrianus cessit Societati Jesu, dum eam ingressus est: ut annotat Possevinus ad calcem *Apparatus sacri*, quem videris. Extant hæ *quinque Orationes Sancti Anastasii Sinaita de Orthodoxa fide* MSS. Græce in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ut habet Lambecius Libro VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 167. his verbis. „ Nempe Codice MS. Philosophico „Græco XC. num. XV. & quidem a fol. 162. p. 2. „usque ad folium 203. pag. 2. *Ejusdem S. Anastasii* „*Sinaita Orationes quinque de Orthodoxa fide*, „quarum prima *De Sancta Trinitate* inscribitur „atque incipit hoc modo: Ἀναςασίȣ Ἐπισκόπȣ „Ἀντιοχείας, περὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ὀρθῶν τῆς ἀλη„θείας δογμάτων, λόγος πρῶτος. Τὸν περὶ „τῆς ὑγιȣ͂ς ἡμῶν πίςεως καὶ τῶν ἀληθῶν τῆς Ἐκ„κλησίας δογμάτων ἀκραιφνῆ καὶ ἀκίβδηλον λόγον &c. Secunda *De Incircumscripto* λόγος δεύ„τερος περὶ ἀπεριγράπτȣ. Πάντα τολμᾷ γλῶσ„σα δολία, καταφρονȣ͂σα τȣ͂ κτίσαντος καὶ τῆς „αὐτȣ͂ δυνάμεως &c. Tertia *De Divina Incar*„*natione*, λόγος τρίτος, περὶ θείας οἰκονομίας. „Ἱκανῶς ἡμῖν τῶν περὶ θεολογίας εἰρημένων &c. „Quarta, *De Passione & Impassibilitate Christi*, „λόγος τέταρτος, περὶ πάθȣς καὶ ἀπαθείας „Χριςȣ͂. Δείξας ἑαυτὸν διὰ τῶν παρ' αὐτȣ͂ λεγο„μένων τε καὶ πραττομένων, θεὸν ἀληθινὸν &c. „Quinta *De Resurrectione Christi*, λόγος πέμπτος „περὶ ἀναςάσεως. Ἀλλὰ γὰρ ȣ̓ μέχρι τȣ́τȣ μά„νον κατὰ τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν πάντα τετέ„λεςο &c. *Quarum quinque Orationum* versio „Latina per Franciscum Turrianum Soc. Jesu, „extat in Petri Stevartii *Auctario* Antiquarum „Lectionum Henrici Canisii Ingolstadii typis E„derianis anno 16.6. in 4to edito, a pag. 460. usque „ad pag. 516. "

Anastasii Patriarcha Antiocheni, Opusculum de Synodo Episcoporum Orientis in Perside coacta, ex Codice Regio 3111. hoc titulo, Ἀναςασίȣ Πατριάρχȣ Ἀντιοχείας διήγησις περὶ τῶν ἐν Περσίδι γενομένης συνόδȣ τῶν ἀνατολικῶν Ἐπισκόπων ἢ περὶ τῶν ἐν τῇ αὐτῇ χώρᾳ γεγονότων τεραςίων κατὰ τὴν τȣ͂ Χριςȣ͂ γέννησιν. Quem porum *Apocryphum ac fictitium* vocat eruditus in Græcis Carolus du Fresne Dominus du Cange in Indice Authorum manuscriptorum Græcorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 23. Edidit Philippus Labbeus *Novam Bibliothecam MSS Librorum, Græcorum, Latinorum, ac Gallicorum*, seu *Specimen antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* ex MSS. præsertim Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. Meminit autem in *Supplemento VII* ex ejusdem Bibliothecæ Codicibus pag. 289. Codice 1370. *Anastasii Patriarcha Antiocheni narratio eorum quæ gesta sunt in Synodo ab Orientalibus Episcopis in Perside*. Quod ergo Labbeus MS. Codici Regio 1370. assignat, hoc Ducangius Codici 3111. adscribit, numeris Codicum immutatis, ab eis qui ultimo Catalogum MSS. Græcorum ordinarunt, ut in Theodoro Studita infra diximus.

Anastasii Monachi Enarrationes diversa de Sanctis Patribus in monte Sina, extant MSS. in Cod. 4726. Bibliothecæ Colbertinæ sub hoc titulo, Ἀναςασίȣ Μοναχȣ͂ διηγήσεις διάφοροι περὶ τῶν ἐν Σινᾷ ἁγίων Πατέρων, de quibus idem Carolus du Fresne, ibidem.

3. *Homilia sex de diversis argumentis*, nomen Anastasii Senioris Antiocheni Episcopi præferunt, quæ etiam ad Anastasium nominis quintum à me allatum, spectare ex styli unitate videntur: quem habent ad homiliam *De Transfiguratione Domini*, quæ neque ex argumento cap. 4. hujus Dissertationis allato, ad Anastasios illos antiquiores spectare potest. Harum homiliarum duæ editæ tum Græce inter *Varia Divina* Jo-

Joannis Meursii, tum Latine tantum in *Antiquis Lectionibus* Henrici Canisii: tum Græce & Latine partim in *Auctario Græco-latino* Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis Parisiensis anni 1624. & 1648. quas servato hoc ordine habet Franciscus Combefis in dicto *Auctario* seu *Supplemento Bibliothecæ Veterum Patrum* anni 1648. tom. I. columna 350.

4. *In Annuntiationem B. Mariæ Virginis, homiliæ duæ:* quas Græce primum edidit in *Variis Divinis* Joannes Meursius, anno 1619. Lugduni-Batavorum in 4to. Interpretatus est autem Franciscus Combefis, atque in *Auctarium* immisit.

5. *In Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi*, quam primus evulgavit Græco-latinam dictus Combefis mutilam atque fine truncatam: complevit autem ex MS. Codice Historico Græco XIV. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Petrus Lambecius Lib. 8. hujus Bibliothecæ pag. 117. Extat quoque MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 1933. Atque inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ Codice Barocciano 199. pag. 293. ὡς φοβερὸς ὁ τόπ☉ ὁ-τ☉.

6. *De sacra Synaxi, & de non judicando, deque oblivione injuriarum*, eodem interprete. Alteram autem versionem Francisci Turriani Soc. Jesu exhibuit Henricus Canisius tomo 3. *Antiquæ Lectionis* pag. 67. ad 186. eandemque Græce & Latine jam antea ediderat Jacobus Gretserus Inlstolstadii cum ὁδηγῷ in 4. desumptam ut opinor, ex MS. Codice 75. Bibliothecæ Bavaricæ, in quo legitur. Habetur MS. in variis Codicibus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. In Cod. MS. Theologico Græco CLII. n. 6. & quidem à fol. 84. pag. 2. usque ad fol. 92. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 135. Codice MS. Theologico Græco CLXV. num. 5. & quidem à fol. 45. pag. 1. usque ad fol. 62. pag. 1. ut habet ibidem Lambecius pag. 168. Codice MS. Theologico Græco CCXIV. num. 4. & quidem à fol. 73. pag. 1. usque ad folium 78. pag. 1. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 40. Codice CCXLVI. num. 8. & quidem à fol. 55. pag. 1. usque ad folium 72. pag. 1. ut habet Lambecius ibidem pag. 115. Eadem inter MSS. Codd. Bodleianæ Bibliothecæ Codice 274. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 28. pag. 270. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 5875. in MSS. Thomæ Galei Codice 41. num. 2. Et Codice 9084. in Codd. MSS. Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis, Codice 13. Et Codice 9107. in MSS. ejusdem Wheleri, Codice 36. Extant etiam separatim in tribus MSS. Codicibus hujus Cæsareæ Bibliothecæ, nempe *Demonstratio Historica magnam & angelicam esse summi sacerdotis dignitatem:* Item *Ejusdem Narratio De Sancto Gregorio Magno, primo ejusdem nominis Papa Romano &c.* Codice MS. Theologico Græco LXXXIX. fol. 118. & 119. ut habet Lambecius Lib. 3. hujus Bibliothecæ pag. 196. Codice MS. Theologico Græco CXIII. Et quidem à fol. 281. pag. 1. usque ad folium 290. pag. 1. ut habet Lambecius Lib. 4. hujus Bibliothecæ pag. 65. Codice MS. Historico Græco XLIV. num. 41. & 42. foliis 184. & 185. ut habet Lambecius Lib. 8. hujus Bibliothecæ p. 425.

7. Inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 185. Barocciano num. 2. *Anastasius Patriarcha, Antiochenus De dignitate Summi Pontificis* pag. 3. Ibidem num. 3. *Narratio admiranda de Gregorio Papa Romano* pag. 4. Διηγήσατο ὑμῖν τις πρεσβύτερος. quæ in editis faciunt partem hujus homiliæ, *De sacra Synaxi, de non judicando, deque oblivione injuriarum* &c. quemadmodum quoque inveniuntur hanc homiliam componentia & integrantia, in MS. Codice Theologico Græco CLXV. num. 5. & quidem à fol. 45. pag. 1. usque ad fol. 62. pag. 1. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum huius Bibliothecæ pag. 168.

8. *Homilia in Psalmum sextum*, interprete Philippo Swenenzelio Soc. Jesu Theologo. Altera ejusdem homiliæ versio *in eundem Psalmum* interprete dicto Combefis, cujus etiam alia versio Latina Francisci Turriani tom. 3. *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii. Item *Oratio in introitum jejuniorum & in psalmum Sextum.* Nec desunt harum homiliarum MSS. Codices Græci in Bibliothecis Sfortiana Codd. 32. & 72. Vaticana ex Heidelbergensibus Codd. 4. & 368. Messanensi, Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CXLIV. num. 18. & quidem à fol. 84. pag. 1. usque ad folium 92. pag. 2. ut habet Lambecius tomo 4. hujus Bibliothecæ pag. 95. Codice MS. Theologico Græco CLI. num. 4. & quidem à fol. 23. pag. 1. usque ad folium 31. pag. 1. ut habet ibidem Lambecius pag. 124 Codice MS. Theologico Græco CCXLIX. num. 3. & quidem à folio 17. pag. 1. usque ad fol. 42. pag. 2. ut habet Lambecius Libro seu tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 142. Sunt etiam in Regia Galliarum Bibliotheca sæpius, & in Colbertina Codd. 625. 4704. 641. 834. & 2493. Nec obijciat aliquis homiliam hanc spectare ad Anastasium seniorem, quod agens de quodam Latrone qui temporibus Mauricii Imperatoris conversione clarus extitit, dicat: *In quibus nostra ipsa ætate sub Mauricio Christianorum Imperatore, latronum quidam princeps, in Thraciæ finibus, crudelis & inhumanus emersit.* Ita quidem vertit Canisius tom. 3. *Antiquæ Lectionis*, sed aliter ex fide MS. Codicis Regii Combefisius, ubi voces hæ, *nostra ipsa ætate* in MS. Codice desunt. Idem Opus inter MSS. Codd. Baroccianos Codice 197. pag. 309. Bodlejanæ Bibliothecæ. Et Codice 290. Oliverii Cromwelli Codice III. num. 24. p. 371. Ibidem Codice 737. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera C. Codice 95. num. 12. pag. 177.

Et

Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 6157. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 323. num. 2. Et ibidem Codice 9078. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis, Codice 7. num. 2.

Tractatus de tribus Quadragesimis, unde eas observari accepimus, quodque qui eas transgrediuntur, legem violent. Græcè & Latinè cum Notis extat inter *Vetera Monumenta Ecclesiæ Græcæ* apud Cotelerium tom. 3. pag. 425. De quo abunde nos cap. 4. hujus Dissertationis locuti sumus, & unde Anastasium nominis quartum inter Antiochenos Patriarchas agnovimus, post Lambecium cap. 3. allatum.

9. *Ejusdem Anastasii Definitiones Theologicæ secundum Epitomen*, quæ extant quoque Græcè & Latinè inter Opera Sancti Athanasii Alexandriæ Episcopi, & Sancti Maximi Monachi & Martyris, quibus tribuuntur. Adscribuntur Anastasio Antiocheno Episcopo, in MS. Codice Theologico Græco LXXVI. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Num. 5. & quidem à fol. 14. pag. 2. usque ad fol. 15. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 150. Item in MS. Codice Theologico Græco LXXVII. num. 79. & quidem fol. 155. pag. 1. ut habet ibidem Lambecius, pag. 167. Extant quoque teste eodem Lambecio Lib. VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 167. in eadem Bibliotheca Codice MS. Philosophico Græco XC. num. 14. & quidem à folio 158. pag. 1. usque ad folium 162. pag. 2. „*Sancti Anastasii Sinaitæ, Patriarchæ Antiocheni Definitiones Theologicæ centum sexaginta duæ:* quarum titulus & principium : Τȣ̃ ἐν ἁγίοις „Πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Ἀντιοχείας τῆς Συρίας κεφάλαια ρξβʹ φιλόσοφα, „ἅτινα ἐν τοῖς θείοις δόγμασι διαπαντος ἐμφέρεται. Ἐπειδήπερ χωρὶς ὀρθοδόξȣ πίστεως πᾶς „ὁ τῶν ἀρετῶν χορὸς ἀνόητος, ὥσπερ σῶμα κεφαλῆς ἔρημον, διότι ἐδὲν ἔτω παρὰ Θεῷ τίμιον, „ὡς ἡ περὶ αὐτȣ̃ ἀπαθὴς ἔννοια, ἐρχόμεθα ἐντεῦθεν, τί ἐστιν ὅρος, καὶ τί ἐστιν ὁρισμός. Ὅρος ἐστὶ λόγος σύντομος δηλωτικὸς πᾶς τῆς ὑποκειμένης ἐσίας τȣ̃ πράγματος &c. Plura de hoc S. Anastasio „ejusque Scriptis, vide Libris III. IV. & V. horum Commentariorum, in recensione Codicum MSS. Theologicorum Græcorum. Hæc Lambecius loco citato.

10. *Ejusdem Anastasii & Sancti Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini Expositio compendiaria orthodoxæ fidei*, de quâ cap. 2. nostræ Dissertationis *De Anastasio Seniore* sufficienter egimus. Hujus extat MS. Codex in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CLXXXVIII. num. 11. & quidem à fol. 41. pag. 1. usque ad fol. 42. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 206. Item Codice MS. Theologico Græco CCXIV. num. 6. & quidem fol. 79. pag. 1. & 2. ubi Sancto Joanni Chrysostomo attribuitur, ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 40. Extat quoque inter MSS. Codd. Bodleianæ Bibliothecæ Codice 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji supra P. 3. Art. Codice 94. num. 7. pag. 206. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 5959. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 125. II. In *Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quod ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, anno 1653. in 4. Philippus Labbeus apud Joannem Henault edendum fategit, alia quoque Opuscula sub nomine *Anastasii & Synaitæ & Antiocheni Episcopi* ibidem MSS. refert. Nempe in *Supplemento III.* hujus Bibliothecæ, quod pag. 175. habet Catalogum MSS. Codicum Bibliothecæ Scorialensis Regiæ Hispaniarum, pag. 182. in ea extare MS. *Anastasii hujus Antiocheni Sermonem de profectione beatæ Virginis in Nazareth ad recensionem Augusti.* Sed homilia hæc Græce & Latine edita extat Tomo 2. Operum Sancti Athanasii Alexandrini, de qua diximus supra, a pag. 645. ad 654. studio & opera Lucæ Holstenii, qui eam aliunde comparaverat. Incertum autem an illa spectet ad Athanasium, an autem Anastasium Antiochenum Episcopum: fuitque proclive scribis, ut *Athanasium* pro *Anastasio*, vel vice versa scriberent: unde definiri cujus sit, nullus possit. Idem Labbeus in Bibliotheca eadem Regia, parte 4. pag. 103. extare MS. *Anastasii Synaitæ Etymologicon* in fasciculo 29. Bibliothecæ Regiæ. Cui vero adscribi Anastasio Synaitæ debeat, cum multi nominis ejusdem fuerint, certum nihil dici potest.

CAPVT SEPTIMVM.

QVAM MENTEM DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, HABVERIT ANASTASIVS HIC NOMINIS QVARTVS, ANTIOCHENVS EPISCOPVS?

AVbertinus quidem Lib. 2. *De Sacramento Eucharistiæ* pag. 894. vult Anastasium primum Antiochenum Episcopum, a nobis Seniorem dictum, sensisse in *Tomo Dogmatico* Christi corpus & sanguinem haudquaquam vere & realiter, sed in virtute tantum ac figurâ extitisse sub pane vinoque Eucharisticis, ex Orationibus primâ *De Trinitate*, & quintâ quæ *De Resurrectione*. Contra autem Lib. 3. p. 904. Pseudo-Anastasium quartum in ὁδηγȣ̃ farragine cap. 23. voluisse Christi corpus & sanguinem verè & substantiâ suâ contineri sub speciebus panis & vini post benedictionem, in Eucharistiâ. Mihi secus placet, utrumque Opus esse uni-

unius atque ejusdem hominis, Anastasii ultimi seu quarti, Sinaitæ pariter Monachi & Antiocheni Episcopi, sub Seculi XI. initium viventis: qui ancipiti prorsus animo atque ambiguo, quid eo de argumento crederet nescius, in ignaro isto ævo utramq; sententiam, nunc negantem, nunc affirmantem amplexus sit. Apertè namque in gratiam Transsubstantiationis seu realitatis, pronuntiat ὁδηγοῦ cap. 23. his verbis, pag. 350. Εἰπέ μοι (παρακαλῶ) ὁ λέγων ἐξ αὐτῆς ἄκρας ἑνώσεως κατὰ πάντα τρόπον ἐν ἀφθαρσίᾳ εἶναι, καὶ τὴν θεότητα καὶ τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· αὕτη ἡ κοινωνία καὶ θυσία τοῦ παναγίου σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ ἣν προσφέρεις, καὶ ὑπολαμβάνεις, σῶμα καὶ αἷμα ἀληθινόν ἐστι Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἢ ψιλὸς ἄρτος, ὡς ὁ ἐπιπρασκόμενος, καὶ μικροσκώμενος καθ' οἶκον, καὶ ἀντίτυπος τοῦ σώματος Χριστοῦ, ὡς ἡ θυσία τοῦ τράγου ἣν Ἰουδαῖοι προσφέρουσιν. Gajan. μὴ γένοιτο ἡμᾶς εἰπεῖν ἀντίτυπον τοῦ σώματος Χριστοῦ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν, ἢ ψιλὸν ἄρτον: ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ μεταλαμβάνομεν, τοῦ σαρκωθέντος ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. Orth. οὕτω πιστεύομεν, καὶ οὕτως ὁμολογοῦμεν κατὰ τὴν φωνὴν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, ἣν πρὸς τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τοῦ δείπνου τοῦ μυστικοῦ μεταδιδοὺς αὐτοῖς τὸν ζωοποιὸν ἄρτον, ἔλεγε: λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα. ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον αὐτοῖς μεταδιδοὺς φησι, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα. καὶ ἐν ἑτέροις καὶ πλείοσι τόποις φαίνεται ὁ Χριστὸς εἰπών, ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον. λοιπὸν αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ μαρτυροῦντος, ὅτι σῶμα αὐτοῦ ἐστι ἀληθῶς καὶ αἷμα, ὅπερ οἱ πιστοὶ προσάγοντες μεταλαμβάνομεν: ἄγαγε ἡμῖν ἐκ τῆς κοινωνίας τῆς ὑμετέρας τῆς ἐκκλησίας ὡς ὀρθοδόξου οὔσης, ὡς λέγεις ὑπὲρ πᾶσαν ἄλλην ἐκκλησίαν, καὶ ἀποτιθοῦμεν ἐν πάσῃ τιμῇ τὸ τοιοῦτον ἅγιον σῶμα Χριστοῦ καὶ αἷμα εἰς σκεῦος ἐνδόξως. καὶ ἐντὸς ὀλίγων ἐὰν μὴ φθαρῇ ἢ ἀλλοιωθῇ: πρόδηλον ὅτι καλῶς κηρύττετο τὸν Χριστὸν κατὰ πάντα τρόπον ἐκ αὐτῆς ἄκρας ἑνώσεως ἐν ἀφθαρσίᾳ. εἰ δὲ φθαρῇ καὶ ἀλλοιωθῇ, ἀνάγκη πᾶσα ἡμᾶς ἓν ἐκ τῶν ὁποτέρων εἰπεῖν. ἢ ὅτι οὐκ ἐστὶ ὃ μεταλαμβάνετε, σῶμα ἀληθινὸν Χριστοῦ, ἀλλ' ἀντίτυπον καὶ ψιλὸν (supple ἄρτον.) ἢ ὅτι διὰ τὴν κακοπιστίαν ὑμῶν, οὐκ ἐπιφοίτησε εἰς αὐτὸ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: ἢ ὅτι τὸ φθαρτόν ἐστι τὸ σῶμα Χριστοῦ πρὸ τῆς ἀναστάσεως. ὡς θυόμενον καὶ νεκρούμενον, τιτρωσκόμενον καὶ βελιζόμενον, καὶ ἐσθιόμενον. ἄφθαρτος γὰρ φύσις οὔτε τέμνεται οὔτε τιτρώσκεται πλευρὰν καὶ χεῖρας, οὔτε βελίζεται, οὔτε νεκροῦται, οὔτε ἐσθίεται, οὔτε ὅλως κρατοῦται, ἢ ψηλαφᾶται: οἷα ἐστι ἡ ἄφθαρτος τῶν ἀγγέλων καὶ τῶν ψυχῶν φύσις. „Dic mihi obsecro, tu qui dicis, ab ipsa „summa unione per omnem modum in incor„ruptione esse Divinitatem & corpus Christi: „Si hæc communio & sacrificium sanctissimi cor„poris & sanguinis Christi quam offers & accipis, corpus verum & sanguis Christi filii Dei est, vel nudus panis, qualis ostiatim venditur & comminuitur? vel antitypus corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judæi offerunt? Gajanita. Absit ut dicamus sanctam communionem antitypum esse corporis Christi, aut simplicem panem: sed ipsum verè corpus & sanguinem suscipimus Christi filii Dei, incarnati ex sancta Deipara, & semper Virgine Maria. Orthodoxus. Sic credimus & sic confitemur, juxta Vocem Christi ipsius, quam ad discipulos in cœna mystica dans eis vivificum panem dicebat, *Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Similiter & calicem dedit illis dicens, Hic est sanguis meus.* Non dixit, *Hoc est antitypum corporis & sanguinis mei.* Et pluribus aliis locis ait Christus, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Cum igitur ipse Christus testetur verè esse corpus suum & sanguinem, quod nos fideles sumimus: agedum offer nobis aliquid ex communione vestræ Ecclesiæ tanquam supra alias omnes ut dicis orthodoxæ, & in vase cum omni honore & reverentiâ reponemus hoc sanctum corpus Christi & sanguinem. Etsi intra paucos dies non corrumpatur aut immutetur aut alteretur, planum fiet nos rectè asserere Christum penitus ab ipso Incarnationis exordio, corruptionis expertem esse. Si verò corrumpatur aut immutetur, necessarium erit unum è duobus fateamini, aut id quod sumitis non esse verum corpus Christi, sed antitypum & simplicem panem: aut propter perversam fidem vestram, Spiritum Sanctum in illud non descendisse: aut corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum esse, utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, transfossum, & manducatum. Incorruptibilis enim Natura neque scinditur, neque latere & manibus vulneratur, neque transfoditur, neque morti datur, neque manducatur, nec teneri vel tangi potest: ut patet exemplo incorruptibilis naturæ Angelorum atque animarum.“

Contra autem sentit Aubertinus, in Oratione *De Trinitate* Anastasium sentire, ubi locutus de Spiritu Sancto, ait. „Dicitur Spiritus Dei & Spiritus Christi, non sicut ministrantes Spiritus ad ministerium missi, illi & circumscriptam substantiam habent, ita ut non possent exempli gratia Gabriel esse in cœlo, & simul apud Virginem: nec apud Danielem in Babylonia, & in Judæa apud Abacum, siquidem creata est natura ejus. At Spiritus Sanctus qui omnia implet, & in Judæa aderat Prophetis, & captivis in Babylonia, & eos qui in Ægypto erant non deserebat, omnibus præsens ut quisque capax erat, & sapientiam tradens proportione fidei. Siquidem omnes Apostolos implevit, & loquebantur variis linguis, prout Spir. Sanctus dabat illis eloqui. Et peregrinabatur cum peregrinantibus, & cum commoran-

„rantibus commotabatur, individuè & imparti-„biliter cum omnibus habitans. Et An-„tiochiæ Barnabam & Saulum ordinabat, & „cum Petro atque Joanne in Samaria aderat, „& ad alios quidem veniebat per impositionem „manuum Apostolorum per quos loquebatur, „alios verò ad prædicandum mittebat, alios non „sinebat ire quo volebant. Hæc omnia sunt „exempla divinarum operationum, in quibus „substantia aperte declaratur.“ Hic locus insignis est, quamvis indirecte tantum quæstionem nostram attingat. Ait enim Angelos in pluribus simul locis esse non posse, tribus de causis. *Prima* est, quod circumscriptam substantiam habeant. Intelligit ergo, quodcunq; circumscriptum est, nullo modo posse esse in pluribus locis. Rationem allegati reddit in Oratione 2. *De incircumscripto*, dum dicit: *Siquidem ab altero terminari, substantiam terminati circumscriptam esse demonstrat, ut qua non possit circumscribere quod ipsam terminat.* Si enim esset id quod ipsam terminat, in locis nimirum pluribus simul existens, posset circumscribere illud. At corpus Domini necessario est circumscriptum, ut enim inquit ibidem: *Proprium est corporum & creaturarum circumscribi, incorporei & increati non circumscribi.* Ergo ex hac Anastasii regulâ, non potest corpus Christi simul esse in pluribus locis, nec proinde per Eucharistiam in innumeris. *Secunda ratio*, cur nec Angeli possint esse simul in pluribus locis, est quia *creata est natura* illorum. At corpus Christi natura creata est: ergo nec in pluribus simul locis esse potest, nec in Eucharistia utique, quandoquidem in cœlo semper est. *Tertia ratio*, quod esse in pluribus simul locis & hoc *individue & impartibiliter*, Anastasius dicit *exempla esse divinarum operationum, quibus substantia aperte declaratur.* Mens igitur ipsius est πολυτοπίαν ταύτην esse attributum ac proprietatem Divinitatis, quæ cum corpori Christi convenire nequaquam possit: inde recte concludendum est, corpus & sanguinem Christi non esse vere & proprie in Eucharistia, quod alioquin πολυτοπίαν ταύτην haberet, soli Divinitati convenientem.

„ Idem Anastasius in Oratione V *De Resurrectione*, agens de ipso met Domino, inquit. Post-„quam sepulchrum die tertio qui vere huma-„tus erat reliquit, oportebat ut rursus cum cor-„pore assumpto, ad Patrem qui miserat, ascen-„deret: qui descenderat ad tollendum pecca-„tum mundi. Non enim erat imposterum „terra locus idoneus & aptus corpori, quod „crassitudinem carneam deposuerat, & ex cor-„ruptibili factum erat incorruptibile, ex mor-„tali immortale, ex animali spirituale. Sicut enim locus terrenus corporum crassorum domicilium est, sic locus cœlestis spiritualium. At quomodo dicere posset, terram non amplius esse locum idoneum & glorioso Domini corpori aptum, si centies & millies amplius etiam nunc in terrâ est, quam ante Resurrectionem & ad cœlos Adscensionem in eâ esset: idque ut volunt Pontificii, usque ad consummationem seculi? Dicere contra debuerat Anastasius, terram jam effectam esse locum magis idoneum corpori, quam antea fuisset. Antequam enim discessisset & in cœlos ab eis ascendisset, uno tantum loco in terris erat: nunc autem in tot locis jam est, in quot Eucharistia ubique terrarum celebratur. Evidenter igitur ex ipsius sententiâ patet, corpus Domini non jam in terra amplius, nec proinde quoque in Eucharistia esse. Hæc Aubertinus Lib. 2. *De Eucharistia Sacramento* pag. 894. & Lib. 3. p. 904. unde concludimus Anastasium circa Eucharistiam, ambiguum & fluctuantem fuisse. Imò quod contra Aubertinum est, ipse hic Anastasius Sinaita, suam circa Eucharistiæ Sacramentum mentem mutasse videtur: ut qui junior in *Tomo Dogmatico* & anteriori tempore juxta allata, Christum tantum in *Virtute* illic agnoverat: Senior jam atque in ὁδηγῷ Tractatu, quem provectior ætate vel saltem post *Tomum Dogmaticum* scripsit, realem ac veram Christi in Eucharistia præsentiam jam agnoscat. Hinc quoque iterum hallucinatus fuisse videtur Aubertinus, dum Anastasio Seniori, velut indubium opus *Orationes quinque Dogmaticas* adscribit: Anastasio autem Minimo, qui hoc cognomine quintus mihi designari videtur, ὁδηγὸν seu *Via Ducem*. Nam attentâ utriusque lectione Operis, unum eundemque poterat agnoscere authorem. Invictum hujusce rei argumentum Aubertino attendenti esse poterat, quod Author ὁδηγῷ, qui indubius Aubertino Anastasius est, *Orationes Dogmaticas* ut Opus suum agnoscat, quas tum in Prologo *Tomum Dogmaticum* vocat, tum cap. 8. τὸν τόμον ἀπολογητικὸν πρὸς τὸν λαὸν, in quo *De Natura & Persona* se tractasse dicit. Vtrumque ergo Opus & ὁδηγὸς & *Orationes V. Dogmatica* ad eundem Anastasium quartum, ipso Anastasio teste, vel reluctante etiam Aubertino, pertinere creduntur: quem ambiguum fuisse circa Eucharistiæ Sacramentum, utrum in figura, an in veritate corporis & sanguinis Christi consisteret, superius diximus.

CAPVT OCTAVVM.

QVÆ CAPITIBVS PRÆCEDENTIBVS DIFFVSE DICTA SVNT, HIC COMPENDIO REPETVNTVR.

ANASTASIVS SINAITA ET ANTIOCHENVS EPISCOPVS nominis quartus hic à nobis circa annum 1010. vel 1020. collocandus videtur, de quo satis hactenus diximus. Etsi porro hac in re demonstrationes nobis desint, tot tamen rationes & conjecturæ ex ipsis Operibus petuntur, ut ad quandam demon-

monstrationem accedere videantur. *Primum* igitur istud Jejunium Deiparæ de quo Capite 1. Dissertationis, observabatur seculo 10. in Ecclesia Antiochena, temporibus S. Niconis Armeni, ut ipse testatur in Pandecte à nobis producta ex MSS. Regiis, qui mediam ferè partem hujus seculi occupavit, clarus ab anno 961. defunctusque anno 998 die 26. Novembris. At verbis longe durioribus, Anastasius Sinaita & Antiochenus Episcopus, quem eodem capite produximus, in Tractatu *de tribus Quadragesimis*, hujus Quadragesimæ neglectum ætate sua Antiochiæ factum testatur, quam S. Nicon allegatus ætate sua egerit. Ergo rectè ipsum posteriorem ipso S. Nicone Armeno opinamur, qui anno 998. die 26. Novembris mortuus scribitur, unde ad initium seculi XI. circa annum 1010. vel 1020. hunc Anastasium Sinaitam, Patriarcham Antiochenum hujus nominis quartum retrudimus. Imo tam modica intercapedine temporis, tanta circa hoc jejunium mutatio, vix accidere potuit: Si comparentur quæ S. Nicon atque noster Anastasius habent sibi adversa, de hac *Quadragesima Deiparæ*, apud Antiochenos.

Secundò ut capite 2. hujus Dissertationis docuimus, unus idemque author Anastasius Sinaita & Episcopus Antiochenus, tum Tractatus *De tribus Quadragesimis*, tum *Quæstionum & Responsionum CLIV. de diversis Argumentis in Scripturam sacram*, quas illic excussimus. Atqui ut ipse Cavus fatetur in *Historia rei literariæ* ad annum 561. pag. 420. Anastasius hic *quæstione 117*. Orthodoxos Christianos loca sancta Palæstinæ per 700. annos tenuisse affirmat. Sive igitur isti anni ab ipso Christo initium accipiant, sive quod probabilius, ab Imperio Constantini Magni: Anastasius certè Antiochenus Senior ejusmodi calculo uti non potuit: imo qui ista scribit ita positivè, se post annum Christi millesimum vixisse atque scripsisse indicat, unde demonstrative ex hoc loco ostenditur vixisse hunc Anastasium Sinaitam & Antiochenum Episcopum quartum ac cognomine *Minimum*, circa annum 1010. vel 1020. neque prius.

Tertiò cum tot scripta sub nomine hujus *Anastasii Senioris* prodierint, totque illorum Exemplaribus Græcis Bibliothecæ abundent, ut in Dissertatione citata exposuimus: quis credat Photium in *Bibliotheca* de tot scriptis ubique sparsis siluisse, si ea seculo IX. ætate Photii circa annum 860. vel 870. in Bibliothecis extitissent. Exierunt ergo in vulgus tot Opera post seculum nonum vel decimum ab Anastasio altero, qui tribus antiquioribus, multis etiam seculis recentior extitit.

Quartò Scriptorem cujusdam farraginis quæ ὁδηγὸς dicitur, atque Anastasio Sinaitæ & Antiocheno Episcopo passim tribuitur, de qua Dissertationis hujus cap. 3. egimus, cum in editis tum in MSS. Codicibus, haud esse antiquiorem seculo XI. concludimus, sicque Opusculum convenire non Anastasiis primo & secundo, sed quarto Græciæ recentioris. Illud probamus ex ipsius authoris præcautionibus, ita enim ille Scriptor pag. 3. ad prologum primi Opusculi hujus farraginis. *Ad hæc obtestamur eos, qui librum hunc transscripturi sunt, ut & Scholia adjiciant, accentusque accurate observent, & puncta & semipuncta: & ipse etiam solœca, & solœcismi speciem præferentia: quia alias quoque imperiti quidam nostrorum Dogmatum Tomum blasphemiis in descriptione oppleverunt.* Tum pag. 73. ad Prologum Operis secundi anonymi, cujus hoc tertium caput *Præfatio* est & nihil aliud, eandem vir bonus cantilenam repetit. *Rogo autem eos qui hunc librum lecturi sunt, ut etiam legant Scholia certis locis inserta: etsi ut probabile futurum est, liber solœca quædam contineat, venia dabitur. Dum autem author tota mente & cogitatione, in sensu notando & designando defixus hæret, sæpe usu venit, ut solœcismos & interpunctiones in postremis ducat.* Hæc autem Scriptoris præcautio *de solœcismis non corrigendis, de scholiis in opus suum importandis, de accentibus accuratè observandis:* hæc omnia (inquam) redolent Scriptorem seculi ut plurimum undecimi, seu Græciæ recentissimæ authorem, qualem ejus parentem statuimus esse, Anastasium quartum nominis, Sinaitam Monachum & Antiochenum Episcopum. Sex autem priorum Ecclesiæ seculorum temporibus, quæ Anastasius primus anno 599 mortuus concludit, neque duobus etiam aut tribus sequentibus, unquam precati sunt Patres Græci vel Scriptores ulli, *vel de Scholiis suis Operibus adjiciendis, vel de accentibus, punctis & semipunctis sedulò observandis, vel de solœcismis non corrigendis.* Unde meo quidem sensu bardus est hebesque, quisquis istud Opusculum supra seculum XI. collocandum censuerit.

Quintò ex his solis verbis paginæ 9. ubi legitimæ disputationis conditiones exigit, conjicio sanè authorem esse recentissimum, non autem Anastasios illos duos antiquiores seculi sexti ac septimi. *Exploratam* (inquit) *habeat Chronologiam, & quo tempore vixerit hic aut ille Pater, quando hæc aut illa hæresis extiterit. Neque illud ignorandum, Adversariorum, quando per interrogationem ad angustias redactus est, conari aliis interrogatione proposita, alio sermonem transferre, quod non est tolerandum. Ante disputationem ab Adversario juramentum petendum est, quo polliceatur nullo verbo, contra conscientiam suam sese acturum.* Expers omnino rerum antiquarum, ac judicii vacuus sum, si tantæ præcautiones quas in Disputationibus Polemicis author exigit, excedant trutinam & cautelas, à recentioris fori legibus, & Scholasticæ balbutiei temporibus excogitatas. Errant itaque cœlo toto, qui Scriptorem hunc seculo XI. Ecclesiæ antiquiorem putaverint. Favet quoque huic opinioni, id quod Capite 1. Dissertationis nostræ, *De variis Anastasiis Sinaitis* attulimus, nempe Caput 3. hu-

hujus ὁδηγοῦ esse initium alterius Operis à duobus præcedentibus capitibus distincti, ut patet ex titulo illi apposito: *Anastasii Minimi Monachi Opus de Orthodoxa fide, ex sacris literis ac Doctoribus exceptum.* Vix enim ante seculum XI. inter Orientales & Græcos, affectationem hujus abjectionis *Anastasii Minimi Monachi*, invenire potueris.

Sextò. Unum idemque argumentum tractatum videtur, tum ab Anastasio Sinaita & Antiocheno Episcopo in Tractatu *De tribus Quadragesimis*, tum ab Anastasio Cæsariensi Archiepiscopo, in Opusculo *De jejunio Deiparæ*, quæ Scriptores ejusdem temporis arguunt. Atqui Anastasius Cæsariensis, allegans in Opusculo *De jejunio Deiparæ* pag. 439. S. Niconem Armenum anno 998. die 26. Novembris mortuum, seipsum seculo undecimo antiquiorem negat: unde idem concludendum de Anastasio nostro Sinaita & nominis quarto, Antiocheno Episcopo, qui circa annum 1010. vel 1020. floruerit, atque varia ista scripserit.

Ætate igitur quantum ex Operibus impressis licuit, hujus Anastasii Sinaitæ & Antiocheni Episcopi nomine quarti discussâ, jam ad Operum ipsi debitorum recensionem, procedendum est.

Horum primum Ὁδηγὸς sive *Dux viæ adversus Acephalos*, quem edidit Græcè & Latinè Jacobus Gretserus Ingolstadii anno 1606. in 4. de quo ejusque MSS. Codicibus latè disseruimus in Disputatione citata *De diversis Anastasiis Sinaitis & Antiochenis Episcopis* cap. 1. & 2.

Quæstiones & Responsiones de variis argumentis in Scripturam sacram, numero CLIV. quas Græcè & Latinè idem Jacobus Gretserus Ingolstadii anno 1617. in 4. emisit, de quibus earumque MSS. Codicibus multis diximus Dissertationis citatæ cap. 7.

Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron libri XI. latine editi Parisiis 1609. librum autem duodecimum Græce & Latine Londini anno 1682. in 4. edendum curavit Petrus Allix. Varias autem Bibliothecas deduximus, ubi hi Libri XII. Græce extant Manuscripti, ex quibus erumpere in lucem publicam imposterum possint.

Orationes quinque Dogmaticæ. De sanctissimâ Trinitate. De Incircumscripto. De Incarnatione divina. De Passione & impassibilitate Christi. De Resurrectione ejusdem: quæ prodierunt primum Parisiis Latine Godefrido Tilmanno Carthusiensi interprete, anno 1556. in 8. immissæ postea in Bibliothecam SS. Patrum editionis annorum 1575. & 1589. atque etiam in sequentes. Extant autem MSS. Græce in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco XC. num. 15. ut habet Lambecius Libro 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 167.

Ejusdem Anastasii Definitiones Theologicæ secundum Epitomen, quæ extant quoque Græce & Latine inter Opera S. Athanasii Alexandriæ Episcopi, & Sancti Maximi Monachi & Martyris, quibus attribuuntur. Harum Manuscriptos Codices proferimus Disputationis citatæ cap. 6.

Ejusdem Anastasii & Sancti Cyrilli Alexandrini Expositio compendiaria Orthodoxæ fidei, de quâ cap. 6. hujus Dissertationis sufficienter egimus, quam cum *Dialogis V. de Trinitate* sub Sancti Athanasii nomine Græc. Lat. edidit primus Theodorus Beza Vezeliacensis 1570 in 8. cujus Manuscriptos Codices cap. 6. Dissert. cit. proferimus.

In Annunciationem B. Mariæ Virginis Homilia II.

De sacra Synaxi & de proximo non judicando, Homilia.

In Psalmum Sextum & in introitum jejuniorum, Homilia II.

In Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi. Sex istæ homiliæ Græce & Latine habentur à Francisco Combefisio editæ in *Auctario Novo* Bibliothecæ Patrum 1648. Tomo I. pag. 350. de quibus sigillatim, earumque editionibus & MSS. Codicibus cap. 6. Dissertationis citatæ disseruimus. Tractatus *De sanctis tribus Quadragesimis, unde eas observare accepimus, quodque qui eas transgrediuntur, legem violent*, extat Græce & Latine inter *Vetera Monumenta Ecclesiæ Græcæ* à Joanne Baptista Cotelerio Parisiis 1687. in 4. edita Tomo 3. p. 425. de quo egimus tum Dissertationis præfatæ cap. 2. tum c. 8. isto.

Denique plurima alia Opuscula hujus Anastasii Sinaitæ & Episcopi Antiocheni nomine, in Bibliothecis Europæ celebrioribus, quæ ad istum de quo agimus spectant, de quibus prolixe locuti sumus in Dissertatione citatâ capitibus 8. ac 6. ubi de Manuscriptis Codicibus Anastasii Sinaitæ ultimi. Ex omnibus enim illic productis, unica duntaxat Oratio videtur spectare ad Anastasium Seniorem illum Antiochiæ Episcopum, cujus meminit Petrus Lambecius Libro VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 168. his verbis: *Ejusdem Anastasii Sinaitæ, Patriarchæ Antiocheni primi sive senioris, Oratio ad Antiochenos, cum post viginti trium annorum exilium, in quod ab Imperatore Justino Juniore injuste pulsus fuerat, ad thronum Patriarchalem reverteretur. Habita die XXV. Martii feria IV. sancta hebdomadis, Indictione undecima, currente anno Imperii Mauritii undecimo, à die decimo quarto Augusti anni præcedentis.*

Agunt plurimi *de Anastasiis Sinaitis & Antiochenis Episcopis senioribus*, ut Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri*, verbo *Anastasius Sinaita.* Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 561. pag. 419. Sed nullus quem sciam de *Anastasio Sinaita & Episcopo Antiocheno nominis quarto*, quem hic ad annum 1010. vel 1020. collocamus, mentionem fecisse videtur.

MAR-

1020. MARCUS HIEROMONACHUS AC PRÆPOSITUS MAGNÆ LAURÆ SANCTI SABÆ, Hierosolymis Seculo XI. incipiente, circa annum 1010. vel 1020. claruisse mihi creditur, eo tempore, quo Anastasius nominis quartus & Sinaita dictus, Antiochenus Patriarcha, de quo Dissertationem proximam scripsimus. Composuit *Commentarium in Typicon Sancti Sabæ*, seu ab ipso, Sancto Sabæ Magnæ Lauræ Abbati attributum, de quo loquitur Guillelmus Cavus Tomo 2. seu Parte 2. *Historiæ suæ literariæ* ad annum 484. paginis 146. & 147. editionis Londinensis 1698. in folio, itemque latius Dissertatione 2. *De libris & officiis Ecclesiasticis Græcorum*, verbo *Typicon* pag. 56. & 57. editionis ejusdem. Et ego quoque supra ad annum 520. verbo *Sanctus Sabas*, diffuse loquutus sum. Editum autem *Typicon Sancti Sabæ* inter alios Græcorum Libros Ecclesiasticos, Venetiis anno 1603. 1615. 1643. Græce in folio hoc titulo, *Τύπικον σὺν Θεῷ ἁγίῳ παρέχον πᾶσαν τὴν διάταξιν τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τοῦ χρόνου ὅλου: Typicon favente Deo continens integrum Officii Ecclesiastici ordinem, per totum annum.* Quo in Opere Opuscula novem simul collecta continentur. 1. Typicon *τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας Sanctæ Lauræ in Hierosolymis*, quod & in aliis Monasteriis Hierosolymitanis, aliisque Ecclesiis obtinet, ex præscripto Sancti Sabæ, capita LIX. complexum. 3. Marci Monachi seu Hieromonachi qui se *ἁμαρτωλὸν* appellat, *Σύνταγμα εἰς τὰ ἀπορούμενα τοῦ Τυπικοῦ*, sive *Tractatus de dubiis quæ ex Typico oriuntur, capitibus centum absolutus.* Guillelmus Cavus pro simplicitate qua Opuscula Pontificiorum pleraque absque discussione admisit, opinatus quidem est *Commentarium in Typicon capitibus C. constantem*, esse Marci Hieromonachi seu Presbyteri Monachi dictæ Lauræ Sancti Sabæ: sed *Typicon ipsum* esse *Sancti Sabæ Abbatis*, qui ab anno 484. ad 532. Magnæ Lauræ in Hierosolymis præfuit. Ego rem propius examinans, reperi Marcum Hieromonachum qui ab anno circiter 1010. vel 1020. floruit, non tantum scripsisse *Commentarium in Typicon Sancti Sabæ dictum*, sed composuisse etiam hoc *Typicon*, quod Sancti Sabæ Abbatis falso nomine inscripsit, ut authoritatem ipsi majorem atque reverentiam apud Lauræ Monachos procuraret, fraude pia atque ad Dei majorem gloriam apud Pontificios consueta. Lapsus est in eundem cum Cavo errorem & inadvertentiam Carolus Dofresnius du Cange, in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* verbo *Typicon* columnâ 1622. At Typicum istud esse opus Marci Hieromonachi Sancti Sabæ in Hierosolymis, & non ipsius Sancti Sabæ Abbatis, constantissimum est, ex eo quod agat de *tribus Græcorum Quadragesimis*, quæ trecentis vel quadringentis annis Sancto Saba qui anno 484. præfecturam Magnæ Lauræ suscepit, recentiores sunt, obtinentes potissimum in Ecclesiis Orientalibus sub seculi X. finem & undecimi initium circa annum 1010. vel 1020. quo tempore Marcus Hieromonachus, qui se peccatorem appellat, floruit. Longe ergo hoc Typicon ab ætate S. Sabæ Abbatis, multisque annorum centuriis ab illo vivente compositum. Id quod ne gratis dicere videamur, audiamus Joannem Baptistam Cotelerium in Notis ad Tomum 3. *Veterum monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 646. ad ea quæ habet Anastasii Patriarchæ Theopoleos Magnæ Antiochiæ *de sanctis tribus Quadragesimis* pag. 425. & pag. 431. ad *Pandectas Sancti Niconis*, ex Codicibus Manuscriptis Regiis 2423. & 2424. excerptas.

„*Ἀναστασίου περὶ τριῶν Τεσσαρακοστῶν*, citatur quanquam indiligentius a Theodoro Balsamone Epistolâ *de jejuniis*, quam supra Tomo 2. pag. 472. edidimus, ubi quemadmodum ad Constitutiones Apostolicas diximus de jejunio Græcorum, & de eorum tribus Quadragesimis in Anastasii quæstione 64. & in loco Joannis Citrii apud Allatium *De Consensu* libro 3. cap. 12. necnon in Typico Sancti Sabæ fol. 100. & 133. atque in Morini antiquis Pœnitentialibus. Neque Latinis defuerunt tres Quadragesimæ suæ, ex Concilio Triburiensi, Capitularibus, Amalario, aliisque testimoniis per viros doctos coacervatis notissimæ. Proinde juxta morem suum calide Hieronymus Epistola 54. ad Marcellam, adversus Montanum. *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Vide eundem magnum Doctorem ad Aggæi cap. 1. & ad Matthæi cap. 9. Similiter de jejunio & quadragesima Principum Apostolorum Petri & Pauli seu Duodecim Apostolorum, mitto te præcipue ad Typicum fol. 99. 100. 121. 137. & alibi.“ Constat igitur hoc Typicum non à Sancto Saba compositum fuisse, sed multis post seculis, à Marco Hieromonacho impostore, qui Typici hujus auctoritate, Monachos Sanctæ Lauræ ad observantiam Quadragesimæ hujus tertiæ quæ Sanctorum Apostolorum dicebatur, compellere voluit.

Equidem antea sub seculi IX. initium, ætate S. Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ, obtinebat in Patriarchatu Constantinopolitano, seu in usu erat & praxi, *jejunium seu Quadragesima Sanctorum Apostolorum*, quæ etiam *Sancti Philippi* dicebatur: sed ista Quadragesima seu jejunium non adstringebat ad observantiam suam Christianos omnes laicos, sed Monachos tantum ad jejunium feriæ quartæ & sextæ per hebdomadam: neque illos omnes, sed eos tantum qui otiosi & inertes in Monasteriis versabantur, exemptis à jejunio isto feriis etiam quartis & sextis, qui artem quandam fatigantem exercerent. Hoc diserte docent eodem Tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, Canones S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani & Confessoris collecti ex Ecclesiasticis

Constitutionibus ipsius & Sanctorum Patrum cum eo congregatorum pag. 445. Sic enim Canone XX. pag. 447. *Τῇ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων νηστείᾳ, καὶ τῇ τοῦ ἁγίου Φιλίππου, χρὴ τοὺς ἐν τῇ μονῇ καθεζομένους Μοναχοὺς, τετράδος καὶ ἔκλης παρασκευῆς ἅπαξ πρὸς ἑσπέραν σιτεῖσθαι: τοὺς δὲ ἐργαζομένους μετὰ τὴν ἕκτην γεύεσθαι ὥραν, καὶ ἑσπέρας δειπνεῖν.* *In jejunio Sanctorum Apostolorum & jejunio Sancti Philippi, oportet ut Monachi qui in Monasterio resident, per ferias quartas & sextas semel ad vesperam cibum sumant: qui verò opera faciunt, post horam sextam edant & gustent, ac vespere cœnent.* Idem docet pag. 452. Canone XXIX. Ut nullum dubium sit, quin hæc quadragesima solos monachos feria tantum quarta & sexta per hebdomadam, jejunio alligaret, illosque otiosos solum atque inertes. Cum itaque Typicon Sancti Sabæ, hanc quadragesimam observandam injungat, vix ante annum 1010. vel 1020. conscriptum videtur. Porro inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Tomo V. pag. 185. Codice 325. à fol. 1. ad folium 206. extat *Typicon Sancti Sabæ* sive *Ordo recitandi officii Ecclesiastici per totum annum, secundum consuetudinem ab ipso institutam sive præscriptam:* cujus libri Græcus titulus cum principio Operis, hic ipse est. *Τύπικον τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας, τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίας Λαύρας τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Σάββα. αὐτὴ δὲ ἀκολουθία γίνεται καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίων μονῶν. Εἴδησις τοῦ μικροῦ ἑσπερινοῦ, πρὸ τοῦ δῦναι τὸν ἥλιον, ἤγουν περὶ ὥραν δεκάτην τῆς ἡμέρας.* Numero autem 2. & quidem à fol. 207. ad folium usque 263. habetur *Marci Hieromonachi Declaratio dubiorum in Typico occurrentium, divisa in Capita nonaginta quinque.* Titulus ejus cum principio est ejusmodi, *Μάρκου ἁμαρτωλοῦ, Ἱερομονάχου σύνταγμα πονηθὲν εἰς τὰ ἀπορούμενα τοῦ Τυπικοῦ. Κεφάλαιον α΄ Μηνὶ Σεπτεμβρίῳ α΄ περὶ τῆς Ἰνδίκτου καὶ τοῦ ὁσίου Συμεῶν, εἰ Τύχωσιν ἐν Κυριακῇ. Χρὴ εἰδῆναι, ὅτι εἰ* &c. Istud Typicon MS. Sancti Sabæ recentis ætatis est, scriptum anno Mundi juxta supputationem Ecclesiæ Constantinopolitanæ 6967, sive anno Christi 1459. ut habet Lambecius loco citato pag. 286. Ipsa verba Græca sunt, *Θεοῦ τὸ δῶρον, Ἀθανασίου Ἱερομονάχου πόνος, ἔτους ςϡξζ Ἰουλίου κε΄ ἐπινεμήσεως ζ.*

Alius apud Leonem Allatium *De Symeonum scriptis* pag. 109. Marcus Monachus & Præpositus Monasterii Sancti Sabæ Romæ, qui *εἰς τὸν βίον καὶ θαύματα τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τῆς Ἀκραγάντων Ἐκκλησίας*, *Vitam & miracula Sancti Gregorii Agrigentini seu Acragantini* conscripsit, cujus initium, *σοφὸν καὶ ἀναπάληπτον χρῆμα καὶ τῇ οἰχουμένῃ ὠφέλιμον* &c.

1030. ADEMARUS SANCTI EPARCHII ENGOLISMENSIS MONACHUS, patriâ Cabannensis, Raimundi qui Turpionis Episcopi Lemovicensis abnepos fuit, & Aldeardis filius, primum S. Martialis Lemovicensis, deinde Sancti Eparchii Engolismensis Monachus, anno circiter 1030. florebat. Scripsit *Chronicon* ab initio Monarchiæ Francorum, præcipue verò ab anno 829. usq; ad a. 1029. quod ex MS. Cod. Thuaneo primus in lucem produxit Phil. Labbeus, editum tomo 2. p. 151. *Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum librorum:* quo in Chronico author parum se accuratum ostendit in supputandis temporibus, quamvis haud vulgaria exhibeat de *Rebus Francicis*, præcipue *Aquitanicis* quibus enarrandis accuratior extitit. Scripsit etiam *Commemorationem Abbatum Lemovicensium, Basilicæ seu Martialis Apostoli*, ibidem à Labbeo in lucem prolatam, pag. 271. Idem pietate in suum Patriarcham divum Benedictum singulari ac nimiâ, grande addidit *Supplementum ad Librum quartum Amalharii, De divinis officiis*, de quo diximus olim in *Supplemento* De Scriptoribus Ecclesiasticis, seculo IX. verbo, *Amalharius Metensis Diaconus*: quod evulgatum tom. 2. *Analectorum* Joannis Mabillon pag. 96. Meminit *Ademari Monachi* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 707. ubi tamen fallitur, dum illum ad annum 1110. assignat, qui anno 1030. clarus fuit. Plura de illo locis citatis, dicti Labbeus & Mabillon, qui opera Adhemari ediderunt.

SYMEON JUNIOR THEOLOGUS, 1030.
PRESBYTER CONSTANTINOPOLITANUS, S. MAMANTIS IN XEROCERCO ABBAS SEU PRÆPOSITUS, quibus omnibus tum à Symeone Metaphraste distinguitur, qui Symeon Senior vocatur, annisque circiter centum atque viginti Symeonem hunc præcessit, anno nimirum 910. clarus, suis certaminum Ecclesiæ sanctorumque Martyrum Metaphrasibus, (juxta sententiam tamen Leonis Allatii & Guillelmi Cavi, non autem nostram;) Tum quoque à Sancto Gregorio Nazianzeno qui per excellentiam, ob eminentem doctrinæ famam Theologus dictus est: & hic quidem Theologus Senior, noster autem Symeon Theologus Junior à Græcis nuncupatur. Hujus ætatem figit in Diatriba *De Symeonum Scriptis* Leo Allatius pag. 152. ad annum MLI. vel circiter sub Isaaco Comneno, & Constantino Duca, quem secutus est Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria* ad annum 1051. seculo undecimo pag. 608. Ad istud statuendum maximo argumento fuit Allatio Nicetas Stethatus seu Pectoratus, qui cum Michaele Cerulario Patriarcha Constantinopolitano, imperante Constantino Monomacho, multis in Latinos invectus est, cujus hanc ob caussam volumen anno 1054. combustum scribitur. Is autem Nicetas Stethatus in hujus Symeonis Junioris Theologi Librum *De Divinis Hymnis* præ-

præfatus, sese illius fuisse discipulum tradit. Ταῦτα καὶ ἡμεῖς ὡς αὐτῷ μαθητευθέντες, καὶ τὸ ὕψος καὶ βάθος καὶ πλάτος τῆς αὐτοῦ σοφίας εἰδότες διὰ τῶν εἰρημένων καὶ τοῦ παρόντος λόγου τῶν πάντη χοντρῶν καὶ ἀμύστων διαστέλλομεν, καὶ ἀνέκφορα τούτοις εἶναι βουλόμεθα. *Hæc nos tanquam ab eo edocti, & sublimitatem & profunditatem & latitudinem illius sapientiæ cognoscentes, per hæc dicta & præsentem sermonem, ab idiotis omnino & penitus harum rerum ignaris separamus, & occulta esse illis volumus.* Et infrà ἐπεὶ δὲ πρὸς τοσοῦτον ὕψος ἀνήχθη ἡ θεία τῷ ὄντι καὶ καθαρωτάτη ψυχὴ τοῦ καθηγεμόνος ἡμῶν, καὶ τοιούτων ἐμφάσεων ἠξιώθη. *Quandoquidem verò ad tantam sublimitatem verè divina & purissima anima Præceptoris nostri erecta est, & similium illuminationum digna effecta.* Καὶ ταῦτα τοίνυν διὰ τοὺς φθόνῳ πρὸς τὰ καλά, καὶ ἀπιστίᾳ καὶ ἀγνωσίᾳ κεκρατημένους ἡμῖν προσετέθη τῶν ἐρωτικῶν καὶ θείων ὕμνων τοῦ διδασκάλου. *Hæc igitur propter eos, qui adversus bona, invidentia, incredulitate & ignoratione detinentur, ex divinis amoribus ac laudibus Præceptoris nostri à nobis proposita sunt.* Sic discipulus de Præceptoris scriptis. Quare certo certius (inquit Allatius) concludendum videtur, hunc Symeonem vel iisdem cum Niceta temporibus vel paullo ante scripsisse: ne cogamur dicere discipulum ætate antiquiorem Magistro, ut plane cogeremur: Si anni ab Orbe conditio sex mille sexcenti quos recenset Symeon in Oratione suâ XIII. à Pontano productâ, integri perfectique, cum illa scriberet Symeon, fuissent. Alias affirmandum fuisset, Nicetam ὑπεργήρων fuisse, cum Præfationem illam in Magistri librum scriberet. Est ergo mendum in Oratione illa, quæ illum anno mundi 6600. scribere asserit, hoc est anno Christi 1092. ut rectè pag. 151. annotavit Leo Allatius, neque hoc in rigore accipiendum est: sed quasi in sexcentesimo duntaxat septimi ab Orbe condito millenarii, scriberet: quod æque anno MXXX. quo Symeonem hunc collocamus, ac MXCIII. convenire juxta nostram interpretationem potest. Nam Magistrum discipulo, Symeonem S. Mamantis in Xerocerco Præpositum Nicetæ Stethato seu Pectorato annis saltem viginti præivisse, plusquam probabile est. Nicetam autem istum, anno 1054. ætate provectâ fuisse, & scripta illius & authoritas, & judicium in quo ipse condemnatus est, plane probant: cui numero, si sexcentesimum integrum admittas, adderentur vitæ Nicetæ anni XXXVIII, tum cum adhuc vivens florensque Symeon scriberet: quod absurdum & incredibile prorsus videtur, neque nisi aliunde probetur, ipse non ita facile credidero., inquit Allatius. Annum igitur MXXX. quo floruit Symeon Junior Theologus & S. Mamantis in Xerocerco Præpositus, ut convenientiorem assignamus.

Extant sub nomine Symeonis Junioris Theologi *Orationes XXXIII. De fide & moribus tum Christianis tum Monasticis.* Ad Simeonem hunc eundem spectare videtur Sermo *de semper mente complectendo suo unicuique discessu*, quem sub nomine S. Symeonis Stylitæ Senioris habet Latine duntaxat *Bibliotheca Patrum* variæ editionis, nam convenit cum XXI. quem ipsi attribuit Leo Allatius in sua Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 155. de quo male Guillelmus Cavus ad annum 448. pag. 352. Ejusdem Operis alium det parentem Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 24. nimirum *Symeonem Mesopotamitam*, sub cujus nomine vult Græce Legi in MS. Codice Bibliothecæ Imperatoris Viennæ, quamvis fateatur esse insertum Tomo 5. Bibliothecæ Veterum Patrum sub nomine *S. Symeonis Stylitæ Senioris*, licet nihil absolute decernat. *Liber Divinorum amorum, seu De laudibus sacris Commentationes & Capita Moralia, Practica ac Theologica CCXXVIII.* quæ Latine duntaxat prodierunt ex Jacobi Pontani versione & cum Jacobi Gretseri viri eruditi notis, Ingolstadii anno 1603. in 4. typis Adami Sartorii. Addit Leo Allatius pag. 153. *De Symeonum Scriptis*, alias *Orationes LXIV.* ejusdem Symeonis præter eas à Pontano editas à se visas & enumeratas, appositis uniuscujusque argumentis & initiis, sed quas ubinam lateant, subticuit. *Hymnos de laudibus divinis* seu *Commentationes sacras XIX.* præter eas quæ à Pontano editæ sunt, ab Allatio pari ratione enumeratas, ibidem pag. 161. Denique *Capita practica & Theologica varia*, ab editis diversa, ab Allatio ibidem visa & recensita pag. 167. Desumpsit ista Jacobus Pontanus ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Bavaricæ & Augustanæ. Nam Codice MS. Græco 84. Bibliothecæ Bavaricæ, extant *Sancti Patris nostri Symeonis Junioris Capita Practica & Theologica 101. & Dialogus cujusdam Scholastici ad Symeonem Sanctum & Theologum.* Codice 85. charta in folio, *Symeonis Junioris Theologi & Presbyteri Sermones XXXIV.* Ejusdem *Amores Divinorum Hymnorum triplici Carminis genere, Politico, Anacreontico & Jambico.* Item Codice MS. 64 Bibliothecæ Augustanæ, *Symeonis Presbyteri Sermones XXXIII. & Hymni Jambici*, charta in 4. Codice 104. ejusdem Bavaricæ Bibliothecæ, *Symeonis Junioris Theologi Capita Moralia 101. Ejusdem Capita de Theologia 25. Ejusdem Capita Theologica Practica 102.* Hæc autem omnia Capita simul juncta, faciunt numerum CCXXVIII. Capitum Practicorum & Theologicorum, quæ à Jacobo Pontano Græcis neglectis, Latine tantum evulgata sunt, cum præfatis Sermonibus asceticis.

Refert autem idem Allatius in Diatriba *De Symeonibus* pag. 167. Opuscula hujus Symeonis Theologi, in plurimis Bibliothecis Manuscripta haberi, his verbis. „ In Bibliotheca Antonii „ Augustini Codice 86. habebantur ejusdem „ *Capita Practica & Theologica 101. De Theologia* „ *alia Capita 25. Alia Capita Theologica & Practica* „ *ca 102.* Codice 87. *Sermones XXXV. Institutiones* „

De

De dilectione & charitate, & quales esse debent Spiritualium virorum vita & actiones. Ejusdem Capita Practica & Theologica 100. De pœnitentia, & qua agere debet, qui nuper confessus est. Ad unum ex discipulis suis, quomodo potest quis Sanctum virum nosse. Codice 37. *Ex Symeone Theologo, Excerpta de Silentio.* In Bibliotheca Regis Galliarum, *Symeonis Junioris Præpositi Monasterio Sancti Mamantis, Capita Practica & Theologica 101. Ejusdem Capita Gnostica 25. Ejusdem Ethica &c. Ejusdem de differentia* προσοχῆς καὶ προσευχῆς. *Ejusdem Præcepta ad vitam Monasticam. Ejusdem varia Capitula. Ejusdem de Pœnitentia & perfectione vitæ Monasticæ. Ejusdem Quæstiones & Responsiones.* In Regia Sancti Laurentii, *Symeonis Junioris Theologi Historicum Opus ex variis authoribus collectum. De Oratione & attentione. De pœnitentia. Capita Theologica ad proximi cognitionem & Theologiam spectantia. De Charitate & beatitudinibus. Quomodo quis cognoscere debeat virum Sanctum. Capita Practica & Theologica 100. Capita Gnostica & Theologica 25.* Antonius Verderius in Catalogo MS. Librorum Constantini Varini, *Symeonis Monachi novi Theologi explicatio de Sancta Trinitate.* Hæc Allatius ibidem. " Extant quoque plurima hujus Symeonis Junioris Opuscula Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CLVI. num. 5. ut habet Lambecius Libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 145. his verbis. " Quinto & quidem à fol. 19. pag. 1. usque ad fol. 36. pag. 1. *Symeonis cognomento Junioris Theologi Præfecti*, sive *Præpositi Monasterii Sancti Mamantis Constantinopoli, Capita centum Theologica partim Theoretica sive Contemplativa, partim Practica sive Activa vel Moralia*, quorum titulus & principium hoc est: Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν τοῦ Νέου Θεολόγου κεφάλαια πρακτικὰ καὶ θεολογικὰ, ἑκατόν. Κεφάλαιον ά. Θεὸς τοῖς μὲν σωματικῶς ὁρῶσιν, οὐδαμοῦ ἐστιν, ἀόρατος γάρ. Τοῖς δὲ πνευματικῶς νοοῦσι, πανταχοῦ ἐστιν. &c. Edita quidem sunt hæc Capita à Jacobo Pontano Soc. Jesu, cum aliis ejusdem Symeonis Operibus Ingolstadii typis Adami Sartorii anno 1603. in 4. Sed Latine tantum & mutilè. Eademque Latina editio tam numero quam ordine Capitum, à Manuscripto hoc exemplari Cæsareo, valde ac multipliciter discrepat: adeo ut ad differentiam illam plene judicandam, totâ novâ editione opus sit. Exempli gratiâ Caput 98. quod in hoc Codice MS. Cæsareo incipit, σκοπήσωμεν πῶς δοξάσωμεν τὸν Θεὸν &c. in memorata Pontani jam editione Latina est caput 206. Caput autem 99. quod in hoc Codice MS. Cæsareo incipit, ὁ τοῖς ἑκατὸν δοὺς ἐλεημοσύνην &c. est in editione Pontani caput 218. Caput denique Centesimum sive ultimum, quod in Manuscripto hoc Codice Cæsareo incipit, τίς ὁ σκοπὸς τῆς ἐν σάρκει οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ λόγου &c. atque desinit ἡμῶν δ' ἡ ζωὴ κέκρυπται σὺν τῷ Χριστῷ ἐν τῷ Θεῷ αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν; est in editione Pontani 203. & caret illa clausula, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Plura de eodem Symeone cognomento Juniore Theologo, & de Operibus tam editis quam ineditis, vide in Leonis Allatii Diatriba *De Symeonum Scriptis* à pag. 143. ad pag. usque 179. "

In eadem Bibliotheca, Codice MS. Theologico Græco 234. num. 25. ut habet Lambecius Lib. V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 71. his verbis: " Vigesimo quinto & quidem à fol. 222. pag. 1. usque ad fol. 226. pag. 1. extat *Symeonis Junioris Theologi Doctrina differentia Precationis & Attentionis*, cujus titulus & principium: Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ Νέου Θεολόγου περὶ διαφορᾶς προσευχῆς καὶ προσοχῆς. Τρεῖς εἰσὶ τῆς προσοχῆς καὶ προσευχῆς οἱ τρόποι, δι' ὧν ἡ ψυχὴ ἀνάγεται ἢ κατάγεται &c. "

Ibidem Codice MS. Theologico Græco 237. num. 14. ut habet idem Lambecius tom. V. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ, p. 89. his verbis. " Decimo quarto & quidem à fol. 185. usque ad fol. 195. p. 1. *Symeonis Junioris Theologi, Præpositi & Presbyteri Monasterii Sancti Mamantis juxta Xerocercum, Tractatus asceticus De tribus generibus sacræ Orationis*, cujus proœmium versibus Politicis constans, inscribitur atque incipit ab his verbis: Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τοῦ Νέου Θεολόγου, Ἡγουμένου καὶ Πρεσβυτέρου μονῆς τοῦ ἁγίου Μάμαντος τῆς Ξηροκέρκου, στίχοι τῆς ἱερᾶς προσευχῆς.

Ὅστις βούλεται τὸ φῶς ἐκεῖνο βλέψαι,
Ὀφείλει ταῦτα φυλάττειν ἐκ καρδίας,
Παθῶν σαρκικῶν &c.

Opusculum deinde sequitur hoc modo, Περὶ τῶν τριῶν τρόπων τῆς προσευχῆς. Τρεῖς εἰσὶ τῆς προσοχῆς καὶ προσευχῆς τρόποι &c. Meminit hujus Opusculi Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 161. ubi inscribitur, Μέθοδος περὶ τῆς ἱερᾶς προσευχῆς καὶ προσοχῆς. Notandum autem est *Interpretationem & Responsionem*, καὶ διὰ τί ἡ πρώτη καὶ δευτέρα φυλακὴ οὐ δύναται τελειῶσαι τὸν μοναχὸν; ἐπειδὴ οὐ κατὰ τάξιν &c. partem esse memorati jam Opusculi περὶ προσευχῆς καὶ προσοχῆς, Sive *De Oratione & Attentione*: non autem peculiarem aliquem & separatum tractatum, ut credidit perperam Allatius.

Decimo quinto & quidem à fol. 195. pag. 1. usque ad fol. 201. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Junioris Theologi Monita Ascetica Mistellanea viginti duo*, inscripta τοῦ αὐτοῦ, quorum primum incipit, Ἄδειαν εὗρεν ὁ διάβολος &c. Secundum Ὁ ἔχων τοὺς χαρακτῆρας τοῦ Χριστοῦ &c.

Decimo sextò, & quidem à folio 201. pag. 1. usque ad fol. 206. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Junioris Theologi Oratio ascetica de cognitione Spirituali*, cujus titulus & principium: Τοῦ ἁγίου

Πα-

Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν, τοῦ Νέου Θεολόγου, περὶ γνώσεως πνευματικῆς &c. Ἀδελφοὶ καὶ πατέρες ἔοικεν ἡ πνευματικὴ γνῶσις &c. quæ quidem extat, sed latine tantum inter Orationes ipsius à Pontano editas, in quibus est XIX.

„Decimo septimò & quidem a fol. 206. pag. 1. usque ad fol. 224. pag. 2. *Ejusdem Symeonis Junioris Theologi Capita Practica & Theologica*, quorum titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ κεφάλαια πρακτικὰ καὶ Θεολογικά. Θεὸς τοῖς μὲν σωματικῶς ὁρῶσιν, οὐδαμοῦ ἐστιν: τοῖς δὲ πνευματικῶς &c.

„Decimo octavo, & quidem a fol. 224. pag. 2. usque ad fol. 230. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Junioris Theologi Capita Theologica & Gnostica*, quorum titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ κυρίου Συμεὼν τοῦ Νέου Θεολόγου, ἕτερα κεφάλαια Θεολογικά τε καὶ γνωστικά. Οὔτε τῷ Θεολογοῦντι ἁρμόζει μετάνοια, οὔτε τῷ μετανοοῦντι Θεολογία &c.

„Decimo nono & quidem a fol. 231. pag. 1. usque ad folium 247. pag. 1. *Ejusdem Symeonis Junioris Theologi alia quadam Capita Theologica & Practica*, quorum titulus & principium: Τοῦ αὐτοῦ κυρίου Συμεὼν τοῦ Νέου Θεολόγου, ἕτερα κεφάλαια Θεολογικὰ καὶ πρακτικά. Ἀπαρχὴ Χριστὸς, μεσότης καὶ τελειότης. ἐν πᾶσι γὰρ &c. Ex variis Græcè suū ejusdem nomine in Bibliothecis extantibus, Petrus Possinus Soc. Jesu Tholosanus, vir Græce & Latinè eruditus, edidit utràque hac linguâ *Dissertatiunculam S. Patris nostri Symeonis Junioris Theologi, Abbatis Monasterii Sancti Mamantis in Xericerco, De alterationibus animæ & corporis*, ad calcem Epistolarum S. Nili Abbatis Constantinopolitani, S. Johannis Chrysostomi discipuli, pag. 347 quas evulgavit in 4. Parisiis anno 1657. ex Regiâ typographiâ. Porro ut inquit quem hic transcribimus, Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 71. „Quemadmodum absurdum est Metaphrastem duplicare, ita ex Simeone novo Theologo sive juniore, & Simeone Metaphraste, *unum Simeonem* facere, absurdissimum fuerit, quod suspicatur Jacobus Gretserus. Suspicatur enim *ipsissimum Metaphrastem* esse Simeonem illum Juniorem Theologum, cujus Orationes *De moribus Christianis & monasteriis*, vertit ex Græco Pontanus & publicavit. Vult dictum *Juniorem Theologum* respectu antiquioris Gregorii Nazianzeni, qui Theologi nomen adeptus est. Subdit in Indice Bibliothecæ Vaticanæ in Codice 38. legi, Τοῦ Μεταφραστοῦ κυροῦ Συμεὼν τοῦ νέου Θεολόγου περὶ προσοχῆς, *Metaphrasta Domini Symeonis junioris seu novi Theologi De attentione*. Vides eum qui Junior Theologus est, Metaphrasten nominari. Nec obstare, quod Psellus alia ejus scripta non recensuerit, nec Monachatus meminerit: nam Psellus satis habuit historica Sanctorum volumina attingere, & brevitati studens, non omnia de eo quæ poterat, sed quædam adducere voluit, id ipsumque testari Encomium valde & rebus & verbis concisum. Poterat plures alios Manuscriptos Codices cum ex Vaticana, tum ex aliis Bibliothecis producere, qui Metaphrasten novum Theologum nominant. Συμεὼν τοῦ Μεταφραστοῦ καὶ νέου Θεολόγου κεφάλαια ἕτερα, *Symeonis Metaphrastæ & junioris Theologi Capita alia*. Τοῦ Μεταφραστοῦ ἢ νέου Θεολόγου περὶ ἀρχῆς βίου τοῖς ἀρχαρίοις Μοναχοῖς, *Metaphrasta sive novi Theologi de principio vita Archariis Monachis*. Ante Gretserum, Josephus Methonensis Metaphrastem cum hoc novo Theologo confudisse visus est, *Apologia pro Synodo Florentina contra Marcum Ephesium*, καὶ Συμεὼν δ' ὁ νέος Θεολόγος, ὁ καὶ Μεταφραστὴς καλούμενος, *Et Symeon novus Theologus, qui & Metaphrastes dicitur*. Sed Gretserum nihil juvat exscriptorum incuria, nec dictum Methonensis aliis intenti temere prolatum. Obstat ne hi duo unus sint, vitæ institutum varium, & officii dignitas eadem. Nam Symeon novus Theologus vitam Monasticam professus est, multis annis Monasterio S. Mamantis in Xerocerco præfuit, in Ascetica vita consenuit: id quod de Metaphraste dici nequit, qui juxta Psellum Logotheta factus, potissimis Imperii administrandi negotiis multo tempore admotus est."

Juvat autem sub unum oculorum aspectum, objicere omnes simul MSS. Codices Operum S. Symeonis Junioris Theologi, qui inveniuntur in Tomis 2. Manuscriptorum Angliæ Codicum, qui annis 1696. & 1698. Oxonii in folio, magno literatorum bono impressi sunt.

In MSS. Codicibus Bodlejanæ Bibliothecæ Baroccianis Codice 69. Symeon Theologus Junior *De sacra oratione versus Politici*, Ὅστις βούλεται pag. 4.

Idem de tribus modis Προσευχῆς ἢ προσευχῆς &c. Τρεῖς εἰσὶ p. 10.

Idem de illuminatione divina Φῶς γνώσεως ἐστιν. p. 14. b.

Ejusdem Capita practica & Theologica 69. Θεὸς τοῖς μὲν σωματικῶς. p. 22.

Ejusdem Capita Theologica & gnostica 22. Οὔτε τῷ Θεολογοῦντι p. 39.

Ejusdem alia Capita Theologica & practica 57. Ἀπαρχὴ Χριστὸς μεσότης καὶ τελειότης pag. 45. b.

Ibidem in iisdem Codicibus Baroccianis, Codice 108. Symeonis Junioris Theologi De alterationibus animæ & corporis, provenientibus ab aere, elementis, alimentis, demoniis: Ἀδελφοὶ καὶ πατέρες ὀφείλει ὁ μοναχός. pag. 166. ad 170.

In iisdem MSS. Baroccianis Codice 197. *Thesaurus Symeonis Monachi continens Sermones XXXII & folia 207.*

1. Peccata nostra confitenda esse, ac Dei timorem præ oculis habendum, & de transgressione pag. 1.

2. De attentione pag. 10.
3. De lingua pag. 14.
4. De invidia & odio erga fratres pag. 21.
5. De amore & contra iracundiam p. 24.
6. De fornicatione pag. 27.
7. De castitate ac temperantia, & à fornicatione & lascivia abstinendum esse p. 31.
8. De ingluvie pag. 36.
9. De jejunio & ingluvie, & non esse omnino murmurandum p. 47.
10. De jejunio pag. 51.
11. De ebrietate pag. 53.
12. Non esse fidendum in fide sola, absque bonis operibus pag. 56.
13. De avaritia pag. 64.
14. De misericordia pag. 68.
15. Iterum de misericordia pag. 72.
16. De inopia pag. 78.
17. De vita monastica & segrege pag. 85.
18. De patientia seu tolerantia p. 94.
19. 20. 21. 22. De patientia & precatione ad paginam 121.
23. De patientia & sinceris erga Dominum nostrum affectibus, & contra Judæos pag. 130.
24. De injuriarum oblivione, & non esse reddendum malum pro malo pag. 152.
25. De superbia pag. 158.
26. De humiliatione divina pag. 168.
27. De confitendis & damnandis propriis peccatis pag. 173.
28. De mortis recordatione, & de vanitate ac brevitate vitæ, & de compunctione p. 176.
29. De judicio & secundo Christi adventu pag. 181.
30. De resipiscentia pag. 185.
31. De lachrymis & de benevolentia Dei erga homines p. 191.
32. Oratio lugubris p. 197. ad 207.

Ibidem in iisdem MSS. Baroccianis, Codice 213. Symeon Theologus junior *De precatione & lectione Scripturæ Sacræ* pag. 304. O' διδασκόμενος &c.

Ibidem Codice 290. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 111. num. 7. Symeonis Junioris Oratio de principio vitæ, utilis admodum iis qui vel seculo renuntiarunt, vel adhuc in seculo agunt, & ad vitam Monasticam confugiunt. pag. 265. Ἀδελφοὶ καὶ πατέρες &c.

Ibidem Codice 291. in MSS. ejusdem Cromwelli Codice 113. *Symeonis Junioris Theologi, monasterio Sancti Mamantis Præfecti* τῆς ξηροκέρκου *Orationes sive Homiliæ aliquot de fide & moribus tum Christianis tum Monasticis*, quarum aliquæ, sed Latinè tantum a *Pontano* versæ, Ingolstadii anno 1603. editæ extant.

2. Ejusdem homilia de resurrectione Christi, habita post Pascha feria secunda hebdomadæ secundæ pag. 4.
3. Eadem quæ in editis XXVII. p. 9.
4. De operationibus Spiritus Sancti p. 14.
5. De Contemplatione & revelatione & Oratione illuminante p. 19.
6. De pœnitentia & timore Domini p. 23.
7. Eadem quæ in editis XIX. p. 30.
8. Eadem quæ editis XVIII. p. 35.
9. Ne in præceptorum divinorum observatione negligentes simus, neque unicum solum contemnamus p. 43.
10. De participatione Spiritus Sancti p. 55.
11. Quod periculo non vacat, talentum nobis a Deo creditum abscondere p. 63.
12. Ejusdem Eucharistica ad Deum, pro donis suis in ipsum collatis p. 76.
13. Ejusdem Oratio Theologica adversus eos qui primum de Spiritu &c. p. 88.
14. Ejusdem Oratio Theologica adversus eos, qui Theologos agere præsumunt, Spiritu S. destituti. p. 102.
15. Ejusdem, Quod quidquid Pater est, illud est & Filius: & quidquid Filius, id & Spiritus Sanctus: quodque omnes unus sunt Spiritus. pag. 112.
16. Ejusdem Liber Ethicorum p. 120.
17. Ejusdem Oratio protreptica ad pœnitentiam ex Prooemiis. Et in textum Apostoli, *Quos præscivit, eos etiam prædestinavit*. Et adversus eos qui hunc locum & totam S. Scripturam pervertunt. p. 179.
18. Ejusdem in illud Apostoli, *Novi hominem in tertium cælum abreptum, qui audivit verba ineffabilia*. p. 211.
19. De apathia & profectu donorum & gratiarum quæ ei insunt, & quænam est illa perfectio Spiritualis secundum ætatem Christi? pag. 232.
20. Ejusdem de iis qui præsumunt inesse Spiritum Sanctum, sed incognitò, qui tamen nullam ipsius operationem sentiunt. Et de iis qui asserunt non posse quenquam mortalium, gloriam ejus videre in hac vita. p. 261.
21. Ejusdem de apathia & virtuosa vita, & quomodo oporteat voluntati propriæ renuntiare, & ad apicem perfectionis assurgere. Et de conjunctione Dei cum anima, & animæ cum corpore. Item de medicina spirituali, & quomodo spiritualiter laborantes, curandi sunt. pag. 278.
22. Ejusdem de iis qui DEO serviunt. pag. 295.
23. Ejusdem de dilectione DEI & de fide, pag. 315.
24. Ejusdem de vera cognitione p. 323.
25. Ejusdem de tremendo die Domini, & de judicio futuro pag. 340.
26. Ejusdem de vivifica morte Jesu Christi, quæ continuò sensibiliter in perfectis peragitur. Quodque virtutum possessio sanguine emitur, & quæ sint virtutum illecebræ. pag. 370.
27. Ejusdem in illud Apostoli, *tempus redimentes, quia dies mali sunt*. p. 397.
28. Ejusdem in illud Apostoli, *Primus homo ex terra terrestris, secundus homo Dominus è cælis*. pag. 404.

29. E-

29. Ejusdem de Festis, & quomodo festa celebranda sint. p. 414.

30. Ejusdem Oratio de tranquillitate seu Περὶ ἡσυχίας, & quales operationes subire oporteat eum, qui huic incumbit. pag. 425.

31. Ejusdem versus Anacreontici, quod timor Dei omnem alium timorem eradicat. pag. 443.

Ibidem Codice seu Num. 688. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis olim Archiepiscopi Litera C. Codice 36. num. 22. Symeonis Junioris Theologi Monasterii Sancti Mamantis Præfecti, Capita practica & Theologica 101. Θεὸς τοῖς μὲν &c. p. 159. b.

32. Ejusdem Capita gnostica & Theologica XXV. p. 175. b.

33. Ejusdem Capita Theologica & Practica CII. Ἀπαρχὴ Χριστός. p. 180.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum num. 5937. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 103. Symeonis Theologi cognomento Junioris, Capita de Oratione & compunctione.

Ejusdem Capita Practica & Theologica.

Ejusdem alia Capita Theologica & Gnostica.

Ejusdem alia Capita Theologica & Practica.

Sermo de ascesi.

Ibidem num. 9108. in MSS. Græcis Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis, Codice 37. *Symeonis Theologi de dilectione Orationes duæ.*

Agunt *De Symeone Juniore Theologo & Sancti Mamantis Præfecto*, Conradus Gesnerus in Bibliotheca Scriptorum pag. 770. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*. Jacobus Pontanus in editione Operum illius, & Jacobus Gretserus in Notis quas adjecit. Omnium autem quem excerpsimus, prolixissime Leo Allatius in Dissertatione sua *De Symeonum Scriptis* a pag. 251. ad pag. 179. Petrus Lambecius Libro 4. Commentariorum *De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, pag. 145. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 251. & 258. Lib. 5. eorundem pag. 71. & 89. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 355. & 365. quem excerpsimus.

1030 ODORANNUS SANCTI PETRI VIVI SENONENSIS MONACHUS, quem Cavus præteriit, Ordinis dicti Benedicti, scripsit *Chronicon rerum in Orbe gestarum, ab anno 675. ad annum 1032.* quo in citato Sancti Petri Senonensis Cœnobio vivebat. *Chronicon* istud habetur in *Collectaneo Veterum seu Coætaneorum Franciæ Scriptorum*, quod nostris temporibus, tomis quinque in folio editum est ab Andrea Duchesnio, Parisiis anno 1636. & sequentibus, apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa sub ciconiis. De *Odoranno* quem impressum nescivit, Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 346. quem anno 1045. floruisse asserit, ad quem absque dubio pervenire potuit.

ARNOLDUS ALTAHENSIS IN BAVARIA MONACHUS, quem idem Cavus omisit, primum quidem fuisse videtur Herveldensis Canonicus, deinde transivisse ad Monasterium Altaham, Ordinis divi Benedicti, in Bavarica ditione ad Danubium positi. Vixit eodem tempore quo S. Godehardus, qui anno ætatis suæ XXXI. Christi autem 990. ex Clerico Monachus Ordinis divi Benedicti factus est, Abbas autem circa annum 997. constitutus. Tum Otho III. imperabat, Sanctus autem Bernwardus seu Bernardus ab anno jam Christi 993. Episcopus erat Hildesheimensis: cui in Episcopatu Godehardus iste successit, ejus loci factus Episcopus decimus quartus: qui potissimum claruit tum Henrici cognomento *Claudi* vel *Sancti* temporibus, tum Conradi II, cujus anno XII. Christi autem MXXXVII. mortuus est. 1030

Vitam Sancti Godehardi ab Arnoldo scriptam esse, hæc prologi verba satis ostendunt. *Summa reverentia dicere venerando Domino meo & magistro, Menghardo, toto semper devotionis studio colendo, Arnoldus, spiritu & corpore modicus, quidquid pro plurali subjectionis debito jure proprius, Historiam de Vita & Institutione beatæ memoriæ patris ac pastoris nostri, Godehardi Episcopi scripturus &c.* Cujus vero instantiâ & postulatu memoriæ eam tradiderit, paullo post subjungit his verbis: *Multiplici propriæ negligentiæ conscientiâ & metu territus, retrahebar, donec tandem Præceptorum ac Fratrum, maximeque beati viri & veri Dei cultoris, Atheliberti Abbatis nostri jussis, partim sponte, partim invitus, obediens, tale fastigium attingere tentavi: tuaque clementia, O Præceptor nobilis, secretius offerendum existimavi.* Atque ex his simul, Arnoldum Menghardi fuisse discipulum cognoscimus. Subjungit postea, *Per adolescentiæ mea tempora, inter Herveldense & Altahense Cœnobium, quasi Orosii more, discurrebam.* Quibus significat verbis, ut Orosius olim inter Augustinum in Africâ constitutum, & Hieronymum in Palæstina agentem, commeabat: ita se ultrò citroque itasse, inter Altahense Monasterium, in quo ipse vivebat, & Herveldense, in quo S. Godehardus Abbas erat. Fidem autem libello suo adstruit his verbis. *Dominum ergo qui secreta cordium intuendo rimatur, testor, me nihil in ejus memoriæ laude descripturum, nisi quod aut ipse & vidi & audivi, aut à rectè veridicis, & etiam probatis agnovi. Maximè tamen cum in Altaha fuerit causâ exularem, cujusdam veterani Presbyteri, Reignol is nomine, quem & tu melius noveras, familiaritate & colloquio sæpius utebar: & si Dominus quandoque dignaretur, ejus veriloqua relatione ad hoc ipsum instruebar. Qui certe ei ab ipsa infantia fidei ministerio semper adhærebat, eumque sacra eruditionis litera instruebat: & omnia ejus dicta & facta, usque ad Monasticam professionem, &*

& etiam ad Pontificalem promotionem, ipse melius novcrat. Ex quibus Arnoldi ejusdem discimus ætatem, de quo nunc sermo nobis est. Hanc *Vitam S. Godehardi* sive *Gothardi* legas tomo VII. *Suriana Sylloges:* sed stylo mutato, & plerisque παραφραστικῶς redditis: imò in Prologo & nomen ab eo Scriptoris omissum, hoc est *Arnoldi:* & ejus cui Opusculum dicaverat, hoc est, *Menghardi.* Denique ipse Surius agnoscit, desiderata fuisse non pauca, in eo exemplari quo usus fuit. At ipsis *Arnoldi* verbis prodierat Lipsiæ anno 1518. ex Bibliotheca S. Galli, ediditque integrius ex MS. Codice Ecclesiæ Hildesheimensis, Christophorus Brouwerus, in *Illustribus Germaniæ Syderibus* anno 1616. Moguntiæ impressis. Libellus verò *De relatione in numerum Sanctorum*, sive ut Brouwerus vocat, ἀποθεώσεως *Gothardi*, miraculisque subsecutis, adjunctus posteà ab alio fuit, qui XC annis minimum junior fuit. Nam initio hujus Opusculi legas: *Anno Dominicæ Incarnationis MCXXVIII. obitus verò beati Godehardi XC. Bertholdus vir venerandus, cathedra nostra præsidebat &c.* Hæc ex Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Latinis*, cap. 43. pag. mihi 340. & sequenti. Hic cautè distinguendus est ab Arnoldo Episcopo Halberstatensi, qui anno 1013. clarus scripsit *Epistolam de institutione Episcopatus Bambergensis*, quæ extat apud Baluzium tomo IV. *Miscellaneorum* p. 435.

1030 BERNO AVGIÆ DIVITIS ABBAS, extitit primum Monachus Sancti Galli in Germania, Ordinis divi Benedicti, ubi cum diu sub disciplina regulari laudabiliter militasset, atque animum scientia tum Musices, tum Ecclesiasticarum historiarum excoluisset, clarus meritis, ad Abbatiam Augiæ Divitis prope Constantiam ad Rhenum, anno 1014. promotus. Quo ergo tempore Henricus II. & Conradus II. ac primo Henrici III. quinquennio, claruit Berno, qui Henrici II. coronationi se interfuisse, ipse inquit cap. 2. *De quibusdam rebus ad Missæ officium spectantibus.* Quid autem in Cantu Ecclesiæ præstiterit, docebit Eckerhardus Junior in *Vita B. Notkeri Balbuli* cap. 10. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. cap. 44. pag. mihi 367. falsò hunc Bernonem facit Hincmari Rhemensis Archiepiscopi discipulum, cui rei indicio esse videtur Epistola ipsius Hincmari ad Æneam Parisiensem Episcopum, quam ex Vaticana Bibliotheca Baronius refert in Annalibus, ad annum 912. Verum apertè Vossius fallitur & fallit, id enim intelligendum est de Bernone altero annis centum seniore, Abbate primo Cluniacensis Ecclesiæ, qui anno 912. Burgundiam petens, in Cœnobio Balmensi à se nuper fundato, Odonem Turonensem Clericum, Musicum & Archidiaconum Turonensis Ecclesiæ anno 901. factum, monastico cucullo ibidem indutum, Monasterii scholæ præposuit: de quo etiam intelligi debent, quæ Eckerardus habet suprà citatus, in *Vita Notkeri Balbuli* cap. 10. Et sanè tempus Bernonis Augiensis Abbatis, cum ætate Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, ejusque discipulatu, stare nequaquam potest. Extat ab eo scriptus Libellus *De quibusdam rebus ad Missæ officium pertinentibus*, editus primum inter Scriptores *De divinis officiis* collatus ad MSS. Codd. studio & curâ Melchioris Hittorpii, Coloniæ 1568. & Parisiis 1610. pag. 661. in folio. Item Venetiis seorsim 1572. in 8. cum aliis ejusdem argumenti. Hinc translatus in Bibliothecam Patrum editionis Parisiensis 1575. Tomo 4. col. 572. Anni 1589. Tomo 6. col. 709. Anni 1610. ibidem Tomo 10. pag. 697. Editionis Coloniensis 1618. Seculo seu Tomo XI. pag. 51. Item Parisiensis anni 1624. Tomo 10. pag. 697. Lugdunensis 1677. Tomo XVIII. pag. 56. Idem ornatiori latinitate expolivit *Vitam S. Vdalrici Augustani Episcopi*, quam habes apud Surium die 4. Julii. Hanc autem ante Bernonem conscripserunt alii duo, quorum primus anonymus seu Gerardus Presbyter Sancti Vdalrici discipulus, de quo ad ann. 980: alter Gebehardus Augustanus Episcopus, qui eundem quoque vidisse potuit. De his anterioribus, ita Gerardus Johannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. *De Historicis prætermissis* cap. 5. p. 764.

At Othonis I. & II. temporibus fuit is (*Gerhardus*) qui primus sed rudi stylo conscribilavit Vitam Sancti Vdalrici Episcopi Augustani. Ætatem indicat, quod cum hoc S. Vdalrico conversatus fuerit, qui anno Christi 924. Episcopus factus est, atque anno 973. IV. Nonas Julii obiit, episcopatus sui anno 50. cum annos 83. vixisset. Ex hoc Scriptore sua in Vita S. Vdalrici hauserunt, Gebehardus Episcopus Augustanus & Augiæ Abbas, qui in eo elaborarunt, ut quæ rusticâ dictione ab anonymo prius expressa essent, à se elegantius politiusque composita, plures oblectarent: atque ita egerunt, ut fons ipse multum negligeretur, imo aliquot seculis nesciretur, usquedum tandem incognitum reperit, atque literario orbi obtulit Marcus Welserus, nam is primus illam S. Vdalrici Vitam è tenebris eruit, ac publici juris fecit. Idem pag. 766. Æqualis Dietmaro fuit Gebhardus Augustanus Episcopus, qui anno 1006. sedere cœpit, ac novennio Ecclesiæ præfuit. Est autem Gebhardus ille, qui Ecclesiam S. Afræ à Sancto Vdalrico extructam, ubi & sepeliri voluerat, adductis eò S. Benedicti Monachis, in Monasterium & Abbatiam convertit. De hoc superius diximus, quod Vitam S. Vdalrici, quæ ab ejus æquali rusticè atque ineleganter scripta erat, nitidius ornatiusque expresserit, uti & à Bernone Augiensi Abbate paullo post factum iterum fuit. Scripsit quoque Berno *Vitam S. Meginardi Episcopi & Martyris*, quam edidit Joannes Mabillon Seculo IV. Sanctorum Ordinis divi Benedicti Tomo 2. pag. 63. & seqq. Extant quoque inter

ter MSS. Codices Philosophicos Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Philosophico 1. Serie 2. in libris Mathematicis & Astronomicis in folio, Codice 30. *Bernonis Abbatis Augiensis libellus tonarius. Ejusdem Antiphonarium & Musica*. Codice 31. *Bernonis Musica, Libellus tonarius, Monochordi mensura*: quibus opusculis in Musica & Cantu excelluisse constat. Hæc Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum *Bibliotheca Paulina Lipsiensis*, impresso pag. 328. Codd. 30. & 31. editionis 1686. Lipsiæ in 16. Agunt de Bernone Abbate Augiensi, qui decessit anno gratiæ 1045. 7. Idus Januarii, cum Augiense Monasterium annis XXXIX. rexisset, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 367. Ego ipse in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis* anno 1030. pag. 327. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1014. pag. 599. Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Berno Abbas Augiensis*.

1030 GVIDO ARETINVS IN ITALIA MONACHVS primùm, tum posteà Abbas sanctæ Crucis Avellanæ prope Aretium Etruriæ civitatem, ejusdem Ordinis divi Benedicti, hoc eodem tempore claruit, quem Guillelmus Cavus omisit. Novam addiscendæ Musicæ rationem invenit, adeo ut paucis mensibus puer addisceret, quod pluribus annis vix quisque ætate & ingenio pollens, addiscere potuisset. Scripsit itaque de hoc argumento librum prænotatum *Micrologum*, quem Theobaldo Aretino Episcopo dicatum, anno ætatis suæ XXXIV. emisit in lucem, sub Joanne XX. qui Benedicto VIII. anno 1024. die 10. Julii mortuo successerat. Et quidem hic *Guido Musicus*, cujus MS. opus extat in Bibliotheca Buciliensi Ordinis Præmonstratensis in agro seu Episcopatu Laudunensi, in Bibliotheca nostra Lugduno-batava inter MSS. Codices Latinos num. 163. ut constat ex Catalogo impresso Librorum hujus Bibliothecæ in 4. Lugduni-Batavorum anno 1674. pagina 408. & alibi passim. Evocatus fuerat iterum quidem ac tertio ad Vrbem à Benedicto VIII. qui & ejus revolvit *Antiphonarium* quod correxerat & ordinaverat, atque aliqua miratus ex eo didicit. Extat de hoc negotio ipsius Guidonis Epistola, inserta à Cardinale Baronio suis Annalibus, sub annum 1022. scripta ad Michaelem Monachum S. Mariæ Pomposiani Cœnobii, ut præfert titulus. Hæc nos verbotenus ex *Apparatu sacro* Antonii Possevini, pag. 694. „ Idem Tomo 2. „verbo *Micrologus* ita ejusdem meminit. Mi„crologus qui hactenus hoc nomine tanquam „Anonymus circumlatus est, fuit ipse Guido „Abbas sanctæ Crucis Avellanæ propè Aretium „Etruriæ civitatem, Monachus autem S. Bene„dicti, qui figuratum (ut vocant) composuit „cantum, musicisque notis *ut re mi fa sol la* „nomen indidit: id quod Sacerdos quidam „nomine Domnizo, qui rudi carmine *De gestis Comitissa Mathildis* scripsit, testatur, dum loqui„tur de Theobaldo Aretii Episcopo, fratre Mar„chionis Bonifacii & patre Comitissæ Mathildis, „ita habet. „

Micrologum librum sibi dictat Guido peritus
Musicus & Monachus, necnon Eremita beandus.

Affirmat autem idem Antonius Possevinus hunc ipsum Guidonem egisse *de veritate Sacramenti Eucharistia* contra Berengarium hæreticum, atque alia, quæ ad nos neutiquam pervenerunt. Errat autem dum inquit eundem ante plusquam quingentos annos, scripsisse *De Ecclesiasticis observationibus Micrologum*, quem quidem Jacobus Pamelius Brugensis Canonicus, in lucem Antverpiæ emisit. Nam *Micrologus de Ecclesiasticis Observationibus* non spectat ad Guidonem Aretinum Monachum & S. Crucis Avellanæ Abbatem qui anno circiter 1030. claruit, sed ad anonymum qui tempore Friderici primi Imperatoris, circa annum 1165. illum composuit. Hæc ad cautelam contra Possevinum de Guidone *Micrologi Musica* scriptore agentem, de quo etiam Sigebertus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 144. & in *Chronico* ad annum Christi 1028. Joannes Trithemius Lib. 2. *De viris illustribus Ordinis Divi Benedicti*, cap. 74. Gerardus Joannes Vossius in Opere *De quatuor Artibus popularibus*, Cap. 4. *De Musica* §. 10. p. 39.

MICHAEL CERVLARIVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, 1040
Alexio die 20. Februarii anno 1043. defuncto, in ejus locum subrogatus est, mirâ rerum vicissitudine: quippe qui antea à Joanne Michaelis Paphlagonis fratre ob tyrannidem affectatam, in exilium pulsus fuerat. Hæc Curopalates. Anno autem 1053. cum non solum Ecclesia Antiochena, sed & Alexandrina atque Hierosolymitana, hoc tempore communionem cum Ecclesia Romana retinerent, Romanique Pontificis nomen in Diptichis in Ecclesia recitarent: Michael Cerularius hac de caussâ de illarum Patriarchis conquiritur, ut constat ex ejus *Epistola ad Petrum Antiochenum* scripta, quam recitat Baronius *Annalium* tomo XI. anno 1054. desumptam ex MS. Bibliothecæ Vallicollanæ, ubi Græcè extat. Id enim ipse infenso ferens animo, ingentique in Romanam Ecclesiam elatus odio, hoc ipso anno una cum Leone Archiepiscopo, Acridæ Bulgarorum Metropolitano, alteram Epistolam adversus eandem sedem Romanam, Imo contra omnem Occidentalem Ecclesiam scripsit, quam hoc anno recitat Baronius ex eodem Codice, missam ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum: per ipsum ut habet textus, promulgandam *Ad universos Principes Sacerdotum & Sacerdotes Francorum ad Monachos & Populos, & ad ipsum Reverendissimum Papam*: damnans eos omnes, quod *Azima & Sabbata* indecenter mo-

more Judaico custodirent, *Suffocata* more barbarorum comederent, ac in Quadragesima *Alleluja* non psallerent. Quam quidem Epistolam Humbertum Cardinalem Sylvæ Candidæ Episcopum, cum Trani esset, acceptam in Latinum transtulisse, & ad Leonem Papam detulisse, traditur ex Codice, ubi ea MS. legitur. Ipse verò Summus Pontifex perlectâ eadem, respondendi sibi onus incumbere existimans, quod ea imprimis in sugillationem Romanæ Ecclesiæ verteretur: prolixam illam ad eosdem Michaelem & Leonem Acridanum Epistolam scripsit, quæ inter impressas hujus Pontificis, prima ordine ponitur. Vbi & ex notâ temporis, hoc anno 1053. conscripta esse cognoscitur, dum ait *intervenisse mille & fermè viginti annos* à Christi passione, usque ad illud tempus quo eam scribebat. Extant etiam MSS. istæ tres Epistolæ, in Bibliotheca celebri Serenissimi Bavariæ Ducis, Cod. 118. Impressit autem illas Græcè simul & Latinè, Parisiis in 4. tomo 2. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 108. & sequentibus, Joannes Baptista Cotelerius *Michaelis Cerularii P. CP. Epistolam ad Petrum Antiochenum, cum altera Petri Antiocheni ad eundem Michaelem CP. Tertiamque Michaelis CP. ad Petrum Antiochenum, ex variis MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ.* Idem Cotelerius in Notis ad Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt, quas ad calcem Tomi 2. subjecit, col. 55. edidit Græcè & Latinè ex MSS. Regiis 277. & 1996. *Epistolam brevem Michaelis Cerularii*, quæ in Jure Græco-Romano manca legebatur lib. 4. p. 263. Item inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut refert Petrus Lambecius hujus Bibliothecæ præfectus, tomo seu libro 3. Commentariorum suorum hujus Bibliothecæ pag. 153. extant Codice 77. *Michaelis Cerularii Epistolæ duæ* allatæ, *ad Petrum Patriarcham Antiochenum adversus Latinos*, variis refertæ mendaciis & calumniis, ut Latini nos volumus. Tum in eodem Codice extat etiam ejusdem *Michaelis Cerularii relatio, quomodo ipse cum sequacibus suis ab Apocrisiariis sive Legatis Romanæ & Apostolicæ sedis, Constantinopoli in ipsa magna Ecclesia S. Sophiæ anathematizatus atque excommunicatus sit.* Eadem quoque *Epistola ad Petrum Patriarcham Antiochenum, cum subjuncto Opere contra Latinos*, ibidem iterum extat MS. Codice Theologico Græco 247. num. 22. & 23. ut habet idem Lambecius tomo seu Libro V. Commentariorum Cæsareæ hujus Bibliothecæ, pag. 125. & 144. Hinc exiit *Edictum Synodale adversus Latinos de Pittacio* seu *De excommunicatione à Latinis Legatis in ipsum, ab Michaele in Legatos vibrata*, anno 1054. die 9. Junii factum, quod Græco-latinè apud Allatium *De libris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 161. Extat ejusdem *Decisio Synodica de nuptiis in septimo gradu*, Græc. Lat. in *Jure Græco Romano*, Lib. 3. pag. 206. *Fragmenta aliquot de matrimonio prohibito*, ibidem lib. 4. pag. 263. Idem Michael scripsisse videtur quoque *Sermones in quædam Evangelia Dominicalia, & in Transfigurationem Domini, & in omnes Sanctos*, quos habes in 4. in membrana, MSS. in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codice Græco 254. Idem quoque scripsit δήλωσιν, *Manifestationem ad Regem, quod Mystagogia præsanctificatorum antiquitus fuerit tradita, & quomodo ipsius Mystica operatio fiat, & quare prohibita fuere τὰ τέλεια in sancta Quadragesima*: quæ MS. extat in Biblioth. Vaticanâ. Nisi hæc spectent ad Michaelem Anchialum Patriarcham Constantinopolitanum, de quo ad annum 1170. posteà dicturi sumus.

Cum itaque in sua erga Romanam sedem aversione persisteret, ejus Epistolæ anno 1054. ab Humberto Cardinale refutatæ sunt, ipseque publicè Constantinopoli à Legatis Apostolicis ob contumaciam & errores uti volebant, excommunicatus est: quibus de rebus abundè Henricus Spondanus in Epitome Annalium Baronii, ad annum 1054. num. 1. 2. & 3. Anno autem 1057. Isaacio Comneno invadente Imperium Orientale, Michael Augustus ei cedere coactus, die ultimâ Augusti mensis privatus ad proprias ædes se recepit: qui cum à Michaele Cerulario Patriarcha, rebellionis adversus ipsum authore & principe, per Metropolitas legatos moneretur, ut imperio cederet, interrogans Metropolitas quid pro Imperio traderet Patriarcha, illisque respondentibus, *Cœleste regnum*: depositâ statim purpurâ, veste privatâ indutus cessit: atque Isaacius inchoante mense Septembri, à Patriarchâ solemni ritu, Imperator coronatus est. Denique anno 1058. Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, Isaacio Imperatori ob frequentes & odiosas petitiones, & cum repulsam pateretur, absurdas increpationes & de Imperii abdicatione comminationes, intolerabilis factus; & quod insuper aggressus esset cocco tincta Imperatorio more induere calceamenta, antiqui Sacerdotii consuetudinem hanc esse asserens: ab eodem Imperatore in exilium ejectus est, ubi sedisset annis quindecim. Quo paullo post defuncto, subrogatus in ejus locum *Constantinus Licudex* Protovestiarius, quæ narrat omnia pluribus Curopalates. Agunt de *Michaele Cerulario Patriarcha Constantinopolitano*, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 114. Cæsar Baronius ipsi plurimum infensus, in *Annalibus Ecclesiasticis*, ad seculum XI. sæpius. Henricus Spondanus ejus Epitomator ad annum 1043. num. 3. 1053. num. 5. 1054. num. 1. 2. & 3. 1057. num. 4. 1058. num. 5. unde plurima hic habuimus.

LEO ACRIDÆ IN BVLGARIA ARCHI- 1040
EPISCOPVS, claruit anno 1040. & sequentibus, scientiâ ac defendendarum Ecclesiæ Græcæ opinionum zelo ardens. Junctus enim in hac controversiâ fuit cum Michaele Cerulario Patriarcha CP. cum quo communem Græco-

eorum causam amplexus est, scriptisque suis Latinas doctrinas lacessivit. Ac primum quidem Leo Bulgariæ Archiepiscopus, scripsit *Epistolam de azimis & Sabbatis*, ad Leonem IX. Romanum Pontificem missam, quæ Græcè MS. extat in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codd. 112. & 113. Extant quoque in eadem Bibliotheca, MSS. Cod. 116. *Leonis Metropolitani Acrideni prima & secunda συνέντευξις seu Congressio cum Latinis de processione Spiritus Sancti.* Extant quoque *Epistolæ illæ duæ contra Latinos, De jejunio Sabbati & de azimis*, MSS. inter Codices Manuscriptos Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice 283. num. 8. ut habet Petrus Lambecius Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 232. & 340. Item ibidem Codice 214. num. 3. *Ejusdem Capita quinquaginta de tentationibus involuntariis, utilitateque illarum.* Ut ibi Lambecius pag. 40. & quidem à fol. 69. pag. 1. usque ad fol. 72. pag. 2. Ipsa tituli Græci verba cum initio capitis primi hæc sunt: *Λέοντος τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Βουλγαρίας Κεφάλαια ν'. Περὶ πειρασμῶν καὶ θλίψεων ἀκουσίων καὶ τῆς ἐντεῦθεν ὠφελείας. Κεφάλαιον α'. Ἔστι μὲν ἡμῖν εἰς ζωὴν καὶ διατροφὴν ὁ καρποφορούμενος ἐκ τῆς γῆς σῖτος* &c. Ita Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, præfata p. 40. Offensus Leo Romanus Pontifex his Leonis Acridani Archiepiscopi scriptis, unionis Ecclesiarum cupidus, Legatos Constantinopolim *Humbertum & Fridericum* S. R. Ecclesiæ Cardinales, illum Sylvæ Candidæ Episcopum, istum Archidiaconum & Cancellarium: quibos Petrus Amalphitanus Archiepiscopos collega adlectus est, litterasque ad Constantinopolis Imperatorem & Michaelem Patriarcham dedit, ut Ecclesiasticam pacem Græcos inter & Latinos conciliarent. Hanc verò legationem anno Christi 1054. ab iisdem Antistitibus initam esse, docet imprimis Leo Ostiensis Lib. 2. cap. 89. ubi breviter summam rerum ab eis gestarum complexus est. Ipsæ etiam Leonis Pontificis litteræ ad Michaelem conscriptæ, quæ datæ habentur mense Januario Indictionis septimæ in hunc annum concurrentis. Quæ autem publice vel privatim cum Imperatore iidem Legati transegerint, scriptis mandavit unus ex eis *Humbertus*, cum illis quæ idem ipse contra Epistolam Michaelis Cerularii in Apuliam adversus Latinos missam, & contra alias Græcorum objectiones fusius disputans, per Dialogismum hoc anno conscripsit: vir quidem scientiâ divinarum ac secularium litterarum apprimè eruditus, morumque inculpatorum: sed ad agenda cum Græcis negotia parum idoneus, ardentioris nempe quam conveniret, ingenii. Errores autem propter quos Michael Cerularius & Leo Acridanus Archiepisc. cum suis à Romanis Legatis damnati sunt, in eadem adversus eos ab *Humberto* latâ Excommunicationis sententiâ, recensentur. „Nimirum quod sicut Simoniaci, donum Dei venderent: sicut Valesii, hospites suos castrarent: & non solum ad Clericatum, sed insuper ad Episcopatum promoverent. Sicut Ariani rebaptizarent eos, qui baptizati essent in nomine sanctissimæ Trinitatis, & maximè Latinos. Sicut Donatistæ affirmarent, exceptâ Græcorum Ecclesiâ, Ecclesiam Christi & verum sacrificium atque baptismum, ex toto mundo periisse: Sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concederent sacri Altaris ministris: Sicut Severiani, maledictam dicerent legem Moysi: Sicut Pnevmatomachi vel Theomachi, negarent Spiritus Sancti processionem à filio &c." Hæc omnia vel narrante Humberto Cardinali, quis vera crederet? Magna hæc acensi & ulcerati animi indicia. De *Leone Acridano in Bulgaria Archiepiscopo* Cæsar Baronius in suis *Annalibus Ecclesiasticis*, ad annum 1054. Henricus Spondanus ejus epitomator, ad eundem annum 1054. num. 2. & 3. Petrus Lambecius in Commentariis suis *Cæsarea Bibliotheca Vindobonensis*, Lib. 4. & 5. ut supra notatum est.

PETRUS PATRIARCHA ANTIOCHENUS, claruit iisdem temporibus, quibus anteriores illi duo Michael Cerularius & Leo Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus. 1040
Sane inter *Vetera Monumenta Ecclesiæ Græcæ*, tomo 2. pag. 108. & sequentibus, quem edidit Johannes Cotelerius in 4. Parisiis anno 1681. apud Franciscum Muguet viâ citharæ sub signo Adorationis trium Regum, extant impressæ ex variis MSS. Codicibus Græcis Regiæ Galliarum Bibliothecæ, *Dominici Gradensis Epistola, ad Petrum Patriarcham Antiochenum*, Græce & Latinè: tum eodem modo *Responsum Petri Antiocheni.* itemque ibidem *Epistola Michaelis Cerularii Patriarchæ Constantinopolitani ad Petrum Antiochenum, & Responsum Petri Antiocheni*, seu ipsa *Epistola Petri Antiocheni ad Michaelem*, de qua statim diximus: imò & tertia *Michaelis CP. ad eundem Petrum Antiochenum.* Extat inter MSS. Codices Bodleianæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, Codice 294. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 115. num. 18. *Petri Patriarchæ Theopoleos* quæ est Antiochia, *Epistola ad Archiepiscopum Aquileiensem sive Venetiarum, ne se Patriarcham existimet de Azimis* pag. 428. ad 440. Extat etiam *Petri Patriarchæ Antiocheni ad Michaelem Cerularium*, anno Christi 1043. vel 1044. Patriarcham Constantinopolitanum electum, *Epistola De Ecclesia Romana* MS. inter Codices Theologicos Græcos MSS Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Cod 247. num. 19. Itemque ejusdem *Petri Epistola ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum, De controversiis fidei inter Occidentalem & Orientalem Ecclesiam*, ibidem in eodem Codice, num. 21. & 22. Agunt de his Epistolis *Petri Antiocheni* Joannes Cotelerius, qui eas edidit, in Notis suis ad tomum 2. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ.* Petrus Lambecius Libro V. *Commentariorum Bibliothe-*

ca

ca Cæsarea Vindobonensis, pag. 124. & in Catalogo hujus tomi, p. 351.

1040 IOANNES MAUROPUS, EUCHAITENSIS METROPOLITA, de quo parce atque ambiguus satis loquitur Hippolytus Maraccius Lucensis in *Bibliotheca Mariana*, ubi de ejusdem authoris ætate, quasi de re incerta his verbis: „Joannes Euchaitarum Episcopus, natione Græcus, inter Hymnographos Menæorum insignis, „de cujus ætate aut vita Simon Wangnereck „in sua *Pietate Mariana Græcorum*, parte 1. in Prolegomenis Num. 15. se nondum quidquam invenisse scribit, quod viris doctis probari se „posse confideret: studium suum erga B. Virginem declaravit scribendo Græce *In Dormitionem sanctissimæ Deiparæ* Orationem unam, „quæ MS. extat in Bibliotheca Vaticana. *Canones* item *octo deprecatorios ad sanctissimam* „*Deiparam* secundum octo Echos Græcorum, „qui MSS. extant ibidem. Hæc Maraccius. Quod autem ille sub Imper. Constantino Monomacho, ab anno 1042. usque ad annum 1054. imperante floruerit, manifeste apparet non solum ex Vitæ ipsius brevi Epitome, quæ MSS. Operibus præmittitur: verum etiam ex illius Poëmatibus, in quibus nimirum jam memorati Imperatoris Constantini Monomachi velut Synchroni, aliquoties nominatim mentio fit. „De illo ita Guilielmus Cavus in Historia „Rei Literariæ ad annum 1054. pag. 608. Joannes Euchaitarum Metropolita claruit circa „annum 1054. & deinceps. Scripsit *Poemata* „*versibus Jambicis in principalium festorum pictas* „*in tabulis historias*, atque alia varia. Carmina „ista prodierunt Græce edita Ætonæ 1610. in „4to. cura Matthæi Busti Ætoniensis cum notis „doctissimis. Scripsit etiam *Vitam S. Eusebiæ* „apud Euchaitas in magna veneratione habitæ, „item *Vitam S. Dorothei in Chiliocomo*, ex quibus fragmenta quædam profert Leo Allatius „in libro *De consensu utriusque Ecclesiæ in dogmate de Purgatorio* pag. 754. Longe tamen plura ipsi attribuit Encomia in Sanctos Leo Allatius, quæ inter Simeonis Metaphrastæ Collectanea reperiuntur, de quibus idem Allatius in Diatriba *De Simeonum Scriptis*, nempe *In Sanctum Theodorum Martyrem* pag. 82. *Joannis Euchaitarum Metropolitæ* εἰς τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου καὶ τὴν τοῦ πρωτοσαββάτου ἡμέραν ἐν Εὐχαΐτοις, cujus initium Ἀλλ᾽ ὁ πένθιμος ἡμῖν ὁ καιρός. τοῦτο γοῦν μαρτύριον σαφὲς ἡ νηστεία. Pag. 92. *In Dormitionem sanctæ Deiparæ*, εἰς τὴν ἁγίαν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, cujus initium Ἐπὶ τὴν μητέρα τοῦ Λόγου μετὰ τὸν Λόγον ὁ λόγος. Pag. 97. *In Synaxim Sanctorum Angelorum*, λόγος εἰς τὴν σύναξιν τῶν ἁγίων Ἀγγέλων, cujus initium Καὶ τοῦτο τῆς ἄκρας ἀγαθότητος γνώρισμα, ἀπόδειξις καὶ αὕτη μεγίστη. Pag. 99. *In Sanctum Theodorum Teronem* εἰς τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου τοῦ Τήρωνος, ἤτοι τὸν ἀνθισμόν, cujus initium Μαρτυρικὴ πανήγυρις σήμερον. Pag. 102. *In diem Sanctum Paschatis*, εἰς τὴν μνήμην τῆς μεγάλης τροπαιοφόρου μετὰ τρίτην ἡμέραν τοῦ Πάσχα τελουμένην, cujus initium Ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν, ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ. Pag. 104. *Vita S. Patris nostri Dorothei junioris, in Chiliocomo*, βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Δωροθέου τοῦ νέου. ἤτοι τοῦ ἐν τῷ χιλιοκώμῳ, cujus initium Οὐ παλαιοῖς ἄρα μόνον, ἀλλὰ καὶ καινοῖς διηγήμασιν ἔδει κοσμηθῆναι τὸν Πόντον. Pag. 105. *In sanctos tres Antistites Basilium, Chrysostomum & Gregorium* εἰς τοὺς ἁγίους τρεῖς ἱεράρχας Βασίλειον, Χρυσόστομον καὶ Γρηγόριον, cujus initium Πάλιν Ἰωάννης ὁ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς, καὶ πάλιν ἡμῖν ἐπιφανὴς ἑορτή. Pag. 105. *In sanctam Martyrem Theodorum*, id est, Πεζόν: εἰς τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδώρου, ἤτοι τοῦ Πεζοῦ, cujus initium Παρ᾽ ἡμῖν δ᾽ ἂν εἰ σπάνια τὰ καλά, τὸ τοῦ λόγου. Pag. 106. *In sanctam Eusebiam Euchaitensem*, λόγος εἰς τὴν μνήμην τῆς ὁσιομάρτυρος Εὐσεβείας, τῆς ἐν Εὐχαΐτοις: cujus initium, Περὶ ταύτης γε μέντοι, περὶ ταύτης τῆς φιλομάρτυρος ἔχομεν εἰδέν τε σαφές. Pag. 112. *Encomium in Sanctos tres Antistites Basilium, Chrysostomum & Gregorium Nazianzenum*, ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους τρεῖς ἱεράρχας Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν θεολόγον, καὶ Ἰωάννην τὸν χρυσόστομον: cujus initium, Τρεῖς με πρὸς τριάνδρον πυρσεύουσι κίνησιν. Pag. 115. *In memoriam magni triumphatoris & de miraculo facto in Barbaros*, εἰς τὴν ἡμέραν τῆς μνήμης τοῦ μεγάλου τροπαιοφόρου, καὶ τὴν νῦν γενομένην ἐπὶ τοῖς βαρβάροις θαυματουργίαν: cujus initium, Ὡς εὐτυχὴς καὶ πάντα μακάριος &c. Hæc eadem *Oratio seu Encomium in sanctissimos Papas, Gregorium, Basilium & Chrysostomum*, extat in multis Angliæ bibliothecis Græce MS. inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ in MSS. Baroccianis Codice 197. pag. 460. ad 473. Ibidem Codice 290. in MSS. Oliverii Cromvelli Codice 111. pag. 29. ad 71. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 5861. in MSS. Græcis Thomæ Galæi Codice 29. Item inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ numero 2925. in MSS. Græcis Thomæ Bodleii Cod. 142. *Joannis Metropolitæ Euchaitensis Commentarius in Magnas festorum tabulas per modum Ecphrasium*, Græce in 4. Et ibidem num. 3015. Codice 26. *Commentarius Ecphrasticus in magnas festorum tabulas carmine Jambico Græcè, per Joannem Euchaitarum Metropolitam* in fol. Extant autem *Joannis Mauropodis Poemata sacra centum & duo*, cum *Vita ipsius* Poëmatibus præmissa, inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice CCXI. ut habet Lambecius Tomo V. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 29. quorum Opusculorum hic titulus est: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Μητροπολίτου Εὐχαΐτων ὑπόμνημα. Ὁ βίος. οὗτος

ἔτος ἦν ἐπὶ τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων Κωνσταντίνου τοῦ Μονομάχου, καὶ Ζωῆς τῆς βασιλίσσης. ἔτη δὲ τὸ ἀπὸ τότε συντείνει ἑξήκοντα τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντακοσίοις. ἀνὴρ δὲ σοφώτατος καὶ ἁγιώτατος ὤν, συνέγραψε πλείους τῶν λόγων, καὶ ἐπιστολὰς καὶ στίχους Ἰαμβικοὺς, καὶ ἄλλα πολλὰ λόγου καὶ χάριτος ἄξια, καὶ πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἐξεπαίδευσε, πεπληρωμένος ὢν τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος. Sequitur deinde *Proœmium Jambicum* totius libri hoc modo: Πρόγραμμα εἰς τὴν ὅλην βίβλον. στίχοι Ἰαμβικοί.

Πάλαι διδαχθεὶς ὡς ἄριστον πᾶν μέτρον,
Τὰ τε ἄλλα πάντα μετριάζω καὶ λόγους
&c.

Ejusdem *Canones paracletici* five *Cantica consolatoria viginti quatuor ad Christum*, extant ibidem Cod. MS. Theologico Græco CCXCIX. num. 1. ut habet Lambecius Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 266. his verbis. »Codice 299. *Primò* & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad folium 77. pag. 2. *Joannis* cognomine *Mauropodis* five *Nigripedis*, primum Monachi, deinde autem Euchaitarum Metropolitæ, *Canones paracletici* five *Cantica Consolatoria viginti quatuor ad Christum Servatorem*, quorum unumquodque suam peculiarem habet *Acrostichidem*, quæ itidem sicut & *Ode* nona nomine *Joannis* insignita est. Primus illorum Canonum inscribitur, atque hoc modo incipit: Κανόνες παρακλητικοὶ, εἰς τὸν Κύριον καὶ Θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. ποίημα Ἰωάννου μοναχοῦ τὸ ἐπίκλην Μαυρόποδος, οὗ τὸ ὄνομα ἐκτέτακται ἑκάστῃ ἐννάτῃ ᾠδῇ. Κανὼν πρῶτος, οὗ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη. Ἀπάρχομαί σοι τῶν ἐμῶν Σῶτερ, λόγων ὁ τάλας Ἰωάννης ᾠδὴ α'. Ἅπας ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, Χριστὲ προέφης ἡ αὐτοαλήθεια &c. *Secundò* & quidem a fol. 77. pag. 2. usque ad fol. 83. pag. 1. *Alia duo Cantica ad Christum Servatorem*, sine Acrostichide & nomine authoris, quorum *primum* inscribitur atque incipit hoc modo: Κανὼν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν παρακλητικὸς ἅμα, καὶ κατανυκτικός. ᾠδὴ Α'. Οἴμοι, τί κλαύσω; &c. *Secundum* autem hoc modo: Ἀκολουθία εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν περὶ νήψεως. Ἰησοῦ γλυκύτατε, ψυχῆς ἐμῆς θυμηδία &c. Κανὼν ἤχου β', ᾠδὴ Α'. Ἰησοῦ γλυκύτατε Χριστὲ, Ἰησοῦ μακρόθυμε &c. *Tertiò* & quidem à fol. 83. pag. 1. usque ad fol. 87. pag. 1. *Joannis Mauropodis, Metropolitæ Euchaitarum Canon*, five *Canticum ad S. Angelum Custodem*, cujus titulus & principium: Κανὼν τοῦ Μαυρόποδος εἰς τὸν Φύλακα Ἄγγελον, οὗ ἡ ἀκροστιχίς. Τὸν Ἄγγελον μέλπω σε τὸν φύλακά μου. ᾠδὴ μοναχοῦ Ἰωάννου. ᾠδὴ α'. Τὸν ἄγρυπνον Φύλακα τῆς ἐμῆς ψυχῆς, καὶ προστάτην τῆς ζωῆς μου καὶ ὁδηγόν &c. Quo ex titulo, hunc Joannem fuisse Monachum cognoscimus. *Quartò* & quidem à fol. 88. p. 1. usque ad fol. 314. pag. 2. ejusdem *Joannis Mauropodis Metropolitæ Euchaitarum Canones* five *Cantica Septuaginta septem ad beatissimam Virginem Deiparam*, quorum unumquodque peculiarem suam habet *Acrostichidem*, atque itidem ut quælibet *Ode nona* nomine Joannis insignita sit. Primus illorum *Canonum* inscribitur & incipit hoc modo: Κανόνες παρακλητικοὶ τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. ποίημα Ἰωάννου μοναχοῦ τὸ ἐπίκλην Μαυρόποδος, τοῦ ἐν ὑστέροις χρόνοις χρηματίσαντος Ἀρχιερέως Εὐχαΐτων οὗ τὸ ὄνομα ἐντέτακται τῇ ἀκροστιχίδι ἑκάστης ἐννάτης ᾠδῆς. Κανὼν πρῶτος, οὗ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη. Ἀπάρχομαί σοι τῶν ἐμῶν λόγων, Κόρη, ὁ τλήμων Ἰωάννης. ᾠδὴ α'. Ἅγιον εὑρών σε ἱερὸν ὁ ἐν ἁγίοις ἐπαναπαυόμενος ἅγιος Θεὸς ἡμῶν, ὑπεραγία Θεοτόκε, ᾤκησε &c. *Quintò* & quidem à fol. 315. p. 1. usq; ad f. 355. p. 1. ejusdem *Joannis Mauropodis, Metropolitæ Euchaitarum Canones*, five *Cantica undecim ad S. Joannem Baptistam, Christi Præcursorem*, quorum unumquodque peculiarem suam habet *Acrostichidem*, quæ itidem ut *Ode nona* nomine Joannis insignita est. Primus illorum Canonum inscribitur, atque incipit hoc modo: Κανόνες εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Πρόδρομον. ποίημα Ἰωάννου Μοναχοῦ τοῦ Μαυρόποδος, τοῦ ἐν ὑστέροις χρόνοις χρηματίσαντος Ἀρχιερέως Εὐχαΐτων, οὗ τὸ ὄνομα ἐντέτακται ἐν ἑκάστῃ ἐννάτῃ ᾠδῇ. Κανὼν πρῶτος οὗ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη. Πρῶτον φέρω μέλισμα σοι τῷ Προδρόμῳ, ἔπος Ἰωάννου ᾠδὴ α'. Πηλίνῃ σε γλώσσῃ ῥυπαρᾷ &c.« Ejusdem *Canones aliquot Paracletici*, extant ibidem Codice MS. Theologico Græco 309. ut habet Petrus Lambecius Lib. 5. hujus Bibliothecæ pag. 274. Denique ejusdem *Oratio in tres Sanctos Patres Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum, & Joannem Chrysostomum*, extat ibidem Codice MS. Theologico Græco 204. num. 6. ut habet Lambecius ibidem pag. 4. his verbis: »*Quintò* & quidem à fol. 217. pag. 1. usque ad folium 229. pag. ultimâ, *Joannis Metropolitæ Euchaitarum Oratio in tres Sanctos Patres Basilium Magnum, Gregorium Nazianzenum & Joannem Chrysostomum*, cujus titulus & principium: Ἰωάννου Μητροπολίτου Εὐχαΐτων Ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους καὶ δεσποσίους ἡμῶν Πατέρας, Βασίλειον τὸν Μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολόγον, καὶ Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον. Πάλιν Ἰωάννης ὁ τὴν γλῶτταν χρυσοῦς, καὶ πάλιν ἡμῖν ἐπιφανὴς ἑορτή. τρίτος μὲν σοι μὴν &c. Meminit hujus Orationis vir clariss. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 105. Hæc nos ex Lambecio Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 4. 29. 266. 274. & in Catalogo, p. 335. & 365.«

JOANNES DE GARLANDIA, natione 1040
Anglus, Grammaticus, Chymicus, Mathematicus, ac Theologus, eadem ferè tempestate qua Papias vixit, anno nimirum MXL. sub Haraldo primo Anglorum Rege, non vulgaris nominis famam ob eruditionem consecutus est, ac multa scripsit quorum pars ma-

xima MS. in Anglicis Bibliothecis adhuc delitescit, aliqua autem in lucem producta sunt primo typographiæ inventæ seculo, ex editionibus antiquis. Editi sunt anno 1698. duobus tomis in folio Catalogi omnium Angliæ & Hiberniæ MSS. Codicum Oxonii è theatro Scheldoniano, ex quibus eruemos Opera MSS. Joannis de Garlandia.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1041. in Manuscriptis Codicibus Collegii Caji & Gonvilli in *Rhetoricis & Grammaticis* Codice XI. num. 2. *Compendium Grammatica Magistri Joannis de Garlandia.* Ibidem num. 1045. in eodem loco Codice 15. num. 1. Dictionarius M. Joannis de Garlandia cum Commentario, cujus initium, *Sacerdos ad altare accessurus.* Num. 2. Accentarius ejusdem. Num. 3. Dictionarius alter ejusdem alia forma compositus. Num. 4. Tractatus Algorismi cum Computo Ecclesiastico. Num. 5. De Mysteriis Ecclesiæ per eundem Joannem de Garlandia. Num. 6. Commentarius ejusdem. Num. 7. Compendium Grammaticæ per eundem.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ num. 7642. Joannis de Garlandia varii tractatus ad Alchymiam spectantes, cum Compendio Alchymiæ ejusdem. Extat autem Garlandi *Expositio Synonymorum in arte Alchymistica secundum ordinem literarum*, cum ejus *Compendio Alchymia*, edita Basileæ anno MDLX. cujus etiam circumferuntur *Synonyma & Æquivoca versibus descripta*, quæ cum Commentario, edita sunt Coloniæ anno 1490. & in Scholis vulgo legebantur.

Inter MSS. Codices ejusdem Bodleianæ Bibliothecæ num. 1657. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 56. extat Computus Garlandi cum Expositione super eum. Ibidem num. 1487. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi Codice 61. num. 7. Garlandi Tabula quæ Bedam imitatur. Ibidem num. 2072. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii littera C. 3. Codice 4. nom. 16. Garlandi tabula principalis Paschalis pag. 29. Ibidem num. 4137. in MSS. Codicibus qui sunt in Hyperoo Bodleiano, Codice 112. oum. 2. Computus Garlandi imitantis Bedam. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliorum Collegiorum, num. 3482. in MSS. Codicibus Thomæ Wagstaffe Codice 21. Computus Garlandi Bedam imitantis.

Ibidem, Tabula Garlandi cum Canone ejusdem, & altero Garlandi libro.

Ibidem num. 7645. in MSS. Codicibus Roberti Bursoough, Codice 15. num. 1. Joannis Garlandi *Scholarium morale*, & num. XI. Joannes Garlandus *De accentu.* Item num. 8599. in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ Codice 777. Joannis de Garlandia *liber metricus.* Joannis etiam de Garlandia *Cornutus* sive *Disticha moralia cum interpretatione*, edita Hagenoæ anno 1489. ut testatur Cornelius à Beughem Embricensis in *Incunabulis typographia* pag. 64. Videntur idem opus cum *Scholario Morali*, de quo suprà.

Inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ, in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii littera D. 3. Codice 18. num. 11. Joannis de Garlandia opus *De Mysteriis, quæ sunt in Ecclesia.* Item *Joannis de Garlandia idem opus carmine hexametro*, in MSS. Codd. Vltrajectinæ Bibliothecæ n. 253. h. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 924. in MSS. Codicibus Wigorniensis Ecclesiæ Cathedralis Codice 80. Joannis de Garlandia De Mysteriis Ecclesiæ ad Fulconem Episcopum Londinensem. Ibidem num. 6100. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii Codice 266. Joannes Garlandus de Pœnitentia. Denique in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Claudii litera A. Codice 10. num. 1. Epithalamium B. Mariæ Virginis, ad honorem Sponsi cœlestis & sponsæ, versibus elegiacis per Joannem de Garlandia. Mentionem faciont *Joannis de Garlandia* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 369. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Præfatione ad *Glossarium media & infima Latinitatis* paragr. seu num. XLIII. pag. 36.

VVASO LEODIENSIS EPISCOPVS, ex 1040
Magistro Scholarum & Decano ejusdem Ecclesiæ, claruit anno 1040. & ad Joannem Præpositum scripsit *Epistolam seu Tractatum De Officio Decani & Præpositi*, quæ apud Anselmum in ejus *Vita* cap. 105. legitur. *Epistola ejusdem ad Henricum Francia Regem* memoratur cap. 103. ibidem, uti & *tertia ad Imperatorem* cap. 106. atque aliæ alibi in Vita eadem. Obiit Sanctissimè anno Domini 1048. cujus Sarcophago inscriptus fuit hic versus

Ante ruet mundus, quam surgat Waso secundus.

Hæc Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Waso Leodiensis Episcopus* p. 849. editionis 1643. Lovanii in 4. quæ secunda est.

ANSELMVS DECANVS in Ecclesia B. Mariæ Virginis Namurcensis, atque Scholasticos Leodiensis in Ecclesia D. Lamberti, qui etiam *Clericus Legiensis* sive *Leodiensis* ut vulgo loquimur, pro quo Caroli Magni ævo & aliquot post seculis *Leodicensis* dixerunt, ut urbem ipsam *Leodicum*, non ut hodie *Leodium*, qua de re scite Lipsius Polioreetic. lib. 1. Dialogo 2. Vt autem apud Sweertium in *Athenis Belgicis*, Henrici III. temporibus claruit, quantum ex Sigeberto conjicere licet, qui de eo agit inter Petrum Damiani & Franconem Scholasticum, ubi quæ reliquerit, his verbis idem docet. *Anselmus Clericus Legiensis, scripsit Gesta Pontificum Legiensium, & in eo libro Vitam Gnosonis Episcopi venustiter sibi notam plene descripsit.* Descripsit igitur *Gesta Episcoporum Leodicensium* ad sua usque tempora à Sancto Theodardo ad obitum Wasonis Episcopi,

pi, qui in annum Christi MXLVIII. incidit, quod Harigeri auctarium est: cujus etiam *Historiam* continua orationis serie scriptam in Sectiones sive Capita distinxit, in qua nihil posuisse se scribit Epistola ad Aunonem Coloniensem Archiepiscopum, *nisi quod aut legisset, aut certa fidelium personarum relatione, aut certe ipse praesens vidisset.* Aggressus est hoc Opus, instantia Idae Coenobii Caeciliani apud Colonienses Abbatissae, editaque haec Historia cum ejusdem argumenti aliis, studio Joanis Chapeavillii Leodiensis Episcopatus in Spiritualibus Vicarii Generalis, Leodii 1612. in 4. Haec de *Anselmo Namurcensi Decano* suppeditarunt Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 44. pag. 372. ultimae editionis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Anselmus Decanus*, pag. 60. editionis 1643. Lovanii in 4to, Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariae* ad annum 1049. pag. 605.

1050 NICETAS COGNOMENTO STETHATUS, seu PECTORATUS, Monachus & Presbyter in Monasterio quod Studium Constantinopoli dicebatur, claruit anno circiter 1054. iis temporibus quibus Michael Cerularius, Leo Acridae in Bulgaria Episcopus, & Petrus Patriarcha Antiochenus: quos in zelo ad defendendam Graecarum Ecclesiarum singularem doctrinam imitatus est. Scripsit ille *Librum adversus Latinos de Azimis, de Sabbatorum jejuniis & de nuptiis Sacerdotum*, qui Latine tantum huc usque editus est ab Henrico Canisio tomo 6. *Antiquae Lectionis* pag. 4. & à Baronio in Appendice ad tomum XI. *Annalium Ecclesiae*. Habetur autem teste Petro Lambecio Libro V. *Commentariorum Bibliotheca Caesarea Vindobonensis*, inter MSS. Codices Theologicos Graecos, Codice 247. membraneo antiquo in 4. & eleganter quidem & minutissime scripto, qui ab Augerio Busbekio ut ipse solita propriae manus inscriptione testatur, Constantinopoli olim comparatus fuit. Et quidem num. 21. à fol. 56. pag. 1. usque ad fol. 62. pag. 2. *Nicetae cognomento Stethati sive Pectorati, Monachi & Presbyteri studitae, Liber contra Ecclesiam Romanam, de Azimis, de jejunio Sabbati, & de nuptiis Sacerdotum:* cujus hic titulus & initium. Νικήτα μονάζοντος καὶ πρεσβυτέρου μονῆς τῶν Στουδίου, τοῦ Στηθάτου, πρὸς Ῥωμαίους, περὶ ἀζύμων καὶ σαββάτων νηστείας, καὶ γάμων ἱερέων. Καλὴ ἡ πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπη, ὦ πάντων ἐθνῶν σοφώτατοι Ῥωμαῖοι καὶ εὐγενέστατοι. ἐκ γὰρ τοῦ ἔχειν πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπην &c. Ejusdem libri meminit etiam vir Clarissimus Leo Allatius in Opere *De Ecclesia Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, & quidem Lib. 2. cap. 9. §. 6. his verbis: „Hoc nefario Cerularii exemplo, alii quoque in „Graecia, qui se eo usque tacitos & reverentes „continuerant, rubore excusso, palam non ore „sed scriptis editis, in Romanam Ecclesiam oblatrare coeperunt. Eaque ipsa aetate Cerularii, Nicetas quidam ex Monasterio Studii, cognomine *Stethatus*, quem Latine dixerunt *Pectoratum*, multa Latinorum & praecipue De Spiritu Sancto, de Azimis, de Sabbato, & de Nuptiis Sacerdotum, criminatus est. Syntagmatis principium est: Καλὴ πρὸς τὸν πλησίον ἀγάπη, ὦ πάντων σοφώτατοι Ῥωμαῖοι καὶ εὐγενέστατοι, &c. Scriptum hoc in eadem urbe Constantinopolitana condemnatum, approbante quoque Imperatore, flammis exarsit. Ut videtur tamen vel Cerularii vel ipsius authoris studio renatum, adhuc in Bibliothecis perdurat: ut uno eodemque tempore, & malo authoris animo, & argumentorum ac rationum futilitate perpensa illum detestemur, haec vero proposita diluamus, & eorum simul amentiam, qui ista tanti faciunt, deploremus." Huc usque Allatius, qui ejusdem *Carmen jambicum in Symeonem juniorem praeceptorem*, Graece integrum exhibet, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 168. Sed longe plura MSS. Opera in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi hujus Nicetae Stethati seu Pectorati, ibi enim Codice MS. Theologico Graeco CCXL. num. 6. & quidem à fol. 84. usque ad folium 127. pag. 2. extant, *Nicetae Monachi & Presbyteri Monasterii Studitarum, cognomine Stethati* sive *Pectorati Centuriae tres capitum Asceticorum*, quarum *prima* inscribitur atque hoc modo incipit: Νικήτα ταπεινοῦ μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τῆς εὐαγεστάτης μονῆς τῶν Στουδίτων, τοῦ Στηθάτου, πρώτη πρακτικὴ κεφαλαίων ἑκατοντάς. Κεφάλαιον α΄. Τέσσαρας εἶναί φημι τὰς αἰτίας ἐν Τριάδι τελείᾳ τῶν ἀρετῶν &c. *Secunda.* Δευτέρα ἑκατοντὰς περὶ τῆς τοῦ νοὸς καθάρσεως. Κεφάλαιον α΄. Ἀρχὴ μὲν ἀγάπης θεοῦ, τῶν ὁρωμένων καὶ ἀνθρωπίνων καταφρόνησις &c. *Tertia.* Τρίτη ἑκατοντὰς κεφαλαίων περὶ ἀγάπης καὶ τελειώσεως βίου. Κεφάλαιον α΄. Νοῦς ἀπαθής ἐστιν ἐν Θεὸς ὑπὲρ πάντα νῦν καὶ πᾶσαν ἀπαθείαν &c." Hic autem (inquit Lambecius) est idem ille Nicetas Stethatus, Monachus Studita, qui Synchroni Patriarchae Constantinopolitani Michaelis Cerularii authoritatem & exemplum secutus adversus Romanam Ecclesiam scripsit atque edidit librum *De processione Spiritus Sancti ex solo Patre, de Azimis, de jejunio Sabbati & de Nuptiis Sacerdotum:* quem ipse resipiscens postea damnasse dicitur, quemque Imperator Constantinus Monomachus Humberti Cardinalis, caeterorumque sedis Apostolicae Legatorum hortatu, publice Constantinopoli comburi jussit. Qua de re vide Cardinalem Baronium in *Annalibus Ecclesiasticis* tomo XI. ad annum 1054. num. 20 & 21. Leonem item Allatium *De perpetua Ecclesiae Occidentalis & Orientalis consensione* Lib. 2. cap. 9. §. 6. *Historiam Chronologicam* Philippi Labbei ad annum 1053. & 1054. Ejusdem Nicetae Stethati ibidem, Codice MS. Caesareo Theologico Graeco 237. num 27. à fol. 364. ad folium 426. *Capita Ascetica duetenta*, cujus etsi nomen authoris in initio desit, attamen sub finem *Centuriae hujus secunda,*

cunda, hæc verba leguntur: τέλος τῶν κεφαλαίων τοῦ Στηθάτου. Vbi sine dubio per τὸν Στηθάτην, intelligendus est *Nicetas Stethatus*, de cujus Capitibus trecentis Asceticis, paullo ante dictum est, occasione MS. Codicis Theologici Græci CCXL. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Harum Centuria prima incipit ab his verbis: Ἐρώτησις. Τίς ὁ σκοπὸς τῆς τοῦ κόσμου, καὶ τῶν ἐν κόσμῳ ἀποταγῆς; Ἀπόκρισις. ὁ μὲν σκοπὸς τῆς τοῦ κόσμου ἀποταγῆς &c. Secunda autem inscribitur atque incipit hoc modo: Ἑκατοντὰς δευτέρα φυσικῶν. κεφαλαίων. Κεφάλαιον α΄. Ἀρχὴ μὲν ἀγάπης Θεοῦ τῶν ὁρωμένων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἡ καταφρόνησις &c. estque hæc secunda eadem, cum secunda ex tribus præcedentibus citatis, ut ex primis verbis intelligi datur. Extant hæc Opuscula eadem Nicetæ Pectorati MSS. Græce inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ in MSS. Baroccianis Codice 69. pag. 65. 97. & 135. ut constat ex principio Opusculorum allegato pag. 8. Catalogi Bibliothecæ prædictæ. Denique inter MSS. Codices Græcos Bodleianæ Bibliothecæ Oxonii in Anglia, in MSS. Baroccianis Codice 5. num. 2. extat *Nicetas Monachus & Presbyter Monasterii Stethati in librum Hymnorum Symeonis Junioris Theologi* à pag. 157. ad 173. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum celebrium hujus regni Bibliothecarum, num. 3434. in MSS. Codicibus Norfolcianæ Bibliothecæ Codice 535. parag. seu num. 12. extat *Nicetas Pectoratus de celesti hierarchia*, cum Epistolis *Nicetæ Diaconi ad Nicetam Pectoratum*, & *Alexii Monachi ad eundem.* Ibidem in eadem Bibliotheca Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco 283. num. 9. à fol. 119. usque ad folium 124. pag. 2. extat *Nicetæ Monachi & Presbyteri Studitæ cognomento Stethati*, *Oratio invectiva prima contra blasphemam Armeniorum hæresin*, cujus titulus & principium: Νικήτα εὐτελοῦς. μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τῆς μονῆς τῶν Στουδίου, τοῦ Στηθάτου, λόγος στηλιτευτικὸς πρῶτος, κατὰ τῆς βλασφήμου τῶν Ἀρμενίων αἱρέσεως. τὴν συγχυτικὴν τῶν δύο φύσεων τοῦ Χριστοῦ δόξαν &c. Denique in eadem ista Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco XLV. num. 56. extant Epistolæ tres ejusdem Nicetæ Stethati, ut habet Petrus Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 448. his verbis. „Quinquagesimo sexto & quidem „à fol. 204. pag. 2. usque ad fol. 207. pag. 2. ex „*Nicetæ cognomine Stethati* sive *Pectorati*, *Mona-* „*chi & Presbyteri Monasterii Constantinopolitani* „*Studitarum*, qui circa annum Christi 1054. „claruit, *Centuria tertia Epistolarum*, *Epistola* „*tres de Canonibus Ecclesiasticis.* Earum prima est „ipsius *Nicetæ ad Athanasium quendam Abbatem* „quæ inscribitur atque incipit hoc modo. Ἀπὸ „τῆς τρίτης Ἑκατοντάδος τῶν Ἐπιστολῶν Νικήτα „τοῦ Στηθάτου. Ἀθανασίῳ Ἡγουμένῳ τῆς μονῆς τοῦ „παναγίου, περὶ κανόνων. Φασί τινες τῶν συγχύντων σοφῶν, εἰδέναι καλῶς καὶ νοεῖν τῶν" ἱερῶν κανόνων καὶ νόμων τῆς Ἐκκλησίας, μὴ δεῖν" οἰκονομεῖσθαι τὴν τῶν μετανοούντων μετάνοιαν κα-" τὰ τοὺς κειμένους νόμους &c. Secunda est jam" memorati *Athanasii responsio*, cujus titulus &" principium, ejusmodi: Ἀντιρρητικὴ εἰς αὐτό." Ἀθανάσιος Νικήτᾳ. Εἰ καὶ τὰ μάλιστα, σεβασ-" μιώτατε Πάτερ, ἀνεπιτήδιοι πρὸς τὸ δογματί-" ζειν ἡμεῖς καὶ ἀγύμναστοι, ἀλλάγε διὰ τὴν ἀγά-" πην, ἢ πάντα &c. Tertia iterum est *Nicetæ*," inscribiturque ac his verbis incipit: Νικήτας" Ἀθανασίῳ περὶ κανόνων οἰκονομίας. Ἀ διετρά-" νωσεν ἡμῖν ἡ σὴ ὁσιότης περὶ τῶν παρ' ἡμῶν" ζητηθέντων &c. Plura de eodem *Niceta Stetha-*" *to* vide Libri quinti horum *Commentariorum* pa-" gina 102." Præter Baronium & Allatium citatos, agit igitur de *Niceta isto Pectorato* seu *Stethato*, Petrus Lambecius à quo hæc hausimus, tomo seu Libro V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, pag. 92. 102. 124. 232. & in Catalogo pag. 347. Item lib. 8. Commentariorum eorundem, pag. 448. & in Catalogo pag. 563.

JOANNES GEOMETRA scriptor ejusdem 1050
ætatis mihi videtur, donec epocham illius certæ ætatis inveniat alius. Scripsit *Hymnos aliquot in Beatam Virginem* & *Paradisum Epigrammatum divinorum*, qui habentur Græce & Latine in Bibliotheca Patrum editionis Parisiensis 1624. Tomo VIII. pag. 439. & sequentibus, ex interpretatione Federici Morelli Linguæ Græcæ Regii Professoris, qui illos eduxit ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ. Editus autem *Paradisus divinorum Epigrammatum*, Græce Venetiis 1563. in 4. Itemque tum *Hymni IV. citati* tum *Paradisus divinorum Epigrammatum*, Latine ab eodem Federico Morello, Parisiis 1595. in 8. unde in Bibliothecam Patrum accesserunt. Inscribuntur pag. 437. Tomo VIII. dictæ editionis, ὕμνοι τοῦ Ἰωάννου Γεωμέτρου εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, *Hymni Joannis Geometræ in Sanctissimam Deiparam*, per modum Salutationis compositi. Tum pag. 446. Ἰωάννου Γεωμέτρου συγγράμματα τετράστιχα ἠθικά, ὧν ἡ ἐπιγραφὴ Παράδεισος, *Joannis Geometræ Paradisus Tetrastichorum moralium & piorum.* Fuisse illum Monachum, constat ex laudibus quibus vitam Monasticam passim in hoc *Paradiso* commendat num. 14. 32. 57. 69. 86. 88. Codex ille Regiæ Bibliothecæ qui *Geometræ* Opuscula plura complectitur, sicut & Michaelis Pselli, apud Carolum du Fresne Dominum du Cange in Catalogo MSS. Codicum quibus usus est, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo *Psellus* col. 29. designatur numero 3502. Hujus voluminis possessor fuit olim Antonius Eparchus, quod dono dedisse dicitur *Potentissimo Galliarum Imperatori*, cujus Syllabum contentorum exhibet Stephanus le Moine Tomo I. *Variorum Sacrorum* pag. 517. Continetur autem num. 5. ὕμνος εἰς τὴν ἁγίαν Θεοτόκον, Γεωμέτρου τοῦ σοφωτάτου

φωτάτου δὲ Ἡρωελεγείων, ἤγουν χαιρετισμοὶ ἐν τέσσαρσι τμήμασιν. ὡσαύτως καὶ ἕτεροι στίχοι εἰς ἑορτάς. *Hymnus in Sanctissimam Deiparam, authore sapientissimo Geometrio. Adduntur Salutationes in quatuor sectiones divisæ, sicut & alia Carmina in festa & celebriores festivitates.* Num 32. Ἐξομολόγησις εἰς τὸν Χριστὸν, διὰ στίχων Ἡρωελεγείων τοῦ Γεωμέτρου, *Confessio Christiana Geometræ versibus Heroicoelegiacis.* Num. 33. ὕμνος εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον κατὰ στοιχείων τοῦ αὐτοῦ, *Ejusdem Hymnus in Sanctissimam Deiparam secundum literas Alphabeti.* Num. 34. Εὐχὴ εἰς τὸν Χριστὸν καὶ τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, διὰ στίχων Ἰαμβικῶν, καὶ ἑτέρα δέησις τοῦ αὐτοῦ δι' Ἡρωελεγείων, ἐν ᾧ καὶ ἕτεροι στίχοι εἰς εἰκόνας, καὶ ἕτεροι στίχοι διάφοροι εἰς χρησίμους ὑποθέσεις. *Oratio ad Sanctissimam Deiparam versibus Jambicis, & alia ejusdem Oratio versibus Heroicoelegiacis, ubi alia Carmina occurrunt de Imaginibus, & alii etiam versus de argumentis utilissimis.* Item in Codice MS. Colberteo 1476. describitur Paraphrasis Psalmorum Davidicorum Apollinarii, cum Commentariis & Notis interlinearibus Cosmæ Indicopleustæ, in quorum fine describitur. Μετάφρασις τῶν ᾠδῶν ἀπὸ φωνῆς Ἰωάννου Γεωμέτρου, *Explicatio Canticorum Ecclesiæ ex ore Joannis Geometræ.* Juxta quoque Leonem Allatium in diatriba *De Simeonum scriptis* pag. 94. scripsit Græce *Orationem de Christi Passionibus & in Sanctissimam Deiparam* εἰς τὰ πάθη τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν ἁγίαν θεοτόκον, cujus initium ἥκει δὲ λοιπὸν πρὸς αὐτὴν τὴν ἀκμὴν τῶν ἄθλων ὁ λόγος. Item pag. 95. *In Sancta Deiparæ Dormitionem* ἐξόδιος ἢ προπεμπτήριος εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπερενδόξου καὶ δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, cujus initium Θαρρεῖν μὲν τὸν λόγον ἐπ' ὀλίγον κἂν ἦν. Ipse de sua hac Oratione asserit, συνείλεκται δὲ καὶ ἡμῖν οὐ μόνον ὅσα παρὰ τῶν Εὐαγγελιστῶν τε καὶ Προφητῶν, ἀλλὰ καὶ ὅσα παρὰ αὐτῶν τῶν ἀποκρύφων ἀνελεξάμεθα, σύμφωνα καὶ ταῦτα δηλαδὴ καὶ ἀκόλουθα τοῖς Εὐαγγελισταῖς καὶ Προφήταις, καὶ τοῖς μεγάλοις καὶ θεολήπτοις πατράσι καὶ διδασκάλοις. εἴσεται δὲ πάντως εἴγε δίκαιος ἀκροατὴς καὶ κριτής. *Collegimus autem nos omnia, quæ non tantum Evangelistæ & Prophetæ, sed etiam quæ referuntur inter Apocrypha, consona tamen & conformia Evangelistis & Prophetis, & magnis & numine afflatis Patribus & Magistris. Quæ omnino comperiet ita esse, æquus lector & justus judex.* Et pag. 114. *Joannis Geometræ* προσφωνητικὸς λόγος, ἢ χαριστήριος εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον, *Gratulatoria vel gratiarum activa Oratio in Sanctissimam Deiparam*, cujus initium, χαιρέτω τοῦτο μοι τὸ βραχὺ καὶ μέγα τοῦ λόγου προοίμιον, *Procul hoc à me, breve vel magnum Orationis præludium.* Habenturque Orationes istæ in voluminibus MSS. Græcis Symeonis Metaphrastæ. Item inter MSS. Codices Græcos Bodleianæ Bibliothecæ Codice 25. in MSS. Baroccianis Codice 25. Num. 2. *Canticum Mosis* μεταφρασθὲν *per Joannem Geometram,* ᾄσωμεν ᾠδὴν pag. 154. b. Ibidem pag. 287. *Joannis Geometræ Encomium quercus*, τὸ δένδρον τὴν δρῦν ἄκαρπον. Pag. 289. *Ecphrasis Horti*, ἔτος ἄρα θάλλων ἦν ὁ κῆπος. *Ejusdem alia* ἔκφρασις *seu Descriptio*, pag. 289, b. Ἐπειδὴ καὶ δῆλος εἶ. *Ejusdem laudatio Pomi* pag. 291. Τὸ γάλα λευκὸν, τὸ μέλι χλωρὸν. *Ejusdem aliud Encomium* pag. 292. Τί δὴ καὶ τὸ μῆλον. Inter MSS. Codd. Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ, Vindobonensis, Codice LXXXIX. Num. 31. habetur Anonymi cujusdam Epigramma, in Joannem Geometram Hymnorum Scriptorem, incipiens hoc modo, Κυδιμ' Ἰωάννη. Hæc Cavus Dissertatione *De Scriptoribus incertæ ætatis*, verbo *Joannes Geometra.* Hæc de *Joanne Geometra* suggesserunt nobis Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 94 95. & 114. qui ejusdem quoque meminit in Opusculo *De libris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 62. Carolus du Fresne in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis voce* Φωνὴ, col. 1717. & in Catalogo Authorum & MSS. Codicum, quem *Glossario* huic subjunxit, col. 28. & 51.

GOZECHINVS Leodiensis Ecclesiæ Magi- 1050
ster scholarum claruit circa annum 1050. eo nimirum tempore quo Berengarius Andegavensis Archidiaconus ob doctrinam damnatus male audiit. Scripsit adversus illum non Epistolam sed Libellum potius ad Valcherum itidem Scholasticum suum olim discipulum in Epistolæ formam compositum, in quo præmissa apologia, quod relicto Leodiensis cathedræ magisterio, Moguntiam secesserit, mala sui temporis deplorat, ex Berengarii maxime perversa doctrina consecuta. Illum exhibuit Joannes Mabillon tomo 4. Analectorum pag. 360. & sequentibus quem accepisse fatetur ex MS. Codice Bibliothecæ Collegii Dolensis sancti Hieronymi, sibi ab Ambrosio Mercerio transcriptum. Quis sit hujus Opusculi auctor Gozechinus, ex ipso Epistolæ contextu satis patet, in qua se apud Leodium literas docuisse & Moguntiam tandem secessisse dicit, victum tædio rerum humanarum, variarumque turbarum, quas rerum novitas, ac præsertim perversa (ut inquit) Berengarii doctrina, non sat cito coercita, facessebat. Valcherus ad quem Epistola scripta est, ex Gozechini discipulo successor evasit, nescio an is, quem Adelmannus in Rythmis Alphabeticis laudat, scilicet *Walterus Burgundio:* ubi Scholas multas flagranti studio expilasse, & ad fines Allobrogum, cum ex Italia rediret, cæsus fuisse memoratur. Hos Hymnos consule sub finem tomi 1. *Analectorum* pag. 421. Porro hic liber per formam Epistolæ, paullo post mortem Henrici II. Imperatoris & Liutboldi Archiepiscopi scriptus est, ut auctor superius, nempe p. 387. indicat. Ac proinde sub annum 1060. qui à Liutboldi obitu proximus est, à morte autem Henrici secundi, aliis tertii Imperatoris quartus fuit. Hæc verbotenus Joannes Mabillon tomo 4. *Analectorum* pag. 394. quem exscripsimus.

1050 FOLCARDUS BERTINIENSIS MONACHUS, vixit etiam extremis Henrici III. temporibus circa annum ML. Erat Monachus, imo juxta Baronium Abbas S. Bertini in Sithia, qui vicus olim seu oppidum in Arthesia celeberrimum excitato monasterio extitit, hodie autem Oppidum sancti Audomari nuncupatur, cujus Sancti corpus ex Monasterio in primarium templum translatum, ibi requiescit. Folcardus hic author *Vita S. Bertini* Abbatis creditur, quam Surius in Tomum V. ad diem 5. Septembris retulit, qui S. Audomaro Abbati succedens anno 695. migravit ad Dominum anno 698. nempe anno secundo Tiberii Apsimari Imperatoris. Item *Vita S. Audomari Tarvanensis postea Episcopi*, qui excessit ex humanis anno 695. die 9. Septembris, quæ cum præfata legitur apud Surium, sed stylo mutato. Utraque autem in Oppido S. Audomari, apud Abbatiam S. Bertini adservatur, ut ad Usuardi Martyrologium Joannes Molanus observavit, ad diem 5. & 9. Septembris mensis, & in Indiculo Sanctorum Belgii. Meminit Folcardi scriptoris hujus, Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ubi de Sancto Bertino Abbate ad diem V. Septembris: & ubi de Sancto Audomaro ad diem XI. ejusdem mensis. Joannes Gerardus Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 45. pagina mihi 374. editionis ultimæ. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Folcardus* pag. 219. editionis 1643. Lovanii in 4.

1050. DEODUINUS seu THEODUINUS LEODIENSIS EPISCOPUS, Wasoni successit anno 1048. seditque ad annum 1075. quo mortuus est. Scripsit *Epistolam ad Henricum Galliæ Regem de corpore & sanguine Domini* celebrem, quam Cardinalis Baronius & Joannes Chapeaville sub nomine *Durandi Leodiensis Episcopi* anno 1025. ante controversiam exortam defuncti, perperam & quidem mutilam ediderunt, ex MS. Codice Ludovici Martelli civis Rhotomagensis: integram autem atque authori suo restitutam, Joannes Mabillon tomo 4. *Analectorum* pag. 396. Idem ipse Codex nunc asservatur in amplissima Bibliotheca eruditi viri Emerici Bigotii, quo in Codice, non *Durandi* nomen (quippe qui ante ortam Berengarii contentionem, anno scilicet 1025. devixit) adscriptum legitur: sed prima duntaxat Littera D. *Deoduinum* significans, non *Durandum*. Hoc eodem modo nomen ejus decurtatum legitur, in Cod. MS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ num. 4074. fol. 57. qui 400. annorum est: & in altero Sancti Audoëni Rothomagensis, quem Codicem cum Bigotiano contulit idem Johannes Mabillon. Eadem extat MS. sine nomine Scriptoris, Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti Codice 303. num. 3. & 10. Hæc paullo amplius, quam Cavus, ad annum 1045. Diffuse autem Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Durandus* pag. 195. editionis 1643. Lovanii in 4. Et verbo *Theoduinus Leodiensis Episcopus* p. 832. ejusdem editionis ultimæ.

HEPIDANNUS SANCTI GALLI MONACHUS, in Helvetia, Ordinis divi Benedicti, quem Guillelmus Cavus prætermisit, claruit ab anno 1030. vel circiter, usque ad annum 1080. 1050 Scripsit *Chronicon*, quod ab anno 709. incipiens, desinit in annum 1044. quo illud conscribebat. Illud impressum cum multis aliis ad Abbatiam Sancti Galli spectantibus, in *Collectaneo rerum Alamannicarum*, quod anno 1606. in folio Francofurti typis Wechelianis editum est, curâ & studio Melchioris Goldasti Haiminsfeldii, viri in eruendis è tenebris Antiquitatibus versatissimi. Et in Collectaneo *Historicorum Franciæ* quod Andreas Duchesnius anno 1641. Parisiis in fol. edidit Tomo 3. pag. 471. Idem Hepidannus scripsit *Libros duos de Vita & Miraculis Sanctæ Wiboradæ*, sed longè serius quos post annum 1072. Udalrico Sancti Galli Abbati obtulit, quosque primus edidit in *Collectaneo citato* Goldastus, sed post illum successores Bollandi in *Actis Sanctorum colligendis*, ad diem 2. Maji mensis. Agunt de Hepidanno, quem ego circa annum 1080. mortuum existimo, Goldastus & Bollandistæ *locis citatis*, Joannes Mabillon plenius seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 42. in Observationibus præviis ad *Vitam S. Wiboradæ Virginis & Martyris*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, p. m. 633.

GUALDO CORBEIÆ VETERIS SEU 1050 FRANCICÆ MONACHUS, quem Guillelmus Cavus ad annum 1070. pag. 617. retulit, ego in *Supplemento Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1050. p. 330. Ordinis divi Benedicti, circa medium seculi XI. Hunc uterque diximus Gualdonem scripsisse metricè *Vitam S. Anscharii Hamburgensis Episcopi, Adalberto Bremensi Archiepiscopo* dedicatam, quam primus ex MSS. Codicibus edidit Petrus Lambecius tomo 1. *Rerum Hamburgensium*, qui nomen authoris quod in Codice MS. deerat, ex ipso contextu collectum addidit. Sed falli doctissimum virum hac in re contendit Joannes Hallervordius *Spicilegii de Historicis Latinis* pag. 77. authoremque eo in loco solum asserere, sese suasu Gualdonis Corbeiensis in Saxonia Monachi, libellum istum composuisse: unde fit ut author alius omnino à Gualdone isto sit. Edidit tamen sub *Gualdonis nomine*, Tomo 1. Februarii mensis pag. 427. Godefridus Henschenius, ac post illum Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tomo seu parte 2. pag. 115. & sequentibus: cujus opinioni jam favere non possum ob Hallervordi allatam rationem, ut Gualdonem hunc temere Scriptoribus Ecclesiasticis accenseam. De *Gualdone* Godefridus Henschenius in Commentariis ad Vitam S. Anscharii §. 3. num. 14. quem Opus suum inscripsisse vult Alberto seu Adalberto Bremensi Archiepiscopo, qui post annos à condita Corbeia

beia Vetere 400. elapsos ab anno 1043. ad 1072. Antistes provinciæ illius, omnibus Septentrionalibus regnis advigilavit.

1070 DROGO MORINORUM EPISCOPUS, quem Guillelmus Cavus prætermisit, natione ut creditur Flander, Monasterii Sancti Winocii in Flandriâ primum Monachus, hinc Gestellensis Pastor, denique constitutus Morinorum Episcopus, quo in munere anno 1036. Balduino defuncto successit, eique annos XLIV. plusminus cum laude præfuit. Commisit nomen suum posteris, simulque pietatem suam testatus est, dum scripsit *Vitam & Miracula S. Lewinæ Virginis & Martyris* libris II. MS. apud Bergas S. Winoci. *Vitam Sanctæ Godolevæ Virginis & Martyris*, Gestellæ anno clↄ LXX. pridie Nonas Julias passæ, ad Rudbodonem Episcopum Noviomensem & Tornacensem missam & scriptam, quam habet Surius tomo 4. ad diem 6. Julii. Sed duplo ampliorem Duaci apud Georgium Colvenerium S. Theologiæ Doctorem, ac Tomo XI. Bibliothecæ PP. editionis Coloniensis 1618. Præterea reliquit Drogo *Vitam Sancti Oswaldi Northumbriæ in Anglia Regis*, & de eodem *Sermones duos* MSS. apud Bergam S. Winoci & Camberonæ in Hannonia, de quo Surius tomo 4. ad diem 5. Augusti. Addidit etiam *Librum secundum & tertium* Libro primo De Vita Sancti Winoci Abbatis, qui Bergis MSS in eodem Monasterio Sancti Winoci asservantur, ut indicat Joannes Molanus in Notis ad Vsuardum, die 5. Augusti. Quanquam dubitari quoque possit, an idem sit Drogo Monachus Bergensis qui & Tarvanensium Episcopus fuit, cum authore libri 3. Vitæ S. Winoci, cum illic cap. 18. fiat mentio *Drogonis Episcopi*. Juxta etenim Gulielmum Cavum *Historiæ literariæ* Tomo 2. seu parte 2. ad annum 1058. pag. 342. editionis Londinensis 1698. in fol. Drogo qui librum *De Miraculis S. Winoci* scripsit, quem Vitæ Winnocianæ secundum & tertium vulgò vocant, seipsum cap. 18. à Drogone Tarvanensi Episcopo apertissimè distinguit. Hunc ex MS. Compendiensi Codice erutum nobis exhibet Cl. Mabillio *Seculi Bened. III.* Parte p. 315. Addit Cavus idem „Scripsit quin etiam Historiam „Translationis S. Lewinæ Virginis ac Martyris „Angliæ anno MLVIII. peractæ, quam ipse Ru„moldo Abbati Bergensi dedicavit, hactenus „quod sciam ineditam. Partem Præfationis „profert Mabillonius, in qua se iterum à Drogo„ne Tarvannensi Episcopo alium esse, disertissi„mè ostendit. Hæc ex Cavo ad meam correctionem, quam ego nunquam rejiciam. Gaudeo enim dum video meos lapsus corrigi. Cum annos sedisset XLIV. obiit anno XXII. Henrici IV. Christi autem clↄ LXXIX, ut est apud Antonium Democharem in Episcopis Morinensibus. Fallitur Josias Simlerus in Appendice Gesnerianæ Bibliothecæ, cum Drogonem Sacerdotem Gestellensem & Morinorum Episcopum, diversos facit. Plura de *Drogone Morinensi Episcopo* dabunt, Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri*. Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tomo 2. Verbo *Bolonienses Episcopi* pag. 430. ubi de Episcopis Tarvanensibus seu Morinensibus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 45. pag. mihi 373. ultimæ editionis anni 1651. in 4. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Drogo* pag. 194. editionis anni 1643. Lovanii in 4.

PAPIAS GRAMMATICUS anno MLIII. floruit, ut est in Chronico Alberici MS. non autem anno MCC. ut malè Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* scribit. Alberici verba sunt: *Anno MLIII. anno decimo tertio Imperatoris Henrici filii Conradi, Papias librum suum, videlicet* Elementarium doctrinæ Erudimentum *edidit: quod probatur per numerum annorum, ubi agit de ætatibus seculi in prima litera, & enumerando pertingit ad hunc annum.* In eo porro condendo decennium insumpsisse, testantur versus adscripti Papiæ in Aquicinetensi illo Exemplari, & à viro doctissimo mihique amicissimo Joanne Mabillonio exscripti, quos hic apponam, ubi nescio quis Rainaldus nominatur, à quo hic codex anno Christi 1173. descriptus fuit. 1053

Si durante die nunquam tenebresceret orbis,
Visibus humanis nulla lucerna foret,
Sic in Scriptura qui prospicit omnia clarè,
Non eget istius commoditate libri.
Sed quoniam quivis qui noverit omnia non est,
Est amplectendus omnibus iste liber.
Instar apis mella collecta labore decenni,
Cunctis Papias ista legenda dedit.
At cibus ut noster de divite ditior esset,
Apposuit nobis has Rainaldus opes.
Ne tali nostra dulcedine mensa careret,
Extitit ejus in hoc officiosa manus.
Istud habe gratum munus Salvator, & illi
Perpetuam requiem comparet iste labor.
Hunc amet, hunc relegat, hoc delectetur, & omni
Hunc studio servet, Grex, Aquicinte, tuus.
Scripti tempus habet, qui Jhesu copulat annis
Vndecies centum septuaginta tribus.
Noveris ista legens, quod pro mercede laboris,
Non aurum Scriptor postulat, imo precem.
Ergo precem redde, quoniam pretiosius auro,
Est prece devotâ propitiare Deum.

Extat autem istud *Elementarium Papiæ* fol. in membrana in Bibliotheca nostrâ Lugduno-bata-

tava, inter MSS. Codices Latinos num. 14. ut habet Catalogus librorum hujus Bibliothecæ editus in 4. Lugduni-Batavorum 1674. à Frederico Spanhemio, pag. 400. quem vide. Scripsisse etiam Papiam *Epistolarum librum ad diversos*, author est Joannes Trithemius loco citato: Prætereà Elias Putschius edidit inter Grammaticos veteres, *Explicationes notarum veterum ex Papiæ Glossario*, quas in MSS. Codicibus quos videre contigit, non animadvertit Carolus du Cange. Prostat verò ejus Glossarium typis editum curâ Bonini Mombritii, cujus sunt duo volumina *De vitis Sanctorum*, nempe Venetiis anno 1496. mense Aprili die XIX. Sanè non tam de novo condidisse, quam antea utcunque digestum Glossarium ac elaboratum auxisse, ipse innuere videtur in Præfatione his verbis: *Jam vero de hujus artis nomine non prætermittendum videtur, quod quidem etsi olim, quia verbi & simpliciter unius alterius dictionis retinebat interpretationem, Glossarium vocaretur: jam verò definitionibus, & secundum regulas notationibus, sententiis quoque, & multis id genus superadditis, altius atque aptius* Elementarium Doctrinæ erudimentum *nominari poterit*. Ita Carolus du Fresne Dominus du Cange in Præfatione ad *Glossarium mediæ & infimæ* Latinitatis, §. seu num. XLIV. pag. 36. qui §. seu num. XLVI. p. 37. hæc addit.

Papiam excipit *Vgutio Pisanus*, qui longe fusius ac multa vocabulorum & ἐτύμων accessione sive *Glossarium* sive *Dictionarium* auctius edidit, quod MSS. in Bibliothecis passim reperitur. Nam typis excusum non puto, quod cum ars typographica inventa est, illud in Scholis tunc haberetur, quod à Joanne de Janua ex Papia & Vgutione confectum est. Quis iste Vgutio fuerit, vel quo vixerit seculo, ex præfatione operis illius non percipimus; sed id docemur ex Chronico MS. Nonantulano, cujus verba heic describemus: *Per hæc tempora* (circa a. MCXCII.) *Agno Vgutio natione Pisanus, Episcopus Ferrariensis, qui datus à Sede Apostolica Coadjutor Abbati Monasterii Nonantulani prodigo homini, ex libro Papiæ, qui illic est*, librum Derivationum *composuit*. In Præfatione vero consilium operis & nomen suum ita aperit. *Opus igitur divina favente gratia componere statuimus, in quo præ aliis, vocabulorum significationes, significationum distinctiones, derivationum origines, etymologiarum assignationes, & interpretationum reperientur expositiones: quorum ignorantia Latinitas naturaliter indiga quadam doctorum pigritia non modicum coarctatur. Nec hoc tantum ut vitream cenodoxiæ fragilitatem lucrifaciamus, adimplere conabimur, quantum ut omnium scientia literarum invigilantium communis inde utilitas efflorescat. Nec minus descendat in mentem, nos in hoc opere perfectionem insinuatim adhibere, cum in humanis nihil ad unguem inveniatur expolitum, licet aliis de hac eadem re tractantibus quadam singulari perfectione, haud injuria videri possumus excellere. Nam hic parvulus delectabitur suavius, hic adultus uberius cibabitur, hic perfectus affluentius delectabitur: hic Gymnosophistæ triviales, hic Didascali quadriviales, hic Legum professores, hic Theologiæ perscrutatores, hic Ecclesiarum proficient gubernatores. Hic supplebitur quicquid hactenus scientiæ defectu prætermissum est, hic elimabitur quicquid à longo tempore male usurpatum est. Si quis quærat, operis hujus quis actor fuerit, dicendum est, Deus. Si quærat quod operis hujus fuerit instrumentum, respondendum est quod patria Pisanus, nomine Hugutio, quasi Eugetio, id est, bona terra, non tantum præsentibus, sed etiam futuris: vel Hugutio, quasi Vigitio, id est, virens terra, non solum sibi, sed etiam aliis.* Ejus obitum circa annum MCCXII. conjicit Vghellus in *Episcopis Ferrariensibus*, cui hæc de Vgutione haud nota fuerunt. Hæc verbotenus Carolus du Fresne, Dominus du Cange, locis citatis. Meminit quoque *Papiæ Grammatici* Cornelius à Beughem in Opusculo *De Incunabulis typographiæ* verbo *Papias*, pag. 103. cujus *Vocabularium* inquit impressum olim Mediolani 1476. in fol. Venetiis 1487. 1491. & 1496. in fol. Illum natione Lombardum, arte Grammaticum, malè cum Trithemio ad annum Christi 1200. claruisse scribit.

DISSERTATIO
DE
VITA, SCRIPTIS, ET DOCTRINA BERENGARII ANDEGAVENSIS ARCHIDIACONI.

PROLOGVS.

1050. INsignes duo viri hac ætate nostra de Berengarii rebus gestis dissertationes eruditas composuerunt, alter Franciscus de Roye Antecessor Andegavensis in libello *De hæresi & pœnitentia Berengarii* quem anno 1656. in 4. edidit; alter Johannes Mabillon qui anno 1678. *Analectorum* tomo 2. pag. 477. & sequentibus inseruit Observationes *De multiplici Berengarii damnatione, fidei professione, & relapsu, deque illius pœnitentia*. Ab his sumentur plurima verbotenus, quæ in Dissertatione ista afferentur, multis tamen de novo adjectis, illorum opinioni de quibus loquimur, plane contrariis: quæ & mortem Berengarii anno MLXXXIII. contigisse evincent, & nullam ab eo pœnitentiam factam fuisse, sed mortuum fuisse in ea opi-

opinione *De corpore & sanguine Domini* in Eucharistia, ob quam damnatus sæpe in Conciliis fuerat. Multæ etiam fabulæ ad Berengarium proscindendum inventæ ac scriptis traditæ, sufflabuntur. Quantæ etiam per omnem vitæ cursum, innocentiæ probitatisque extiterit, testimoniis evidentibus doctissimorum, qui aliquanto post ejus mortem tempore vixerint ac floruerint, virorum demonstrabitur.

CAPUT PRIMUM.

DE BERENGARII ANNIS JUNIORIBUS, ET QUANDO OB DOCTRINAM ET OPINIONEM SUAM *DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI IN EUCHARISTIA* DIFFAMATUS EST.

BErengarius ortu Turonensis extitit, qui olim cum Adelmanno condiscipulo in Schola Fulberti Carnotensis Episcopi rudimentum Latinæ linguæ didicisse perhibetur. Hunc Baronius ante annum 1000. natum, putat, dum anno 1088. num. 15. 16. & 20. *nonagenarium* mortuum scribit, dum anno 1004. num. 5. & 6. illum inter discipulos S. Fulberti Carnotensis Episcopi (nondum dubio procul natum) collocat, denique dum anno 1028. num. 6. fabulâ planè portentosâ, illum ob sparsam hæresim à S. Fulberto rejectum coram innumeris adstantibus inquit. Somnia enim hæc omnia tam Baronii quam aliorum, ad invidiam Berengario antiquæ ac probatæ virtutis viro suscitandam comparata sunt. Sic autem Baronius ultimo loco, ubi de Fulberto. „Qui quidem moriens, haud dubium testimonium reliquit de Berengario, „olim suo discipulo, nam ex Guillelmo *Malmesburiensi* ista Vincentius *Bellovacensis*. *Cum „in extremis positum multi visitarent, & adium capacitas vix confluentibus capiendis sufficeret : ille inter oppositas catervas oculis rimatus Berengarium, „visu quo potuit expellendum censuit, protestatus „immanem dæmonem prope eum consistere, multosq; „ad eum sequendum blandiente manu, & illicite „corrumpere.* Eadem habet Wilhelmus Malmesburiensis, dum de Berengario ipso funestam „texit historiam. Hæc Berengario impacta à Monachis, ipsius hostibus apertis, ad invidiam ipsi procurandam.

Berengarius Andegavensis Archidiaconus, ante a. 1050. non audiit ob doctrinam neque à quoquam diffamatus legitur, quo tempore annos ætatis 30. vel circiter habebat, teste enim Guillelmo Malmesburiensi ibidem, *Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæresium defensione infamaverat :* id quod ut plurimum, annum ætatis 30. vel circiter designat. Ex hoc autem calculo, quando S. Fulbertus anno 1028. mortuus est, Berengarius annorum 10. vel 12. erat : qua ergo ratione puerulum decennem vel duodennem Fulbertus expellere potuit à se, qui vix tum doli idoneus, multominus hæreseos, erat? Hæ fabulæ ex ipsis inventorum verbis destruuntur. Quod scribit Baronius ad annum 1004. num. 5. & 6. illum inter discipulos S. Fulberti Carnotensis Episcopi collocans, falsum quoque est, cum juxta calculum citatum Berengarius tunc temporis nondum natus esset. Equidem Adelmannus fuit Fulberti Carnotensis discipulus & Berengarii condiscipulus, qui postmodum ex Scholastico Leodicensi Brixiensis ab anno 1048. Episcopus, anno 1050. Epistolam scripsit ad Berengarium *De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia*, quæ typis excusa unà cum aliis ejusdem argumenti opusculis, Lovanii prodiit cura Johannis Vlimmerii 1551. 1561. & in omnibus editionibus *Bibliothecæ Patrum*. Sed id contigit ultimis temporibus Fulberti Carnotensis Episcopi anno 1028. ut supra dictum est mortui, non anno 1004. quo Berengarius nondum natus erat. Imò Adelmannus, qui hujusce rei mentionem facit in *Epistola* sua ad Berengarium, quam profert ipse Baronius ad annum 1004. num. 5. & 6. se tunc temporis cum Berengario in Schola Fulberti fuisse quidem fatetur, sed ætate maturiorem cum *adolescentulo* à quo ætate plurimum distaret, & quem *decennem* vel *duodennem* circiter anno 1028. fuisse diximus. Mendacium igitur purum est, ad invidiam Berengario procurandam à Chronologis vel Historicis conscriptum, dum scribunt S. Fulbertum in extremis agentem repulisse Berengarium, ob hæresim nondum ortam, cujus tunc temporis incapax erat Berengarius, quam ante annum 1050. non sparsit in publicum.

Anno igitur 1050. Berengarius Andegavensis Archidiaconus cum Brunone seu Eusebio Andegavensi Episcopo, ex lectione antiquioris Theologi Joannis Scoti Erigenæ, palam disputare ac docere cœpit *Corpus & sanguinem Christi in Sacramento altaris*, non in veritate & substantia, sed in virtute & figura tantum contineri. Neque hi duo solum in hac opinione fuerunt, sed alii plures, ac inter cæteros *Paulus Metensis Primicerius*, ad quem teste Sigeberto *De Scriptoribus* cap. 153. Adelmannus scripsit *Epistolam* quæ interiisse videtur, qua ipsum pariter ac Berengarium communem amicum, à sententia sua de Eucharistia revocare conatus est. Non à seipsis opinionem hanc de Corpore & Sanguine Domini per figuram tantum & virtutem in Eucharistia, acceperant : sed ab anterioribus seculi 9. Scriptoribus, à quibus ante duo secula hæc quæstio magnis & ardentibus animis, libris etiam hac de re compositis, in utramque partem agitata, nec definita fuerat. Omnium primus Paschasius Rathbertus Corbeiæ veteris Abbas scripsit librum *De Corpore & Sanguine Domini*, non anno 818. ut contendit Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus in Epistola ad Lucam Dacherium, præfixa tomo 2. *Spicilegii* anno 1657. editi, sed post annum 826. & speciatim circa annum

831. ut pluribus contendit Carolus Cointius in Annalibus Gallicanis, ad annos allatos. Hic pro veritate corporis & sanguinis Domini in Sacramento altaris scripsit, cujus sententiam Hincmarus Remensis Archiepiscopus amplectitur in Libro *De prædestinatione* cap. 31. Contra autem alii nitebantur affirmantes, ut Ratramnus Corbeiæ sub Paschasio Monachus, quem ob hanc opinionem nunquam reprehensum esse vel sinistrâ famâ laborasse legimus, licet ex professo contra Paschasium Abbatem suum scripserit Opusculum ea de re aureum. Opinionem Ratramni amplexi sunt viri insignes alii, *Joannes Scotigena & Prudentius Tricassinus Episcopus*, ambo *Sanctorum* titulo illustres, quorum Opuscula plurima eruditionem ostendunt. Ita nos docet Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in Opusculo *De prædestinatione* cap. 31. his verbis. *Sunt & alia quæ vocum novitatibus delectantes, unde sibi manes comparant rumusculos, contra fidei Catholica veritatem dicunt* (scilicet illi quos solos superius nominaverat, Prudentius nempe & Scotus) *videlicet quod trina sit Deitas, quod Sacramenta altaris non verum corpus & verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis & sanguinis ejus*. Quæ quidem adnotatio, ut Prudentium attingit, qui *De trina Deitate* libellum ediderat: ita Joannem Scotum, qui de Sacramento altaris hæretice sensisse, in Synodo Vercellensi tandem convictus est.

Agitata ista quæstio ante seculi 9. medium a viris ex utraque parte eruditis & probis, cum tunc temporis in Gallia definita non fuisset, manserant Episcopi aliique docti in ea libertate, ut quam vellent magisque suo sensui consonam viderent, sententiam sive opinionem amplecterentur: id quod usque ad tempora Berengarii, seu ad annum 1050. per ducentos & ultra annos permansit. Ab anno igitur 830. ad 1050. quo hæc quæstio adversus Berengarium in Concilio Vercellensi definita fuit, erant in Ecclesiis Gallicanis duæ partes, quarum altera *Corpus & Sanguinem Domini in Sacramento altaris verè & secundum substantiam*, altera *in virtute tantum & figura* contineri fatebatur & credebat: atque utraque pars in ingenti numero sectatores suos habebat, in Ecclesiæ unitate & concordia viventes, eo quod quæstionem illam ut fidei Orthodoxæ extrinsecam & accidentalem prorsus eruditi arbitrarentur. Hinc factum, ut nec Ratramnus, nec Johannes Scotus, nec Prudentius Tricassinus Episcopus, ut Hæretici habiti sint, sed in Ecclesiæ sinu manentes, duo etiam ultimi sanctitatis titulo ornati sint. Verum aliam hæc quæstio seculo XI, anno nempe 1050. sortem habuit.

CAPUT SECUNDUM.

SENTENTIA BERENGARII DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI, IN CONCILIIS MULTIS DAMNATUR.

PRimum Concilium adversus Berengarium jussu Leonis Papæ IX. Romæ post Pascha an. 1050. celebratum est, ut ex Hermanni Contracti Chronico multi affirmant; aut certe anno 1053. prout alii malunt, freti auctoritate Durandi Abbatis Troarnensis in libro *De corpore & sanguine Domini*. In eo Concilio lecta & proscripta est Berengarii absentis Epistola ad Lanfrancum, in qua juxta Mabillonium, quem heic verbotenus sequimur tomo 2. *Analectorum* pag. 477. erroris sui de Eucharistia telam retexerat, atque Lanfrancus purgatus, cujus adversarii occasione Epistolæ ipsi à Berengario scriptæ, suspectam fidem apud Pontificem reddiderant. Extat Epistola Berengarii ad Lanfrancum, cujus in Romano Concilio mentio facta est, inter Opera Lanfranci in notis ad Vitam Lanfranci pag. 21. & Conciliorum tomo IX. col. 1054. cum Concilio Romano col. 1052. Quod attinet ad tempus celebrati Concilii, utri parti assentiendum sit, quæstio satis intricata videtur. Nam gravis est Hermanni Contracti auctoritas, Synodum Romanam cum subsequente Vercellensi ad annum 1050. revocantis: Siquidem Hermannus, vir doctus, eo tempore vivebat, cum anno 1054. decesserit, ut ex ejus Continuatore apud Urstisium constat, tametsi ejus obitus anno 1052. in Chronico Magdeburgensi MS. reponitur. Durandi etiam calculo adversatur liber *De Gestis Leonis Papa IX.* qui anno 1053. Beneventi à Junio ad exeuntem annum, imò & ad subsequentem Martium commoratus est. Quod jam probavit Franciscus Roius Antecessor Andegavensis, & post eum Godefridus Henschenius in Commentario prævio ad Leonis ejusdem vitam. Unde consequens est, Leonem mense Septembri anno 1053. interesse nequivisse Vercellensi Concilio, quod proinde uti & Romanum, ad annum 1050. referendum est. His accedit, Durandum Abbatem qui anno 1087. obiit, post annos à Romana Synodo ferè triginta, scribendo libro suo *De corpore & sanguine Domini* navasse operam, ob idque memoria labi facile potuisse. Hermannum verò qui annum 1054. non excessit, quid in unoquoque anno gestum esset, accuratè mox redegisse in annales: ac proinde illum in designando istius Synodi anno 1050. errasse, plane non esse veri simile.

Paullo post Concilium Romanum, eodem anno Brionæ (quod mediterraneum recentioris Neustriæ oppidum est) *Conventus multorum ex tota Nortmannia Sapientum* jussu Guillelmi Ducis cogitur, in quo *Berengarius cum alio quodam, quem secum adduxerat Clerico, in cujus eloquentia victoria sibi spem posuerat, coram omnibus confutatus est*, eodem Durando Abbate testante. Ex quo etiam discimus, Berengarium ex illo Conventu revertentem, *Carnutum* petiisse, ubi de eadem quæstione à Clericis ejusdem urbis pulsatus, ad eos postea litteras misit, *in quibus multa absurda, fideique Catholica alie-*

alieua declamavit. Vide Conciliorum Tomum IX. col. 1054.

Alterum Concilium Vercellis proximo post Romanum mense Septembri indictum ab eodem Pontifice, qui eidem Concilio præfuit. Istuc vocatus Berengarius venire refugit, sed duos Clericos erroris sui faurores eo misit, *qui volentes eum defendere, in primo statim auditu defecerunt, & capti sunt*, inquit Lanfrancus. Tum *Johannis Scoti liber de Eucharistia*, quo patrono Berengarius gloriabatur, *lectus, damnatusque est.* Hinc scriptæ Berengarii ad Ascelinum Monachum, & vicissim Ascelini ad Berengarium Epistolæ, in quibus agitur de Colloquio seu Disputatione publica Berengarium inter & Ascelinum atque Willelmum inita, deque Berengarii damnatione facta *in plenaria* (ut Ascelinus loquitur) *Synodo* Vercellensi. De hoc Concilio vide *Conciliorum* tomum IX. col. 1055. Ascelini autem & Berengarii mutuæ litteræ post Concilium Vercellense datæ, extant ibidem Berengarii col. 1056. Asceli-ni col. 1057.

Eodem anno XVII. Kal. Novembris Lutetiæ Parisiorum coram Henrico Rege damnatur Berengarius absens, qui *mala conscientia perculsus terrore, ut jussus erat, eo venire distulit, seque cum Brunone suo, videlicet Episcopo Andegavensi, sub quo Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipse noscebatur involvi.* Hæc ex Durando Abbate. Interea submonente Aurelianensi Episcopo lecta est *Berengarii Epistola ad Paulum quendam familiarem suum* scripta. Is est Paulus *Metensis Primicerius*, Berengarii, ut Adelmannus in litteris ad Berengarium notat, utique *familiaris.* Porro Epistola hæc *quoniam nequissima fordebat heresi, vehementer displicuit:* tumque damnatus ejus auctor *cum complicibus suis & codice Johannis Scoti*, ex quo potissimum Epistola Berengarii desumpta videbatur, ac denium mortis supplicium contumacibus est intentatum. Eo spectant *Berengarii littera ad Richardum Abbatem* in Spicilegii tomo 2. pag. 510. ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ 1433. editæ, quibus Berengarius eum obtestatur, quatenus apud Henricum Regem pro se intercedat, ut damnum post Synodum Parisiensem sibi illatum a se removeret, exponeretque *injustissimè damnatum Johannem Scotum, injustissimè item assertum fuisse Pascha-sium* in Concilio Vercellensi, ac Clericos Carnotenses indignissima in regias aures effutiisse. Extant hæc omnia Conciliorum tomo IX. Concilium Parisiense anni 1050. XVII. Kalendas Novembris columna 1059. Epistola Berengarii ad Richardum col. 1062. cum Richardi responsione.

Scripsit hoc eodem tempore Adelmannus olim Fulberti Carnotensis Episcopi discipulus & Berengarii condiscipulus, ex Scholastico Leodicensi Brixiensis anno 1048. Episcopus,

Epistolam ad Berengarium De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, quæ typis excusa, una cum aliis ejusdem argumenti opusculis, Lovanii curâ Joannis Vlimmerii prodiit 1551. 1561. & in omnibus Bibliothecæ Patrum editionibus. Item teste Sigeberto *De Scriptoribus* cap. 153. alteram ejusdem argumenti *Epistolam ad Paulum Metensem Primicerium*, qua ipsum pariter ac Berengarium communem amicum a sententia sua de Eucharistia revocare conabatur: quæ ultima Epistola interiisse videtur.

Eodem quoque tempore Deoduinus Leodiensis Episcopus scripsit *Epistolam ad Henricum Francorum Regem adversus Berengarium* multo felle plenam, quæ extat Conciliorum tomo IX. col. 1061. Nihil mirum autem quod tam male tractatus sit Berengarius in Parisiensi Concilio, quod aures regiæ innumeris & atrocibus calumniis atque mendaciis in Berengarium præoccupatæ fuissent: quas subticuit Anonymus Chiffletianus, qui scripsit Opusculum inscriptum *De Berengarii damnatione multiplici*, tomo IX. Conciliorum col. 1050. Effundit Deoduinus in aures regias, plures calumnias ac mendacia, de quibus Berengarium nullus unquam accusavit, ob quæ tamen Rex Henricus maximè iratus in Berengarium fuit. *Fama*, inquit in Epistola, *supremos Galliæ fines pretergressa totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis Episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo, adstruant corpus Domini, non tam corpus esse, quam umbram & figuram corporis Domini: legitima conjugia destruant, & quantum in ipsis est, baptismum parvulorum evertant.* Hæ calumniæ in Regias aures a Deoduino Leodiensi Episcopo immissæ sunt, nec dubium quin aliæ ab aliis multæ spargerentur.

Anno tamen 1051. Frollantus Silvanectensis Episcopus, Berengarii amicus, Regem in Berengarii gratiam accedens, iratum animum compescuit, calumnias in ipsum latas exsufflavit, quantique ipsum faceret testatus est Epistola ad illum scripta, quam ex MS. Codice Sanctorum Sergii & Bacchi Andegavensium, Ordinis divi Benedicti, edidit Lucas Dacherius tomo 2. *Spicilegii* p. 509. quamque heic integram transferre non gravabimur, in Berengarii gratiam.

EPISTOLA.

FROLLANTI EPISCOPI SILVANECTENSIS AD BERENGARIUM.

DOmino & Fratri Berengario Frollantus Silvanectensium Episcopus suus, quantum« sapit fidelis gaudia futuræ felicitatis. Detentus utraque infirmitate, non possum prout dis« posueram & tibi mandaveram, huc ad te veni« re;

„re: ſed quæſo ora pro me & attentius, ut ea liberer, quæ animam meam necat ægritudine: & neſcio ſi in hoc præſenti ſeculo amplius te, Cariſſime Domine, videre potero. Sed Satage ut in alio, cum tranquillitate merear te videre. Et tamen ſi tamdiu Deus mihi vitam cum ſoſpitate ſervarit, ut opportunitas ad te mihi veniendi eſſet, nunquam id mitterem, quin diu conceptum deſiderium tui ad te accedendo adimplerem, quia illud non auderem dicere, ut tu ad noſtras partes vel in hac Quadrageſima orandi gratia dignareris advenire. Quod ſi tanta circumſeptus fuero infelicitate, quod neque huc ego, neque tu ad me valeas venire; & ſi præoccupatus morte fuero, animam meam tibi committo. Mitte pro ea ad cæleſtem curiam obſecrationes nuntias, roga Archangelorum & Apoſtolorum Principes, & cæteros illius aulæ Centuriones, qui tanto Regi adſiſtunt familiariores, ut illi dignentur ſuggerere, quatenus peccatricem meam animam liberari præcipiat de mortis carcere: imo tu ipſe fultus orationis munere, interdum & ſæpius piiſſimum & benigniſſimum Regem, ut pro aliis ſoles, pro me aggredere: & per te fiducialiter obſecra, ut dignetur mihi parcere. Dominum R. Abbatem & cæteros dominos & fratres, quos mihi tua dilectio acquiſivit, ſub meo nomine Saluta, & in orationibus ſuis ut mei meminerint obſecra. Quidquid tibi placuerit, mihi remanda. Illud volo Fraternitas tua noverit, quod multum firmiter adquiſivi tibi gratiam Domini mei Regis. Vale & quamvis monitore non egeas, ut mei memineris attende.

CAPVT TERTIVM.

IDEM IN ALIIS CONCILIIS CONTRA BERENGARIVM STATVITVR.

ANno dein 1055. ſub Victore II. Papa Concilium Florentiæ convocatum eſt adverſus Berengarium, de quo tomo IX. Conciliorum col. 1079. Eodemque anno Turonis alterum, cui Victoris interfuere Legati, præſidente Hildebrando tunc Subdiacono & Legato à latere, in qua Synodo Berengarius errorem ſuum ejuravit Guitmundo atque Lanfranco referentibus. Vide Conciliorum tomum IX. col. 1081. Euſebius qui alio nomine *Bruno* Andegavenſis Epiſcopus in *Epiſtola ad Berengarium* meminit hujus Synodi, quam ſtatuit mediam inter alias duas, quarum nulla mentio ſive apud Lanfrancum, ſive apud Anonymum qui *De Berengarii damnatione multiplici* opuſculum ſcripſit à Chiffletin editum. Vnam Taronicam, in qua *querimonia quæ in præſentia Domini Geraldi tunc Legati apud Turones* de Berengarii errore *emerſerat, ſedata eſt:* alteram (ut putat Mabillon) Andegavenſem, juſſu Principis, id eſt Comitis Andegavorum Fulconis, habitam in *capellula* quadam, ubi *rediviva peſtis, Domini Biſuntinenſis Archiepiſcopi & eruditorum qui adfuerunt, auctoritate calcata eſt.*

Victore qui in locum Leonis ſuffectus erat, & Stephano Victoris ſucceſſore mortuis, Nicolaus Papa II. Romanam Eccleſiam rexit, cujus mandato alterum Romæ Concilium *centum & tredecim Epiſcoporum* anno 1059. cogitur, quod extat Conciliorum tomo IX. col. 1101. in quo Berengarius hæreſim ſuam tertio abjuravit, & *libros propria hæreſeos concremavit.* Fidei formulam juſſu Pontificis ab Humberto Cardinali concinnatam publice legit, cui ſubſcripſit & quam profeſſus eſt ſub hac forma.

Ego Berengarius indignus Diaconus Eccleſiæ Sancti Mauricii Andegavenſis, cognoſcens veram & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam de qua hactenus infamatus ſum: quæ aſtruere conatur, panem & vinum quæ in altare ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe; nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel dentibus Fidelium atteri &c. At Berengarius *hujus propoſiti ſacrilegus violator, contra præfatam Synodum, contra catholicam veritatem, contra omnium Eccleſiarum opinionem*, ait Lanfrancus, *Scriptum poſtea condidit*, quod Dialogo Lanfrancus anno 1060. refutavit, qui in omnium manibus extat. An ubique & in omnibus quæ in hoc Dialogo continentur, fidem Lanfrancus mereatur, apud eruditos ambigitur. Nam quod Berengario exprobret, ipſum *Patres contemnere*, calumnia mera eſt, à Lanfranco in Berengarium gratis inventa, ut invidiam ipſi & odium procuret. Venerabatur maxime *Patres* Berengarius, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium; quorum auctoritate adductum ſe gloriabatur, uti & Joannes Scotus Erigena, ut opinionem ſuam *De corpore & ſanguine Domini* amplecteretur, atque ab ea quidquid contra ab imperitis & Monachis clamaretur, non recederet.

Paulo poſt Alexander Papa II. Nicolao ſuccedens, Berengarium *litteris amice præmonuit, ut à Secta ſua ceſſares, nec amplius ſanctam Eccleſiam ſcandalizares. Ille autem ab incepto deſiſtere noluit, hocque ipſum eidem Apoſtolico remandare non timuit*, inquit Anonymus Chiffletianus.

Præterea anno 1063. Mauritius Rotomagenſis Archiepiſcopus, graſſanti hæreſi frenum injecturus, Synodum habuit Epiſcoporum comprovincialium, in qua catholica fides aſſerta eſt, & contra ſentientes diris addicti, in hæc verba: *Corde credimus, & ore profitemur, panem in menſa Dominica propoſitum, panem tantummodo eſſe ante conſecrationem: ſed in ipſa conſecratione, ineffabili potentia divinitatis, converti naturam & ſubſtantiam panis in naturam & ſubſtantiam carnis: carnis vero, non ullius alterius, ſed illius quæ concepta eſt de Spiritu ſancto, nata ex Maria Virgine, quæ etiam*

"*iam propter nos & propter nostram salutem, flagellis cæsa jacuit in sepulchro, tertia die resurrexit à mortuis, & sedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aqua mixtum in calice sanctificandum proponitur, vere & essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis de vulnere dominici lateris in mundi redemptionem feliciter emanavit. Anathematizamus contra hanc sanctam & apostolicam Fidem superbe atque hæretice sentientes, & impia temeritate garrientes.*" Tum statuto edito decretum est, ut ordinandi imposterum Episcopi, hanc Fidei formulam palam profiterentur, ut ex monumentis à Johanne Mabillon tomo 2 *Analectorum* pag. 451. vulgatis manifestum est. Hujus porro Synodi Rotomagensis, in postrema Conciliorum editione, nulla mentio fit, quæ ex Chronico veteri Archiepiscoporum Rotomagensium, tomo *Analectorum* 2. contigit anno 1063. ut ibidem habetur pag. 441.

Successit Alexandro II. Gregorius Papa VII. cujus Pontificis anno tertio, id est 1075. juxta Chronicon Sancti Maxentii seu Malleacense, quod extat tomo 2. *Nova Bibliotheca MSS. Codicum* pag. 190. Philippi Labbei, ubi *Anno MLXXV. Pictavis fuit Concilium, quod tenuit Giraudus Legatus, de corpore & sanguine Domini, in quo Berengarius - - - - ferme interemptus est*. Contigisse illud *Idibus Januarii*, idem Chronicon inferius docet. Qui autem hic laudatur Giraudus Legatus, Episcopus Engolismensis erat.

Post hæc Gregorius Papa, ut Anonymus Chiffletianus fidem facit, *iterum eidem Beringerio audientiam in duabus Synodis generalibus Roma concessit. Sed cum ipse sectam suam Catholicæ fidei contrariam denegare non posset, iterum sub juramento eamdem abdicare, & Fidem Catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit.* Prior ex his duabus Synodis Romæ anno 1078. habita est, & quidem *in festo omnium Sanctorum*, ut Berengarius ipse tradit: tametsi *X. Kalendas Decembris* eam Bertoldus reponit, qui Berengarium, *ut ab hæresi sua resipisceret, Synodaliter* conventum, ob idque *inducias ad proxime futuram Synodum* obtinuisse testatur. Secundam fidei professionem in hac Synodo Romana anni 1078. Berengarius edidit, quam hactenus ineditam, referente Berengario ipso, in veteri codice manuscriptam legit in itinere Belgico Johannes Mabillon, ut habet *Analectorum* tomo 2. pag 487. in hunc modum. *Profiteor panem altaris post consecrationem, esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris: & vinum altaris, postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc Sacra.*

Brevem hanc confessionem ab ipso Berengario fuisse concinnatam, oblatamque Pontifici suspicari licet; tum quia à nullo alio quam ab eodem Berengario relata est, tum quia minus expresse rem controversam definit, quam prima confessio, cum è contrario scriptis recentioribus nova lux accedere soleat. Et certe verisimile est, Berengario, posteaquam priorem confessionem tam atrociter scripto suo laceraffet, quasi proprium Humberti Cardinalis fœtum: ut vel sic omnis causandi ac tergiversandi aditus ei præcluderetur, datam fuisse potestatem, suis verbis explicandi propriam de Eucharistia mentem. Quod ipse præstiterit edita hac confessione secunda, in qua subdolis *veri corporis & veri sanguinis* verbis, Catholicam fidem profiteri videbatur, tametsi sub ejusmodi speciosis larvis hæresim suam occultabat. Inde factum est, ut confessio hæc permultis istius Synodi Episcopis, non fecerit satis: ideoque remissa ac dilata sit amplior hujus rei discussio in Synodum anni subsequentis, cujus causa frequentior Episcoporum numerus Romam convenire debebat: ac interim Berengarius ad id tempus Romæ residere jussus. Hæc Joannes Mabillon, de ista Synodo, ex MS. tractatu ipsius *Berengarii*, quem legit & excerpsit in Bibliotheca Jesuitarum Lovaniensium, ut à fide dignis testibus ipsius sociis, mihi relatum est.

Posterior sub Gregorii VII. Synodus anno 1079. teste Anonymo Chiffletiano celebratur, qui huic Synodo præsens interfuit. Habitam *in Quadragesima* docet Berengarius, hoc est *mense Februario, Indictione secunda*, ut ex Actis ejusdem Concilii patet, quæ tomo X. *Conciliorum* col. 378 extant. Tandem in Romano anni 1079 Concilio, quod mense Februario habitum fuisse superius notabam, tertia fidei formula Berengario proposita est: quam ipse publice lectam, non catholico animo, sed metu supplicii sacramento confirmavit, ac subscripsit sub hac forma. *Ego Beringerius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Domini nostri Jesu Christi: & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est: non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur; & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc Fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacra Evangelia.* Hæc ex ipsis Concilii actis.

Absoluta ultima Synodo Romana, ex Vrbe discessit Berengarius, cum litteris salvi conductus ipsi à Gregorio Papa benigne porrectis, adjuncto Fulcone comite, quem Berengarius *transmontanum Clericum & Domini Papæ convictorem* vocat, reversusque est in Galliam, ad Andegavensem Ecclesiam suam. Literas salvi conductus ex MS. Codice SS. Sergi & Baccii Ande-

gavensium, exhibet Lucas Dacherius tomo 2. *Spicilegii* pag. 508.

„*Gregorius Servus Servorum Dei, Omnibus beato* „*Petro fidelibus, salutem & apostolicam benedictio-* „*nem. Notum vobis omnibus facimus nos anathe-* „*ma fecisse ex auctoritate Dei omnipotentis Patris, &* „*Filii & Spiritus sancti, & Beatorum Apostolorum* „*Petri & Pauli, omnibus qui injuriam aliquam fa-* „*cere præsumpserint Berengario Romanæ Ecclesiæ fi-* „*lio, vel in persona, vel in omni possessione sua: vel* „*qui eum vocabit hæreticum, quem post multas, quas* „*apud nos, quantas voluimus fecit moras, domum* „*suam remittimus, & cum eo fidelem nostrum Fulco-* „*nem nomine.*

Reversus in Gallias ad Ecclesiam suam Andegavensem, Berengarius immemor eorum quæ in Synodo Romana anni 1079. ab ipso super sacris Evangeliis promissa fuerant, ad priorem de Eucharistia opinionem reversus est. Contra autem Eusebius Bruno Andegavensis Episcopus, Romanæ Synodo religiose obtemperans, partes Berengarii quas hucusque obstinata mente tutus fuerat, ejusque consuetudinem prorsus abjecit. Destituto tanta protectione Berengario, hinc novæ turbæ, & novorum certaminum adversus ipsum instaurata molimina, imprimis per *Gaufridum Martini Clericum Andegavensem:* id quod nunquam antea contigit, ut à Clericis Ecclesiæ suæ inquietaretur. Hinc datæ anno 1079. vel 1080. a Berengario litteræ ad Eusebium Andegavensem Episcopum, obtestante, *ut se & ipsum* (Gaufridum) *sub judice audiri faceret in libro beati Ambrosii de Sacramentis.* Eusebius qui à Berengario deficerat, respondit id sibi conveniens non videri, sufficere ad fidem, ut verbi Christi Domini virtute, panem & vinum post consecrationem fieri verum Christi corpus & sanguinem credatur. Ejus rei modum ordinemque non inquirendum, Patres hac de re caute legendos, ac demum nefas esse id ulterius retractare, quando ea *causa ter provincia sua*, id est Turonensis, *judicio terminata* fuisset, *quarto sedis Apostolicæ Synodi sententia* exstincta. Hæc Eusebii Epistola post ultimum Concilium Romanum, quod in hoc negotio quartum, anno 1080. scripta esse videtur. Cæterum qui fint tres illi Turonicæ provinciæ Conventus, superius ex eodem Eusebio exposui. Cum vero nec sic Berengarius quiesceret, *Anno 1080. convocatur Concilium Burdegalense, in quo Berengarius tradidit fidei suæ rationem;* ut docet nos Chronicon Malleacense seu Sancti Maxentii tomo 2. *Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Codicum Labbei* pag. 212. Illud factum perhibent auctoritate Hugonis primum Diensis Episcopi, deinde Lugdunensis Archiepiscopi, sedis Apostolicæ Legati, à Gregorio VIII. in Galliam missi.

CAPUT QUARTUM.

QUO ANNO BERENGARIUS MORTUUS, ET AN ERRORIS SUI POENITENTIAM ALIQUANDO FECERIT?

Cum itaque anno 1080. Berengarius excidisset benevolentia ac consuetudine Eusebii seu Brunonis Andegavensis Episcopi, quibus hucusque usus fuerat: cum in illum insurgeret acriter cum aliis, Gaufridus Martini Clericus Andegavensis: è re sua arbitratus est Andegavum relinquere, atque ad patriam suam Turones reverti, in qua cum possessionibus amplissimis gauderet, tranquille ac ab omni remotus strepitu, & hominum consortio, opinionem suam de Eucharistia, quam ore tenus abjuraverat, in corde ad mortem usque servaret. Præterea hoc anno 1080. Eusebius Episcopus, sive ætate sive ægritudine fractus, de Episcopatu abjiciendo meditabatur, quod anno 1081. ineunte executioni mandavit, cessione Episcopatus facta, postquam eodem anno *successit D. Goffridus, octavo Idus Maij Dominica die Cathedra sublimatus Episcopali*, & Eusebius obiit eodem anno 1081. sexto Kalendas Septembris, ut habent Chronica Andegavensia tomo 1. *Novæ Bibliotheca MSS. Codicum* Labbei, Chronicon primum pag. 276. Chronicon secundum pag. 282. Chronicon tertium pag. 288.

Ut ab omni hominum consortio facilius removeretur, & cum nullo ob opinionem suam *de corpore & sanguine Domini* jurgium haberet, recessit ad *Sancti Cosmæ insulam*, Turonicæ civitati suburbanam, in qua ut legitur in veteri Chronico Turonensi ad annum MII. Herveus vir piissimus, beati Martini Ecclesiæ Thesaurarius, *parvam Ecclesiam ædificavit in honore sanctorum Cosmæ & Damiani, ubi die ac nocte aliquot annis à curis vacans sæcularibus, & à mortalium abstractus consortio, unius vel paucorum contentus mancipiorum consortio, oratione jugi & jejunio, nec non lacrymis irremediabilibus, Domini misericordiam implorabat.* Et ad annum MXII. *Post mortem Hervei, Monachi Majoris Monasterii eandem insulam, gratia refocillandorum fratrum, sub annuo censu à Canonicis B. Martini recepisse* perhibentur: sed postea lite inde suborta, eandem insulam Martinianis Canonicis denuo cessisse. Hæc igitur est insula, quæ Berengarii secessus à mortalium consortio ad Hervei imitationem testis fuit, quæ tandem aliquanto post ipsius mortem tempore, anno nempe MCII. Canonicis Regularibus S. Augustini, à quibus etiam nunc occupatur, tradita est, testante eodem Chronico his verbis: *Anno MCII. Canobium Sancti Cosmæ de insula primo conventum accepit.*

Ingressus anno 1080. in hanc solitudinem cum uno vel altero Famulo Berengarius, cum olio plurimo illic abundaret, scripsit anno 1081. Tractatum *De corpore & sanguine Domini in Sacramento altaris* adversus ultimam palinodiam, quam anno 1079. in Concilio Romano fecerat, de quo Joannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag.

pag. 487. & 489. quem tenuit atque excerpsit inventum in itinere suo Belgico inter MSS. Codices Jesuitarum Lovaniensium, ut mihi à fide dignis testibus narratum fuit. Ubi de Berengarii ad suam veterem sententiam relapsu, ita Joannes Mabillon. „Verum ipsius Berengarii „Scriptum quod in MS. Codice legi, omnem „hac de re dubitationem excludit: quandoquidem in eo Scripto tertiam Fidei professionem „perfide rescindit Berengarius, iisdemque fere „argumentis convellit, quibus primam sub Nicolao Papa; editam labefactaverat, in Lanfranci Dialogo relatis. Tum subdit Berengarius, quemadmodum ad subscribendum ultimæ Fidei professioni inductus sit, nimirum metu mortis sibi certe imminentis; quove sensu „eam asseruerit. Nequid autem operum Berengarii omittamus, scribit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1035. pag. 601. *MSS. Disputationes Berengarii cum Lanfranco de præsentia Christi in Cœna* asservari in Bibliotheca Collegii Æneonas apud Oxonienses Codice 4. num 1. Verum opus istud, certe Lanfranci contra Berengarium est, initio mutilum, incipiens ab his verbis, *Patres redarguis incurrisque* &c. Sæpius sub nomine Lanfranci impressum, inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 1462. in MSS. Collegii Ænei Nasi Codice 11. num. 1. in 4. Nec plura de Berengarii Opusculis suppetunt. Extat quoque inter MSS. Codices Ecclesiarum Hiberniæ Codice 234 in MSS Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera B Codice 94. in folio C 20. *Berengarius de Sacramento altaris*, transcriptus ex Codice MS. Jesuitarum Lovaniensium, uti adnotatur in Catalogis Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ, 2. in folio tomis annis 1696. & 1698. Oxonii impressis. Verum apographus inde acceptus & collatus, edocuit esse unum & idem opus cum opere anonymo *De Eucharistia* quod Herigero tribuitur atque edidit Ludovicus Cellorius in folio Parisiis anno 1655. ad calcem *Historiæ Gottescbalci*, qua de re me admonuit vir doctissimus, qui hanc ob rem Dublinum scripsit Basnagius, Ecclesiæ Gallicæ Roterodamensis verbi divini minister.

Tandem Bertoldus Constantiensis Presbyter in Historia sui temporis, quam ab anno 1053. ad 1100. accuratissime edidit, ad annum 1083. Berengarii obitum ac relapsum ita describit: *Berengarius nova hæresis de corpore Domini auctor, eo tempore deficiens abiit in locum suum, qui licet eandem hæresim sæpissimè in Synodo abjuravit, ad vomitum tamen suum canino more non expavit redire. Nam & in Romana Synodo* (nempe postrema) *canonicè convictus, hæresim suam in libro à se descriptum combussit, & abjuratam anathematizavit, nec tamen posteà dimisit.* Absurdus est autem Joannes Mabillon ac nugatur, ubi tomo 2. „*Analectorum* pag. 492. ait, Clarii domestici auctoris longe potiorem esse auctoritatem, quam „Bertoldi Constantiensis ad Rhenum Presbyteri, hominis extranei, qui falsis rumoribus aut præjudiciis, Berengario impœnitentiam tribuit, ejusque obitum quinque annis anteà vertit, ratus eum jam esse mortuum, qui extunc latebat in cella." Verum dignus risu Mabillonius, qui Clarium Bertoldo præferat, cum Clarius idem cum Bertoldo dicat, & jugulum Joannis Mabillon petat & amputet. Sic autem Clarius in Chronico de Berengario loquitur, tomo 2. *Spicilegii* pag. 747. *Anno MLXXXIII. Berengarius Turonensis Magister & ammirabilis Philosophus, amator pauperum effloruit. Hic composuit orationem illam, quæ sic incipit, JUSTE JUDEX JESU CHRISTE. Post hæc fidelis & verè Catholicus vitam finivit, super cujus tumulum hujusmodi epitaphium est.*

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis;

Ille Berengarius non obiturus obit &c.

Subdit Joannes Mabillon, itaque *post hæc*, id est ab anno MLXXXIII. *Berengarius fidelis & verè Catholicus* vitam duxit, nimirum paulò post Synodum Burdegalensem, uti superius observabam." Sed quomodo post annum 1083. Catholicus vitam duxit, quem Clarius anno 1083. vitam finivisse affirmat? uti ad marginem ipse Lucas Dacherius notat. Num post mortem Catholicus fuit, qui per vitam hæreticus audiit? Præterea Clarius longè inferior est auctoritate & fide, comparatus cum Bertoldo Constantiensi Presbytero. Clarius equidem Gallus, Floriacensis Monachus, scripsit *Chronicon Monasterii S. Petri Senonensis*, annis 30. & amplius a Berengarii obitu, usque ad obitum Daimberti Senonensis Archiepiscopi qui anno 1122. contigit, ut patet ex pag. 772. Ipse tamen pœnitentiam Berengario denegat, dum eum anno 1083. mortuum scribit. Addo Clarium scripsisse Chronicon suum annis 40. & amplius a morte Berengarii. Allegat enim Epitaphium illius ab Hildeberto de Lavardino Turonensi Archiepiscopo compositum, qui Berengarium utpote Turonensem, miris extulit laudibus. Non est autem Hildebertus ante annum 1130. ad sedem Turonensem promotus, unde sequitur evidenter, *Chronicum* a Clario post annum 1130. conscriptum, non eam habere fidem & auctoritatem, ad pœnitentiam Berengario afferendam, quam sibi Joannes Mabillon finxit. Imò nullam aliam Clarius rationem habuit, ut id assereret, quam ipsius Epitaphium Berengarii ab Hildeberto compositum, quod Hæretico homini convenire, nequaquam arbitrari potuit. Factum autem ex ejusmodi laudibus Berengarii ab Hildeberto factis, ut a Chronologis opinionem perversam deseruisse tandem scribatur, ut ab Anonymo, qui post Bedam *Historiam Regum Anglorum libris tribus* composuit libro 3. cap. 27. ubi & Epitaphium ab Hildeberto exaratum profert, totusque in Berengarii laudes hoc cap. 27. effusus est. Vide volumen *Historicorum Angliæ*, seu *Scriptores Britanniæ Minores*, in folio Heidelbergæ 1587.

1587. editos. In eandem eodem tempore sententiam venit de Berengarii *pœnitentiâ*, sed phantasticâ Guillelmus Malmesburiensis Libro 3. *De rebus gestis Regum Anglorum* pag. mihi 114. qui eadem verbotenus cum Anonymo ante citato refert. Epitaphium igitur Berengarii miris laudibus adornatum, ab Hildeberto Turonensi Episcopo post annum 1130. conscriptum, ab his omnibus Historicis relatum, eo quod homini hæretico non convenire videretur, occasionem ipsis dedit, ut Berengarium mutatâ sententiâ Catholicum mortuum esse scriberent.

Mortuus ergo Berengarius in insula SS. Cosmæ & Damiani anno 1083. die 6. Januarii, anno ætatis 65. vel circiter: non autem anno 1088. ut imperitè habet Baronius ad annum 1088. num. 15. 16. & 20. ætatis anno 90. Quis enim credat illum, dum anno 1078. ad causam dicendam Romam accessit, fuisse tunc octogenarium? Fuisset enim in tali ætate, impar itineri suscipiendo.

Anonymus Bedæ continuator lib. 3. cap. 27. mortem Berengarii anno 1087. die 6. Januarii assignat, idemque facere videtur Guillelmus Malmesburiensis, qui mortem Berengarii quæ die Epiphaniæ contigit, hoc est die 6. Januarii, Guillelmo Conquestore regnante collocat: ergo figendus annus 1087. cum Guillelmus Conquestor ex omnibus Chronicis Anglicis & Andegavensibus anno 1087. 6. Idus Septembris mortuus sit; Idemque habeat Clarius de Guillelmo Conquestore in Chronico S. Petri vivi Senonensis p. m. 747.

Eo autem processit fabula de Berengarii pœnitentia sequentibus temporibus, apud Scriptores recentiores, ut non tantum pœnituisse ab anno 1080. vel 1083. sicut Joannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 492. asserant, sed fabulæ fabulam adjicientes, pœnitentiam ipsi & emendationem erroris, ab anno 1059. ad mortem assignent. Joannes Brompten in Chronico Jorewallensi, editionis Londinensis 1652. col. 952. hæc habet. „Nicolaus tertius Benedicto ejecto sedit in Papatu annis pene duobus. Cujus diebus Gallicana Ecclesia plurimum per Berengarium Turonensem extitit perturbata, qui „*Eucharistiam* non verum corpus Christi, sed figuram temerè asserebat. Contra quem iste „Nicolaus Papa Concilium celebravit, in quo „idem Berengarius errorem suum retractavit, „sicut habetur de *Consecratione* Dist. 2. *Ego Berengarius &c.* Lanfrancus Beccensis Prior tonantem librum contra eundem edidit, quem „*Scintillarum* intitulavit. Post hæc Berengarius sanctè vixit, & obitum suum prædixit. Chronicon istud, quod ab anno 588. ad annum 1198. excurrit, Berengarium ab anno 1059. quo Concilium Romæ à Nicolao II. celebratum est, non tantum erroris pœnitentem facit, sed *sanctum atque prophetam* usque ad mortem, id est *per viginti octo annos*, juxta supputationem Baronii & Mabillonii. Hanc fabulam atque purum mendacium avidis faucibus hausit author *Chronici Archiepiscoporum Laureacensium* membraneus, sed recens Scriptor, cujus verba profert Joannes Mabillon pag. 490. quæ male de ultima Synodo Romana intellexit, cum de Synodo anni 1059. intelligenda sint, à qua ad mortem Berengarii anno 1088. positam, excurrunt anni *viginti octo*. Mendacem audiamus, attentionem enim ille meretur ob mendaciorum multitudinem.

Tum Berengarius Roma discedens Turones venit, ibique in insula qua S. Cosma dicitur, seculi pompis abrenuntians, ferè per viginti octo annos assiduè Domino militavit. Aliique plures Canonici S. Martini, Sancto Spiritu, necnon salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus se se ad insulam contulerunt. Hæc verba *mutatis vestibus* indicant Berengarium cum sociis, habitum austerioris ac pœnitentis vitæ induisse: quod de Monastico nonnulli interpretati sunt, quanquam eam in Ecclesiam post aliquot annos admissi sint Canonici Regulares, ut suprà dictum est.

Petrus Lambecius Libro 2. seu Tomo 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. pag. 639. meminit *Chronicorum duorum* MSS. in Imperiali Bibliotheca, quorum Primum membraneum in 4. continet *Catalogum Archiepiscoporum Laureacensium & Episcoporum Petaviensium seu Passaviensium* ab anno Christi CCL. ad annum MCCCXIII, cujus initium hoc est, *Anno Domini CCL. Philippus cum Philippo filio suo regnat &c.* Aliud Chronicon chartaceum in fol. nondum certo numero distinctum de quo pag. 653. Lambecius, continet à fol. 335. ad fol. 387. *Catalogum Archiepiscoporum Lauriacensium & Episcoporum Pataviensium* per N. Schreitwein collectum ad Fredericum III. Romanorum Imperatorem, cujus initium Præfationis, *Priscorum charitatem ad nos patrum &c.* Ipsum autem opus incipit, *Cæterum perlustrando historias &c.* Perducit Schreitweinus hanc *Historiam Lauriacensem & Pataviensem*, usque ad Vdalricum nominis 3. Episcopum Pataviensem, cognomine *de Nusdorf*, qui anno Christi 1452. electus est, in quo suam narrationem concludit. Cum *Chronicon primum* membraneum sit, de eo intelligendus videtur Joannes Mabillon: sed cùm de variis rebus argumento non convenientibus agat, & ad annum MCCCXIII. perveniat, hinc Mabillonius judicet, qua fide in rebus Berengarii dignus sit. In his quæ dixit, plura sunt mendacia, quam verba. Nam 1. mendacium est, quod Berengarius *per viginti octo annos in insula S. Cosma assiduè Domino militaverit.* 2. mendacium est quod *seculi pompis abrenuntiaverit, vel Monasticam vestem assumpserit*, ipse Monachorum qui tunc temporis dominabantur, hostis acerrimus. 3. mendacium, quod *plures Canonicos S. Martini, mutatis vestibus, ad hanc insulam invitaverit.* Insula enim S. Cosmæ cella tantum erat seu solitudo cum Ecclesia par-

parva, ubi primum anno MCII. Canonici Regulares instituti, annis XIX. vel XX. post mortem Berengarii, ut superius dictum fuit. Atque hæc de Berengarii vita & libris satis sint.

CAPUT QUINTUM.

QUANTIS LAUDIBUS BERENGARIUM PROSECUTI SINT, SCRIPTORES ILLI SUPPARES SEU COÆTANEI.

NOn autem unus sed plures ex Scriptoribus synchronis, magnam Berengarii virtutem posteritati commendarunt, ex quibus primus illius olim discipulus Hildebertus, Cænomanensis posteà Episcopus, tumque Turonensis Archiepiscopus, qui Magistrum apprimè noverat, insigne virtuti ejus reddidit testimonium, in Epitaphio quod in laudem ejus elegantissimum composuit, tantâ facundiâ, ut metas etiam æquitatis, à nonnullis Berengarii æmulis, excessisse arguatur. Tale illud est:

EPITAPHIUM

BERENGARII ANDEGAVENSIS ARCHIDIACONI, AB HILDEBERTO TURONENSI ARCHIEPISCOPO, ILLIUS OLIM DISCIPULO, COMPOSITUM.

QUem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacræ fidei fastigia summa tenentem,
Jani quinta dies abstulit, ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies & perfida mundo,
Qua dolor & rerum summa ruina fuit.
Quâ status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria cleri,
Qua cultor juris, jure ruente ruit.
Quidquid Philosophi, quidquid cecinere Poetæ,
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior & major sapientia majus adorta,
Implevit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam volvit, vox protulit, actio prompsit;
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas:
Quo minor est quisquis, maximus est hominum.
Cui sensus peperit, partos servavit honores:
Cui potior pauper divite, jusque lucro,
Cui nec desidiam, nec luxum, res dedit ampla:
Nec tumidum fecit, multus & auctus honos,
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit:
Sed doluit, quotiens cui daret hæc, aberat.
Qui non cessavit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando, pauper & ipse fuit.
Cujus cura sequi naturam, legibus uti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso,
Nil vacuum sensu, dicere vel facere.
Lædere nec quenquam, cunctis prodesse, favorem
Et populare lucrum pellere, mente, manu.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quamque Libido
Incertos superat, tam superavit eam.
Quem natura parens cum mundo contulit, (inquit)
Degenerant alii, nascitur iste mihi.
Quæque vagabatur, & penè reliquerat orbem,
Inclusit sacro pectore justitiam.
Vir sacer à puero, qui quantum præminet orbi
Famâ, tam famæ præminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cum totum pervolet orbem:
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque gravis, vir sic in utroque modestus,
Livor ut in neutro rodere possit eum.
Livor enim deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit & odit eum, quam modo laudat, amat.
Quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit:
Et queritur celeres hujus abisse dies.
Vir verè sapiens, & parte beatus ab omni,
Qui cœlos animâ, corpore ditat humum,
Post obitum vivam secum, secum requiescam:
Nec fiat melior sors mea sorte suâ.

Extat hoc Berengarii Epitaphium editum ab Anonymo, qui Historiam Bedæ *De rebus Gestis Anglorum* continuavit lib. 3. cap. 27. pag. 342. & 343. inter Historicos Angliæ Heidelbergæ anno 1587. in folio editos. Ab illo postea accepit verbo tenus Guillelmus Malmesburiensis, Libro 3. *De Gestis Regum Anglorum* in *Guillelmo pr. mo* pag. mihi 113. editionis 1601. Francofurti apud Aubrios, in folio. Baronius ex illo ad annum 1088. Denique Jacobus Hommey Ordinis Eremitarum, D. Augustini, illud ex MSS. Codicibus edidit anno 1684. *in Supplemento Patrum*.

Aliud ipsi composuit eodem tempore, vir Hildeberto nec pietate nec eruditione inferior, Baldricus Dolensis Archiepiscopus, quod extat tomo IV. *Historicorum Franciæ veterum* ab Andrea Duchesnio collectorum pag. 259. his verbis.

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguere Magistro.
Porro Latinorum facundia florida marcet,
Invida fors Turonis, ubi tantum lumen ademit.
Clauditur in Jano, tibi doctor, janua vitæ,
Vel magis in Jano patuit tibi janua vitæ.
En tua magne senex jacet hoc sub fornice globa,
Ad reditum propriæ suspirans conditionis.
Promittatque licet veniam tibi spes meritorum,
Hanc tamen accelerer lector, pia vota vovendo.

Anonymus ille Anglus, quem opinor esse Sulcardum Westmonasteriensem Monachum circa annum 1000. vel 1110. scribentem, lib. 3. cap. 27. magnis etiam Berengarium laudibus exornat, licet ejus de Eucharistia doctrinæ se inimicum fateatur. Quem illic loquentem audire juvat, cum nullam adulationis speciem habeat, illumque Guillelmus Malmesburiensis loco citato, verbotenus exscripserit, cui dubio procul ætate posterior est.

„Fuit hoc tempore Berengarius Turonensis „hæresiarcha, qui panem & vinum in altari apposita, post consecrationem Sacerdotis, verum „& substantiale corpus Domini (sicut sancta „prædicat Ecclesia) esse denegabat. Jamque „scatebat omnis Gallia, ejus doctrinâ per egenos „scholares, quos ipse quotidiana stipe sollicitabat, disseminatâ. Vnde suliditati Catholicæ „timens Sanctissimæ memoriæ Leo Papa, Vercellis contra eum instituto Concilio, tenebras „nebulosi erroris, Evangelicorum testimoniorum fulgore depulit. Sed cum post obitum „ejus, virus hæreseos diu in finibus quorundam „nebulonum confotum, iterum erumperet: „Hildebrandus cum Archidiaconus esset, Turonis; mox Papa, Romæ adunatis Conciliis, convictum ad dogmatis sui anathema compulit: „quæ scripta suis locis, qui desiderat, inveniet. „Responderunt ei libris Lanfrancus Archiepiscopus, sed præcipuè & fortiter Guitmundus „prius Monachus de Sancto Leufredo Nortmanniæ, posteà Episcopus Aversanus Apuliæ, „nostri temporis eloquentissimus. Porro licet „Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæresium defensione infamaverit, ævo „austeriore ita resipuit, ut sine retractatione à „quibusdam habeatur *Sanctus*: innumeris bonis, maximè autem humilitate & eleemosynis „approbatus, largarum possessionum dispertiendo dominus, non abscondendo & adorando famulus. Fœmineæ venustatis adeo parcus, „ut nullam conspectui suo pateretur admitti, „ne formam videretur delibasse oculo, quam „non ptuerat animo. Non aspernari pauperem, non adulari divitem, secundum naturam vivere; habens victum & vestitum, juxta Apostolum his contentus esse. Vnde eum laudat Cenomanensis Pontifex *Hildebertus*, imprimis versificator eximius, cujus verba propterea inserui, ut prædicabilis Episcopi affectum in Magistrum ostendam. Simul & doctrina ejus erit exemplo posteris, quo quomodo vivi debeat instituit: etsi fortasse metas veræ laudis amore incitatus transilierit. „

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit &c.

Videas in his verbis, quod laudis excesserit modum Episcopus, sed si se ostentar eloquentia, tali gestu procedit aureus lepos, eo modo
Fundit purpureos dives facundia flores.
Berengarius planè, quamvis ipse sententiam correxerit, omnes tamen quos ex toris terris depravaverat, convertere nequivit. *Adeo pessimum est, alios exemplo vel verbo, à bono infirmare, quia fortasis peccatum te gravat alienum, cum deletum fueris tuum.* Quod Episcopum Carnotensem *Fulbertum*, quem Domini mater *Maria* olim ægrotum lacte mamillarum suarum visa fuit sanare, prædixisse ajunt. Nam cum in extremis positum multi visitarent, & ædium capacitas vix confluentribus sufficeret: ille inter oppositas catervas, oculo longè rimatus, *Berengarium* nisu quo valuit, expellendum censuit: protestatus immanem Dæmonem prope eum consistere, multosque ad eum sequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere. Quin & ipse die Epiphanicorum moriens, gemituque producto recordatus, quot miseros quondam adolescens primo erroris calore, sectâ suâ infecerit: *Hodie* (inquit) *in die apparitionis sua apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter pœnitentiam ut spero ad gloriam: vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.*
Eadem ad verbum transcripsit Guillelmus Malmesburiensis, Libro 3. *De rebus gestis Regum Anglorum* in Guillelmo primo, pag. 113. editionis Francofurtensis anni 1601. apud Aubrios fratres. Vbi tamen multa sunt, quæ fabulas olent, quale illud postremum est, quod Fulbertus Berengarium ob hæresim sparsam, in morte aversatus sit: longe enim post Fulberti mortem, opinionem suam de Eucharistiæ sacramento, Berengarius disseminavit, quæ Fulberti ætate nunquam audita est. Atque hæc de Berengario satis sint, post Johannem Mabillon Tomo 2. *Analectorum* pag. 477. Parisiis anno 1676. in 8. & Franciscum de Roye in Opusculo *De Vita, hæresi & pœnitentia Berengarii*, Andegavis anno 1656. in 4. edito, quorum uterque in argumento hoc tractando operam atque oleum suum perdiderunt.

HELGALDVS sive HELGAVDVS FLORIACENSIS MONACHVS, quem Guillelmus Cavus præteriit, ex Ordine divi Benedicti, 1010

ĉti, circa annum 1050. scripsisse dicitur *Vitam Roberti Francorum Regis, filii Hugonis Capeti* seu *Capitonis*, cui testamentum Leodeboldi Abbatis S. Aniani præmissum est. Edita primum illa ex Bibliotheca Petri Pithæi Trecensis ac Parisiensis Causidici, anno 1596. Francofurti in folio Wechelianis typis, inter *undecim veteres Historiæ Francicæ Scriptores*, ab anno 900. ad 1283. Recudit illam posteà in Collectaneo suo *Historicorum Franciæ Coætaneorum*, Andreas Duchesnius, quem videas. De *Helgaldo Floriacensi Monacho*, Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* c. 44. p. m. 345.

1050. WIPPO seu WITPO GERMANUS PRESBYTER, Henrici III. Imperatoris Sacellanus, quem Guillelmus quoque Cavus omisit, circa seculi undecimi medium clarus, scripsit *Panegyricum in laudem Henrici III. Imperatoris*, editum tomo 2. *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii. Scripsit quoque *Vitam Conradi Salici, patris Henrici tertii*, quam huic Henrico III. Conradi hujus filio dedicavit, evulgatam ex Manuscriptis Codicibus ab Joanne Pistorio tomo III. pag. 421. Collectionis suæ *De Veteribus Rerum Germanicarum Scriptoribus*, quæ prodiit 3. in folio tomis Francofurti typis Wechelianis, annis 1582. 1584. & 1607. Agunt de *Wippone* Pistorius & Canisius in *Præludiis* ad ejus Opuscula quæ evulgarunt. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 345.

1050. EVERWINUS SANCTI MAURITII TOLEIENSIS ABBAS, quem Guillelmus Cavus omisit, in Agro Trevirensi, Cluniacensis congregationis, circa anoum MXL quo Conrado II. Henricus III. successit, clarescebat. Luculenter retulit in literas *Vitam S. Symeonis Syracusani, Trevirensis Monachi*, quam Laurentius Surius repræsentat tom. 3. ad diem 1. Junii, eamque Popponi Trevirorum Archiepiscopo dedicavit. Quam vero gratam is habuerit operam *Everwini*, inde conjectu difficile non est, quod Poponis hujus instantiâ Benedictus Papa Symeooem illum in Sanctorum numerum retulerit: quemadmodum à Joanne Trithemio, in *Chronico Hirsaugiensi* proditum est, ad annum MXX. Attribuitur hæc à nonnullis *Ebervino Abbati Sancti Maximini Trevirensis*, sed temporum ratio reclamat: obiit enim S. Symeon anno 1035. die 1. Junii, quo tempore prædictus *Ebervinus* in vivis jam esse desierat. Quomodo ergo mortuus, Abbas Sancti Maximini Trevirensis Ebervinus, scripsisset *Vitam Sancti Symeonis* sibi superstitis, nisi post mortem ab ipso Symeone suscitatus, quod non facile concesserim. Affinitas autem nominum *Ebervini* & *Everwini*, occasionem præbuit errandi. . . Hæc Arnoldus Wion in *Ligno Vitæ*, at post ipsum Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Addo ego in Catalogo *Abbatum Sancti Maximini Trevirensis*, quem habes tomo 4. *Galliæ Christianæ*, nullum hujus nominis Abbatem inveniri. Insuper eodem teste Trithemio, *Gesta memorati Popponis Trevirensis Archiepiscopi*, literis ab Euerwino, mandata fuerunt. De illo Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 345.

EVERHELMUS ABBAS ALTIMONTIS IN HANNONIA, quem Guillelmus Cavus omisit, ex Ordine divi Benedicti, quem apud Altum Mootem prope Malbodium professus est, factus deinde hujus loci ordine XVIII. Abbas anno 1048. Scripsit fuse *Vitam Sancti Popponis æqualis sui & consanguinei, Abbatis Stabulensis*, anno 1048. mortui, quam Laurentius Surius & Joannes Bollandus ad diem 25. Januarii retulerunt. Fuisse æqualem Popponi, ut dicebamus, arguit illud, quod ei morienti adfuit, ut legere est Vitæ ejus cap. 24. Popponem autem fuisse temporibus Henrici III. hoc est, ejus qui Othoni III. successit, quique Successorem habuit Conradum, indicant hæc verba cap. 9. *Erat interea viro Dei iter ad Henricum, Romani potentatus Imperatorem, post Othonem juniorem.* Et ista cap. 15. *Accidit interea, Henricum Imperatorem vivendi finem facere, Conradumque in Regno habere successorem.* Vbi satis liquet, signari Conradum Salicum, Henrici Nigri parentem. Videndum autem, ne eum hoe opere Euerhelmi *De Vita Sancti Popponis Abbatis Stabulensis*, confundamus opus Everwini *De Vita Popponis Trevirensis*: de quo paullò ante loquebamur. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* capite 44. pag. 369. ultimæ editionis, quem hic integrè expressimus. Inde Everhelmus ex Abbate Alti Montis, anno 1058. factus est Abbas Sancti Petri Gandavensis, ubi anno 1069. mortuus est. Vide Bollandum de illo in Præludiis ad *Vitam Sancti Popponis* die 25. Januarii, & Sammarthanos fratres tomo 4. *Galliæ Christianæ* in *Altimontis* & *Sancti Petri Gandavensis* Abbatibus. Valerium Andream in *Bibliotheca Belgica* pag. 213. editionis ultimæ anni 1643. Lovanii in 4. 1050

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS MICHAELIS CONSTANTINI PSELLI.

PROLOGVS.

EDidit Leo Allatius *De Psellis & eorum Scriptis Diatribam* ad Jacobum Gaffarellum D. Ægidii Priorem quæ anno 1634. Romæ apud Mascardum in 8. impressa fuit, quam anno 1712. ad calcem Tomi V. *Bibliothecæ Græcæ* in 4. recudendam voluit apud Christianum Liebezeit, Hamburgi Joannes Albertus Fabricius Sacræ Theologiæ Professor, cum Leonis Allatii *De Nilis & eorum Scriptis Diatriba* ad editionem Romanam anni 1668. ad Stephanum Gaddium amicum intimum, qua Nilos circiter XX. Scriptis celebres recenset. Adjunxit quoque Fabricius idem Opusculum tertium Leonis Allatii Parisiis anno 1644. apud Sebastianum Cramoisy editum, nempe *De Libris Ecclesiasticis Græcorum Dissertationes duas*, alteram ad Clarissimum & eruditissimum virum Gabrielem Naudæum, alteram ad Joannem Aubertum operibus multis celebrem. Quæ omnia Allatii Opuscula justam Tomi V. *Bibliothecæ Græcæ* Alberti Fabritii spissitudinem efficiunt. Porrò ut hanc Leonis Allatii Diatribam *de Psellis & eorum Scriptis* Fabricius adornaret, adjecit illi in Supplementum quoddam, *Michaelis Pselli Διδασκαλίαν παντοδαπὴν*, sive *De Omnifaria Doctrina* Capita & Quæstiones ac Responsiones CXCIII. ad Michaelem Ducam Imperatorem Constantinopolitanum à pag. 69. ad Operis finem, ex Apographo Lindenbrogiano, quod extat Hamburgi in Bibliotheca Sancti Joannis, Græcè nunc primum editas & à Joanne Alberto Fabricio Latinè versas. Opusculum porrò istud Allatii de *Psellis*, septem duntaxat Psellos complectitur: quorum principalis ac Princeps, Michael Psellus Michaelis Ducæ Imperatoris Præceptor ab anno Christi 1050. clarus, qui Opusculum penè totum occupat, nempe à Sectione 21. seu potius 12. usque ad 77. ex octoginta quibus constat. De primo Psello qui Michael Balbus Imperator est ab anno Christi 820. ad 829, agit tantum breviter Sectione I, quem nullus *Psellum* appellasse legitur, ac qui nihil scripsisse perhibetur. De secundo Psello, qui Leonis Byzant. Philosophi Præceptor, Photii discipulus, circa annum Christi 870. clarus, agit Sectione 2. ad 11. cujus pauca carmina Sectione 3. refert, de quo loquitur multis, non ut scripta illius recenseat, sed ut errores Lilii Giraldi imperitè de illo loquentis arguat, nimirum à Sectione 4. ad usque undecimam, de quo Sectione 6. inquit: *De quo an aliquid scripserit, adhuc dubitamus.* Nam quæ à Sectione 12. ad 20. habentur, spectant ad Simeonem Metaphrastem, cujus Encomiastem fuisse putat aut Βιόγραφον, Michaelem Psellum juniorem, Michaelis Ducæ Imperatoris Præceptorem: quod falsissimum esse, ad annum 1150. in Dissertatione *De Vita & Scriptis Symeonis Metaphrastis* posteà ostendemus. De quarto Michaele Psello Medico sub Constantino Porphyrogenneta circa annum Christi 940, agit tantum Sect. 71. ac incertum est, an aliquid scripserit. De Michaele Psello quinto Sect. 79. qui sub Theodoro Lascari militiam professus, immeritò hic inter Scriptores à Leone Allatio recensetur. De Sexto Joanne Psello Sectione 49. & 80, item De Septimo Constantino Psello Sectionibus 50. & 80. ita paucis atque incertis, ut inter Scriptores enumerari non mereantur. Vnus ergo Michael Constantinus Psellus, Michaelis Ducæ Imperatoris Præceptor, celeberrimus ille Philosophorum princeps, eximius Theologus, Medicus doctissimus, Historicos inter clarissimus, ab incredibili Operum quæ de omni argumento scripsit multitudine, Πολυγραφώτατος appellatus, est argumentum fere totius hujus Diatribæ de Psellis Allatianæ à Sectione 21. vel potius 12. totius Operis ad finem usque, qui ab anno circiter ML usque ad annum MCV vel MCX, sub Imperatoribus octo Constantinopolitanis, à Constantino Monomacho ad XXV. annum Alexii Comneni vel circiter, per annos nonaginta vel amplius, diversam expertus fortunam, vixisse creditur. Præclarè autem Leo Allatius *Michaelis Pselli* pueritiam & juveniles mores describit hujus Diatribæ Sectionibus 21. & 22. his verbis. „Tertius fuit Michael Psellus Michaelis Ducæ Præceptor, qui maximè omnium de Republica literaria meritus, honorificam sui apud posteros memoriam consecravit, ita ut reliquos ejus cognominis acumine ingenii, eruditionis copiâ, profunditate scientiarum, argumentorum varietate, multitudine Scriptorum & splendore gloriæ obruerit. Quare aliorum extinctâ, & ut ita dicam obliteratâ memoriâ, ipse solus nomen illud meruisse videtur. Sic Poetam & Oratorem cum dicimus, Homerus nobis atque Demosthenes, de Græcis loquor, statim sese offerunt, mentisque oculis repræsentant. Fuit Constantinopolitanus patriâ, è Consulum ac Patriciorum prosapia, quamvis non tam felici fortunâ. Ipse id ait de se in Epitaphio Matris. Τῷ τοίνυν ἐμῷ πατρὶ τὸ μὲν ἄνωθεν γένος εἰς Ὑπάτους ἀνῆκτο, καὶ Πατρικίους. τὰ δὲ κατ' ἐκεῖνον πράγματα οὐχ οὕτω δεξιῶς εἶχεν. *Patris igitur mei genus antiquum ad Consules & Patricios re-*

„referebatur, res verò ipsius non nimis prosperè se „habebant. Post duas fœmellas tertio ipse „partu, multis matris suspiriis, & ad Deum „precibus effusis, in lucem editur. Mirum „est, quod in ejus ortu narratur, nullas eum „lachrymas profudisse, neque usquam posteà „in maximis etiam necessitatibus plorasse, sed „semper ætate illa tenella lætos ac puniceos „oculos habuisse: tantum parentis, nullisque „aliis quam maternis, ad quæ vel usu vel sen„tentia ferebatur, uberibus inhiasse. Quin„quennis præceptori traditur, adeoque robu„stè studiorum pondus excepit, ut ludicra o„mnia, præter literarum studium, quo summè „delectabatur, sordescerent. En illius affe„ctum, ejusdemmet verbis expressum. Ἐν„τεῦθεν ἄν ἡ μήτηρ πρὸς τὰ κρείττω χειραγω„γουμένη ἐς πέμπτον ἔτος τελέσαντα διδασκά„λῳ ἐφίστησι. καὶ ἦν μοι τὸ μάθημα οὐ μόνον „τὸ εὔχερες, ἀλλὰ καὶ ἡδὺ ἀντ' ἄλλης τινὸς „παιδιᾶς. Ἠνιώμην γοῦν, εἰ μή μοι διὰ πά„σης ἡμέρας διδοίη τὰ παιδικά. καὶ ἦν μοι „παιδιὰ μὲν ἡ σπουδή, σπουδὴ δὲ παιδιά, οὐχ „ὡς ταῦτα παίζουσι, ἐκεῖνα δὲ σπουδάζουσι &c. I. e. *„Hinc igitur mater ad meliora manuducens, quinto „ætatis anno Magistro commendat. Et erat mibi di„sciplina non tantum facilis, sed dulcis præ quolibet „alio ludo. Ægrè itaque ferebam, si mihi per totum „diem delitias non suggereret. Eratque mihi ludus „studium, studium ludus, non quod hoc ludibrio habe„rem, illi verò incumberem.* Ætate grandiore, „dum inter parentes non convenit, cuinam stu„diorum generi addicendus esset, Joannes Chry„sostomus & Apostoli, Matri in somnis visi, de„cernunt. Hinc disciplinarum quam volupta„tum cupidior, æqualibus in studio superatis, „non longo intervallo ad suprema quæque do„ctrinarum culmina gradum fecit, omnibusque „innotuit. Hæc ipse prolixè nimis, Oratione „in Matrem prosequitur, & ex eo Anna Comne„na *Alexiados* lib. V. brevissimè concinnavit, „dum de Italo verba faceret." His de pueritia Michaelis Pselli præmissis, jam tempus est, ut ad Dissertationem nostram veniamus, quæ virilem & perfectam viri clarissimi ætatem complectitur. Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

VITA ET OPERA MICHAELIS PSELLI PAUCIS ENARRANTUR.

1060. MICHAEL CONSTANTINUS PSELLUS, Philosophus & Theologus Maximus ab anno circiter 1061. ad a. 1074. celebris fuit sub Imperatoribus Orientis, Constantino Duca & filio illius Michaele Duca qui ad an. 1077. à 1071. Imperium tenuisse legitur, cui dudum fuisse superstes etiam videtur. Præfectus fuit Michaelis Ducæ Imperatoris educationi qui Constantini Ducæ filius, & anno 1071. Romano Diogeni in regimine Orientalis Imperii successit. Floruit itaque Psellus primum ab anno circiter 1050. sub Constantini Monomachi imperio, & sequentibus, insignis ævo suo ob magnam rerum Philosophicarum & Theologicarum, humanarum ac divinarum scientiam, quam plurima ejus Opuscula tam impressa quam etiam manuscripta in variis adhuc Bibliothecis latitantia probant. *Constantinus* etiam *Psellus* appellatus, & ex Cedreno colligitur, Psellum non tantum sub Michaele Duca cujus præceptor fuit, sed floruisse etiam sub Imperatoribus Michaele Stratiotico, cujus legationem ad Isaacum Comnenum obivit, sed sub ipso Isaaco Comneno, Constantino Duca, Romano Diogene, Michaele Duca, cujus præceptor fuit. Eximie virum commendat Georgius Cedrenus, legationem supra dictam commemorans, ubi inquit: *Comnenus fractu dissipatisque hostium viribus, Nicomediam venit. Ibi ei occurrerunt Legati Imperatoris, Præses Constantinus Leichudes, Præses Theodorus Alepus, Constantinus Psellus Philosophorum princeps. Etenim hi tres viri sapientia & facundia, omnium qui vivebant primi habiti, & quidem extra sortis comparationem Psellus, ad eam legationem fuerant delecti: quod Imperator, eorum eloquentia & gratia, se maxima consecuturum sperabat.* Eundem commendat Anna Comnena Lib. V. *Alexiados*, loquens de Italo Philosopho: *Deinde etiam*, inquit, *Michaeli Psello dedit operam, illi latè inclito homini, non tam cura Magistrorum sapientum, quorum limina non multum triverat: quam indolis præstantia & velocitate mentis divinitus adjuta (id videlicet impetrantibus ardentissimis per crebras vigilias continuatis matris ejus precibus, in templo S. Cyri, ad sanctam imaginem Dei Matris, haud sine ferventibus lacrymis fundi solitis) in eminentissimum sapientiæ atque eruditionis omnis apicem, evecto. Quippe qui ad Græcorum literas atque artes omnes quas perfectè noverat, etiam Chaldæorum disciplinas adjunxerat, famamque meruerat Doctissimi omnium, qui tunc essent.* Ex his porrò Annæ Comnenæ verbis, non tantum vixit Michael ille Psellus sub Michaele Duca, sed etiam sub Imperio Nicephori Botoniatæ ab anno 1078. ad 1080, sed dudum etiam sub Alexii Comneni imperio, ut nonnulli etiam vitam Michaelis Pselli ad annum 1105. & Alexii Comneni 25. extendant. Atque ita Jacobus Pontanus in Præfatione ad *Dioptram Philippi Solitarii* & Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* ibidem Tomo 2. verbo *Philippus Solitarius*. Sanè cum hæc *Dioptra* anno Christi 1105. conscripta sit, atque in eam Præfationem & Notas hic noster Psellus adjecerit, necessario ad annum usque Christi 1105. & Alexii Comneni 25. superstes esse debuit.

Spectant ad Michaelem Psellum *Paraphrasis metrica* seu *Carmina in Cantica Canticorum*, ad Nicephorum Botoniatam Imperatorem, quæ prodiit Latine Venetiis anno 1573. in 4. Antuer-

piæ

piæ 1615. in 8. Græce ſtudio Joannis Meurſii, Lugduni Batavorum 1617. in 4. Hæc inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis ter, Codicibus 56. 169. num. 8. & Cod. 212. inſcripta *Explanatio Cantici Canticorum, verſibus ut vocant Politicis, cum præfatione ad Imperatorem Nicephorum* Botoniatam.

Ejusdem *Commentarius in Cantica Canticorum* ex tribus Patribus, Gregorio Nyſſeno, Nilo & Maximo, uti creditur a Pſello collectus, Latine ſæpius inter Opera Theodoreti prodiit: Græco-latine vero in *Auctario* Frontonis Ducæi tomo 2. pag. 681. Idem forſitan, qui in Bibliotheca Galliarum Regia, Codice 3443. folio 5. inſcribitur ejusdem *Pſelli Commentarius in Cantica Canticorum.*

Ejusdem *Capita quadam de Trinitate & perſona Chriſti*, ad Michaelem Imperatorem, Græce & Latine cum Notis Woëgelini, Auguſtæ 1608. in 8. Idem Opus MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos, Codicibus 77. & 166. num. 1. de quibus Lambecius tomo 3. & 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ.

Jambi in Vitia & Virtutes, & Anagoga in Tantalum & Circen & Allegoria de Sphinge, editi Baſileæ Græce & Latine, anno 1544. in 8. Idem *Opus in Virtutes & Vitia* manuſcriptum in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice LX.

Ejusdem *Oratio Panegyrica in Symeonem Metaphraſtem*, quæ Latine apud Surium ad diem 27. Novembris: Græce autem & Latine apud Leonem Allatium in Diatriba *De Symeonum ſcriptis* pag. 221. Itemque *Officium ad ejus laudem à Pſello compoſitum*, quod Græce & Latine ibidem pag. 236. Vtrumque Opus eductum à Leone Allatio, ex MS. Codice Bibliothecæ ſuæ ut habet in Diatriba *De Symeonum ſcriptis* pag. 69. de qua tamen controverſia magna eſt, aliis hanc vitam Pſello ſeniori, ut Baronius, attribuentibus: aliis vero Pſello Juniori, ut Leo Allatius, ſed tantum ex conjectura, ut fatetur in dicta Diatriba, pag. 68. Aliis Pſello cuidam nominis tertio, ad annum 1180. viventi, uti nos fecimus, ad annum allatum.

Synopſis Legum Verſibus Jambicis & Politicis. Carmina politica de Dogmate. Carmina de Nomocanone, Libellus de ſeptem ſacris œcumenicis ſynodis: quæ Opuſcula Pſelli quatuor Græce & Latine cum Notis edidit Franciſcus Boſquetus, Pariſiis anno 1632. in 8. Opinor idem hoc Opus Integrius extare in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter Codices Manuſcriptos Theologicos Græcos, Codice 285. de quo Lambecius tomo V. Commentariorum ſuorum hujus Bibliothecæ pag. 238. Illic Ejusdem *Pſelli Carmina quinque ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum verſibus Politicis*, quorum primum *In inſcriptiones Pſalmorum Davidicorum*, Secundum, *De Pſalmorum Davidicorum compoſitione, uſu & tranſlatione in linguam Græcam.* Tertium, *De Dogmatibus fidei Chriſtianæ.* Quartum, *De Nomocanone Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani, & de Conciliis ex quorum Canonibus collectus eſt.* Quintum denique, *De ſeptem primis œcumenicis ſynodis.* Hæc pauca de Theologicis Pſelli Opuſculis impreſſis, de Philoſophicis autem ne prolixior ſim, vide Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo XI. ad annum 1050. pag. 606. ubi ea accurate recenſet. Plurima autem adhuc tum Theologica & Hiſtorica, tum Philoſophica Michaelis Pſelli Opera, extant MSS. in inſignioribus Europæ Bibliothecis, ex quibus tibi quæ mihi ex aliorum relatu cognoſcere datum eſt, paucis aperiam.

Ad calcem *Apparatus ſacri* Antonii Poſſevini, pag. 46. ex Catalogo MSS. librorum variis in locis Græce Conſtantinopoli extantium, legitur *Hiſtoria MS. Michaelis Pſelli*, de qua nos uberius poſtmodum. Ibidem pag. 49. Conſtantinopoli apud Manuelem Eugenicum, *Explicatio Michaelis Pſelli in Pſalterium Davidis*, MS. Ejusdemque *Pſelli Scholia in Gregorium Nazianzenum.* Ibidem *Novem libelli Epiſtolarum*, in quibus quarto loco ſunt, eæ quas ſcripſit Michael Pſellus.

Item pag. 52. in Bibliotheca Cæſarea Viennenſi, *Michaelis Pſelli tractatus de Synodis*, & ejusdem *Epitome de libris Moyſis.*

In Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis, Codice 38. folio in cartha, *Pſelli interpretatio in Cantica Canticorum verſibus Politicis, atque Ænigmata ejusdem Pſelli.* Ibidem Codice 48. in 4. Carthaceo, *Michaelis Pſelli in Cantica Canticorum verſibus Politicis.*

In Bibliotheca Auguſtana Codice 73. *Michaelis Pſelli Diopera ſeu ſermones quatuor*, quibus Diſputatio inter animam & corpus continetur allatis diverſorum ſanctorum Patrum teſtimoniis. Item *Quaſtiones Theologica cum reſponſionibus ad Michaelem Ducam Imperatorem.*

In Bibliotheca Vaticana ex propriis Codicibus, *Pſelli Scholia in dictum Baſilii*, τὸ ἐν τῷ ἀπολόγῳ τῆς ἑξαημέρου τὸ οὕτω φάσκον, διὰ τοῦτο οἱ μὲν ἐπὶ τὰς ὑλικὰς ὑποθέσεις κατέφυγον, τοῖς τοῦ κόσμου στοιχείοις τὴν αἰτίαν παντὸς ἀναθέντες, καὶ τὰ ἑξῆς. *Quod in Apologo Hexaemeri ſic habet: Propterea qui ad materialia argumenta confugerunt, mundi elementis cauſam totius attribuentes, & quæ ſequuntur.* Ejusdem, εἰς τὴν ἀνακομιδὴν, *in geſtationem Reliquiarum*, apud Metaphraſtem, menſe Auguſto. Ejusdem *Expoſitio dictorum Chaldaicorum.* Ejusdem *in leges*, & alius liber, *De legibus. Collatio utilis ex libro Parallelorum.* Ejusdem *ordo & Canon in Vitam Metaphraſtes.*

Atque etiam in eadem Vaticana ex MSS. Codicibus Heidelbergenſibus, Codice 356. *Pſelli Epiſtola 33.* vel circiter. Codice 361. *Pſelli diſquiſitio ſuper cauſis incarnati Dei Verbi.* Codice 383. *Michaelis Pſelli Doctrina omnifaria capitibus CXCIV. comprehenſa, & Michaeli Duca Imperatori*

tori dedicata. Ejusdem *Pselli Quæstiones Physica,* seu *Quæstionum Physicarum compendiosæ solutiones,* ibidem Codice 402. *Pselli ad Vestarchum de Theologico charactere, Responsio.* Hunc Michaelem Psellum eandem inivisse viam cum Michaele Cerulario, Leone Acridæ Metropolitano, Petro Patriarcha Antiocheno, Niceta Stethato seu Pectorato, constat: quem veluti in Ecclesiam Latinam iniquiorem, Schismaticis annumerat Josephus Methoneosis Episcopus in *Apologia adversus Marcum Ephesinum:* ipsumque in *Expositione fidei ad Michaelem Ducam,* quæ opus idem mihi videtur cum *Doctrina Pselli omnifaria capitibus 194. comprehensa,* de qua superius, *Michaeli Duca Imperatori dedicata:* ipsumque in *Expositione fidei ad Michaelem Ducam,* affirmasse Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, non uno in loco fatetur Allatius. Hoc tandem Opus Pselli *De doctrina omnifaria* capitibus 194. ad Michaelem Ducam Imperatorem, Joannes Albertus Fabricius S. Theologiæ & Historiæ Professor Hamburgensis, edendum Græce & Latine curavit anno 1712. in 4. nempe ex fide MS. Codicis Græci Bibliothecæ S. Joannis Hamburgensis, Tomo V. *Bibliotheca Græca* parte 2. ubi inseruit Opusculum Leonis Allatii *De Psellis & eorum Operibus,* à pag. 69. ad 184.

Ejusdem *Pselli Solutiones & Expositiones Synopsica variarum quæstionum & Controversiarum de fide ad Imperatorem Michaelem Ducam,* quod idem opus, cum præcedenti creditur, Manuscriptæ in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco, 294. num. 3. Ejusdem *Professio fidei Orthodoxa,* ibidem num. 4. De quibus vide Lambecium tomo V. Commentariorum suorum, hujus Bibliothecæ pag. 255. & 256. cum libro De Physicis principiis & causis ejusdem Pselli, ibidem.

Ejusdem *Oratio in Passionem & sepulturam Christi,* in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CLV. num. 4. *Oratio ad eos qui dicunt, Christum una cum latrone, ingressum esse in paradisum, & de Paradiso intelligibili, ejusque plantis & fructibus divinis,* ibidem num 5. *Oratio in obitum & assumptionem beatissimæ Virginis Deiparæ,* ibidem num. 8. *Oratio in Transfigurationem Christi,* ibidem num. 9. *Oratio in Nativitatem Christi,* ibidem num. 10. De quibus vide Lambecium Lib. 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ.

Ejusdem *Oratio encomiastica in laudem & decollationem Sancti Johannis Baptistæ,* ibidem Codice MS. Theologico Græco CCIX. num. 2. de qua Lambecius Lib. V. Commentariorum hujus Cæsareæ Bibliothecæ, pag 18. ubi eadem Oratio inscribitur his verbis: τοῦ μακαριωτάτου καὶ σοφωτάτου ψελλοῦ ἐγκώμιον εἰς τὸν τίμιον πρόδρομον. Ejusdem *Carmina duo ad Monachum quendam superbum,* ibidem N. 3. & 4. Aliud ibidem num. 5. ad Monachum uvas sibi ex prædio mittentem. Ejusdem *Carmen in laudem Orationis,* ibidem num. 6.

Ejusdem *Oratio Encomiastica simul & historica de Translatione venerandi corporis S. Protomartyris Stephani in Urbem Constantinopolitanam,* extat ibidem in Codice MS. Historico Græco XIV. num. 6. cujus meminit Lambecius Libro 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 101. quam Leo Allatius tribuit Michaeli Psello, in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 102. Item in eodem MS. Codice XIV. num. 73. & quidem à fol. 294. pag. 1. col. 1. usque ad folium 305. pag. 1. col. 2. *Michaelis Pselli Oratio in Decollationem sancti Joannis Baptistæ:* quam recenset Lambecius ibidem. pag. 218. eandemque esse affirmat, cum ea de qua locutus est Lib. V. Commentariorum hujusce Bibliothecæ, pag. 18. quem conferas.

CAPUT SECUNDUM.

QUID SENTIAT LEO ALLATIUS DE PSELLO IN DIATRIBA DE SYMEONUM SCRIPTIS.

INtegrum vobis non exhibuisse Michaelem Psellum viderer, si reticuissem ea quæ in ejus laudem congessit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 69. & 70. licet omnibus quæ illic profert, non assentiar. Sic autem. « Quonam ergo tempore vixerit Psellus auctor « Laudationis in Metaphrastem, parum id re- « fert ad Metaphrastæ ætatem expiscandam, « quæ aliunde & firmissimis argumentis, *ego* « *invalidissimis puto,* habetur. Conferam tamen « ipse nonnulla, ut rebus hisce exercitati & per- « spicacis ingenii viri determinent. Et ante a- « lia propono Auctorem ante illam laudatio- « nem, alia quoque ingenii sui monumenta scri- « psisse. Εἰ γὰρ κἀμοὶ πολλὰ καὶ περὶ πολλῶν « συγγέγραφεται, ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοι τοιοῦτον ζῆλον « καὶ μίμησιν τὰ σπουδάσματα, ἀλλὰ λογίοις « μὲν ἴσως ἀνδράσι φανεῖται περισπούδαστα, καὶ « ζηλώσουσι ταῦτα διὰ τὴν λέξιν, καὶ τὸν ποικί- « λον σχηματισμόν. καταφρονήσουσι δ' οἱ πολλοὶ « ὅτι μὴ μόνον αὐτοῖς ζητημάτων καὶ ἐννοιῶν « ἀποῤῥητοτέρων. *Nam etsi à me multa quoque de* « *multis scribuntur, non habent talem zelum & com-* « *mendationem Opera, sed viris quidem fortasse do-* « *ctis videbuntur digna, in qua studium conferatur:* « *& ea æmulabuntur propter dictionem & varias fi-* « *guras, multi autem contemnent, quod nihil sit eis* « *cura quæstionis & sententiæ nimis arcana.* Alte- « rum est, Michaelem Psellum cujus multa cir- « cumferuntur in quocunque argumenti gene- « re monumenta, sub Constantino Monoma- « cho, & disciplinis & dicendi gloria floruisse. « Hoc adeo perspicuum est, ut nihil divinatio- « ne opus sit. Ipsius enim Orationes post non- « nullas alias & laudationem in Metaphrastem, « extant aliæ Orationes in Codice meo satis an- « tiquo, quem mihi post Diatribam meam *De* « *Psellis,* licet lacerum, madore infirmatum, ti- « neisque depastum conquisiveram. Orationum « initia in Diatriba prætermissa afferam. Pri- «

mæ

„mæ initium tribus lineis mutilum est, Διδόασι
„γὰρ ὑποψίαν ὧν οὐχὶ τὸ ἑκάστου. Secundæ,
„Ἔδει πάλαι, θειότατε βασιλεῦ, τὴν πάντα κρίνου-
„σαν φιλοσοφίαν. Tertiæ, ὦ βασιλεῦ ἥλιε,
„καὶ τίς ἄν με κατασκιάσαιτο ταύτην σοι προσ-
„φυῶς τὴν κλῆσιν. Quartæ, ὦ βασιλεῦ προσ-
„θήκης ἄτερ καὶ συναφῆς, καὶ μόνε τῶν ὄντων
„ἀπαράμιλλε. Quintæ, Μὴ θαυμάσῃς ὦ βα-
„σιλεῦ, εἰ πλείστων λογίων ἀκροασάμενος. Sex-
„tæ, Μέγιστε βασιλεῦ τὸν ὁρατὸν τοῦτον κόσ-
„μον, τὸ μέγα τοῦ θεοῦ δημιούργημα. Septimæ,
„ὡς ἐκ τοῦ βασιλέως τοῦ Μονομάχου πρός τινα
„σοφὸν κατηχούμενον. Principium, Ἀνέγνων
„τὸ γράμμα σου λογιώτατε καὶ σοφώτατε, καὶ
„τῷ ἀμυθήτῳ κάλλει. Ex initiis autem quæ ab
Leone Allatio producta sunt, has esse magis E-
pistolas Pselli, quam Orationes ex suggestu ha-
bitas, facile quisque mecum fatebitur. Fallitur
autem Leo Allatius dum has Orationes seu
Epistolas potius scriptas ad Constantinum Mo-
nomachum existimat, quæ cum nomen Impe-
ratoris non designent, rectius possunt attribui
vel Constantino Ducæ vel ejus filio Michaeli
Ducæ, quam Constantino Monomacho, qui
litteratos viros coluisse non legitur. Pergit
autem Allatius. „Præterea hæc scripsisse
„Psellum ætate adulta, & annis minimum qua-
„draginta natum, colligo ex ejusdem ad Mono-
„machum Oratione secunda, qui satis confiden-
„ter ad ipsum Imperatorem asseverat, non tan-
„tum dicendi artem, sed reliquas disciplinas
„omnes ingenuas jam deperditas, sua industria
„& diligentia fuisse restitutas. Ὁρᾷς ὦ θειότα-
„τε βασιλεῦ, τὸν ἱερὸν τοῦτον καὶ φιλόσοφον
„σύλλογον; τῆς ἐμῆς γεωργίας γεννήματα σύμ-
„παντες, πάντες ἐκ τῶν ἐμῶν ναμάτων πεπώ-
„κασι, καὶ τῆς ἐμῆς πηγῆς ἀπηρύσαντο. καὶ
„νῦν ἠκόνηνται μὲν καὶ πρὸς ῥητορείαν τὴν γλῶσ-
„σαν, οὐχ ὥστε μόνον διαιρεῖν, ἐπιχειρεῖν τε. καὶ
„περιεργάζεσθαι καὶ διαφόροις ἰδέαις τὸν λόγον
„κατακοσμεῖν, ἀλλ' ὥστε καὶ πράττειν συστάσεις
„προβλημάτων, καὶ τὰ ἑξῆς. *Vides o Divinissi-
„me Imperator, sacrum hunc, vereque Philosophum
„cœtum. Omnes sunt meæ culturæ fœtus & germi-
„na, omnes ex meis laticibus ebiberunt, & ex meo
„fonte hauserunt: & nunc quidem lingua ad ar-
„tem dicendi prompti sunt & parati, non tantum ut
„dividant, argumenta ducant, curiose elaborent, &
„variis idearum formis orationem perficiant, sed ut
„& problemata construant* &c. Et infra Καὶ τὴν
„μὲν φιλοσοφίαν σβεσθεῖσαν αὐτὸς ἀνῆψα, δεῖ
„γὰρ ἐν καιρῷ καὶ παῤῥησιάσασθαι. *Et extinctam
„quidem Philosophiam ipse, ut novo lumine illuce-
„ret effeci, necesse est enim cum occasio sese offert,
„suas quemque laudes libere proferre.* Qui artes
„extinctas restituit, illisque restitutis ita alios
„promovet, ut eas commode quoque pertra-
„ctare possint, ea ætate censetur omnino, qua
„& puerilia nugamenta, & adolescentum mo-
„rosas illecebras, primosque etiam virilis ætatis
„impetus firmiore ætate evitavit, qui plane mi-
„nor quadragenario non est. Et ut melius ætas
„Pselli dignoscatur, ex aliis quoque ipsius Ora-
„tionibus proferam, quæ sententiam nostram et-
„iam contra morosos disputatores firmabunt. O-
„ratione funebri in Joan. Xiphilinum Patriarch.
„ὅσον ἐγὼ μὲν πρὸς τὴν τέχνην τῶν λόγων, καὶ
„τὴν φιλοσοφίαν ἀπένευσα, καὶ μαθημάτων
ἡψάμην, οὐ παρ' ἄλλου λαβών. ἔσβεστο γὰρ αὐ-"
τοῖς ὁ πυρσὸς, ἀλλ' ἐγὼ αὖθις τοῦτον ἀνάψας,"
καὶ τοῖς ποθοῦσι διαπυρσεύσας. Et, Ἐντεῦθεν"
παραλαμβάνω μὲν ἐγὼ τὸν νοῦν εὐφημούμενος,"
καὶ πρῶτος προσπελάζω τοῖς προπυλαίοις οὐκ"
ἀπονητὶ, οὐδ' ἄνευ δοκιμασίας καὶ κρίσεως."
ἀλλὰ πρῶτον δοκιμασθεὶς καὶ βασανισθεὶς ἐπὶ"
παντὶ λόγῳ, ἐπὶ πολλαῖς κρίσεσιν, ἐπὶ τοῖς"
αὐτοσχεδίοις συγγράμμασιν καὶ οὕτως συμπι-"
εσθεὶς πρὸς τὴν εἴσοδον, ὧν μόλις πού τὸ πνεῦ-"
μα ἀνακαλέσασθαι. *Et ego quidem ad artem di-"
cendi, & disciplinas Philosophicas animum applicui,"
& Mathemata attigi, non ab aliis mihi tradita,"
lumen enim eorum extinctum evanuerat. Sed ipse"
denuo illud accendens, qui similium desiderio tene-"
bantur, iis praeluxi. Et, Hinc ego praeoccupo, lau-"
de ingenii celebris, primusque vestibulis admoveor,"
non sine labore, non sine probatione & examine;"
sed primum in omni dicendi genere examinatus,"
approbatusque, tum denique hac ratione introitus"
earum rerum concessus est, per quas mihi nec re-"
spirare quidem licebat."* Sermo autem est de
Imperio Monomachi, sub quo floruit. Ita quidem
Allatius, sed ex conjecturis tantum: nam Ita
recte hæc intelligi possunt & melius vel de
Constantino Duca, vel de Michaele Duca ejus
filio, quem ad litteras informasse constat.

Multas quoque idem Allatius ipsi Psello at-
tribuit *Orationes* Græce Manuscriptas in Col-
lectaneis Symeonis Metaphrastis, de quibus lo-
quitur passim in Diatriba *De Symeonum scriptis*,
quas illic referre non absurdum fuerit. Ac pri-
mum quidem *Vita Sancti Patris Auxentii* Mi-
chaeli Psello tribuitur pag. 83. βίος τοῦ ὁσίου
πατρὸς Αὐξεντίου, cujus initium, Ἀρχὴ μὲν ἡμῖν
τῆς πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἐκ τοῦ παλαιοῦ πλάσματος.
Ibidem λόγος εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν, *Oratio in
Annuntiationem B. M. Virginis*, cujus initium,
Ἀρχὴ μὲν τῶν ὄντων Θεὸς, οὐχ ὡς συντεταγμέ-
νος τούτοις ὤν. Pag. 1000. *Ad Protosyncellum de
Sancto Gregorio Thaumaturgo*, Πρὸς τὸν Πρωτοσύγ-
γελλον περὶ τοῦ ἁγίου Γρηγορίου Θαυματουργοῦ, cu-
jus initium, Μὴ θαυμάσῃς ὁ ἐμὸς μυσταγέτης, εἰ
τοσόντι καὶ λαμπρὸν φθέγξομαι. Pag. 102. λό-
γος εἰς τὴν ἀνακομιδὴν τοῦ τιμίου λειψάνου τοῦ
ἁγίου Πρωτομάρτυρος Στεφάνου. *Sermo de trans-
latione pretiosi corporis sancti Protomartyris Ste-
phani*, cujus initium, Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χρι-
στὸς ὁ πατὴρ πάντων τῶν ἐλπιζομένων. Pag. 104.
De miraculo quod contigit in Blachernis, λόγος
ἐπὶ τῷ ἐν βλαχέρναις γεγονότι θαύματι, cujus
initium Οὐ πολιτικὸν τοῦ πολλοῦ ζητήματος &c.
Ibidem *Oratio in Sanctum Dionysium Areopagi-
tam*, Ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον Διονύσιον τὸν Ἀρεο-
παγίτην, cujus initium, Οὐρανίαν ὄντως καὶ
θείαν ἔδει παρεῖναι γλῶτταν. Pag. 104. *In San-
ctam*

Etiam Agathum & ejus discipulas, εἰς τὴν μεγάλην κυριακὴν ἑορτὴν τῆς ἁγίας Ἀγάθης, καὶ εἰς τὰς μαθητρίας αὐτῆς: cujus principium, Οὐ τὰ σπυδαῖα μόνον αἱρεῖται. Pag. 109. *In Sancti Michaelis miracula*, εἰς τὰ θαύματα τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, cujus initium, Σκοπὸς μὲν καὶ τέλ☉ ἐναγομένοις ἡμῖν πρὸς &c. Denique pag. 112. *In Symeonem Metaphrastem*, λόγ☉ ἐγκωμιαστικὸς εἰς Συμεῶνα τὸν Μεταφραστὴν, cujus initium, Τὸν μέγαν ἐν βίῳ καὶ λόγῳ Συμεὼν ἐπαινεῖν προελόμεν☉: quam integram illic obtulit Græce & Latine pag. 221. cum ejusdem Ἀκολυθία pag. 236.

Magna quæstio est, quisnam sit Psellus, qui hanc Orationem in *Metaphrastem* composuit. Len Allatius in Diatriba sua *De Psellis* ut ipsi Bollardus objicit, hanc Orationem attribuerat. Psello Seniori, ut habet in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 68 cujus senrentiam Bollandus impugnat, ibidem pag. 59. his verbis. „*Leo Philosophus* postquam Psello illi seniori in „Antro insula dederat operam, cum non quan„tum voluisset, ab eo eruditionis hausisset, Mo„nasteria varia obivit, repositosque in illis li„bros investigans studiose legit, atque excel„lentem eruditionem adeptus est, ut Curopa„lates tradit. Dein Constantinopolim rever„sus privatim quosdam docuit. Horum qui„dam in prælio captus à Saracenis, ac viro il„lustri in servitutem traditus, cum postmodum „Geometriæ peritiam professus, Leonem à quo „eam didicerat, privatum & inopem degere si„gnificasset, literis eum ad se amplissima propo„sita mercede invitavit Barbarorum Rex. Has „literas Leo Theocetisto Logothetæ, hic „Theophilo Imperatori obtulit, qui eum sum„mo favore complexus, amplis opibus dita„vir, publiceque docere jussit, ac postea Thes„salonicensi Ecclesiæ præficiendum curavit. Ve„rum mortuo sub anno 841. Theophilo, Leo „quoque redactus in ordinem est, quod hære„sin sectatus esset Leonomachorum. Quæ si„gni omnia expendat, fatebitur sub Michaele „Balbo qui anno 820. in Imperium assumptus, „ac sub illius decessore Armeno, videri Leonem „Psello dedisse operam, maturæ jam ætatis vi„ro. Qui potuit igitur à Psello laudari Metaphrastes vita functus, qui centum post Psellum „scninrem annis vixit? Neque de Psello Meta„phrastæ laudatore repugnasset Baronius, si „aliunde asseri posse Metaphrastæ ætatem asse„ruisset. Cum igitur ex mente Bolandi Psellus Senior præcedat centum annis vel circiter Metaphrastem, quem Leo Allatius ab anno 902. ad tempora usque Romani Diogenis, vixisse existimat, ad annum nempe 950. ad minus: neque Psellus hic senior de *Metaphrastæ* laudibus Orationem habere potuit. Ob hanc igitur absurditatem excusat se de priori sua sententia Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 68. nec tantum pag 11. Diatribæ *de Psellis*, sed pag. 53. Orationem hanc verbis disertissimis Psello juniori adscripsisse, ut & facit in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 71.

Quare cum Imperio Basilii junioris & Con-“ stantini Porphyrogenitæ, sub quo Metaphra-“ stes florebat, (*ex suppositione Allatii*) nepotibus“ circa annum 1000. natum non incongrue“ dixerimus, potuisseque commode ab iis qui de-“ functum Metaphrasten viderant, quæ in ejus“ abitu evenere, audiverat aliis scripto tradere.“ Quemadmodum ego jam fere sexagenarius,“ multa à senioribus qui viderant, adolescens“ audivi ante centum annos gesta. Neque id“ implicat ætati meæ quam ago, neque tempori“ quo hæc scribo: quare nec est alius Psellus, ju-“ nior quærendus, qui laudationem illam scri-“ pscrit.“ Ita miserrime solvit difficulatem maximam Leo Allatius, circa Michaelem Psellum juniorem: nam ab anno 902. quo quadragenarius saltem ac publicis rebus occupatus juxta Allatianam supputationem Symeon Metaphrastes scribitur, usque ad annum quo floruisse dicitur Michael Psellus Junior sub Constantino Monomacho, anni ad minus centum & quinquaginta occurrunt. Gravem hanc difficultatem sensit Gerardus Joannes Vossius. Lib. 2.“ *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. mihi 295. ubi“ ita inquit. Cum Psellus sic scribat in laudem“ ejusce Symeonis, *Non enim eum veluti abscis-“ sum aut divisum fuisse, dicunt ii qui viderunt: sed“ videbatur veluti à quodam vinculo liberari, & hi-“ lari nutu se extendere ad ducentes Angelos, & quo-“ dammodo se ipsum tradebat illorum manibus, ut“ cito emigraret de corpore.* Nempe existimarunt“ Baronius & alii, hoc Psellum dicere, se audis-“ se de iis, qui viderant Symeonis ad Deum tran-“ situm: unde colligunt non ita multo post obi-“ isse, antequam ista scriberet Psellus. Sed non,“ si ea acceperit Psellus ex iis qui adfuere mori-“ enti, eo illos viderit & audierit: accepisse ex“ iis possit, quæ scriptis consignassent. Quod“ omnino statuendum, quia inter Symeonem“ Metaphrastem ac Michaelem hunc Psellum,“ ducentórum quasi annorum est intervallum.“ Prior enim vixit sub imp. Leone Philosopho,“ Basilii Macedonis filio, qui Imperii habenas“ anno 885. accepit. Posterior autem imprimis“ sub Michaele Duca claruit, qui anno 1059.“ imperare cœpit. Atque huic Michaeli Ducæ,“ cujus studiis à parente Constantino præfectus“ fuerat, σύνοψιν Legum versibus panxit poli-“ ticis seu popularibus.“

Nos autem qui Symeonem Metaphrastem circa seculi X. medium, & non ante, floruisse arbitramur: etiam contra mentem Leonis Allatii, alium quoque tum à Psello seniore seculi IX. tum à Juniore seculi XI. invenimus, nempe tertium Michaelem Psellum qui ita de Symeone Metaphraste loqui potuerit, circa annum 1140. vel 1150. florentem. Hunc autem Psellum cujus varia quoque extant in MSS. Codicibus, Synchronum Eustachio Thessalonicensi Archiepiscopo (quem Guillelmus,

Carusius *Historia rei literaria* anno 1170. & sequentibus pag. 583. assignat) non ex cerebro nostro productum, neque Phantasticum, ut Symeonem illum Metaphrastem, quem Leo Allatius seculo IX. Ecclesiæ affinxit: sed suppeditatum nobis, tum à Lambecio in Commentariis Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Lib. 5. ex discussione *Dioptra* Philippi Solitarii, tum a Carolo du Fresne Domino du Cange, viro in MSS. Codd. Græcis versatissimo, qui mentionem nobis illius luculentam facit in suo *Glossario media & infima Græcitatis*, verbo Μαΐςωρ τῶν Ῥητόρων, col. 1295. nos abunde ad annum 1190. demonstrabimus. Cum enim annis circiter 30. vel 40. Symeone Metaphraste posterior fuerit, ita loqui de illo facillime ac verissime potuit.

CAPUT TERTIUM.

QUÆNAM PSELLI OPERA MSS. EXTENT IN BIBLIOTHECIS, GALLIARUM REGIA ET VINDOBONENSI IMPERATORIA.

Equidem nullus prorsus dubito, quin plura adhuc alia Pselli in Bibliothecis nostris, Regia Galliarum, Segmicrana, Colbertina, & aliis, reperiantur, si accuratè excutiantur: multaque dabit Leo Allatius, in Diatriba sua *De Psellis & eorum Scriptis*.

Narrat Combefisius in *Apparatu* ad Bibliothecam Sanctorum Patrum Concionatoriam, pag. 41. verbo *Symeon Metaphrastes*, asservatum esse apud se (quod & mihi confirmavit Carolus du Cange vir in Græcis clarissimus) *Chronicon ex diversis collectum*, in quo postremo loco post *Symeonem Logothetam* habetut ipsa *Pselli Historia*, ex clarissimi viri Raphaelis du Fresne Manuscripto Codice, qui ad Regiam Galliarom Bibliothecam devenit. Ambigit Combefisius, an Historia ista hujus sit Metaphrastæ de quo loquitur, an fortè alterius, sive ejus qui collegit *Orationes XXIV. ex Operibus Sancti Basilii*, vel alterius tertii & junioris. „ *Quippe*, inquit, *Metaphrastes* „*paullò ante Psellum in vivis esse desiit, nisi ipse Psel-* „*lus Symeonis illi Chronologia ex novem Historicis, se* „*decimum adjunxit, sive alii addiderint.* Opus „certè à Theophane ad explendam Historiam „Byzantinam summè necessarium. Pselli Hi-„storia quantum lucis accipiat ex ejus Epistola-„rum lectâ manu ad Imperatores, Cæsares, sum-„mosque seculi principes ac Magistratus, ad Pa-„triarchas, Metropolitas, Ecclesiarum Antisti-„tes ac Præsides: ut non omittam Michaelis „Cerularii pro Synodo accusationem, ejusdem-„que ac Constantini Lichudis, qui illi suffectus „est, nec non Xiphilini Ἐπιταφίους: luculentissi-„mas sc. in eos laudationes, viros nimitum qui „utrâq; militiâ Constantinopoli egregiè fulse-„rint. Ac illo dicente, qui ipse publicarum cura-„rum iis socius, ac πολιτευόντων ferè summus, „Constantino præsertim Monomacho Imperatore, ad quem & Politici Scripti non spernendi„ tractatus, extiterit. Hac occasione illius„ *Chronologici operis*, cujus tantis mihi devinctus,„ Michael Psellus agmen claudit. „ Ita Combefisius mihi olim notus & amicus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Parisiis in vico S. Honorati, qui hæc omnia, nempe *Chronicon Pselli cum Epistolis circiter*, ex MS. Codice 2561. Regiæ Galliarum Bibliothecæ transscriptum, editioni habebat paratum, & cum præfatis *Orationibus Pselli funebribus*, dum naturæ debitum solvit. Narravit autem mihi nuperrime Dominus Carolus du Cange, MS. Codicem Regiæ Bibliothecæ, continentem tam singularem Historiam Pselli, quam omne *Collectaneum Symeonis Metaphrastis Historicum*, cujus hæc Historia Pselli pars tantum est: transscriptum esse recens ex Bibliotheca Vaticana, cum ipsis Epistolis Pselli & aliis, de quibus diximus.

Quamplures autem sunt MSS. Codices Operum utriusque Pselli, Medici atque Theologi in Bibliotheca Regia Galliarum. Atque ad Theologum quidem Seculo XI. celebrem spectant, in hoc Veterum Codicum Palatio, *Sapientissimi Pselli quam plurima Opuscula & modica*, quæ narrata ardua sunt, Cod. 1837. Præstantissimum illius opus ad Historiæ Byzantinæ complementum ab anno 975. ad annum 1071. de quo loquitur Dominus du Cange ad finem Glossarii Græci columna 29. Nempe *Chronographia à Basilio & Constantino Porphyrogenitu, usque ad Michaelem Ducam.* Item *Epistola*, ex eodem Codice. *Monodia de casu adu Sophiana*, ex eodem Codice. *Monodia in Joannem Patricium*, ex eodem Cod. περὶ κοινῶν δογμάτων καὶ ὅρων τῶν νομικῶν Ῥωμαϊςὶ λεγομένων λέξεων, ex eodem Codice. Synopsis διαςίχων πολιτικῶν περὶ πασῶν τῶν ἐπιςημῶν, ex eodem Codice. *Sapientissimi Pselli Enarrationes in Oracula Chaldaica*, Codice 2101. fol. 131. Ejusdem *Pselli Expositio dogmatum Chaldaicorum*, ibidem fol. 139. Ejusdem *Explicatio in Chaldaica vocabula*, Cod. 3378. & *Explicatio Magicorum*, ibidem itemque Codice 3486.

Ejusdem *De definitione fidei*, Cod. 2427. fol. 87. Ejusdem *Quastiones varia ad Michaelem Ducam Imperatorem*, Cod. 2428. fol. 79. & Cod. 3135. fol. 47. *Michaelis Pselli Philosophorum hypertimi, Responsiones ad interrogationes varias De rebus Theologicis, Physicis & Moralibus, ad Imperatorem Michaelem Ducam, cum ejusdem variis*, Codice 3089. f. 71.

Michaelis Pselli Monodia in Joannem Patricium, Cod. 3262. fol. 253. atque ibidem *Varia ejusdem Epistola*, quas olim descripsit Franciscus Combefisius editioni paratas, dum fatis functus est, ut suprà diximus.

Ejusdem *De operatione Dæmonum*, Codd. 3481. & 2628. *Michaelis Pselli eloquentissimi Syntagma in Platonis Psychogoniam*, Cod. 2531. folio 120. Ejusdem *Descriptio Lyra Octachordi Pytagora*, ibidem fol. 132. *Michaelis Pselli in Librum Pla-*

tonis, de animarum generatione, Codice 2103. fol. 112.

Item cum *Chronico Symeonis Magistri & Logotheta*, seu Collectaneo diversorum Chronicorum Cod. 2561. fol. 1. & sequentibus, extat *Michaelis Pselli, Monachi Hypertini Chronologia complectens* Gesta Imperatorum Basilii & Constantini Porphyrogeniti, Romani Argyropuli, Michaelis Paphlegonis, Michaelis item Calaphatis, Constantini Monomachi, Isaaci Comneni &c. usque ad inaugurationem Constantini Ducæ, Libris 8. comprehensa, ibidem fol. 322. & sequentibus. Atque ex hac Historia rectè colligimus hunc Michaelem Psellum, non diu superstitem fuisse Constantino Ducæ, cujus historiâ opus suum concludit, nec attigisse Alexii Comneni imperium, quamvis rem non definiamus. Jam ad Philosophica veniamus. Extat in eodem Bibliotheca, *Michaelis Pselli ad Imperatorem Dominum Constantinum Monomachum De Grammatica*, Cod. 2754. fol. 207. *Compendium quatuor partium Arithmetica, Michaelis Pselli*, Cod. 2638. f. 149. Ejusdem *in librum I. Euclidis Elementorum*, Cod. 2612. fol. 15. *In quinque voces Porphyrii*, Cod. 2608. *In Aristotelis Libros de Interpretatione*, Cod. 2610. *In libros naturalis auscultationis Aristotelis*, Codd. 2645. fol. 88. & 2627. Ejusdem *De anima Syllogistica demonstratio*, Cod. 2619. fol. 114. Denique ejusdem Synopsis Legum, Cod. 2966. quæ & alibi passim.

Vir plane admirandus, & qui omnes fere seculi sui eruditos dicendi copiâ, ingenii acumine, doctrinæ profunditate, longo post se intervallo reliquit: qui Scripta pene infinita, Philosophica, Mathematica, Medica, Historica, Theologica posteris commisit. Hic ergo Psellus, ut doctrinâ præstantissimus, ita omnium πολυγραφώτατος fuit. De quo Leo Allatius in Diatriba quam edidit *De Psellis eorumque Scriptis* pag. 42. hæc præclara inquit. *Ausim dicere, neminem ea, vel subsequente atate, Graeè vel invenisse acrius, vel ordinasse aptius, vel locutum eloquentius, vel profundius res pertractasse. Nulla fuit scientia, quam ipse vel notis non illustraverit, vel compendia non tentaverit, vel optima methodo non expediverit.* Tantæ porro in Orientis Imperio fidei & authoritatis, ut ope ejus & consilio ipse Ducas anno 1071 in Imperatorem evectus sit. At post sexennium, Michaele Duca exauctorato, ipse quoque Psellus dignitatibus exutus, abrasâ comâ, Monachalem habitum induit: qui Regiâ urbe relictâ, non diu postea vitam cum morte commutavit videtur.

Reliquit quoque plurimos tractatus ad Artem medicam spectantes, nempe *de Cibariorum facultate, utilitate & noxa Syntagma, ex Medicis libris collectum*, cui pauca quædam addidit Simeon Sethus Magister Antiochenus. Opus à Setho interpolatum sub Michaelis Pselli nomine prodiit Græcè & Latinè in 8. Basileæ anno 1538. Extat autem sub nomine Pselli ad Michaelem Ducam Imperatorem, MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Medico Græco XLVII, num. 2. ut habet Lambecius Libro 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ parte 2. p. 161. his verbis.

"*Secundo* & quidem à fol. 71. pag. 1. usque ad fol. 118. pag. 2. *Michaelis Pselli & Symeonis Sethi Syntagma de Alimentorum Facultatibus ad Imper. Michaelem Ducam ordine alphabetico*, cujus titulus & principium: Σύνταγμα κατὰ στοιχεῖον περὶ τροφῶν δυνάμεων, συγγραφὲν παρὰ Ψελλοῦ καὶ Συμεὼν Μαγίστρου Ἀντιοχείας, καὶ δοθὲν Μιχαὴλ βασιλεῖ τῷ Δούκᾳ. Πολλῶν καὶ λογίων, ὦ μέγιστε καὶ τὸν νῦν ἡλιοδέστατε βασιλεῦ, οὐχ Ἑλλήνων μόνον, ἀλλὰ καὶ Περσῶν, καὶ Ἀγαρηνῶν, καὶ Ἰνδῶν, περὶ τροφῶν δυνάμεως συγγραψαμένων &c. Hoc autem exemplar MS. discrepat multum ab editione Basileensi Libri Gregorii Gyraldi, anni 1538. in 8. quam ad emendandam & supplendam plurimum prodesse potest. Idem Opus extat etiam in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codice MS. Philologico Græco olim LXXII. ab Augerio Busbeckio Constantinopoli comparato, atque ibi iisdem planè verbis inscribitur & incipit, ut in eo Codice, de quo in præsens agitur. Vide etiam Codicem Medicum XX. num. 4. pagina 110."

Ejusdem *De victus ratione, deque Facultatibus, & succi qualitate, elementorum Libri II. ad Constantinum Imperatorem*, Latine tantum prodierunt Basileæ anno 1529. in 8. Extat autem Græcus textus in eodem Codice, de quo supra, ut habet Lambecius loco citato his verbis: "*Tertio* & quidem à fol. 119. pag. 1. usque ad fol. 132. p. 2. *Michaelis Pselli ad Constantinum Monomachum Liber de Diata*, cujus titulus & principium: Περὶ διαίτης. Καὶ τοῦτο τῆς σῆς ἔργον προνοίας καὶ μεγαλοφυοῦς ἐπινοίας, καὶ φιλανθρωπότητος ἐπίταγμα, Κωνσταντῖνε θειότατε καὶ μέγιστε Αὐτοκράτορ, τὸ καὶ τοὺς ἰδιώτας ἴσα τοῖς σοφοῖς τε καὶ ἐλλογίμοις τὴν χρῆσιν εἰδέναι τῶν καλλίστων τε καὶ ὀνησιφόρων διαιτημάτων &c."
De Podagra liber ab Anonymo quodam conscriptus tempore Michaelis Palæologi, erroneè sub Michaelis Pselli nomine prodiit, editus Græce Parisiis anno 1558. in 8. atque Latine sæpius. De quibus vide Lambecium in Catalogo Scriptorum Secundæ partis Libri Sexti *Commentariorum Bibliotheca Casarea Vindobonensis*, pag. 208. & 215.

Extant quoque ejusdem Michaelis Pselli plurima Opera Philosophica, inter MSS. Codices Philosophicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut habet Petrus Lambecius in Catalogo Scriptorum hujus tomi Sexti, pag. 294 & 306. Nimirum *Paraphrasis Michaelis Pselli in Aristotelis librum De Interpretatione*, Codice MS. Philosophico Græco XXV, num. 3. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 59. Et Codice XXVII. num. 5. ut habet ibidem Lambecius pag. 64.

Item *Michaelis Pselli Liber quadripartitus de Arithmetica, Musica, Geometria & Astronomia*, extat Codice MS. Philosophico Græco XXVI. num. 4. ut habet Lambecius ibidem pag. 62. Et Codice MS. Philosophico Græco CII. ut habet Lambecius ibidem pag. 184. Ejusdem *Michaelis Pselli Rhetorica versibus Politicis*, ibidem Codice MS. Philosophico Græco XXVII. num. 4. ut habet Lambecius ibidem pag. 64. his verbis: „*Quarto* & quidem à fol. III. pag. 2. usque ad fol. 132. pag. 2. *Michaelis Pselli Rhetorica versibus Politicis*, cujus titulus & principium: Περὶ Ῥητορικῆς τοῦ ψελλοῦ. Εἰ μάθοις τῆς ῥητορικῆς τὴν τέχνην Στεφηφόρε, ἕξεις καὶ λόγου δύναμιν, ἕξεις καὶ λόγου χάριν &c. Ejusdem *Argumenta & propria quadam Considerationes in libros sextum & septimum Physicorum Aristotelis*, extant Codice MS. Bhilosophico Græco XLII. num. 5. ut habet ibidem Lambecius pag. 80. Ejusdem *Fragmenta quadam de Mente, de Animo, de Platonica Psychogonia, & de Ideis*, ibidem Codice MS. Philosophico Græco XLII. num. 11. ut habet Lambecius pag. 81. his verbis. „*Vndecimò* & quidem à fol. 416. pag. 1. usque ad fol. 421. pag. 1. *Michaelis Pselli fragmenta quadam de Mente, de Anima, de Platonica Psychogonia, & de Ideis*: quorum primum inscribitur atque incipit his verbis. Μιχαὴλ ὑπερτίμου τοῦ ψελλοῦ, περὶ νοῦ· καὶ ὁ πᾶς νοῦς μετέχεται ὑπὸ πάσης ψυχῆς· ὁ δὲ πρῶτος νοῦς οὐδεμίας ψυχῆς μεθεκτός ἐστιν. ὁ γὰρ &c. Ibidem ejusdem *Michaelis Pselli fragmentum de Necessitate*, in eodem MS. Codice num. 17. ut habet Petrus Lambecius pag. 82. his verbis. *Decimo septimo* & quidem à fol. 488. pag. 1. usque ad ful. 489. pag. 2. *Michaelis Pselli fragmentum de Necessitate*, cujus titulus & principium: Τοῦ σοφωτάτου καὶ ὑπερτίμου Μιχαὴλ τοῦ ψελλοῦ, περὶ ἀνάγκης. Ἀνάγκην ὀνομάζουσιν οἱ Φιλόσοφοι &c. Denique in eodem Codice, num. 21. *Michaelis Pselli Allegoria quarundam fabularum Poeticarum*, ut habet Lambecius ibidem pag. 83. his verbis. *Vigesimo primo*, & quidem à fol. 528. pag. 1. usque ad fol. 531. pag. 1. *Michaelis Pselli Allegoria quorundam fabularum Poëticarum*, quarum titulus & principium: Τοῦ σοφωτάτου ψελλοῦ ἀναγωγαί. Ἀναγωγὴ εἰς τὸν Τάνταλον. Πάλιν &c.

Item Codice MS. Philosophico Græco LXXVIII. num. 8. ut habet Lambecius Libro 7. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 138. & quidem à fol. 87. pag. 1. usque ad fol. 101. pag. 1. „*Michaelis Pselli*, qui circa annum Christi 1080. floruit, *Timotheus* sive *Dialogus De dæmonibus*, qui in hoc Codice inscribitur atque incipit hoc modo: Τοῦ σοφωτάτου ψελλοῦ κυρίου Μιχαὴλ, Τιμόθεος, ἢ περὶ Δαιμόνων. Τιμόθεος. Χρόνιος, ὦ Θρᾷξ, ἐπὶ τὸ Βυζάντιον ἀπαντᾷς; Θρᾷξ. Χρόνιος ὦ Τιμόθεε δύο που ἔτη καὶ πρὸς ἔκδημος ὤν. Τιμόθεος. Πῆ δὲ καὶ τίνα πράγματα ἔχων ἐπὶ τοσοῦτον ἐνδιατέτριφας; Θρᾷξ. Μακρὸν ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν σχολὴν ἀπαιτεῖς ὑποθέσεις λέγων &c. Primus hunc Pselli Dialogum Græce cum Latinâ Petri Morelli versione in lucem protulit, notisque illustravit, Gilbertus Gaulminus Molinensis Lutetiæ Parisiorum anno 1615. in 8. apud Hieronymum Drouart. Ibidem quoque. "

Decimo & quidem à fol. 106. pag. 1. usque ad fol. 139. pag. 2. *Michaelis Pselli Solutiones & Expositiones dubitationum Physicarum centum viginti quinque, scripta ad Imperatorem Michaelem Ducam*: quarum titulus & principium. Ἐπιλύσεις σύντομοι καὶ Ἐξηγήσεις ἀποριῶν Φυσικῶν τοῦ σοφωτάτου ψελλοῦ, γραφεῖσαι πρὸς τὸν βασιλέα κύριον Μιχαὴλ τὸν Δούκαν. Α'. Περὶ φύσεως. Φύσις ἐστὶ δύναμις ὀφθαλμοῖς μὲν ἀθέατος, νῷ δὲ &c. "

Item Codice MS. Philosophico Græco LXXXV. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 147. continentur *Michaelis Pselli Ecloga variarum Opinionum de Anima*, quarum titulus & principium: Τοῦ σοφωτάτου ψελλοῦ Δόξαι περὶ ψυχῆς. Ὅτι τῶν ψυχικῶν δυνάμεων αἱ μὲν εἰσὶν ἄλογοι, αἱ δὲ λογικαί: τῶν δὲ λογικῶν &c. cum Appendice ejusdem *De differentia specifica*, περὶ τῆς ἰδιαίτατα διαφορᾶς, cujus principium: ἡ ἰδιαίτατα διαφορὰ δὲ λέγεται, ἤτε εἰδοποιὸς διαφορὰ, οἷον τὸ λογικὸν &c.

Ejusdem *Introductio in sex Philosophia modos, & Compendium quinque vocum, & decem prædicamentorum Philosophiæ*, extant Codice MS. Philosophico Græco XCV. num. 4. ut habet Petrus Lambecius Lib. 7. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 180.

Item Codice MS. Philosophico Græco CXXV. num. 2. ut habet Lambecius Libro citato Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Septimo p. 221. Et quidem à fol. 9. p. 1. usque ad fol. 11. pag. 1. *Michaelis Pselli Libellus admirabilium Lectionum Medico Physicarum*, cujus titulus & principium: Περὶ παραδόξων ἀναγνωσμάτων, τοῦ ψελλοῦ· Μηδὲ καινῶν ἀναγνωσμάτων εἴης ἀνήκοος. ἴσθι τοιγαροῦν, ὡς ὁ Ἐπιμενίδειος ἄλιμος μίγμα ἐστὶν ἀσφοδέλου ξηροῦ καὶ μαλάχης ῥίζης, καὶ σησάμης πεπλυμένης, μήκωνός τε λευκῆς, σκίλλης τε ὠμῆς τῆς ξανθῆς· καὶ ὁ λαμβάνων τοῦτο, ἄσιτος ἐφ' ἡμέρας πολλὰς διαμετρήσειεν ἀλυπότατος. Τὸ νηπενθὲς συγκείμενόν ἐστιν ἐξ ἱππομανοῦς τοῦ Φυτοῦ &c." Hujus ex lectione constat, quod illum dedicaverit Michaeli Cerulario Patriarchæ Constantinopolitano, cui etiam dedicavit Librum de *Chrysopeia* sive *De arte auri conficiendi*, qui extat suprà Cod. CXII. num. 2. pag. 204. Ibidem, *Tertiò* & quidem à fol. 11. pag. 1. usque ad folium 12. pag. 2. Ejusdem *Michaelis Pselli ad eundem Patriarcham Constantinopolitanum, Mi-*

Michaelem Cerularium Libellus de Omoplatomantia, sive *De divinatione ex ossibus humerariis mactatarum ovium vel agnorum*; & *de Oenoscopia*, sive *De divinatione ex avibus*, quæ proprie *Auspicium* quasi *Avispicium* appellatur. Inscribitur atque incipit hoc modo: Περὶ ὠμοπλατοσκοπίας καὶ οἰωνοσκοπίας. Ὁ Συγκράτης ἐκεῖνος ὁ Σωφρονίσκου &c. *Quartò* & quidem a folio 12. pag. 2. usque ad fol. 14. pag. 2. ejusdem *Michaelis Pselli ad eundem Patriarcham Constantinopolitanum Michaelem Cerularium Libellus de Lapidum potentia seu virtutibus*: cujus titulus & principium: Περὶ λίθων δυνάμεως. Αἰτιολογήσασθαι μέν σοι τὰς ἐν τοῖς λίθοις δυνάμεις, οὐκ ἀντελμήσαιμι &c. qui extat Tholosæ impressus anno 1615. in 8.

Item Codice MS. Philosophico Græco CXXIX. num. 4. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 239. „ Et quidem à fol. 15. pag. 1. usque ad fol. 48. pag. 2. *Michaelis Pselli Opus Chronologicum de motu temporis Cyclorum Solis & Lunæ, Eclipsibus & inventione Paschatos, per Interrogationes & Responsiones*; cujus titulus & principium: Ποίημα τοῦ μακαριωτάτου Ψελλοῦ περὶ τῆς κινήσεως τοῦ χρόνου τῶν κύκλων τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης, καὶ τῆς ἐκλείψεως αὐτῶν, καὶ τοῦ Πάσχα εὑρέσεως. Ἐρώτησις· Διατί ὁ ἅπας χρόνος νυχθήμερα ἔχει τ. ξ. ε΄. &c. Ἀπόκρισις. Πρὸ τῶν ἄλλων πάντων τοῦτο χρὴ πάντας γινώσκειν περὶ τοῦ δημιουργοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, τοῦ τῆς ἀληθοῦς θεμελίου γνώσεως, ὅπερ ὁ Προφήτης προσεφώνησεν ὅτι πάντα αὐτὸς εἶπε, καὶ ἐγενήθησαν &c. Idemque Opusculum Codice MS. Philosophico Græco CXXXII. num. 2. ut habet Lambecius ibidem Libro 7. p. 244.

Denique Codice MS. Philosophico Græco CXII. num. 2. ut habet Lambecius Lib. 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ & quidem à fol. 37. pag. 1. usque ad folium 50. pag. 1. *Michaelis Pselli Liber de Chrysopeia*, sive *De arte conficiendi auri ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum*, cujus titulus & principium: Τοῦ λογιωτάτου καὶ πανσόφου ὑπερτίμου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Ψελλοῦ, περὶ χρυσοποιΐας, πρὸς τὸν Πατριάρχην κύριον Μιχαήλ. Ὁρᾷς ὁ ἐμὸς δυνάστης, ὃ μὴ ποιεῖς, ἡ τῆς ἐμῆς ψυχῆς τυραννίς· Ἀπὸ τοῦ τῆς Φιλοσοφίας μεγέθους ἐπὶ τὴν ἐμπύριον μεταβιβάζων τέχνην &c. Meminit hujus Opusculi doctissimus Gerardus Joannes Vossius, Libro Singulari *De Philosophia* cap. 12. §. 36. his verbis. *Idem Michael Psellus* περὶ χρυσοποιΐας *sive De conficiendo auro librum misit ad Michaelem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum. Eum inter Græcos Codices repertum, ac manu suâ descriptum Lilius Gyraldus cum Epigrammate quo Opus id commendaret, Joanni Pico Mirandulano misit: ut ipse Lilius testatur*, Dialogismo VIII. *Atque hinc est, quod crebrò ejus Operis mentio fiat à Joanne Pico Mirandulano in Libris*, De auro; & *præcipuè Libro II.* Democriticæ & Abdecriticæ sectæ, *capite 2.* " Hæc Vossius. Plura post ipsum Lambecius Libro 7. Commentariorum citatorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis locis citatis, atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi p. 294. & 306.

Extant quoque MSS. quædam Opuscula Michaelis Pselli, in Bibliotheca publica Lugduno-batava, ut constat ex Catalogo impresso 1674. in 4. librorum hujus Bibliothecæ. Illic enim inter Manuscriptos Codices, quos huic Bibliothecæ dedit Josephus Scaliger post num. 58. *Heronis Geometria & Pselli Astrologia* in folio, Græce, ut ibidem notatur pag. 395. Item inter MSS. Codices, quos dedit Bonaventura Vulcanius num. 40. extant *Pselli Ænigmata*, & *ejusdem Dioptra, id est corporis & animæ Dialogus* Græce in 4. ut ibidem habetur p. 416.

CAPUT QUARTUM.

QUID SCRIPSERIT VOSSIUS DE MICHAELE PSELLO.

Occasione autem *Historiæ* adhuc ineditæ quam conscripsit Psellus, præclara de illo collegit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. mihi 295. quæ hic describere non pigebit. Sub Constantino Duca, qui Isaacio Comneno anno 1058. suffectus, claruit πολυγραφώτατος ille Michael Psellus. Præfectus fuit studiis Michaelis Ducæ, Constantini Ducæ filii, qui anno 1071. Romano Diogeni successit. Atqui hæc satis liquent ex Zonaræ Annalibus. Sententia tamen Bellarmini ac Possevini est, parem aut supparem fuisse Simeoni Metaphrastæ. In eoque sequuntur Baronium in Annalibus ad annum DCCCL. ubi hoc colligit ex eo quod Psellus sic scribat in laudem ejusce Symeonis apud Surium ad diem 27. Novembris. *Non enim eum veluti abscissum aut divisum fuisse, dicunt ii, qui viderunt: sed videbatur veluti à quodam vinculo liberari, & hilari nutu se extendere ad ducentes Angelos: & quodammodo seipsum tradebat illorum manibus, ut cito emigraret de corpore.* Nempe existimarunt Baronius & alii, hoc Psellum dicere, se audivisse de iis, qui viderunt Symoonis ad Deum transitum: unde colligunt, non ita multò obiisse, antequam ista Psellus scriberet. Sed si ea acceperit Psellus ex iis, qui adfuere morienti, illos viderit ac audierit, accepisse ex iis potuit, quæ scriptis consignasset. Quod non omnino statuendum, quia inter Symeonem Metaphrasten, ac Michaelem hunc Psellum, quasi annorum ducentorum intervallum est. Prior enim vixit sub Imperatore Leone Philosopho, Basilii Macedonis filio, qui Imperii habenas accepit anno 885. Posterior autem imprimis claruit sub Michaele Duca, qui anno 1059. imperare cœpit. Atque huic Constantino Ducæ, cujus studiis & educationi à patre Constantino præfectus fuerat, *Synopsim Legum* versibus panxit politicis, sive popularibus.

Item *Pselli Disquisitio super causis incarnati Dei Verbi*, ibidem reperitur. Item edidit *Responsiones ad diversas quæstiones politicas & omnifariam doctrinam continentes*, quæ capitibus CXCIV. constant. Isthæc in Bibliotheca Palatina, nunc Vaticana extare, scribit Marquardus Freherus in Chronologiâ suâ, Juri Græco Romano præfixâ. Atque hæc Baronii & Bellarmini arguunt errorem, de quo paullò ante diximus. Antonius Possevinus agnoscit in *Apparatu Sacro*, eundem Psellum *De fide* librum emisisse ad Michaelem Ducam, atque eum superesse in Bibliotheca Imperatoris, quæ Viennæ est. Quare satis mirari non possum, referre eundem paulò ante, hunc Psellum fuisse Leonis cognomento Philosophi præceptorem, qui anno 900. etiamnum imperabat. Videor enim videre mihi, id quod imposuerit Possevino. Legerat nempe apud Johannem Curopalaten, tempore Michaelis ac Theodoræ matris, floruisse Leonem Philosophum, qui præceptore in Andro, studioso quodam homine, Michaele Psello usus fuerat. Sic enim scribit in Michaele III. pag. 29. editionis Venetæ anno 1570. *Grammaticam asstrebat se Leo & Poeticam Constantinopoli didicisse, reliquas verò disciplinas, cum in insula Andro commoraretur. Ibi enim cum studioso quodam homine Michaele Psello versatus, atque ab eo perceptis elementis, atque rationibus quibusdam & principiis: quando non quantum voluit comprehendit, obibat Monasteria* &c. Hunc Leonem Philosophum, putavit esse Leonem Imperatorem cognomento Philosophum. Atqui Michael cum Theodora matre imperavit anno 842. ac proximis XXV. annis, Leo autem Philosophus imperare demum cœpit anno 886. Præterea Leo Imperator patre Imperatore, Basilio Macedone natus erat: Leo autem Philosophus Michaelis Balbi æqualis, non eo commendatur à Curopalate, quod patrem haberet Imperatorem, sed quod patruos ei esset Joannes Patriarcha Constantinopolitanus. Sed seo hunc, seu alterum Leonem intelligas, sane spissus est Possevini error, cum Leo prior ac Philosophus totis annis ducentis, Leo Imperator annis centum & quinquaginta distet, à Constantino Duca & Michaele filio, Imperatoribus, sub quibus celeberrimus ille Psellus vixit. Imò etiam pervenit usque ad tempora Nicephori Botoniatæ, à quo omni etiam dignitate dejectus fuit. Præter librum *de septem Synodis*, ubi de tempore quo habitæ, falli interdum videtur: præter item *Præfationem in Philippi Solitarii Dioptram*, quam Latine Ingolstadii edidit Jacobus Pontanus, sive *Dissertationem animi & corporis*: quod opus esse partim theologicum, partim Historicum Simlerus ait, in iis quæ addidit Bibliothecæ Conradi Gesneri. Præter item alia tam multa, quorum meminere Gesnerus in sua *Bibliotheca* & Possevinus in *Apparatu Sacro*: condidit quoque Historiam, quod initio Historiæ suæ testantur Joannes Curopalates & Georgius Cedrenus. Et inde quædam referre se dicit Joannes Zonaras Tomo III. in *Isaaco Comneno*, itemque in *Romano Diogene*: similiterque Theodorus Metochita facit *Historia sacra* lib. II. Meminit & semel iterumque Michael Glycas in *Annalibus*, ac Index Grammaticus apud Antonium Verderium in Supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ. Variæ etiam Orationes ejus extant, panegyricæ quidem, sed pariter historicæ, ut in *Constantinum Ducam, Romanum Diogenem, & Michaelem Ducam, Imperatores*. Adhæc aliæ in laudem *Nicolai Monachi*, qui fuerat καθηγέμενος τῆς ἐν Ὀλύμπῳ μονῆς, *Præses Monasterii in Olympo*. Item *Laudem Joannis Crustula τοῦ ἀναγνόντος ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ, qui lector erat in sacro loculo sive sepulchro*. Præterea & reliquit *Orationem Historicam atque encomiasticam Symeonis Metaphrastæ*, postquam scriptam non diu supervixit, quam habes in Surio Tomo VI. ad diem 27. Novembris. Hujus Pselli illustre est elogium apud Annam Comnenam *Alexiados* Libro quinto, atque Cedreno dicitur τῶν φιλοσόφων ὕπατος, *Philosophorum summus*; uti Cedreno eidem, ὑπέρτιμος ψέλλος, *Honoratissimus Psellus*. Et Zonaræ πολὺς τὴν γλῶτταν, καὶ σοφώτατος ψέλλος, *Disertissimus & sapientissimus Psellus*. Etiam indicta nobis plura reperies apud virum clarissimum Leonem Allatium in Dissertatione *De Psellis*. Hæc Vossius loco citato.

CAPVT QVINTVM.

OPVSCVLA MICHAELIS PSELLI, ITERVM EX MANVSCRIPTIS GALLIARVM REGIIS ET ANGLICANIS RECENSENTVR.

PRæter ea, quæ supra attulimus ex MSS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ ad Psellum spectantibus, alia quoque profert Carolus du Fresne, qui Catalogum Græcorum MSS. Codicum hujus Bibliothecæ edidit nuper. Sic enim in Catalogo Scriptorum quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 29. *Pselli De Grammatica versibus politicis ad Constantinum Monomachum*, ex variis Codd. *Epistola ad Xiphilinum Patriarcham CP.* ex Cod. Regio. *De Agricultura* ex Codice Reg. 3502. *Opus ineditum* ποίημα ἰατρικὸν ἄριστον δι' Ἰάμβων ex Cod. Regio 3502. *De novis nominibus in morbis* περὶ καινῶν ὀνομάτων ἐν νοσήμασι, ex Cod. Regio 3501. *De Calendis, Nonis & Idibus ad Isaacium Comnenum Imp.* ex Cod. Regio 2809. *De vocibus Nomicis Latinis* ex Cod. Reg. *Oratio ad Synodum contra Michaelem Cerularium* Patriarcham CP. quam sæpissime allegat dictus du Cange, in *Glossario mediæ & infimæ* Latinitatis. Item in dicto Glossario col. 1717. inquit extare in eadem Regia Bibliotheca, Codice 1568. fol. 132. Πυθαγόρου ὀκτάχορδος λύρα, διάγραμμα ἀπὸ φωνῆς Μιχαὴλ τοῦ ψελλοῦ. Codex autem quem designat num. 3502. longe plura continet Pselli Opuscula, quam du Cange enumerat. Ille enim est MS. Codex quem

quem depingit Stephanus le Moine Tomo 1. *Var[illegible]m Sacrorum* pag. 517. Hujus olim possessor fuit Antonius Eparchus & quem dono dedit potentissimo Galliarum Imperatori, cujus tabulam refert, continetque num. 4. *Sapientissimi & Honoratissimi Pselli salutationem sanctissimæ Deiparæ Virginis, versibus secundum [illegible]num vel Canticum redditam.* Τῦ σοφωτάτε ψελλῦ καὶ ὑπερτίμε χαιρετισμὸς σιχηρὸς καὶ ἦχον εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον. Num. 54. *Sapientissimi Pselli Responsa ad quæstiones Medicas necessaria & utilissima, ut laboriose & diligenter indaganti compertum fiet.* Ἰατρικῶν ἐρωτημάτων ἀποκρίσεις τῦ σοφωτάτε ψέλλε πάνυ ἀναγκαῖαι καὶ ὠφέλιμαι, εἰ μετέλθοις ἐμπόνως. Num. 60. *Sapientissimi Pselli de nominibus communibus morborum, seu quæ in morbis usurpantur.* Τῦ σοφωτάτε ψέλλε περὶ κοινῶν ὀνομάτων τῶν ἐν νοσήμασι. Num. 66. *Interpretatio sapientissimi Pselli De literis accentu aspero, vel tenui, vel medio notatis.* Τῦ σοφωτάτε ψέλλε Ἑρμηνεία δασέων καὶ ψιλῶν καὶ μέσων σοιχείων. Num. 67. *Ejusdem de virtutibus lapidum, ubi & alia ejusdem authoris continentur.* Τῦ αὐτῦ περὶ λίθων δυνάμεων, ἐν ᾧ καὶ ἕτερα τὰ τῦ αὐτῦ. Num. 68. *Ejusdem de iis quæ post Deum & circa & erga Deum, ordinata, digesta & constituta sunt.* Τῦ αὐτῦ περὶ τῶν μετὰ θεὸν καὶ περὶ θεὸν τεταγμένων, διακόσμων καὶ τάξεων. Num. 70. *Sapientissimi Pselli sermo in salutationem Sanctissimæ Deiparæ, ubi agitur de Paradiso, de Arbore vitæ, de Arbore scientiæ. Idem de rebus Georgicis & ad agriculturam spectantibus.* Τῦ σοφωτάτε ψέλλε εἰς χαιρετισμὸν τῆς ὑπεραγίας θεοτόκε ἐν ᾧ καὶ τίς ὁ παράδεισος, τί τὸ τῆς ζωῆς ξύλον, τί τὸ ξύλον τῆς γνώσεως. Τῦ αὐτῦ περὶ τῶν γεωργικῶν.

Cum autem Catalogi MSS. Codicum, eruditis viris in Scriptores veteres operum conferentibus maxime utiles sint, juvabit hic simul proferre MSS. Codices Opusculorũ Michaelis Pselli, qui in Anglicanis bibliothecis potissimum delitescunt. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 25. pag. 285. Pselli Oratio in Annuntiationem B. Mariæ Virginis Ἀρχὴ μὲν τῶν ὄντων θεός. Ibidem Codice 71. in MSS. Baroccianis pag. 36. Michaelis Pselli Compendium Logicæ Ἐπειδή τισιν ὐκ οἶδε ὅθεν. Ibidem pag. 134. Pselli ænigmata ad Michaelem Ducam. Codice 76. pag. 147. De Signis Zodiaci & de Planetis Τῶν ΙΒ ζωδίων ὀνόματα. Pag. 412. Pselli Geometria versibus Politicis. Codice 87. Pselli paraphrasis in prædicabilia & prædicamenta. Οὐσία ἐςὶ πρᾶγμα. Codice 108. pag. 144. Pselli ænigma ad Michaelem Ducam Imperatorem, Εἰμὶ πρὸς λευκοῖς. Codice 111. pag. 62. Pselli Sapientissimi ad Michaelem Ducam Imperatorem Ænigmata, versibus partim politicis, partim heroelegis, partim jambicis. Ἐςί τι ζῶον λογικόν. Codice 117. pag. 48. Bestarchi & Pselli paraphrasis libri *De Interpretatione.* Codice 125. pag. 85. b. Pselli versus consimiles XVII. in quibus ait, ut Zodiaci 12. sunt signa, ita versus jambici 12. syllabæ & sex pedes &c. Τὸ μέτρον ὕτω. Codice 131. pag. 62. Michaelis Pselli versus politici, Καιρὸς μὲν ὕπνε. Ibidem pag. 76. Pselli laudatio Symeonis Metaphrastæ. Τὸν μέγαν ἐν βίῳ καὶ λόγῳ &c. quæ spectare videtur ad Michaelem Psellum tertium, circa annum 1180. fulgentem. Ibidem pag. 184. Pselli encomium Reginæ Ἐδεῖ ποτε τὴν εὐδαίμονα. Ibidem pag. 250. b. Pselli Oratio in exaltationem S. Crucis, Τὸν τῦ σαυρῦ λόγον. Ibidem Michaelis Pselli Epist. VIII. Prima ad Michaelem Patriarcham pag. 287. Τὴν κεφαλήν με. VIII. ad Cyritzen pag. 289. b. Πολλάκις σε τὴν ἐπισολὴν ἀνελίξας. Ejusdem Oratio ad Imp. Constantinum Monomachum pag. 289. b. Οἱ μὲν ἄλλοι. Alia Oratio ejusdem pag. 291. Ἐδόκει τοῖς. Ibidem Pselli tractatus de Iride pag. 324. b. Ὁ μὲν περὶ τῆς Ἴριδος λόγος. Pag. 355. b. Pselli Oratiuncula, & ejusdem laus vini, ὥσπερ εἴ τι δεινόν &c. Codice 158. pag. 219. b. Michael Psellus de nuptiis adnepotum fratris ac sororis. Codice 197. pag. 230. Dialogus inter animam & corpus, quem Baroccius Psello attribuit. Hæc in Codicibus Baroccianis. Codice 264. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 18. pag. 256. Michaelis Pselli Doctrinæ omnifariæ Capita CCXXX. Πισεύω εἰς ἕνα πατέρα &c. Cod. 718. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Litera C. Codice 86. Michael Psellus de re Medica ad Constantinum Imperatorem. Ibidem Codice 3037. in MSS. Thomæ Bodleji, in Archivo A Codice 48. num. 2. Michael Psellus in Ψυχαγωνίαν Platonis, idemque Opusculum ibidem Codice 6553. in MSS. Henrici Savilii Codice 6. Ibidem Codice 3364. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni Codice 34. num. 2. Michael Psellus Περὶ Χρυσοποιίας ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum. Ibidem Codice 3405. in MSS. Joannis Seldeni, qui in Pluteis superioribus collocantur, Codice 17. Pselli Epitome Philosophiæ Aristotelicæ, seu Quæstionum Physicarum solutiones. Hæc in Bodlejanæ Bibliothecæ Catalogo impresso, diversis sparsa locis, in unum collecta à me sunt, in eruditorum commodum.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarũ, n. 5899. in MSS. Codd. Thomæ Galei Cod. 65. Michaelis Pselli Physica, s. Solutiones quæstionum naturalium. Ejusdem Doctrina de fide capitibus 194. collata cum MS. alio Codice. Ejusdem Pselli aliæ Solutiones quæstionum naturalium. Ibidem num. 5904. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 70. Michaelis Pselli Epistolæ ad diversos. Ibidem num. 5969. in MSS. Thomæ Galei Codice 135. Michael Psellus in Platonis Psychagòniam. Ejusdem Opinionum de anima expositio. Ibidem num. 7424. in MSS. Codicibus Eduardi Bernardi Codice 78. Hermetis Jatromathematica & Pselli Geometria. Ibidem Num. 9091. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis Codice 20. Psellus in Meteora Aristotelis.

Ex-

Extat quoque in Bibliotheca nostra Lugdunobatava inter libros MSS. Isaaci Vossii ab ejus hæredibus emptos, Codice Græco 34. Michaelis Pselli Cœlestium revolutionum liber, Capita quinquaginta continens. Ibidem Codice 38. Michael Psellus de efficacia Dæmonum, quem sub Timothei nomine laudat Fulvius Vrsinus Lyricis Græcis, quia nimirum Timotheus unus est ex Collocutoribus in hoc opere. Ibidem Codice 151. Michael Psellus in Psychogoniam Platonis. Item Pselli ænigmata, & ejusdem Dioptra seu Corporis & animæ Dialogus, in libris Bonaventuræ Vulcanii Codice 40. ut in Catalogo MSS. Codicum ejusdem Bibliothecæ impresso pag. 416.

CAPVT SEXTVM.

SVB QVIBVS IMPERATORIBVS MICHAEL CONSTANTINVS PSELLVS FLORVERIT, VEL EXTINCTVS SIT.

Nullus opinor hominum, sub tot Imperatoribus Orientis, ut Michael Constantinus Psellus floruisse legitur, quem vitam longævam habuisse, certis hinc argumentis merito concludimus.

Primum itaque Michael Constantinus Psellus, Medicus ac Philosophus ætatis suæ celeberrimus, circa annum 1050. sub imperio Constantini Monomachi Imperatoris Orientis floruit, qui cum annis 12. imperasset, anno 1054. moritur. Athenis Psellus studuerat, & ob scientiæ eminentiam, magnam sibi famam comparaverat, unde Constantinopolim reversus, *universæ Philosophiæ præfectus & omnium Philosophorum Princeps* constitutus fuit. Narrat Anna Comnena in *Alexiade* lib. V. pag. 144. *Michaelem Psellum indole & ingenii præstantia potius, quam Magistrorum cura doctrinam assequutum*, ibidem *divinitus adjutum in scientiis comparandis creditum, & matrem eju solitam pro illius in litteris profectu orare in templo beatæ Virginis.* Scripsit Opuscula quædam Theologica & Ecclesiastica ad hunc Constantinum Monomachum, de quibus Petrus Lambecius lib. V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 258. Codice MS. Theologico Græco 285. his verbis. „Ducentesimus octogesimus quintus Codex MS. Theologicus Græcus est chartacius, mediocriter antiquus in 4. constatque foliis 29. & ab Augerio Busbechio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, olim Constantinopoli comparatus fuit. Illo continentur *Michaelis Pselli quinque Carmina versibus politisis* ad Imperatorem Constantinum Monomachum, quorum primum in *Inscriptiones seu titulos Psalmorum Davidicorum* inscribitur atque incipit hoc modo: Τοῦ ὑπερτίμου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ ψελλοῦ πρὸς τὸν βασιλέα Μονομάχον. οὐκ ἐςὶ τὸ ψαλτήριον Δέσποτα μου βιβλίον, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσι πάντως ἐξ ἀγνωσίας, ἀλλ' ἦν τὸ τερὶν δεκάχορδον ὄργανον, ὡς κιθάρα &c. Secundum de Psalmorum Davidicorum compositione & usu, & de eorum translatione ex Hebraica in linguam Græcam per Septuaginta duos interpretes: Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν αὐτὸν βασιλέα. Θεοκρατῶν βασιλεὺς, Δαβὶδ ὁ ψαλμογράφος, Νομοθετῶν καὶ Προφητῶν καὶ στρατηγῶν τὸ κλέος &c. Tertium, *De dogmatibus fidei Christianæ.* Τοῦ αὐτοῦ. Δέχου καὶ τὸν θεμέλιον τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων. Θεὸν δεσπότην γίνωσκε σωμάτων ἀσώματον, ἄχρονον, ἀτελεύτητον, τῶν ὅλων ὑποστάτην &c. Quartum *De Nomocanone* Photii Pa. Constantinopolitani, & de Conciliis Generalibus atque Provincialibus, ex quorum Canonibus collectum est: Τοῦ αὐτοῦ. Ἔχε μοι γνῶσιν Δέσποτα καὶ τοῦ Νομοκανόνου. Σύνθετος βίβλος πέφυκε νόμων τε καὶ κανόνων, Κανόνων μὲν συνοδικῶν καὶ νόμων διαφόρων, τῶν παρῶν δὲ μάλιστα πανσόφων θεσπισμάτων &c. Quintum *De septem Conciliis œcumenicis contra diversas hæreses celebratis.* Γίνωσκε καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἱερῶν Συνόδων, ὁπόσαι κατὰ δυσσεβῶν ἐκροτήθησαν. Ἄναξ Ἑπτὰ πᾶσαι πεφύκασι. πρώτη δ' ἡ ἐν Νικαίᾳ &c."

Theodora Imperatrice anno 1056. sub Augusti mensis exitum Constantinopoli mortua, Eunuchi eligunt Michaelem Stratioticum, qui ultimo die Augusti Imperator declaratus est. Sed cum homo agrestis suos Duces in nullo honore haberet, imo potius ignominia afficeret, imperium diu non obtinuit. Sed anno 1057. die 8. Junii declaratur à Ducibus Imperator Isaacius Comnenus, qui exercitum Imperatoris apud Nicæam vincit, unde Constantinopolim properat, ubi receptus die 2. Septembris coronatur, cum Michael die ultima Augusti purpuram deposuisset, & in cœnobium recessisset. Missus Psellus ad Isaacium Comnenum à Michaele Stratiotico ad pacem, de qua Cedrenus in Historia editionis Græcæ & Latinæ apud Lubetiam ex MSS. Regiis Tomo 2. pag. 803. qui eum non *Michaelem Psellum*, sed *Constantinum Psellum* vocat, sicut & Joannes Scilitzes Curopalates in Historia sua Græco-latina editionis Regiæ Parisiensis ad Cedreni calcem pag. 835. a 843. b. 846. a Cedrenus autem hoc anno Historiam suam finit, quam ad ætatem usque suam continuasse non legitur, vel morte præventus, vel alias ob causas impeditus.

Constantinus Ducas ab anno 1060. ad 1067. per annos septem cum dimidio imperium obtinuit, qui etiam Michaelem Psellum Philosophorum Principem, ob eruditionis eminentiam & morum probitatem honoribus auxit, cui & informationem in litteris Andronici & Michaelis filiorum suorum commisit, maximo eruditorum omnium applausu. Zonaras, & Anna Comnena.

Anno 1068. Romanus Diogenes, cum Eudociam Constantini Ducæ viduam sibi matrimonio

monio junxisset, ad imperium pervenit, quod annos fere quatuor tenuit. Zonaras. Hoc autem anno imperii sui primo Diogenes Imperator Saracenos multis præliis in Syria vincit, eos præda exuit, & feliciter Constantinopolim revertitur. Zonaras idem. Anno 1069. Diogenes Imperator contra Turcas, ad Euphratem usque proficiscitur, & inde in Cappadociam, Iconium usque pervenit. Zonaras. Interea improbantes matris conjugium, Constantinus natu major, Andronicus atque Michael Constantini Ducæ filii, insidias Romano Diogeni parant, quibus adhæsisse Michael Psellus creditur, qui tunc temporis Constantinopoli publicis rebus admovebatur. Nam sicut habet in *Romano Diogene* Joannes Scilitzes Curopalates *Historia* Græco-Latinæ editionis Regiæ p. 835. a. Imperator summo studio & animi alacritate cupiebat quamprimum egredi contra Turcas, & suæ regioni opem ferre: sed à Consiliariis & ignoratione multitudinis hostium fuisse prohibitum, inter quos erant Nicephorus Palæologus & Philosophorum Princeps Constantinus Psellus. Idem quoque narrat Leo Allatius in Diatriba *De Psellis* sectione 25. his verbis „Psellus Diogeni Imperatori infensus, primus „ipse inter Senatores & Joannes Cæsar & filii, „Eudociam Imperatricem in Monasterium tru„dunt, Michaelem Ducam Imperatorem de„nuntiant, Diogenem jam revertentem impe„rio abdicant, auctore & adjutore consiliorum „eodem Psello. Zonaras in Romano Dioge„ne. ὁ γοῦν Καῖσαρ Ἰωάννης, καὶ οἱ αὐτοῦ υἱοὶ „ἀεὶ, ὡς εἴρηται, ἐγκοτοῦντες τῷ Διογένει, ἁρ„πάζουσι τὸν καιρὸν, καὶ προσλαβόμενοι τῶν τῆς „Συγκλήτου ἐνίους, ὅσοι ὁμοφρόνουν αὐτοῖς, ὧν „ἐξῆρχεν ὁ ὑπέρτιμος Ψελλὸς, δύσνους καὶ αὐ„τὸς τῷ Διογένει τυγχάνων, τὴν Βασίλισσαν Εὐ„δοκίαν εἰς τὴν παρ᾽ αὐτῆς δομηθεῖσαν Μονὴν, „κατὰ δὴ τὸν ἐν τῇ Προποντίδι πορθμὸν περιο„ρίζουσι, τὸν δὲ Μιχαὴλ ἀνακηρύττουσιν αὐτο„κράτορα &c. *Joannes igitur Cæsar, ejusque filii,* „*Diogeni semper ut dictum est infensi, arrepta occa*„*sione, quibusdam etiam ex Senatu sui facinoris,* „*quorum Psellus vir honoratissimus princeps erat, &* „*ipse Diogenis inimicus, adhibitis: Imperatrice* „*Eudocia in Monasterium quod ipsa circa fretum Pro*„*pontidis ædificaverat relegata, Michaelem Impera*„*torem denuntiant &c.* Hæc Zonaras.

Anno Christi 1071. Diogenes Imperator, cum iterum exercitum contra Turcas eduxisset, Turcæ pacem petunt, quam recusat Diogenes, nisi omnia restituant. Interim proditione *Andronici Ducæ* privigni, exercitus ejus in fugam actus est, & ipse à Turcis capitur: sed à Sultano Turcarum benigne excipitur, etiam mensæ ejus adhibetur, qui & paulo post Constantinopolim remittitur. Sed Constantinopolitani eodem anno 1071. alium eligunt Imperatorem, antequam Diogenes remissus urbem adveniret, *Michaelem Ducam*, qui Andronicum fratrem natu majorem vitrico obviam mittit, & Andronicus Diogenem capit, oculosque ipsi eruit, nec tamen illi medicamenta, ut fieri solet, adhibet: quapropter vermes in capite enati sunt, atque ita mortuus est. Zonaras. Porro ut habet Scilitzes in Historia Græco-latina pag. 843. littera b. Michaele declarato Imperatore, *Consiliarii ad omnes partes scripserunt, reversum Imperatorem Diogenem non esse excipiendum, neque ut Imperatorem colendum: princeps & auctor declarationis fuit, Philosophorum eximius Psellus, quemadmodum ipse quoque in quodam scripto gloriatur.*

Michael autem Ducas, Constantini Pselli discipulus, quem litteris humanioribus hic Philosophorum Princeps informaverat, annos sex & menses octo ad annum 1078. imperavit, homo imbellis & Musis plus æquo deditus. Itaque dum is oblitus imperii, operam dat condendis carmininibus, Alphasar Turcarum Sultanus, Græcas ditiones invadit armis atque occupat. Michael igitur Ducas, tanquam impar tanto imperio, infensis proceribus, fastigio dejectus, in cœnobium includitur, Nicephoro Botoniata subrogato. At Ducas profugus Gregorium VII. Romanum Pontificem, Robertumque Guiscardum in Botoniatam incitavit. Zonaras. Joannes autem Scilitzes Curopalates malam Michaelis Ducæ in imperio administrationem, in Constantinum Psellum refundit in *Historia* sua pag. 846. a. editionis Græco-Latinæ Regiæ his verbis. *Hunc Nicephorum Romanorum malo Michael Imperator accersitum Republica administrationi præfecit, Logothetam ipsum declarans, capiturque Imperator illius præstigiis & machinationibus: utpote qui virilis mentis & stabilis expers esset. Et idcirco expellitur Sida Præfectus, omniaque ipse ad se unum revocat, Michaele interim nugis & ludis puerilibus perpetuo vacante: cum Philosophorum præstantissimus Constantinus Psellus, ipsum Imperatorem ad omne opus inutilem & minus idoneum reddidisset.*

Huic Michaeli Ducæ Imperatori ac discipulo, Michael Constantinus Psellus obtulit *Solutiones & Expositiones synopticas variarum quæstionum & controversiarum de fide*, de quibus ita Petrus Lambecius Libro V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 255. Codice MS. Theologico Græco CCLXXXXIV. his verbis. Codex MS. Theologicus Græcus CCXCIV. qui Chartaceus, antiquus & bonæ notæ in 4 constatque foliis 195. & ad Joannem „ Sambucum, ut ipse solita propriæ manus in- „ scriptione testatur, olim pertinuit, in quo con- „ tinentur tertio & quidem à folio 45. pag. 1. us- „ que ad folium 49. pag. 1. *Michaelis Pselli solu-* „ *tiones & Expositiones Synoptica variarum quæstio-* „ *num & controversiarum de fide ad Imperatorem* „ *Michaelem Ducam*, quarum titulus & principi- „ um: Μιχαὴλ ὑπερτίμου τοῦ Ψελλοῦ ἀποκρίσεις συν- „ οπτικαὶ καὶ ἐξηγήσεις πρὸς ἐρωτήσεις διαφόρους „ καὶ ἀπορίας, γραφεῖσαι πρὸς τὸν βασιλέα „ Αὐτοκράτορα Μιχαὴλ τὸν Δούκαν περὶ πίστεως. „

inci-

„Incipit, πιςἐυομεν εἰς ἕνα Πατέρα, τὸν πάντων „ἀρχὴν καὶ αἰτίαν, &c.

Sub ejusdem Michaelis Ducæ imperio, qui anno 1078. ante diem mensis Martii 25. depositus fuit, hoc est circa annum 1076. vel 1077. Michael Psellus Philosophorum Princeps, à Joanne Italo olim etiam ejus discipulo, homine inquieti & petulantis ingenii, jurgiis frequentibus impetitus, qui ob linguæ procacitatem non tantum apud ignaram plebem, sed etiam apud Imperatorem & aulæ Primates, authoritatem nactus fuerat; Psellus inquam, maxima de se ob doctrinam existimatione excidit. Pertæsus igitur humanarum vicissitudinum Psellus, monachali collobio assumpto, Constantinopoli egressus, Italo æmulo cathedram Philosophiæ principalem reliquit. Hæc anno 1076. vel 1077. accidisse verisimile est, de quibus Annæ Comnenæ in *Alexiade* Lib. 5. à pag. 143. ad 149. latissime agentis, verba audiamus. Ibi igitur postquam pag. 143. littera D refert Joannis Italiortum & primordia Scientiarum facta fuisse, non Athenis aut in Schola, sed in Sicilia & in castris, pag. 144. littera C inquit. „Italus deinde etiam Miachaeli Psello dedit o„peram, illi late inclyto homini, non tam cu„ra Magistrorum sapientum, quorum limina „non multum triverat, quam indolis præstan„tia & velocitate mentis divinitus adjutæ, (id „videlicet impetrantibus, ardentissimis per „crebras vigilias continuatis matris ejus preci„bus in templo Cyri ad sanctam imaginem Dei „matris, haud sine lachrymis fundi solitis) in e„minentissimum sapientiæ atque eruditionis „omnis apicem evecto: quippe qui ad Græco„rum litteras atque artes omnes, quas perfecte „noverat, etiam Chaldæorum disciplinas ad„junxerat, famamque meruerat, doctissimi o„mnium qui tunc essent. Huic se Italus in di„sciplinam dedit, longe dispari vir ingenio, im„miti acerbaque natura. Itaque nec per habi„tudinem mentis penetrare in adyta Philoso„phiæ potuit, nec per contumaciam suscipere „institutionem Magistri: quem loci & officii „auctoritate utentem, iste præcumidus & stoli„da ferox arrogantia, jurgiis impotentibus ipso „primo congressu lacessere cœpit: jam a rudi„mentis ipsis, longe se omnibus eruditione an„tecellere, superbissime autumans. Et pag. „145. A. Hic ille turbis admirationem sibi & „plausum paravit, non plebis solum, sed Ma„gnatum quoque, atque adeo ipsius Michaelis „Ducæ tunc imperantis & fratrum ipsius. Hi „enim licet primum doctrinæ & existimationis „locum Psello reservarent, Italo tamen isto de„lectabantur, & ejus opera utebantur in Logi„cis concertationibus. Erant enim litterarum „& eruditarum artium studiosissimi Ducæ, cum „omnes, tum fratres Imperatoris, & Augustus „ipse Michael. Quorum Italus favore alens „confidentiam, ardenti Pselum semper in con„gressibus & furioso figebat oculo, facile se ex„tricantem ex ejus laqueis, & aquilina celeri„tate volucris mentis, perplexas captiunculas„ odiosi Sophistæ alte supervolantem. Qua il„le re utebatur primum intime ac ringebatur,„ tum stomachum erumpebat in jactationes cor„poris, ac clamores impotentes. Et pag. 145.„ littera D. Eique Italo ad diversandum attri„buitur Monasterium *fontis* dictum, cum Eccle„sia Sanctorum Quadraginta: ubi Psello tan„dem post detonsionem Byzantio egresso, prin„cipi Philosophiæ cathedræ, Magister imposi„tus Italus idem est, summusque Philosopho„rum declaratus. Quam ad loci & honoris„ possessionem obtinendam, libros Aristotelicos„ & Platonicos mox suscepit enarrandos, ma„gnam in eo negotio curam adhibens: & af„ferebant Dissertationes ejus auditoribus, spe„ciem hominis varia eruditioni instructissimi.„ Interpretandi porro genere utebatur tam a„tri subtilique, ut facile fidem faceret, se cum„ cæteræ totius quantumvis abstrusæ Peripate„tices, tum Dialectices præsertim esse consul„tissimum. Ad alias litterales artes, non ita fe„liciter a natura fictus erat. Nam circa Gram„maticam quidem claudicabat, Rhetoricum„ vero nectar non gustaverat. Oratio nulla„ concinnitate collocationis partium, nullo de„lectu verborum, aut eloeutionis elegantia po„lita, horrida & squallens, semperque involu„ta, ac sibi velut ab hoste cavens.„ Atque hæc tristitia genuinus character sermonem ejus„ fuit, supercilium cum ipso Philosopho tollen„tis, & perpetuam spirantis acerbitatem.„ Hæc Anna Comnena, de moribus Joannis Itali, qui Psello sapientissimo & Philosopho & Theologo, in Constantinopolitana Philosophiæ cathedra successit.

Petrus Lambecius Tomo V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 37. in Examine Codicis MS. Theologici Græci CCXIII. scribit Michaelem Psellum circa annum 1078. mortuum: idemque repetit in Indice Alphabetico Scriptorum Tomi V. pag. 244. atque in Indice Chronologico ejusdem pag. 365. At falli hac in parte Lambecium arbitror, ac Psellum floruisse & vixisse, non tantum sub Nicephori Botoniatæ imperio, sed multos etiam per annos sub Alexio Comneno Imperatore, ut ad annum Christi 1105. etiam pervenerit, qui Alexii Comneni imperantis XXV. vel XXVI. fuerit. Existimat Lambecius Michaelem Psellum nempe contemptum fuisse à Michaele Duca discipulo suo, cui per summam ingratitudinem prætulerit Joannem Italum, hominem audacem ac clamosum, unde Psellus Magister & Philosophorum princeps homini novitio postpositus, occasionem accepit tonsionis monasticæ ac Constantinopolim relinquendi: qui paulo post seculum abjectum & Aulam relictam in Monasterio mortuus sit, quæ certo certius falsa sunt. At Leo Allatius in Diatriba *De Psellis*, hanc Pselli ad monasterium secessionem

nem à Nicephoro Botoniata procuratam fuisse arbitratur Sectione 29. his verbis. Tandem „jam senex Psellus, exauctorato Michaele Du„ca, ipse quoque à Botoniata Nicephoro digni„tatibus spoliatus, Monachum induens, solum „vertere coactus est: nec multo post, sive se„nio, sive etiam mærore vitam posuit: idque „conjicio ex verbis Annæ Comnenæ *Historiæ* lib. „V. sed iis præcipue, *ἔνθα καὶ τοῦ ψελλοῦ μετα„χωρήσαντος Βυζαντόθεν μετὰ τὴν ἀπόκαρσιν, „αὐτὸς φιλοσοφίας ἁπάσης προέστη διδάσκα„λος: Ubi & Psello post comam* detonsam Byzan„tio secedente, ipse Italus universæ Philoso„phiæ Magister præfectus est. At hic errores sunt duo Leonis Allatii, primus quando attribuit Nicephoro Botoniatæ dejectionem Pselli, quæ certo Michali Ducæ ejusdem discipulo homini inconstanti & ingrato tribuenda est, qui per Psellum maxime imperator factus fuerat. Secundus, dum scribit Psellum statim post detonsionem mortuum, qui annos adhuc triginta post hanc conversionem vixit, ac forsitan & ultra, plusquam nonagenarius sub Imperio Alexii Comneni mortuus.

Nicephorus autem Botoniates, Præfectus exercituum Michaelis Ducæ, Imperatori infidus, cum Nicæam auxiliis Turcarum adjutus occupasset, anno 1078. Imperator proclamatur die 25. Martii, & ita deponitur Michael Ducas, cum annos sex & menses octo imperasset, qui in cœnobium cum uxore sua detruditur vespera Paschatis. Cum vero Nicephorus Brionnius adhuc in Thracia se pro Imperatore gereret, missus à Botoniata contra illum Alexius Comnenus, qui victum cœpit & excæcavit. Regnavit autem Nicephorus Botoniates per triennium, Zonaras inquit: nempe ab anno 1078. die 25. Martii ad 1081. quo exuitur ipso imperio feria quinta ante Pascha, ab Alexio Comneno, qui exercitibus ejus imperabat. Vixisse porro ac floruisse Michaelem Psellum sub Nicephori Botoniatæ imperio, extra dubium est, ex *Commentario in Cantica Canticorum*, quem huic Imperatori obtulit, postquam in cœnobium recesserat: quod Lambecium non animadvertisse miror. Extat enim *Michaelis Pselli Paraphrasis metrica, seu Carmina in Cantica Canticorum ad Nicephorum Botoniatam Imperatorem*, quæ prodiit Latine Venetiis anno 1573. in 4. Antverpiæ 1615. in 8. Et Græce studio Joannis Meursii Lugduni Batavorum 1617. in 4. Hæc inter MSS. Codices Theologicos Græcos ter Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codicibus 56. 169. Num. 3. & Codice 212. inscripta, *Explanatio Cantici Canticorum versibus ut vocant politicis, cum Præfatione ad Imperatorem Nicephorum Botoniatam.* Vide Petrum Lambecium libro 3. Commentariorum citatorum pag. 77. & libro 4. pag. 178. & libro 5. pag. 33.

Alexius Comnenus ex insigni Duce militiæ factus Imperator anno 1081. feria quinta ante Pascha, qui annos triginta septem & menses quatuor imperavit, juxta Zonaram, sub cujus imperio annos etiam plures vixisse Michaelem Psellum jam Monachum contra Lambecium arbitror, his ductus argumentis. 1. quod Anna Comnena in *Alexiade* Lib. V. pag. 144. & 145. amplissimam & honoratissimam illius mentionem faciat: id quod absurdum fuisset, nisi tunc adhuc in vivis extitisset. Loquitur enim de viris, qui tempore Alexii patris eruditione clarebant, ut de Psello & Joanne Italo, & ut Alexius pater litteratos homines coleret. 2. quia idem juxta Jacobum Pontanum & Antonium Possevinum, adjecit *Præfationem & Notas* in Dioptram Philippi Solitarii, quæ anno Christi 1105. conscripta fuisse legitur. Illam quidem Lambecius anno Christi 1095. & imperii Alexii Comneni 15. compositam fuisse credidit, atque hanc *Præfationem ac Notas* esse alterius Pselli junioris, sed nulla ratione fretus id scripsit Libro V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 37. At Opus *Dioptra Philippi Solitarii* extat in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis 1618. Seculo XII. parte 1. pag. 677. ad 735. Illic autem lib. 3. cap. 8. pag. 712. multis præmissis de variis supputandi rationibus, nullo habito respectu ad rationem supputandi Græcam, seu Constantinopolitanæ Ecclesiæ, nempe à Creatione mundi, inquit: *Puto namque à Christo in præsens tempus, annos evolutos mille centum quinque, sicut accurate supputando inveni. Quod si ab ejus acerbissima nece & sepultura numeres, mille septuaginta duos conficies, & hinc exactius tempus deprehendes.* Ex postea, *Itaque à passione Domini annos omnes fluxisse collige, mille septuaginta duos, eosque plenos. Optimus autem Alexius decimum sextum* (lege vigesimum sextum) *in imperio nunc agit.* Quantum vero ad annum Alexii Comneni *Decimum sextum*, opinor esse typographiæ mendum, ac *vigesimum sextum* legendum fuisse, nec enim tam turpiter ipse author, vel Pontanus Operis interpres, in suppotatione errare potuit. Hæc de rebus gestis Michaelis Constantini Pselli, per Imperatores deductis, unde & Psellum nostrum ad annum circiter 1110. Alexii Comneni imperaotis XXX. ætatem produxisse conjicimus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE PRÆSTANTIA MICHAELIS PSELLI IN MEDICINA ET HISTORIA CONSTANTINOPOLITANA.

FUisse Michaelem Psellum etiam in Medicina peritum, aperte nos docet Leo Allatius in Diatriba *De Psellis* sect. 22. his verbis: Medicinæ quoque operam dedit, ut ipse de se Ora-“ tione in Matrem sæpius laudata affirmat, dum“ de Patre moribundo loquitur, *ὡς δὲ καὶ τοῖς“ δακτύλοις τὰς τῆς ἀρτηρίας κινήσεις ἐπεμετρησάμην, ἐσπουδάζετο γάρ μοι μακρόθεν ἡ περὶ“*

πάσῃ τέχνῃ. Vt vero digitis arteriæ motus observavi, jam enim diu aliquid in eam artem studii & operæ contuleram. Vnde nihil mirum quod idem Allatius sect. 33. ita de illo loquatur. „ Hic ergo Psellus ut doctrina præstantissimus, ita omnium πολυγραφώτατος fuit. „Ausim dicere neminem, ea vel subsequente ætate, Græce vel invenisse acrius, vel ordinasse aptius, vel locutum eloquentius, vel profundius res pertractasse. Nulla fuit scientia, quam ipse vel notis non illustraverit, vel compendio non tentaverit, vel optima methodo non expedierit. Eorum quæ scripsit, quæque ad notitiam meam pervenere, quædam edita „sunt, quædam adhuc inedita: de editis primum sermonem instituam. Sect. 34. Edita „sunt Pselli *De victus ratione, deque facultatibus & succi qualitate alimentorum libri duo ad Constantinum Imperatorem*, Latine Georgio Valla interprete, una cum Rhazæ de pestilentia libro „& Joannis Manardi Ferrariensis Expositione in „Artem Galeni, Basileæ apud Andream Cratandrum anno 1529. in 8. Addit Fabricius in Notis, *Constantinum Ducam vel Monomachum*, ut Allatius notavit supra sect. 6. non *Porphyrogenitum* ut Lilius Giraldus *de Poetis* pag. 282. Prodierunt etiam hi libelli *de victu humano* cum aliis variorum scriptis ab eodem Georgio Valla versis Venetiis 1498. in fol. ut editiones Coloniensem 1526. & Basileensem 1557. in 8. omittam. In libellis istis Imperatoris jussu collectis, nullum scriptorem laudat Psellus, præter Galenum p. 8. De eodem argumento sed plane diversus liber Simeonis Sethi extat ad Michaelem Ducam Imp. cui valde simile scriptum aliud Psello tributum, de quo Allatius sect. 51. Idem igitur Allatius Psello eidem attribuit opus aliud medicum, illudque dedicatum Constantino Monomacho Imperatori *De Cibariorum facultate, utilitate & noxa ex libris Medicis collectum*, per literarum ordinem digestum. Itemque Sectione 52. eidem Psello librum περὶ Ποδάγρας *de Podagra* in nonnullis Codicibus tributum habet, de quo illic latius agit. Nihil itaque mirum, quod in Dissertatione ista *De Psellis*, inter Opera illius adhuc inedita seu MSS. Sectione 70. opuscula alia medica designet, Περὶ Σφυγμῶν, *De pulsibus*. Principium, Ἧκω δέ σοι, καὶ τὸ περὶ σφυγμῶν: & aliud Ἀποσημείωσις πυρεττόντων, *Nota de febrientibus*, principium. Εἰ κατακλίθη ὁ νοσῶν ἐν ἀρχῇ. Idem Allatius ibidem Sectione 71. ἰατρικὸν πρὸς Κωνσταντῖνον Πορφυρογέννητον, *Medicinale ad Constantinum Porphyrogennetam*. Principium, Τὰς προσαχθείσας ἐπιτομὰς παρὰ τῆς σῆς θειότητος, de quo plenius illic Leo Allatius in Sectione ista integra, qui tamen ob dedicationem operis Constantino Porphyrogenito Imperatori factam, concludit. *Quare vel hic Psellus à Michaelis Duca Præceptore alius est, vel Psellus omnino non est.* Et recte cum tempora utriusque non conveniant. Nihil igitur mirum videri debet, si juxta Carolum du Fresne Dominum du Cange, in Catalogo MSS. Codicum Græcorum quibus usus est in Glossario suo mediæ & infimæ Græcitatis, in Indice Scriptorum MSS. seu ineditorum verbo *Michael Psellus* col. 29. alleget Codices MSS. Regiæ Bibliothecæ Græcos sub ejusdem nomine, nimirum, *De Agricultura* seu περὶ Γεωργικῶν ex Codice Regio 3502. Item Opus ineditum, πόνημα ἰατρικὸν δι' ἰάμβων ex eodem Codice Regio 3502. *Historiæ quoque addictissimum fuisse Michaelem Psellum Constantinopolitana*, discimus ex his Leonis Allatii verbis in Diatriba *de Psellis* Sect. 27. ex Joannis Zonaræ verbis collecta. “Non potuit tamen Psellus effugere calumniam zonaræ 3. Annalium Καὶ ἦν τῶν ἀνθρώπων σύνεριμμα καὶ ταλαιπωρία, καὶ ὁ τούτων ἐπιστρεφόμενος οὐδαμοῦ. ὁ γὰρ βασιλεὺς παιδαριωδέστερον ἐσχόλαζε πράξεσιν, τοῦ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων καὶ ὑπερτίμου Μιχαὴλ τοῦ Ψελλοῦ, λόγοις τοῦ δοκεῖν αὐτὸν ἐμβιβάζοντος, καὶ διδάσκοντος, νῦν μὲν τὴν Γραμματικὴν τέχνην, καὶ μέτρα, καὶ διαλέκτους: νῦν δ' ἵνα κατὰ ῥήτορας διαλέγοιτο: νῦν δ' ἱστορίαις αὐτὸν προσεγγίζοντος. Ἄλλοτε δὲ φιλοσόφων θεωρημάτων ἀκροᾶσθαι παρασκευάζοντος. ὁ δὲ πρὸς οὐδὲν ἐπεφύκει. Τούτοις οὖν ὁ Ῥωμαίων αὐτοκράτωρ προστετηκὼς, ὑφ' ἑτέρου καὶ τοῦτο ἑνὸς τὴν τῶν κοινῶν κυβέρνησιν ἐποιήσατο, καὶ νόμος ἦν τὸ τῷ Λογοθέτῃ δοκοῦν. *Homines altercabantur & ærumnis premebantur, & nemo erat cui illa curæ essent. Nam Imperator puerilibus rebus occupatus. à principe Philosophorum atque honoratissimo Michaele Psello ad literarum studia deduci videbatur: ac modo in Arte Grammatica versibus & linguarum differentiis erudiebatur, modo declarationibus Rhetoricis, modo Historiis assuescebat, modo ad audienda Philosophica præcepta parabatur, quamvis ad hæc omnia ineptus. Hujusmodi igitur studiis Romanorum Imperator affixus, rerum administrationem alteri, eique uni commisit, ut legis auctoritatem haberet, quod Logotheta visum esset.* Et inferius, Μηδενὸς δὲ προνοουμένου τῶν κοινῇ συμφερόντων, ὁ γὰρ βασιλεὺς περὶ λόγους ἠσχόλητο, καὶ ἰάμβους συντιθέναι πρὸς τοῦ Ψελλοῦ ἐδιδάσκετο, σιτοδεία τοὺς ἐν πόλει ἐπίεζεν. *Nemine autem bonum publicum curante, nam Imperator studiis vacans, Jambos scribere à Psello docebatur, Vrbanos annonæ penuria premere cœpit.* Hæc Zonaras, quæ male Allatius columniæ arguit. Studium autem Michaelis Pselli circa Historiam testatur idem Allatius Sectione 58. his verbis, Meursius *Historiarum opus* Psellum scripsisse autumat, illudque laudari à Zonara Tomo 3. in Isaacio Comneno, & in Romano Diogene. Item à Theodoro Metochita *Historia sacra* libro 2. Cedreno, Joanne Curopalata in *Historiæ suæ* initio, Michaele Glyca in Annalibus, semel & iterum. Erat etiam in Catalogo exhibito a Grammatico, apud Antonium Verderium in *Supplemento*.

Jam videamus ac probemus ipsum Michaelem Psellum Michaelis Ducæ Præceptorem, esse

se parentem & Scriptorem quatuor librorum Græcorum anonymorum, quos ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ num. 3058. in 4. Græcè & Latinè edendos curavit ex sua interpretatione Anselmus Bandurius Monachus Benedictinus Congregationis Melitensis in Collectione inscripta *Imperium Orientis* seu *Antiquitates Constantinopolitanæ* 2. in folio voluminibus impressa Parisiis anno 1711. apud Joannem Baptistam Coignart, Regis & Academiæ Typographum, Tomo I. hujus Collectanei parte 3. pag. 1. ad paginam 81. Quorum tres priores urbem Constantinopolitanam describunt, & quartus magnificeam Sanctæ Sophiæ, ut loquuntur Ædem, eum præfatione ad Alexium Imperatorem Comnenum, obtinentem ab anno 1081. ad ann. 1117. Orientale imperium.

Probatur id ex conditionibus ipsis, quibus Anonymum suum Bandurius depingit: quas fuisse tres, illasque omnes uni Michaeli Psello atque soli convenientes, disertè ostendo, ut dubitationi locus ea de re nullus relictus fuerit. Prima ex his conditionibus *Anonymum Scriptorem Constantinopolitanum* ortu fuisse, ut habent Diarium Eruditorum Parisiense, de quo supra & Acta Eruditorum Lipsiæ anni 1712. mense Novembri pag. 486, unde quam Constantinopolim describit, *patriam* suam appellat. Inciderat nimirum Bandurius, cum Regiæ Parisiensis Bibliothecæ Codices manu exaratos evolveret, in Codicem Græcum Num. 3058. in 4. inscriptum, *Patria seu Origines urbis Constantinopolitanæ*: cumque Scriptorem operis animadverteret, Codinum annis circiter trecentis & quinquaginta, quod ex jambis præmissis apparet, præcedere, diversâ etiam methodo rem totam tractare, eundem per otium Latinum facere, ac ubi opus esset, commentariis illustrare incœpit. Hæc autem conditio maximè Michaeli Psello convenit, de quo ita Leo Allatius in sua Diatriba *De Psellis & eorum Scriptis* Sect. 22. „ Tertius fuit „Michael Psellus Michaelis Ducæ Imp. Præce„ptor, qui maximè omnium de Republica litera„ria meritus, honorificam sui ad posteros me„moriam consecravit &c. Fuit patriâ Constan„tinopolitanus, è Consulum ac Patriciorum „prosapiâ, quamvis non tam felici fortunâ. „Ipse id ait de se in Epitaphio Matris. *Τῷ γοῦν ἐμῷ πατρὶ, τὸ μὲν ἄνωθεν γένος εἰς τοὺς „ὑπάτους ἀνῆκε καὶ Πατρικίους: τὰ δὲ καθ' ἑαυτὸν πράγματα οὐχ οὕτω δεξιῶς εἶχεν. Patris igi„tur mei genus antiquum ad Consules & Patricios „referebatur, res verò ipsius non nimis prosperè se „habebant.*

Quoad autem alias duas Anonymi conditiones, fuisse nempe Monasticam vitam professum, atque vixisse sub Alexii Comneni imperio, habent ex Bandurio ipso Acta Eruditorum Lipsiæ anteà prolata pag. 489. Pars tertia ex libris VIII. Antiquitatum Constantinopolitanarum conficitur, ad quos totidem Tomo II. Commen„tariorum libri extant. Quatuor libri priores sunt illi, qui sub titulo *Patria* &c. ex Codice Re„gio Chartaceo superius commemorato, ac cir„ca Michaelis Palæologi tempora conscripto, &„ Constantinopoli advecto, paucisque post Du„cangii obitum annis in Bibliothecam Regiam„ illato, nunc primùm in lucem prodeunt.„ Auctorem illorum sub Alexio Comneno vixis„se, ex Jambis in fronte positis, eidemque Impe„ratori factis arguitur. Monachum verò fuis„se, ex præfatione, in qua Alexium à munificen„tia & liberalitate in Monachos laudat, confici„tur. Cæterum in eo præferendus Codino, „quod secus ac hoc factum deprehenditur," urbem in tres partes distributam describat, at„que adeo singulis ædificiis situm suum quem„que tenere, adsignet." Utrumque autem disertè probatur à nobis, præcedenti cap. 6. ubi de Imperatoribus octo, sub quorum imperiis vixit, diffusè agimus. Idem quoque Leo Allatius in Diatriba *De Psellis & eorum Scriptis* Sectione 22. dum bellum refert inter illustres viros qui sub Alexii Comneni imperio floruerunt, ex Anna Comnena lib. V. *Alexiados*, ubi de ejus cum Joanne Italo dissidiis latè loquitur. Nec enim ista sub Alexii imperio Anna Comnena narrasset, nisi adhuc in vivis Psellus monachus licet, extitisset. Convenit quoque ibidem idem Allatius Sectione 78. hunc Michaelem Psellum floruisse sub Alexii Comneni imperio, idque per plurimos post tonsionem capitis annos, XXV. nimirum & ultrà, si verum est id quod Jacobus Pontanus Soc. Jesu scribit, Michaelem Psellum fecisse præfationem & Notas breves in *Dioptram fidei* Philippi Solitarii, quæ anno Christi 1105. conscripta & perfecta dicitur. Et quamvis Allatius hoc argumentum non usquequaque approbet, non negat tamen, quin dudum Monachus jam factus, sub hujus Alexii imperio claruerit ac superstes fuerit.

Neque hoc Opere Historico tantum posteris innotuit Michael Psellus, sed aliis multis ad res Constantinopolitanas spectantibus, quorum notitiam non habuisse videtur Leo Allatius, neque multi etiam viri eruditi, neque enim de illis siluisset dictus Allatius in Diatriba illa prolixa *De Psellis & eorum Scriptis*, quam occasione hujus Pselli composuisse solum videtur. Quod dicimus constat, ex Catalogo Manuscriptorum Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ætate nostrâ dum Parisiis hæreremus, viri duo clarissimi Carolus du Fresne Dominus du Cange & Joannes Baptista Cotelerius operâ conjunctâ multis curis conscripserunt, confusione ablata, quæ in Catalogis anterioribus occurrebat, ut ex lectione *Novæ Bibliothecæ MSS. Codicum Græcorum, Latinorum atque Gallicorum* Philippi Labbei agnosci potest, quæ Parisiis anno 1653. in 4to edita prodiit. Idem porro Cl. Ducangius seu Dufrenius, ad finem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* verbo *Michael Psellus* columna 29. Catalogi Scriptorum ineditorum ex quibus Glossarium dictum contexuit, Opera

plu-

plurima atque in iis Historica Pselli recenset, quibus constat illum multa contulisse ad Historiam Constantinopolitanam ex MSS. Codicibus Regiis.

„Michaelis Pselli Philosophorum Hypertimi diversa, nempe Chronographia à Basilio atque Constantino Porphyrogenitis fratribus, usque ad Michaelem Ducam per annos centum vel circiter, ab anno 975. ad 1078. vel circiter, ex Codice Regio 1837.

„ Ejusdem Epistolæ ex eodem Codice.

„ Monodia de casu Ædis Sophianæ, ex eodem Codice.

„ Monodia in Joannem Patricium ex eodem Codice.

„ Περὶ κοινῶν δογμάτων καὶ ὅρων τῶν νομικῶν, Ῥωμαϊστὶ λεγομένων λέξεων, ex eodem Codice.

„ Synopsis διὰ στίχων πολιτικῶν, περὶ πασῶν ἐπιστημῶν &c. ex eodem Codice.

„ De Grammatica versibus polititicis ad Constantinum Monomachum, ex variis Codicibus.

„ Epistola ad Xiphilinum Patriarcham Constantinopolitanum, ex Codice Regio.

„ De Agricultura seu περὶ Γεωργικῶν, ex Cod. Regio 3502.

„ Opus ineditum, πόνημα ἰατρικὸν ἄριστον, δι' ἰάμβων, ex Codice Regio 3502.

„ De Kalendis, Nonis & Idibus ad Isaacum Comnenum Imperatorem, ex Codice Regio 2809.

Denique *libros istos quatuor anonymos* pertinere ad Michaelem Psellum constat ex præfatione ad Alexium Comnenum facta. Cum enim sub octo Imperatoribus Constantinopolitanis sibi succedentibus, Michael Psellus vitam longævam agens, ad annos circiter nonaginta floruerit: nullus illorum fuit sub quibus modico etiam tempore claruit, cui non opus aliquod suum dedicaverit, ut cap. 6. præcedenti probavimus. Illic enim de Opusculis Michaelis Pselli dedicatis Constantino Monomacho, Michaeli Strariotico, Michaeli Ducæ Parapinacio cujus Præceptor fuerat, atque Nicephoro Botoniatæ, itemque etiam ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ Græco 2809. *De Kalendis, Nonis & Idibus ad Isacium Comnenum Imperatorem*, quem biennio tantum annis 1059. & 1060. imperasse constat. Igitur sanè hos quatuor libros Michael Psellus jam tonsus ac Monachus factus, qui per annos XXV. & amplius sub imperio Alexii Comneni cucullatus licet, in otio ac maxima existimatione fuit, huic Imperatori literatos amanti, obtulisse censendus est. Vnde nihil mirum quod Anna Comnena Alexii hujus erudita filia, in Alexiade lib. V. pag. 144. & 145. editionis Regiæ, hunc Psellum nostrum propter eruditionem quandam infusam divinitus ac pietatem singularem tantis adornet laudibus, utpote quem ipsa à crepundiis cognoverat. Quo testimonio luculentius dici nihil potest: Atque hæc sufficiant de Scriptore librorum quatuor Græcorum anonymorum, quos Anselmus Bandurius orbi literato obtulit, cum apparatu ingenti & ornamento.

Alter verò Michael Psellus, ab isto Seculi XI. Psello distinguendus est, quem seculo Ecclesiæ IX. florentem Leonis Philosophi Imperatoris Præceptorem fuisse, Joannes Curopalates testatur. Omiserunt hunc Seniorem Psellum Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in Opere suo, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: sicut & alterum istum juniorem, de quo suprà, omiserunt. Argumentum itaque nostrum haudquaquam prætergreditur, hic aliquanto latius de seniore loqui, ex occasione junioris: ut isti ambo Pselli nequaquam imposterum confundantur ab incautis, vel in unum ab indoctis coalescant. Senior hic Michael Psellus floruit circa annum 860. vel 870. cujus meminit Baronius vel ejus epitomator Spondanus, ad annum 859. num. 7. Ejus occasione vult in Oriente restauratas fuisse bonarum litterarum Scholas, apertasque Constantinopoli, opera Bardæ tunc Cæsaris Imperium pro libitu moderantis, ac nisu vehementi eas affectantis: cum interea Michael Augustus Theatra tantum & certamina equorum curaret, ipseque etiam publice auriga-ret. Hæc Joannes Scylitzes Curopalates, qui ait ex eo tempore scientias in Oriente reflorere cœpisse, quæ jam pridem Imperatorum incuriâ ubique prorsus aruissent. Additque, de Leone magni tunc nominis Philosopho Constantinopoli docente, quem testatur discipulum fuisse in insula Andro, Michaëlis Pselli viri doctissimi: ex quibus habes quo tempore Senior hic Psellus vixerit, circa nempe annum 860. vel 870. An aliquid scripserit, mihi omnino incertum est: quamvis nonnulli attribuant ipsi plura Opera ad artem Medicam spectantia, quæ Guillelmus Cavus Allatium secutus, Juniori Psello adscribit in *Historia Scriptorum Ecclesia* seculo XI. ad annum 1050. pag. 606. Hic ergo Psellus Senior Seculo IX. insignis, medicinam exercuisse creditur, cujus extant MSS. Opuscula in Regia Galliarum Bibliotheca citata, nimirum *Michaelis Pselli ad Constantinum Porphyrogenitum Imperatorem, Opus medicum Generale*, Codd. 2697. & 1700. *Michaelis Pselli Interrogationes & Responsiones Medica*, Cod. 2677. fol. 306. Ejusdem de cibis & eorum facultate, Codd. 2145. fol. 103. & 2683. fol. 252. Ad quem etiam Medicum spectare creditur Opusculum, *De ratione victus ad Imperatorem Constantinum*, Basileæ in 8. latinè tantum anno 1529. Georgio Valla interprete editum. Sed obstant Codices MSS. qui Juniori Psello inscribunt, quemque etiam arte medicâ excelluisse, clarum est. *Tertius* quoque *Psellus* utroque citato sequitur, qui scripsit *Scholia* juxta Lambecium, sed juxta me ad Psellum juniorem de quo hic agimus pertinent; in *Dioptram fidei Christianæ* Philippi Solitarii post annum 1095. de quo loquimur paucis in *Philippo Solitario*. Nec du-

dubium, quin alii etiam sint ejusdem nominis, quorum Opera in Bibliothecis confunduntur, neque distinguere nostrarum virium est. De hoc *tertio*, nos latius ad annum 1190. disseremus, quippe quem Allatius in Opusculo *De Psellis* novisse non videatur, cujus notitiam viro Græcorum Scriptorum peritissimo, Carolo du Fresne Domino du Cange debemus, ex MSS. Regiis. Agunt de hoc utroque *Psello Juniore ac Seniore*, amplissimè omnium Leo Allatius, in Dissertatione Singulari *De Psellis & eorum Scriptis*. Gerardus Joannes Vossius, Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pagina mihi 295. 296. & 297. Cæsar Baronius & Henricus Spondanus, in *Annalibus Ecclesiæ*, Seculo IX. & XI. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, & quidem de *Seniore* ad annum 870. pag. 558. de *Juniore* ad annum 1050. p. 605.

1060 JOANNES XIPHILINUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, mortuo Constantino Lichude, anno 1066. sub Constantino Duca factus, juxta Baronium in *Annalibus*, ad hunc annum. Hic, ut authores sunt Zonaras & alii, Trapezunte oriundus, & valde doctus, qui omnibus sponte derelictis, Monasteria frequentavit, solitariam diu vitam egit, ac denique Patriarchali sede cohonestatus est: de quo tamen plura habet in *Historia* Curopalates, laude digna. Fuit hic nominis VII. & in Patriarchis ordine LXXVIII. qua dignitate per annos XI. menses VII. functus est. Antea Monachus Montis Olympi, de quo sic Glycas Annalium parte IV. *Constantino Patriarcha mortuo, Joannes Xiphilinus in ejus locum suffectus est: vir omnino propter eloquentiam, doctrinam, prudentiam, virtutem, admirandus. Trapezunte oriundus, vitam in Olympo religiosis exercitiis deditam agebat, unde vi pertractus est ad hanc dignitatem, tanquam inter alios eximius.* Sedisse autem annis tredecim & mensibus sex, habet Index Chronologicus eorundem Patriarcharum, in Codice Juris Orientalis, antiquitus collocatus. Quam callide autem illusus sit Jo. Xiphilinus ab Eudoxiâ Constantini Ducæ relictâ, quamque versipelle circa disciplinam Ecclesiasticam pro privatis commodis haberet ingenium, haud omnino tacent, post Curopalatem Baronius atque ejusdem Epitomator Spondanus. Narrant igitur ambo in *Annalibus Ecclesiasticis* post illum Joannem Scilitzen Curopalatem, Synchronum Scriptorem, quod anno 1068. ipsis Januarii Kalendis Indict. sexta, Romanus Diogenes Imperator declaratus est: quippe quem Eudoxia Constantini Ducæ relicta in maritum ex ardentibus in eum fœminei amoris facibus, accepisset: qui anteà perduellionis crimine, reus capitis effectus, & in exilium missus, in urbem ad barbaros propulsandos revocatus fuerat. Quod verò Imperatrix proprio juramento teneretur, à viro Imperatore defuncto exacto, ne alteri non nuberet, sed vidua permaneret, & filiis Imperium conservaret: ut Syngrapham ea de re contectam, & apud Xiphilinum Patriarcham depositam, recipere posset, usa est Eunuchi vaferrimi operâ. Hic accedens Patriarcham, Imperatrici cordi esse dixit, ipsius Patriarchæ germanum Bardam in conjugem accipere, sed prohiberi illam Syngraphâ. Quod ubi Xiphilinus accepisset, egit apud Senatores de infirmando Eudoxiæ juramento, quos tum muneribus tum pollicitationibus multis in sententiam suam Xiphilinus adduxit: Sed ubi receptâ Syngraphâ secundas ineundi nuptias Imperatrix licentiam accepit, deluso Patriarcha atque irriso, Romanum Diogenem, filiis consentientibus, virum accepit. Hæc pluribus Curopalates meritò sugillans Patriarchæ ignaviam, quòd privatum commodum religioni prætulisset. Doctus nihilominus Xiphilinus fuit, atque ut habet Zonaras, in declamandis è Constantinopolitano suggestu hominibus eloquens. Hujus extant *Decreta II. De Sponsalibus* in jure Græco Romano, Lib. 3. pag. 211. *Decretum de Nuptiis prohibitis*, ibid. Lib. 4. p. 266. Item *Homilia una seu Oratio in Crucem*, sive *In tertiam Jejuniorum Hebdomadam*, Græcè & Latinè apud Jacobum Gretserum tomo 2. *De Cruce* pag. 1449. Sed hæc pauca, ex tot meditationibus quas assiduus enuntiando Evangelio Xiphilinus edidit. Scripsit itaque *Homilias in Evangelia Dominicalia totius anni*, quæ MSS. Græcè extant sub ejus nomine in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Cod. 91. & in Vaticana, ex Manuscriptis Codicibus Heidelbergensibus Palatinis, num. 221. & 239. Dignissimæ ut audio, quæ in publicum prodeant. Item in nostra Lugdunobatava Bibliotheca, ex MSS. Codicibus ab Isaaci Vossii hæredibus emptis Codice Græco 159. extant *Joannis Xiphilini Archiepiscopi Constantinopolitani Homiliæ in Matthæum*, quarum fragmenta quatuor affert, Henricus Stephanus Præfat. in *Dionis Cassii Epitomen*, authore Joanne Xiphilino. Denique in Bibliotheca Julii Justiniani Procuratoris S. Marci Venetiis, ut scribit D. Bernardus de Montfaucon, Benedictinus Monachus Congregat. S. Mauri, in *Diario Italico* cap. 28. pag. 435. editionis 1702. Parisiis in 4. Mortuus est juxta Baronium anno 1080. quod quidem juxta illius supputationem verum est, qui vult Xiphilinum anno 1066. sedem Constantinopolitanam occupasse, in ea juxta veterem Catalogum annos tredecim & menses sex resedisse: unde fatum ejus rectè in annum 1080. ab Annalista refertur. Sed ista quomodo conciliari possint, cum iis quæ in Annalibus ad annum 1078. referuntur, à me haudquaquam mente capi potest. Narrat enim ejus Epitomator ad annum 1078. num. 3. & 4. collectam hoc anno Romæ Synodum à Gregorio Papa VII. in caussa Regum Germaniæ, atque in eadem Synodo Imperatorem Constantinopolitanum excommunicatum, Nicephorum nempe cognomento Botoniatem, qui tyrannicè sibi Imperium vendicans, Michaelem cum Maria Au-

Augusta conjuge, filioque Constantino Porphyrogenito, in Monasterium relegaverat. Coronatus autem ipse fuerat à Cosma Patriarcha, qui paullò antè Joanni Xiphilino defuncto subrogatus à Michaele fuerat, cum nuper Hierosolymis Constantinopolim advenisset. Hæc pluribus Curopalates, contemporaneus testis. Cum itaque anno 1078. Cosmas Patriarcha Nicephorum Botoniatem Imperatorem jam coronasset, abierat hoc anno Joannes Xiphilinus ejus præcessor: unde necessariò dicendum est, vel illum Patriarcham Constantinopolitanum anno 1064. esse factum; vel si anno duntaxat 1066. electus est, non sedisse annos tredecim & menses sex, cum anno 1078. jam mortuus esset. Pluribus De *Xiphilino* Joannes Scilitzes Curopalates, Joannes Zonaras, aliique Scriptores Græci. De Scriptis autem ejus, Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus Sacri* pag. 955. verbo *Joannes Xiphilinus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. mihi 301. ultimæ editionis. Rectè autem annotat hic Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo XI. ad annum 1066. pag. 615. contra vulgarem omnium ferè Scriptorum sententiam, Joannem Xiphilinum Patriarcham Constantinopolitanum non esse eum, qui Dionem Cassium Romanarum rerum antiquum & nobilissimum Scriptorem in compendium redegerit: cujus occasione compendii, magno literarum humanarum atque Romanæ Historiæ damno, integer ipse Dionis Commentarius exciderit. Hoc autem Opus debetur Xiphilino Xiphilini Patriarchæ nepoti, ut ex propriis Xiphilini nepotis verbis, invictè ibidem probat Guillelmus Cavus. Denique de eodem Catalogus MSS. Codicum, Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum numero 2270. pag. 61. columna 2.

DISSERTATIO

DE

SCRIPTIS PETRI DAMIANI, S. R. E. CARDINALIS, ET OSTIENSIS EPISCOPI.

1060 S. PEtrus Damiani ita dictus, atque sic cognominari noluit ab uno è suis fratribus, quem Parentis loco habuit: cùm *Petrus de Honestis*, familiari majoribus suis cognomine dici debuisset, saltem ut plerique volunt. Oriundus ex urbe Ravennate, qui ex Monacho Ordinis divi Benedicti in Cœnobio fontis Avellani, sive Sancti Andreæ de Avellanâ, factus S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Episcopus Ostiensis anno 1058. à Stephano Papa IX. invitus licet ac reluctans, multis pro Ecclesia Romana Legationibus ac laboribus perfunctus est. Plurimis tum colloquiis, tum declamationibus, tum Scriptis, contra corruptissimos seculi XI. mores egit, ut qui hujus seculi malitiam ignominiamque intueri voluerit, illam plenissimè ex ejus Opusculis introspicere addiscere possit. De illo Bellarminus & Labbeus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, hic parcè admodum ad annum 1060. iste plenius tomo 2. verbo *Petrus Damiani*, pag. 200. & sequentibus, quibus nos non pauca addemus, ut & Guillelmo Cavo qui de eo agit, seculo XI. ad annum 1057. pag. mihi 610. Amplissimè omnium *Acta Sanctorum Ordinis divi Benedicti in Seculorum classes distributa*. Nempe *Seculum VI.* quod ab anno M Christi ad MC. Colligere cœpit Dominus Lucas D'Achery Congreg. Sancti Mauri in Gallia Monachus, D. Joannes Mabillon & Theodoricus Ruinart Congregationis ejusdem illustrarunt, & cum Indicibus necessariis ediderunt, 2. voluminibus in folio Parisiis anno 1701. apud Carolum Robustel. Nimirum parte 1. pag. 280. usque ad 312. ubi de S. Romualdo disserit. Parte 2. pag. 142. ubi de Sancto Dominico Loricato, & pagina 245.

Omnia S. Petri Damiani Opera collegit in unum multis sudoribus & curis, Constantinus Cajetanus, Syracusanus, Monachus S. Nicolai de Arena, Catanensis, Congregationis Cassinensis, Ordinis Sancti Benedicti, qui ad hunc laborem acrius promovendum, à Summo Pontifice Clemente VIII. Romam appellatus est, ut testatur suis ad eum Epistolis Paulus Papa V. datis Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris anno 1606. die 17. Augusti. Hoc autem Opus, quod diversis annis & per partes Romæ editum est, illud integrè primò in Galliis impressum, Lugduni in fol. tribus tomis anno 1623. de qua tantum impressione Labbeus. At omnia S. Petri Damiani Opera, quatuor tomis distincta, impressa etiam in folio Parisiis apud Carolum Chotelain via Jacobæa anno 1642. sub signo Constantiæ. Atque etiam folio & modo iisdem ibidem, seu Parisiis apud Ægidium Tompere anno 1663. viâ aurigariâ prope puteum certum. Varia præmittuntur in hac editione tanquam *Prolegomena*, quibus magna Petri Damiani eniltent merita, & virtutes. Imprimis *Vita ipsius* per Joannem Monachum ejus discipulum, Domino Luitprando & cæteris Senioribus Eremi Fontis Avellani dedicata. *Vita altera* per Joannem Antonium Flaminium Forocorneliensem, ex MS. autographo apud Faventinos: *Tertia* ex Augustino Fortunio Monacho Congrega-

tio-

tionis Camaldulensis, ex Lib. V. Historiarum Camaldulensium: *Quarta* denique ex Hieronymo Rubeo, Libro V. Historiarum Ravennatum. Tum sequitur Letavia quæpiam seu series testimoniorum tam Veterum quam recentiorum Scriptorum, in gratiam S. Petri Damiani, à folio 32. *Prolegomenon* usque ad 44. unde vix amplius aliquid optari à quoquam legitime potest. Itaque continentur

Tomo primo.

Epistolarum libri VIII. Quorum I. ad Pontifices Romanos, & Cadalocum Antipapam. II. ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. III. ad Patriarchas & Archiepiscopos. IV. ad Episcopos. V. ad Archipresbyteros & Archidiaconos, Presbyteros & Clericos. VI. ad Abbates & Monachos. VII. ad Principes seculares. VIII. ad viros illustres, & alias personas privatas. Nec dubium, quin ejusmodi ordine, Epistolæ Petri Damiani haudquaquam in Manuscriptis Codicibus inveniantur, ubi tumultuario modo ordinarie ac pro scribarum opinione transcriptæ sunt: quem ordinem absque dubio excogitavit Constantinus ille Cajetanus, qui editionem curavit. Harum autem quamplutimas, quas vel prolixiores vidit, vel esse majoris momenti arbitratus est, in Tomum tertium conjecit, ubi singularium Opusculorum & ordinem & numerum constituunt. Continentur autem

Tomo secundo.

Sermones numero LXXVII. juxta mensium ordinem distributi, itemque *Historia Sanctorum*, seu *Vita*, nempe *Vita Sancti Odilonis* Calendis Januarii, Scripta rogatu S. Hugonis, qui Odiloni in regimine Congregationis Cluniacensis successit. Eadem habetur apud Surium & Joannem Bollandum, in *Probatis Sanctorum Vitis & Actis*: itemque io *Chronologia Lerinensi* & in *Bibliotheca Cluniacensi*.

Vita S. Mauri Episcopi Cæsenatis, quæ die 20. Januarii, apud Surium & Bollandum.

Vita S. Romualdi Camaldulensium institutoris & Abbatis, die 19. Junii apud Surium.

Vita S. Rodulfi Episcopi Eugubini, injecta *Vita S. Dominici Loricati*, qui colitur die 14. Octobris.

Passio Sanctarum Virginum & Martyrum, Floræ & Lucillæ, die 29. Julii.

Expositio Visionum SS. Martyrum Mariani & Jacobi, quorum Passio tomo 3. Laurentii Surii.

Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 45. pag. mihi 351. enumerat & alias ex Suriana Collectione selectas Vitas, quas inter Sermones reperies. I. Vitam S. Eleuchadii, quam reperies ibidem in Suriana Collectione, die 14. Februarii. II. Vitam S. Benedicti Abbatis, die 21. Martii. III. Vitam & Passionem S. Georgii Martyris, die 23. Aprilis. IV. Sancti Marci Evangelistæ, die 25. Aprilis. V. S. Vitalis & Valeriæ ejus conjugis, Martyrum, die 28. Aprilis. VI. S. Authimi, die 10. Maji. VII. S. Apollinaris, die 23. Julii. VIII. S. Cassiani, die 13. Augusti. IX. S. Fidelis Martyris, die 28. Octobris. X. S. Nicolai Myræ Episcopi, die 6. Decembris. XI. S. Barbatiani, die 31. Decembris. Alios quoque Sermones seu Tractatus præter hos, recenset ex eodem Surio, Antonius Possevinus.

Quod spectat ad Sermones, observarunt jampridem Baronius, Possevinus, Vossius & alii, *Homiliam de Nativitate Domini*, quæ à Lipomano. tomo 8. & a Surio tomo Sexto ad diem 25. Decembris, sub nomine Petri Damiani assertur, falsò illi esse suppositam: cùm in ea mentio fiat Sancti Bernardi, qui A. 1153. obiit, annis fere centum vel saltem octoginta post mortem S. Petri Damiani. Hæc quoque habet in *Erotematis* non omittenda Theophilus Raynaudus. I. Suppositum esse Petro Damiano Sermonem *de Sancto Martino*, qui manifeste est hominis Galli, meminitque S. Fulberti Carnotensis Episcopi, suorum temporum Tullii. II. Sermonem *de rivis fluminis*, in vigilia Nativitatis Domini, esse divi Bernardi. III. Ejusdem Bernardi esse Sermonem *de Sancto Stephano*. IV. Sermonem qui dicitur secundus *de Sancto Andrea*, esse apud Bernardum tertium de eodem Festo: sed forte ad neutrum pertinere, ut alias in Bernardo dictum est. V. Sermonem *de S. Nicolao*, reperiri apud eundem Bernardum. Hæc Raynaudus dubitando, sed nos dicimus Constantinum Cajetanum Abbatem Benedictinum, indulsisse plurimum suo Ordini, in editione suâ Operum S. Petri Damiani, in præjudicium Cisterciensis Ordinis. Sive enim ex conjecturis, sive ex devotione in Damianum præposterâ, adscripsit illi ferme omnes Sermones, qui jam in *Bibliotheca Patrum Ordinis Cisterciensis* tomo III. f. 193. inveniuntur sub nomine Nicolai Claravallis olim Monachi, atque antea Arremarensis Ordinis divi Benedicti Cœnobii professi, quos ex verbis divi Bernardi Abbatis & Magistri sui compositos Henrico Campaniæ Comiti nuncupavit, de quibus an hujus Nicolai sint, ambigere merito nullus potest. Itaque in hac *Bibliotheca Patrum Cisterciensis Ordinis*, tom. 3. f. 193. sunt tantum Sermones novendecim; de quibus hæc notamus.

Sermo 1. Nicolai ClaræVallensis *in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ*, de decem privilegiis ejus: qui legitur tomo 2. Operum S. Petri Damiani, die 24. Junii pag. 53.

Sermo 2. Nicolai ClaræVallensis *in natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*, ad istâ verba, *Ista sunt duæ olivæ* &c. ibidem tomo 2. Operum S. Petri Damiani, die 29. Junii p. 62.

Sermo 3. *in Natali S. Benedicti*, ex verbis *Dixit Simon Petrus ad Jesum* &c. inter Sermones Damiani ad diem 21. Martii p. 19.

Sermo 4. *in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ*, de tri-

tribus unguentis: quæ inter Sermones Damiano datos, die 22. Julii p. 66.

Sermo 5. *in Festo Sancti Petri ad vincula*, super his verbis, *Adolescentula dilexerunt te nimis*: inter Sermones S. Petri Damiani die 29. Junii pag. 61.

Sermo 6. *in Assumptione beatæ Mariæ*, super his Canticorum verbis, *Quæ est ista* &c. inter Sermones Petri Damiani die 15. Augusti p. 91.

Sermo 7. *in Nativitate beatæ Mariæ*, de eo quod scriptum est, *Fecit Rex Salomon thronum* &c. inter Sermones Damiani, die 8. Septembris pag. 99.

Sermo 8. *in Exaltatione Sanctæ Crucis*, super illud, *En collige duo ligna* &c. inter Sermones Damiani, die 14. Sept. p. 109.

Sermo 9. *in Festo Sanctorum Angelorum*, De sex alis eorum: inter Sermones Damiani die 29. Septemb. p. 123.

Sermo 10. *in Dedicatione Ecclesiæ*, De ejus Sacramentis: inter Sermones Damiani de Dedicatione Ecclesiæ, p. 167.

Sermo 11. *in Festo Sancti Victoris*, De septem ramis & septem fructibus ligni vitæ. Inter Sermones Damiani ad diem 1. Septembris pag. 97. hoc tantum observato, quod initium quod habetur apud Petrum Damianum Num. 1. hujus Sermonis, sit purum assumentum alicunde allatum, ad rem Sancti Victoris nihil faciens: Sermoque verus incipiat, *Ad manum est Sancti Patris nostri Victoris* &c. quomodo incipit in Nicolao Claræ Vallensi.

Sermo 12. *in Festo omnium Sanctorum*, De septem beatitudinibus. Inter Sermones Damiani, ad Calendas Novembres, pag. 130. & sequentibus.

Sermo 13. *in Festo Sancti Martini*, super his, *Videte & vigilate & orate* &c. Inter Sermones Damiani ad diem 11. Novembris p. 132.

Sermo 14. *in Festo Sancti Andreæ*, De confessione. Inter Sermones Damiani, die 30. Novembris p. 138.

Sermo 15. *in Festo Sancti Nicolai*, De quinque regionibus. Inter Sermones Damiani die 6. Decembris p. 140.

Sermo 16. *in adventu Domini*, De beata Maria. De eo quod dictum est, *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis* &c. Inter Sermones Damiani, ad diem 25. Martii in Annuntiatione beatæ Mariæ Virginis, p. 23.

Sermo 17. *in vigilia Nativitatis Domini*, De septem fluminibus: inter Sermones Damiani eadem die, p. 142.

Sermo 18. *in Nativitate Domini*, de eo quod scriptum est, *Oleum effusum nomen tuum*: inter Sermones Damiani, die eadem p. 146.

Sermo 19. *in Festo Sancti Protomartyris Stephani*, De ejus dignitate: inter Sermones Damiani, eadem die p. 148.

Itaque juxta hunc calculum, ex Sermonibus LXXVII. Petro Damiano à Constantino Cajetano attributis, jam novendecim projiciendi sunt, suoque authori Nicolao Atremarensi ac posteà Claræ Vallis Monacho, & Sancti Bernardi Secretario restituendi sunt, ad quem indubie spectant: ut restent tantum Petro Damiano Sermones LVIII. Imò tam gravis hallucinatio Cajetani in gratiam unius è suis Commonachis, justam dat etiam de aliis suspicionem, quos Anonymos inventos, vel sub nudo Petri nomine, ex zelo potius ac devotionis æstu, quam judicio & æquitate, Petro Damiano adscribere potuit.

Sane in Regia Galliarum Bibliothecâ, Codicibus 4016. & 4137. inveniuntur *Sermones Magistri Petri Ostiensis Episcopi*, seu *Homiliæ in Evangelia per annum*. Incipiunt, *Erunt signa* &c. Salvator noster Dilectissimi Fratres præparatos nos invenire desiderans &c. quorum Codex unus caractere Longobardico scriptus, annorum 600. creditur, qui in folio. Huic Collectores Catalogorum, hanc Notam in suo Catalogo addiderunt.

NOTA.

Non videtur hic author fuisse Petrus Damiani, Episcopus Ostiensis scriptis clarus, sed Petrus alter iisdem Ostiensis Episcopus, qui eodem ferme tempore, Leoni IX. à secretis fuit, & qui Magister hic appellatur: quo nomine Petrum Damiani unquam donatum reperi, qui Peccatorem & Monachum se ipse perpetuò indigitat. Mirum sane est, quod Petrus Damiani tot Sermones *De Sanctis*, ut in impressis habentur composuisset: & *De tempore* seu *De Evangeliis* tam paucos. Videant peritiores in istis, neque Cajetano fidem omnimodam adhibeant,

Edidit quoque Dominus Lucas Dacherius tomo VII. *Spicilegii* pag. 120. & sequentibus, Sermones quinque *De Oratione Dominica*, sub nomine S. Petri Damiani.

1. pag. 120. *Accepistis auditum fidei, Fratres carissimi, formam Dominicæ Orationis &c.*

2. pag. 123. *Conditio mortalis, terrena compago, limosa substantia &c.*

3. pag. 127. *Omnia quæ Divinitus dicta, factaq; referuntur &c.*

4. pag. 130. *Fratres carissimi, qui vos donavit credere, ipse vos docuit &c.*

5. pag. 134. *Quod ego cum magno tremore dicturus sum &c.*

At Sermones isti quos sub nomine Petri simpliciter invenerat Dacherius, atque ex conjecturis opinabatur spectare ad Petrum Damianum: habentur tam in MSS. Codicibus, quam in impressis omnibus sub Sancti Petri Ravennatensis Archiepiscopi, seu Sancti Petri Chrysologi nomine, suntque Sermones Num, seu Ordine 67. 68. 70. 71. 72.

Eruditi viri dicunt, plurimos ex istis Sermonibus, qui Sancto Petro Damiani à Constantino Cajetano adscripti sunt & impressi, spectare ad Petrum Comestorem, qui sub extremum Seculi XII. floruit, & cujus Sermones sub nomine Petri simpliciter, extant in Bibliothecis vetustis, & MSS.

MSS. Codicibus plurimis. Vnde volunt Cajetanum Petri Damiani amplificandi cupidum ac præoccupatum, inspectò Petri nomine in MSS. Codicibus, avido victu hos Sermones devorasse, & Petro Damiano inscripsisse. Profectò cum plurimi sint MSS. Codices in variis Bibliothecis Parisiensibus, Regia, Victorina, Colbertina, & Sancti Germani, Sermonum Petri Comestoris: facillime hæc suppositio detegi potest, ab eo qui periculum facere voluerit. Vnum dicam, legisse me aliquos, qui magis accedunt ad tempora & Methodum Petri Comestoris, quàm Petri Damiani: unde in suspicionem venio, malæ fidei Constantini Cajetani.

Tomo tertio.

Continentur Opuscula LX. diversorum argumentorum, quæ hîc sigillatim recensere juvat.

I. *Opus de fide Catholica ad Ambrosiam.*

II. *Antilogus contra Judaos.*

III. *Dialogus inter Judaum & Christianum.*

IV. *Disceptatio Synodalis.*

V. *Actus Mediolanenses.*

VI. *Liber qui appellatur,* Gratissimus.

VII. *Liber Gomorrhianus.*

VIII. *De parentela gradibus & de gradibus consanguinitatis.*

IX. *De Eleemosyna.*

X. *De Horis Canonicis.*

XI. *Liber qui appellatur,* Dominus vobiscum.

XII. *Apologeticum de contemptu seculi.*

XIII. *De perfectione Monachorum.*

XIV. *De Ordine Eremitarum & facultatibus Eremi Montis Avellani.*

XV. *De sua Congregationis institutis.*

XVI. *In Episcopum Monachos ad seculum revocantem.*

XVII. *De cœlibatu Sacerdotum.*

XVIII. *Contra Clericos intemperantes*, in tres Dissertationes distinctum.

XIX. *De abdicatione Episcopatus.*

XX. *Apologeticus ob dimissum Episcopatum.*

XXI. *De fuga dignitatum Ecclesiasticarum.*

XXII. *Contra Clericos aulicos, ut ad dignitatem promoveantur.*

XXIII. *De brevitate vita humana.*

XXIV. *Contra Clericos regulares proprietarios.*

XXV. *De dignitate Sacerdotali.*

XXVI. *Contra inscitiam & incuriam Clericorum.*

XXVII. *De communi vita Canonicorum, ad Clericos Fanensis Ecclesia.*

XXVIII. *Apologeticus Monachorum adversus Canonicos.*

XXIX. *De vili vestitu Ecclesiasticorum.*

XXX. *De Sacramentis per improbos administratis*

XXXI. *Contra philargyriam & vinculum cupiditatis.*

XXXII. *De Quadragesimâ & XLII. Hebraorum mansionibus.*

XXXIII. *De bono suffragiorum & variis Miraculis.*

XXXIV. *De variis miraculosis narrationibus:* addita simili Disputatione, *De variis apparitionibus & miraculis*, cum Dissertatione quinquepartita.

XXXV. *De picturis Principum Apostolorum.*

XXXVI. *De divina omnipotentia in reparatione corrupta, & factis infectis reddendis.*

XXXVII. *De variis sacris quastionibus.*

XXXVIII. *De processione Spiritus Sancti.*

XXXIX. *Contra sedentes tempore Divini Officii.*

XL. *De ira refranenda.*

XLI. *De tempore celebrandi nuptias.*

XLII. *De fide Deo obstricta non fallenda, & deservanda fide Deo prastita.*

XLIII. *De laude flagellorum & disciplina.*

XLIV. *De decem Ægypti plagis & Decalogo.*

XLV. *De simplicitate sancta scientia inflanti anteponenda.*

XLVI. *De correptione aquanimiter ferenda.*

XLVII. *De Castitate.*

XLVIII. *De Spiritualibus deliciis.*

XLIX. *De perfecta Monachi informatione.*

L. *Institutio Monialis unius, ad Blancham.*

LI. *De vita Eremitica.*

LII. *De bono religiosi status.* Hoc Opusculum imitatus est vel excerpsit, quisquis ille est, qui inter Opera Hugonis Victorini, scripsit Libros duos, qui *De bestiis* inscribuntur: Sive ille author fuerit Hugo de Sancto Victore, quem vix exercuisse in Opusculis suis, officium Excerptoris crediderim: sive is sit Hugo de Folieto, quod mihi magis probabile est.

LIII. *De patientia in insectatione improborum.*

LIV. *De jejunio Sabbathi.*

LV. *De celebrandis vigiliis.*

LVI. *De fluxa mundi gloria despicienda.*

LVII. *De Principis officiis in coërcitione improborum.*

LVIII. *De vera felicitate ac sapientia.*

LIX. *De Novissimis & Antichristo.*

LX. *Expositio mystica Libri Geneseos.*

Hæc tomo 3. continentur Opuscula, quibus addo ut notat Antonius Possevinus in *Apparatu sacro, Libellum De correctione Papa & Episcopi*, excusum Argentorati anno 1562. & inter alia quædam Francofurti 1614. & 1621. atque apud Melchiorem Goldastum tomo 2. Monarchiæ p. 43. Illum ex olfactu tituli tantum, esse suppositium Labbeus censet, qui se librum non vidisse testatur.

Tomo quarto.

Continentur *Carmina varia, Orationes, Hymni, Ænigmata*, aliaque hinc inde à Constantino Cajetano, Monacho Benedictino collecta. Quæ omnia quisquis Petro Damiani indubia adscripserit & crediderit, hic magnam mihi fidem habere videbitur. Agunt de *Petro Damiani*, præter citatos qui Vitam scripserunt, &

omnes qui Historiam Cardinalium hoc seculo composuerunt, S. Leo IX. Epistola quam ad eum anno 1049. scripsit. Desiderius Abbas Cassinensis Lib. 2. *Dialogorum suorum.* Leo Marsicanus, Monachus & Cassinensis Coenobii Bibliothecarius, Lib. 2. *Chronicorum Casinensium* cap. 101. Lambertus Schafnaburgensis, Hirsfeldensis Monachus in *Chronico* ad annum 1069. Bertoldus Presbyter Constantiensis in *Chronico*, ad annum 1061. Sigebertus Gemblacensis in Libro *De viris illustribus* cap. 163. Vincentius Bellavacensis in *Speculo Historiali* Lib. 25. cap. 52. Antonius Florentinus Archiepiscopus in *Summa Historiali* parte 2. titulo 16. cap. 8. Franciscus Petrarcha *De vita solitaria* tract. 3. cap. 17. Joannes Trithemius Lib. 2. *De viris illustribus Ordinis divi Benedicti*, cap. 93. Arnoldus Vion Belga, Monachus Congregationis Cassinensis, Lib. 2. *Ligni Vitæ* cap. 9. & Lib. 3. sub octavo Calendas Martii, denique lib. 5. cap. 31. cum multis aliis.

1060 CONSTANTINUS AFRICANUS, CASSINENSIS MONACHUS tempore Alphani Salernitani Archiepiscopi, qui anno 1057. Ecclesiam Salernitanam suscipiens urgendam, An. 1086. Episcopatus sui 29. mortuus est, floruit. Hinc librum suum *De stomachi naturalibus & non naturalibus affectionibus* nuncupavit. Ortu Carthaginensis, Medicus & Philosophus præstantissimus, varia Orientis loca peragravit, & Babylone præsertim commoratus, omni Chaldæorum, Arabum, Persarum, Saracenorum disciplina ingenium excoluit. Babylonia discedens Indiam adiit, hinc Æthiopiam petiit, ac Ægyptum tandem, cujusvis gentis spolia & thesauros secum referens. Exactis hoc modo in variarum Gentium studiis linguisque ediscendis, quadraginta prope annis, domum rediit, ubi insidiis ægre elapsus, ad Cassinense Coenobium se recepit, ibique Monachum induit, & grandævus in Domino obdormivit. Plurima sub ejus nomine edita sunt, quæ tamen fere omnia ex Arabica lingua in Latinam, ex antiquorum Medicorum Libris translata sunt. Hæc ad institutum nostrum nihil spectant, sed quia Monachus extitit, ad Scriptores etiam Ecclesiasticos utcunque pertinere poteft, cujus Operibus recensendis immorabimur.

Extant sub ejus nomine Opuscula Medica varia in Catalogo impresso Librorum Bodlejanæ Bibliothecæ Oxoniæ 1674. in folio à Thoma Hidio, Litera C. pag. 177 col. 1. nimirum.

Opera *Basileæ* 1539. C. 2. 9. Med.

Breviarium dictum *Viaticum* de morbis corporis humani *Lugd.* 1570. 8. A. 4. Med.

Libellus de animalium usu in Medicina *Basileæ* 1560. 8. C. 34. Med.

Liber de febribus pag. 202. *Venetiis* 1576. F. 1. 9. Med.

De principalibus membris corporis humani pag. 313. in medio libri *Basileæ* 1541. A. 2. 5 Med.

Præter librum *De stomachi naturalibus & non naturalibus affectionibus*, quem Alphano Salernitanæ Ecclesiæ Archiepiscopo nuncupavit, cætera omnia fere ab ipso ex Arabica lingua in Latinam translata sunt, licet audacter in folio sub ejus nomine Basileæ annis 1536. & 1539. apud Henricum Petri hoc ordine edita sint.

Viaticum de morborum cognitione & curatione libris 7.

De remediorum & ægritudinum cognitione lib. 1.

De Vrinis lib. 1.

Opus Constantini proprium *De stomachi affectionibus naturalibus & non naturalibus lib.* 1.

De victus ratione variorum morborum lib. 1. De Melancholia lib. 2.

De Coitu lib. 1. De Animæ & spiritus discrimine lib. 1.

De Incantatione & adjuratione, colliquesuspensione, Epistola ad filium.

De mulierum morbis lib. 1. De Chirurgia lib. 1. De gradibus simplicium lib. 1.

Ex MSS. Codicibus Bodlejanæ Bibliothecæ & aliarum bibliothecarum facile! constabit, omnia fere à Constantino non composita, sed translata esse, ex Græcis vel Arabicis antiquioribus. Etenim,

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 708. in MSS Codicibus Guillelmi Laudi litera C. Codice 56. num. 2. Constantini Medici Viaticum libris VII. de diætis universalibus & particularibus, Græce in fol. Ibidem Codice 1252. in MSS. Guillelmi Laudi litera G. Codice 87. num. 6. Constantini Monachi Viaticum libris 7. De febribus libri 5. De Vrinis, omnia ex Arabico. Ibidem Codice 1507. in MSS. Guillelmi Laudi litera H. Codice 81. Constantini Africani Montis Cassinensis Monachi breviarium dictum *Viaticum* de morbis corporis humani. Ibidem Codice 2069. in MSS. Thomæ Bodleji litera C. Codice 1. Constantini Africani Viaticum practicæ Medicinæ lib. 7. Ibidem Codice 2444. in MSS. Thomæ Bodleji litera F. 8. Codice 4. num. 4. Isaaci Diætarium sive De diætis universalibus. Num. 5. ejusdem liber Vrinarum & liber Febrium à Constantino Monacho translati. Ibidem Codice 2753. in MSS. Thomæ Bodleji, supra N. 2. Art. Codice 11. num. 6. Diætæ universales & particulares per Magistrum Isaac. Num. 7. ejusdem liber Vrinarum. Num. 8. *Constantini Africani liber de Stomacho.* Num. 9. ejusdem de regendorum Canonum ratione, libar imperfectus. Ibidem Codice 6749. in MSS. Ashmolianis, *Constantini Introductiones Astronomicæ*, in membrana 1471. pag. 183 Ibidem Codice 7529. in MSS. Ashmolianis, *Constantini liber de coitu*, in membrana 1471. pag. 173. b. Ibidem Codice 7781. 7782. in MSS. Ashmolianis, Isaac liber febrium, quem Constantinus in Latinum transtulit. Membra-

na

na in folio, 1470. Liber Diætarum particularium, in membrana ibidem 2.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 686. in MSS. Collegii Mortonensis Codice 219. P. 22. Art. num. 3. Constantinus Africanus de Stomacho, de melancholia &c. Ibidem Codice 698. 699. In MSS. Collegii Mertonensis Codice 231. Theoricæ Pantegni Medicinalis Constantini Africani libris X. P. 214. Art. Codice 232. Constantini Africani Viaticum cum Glossa Geraldi P. 215. Artium. Ibidem Codice 722. In MSS. Collegii Mertonensis Codice 255. num. 5. Constantinus Africanus de ægritudine & de anatomia Stomachi. P. 4. 6. Art. Ibidem Codice 907. in MSS. Collegii Orielensis Codice 55. Constantini Africani, Montis Cassinensis Monachi Medicina practica. Ibidem Codice 914. in MSS. iisdem Codice 62. Constantini Africani Montis Cassinensis Monachi Viaticum. Isaac Medicus de Vrinis. Ejusdem liber de febribus. Ejusdem Diætarium universale &particulare. Ibidem Codice 1131. in MSS. Codicibus Collegii Novi, Codice, 167. num. 3. Viaticum Constantini in 7. libris cum annotationibus. Liber Isaac de febribus à Constantino translatus ab Arabica in Latinam linguam. Ibidem Codicibus 1741. 1742. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ in Abaco secundo A Codice 3. Constantino Africani liber medicus, dictus *Pantegnus*. Codice 4. idem in duas partes divisus. Ibidem Codice 2192. in MSS. Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 51. Constantinus Africanus, liber excusus Basileæ 1539. hunc titulum habet, *De communibus Medico cognitu necessariis locis*. Illic continentur *Pantechnon* sive *Theorica*. *Enumeratio partium corporis humani etymologico practica*, sive *De regimine sanitatis, una cum libro de divisione curæ ægritudinum*. Ibidem Codice 2198. in MSS. ejusdem Collegii Codice 57. num. 5. Constantinus Africanus de Melancholia. Ibidem Codice 2314. in MSS. ejusdem Collegii Codice 173. Tractatus de Vrinis, de Febribus, Constantinus de Oculis, de Melancholia. Ibidem Codicibus 2315. 2316. in MSS. ejusdem Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 174. Diætæ universales & particulares Isaaci. Codice 175. Ejusdem liber de Febribus à Constantino translatus. De Vrinis, de Elementis.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 392. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis in parte bibliothecæ Australi, Classis 23. serie infima Codice 3. num. 4. Liber Graduum Constantini Cassinensis Monachi. Ibidem Codice 956. in MSS. Codicibus Collegii Cajo Gonritensis, in libris *De medicina* Latine compositis Codice 6. num. 1. Viaticus de curandis morbis 7. libris vel partibus concinnatus. Ibidem Codice 962. in iisdem MSS. Codice 12. num. 3. *Constantinus de Stomacho*. Ibidem Codice 976. in iisdem MSS. Codicibus, Codice 26. num. 1. De morbis & eorum curationibus libri 7. Num. 2. Constantinus Africanus Montis Cassinensis de Melancholia. Num. 3. Ejusdem liber de Stomacho. Num. 4. ejusdem liber de oblivione. Num. 5. Liber Magistri Constantini Africani de Coitu. Num. 6. Alius liber de eodem, præsertim de delectatione animalium in Coitu. Num. 7. liber Elephantiæ. Num. 8. De modo medendi. Num. 9. Constantinus Montis Cassinensis de Febribus. Ibidem Codice 1866. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 204. num. 1. *Aphorismi Hyppocratis cum Commentario Galeni*, ex Interpretatione Constantini Africani, Montis Cassinensis Monachi, Medicinæ periti. Ibidem Codice 1880. in MSS. ejusdem Domus S. Petri Codice 218. num. 1. Viaticum Constantini cum Glossulis Gerardi.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 235. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis litera C. Codice 170. Constantini Viaticum. Tractatus de coitu animalium à natura instituto ad conservationem specierum in Individuis pag. 109. De memoria & eam juvantibus medicinis pag. 224. De passione Iliaca & ejus curatione pag. 225. in 4. Ibidem Codice 745. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 70. Theoricæ Constantini Montis Cassini libri X. Ibidem Codice 760. in MSS. Codicibus ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis Codice 85. num. 10. liber Constantini de Febribus. Num. 11. liber Vrinarum Isaac ab eodem translatus. Ibidem Codice 883. in MSS. Codicibus in 4. illic existentibus, Codice 39. Theorica Constantini Montis Cassinensis. Ibidem Codice 885. in MSS. Codicibus in 4. ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Wigorniensis, Codice 41. Viaticum Constantini de morbis & curatione eorum libris VII. Liber Vrinarum. Diætæ Generales Isaac. Ibidem Codice 3088. in MSS. Codicibus Norfalcianæ bibliothecæ Codice 189. num. 3. Isaac de Vrinis à Constantino translatus in linguam vulgarem. Ibidem Codice 3138. in MSS. Codicibus ejusdem bibliothecæ Codice 339. Constantini Medici Viaticum. Principium, *Capillus ex fumo* &c. Ibidem Codice 3633. in MSS. Codicibus Francisci Bernardi Codice 64. num. 12. Constantini Practica de morbis curandis secundum diversos Doctores. Ibidem Codice 6410. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 40. Viaticus Constantini, & Isaac de Vrinis. Ibidem Codice 6441. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri ejusdem Codice 71. *Antidotarium Constantini*. Ibidem Codice 6605. in MSS. Codicibus ejusdem Caroli Theyeri, Codice 235. num. 1. *Pantegnum Constantini*. Ibidem Codice 7671. in MSS. Codicibus Roberti Burscough Codice 52. num. 8. liber Vrinarum Isaac filii Salomonis, per Constantinum Africanum ex lingua Arabica in Latinam versus. Num 9. Liber de Diætis Vniversalibus. Num. 10. Liber

ber de Diætis particularibus. Num. 11. Liber Isaac de Febribus per Constantinum Africanum versus. Num. 12. Liber Viatici per Constantinum in Latinam linguam translatus. Ibidem Codice 8473. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ, Codice 751. Constantini Monachi Viaticum. Hoc autem impressum opus anno 1475. sub titulo tractatus *De Morborum cognitione & curatione*.

Meminit hujus Scriptoris Petrus Diaconus *De Viris illustribus Cassinensibus* cap. 23. Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, verbo Constantinus pag. 146. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* Seculo XI. ad annum 1072. pag. 618.

1060 MARIANUS SCOTUS *vir ætate sua admodum disertus*, ut de eo tradit Sigebertus in *Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 173. *Chronicon* perduxit usque ad annum MLXXXIII. Sed Dodechinus Abbas S. Disibodi illud usque ad annum MCC. continuavit. De hoc ita Sigebertus in Chronicis ad annum MLXI. *Marianus Chronographus claret, qui à Scotia in Galliam veniens, Colonia factus Monachus primo, postea apud Moguntiam reclusus est*: Et ad annum MLXXXII. *Marian. Scotus Chronicon suum à Christi nativitate inchoatum, atque ad hunc annum perduxit, qui erat ætatis sua quinquagesimus sextus, multum laborans errorem corrigere de annis Domini, qui invenitur in cyclo Dionysii, altrinsecus autem secundum veritatem Evangelii.* In quo Sigeberti loco, pro *Quinquagesimus sextus*, lege *Quinquagesimus quartus*. Exaratum erat in MS. *LIV.* unde proclivi errore librarius fecit *LVI.* Sane Marianus ipse in *Chronico* ad annum MXXVIII. hoc se anno natum fuisse scribit, unde clare dilucet, quod à me dictum est. Idem Marianus ad annum MLVI. se tum factum Monachum ait. Anno MLIX. Presbyterum se consecratum perhibet, Anno MLXIX. à fuldensi reclusione ad Moguntinam se transivisse indicat. Ex Aventino in Scriptoribus quos quinto *Annalium* libro præmisit, discere est, cum Germania lustrata, in Bavariam venisse Reginoburgum, atque ibi docuisse Mathematicas disciplinas, itemque sacras literas interpretatum fuisse: victum vero ei suppeditatum fuisse hic, a superioris & inferioris Monasterii virginibus. Obiit Moguntiæ anno MLXXXVIII. ut Dodechinus ait, atque ut testatur Aventinus, *in templo Beati Petri extra urbem sepultus est.* Hæc de Vita Mariani Scoti, Gerardus Johannes Vossius verbotenus lib. 2. De Historicis Latinis cap. 47. pag. 384. editionis ultimæ. Marianus in *Chronico* suo sequitur Cassiodorum, uti Cassiodorus Eusebium: itaque ubi Eusebius errat, etiam isti errant. Interim utilitatis hoc adfert, quod cum suo ævo meliores habuerit codices, quam hodie supersint: non pauca ex eo in Eusebio, Cassiodoro, atque item Beda & aliis, emendari possunt.

Manuscriptum Mariani Chronici Codicem optimum extare in Oxoniensi bibliotheca, cognoscimus ex Briani Twini *De Antiquitate Oxoniensis Academia* libro primo pag. 67. cujus *Apologiam* libris 3. Oxonii anno 1608. in 4. edendam curavit. Atque idem libro secundo pag. 171. ad hunc MS. codicem provocat. *Nam impressum*, inquit, *editum quæ diceret, qui multo plura occultat, quam edit?* Prodiit Chronicon illud ad annum MCC. continuatum, tum alibi sæpius, tum inter Scriptores rerum Germanicarum, ac imprimis Francofurti 1583. in fol. Codicem vero manuscriptum editis duplo auctiorem, quem in Bibliotheca Oxoniensi extare testatur Brianus Twinus *De Antiquitate Academia Oxoniensis* lib. 1. pag. 67. certum non esse, ac *Additiones* istas ab aliena forsan manu profectas fuisse, censent eruditi: nam suspicionem injicit, Codex alter MS. cum alterius additionibus interfertis, quem in Bibliotheca Lumlejana extitisse, fidem facit Thomas Jamesius *Ecloga Oxonio Cantabrigiensis* libro 2. pag. 93. Quisquis porro Codices manuscriptos Mariani Chronici cum impressis conferre voluerit, sciat inter MSS. Codices Bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ, qui duobus in fol. voluminibus Oxonii annis 1696. & 1698. è theatro Sheldoniano impressi sunt, extare MSS. Codices varios Chronici Mariani Scoti, ex quibus editiones corrigi & suppleri imperfectæ possunt, quos hic recensebimus.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2182. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Bodleji littera D 3. Codice 5. num. 3. *Marianus Scotus de gestis regum Anglorum usque ad obitum Stephani*. Ibidem Codice 2468. in MSS. Codicibus Bodleji ejusdem littera E 10. Codice 5. *Mariani Scoti Chronicon, cum Appendice.* Item in Bibliotheca eadem Codice 5103. in Collectaneis manuscriptis Joannis Lelandi Vol. 2. cap. 30. *Excerpta ex Chronico Mariani Scoti à pag. 238. ad 250.* Ibidem in Collectaneis MSS. Richardi Jamesii sacræ Theologiæ Doctoris, Vol. XI. in 4. num. 19. *Collectanea ex Mariano Scoto pag. 220. ad 231.* Ibidem inter MSS. Codices Bibliothecæ Universitatis Oxoniensis Codice 1624. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 157. num. 5. *Mariani Scoti Chronicon ab orbe condito ad annum Domini 1082.* Ibidem Codice 2177. in MSS. Codicibus Latinis Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 36. num. 2. *Mariani Hibernensis Chronicon una cum altera Chronico Rogeri Horeden, ubi ille desinit, usque ad Regem Joannem.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum insignium ejusdem regni bibliothecarum Codice 9475. in MSS. Codicibus Joannis Mori Episcopi Nordvicensis Codice 289. num. XI. *Historia Anglorum per Henricum Huntingdon composita, cum Historia Mariani Scoti de gestis Regum Anglorum ad obitum Stephani & initium regni Henrici II, qui fuit filius Imperatricis.* Inter MSS. Codices bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Neronis littera C.

Codice

Codice 5. num. 2. *Chronica Chronicarum*, hoc est, *Mariani Scoti Chronicon, exemplar perpulchrum & emendatum.* Hæc de MSS. Codicibus Chronici Mariani Scoti.

Juxta Petrum Lambecium libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. pag. 749. in Augustissimæ bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice MS. inter Codices MSS. Theologicos Latinos *quadragesimo nono*, continentur *omnes Epistola S. Pauli Apostoli*, propria manu celeberrimi Chronographi *Mariani Scoti* Fuldensis Monachi anno Christi 1079. exaratæ, & ab eodem *Annotationibus marginalibus & interlinearibus*, hactenus quidem nondum editis, editu tamen dignissimis illustratæ, in quarum fine hæc ipsius subscriptio legitur.

Explicit Epistola ad Habreos, habens versus DCCC.

In honore individua Trinitatis Marianus Scotus scripsit hunc librum suis Fratribus peregrinis.

Anima ejus requiescat in pace, propter Deum devote dicite, Amen. XVI. Kal. Junii, hodie Feria VI. anno Domini MLXXIX. In eodem etiam Codice *folii decimi* pag. 1. propria ejusdem Mariani manu scriptum legitur, *X. Kal Aprilis anno Domini MLXXVIIII. Mariani miseri Domine miserere.* Quibus verbis rogat Marianus Scotus lectores istius à se scripti Codicis, ut post mortem suam pro se orent. Tunc temporis enim adhuc vivebat, quippe qui revera anno MLXXXVI. obiit, ut testatur Dodechinus ejus continuator. Hæc loco citato Lambecius verbo tenus.

De aliis Mariani scriptis, videlicet *Concordia Evangelistarum, Universali computo, Emendationibus Dionysiani calculi*, consulendi sunt Balæus, aliique. Hæc Guilielmus Cavus, cui addo opus hoc primum Mariani Scoti, esse potius *Collectaneum quoddam ex Evangelistarum voluminibus & aliis Doctoribus*, quam *Concordiam Evangelistarum.* Habetur inter MSS. Codices Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Tiberii littera E. Codice 4. num. 26. *Liber Mariani genere Scoti, excerptus de Evangelistarum voluminibus sive Doctoribus.* Quoad autem *Universalem computum & Emendationes Dionysiani calculi*, Opuscula hæc Spectant ad *Robertum Herefordensem Episcopum*, eximium temporis calculatorem, de quo dicemus postea. Hæc de Mariano Scoto contulerunt nobis Joannes Trithemius in *Catalogo illustrium virorum Germania* pag 133. & in Opere *De scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 266. Nicolaus Serarius *Rerum Moguntiacarum* libro 1. cap. 40. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. 384. editionis ultimæ, Petrus Lambecius Libro 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* cap. 8. pag. 749. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* Seculo XI. pag. 613.

1060. ROBERTUS HEREFORDENSIS EPISCOPUS, natione Lotharingus, qui Ecclesiam Herefordiæ tereti schemate ædificavit, Aquensem Ecclesiam pro modo imitatus suo: omnium liberalium artium peritissimus, abacum præcipue, & Lunarem computum, & cælestium astrorum cursum rimatus. Erat tunc temporis Monachus *Marianus* apud Moguntiam inclusus, qui longo solitudinis otio Chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum *Dionysii Exigui* contra Evangelicam veritatem, vel primus vel solus animadvertit. Itaque ab initio seculi annos singulos recensens, XXII. qui circulo deerant superaddidit, magnam & diffusissimam Chronicam facere adortus. Eum librum *Robertus* miratus unice, æmulatus mirifice, Angliæ invehendum curavit. Denique captus *Mariani* ingenio, quidquid ille largius dixerat, in arctum contrahens, defloravit. Adeo splendide, ut magis valere videatur defloratio, quam ingentis illius voluminis diffusio. Præ cæteris contemporaneis Episcopis, sanctissimi Wlstani familiaritati deditus erat, quem & vicinitate præsulatus attingebat. Remotis ergo sæpissime forensibus negotiis, domesticum illi contubernium præstabat, delectatus vitæ illius puritate & innocentia, quem quamvis ante se extulerit, non tamen socialis amoris vinculum mors illius prolongata corrupit. Decumbebat *Wlstanus* Wigorniæ, beato jam proximus fini: *Robertus* in curia invitus duntaxat Regalia placita transigens, astitit ipsi in visu, dicens omnino intelligibiliter: *Si me vis videre vivum, festina venire Wigorniam, antequam obeam.* Quo viso petita à Rege licentia, venire festinabat concitus, nulli quieti sive die vel nocte indulgens. Metus enim prius præsagium, qood vel firmavit, infuderat, ne non superstitem inveniret: longiuscule enim fuerat curia. Etiam in mansione proxima Wigorniæ somno deditus, iterato videt *Wlstanum* dicentem: *Nihil minus quam pius amor poscit, fecisti: Sed frustratus es desiderio tuo. Jam enim migravi, tu modo amice Sodalis vita tua consule, provide saluti: quia longas moras post me non facies in hac luce: & ne phantastica visione te credas illudi, signum accipe. Postquam cras corpus, quod jam triduo tuum sustinet adventum, terra mandaveris, dabitur tibi xenium ex parte mea, quod meum esse cognosces.* Ita Pontifex expergefactus viam peregit, Wigorniam venit, officium sepulturæ peregit, re omnibus velata. Itaque valedicto Monachis, meditabatur discedere, calcitatumque calcaribus equus operiebatur, cum Prior loci genibus ejus reverenter affusus, prætendit xenium dicens: *Accipite Domine, si vobis placet, amatoris vestri cappam agninis pellibus insultam, qua indutus equitare solebat: qua & longum vestrum testetur amorem, & sanctitatis Domini nostri mereantur protectionem.* Hoc ille audito & munere recognito impalluit, gelidusque cucurrit per ossa tremor: statimque dilata profectione, concionem Monachorum accivit in Capitulum,

„lum, lachrymis & ſuſpiriis quantum res exige„bat, referens quanta veritate ſomnium & fa„ctum quadraſſent. Itaque omnibus ſua mor„te commendata diſceſſit, de admonitione qui„dem lætus, ſed ſemper ſancto timore ſollici„tus. Januario mediante *Wlſtanus* tranſiit, nec „*Robertus* Junium tranſcendit.„ Hæc Guillelmus Malmesburienſis ad verbum lib. 4. *De geſtis Pontificum Anglorum* pag. mihi 286. ubi *De Epiſcopis Herefordenſibus.* Robertus autem qui per miniſterium Rmi. Wigornienſis Epiſcopi Wlſtani gradum Presbyteratus ſuſceperat, anno 1079. à Lonfranco Archipræſule Dorobernıæ ad *Herefordenſem* Eccleſiam 4. Kalendas Januarii die dominica *Cantuaria* epiſcopus ordinatur, juxta Simeonem Dunelmenſem in *Hiſtoria de geſtis regum Anglorum* col. 210. lin. 18. mortuus autem anno 1095. ſexto Calendas Julii feria tertia, juxta eundem Simeonem loco citato col. 225. linea 15. Extat inter MSS Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codice 2148. in MSS Codicibus Thomæ Bodleii littera D. 1. Codice 13. num. 1. *Roberti Herefordenſis Epiſcopi libellus de annis Domini, ſeu de Chronica Mariani.* Item ibidem Codice 2372. in Manuſcriptis Codicibus ejusdem Thomæ Bodleii littera F. 3. Codice 5. num. 13. *Roberti Herefordenſis Epiſcopi Exceptio de Chronica Mariani Scoti, uti vulgo vocatur* pag. 134. ad 148. Mentionem faciunt ſcriptoris hujus, præter Guillelmum Malmesburienſem & Simeonem Dunelmenſem locis citatis, inter veteres Joannes Brompton in *Chronico* ad annum 1070. col. 970. lin. 6. ad annum 1088. col. 988. linea 7. Henricus de Knyghlen Canonicus Leyceſtrenſis Lib. 2. *De eventibus Angliæ* col. 2348. linea 6. col. 2364. linea 45. col. 2366. liena 23. Inter recentiores Joannes Pitſeus in *Appendice illuſtrium Angliæ ſcriptorum,* verbo *Anonymus Mertonenſis* pag. 824. *Centuria prima:* & in eadem Appendice *Centuria quarta* verbo *Robertus Herefordenſis Epiſcopus* pag. 902. Gerardus Joannes Voſſius libro 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 47. pag. 385. editionis ultimæ, 1651. Lugduni Batavorum in 4.

1060 LANDVLFVS SENIOR, MEDIOLANENSIS, claruit ſub finem Seculi XI, qui ſcripſit *Chronicon* ſeu *Syntagma De Mediolanenſibus Archiepiſcopis*, quod ab initio Mediolanenſis Eccleſiæ, usque ad annum MLXVII. nullis in hoc argumento prætermiſſis contexuit, extans inter MSS. Codices Ambroſianæ illic Bibliothecæ, in membrana, cum vetuſtate annorum circiter DC, ſed cujus titulus eſt recentior, falſo in MS. Codice inſcriptus, *CHRONICA DATII ARCHIEPISCOPI NVNCVPATA MEDIOLANENSIS,* de quo nihil melius & certius ſcribere poſſum, quam quod habet Johannes Mabillonius Monachus Benedictinus, in *Veterum Analectorum* Tomo 1. pag. 3. editionis Pariſienſis in 8. apud Ludovicum Billaine anni 1675. his verbis.

JVDICIVM DE CHRONICO DATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS.

CVm in Diſſertatione *de Azymo & Fermentato*, inter dubiæ fidei auctores interpoſuiſſem auctoritatem *Chronici*, quod Poſſevinus, Miræus & Vghellus tribuunt Datio Archiepiſcopo Mediolanenſi, nec de ejus veritate quicquam certi definire licuiſſet, data occaſione, viſum eſt mihi ampliorem ejus rei notitiam Mediolano accerſere. Quocirca cum venerabilis & eruditus vir Claudius Caſtellanus, Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus, operam hac in re ſuam mihi liberaliter pollicitus eſſet, Mediolanum direxi Schedulam in hæc verba inquirentem.

1. An MS. Codex in quo *Chronicon* iſtud reperitur, ſit bonæ notæ, & cujus ætatis.

2. An idem Chronicon, ab initio ad finem usque, eadem manu deſcriptum ſit.

3. Qualis ſit Chronici inſcriptio, an eadem manu, qua contextus Chronici exarata, an recentior.

4. Petivi copiam ejusdem inſcriptionis & XII. priorum, totidemq; poſteriorum ejusdem Chronici verſuum.

5. Inquiſivi an Chronicon illud incipiat ab Exordio mundi, an verò à Nativitate Chriſti, & quo in tempore deſinat.

6. An in eo fiat mentio famis, quæ contigit tempore Silverii Papæ, quæ tanta fuit, ut matres liberos ſuos comederent. Cujus poſtremi quæſiti hanc habui rationem, quod Paulus Diaconus in *Hiſtoria Miſcella* de illa fame agens, teſtem adducat *Datium Epiſcopum Mediolanenſem*, uti & vulgatus Anaſtaſius in *Silverio.*

Ad primum quæſitum, Reſponſum eſt, hoc Chronicon conſcriptum in pergameno, eſſe annorum ſexcentorum, ejusque notæ, qualem ætas illa ferebat, Longobardorum dominatui proxima.

Ad ſecundum. Non modo non eſſe eadem manu deſcriptum, verum neque ab eodem Auctore: nam primam partem ſcripſit *Landulfus Senior*, ſecundam *Arnulfus*, & tertiam *Landulfus junior*, omnes Mediolanenſes Hiſtorici. Ex quo liquido patet, hæc *Chronica* minime fuiſſe ſcripta à Datio Mediolanenſi Archiepiſcopo.

Ad tertium. Titulus Chronicorum eſt recentior, isque eſt ejusmodi *CHRONICA DATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI NVNCVPATA.*

Ad quartum. Ex parte ſatisfactum eſt in *tertio*, nunc deſeribam priores decem verſus & poſteriores Hiſtoriæ. *Priores ſunt.* Incipit Liber primus. Quandoquidem ſapientes eximiique Viri multa peritia imbuti, acta temporum, mutationes rerum, prælia Regum, ſedi,

„diciones urbium, commotiones populorum, „politè ad tutelam juvenum & custodiam Se„nium tractantes, reliquerunt in posteris tuta„men & multarum rerum solamen. *Posteriores „sunt.* Passus est beatus Arialdus quinto Kal. „Julii anno Domini MLXVI, de cujus morte „doluit Alexander Papa: verum anno sequen„ti, scilicet MLXVII, cum idem Papa iret ad Sy„nodum, quam Mantuæ celebravit, Mediolanum „venit, multaque fecit Statuta de statu Medio„lanensis populi & Cleri, beatumque Arialdum „Sanctorum Martyrum catalogo annotavit.

„*Ad quintum.* Dicimus illud Chronicon non „incipere ab Exordio mundi, sed referre initia „ordinum Ecclesiæ Mediolanensis, narrare ea „quæ in Ecclesia Mediolanensi contigerunt „tempore Alexandri Papæ secundi, & claudere „historiam anno MLXVII.

„*Ad sextum.* Nullam hic fieri mentionem il„lius famis. Cum enim in hoc Chronico nar„rentur ea, quæ contigerunt octavo & undeci„mo seculo, non potest ulla fieri mentio famis, „quæ acciderit tempore S. Silverii Papæ, cum il„le seculo sexto vixerit.

Sic subsignatum cum Sigillo

„Ita est: Antonius Maria Pustula, Canonicus „Ordinarius Præbendæ Doctoralis Metropoli„tanæ Mediolani, & Bibliothecarius ejusdem Re„verendissimi Capituli Metropolitani.

1060 ARNULFUS MEDIOLANENSIS HISTORICUS, eadem ætate, qua LANDULFUS SENIOR, de quo statim diximus, vixit, atque de eodem argumento, nimirum de *Archiepiscopis Mediolanensibus* conscripsit, cujus quodammodo Paralypomena in Chronico Archipræsulum Mediolanensium supplevit: unde ob has rationes meritò hic loci simul adjunguntur. Opus Arnulfi cum Landulfi Senioris Chronico MS. in Bibliotheca S. Ambrosii Mediolanensis repertum est, quo ex MS. Codice edendum illud procuravit Godefridus Guilielmus Leibnitius in Collectione *Scriptorum Brunswicensia illustrantium*, Tomo III. pag. 727. ad 747. editionis anni MDCCX. Hanoveræ apud Nicolaum Foersterum nobis typographum. Juxta autem Leibnitium in *Introductione* ad Scriptores hujus Tomi Num. XXXV. pag. 26. & 27. „Arnulfus „iste cujus opus nunc primum edimus, author „ob antiquitatem aut res, quas scripsit, mini„mum spernendus, ait lib. 1. cap. 7. se fuisse pro„nepotem fratris *Arnulfi Archiepiscopi*, qui tem„pore Ottonis Magni in Cathedra Mediolanen„si sedit. Opus in Ambrosiana Bibliotheca re„pertum, quod inscribitur *Arnulfi Gesta Mediola„nensium. Incipit Liber Gestorum recentium ab Ar„nulfo compositus*, qui in libros quatuor breves ab „auctore distinguitur. Primam ejus notitiam „dedit Leibnitio Illustrissimus ex Gallia vir, qui „magnis militiæ honoribus clarus, historiam ta„men mirifice amat & intelligit, cujus nomen „non expressit. Posteà apographum ejus nactus est beneficio Johannis de Sitonis Jurisconsulti Mediolanensis, egregii, cujus majores ex nobili Sotaniorum Scotiæ familia, in Italiam venerunt, Lib. 4. capp. 6. 7. & 8." Loquutur de Gregorio VII. Romano Pontifice ejusque cum Imperatore Henrico IV. dissidiis, atque in illis *Chronicon* concludit. Cum autem hic Hildebrandus anteà dictus, anno MLXXIII. Pontificatum Romanum inconsulto Imperatore adeptus esset, hinc dissidiorum origo processit. Libro itaque 4. cap. 8. pag. 746. inquit, *Interim consilio, sanctissimi Clunensis* (lege Cluniacensis,) *Abbatis, Agnetis quoque Regina matris, necnon sapientissima jam dicta Mathilda, statuitur generale colloquium inter ipsos Regem & Apostolicum, pacis & justitiæ causa. Cumque exiret ab Urbe Papa, profecturus Alamanniam, Mathilda fretus juvamine venit Italiam.* Hoc Colloquium ubi adfuerunt Hugo Cluniacensis Abbas, cum Agnete Regina matre Henrici IV. & Mathildæ, factum fuit inter annum MLXXIV. & MLXXVII. quo Chronicon Arnulfus concludit. Equidem Baronius in *Annalibus* varia Agnetis in Italiam itinera distinguit, *primum* post susceptum quidem velum anno MLXII, cui itineri ferè triennium insumpsit: *alterum* anno MLXVI, cui sex annos; *tertium* anno MLXXIII, *quartum* denique anno MLXXIV, post Hildebrandi electionem in Papam Agnes igitur ex Germania, quo se receperat per aliquot peregrinationis annos, reversa est Romam, ubi supremum vitæ absolvit diem anno MLXXVII, quo anno Baronius ejus epitaphium refert. Colloquium itaque istud cui Agnes adfuisse dicitur, inter annum MLXXIV. & MLXXVII. quo Agnes mortua est, collocandum venit: in quo *Arnulfus* Chronicon conclusisse legitur. Mentionem quoque illius habet Johannes Mabillio tomo 1. *Analectorum* p. 5. in Responsione ad quæsitum secundum.

DURANDUS TROARNENSIS ABBAS, 1060 quem parce admodum attigit Guilelmus Cavus ad annum 1070. pag. 617. Monachus primum Fiscamnensis in Normannia, jam circa annum 1060. virtute ac scientia plurimum florebat. Eductus ob insignes animi dotes circa annum 1070. e Fiscamnensi Monasterio, in Abbatem primum Ecclesiæ de Troarno datus est, teste Roberto de Monte Sancti Michaelis in Tractatu suo, *De Abbatiis & mutatione Abbatiarum Neustria.* Troarnum autem Sancto Martino sacrum, Ordinis divi Benedicti in Episcopatu Bajocensi ad Divam Fluvium, tunc temporis à Rogerio de Montegomerico Rogerii Vicecomitis Oximensis Filio fundatum, in pago cui nomen *Troarnum.* Paucis multam Durandi Abbatis Troarnensis doctrinam verbis complectitur, Ordericus Vitalis Lib. 4. *Historia sua*, dum sic loquitur. *Gerbertus Fontinellensis, Ainardus Divensis ac Durandus Troarnensis, quasi tres stella radiantes in firmamento cæli, sic isti tres Archimandrita multis modis rutilabant, religione & cha-*

ritate, multiplicique peritia pollebant, studioque divina Laudi in templo Dei jugiter inhiabant. Egregium autem scientiæ Durandi Troarnensis monumentum est *Tractatus de corpore & sanguine Domini contra Berengarium*, quem primus e tenebris in lucem eduxit Dominus Lucas Dacherius, editum ad calcem Operum *S. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi*, Parisiis in fol. anno 1647. apud Joannem Billajur. Hujus mortem pretiosam, idem Ordericus Lib. 7. *Historia sua* sic expressit. *Durandus siquidem Troarnensis Abbas grandævus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantus & Divini dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decumbit: & bene ut prudens & fidelis servus, ire ad curiam Domini sui paratus, tertio Idus Februarii de seculo migravit. Venerabiles discipuli glebam religiosi Doctoris in Capitulo suo reverenter sepelierunt, & in candido lapide qui suppositus est, Epitaphium hoc addiderunt.*

Hac igitur tumba, bonus ac venerabilis Abbas
Durandus, nostri norma Monasterii.
Ad Domini laudem, præsentem condidit ædem,
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub undena Febrni, resolutus habena
Carnis, ad Angelicam dirigitur patriam.

Legendus de illo Lucas Ducherius in Appendice ad Opera Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, ubi varia lectu digna de *Durando Abbate Troarnensi* præmittit, antequam ejus Opus evulget. Nec te fallat, Lector amice, In *Apparatu sacro* Antonius Possevinus, verbo *Durandus à Sancto Porciano*: quem Leodiensem Episcopum erronee appellat, & cui attribuit Epistolam ad Henricum Galliæ Regem, *De corpore & sanguine Domini*, cujus quoque vult meminisse Guitmundum Lib. 1. *de corpore & sanguine Domini*. Nam Epistola ista nec est *Durandi à Sancto Porciano Ordinis fratrum Prædicatorum*, qui tempore Henrici primi Galliarum Regis nondum natus erat: nec *Durandi* etiam *Leodiensis*, qui mortuus erat antequam Henricus primus Galliæ Rex esset: Sed *Deoduini Leodiensis Episcopi*, scripta inter annum 1048. quo *Deoduinus* Leodiensis Episcopus factus est, & 1060. quo Henricus primus Galliæ Rex mortuus est. Quantum autem ad Guitmundum, qui Lib. 1. *de corpore & sanguine Domini*, meminit Operis *Durandi* de eodem argumento: non intelligendus est de *Durando Leodiensi* qui nihil scripsit, nec de *Durando de Sancto Porciano*, cujus speciale nihil extat *de corpore & sanguine Domini*: Sed de *Durando Troarni Abbate* de quo loquimur, & cujus de hoc argumento Opusculum extat.

1060 WIBERTUS SEU GUIBERTUS TULLENSIS ARCHI-DIACONUS, cum S. Leo Papa IX. tunc Bruno vocatus, esset tantum Tullensis Episcopus, quem in itineribus multis secutus est. Hunc omisit Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, licet circa annum 1060. *Vitam Sancti Leonis IX. Romani Pontificis Libris duobus* scripserit, quam primus in lucem protulit Jacobus ille Sirmondus Parisiis 1615. in 8. Eandem Henschenius & Papebrochius eruditi ejusdem Societatis viri, cum duobus MSS. Codicibus collatam & auctam, ediderunt inter *Acta Sanctorum* tomo 2. ad diem 19. Aprilis. Opus accuratum in rebus S. Leonis IX. recensendis, de quo loquitur Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* c. 45. pag. mihi 351.

FOLCARDUS DOROBERNENSIS MONACHUS, in Cœnobio Sancti Salvatoris Cantuariæ, sub Edwardo Regum Anglicanæ stirpis ultimo floruit, qui ad Aldredum Eboracensem Archiepiscopum, Mæcenatem suum *Vitam S. Joannis Beverlacensis Archiepiscopi Eboracensis, & ejusdem miracula post mortem* inscripsit. Extat in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Faustinæ, littera B. Codice 4. num. 8. *Vita Sancti Joannis Archiepiscopi Eboracensis, rogatu Aldredi Archiepiscopi ejusdem Ecclesiæ, à Folcardo Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Cantuariæ Monacho edita, cum Miraculis ejusdem.* Ibidem etiam sub effigie Othonis litera C. Codice 16. num. 14. *Collectiones de Vita & Miraculis Domini Joannis Beverlaci, ex Folcardo Cænobii Dorobernensis Monacho, qui floruit sub Edwardo Rege & Confessore, circa annum 1060.* Ibidem sub effigie Tiberii litera D. Codice 3. num. 53. *Vita S. Botulphi Abbatis per Fulcardum Monachum ad Walchelmum Episcopum.* Examinandum est hoc opus, an ad eundem hominem pertineat. Meminit Folcardi Dorobernensis Monachi, Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 101. pag. 136. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 46. pag. 377. ultimæ editionis. 1060

THEOPHYLACTUS ACRIDÆ IN BULGARIA ARCHIEPISCOPUS, quæ primaria apud Bulgaros Ecclesia fuit, claruit anno circiter 1070. de quo parcè loquuntur Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, & Labbeus ibidem tomo 2. pag. 413. & sequentibus, Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculi XI. ad annum 1077. p. 620. Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Græca Bibliotheca* cap. 5. à pag. 284. ad 289. editionis 1714. Hamburgi in 4. qui argumentum diffuse satis attingit: His prioribus addideram ad Supplementum Operum quæ recensent, *Commentaria Theophylacti in quatuor ex minoribus Prophetis*, nimirum *Habacuc, Jonam, Nahum, & Oseam*, juxta Labbeum Latinè tantum prodiisse ex Interpretatione Joannis Loniceri, à Philippo Montano recognitâ: sed *Theophylacti Bulgariæ Episcopi integra enarratio in duodecim Prophetas minores*, Græcè MS. extat in folio, in Augustanâ Bibliothecâ, Cod. 48. Ejusdem quoque *Colloquium* 1070

cum

cum quodam de accusationibus Latinorum, & Oratio in Alexium Comnenum Imperatorem, MSS. Græcè in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codice 116. Hæc nos pauca ad Supplementum magni viri Theophylacti, in Supplemento nostro ad Bellarminum, p. 345. Sed attentius postmodum, quam jejune à Bellarmino Labbeo atque ipso Cavo in Opere suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cum Theophylacto actum fuerit, considerantes: ex instituto aggredimur latius explicare hoc illustre Bulgariæ ornamentum, de quo plurima nobis scribenda supersunt. Theophylactus igitur, patriâ Constantinopolitanus fuit, in lectione Operum Sancti Joannis Chrysostomi, Constantinopolitani Patriarchæ versatissimus, cujus extant inter alia tam mulri ac nobiles Commentarii in Vetus ac Novum Testamentum, ex eodem Chrysostomo ut plurimum delibati. Hic inquam Theophylactus non anno 860. floruit, sub Michaele Theophili filio, quem Michaelem Porphyr[illegible] vocant, qui cum Theodora Matre Au[illegible] anno 842. imperare coepit: uti perp[illegible]uit Sixtus Senensis Lib. 4 *Bibliotheca S[illegible]*, pag. mihi 304. & Antonius Possevinus, tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 474. ac Jacobus Perronius Cardinalis, cum plerisque aliis. Neque sub Basilio Macedone Imperatore anno 883. ut Onuphrius Panvinius in Fastis posuit. Sed floruisse certum est, Romani Pontificis Alexandri II. & Romani Diogenis Græcorum Imperatoris temporibus, ut ex ejus Epistolis constat: imò & pervenisse usque ad Pontificatum Gregorii VII. atque Nicephori Botoniatæ imperium, mihi post Labbeum exploratum est. Ex ejus igitur Epistolis hoc ipso tempore inclaruisse multiplici argumento monstratur, quæ numero LIX. manuscriptæ extantes in Bibliotheca Vaticana, impressæ nunc extant. Quippe cum illæ vel scriptæ habeantur ad eos qui his temporibus vixisse noscuntur, vel in eis mentio habeatur, personarum earum quæ tempore isto viverent: puta Epistola 1. Mariæ Imperatricis, Epistola 23. Joannis Ducæ Sororii Michaelis Imperatoris, & familiæ Ducarum, atque etiam Comnenorum Epistola 8. Adde quod cum Epistola 13. & aliis, narret, Bulgariam suis temporibus non sub Regibus Bulgaris, sed sub Magistratibus ab Imperatore Constantinopolitano missis administrari: nihil est ut ad ea Basilii Imperatoris tempora referri possint, quibus constat Bulgaros, suos habuisse proprios Reges. Denique quod in una earundem Epistolarum num. 17. fiat mentio Bosiris Bulgarorum Regis, qui ut Zonaras & alii ostendunt, post centum annos à Basilio Macedone Imperatore, vixit: nempe sub Nicephoro Phoca, & Joanne Zemisce Augustis. Imò cum ibidem & meminerit Ecclesiarum ab eodem Borise Rege ædificatarum, & post multum temporis spatium, unam ex illis dirutam filio Sabastocratoris commendet restituendam: ex his planè demonstratur, eum non solum non sub Basilio, sed longè post Borisem, nimirum his ipsis temporibus vixisse, de quibus loquimur. Præfectus ille postmodum primariæ Bulgarorum Ecclesiæ Acridanæ. Quem tulisse quidem diu, sed ægro animo incolas, ob planè barbaros ac perversos tum Bulgarorum omnium, tum ipsorum maxime Acridanorum mores: ex iisdem ipsius constat Epistolis, quas inter una extat, quam jam ætate seu ex his diebus ipsis ad Mariam Augustam scripsit, cum in Bulgariam rediret, unde ad tempus Constantinopolim venerat. Isto se jugo liberari, ac patrio reddi solo, vehementer oravit: non exauditus autem, in vigili functione pastoralis Bulgarorum Ecclesiæ perseverare coactus est. Quod verò ad ejus Scripta pertinet, ubicunque eum legeris, senties eundem S. Johannis Chrysostomi semper proferre sententias.

Vult Labbeus in Dissertatione sua *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 414. extare plurima ejusdem in sacros libros Commentaria, ex Sancti Chrysostomi grandioribus voluminibus delibata, & velut in epitomen contracta. Atque ea ferme omnia Latine simul prodiisse Basileæ ex officina Hervagiana per Eusebium Episcopium anno 1570. & anteà Parisiis anno 1554. & alibi, ut ex Simleri *Bibliotheca* & Possevini *Apparatu* discos. Sed fallitur Labbeus, suntque plura alia Theophilacti Opera MSS. in Bibliothecis latitantia, sub ejus nomine inscripta, quam hucusque edita fuerint. Nos itaque tam de editis quam de manuscriptis posteà loquemur: ita tamen ut ab impressis ordiamur, quorum quasque præcipuas editiones, & quantum fieri poteft, Græcolatinas sectabimur, inde ad MSS. Codices transituri.

1. *Commentaria in quatuor Domini nostri Jesu Christi Evangelia*, quorum editio Græca Romana annorum. 1542. & 1568. olim in pretio erat: sed edita eadem Græce & Latine in folio Parisiis anno 1631. ex versione Joannis Oecolampadii, à Philippo Montano Armenteriano recognita. Extant autem hæc *Commentaria in quatuor Evangelia*, MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, cum ejusdem Theophylacti *Enarrationibus in divum Marcum & Lucam*, & *Enarrationibus ejusdem in Evangelium Lucæ*. Ita inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Cod. 147. num. 17. 18. & 19. Codice 217. num. 1. Codice 218. Et *in Evangelia duo Sanctorum Marci & Lucæ*, ibidem Codicibus MSS. Theologicis Græcis 119. & 120. Has tamen *Enarrationes* unum idemque opus credimus cum *Commentariis in quatuor Evangelia*, quæ diversis sæpe titulis designantur, in manuscriptis Bibliothecarum Codicibus. Atque ita sentimus, ne frustra & ex vanis conjecturis, Opera Theophylacti MSS. apud incautos Lectores multiplicare videamur. Idem *Commentarius Theophylacti in quatuor Evangelia*, atque etiam *in Evangelia Marci & Lucæ* eodem enarratore, MSS. in Bibliotheca Augustana Codicibus 46. & 48. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Biblio-

bibliothecæ num. 276. in MSS. Codd. Oliverii Cromvelli Cod. 97. Ibidem num. 2043. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 6. Codice n. Item Oxonii in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 30. In Bibliotheca Cœnobii Sanctæ Justinæ Patavinæ, juxta Jacobum Philippum Thomasinum in Catalogo Bibliothecarum Patavinarum MSS. tam Publicarum quam Privatarum, quem Vtini anno 1639. in 4. edidit. In Bibliotheca Basileensi *Theophylactus in Evangelistas*, Græce in folio. In Bibliotheca Florentina Medicæa.

2. *Commentaria in Acta Apostolorum* Græce & Latine, ex Laurentii Sifanii interpretatione Coloniæ 1568. cum quibusdam Sanctorum Patrum Orationibus. Addit loco citato Possevinus editionem Basileensem anni 1570. eodem Laurentio Sifanio & Philippo Montano interpretibus. Extant autem MSS. Græce in Bibliotheca Viennensi Imperatoria, inter MSS. Codices Theologicos Græcos Codice 222. ex ejus Catalogo, teste Lambecio tomo seu Libro V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, pag. 360.

3. *Commentaria in omnes Epistolas divi Pauli*, Græce & Latine Londini anno 1636. ex interpretatione Joannis Loniceri, ab eodem Philippo Montano Armentariano recognita: unde Labbeo mirum videtur, cur Officinæ Anglicanæ istam interpretationem Philippo duntaxat recognitori attribuerint. De Christophori Porsenæ Romani versione anno 1469. Sixto IV. Papæ dicata, deinde Coloniæ 1531. & Parisiis 1552. recusa, vide in *Apparatu sacro* Possevinum, tomo 2. verbo *Theophylactus* pag. 474. Extant autem hæc Commentaria MSS. in Bibliothecis passim, in Imperatoria Viennensi cum *Expositione ejusdem in Evangelium Lucæ*, inter MSS. Codices Theologicos Græcos ter, Codicibus 221. 222. ac 223. In Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Monachii Cod. 45. in Augustana Codice 20. atque in aliis Europæ celebrioribus. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Florentinæ Medicææ. Item Bodlejanæ Bibliothecæ in MSS. Baroccianis num. 146. Ibidem num. 1032. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Codice 109. Ibidem num. 3011. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji apud Archivum A. Codice 22. Inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum n. 3440. in MSS. Codicibus Norfolcianæ Bibliothecæ Codice 541.

4. *Commentaria in quatuor ex minoribus Prophetis*, nimitum *Habacuc, Jonam, Nahum & Oseam*, quanquam & hic initio & fine mutilus sit, Latinè tantum prodierunt ex interpretatione Joannis Loniceri, recognitâ ab eodem Philipp Montano, Parisiis apud Vascosanum 1552. Porro constat, quod Commentationes istæ mutilæ sunt, nam ut suprà indicavimus, in Augustana Bibliotheca Codice 48. extat, MS. Græcè *Theophylacti Bulgariæ Episcopi Enarratio duodecim Prophetarum.* Idemque opus MS. in Bibliotheca Imperatoria Viennensi, ex ejus Catalogo ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini pag. 53. atque ex Lambecio qui tomo seu Libro V. Commentariorum suorum *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 319. testatur inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos, Codice 216. extare *Expositionem Theophylacti in quinque Prophetas minores, Oseam, Habacuc, Jonam, Nahum, & Michæam.* Denique in Bibliothecâ Bavaricâ, Codice 35. extat *Theophilactus* quidem *in Oseam, Jonam, Nahum & Michæam*: sed Codice 46. *Theophilactus Archiepiscopus Bulgariæ in 12. Prophetas Minores* charta in folio. Denique in Bibliotheca Cardinalis Bessarionis Veneta, extat Theophilactus Bulgariæ Archiepiscopus in quinque Prophetas Oseam, Jonam, Habacuc, Nahum & Michæam, ex Catalogo impresso Venetarum MSS. Bibliothecarum.

5. *Epistola ejusdem numero LXXV.* quæ Græce primum ed[illegible] anno 1617. in 4. Lugduni Batavorum [illegible] Joannis Meursii, ex officina Godefridi [illegible] Eædem Latinitate donatæ à Vincentio Mar[illegible]io Valentino, Parisiis prodierunt anno 1624. in postremo volumine Supplementi Bibliothecæ Veterum Patrum, curâ & studio Andreæ Schotti Societatis Jesu Theologi & Presbyteri. Extant MSS. inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 305. in sinistro lateris Bibliothecæ, Serie Media, Codice 14. Et in Bibliotheca Florentina Medicæa.

6. *Oratio in adorationem venerandæ Crucis medio Jejuniorum tempore*, ex Bibliothecâ Bavaricâ Græce & Latine Jacobo Gretsero interprete, Soc. Jesu Presbytero & Theologo, tomo 2. *De Cruce* pag. 1499. quæ extat quoque MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice 224. num. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ. Cujus etiam meminit Leo Allatius, in Diatriba *de Symeonum Scriptis*, ubi eam Theophylacto attribuit, quamvis nonnulli adscribant Johanni Xiphilino Patriarchæ Constantinopolitano, ejusdem undecimi seculi Scriptori. Extat quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ n. 3383. in MSS. Codd. Joannis Seldeni Codice 53. n. 17. *Sermo Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi in Præsentationem B. Virginis in Templo.*

7. *Institutio Regia ad Constantinum Porphyrogenitum, Michaelis Ducæ Parapinacii & Mariæ Augustæ filium*: quam Græce & Latine edidit atque interpretatus est Petrus Possinus Societatis Jesu Theologus, Parasiis ex typographiâ Regiâ, anno 1651. in 4.

8. Ejusdem *Commentaria in Epistolas septem Canonicas, Petri, Joannis, Jacobi & Judæ*, MSS. Græce in Bibliotheca Imperatoria Viennensi, ut constat ex Catalogo illius, ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini. Sed potissimum ex Lambecio, tomo seu Libro V. Commentariorum

rum ejusdem Bibliothecæ, ubi inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codicibus tribus 220. 222. 223. In eadem Bibliotheca Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco 263. num. 3. ut habet idem Lambecius Libro V. eorundem Commentariorum ejusdem Bibliothecæ in Examine ejusdem MS. Codicis pag. 191. his verbis: „Tertiò & quidem à folio 198. pag. 1. usque ad folium 215. pag. 1. Theophylacti Acridæ in Bulgaria Archiepiscopi opus, quod inscribitur atque incipit hoc modo in Græcis, Ἑρμηνεία κυρȣ̃ Θεοφυλάκτȣ Βȣλγαρίας Ἀρχιεπισκόπȣ εἰς τὰ ἑωθινὰ Εὐαγγέλια τῆς Ἀναστάσεως τȣ̃ κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριστȣ̃, Theophylacti ejusdem &c.

9. Ejusdem *Homiliæ undecim in totidem Evangelia, Officii matutini, Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi:* quæ manuscriptæ ibidem, Codice 263. Num. 3. „Theophylactus hic in Commentariis suis in Johannem, dum loquitur de processione Spiritus Sancti, Latinos perstringit. Hæc Leo Allatius." Denique in eadem Bavarica ista Bibliotheca Codice [illegible] *Theophylacti Archiepiscopi Bulgariæ Expositio* [illegible] ἑωθινῶν, charta in 4to, nimirum in X[illegible]oca Evangelii, Officii Matutini Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi.

10. Denique *Theophylacti Dissertatio ad quendam suorum familiarium, de iis rebus ob quas Latini à Græcis reprehenduntur*, ibidem inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice 224. num. 1. ut Lambecius citatus habet Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 50. Ipsa tituli Græci verba, cum initio Dissertationis hujus, hæc sunt: Τȣ̃ μακαρίτȣ Ἀρχιεπισκόπȣ Βȣλγαρίας κυρȣ̃ Θεοφυλάκτȣ προσλαλία τινὶ τῶν αὐτȣ̃ ὁμιλητῶν περὶ ὧν ἐγκαλȣ̃νται Λατῖνοι. Εἰσῆλθε τὸ ἀξίωμα σȣ ἐνώπιον μȣ̃, εὐλαβέστατέ μοι ἐν Κυρίῳ υἱὲ, καὶ κατενόησα μὲν αὐτὸ καλὸν, καὶ ὀφθαλμῶν ἀρχιερατικῶν ἄξιον &c. Meminit hujus Dissertationis Leo Allatius Lib. 2. *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione*, cap. 10. §. 2. his verbis. „Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, qui vivebat circa annum Domini 1073. sub Michaele Duca & sequentibus Imperatoribus, etiam sub Alexio Comneno, in quem *Encomiasticam Orationem* habuit, quæ asservatur in Bibliotheca Bavarica, Codice CXVI. Non ut Possevinus & Freherus tradunt, circa annum DCCCLX. scripsit ad Nicolaum Diaconum & Castrensem, qui posteà fuit Melesobæ Episcopus, *Tractatum de erroribus Latinorum:* benignius tamen quàm alii, tanquam qui differentiam inter Græcos & Latinos ponat, in solo articulo, De processione Spiritus Sancti. Ex quo pleraque in suum Opus traduxit Demetrius Chomatenus, in Responsione ad Constantinum Cabasilam. Meminit quoque illius Joannes Veccus in *Secundo Apologetico*. Εὑρίσκω δὲ Θεοφύλακτόν τινα Ἀρχιεπίσκοπον Βȣλγαρίας, πολὺς δ' ἦν καὶ οὗτος ἐν λόγοις, ἐν τῷ συμβόλῳ μόνῳ τῆς προσθήκης κακίζοντα, ἐν ἄλλαις δ' ἁπάσαις γραφαῖς τε καὶ διαλέξεσιν ἀνενδοιάστως ἐνδιδόντα αὐτὴν, καὶ μὴ ἂν πόθ' οὕτω πρὸς τὴν τοιαύτην ἔνδοσιν διατεθῆναι διαγινώσκω, εἴγε τὴν εὐσέβειαν τȣ̃το τὸ μέρος κολοβȣ̃σθαι ὁ σοφὸς ἐκεῖνος ᾤετο ἀνήρ. *Invenio porrò Theophylactum quendam Bulgariæ Archiepiscopum, sermonibus doctrinaque percelebrem, additionem in Symbolo tantum reprehendentem, in aliis verò omnibus scriptis & concertationibus indubitanter eam concedentem, qui sanè nunquam illam concessionem permitteret, ut ipse judico, si pietatem eo nomine lædi, sapiens ille vir existimaret.* Et Oratione *De pace ac unione Ecclesiarum*, ob bonam illius mentem, & propensum ad unionem animum, gratias agit. Cujus opera ad unionem facilior aditus patuisset, si qui tum præerant Antistites, non repugnassent. Ejusdem *Colloquium* extat *de accusationibus Latinorum*, in Bibliotheca Bavarica num. CXVI. An aliod sit ab eo quem ad Nicolaum scripsit tractatom, expedient illius Bibliothecæ curatores."

Annotat Spondanus in *Epitome* Annalium Baronii, ad annum 870. num. 6. Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham, hoc ipso anno misisse in Bulgariam velut ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diœcesim pertinentem, unà cum aliis Clericis, Episcopum à se creatum, quem nominatum fuisse Theophylactum affirmant: à quo & expulsos illos esse, qui à Romano Pontifice, illuc ad prædicandum Evangelium missi fuerant: ut ex Anastasio Bibliothecario in *Vita Adriani II.* & apud Baronium anno sequenti in *Adriano*, intelligi potest. At ego lecto attente in Vita Adriani II. Anastasio, reperio quidem pulsos fuisse à Græcis Latinos, in Bulgaria Evangelium ex parte Romani Pontificis prædicantes: sed ne verbum quidem habetur, quo is qui à Sancto Ignatio missus fuit, *Theophylactus* appellaretur, quod gratis ab aliquo fictum est. Cæterum Theophylactus iste longe alius est, si tamen unquam in rerum natura fuit, ab nostro illo Bulgarorum item Archiepiscopo, cujus extant tot Commentaria in Novum Testamentum, & alia Scriptorum monumenta, qui post hunc imaginarium, ducentis ferme annis vixit. Agunt de Scriptis *Theophylacti*, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* pag. 474. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, in Opere quisque suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Cæsar Baronius in *Annalibus suis Ecclesiasticis*, ad annum 1071. Henricus Spondanus in Epitome Annalium Baronii, ad annum 870. numero 6. & ad annum 1071. numero item 6. Petrus Lambecius Libro V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* passim, sed potissimum pag. 50. & in Catalogo pagina 359.

1070 NICETAS SERRONIUS HERACLEÆ ARCHIEPISCOPUS, dictus passim in MSS. Codicibus Philosophus, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ primum Diaconus & Magister, tum posteà Heracleæ in Thracia Archiepiscopus, claruit anno 1070. æqualis Theophylacto, cujus ad eum extat Epistola ordine IX. Advertit autem rectè Leo Allatius in Diatriba *De Psellis* pag. 17. hunc malè confundi cum Nicetâ Davide Paphlagone, dicto etiam *Rhetore & Philosopho*, seculo Ecclesiæ IX. celebri: atque hoc sæpius in quibusdam MSS. Codicibus factum deprehenditur, quemadmodum & fecit Petrus Lambecius Passim, in Examine MSS. Codicum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Idem omnino mihi videtur hic Nicetas Philosophus, cum Niceta cujus tot extant *Manuscripta Catena in libros sacra Scriptura*, ex Scriptis veterum Patrum. Abjectâ enim seculari Philosophiâ militiæ Christianæ nomen dedisse, Clero Constantinopolitano allectum fuisse, ac tandem ad Metropolim Heracleæ in Thracia fuisse promotum, plusquam probabile videtur, ex fide MSS. Codicum, qui nunc sub nomine *Nicetæ Metropolita*, nunc *Nicetæ Philosophi*, ejusmodi Commentarios inscribunt. Cognominatus est *Serronius*, quam ob causam in MSS. etiam Codicibus ex Scribarum ignorantiâ & oscitantia, inscriptus est passim *Serrarum Episcopus*.

1. Extant in Bibliotheca Regis Catholici Scocialensi, semel atque iterum *Orationes S. Gregorii Theologi cum Scholiis Nicetæ Serronii*. In Bibliotheca Heidelbergensi Cod. 401. *In Gregorii Theologi tetrastica gnomica, Enarratio Nicetæ Philosophi*. Idem opus in Codicibus Bibliothecæ Bavaricæ 26. 29. 30. sub simplici nomine *Nicetæ*. Qui autem simpliciter *Nicetas* in Catalogo Manuscriptorum Bavaricorum dicitur, in MS. Heidelbergensi 401. *Nicetas Philosophus* dicitur, atque in MS. Bavarico 97. inscribitur: *Nicetæ Metropolita Heraclea Explicationes & Commentarii in Gregorium Theologum*: unde unum eundemque Nicetam habemus, qui nunc *Philosophus* in MSS. Codicibus scribitur, nunc *Metropolita Heraclea*, quam posteà sedem assecutus ille fit. Hic porro *Nicetæ Commentarius in has nempe Orationes divi Gregorii Nazianzeni*, quas utplurimum intactas reliquit ob hanc causam in Commentariis suis, Elias Cretensis Archiepiscopus: extat MS. sæpissimè in Bibliothecis, ut in Bavarica Codicibus 44. 64. 65. in Imperatoria Viennensi semel atque iterum, imò sexies in MSS. Theologicis Græcis 91. 92. 93. 94. 95. 96. In Regia Gallica sæpius & Colbertina, ut posteà dicemus. Constantinopoli apud Jacobum Marmoretam Principem, *Nicetæ Metropolitani Heraclea Explicatio in Gregorium Nazianzenum Theologum, dubitationes & solutiones*, in Cartha bombycina. In Bibliotheca Monasterii quod in insula Pathmos maris Ægei est, *Nicetæ Serrorum Expositio in Sermones Gregorii in Ecclesia habitos*. Idem in Bibliotheca Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ex Catalogo illius. In Vallicellana Romæ, in Sfortiana Romæ, Classe Theologorum Cod. 72. *Expositio Nicetæ Episcopi in versus magni Gregorii Theologi*, in folio. Hi *Commentarii Nicetæ Serronensis, in Orationes divi Gregorii Nazianzeni*, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codicibus 1822. 1919. 2311. 2312. 2313. 2314. 2315. 2316. 3183. Denique in Anglia inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codicibus 188. & 3492. in hyperoo Bodlejano Codice 2. Item inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium Bibliothecarum num. 5857. in MSS. Codicibus Romæ Galei Cod. 22. Prodierunt Latinè tantum Parisiis in editione omnium S. Gregorii Nazianzeni Operum Græcolatina, quam procuravit Jacobus Billius homo in Græcis doctissimus, anno 1583. & quæ ibidem iterum edita sunt, annis 1609. & 1630. apud diversos Bibliopolas. Item *Commentarius in Nazianzeni Tetrastica*, *Monastica & Epigrammata*, prodiit Græcè sub nomine *Nicetæ Davidis Paphlagonis*, Venetiis 1563. in 4. quem Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 9. ad annum 880. pag. 563. tum seculo 11. ad annum 1077. pag 621. rectè restituit *Nicetæ Serronio Heraclea Archiepiscopo*. Scholia autem quæ in eadem editione Operum S. Gregorii Nazianzeni Billiana, *in varia carmina Gregorii Theologi* habentur sub nomine *Cyri* seu *Domini Nicetæ Dadybrensis Episcopi*, eundem mihi sapiunt authorem *Nicetam Heraclea Metropolitam*, qui & in prologo, alludere videtur ad Commentarios à se factos in Orationes solutas ejusdem Gregorii Theologi. Vnde mendum irrepsisse in MS. titulum facilè mihi persuaderem, nisi aliunde constet alterum ejusdem nominis Nicetam, scripsisse in Carmina S. Gregorii Nazianzeni. Sanè in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, extant hæc Carmina & Opuscula sub nomine *Nicetæ Paphlagonis & Philosophi* cognomento *Davidis*, quæ ad *Nicetam Heraclea Archiepiscopum* spectare videntur. Ita extat in hac Bibliotheca Codice 253. inter MSS. Theologicos Græcos, *Expositio Carminis Sepulchralis S. Gregorii Nazianzeni in Sanctum Basilium Magnum*, Num. 22. Ejusdem *Carmen ad S. Angelum cum Manuelis Moscopuli Scholiis Græcis interlinearibus*, ut & *Hymnus ejusdem in beatissimam Virginem Deiparam cum Manuelis Moscopuli Scholiis Græcis interlinearibus, & amplissimo Commentario* illustratus: denique ejusdem Carmen in S. Christophorum, ibidem Cod. 292. Num. 16. de quibus Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 347. Denique Codice MS. Theologico Græco 102. num. 1. *Nicetæ alias dicti David Philosophi*, qui circa annum 880. floruit, *Paraphrasis in S. Gregorii Nazianzeni Carmina*, ut habet idem Lambecius Libro 4. Commentariorum prædictorum, pag. 10. & in Catalogo Scriptorum dicti Tomi seu Libri pag. 249. Ex multitudine enim Manuscriptorum aliorum, alias ejusdem ar-

argumenti in Scripta divi Gregorii Nazianzeni, elucubrationes Nicetæ Serronio attribuentium, colligimus unum authorem pro altero in titulis Manuscriptorum istorum substitutum.

2. At longe plura supersunt MSS. Opera, sub nomine hujus Nicetæ Heracleensis Metropolitæ, facta ab eo ex antiquioribus Patribus, pro more seculi noni, etiam apud Latinos plerosque. In Bibliotheca Patriarchii Constantinopolitani, *Job explicatus Commentariis collectis ex multis, à Niceta Heraclea Metropolitano.* Ejusdem *Nicetæ explicatio in Psalterium Davidis.* Item, *Metropolitæ Heracleæ Nicetæ explicatio in quatuor Evangelia, ex multis collecta.* Denique *Metropolitani Nicetæ Explicatio in Acta Apostolorum, & in Epistolas divi Pauli Apostoli, & Jacobi & Joannis & Judæ.* In bibliotheca Monasterii, quod in insula Pathmos, *Nicetæ Serrorum Expositio in quatuor Evangelistas.* Item ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini pag. 46. ex Catalogo MSS. librorum variis in locis Constantinopoli extantium, *Nicetæ Metropolitæ Heracleæ Explicatio in Job.* Ejusdem *Nicetæ Explicatio in Psalterium David.* Ejusdem *Explicatio in Ecclesiasten & in Canticum Canticorum.* Ejusdem *in duodecim Prophetas.* Ejusdem *in quatuor Evangelia.* Ejusdem *Explicatio in Acta Apostolorum, in Epistolas Pauli Apostoli, Petri, Joannis & Jacobi.* Ejusdem *Explicatio in Homilias Gregorii Nazianzeni*, ubi initium *Resurrectionis dies* &c. In Bibliotheca Cæsarea Viennensi, *Nicetæ Heracleæ Archiepiscopi Expositio in Job*, & *Nicetæ Heraclii Catena Psalmorum.* In Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codicibus 11. 12. 13. *Catena Nicetæ Serrarum Episcopi in Evangelium Lucæ, in Matthæum, & in Evangelium S. Johannis.* In Bibliotheca Heidelbergensi Cod. 247. *In Psalmos Davidis* 75. *Enarratio ex veterum Patrum scriptis collecta, per Nicetam Heracleæ Metropolitanum.* In Bibliotheca Medicæa Florentina apud S. Laurentium *Nicetæ Collectio omnium fere opinionum, sectarum; & Historiarum sacra præcepta incerti authoris.* Ibidem, *expositio Nicetæ in Epistolas divi Pauli.* Denique Romæ in Bibliotheca Sfortiana, in classe Manuscriptorum Theologicorum, Cod. 106. *Nicetæ Monachi de anima Liber unus.* Ejusdem *de Paradiso contemplatio.* Ejusdem, *Epistola aliquot.* Ejusdem, *De Hierarchiis.* Ex his omnibus, dummodo ad eundem authorem pertineant, constat magnum fuisse Scriptorem, hunc Nicetam Serronium, Heracleæ in Thracia Archiepiscopum, jureque merito dictum *Philosophum* seu *Sapientem.* Ex quibus pauca hucusque impressa, nimirum *Catena in Librum Job* Græce & Latine simul, eaque amplior Londini publicata est in folio typis Regiis anno 1637. à Patricio Junio Regis Angliæ Bibliothecario, qui eam Nicetæ Heracleensi Metropolitæ, Catenarum istarum plurium egregio consarcinatori tribuit, ex duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Bodlejanæ, & quæ sub ejusdem nomine extat in MS. Codice Joannis à Sancto Andrea Canonici B. Mariæ Parisiensis, atque in aliis præfatis. Idem quoque Opus MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice 231. de quo amplissime loquitur Petrus Lambecius Lib. seu tomo V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ pag. 62. ubi ait fuisse impressum à Paulo Comitolo Jesuita sub nomine Olympiodori anno 1587. in 4. Venetiis, sed perperam. Hanc Catenam & eam ob rem Olympiodoro à pluribus addictam Junius innuit, quod in posterioribus præsertim capitibus reliqui Patres rariores occurrant, & ipse utramque paginam Olympiodorus impleat: quam ob causam sub Olympiodori nomine à Paulo Comitolo Latine tantum Venetiis anno 1587. apud Jolitos Fratres edita fuerat. Nam quæ sub ejusdem nomine Lugduni in Gallia antea prodierat, hanc Comitolus pro sua non agnovit, ab alio quippe non sincere emissam. Itemque *Nicetæ Catena in Evangelium Matthæi* Græce & Latine edita Tolosæ anno 1646. tomis duobus in folio, à Petro Possino societatis Jesu Theologo, apud Joannem Boude: de qua vide Bibliothecam Scriptorum societatis Jesu, ultimæ impressionis.

3. Extant quoque in Anglicis bibliothecis multa MSS. opera Nicetæ Heracleæ Archiepiscopi, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 176. in MSS. Baroccianis Codice 576. *Nicetæ Metropolitæ Heracleæ Catena in Job*, quam Latine Comitolus edidit, *ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν, καὶ σκοπὸς τοῦ λόγου.* Et ibidem num. 195. in iisdem Baroccianis Codicibus, Cod. 195. *Nicetæ Metropolitæ Heracleensis Catena in Job*, cujus initium *ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν καὶ σκοπὸς τοῦ λόγου. Ejusdem Catena in Proverbia Salomonis.* . Σοφὸς μὲν Δαβὶδ &c. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, num. 5887. in MSS. Thomæ Galei Codice 53. *Nicetæ Heracleensis Catena in Salomonis Proverbia* ex Olympiodoro, Joanne Chrysostomo, Basilio, Origene, Didymo, Evagrio, & aliis. Ibidem num. 5857. 5858. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codicibus 23. & 24. *Ejusdem Catena in Psalmos ex antiquis Patribus* collata cum alio Codice. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 215. num. 2. in MSS Baroccianis, *Nicetæ Heracleensis Archiepiscopi Responsiones ad varias Quæstiones Nicolai Methonensis*, γυνή τις pag. 17. Ibidem num. 264. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 18. pag. 161. b. *Nicetæ Heracleensis Archiepiscopi, Responsa ad quæsita Constantini Episcopi.* Τὰς εἰς δεύτερον συνοικέσιον.

4. Extant quoque in MS. Codice Historico Græco LI. num. 12. *Nicetæ Metropolitæ Heracleæ Responsiones ad Interrogationes cujusdam Episcopi Constantini*, ut habet Lambecius Libro seu tom. 8. *Commentariorum hujus Bibliothecæ*, pag. 472. his verbis. Duodecimo & quidem " fol. 270. pag. 1. & 2. *Nicetæ Metropolitæ Hera-* "

cleæ

,,*clea Responsiones ad Interrogationes cujusdam Epi-* ,,*scopi Constantini*, quorum titulus & principi- ,,um: Τοῦ μακαριωτάτου Μητροπολίτου Ἡρακλεί- ,,ας Νικήτα ἀποκρίσεις πρός τινα Κωνσταντῖνον ,,Ἐπίσκοπον, περὶ ὧν ἠρωτήθη, κεφάλαια δὲ Κε- ,,φάλαιον αʹ περὶ διγάμων. ἡ μὲν ἀκρίβεια τοὺς ,,διγάμους οὐκ εἴωθε στεφανοῦν. ἡ δὲ &c. De qui- ,,bus vide Jus Græco-Romanum à Joanne Leun- ,,clavio & Marquardo Frehero editum, tomo ,,1. pag. 310. ubi extant.,, Idem Opus extat MS. in eadem Bibliotheca, Codice MS. Historico Græco LII. num. 4. & LIII. num. 4. Ibidem num. 24 ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum suorum pag. 484.,, Vigesimo quar- ,,to & quidem à fol. 350. pag. 1. usque ad foli- ,,um 353. pag. 1. *Niceta Metropolita Heraclea* ,,*solutiones quæstionum quarundam Canonicarum*, ,,quarum titulus & principium: Τοῦ Μητροπο- ,,λίτου Ἡρακλέας Νικήτα Ἐάν τις γύνη τεκοῦσα ,,παιδίον διαβάλλῃ τὸν ἱερέα, ὡς ἐκ αὐτοῦ τεκοῦσα ,,τοῦτο &c. *Si qua mulier quæ peperit filium, diffa-* ,,*maverit Sacerdotem, quasi ex ipso illum habue-* ,,*rit* &c.

5. Extant quoque in Regia Galliarum Bibliotheca, MSS. *loci communes Niceta Serrarum Archiepiscopi*, Codice Græco 2754. pag. seu fol. 217. Item *Niceta Heracleensis Metropolitæ, Epitheta Jovis, Bacchi, Minervæ, & aliorum Deorum*, Codice 3232. fol. 55. & sequentibus.

6. Denique huic Nicetæ Serronio & Heracleæ Archiepiscopo tribuitur Opus, quod Græce & Latine à Leone Allatio editum est tomo 1. *Græcia Orthodoxa* pag. 663. inscriptum, *Niceta Philosophi & doctoris refutatio Epistolæ ab Armenia Principe missa, ac defensio Synodi Chalcedonensis*. Hanc Epistolam tribuit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 142. Nicetæ cognomento Danieli, Pholosopho ac Rhetori. ,,Extant (inquit) in Bibliotheca Vaticana, Ope- ,,ra duo MSS. sub nomine Nicetæ Philosophi, ,,alterum *adversus Mahometum*: alterum inscri- ,,ptum Ἔκθεσις κατασκευαστική, hoc est, *Expo-* ,,*sitio adstruens cum demonstratione Christiani dog-* ,,*matis, ex communibus notionibus, ac methodo* ,,*Dialectica, naturalibusque argumentis & artificio* ,,*Syllogistico producta*. Itemque *Refutatio Episto-* ,,*la missa ab Agarenis ad Michaelem Imperatorem* ,,*Theophylacti filium*, qua Epistola Christianam ,,fidem calumniabantur: unde tempus allatum ,,hujus Nicetæ Byzantini arguitur, cum hic ,,Michaël Theophili filius imperium tenuerit ,,ab anno 842. ad 867.,, At Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, tum seculo IX. ad annum 880. pag. 563. tum seculo XII. ad annum 1120. pag. 655. tribuit *Niceta cuidam Byzantino*, qui vitæ instituto *Philosophus*, ist est *Monachus*, circa annum 1120. floruerit. Ego huic *Niceta Davidi Philosopho*, scriptori celeberrimo, potius attribuendum putaverim. Faciunt Nicetæ istius mentionem amplissimam Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus sacri* pag. 142. Patricius Junius in editione *Catena in Job*, sub nomine illius. Gerardus Joannes Vossiua *De Historicis Latinis* pag. 540. in *Addendis* ad librum secundum: de cujus morte nihil certum habemus.

S. ANSELMUS LUCENSIS EPISCOPUS, 1070
patria Mantuanus, de quo parce admodum Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1071. pag. 617. Hic ab Alexandro Papa secundo anno 1073. Lucensis in Tuscia Episcopus factus, & ad Henricum Regem ad confirmationem impetrandam missus, à quo investituram per annulum, & baculum pastoralem accepit. Mox vero facti pœnitetia ductus baculum deposuit, & abdicato Episcopatu, ad Cluniacense Monasterium secessit, donec à Gregorio VII. ad Ecclesiæ regimen revocatus, anno 1073. Episcopale manus repetiit. Anno 1077. à Gregorio ad Mediolanenses una cum Geraldo Ἐρῶ Ostiensi legatus est, ut eos Ecclesiæ Romanæ uniret. Anno 1084. ab eodem Gregorio cujus partes contra Henricum Imp. summo animi studio semper tutatus est, vices legati per Italiam accepit: ut omnes ab Imperatore deficientes in Ecclesiæ gremium reciperet, omnibusque contra eum dimicantibus indulgentias & peccatorum remissienem impertiret. Ita Cavus loco citato. Vir sanctitate & doctrina clarus scilicet, maximus Gregorii VII. suum Pontificis fautor, de quo Bellarminus & Labbeus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus addo in multis Codicibus Manuscriptis insignem adscribi illi *Collectionem Canonum Ecclesiasticorum*, quam habes manuscriptam in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, Codd. 765. 766. in Regia Gallica & in Barbarina Romæ: ut tradit Stephanus Baluzius in Opusculo *De emendatione Gratiani*, edito Parisiis in 8. anno 1672. apud Franciscum Muguet. Et hoc tam in præfatione ad Lectorem num. 19. quam etiam in Notis pag. 641. quas legito. Promiserat hujus Collectionis editionem in Spicilegio suo Dominus S. Lucas Docherius, quam non prestitit, opinatus forsan, eam non pertinere ad Anselmum Lucensem. Hoc autem opus ob rationes à Baluzio allatas, olim mihi videbatur esse *Hildeberti Cenomanensis Episcopi*, cujus temporibus optime convenit, qui tentasse aliquid simile legitur, & qui ad calcem operis sui potuit adjecisse *Decreta aliqua Innocentii secundi*, quæ in aliquibus Manuscriptis ad calcem hujus Collectionis invenientur. Verum argumento melius expenso, *Collectionem* hanc postmodum Anselmo Lucensi Episcopo dignam germanamque opinatus sum: Tum quia hoc opus Anselmo maximo Gregorii VII. defensori conveniebat, tum quia his temporibus in Italia multi Collectionibus Canonum ejusmodi concinnandis vacabant, ut Deus dedit & Gregorius Presbyter: tum denique quia invenitur illa in MSS. Codicibus ad Anselmi hujus

æta-

ætatem accedentibus. Ita enim Baluzius testatur in *Præfatione* sua ad emendationem Gratiani, seu ad Commentationem Librorum Antonii Augustini *De emendatione Gratiani*, num. 19.
„Alium ego nuper Codicem cumque o-
„ptimum & antiquissimum beneficio optimi do-
„ctissimique viri Domini Lucæ Dacherii nactus
„sum ex bibliotheca Monasterii sancti Germa-
„ni Parisiensis, in quo neque titulus tamen ul-
„lus extat, neque nomen authoris. Hic autem
„liber iis, quos vidit Antonius Augustinus, ex eo
„præstat, quod ad ætatem Anselmi accedit, &
„nulla in isto Decreta Pontificum Romanorum
„contineantur, qui post annum MLXXXVI.
„Apostolicam sedem tenuerunt. Item aliud
„ejusmodi Opus MS. in Bibliotheca Regia, cujus
„Codex non admodum vetus, utpote scriptus
„superiore tantum seculo, quod tamen ex an-
„tiquiore descriptum esse constat. In fronte
„ponuntur nonnulla de modo celebrandi Con-
„cilii, tum postea sequitur in loco tituli. *Inci-*
„*pit Capitulatio Librorum, quos beatus Anselmus*
„*Lucensis Episcopus de coaqualibus causis, singulos*
„*in hoc volumine Libros composuit.* Et paullo in-
„fra. *Incipit authentica & compendiosa Collectio*
„*Regularum & sententiarum sanctorum Patrum, &*
„*auctorabilium Conciliorum, facta tempore Gregorii*
„*sanctissimi Papa, à beato Anselmo Episcopo Lucensi,*
„*ejus diligenti imitatore & discipulo, cujus jussione*
„*ex pracepto desideranter consummavit hoc opus.*
„Denique in veteri Codice istius Collectionis,
„cujus exemplum in Bibliotheca Barberina ad
„&c. missum, idem Dacherius Baluzio commu-
„nicavit, hæc in titulo scripta sunt, quæ librum
„illum Anselmo Lucensi Episcopo adjudicant.
„*In nomine Trinitatis sancta & individua, incipit*
„*hinc feliciter istius libri series, quem sanctus in Ita-*
„*lia Anselmus, quique Pontifex Lucana fuit Eccle-*
„*sia, vir prudens ac Catholicus, in Christi fide fervi-*
„*dus, cerpsit ex toto Canonum & Patrum sanctorum*
„*corpore;* Opinatur Stephanus Baluzius falle-
„re titulum, ac certe multum interpolatum esse
„hunc librum, ut recte ab Antonio Augustino
„annotatum est: quia illic plurima continentur
„Vrbani II. & sequentium Pontificum Decre-
„ta, quorum ævo Anselmus vivere desierat.
„Quin etiam multa sunt, quæ hanc Collectio-
„nem Anselmo Lucensi Episcopo abjudicare
„videntur. *Primo* authoritas vetusti scripto-
„ris *Vita ejusdem Anselmi* à Sebastiano Tongna-
„gelio editus, qui lucubrationes magistri ac
„Domini sui recensens, nullam Collectionis isti-
„us mentionem facit: non omissurus ut vide-
„tur, tam præclarum opus, si tum fama fuisset,
„compositom ab Anselmo fuisse. Deinde Si-
„gebertus Gemblacensis Monachus, horum
„temporum scriptor, dum in *Chronico* & in li-
„bro *De scriptoribus Ecclesiasticis* enumerat libros
„ab Anselmo compositos, de Collectione ista,
„ne verbum quidem ullum fecit. Denique
„Trithemius, qui tot libros viderat, non vidit
„istam Collectionem Canonum & Decretorum
Anselmo Lucensi Episcopo tributam, cum al-“
tum de ea silentium apud illum fit. Non sen-“
serat ista momenta Antonius Augustinus, &“
tamen huc inclinare visus est, ut Collectio-“
nem istam non putaret esse Anselmi: adeo-“
que conjecturam fecit de Hildeberto Ceno-“
manensi, quem constat simile aliquid olim“
tentasse.“ Hæc Baluzius in præfatione ad Antonium Augustinum *De emendatione Gratiani*, num. 19. Sed argumenta ista omnino negativa sunt, quæ nihil concludere possunt: maxime cum plures è contra MSS. Codices extent in Italia & Gallia, ubi hæc Collectio Canonum Anselmo Lucensi Episcopo diserte adscribitur. Vt enim testantur, qui emendarunt *Corpus Juris Canonici* anno 1580. Romæ, in ædibus Populi Romani jussu Gregorii XIII. 3. in folio voluminibus anno 1582. impressum, inter MSS. Codices quibus ad hanc emendationem atque correctionem usi sunt, extant duo MSS. Codices *Collectionis Canonum Anselmi Lucensis Episcopi*, quorum unus in bibliotheca Vaticana extat: alter hominis privati & eruditi extitit, Hieronymi Parisetti, quem Barberinæ credimus accessisse bibliothecæ. Quod si nonnulli Canones in certis MSS. Codicibus hujus Collectionis inveniantur, qui Anselmo posteriores longe sint: hæc interpolatam vitia sunt, non argumenta contra Anselmum valida: maxime cum nulli Canones Anselmo posteriores inveniantur, in antiquissimis Codicibus S. Germani Parisiensis. Hildebertus autem Cenomanensis Episcopus tentasse aliquid simile creditur, quia inter ejus Epistolas invenitur, quædam præfatio in Collectionem Canonum ex Conciliis & Sanctis Patribus, quam ad ipsum pertinere nonnulli opinati sunt. Verum illa nullam cum Hildeberto connexionem habet, estque præfatio Juonis Carnotensis Episcopi, in suum Decretum: quæ temere vel sortuito in Hildeberti Epistolas, in editionibus antiquis irrepsit. Habemus impressos sub ejus nomine *Libros II. contra Guibertum Antipapam & sequaces ejus pro defensione Gregorii VII. Papa*, & *Collectanea quædam* seu *Sententias ex variis authoribus congestas, quibus demonstratur Ecclesia facultates non esse in potestate Regis aut Cesaris:* quod opus utrumque extat apud Henricum Canisium *Antiqua Lectionis* tom. VI. pag. 202. & 235. atque in Bibliotheca Patrum editionis anni 1677. Lugdunensis Tom. XVIII. pag. 602. Verum eruditi de hisce rebus judicandis idonei, censent utrumque Opusculum nihil esse aliud, quam *Excerpta quædam* ex Collectione Canonum ejusdem Anselmi, aliunde à Canisio comparata. Certum enim est hoc *Collectaneum* seu *Collectionem Canonum* esse factam ab Anselmo in gratiam Gregorii Papæ VII. contra Guibertum Antipapam, illiusque sententias ex vetustioribus authoribus, contra Ecclesiæ bonorum & facultatum occupatores, esse collectas. Possunt autem nullo negotio experiri, an hæc conjectura vera sit, quibus adsunt

aliqua exemplaria MSS. Collectionis Canonum Anſelmi Lucenſis, cum quibus hæc Opuſcula impreſſa conferri poſſunt.

In utrumque Opus retulit Anſelmus Epiſtolas ſuppoſititias Iſidori Mercatoris libro 1. adverſus Guibertum Antipapam teſtes advocat Pſeudo-Clementem *Epiſt.* 3. Pſeudo-Pium *Epiſt.* 1. & Pſeudo-Fabianum *Epiſt.* 3. Libro 2. Pſeudo-Calliſtum *Epiſt.* 1. Pſeudo-Stephanum *Epiſt.* 2. Pſeudo-Marcellinum *Epiſtol.* 2. Item in Collectionem Canonum, Epiſtolas fere omnes Pſeudo-Iſidori in partes diſcerptas inſeruit. Verba ſunt Doctiſſimi Blandelli in *Prolegomenis Pſeudo-Iſidori cap. 18. pag. 98.* Scripta alia ejuſdem refert Baronius ad an. 1086. quo Anſelmus eſt mortuus, ex Anonymo illo Vitæ ejus ſcriptore, qui pœnitentiarius illius fuit, & verbis quidem ipſius. *Ex multis & diverſis ſanctiſſimorum Patrum voluminibus, unum compilavit Canonicarum Sententiarum non modicum corpus.* Item *Apologeticum unum ex diverſis ſanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus Domini Papæ ſententiam & univerſa ejus facta atque præcepta, canonicis defenderet rationibus. Multos libellos propriis manibus conſcripſit, in Lamentationes Jeremiæ dulciſſimam fecit Expoſitionem. Pſalterium quoque rogatu Benedictiſſimæ Mathildæ luculentiſſime expoſuit, breviter quidem, ſed utiliter, uſque ad illum locum,* Benediximus vobis in nomine Domini, *ibi ſiquidem expoſitionem finivit.*

In ultima editione maximæ Veterum Patrum Bibliothecæ, Lugdunenſi anni 1677. apud Aniſſonios, edita ſub ſancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi nomine *Opuſcula quatuor*, quæ antea à Luca Wadingo Ordinis Minorum Hiſtoriographo & Bibliothecario circa annum 1654. edita fuerant primum, dedicata. Marco Antonio Franciotto S. R. E. Cardinali & Lucenſi Epiſcopo, de quibus ipſe Lucas Wadingus in *Scriptoribus Ord. Minorum* pag. 240. Hæc autem ſunt, *Expoſitiones in Orationem Dominicam, in ſalutationem Angelicam, Ave Maria: in Antiphonam Salve Regina*, quæ tomo XXVII. ſeu ſupplemento hujus Bibliothecæ, pag. 436. & ſequentibus, cum *Meditationibus metricis de Geſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quæ incipiunt, *Deſere jam anima lectulum ſoporis* &c. Opuſculum 1. *in Orationem Dominicam* incipit. *Pater noſter, qui es in cœlis, O immenſa clementia! O ineffabilis benignitas* &c. Secundum *in ſalutationem Angelicam* incipit, *Ave, Maria Gratia plena, Dominus tecum: Tibi, Domine, Deus gratias ago* &c. Tertium, *Meditatio in antiphonam Salve Regina*, incipit: *Ad ſalutandam beatam Mariam Virginem, primo debes magnitudinem ejus* &c. Quartum, *De Geſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut ſupra &c. Quantum ad quantum hoc Opuſculum *De Geſtis metricis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, loquitur de illo Arnoldus Wion in Martyrologio Benedictino ad diem 18. Martii, Anſelmo Lucenſi Epiſcopo ſacram, ubi ei illud adtribuit. At Lucas Wadingus, qui edidit illud in *Bibliotheca SS. Patrum* editionis Aniſſonianæ Lugdunenſis, tomo XXVII. pag. 444. illud ita eſſe infirmum notat, ut ſancti Anſelmi Lucenſis Epiſcopi nomen non mereatur. Hoc unum mihi certum, omnia iſta metra ſive Anſelmo lucenſi attribuantur, ſive Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſive Bernardo Claræ Vallis Abbati: ut alia plura eorum operibus immixta, eſſe opera ſeculi XIII. vel ad ſummum ſeculi XII. ſeneſcentis. Præterea ut ſubjungit hujus ultimæ editionis Bibliothecæ Veterum Patrum Collector, hoc opus continet multa indigna viro gravi, qualis Anſelmus Lucenſis Epiſcopus fuit. Quamvis autem Arnoldus Wion Metrum iſtud in ſuum *Martyrologium* intraſerit, inde tamen inſignius non eſt, cum aliter oleant ſues & aliter canes: nec anteriori ſeculo, quidquid manuſcriptum invenitur, illud omne probatur. Quantum ad Opuſcula alia tria, de quibus ſupra, horum meminit Antonius Poſſevinus ex MS. Mantuano in *Apparatu Sacro*, verbo *Anſelmus Mantuanus*, tom. 1. pag. 86. Attribuit illa primus *S. Anſelmo Lucenſi Epiſcopo* Lucas Wadingus in editione citata, quæ tamen antea attributa fuerant *S. Bonaventuræ Eccleſiæ Doctori*, ad calcem Opuſculi quod *Stimulus amoris* inſcribitur, parte 3. cap. 16. & ſequentibus, pag. 235. & ſequentibus editionis Pariſienſis anni 1647. in fol. apud Nicolaum Wivenais via citharæ: quamvis in editione Veneta anni 1611. apud hæredes Hieronymi Scoti, non compareant in Tractatu S. Bonaventuræ, qui *Stimulus amoris* dicitur. Quiſquis porro vel monoculus fuerit, tractatumque *Stimuli amoris* Bonaventurianum vel levi oculo percurrerit, inveni & Opuſcula hæc tria eſſe merum aſſumentum, ab indocto Franciſcano aliquo additum huic operi, cum quo nullam habet connexionem, nullam conſonantiam: unde Laciviam eſſe meram quivis prudens non inficiabitur. Tantum porro abeſt, ut hæc Opuſcula vel Anſelmo vel Bonaventuræ honorem aliquem famamque adferre poſſint, quin è contra indigna omnino ſint, quæ tantis tamque gravibus (ut volunt) Eccleſiæ Doctoribus adſcribantur. Sunt enim anonymi cujuſdam inſantis, ridiculi, inſanientis, & in expreſſionibus ſuis ita bardi, imo impudici: ut mirer quomodo Lucas Wadingus, vir alioquin eruditus & prudens, Anſelmo Lucenſi Epiſcopo attribuere illa auſus fuerit. Nec Opuſcula ejuſmodi inſcripta ad aliud juvant, quam ut graves Eccleſiæ ſcriptores exponant contemptui, irriſionibus, doctrinam orthodoxam ac puram incertitudini, myſteria Scripturarum inſolentiſſimis verborum ac jocoſitatum obſcænitatibus. Jam videamus ex ipſis Opuſculorum verbis, quam abſurdus, imprudens, imo inſaniens in expreſſionibus ſuis, hic anonymus fuerit. In Expoſitione *ſuper Orationem Dominicam*, ſub initium. *Quid mihi ultra de terrenis honoribus, qui ſum filius Dei? Majus dedecus eſſet mihi, appetere quantumcunque honorem terrenum, quam filio Imperatoris*

toris latina officium. Quid mihi ultra de terrenis divitiis, qui Regni æterni sum hæres? Ignominiosum esse mihi, de quantumcunque magnis divitiis terrenis errare, quam primogenitum Imperatorie, de fimo equorum. Quid istis comparationibus insultius? Haud dubium quin latrinam oleret, qui latrinæ ac fimi equorum insuctam Patribus comparationem repetebat. Tum postea, *O exultatio, O admiratio, O medullaris modulatio, quia Pater meus es tu!* Quid expressione ista nugacius, *O medullaris modulatio!* Quid vox ista, *medullaris?* quam latina! quam eximie junctæ voces, *O medullaris modulatio!* Quasi modulatio vel in medulla sit, vel ex ossium medulla procedat! Siccine loquebantur Sancti Patres, judicio graves, expressione puri, fide integri? Itemque aliquanto post: *Mira dignatio, dignatina Christi habitatio in nobis! Ego fœdissimus simul & abominabilis peccatorum latrina, valeo esse ex immensa clementia Dei mei, tabernaculum ejus.* Ecce iterum anonymus ad fimum & latrinam, quam vix tantisper abjecerat, ut vere stercoranistam appellaverim hunc Anonymum, qui tam sæpe fimi & latrinæ recordatur. Infinitæ vero suppetunt ejusmodi expressiones abjectæ, ridiculæ, rusticæ, impudicæ, quæ virum hunc fuisse modicissimum ingenio & eloquio barbarum produnt. Lege ista Opuscula tria *Expositionem in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam & Antiphonam: Salve Regina.* esse inscriptas *Contemplationes*, & impressas fuisse anno 1521. Parisiis in 4. sub nomine Magistri Martini de Magistris Doctoris Theologi, typis Jodoci Badii Ascrisii, de quo loquemur ad annum 1460. postea.

Jam accedat quæ nugis inferior non est *Expositio in salutationem Angelicam*, seu *Meditatio super Ave Maria.* Ita loquitur sub initium: *Qui omnia conservas & regis, & me fœdissimam saniem & turpitudinem detestabilem, & abominatione plenum, & omni vita, imo essentia indignum, dignatus es tantum illustrare, ut sciam te matrem habere: & hoc mihi indignissimo concessisti, ut ipsam possim & audeam salutare.* Hæc loquendi ratio olet virum abreptum, sed seculi XIV. ubi expressiones istæ ecstaticæ simul & rusticæ erant admirationi & usui. Habebant quidem antiqui Ecclesiæ Patres profundam humilitatem, sed quam prudentioribus verbis ac solidiori expressione in scriptis suis testati sunt. Vbi autem hic anonymus appellat se *fœdissimam saniem & turpitudinem detestabilem & abominatione plenum*, ostendit nondum se esse oblitum *Latrinæ & fimi equorum*, de quibus locutus est in *Expositione Orationis Dominicæ.* Vbi se *omni vita, imo essentia indignum* vocat, ostendit se scriptorem ultimorum temporum, quibus hæ voces in scholasticis palestris cum affectatione usurpatæ sunt, quasi maxima Mysteria significantes. Sub medium hujus Opusculi, *Patientiam habe Domina, qua Angelicam salutationem promo, & Angelice non vivo, sed potius diabolice. Horrendus sum, & te salutare præsumo.* Horreo fateor Lucam Wadingum, qui tam insipidum hunc Anonymum, S. Anselmi Lucensis Episcopi nomine honestaverit. Quis unquam Patrum usque ad seculum XII. inclusive, verbo etiamsi humillimis, in scriptis suis dixerit, *se non Angelice, sed potius diabolice* vivere? Idem postea, *Igitur Ave, o catenale Ave, quod cor constringis cum Virgine, & separas à terrenis: eum misericordissima miserum, cum Domina servum, cum Matre filium firmissime ligas. O amabile Ave! Accedat ut salutet, qui vult catenari amore: & cum salutaverit ex corde, amplius fortiusque constringatur: & quanto constringetur fortius, libentius salutabit.* Quis unquam in duodecim primorum seculorum Patribus, audivit tam ineptam exclamationem, *O catenale Ave! Accedat ut salutet, qui vult catenari amore?* Quale adjectum, *Catenale?* quale verbum, *catenari amore?* Fallor nisi voces istæ appellant tempora vel *Rusbrochii*, vel *Gersonis*, quibus eo devotior atque etiam doctior existimatus est, quo magis barbare & insulte quisque loqueretur.

Opusculum tertium *Meditatio super Salve Regina*, non tam primo evulgatum ab Luca Wadingo, quam iterum editum. Constat enim hanc Meditationem haberi in omnibus firme editionibus Operum divi Bernardi, ab anno 1556. ad annum 1640. Sed illam tandem ita absurdam, indoctam atque nugacem esse visam: ut in ultimis eorundem Operum editionibus ab Joanne Merlane Horstio Germano, & Joanne Mabillonio Gallo, viris ambobus & eruditis & criticis, ab Operibus Bernardinis proscripta sit. Quo porro jure, quæ indigna Bernardo visa est Meditatio, in jura nomenque Anselmi Lucensis Episcopi transiit? Si Bernardo indigna, ergo & Anselmo tam Lucensi Episcopo, cui Lucas Wadingus eam adscripsit: quam Contuariensi Archiepiscopo, cui illam alii attribuunt. *O Domina* (inquit) *quæ rapis corda dulcedine, nonne cor meum Domina rapuisti? Et ubi quæso posuisti illud, ut ipsum valeam invenire? nunquid in sinu tuo, ne inveniam, collocasti? nunquid inter ubera tua posuisti illud? Fortasse ibi posuisti illud cor meum, ut quod friguerat tibi, calefiat! O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? Quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis tuis amicis? Nunquid semper vis ipsum tenere?* Vel hæc interrogatio unica, anonymum probat morionem atque insipientem virum, quem indiscretus zelus effert ad inquisitiones stultas & impudicas, si verba sumantur ad literam prout sonant. Stupendam ecstasin, *O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum?* O insaniam scriptoris, *Nunquid inter ubera tua posuisti illud?* Olent voces istæ ecstaticum quendam extravagantem, quem Deus anonymum voluit. Hæc paullo acrius adversus Wadingum, qui minus considerate Opuscula ejusmodi *Anselmo Lucensi Episcopo* adscripsit. Detrahunt sane multis sanctorum Ecclesiæ Patrum honori, quos nobile ingenium ac ju-

judicium grave venerabiles nobis reddidit, qui eis absurda insipidaque Opera perperam, zeloque indiscreto assignant. Scripta Veterum non mole, sed virtute, sed ratione, sed judicio cum pietate, sed gravitate pensanda sunt. Hæc ampliora paullo quam pro more nostro, ad honorem Anselmi Mantuani postea Lucensis Episcopi, & Bonaventuræ S. R. E. Cardinalis & Doctoris, defendendum: quem in substitutione insipientium Opusculorum impeti opinatus sum. Obiit autem Anselmus Lucensis Episcopus anno 1086. die 18. Martii, qui & Mantuæ in patria sepultus est. De illo Bellarminus & Labbeus, locis supra citatis. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* pag. 86. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo XI. tomo XV. cap. 3. ubi De scriptoribus Ecclesiasticis. Gerardus von Mastricht in Duisburgensi Academia Juris & Historiæ Professor in *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii* Num. 260. pag. 301. 302. & 303. edita 1686. Amstelodami in 8.

1070 THEODERICVS SANCTI EVCHARII prope Trevirim MONACHVS, nunc S. Matthiæ Abbatiæ Monachorum Ordinis divi Benedicti, circa annum MLXX. claruisse mihi videtur, atque *Historiam Archiepiscoporum Trevirensium* literis mandando commendasse nomen suum posteris. Duos veteres Auctores, qui Historiam Trevirensium literis mandarunt, Joannes Trithemius memorat initio *Chronici Hirsangiensis*, inquit enim *Theodoricus Monachus in historia Trevirorum, Golscherus Monachus in Gestis eorundem*. Idem autem Trithemius etiam in *Catalogo virorum illustrium Germaniæ* agit de Theoderico Monacho S. Matthiæ prope Trevirim Ordinis Sancti Benedicti, qui tamen inter ejus opera *Annales Trevirenses* non recenset. Duos item laudat Christophorus Browerus in *Proparasceve ad Annales Trevirenses*, scilicet Golscherum Monachum Sancti Matthiæ apud Treviros, & Anonymum (forsan *Theodoricum*) qui Annales Trevirenses Cunoni dedicavit Archiepiscopo, quem anno MLXVI. fuisse occisum dicunt. Hinc ætas Theodorici colligitur, qua circiter floruit, ad suam enim ætatem, deduxisse *Historiam Archiepiscoporum Trevirensium* creditur, quam anno MLXX. assignavimus. Licet nondum impressa sit, extare mihi videtur MS. inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ sub effigie Titi littera D. Codice XXV. qui Collectaneum est historiæ multorum Episcopatuum & Archiepiscopatuum Germaniæ, atque Anonymorum authorum est. In quo num.

1. Chronicon Archiepiscoporum Trevirensium ab Euchario primo istius urbis Episcopo ad obitum Cunonis Episcopi XCVI. anno Christi 1087. (lege 1066.) cui successit Wernherus filius fratris ipsius. Præmittitur descriptio urbis Trevirorum, & historia de primis illius initiis & statu.

2. Chronicon & actus Archiepiscoporum Coloniensium, a Materno primo Episcopo ad Theodoricum Episcopum LXI. qui obiit anno Christi 1464.

3. Chronicon Episcoporum Tungrensium.

4. Chronicon Episcoporum Trajecti superioris.

5. Chronicon Episcoporum Leodiensium ad annum 1486.

6. Historia compendiosa incomparabilis Prioris Henrici de Oerschet in Bethleem juxta Lovaniam *de cladibus Leodiensium* anno Domini 1469.

7. Chronicon Episcoporum Trajecti inferioris ad annum Christi 1393.

Hæc collecta ex Thoma Smitho in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Cottonianæ, quem anno 1696. in folio Oxonii è theatro Sheldeniano edidit pag. 131. col. 1. Gerardus Jo. Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 42. p. mihi 359. anno MV. Theodorici S. Matthiæ prope Trevirim Monachi ætatem statuit, qui argumentum ævi sui elegit, signando literis *Inventionem Reliquiarum sancti Celsi Confessoris*. De ætate Theodorici hujus notanda verba Gabrielis Bucelini, inter Abbates sancti Matthiæ Trevirensis: *I. Gunterus obiit anno 987. 2. Gunderadus, cujus meminit asserte in Miraculis S. Celsi; Theodoricus. 3. Richardus decessit 8. Idus Augusti anno 1024. Claerunt sua apud posteros ingenii monumentis relictis Golscherus, Theodoricus & Theodorus, monasterii Divi Matthiæ alumni.* Vt tamen videant lectores, quam diversa & sibi contraria hic author scribat, circa ætatem & Theodorici & Golscheri, subjungere placet, quæ de illis postea tradidit. Et de Theodorico quidem scribit sub 13. Abbate Godefrido: *Is Godefridus cum Epternacensis monasterii Abbas anno 1181. teste Theodorico monacho, qui ad eum scripsit, creatus* &c. At de Golschero sub 16. & 17. Abbatibus: *16. Theodoricus Abbas ab anno 1257. ad annum 1287. gravissimos persecutiones cum fuis sustinuit, quas prolixe refert Brouwerus in Annalibus Trevirensibus, ex Golschero Monacho sancti Matthia (si recte memini) qui de his volumen scripsit. 17. Alexander. Hic multa cum pace monasterium rexit an. 19. mensibus 4. diebus 29. obiit anno Domini 130. h. 7. Kalendas Junii, Brouwerus Justi. Hoc Abbate, ut refert Antonius Mosenich, floruit pereximium illud eruditionis jubar Golscherus, hujus Monasterii professus, sacerdos & scriptor ecclesiasticus, nulli pene secundus, quippe qui De Laudibus Sanctorum Eucharii & Valerii atque Materni doctissimos Commentarios absolverit, Gesta Trevirorum insigni volumine complexus sit.* Vitam istam Eucharii Valerii & Materni edidit Bollandus ad diem 29. Januarii. Hæc obiter de Golschero, qui Vossii diligentiam fugit, occasione Theodorici addere volui, ex Bucelino qui sibi maxime de Theodorici ætate inconstans fuisse videtur. De Golschero postea latius ad annum MCXXX. cui illum assignabo.

SAN-

1070 SANCTVS BENNO primum Ecclesiæ Romanæ Archipresbyter, tum postea Misnensis Episcopus ante annum 1076. claruit, ac scripsit *Vitam & Gesta Hildebrandi*, qui Romanus Pontifex factus, Gregorius VII. dictus est. Hæc tanto sincerior est, quod scripta per Bennonem Cardinalem, S. R. Ecclesiæ Archipresbyterum, qui eo tempore vixit, ubi narratur cur depositus fuerit: & miranda referuntur de aliis Pontificibus Romanis videlicet Benedicto IX. Gregorio VI. Joanne XXI. Leone IX. Alexandro II. it. aliis, quæ nullus Historicorum adhuc prodidit, neque Platina, nec quispiam alius. Migravit ex hac vita anno à Christo Domino 1106. ætatis suæ 96. sedis autem 40. die 16. Junii. Hoc Opus Bennonis edidit primum inter suos *Germania Historicos* Reinerus Reineccius, post ipsum Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis* lib. 13. pag. 1321. ad 1334. Joannes Wolphius *Lectionum Memorabilium* vol. I. editionis 1600. Lavinganæ, ad annum 1076. Centuria XI. pag. 290. & seqq. Quamvis autem Gregorii VII. capitalis hostis fuerit, hunc tamen Adrianus VI. Romanus Pontifex Sanctorum numero adscripsit, ut ex ejus Actis apparet, idque in ejusdem Hadriani itinerario testatum habetur. Scripserat jam olim Trithemius Abbas ad Julium Papam Epistolam 64. id exposcente Georgio Duce, pro canonizatione sancti Bennonis, in qua hæc inter alia de ejus vita atque Miraculis. *Vita Bennonis sanctissima, plena virtutibus, à vetustioribus suisque contemporaneis, luculenter descripta habetur, & multa quotidie in Ecclesia Misnensi ad ejus tumulum miracula fiunt.* De eodem Cocklæus in Commentario *De actis & scriptis Lutheri*, anno Domini 1524. Extat de ejus Canonizatione Pontificium diploma, quod quatenus Romæ asservatur in Ecclesia S. Mariæ de Anima, nationis Teutonicorum, quo quidem significatur anno Domini 1523. die Dominico in die festo sanctissimæ Trinitatis, qui fuit 31. Maji à dicto Pontifice canonizatos esse S. Bennonem Episcopum Misnensem & S. Antonium Archiepiscopum Florentinum, ac Sancti Bennonis solemnitatem vilatam esse ad 16. Junii mensis, atque ab eodem Pontifice concessam plenariam indulgentiam, omnibus eandem Ecclesiam ea die visitantibus. Hæc de Bennone Gregorii VII. hoste notanda sunt.

1070 WILLERAMVS MERSEBVRGENSIS ABBAS, quem Guilielmus Cavus omisit, natione Germanus, Monachus primum Fuldensis, Ordinis divi Benedicti, postmodum autem Abbas Sancti Petri Merseburgensis Congregationis Cluniacensis anno 1070. clarus, scripsit *Epithalamium in Cantica Canticorum, de Christi & Ecclesiæ nuptiis*, ex diversi generis Carminibus prosa intermixtis, *libris tribus*, quorum initium est: *Cum Majorum studia &c.* Hæc autem *Paraphrasis gemina. Willerami Abbatis in Cantica Canticorum*, prior *Rithmis Latinis*, altera *Lingua Francica veteri*, edita cum Dracontio in *Hexaemeron*, Lugduni Batavorum anno 1598. in 8. per Paulum Merulam, cum *Explicationibus & Notis*, quibus veterum vocum Francicarum ratio redditur. Vixit floruitque Willeramus iste sub Imperatore Henrico IV. circa annum Christi 1070. & 1080. ut testatur Joannes Trithemius, qui in *Catalogo Illustrium Scriptorum Germania* non solum ipsius, verum etiam citatæ *Paraphraseos in Cantica Canticorum* meminit his verbis, « WILLERAMVS Ab. Cœnobii Merseburgensis, Ordinis divi Benedicti, vir in divinis Scripturis eruditus, & secularis litteraturæ non ignarus, carmine doctus & prosa, non minus vitâ quàm scientiâ clarus effulsit. Qui cum Literis & Philosophiæ in Gymnasio Parisiensi aliquandiu operam navasset, rediit ad patriam suam, Franciam scilicet Orientalem, quæ & Franconia dicitur: & propter eminentiam doctrinæ, Bambergensis Ecclesiæ Scholasticus factus, dulce litterarum contubernium non deseruit. Tandem vanam mundi gloriam considerans transire eum tempore, spreto seculo contemptisque rebus mundanis pro amore Dei, Monachicum schisma in Monasterio Fuldensi induit, qui crescentibus meritis postremo Abbas apud Merseburgum electus fuit. Scripsit autem *Opus metro & prosa mixtum, super Cantica Canticorum*, quod prænotavit *De nuptiis Christi & Ecclesiæ*, libris tribus. *Sermones quoque varios ad fratres, & plures* ut ferunt, *Epistolas* ad diversos. Alia quoque multa composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Henrico IV, anno Domini MLXXX. Idem in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, de eo quoque ita loquitur. WILLERAMVS Abbas Merseburgensis, ordinis divi Benedicti, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis eruditus, & secularium litterarum non ignarus, Carmine exercitatus & prosa, cum in Vniversitate Parisiensi aliquandiu litteris impendisset operam, ad patriam reversus, Bambergensis Ecclesiæ Scholasticus factus est. Tandem considerans, mundi gloriam transire cum tempore, contempto seculo, in Fuldensi Cœnobio pro Christi amore Monachum induit: & postremo crescentibus meritis, in Monasterio S. Petri prope Merseburg Abbas consecratus, nomen suum scribendo posteris notificavit. De cujus Opusculis ego tantum legi volumen metro & carmine prosa mixtâ, pulchrâ varietate compositum *De nuptiis Christi & Ecclesiæ in Cantica Canticorum*, libris tribus: cujus voluminis principium, *Cum majorum studia &c.* De cæteris nihil vidi. Claruit sub Henrico IV, anno Domini 1070. » Hæc Joannes Trithemius de *Willeramo Abbate Merseburgensi & Paraphrasi ejus in Cantica Canticorum*, cujus MS. Codex, quem olim Trithemius viderat, extat nunc in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. Codices arcis Ambrosianæ num. XXV. quos Viennam in Imperatoriam Bibliothecam an-

anno 1665. transtulit Petrus Lambecius: ut ipse scribit tomo 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ cap. 8. pag. 763. & multis sequentibus, ubi manuscriptum hoc excutit atque mirè extollit. Scriptus autem est hic Codex, ut ex forma literarum aliisque variis indiciis apparet, ipso Willerami ævo, imò forsitan, propria ipsius manu. Qui fine ulla controversia longè præferendus est illi MS. Codici Bibliothecæ nostræ Lugduno Batavæ Num. 120. cujus mentionem facit Catalogus hujus Bibliothecæ impressus in 4. anno 1674. pag. 405. ex quo Paulus Merula illud Opusculum Lugduni Batavorum typis Plantinianis Christophori Raphelengii anno 1598. in 8. primus imprimi curavit. Tanta enim & tam multiplex est inter Batavam illam editionem impressam, & vetustissimum hunc Codicem MS. differentia: ut ad eam demonstrandam, *integra novâ editione* opus esset, inquit Lambecius loco citato, pag. 765. quemadmodum apud illum ex subjuncto specimine videre est, quod heic afferre nostri non est instituti. Notandum porro est, hujus Codicis MS. Ambrosiani Imperatorii unamquamque paginam, in tres columnas divisam esse: ita ut prima contineat *Latinam Cantici Canticorum paraphrasim metro-Rithmicam*: Secunda autem sive media ipsum *Cantici Canticorum contextum Latinum prosaicum*, secundum vulgatam sacrorum Bibliorum versionem: tertia denique ejusdem *Cantici Canticorum paraphrasim antiqua lingua Theotisca* sive *Germanica*, qualis seculo Willerami usitata fuit in Francia Orientali, sive Franconia. Has igitur tres columnas cujusque paginæ hujus voluminis intelligit Joannes Trithemius, dum suprà citatis locis, scribit *Opus Willerami in Canticum Canticorum, tribus libris constitisse*. Notandum secundo est, Germanicam hujus Codicis Scripturam, non solum quoad ipsam veteris linguæ Franconicæ dialectum, verum etiam quoad figuras litterarum, & orthographicam accentuum rationem, esse persimilem aliis duobus suprà memoratis augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ rarissimis MSS. Codicibus, quibus *Otfridi* antiqua Theotisca paraphrasis in Psalterium Davidis & quatuor Evangelia, continetur. Contra autem singulis ferè verbis ab eadem longe discrepare, Batavam illam Pauli Merulæ editionem: ut ex subjuncto illius à Lambecio principio, si cum superiori Codicis hujus manuscripti Ambrosiani Lectione conferatur, primo intuitu videre est. Extat tertius MS. Codex in Bibliotheca insigni Marquardi Gudii, Regis Daniæ Consiliarii in Ducatu Slesvicensi, ut constat ex Catalogo hujus Bibliothecæ edito in 4. anno 1706. Kilonii inter MSS. Codices Latinas Codice 303. num. 3. dicti Catalogi pag. 569. Agit de *Willeramo Merseburgensi Abbate*, post Possevinum & Trithemium locis citatis, & Paulum Merulam in editione hujus Commentarii, plenissime Petrus Lambecius, quem hîc in Compendium contraximus, tomo 2. Commentariorum suorum *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis*, cap. 8. à pag. 763. ad 772.

BRUNO GERMANUS MONACHUS, quem Guillelmus Cavus omisit, ex ordine, ut credimus, divi Benedicti, claruit anno 1080. vel circiter. 1070 Contexuit *Historiam Belli Saxonici* suo tempore gesti, ad Werhinerum Episcopum Merseburgensem. Tractat in hoc Opere De adolescentia Henrici IV. Imperatoris, ac bellis, quæ cum Saxonibus gessit: itemque de Rudolpho & Hermanno Regibus, in Schismate electis. Orditur ab anno 1073. desinitque in annum 1082. Quod si talis fuerit Henricus IV. qualis eum Bruno depingit, sane nihil eo sceleratius fuit. Sed multo aliter de eo tradidere, Veterum non pauci. Atque hoc in causa est, cur Marquardus Freherus, qui tomo 1. *Veterum de rebus Germanicis Scriptorum*, anno 1600. Francofurti in folio typis Wechelianis editorum: cum Brunonis hujus Historiam primus in lucem ederet, subjicerit illi in Collectione sua Historicorum Germaniæ, antidoti loco *Apologeticum*: quem *De unitate Ecclesiæ conservanda & Schismate inter Henricum ac Gregorium*, animi atque affectus sui monumentum apud omnes esse voluit, seu Wenericus Vercellensis Episcopus, qui anno 1070. obiit, seu Walramnus vel Waldramus Naumburgensis Episcopus, anno 1112. mortuus, vel etiam quorundam judicio, Conradus Ultrajectinus Episcopus, qui anno 1098. defunctus est. Hi quoque Libri *Brunonis Monachi de bello Saxonico ab Henrico IV. gesto*, extant MSS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, impresso Lipsiæ anno 1686. curâ & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, pag. 315. De *Brunone Monacho Historiographo Germano*, Gerardus Joannes Vossius quem hic exscribimus, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. 388. ultimæ editionis, editionis autem primæ p. 364.

GERARDUS SYLVÆ MAJORIS ABBAS, quem Guillelmus Cavus omisit, Monachus primum Corbejensis Abbatiæ, Ordinis divi Benedicti in Gallia, tum Ædituus seu Sacrista, tum postea in Cœnobio eodem Cellerarius. 1070 Factus deinde Sancti Vincentii Laudunensis Abbas, circa annum 1070. in locum fratris Reginarii suffectus, vir pietate ac sanctitate insignis, ut Acta ipsius testantur, quæ stylo suo prosecutus est Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino Lib. 2. Observationum, ad diem 5. Aprilis. Dum autem Cellerario officio apud Corbejam fungeretur, scripsit *Vitam Sancti Adhalardi Corbejensis Abbatis*, restitutæ per virum sanctum Sanitatis occasione acceptâ, qui Gerardum ab improbo capitis dolore liberaverat. Hanc ediderunt Surius & Bollandus ad diem 2. Januarii, tum Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, parte 1. pag. 345. Idem posteà

posteà ex Abbate S. Vincentii Laudunensis, circa annum 1077. Monasterio S. Medardi Suessionensis Abbas præficitur : Sed à Bertha Regina, Philippi Regis uxore pulsus, circa idem tempus Abbatiam Sylvæ Majoris Burdegalensis Diœcesis fundat, cui primus Abbas anoo eodem 1077. præficitur : de quo ita Chronicon Malleacense. *Anno 1077. Gerardus ædificare cœpit Cœnobium Sanctæ Mariæ Sylvæ Majoris, & obiit 1095. Septimo Idus Aprilis.* Agunt de *Gerardo isto*, quisquis authòr est Vitæ S. Arnulphi Suessionensis Episcopi cap. 18. sive Liziardus Suessionensis Episcopus, sive Hariulphus Aldeburgensis Abbas fuerit, *Martyrologium Benedictinum* Hugonis Menardi, ad diem 5. Aprilis. Sammarthani fratres tomo 4. *Galliæ Christianæ*, in Catalogis trium Abbatiarum, Sancti Vincentii Laudunensis, Sancti Medardi Suessionensis & Sylvæ Majoris. Imò plura de illo promittit idem Joannes Mabillon Seculo VI. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, ad annum 1095. quo *Elogium ejus Historicum* post Hugonem Menardum ex variis monumentis conscripturus est.

1070 GREGORIUS PAPA VII. longe ante Pontificatum sub Hildebrandi nomine celeberrimus, tenuit Romanam cathedram ab anno 1073. per annos duodecim, mensem unum & dies tres, ad annum nempe 1085. diem 25. Maji qua mortuus est. Hic magno animo jura atque libertatem Ecclesiasticam contra Imperatores tutus fuisse dicitur, qui ab aliis contumax, superbus ac rebellis appellatur. Scripsit *Commentarium in septem Psalmos Pœnitentiales* insignem, quem quia MSS. Codices nudè *Gregorio Papæ* adscribunt : ideo ob aliquantam quam præ se fert antiquitatem, ob zelum & pietatem quam spirat, Sancto Gregorio Magno adscriptus est, atque etiam inter ejus Opera impressus. Licet ad tempora Henrici IV. Imperatoris spectet, ex iis, quæ in eo narrantur, referatque omnino ingenium, indignationem & inimicitias, quas Gregorius Papa VII. cum Imperatore Henrico IV. ratione investiturarum exercuit : ut rectè notavit Petrus de Gussanvilla in ultima editione Operum *S. Gregorii Magni*, quam III. in folio tomis procuravit anno 1672. Parisiis, apud magnam Bibliopolarum Societatem. *Regestum* quoque *Epistolarum Gregorii Papæ VII.* Libris X. comprehensum, extat MS. in celebri Bibliotheca *Claravallis* in Episcopatu Lingonensi, estque sæpiùs impressum in *Conciliorum Collectionibus & editionibus*, in ultima Parisiensi potissimum quæ Labbeana dicitur tomo X. pag. 6. cum *Appendice duplici* variarum ejusdem Pontificis Epistolarum, quæ ex diversis MSS. Codicibus expressæ sunt, ibidem col. 306. & 410. Denique dum esset adhuc Hildebrandus ac forsitan Cluniaci Prior vel Monachus, scripsit *Expositionem in Evangelium Matthæi*, quæ MS. extat in Cantuariensis Archiepiscopi Bibliotheca Lambethana, unde fragmentum producit P. Allix in *Præfatione* ad Joannem Parisiensem, pag. 7. Hic maximam sibi famam atque invidiam simul procuravit, dum in sede Romana collocatus, nulli subjici voluit, imò omnes & Imperatores & Ecclesiasticos, cujuscunque sedis Metropolitani vel Patriarchæ essent, indiscriminatim arbitrio Romanæ sedis & voluntati subjicere voluit, supremamque in omnibus Episcopo Romano potentiam adseruit. Ipse sine Imperatoris consensu ad Episcopatum pervenit, investituras Laicales publico decreto proscripsit & prohibuit, Imperatorem excommunicavit & imperio privavit, integram denique in Republica Romano Germanica confusionem & perturbationem induxit. Rem istam accurate excussam & perpensam tradit Onuphrius Panvinius in ejus Vita his verbis. «Huic uni cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tum præcipue Romana acceptum referre debet, quod libera sit & ab Imperatorum manu eruta, quod tot divitiis, opibus & profana ditione locupletata ; quod Regibus, Imperatoribus, Christianis Principibus sit præfecta : à quo postremo, ut omnia uno verbo complectar, maximus iste eximiusque status, in quo Ecclesia Romana est omnium Christianorum domina, cum antea tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus modò, sed à quovis Principe Romani Imperatoris præsidiis fulta, premeretur. Ab hoc, maximæ illius & omni seculo tremendæ venerandæque Romani Pontificis & infinitæ pene potestatis, jus manavit. Nam & si ante Romani Pontifices, tanquam religioois Christianæ capita, Christique Vicarii & Petri Successores colerentur : non tamen eorum auctoritas ultrà protendebatur, quam in fidei Dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur, de eis judicare vel quicquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII, armis Nortmannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contempta Imperatoris auctoritate & potestate, cùm Summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum (à quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat) non dico excommunicare, sed etiam regno imperioque privare ausus est. Res ante ca secula inaudita. Nam fabulas, quæ de Arcadio, Anastasio & Scone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. Unde Otto Frisingensis horum temporum Scriptor, *Lego*, inquit, *& relego Romanorum Regum & Pontificum gesta, & nusquam invenio aliquem eorum, ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum &c.*» Hoc regno & potestate omnimodà stabilità, Leges seu Canones illi congruentes fingi debuerunt, qui simplicitate & hu-

humilitate Apostolica veteri explosa, splendorem imperii & Vicarii Christi redolerent, ac culmen illud potentiæ imposterum moderarentur & defenderent. Huic rei *Dictatus* suos aptissimos Gregorius VII. invenit, de quibus ita loco citato Onuphrius Panvinius. „In media quadragesima (inquit) Romæ in Basilica „Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, „primo Synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum congregavit, in qua circa triginta edidit Capitula „seu Canones, quos *Dictatus* appellavit: quorum major pars antea parum in usu fuerat, & „à nemine prædecessorum suorum unquam attentata: verum ad firmissimum Ecclesiæ statum jaciendum, & ad omnia tentanda, quæ in „animo agitabat, idonea. Isti *Dictatus* à Cæsare Baronio in *Annalibus Ecclesiastici* ad annum 1076. num 31. 32. & 33. velut *Privilegia Sedis Apostolicæ & Romani Pontificis* memorantur, ubi de iis, ipsius Gregorii Septimi Lib. 2. *Epistolam 55.* laudat, ex iis *Dictatus Papæ* appellatos scribit. Hos tanquam *Collectionem Canonum* ipsius Gregorii VII, in perpetuum Pontificiæ Omnipotentiæ stabilitæ monumentum subjicimus. Sunt autem viginti septem sequentes.

Capitula Dictatus Papæ.

I. Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

II. Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.

III. Quod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.

IV. Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare.

V. Quod absentes Papa possit deponere.

VI. Quod cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debemus permanere.

VII. Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere, & è contra, divitem Episcopatum dividere, & inopes unire.

VIII. Quod solus possit uti Imperialibus insigniis.

IX. Quod solius Papæ pedes, omnes Principes deosculentur.

X. Quod illius solius nomen in Ecclesia recitetur.

XI. Quod unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet.

XII. Quod illi liceat Imperatorem deponere.

XIII. Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.

XIV. Quod de omni Ecclesia quocunque voluerit, Clericum valeat ordinare.

XV. Quod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: & quod ab alio Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

XVI. Quod nulla Synodus, absque præcepto ejus, debet Generalis vocari.

XVII. Quod nullum Capitulum, nullusque liber Canonicus habeatur, absque illius auctoritate.

XVIII. Quod sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

XIX. Quod à nemine ipse judicari debeat.

XX. Quod nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem.

XXI. Quod majores causæ cujuscunque Ecclesiæ ad eum referri debeant.

XXII. Quod Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.

XXIII. Quod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis Beati Petri, indubitanter efficitur Sanctus, testante Sancto Ennodio Papiensi Episcopo, ei multis Sanctis Patribus faventibus, sicut in Decretis beati Symmachi Papæ continetur.

XXIV. Quod illius præcepto & licentia, subjectis liceat accusare.

XXV. Quod absque Synodali conventu, possit Episcopos deponere & reconciliare.

XXVI. Quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.

XXVII. Quod à fidelitate iniquorum, subjectos potest absolvere.

Plura de insolentia ac superbia Gregorii Papæ VII. suggerunt Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ* Seculo XI. ad annum 1073. pag. 618. Gerardus von Mastricht, Juris & Historiæ apud Doesburgensem Academiam professor, in *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii* Num. 256. ad 260. pag. 292. & seqq. editâ Doesburgi 1676. & Amstelodami 1686. in 8. Agunt de Gregorio VII. Bellarminus & Labbeus uterque in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus hoc ad Supplementum adjunximus: Omnes quotquot vel Historiam Ecclesiasticam universalem, vel Vitas Romanorum Pontificum scripserunt; itemque Melchior Goldastus Haiminsfeldius in *Apologia Principum Germaniæ pro Henrico IV. Imperatore, contra criminatores* &c. Hanoviæ anno 1611. in 4. edita, ubi *Vitam Gregorii Papæ VII.* à Bennone S. R. E. Cardinale libris duobus conscriptam, cum multis aliis adversus eundem Pontificem, inseruit.

URSIO ALTIMONTIS ABBAS, Ordinis divi Benedicti prope Malbodium in Hannonia, scripsit circa annum 1070. *Historiam de in-* 1070

inventione corporis Sancti Marcelli Pontificis Romani & Martyris Libris duobus, quam Lietberto Cameracensi Episcopo sub hujus seculi medium dedicavit, & quam olim Manuscriptam in eodem Cœnobio Altimontis atque in Camberonensi, eduxit in lucem publicam Joannes Bollandus in *Actis Sanctorum*, ad diem 16. mensis Januarii: qui pluribus de Vrsione loquitur in Commentariis suis ad Acta ista præviis pro more suo. Hujus Scriptoris meminit Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, pag. mihi 848. his verbis: „Vrsio Abbas Altimontis in Hannonia Ordinis Divi Benedicti, floruit anno 1054. scripsit *Librum de Inventione Corporis* Sancti Marcelli Pontificis Maximi & Martyris, quod ex Vrbe ad Altummontem translatum, ibidem tempore vastationis Hungariæ sub terra fuerat reconditum. Extat Manuscriptus in Altomonte & Camberonæ in Hannonia.„ De illo apud alios Nomenclatores altum silentium. Cum autem Lietbertus Cameracensis Episcopus vixerit medius inter Gerardum I. qui anno 1059. obiit, & Gerardum II. qui anno 1076. sedere in Episcopatu cœpit: hoc opus aggressus fuisse videtur Vrsio, inter annum 1060. & 1076. proindeque circa annum 1070. quem propterea post Everhelmum in serie Abbatum Altimontis collocandum censemus.

1080 BONIZO SVTRII AC PLACENTIÆ EPISCOPVS, quem omnes omiserunt, claruit anno 1080. ob scientiam eminentem ac zelum erga libertatem Ecclesiasticam insignis, primum quidem Sutrii postea autem Placentiæ ubi mortuus est, Episcopatum adeptus: anno enim Christi 1089. ob defensionem Sedis Apostolicæ & libertatis Ecclesiasticæ à Placentinis Schismaticis, crudelissimè effossis oculis atque omnibus ferè membris detruncatis, occisus tandem est. Postquam autem is Episcopali dignitate auctus, majori cœpit esse in honore, simul etiam adversariorum ipsius infensa æmulatio in illum crevit, & tandem in tantam rabiem erupit: ut Sutrinà sede per vim pulsus, inter varias persecutiones & ærumnas in exilio aliquamdiu oberraverit, donec demum Placentiæ, ab iis, qui in illa Vrbe Catholici fuerant seu Pontificii, Episcopus declaratus est: ubi ob continuationem constantissimæ defensionis *Sanctæ Sedis Apostolicæ & Ecclesiasticæ libertatis*, sexto secundi hujus Episcopatus mense, ab ejusdem urbis factiosis Schismaticis, seu Imperatoriis sectatoribus captus, post durissimam in carcere macerationem, effossis oculis & omnibus ferè membris detruncatis, sævissime mortem subiit, anno Christi 1089. die 14. Julii. Meminit hujus rei Bertholdus Presbyter Constantiensis, qui Hermanni Contracti *Chronicon* ab anno Christi 1053. ad usque annum 1100. continuavit, quod à Christiano Vrstitio Basileensi inter *Illustres rerum Germanicarum Scriptores* primum editum est. Sic autem Bertholdus: „Anno 1089. Bonizo piæ memoriæ Sutriensis Episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri jamdudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes, & exilia, à Placentinis Catholicis pro Episcopo recipitur: Sed à Schismaticis ejusdem loci, effossis oculis, & truncatus omnibus penè membris, Martyrio coronatur.„ Hæc Bertholdus ille Constantiensis, quæ etiam Cardinalis Baronius *Annalium Ecclesiasticorum* tomo XI. in actis anni 1089. pag. 601. editionis Plantinianæ Antverpiensis, iisdem verbis inseruit. Aliquanto autem prolixius de Bonizone eodem agit Ferdinandus Vghellus Florentinus tomo 1. *Italiæ Sacræ*, in Catalogo Episcoporum Sutrinorum his verbis: „Bonizzus XV. Episcopus Sutrinus, vir longè doctissimus, floruit an. 1078. Hic *De Ecclesiasticis Commentariis* eruditissimè scripsit, cujus Episcopi honorifica mentio extat in quodam Comitissæ Mathildis privilegio, anno 1086. à qua ob egregias animi dotes magno in honore habitus est. Hujus item meminit Hubaldus Episcopus Mantuanus, in *Vita S. Anselmi Episcopi.* Bertholdus in *Chronico* illum *Bonizonem* appellat, qui ob Ecclesiæ Romanæ defensionem de Sutrinà cathedrà depulsus est, postq; varia duraque exilia à Catholicis Insubribus Placentinæ Civitatis Præsul adlectus est. Demum ab Hæreticis captus, orbatusque utroque oculo, ac cætera membra per exquisita tormenta truncatus, nobilem martyrii palmam adeptus est anno 1089.„ Hæc Ferdinandus Vghellus *Italiæ sacræ* tomo 1. Ejusdem autem Operis tomo 2. & quidem in Catalogo Episcoporum Placentinorum, ejusdem Bonizonis hoc modo mentionem facit: „Sanctus Bonitius, quem Bertholdus in *Chronico* Bonizonem appellat, fuit Episcopus Placentinus XLI. Hic cum libertatem Ecclesiasticam contra Henricum, Cadolaumque pseudo-Pontificem strenuè propugnaret, de Sutrinà sede, unde primum jus Divinum dicebat, impio Imperatore jubente, deturbatus est. Deinde cum plura ærumnosaque mutasset exilia, pervenissetque Placentiam, ibi à Catholicis ejusdem Civitatis est dictus Episcopus. Dimicansque cum impietate ac factiosis Schismaticis, primum est carcere maceratus, posteà truncatus membris atque exoculatus, prope Sanctum Domninum nobili est coronatus martyrio, sexto mense quam Placentinam Ecclesiam cœperat administrare, anno 1089. die 14. mensis Julii. Ejus sacrum corpus delatum Cremonam, ibidem exceptum tumulo est, apud S. Laurentium, ubi hæc subjecta carmina incisa leguntur.„

Nobile depositum tibi clara Placentia gessit,
Antistes Bonizo, Christi pro nomine Martyr.
Septima bis Julii hunc lux collegit in urnâ.

Hæc Ferdinandus Vghellus tomo 2. *Italiæ sacræ*. Locus autem ille ab eo citatus, ubi *Bonizonis* in Vita S. Anselmi Lucensis fit mentio, extat in *Syntagmate Veterum Monumentorum pro Gregorio*

rio VII, aliisque nonnullis Romanis Pontificibus, contra Schismaticos olim conscriptarum, a Sebastiano Tengnagelio edito Ingolstadii anno 1612. in 4. pag. 105, his verbis. „ Rogavit „S. Anselmus quoad vixit, quatenus in Capitulo „Monasterii S. Benedicti, quod est in ripa fluminis Eridani, sub obedientia sacti Cluniacensis „Coenobii, unde frarer ipse ac Monachus fuit, „sepulturæ commendaretur. Et cum concedentibus Episcopo atque Comitissa Mathilda, „cæterisque omnibus, jam deferretur ad Monasterium, corpus: affuit subito *SUTRIENSIS* „*EPISCOPUS NOMINE BONIZO*, quem & „Spiritus Sanctus suscitavit, ut clamaret dignum „esse, ut in Episcopio Episcopus sepeliretur. „Tanta, inquit, lucerna non decet ut abscondatur: ipse adhuc vivens tanquam indignum se „humiliavit, nos autem ut verè dignum exaltare oportet hominem, quem fuisse scimus sanctissimum. Acclamatum est idem statim ab „universis, rapiturque a Monachorum obsequiis, in Episcopium defertur, ibique venerabiliter „sepelitur. “ Hucusque insigne illud de *BONIZONE* testimonium ex *Vita S. Anselmi Lucensis Episcopi*, conscriptâ ab authore coætaneo, quem Vghellus loco supra citato, *Hubaldum Episcopum Mantuanum* nuncupat. Quod quidem etiam Cardinalis Baronius Annalium Ecclesiasticorum suorum tomo XI. in actis anni 1086. pag. 58. inseruit. Sed depravatum enormiter ac gravissimè, dum pro *SUTRIENSIS EPISCOPUS NOMINE BONIZO*: perperam ac mendose ibi legitur, *SABINENSIS EPISCOPUS DOMINUS DOMNIZO*. Vt enim certò constat, anno 1086. quo S. Anselmus Lucensis Episcopus obiit, *BONIZONEM* fuisse *EPISCOPUM SUTRINUM*: ita quoque verissimum est, nullum eo tempore fuisse *EPISCOPUM SABINENSEM DOMNIZONEM*, sed *GREGORIUM*: uti videre est in Alphonsi Ciaconii *Historia Romanorum Pontificum*, quippe ubi incorruptis monumentis antiquis solidè demonstrat, *Vbaldum*, qui ab Alexandro Papa secundo Cardinalis Episcopus Sabinensis creatus est, obiisse sub Pontificatu Gregorii VII. atque in ejusdem defuncti locum a jam dicto Gregorio VII. creatum esse Cardinalem Episcopum Sabinensem *Gregorium*, qui anno 1077. ad Imperatorem Henricum IV. Legatus in Germaniam missus est, & sub Papa Vrbano II. qui anno Christi 1088. electus est, obiit. Quamobrem non solum citatus supra Cardinalis Baronii locus corrigendus est, verum multo etiam magis, *Catalogus Episcoporum Sabinensium*, qui extat in Ferdinandi Vghelli tomo I. *Italia sacra*: utpote ubi inter Episcopos Sabinenses *Vbaldum & Gregorium*, fictitius ille *Domnizo* his verbis insertus in medio est: *Domnizo decimus tertius Episcopus Cardinalis Sabinensis, anno 1076. Interfuit exsequiis Sancti Anselmi Lucensis Episcopi, de quo in Vita ejusdem Sancti. De hoc Domnizone, nulla alia extat mentio, oportuit eum successisse Vbaldo.* Hæc Ferdinandus Vghellus, de commentitio illo Episcopo Sabinensi DOMNIZONE. Ad quæ refutanda hoc unum sufficit, quod expresse ait, Episcopum illum *exsequiis S. Anselmi Lucensis Episcopi interfuisse, eaque de re in Vita Sancti Anselmi, singulare quoddam extare testimonium.* Res enim ipsa indicat, non alium Vitæ S. Anselmi locum significari, quam illud ipsum de *BONIZONE EPISCOPO SUTRIENSI* testimonium, ab ipso Vghello ut supra videre est, in *Catalogo Episcoporum Sutrinorum, sive Sutrinensium* allegatum, quod ego paullò antè secundum veram & genuinam editionis Tengnagelianæ lectionem integrè exhibui: inquit Lambecius.

3. Cæterum valde mirandum est, quod non solum Sigebertus Gemblacensis, Henricus Gandavensis, Joannes Trithemius, Cardinalis Bellarminus, Guillelmus Eisengrenius, Aubertus Miræus, Antonius Possevinus & Philippus Labbeus in Catalogis suis *Scriptorum Ecclesiasticorum*: Sed etiam Joannes Jacobus Frisius in *Bibliotheca Vniversali Gesneriana*, a se multo quam antea auctius edita: & Gerardus Joannes Vossius in Opere *De Historicis Latinis*, nullam omnino hujus *Bonizonis*, faciant inter Ecclesiasticos Scriptores mentionem. Attamen referente Petro Lambecio, cui hunc Scriptorem debemus tomo 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis*, cap. 8. pag. 790 & sequentibus: Codex LXXXV. Bibliothecæ arcis Ambrasianæ juxta Æenipontem, quæ in Imperatoriam Bibliothecam anno 1665. translata est, Latinum volumen Chartaceum est, anno 1419. scriptum, cujus parte secunda extat haud evulgata hactenus, *Bonizonis Episcopi Epitome omnium Operum & sententiarum S. Augustini*, inscripta *Paradisus Augustinianus* & in libros octo divisa, cujus *Epistola dedicatoria* hoc modo incipit.

Bonizo in familia Dei minimus, Johanni Reverendissimo Abbati, salutem.

Dominica voce reus arguitur, qui talentum „ sibi creditum maluit humo tegere, quam num- „ mulariis ad mensam commodare. Cujus admissi „ culpam sollicite vitare desiderans, deliberavi „ Dei juvante gratiâ, quamdiu Spiritus vitales „ meos vegitaverit artus, quidquid auditu cordis „ & corporis percipere, quidquid intellectu discernere, quidquid palato cordis potero ruminare, „ fratribus indigentibus libenter communicare. „ Suscepi igitur, Pater Venerande, EXCERPTUM „ SENTENTIARUM MIRIFICI DOCTORIS AUGUSTINI tibi sudatum, & per annum vix ad calcem „ perductum, quod OCTO VOLUMINIBUS divi- „ sum, a me PARADISI nomine est decoratum, & „ non immerito &c. De argumento autem „ uniuscujusque Libri hujus Epitomes, agitur in „ eadem Præfatione circa finem, his verbis. Accingere ergo Pater carissime, & admirabilis „ Doctoris scrutare sententias & quid sit „

Deus

„Deus, & quid non sit Deus: & quid sit Trinitas, quidve Vnitas, subtili indagatione considera. Et de diversitate Personarum, & de uniuscujusq; Personæ proprietate, & de missione Filii, & de processione Sp. Sancti: & qualiter unum tria sit, & qualiter tria unum sint: & de Divina providentia, in PRIMO lege & investiga viriliter. In SECUNDO verò volumine, de rationali quære creatura, & qualiter Angelica creata sit creatura, qualiterve humana: & cur Deus diabolum creaverit, quem præsciebat peccaturum; cur verò hominem? Et de libero arbitrio & de gratiâ, quære diligenter & invenies. In TERTIO verò de origine Adæ & de Pascha, & de Baptismi Sacramento, & de corporis & sanguinis Domini Eucharistia, & de Charitate, scrutare viriliter. In QVARTO vero, cur exorandus sit Deus, cum sciat quid nobis sit necessarium, & de septem petitionibus, & de diligendo Deo, & de Lege naturali, & quod melius sit ab homine, quam a vitio vinci. Et de adipiscendis virtutibus, & de cavendis vitiis, & de fugiendo mendacio, & de octo generibus ejusdem. Et de percipiendis alimentis, & adversus Mathematicos & contra Origenistas, si quæsieris gnaviter, invenies dilucidatum. In QVINTO verò invenies, De doctrina Christiana, & quod inter omnia signa, verba obtineant principatum: & de signis ambiguis, & de figuratis locutionibus. Et qualiter intelligenda sit Sacra Scriptura, & de cavendis barbarismi vitiis, & de Artium peritia, & de eloquentia, & de septem Ticonii regulis, & de Quinquagesima & Quadragesima. In SEXTO verò de auctoritate septuaginta Interpretum, quive fuerint: & ab ipso initio Geneseos usque ad Salomonis tempora, multiplices & difficiles, solutas a beato Augustino invenies quæstiones. In SEPTIMO verò multas sancti Evangelii & Doctoris Gentium, enucleatas invenies quæstiones. In OCTAVO autem scriptum reperies, quid sit Infernus: & utrum in Inferno mali tantum, an etiam boni mansuri sint: & an corpora possint esse in ustione ignis perpetua, & quibus Sacrificiis prosit post mortem, & qualiter mortui in somnis, viventibus appareant. Et de oblatione vel eleemosyna pro defunctis, & quod Adam morte Dominica ab Inferno sit liberatus. Et de duabus resurrectionibus, & quod peracto judicio, ignis fiet conflagratio: & an ad Dominici corporis modum, omnium mortuorum resurrectura sint corpora? Et de novitate corporis spiritualis, & de possessione æternæ beatitudinis, & de qualitate visionis, qua Deus in futuro videbitur: & de æterna civitatis Dei felicitate. Talibus delitiarum pomis vescere, his te pasce delitiis, sicque ligni vitæ saginatus dulcedine, Sermones Christi servabis, mortemque non gustabis in æternum. Meæ quoque compatiens infirmitati, mei laboris non immemor, ab æmulorum latratibus, scuto tuæ Orationis me protege.

Hucusque Epistola dedicatoria, ipse autem liber primus incipit his verbis: *Omne quod est, aliud est quod constat, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Vniversa igitur creatura &c.* Dignissimum profectò est hoc opus, ut adminiculo typographiæ publici fiat juris, cum propter doctrinæ divi Augustini enucleationem, tum vero etiam ob ipsius *Bonizonis* reverentiam, servandamque doctrinæ famam: quippe qui tempore magni illius Schismatis inter Gregorium VII. Papam & Henricum IV. Imp. pietate, eruditione, & constantia clarissimus fuit. Composuit autem hanc *Epitomen Augustinianam* ante Gregorii VII. jam memorati Pontificatus initium, h. e. ante annū Christi 1073. uti patet ex Epistolâ dedicatoriâ, quæ Joanni Abbati inscripta est. Hic enim est celeberrimus ille S. Joannes Gualberti, patriâ Florentinus, institutor & primus Abbas Ordinis Vallis Vmbrosæ, qui obiit anno 1073. die 12. Julii, tamque vivens quam mortuus, multis claruit miraculis. Hujus itaque S. Joannis Abbatis Vallumbrosiani suasu, composuit BONIZO illam *AVGVSTINIANAM EPITOMEN*, eamque ob rem in Epistolâ dedicatoriâ expresse ait, *ipsi sudatum esse istud Opus*: hoc est, ut ego interpretor, *secundum ipsius voluntatem & in ipsius usum*, non absque sudore, illud ex omnibus S. Augustini scriptis collectum & elaboratum esse. Notabile etiam est, quod BONIZO in fine ejusdem Epistolæ dedicatoriæ, Joannem rogat Abbatem, *ut orationis suæ scuto, ab æmulorum latratibus se protegat*. Per *æmulos* enim illos, intelliguntur absque dubio *Sacerdotes Simoniaci & Schismatici*: cum quibus ut ipsi Sancto Abbati Joanni, sic etiam amicis ejus & discipulis, & præcipuè quidem BONIZONI, perpetua fuit gravissimaque contentio. Cæterum cum in eadem Præfatione, nulla Episcopatus Bonizonis, vel exilii ejusdem mentio fiat: inde rectè colligitur, compositum esse illud Opus, antequam in Episcopum Sutrinum electus est.

2. Porro præter memoratam supra *Operum Sancti Augustini Epitomen*, alia etiam non pauca partim Theologica, partim Historica scripsit Opera. Nam Joannes Mabillon in *Itinere Italico* Parisiis anno 1687. in 4. impresso apud Joannem Boudot, pag. 14. narrat se in Bibliotheca Mediolani Ambrosiana vidisse Bonizonis Sutrini Episcopi *librum de Sacramentis* ad Gualterium Leonensis monasterii Abbatem: quo in libro meminit auctor *Opusculi* etiam *contra Vgonem Schismaticum* à se conscripti. Inter Historica unum præ cæteris memorabile reperitur, inter Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis MS. Codices Historicos Latinos, qui nondum certis numeris signati sunt. Volumen, quo illud continetur, membranaceum est *in folio minori*, seu *quarto majori*: quod, quantum ex Scripturâ aliisque circumstantiis judicare licet, haud multo post *Bonizonis* mortem, exaratum est. Possessor hujus rarissimi Codicis MS. & forsitan unici,

fuit olim, ut ipse primo ejus folio propriæ manus subscriptione testatur, Joannes Albertus Widmestadius, sive Widmanstadius, Imp. Ferdinandi Consiliarius, & Provinciæ Austriæ Orientalis Cancellarius, Jurisconsultus doctissimus, & Linguarum Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, & Arabicæ peritissimus, qui *Novum Testamentum Syriacum* elegantissimis literis Syriacis Vindobonæ sive Viennæ Austriæ anno 1562. typis Michaelis Zimmermanni in 4. imprimi curavit, suamque Bibliothecam libris Orientalibus instructissimam, Serenissimo Bojorum Duci Alberto vendidit. Continetur autem jam memorato Codice, ineditum hactenus *DECRETALE BONIZONIS*, sive *SYNTAGMA DECRETORUM ECCLESIASTICORUM*, ex Sacra Scriptura, probatisque Conciliis, ut & ex Pontificum Romanorum, & Sanctorum Patrum, aliorumque Orthodoxorum authorum monumentis collectum, & secundum locos communes *IN SEPTEM LIBROS* divisum. Cui loco Procemii, est præfixa *EPITOME HISTORIÆ ROMANORUM PONTIFICUM*, à Sancto Petro Apostolorum Principe, usque ad Papam *URBANUM II.* qui die 12. Martii anno 1088. electus est. Titulus autem jam memoratæ Epitomes, hic est: *CHRONICA ROMANORUM PONTIFICUM, EDITA A BONITHONE SUTRINO EPISCOPO, VIRO PER OMNIA DOCTISSIMO.* Initium autem ejusdem istud est: „Scripturus de excellentiâ Romanæ Ecclesiæ, & de „Privilegiis ad ejusdem Ecclesiæ Episcopum „pertinentibus, & de constitutionibus ejusdem: „Solertem rogo Lectorem, ne citissimè in meam „prorumpat sugillationem, dum viderit me in „tam profundo Opere succinctum, pauca di„xisse de magnis. Quod si Moyses omnem „scientiam doctus Ægyptiorum, qui erat vir „mitissimus super omnes homines qui habita„bant in terrâ, quem Dominus noverat ex no„mine: incirconcisum se labiis dicit, me mittere„tur in Ægyptum: Et Jeremias se puerum no„minat, ne ad regna evellenda & plantanda, ædi„ficanda & destruenda mitteretur, excusans: „quid ego miserrimus, nullius bonitatis vel „scientiæ mihi conscius, aliud quam me indi„gnum tanto opere judicabo? Sed quia Deus „in sentibus locutus est, & cum voluit, lin„guam rudentis resolvit in verba loquentis: „acceptâ fiducia ab illo, à quo omne datum „optimum & omne donum perfectum est, sup„plicabo ei orans, ut meas utinam non dedi„gnetur invisere sentes. Mihi verò multa „volventi ac cogitanti, nihil melius occurrit, „quam quod hæc Sacrosancta Ecclesia nullis Sy„nodicis constituta, sed ipsius est DOMINI voce „fundata, dicentis ad beatum PETRUM: *Tu es „Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam „meam.* Cui additu est societas beati Pauli, Ma„gistri Gentium: ut quæ erat electa caput „Gentium, sedes esset APOSTOLORUM PRIN„CIPIS ET MAGISTRI GENTIUM. Ipsa enim est vertex & firmamentum omnium Ecclesia„rum, dicente Domino ad beatum Petrum: „*Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides „tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres „tuos.* Quid dicam, quod omnis Christiana„religio &c.„

3. Neque hos tantum Tractatus Theologicos, Historicosque composuit, inauditus hucusque inter Scriptores Ecclesiasticos *Bonizo*: Sed in fine *Epitomes Historiæ Romanorum Pontificum* ipse refert, se etiam alios duos libros de *Romanis Pontificibus* scripsisse: quorum *primus* qui continebat res gestas sub *Theophylacto* sive *Benedicto IX.* & sequentibus Pontificibus atque Antipapis, usque ad obitum *Gregorii VII*, inscriptus fuit, *Ad amicum*. *Alter* autem qui comprehendit *Acta primi, & ex parte etiam, secundi anni Pontificatus Urbani secundi*, inscriptus fuit, *IN HUGONEM SCHISMATICUM*: hoc est, contra *Hugonem* cognomine *Candidum*, patria Tridentinum, Cardinalem Presbyterum tituli Sancti Clementis, qui anno 1061. post Nicolai Papæ secundi obitum, antesignanus & caput fuit eorum, qui novum Pontificem Romanum, non nisi consulto & consentienre Imperatore Henrico IV. creandum esse enntendebant. Ipsa BONIZONIS verba, quibus id in fine jam memoratæ Epitomes indicat, hæc sunt.

Cæterum si quis de Theophylacto Tusculano, qualiter Joanni Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodò uno eodemque tempore Theophylactus & Gregorius & Sylvester, Romanum non regebant, sed vastabant Pontificatum: & qualiter Henricus Rex Conradi filius, Romanam Ecclesiam à talibus pestibus liberavit, gnarus esse voluerit: Legat *Librum* quem dictavi, qui inscribitur *Ad amicum*, & ibi inveniet & hæc ordinabiliter esse digesta. Inveniet autem & ibi, qualiter Papa Clemens electus sit, qualiterve Henricus Rex, Imperator ab eodem ordinatus sit. Et de Damaso ejus successore, quot in Papatu duxerit dies: & de præclaro Leone, quid in Papatu egerit, qualiterve vitam finierit: & de Victore ejus successore, quid egerit, aut quid ejus temporibus novum advenerit: & de Stephano Godefridi Ducis germano, & qualiter ejus temporibus Patarea apud Mediolanum exorta est: & de Nicolao Papa, & de lite quam habuit cum Cadolo Parmense, & de ejus victoria: & quid egerit in Papatu, & de ejus fine. Et de septimo Gregorio, & de ejus electione, & de vita ejus & moribus, & qualiter ad Altare Domini in Nativitate à Centio viro crudeli captus sit, & co die Dei gratia liberatus: & de Werra quam sustinuit ab Henrico Imperatore, & de controversia, quam habuit cum Wiberto, & de ærumnis, quas sustinuit, & de obsidione Civitatis & sua, & qualiter a Rotberto Romanorum Duce sit liberatus, & qualiter beato fine quievit, aptissime declarata. Urbani verò Pontificis Acta, & de ejus victoria, si quis scire voluerit: legat Li-

„*Librum*, quem scripsi *In Hugonem Schismaticum*, „& ibi inveniet ad plenum dilucidata, quæ voluerit. Hucusque incipiens à beato Petro „Apostolorum Principe, usque ad nostra tempora, Romanorum Pontificum Acta compendiose digessimus: Superest nunc ut de „Privilegiis ad Romanum Pontificem pertinentibus, & de Prærogativa ipsius sedis, „non profuse, sed succincte, Dei jam ante gratia „differamus.

Hucusque illa BONIZONIS *Epitome Historiæ Romanorum Pontificum*, quæ LIBRIS SEPTEM DICTIS DECRETARUM ECCLESIAST. ab ipso collectis, procemii loco præfixa est. Hæc sunt igitur illa *CHRONICA BONIZONIS*, sive ut idem alias corrupte appellatur, *BONISII DE GESTIS ROMANORUM PONTIFICUM*, quorum Martinus Polonus in Chronici sui *Præfatione* meminit his verbis: *Compilavi autem præsens Opusculum ex scriptis Titi Livii, ex Chronicis Orosii, ex Chronicis Damasi Papæ de Gestis Pontificum, ex Chronicis Bonisii Episcopi Sutrini de Gestis Pontificum, ex Chronicis Pauli Romani Diaconi* &c. Ita enim hic locus revera legendus est, non autem ut in Joannis Oporini editione Basileensi anni 1559. in folio, & in Suffridi Petri editione Antverpiensi Plantiniana anni 1574. in 8. perperam & mendose legitur: *DE GESTIS BONISII EPISCOPI SUTRINI DE GESTIS PONTIFICUM.* Quamobrem Joannes Fabricius cognomento Cæsar, merito reprehendendus est, qui in sua editione ejusdem Chronici, Coloniæ Agrippinæ typis Gerhardi Grevenbruch, anno 1616. in folio procurata, omnino omisit verba Præfationis Martini Poloni in *Chronico*, quibus *CHRONICORUM BONISII* sive *BONIZONIS SUTRINI EPISCOPI DE GESTIS PONTIFICUM ROMANORUM*, mentionem facit: nempe non aliam ob causam, quam quia ipsi *BONISIUS* sive *BONIZO* ille prorsus incognitus fuit. Extat aliud MS. exemplar hujus operis in Cottoniana Angliæ bibliotheca sub effigie Julii litera A. Cod. 7. num. 2. his verbis *Chronica Romanorum Pontificum edita à Bonithone Sutrino Ep̃o, viro doctissimo, usque ad Urbanum II.* ut habet titulus. *Hujus Urbani Pontificis acta, Auctor intime se scripsisse dicit.* Meminit ejusdem etiam *BONICONIS* Philippus Ferrarius in *Catalogo Generis Sanctorum*, quæ in Martyrologio Romano non sunt, his verbis: *De beato Bonizone Episcopo & Martyre, cujus memoria celebratur Placentiæ die 14. Julii, traditur in Annalibus verbis Placentinæ, quod is Sutrinus primum Episcopus fuerit sub Paschali Papa: deinde autem factus Placentinus Episcopus, & ab Hæreticis orbatus oculis, & pulsus sede, Cremonam migraverit.* Hæc loco citato Philippus Ferrariensis, ubi *primo* falsum est quod ait, *BONIZONEM fuisse Episcopum Sutrinum sub Paschali Papa.* Paschalis enim primus ejus nominis, Pontifex Romanus anno Christi 814. Paschalis autem secundus, cœpit esse Romanus Pontifex anno 1099. Unde patet *BONIZONEM*, qui anno 1089. occisus est, sub neutro horum duorum Paschalium, Sutrino Episcopatui præfuisse. Falsum *secundo* est, eundem *BONIZONEM orbatum oculis & sede Placentina pulsum, migrasse Cremonam.* Certo enim constat, *Bonizonem* eodem tempore, ubi oculis privatus est, simul etiam omnibus fere membris detruncatis, *Placentiæ* esse occisum, atque Martyrio tantum consummato, corpus ejus *Cremonam* delatum esse atque ibidem sepultum. Præter Martinum Polonum, qui in præfatione *Chronici Romanorum Pontificum*, hujus *Bonizonis* ut Scriptoris Ecclesiastici meminit: idem quoque fecit Ferdinandus Ughellus tomo 1. *Italia sacra* in Catalogo Episcoporum Sutrinorum. Sed omnium uberrime Lambecius Imperatoris Bibliothecarius, quem hic exscripsimus, tomo 2. Commentariorum *De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi*, cap. 8. pag. 790. ad 799. aliis omnibus fere altum de eo silentium habentibus. Conf. Thomas Smithus in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Cottonianæ, quem anno 1696. Oxonii in folio edidit pag. 2. Codice 7. col. 1. Guillelmus Cavus Tomo 2. seu parte 2. Historiæ litterariæ ad annum 1070. pag. 345. editionis Londinensis 1695. in folio.

IOANNES SCYLITZES CUROPALATES, ita ab officio ac dignitate cognominatus, delibat parce admodum Cavus, extremo Christi seculo XI. sub Alexii Comneni Imperatoris initium vixit, de quo Bellarminus & Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus à Bellarmino recensitis* tomo. 1. pag. 555. Ejus *Historia* ab anno 813. inchoata, sive a fine Imperii Michaelis Rangabi Imperatoris, ubi Theophanes desinit, usque ad annum 1081. quo Alexius Comnenus Imperium Græcorum assecutus est, pertingit: quæ integra à Joanne Baptista Gabio latine reddita, Venetiis in minori folio prodiit anno 1570. apud Dominicum Nicolinum. Priorem hujus Historiæ partem, ab anno scilicet 813. ad annum usque 1057. integram in Farraginem suam, paucis admodum mutatis, transtulit Georgius Cedrenus: reliquam autem Historiæ partem ab anno scilicet 1057. ad annum 1081. annos tantum XXIV. complectentem, ignorasse Cedronum, quod altero illa labore, atque multis post priorem annis à Curopalate isto conscripta sit. Ultima hæc Historiæ portio, quæ ab anno 1057. ad 1081. progreditur Græce & Latine prodiit, Compendio Historico Georgii Cedreni subjuncta, cum Notis aliquot Caroli Annibalis Fabreti & Jacobi Goari Ord. FF. Prædicatorum, Parisiis in fol. 1648. ex typographia Regia. Nusquam vero Græce tota Historia excusa fuit, quamvis inveniatur manuscripta in Bibliothecis variis, Romæ in Vallicellana Patrum Oratorii, Messanæ in Bibliotheca Sancti Salvatoris, Viennæ in Bibliotheca Imperatoris, ut testatur Petrus Lambecius 1080

becius de quo poſtea latius, Libro 2. Commentariorum *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* cap. 7. pag. 578. & ſequenti Denique in Pariſienſi bibliotheca illuſtriſſimi Petri Seguierii Galliæ Cancellarii, ut ex Catalogo illius conſtat, qui anno 1686. Pariſiis in 12. impreſſus eſt apud Franciſcum Le Cointe, Verbo *Manuſcriptis Gracis*, pag. 28. Daniel de Neſſel in *Breviario & ſupplemento* Commentariorum Lambecianorum de bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, anno 1690. Vindobonæ in ſolio edito, parte 5. quæ Codices Hiſtoricos Græcos 130. complectitur, ex quibus Lambecius ſacros tantum 69. olim indicavit, notat Codice 35. *Hiſtoriam Joannes ſcylitzis Curopalata*, quæ nondum integra Græce edita dicitur. In hac tamen Hiſtoria illud deſideratur, quod quæ enarrat, ſingula ſingulis more Theophanis, non reddiderit annis: quæ interdum lectoribus laborem & ambiguitatem parere poſſunt. Hiſtoriam Cedreni ſub nomine Joannis Coropalatæ pauciſſimis exceptis legi, Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Gracis* cap. 26. pag. 297. vltimæ editionis, aliique viri eruditi jam olim obſervarunt: adeo ut alterutrum plagiarium fuiſſe perſpicuum ſit. Qui Cedrenum ſub Iſaaco Comneno vixiſſe putant, plagii invidiam in Joannem Scylitzam derivant: qui autem Scylitzam ante Cedrenum ſcripſiſſe & abiiſſe cenſent, ipſum Scylitzam à Cedreno exſcriptum fuiſſe, non ſecus ac Georgium Syncellum, & Theophanem & alios Hiſtoricos aſſerunt. Qua in opinione fuerunt viri in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimi, Philippus Labbeus Soc. Jeſu, tam in *Apparatu ad Hiſtoriam Byzantinam*, quam in Opere ſuo ſeu Diſſertatione *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis, tomo 1. pag. 555. verbo *Joannes Curopalates*, ubi bis Voſſium confutat. „Hujus Joan„nis Scylitzis Hiſtoriam à fine, Theophanis in„choatam, in pleriſque αὐτολεξεὶ exſcripſit „Georgius Cedrenus, paucis ſubinde reciſis, „mutatisve, ut in Catalogo *Protreptici noſtri*, obi„ter inſinuavimus. Nec erat tanti, ut Voſſius „aliique, hoc in controverſiam adducerent, plu„ribus proſequendum, uter plagiarius eſſet: „quod prima fronte iis occurrere debet, qui u„triusque Præfationem meditato evolverint. „Vide pagg. 297. & ſequentes usque ad 301. „novæ editionis Hiſtoricorum Græcorum. Er„rant autem inſigniter, qui ab eodem Joanne „Curopalate exſcriptum referunt Georgium „Syncellum, cum ipſement in ſua præfatione „exerte pronuntiet, ſe ab eo tempore ordiri „ſuam narrationem, ubi Theophanes deſiit: „nec memini me uſpiam legiſſe aut accepiſſe, „integrum Annalium Georgii Cedreni Opus, „tribus multis in Codicibus Joanni Curopala„tæ. Venit in eandem cum Labbeo ſententiam, Jacobus Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir doctiſſimus, nempe à Cedreno exſcriptum fuiſſe Joannem Scylitzem Curopalatem, non a Scylitze Cedrenum. Ita illc in Notis ſuis ad *Cedrenum*, poſt cujus Compendium Hiſtoriarum, edita pariter ſunt typis Regiis, *Excerpta ex Breviario Hiſtorico Jonnis Scylitza Curopalata, excipientia ubi Cedrenus deſinit.* Sane ex Johanne Scylitza ſicut ex aliis, ſe ſuum adornaſſe *Compendium Hiſtoriarum* Cedrenus ipſe profitetur, quamvis *Joannem Scylitzam* vel *Curopalatem* non appellet, ſed *Protoveſtiarium*? quod maximum erat in Aula officium, quo etiam functum eſſe Johannem illum veroſimile eſt, ut obſervat Jacobus Goarus. *Thraceſium* quidem vocat Cedrenus, non *Scylitzam*: Sed *Scylitzam* familiæ, *Thraceſium* patriæ nomen eſſe, vir eruditus non absque veriſimilitudine conjicit. Nec minoris momenti eſt ratio, qua ſuam ſuſtentat conjecturam, Johannem ſcilicet Curopalatem prævios ſibi Hiſtoricos enumerantem, facturum fuiſſe mentionem *Joannis Thraceſii*, ſi alius ab ſeipſo fuiſſet: ipſiusque *Cedreni*, ſi ante ipſum fuiſſet, ejusque opere uſus fuiſſet. Quamobrem non levis conjectura eſt, Cedrenum ætati Joannis Scylitzæ ſupparem, nondum abſolviſſe Hiſtoriam, cum Scylitzes ſuam in lucem emiſit, quam etiam ulterius ille perduxit: atque ex eo, nec non ex aliis quos laudet, plura ſuam in Synopſim, Cedrenum tranſtuliſſe. Verba Cedreni in præſatione hæc ſunt. *Jam Johannes Protoveſtiarius, cognomento Thraceſius, compendioſiorem eorum qua diverſis evenerunt temporibus, notitiam tradere conatus: ſupra commemoratorum Scriptorum Hiſtoricis accurate perlectis, indeque in ſuos Commentarios, qua ad rem facerent collatis:* ab exitu Nicephori cujus paullo ante meminimus, exorſus eſt: repudiatisque quæ ex animi commotione, aut in gratiam alicujus ſcripta fuerant, nudam hiſtoriam tradidit. Nos autem evolutis horum libris, indeque iis quæ attinebant, collectis: adjectis etiam quæ cum non eſſent ſcripta, ab antiquis hominibus tradita didiceramus: non pauca etiam ex parva geneſi, Eccleſiaſticis Hiſtoriis, aliisque libris complexi, curſim omnia in unum compoſuimus volumen. In eandem nobiſcum ſententiam ingreditur Petrus Lambecius Imperatoris Bibliothecarius tomo 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* cap. 7. pag. 578. & ſequenti, his verbis,

In Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ vetuſto quodam Codice membranaceo, inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos *quarto*, qui à viro clariſſimo Augerio Busbeckio Conſtantinopoli olim eſt comparatus, *Joannis Curopalata* cognomento *Scylitza Epitome Hiſtoriarum continetur.* Fuit Joannes ille ſcylitzes, natione Thraceſius: Thraceſium autem ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis appellata fuit pars Aſiæ minoris ad mare Ægeum, teſte Imperatore Conſtantino Porphyrogenito, Libro primo de *Thematibus.* Priusquam autem Joannes Scylitza Thraceſius ad dignitatem *Curopalata* perveniret, variis aliis officiis gradatim functus eſt: inter quæ fuerunt *Proto-*

veſti-

„*vestiariatus*, sive *Præfectura Vestiarii Imperialis*, & *Magnus Drungariatus Vigiliæ*, sive *Præfectura Excubiarum*. Et cum quidem adhuc *Protovestiarius* esset, scripsit atque edidit *Epitomen Historiarum* ab Imperatoris Nicephori obitu, cognomento à Genicis, hoc est, ab anno Christi 811. usque ad initium imperii Isaaci Comneni, qui Imperatori Michaeli Stratiotico successit anno 1057. Hanc primam *Historiæ* editionem transcripsit verbotenus in suam Historiarum Synopsim Georgius Cedrenus, plagiarius impudentissimus, qui eodem vivebat tempore. Fatetur hoc ipse Cedrenus in *Præfatione* sua ibidem suppilata, ubi refert se primam *Synopseos Historicæ*, à se editæ partem, à Creatione mundi usque ad Imperatores Maximianum & Maximinum, transcripsisse *ex Georgio Syncello*: secundam vero partem usque ad Imperatorem Nicephorum cognomento a Genicis, ex *Theophane* habuisse: tertiam denique partem usque ad Imperatorem Isaacium Comnenum, ex *Jo. Protovestiario cognomine Thracesio*: qui ut res ipsa indicat, & Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis*, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. aliique doctissimi viri, unanimi consensu affirmant, idem atque Joannes Scylitza est. Rectissime igitur jam memoratus CL. vir Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis* scribit, si à Georgio Syncello, Theophane & Joanne Scylitza, ea repeterentur, quibus Cedrenus synopsim suam, non sententiis solum, sed verbotenus consarcinatam instruxit: nudum ipsum æque ac Æsopicam corniculam, remansurum. Contra vero reprehendendum est judicium Caroli Annibalis Fabrosi, qui in editionis Parisinæ Cedreni Præfactione ad Lectorem, Joannem Scylitzam *Cedreni simiam* nuncupat. Quod enim Cedrenus Joannem Scylitzam, non autem Scylitza Cedrenum transcripserit, tam certum ac perspicuum est: ut haud injuria laudatus supra Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis*, puerilem appellet errorem, ea de re dubitare. Quousque ergo Cedreni Synopsis Historica nunc pertingit, eo usque perducta fuit prima editio *Compendii Historici* Joannis Cedreni, qui in Joannis Baptistæ Gabii Latina versione, Venetiis anno 1570. in folio excusa legitur: nempe *Compendium Historiarum, quod incipiens à Nicephori Imperatoris à Genicis obitu, ad imperium Isaaci Comneni pertingit.* Cæterum cum Joannes Scylitzes ex Protovestiario & Magno Drungario, evasisset *Curopalata*: publicavit *secundam Compendii sui Historici editionem*, Historia suorum temporum auctam, ab initio Imperii Isaaci Comneni, usque ad initium imperii Alexii Comneni: hoc est, ab anno 1057. usque ad annum 1081. quo Alexius Comnenus abdicato Nicephoro Botoniata, in Imperio successit. Hujus secundæ atque à Georgio Cedreno non interpolatæ editionis genuinum & antiquissimum Exemplar MS. extat, ut supra indicavi, in Augustissima Bibliotheca Cæsarea, sub hoc titulo: Ἰωάννου Κουροπαλάτου καὶ γεγονότος Δρουγγαρίου τῆς βίγλης, τοῦ Σκυλίτζου, ἐπιτομὴ ἱστοριῶν, ἀρχομένη ἀπὸ τῆς τελευτῆς Νικηφόρου βασιλέως τοῦ ἀπὸ Γενικῶν, καὶ τελευτῶσα εἰς τὴν ἀναγόρευσιν Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ. Sequitur deinde proœmium, cujus principium tale est: Τὴν Ἐπιτομὴν τῆς ἱστορίας ἄριστα μετὰ τοὺς παλαιοὺς ἐπραγματεύσατο &c. Ante titulum & præfationem extat index Chronologicus, omnes Imperatores de quibus toto opere agitur, cum Imperatribus è regione collocatis, exhibens hoc ordine. οἱ ἐν τῇ δε τῇ βίβλῳ ἀναγεγραμμένοι.

Βασιλεῖς εἰσὶν οὗτοι.

„Μιχαὴλ ὁ Κουροπαλάτης ἔτη δύο.	Προκοπία ἡ γυνὴ αὐτοῦ.
„Λέων ὁ Ἀρμένιος ἔτη ζ μῆνας ε'	Θεοδοσία ἡ γυνὴ αὐτοῦ &c.

Vsque ad

„Νικηφόρος ὁ Βοτανειάτης ἔτη γ'	ἡ γυνὴ αὐτοῦ Μαρία.
„Ἀλέξιος ὁ Κομνηνὸς ἔτη λζ μῆνας δ' „ἡμέρας ιδ'	ἡ γυνὴ αὐτοῦ Εἰρήνη.

„Præfixa est insuper huic Joannis Curopalatæ Historiæ, æque antiqua manu, in septem foliis membranaceis exarata *Sylloge Historica* à Creatione mundi, usque ad initium imperii Alexii Comneni, cujus adminiculo Chronologia S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, & antiqua ejusdem Latina versio, quæ extat in Anastasii Bibliothecarii *Historia Ecclesiastica*, multis locis emendari ac suppleri possunt. Hæc citato loco Lambecius, quæ plurimum faciunt ad illustrandum Joannem Curopalatam, seu Scylitzen.

Extat ejusdem *Suggestio ad Imperatorem Alexium Comnenum* de ambiguitate quadam in Edicto de Sponsalibus recens promulgato tollenda, in *Jure Græco Romano* Joannis Leunclavii, tom. 1. pag. 132. Extabant etiam in Bibliotheca Monasterii quod in insula Pathmos constructum est, *Joannis Scylitzæ varii sermones Philosophici & Theologici*, quorum initium περὶ κόσμου καὶ τῆς κατ' αὐτὸν φύσεως, *De mundo & ejus natura*: atque etiam nonnullæ ejus Epistolæ, ut habetur in ejus Catalogo ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini, fol. 43. Agunt de Joannes Scylitza Curopalata, Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. 297. ultimæ editionis. Philippus Labbeus, loco citato. Henricus Spondanus in *Epitome Annalium Baronii* ad annum 813. num. 3. ad annum 1080. num. 17. denique anno 1057. num. 4. ubi Scylitzam duplici ex capite pluribus exagitat. *Primum* quod irriserit Michaelem Stratioti-

tioticum ita simplicem, ut Isaaco Comneno Orientale imperium invadenti, illud cesserit, sub promissione sibi facta à Metropolitanis Græcis in concilium collectis: percepturum se *Regnum cæleste* pro terreno quod cesserat, idque absque dubio ullo: qua seductus promissione, tyranno ignavissime cesserat. *Secundo*, quod non solum approbet factum Isaaci Comneni de addictis fisco bonis Monasteriorum, sed etiam optet ut idem executus esset in omnibus rebus ad Ecclesiam omnino spectantibus: ut sacros videlicet Ministros & Monachos à deliciis, luxuria & avaritia revocaret. Hinc vapulat multis Scylitzes, Spondanous ut impius, qui vult & Isaaci Comneni factum, divina in eum ultione vindicatum: quod ipse, aliique Miraculorum venditores, viderint. De eodem Cæsar Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 811. num. XI. & ad annum 830. num. 4. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, ubi de Scriptoribus Seculi XI. cap. 5. act. 4. pag. 421. & alii.

1080 ANTONIUS MONACHUS, MELISSA DICTUS, ab Opere quod contexuit, & cui *Melissæ* nomen impositum, de quo Bellarminus & Labbeus, quisque in Opusculo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Hunc Jacobus Joannes Frisius in Bibliotheca universali, cum Antonio Abbate illo Ægypti celeberrimo, cujus vitam S. Athanasius scripsisse legitur, temere confundit; cujus & quidem Littera A. meminit his verbis: „Ejusdem Antonii Monachi & Abbatis natione Ægyptii Opus Theologicum „quod *Melissam* hoc est *Apiculam* inscripsit, variis constans capitibus, præcipue vero *De politia Christi* tractans, junctis JOANNIS „cujusdam Locis ethicis, extat Græce „Manuscriptum, in 8. in Bibliotheca „Imperatoria. Idem Opus Clarissimus „vir Conradus Gesnerus Venetiis acquisitum, Græce & Latine seorsim, eodem & „Joanne Ribitto interprete, excudi curavit „Tiguri apud Christophorum Froschoverum „anno 1646. in folio, hoc titulo: *Sententiarum „sive Capitum Theologicorum præcipue, ex sacris & „profanis Libris Tomi tres, per Antonium & Maximum Monachos olim collecti.* „ Antonii Loci *Melissæ* inscripti, numero sunt centum septuaginta quinque. Hæc ibi Joannes Jacobus Frisius. Sed quam vere & accurate, inquit Lambecius Libro V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 13. in examine Codicis MS. Theologici Græci CCVII. hujus Bibliothecæ, ex Annotationibus hic in margine positis videre est. Nam Opusculum Antonii *Melissæ* anthoris, quod extat in hoc Codice MS. Cæsareæ Bibliothecæ Theologico Græco CCVII. num. 1. & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad folium 15. pag. 2. ut habet Lambecius loco citato pag. 71. diversum prorsus est ab illis *Locis Communibus* ejusdem Antonii Melissæ, quos Gesnerus edidit, ut manifeste apparet ex ejus principio supra, num. 1. Antonium autem seculo VIII. ad annum DCCC. allegavit Labbeus in *Bibliotheca Chronologica Scriptorum Ecclesiasticorum*, sed perperam. Nam Franciscus Combesis tomo 2. Operum S. Martini Monachi pag. 729. in Notis ad *Sermones sancti Maximi per Excerpta compositos*, expresse statuit in *Melissa* Antonii (Sic enim appellat Locos hos Communes, licet perperam) allegavi S. Joannem Damascenum, Photium Patriarcham Constantinopolitanum, & Theophylactum Acridæ in Bulgaria Archiepiscopum, qui anno 1074. floruit. Non ergo his positis Antonius Monachus *Locorum istorum Communium author*, ante annum 1080. vivere potuit, qui Theophylactum hujus ætatis scriptorem allegat. Ego ad annum 1140. in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 409. assignaveram ex conjecturis, cum certum ipsi tempus assignare tunc non possem: quam sententiam quoque meam Cavus amplexus est in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XII. ad annum 1140. pag. 666. Verum certam me invenisse jam ætatem Antonii Monachi *Melissæ* ab Opere cognominati arbitror, annum nempe præfatum 1080. Nam quod ante hoc tempus extitisse non potuerit, ex citato ab eo Theophylacto constat. Jam quod etiam hac ætate recentior esse non possit, hoc certo habemus, ex Libro seu tomo V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* Petri Lambecii Hamburgensis pag. 105. & 106. in examine Codicis MS. Theologici Græci CCXLI. hujusce Bibliothecæ, quo continentur *Ecloga Ascetica ex variorum sanctorum Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collecta*, & in duas partes divisæ, *à Joanne Patriarcha Antiocheno*, qui circa annum 1090. sub Alexii Comneni Imperio floruit. Hic autem inter authores unde Eclogas asceticas istas decerpsit, quosque recenset Lambecius loco citato, *Antonium Melissæ authorem* refert. Cum ergo citetur ab authore, qui circa annum 1098. floruit Antonius Melissa, anno certe 1080. recentior esse non potest, cui nos alligavimus, priorem sententiam emendantes. Nec minus erratum est circa Opuscula, quam circa ætatem Antonii Monachi *Melissæ* cognominati. Nam ut supra dictum est Joannes Jacobus Frisius unum idemque Opus arbitratus est hujus Antonii *Melissam*, ac *sententias seu Capita Theologica præcipue ex sacris & prophanis libris per locos communes digesta*, quæ Græce & Latine impressa sunt. Hunc autem errorem refellit dictus Lambecius Libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 13. in examine verborum Jacobi Frisii: Et pag. 7. in examine Codicis MS. Theologi Græci CCVII. his verbis.

Primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad „fol. 15. pag. 2. *S. Patris nostri Antonii Monachi*, „qui *Anthologium sacræ scripturæ, Melissam sive Apem inscriptum* composuit, *Capita ethica nona-*„

ginta

„*ginta unum De moribus hominum & bona conver-*„*satione*, quorum titulus & principium: τοῦ ἐν „ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου Κεφάλαια, ἐν οἷς „περὶ ἤθους ὀλαλήπτων ἀνθρώπων καὶ χρηστῆς πο„λιτείας, ἐκ τῶν θείων γραφῶν ἀνθολογήσας, „καὶ Μέλισσαν τὸ βιβλίον ὀνομάσας. κεφά„λαιον Α! Ἄνθρωποι λογικοὶ καταχρηστικῶς λέ„γονται. οὐκ εἰσὶ δὲ λογικοί, οἱ τοὺς λόγους καὶ „τὰ βιβλία τῶν παλαιῶν σοφῶν ἐκμανθάνοντες, „ἀλλ' οἱ λογικὴν ἔχοντες ψυχήν, καὶ &c. Porro „ut notat hic Lambecius in margine, cum Ca„pita hæc Ethica ab *Anthologio sacræ scripturæ* „*Melissa inscripto*, prorsus diversa sint; necessa„rio sequitur, Titulum hunc Græcum, qui al„latus est, reformandum esse hoc modo: τοῦ „ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀντωνίου, τοῦ ἐκ τῶν „θείων γραφῶν ἀνθολογήσαντος, καὶ Μέλισσαν „τὸ βιβλίον ὀνομάσαντος, Κεφάλαια περὶ ἤθους „ἀνθρώπων καὶ Χρηστῆς πολιτείας. Κεφάλαιον „α΄. Ἄνθρωποι λογικοὶ &c. Hæc potissimum ex Lambecio Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 7. & 13. 42. & 105. Item in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 313. & 367. inter authores incertæ ætatis. De Antonio Monacho latissime loquitur Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* pagg. 60. & 61. his verbis. „Sancti Pa„tris nostri Antonii Monachi (sic enim Græcus „titulus habet in quibusdam MSS. in aliis no„men authoris abest) Opus quod *Melissam* id est „*Apiculam* inscripsit, superiore ætate Venetiis „nactus sum opera doctissimi viri & de bonis li„teris ac literatis omnibus optime meriti Ar„noldi Arlenii, & brevi Deo favente in lucem „exibit, Græce simul & Latine. Congestum „est autem ex sententiis authorum in locos „communes digestis, præcipue Theologis, ex „utroque Testamento, Irenæo, Basilio, Grego„rio Thaumaturgo, Athanasio, Gregorio Nys„seno, Clemente, Severino, Philone Judæo, „Gregorio Theologo, Theophilo, Serapione, „Nilo, Dione, Socrate, Cyrillo, Synesio, Sy„meone, Methodio, Isidoro, Joanne Climace, „Marco, Senioribus, Theotimo, Josepho, The„odoreto, Evagrio, Justino, Philosopho, Dio„nysio, Dorothæo, Joanne Damasceno, Pho„tio Patriarcha, Isidoro Pelusiota, Maximo & „Domino Constantino Imperatore. Item et„iam ex pluribus Gentilibus Philosophis, Poetis, „& Oratoribus, quorum nomina brevitatis „gratia non attingam. Distinguntur in libros „duos, ac libri primi summa hæc est *locorum* „*communium* sive Capitum 76. Capita locorum „autem communium libri secundi sunt 100. „quorum centesimus est *de participatione divino*„*rum Mysteriorum*, sive *Eucharistia*.„ . Hæc Gesnerus editor, qui loco citato fol. 60. & 61. utriusque libri capita seorsim enumerat & recenset. Ex hac editione Græco-latina Conradi Gesneri, quæ anno 1546. Tiguri in folio facta fuit, prodiit hoc opus *Melissa* in *Bibliotheca Veterum Patrum* Parisiensis editionis anno-rum 1575. & 1589. sed Latine tantum. Nimirum in Bibliothecam Veterum Patrum anni 1575. Tomo 1. columna 109. ad 302. Item Sacræ Bibliothecæ SS. Patrum 1589 seu scriptorum Ecclesiasticorum per Margarinum de la Bigne editione secunda Tomo V. *S. Antonii Melissa sive Sermonum & locorum communium libri duo*, Conrado Gesnero & Joanne Ribitto interpretibus, restituti plerisque in locis ad Græcorum Autographorum fidem, & Commentariis illustrati per R. P. Magistrum Frontonem ex sacra Societate nominis Jesu, Theologum Parisiensem, col. 877. Liber primus Latine factus per Conradum Gesnerum secundus per Joannem Ribittum ad col. 1014. Hæc de editionibus *Melissæ* S. Patris nostri Antonii Monachi, in Bibliotheca Veterum Patrum. Idem opus *Melissa* MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Supplem. VII. pag. 279. Codice MS. 633. ut destatur Philippus Labbeus in Bibliotheca Nova MS. librorum, edita Parisiis anno 1653. in 4. apud Johannem Honault.

1080 STEPHANUS WYTTEBIENSIS, primus Abbas Sanctæ Mariæ Eboracensis, natione Anglus, circa annum 1086. claruit ac scripsit Librum *De fundatione Monasterii Sanctæ Mariæ Eboracensis*, cujus Abbas primus fuit, qui MS. extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Cod. 1892. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. 3. Codice 20. num. 7. Meminit hujus Scriptoris Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. cap. 47. pag. 317. atque *Collectaneorum* vol. 4 cap. 110. p. 144.

1080 RICEMARUS MENEVENSIS EPISCOPUS circa annum 1085. *Vitam S. Davidis Episcopi Menevensis* literis consignavit, quam ex vetustioribus monumentis, maximè illis, quæ in civitate Menevensi asservabantur, se contexuisse Author in fine testatur, qui nomen suum his verbis prodidit, *Mihi autem qui Ricemarus nominor*. Ipse quin etiam Codex manu perantiquâ conscriptus Ricemari nomen in fronte gessit. Extat is in Bibliotheca Cottoniana *Vespasianus A. 14.* qui & plurimas SS. Wallensium Vitas complectitur, viz. S. Gundlei Regis & Confessoris, Sancti Cadoci Episcopi, S. Ilturi Abbatis, S. Teliavi Episcopi, S. Dubricii Archiepiscopi, S. Davidis Archiepiscopi, S. Bernaci Confessoris, S. Paterni Episcopi, S. Cleruaci Regis & Martyris, S. Kebii Episcopi, S. Tathei Confessoris, S. Carantoci Confessoris, S. Aidui seu Maidoci Episcopi, S. Brendani Abbatis. Singulas sub exitum seculi XI. vel initium sequentis, fuisse scriptas plurima suadent. Sola autem S. Davidis Vita nomen *Ricemari* præfert. Ex hac fonte sua hauserunt, quicunque *Davidis* Vitam posteà literis commendarunt. Sic Giraldus Cambrensis, qui plures Ricemari flosculos otiosos resecuit, nonnulla miracula dimisit, plura autem de suo addidit, & innumeras ferè sen-

tentias cum illo communes habet. Commentarium Giraldi compendio reddidit Johannes Tinmuthensis in *Sanctilogium* suum transtulit, denique Johannis Epitomen pro more sua leviter immutatam & interpolatam Capgravius in Legendâ suâ Novâ collocavit. Parum à Ricemaro discedit Vita S. Davidis à Colgano edita in *Actis Sanctorum Hiberniæ* ad Kalendas Martii, neque multum abludit ejusdem Vita in Actis Sanctorum Antverpiensibus, ex Codice anonymo Ultrajectino, edita ad diem 1. Martii. Librum *Ricemari* quamvis aliis omnibus antiquiorem, exhibere nobis noluit Henricus Warthon Tomo 2. *Angliæ sacræ*, ideò quod affectato dicendi genere Historiam immani prolixitate deduceret,& Giraldus Historiam ejus in Legendam suam transferendo, nihil intactum reliquerit: Si ea solummodo demas, quæ *Additamentorum loco* ex Ricemaro, Warthonus protulit loco citato pag. 645. Hæc ex verbatim ab Henrico Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacræ* num. 20. fol. XXV. Mirum autem est hujus Episcopi Menevensis mentionem nullam fieri,in Annalibus brevibus Ecclesiæ Menevensis ab Anglorum adventu ad annum 1278. authore Canonico Menevensi, quas habes Tomo eodem *Angliæ Sacræ* pag. 648. à Warthono exscriptas ex MS. Codice Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie *Domitiani A. 1.* de quibus in Præfatione n. 21. fol. seu pag. XXVI.

1080 FULBERTUS MONACHUS SANCTI AUDOENI ROTHOMAGENSIS, claruit anno circiter 1080. vixitque Gregorio VII. Romano Pontifice, Johanne Rothomagensi Archiepiscopo, Nicolao Abbate Sancti Audoeni, qui librum hactenus ineditum scripsit *De miraculis Sancti Audoeni*, quem eidem Nicolao Abbati nuncupavit, MS. in Bibliotheca Abbatiæ ejusdem loci. Edidit quoque Johannes Mabillon Tomo 2. *Analectorum* pag. 424. *Acta Archiepiscoporum Rothomagensium*, quibus pag. 456. adnotat *Acta ista* literis mandasse Anonymum Cœnobii Sancti Audoeni Monachum, ad cujus autographum hæc editio facta est, quæ vixerit sub iisdem Pontificibus quos suprà expressimus, nec alium forsitan esse quam Fulbertum ejusdem loci Cœnobitam, qui librum citatum *De miraculis S. Audoeni* hactenus ineditum eidem Nicolao Abbati nuncupavit: aut Theodericum ejusdem Abbatiæ atque eodem tempore inclytum Monachum, à quo *Vita Sancti Audoeni metrica*, eidem Nicolao Abbati inscripta ibidem MS. extat. Hæc Johannes Mabillon Tomo 2. *Analectorum* pag. 456. quem exscripsimus.

1080 GILBERTUS seu GISLEBERTUS, natione Flander, claruit iisdem temporibus Gregorii VII. Romani Pontificis, circa annum 1080. & sequentes, qui primum Decanus Ecclesiæ Sancti Andreæ Elnonensis, tum postea ad Abbatiam Sancti Amandi in pabula administrandam vocatus, quam providè ac laudabiliter rexit, atque à ruinâ impedivit, quæ illi ex incendio imminens fuit. Consignavit hic *Opus De incendio Elnonensi & deportationem Sancti Amandi per Franciam, ac Miracula quæ fecit in via:* quod opus est trium librorum, qui MSS. extare dicuntur in Bibliotheca Ecclesiæ ad S. Amandum. Opusculum istud, quod libellis tribus in MS. Codice distinctum erat, ob modicitatem libro unico editum, à Joanne Bollando in *Vitis Sanctorum*, Tomo I. ad diem 6. mensis Februarii pag. 895. & sequentibus. Decessit Elnone anno 1095. atque ibidem sepultus in æde Sanctorum Apostolorum, cujus epitaphium tale est.

Hoc Gillebertus sub marmore pausat opertus,
Dogmata diva ferens, & Christo totus inhærens,
Formam pastoris, nostris qui gessit in hortis:
Tandem sublatus terris, petit astra vocatus.

Quos versus refert Chronicon Monasterii Elnonensis. Meminit hujus Scriptoris Johannes Molanus, *Notis* ad Martyrologium Usuardi, ad diem 6. Februarii Sancto Amando sacram: quem versum expresserunt alii, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. mihi 388. ultimæ editionis. Franciscus Sweertius Antverpiensis, in *Athenis Belgicis* verbo *Gilbertus*. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, pag. 288. editionis anni 1643. ultimæ.

PETRUS S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS ET BIBLIOTHECARIUS, 1080 sub Gregorio Papa VII. ab anno circiter MLXX. usque ad MLXXXX. floruisse creditur, qui *Vitam Gregorii Papæ VII.* anno MLXXXIV. fatis functi, velut oculatus testis, accurate ac fideliter literis commisit. Petrus hic S. R. Ecclesiæ Cardinalis & Bibliothecarius, anno 1076. subscripsit Privilegio Gregorii VII. Romani Pontificis, dato in gratiam Raimundi Abbatis Sancti Petri Condomensis, quod extat Tomo XIII. *Spicilegii* Lucæ de Achério Monachi Benedictini pag. 444. datum Laterani VIII. Idus Martii per manum Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarii, anno III. Pontificatus Domini Gregorii Papæ VII. Indictione 14. De illo Cæsar Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 1073. Num. 55. Habet Vaticana Bibliotheca" res gestas Gregorii Papæ VII. seorsum scriptas" ab Auctore hujus temporis, quas Nicolaus Ar-" ragonius in Commentario, quem de Romanis" Pontificibus scripsit, incipiens à Leone nono, ut" se habent, inseruit. Alia quoque adhuc ex-" tant æque prolixa, quæ sine titulo Auctoris," Petri Bibliothecarii sive Guillelmi esse putan-" tur. Alia rursus ex iisdem concinnata, ab aliis" qui scripserunt vitas Romanorum Pontificum," sed præter hæc nobis ipsa ex diversis iisdemque" probatis hujus temporis Scriptoribus, fide dignis.

gnissimis, hinc inde petenda sunt. In Catalogo autem Tomi Annalium XI. *Petrus Cardinalis Presbyter Bibliothecarius, Guillermus cognominatus, subscripsit Constitutioni inter Gregorium VII. & Landulphum Beneventi Principem, facta anno MLXXII.* Num. 58. *Scripsit post Anastasium Bibliothecarium, Vitas Romanorum Pontificum.* ibidem. Refert hanc Constitutionem ad annum 1073. Num. 57. quam extare inquit in Regesto Epistolatum ipsius post Epistolam 18. Ibidem Num. 58. *Hic Petrus Guillermus dictus, post Anastasium usque ad Paschalem II. scripsit Vitas Romanorum Pontificum.* Eundem sub nomine Guillelmi Bibliothecarii in Vita Gregorii VII, allegat ad annum 1075. Num. 34. & 1076. num. 34. Fallitur autem multum Cardinalis Baronius, dum hunc *Petrum Bibliothecarium & Cardinalem*, qui sub Gregorio VII. ad annum circiter MLXX. ac MLXXX. certò floruit, confundit cum altero, quem *Petrum Guillelmum* appellat, qui trecentis circiter annis altero Gregorii VII. Bibliothecario junior, Vitas Romanorum Pontificum à Leone nono usque ad Innocentium Sextum, seu ab anno 1049. usque ad 1360. annum continuavit. Antiquior autem Gregorii VII. res gestas tantum, & non ulterius scripsisse legitur. Hunc eundem cum Baronio errorem admisit Augustinus Oldoïnus Soc. Jesu, in *Athenæo Romano* pag. 551. editionis 1676. Perusiæ in 4to. Imò majorem adhuc Baronio fecit, dum *Vitas Romanorum Pontificum à Nicolao I. seu ab anno 867. usque ad Paschalem II. seu ad annum 1099. scripsisse asserit.* Caure igitur distinguendi ab invicem, Petrus Bibliothecarius Gregorio VII. Romano Pontifici suppar, & Petrus Guillermus seu Guillermi, qui temporibus Vrbani V. scripsit.

1080 OSBERNVS CANTVARIENSIS ECCLESIÆ MONACHVS & PRÆCENTOR, quem Guillelmus Cavus omisit, natione Anglus, vir multæ pietatis & eloquentiæ, quem Possevinus in *Apparatu Sacro* ad annum 1020. floruisse asserit, atque Carolus Saussayus Lib. 4. *Annalium Aurelianensium* cap. 8. *Obsernum* vocat, nisi typographi is lapsus est. Ita quidem senseram in *Supplemento Scriptorum* pag. 322. sed attentis propiùs omnibus, hunc *Osbernum* Cantuariensem Monachum, Lanfranci Archiepiscopi Cantuariensis familiarem & Synchronum, sub Guillelmo Notho Anglorum rege anno 1080. & ultra floruisse probabilius est, de quo ita Guillelmus Malmesburiensis in Libro *De Regibus Anglorum* cap. 8. ubi de S. Dunstano. *Plura & non contemnenda de viro volentem dicere, revocat Cantuariæ cantor Osbernus, qui ejus Vitam Romana eloquentia composuit, nulli nostro tempore stylo secundus, Musica certe omnium sine controversia primus.* Quibus verbis clarusse suis quodammodo temporibus, restatur Guillelmus Malmesburiensis. Apud Cantuariam natus, saltem à teneris annis apud Cantuariensem Ecclesiam enutritus fuit. Sic enim Lib. 2. *De Vita S. Dunstani* cap. 12. scribit, *Forte ego cum alio puerulo coætaneo meo ad altare Christi* (Cantuariæ) *ministraverum, consummatoque ministerio per gradus descendere incipiebam.* Idem capitulo 20. ejusdem Libri, tradit sibi commissum fuisse prædicationis munus a Lanfranco Archiepiscopo. Officia verò, quæ gessit in Cœnobio Cantuariensi, memorat nota librarii, ad calcem libri ejusdem addita in Codice Lambethano: *Explicit Liber Miraculorum beatissimi patris nostri & patroni Archiepiscopi Cantuariensis Ecclesiæ, secundum Osbernum hujus Ecclesiæ Commonachum, & Præcentorem & Suppriorem, qui erat vir doctissimus.* Hujus ætate Ecclesia Cantuariensis incendio conflagravit, eo circiter tempore quo Lanfrancus Archiepiscopatum suscepit, nimirum an. 1070. Interierunt eo tempore præcipua Ecclesiæ Cant. monumenta, & veterum Archiepiscoporum & Sanctorum Anglicorum Vitæ elegantiores. Superfuerunt duntaxat aliqua in Anglicam linguam olim conversa. Vt hanc jacturam resarciret, & ex Anglicanis reliquiis Archiepiscoporum vitas Latine concinnaret, sibi a Commonachis suis operam fuisse datam Osbernus in Præfatione ad Dunstani Vitam innuit. Obitum illius his verbis Obituarium Cantuariense tradit, *IV. Calend. Decembris obiit Osbernus Præcentor Ecclesiæ Christi Cantuariensis.* Ex his Vitis hodiernum extant *Vita SS. Dunstani & Elphegi, cum historia de Translatione Elphegi.* Singulas edidit Henricus Warthon a quo verbatim hæc pleraque accepimus Tomo 2. *Angliæ Sacræ* pag. 88. 122. & 143. ex unico Bibliothecæ Lambethanæ Codice, qui Ecclesiæ Cantuariensis olim fuit, & plures Archiepiscoporum & Sanctorum Cantuariensium Vitas complexus est. Commentarium suum *De Vita S. Dunstani* Osbernus duobus libris absolvit. Primus de rebus ab ipso vivente gestis, secundus de Miraculis post mortem factis agit. Vterque apud Acta Sanctorum Antverpiensia Bollandistarum, tomo 4. Maji pag. 359. de quibus loquitur late Daniel Papebrochius pag. 344. in *Commentariis* Vitæ S. Dunstani *præviis*. Et apud Acta Benedictinorum Mabillonii, seculo 5. p. 654. extat. Librum autem secundum prætermisit loco citato Warthon, ideo quod ad Historiam perparum contulerit, Præfatione tantum data pag. 121. ut inquit in præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacra* num. V. pag. 9. Itaque *Vitam & Miracula Sancti Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi libris duobus* contexuit, quos repræsentat Laurentius Surius ad diem 19. Maji, teste Gerardo Joanne Vossio, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. mihi 357. Verum hos ex Manuscripto Codice Colbertino primus edidit Joannes Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 659. & sequentibus, quos nonnulli crediderunt idem esse Opus, quod apud Surium die 19. Maji sub nomine *Osberti Monachi* legitur. Idem Osbernus scripsit etiam *Vitam Sancti Odonis Cantua-*

tuarienfis Archiepifcopi, quam ex eodem Manufcripto Codice Thuano-Colbertino, edidit loco citato idem Mabillon, pag. 287. quæ dicitur quoque extare MS. Cantabrigiæ, in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti. Denique *Vitam & Passionem Sancti Elphegi Cantuarienfis Epifcopi & Martyris*, quam ediderunt Succeffores Bollandi, ad diem 19. Aprilis, tomo 2. pag. 621. & fequentibus: quæ etiam MS. fupereft Cantabrigiæ in Collegio citato, cum *Vita S. Martini*, *Odilonis*, *Majola & aliorum*, ejusdem Osberni. *Vitam S. Elphegi* ab Osberno fcriptam Eadmerus Lib. 1. *De Vita Aufelmi* cap. 29. fic laudavit. *Hiftoriam vitæ ac paffionis ejus* (Elphegi) *diligenti ftudio fieri præcepit* (Lanfrancus) *quam quidem Hiftoriam non folum plano dictamine ad legendum, verum etiam Mufico modulamine ad canendum, à jocunda memoria Osberno Cant. Ecclefiæ Monacho ad præceptum illius nobiliter editam, ipfe fua prudentia amore Martyris celfius infignivit, infignitam auctorizavit, auctorizatam in Ecclefia Dei legi cantarique inftituit, nomenque Martyris hac in parte non parum glorificavit.* Compendium hujufce Vitæ extat apud Legendam Novam Capgravii, atque exinde apud Surium die 19. Aprilis, ubi Osberno infcribitur, & tanquam Osberni opus à Baronio & aliis citatur. Opus Osberni genuinum evulgarunt Collectores Actorum Sanctorum Antverpienfes die 19. Aprilis, addita Hiftoria ejusdem *De translatione S. Elphegi*, ex Harpsfeldii Hiftoria Ecclefiaftica, quæ non longè poft initium deficit. Vtramque autem ex Codice Lambethano perfectam dedit Henricus Warthon Tomo 2. *Anglia Sacra* pag. 122. & 143. Extat utraque in Codice antiquo Bibliothecæ Cottonianæ *Otho A. 12.* & in alio adhuc vetuftiori *Vitellius D. 17.* cui utrique Osberni nomen manu recentiori præfigitur. Osbernum autem authorem fuiffe, præter Eadmeri locum fuprà adductum, & Codicis MS. Lambethani fidem, conftat quoque ex Malmesburienfi fol. 116. 139. qui Osberni librum *De Vita Elphegi* laudavit, & ex eo multa in noftro totidem verbis reperta defcripfit. Hæc Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacra* num. 6. pag. IX.

Cum autem idem Scriptor ibidem procurasfet imprimi fub Osberni nomine Librum *De Vita S. Odonis Archiepifcopi Cantuarienfis* pag. 78. Itemque pag. 75. Librum *De Vita S. Bregwini Cantuarienfis Archiepifcopi*: illosque poftmodum Osberno fuppofitos putaverit, illius cenfuram hic fubjicere vifum eft, quam habet in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacra* Num. 7. & 8. pag. X.

„Osbernum confcripfiffe *Vitam Odonis Archiepifcopi Malmsburienfis* teftatur, qui in texenda fua *De Pontificibus Anglorum Hiftoria*, eadem „ufus eft. Ex pluribus autem, quæ adducit il„lius loci, colligi haud obfcure poteft Librum „Osberni *De Vita Odonis* quem Malmsburienfis „vidit, à noftro diverfum fuiffe: quod & Johannes Mabillonius anteà obfervavit. Hunc„ tamen qui fupereft, librum fub Osberni nomi„ne idem Mabillonius evulgavit *Seculo Benedictinorum V.* pag. 283. eundemque infcriptum ei„dem Authori, nos ex eodem Codice Lambe„thano repræfentavimus. Præterquam enim„ quod alium Vitæ Odonis Scriptorem Baleus„ feu Pitfius non memoraverint, huic in Codice„ Cottoniano *Otho A. 12.* licet manu recentio„re, Osberni nomen præfigitur. Quin etiam„ Jocelinus *De Hiftoricis Anglicis* cap. 10. Vitam„ Odonis ab Osberno fcriptam hac fententia in„choatam effe dicit, *Venerabilis Chrifti Confeffor„ Odo nobilibus fed paganis &c.* quæ libri à nobis„ editi initium facit. Illa denique, in quibus„ Vita à Guillelmo Malmesburienfis citata, à„ noftrâ difcordat, levioris momenti funt.„ Poftea tamen errorem deprehendi, in antiquo„ enim Collegii Corporis Chrifti Cantabrigien„fis Codice, hæc Vita inter alia Eadmeri opera„ reponitur, eidemque infcribitur. Huic ita„que reftitui debet. *Vitam B. Bregwini* brevem„ ex eodem Codice Lambethano accepi, inter„ Odonis & Elphegi Vitas collocatam. Hinc„ nata eft mihi licentia, illam Osberno deberi„ poffe. Poftmodum verò illam in Johannis Tinmuthenfis Sanctilogio inveni ad calcem *Hi„ftoria Aurea* in Bibliotheca Lambethana. Eam„ Tinmuthenfis ex uberiori Commentario Eadmeri de *Vita ejusdem* accepit, verbis iftius ut„ plurimum affervatis. De Eadmeri libro infe„rius dicendum eft.„

Inter MSS. Codices Ecclefiarum Angliæ Cathedralium, Num. 5996. in MSS. Thomæ Galei Codice 162. *Osberni Epiftola* extare dicuntur. Quoad autem *Vitam Sancti Edwardi Regis*, quam Gerardus Joannes Voffius Libro 2. *De Hiftoricis Latinis* cap. 46. pag. 380. dicit, extare MS. in volumine *De vita & miraculis quorundam Sanctorum*, quod a Vita Martialis incipit, in Collegio Divi Benedicti Cantabrigiæ, ubi extremo loco reperias *Vitam Regis Eduardi* in epitomen contractam ex Tract. *Domini Osberni Weftmonafterienfis*, ut eft apud Thomam James. Opinor, id effe non verum, nec illam unquam ab Osberno Cantuarienfi compofitam, fed longe ferius ab *Osberto* nimirum *Weftmonafterienfi* circa annum 1136. cujus ætate nondum Edwardus in album Sanctorum relatus fuerat, ut ex Epiftolis illius conftat, de quibus differemus poftea. Confundunt plerique hunc *Osbernum* cum *Osberto* ejusdem fermè temporis & inftituti & nationis, cui infcripfit *Libros duos*, unum *De Vita*, alterum *De miraculis Sancti Dunftani Cantuarienfis Archiepifcopi*, quos Surius ad diem 19. menfis Maji, fed truncatos & mutilos: integros autem, atque fanatis utcunque eorum vulneribus, edidit Joannes Mabillon Seculo III. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 701. & feqq. Osberno Cantuarienfi legitimo authori reftitutos. Agit de utroque *Osberno & Osberto* Gerardus Joannes Vos-

Vossius, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. mihi 380. & cap. 49. pag. mihi 409. De Osberno Cantuariensi Monacho Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 1. num. 4. ubi Vita S. Ælphegi Archiepiscopi auctore Osberno Cantuariensi pag. 22. excerpitur. Et *Collectaneorum* volum. 4. num. 104. pag. 137. Cæsar Baronius in Annalibus ad annum 840. 855. 857. 860. & in Notis ad Martyrologium Romanum die 19. Maji, qui ubique *Osbertum* vocat. Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Anglia Sacra* num. 4. 5. 6. 7. & 8. quem hic exscripsimus. Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti* seculo sexto, parte 1. pag. 113. ubi *Vitam Sancti Elphegi* profert, editionis Parisiensis apud Carolum Robustel anno 1701. in folio.

1080 JOANNES PHILOSOPHUS COGNOMENTO ITALUS, merito quidem, cum ex Italia oriundus esset, seculo post Christum undecimo, sub Imperatoribus Michaele Duca & Nicephoro Botoniata, ratione Dialecticæ ac Sopisticarum cavillationum adeo inclaruit, ut post Michaelem Psellum, teste Anna Comnena *Alexiados* Lib. 5. pag. 144. & 145. cujus adversarius & æmulus fuerat, φιλοσοφίας ἁπάσης Διδάσκαλος καὶ ὕπατος τῶν Φιλοσόφων, hoc est, *Philosophiæ universæ professor Princeps omnium Philosophorum* publice declaratus sit: quæ sunt verba ipsa Annæ Comnenæ, Lib. 5. pag. 145. Id autem *Joannes Italus* variis inter philosophandum Dogmatibus hæreticis, & præsertim quidem *De Pythagorica Metempsychosi*, sive *Tansmigratione animarum*, & *De ideis Platonicis*, gravissimas in Ecclesia Orientali turbas excitavit: unde anno Christi 1084. sub Imperatore Alexio Comneno per judicium Ecclesiasticum Constantinopolitanum, tanquam Hæresiarcha solemniter condemnatus & anathemate percussus est: ut Anna Comnena ipsius Imp. Alexii Comnini filia fuse lateque narrat, *Alexiados* sive *Rerum à Patre suo vel ejusdem tempore gestarum* Lib. 5. pag. 147. ad 149. editionis Græco-Latinæ, Parisiensis, Petri Possini in folio. Quæ narratio cum prolixior sit, quam ut commode hic Græce & Latine integra inseri possit: pauca tantum ejus fragmenta, quæ præ cæteris ad rem præsentem maxime faciunt, eruditorum oculis subjiciam. Notandum autem *primo* est, Joannem illum Italum, ibi semper suppresso *Joannis* nomine, simpliciter & κατ᾽ ἐξοχὴν, sive per excellentiam *Italum* tantum vocari; simul etiam statim in principio istius narrationis, expresse indicari, quod is ex Italia oriundus fuerit, licet adhuc puer cum patre suo militante in Sicilia diu commoratus sit: ibidemque fundamenta eruditionis, non in Schola, sed in Castris posuerit. Ipsa *Anna Comnena* ea de re verba, hæc sunt pag. 148. ὗτος δὲ ὁ Ἰταλὸς ὥρμητο μὲν ἐξ Ἰταλίας, καὶ ἐν τῇ Σικελίᾳ ἐφ ἱκανὸν διέτριψε. Κῆσος δὲ αὕτη &c. Cum autem idem *Joannes Italus*, aliquandiu cum in Sicilia, tum postea in Longobardia commoratus fuisset, venisse Constantinopolim atque ibi Logicam didicisse, deinde etiam Michaeli Psello dedisse operam: sed superbum pariter ac contumacem virum Magistro suo sese opposuisse, & unice Dialectica sua fretum, sophisticis suis cavillationibus, non apud plebem tantum indoctam, verum etiam apud Imp. Michaelem Ducam admirationem sibi & applausum acquisivisse. Ipsa Annæ Comnenæ hæc pag. 144. verba sunt: Ἐμβαθύνας δὲ τῇ Διαλεκτικῇ μαθήμασιν θορύβους ἐν πανδήμοις συνελεύσεσιν ἐποιεῖτο, σοφιστικὰς συνείρων ἐρεσχελίας. Dum vero idem *Joannes Italus* Michaeli Psello in primaria Professione Philosophiæ Constantinopoli successisset, ut suam authoritatem magis stabiliret, statim publice explicare scripta Platonis, Aristotelis, Porphyrii, Jamblichii & Procli Diadochi cœpit, ut habet Anna Comnena pag. 145. his verbis: Ἔνθα καὶ τοῦ Ψελλοῦ μεταχωρήσαντος Βυζαντόθεν μετὰ τὴν ἀπόκαρσιν, αὐτὸς φιλοσοφίας ἁπάσης προέστη Διδάσκαλος, ὕπατος τῶν Φιλοσόφων χρηματίσας, καὶ τάς τε Ἀριστοτελικὰς βίβλους, καὶ τὰς Πλατωνικὰς ἐξηγεῖσθαι ἐσπούδασεν &c. item aliquanto post pag. 147. καὶ γὰρ τά τε Πρόκλου καὶ Πλάτωνος, καὶ τὰ Φιλοσόφων ἀμφοῖν Πορφυρίου τε καὶ Ἰαμβλίχου ἀνεκάλυπτε δόγματα &c. Notandum *secundo* est, ab eodem Joanne Italo ipsum Patriarcham Constantinopolitanum Eustrabium Gatibam, speciosis sophismatibus seductum, & in eosdem errores præcipitatum esse: cui ut ab hæreticis suis dogmatibus ad Orthodoxam fidem revocaretur, in custodiam traditus fuerat. Ita Anna Comnena loco citato pag. 148. & 149. his verbis: Προέδρου ὄντος τῆς Ἐκκλησίας τηνικαῦτα Εὐστρατίου τοῦ Γαριδᾶ, ὃς τοῦτον παρακατέσχε περὶ τὰς οἰκοδομὰς τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας, ἵνα τάχα πρὸς τὸ κρεῖττον μεταποιήσαι. ἀλλὰ μικροῦ θᾶττον ἄν, αὐτὸς τῆς ἐκείνου μετέσχε κακίας &c. Eadem quoque Comnena expressam ibi mentionem facit, *Undecim Capitum De Orthodoxa fide, totidemque Anathematismorum*, contra eundem Joannem Italum compositorum, pag. 149. his verbis: Εἰς ἕνδεκά τινα κεφάλαια, τὰ δογματισθέντα κακῶς παρὰ τοῦ Ἰταλοῦ συνεκεφαλαιώσαντο, καὶ τῷ βασιλεῖ ἐξαπέστειλαν. ὁ δὲ Αὐτοκράτωρ αὐτὰ ταῦτα τὰ κεφάλαια τὸν Ἰταλὸν ἀναθεματίσαι, ἐπ᾽ ἄμβωνος ἐν τῇ μεγάλῃ Ἐκκλησίᾳ ἐκέλευσεν ἀνακεκαλυμμένῃ τῇ κεφαλῇ, τοῦ πλήθους ἅπαντος ἀκροωμένου, καὶ λέγοντος αὐτοῖς τὸ ἀνάθεμα ὡς ἂν ἐγένετο ταῦτα &c. Id est, *In undecim igitur Capita pravam Itali doctrinam redegerunt, atque Imperatori Alexio Comneno ea transmiserunt. Imperator autem Italum jussit hæc ipsa Capita in Magna Ecclesia ex ambone capite nudo anathematizare, audiente universo populo, & post uniuscujusque Capitis Lectionem itidem clamante, Anathema.* Ex illis autem Dogmatibus hæreticis, quæ idem *Joannes Italus*, post veram resipiscentiam suam sponte improbavit

ac revocavit, speciatim & præcipue ibi enarrari *Pythogaricam Metempsychosim*, sive *Transmigrationem animarum ex uno corpore in aliud, & Contemptum sacrarum Imaginum, atque falsas opiniones De ideis Platonicis.* Ipsa Annæ Comnenæ verba hæc sunt: Ηρεύετο δὲ καὶ τὰς μετεμψυχώσεις, καὶ τὸ ὑβρίζειν τὰς σεπτὰς εἰκόνας τῶν ἁγίων, καὶ τὸν περὶ τῶν ἰδεῶν λόγον μεθερμηνεύειν πῶς πρὸς τὸ ὀρθόδοξον ἔσπευσε. Scripsit autem hic Joannes Italus multa Philosophica, quæ extant in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Philosophico Græco LXXXVI. ut habet Lambecius Libro VII. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 148. his verbis. „Octogesimus sextus Codex MS. Philosophicus Græcus chartaceus est antiquus in 4. constatque foliis 232. qui primum quidem ad Jo. Scandalarium medicum Cretensem, postea vero ad Sebastianum Ericium Senatorem Venetum, ut ipsi propriæ manus subscriptione testantur, olim pertinuit. Continentur in eo *primo* & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 147. pag. 1. *Joannis cognomento Itali, Philosophiæ universæ Professoris & Principis omnium Philosophorum, Responsa ad nonaginta tres Quæstiones Philosophicas miscellaneas,* sibi cum à diversis aliis, tum præcipue ab Imperatore Michaele Duca, ejusque fratre natu majore Andronico, propositas. Inscribuntur atque incipiunt hoc modo: Ἰωάννε σοφωτάτε ὑπάτε καὶ διδασκάλε τῶν φιλοσόφων, τῦ Ἰτάλε, ἐκδόσεις εἰς διάφορα ζητήματα, διὰ τὸ καὶ διαφόρες τὲς ταῦτα προβαλλομένες. Α! Εἰς τὸ, τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν. Πολλοὶ μὲν πολλαχῶς τῶν ἀρχαίων τὴν φιλοσοφίαν ὡρίσαντο. ὧν οἱ μὲν γνῶσιν τῶν ὄντων ταύτην εἶναι εἰρήκασιν, οἱ δὲ ὁμοίωσιν Θεῷ, καὶ θανάτε μελέτην ἕτεροι. Ἀριστοτέλης δὲ ὁ Σταγειρίτης ἑτέραν ὁδὸν ἐτράπετο, φάσκων φιλοσοφίαν εἶναι τέχνην τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμην ἐπιστημῶν. τῦτο δὲ τὸ τῷ Ἀριστοτέλει εἰρημένον, ἐ μικρὸν &c. *Secundo* & quidem à fol. 147. pag. 2. usque ad fol. 198. pag. 2. ejusdem *Joannis Itali Expositio Libri secundi, tertii & quarti Topicorum Aristotelis*, cujus titulus & principium: Ἰωάννε ὑπάτε καὶ διδασκάλε τῶν φιλοσόφων, τῦ Ἰτάλε, ἐκδόσεις εἰς τὸ β! τῶν Τοπικῶν. Ἐς μὲν δὴ τόπος τὸ ἐπιβλέπειν &c.. Plura de eadem Expositione, vide in Appendice Libri IV. Commentariorum istorum Bibliothecæ Cæsareæ pag. 315. quæ habetur quoque in Codice MS. Philosophico CXXXVII. num. 2. & quidem a fol. 9. pag. 1. usque ad fol. 48. pag. 2. ut habet Lambecius Libro VII. horum Commentariorum pag. 257. *Tertio* & quidem à fol. 198. p. 2. usque ad fol. 224. pag. 1. Ejusdem *Joannis Itali Liber De Dialectica ad Andronicum Ducam, Imperatoris Michaelis Ducæ fratrem natu majorem:* cujus titulus & principium, τῦ αὐτῦ πρὸς τὸν βασιλέα, κύριον Ἀνδρόνικον, ἐρωτήσαντα περὶ Διαλεκτικῆς. Καὶ πρώην μὲν ὦ κρατίστε βασιλεῦ &c. *Quarto* & quidem a folio 224. pag. 1. usque ad fol. 232. pag. 1. ejusdem *Joannis Itali Methodus Synoptica Rhetorica*, cujus titulus & principium: τῦ αὐτῦ φιλοσόφε μέθοδος ῥητορικῆς ἐκδοθεῖσα κατὰ σύνοψιν. Η ῥητορικὴ μέθοδός ἐστι ὀξ ἐνδόξων τῦ περὶ ἕκαστον θεωρῆσαι τὸ πιθανόν. διὸ καὶ ἀντίστροφός ἐστι τῇ διαλεκτικῇ &c." Nullus quem sciam agit de hoc Joanne Italo, si unum Lambecium excipias, quem pluribus de illo agentem, in epitomen contraxi. De illo autem Petrus Lambecius tomo 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 322. ad 326. in *Additamento* XIV. ad librum tertium pag. 165. 166. 246. 247. & 255. Libro V. eorundem Commentariorum pag. 415. Additamento VIII. ad librum IV. pag. 326. Libro VII. eorundem Commentariorum pag. 147. & 148. pag. 257. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 290. & 306

NICETAS ARCHIDIACONUS MAGNÆ ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ, ATQUE CHARTOPHYLAX, floruit temporibus Eustratii Garidæ Patriarchæ Constantinopolitani, cujus Patriarchatus a Baronio *Annalium* tomo XI. ad annum Christi 1086. refertur: cum tamen ex Annæ Comnenæ *Alexiade* certo constet, ipsum jam anno Christi 1084. Patriarcham extitisse, quo Joannes Italus hæreseos damnatus est. Collegit iste Nicetas errores Joannis Itali, scripsitque *Librum undecim capitum de Orthodoxa fide*, totidemque *Anathematismorum contra Joannem Philosophum*, cognomine & origine *Italum*. Meminit hujus Operis Leo Allatius in Opere *De Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione* Lib. 2. cap. 10. §. 3. ubi monet supra memoratos *Undecim Anathematismos recitari in Ecclesia Græca die Orthodoxiæ sacro, editosque esse in Græcorum Triodio*, quod est liber Ecclesiasticus a *Canonibus* sive *Canticis trium Odarum* sic dictus, qui continet *Officium a Septuagesima*, quam illi vocant *Dominicam Publicani & Pharisæi*, usque ad *Sabbatum sanctum*, in Ecclesiis eorum recitari solitum. Extant in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 165. Codice MS. Theologico Græco 77. & quidem a fol. 152. pag. 2. usque ad fol. 153. pag. 2. *Nicetæ Archidiaconi Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Chartophylacis Capita de fide Orthodoxa sive Anathematismi undecim contra Joannem Italum*, quorum titulus & principium: Κεφάλαια περὶ ὀρθοδοξίας συντεθέντα παρὰ Νικήτα Ἀρχιδιακόνε τῆς ἐν Κωνσταντινεπόλει, μεγάλης ἐκκλησίας καὶ Χαρτοφύλακος κατὰ Ἰωάννε φιλοσόφε τῦ Ἰταλῦ ὅτι ἐκακοφόνει κατὰ τῆς ἐνσάρκε οἰκονομίας τῦ Χριστῦ. Ἀναθεματισμὸς ά. Τοῖς ὅλως ἐπιχειρῦσι νέαν τινὰ ζήτησιν &c. Vide Lambecium libro 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 165. & 166. & in Catalogo, pag. 255. Item libro 4. corun-

eorundem Commentariorum, pag. 322. In *Nova bibliotheca MSS. Librorum* tam Græcorum quam latinorum & Gallicorum, quam ex Catalogo MSS. Librorum Regiæ Galliarum bibliothecæ potissimum collectam, edendam curavit Philippus Labbeus anno 1653. in 4. Parisiis apud Joannem Henault, parte 2. pag. 89 advertit extare *Niceta Chartophylacis Niceni* quibus temporibus & quibus de causis Ecclesia Romana secesserit à Græca in Codice Regio 1334. Item in Bibliotheca Sfortiana fuisse dicitur, *Nicetas de Azimis & Sabbatorum jejunio & Nuptiis Sacerdotum.* Quæ ad eundem spectare possunt.

1080 GREGORIVS S. R. E. CARDINALIS EPISCOPVS SABINENSIS, qui non Domnizoni ut scribit Ferdinandus Vghellius, sed Vbaldo ex Ciaconio successit, a Gregorio VII. Cardinalis & Episcopus Sabinensis factus, a quo in Germaniam ad Imperatorem Henricum legatus est, ut eidem Imperatori author foret, ne fœdera in Canusino conventu firmata, malorum hominum consilio violaret. Sed Fidefragus Henricus Romani Pontificis mandata contempsit, parumque honorifice cultum Legatum, ad curiam Romanam redire jussit. Scripsit circa annum 1070. *Collectionem Canonum libris quatuor*, quam *Polycarpum* appellavit, quod Operis nomen est, non Authoris: de qua loquitur Antonius Augustinus *De emendatione Gratiani* Lib. 1. Dialogo 14. & Lib. 2. Dialogo 15. Habetur manuscriptum hoc Opus in Bibliotheca Vaticanâ, ut asserit idem Augustinus in Opusculo *De veteribus Collectionibus & Collectoribus Canonum*, post Epitomen Juris Pontificii, anno 1641. Parisiis in folio editam. Itemque Manuscriptum in Bibliothecâ Colbertinâ, Codicibus 696. & 4047. quos adnotasse juvat. „Incipit, „*Prologus Gregorii Sancta Romana Ecclesia, super* „*Excerptum, de Romanorum Pontificum & aliorum* „*Sanctorum authoritatibus.* Dilecto Domino D. „Sancti Jacobi Ecclesiæ Pontificali infulâ dignè „decorato, Gregorius Presbyterorum humillimus salutem. *Petistis jamdudum & hoc sæpe,* „*ut Opus arduum & supra vires meas aggrederer &c.* „Libri primi titulus primus, *De principatu Petri.* „Apostolus in Evangelio, *Dixit Jesus Simoni Petro, Simon Johannis &c.* Ex inscriptione autem Codicis, videtur Gregorius hanc Collectionem esse aggressus, antequam ad Cardinalitiam dignitatem & Episcopatum Sabinensem promotus sit, id est, circa annum 1070. Decessit Gregorius sub Pontifice Vrbano II. cum semper Gregorii VII. partes in Schismate Gibertino constantissimè defendisset, & successorem habuit in Episcopatu Sabinensi &c. De hoc plura scripsit Lambertus Schafnaburgensis, illiusque meminit Registrum Gregorii VII. Ferdinandus Vghellus tom. 1. *Italia sacra* in Episcopis Sabinensibus. Augustinus Oldoinus tomo 1. *Historia Cardinalium S. R. Ecclesia*, anno 1073. sub Gregorio VII. Col. 865. editionis Romanæ anni 1677.

DEVSDEDIT PRESBYTER CARDINALIS TITVLI SANCTI PETRI AD VINCVLA, ad hanc dignitatem à Gregorio VII. promotus est. 1080
Hic cum in sacrarum legum & Apostolicarum traditionum Doctrinâ peritus, & in Sanctorum Patrum Scriptis versatus esset, tempore Victoris Papæ III. hoc est anno Christi 1086. scripsit *Collectionem Canonum*, seu *Libros IV. de rebus Ecclesiasticis*, qui manuscripti extant & asservantur in Bibliothecâ Vaticanâ, ut tradit Stephanus Baluzius in *Notis* suis ad Emendationem Gratiani pag. 270. de quibus Antonius Augustinus in Dialogis suis, *De emendatione Gratiani.* Inscripsit hoc Opus teste Oldoino, Victori III. Gregorii Successori, cujus argumentum est: *Non licere Laicis in Sacerdotiorum collationibus, quæ Cleri & Monachorum juris sunt, authoritatem suam interponere:* in quo Imperatorem Henricum & Clementem III. Antipapam aspere perstringit. Hunc librum variâ doctrinâ refertum, apud se olim habuisse testatur Ciaconius, quem Pandulfus Pisanus in Vitâ Victoris III. commemorat, eundemque quadripartitum ipsemet in ejus exordio docet. Primus enim liber continet *Privilegium authoritatis Ecclesia Romana:* & quoniam Ecclesia sive Clero esse non potest, neque Clerus absque rebus quibus temporaliter subsistat, ideo secundum subjunxit *De Clero* & tertium *De rebus ejusdem Ecclesia.* Quia verò seculi potestas Dei Ecclesiam sibi subjugare nititur, *Libertas ipsius & Cleri & Rerum ejus*, tertio & maxime quarto libro evidenter ostenditur. Addit Oldoinus, eundem Deusdedit edidisse etiam *Ecclesiasticorum per Capita compendium*, ea scilicet ratione, qua posteà Gratianus *Decretum* scripsit, ac libellum etiam composuisse *Contra Invasores rerum Ecclesiasticarum Simoniacos atque Schismaticos:* de quibus ambigo plurimum, an non idem Opus cum præcedente, sint. Dum vixit Catholicæ partis contra Imperatores studiosissimus fuit, & Gregoriani juris acerrimus defensor, cujus in Hispaniis legatione functus est. Hæc ex Augustino Oldoino in *Historia Cardinalium & Pontificum Romana Ecclesia*, tomo 1. anno 1073. sub Gregorio VII. Col. 865. Illi qui correxerunt & ediderunt Corpus juris Canonici jussu Gregorii Papæ XIII, quod anno 1580. tribus voluminibus in folio Romæ primò editum est, tum postea Lugduni anno 1584. forma eadem, cum Glossis & Commentariis veterum Jurisconsultorum, & allegationibus citationum tum Decreti Gratiani, tum Decretalium aliarum: Illi inquam emendatores Decretorum volumine 1. ad Distinctionem XL. cap. 6. *Si Papa* Decreti Gratiani fol. seu col. 195. editionis Lugdunensis, ita loquuntur de *Deusdedit*, quem Presbyterum Cardinalem tit. Apostolorum in Eudoxia constituunt. „Nauclerus Generat. 26. testatur *Si Papa*, hoc fuisse di-

„dictum *Bonifacii Martyris.* Verum Deusdedit „Presbyter Cardinalis tit. Apostolorum in Eu„doxia, tempore Victoris Papæ III. libris quatuor „*De verbis Ecclesiasticis* composuit, qui in biblio„theca Vaticana servantur: & lib. 1. cap. 231. „*Ex gestis* (sic enim habent multi Gratiani Codi„ces & Ivo) *Bonifacii Martyris & Archiepiscopi* „*Moguntini, Sedis Apostolicæ Legati*, hæc illius San„ctissimi viri de Romano Pontifice ac sede Apo„stolica, verba refert, in quibus est hoc caput, „quod quidem multum ex antecedentibus & „consequentibus illustratur. Sic illi ad caput 6. Distinctionis XL. *Si Papa* de Deusdedit Presbytero Cardinali, ubi & caput integrum referunt, unde desumptum est. Itaque quæ de Romano Pontifice *Distinctione 40. cap. 6.* dicuntur, verba non sunt *Sancti Bonifacii Martyris*, uti à Gratiano allegantur, sed illius qui res gestas Bonifacii conscripsit, ut allegat Deusdedit ipse Cardinalis in libris quatuor *De verbis Ecclesiasticis* Lib. 1. cap. 231. *Ex gestis Bonifacii Martyris & Archiepiscopi Moguntini, Sedis Apostolicæ Legati.*

1080 COSMAS PRAGENSIS ECCLESIÆ DECANUS anno 1086. floruit, temporibus Gebehardi hujus Ecclesiæ post Sanctum Adalbertum illius fundatorem Episcopi, qui nascentem hanc Ecclesiam scripto brevi illustravit. Composuit igitur *Chronicon breve Bohemorum*, seu *Chroniculum de erectione regnorum Bohemiæ & Poloniæ, ac de fundatione Pragensis Episcopalis Ecclesiæ.* Illud quidem mole parvum, sed his gentibus ad quas spectat, non ingratum. Dicatum illud Domino Severo Melnicensis Ecclesiæ Præposito, atque deductum ad annum 1086 quo Wratislaus Dux Bohemiæ atque Ottonis Ducis Moraviæ frater, Henrico III. imperante, XVII. Kalendas Julii inter sacra Missarum solemnia, ab Engelberto Treverensi Archiepiscopo, regalibus fascibus inductus (ut inquit) in Regem Bohemorum atque Polonorum unctus est. Narrat idem Cosmas Decanus, se vidisse Henricum III. Romanorum Imperatorem, privilegio hujus promotionis, designationis nempe terminorum ac finium Pragensis Episcopatus, sua manu subscribentem. Extat hoc Chronicon, de quo Guilielmus Cavus silet, præmissum *Rerum Bohemicarum antiquis Scriptoribus*, qui ex Bibliotheca clarissimi viri Marquardi Freheri, Consiliarii Palatini, Hanoviæ in folio anno 1602. typis Wechelianis apud Marnium & hæredes Johannis Aubrii impressi sunt, quibus accesserunt *Commentarii Historiæ Bohemicæ Johannis Dubravii Olomucensis Episcopi*, longe emendatiores & auctiores antea editis. Christophorus Sandius qui anno 1687. edidit *Notas & Observationes* in Historicos Gerardi Johannis Vossii Latinos, in 16. Amstelodami editas, pag. 78. dictarum Notarum ad Vossii pag. 356. observat *Cosmam Pragensis Ecclesiæ Decanum* anno 1126 scripsisse *Libros tres Chronica Bohemorum*; ut docebit in *Auctario Operis Vossiani* quod promissum non exhibuit. Hoc *Chronicon* altero de quo egimus amplius ad annum usque 1126. pertingens, editum est Hanoviæ in folio iisdem Wechelianis typis anno 1607. cum *Vita S. Adalberti Pragensis Episcopi* sub nomine *Cosmæ ejusdem Pragensis Ecclesiæ Decani.* Hujus Scriptoris mentionem olim fecimus in nostro Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 392, quem aliquando serius ad annum 1120. collocavimus, licet ad hunc usque annum telam vitæ ordiri potuerit, qui *Chronicon secundum* istud ad annum 1126. perduxerit. Hoc Chronicon libris tribus distinctum, est opus integrum *Cosmæ Decani*, à Marquardo Frehero ex MS. Codice productum, quod in editione prima imperfectum atque mutilum habebatur, est enim inscriptum eidem *Severo Melnicensi Præposito*, de quo supra egimus. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 41. p. 356. editionis ultimæ hæc habet.

Eodem tempore (anno nempe 999. *& alter coæ*„*taneus* S. Adalberti Pragensis Episcopi, qui hac„ tempestate extitit, *ejusdem Adalberti vitam exa*„*ravit, quam Henricus Canisius edidit Tomo V. an*„*tiquæ Lectionis parte 2. pag. 332. ad 354. Ætatem*„ *indicant hæc verba:* Erat autem istis diebus Ro„mæ Imperatrix Theophania, mater ejus, qui„ modo regnat tertius, & Deo juvante, Maximus„ Otho.„ Item hæc Vita postea Vita Hanoviæ 1607. in fol. edita est, ubi author ejus non solum Adalberto æquævus dicitur, sed & *Cosmas Pragensis Decanus*, qui etiam lib. 1. *Chronici Bohemiæ* pag. 17. *S. Vitam Adalberti* scripsisse testatur, quam ob causam res gestas illius repetere nolit, *Nam mihi jam dicta bis dicere non placet ista* (inquit Scriptor Chronici citati. Verum hoc tempore Othonis III. Imperatoris, posterior est Cosmas Decanus Pragensis annis 90. vel 100. & amplius, quippe cum ad annum 1126. Chronicam suam deduxerit. *Tertio.* Bzovius edidit Vitam illam anno 1640. Tomo ultimo *Annalium*, eamque authori vindicavit *Sylvestro II. Papæ* ab anno 999. ad 1003. sub hoc titulo: *Sancti Adalberti Ursini, Comitis Rosembergi, Pragensis Episcopi, Gnesnensis Archiepiscopi & Martyris, Bohemorum, Hungarorum, Polonorum, Prussorum Apostoli, Vita & Passio, ab ejus Synchrono & familiari Silvestro II. Papa Romano, nunc primum ex Bibliotheca Cassinensi, suo auctori restituta.* Tradit Bzovius in Vita Silvestri II, dictam Vitam ab eo fuisse exaratam, cum jam Romanus Pontifex esset. Habet illa commune initium cum Vita, quæ in *Lectionibus antiquis* Canisii edita est, cujus finem tamen diversum observavi, nec non in medio. Levissimæ autem comparatæ cum editione Canisiana, differentiam animadverti. Hæc de *Vita S. Adalberti Pragensis Episcopi*, quam nonnulli *Cosmæ Pragensi Decano*, ad cujus Chronici calcem edita reperitur, alii *Silvestro Papæ II.* adscripserunt. Quid si dicamus, *Vitam hanc Adalberti* fuisse primum circa annum M. à Sylvestro

ſtro ſecundo Papa conſcriptam, poſteà autem in paucis interpolatam ac immutatam circa annum MC vel ſeriùs à Coſma Pragenſis Eccleſiæ Decano, qui etiam notas temporum à Silveſtro in opere priori adjectas, in ſecundo reſervaverit? Mentionem hujus faciunt Scriptoris, Carolus Duſrenius du Cange in Catalogo Scriptorum quem *Gloſſario mediæ Latinitatis & infimæ* præmiſit, col. 99. Catalogus impreſſorum librorum Bodlejanæ Bibliothecæ pag. 187. in ſolio Oxonii anno 1674. impreſſus, curis & ſtudio Thomæ Hidii, cum aliis ſupra allatis. Agit de *Coſma Pragenſi* Aubertus Miræus ad calcem *Bibliothecæ Eccleſiaſticæ*, in *Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quem ad annum usque 1126. Hiſtoriam Bohemiæ ſcripſiſſe aſſerit, cap. 339. pag. 243.

1080 GEORGIVS MONACHVS GRÆCVS, alius ab eo quem *Hamartolum* vocant, ipſoque ducentis annis circiter junior, ſcripſit *Chronicon Græcum* ab Adamo ad Alexium Comnenum, qui anno 1081. Imperium Orientale obtinuit, non fonte proprio, ſed exſcriptis ad verbum aliis Scriptoribus, cujus partem aliquam ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ deſumptam, nempe à Leone Armeno usque ad Conſtantinum Porphyrogennetam, qui anno DCCCCLIX. die IX. Decembris vitam ſuam finivit, Græcè & Latinè in lucem produxit Franciſcus Combefiſius anno 1685. ex typographia Regia in folio, inter *Scriptores poſt Theophanem Hiſtoriæ Byzantinæ* à pag. 499. ad pag. 594. Mentionem facit Scriptoris hujus Carolus du Freſne Dominus du Cange, in Notis ad *Chronicon Paſchale* pag. 525, quod editum Pariſiis ex typographia Regia anno 1688. Græcè & Latinè in folio, qui MS. Codicem ſæpe tenuit & excuſſit. De illo etiam Cavus in Diſſertatione *De Scriptoribus incertæ ætatis*, verbo *Georgius*, Num. X.

PAVLVS BENRIEDENSIS PRÆPOSITVS, Canonicorum Regularium divi Auguſtini in Germania, circa idem hoc tempus, ſcripſit *De rebus geſtis Gregorii VII. Romani Pontificis*, & *Vitam Sanctæ Herlucæ Virginis*, Opuſcula quæ edidit Jacobus Gretſerus Germanus, Theologus Soc. Jeſu Ingolſtadii in 4. anno 1610. apud Adamum Sartorium. 1080

ROBERTI ABBATIS SANCTI VIGORIS BAJOCENSIS ORDINIS D. BENEDICTI COMMENTARIORVM IN CANTICA CANTICORVM LIBRI DVO.

Qui hucusque falsò ſub nomine Gregorii Magni, atque inter ejus Opera enumerati ſunt.

COMPENDIVM VITÆ ROBERTI ABBATIS SANCTI VIGORIS BAJOCENSIS.

(*Ex duobus MSS. Codd. altero Abbatiæ Balernenſis, altero S. Victoris Pariſienſis.*)

1080 ROBERTVS de Tumbalenia Monachus Sancti Michaëlis in periculo maris, ut ſcribit Ordericus Vitalis, Lib. 8. *Hiſtoriæ* ad annum 1094. Abbas factus poſtea Monaſterii S. Vigoris ad muros urbis Bajocenſis in Normannia. *Romam ille profectus eſt, ubi à Gregorio VII. Papa detentus honorificè, usque ad mortem Romanæ fideliter ſervivit Eccleſiæ*: ut Ordericus idem ſeribit ad annum 1087. libro cit. *Inter reliqua peritiæ ſuæ monumenta, brevem & luculentam, ſenſuque profundam ſuper Cantica Canticorum expoſitionem in Eccleſia dimiſit*, teſte eodem. Hic Commentarius in Cantica Canticorum, cujus prologum edidit Joannes Mabillon tom. 1. *Analectorum* pag. 125. ex MS. Codice Balernenſis in Burgundiæ Ducatu Abbatiæ Ordinis Ciſtercienſis, idem cum eo eſt, qui hucusque S. Gregorio Magno adſcriptus eſt, ad quem nullo modo ſpectare cenſet Petrus de Guſſanvilla, in editione Operum Divi Gregorii Magni ultima. Extat vero MS. in Bibliotheca inſigni S. Victoris Pariſienſis, non pro more ſuo Anonymus, ſed cum Præfatione, quæ in aliis MSS. deeſt, & cum littera prima ſeu initialis Authoris R in Codice inſcripto RR. 12. fol. 187. Idem vel Anonymus, vel ſub Gregorii nomine ſimpliciter, in multis Galliarum Bibliothecis MS. extat, ut habet Petrus de Guſſanvilla citatus, ubi in editione ſua Operum S. Gregorii Magni, de MSS. Codicibus agit, ad quos eadem contulit. Quibus addo alios hujus extare MSS. Codices in Bibliothecis Claræ Vallis & Aureæ Vallis Cod. 92. ejusdem Ciſtercienſis Inſtituti, atque in majoribus paſſim eorundem Bibliothecis. Eſſe autem unum & eundem hunc Commentarium, cum eo qui Gregorianus dictus eſt, conferenti utriusque initia cum conſequentibus, patebit. Nullusque eſt, qui tam apertæ refragabitur rei, niſi qui mentem ſanam abjecerit. Neque objiciendum ex Analectis tom. 1. pag. 128. Robertum Abbatem Sancti Vigoris dimiſiſſe Commentarium ſuum in duobus libris, Anonymum autem tomo 3. Operum S. Gregorii Magni pag. 461. *Explanationem in eadem Cantica* con-

continuam fecisse. Hoc enim posteà factum ab SS. Scriptoribus est ut dicto obtemperarent Abbati: qui id in votis habuit & transcribentibus injunxit, sub præfationis suæ finem tomo I. pag. 128. *Analectorum.* Nec alium esse prologum dictorum Commentariorum in Operibus Sancti Gregorii,alium in *Analectis*, instet. Qui enim in Operibus D. Gregorii est, juxta Petrum de Gussanville pag. 458. in Manuscriptis multis deest,in aliis discrepat, in aliis brevior vel prolixior legitur, pro captu scribæ cujuscunque. Ipso hujus Operis & Authoris vero ptologo in Analectis citatis existente, ex MS. Codice Balernensi,cum Authoris nomine, atque in altero S. Victoris Parisiensis, unde eduxit Jacobus Hommey,de quo infrà. Alii quoque duo MSS. Codices inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis & Metropoliticæ S. Petri apud Eboracum Codice 9. num. 2. *frater Robertus in Cantica.* Principium, *Servo Dei Ansfrido.* Et Codice 8666. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobææ Codice 944. *Roberti Commentarius in Cantica Canticorum*, habetur excusus inter Opera Gregorii Magni. Ita in Catalogo MSS. Codicum istarum Bibliothecarum. Adjicio denique prologum, qui in editione Operum S. Gregorii legitur, ab exscriptore aliquo, cui id placuit, esse confictum: atque excerptum ex prologo Richardi Victorini in eadem Cantica pag. 489. Richardinorum Operum: quem Anonymus aliquis partim immutavit, partim per compendium pro libitu constrinxit. Denique Commentarium hunc nuperrimè sub nomine *S. Radulphi Fontanellensis Abbatis*,edidit Jacobus Hommey Augustinianus Eremita pag. 276. Operis quod immeritò *Supplementum Patrum* inscripsit, Parisiis in 8. anno 1684. editum. Deceptus ille ex Littera sola nominis initiali R, quam invenit in MS. Codice Navarricæ Parisiensis Bibliothecæ,ut pag. 275. fatetur, anonymum hunc ex conjecturis Commentarium *Sancto Radulpho Fontanellensi Abbati*, phantasticâ prorsus Sanctitatis atque commentationis laude,concessit. Quem prologus integer tom. I. *Analectorum* Joannis Mabillon pag. 125. diserte *Roberto* Sancti Vigoris Bajocensis Abbati attribuit: idque post Ordericum Vitalem, contemporaneum ac oculatum testem, ejusdem regionis,temporis, & Ordinis alumnum. Nec validum quidquam adversus tantam authoritatem reponi a quoquam potest. Nuperrime Monachi Benedictini, in editione novissima Operum divi Gregorii Magni, ut hunc Commentarium illi adscriberent, produxerunt Epistolam quandam sub Sancti Columbani nomine ad Sanctum Gregorium,falsam prorsus & suppositam,quam audacia prorsus insigni adjecerunt genuinis S. Gregorii Papæ Operibus Tomo 2. in *Registro Epistolarum* Lib. 9. Epistola 127. col. 1036. ut authoritate illius foetus ille seculi XI. ad Gregorium primum rediret. Sed illorum impudentiam miror, qui Epistola ita absurda & falsa sententiam suam stabilire voluerint, qua Columbanus ad Gregorium scribens, *ejus Pastoralem librum laudat, petitque Expositiones illius in Ezechielem & in Cantica.* Ita hæc Epistola absurda & insana est,ita barbara, ut nullam similis farraginis in antiquitate omni Ecclesiastica reperire liceat, ut nec ad quem sctipta sit, nec a quo proprie, reperire liceat. Ex sola Epistolæ inscriptione, ejus falsitas & suppositio abunde probari potest,quæ talis est. *Domino Sancto & in Christo Patri Romano, Pulcherrimo Ecclesiæ decori, totius Europæ flaccentis augustissimo quasi cuidam Flori, egregio speculatori, theoria utpote divina castulitatis potito.*

Ego Bargoma, villis Columba, in Christo mitto salutem.

Quis unquam credat Sanctum Columbanum virum & soluta oratione & ligata celebrem, Scriptorem non ignobilem, ita absurde ad Sanctum Gregorium Magnum, Epistolam stylo barbaram & hiulcam,inscripsisse? Quis non miretur Monachorum Benedictinorum impudentiam,qui tam foetidas merces Operibus Gregorii genuinis inseruerint? Idque ut mendacium mendacio,suppositionem suppositione altera affirmarent. Juxta Sigebertum in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 60. *scripsit praterea S. Columbanus adhuc adolescens librum Psalmorum, elimato sermone memoratum & laudatum.* Idem carmine quoque valuit & ætate sua insignis fuit: ut constat ex *Epistola illius carmine egregio expressa ad Hunaldum discipulum adversus avaritiam*, quæ extat in *Bibliotheca SS. Patrum* editionis Parisiensis 1624. tomo 8. inter Poetas celebres pag. 845. Epistola etenim illa elegans est, ut omnes, qui legerint, dubio procul affirmabunt. Qui ergo ita Commentarium in Psalmos *elimato Sermone memoratum & laudatum* conscripsit,qui *Epistolam ad Hunaldum carmine eleganti & accurate* direxit: quis credat ita incomptâ, & barbarâ Epistolâ ad S. Gregorium Romanum Pontificem scribere voluisse? quem appellaverit *pulcherrimum Ecclesiæ decorem, totius Europæ flaccentis augustissimum quasi quendam florem, egregium speculatorem, theoria utpote divina castulitatis potitum?* Epistola sanè ista, seu farrago absurda, in antiquis Opusculorum S. Columbani editionibus non comparet,quam primum Patricius Flemingus Minorita Hibernus, edendam curavit *Ex Actis & Opusculis S. Columbani ac aliorum Sanctorum veteris Scotiæ & Hiberniæ* anno 1667. Lovanii in folio ex MSS. Codicibus incertissimis ac recentissimis,quæ exinde in *Bibliothecam Patrum* editionis 1677. Lugdunensis tomo XII. pag. 1. exceperunt. Est ergo Epistola illa Sancti Columbani nomine falsissima, qua Monachi Benedictini Commentarium in Cantica Canticorum S. Gregorio Magno adstruere nituntur. Imò cum Commentarius ille seculo XI. temporibus Gregorii Papæ VII, certò scriptus sit,hinc apertè concluditur,istam S. Columbani Epi-

Epiſtolam ſalſam, confictam fuiſſe poſt ſeculum XII. & XIII. *Anſfridus* cui Robertus Opus ſuum nuncupat, videtur eſſe *Anſfridus* Pratellenſis Abbas, *Aufridus* aliis dictus, cujus epitaphium Ordericus refert loco citato: Vel certè *Anſfridus* Abbas tertius Monaſterii Sancti Salvatoris Conſtantinienſis. Quo de Anſfrido Pratellenſi, plura videri poſſunt in *Chronico* Roberti de Monte, apud *Neuſtriam pium* Arturi du Montier, & Sammarthanos Fratres tom. 4. *Gallia Chriſtiana* in Catalogo Pratellenſium Abbatum. Quis verò ſit Anaſtaſius ille, cujus rogatu id Robertus aggreſſus ſit, nondum cum Mabillonio tomo 1. Analectorum pag. 132. compertum habeo. Claruit itaque Robertus Abbas S. Vigoris, à medio circiter ad undecimi ſeculi finem, vel circiter. De quo ipſe ego in *Supplemento Bellarmini* De Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 348. Joannes Mabillon tom. 1. *Analectorum* citatorum p. 125. & ſeqq.

EPISTOLA ſeu PRÆFATIO AVTHORIS
AD ANSFRIDVM ABBATEM.

SErvo Dei *a*) Incluſo Dilectiſſimo ſuo, Anſfrido quondam filio & amico, modò Divina favente cui voluerit, gratiâ, Patri & Domino, Frater *b*) ROBERTVS, hominum minimus, vitam, gaudium & gloriam, quæ verè gloria eſt.

Multis jam nuntiis inertiam meam fervor tuus in Dominum ſollicitat, ut tibi librum, quem ante hos quamplurimos dies ſuper Cantica Canticorum ſcripſi, mittam. Vix igitur nunc mitto, quem à nomine videri vellem, ſi omnibus abſcondere poſſem. Quem enim rudis & Impolitus artifex ſecerit annulum, ab aliis videri formidat: ſuo minimè credit, & de alterius judicio non confidit: dum id, quod ſibi ſoli ante examen perfectè non placet, in examine diſplicere pluribus timet. Sic oſtendentis & ſic paventis, accipe Opuſculum amici tui. Judica quid placuerit, & reſcribe quod judicaveris. Videor forſitan pluribus, quod & tibi videri timeo, hoc opus præſumptione cœpiſſe præſumptione perfeciſſe: Si tamen perfectum eſt dicendum, quod à *c*) doctioribus melioribusque viris eſt adhuc examinandum, & utique corrigendum. Mihi quippe ſateor, cum magna indignatione fieri videtur, ut ego tam rudis ſtudio, tam ſtolidus ingenio, tam ſordidus peccato: in tam antiquum, tam doctum, tam nitidum opus proruperim: ut Salomonis verba exponerem, qui de Salomone nihil habeo, niſi forſitan quod de illo abominabile lego: ſcilicet, cum ſenex factus fuerit, nunc ſapiens eſſe deſtiterit. Mihi tamen amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto *d*) libellum: rogatus cœpi, multotiens admonitus perfeci. Rogavit me Dominus Anaſtaſius dilectiſſimus frater & Dominus meus: admonuerunt verò cum illo & alii multi, non tantum penſantes mihi innatam ſtultitiam: quantum amantes tam ſecretorum verborum qualemcunque ſibi clarere peritiam. Quamvis nonnulli alii, & maximè Dominus Beda in hoc eodem laboraverint, ſecreta pateſecerint, poſteriſque lectionem utiliſſimam reliquerint. Tu ergo, Serve Dei, humiliter lege quæ inveneris: & ſi placuerint, tranſcribe *e*) quæ legeris.

Rogo verò ut in duo principia hoc Opus dividas, quia dictamen illud dum à ſeipſo variatur, turpe eſt ſi ſub uno principio univerſum concludatur. Dum enim ego in cella ſolitaria poſitus, Cantica Canticorum exponerem: contigit ut me quidam Amici mei ſupervenientes, exponentem invenirent: cumque ea, quæ jam expoſueram, per partes legerent, laudaverunt quidem Opus: ſed quod Canonicorum librorum exempla non inſerueram, quibus quæ dicerem probarentur, hoc unius ineſſe dixerunt. Ex illo mox tempore quæ memoriæ occurrerunt, pro re quam agebam, exempla appoſui, quamvis non neceſſaria mihi eſſe videbantur. Maximè enim compunctioni in expoſitione. Intendens, non probanda, ſed interius inſerta dixeram: unde poſteà exempla colligens dum *f*) brevitati ſtudeo, ſtrictius expoſita minus ſuavia legenti videntur. Dictaminis itaque varietas, quæ exemplorum inſertione fit, ibi notatur, ubi dicitur: *Vadam ad montem myrrha, & ad collem thuris. Cant. IV, 6.* Hoc dicto & expoſito, finiatur Liber primus: Incipiatque ſecundus, ſic oriens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Cant. IV, 7.* *g*) Pergamentum autem, ſi tibi defuerit, mittam, quantum ſufficiet.

Lege igitur, Frater amantiſſime, Sapientiſſimi verba Salomonis Cantica Canticorum, quæ ob reverentiam ſacratiſſimi ſenſus, ob excellentiam nuptialis amoris, ob Sponſi & Sponſæ ſuaviſſimam conglutinationem: non ſolum Cantica, ſed Cantica Canticorum vocantur. In horum expoſitione, ſi quid tibi diſplicuerit, ora pro ignorantia mea: ſi quid tibi placuerit, ora pro peccatis meis, qui benè loquor & malè operor. Quod ſi librum iſtum tibi ſcribere libuerit, non ita in marginibus ſicut hìc habetur, ſcribas: ſed continuum in paginis, ſicut aliæ Expoſitiones ſcribi ſolent. Hæc verò *h*) Epiſtola, volo ut ponatur in capite.

a) *Incluſo.* Vox hæc non habetur in MS. Codice Balernenſi, apud Mabillonium tom. 1. Analectorum.

b) ROBERTVS. Ita nomen integrum in MS. Balernenſi, cum MS. Codex S. Victoris Pariſienſis litteram tantum initialem R. habeat: unde occaſionem errandi habuit Jacobus Hommey, Auguſtinianus Eremita, in *Supplemento Patrum* pag. 276. hoc Opus Radulfo Fontanellenſi Abbati, Scriptori imaginario, Sancto novi Calendarii, abſque duce & conſule, adſcribens.

e) *Doctioribus.* Rectè cum MS. Codice Balernensi, legente perperam Hommejo, *Doctoribus.*

d) *Libellum.* Codex Balernensis *libellulum* legit: utraque voce congruâ.

e) *Transcribe.* Rectè, cum editi Codices apud Gregorium & Hommey citatum, legant perperam, *inscribe.*

f) *Dum brevitati studeo.* Correxeram ex conjecturis, quod confirmatum ex Balernensi Codice est: unde male in Victorino & editis apud Hommejum legitur, *Dum brevitatis studio*, sensu phrasis imperfecto.

g) *Pergamentum autem &c.* Hæc omnia ad ipsum Commentarii initium, suppleta sunt ex MS. Codice Balernensi, cum in Victorino his præfatio mutila sit.

h) *Hac verò Epistola &c.* Præfationem hujus Commentarii, Petrus Franciscus Chiffletius, Soc. Jesu Theologus, erutam ex MS. Codice Balernensis Abbatiæ Ordinis Cisterciensis in Burgundia Comitatu, ad Lucam Dacherium transmisit: quo in Codice mutila est expositio à medio capite septimo Cantici Canticorum. Edidit autem Johannes Mabillon tom. 1. *Analectorum* pag. 125. & seqq.

APPENDIX

præmissa editioni hujus Operis.

QVomodo Benedictini Monachi in editione novissima Operum Divi Gregorii Magni, Parisiis facta tomo 3. col. 393. in *Admonitione* ad illius editionem prævia, falsis authoritatibus, hunc Commentarium Gregorio Magno adscribere conati sint?

Primò authoritate Epistolæ cujusdam sub nomine S. Columbani ad Gregorium Magnum, editæ *Epistolarum* lib. 9. Epistola 127. col. 1036. Sed Epistola illa falsa est atque supposita & Sancto Columbano cui attribuitur indignissima, de qua latè in *Præmissis* ad editionem hujus operis disseruimus.

Secundò authoritate Sancti Paterii à se producti velut integri & completi, quæ nulla pariter ac falsa est.

„Ac pro nobis, inquiunt, militat Paterius, non „quidem spurius, sed genuinus & sincerus, „quem ex plurimis indubitatæ fidei MSS. Co„dicibus, nunc in lucem emisiuri sumus. Nimi„rum in Explanatione Evangelii secundum Lu„cam cap. 17. ad hæc verba, *Et erat pernoctans in* „*Oratione Dei:* Legitur in Paterio nostro: *Item* „*de eodem in Expositione Cantici Canticorum Lib. I.* „*Compunctio, quæ per caritatem fit, qua ex desiderio* „*accenditur, quasi quoddam osculum est. Toties* „*enim anima osculatur Deum, quoties in amore ejus* „*compungitur.* Vt Leges Lib. I. Commentarii „in Cantica editionis hujus num. 5. pene inte„gro, usque ad hæc verba scilicet, *Nulla necessitas* *est, vel nequaquam necesse est, ut solemnem diem Do*„*mino, de nostra lamentatione faciamus.* Hæc in„ omnibus veri Paterii Codicibus, quos consule„re nobis licuit, extant, nimirum in Vaticano, in„ Belvacensi Sancti Petri, in Beccensi & Valliscla„ræ, & in Michaelino: quæ diu casso labore in„ Expositione Cantici Canticorum, Gregorii no„mine in vulgatis munitâ inquisivimus. At in„ omnibus MSS. quos mox recensebimus, loco„ jam indicato, totidem verbis leguntur. Ergo„ Paterius Gregorii discipulus & notarius, pro„ legitimo Sancti Patris fœtu, habuit *Expositionem*„ *in Cantica Canticorum*, pro qua hic decerta„mus.„

Hæc Benedictini Monachi, qui aerem percutiunt, dum ita argumentantur. Nam Liber secundus & tertius sub Paterii nomine ab illis producti spectant ad Brunonem Seculi XII. Scriptorem, qui hoc Opus Paterii deficiens supplevit, ut constat ex ejus Epistola, quæ in MSS. Codice Cœlestinorum Parisiensium legitur.

Tertiò authoritate *Commentarii in Cantica Canticorum* quem S. Gregorio Magno pro viribus omnibus suis adscribere adnituntur, idem probare contendunt tomo 3. col. 393. in *Admonitione prævia* ad subsequentem Cantici Canticorum Expositionem, ubi magnam à se Codicum MSS. multitudinem collatam seu consultam fuisse testantur. Sed opus non est, ut tanto æstu Monachi Benedictini suos Codices MSS. ostentent, majorem forsitan multitudinem, quàm ipsi, vidimus, de quibus silere juvat, quàm multa temerè loqui. Nam Codicum MSS. maxima pars nullum authorem adscriptum habet: multi quoque nomen *Gregorii Papa* simpliciter & sine addito habent, quo non intelligitur *S. Gregorius Magnus*, sed *Gregorius Papa VII*, cujus tempore hic Commentarius in Cantica Canticorum conscriptus est. Multi quoque nomen *Sancti Gregorii Papa* habent, sed qui medium Seculi XII. antiquitate sua non excedant. Alii denique & qui antiquiores aliis videntur, nomen veri Scriptoris *Roberti Albatis* habent, ut supra indicavimus.

Discrepantia quoad Prologum hujus Operis, non minor est, quam in designatione authoris. Maxima pars Codicum MSS. dicti Commentarii nullum habet prologum, ut rectè Petrus de Gussanvilla observavit. Alii prologum quidem unum habent, *Quia si cæco, si longe à Deo posito &c.* Alii alium prologum & grandiorem *Postquam à Paradisi gaudiis expulsum est genus humanum &c.* ut in editione Benedictinorum Monachorum tomo 3. col. 397. Alii alium breviorem & Commentario omni brevi conformem, *Tribus nominibus creatus est Salomon &c.* qui reperitur idem in MSS. omnibus nomen *Roberti Abbatis* præferentibus.

Locus autem quem Benedictini Monachi ex hoc Commentario lib. 1. num. 5, ad illum S. Gregorio adscribendum, allegarunt, tanquam conformem falsò Paterio Lib. 3. ad cap. Evange-

gelii secundum Lucam 17, falsus quoque est nec reperitur, nisi cap. 1. hujus Operis, quod in editione hac Benedictinorum Monachorum, multis interpolatum est. Neque verba a Benedictinis allata reperiuntur in editione nostrâ hujus Commentarii sub nomine *Roberti Abbatis Sancti Vigoris Bajocensis*, qui verus & solus ex MSS. Codicum fide, Commentarii hujus author est. Qualiter autem hoc opus a Benedictinis datum est, opus interpolatum est, tum quoad Prologum omnem prolixum illum atque Commentario brevi qualis ille est difformem, tum quoad cap. 1. ubi multo diffusiùs agit usque ad versum 8. *Equitatui meo assimilari te, amica mea in curribus Pharaonis:* Sed a versu 9. usque ad finem capitis 1. itemque in aliis Capitibus 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. nulla interpolatio est, omninoque editio Benedictinorum cum nostrâ convenit. Interpolationes autem illas esse factas ex Richardo Victorino Petrus de Gussanvilla asserit, qui annis centum vel circiter, Roberto Abbate S. Vigoris Bajocensis recentior fuit. Cum igitur in editione Benedictinorum, & Prologus magnitudine sua & Caput 1. ob interpolationes adjectas, cæteris septem hujus Commentarii capitibus, dissimiles sint, illam germanam esse, nobis persuadere non possumus.

Atque hæc sunt, quæ de editione Benedictinorum, dicenda habuimus.

PROLOGVS AVTHORIS.

TRibus nominibus vocatus est Salomon: Salomon, id est pacificus: Edida, id est dilectus: Ecclesiastes, quod est Coëlet, id est Concionator, quod Ecclesias congreget. Is juxta numerum vocabulorum suorum, tria volumina edidit, Proverbia, id est Maslot: Ecclesiastem, Cantica Canticorum. In Proverbiis parvulam docens, & quasi de officiis præsentibus erudiens. In Ecclesiaste, maturæ ætatis virum instituens: ne quicquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & brevia omnia, quæ cernimus. Ad extremum, jam consummatum virum, & calcato seculo præparatum, in Cantico Canticorum sponsi jungit amplexibus: quia nisi prius relinquamus vitia, & pompis seculi renuntiemus, non possumus dicere: *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc ordine & Philosophi Sectatores erudiunt, ut primùm Ethicam doceant, deinde Physicam: & quem in his profecisse perspexerint, per theoriam ad Theologiam usque perducant. Hoc notandum est. Titulus enim in Proverbiis adnotatur: *Proverbia Salomonis, filii David, Regis Israël.* In Ecclesiaste verò, *Verba Ecclesiastis, filii David, Regis Hierusalem.* In Cantica Canticorum, nec filius David, nec Rex Israël, sive Hierusalem præscribitur: quia ad incipientes & paterna dignitas & regni proprium nomen sufficit: & æqualis magister est, & nescit se esse Regem. Pacificus Dei Patris & Ecclesiastes noster Christus est, qui medio pariete destructo & inimicitias in carne evacuans, fecit utraque unum: *Pacem meam do vobis. Eph. II, 14. Joan. XIV, 27.* De quo Pater ad discipulos, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, Matth. III, 17. cap. XVII, 5. 2. Pet. I. v. 17.* quia est caput Ecclesiæ.

ROBERTI ABBATIS SANCTI VIGORIS BAJOCENSIS LIBER PRIMUS COMMENTARIORVM IN CANTICA CANTICORVM.

CAPVT PRIMVM.

(CAPVT I. *Osculum oris, inspiratio Sponsi.*)

1. vers 1.

O*Sculetur me, osculo oris sui.* Os Sponsi, inspiratio Christi. Osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo Sponsa desiderio æstuans, & in amplexum Sponsi sui inardescens: *Osculetur me, osculo oris sui.* Ac si diceret, Ille quem super omnia, imò solum diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat: quia cùm ejus osculum sentio, subitâ mutatione me derelinquo, & in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. Fastidit quippe Sancta mens omnia quæ per corpus sentit, & in illa Spiritalia tota transmutari concupiscit: & dum ista obstrepunt, in illa fugit, seque abscondere ne hæc sentiat, appetit. Ideoque osculum Sponsi præerit, quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit: hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodo se ad illum conferat, omnino non invenit. Sed pius Sponsus anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit, & ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit: & dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit. Vnde hæc illum sentiens, ad eum se convertit: & quem præsentem habet, mox gaudens voce mutatâ, alloquitur & dicit.

(*Ubera sponsi, dilectio Dei & proximi.*)

2. *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Ubera sponsi, dilectio Dei & proximi. Ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit & inter tentationum turbines, his eam fovet, & ut persistat, reficit. Quid autem per vinum, nisi cura temporalis exprimitur? A qua mens secularis cujuslibet inebriatur, ut ad invisibilia cognoscenda, aut ex toto, aut pene insensibilis reddatur. Sed ubera sponsi vino meliora existunt: quia illud necat, hæc nutriunt: illud oculos mentis turbat, hæc acuunt: illud apostatare facit sapientes, hæc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt: quæ quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrem memoriæ trahit. Charitas enim cor pacificat, mentem in tentationibus roborat; & ut sedes sapientiæ sit anima Justi, quietem tribuit, & locum præparat. Hæc itaque ubera unguentis optimis fragrant, quia odorem suavitatis per sapientiæ verba, & sanctitatis exempla secum pertant. Quicunque enim sancta charitate Dei se reficit, is spiritualium donorum & odorem & suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quosque ad interiora gustanda secum trahit, & ut in amorem divinum convalescant, istis uberibus nutrit.

(*Oleum effusum Christi nomen est.*)

3. Vers. 2. Oleum effusum, nomen tuum. Nomen Sponsi, Christus est. Sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicunque nomine Christiano in veritate censentur, charitate sancta affluunt, qua molliuntur, & ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate perpetuo suffunduntur. Hac charitate in amorem ipsius Christi vehementius accenduntur, & ab ipso accipiunt, quo ei amplius inhæreant, quo perfunduntur. Hinc est quod sequitur.

(*Adolescentula, sancta anima.*)

4. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quid enim per adolescentulas, nisi sanctæ animæ designantur, quæ baptismatis aqua per Spiritum Sanctum regenerantur, & in novam vitam per novum Testamentum transformantur? Quæ propter olei infusionem, Christum diligunt: quia ad gratiam vocatæ, in eo suavitatem vitæ perpetuæ inveniunt: pro cujus suavitatis dilectione, omnes mundi fastus & divitias respuunt. Sunt enim nonnulli, qui ita Deum diligunt, ut se ipsos contemnant: in interiora se rapiunt, ut Deum inveniant. Et quia Deus in superficie non jacet, meditationibus laborant, subtilissime cogitationes suas examinant, lectionibus vacant: & quomodo Deus inveniatur, omnibus modis perquirere non cessant. Hi profecto odorem unguentorum sentiunt, & olei infusione se inungunt: quia dum omnem putredinem vitiorum abjiciunt, flores sibi inveniunt, quorum compositione suaveolentia unguenta faciente Deo conficiunt. Qui ejusmodi est, desiderio æstuat, & quasi nihil habeat, semper majora exoptat. Et quia sibi virtus non suppetit, in Deum inhians, trahi se postulat dicens.

(*Odor unguentorum, gratia divina, quam sequimur.*)

5. Vers. 3. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Non currit, qui non trahitur; quia quem gratia divina non adjuvat, molestia suæ corruptionis gravatur. Gratia quippe divina nos prævenit, & internorum dulcedinem nobis ostendens, de exterioribus nos compungit: moxque in illa transiens animus præ eorum dilectione temporalia vilipendit. Iste ergo *a*) qui trahitur, currit: quia vinculum amoris libenter sequens, gratiæ roberatus amore, sine gravedine obstacula omnia transit. Nec mirum, cum unguentorum odorem sequatur: quia cum spiritalium donorum suavitas sentitur, quid est in hac temporalitate, cujus desiderio omnia sancta sponsa Christi, ne in illa properet, teneatur? Ibi quippe lenitate unguentorum gaudet, & dum naribus discretionis spirat, charitas sibi suaviter olet. Hinc est quod a singulari numero ad pluralem transit: quia in dilectione Dei, etiam præceptum, quod de proximi dilectione nos admonet, invenit: quo instructa, eructat nobis foras, quod gustavit suaviter intus, dicens.

(*Cellaria, sancta contemplationis mysteria.*)

6. *Introduxit me Rex, in cellaria sua.* Quid per hujus sponsi, qui Rex est, cellaria intelligimus? Nisi sanctæ Scripturæ arcana, quæ rimamur, nisi sanctæ contemplationis Mysteria, quorum deliciis, si reficimur, mox convalescimus. In illa procul dubio, quisquis introducitur, omnia temporali mox contemnit, quia æternis ditatur. Ideo sequitur.

(*Exultatio, in uberibus Ecclesiæ.*)

7. *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.* Sancta anima sponsa Christi, in sponsi sui deliciis exultat, dum corporalia respuit, & in spiritalibus se occuitat. Eundemque sponsum delicias suas facit, in cujus respectu, mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria uberum agit: quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, & quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris ejusdem, sanguinis lacte nutrit; procul dubio magis magisque ejus dilectionem intendit. Quod lac, bene super vinum, dulce esse dicitur: quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis litteram severe prius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur, quod dicitur.

(*Recti, Christiani.*)

8. *Recti diligunt te.* Soli utique recti Christum diligunt, quia quicunque adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt: dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum justitiæ authorem Christum, omnino diligere non possunt. Tunc vero homo per viam veritatis incedit, cum & opera virtutum exequitur,

tur, & tamen peccata sua semper agnoscit. Ideoque & dicit.

(*Nigredo & forma sponsa, per mortificationem.*)

9. Vers. 4. *Nigra sum sed formosa, filia Herusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigram quippe & formosam sancta anima se bene dicit: quia semper & turpitudinem peccatorum suorum perspicit, & tamen illius justitiæ quam in intimis videt, in exterioribus sibi solerter formam gerit. Quæ bene *Sicut tabernacula Cedar, nigra; sicut pelles Salomonis formosa*, dicitur: quia in quantum tenebras mortalitatis pertat, nigredine corruptionis sordidatur. Cedar enim tenebræ interpretatur, Salomon vero, qui Christum significat, pacificus dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit: quia dum Sanctos quosque qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudini per similitudinem se jungit. Ne vero proximi ejus nigredinem intendentes, minus exempla bonorum ejus ad imitationem diligant: turpitudinis causam satisfaciens ostendit, dum ab admiratione sua filias Hierusalem repellit, dicens.

(*Omnis anima sancta, in comparatione Christi, fusca.*)

10. Vers. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Per solem Christus significatur. Sol ergo eam decoloravit, quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi, fulgorem amittit. Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi velut stellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparent: sed mox ut justitiæ Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant. Qualiter vero ad hoc perveneris, ut aliquantulum luceret, ostendit cum subjungit.

(*Mater sponsa sancta Eclesia, cujus filii Apostoli.*)

11. *Filii matris mea pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis.* Mater sponsæ sancta Ecclesia, filii matris, sancti Apostoli exstiterunt. Ante Apostolorum quippe prædicationem, pene totus mundus rebellis extitit, omnis pene anima idolorum se cultibus sordidavit, & cupiditates sceleratas accumulavit. Apostolorum vero prædicatio superveniens, contra omnes verbo pugnavit, in multis regnum dæmonum expugnavit, & regnum Christi id est sanctam Ecclesiam ampliavit. Vinctam *b*) ergo Christo, & sanctificatam congregationem, Apostoli custodem in vineis posuerunt: quia primos credentes in Ecclesias per mundum, ut eas & congregarent & custodirent, disperserunt. Cujus dispersionis causam ostendit, dicens.

(*Vinea, Judaa.*)

14. *Vineam meam non custodivi.* Quid per vineam singulariter, nisi Judæa designatur? Quæ a se fideles expulit, quia custodiri aspernabatur. Prædicatione quippe expugnata, & sponsa Christi facta anima, dilectione ardet, & inquirendo eum, quem diligit, in intimis se exercet, dicens.

(*Qua in meridie Christum requiescere facit.*)

13. Vers. 6. *Indica mihi, quem diligit, anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* In meridie Christum sub umbra pascit, & cubat: qoi in refrigeratione Spiritus Sancti, sibi quasi requiem & pastum parat. Per meridiem quippe, ardor vitiorum exprimitur: per umbram vero, spiritalis gratiæ flatus designatur. Meridie ergo fervente, in umbra Christus requiescit: quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ refrigerium tribuit, & in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi sponsa indicari deposcit, qood nulli unquam declaratur, nisi ei qui idem Sanctificatricis gratiæ munus percipit. Quare vero ad hæc percipienda æstuet, manifestatur cum dicitur.

(*Ne vaga sit post greges passionum.*)

14. *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Vere, in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens quam ille suavis & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. Sed qui sunt sodales Christi, per quorum greges sponsa vagari pertimescit, nisi falsi quique Christiani? Qui aut ob nominis solius, aut etiam Sacramentorum communionem, fratres Christi vocantur: quia electis quos ipse fratres vocavit, in Ecclesia cohabitando, sociantur. Quorum multitudines, bene per exprobrationem greges appellantur: quia dum quasi irrationabilia animalia sine ordine vivunt, seductoribus spiritibus ad devorandum traduntur. Per hujusmodi greges vagatur, quisquis ab intimo desiderio expulsus, reproborum stultitiam per similes cupiditates imitatur. Hos quippe electi cum moleste patiantur, per eorum persecutiones probati, mundiores ad æterna bona perducuntur. Vnde admonetur sponsa, cum per increpationem dicitur.

(*Pugnandum est contra tentationes.*)

15. Vers. 7. Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere & abi, post vestigia gregum. Si ignorat se sponsa, egrediatur & abeat: quia quisquis nescit se in hoc positum, ut tentationes per sufferentiam vincat, a familiaritate Christi recedit: quia in bello positus, cum Domino suo pugnare recusat. Sciendum est enim omnibus quod cum in tentatione sumus, contra aëreas potestates pugnare præcipimur: quia sine victoria, coronari non possumus. Et si adversarius deest, nec est quem vincamus: ideoque corona deerit, quam nonnisi vincentes capiemus. Hoc qui ignorat in bello est & quasi in pace exultat, & eo frequentius vulneratur, quo securior est, quia nescit videre quem caveat. Digne ergo à pugnatoribus *c*) secernitur, ut vestigia gregum sequatur: quia dum prudentes quosque imitari negligit, necessario

repro-

reprobos sequitur, quos stultitia brutis animalibus similes fecit.

(*Hædi, immunda cogitationes: tabernacula pastorum, conventus hæreticorum.*)

16. *Et pasce hædos tuos, juxta tabernaculum pastorum.* Per hædos, immundæ cogitationes designantur: per tabernacula pastorum, conventicula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit, juxta tabernacula pastorum hædos pascit: quia quisquis obsistentibus tentationem gladiis civiliter non resistit, immundas cogitationes quasi hædes lascivos in corde nutrit, & efficitur ei similis, etiam qui à fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habear, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit.

(*Equitatus Israeliticus, multis tentationibus probatus.*)

17. Vers. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Scimus quia equitatus Israëliticus, currus Pharaonis fugiens, in mari demersos reliquit, nec tamen statim terram repromissionis intravit: sed prius multas tentationes in eremo quarraginta annis sustinuir, multos Reges multis laboribus expugnavit; & sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit. Cui bene dicitur, quod subditur.

(*Gena sponsa.*)

18. Vers. 9. *Pulchra sunt gena, sicut turturis.* Turtur postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri sejungit: sed semper solitarie habitans in gemitu perseverat, quia quem diligebat non inveniens, quærit. Sic sancta quæque anima dum a sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat & gemit. Et dum illum quem valde diligit, non invenit: quia ab omni alieno amore se retrahir, quasi in genarum verecundia castitatem cordis, ipso habitu & actu exteriori ostendit. Sequitur.

(*Collum sponsa, prædicatores.*)

19. *Collum tuum sicut monilia.* Per collum sponsæ, Prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus Prædicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt: ut pectus monile vel à rotunditate, id est perfectione. In monilibus, gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides arnamenta exprimuntur. Collum ergo sponsæ, sicut monilia existit: quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator, & sapientia interius se induit, & opera exterius exercet, quæ in sapientia vidit. Cui & adhuc dicitur.

(*Murenula aurea, sacra Scriptura.*)

20. Vers. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ Murenula dicitur: qua designatur prædicatio, quæ in auribus inhæret, & eas penetrat. Murenulis, monilia collo ligantur: quia & sapientia & religio à Scripturis sanctis, Prædicatoribus adjungitur. Per murenulas enim Scriptura sancta intelligitur. Quæ bene aureæ & argento vermiculatæ dicuntur: quia & sapientia Scriptura sancta fulget, & sorona prædicatione per universam mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur. His verbis sponsi sponsa respondet, & per corporeas rerum species amorem intimat, quo spiritaliter intus ardet, dicens.

(*Nardus sponsa, bonum exemplum.*)

21. Vers. 11. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus est herba humilis, quæ gustata frigus expellit, & calefacit membrum. Accubitum suum Rex tunc intravit, quando Dominus noster Jesus Christus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requiescente, nardus sponsæ odorem suum dedit: quia virtus sanctæ Ecclesiæ, suavem famam bonitatis longe lateque sparsit. Ad cœlos enim Dominus ascendit, & Spiritum Sanctum suum super discipulos misit: quo impleti verba salutis mundo prædicarent, & per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe in baptismo unaquæque fidelis anima recipit, ut per eum sibi ex virtutum confessione unguenta componat: & proximos exempli exhibitione, quasi unguenti odore reficiat. Sequitur.

(*Fasciculus myrrha, mortificatio.*)

22. Vers. 12. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Mortuorum corpora myrrha conditi solent, ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorundem mortificationem à putredine luxuriæ restringimus: ne, dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine escam vermibus æternis corpora nostra faciamus. Sed quid est quod dilectum suum sponsa, non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat? Nisi quod dum sancta mens, Christi vitam ex omni parte considerat: contra vitia omnia, ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat: ex quibus sibi fasciculum myrrhæ aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternam abstergat. Qui bene inter ubera commorari dicitur, quia in dilectione Dei & proximi, habitatio Christi sancta ædificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat: & proximi amorem sic exequitur, ut divinum non minuat: procul dubio ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina dilectione, ut fortius inhæreat, delectatur. De quo & adhuc dicitur.

(*Cyprus, ecclesiam designat universalem.*)

23. Vers. 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engadde.* Cyprus insula est, in qua uberiores vineæ, quam alibi, nascuntur. Per Cyprum

prum ergo Ecclesia universalis designatur, quæ multas vineas nutrit, dum in multas Ecclesias divisa, vinum quod lætificat cor hominis, gignit. In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Spiritus Sancti exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hædi. Hædus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hædi, nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus mergitur? anima abluitur; & per illius fidem qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana à peccatis omnibus mundari se credit. Cui mox dilectus respondet.

(*Pulchritudo sponsa, in oculis columbarum.*)

24. vers. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Bis pulchram sponsus suam sponsam vocat: quia cui dilectionem Dei & proximi donat, geminam ei pulchritudinem inserit, qua delectatur & quam laudat. Cujus oculi bene columbarum esse perhibentur: quia dum in temporalibus gemit, & ad æterna desideria rapitur, in simplicate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore, pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur: quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt & lætantur, mens electa in cœlesti desiderio mœrore atteritur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Possunt etiam per oculos columbarum, Ecclesiarum Prædicatores intelligi: qui simplicitatem quam prædicant, servant, & visibilia contemnentes ad æterna cum magnis gemitibus anhelant. Sequitur vox Sponsæ dicentis.

(*Pulchritudo sponsi in divina & humana natura.*)

25. vers. 15. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Pulcher & decorus dilectus dicitur: quia in divinitate & humanitate, omni amanti se menti, sine macula reprehensionis aspicitur. Quem dum sponsa pleno desiderio sequitur, omnium mundi perturbationum obliviscitur: & dum in ejus pace quiescit, magis ac magis decoratur. Unde sequitur.

(*Lectulus utriusque, otii quies.*)

26. vers. 16. *Lectulus noster floridus.* Quid per lectulum sponsæ, nisi otii quietem, intelligimus? Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, & quantum potest ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat: virtutes quibus Sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum cum sponso in pace victoriæ facit: ubi quo quietius pausat, eo amplius flores invenit, quibus se decoratam sponso ostendat. Sequitur.

(*Tigna domorum, sublimiores Sancti; laquearia, simpliciores.*)

27. *Tigna domorum nostrarum Cedrina, laquearia Cypressina.* Cedrus quæ serpentes reprimit & fugat, sublimiores significat Sanctos, Cypressus simpliciores. Per tigna etiam dilectionem Dei possumus intelligere, per laquearia dilectionem proximi: quæ sunt partes virtutis eminentioris in cordibus Sanctorum, qui sunt domus Dei. Cedrina vero & Cypressina ideo dicuntur: quia sicut hæc ligna incorruptibilia sunt, ita charitas nunquam excidit. Per domos plures, Ecclesias intelligimus: per ligna Cedrina Prædicatores designamus: per laquearia Cypressina, ipsos populos figuramus. Tigna enim tectum sustentant, laquearia vero domum implent, & ornant. Sic sic in sancta Ecclesia Prædicatores boni, scripturam divinam in corde & ore portant, quam Fidelibus quasi tectum expandentes prædicant: ut dum Ecclesia prædicatione cœlesti instruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem & Cypressus, imputribilia ligna esse perhibentur, quibus bene omnes electi figurantur: quia dum temporalia nullo desiderio sectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æternis figantur. Respondet sponsus & dicit.

a) MS. *quia.* Impressam lectionem prætuli, tametsi utraque vera, & causalis sit.

b) *Vinctam ergo* &c. Ita legunt MSS. Codices, quamvis Jacobus Hommey legat *Victam*, in *supplemento Patrum* pag. 289. contra fidem MSS. Codicum, & editionum, quæ eodem in sensu legunt *junctam*. Ibi autem non agitur de victoria ut vult citatus Hommeius, sed de congregatione *juncta* seu *vincta Christo*, quam custodem in vineis, Apostoli posuerunt.

c) *Excipitur.* In MS. Codice S. Victoris, utraque vox cum sensu eodem, vel parum discrepanti.

CAPUT SECUNDUM.

(*Christus flos campi & lilium convallium.*)

1. vers. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Bene florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem sponsæ & pulchritudine suæ justitiæ exornat: & naribus cordis dum cœleste desiderium applicat, interiora animæ, quasi odore refocillat. Qui sequitur adhuc & dicit.

(*Amica, anima fidelis: sicut lilium inter spinas seculi.*)

2. vers. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Bene sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur: quia cum multi sint in Ecclesia, qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi mundanas sollicitudines sectantur: sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ dum à mortalitatis radice ad cœlestem pulchritudinem assurgit, & munditiæ candorem corde & corpore sibi ipsi custodit, & proximos quosque bonæ opinionis odore reficit. Sed quia sponsus sponsam suam tanta laude dignam habuit, ipsa jam ex debito laudat, à quo se laudari perspicit, & dicit.

(*Christus inter filios, sicut malus inter ligna sylvarum.*)

3. vers. 3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.* Ligna sylvarum qui hominum habiles fructus non gignunt. Malus vero quod gignit, congrue & salubriter homines comedunt. Merito ergo per malum Christus, per sylvestria vero ligna cæteri homines figurantur: quia in solo Christo cibum salutis, quoties quærimus, invenimus: in ejus verbis & exemplis animas nostras, fructu suavi & salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipse est, qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit. In cæteris vero si quid resocillationis invenimus: non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus: quia quidquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis procul dubio invenimus.

(*Cujus umbra, Spiritus Sancti protectio.*)

4. *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi.* Vmbra Christi, protectio est Spiritus Sancti. Spiritus quippe Sanctus mentem quam replet, obumbrat: quia omnem tantationum fervorem temperat, & dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quicquid noxii caloris sustinebat, expellit. Et quam jam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat: dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligit, quibus ad æternam vitam robustius currat. Sequitur.

(*Cujus fructus, sponsa gutturi suaves.*)

5. *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Arbor quippe fructifera, ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem existit: quam si mens nostra digne diligit, & instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros, & utiles gignit. Quos dum mens capiens avide comedit, omnes mundi voluptates præ ejus dulcedine postponit. Dulce enim est valde sibi cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere: ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, & inter lacrymas sublevata, Angelorum cibo, ipsa videlicet sponsa, quanto dulcius, tanto avidius pascatur. Inde est, quod subdicitur.

(*Quam in cellam vinariam, æternitatis arcanam contemplationem introducit.*)

6. vers. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quid enim per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens, si à sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus, intrat: in qua ex illis Angelicis deliciis quantum sibi conceditur, gustat. Et si adhuc, quia in corpore corruptibili detinetur, se perfecte non satiat: tamen ex illo minimo quod cursim sumit, considerat quantum debeat amare, quod amat. Potest tamen per cellam vinariam, Scriptura Divina figurari. Per hanc quippe in sponsa Charitas ordinatur, quia in ejus doctrina manifeste discitur, qualiter Deus & proximus ordinate diligantur. Hac charitate percussa, sequitur & dicit.

(*Flores, Christiani novelli: mala, perfecti fideles.*)

7. vers. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Per flores, teneri quique & incipientes; per mala vero, perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quæ amore languet, fulciri se floribus & stipari malis appetit: quia dum se æternitatis desiderio afficit, qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit. Sed eo *a*) quod perfectionem dum in carne vivit, omnino non invenit: fatigata in desiderio suo requiescit, & in hoc solo gaudet, si circa se *b*) respicit, vel quibus ipsa proficiat: vel in quorum profectione, consolationem de languore suo recipere possit. Quibus desponso suo, subsequenter hæc dicit.

(*Læva sponsi, vita est præsens: dextra, æternitas.*)

8. vers. 6. *Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Per lævam sponsi vita præsens, per dextram vero vita æterna designatur. Per caput autem sponsæ, mens quæ animo principatur, assimilatur. Sed Læva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, & dextra ejus amplexatur eam: quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit, vitam vero æternam ut omni modo amplexetur, concupiscit. Hæc quippe quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cœlestibus se occupat. Hæc ex necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextro sponsi adstricta, suspirat. In quæ cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit: cujus quietis dilectione, mundanos tumultus omnino fastidit. Sic quiescentem, utique sponsus amplius diligit, & ab ejus excitatione improbos quosque repellit, dicens.

(*Capreæ & cervi, fides, spes & charitas; quibus contemplationis altos montes conscendimus.*)

9. vers. 7. *Adjuro vos filia Herusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoad usque ipsa velit.* Cervi & capreæ, munda animalia in lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos, & capreas: nisi fidem, spem, & charitatem accipimus? Quas dum nobis mundas servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima Christi sponsa, à cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit: ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, solius que in sponsi collocutione quanto quietius, tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem Carnales qui sunt in Ecclesia nonnunquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant: quia ejus vitam inutilem existim nt, dum ab eorum curis eam se abstinentem

tem confiderant. Hi tales fatis congrue non filii, fed filiæ nominantur: quia dum effeminatos mores nutriunt, virili dignitate amiffa, quales interius habentur, exterius nomine fœmineo defignantur. Hi dilectam fufcitare fub adjurationis pondere prohibentur; ne videlicet mentem quæ ad vacandum Deo fe accingit, & folis fpiritalibus ftudiis inhærere concupifcit: importunis follicitationibus inquietent, & tenebras curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non eis omnis cura proximi interdicitur, fed quando fufcitari debeat ejus voluntati relinquitur: quia profecto omni perfectæ animæ difcernendum eft, & quando cœlefti contemplationi ftudeat, & quando proximorum utilitatibus inferviat. Hanc vacandi Deo Licentiam, libentiffime fponfa fufcipit, ftatimque verbum fponfi amplectitur, & dicit.

(*Vox fponfi ad fponfam.*)

10. Verf. 8. *Vox dilecti mei.* Ac fi diceret: Hanc vocem dilecti fponfi mei effe recognofco, hanc ab ejus ore femper audire defidero: quia in hoc video quantum me diligat, cum me ab amplexibus ejus defiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus, qualiter perveniret, fubito narrat, dicens.

(*Saltus fponfi tranfilientis colles, ftupenda Chrifti in humana carne opera.*)

11. *Ecce ifte venit faliens in montibus, tranfiliens colles.* Ad amplexus fponfæ fuæ Chriftus venire difponens, humanitatem noftram dignanter affumpfit. Ad quod Myfterium peragendum, quafi faliens in montibus venit: quia quædam opera inter homines oftendit, quæ valde fublimia & fuper homines effe perfpiciens humanum genus, admirari potuit fed attingere nequivit. Quod enim de Virgine natus eft: quod ad vagientem adorandum ire paftores Angelus admonuit, Magos ftella perduxit: Quod pendens in cruce, qua hora voluit, fpiritum emifit: quod mortuus feipfum tertia die fufcitavit: quod cœlum ingreffus, Spiritum Sanctum quibus fibi placuit, donavit: quod fidei fuæ per pifcatores & idiotas, mundum fubjugavit: hæc faciens, quafi in montibus ambulavit, quo eum creatura nulla affequi valuit. In his nimirum operibus colles tranfilivit, quia Sanctos omnes quantumcunque excreverint, potentia fuæ operationis tranfcendit. De quo & fequitur.

(*Qui fimilis caprea & hinnulo cervorum, quod ex SS. Patribus natus fit.*)

12. Verf. 9. *Similis eft dilectus meus, capreæ hinnuloque cervorum.* Similis capreæ effe dicitur, quia ex Synagoga carnem traxit, quæ per capream oftenditur. Et quia ex antiquorum Sanctorum ftirpe progenitus eft, quafi hinnulus cervorum recte perhibetur. Sequitur.

(*Paries & cancelli, per quos refpicit, humana carnis affumptio eft.*)

13. *En ipfe ftat poft parietem noftrum, afpiciens per feneftras, profpiciens per cancellos.* Quafi poft parietem noftrum Chriftus Incarnatus ftetit, quia in humanitate affumpta Divinitas latuit. Et quia ejus immenfitatem fi oftenderet, infirmitas humana ferre non poffet: carnis obftaculum abjecit, & quicquid magni inter homines operatus eft, quafi poft parietem latitans, fecit. Per feneftras autem & cancellos qui afpicit, partim videtur, partim vero fe abfcondit: Sic & Dominus Jefus Chriftus, dum & miracula per Divinitatis potentiam fecit, & abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quafi per feneftram & cancellos profpexit: quia in alio latens, in alio quis effet, apparuit. Incarnatus itaque, Ecclefiæ fuæ vel unicuique animæ perfectæ loquitur: & ad æternam exhortatur patriam, dicens.

(*Sponfa Chrifti, dicta amica propter fidem, columba ob fimplicitatem, formofa ob operationem.*)

14. Verf. 10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formofa mea, & veni.* Propter fidem Chriftus fponfam fuam amicam vocat; columbam propter fimplicitatem; formofam propter operationem. Quia enim fine fide placere Deo non poffumus, bene per fidem amici vocamur: quia dum fide cœleftia appetimus, abjectis terrenis, Deo adhæremus. Columba vero bene c) anima, propter fimplicitatem dicitur: quia d) anima devota dum fimplicem Deum in cordis fimplicitate perfcrutatur, nequaquam mundi ineptam lætitiam diffoluta fectatur: fed femper ad æterna feftinans, columbæ gemitum pro cantu, diligendo imitatur. Propter operationem anima formofa recte appellatur: quia dum præteritæ vitæ peccata, per bona opera redimit: quafi antiquam turpitudinem, affumpta forma meliori ante fponfi oculos abfcondit. Hanc itaque hortatur Sponfus ut furgat & veniat, quia dignum eft, ut quicunque ad amorem Chrifti properet: carnis torporem quantum poteft abjiciat, & fe ad æterna confequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cœleftia feftinemus per exhibitionem novi Teftamenti à Deo accepimus: ideo recte fequitur.

(*Hyems, Judaica legis aufteritas.*)

15. Verf. 11. *Jam enim hyems tranfiit, imber abiit & receffit.* Quid per hyemem, nifi legis aufteritas intelligenda eft? Quæ dum in carnalibus facrificiis populum antiquum detinuit, ad appetenda fpiritualia & cœleftia, obfervatores fuos non adjuvit. Poffumus etiam per hyemem, vitam præfentem intelligere: quæ dum nos affiduis tentationibus impetit, quafi imbribus importunis ad fequendum Chriftum torpere compellit. Sed jam fponfa furgat, quia hyems tranfiit: quoniam quanto magis dies ultimus inftat, præfens vita recedit: & quo amplius tempus ad terminum ducitur, eo citius currendum eft, ne electa anima oblatis fibi muneribus æternis privetur. Tranfire enim dicitur, quia in proximo tranfitura effe non dubitatur. Sequitur.

(*Flores in terra, sancta anima in cœlum assumpta.*)

16. vers 12. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Flores apparuisse dicuntur in terra, quia sanctæ animæ cum a corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hyems fuerit, à bono opere non torpuerunt: mox ut recesserunt, in terra viventium gloriose floruerunt. Bene ergo sequitur, quod dicitur: *Tempus putationis advenit.* Quia quo amplior electorum numerus in cœlo congregatur, eo celerius reprobi ab Ecclesia tanquam sarmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur.

(*Vox turturis, Ecclesia deprecatio.*)

17. *Vox Turturis audita est in terra nostra.* Quid per turturem nisi Ecclesia? Quid per terram Sponsi, nisi vita beata illa designatur? Sed vox turturis, in terra Sponsi audita esse dicitur, quia dum pro desiderio suo Sancta Ecclesia deprecatur, a Christo in cœlo clementissime exauditur. De quâ recte subditur.

(*Ficus & vinea florentes, Martyria fidelium & bona exempla.*)

18. vers 13. *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.* Ficus quippe protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt: quia Sancta Ecclesia Martyres suos ad æternam patriam præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt: quia per universum mundum, exempla bonorum operum excreverunt. Vineæ utique flores producunt, cum singulæ Ecclesiæ animas prius infideles ad fidei novitatem per baptismum educunt: Sed flores ipsi odorem proferunt, cum credentes animæ exempla bona per suavem opinionem sibi invicem & aliis adspergunt. Sed quia Christus utroque modo exhortationis nos trahit, ut videlicet & præceptis nos admoneat, & exemplis Sanctorum nos erigat: idcirco Sponsæ suæ prius ut surgeret admonendo præcepit, & deinde exempla Sanctorum ad cognitionem adduxit: & post exemplorum exhibitionem, iterum se ad præcepti commonitionem convertit, dicens.

(*Foramina petræ & caverna maceriæ, vulnera Christi passionis.*)

19. vers 14. *Surge amica mea, Soror mea, & veni; columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Surgit anima e), cum a peccati perpetratione se erigit: venit, cum per bona opera desiderii sancti passibus ad cœlestia tendit. Sancta etenim mens cum præteritæ vitæ turpitudines conspicit, cum peccata sua enumerat quæ fecit: mox secum in conscientia erubescit; & quæcunque in mundo dilexerat ad odium sibi transferens, fletibus se punit: & ipsa pœnitentia facta robustior, ab omni inquinatione etiam cogitationis exilit, & ab omni torpore negligentiæ se excutit: ut jam in intimis cogitationibus non jaceat, sed ad appetenda invisibilia per Sancta desideria se extendat. Hæc itaque mens surgit & venit: quia & à torporis infirmitate per compunctionem se erigit, & in sanctis studiis se exercens, ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina autem petræ, vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis, libenter intellexerim: cavernam verò maceriæ, vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur: quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit: quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum quo convalescat, invenit. Possunt tamen per foramina petræ, Incarnationis Christi sacramenta signari: & per cavernam maceriæ, ipsa protectio Angelicæ custodiæ figurari. In qua custodia cum anima ponitur, bene ei à Sponso dicitur.

(*Facies Sponsæ, fides: vox Sponsæ, prædicationes.*)

20. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quid enim per faciem, nisi fidem qua à Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit Sponsus, ut ei Sponsa faciem suam ostendat: quia quicunque se fidem dicit habere, necesse est ut in bonis operibus se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut vox prædicationis sequatur, quia quicunque in sanctis operibus se dilatat: consequens est ut ad eadem facienda, proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Tunc enim & vox placet, & facies decoratur: quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera constantur. Hujusmodi prædicatoribus, consequenter dicitur.

(*Vulpes demolientes vineam, hæretici.*)

21. vers 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Per vulpes Hæretici, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed vulpes vineas demoliuntur, quia per hæreticos Ecclesiæ à recta fidei viriditate exsiccantur. Quæ bene parvulæ dicuntur, quia quamvis contra veritatem intus superbiant, exterius tamen in verbis humilitatem per simulationem sectantur. Quæ tunc à Sanctis prædicatoribus capiuntur, quando instante altercatione, sententiis veritatis convincuntur. Prædicatores quippe Sancti aliquando canes per similitudinem dicuntur, quia prædicationibus assiduis quasi latratibus importunis, adversarios quosque à grege ovium arcere nituntur. Isti canes, vulpes Christo capiunt: quia ducem suum dum fideliter diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiversantes hæreticos ab involutionibus quæstionum, quasi à tenebrosis caveis, ad lucem veritatis educunt. Quare verò vulpium demolitio timeatur, manifestatur cum dicitur.

(*Vinea florens, Ecclesia per baptismum filios sibi congregans.*)

22.

22. *Nam vinea nostra floruit.* Vinea quippe floruit, quia Sancta Ecclesia per baptismum filios ad fidei novam conversationem perduxit. Quibus timendum est, ne ab Hæreticis depraventur: quia dum quique fideles in novitatem Christi regenerantur; quo quisque tenerior est, eo citius ad pravitatem seducitur. Floribus omnino timendum est, ne pereant: quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitium diuturnum non convaluit, facile si à dente venenoso mordetur, ab hoc quod natus fuerat, evanescit. Perfecta anim quæque anima in quo se jamdiu exercuit, facilè non amittit: quia quò frequentius palato intimo quàm dulcis sit Dominus gustavit: eo constantius Sponsi rectitudinem tenet, & distorta fastidit. Quæ prosequitur convenienter, & dicit.

(*Amicitia Sponsi constans.*)

23. vers 16. *Dilectus meus mihi, ut ego illi.* Ac si diceret, Dilecti mei amicitiam constanter teneo: quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio: quia dum ejus familiaritatem benignam habeo, durum mihi est quicquid ei adversum inimicos latrantes audio. Et dum in ejus assiduitate qualis sit video, si quid *f*) erroris proferunt adversarii, à veritate quam in ejus visione cognovi, non recedo. De quo bene sequitur.

(*Lilia designant animas mundas.*)

24. vers 17. *Qui pascitur inter lilia, donec adspiret dies, & inclinentur umbra.* Quid per lilia, nisi mundæ animæ designantur? Quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia Sponsus ergo pascitur: quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant: & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis, quasi odoris suavitatem, donant. Dies verò tunc adspirabit, & umbræ inclinabuntur: quando vita æterna apparebit, & præsens vita finietur. Hìc quippe nox est, ibi verò dies erit: quia hìc in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit. Ad hanc prorsus diem sanctæ animæ enituntur, ut perveniant. Propter hanc, justitiam illibatam, in quantum possunt, conservant: & quia sine Christo nihil possunt, ejus auxilium invocant, ejus familiaritatem desiderant. Quarum dum mentem considerat, prope est benignus & adjuvat: & quo amplius proficiunt, eo familiarius semper amat: donec finitis tenebris mundi, ad vitæ æternæ lucem perfectas educat. Quam lucem quia valde desiderant, eamque cum Dominus ad judicium venerit, videndam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt.

(*Reversio Sponsi, ejus est ad judicium adventus.*)

25. *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum, super montes Bethel.* A nobis dilectus corporaliter tunc abiit, quando post Resurrectionem in cœlum ascendit. Tunc autem revertetur, quando in fine mundi resuscitatis corporibus hominum, omnibus in judicio manifestabitur. Qui verè similis capreæ & hinnulo cervorum apparebit: quia in carne nostra veniens ad judicium, omnibus se monstrabit. Per capream enim, quæ mundum est animal, Ecclesia designatur: quæ dum in cœlestibus mente habitat, quasi in montibus pascitur. Per cervos autem quid aliud, quam Patres antiqui designantur: ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo est præsentatus? Bethel autem, domus Dei interpretatur: quæ bene Ecclesia Dei dicitur, quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel, similis capreæ hinnuloque cervorum apparebit: quia in ea humanitatis forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia sumpsit: quando in hoc mundo ex Patrum progenie, quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui verè & similis capreæ; & super montes Bethel apparebit: quia & ex humanitate quidem similis Ecclesiæ erit, & tamen super ipsos summos, qui quasi montes excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit. Qui dum venire moratur, quia eum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur.

a) *Eo quod perfectionem.* Ita nos restituimus, nam pessimè atque corruptissimè Jacobus Hommey *In Supplemento Patrum* pag. 300. posuerat, *Sed perventionem*: absque ullo prorsus sensu.

b) *Si circa se respicit.* MS. Codex S. Victoris legit *prospicit*: utrumque rectum, sed rectius primum.

c) *Anima.* Hìc pro *anima*, pessimè & sine sensu *amicam* legit Jacobus Hommey, *in Supplemento Patrum* pag. 303. Neque ibi agitur an columba sit dicenda propter simplicitatem *amica*: sed an anima ob eandem simplicitatem columba dici possit.

d) *Anima devota.* Hæc duo verba abstulerat Jacobus Hommey, MS. suum Codicem secutus, quæ tamen in aliis adsunt, & ad integritatem sensus conducunt.

e) *Anima.* Ita restitutum cum editis omnibus, legente perperam *amica*, Jacobo Hommey loco citato p. 306.

f) *Erroris.* MS. Codex Victorinus, *terroris* habet, haud dubium culpâ amanuensis.

CAPUT TERTIUM.

(*Lectulus, secessus est à perturbationibus, in quo quæritur Dilectus: qui tamen hìc non invenitur.*)

1. vers 1. *In lectulo meo per noctes, quæsivi quem diligit anima mea.* Lectulum sibi sancta anima in nocte facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. In hoc lectulo, quem diligit, quærit: quia dum ab omnibus sollicitudinibus mun-

mundi vacat, in ejus inquisitione quomodo ad illum perveniat, non quiescit. Notandum est autem, quia per noctes quærit: quoniam qui modo in hoc mundo vivit, perfectè tenebras temporalitatis à se non excutit. Quas quo graviores patitur, eò ferventius quærit eum, quo invento tenebras amplius non patietur. Sed quia quem quærit, nunquam perfectè in hoc mundo invenit, ideo subjungit: *Quæsivi illum & non inveni.* Quia verò maximo desiderio æstuat, & quicquid tenet, ei non sufficit, donec Dilectum inveniat: ideò constantiam inquisitionis subjungit, dicens.

(*Per civitatem Ecclesia designatur, per vicos viri spiritales; per plateas, seculares.*)

2. vers. 2. *Surgam & circuibo civitatem per vicos & plateas, quærum quem diligit anima mea.* Quid per Civitatem in hoc loco, nisi Ecclesiam; quid per vicos civitatis, nisi spiritales quosque accipimus? Qui dum ad cœlestia toto corde gradiuntur, augustam viam tenent, qua ad vitam perducantur. Per plateas autem seculares designantur, qui dum voluptates suas multas sequuntur, latas vias gradiuntur. Surgit ergo Sponsa, & civitatem circuit: quia perfecta anima, quæ visibilia fastidit, omnes Sanctos qui sunt vel fuerunt in Ecclesia, mente conspicit: Si quid fortè in eorum actibus reperire poterit, quod imitando ad Sponsi inventionem aliquando pervenire possit. Per vicos autem & plateas quærit, quia dum per bonorum imitationem ad dilecti familiares amplexus, pervenire satagit: non solum in spiritalibus, sed & in ipsis etiam carnalibus aliquando invenit, quod imitari digne possit. Sed postquam laborem geminatum inquisitionis insinuavit, iterum difficultatem inventionis subdit, dicens: *Quæsivi illum, & non inveni.* Sed dum quærit & non invenit, ipsa etiam quæritur & invenitur, & ideo subditur.

(*Vigiles, Ecclesiæ Doctores, Sponsam inveniunt.*)

3. vers. 3. *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Quid per vigiles, nisi Doctores Ecclesiæ designantur? Qui dum lucrandis animabus & scriptis & dictis invigilant, ubi sancti desiderii aliquantulum sentiunt, augmentare ad melius nunquam cessant. Hi Sponsam quærentem inveniunt, quia piam animam Christum invenire satagentem excipiunt: & ut citius inveniat præceptis instruunt, exemplis accendunt. Quos illa interrogans, dicit.

(*Quos meritò Sponsa interrogat.*)

4. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Bene eos Sponsa interrogare dicitur: quia dum eorum Scripta vel verba vel vigilanti studio perscrutatur, tanquam præsentibus, etiam absentibus animi intentione loquens, quid de Christo senserint, sciscitatur. Quia verò dum in eos omnino intendit, nunquam Sponsum invenit, consequenter subjungit.

(*Quibus prætermissis, Sponsum invenit.*)

5. vers. 4. *Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Paululum vigiles transit, & dilectum invenit: quia dum eos puros homines esse cogitat, ad Divinitatem mentem erigit, ibique Sponsum suum supra homines, Patri æqualem cognoscit. Quem tunc invenisse se dicit, cum sanctis laboribus adjuta in ejus Divinitatis claritatem oculum fidei, tanquam per speculum contemplando, aliquantulum figit. Quod tantillum quanta aviditate mentis suscipiat, ostendit, dicens.

(*Quem Sponsa, id est, Ecclesia tenet, donec ad cubiculum matris suæ, id est, ad Judæorum Synagogam convertendam, in fine seculi introducet.*)

6. *Tenui eum, nec dimittam: donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Mater Ecclesiæ, Synagoga extitit: quia ex ipsa sanctos Prædicatores habuit, à quibus verbum veritatis suscepit, per quod in fide generata fuit. Tenet ergo Sponsum Ecclesia, donec in domum matris eum introducat: quia usque in finem mundi ab ejus fide, & opere & amore non recedit, donec ad fidem Judæos adducat. Non quod postea recedat: quippe quem in exilio diligit, in patria videns amplius amabit: sed de illo tempore dici debuit, de quo à quibuslibet propter obsistentes tentationes dubitari potuit. In Domum ergo matris dilectum introducit, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Judaicam Christiana Sacramenta immittet. In cubiculum autem, quasi in secretiorem partem domus eum introducet: quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, & in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Hujusce modi homines, cubiculum faciunt Sponso: quia dum à se omnes sordes cupiditatis abjicient, quasi secretum locum in mente, in quo delectetur, component. A quorum inquietatione, in eis delectabiliter pausans Sponsus, improbos prohibet iterum, dicens.

(*Adjuratio filiarum Jerusalem.*)

7. vers 5. *Adjuro vos filiæ Hierusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In hoc utique ostendit, quia ejusdem perfectionis quosdam de Synagoga post conversionem inveniet, cujus de Ecclesia quamplurimos invenit: dum in eorum quiete similiter delectatus, ab eis inquietatores prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem Synagoga, Ecclesiæ mentem per opera, quæ videt, conspicit, & sublimitatem ejus valde admirans dicit.

(*Ecclesia sive qualibet anima sancta, ascendit de deserto, deliciis affluens.*)

8. vers 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* In deserto, utique in hoc mundo, Ecclesia sive sancta qualibet anima vivit, dum à regno exul inter bestias, dæmones videlicet, degit. Hic enim etsi non omnino à Sponso deseritur: tamen dum in carne est, nondum ad certam ejus visionem admitti-

titur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur: quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat: quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso ejus desiderio se reficiat: ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. Sunt quippe nonnulli, qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cœlestia erigunt: & quia in infimis nihil quod eis dulcescat conspiciunt, totum cor ad superna amanda convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, censum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad Invisibilia tendunt: & quo ampliori desideriu illis inhærent, eo magis ac magis molestè corruptionem ferunt quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt: quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quo amplius dum hîc morantur, deseri metuunt: eo quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa gradiuntur: in quibus cum fuerint, nihil amplius quod eos amoveat jam timebunt. Bene autem *Sicut virgula fumi* ascendere dicuntur: quia & odorem bonæ famæ, & subtilitatem mentis habere sciuntur. Non autem quarumlibet rerum fumus iste esse dicitur, sed *Ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii* exire declaratur: Myrrhâ quippe mortuorum corpora condiuntur ne putrescant; thura verò accenduntur, ut redoleant. Per myrrham ergò carnis mortificatio designatur, per thus verò orationis munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat: quasi myrrham mortuo corpori adhibet, ut post judicium à corruptione æterna sanum permaneat. Cum verò se ad cœlestia majori desiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abjicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit: in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsam mens in conspectu Dei, igne charitatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit: ut coram Dilecto suave redoleat, & proximos quosque ad ejus amorem per bona exempla concitare non desinat. Sed notandum quòd non ait *universi pigmenti*, sed *universi pulveris pigmentarii*. Pigmenta quippe facimus, quando virtutes congregamus in corde: quando verò ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quod in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat: tunc procul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus: ut eo mundiora sint opera nostra, quo subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes Dilecto suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt: & dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo Sponsus requiescat, in seipsis componunt. De qua requie subditur.

(*Sexaginta fortes, qui Lectulum Salomonis ambiunt, perfecti omnes, qui in Ecclesia fuerunt.*)

9. vers 7. *En Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël.* Salomon quippe, pacificus interpretatur. Quid ergò per Salomonem, nisi Christus intelligitur? de quo scriptum est: *Ipse est pax nostra, Ephes. II, 14.* qui fecit utraque unum. Salomoni ergo lectulum facimus, quando à mundi sollicitudinibus omnino cessamus: dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique ut nobiscum pauset, cor ab omni terrenâ cupiditate mundamus. Denarius autem numerus si per senarium numerum multiplicetur, nimirum sexaginta complentur. Per denarium itaque, Decalogum legis accipimus: per senarium autem, totum hoc tempus intelligimus quod sex diebus operatoriis volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes, omnes perfectos, qui fuerunt ante nos in Ecclesia, intelligimus: qui dum decem præcepta legis, quo spiritalius, eo fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum perfecerunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt: quia mentem sanctam, in qua Christus pausat, verbis & exemplis muniunt: quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt, dum ipsam mentem exemplis sustinent, Scriptis muniunt.

(*Qui gladium tenent, ad bella fortissimi.*)

10. vers 8. *Hi tenent gladios, & ad bella doctissimi* existunt: quia dum ii verbum Dei opere complent, quod corde sciunt, magis ac magis semper docti, hostem suum dæmonem scilicet, sapientia & fortitudine vincunt. Per gladium enim, verbum Dei designatur: per manus autem quibus gladios tenent, ipsa opera figurantur, de quibus bene subditur.

(*Quibus ensis ad femur ob timores nocturnos, est mortificationis, rigor contra carnis luxuriam.*)

11. *Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* Quid per ensem, nisi rigorem conversationis; & quid per femur, nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique, qui jam ad perfectionem vitæ provecti sunt, propter timores nocturnos ensem super femur suum ferunt: quia rigore conversationis appetitum carnis assiduè frangunt, ne hostis, quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens mollem aditum inveniat: & per voluptatis mollitiem eo facilius, quo voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat. De laude itaque Salomonis adhuc subditur, cum dicitur,

(*Ferculum Salomonis, mysticè expositum.*)

12. vers 9. & 10. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit, propter filias Hierusalem.*

Li-

Ligna Libani imputribilia esse asseruntur, ferculum ergo fecit sibi Rex Salomon, de lignis Libani: quia secundum præscientiæ suæ gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de in æternum permansuris Sanctis construxit. *Columnas ejus fecit argenteas:* quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, qui & ut eam exemplis sustentarent, magnâ justitiæ rectitudine roboravit: & ut prædicationibus erudirent, nitore eloquii, quasi splendore argenti, decoravit. *Reclinatorium aureum fecit:* quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis Divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In qua contemplatione dum eis pulchritudinem cœlestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis composuit: quia locum, in quo se refocillantes requiescant, apposuit. Quod reclinatorium bene *aureum* esse dicitur: quia *Melior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, ei non possunt comparari, Prov. III, 15.* Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur: ita ut etiamsi necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur: ideo adscensus rectè purpureus esse dicitur. Dum enim Sancti quique Martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt: nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam, per ascensum purpureum ascenderunt? Sed nos miseri quid agimus, qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non sumus: quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus? In ea *reclinatorium aureum* non habemus: quia terrenis cogitationibus involuti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus, Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus: quia voluptatibus vacantes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur aliquantulum, quod de hoc ferculo dicitur.

13. *Media charitate constravit, propter filias Herusalem.* Quid enim per filias Herusalem, cum non filios sed filias dixerit, intelligimus? Nisi nos debiles, qui in Ecclesia non viri, sed fœminæ sumus: quia contra vitia fortiter non reluctamur, viriliter non resistimus, muliebriter subjacemus. Herusalem enim visio pacis interpretatur, per quam Ecclesia, quæ est mater nostra, designatur, eo quod assiduè pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo Regis, columnæ aureæ non sumus, reclinatorium aureum non habemus, per ascensum purpureum ascendere non valemus: Saltem charitatem quæ communis omnibus electis, quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe Rex Salomon, nos in ferculo suo esse cognoscit: quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Herusalem etiam media charitate constravit: quia cum Ecclesiæ membris ad eandem Sponsi beatitudinem pervenimus, si charitatem indefessam observamus. Sequitur.

(*Salomon Christi figura, quem diademate beata Maria coronavit: dum ei carnem ministravit, ad complendum Incarnationis Sacramentum.*)

14. VERS. 11. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ ejus.* Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronavit eum diademate: quia humanitatem nostram ex ea ipsa assumpsit, sicut in Evangelio recitatur. Et hoc in die desponsationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus factum esse dicitur: quia quando unigenitus filius Dei Divinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam Sponsam suam sibi assumere placuit: tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex matre virgine suscipere voluit. In qua cum doloribus pro tempore vivens, de redemptione nostra vehementer exultavit. Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione, non gloria verbi Dei sed humanitas esse cognoscitur: quomodo humanitate nostrâ quasi diademate coronatus esse dicitur? Sed cum ipsa ejus Incarnatio, verè gloria nostra fuerit: quia membra ejus sumus propter communionem corporis: diadema membrorum, bene capitis, Scriptura prædixit. Hic itaque quia à Sponsa laudatur, & ipse vicissim Sponsam laudare dignatur, dicens,

CAPUT QUARTUM.

(*Pulchritudo Sponsæ, in oculis columbarum, qui designant prædicatores.*)

1. VERS. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es & decora, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Quia hæc superius exposuimus ut potuimus, nunc eadem repetere propter brevitatem servandam devitamus. Sed quia hic adjunctum est, *absque eo quod intrinsecus latet:* videndum est, quomodo superioribus conjungatur. Pulchra est ergo Sponsa, & oculi ejus columbarum absque eo quod intrinsecus latet: quia valde honestum est quidquid in exterioribus operatur, quod simpliciter inter homines conversatur: quod ea, quæ videt temporaliter, concupiscere dedignatur: etsi quid tamen in hoc mundo placet, post concupiscentias suas ire detestatur. Sed vehementer pulchrius & honestius est, quod cordis desiderium illibatum retinere conatur: quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta & sublimia contemplatur: quod in his quæ interius videt, suaviter requiescit, & mundatur. Sequitur.

(*Capilli autem populos.*)

2. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Si per oculos Prædica-

catores Ecclesiæ designatur, quia cæteris viam ostendunt: bene per capillos, populi figurantur, quia eidem Ecclesiæ ornatum tribuunt. Capilli ergo sponsæ, sicut grex caprarum esse dicuntur: quia populi Ecclesiæ, dum præcepta legis ruminantes, cœlestia fide contemplantur: munda sunt animalia, & in altis pascuntur. Galaad autem, acervus testimonii interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem Martyrum intelligimus? Qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium veritati, etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum, de monte Galaad ascendit: quia populus Ecclesiæ eo magis fide se ad æterna suspendit, quo fortius sanctos Martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit. Sequitur.

(*Dentes quoque prædicatores significant.*)

3. vers. 2. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lavacro.* Sicut per oculos, prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur: similiter & dentes ejusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, & parvuli nutriuntur. Dentes quippe bene, sancti prædicatores vocantur: quia dum sanctam Scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem parvulis tanquam matres filiis commasticant, quo infirmi ad fortiora convalescant. Hi nimirum bene, sicut grex tonsarum, qui ascenderunt de lavacro, esse dicuntur: quia dum se à peccatis omnibus in baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt: ut ad cœlestia consequenda & prædicanda, quo liberius, eo facilius gradiantur. De quibus subditur.

(*Qui omnes gemellis per fæcunditatem fœtibus.*)

4. *Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Gemellos fœtus, omnes sancti prædicatores habent; quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines supereminent, geminam dilectionem prædicant: & in ea duos populos Judaicum & Gentilem, gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis, quia profecto Prædicator non est dicendus, si filios spirituales gignere contemnit. De quibus adhuc subditur.

(*Vitta coccinea, labia eorundem, quorum dulce eloquium.*)

5. vers 3. *Sicut vitta coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce.* Iidem prædicatores, labia Ecclesiæ dicuntur: quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderate diffluant, reprimunt. Sed quid est, quod non tantum vittæ, sed coccineæ comparantur? Nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, qua illi ardent, & per eos alii accenduntur: per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur, quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus, quasi sapidas escas apponunt. Sequitur.

(*Genæ sicut fragmen mali punici, eosdem prædicatores exprimunt.*)

6. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Quid per genas Ecclesiæ, nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus? Qui dum in populis ut eis proficiant, eminent: quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent. Per malum autem punicum, ipsa Ecclesia designatur: quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. Fragmen ergo mali punici, sancti prædicatores existunt: quia dum se ut grana in divino servitio cæteris fortius affligunt, dum omnia mundana contemnunt, dum voluntates suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant: dum seipsos humiliant & cæteros extollunt, & dum per exempla sua cæteros nutriunt, quasi fracti & aperti se cibos offerunt. Sed quamvis magna sint quæ extrinsecus apparent, majora tamen in occulto retinent, quæ Divini oculi soli vident. Ideo subjunctum est: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Sequitur.

(*Iidem collum sponsæ, & turris David.*)

7. vers 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Collum quippe extendimus, quando largius prospicere volumus. Propter aliud ergo sancti prædicatores oculi, propter aliud dentes, propter aliud autem genæ, & collum propter aliud, convenienter vocantur. Bene igitur sicut turris David, collum sanctæ Ecclesiæ dicitur: quia sancti prædicatores, procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur, & fortiter resistunt: si quid in Ecclesia lædere conantur, & libere terrena despicientes, cœlestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris vero dicuntur propter fortitudinem, & propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris recte David esse dicitur: quia David manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cujus est quidquid forte & excelsum operantur. De qua subditur: *Quæ ædificata est cum propugnaculis.*

(*Armatura mystica, turris Davidicæ.*)

8. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cum propugnaculis, turris David ædificata dicitur: quia sancti Prædicatores, contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt: quia ne spiritalibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus *omnis armatura fortium* pendet: quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus hostes strenue valet superare. *Mille* autem hic pro perfectione ponitur: quia in millenario numero, omnes numeri perfecti complentur. Sequitur.

(*Duo ubera sponsæ, duo prædicatorum ordines.*)

9. vers 5. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec adspiret dies, & inclinentur umbræ.* Per duo ubera, duo prædicatorum ordines, unus in circumcisione, alter in præputio, designantur. Qui bene, sicut duo hinnuli capreæ dicuntur: quia & filii Synagogæ existunt, & in montibus contemplationum pascuntur. Gemelli vero ideo dicti sunt,

funt, quia concorditer prædicant & concorditer sapiunt. In liliis vero pascuntur, *Donec adspiret dies & inclinentur umbra*: quia munditiam infatigabiliter sectantur, donec in die judicii præmia recipiant, quæ in labore noctis assidue contemplatur. Sequitur Sponsus dicens.

(*Mons myrrha & collis thuris, altitudo & arduitas contemplationis.*)

10. vers 6. *Vadam & montem myrrha, & ad collem thuris.* Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere; & quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? *Ad montem* ergo *myrrha, & ad collem thuris*, sponsus vadit: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes, suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus, sancta Ecclesia vel unaquæque anima munda efficitur: quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur: sordes lavat ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cujus conatum ad effectum sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benigne laudat & dicit.

OBSERVATIO.

Huc usque, Lector, nullum vel pauca sacræ scripturæ testimonia, reperire est ab Interprete allegata, nullum diffuse atque expositorie laudatum: qui nudam suæ mentis expositionem textui Scripturæ adposuit, nec ex aliis sacrorum librorum locis sententiam suam stabilivit. At deinceps, amicorum suorum consilium ut ipse præfatur, secutus: juxta præfationem suam seu Epistolam ad Ansfridum Abbatem de Pratellis, cum diversam expositionis viam amplexus sit, collegeritque ex libris canonicis *Exempla quibus brevitatis studio strictius exposita, suaviora legenti redderentur*: æqum duxit priorem posterioremque methodum Commentarii, ipsa Librorum distinctione secernere, in his Capitis quanti Canticorum verbis, quæ exemplorum seu authoritatum adjectionem suscipiunt. „*Vadem ad montem myrrha & ad* „*collem thuris*: Hoc dicto, inquit, & exposito, „finiatur Liber primus: incipiaturque Secundus „sic oriens, *Tota pulchra es amica mea* &c. Cui „ut obtemperemus, sit„

LIBER SECVNDVS.

(*Anima est sponsa, tota pulchra, per quotidianam à peccatis pænitentiam.*)

11. vers 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cum scriptum sit: *Nemo vivis sine peccato, nec infans, cujus vita est unius diei, super terram*: Quid est quod sponsa tota pulchra esse dicitur, in qua macula non habetur? Alibi quippe scriptum est: *Stella non sunt munda in conspectu ejus. Job. XXV, 5. Jac. III, 2.* Et alibi, *In multis offendimus omnes.* Et Joannes Apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est.*

(*Advertis lector hic & infra, novam methodum, ipsa tot sententiarum sacra scriptura congerie.*)

Et idem, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur, & veritatem non facimus. 1. Joan I, 8. & 10.* Sed dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lacrymis abluit, & a majoribus se observat: quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam, munditiam suam assidue servat. Hinc enim alibi præcipitur, *Semper sint vestimenta tua candida: Eccl. IX, 8.* & illud, *Justus autem ex fide vivit. Rom. I, 17.* Quamvis enim mox, ut peccat, a justitia deviet: tamen dum semper credit in eum, qui justificat impium, & assidue sub ejus fide peccata sua deflet: per assiduas ablutiones, justitiam suam retinet. Se igitur ita mundanti Sponsæ, consequenter dicitur.

(*Libanus baptismi lavacrum designat.*)

12. vers 8. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum, nisi baptisma intelligitur? In quo Sancta Ecclesia aqua abluitur, & a peccatorum nigredine per Spiritum Sanctum, quem recipit, & per Christi fidem dealbatur. Vnde scriptum est, *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor. Psalm. LI, 9.* De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit: quia in Christi baptismo fidem percipit, sub qua cum Christi gratia meretur, ut præmium recipere possit. Sed quid est quod ter dicitur, *Veni?* Nisi quia in fide & in spe & in charitate, quidquid operatur, subsistit: ut his tribus munita virtutibus, robur habeat, per quod in via non lassescat. De fide enim dicitur, *Fide mundans corda eorum. Act. XV, 9.* Et iterum: *sine fide impossibile est placere Deo. Hebr. XI, 6.* De spe autem dicitur, *Non confundentur omnes, qui sperant in te, Domine. Psalm XXI, 5.* Cui iterum dicitur: *Quis enim in te speravit, & derelictus est. Eccl. II, 12.* De charitate autem dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. IV, 8.* & iterum: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor. XIII, 3.* Et Joannes Apostolus: *Deus charitas est. 1. Joan. IV, 8.* Potest tamen & aliter intelligi quod ter dicitur, *Veni:* Venit enim Sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona quæ potest operatur. Venit, quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, à carne exuitur. Venit tertio, quando in die judicii ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cœlestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur, ibi jam omnino prostratis & exclusis hostibus, gloriose coronatur. Ideo & hic per promissionem sequitur.

Ama-

(*Amana, Savir & Hermon, potentes hujus seculi præfigurant.*)

13. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Savir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Quid per Amana, Savir & Hermon, nomina videlicet montium, nisi potentes hujus seculi intelliguntur? Qui quanto ditiores, tanto excelsiores & firmiores apud infirmos esse videntur. Sed de his montibus Sancta Ecclesia coronatur: quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo suo omnia, quæ mundi sunt, vilia esse demonstrat: ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat, & sibi ipsi pro eorum acquisitione, coronam in cœlestibus parat. Sic quippe fit, ut humiles superbos prosternant, & infirmi excelsos inclinent. Ideo scriptum est: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Isai. XL, 4.* Sed quid est quod non solum de montibus, sed etiam de capitibus montium coronanda esse dicitur: nisi quod impletum esse videmus, quia jam ipsæ excelsiores personæ in Christum credunt, & ejus præceptis, per Ecclesiæ prædicationem, obediunt. Reges enim & Imperatores Christo serviunt, coronas deponunt, & per pœnitentiam in Ecclesia veniam petunt. Si itaque per capita montium, summas personas intelligimus: bene per cubilia leonum & montes pardorum, Principes quique & Ministri designantur, qui crudelitati inserviunt, & dolositatibus suis, quos vi non possunt lædere, decipiunt. Pardi quippe maculas in cute semper portant, per quos qui alii, quam hyppocritæ vel discordes significantur? In illis quippe qui crudelitatem sectantur, dæmones tanquam leones cubant: in illis vero quasi pardi, montes ædificant, quos dum vitiis suis aliquas virtutes admiscere consentiunt, pro omnibus bonis suis laudis glotiam affectare compellunt. Hi itaque vere pardorum varietatem imitantur, quia dum cum virtutibus etiam vitia sectantur, quasi in vario corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus Leonum & de montibus prædorum, Ecclesia coronatur: quia dum per ejus prædicationem, & crudeles ad pietatem, & hyppocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur: pro his omnibus præmium percipiet, quod meretur. Cui iterum dicitur.

(*Sponsus, uno sponsæ Crine vulneratur.*)

14. vers 9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Per oculos sponsæ, sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sicut dictum est, designantur. Per crines vero, populi multitudo figuratur: per collum autem, sancti capitis & corporis conjunctio demonstratur, quæ fides Ecclesiæ intelligitur. Per hanc enim caput & corpus conjungitur, dum Christo quisque eo tenacius inhæret, quo fidelior in bona conversatione habetur. In uno ergo oculorum, & in uno crine colli sponsæ, sponsus vulneratur: quia profecto usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum & plebis, in Ecclesia confirmetur. De cujus dilectione erga sponsam, iterum subdit sponsus.

(*Mamma Sponsæ, dilectio Dei & proximi.*)

15. vers. 10. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa.* Quid per mammas convenientius in hoc loco, quam ipsa dilectio Dei & proximi, de qua superius diximus, intelligitur? Per quas mens sancta omnes sensus suos suavi delectatione nutrit, dum Deo suo charitatis tenacitate conglutinatur, & proximis, si quid utilitatis habet, quomodolibet libenter impendit. Has mammas Sponsæ quantum Sponsus diligat, in repetitione laudis aperte manifestat, dicens: *Pulchriora sunt ubera tua vino.* Quod superius de sponsi uberibus diximus, hoc & hic cum de sponsa loquitur, intelligi posse existimamus. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Per unguenta quippe ipsæ virtutes, quæ ex charitate oriuntur, intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent, quia virtutes quasdam possident, & bona opera perpetrant. Sed quia sine charitate vivunt, in conspectu Dei nulla, quæ faciunt, placent. Unde in Judicio cum dicent: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Respondebitur eis: *Nunquam novi vos, Discedite à me omnes operarii iniquitatis. Matth. VII, 22. & 23.* Bene ergo unguenta Ecclesiæ, super omnia aromata redolere dicuntur: quia etsi opera reproborum aliquando hominibus placent, hæc quæ sancta Ecclesia ex charitate conficit, in divinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur.

(*Labia Sponsæ, prædicatores Ecclesiæ.*)

16. vers 11. *Favus distillans, labia tua Sponsa.* Prædicatores Ecclesiæ, bene labia sponsæ dicuntur: quia per eos populis loquitur, & per eos ad fidem parvuli quique erudiuntur: dum per eos occulta Scripturæ, quasi cordis latentia, manifestantur. In favo autem mel latet, & cera videtur. Recte ergo labia sponsæ, favus vocantur: quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando vero electus quisque prædicat, quando cœlestia gaudia nescientibus revelat, tunc favus distillat: quia quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat. Unde scriptum est: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. 2. Cor. IV, 7.* Ideo subditur.

(*Qui lac & mel, dulcedinem sapientiæ, sub lingua habent.*)

17. *Mel & lac, sub lingua tua.* Nimirum falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent: quia cœlestia gaudia aliquando prædicant tanquam vera sint, cum ipsi terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens, mel in lingua prætendit: quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audientes tanquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit: quia congru-

enti sibi doctrina parvulos quosque in Ecclesia nutrit: sub lingua autem hæc omnia sibi ipsi reservat, quia internam dulcedinem assidue secum portat. Dum enim terrena abjicit, dum vitiorum amaritudinem respuit: in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, qua robur colligit: ut ad æterna gradiens, in labore vix lassescere non possit. Cui bene dicitur.

(*Quorum vestimentorum odor, opera sancta.*)

18. *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Quid per vestimenta hæc, nisi sancta opera designantur? quibus præcedentium malorum turpitudo operitur, ne videatur. Hinc enim scriptum est: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videatur turpitudo ejus. Apoc. XVI, 15.* Thus vero per significationem, pro oratione ponitur, sicut scriptum est: *Ascendat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Psalm CXLI, 2.* Sancta itaque anima in hoc mundo, quanta potest bona opera operatur, & bene operans desiderio & intentione sancta ad æterna se extendit: Nihilque boni agit, nisi ea intentione, ut ad cœlestia, quæ diligit, quandoque pervenire possit. Bene igitur odor vestimentorum ejus, sicut thuris esse perhibetur: quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi intentione, ea, quæ potest, bona operatur. Sequitur.

(*Hortus conclusus & fons signatus, tum sancta Ecclesia, tum qualibet fidelis anima.*)

19. vers 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus, sancta Ecclesia existit: quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus, conclusus bene esse dicitur: quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. Vnaquæque anima sancta, etiam hortus conclusus esse intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat, eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur, quia dum bona sua, intentionem vitæ æternæ abscondit; dum humanas laudes omnino contemnit; ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam dicitur, quia dum cœlestia assidue cogitat, dum scientiam Scripturarum semper in ventrem memoriæ congregat: quasi aquas viventes sancta mens in se gignere non cessat, quas Sitientibus proximis præbere, ut reficiantur, valeat. Vnde scriptum est dicente Domino: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis, in vitam æternam. Joan. IV, 14.* Et alibi: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura: flumina aquæ viva fluent de ventre ejus. Joan. VII, 38.* Sed cur dicitur fons ille signatus? Nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis absconditur, infideli enim homini à Domino dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat. Joan. III, 8.* Et iterum scriptum est: *Signatum est super nos, lumen vultus tui Domine. Psalm IV, 7.* Quod enim ibi lumen signatum, hoc hic procul dubio, *fons signatus* esse perhibetur. Sanctus enim Spiritus mentem quam replet, & illuminans irrorat & irrorans illuminat: ut & de luce ejus videat quid appetat, & de rore ejus se refrigeret, ne lassescat. Sequitur.

(*Emissiones, sancta cum sanctis operibus, verba.*)

20. vers 13. *Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Quid emittit sancta Eccesia, nisi cum sanctis operibus sancta verba, quibus filios gignit & nutrit? Quorum dum alios usque ad Martyrium perducit, alios in sancta conversatione erudit: hos sanguine Martyrii rubentes ad æternam patriam transmittit, illos vero in sanctis operibus viventes, proximis in exemplum sanctitatis tradit: quid aliud, quam mala Punica & pomorum fructus emittit? Mala quippe punica, sub rubeo cortice multitudinem granorum continent: fructus vero pomorum, in se refectionis dulcedinem habent. Sic, sic Martyres, dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius profundere non dubitant: multitudinem virtutum interius sibi coogregant in mente. Sancti enim quique, qui in pace Ecclesiæ vivunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, exhibitione eos qui sequi volunt, reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia Sancti, sive igne passionis ardeant, sive in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant: sanctarum virtutum odorem tanquam paradisum suavitatis & delitiarum, construere in se dum vivunt, non cessant. Cujus paradisi ubertatem Scriptura demonstrat, dum sub voce sponsi per arbustorum nomina quasque virtutes designat, dicens.

(*Nardus, crocus, fistula, cynnamomum, odor sanctarum virtutum, quæ sunt in sanctis.*)

21. vers 14. *Cypri cum Nardo, nardus & crocus, fistula & cynnamomum, cum universis lignis Libani. Myrrha & aloë, cum omnibus primis unguentis.* Quid enim per has diversas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum odor, & profectus qui in Sanctis habetur? Ex his quippe speciebus regalia unguenta conficiuntur, ex his corporum sanitates inveniuntur. Bene igitur virtutes animarum designant, quibus congregatis & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægris animabus competens sanitas reparatur. Sed adhuc laus Ecclesiæ à Sponso repetitur, cum subditur.

(*Fons hortorum, puteus aquarum viventium, Scriptura.*)

22. vers 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Recte in emissionibus Ecclesiæ, fons hortorum, & puteus aquarum viventium describitur. Quid enim per fontem & puteum, nisi sancta Scriptura de-

ra designatur: quæ sic aquam sapientiæ generat, ut & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat? Quæ bene hortorum esse perhibetur: quia illorum specialiter est sancta Scriptura, in quorum mentibus, virtutum semina oriuntur. Sed quærendum nobis est, quare fons & puteus utrumque simul Scriptura dicatur: cum fons in superficie appareat, puteus vero in imis latens, omnes se quærentes majori labore exerceat? Sed sciendum est, quod Divina Scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens: & aliquando leviter sicut invenitur, tanquam fons potatur: & aliquando magna inquisitione eget, tanquam puteus, ut inventa sumatur. Quod vero sanctæ Scripturæ intellectus per aquam designetur, ostenditur alibi cum divina voce de reprobis dicitur: *Mittam eis non sitim aqua & famem panis. Amos. VIII, 11.* Et per Isaiam dicitur: *Auferet Dominus ab Hierusalem & Juda, omne robur panis, & omne robur aquæ. Isai. III, 1.* Dum enim gravia dicta Scripturæ non perquiruntur, ut mandantur: paulatim à scientia decidit mens, ut aliquando levia etiam intellectu, non capiantur. Sed aquæ istæ, bene *de Libano* fluere cum impetu dicuntur: Libanus enim, ut dictum est, dealbatio interpretatur. In baptismo quippe dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum, ad munditiam novæ vitæ reformamur. De Libano ergo aquæ putei fluunt, quia in baptismo electi quique donum Spiritus Sancti accipiunt, quo illuminati Scripturæ sacræ sensum intelligunt. Quæ Scripturæ sacræ Scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab hujus vitæ amore submoveat: & ad æterna gaudia vi impetus sui, quosque adhærentes trajiciat. Hinc est enim, quod in psalmo scriptum est: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei. Psalm XLVI, 5.* Impetus enim fluminis, civitatem Dei lætificat: cum per donum Sancti Spiritus fortiter inundans Scripturæ sapientia, sanctam Ecclesiam vel cujuslibet capientis mentem, infusione sua exhilarat: ad cujus spiritus adventum malignus spiritus increpatur, cum hic in subsequentibus dicitur.

(*Auster & aquilo, immundi & sanctus spiritus.*)

23. vers 16. *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Quid enim per aquilonem qui in frigere constringit & torpentes facit, nisi immundus spiritus designatur: qui reprobos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit? Per austrum vero, calidum scilicet ventum, Spiritus Sanctus figuratur: qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes facit, ut bona quæ desiderant operentur. Hinc enim dicitur: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. Psalm CXXVI, 4.* Surgat ergo aquilo, & veniat auster, & perflet hortum Sponsi, & fluant aromata illius: ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia, vel ab unaquaque electa anima discedat, & Spiritus Sanctus adveniat: qui veniens charitatis ignem cogitationibus infundat, & à torpore negligentiæ, dum se infuderit, solvat. Quod dum agit, aromata fluunt: quia dum adveniente Spiritu Sancto, cor quod prius torpuerat, ad opera se excitat: mox sanctæ operationis opiniones, per proximos quosque suaviter discurrunt. Et quique audientes ad eadem se accendant, & austro flante id est Spiritu Sancto se infundente, virtutum odores emittant: & ubique Sanctus hortus floreat, & post florem fructus redolentes & reficientes producat. In quem hortum sponsa dilectum invitat, cum subdit.

CAPUT QUINTUM.

(*Hortus, delectatio bonorum operum: myrrha autem mortificatio.*)

1. vers 1. *Veniat Dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* In hortum dilectus venit, & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat, unde & idem subjiciens dicit: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Myrrham* dilectus cum aromatibus metit, quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum suum ab hac vita succidens, ad cœleste horreum cum sancta opinione inducit. *Favum cum melle* comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, & ad Sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transfigit. *Vinum* vero suum *cum lacte* bibet, quando & perfectione quorundam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit. Ad quorum exemplum quosque remanentes invitat, cum subjungit: *Comedite, amici mei, bibite, & inebriamini Carissimi.* Notandum inprimis est, quia qui comedunt, *Amici*; qui vero bibunt & inebriantur, *Carissimi* esse perhibentur. In quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum est: sed bibere & inebriari, amplius bonum est. Sunt nimirum quidam in sancta Ecclesia, qui sic præcepta divina audiunt, ut cœlestia plus quam terrena amare discant: pro eo rum desiderio multa pauperibus tribuant, à pravis operibus se custodiant, nulla alicui violenter rapiant, Ecclesiæ prædicationem libenter audiant, in fide se instruant, quam & operibus sanctis exerceant: & tamen uxores habent, pignora nutriunt, res suas diligunt, quamvis his omnibus Christum præponant. Hi profecto comedunt & *Amici* sunt, quia Sanctam Scripturam audientes, talem sibi refectionem assumunt: ut & si ad summam perfectionem adhuc non assurgunt, tamen secundum modum suum perfecti, in præceptis divinis sine crimine vivant.

vivant. Quod dum beati Johannis parentes Zacharias videlicet & Elizabet, conservare studuerunt: per revelationem Angelicam in senectute sua filium accipere meruerunt, quo major inter natos mulierum non surrexit, & ipsum Salvatorem mundi digito ostendere, & baptizare meruit. De cujus parentibus dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini, sine querela. Luc. I, 6.* Sunt vero alii, qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, sola cœlestia ambiant: parentes, uxores, domos, filios etiam, & omnia transitoria abjiciant, solummodo Christum sequi & amplecti concupiscant. Ejus desiderio se affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant: ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt, obliviscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur? Ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, jure à sponso cœlesti, non tantum *Amici*, sed & *Carissimi* vocari mereantur: de quibus idem sponsus loquitur, & dicit.

(*Cor sponsi, recte electi vocari possunt.*)

2. vers 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hujusmodi quippe Electi, cor sponsi bene vocari possunt, qui quo amplius exteriora, quæ sunt in mundo, fugiunt: eo secretius ea, quæ sunt interiora sponsi, cognoscunt. De quibus procul dubio idem Sponsus alibi dicit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Joan. XIV, 21.* Dormit ergo sponsus, & cor ejus vigilat: quia dum Christus jam glorificatus in beatitudine quiescit, quicunque eum perfecte diligit, ut ad ipsum perveniat, laborat. De qua vigilantia, Sponsa superius dixit: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Cant. I, 12.* Quod enim illud quiescere, dormire dicatur; id manifestat quod alibi legitur: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam. Psalm. IV, 9.* Quod tamen ipsum, & ipsa sponsa, de se dicere potest. Dicat ergo: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac si aperte mens sancta loqueretur, dicens: Dum à mundanis tumultibus exterius dormio, interiori cogitatione quæ sint cœlestia, vigilans penso. Sancti enim viri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiunt, dum otium in via Dei assumunt, nequaquam ut torpori vacent, ea dimittunt: sed interius laborantes, quæ sint illa ad quæ facti sunt, in corde aspicere contendunt. Neque enim ut torpeant dormiunt, sed ut liberius æterna contemplentur, à transitoriis rebus quiescunt. Quos tamen aliquando sponsus, ad profectum proximorum excitat: & ut eis cum quibus vivunt proficiant, ab otio quod diligunt revocat. Cujus vocem audiens etiam cum dormit sponsa, dicit.

(*Multa peccatorum opera, tolerat Christus in Ecclesia.*)

3. *Vox dilecti mei pulsantis.* Quid enim pulsans dicat, subjungit: *Aperi mihi sponsa mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Causam etiam clamoris annectit, dicens: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Dum sponsa dormit, Dilectus ut aperiatur ei pulsat: quia dum sancta mens sibi ipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat: quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, nunquam per seipsos carnales vel agnoscunt, vel corrigere curant. Vult ergo sponsus ut aliquando otium dimittatur, & ad ædificationem proximorum Spiritales quique sollicitentur: quia dum perfecti viri sibi solis per interiorem quietem attendunt, dolet sponsus quod seculares ad pejora magis ac magis corruunt, dum eum propter silentium spiritualium, semper minus ac minus cognoscunt. Quod ipse manifestat cum dicit: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quid per caput sponsi nisi Deus, & quid per rorem in hoc loco ubi lamentando dicitur, nisi frigus mentium carnalium accipitur? Scriptum est enim: *Caput Christi Deus 1. Cor. XI, 3.* Et de frigore cujuslibet carnalis mentis, iterum scriptum est: *Sicut frigidam facit cisterna aquam, sic frigidam fecit malitiam suam Hier. VI, 7.* Caput ergo Christi plenum est rore: quia multi in Ecclesia positi & Deum eum credunt, & tamen frigidi persistentes, ad ardorem charitatis non accenduntur. Per cincinnos autem, ejusmodi populos intelligimus, quos in fide Divinitatis quasi in capite Christi pendentes, & opprimentes scimus. Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium: quia dum in torpore hujus tenebrosæ temporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos sponsa excitatur, dum Spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum, ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur. Sed quoniam metuit, ne si ad prælationem venerit, sollicitudinibus mundi occupari necesse sit: Sicque dum per occasionem ædificationis plurimorum, temporalibus se inclinaverit, quietem amittat, eamque sordibus peccatorum inficiat: ideo clamanti sponso respondet, dicens.

(*Exspoliatio tunicæ sponsæ, abjectio omnium exteriorum, quibus honorabatur & onerabatur.*)

4. vers 3. *Exspoliavi me tunica mea, quomodo iterum induar illa? Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?* Tunica sua sponsa se exspoliavit: quia omnia exteriora quibus honorabatur & onerabatur, abjecit: de qua tunica dicitur: *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium Luc. XXII, 37.* Gladium quippe vendita tunica emit, qui pro æternis temporalia abdicat: & in sancta conversatione vivens, verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur: *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei Ephes.*

Ephes. VI, 17. Pedes autem suos sponsa lavit: quia dum in sancto otio sancta anima vivit, opera sua studiose ad memoriam reducit. Quidquid in eis sordidum examinando deprehendit, lacrymis quotidianis & gemitibus plangit. Pedes itaque lavit: quia præterita opera, quibus per hunc mundum dissolute ambulaverat, planxit. Pedes lavit: quia peccata abluens lacrymis, munda in conspectu dilecti sui apparere concupiscit. Hos pedes iterum inquinare metuit: quia valde sollicita est, ne si in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterum suscipiat quod dimisit. Idcirco ab otio invita recedit: quia dum a marinis fluctibus aliena est, quasi in littore posita securius vivit. Sed dilectus non leviter mortem proximorum tolerat: ideoque propius accedens, per seipsum eam excitare non dubitat, ubi dicitur.

(*Missio manus per foramen, subtilior intellectus, virtutu divina operationis.*)

5. vers 4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum illius.* Manum dilectus ad sponsam mittit per foramen, ut surgat: quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divinæ virtus, ei inspirando manifestat. Quod videlicet & inter pericula salvare possit, quod etiam in pace nisi per eum salvus sit nemo, quod in tumultu certaminis sperantes in se, non derelinquit. Ad cujus tactum, venter Sponsæ intremiscit: quia sancta anima quo amplius divinam potentiam per interiorem visitationem præsentialiter sentit, eo districtius judicat quidquid in se carnale deprehendit. Quo enim majori charitate in eum ardet, quem mente concupiscit: eo timidius se ei subjicit, & amplius veretur, ne sponsus in ea aliquid inveniat, propter quod eam a se dimittere velit. Idcirco sponso obediens, ad laborem se præparat: ut sicut in quiete familiaris sponso, sic & in labore, devote serviens appareat. Ideo subdit dicens.

(*Surgit ut aperiat dilecto, qui ad ædificationem, se proximi accingit.*)

6. vers 5. *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Tacta surgit, ut aperiat: quia dum spiritum dilectionis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat: & prædicando agit, ut apertis cordibus sponsus ad inhabitandos proximos veniens, aditum intrandi inveniat. Quæ etiam cum prædicatione, exempla operum auditoribus demonstrat, dicens: *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Quid per manus, nisi operationes? quid per myrrham, nisi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo sponsæ, prædicationis myrrham stillant: quia quicunque aliis prædicant, necesse est, si multis proficere velint, ut in omni opere suo carnalem vitam mortificare contendant. Sed ut hoc cum magna discretione fiat, manifestat, cum subjungit, dicens.

(*Digiti myrrha pleni, diversa per sanctam conversationem virtutes.*)

7. *Digiti mei, pleni sunt myrrha probatissima.* Sicut enim ab una manu, plures digiti dividuntur: sic in una sancta conversatione, per discretionem diversæ, virtutes inveniuntur. Alia enim est virtus largitatis, alia virtus parcitatis, aliud opus humilitatis, aliud liberæ increpationis. Aliud vero agimus, quando nos sub silentio continemus, propter ædificationem propriam: aliud quando proximis loquimur, propter utilitatem suam. Sed digiti myrrha probatissima pleni esse perhibentur: quia in omni, quod agitur, semper necesse est, ut mortificatio carnalitatis teneatur: quæ tunc probatissima jure esse dicitur, quando in omni suggestione, quæ ab hoste ingeritur, sine cessatione voluptas carnalis cavetur, ne suscipiatur. Quod quando fit, omnis duritia mentis dissolvitur; & ut sponsus intret ad cor, aditus præparatur. Hinc est quod sequitur.

(*Pessulum ostii dilecto, est obseratio cordis dilecto per voluptates carnis.*)

8. vers 6. *Pessulum ostii mei, aperui dilecto meo.* Pessulum ostio facimus, quando per voluptates carnis, aditum cordis contra sponsum obseramus. Pessulum vero aperimus: quando remotis voluptatibus fluxis, cor nostrum in amorem Christi, quod prius durum fuerat, solvimus: & sponso pulsanti ad ostium, introitum liberum facimus. Quod dum in hac carne vivimus, quia repente fieri non potest, restat ut magis ac magis quotidie faciamus: Nemo enim sicut scriptum est, repente fit summus. Aliquando enim dum in hac corruptione positi, Dominum nostrum quærimus, magis nobis elongari quam appropiare videtur: ideoque sequitur, *At ille declinaverat, atque transierat.* Modo sponsus dilectam tangit, modo declinat: quia quando nos torpentes conspicit, ad amorem incitat: quando vero laborantibus nobis posse apprehendi videtur, tunc ne apprehendatur, transit & declinat. Quod maxima ejus in nobis gratia agitur, ut videlicet, nec in torpore nostro jacentes omnino eum amittamus: nec de plena ejus, ut nobis videtur, apprehensione, superbiamus. Qui mox tamen ut recesserit, redit: & ne diutius anima sancta à Dilecto suo alienetur, verbo inspirationis suæ desideranti animæ se infundit, & infundens liquefacit. Unde exultat sponsa, dicens.

(*Liquefactio animæ, omnis duritiei cordis solutio.*)

9. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Ad verbum sponsi, liquefactam se dicit: quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissolvit. Et aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat: & intus miretur quid fuerit, & quid factam subito se videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehen-

hendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat jam non sentit: unde sollicitatur ad quærendum, ut hoc idem inveniat. Sed aliquando cum etiam diu fatigetur non invenit, quod modo tam præsens tenebat: Ideo sequitur, *Quæsivi illum, & non inveni: vocavi, & non respondit mihi.* Quærit sponsa Dilectum, sed non invenit: quia a Deo inspirata mens, assidue suavitate illa intima perfrui concupiscit: sed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo & non respondetur ei: quia & orationibus & operationibus suis, dulcedine illius præsentiæ satiari appetit: sed ad votum suum, hoc quod invocat, non occurrit. Restat ergo ut in se revertens se cognoscat, & per Scripturas Sanctas dilectum suum magis ac magis, illo gustu adjuta perquirat. Et hoc est quod sequitur.

(*Custodes civitatis, Ecclesiæ prædicatores.*)

10. vers 7. *Invenerunt me custodes, qui custodiunt civitatem.* Dum inquisitione Dilecti sponsa sollicitatur, in custodes civitatis incidit: quia dum sancta mens desiderio sponsi Jesu Christi se affligit, prædicatorum verba in Scripturis divinis suscipit, & eis quandiu a Christo exulat, ejusdem quem quærebat amore intendit. In quibus quid exercitationis inveniat, subjungit: *Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Custodes percutiunt sponsam & vulnerant: quia prædicatores sancti dum cœlestia loquuntur, amantem animam afficiunt, & majori amore sagittant. Pallium tollunt: quia si quid pompæ secularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt. Pallium tollunt: quia aliquando ante verba prædicatorum nos non cognoscebamus, ipsique omne quod interius latebat dum loquuntur, detegunt. Quod dum fit, amplius diligendi sunt: & ut pro nobis Dilecto loquantur, devotius exorandi. Quod ait sponsa, dum subjungit.

(*Adjuratio filiarum Herusalem, invocatio sanctorum dicitur.*)

11. vers 8. *Adjuro vos filiæ Herusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo.* Dum enim sanctis viris cogitationes nostras referamus; dum eis sive viventibus nobiscum, sive jam vitam æternam ingressis desiderium nostrum expandimus; & per Deum oramus, ut Domino Christo pro nobis orando, offerant desiderium quo afficimur: quid aliud agimus, quam filias Herusalem adjuramus, ut Dilecto, cui nobis proximiores sunt, nuntient, quia amore languemus? Sed & ipsi Sancti, si adhuc nobiscum sunt, & oratores suos orant: & qui ut annuntient orantur, pro humilitate tanquam ignari interrogant, dicentes.

(*Dilectus ex dilecto, filius ex Patre.*)

12. vers 9. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Sed quia quo ardentius diligunt, eo dulcius verba de eo repetunt: Idem ipsum interum dicunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?* Dilectus ex dilecto sponsus dicitur: ut videlicet per repetitionem dilectionis, maximus amor loquentis ostendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Christus vocatur: quia si filium diligimus, & Patrem ex quo est consequenter amamus. Respondet sponsa subsequendo, dicens.

(*Dilectus candidus atque rubicundus, Christus Jesus.*)

13. vers 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus & rubicundus, Christus esse perhibetur: quia nullum omnino peccatum faciens, justitiæ pulchritudinem ex integro tenuit: & tamen tanquam peccator esset, ad mortis passionem accessit. Cui per Propheram dicitur: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum? Esai. LXIII, 2.* Electus vero ex millibus est: quia ex totius generis humani massa, nullus sine peccato reperitur: ipse vero non solum sine peccato fuit, sed etiam peccatores sua justitia & sanguine redemit. Sequitur.

(*Cujus caput aurum est, Deus nempe.*)

14. vers 11. *Caput ejus, aurum optimum.* Caput Christi, Deus: quod caput bene *aurum* dicitur, quia ad comparationem creatoris, omnis creatura res vilissima esse perpenditur. *Coma ejus sicut elata palmarum, nigra sicut corvus.* Quid per comas Christi, nisi fideles quosque intelligimus, qui dum fidem Trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhærentes, quod credunt faciunt: quasi in capite pendentes, honorem portanti conferunt? Palma autem in altum valde crescendo proficit, & victoriam significatione sua prætendit. *Coma* ergo, *sicut Elata palmarum* sunt: quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam se perducunt. *Nigra* autem *sicut corvus* existunt: quia quamvis virtutibus in cœlum se erigant, semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sequitur.

(*Oculi ejus sicut columba, ob simplicitatem.*)

15. vers 12. *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.* Oculi sponsæ, sicut columbæ sunt: quia prædicatores Christi qui viam nobis ostendunt, in simplicitate vivunt. Super rivulos autem aquarum esse perhibentur: quia semper in refectione Divinarum Scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lotæ: quia gratiâ creatricis sapientiæ, tanquam lacte matris, à peccatis per baptismum sunt mundatæ. Quid autem per fluenta plenissima, juxta quæ resident, intelligimus? Nisi Sacræ Scripturæ profunda, & arcana dicta quæ discerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus. Ad hoc etiam columbæ juxta fluenta residere solent, ut volantium avium umbram in aqua videntes, super quam se projicientes, ungues rapacium sic effugiunt. Sic sancti viri in Scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione, quam vident, quasi ex

ex umbra, hostem cognoscunt: dumque se consiliis Scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant, nisi quod ex responso Scripturarum audiunt: quasi in aquam se projicientes, hosti illudunt. Quæ fluenta, plenissima dicuntur: quia de quibuscunque scrupulis in Scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ad plenum invenitur.

(*Genæ sicut areola aromatum, ob sanguinem Martyrum effusum.*)

16. vers 13. *Genæ ejus sicut areola aromatum, consita à pigmentariis.* Si per oculos, prædicatores intelliguntur: bene per genas, ipsi in Ecclesia figurantur, qui Martyrio vitam finisse perhibentur. Dum enim pro fide Christi sanguinem suum fundere non dubitant, quasi genæ in facie sponsi rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei Christianæ publicatur: quia ad quantum fidei præmium tendant ostendunt, dum pro ea moriuntur. Quæ genæ, bene *sicut areola aromatum* esse dicuntur: quia dum in constantia fidei martyrio electi exercentur, per cultum virtutum, sanctæ opinionis famâ, quasi odore aromatum dilatantur. Sed areolæ à pigmentariis conseruntur: quia Martyres sancti & à præcedentibus prædicatoribus ad confessionem roborantur, & à subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta virtutum coluntur: ab his verò, qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. Vnde & sequitur.

(*Labia lilia, stillantia myrrham, ob puritatem & mortificationem.*)

17. *Labia illius lilia, stillantia myrrham primam.* Quid enim per labia sponsi, nisi ipsos quos dicimus prædicatores, Christi, intelligimus? Qui dum mortes Martyrum populis prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimentum distillant. Quæ myrrha bene *prima* esse dicitur: quia nullus sic mortificatur, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit, non pro tempore, sed pro dignitate. Quid est, quod labia sponsi lilia esse dicuntur? Nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mundi sint, & per eos bonus odor aspergatur? De quibus erat Apostolus Paulus, qui dicebat: *Bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui salvi fiunt, 2. Cor. II, 15.* Sed notandum est, quoniam quidquid in Ecclesia justitiæ & fortitudinis habetur: ab ipso Christo, per exempla operum illius trahitur. Ideo sequitur.

(*Manus tornatiles, plenæ Hyacinthis, opera bona, ad beatitudinem conducentia.*)

18. vers 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis.* Quid enim per manus Christi designatur, nisi Opera sancta quæ in mundo gessit, & quæ nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait: *Qui me diligit, me sequatur, Joan. XII, 26.* Et Apostolus: *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare debet, 1. Joan. II, 6.* Manus verò, tornatiles esse perhibentur: quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis, ex omni parte in justitia gradiebantur. Quod enim tornatur, in rotunditate sui sine obstaculo volvitur. Sic Christi opera, in rectitudinis rotunditate volvebantur: quia nulla culpa ei adhærebat, qua minus justitia ejus in rotundum duceretur. *Aureæ* etiam manus esse dicuntur: quia quidquid exterius inter homines operabatur, interius in Divinitatis pulchritudinem disponebatur. Quid verò per hyacinthum, qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo sponsi, plenæ Hyacinthis esse dicuntur: quia quicunque illius opera pro corde imitantur, felicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Vnde & idem Redemptor ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit, Joan. XII, 26.* Sequitur.

(*Venter, mortalitas: ebur verò, incorruptionis signum.*)

19. *Venter ejus eburneus, distinctus Saphyris.* Quid per ventrem, nisi mortalitas: & quid per ebur, nisi incorruptio corporis designatur? Ebur quippe valde durabile os habetur, & in ornamenta regum assumitur. Venter ergo Christi, rectè eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur. De quo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Rom. VI, 9.* Qui vere in ornamenta Regum assumitur: quia quisquis carnis suæ rex & dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate & resurrectione, amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur. Vnde alibi dicitur: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Cor. I, 31.* Sed venter *distinctus Saphyris* esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portavit, cœlestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inseruit. Saphyrus enim, qui aëreum colorem portat, bene cœlestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat. Venter verò Christi, Saphyris distinguitur: quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variabatur. Qua dispensatione, Apostoli in fide eruditi sunt, & ad passiones tolerandas, robusti extiterunt. Ideo sequitur.

(*Crura illius, sancti Apostoli, qui columnæ marmoreæ, ob inflexibilitatem.*)

20. vers 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Per crura enim Apostolos intelligimus, per quos universum mundum circuivit, & fidem eis prædicantibus populis audientibus sparsit. Quibus ipse in Evangelio ait: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ, Marc. XVI, 15.* Sed crura, columnæ marmoreæ esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus & exemplis roboratur. Super bases au-

autem aureas, columnæ fundatæ sunt: quia à Prophetarum dictis, ut fortes persisterent, fidem integram acceperunt. Vnde ipse primus Apostolorum ait: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucerna ardenti, in caliginoso loco, 2. Pet. I, 19.* Ideo enim aureæ dicuntur, quia luce sapientiæ resplendescere sciuntur. Sequitur.

(*Species ut libani, in quo sublimes valde & odorifera arbores nascuntur.*)

21. *Species ejus ut libani, electus ut Cedri.* Libanus quippe mons est, in quo sublimes valde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus, dealbatio, sive candidatio. Et de Christo dicit Apostolus Paulus: *Ipse factus est nobis à Deo sapientia, sanctificatio, & justitia, 1. Cor. I, 30.* Bene ergo species ejus ut Libani existit: quia per eum credentes dealbantur; cui, si adhæremus radicitus, sublimes efficimur; cujus gratia etiam bonæ opinionis odorem si quem habemus, accipimus. *Electus* etiam *ut Cedri* esse dicitur: quia de eo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus. Complacuit sibi in illo anima mea, Isai XLII, 1.* Cedrus autem excelsa est valde arbor, & odorifera, & imputribilis. Christus autem excelsior cedris existit: quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desistit, de qua per Esaiam dicitur, *Et sublimis erit valde, Esai LII, 13.* Odorus etiam super omnes est Christus, quia ipse de seipso ait: *Ego flos campi & lilium convallium, Cant. II, 1.* Et per sponsam ei dicitur, *Curremus in odorem unguentorum suorum, Ibid. I, 3.* De quo hic bene sequitur.

(*Guttur suavissimum, Christi novum Testamentum, per quod suavia nobis effundit.*)

22. vers 16. *Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis.* Per guttur quippe voces transferuntur, & sapores in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur Sponsi, nisi Testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, & in quo quam suavis sit Dominus, à fidelibus gustatur? Totus ergo desiderabilis existit; quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper eum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis, consequenter concludit Sponsa dicens: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filia Herusalem.* Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus: quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? fidelis quippe anima quæque, quo dulciora & ampliora de Redemptore suo audit, eo ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens.

(*Egressus sponsi excessus dilecti.*)

23. vers 17. *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinavit tuus, & quæremus eum tecum?* Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter inveniatur, sciscitatur: quid aliud quam quomodo quæri debeat, perscrutatur? Quamvis hoc de Synagoga intelligi valeat, ut aliquando conversam Ecclesia interrogat. Cui protinus Ecclesia respondet.

CAPUT SEXTUM.

(*Dilectus in hortum descendit, ut colligat lilia, dum perfectos quosque ad gloriam transfert.*)

1. vers 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.* Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit: quia Ecclesiam visitans, ad eos majori gratiâ venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis, bonæ famæ odorem ex se proximis emittere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quosque ab hac vitâ succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis, fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, charitate conglutinatur: ut nihil extra Christum diligat, & eum sibi familiariter fide & amore inseparabilem teneat, ideo subjungit.

(*Synagoga ad Ecclesiæ fidem convertenda, in fine seculi.*)

2. vers 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Notandum quippe, quod Synagoga per prædicationem Ecclesiæ, ad fidem quandoque convertatur: ita ut se abnegans Christum solum sequatur, & eodem desiderio diligat Christum, quo eum Ecclesia diligit, quem cæteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam, sponsus alloquitur congratulans & dicens.

(*Quam ob causam dicitur pulchra, amica, suavis, & decora.*)

3. vers 3. *Pulchra es amica mea, suavis & decora, sicut Herusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Pulchra & amica, suavis & decora sicut Herusalem, Synagoga esse perhibetur: quia sancta quatuor Evangelia, aliquando conversa sicut Ecclesia sectabitur. Herusalem quippe visio pacis interpretatur, per quam bene sancta Ecclesia figuratur: quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens, quæ sit pax patriæ cœlestis currendo contemplatur, confidens in eo, qui discipulis suis dicebat: *In mundo quidem pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum, Joan. XVI, 33.* Digne autem Synagoga conversa, sicut Herusalem pulchra, & amica, & suavis, & decora dicitur: quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, à quibus pulchritudinem morum accipit, ut placeat: exercitium sanctæ operationis colligit, ut in amicitia hæreat: suavitatem mansuetudinis discit, ut permaneat: speciem decoræ conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur.

(*Terribilis, ut castrorum acies ordinata ob unitatem & concordiam suam.*)

4. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Notum

tum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contra venientibus timentur: quia dum in eis aditum per scissuram non adspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt: illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum officiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, & ut occidantur appetiti ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contigit: quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace charitatis constringatur, quò salva sit. Si enim pacem a) tenet, terribilis hostibus apparet: si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque muniat, unitate se vinciat, charitate se uniat: ut dum in seipsa per scissuram damnum non palitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est in hac vita conspicit: quia impossibile est patriam tenere, dum in exilio unusquisque nostrum gemit. Ideo sanctæ animæ inardescenti, inhianti, appropinquanti, sponsus respondet dicens.

(*Avertit sponsa oculos à Christo, cujus pulchritudinis contemplativa incapax est.*)

5. vers 4. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Oculos ad sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos avertere præcipimur, ne videlicet aspicere eam sicuti, quantumcunque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi eum avolare fecerunt: quia quo amplius videtur, eo magis invisibilis esse cognoscitur. Et à nobis avolat: quia quantulumcunque ictu mentis apprehensus, incomprehensibiliter super omnem conatum nostrum, se exaltatum esse manifestat. Oculis b) quippe mentis quasi hoc efficitur, ut avolet: quia per hoc tantillum quo videtur, valde longinquus, & avolans à nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur.

(*Varia ibidem, Ecclesiæ adaptata.*)

6. vers 4. 5. & 6. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de monte Galaad. Dentes tui, sicut greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic gena tua, absque eo quod intrinsecus latet.* Hæc omnia dicta de Ecclesia, superius ut potuimus, exposuimus. Ideo nunc de Synagoga, eadem replicare devitamus. Unum tamen quod non simpliciter repetitur, quia ibi *sicut fragmen c) mali punici*, hîc autem *sicut cortex mali punici*, dicitur. Quo nihil aliud designari puto, nisi sanguinem Martyrum, qui sub Antichristo morientur; & unitatem fidei sub qua multi Judæorum stringentur. In cujus constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur. Sequitur.

(*Sexaginta reginæ, Sanctorum animæ.*)

7. vers 7. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Quid per reginas, nisi sanctorum animæ designantur: quæ dum corpora sua prudenter regunt & aliis præsunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia, qui carnem suam macerant & propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subjiciunt, omnes motus suos, ut ordinate currant, sapienter regunt: aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos à faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes abstrahunt. Quid hujusmodi animæ nisi reginæ existunt, quæ dum Regem Christum Sponsum suum valde diligunt: amnris commixtione & libidinis execratione, regios filios, id est, fideles populos gignunt? Quibus omnibus beatus Petrus Apostolus dicebat: *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, Gens sancta, populus acquisitionis, 1. Pet. II, 9.* Sed *Reginæ sexaginta* esse perhibentur. Denarius quippe numerus per senarium multiplicatus, in sexaginta completur. Et quid per denarium, nisi decem præcepta legis: Et quid per senarium, nisi labor hujus vitæ signatur? Sex enim diebus, quod necessarium est, operamur, & in septimo quiescere per legem jubemur. Bene ergo *Sexaginta reginæ* esse dicuntur: quia dum decem præcepta in hoc seculo operantur, seculum autem hoc sex diebus operatoriis evolvitur: in eis quasi per senarium numerum, denarius numerus replicatur. Prædicant enim perfecti quique decem præcepta legis, in quorum operatione se exercent, in temporalitate hujus corruptionis. Sex igitur decies, vel decem sexies multiplicant: quia universale hoc tempus, ad explenda decem præcepta legis, spiritaliter esse transigendum, operibus suis manifestant & verbo prædicant. Quorum laudem aliquando in mundo reprobi aspiciunt, & ut similiter laudentur, vel aliquod commodum in hac vità quomodocunque adipiscantur: etiam ipsi, per semetipsos prædicatores fiunt. De quibus bene subditur.

(*Octoginta concubinæ, falsi in Ecclesia prædicatores.*)

8. *Et Octoginta concubinæ.* Concubinæ quippe non verè, sed fictè dominos diligunt, & ab eis non posteritatem filiorum, sed præsentiam commodorum expetunt: nec continentià se exercent, sed libidinem explere concupiscunt. Sic falsi prædicatores in Ecclesia existunt, qui dum non Christum sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritaliter & castè, sed carnaliter & libidinosè, Christo se conjungunt. Bene ergo concubinæ vocantur, quia Christum, quem prædicant, non spiritu sed carne sectantur. De quibus Apostolos Paulus dicebat: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, Philipp. III, 18.* De qui-

quibus idem ipse ait: *Hujusmodi non serviunt Domino Jesu, sed suo ventri, Rom. XVI, 18.* Quæ tamen concubinæ bene *Octoginta* esse dicuntur: quia etsi toto corde terrena diligunt, cœlestia tamen loquuntur. Octonarium quippe numerum per denarium ducimus, & ad octoginta venimus. Per decem autem, decalogus: sicut dictum est, significatur. Per octo verò Resurrectio: quia octavo die Redemptor noster resurrexisse probatur. Prædicatores verò etsi falsi sunt per desiderium, tamen & Scripturam divinam & Resurrectionem quam credimus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores, inter Christianos non essent. De quibus in Evangelio veritas ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite, Matth. XXIII, 2.* Sed quia & falsorum & verorum prædicatorum exhortatione, plurimi ad fidem veniunt: & cum electis multi intrant, qui ad sortem electorum non pertingunt, ideo subditur.

(*Adolescentulæ quarum non est numerus, vagæ animæ & instabiles.*)

9. *Et Adolescentularum non est numerus.* Cum enim scriptum sit, *Adolescentia & voluptas vana sunt, Eccl. XI, 10.* Quid per adolescentulas has nisi vagas animas intelligimus, quæ dum vana hujus mundi sectantur quæ diligunt, numerum electorum excedunt? De quibus per Psalmistam dicitur: *Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum, Psalm. XL, 6.* quod enim electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat Apostolus Paulus, qui ait: *Novit Dominus, qui sunt ejus, 2. Tim. II, 19.* Et per semetipsum Dominus ait: *Ego scio, quos elegerim, Joan. XIII, 18.* Quos quia non imperfectè scit, sed perfectè novit: procul dubio, & numerum in quo eliguntur cognoscit. De quibus per Paulum dicitur: *Quos enim præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, Rom. VIII, 29.* Bene ergo *Adolescentularum non est numerus:* quia dum per vanitatem quam diligunt, in numerum electorum non currunt, extra remanentes, quasi in cognitionem divinam non veniunt. Quibus ipsa veritas in futuro judicio dictura est: *Nescio vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, Matth. XXV, 12.* Sed dum reprobi mundana quæruut, & per multiplices cupiditates animum dividunt: Sancta quælibet anima in numerum electorum se stringit, multa quæ videt fastidiens: unum quod non videt, ardenter appetit. Quod quandiu non tenet, in fide se nutrit, in charitate se unit: & dum id, quod unum & idipsum est, sequitur, de hujusmodi multis una Ecclesia perficitur. De qua per sponsum dicitur.

(*Una columba & perfecta matri suæ, regeneratrix gratia.*)

10. vers 8. *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur: quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent, & ab unitate non scinduntur. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum & animam unam in charitate se uniunt: ex multis membris unum corpus efficiunt, omnesque in unitatis simplicitate & unitate viventes, una columba existunt. Quæ sola perfecta, & electa genitrici suæ esse dicitur: quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratiâ fovente nutritur. De qua bene subditur.

(*Quam filiæ Sion & regina & concubinæ, id est omnes laudaverunt.*)

11. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, reginæ & concubinæ laudaverunt eam.* Sion filiæ, filiæ sunt Ecclesiæ: quæ dum vitam æternam in hac carne contemplantur, à peregrinante Ecclesia ad regnantem Ecclesiam eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, & beatissimam prædicant: quia sanctæ animæ, dum virtutes Ecclesiæ spectant, in laudent prorumpunt, & ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia, gratia genitrice nutritur: dum fide eruditur, carne sui sponsi pascitur, sanguine lavatur, Scripturâ divina saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis, dæmones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. Hæc omnis quicunque aspicit, rectè in admirationem protinus assurgit, & beatissimam pronuntiat: quia videt, ad quantam gloriam per tot virtutes exsurgat. Cum reginis eam & concubinæ laudant: quia etsi operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quæ & veri, populis ostendunt. De quibus ipsa veritas dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, Matth. XV, 8. Marc. VII, 6.* Quod apertè manifestat, dum iterum dicit: *Dicunt enim & non faciunt, Matth. XXIII, 3.* De quibus & per Apostolum Paulum dicitur: *Dictu confitentur se nosse Deum, factis autem negant, ad Tit. I, 16.* Sancti autem viri, dictis & factis Deum confitentur: quia quod credunt, faciunt, & ad bona, quæ faciunt, etiam alios sermonibus & exemplis trahunt. Quorum virtutibus Adversarii ad fidem excitantur, dum in eis & puritatem fidei & constantiam operis admirantur. Vnde & Synagoga ad fidem erigitur, cum in Ecclesia quæ sint merita fidei admirans contemplatur, dicens.

(*Ecclesia quasi aurora, ad judicium ultimum procedit.*)

12. vers 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Ecclesia sancta, *quasi aurora consurgens,* in judicio ultimo progreditur: quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innovatur. Quæ bene *ut sol electa* dicitur: quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput ejus Christus, qui sol justitiæ esse

esse perhibetur. Unde est quod idem sol ait: *Volo pater ut ubi ego sum, illic & minister meus sit, Joan. XII, 26.* Quod tamen & de membris ejusdem Ecclesiæ adhuc in hac carne viventibus, intelligi potest. Sunt enim nonnulli, qui magnâ intentione quæ sint tormenta reproborum aspiciunt, & quæ sunt facta sua, sine palpatione examinare contendunt: dumque se peccasse cognoscunt, & per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescunt: subitò tenebras iniquitatis derelinquunt, & luce justitiæ accendi concupiscunt: mox ad sanctam operationem consurgunt, & per bona, quæ faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi procul dubio, velut aurora consurgentes progrediuntur: quia subito noctem peccati evacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris, tunc splendens apparet: & quæ etiam in semetipsa obscurabatur, nunc aliis lumine sanctæ operationis resplendet. De qua bene subditur.

(*Pulchra ut luna, electa ut sol, per bona exempla, peccatoribus per noctem, & justis per diem illucens.*)

13. *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima quæ tenebras dimittit, & in sanctam operationem se extendit: dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, & ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque anima, dum peccantibus bona exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum vero magis ac magis crescit, & de die in diem per consuetudinem operis, lumen justitiæ tam perfectè accipit: ut etiam bonis, exempla imitationis præbeat, Quæ prius solis peccatoribus imitanda apparebat, profecto jam luna, sol efficitur: quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus, lumen veritatis manifestat. Hinc est quod sequitur, *Electa ut sol*: de qua bene subditur.

(*Supra vers 3. Terribilis, ut castrorum acies ordinata.*)

14. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hoc, quia jam dictum est, iterum non necesse est exponi, ne sic videatur fastidium generari. Sequitur ergo Sponsus & causam dicit, unde tanta virtus in Ecclesia excrescere possit. Visitatione quippe Christi renovatur, & quod in ea tenebrosum est, respectione ejus illuminatur. Et hinc est, quod subdens, ait.

(*Per nuces, perfecti quique intelliguntur.*)

15. vers 10. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium.* Quid per nuces, nisi perfectos quosque intelligimus: qui dum divinam Sapientiam intra corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant. Sunt enim quamplures in Ecclesia, qui assidue Divinæ Scripturæ incumbunt, quam suavis sit Dominus gustantes, amplius gustare concupiscunt, sancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis convalescunt, & tamen foris nescientibus eos, viles apparent: quia ignoratur, quam dulcem in suis interioribus cibum portent. Quid isti nisi *nuces* existunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exterius verò carnis vilitatem prætendunt? De quibus erat Apostolus, qui dicebat: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, 2. Cor. IV, 7.* Hortus igitur nucum, corda sunt Sanctorum: qui dum Deum valde diligunt, cœlestem dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Psalmo scriptum est: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, Psalm. XXXI, 20.* Sed quid est quod in hortum nucum sponsus descendit, ut poma videat, cum potius nuces videre debeat? Verumtamen sciendum est, quod maxime corda perfectorum visitat, eisque benignitatis suæ suavitatem manifestat: ut per eos ad infirmiores postmodum veniat, & quantum in augmentum justitiæ profecerit, per illos cognoscat. Unde scriptum est: *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum, Psalm. XIV, 3.* Dum enim divina bonitas corda perfectorum illustrat, eosque ad curam proximorum per charitatis sollicitudinem instigat: quid hoc est aliud, nisi quod ad hortum veniens, poma convallis, per illos quibus præsidet prospectat? Tunc enim Dominus videre vel cognoscere dicitur, cum Sanctos suos quos illustrat, ad videndum exhortatur. Sed quid est, quod non poma montis, sed poma convallis ut videat, descendit? Nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit. De quo per Psalmistam dicitur: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longe cognoscit, Psalm. CXXXVIII, 6.* Et ipse Dominus per semetipsum ex voce Prophetæ dicit: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos, Isai LXVI, 2.* Sequitur autem sponsus, & dicit.

(*Flores vineæ & malorum punicorum germina, bona exempla proximis exhibita.*)

16. *Et inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica.* Vineæ florent, quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur: & ad sanctam conversationem quasi ad fructus soliditatem, præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos ædificant: & in novitatem sanctæ conversationis per prædicationem & bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, Gal. IV, 19.* Sic etenim in Sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti nutriantur: donec & ipsi ad perfectionem veniant, & infirmos quosque sicut ipsi per-

perducti sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiæ Sponsus, visitando perficit, respiciendo corpus sanctum conjungit: quia ideo corpus infirmitatis assumpsisse cognoscitur, ut in corpus suæ claritatis tota simul Ecclesia transformetur. Vnde beatus Paulus ait: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, Phil. III, 21.* Hæc omnia in fine mundi, Synagoga tandem excitata percipiet, & se tamdiu hæc ignorasse reprehendet, dicens.

(*Anima conturbatur propter quadrigas Aminadab, quod tamdiu in infidelitate & tenebris ignorantiæ perstiterit.*)

17. vers 11. *Nescivi, anima mea conturbavit me, propter quadrigas Aminadab.* Ac si diceret, tot virtutes in sancta Ecclesia fieri vident: Quare in tanto tempore non percepi? Quare incredula perstiti? Cur tamdiu per infidelitatem meam, in tenebris ignorantiæ remansi? Sed *propter quadrigas Aminadab* conturbatur: quia quandoque per Christi prædicationem, ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim, Spontaneus populi mei interpretatur. Et bene procul dubio Christus Jesus, à Patre Spontaneus populi mei dicitur: quia verè Spontaneâ charitate ad populum salvandum descendit, & ut nos à morte relevaret, piâ voluntate & benignâ gratiâ mortem in cruce suscepit. Vnde & ipse ad Patrem ait: *Voluntariè sacrificabo tibi, Psalm. LIV, 8.* Et unus ex redemptis ad Christum loquens, ajebat: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, Psal. LXIX, 17.* Propter quadrigas ergo Aminadab, Synagoga conturbatur: quia quando tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia, in cordibus hominum ferventia, per fidem contemplatur: mox de infidelitatis suæ tenebris confunditur, & oborta confusione salubri, ad pœnitentiam commovetur. Cui Ecclesia benigne loquitur, dicens.

(*Reversio Sunamitis, id est, Synagoga ad Christum, in fine seculi, quater expressa.*)

18. vers 12. *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.* Sunamitis quippe, captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur, vocatur: quia Synagogæ in fine mundi fides ab Ecclesia *d*) offeretur, ut dignitatem pristinam recipiat, quæ sub infidelitatis jugo à dæmonibus captivatur. Et bene quater reverti admonetur, quia in quatuor mundi partes modò Judæi dispersi sunt: qui ubicunque fuerint, ut dictum est, in fine convertentur, sicut prædictum est per Prophetam: *Si fuerit numerus filiorum Israël, velut arena maris, reliquiæ salvæ fient, Isai X, 22.* Revertatur ergo Sunamitis, ut eam intueamur, id est, Synagoga ad *e*) fidem convertatur: ut in pœnitentia sua omnibus ostendat, quantum malum fecerit, quando Deum suum in cruce confixit. Sed protinus cum Ecclesia fidem Synagogæ intueri appetit, sponsus cogratulando, quasi interrogans respondet & dicit.

a) MS. *tenet* &c. *& apparet.* Rectè cum malè editiones habeant, *teneret* & *appareret*: Nam in præsenti sequitur, *si per discordiam scinditur.*

b) alia legit, *Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt.*

c) editiones legunt, *fragmenta.*

d) *offeretur.* Ita restituimus, editis male habentibus, *auferetur.*

e) *ad fidem.* Alius codex *ad finem* legit, quod utrumque verum est.

CAPUT SEPTIMUM.

(*Chori castrorum in Sunamite, pugna Synagoga aliquando convertenda, contra infideles.*)

1. vers 1. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Castra quippe militantium sunt. Castra ergo in Sunamite videbuntur: quia pro fide quam modò impugnat, tunc robustè contra infideles præliabitur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fiet, ut Synagoga convertatur, quia sermonibus & exemplis Prædicatorum ad fidem convertetur: Ideo rectè ad laudem sponsæ, Sponsus se convertit dicens.

(*Pulchri gressus filiæ principis, ferventes prædicationes, cum præcedentium Patrum exemplis.*)

2. *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis.* Filia principis, sancta Ecclesia dicitur: quia prædicatione Christi in vitam novam regeneratur, quia per Divinitatis potentiam omni creaturæ quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium Patrum: quibus in via mundi hujus munitur, ut per omnes tribulationes quæ exurgunt, confidenter calceata gradiatur? Vnde alibi Prædicatoribus Paulus dicit: *Calceati pedes, in præparationem Evangelii pacis, Ephes. VI, 15.* Calceamenta quippe, de mortuis animalibus fiunt: & nos pedes spiritualiter calceamus, quando à Patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus: ut ad eorum similitudinem, mundi hujus tentationes expugnemus. Potest tamen intelligi quod Ecclesia calceatur, quando in prædicatione sua ad perferenda insurgentia mala, morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt Sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est principis: quia coram divinis oculis placet officium cujuslibet electi, secundum exempla Patrum prædicantis. Sequitur.

(*Duo femora Sponsæ, duo populi: junctura femorum, concordia prædicatorum.*)

3. *Junctura femorum tuorum, sicut monilia.* Per duo femora Sponsæ, duo populi Ecclesiæ: Per juncturam femorum, concordia designatur prædicatorum, quibus uniuntur populi, dum ad fidem catholicam circumcisio & præputium per

per eos erudiuntur. Qui ut monilia existunt: quia dum in sapientia, qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt. De quibus sequitur: *Quæ fabricata sunt manu artificis.* Manu artificis monilia fabricantur, quia opere Christi prædicatores pulchri & utiles efficiuntur. Sequitur.

(*Umbilicus, ordo sanctorum prædicatorum.*)

4. vers 2. *Umbilicus tuus, crater tornabilis, nunquam indigens poculis.* Umbilicus etiam sanctorum Prædicatorum ordo est, qui bene crater esse dicitur: quia dum per eos populus eruditur, vino spirituali ipsorum officio debriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur: quia juxta mores hominum universos, necesse est ut lingua prædicatoris volvatur. Qui poculis non indiget: quia quod aliis propinat, necesse est ut abundantius cæteris bibat, & plenius quod dat contineat. Sequitur: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Per ventrem, populi latitudo designatur. Qui bene sicut acervus tritici, liliis vallatur: quia dum operibus sanctis intendens in cœleste horreum præparatur, exemplis Sanctorum ut perseveret, undique munitur.

(*Ubera duo Sponsæ, duo populi.*)

5. vers 3. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Duo ubera, duo populi existunt: quia dum in amore fraterno semper vivunt, se invicem lacte pietatis in charitate nutriunt. Qui bene, duo hinnuli capreæ gemelli nominantur: quia dum per prædicationem Synagogæ in fide geniti, ejus Scripturis nutriuntur; in æternitatis spem intendentes, quasi in montibus pascuntur concordes. De quibus prædicatoribus sequitur.

(*Collum Sponsæ sicut turris eburnea, ob altitudinem contemplationis, opera bona, & divinam sapientiam.*)

6. vers 4. *Collum tuum, sicut turris eburnea.* Collum Sponsæ, sicut turris eburnea dicitur: quia Prædicatores Ecclesiæ, alti per contemplationem, & fortes per sanctorum operum exercitationem, & pretiosi per divinam sapientiam habentur. De quibus iterum dicitur: *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Esebon, cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo Sponsæ, *sicut piscinæ in Esebon* dicuntur: quia dum de peregrinatione ista contristantur, & mœrore corroborati, contra spiritales hostes accinguntur: lacrymis se lavant, ut per eos populi convenienter coram Deo mundentur. *In porta* autem *filiæ multitudinis* sunt: quia fide stant, per quam, Ecclesiæ multitudinem ad cœlestia introducunt. Sequitur.

(*Nasus Sponsæ odores discernens, significat discretionem prædicatorum.*)

7. vers 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, qua respicit contra Damascum.* In naso, odoris discretio habetur. Per nasum ergo, discretio prædicatorum designatur: quia per eos nobis virtutum odores & vitiorum fœtores demonstrantur. Sed *Nasus sicut turris Libani* existit, quia dum semel prædicatores aqua baptismatis lavantur, & quotidianis lacrymis à peccatis, quæ contra Deum commiserunt dealbantur: digni fiunt, ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris *contra Damascum* respicit: quia peccatoribus, semper sanctus quilibet prædicator contradicit. Damascus quippe sanguineus interpretatur; & peccatrici genti dicitur: *Manus tua, plena sunt sanguine, Isai I, 15.* Sed quia de membris dixit, dignum est ut de capite loquatur. Ideo subditur.

(*Caput Ecclesiæ Christus, ut Carmelus exaltatus.*)

8. vers 5. *Caput tuum, ut Carmelus: & coma capitis tui, ut purpura Regis vincta canalibus.* Caput Ecclesiæ Christus, qui bene ut Carmelus dicitur: quia ipse per passionem quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus. De quo scriptum est: *Et erit in novissimis diebus, præparatus mons domus Domini, in vertice montium, Isai II, 2.* In Carmelo quippe Elias orans obtinuit pluviam, *3. Reg. XVIII, 42.* & nos in Carmelo orantes pluviam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus: & à Patre *a*) irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus. Moraliter autem caput Sponsæ, mens vocatur: quia sicut à capite membra, sic à mente omnes cogitatus nostri disponuntur. Carmelus autem, scientia circoncisionis interpretatur. Caput ergo Sponsæ, ut Carmelus esse perhibetur: quia quælibet sancta mens novit qualiter dignè circumcidatur: novit, quia nihil est, quidquid in corpore agitur, nisi mens munda fuerit, quæ templum Christi, si efficitur, ab ipso inhabitatur. Quod quia Pharisæi non agebant, ideo dicebat beatus Stephanus eis, qui eum occidebant: *Dura cervice & in circumcisis cordibus, & auribus, vos semper restitistis Spiritui Sancto, Act. VII, 51.* *Coma* autem *capitis ejus, ut purpura Regis vincta canalibus*, esse memorantur. Purpura quippe per fasciculos in canalibus ligatur, super quos dum aqua projicitur, per canales ad vestem, quæ supposita est, currit, ut vestis tingatur: & inde nomen accipit, ut tincta colore purpureo, purpura vocetur. Quæ omnia sanctæ menti congruunt, si intelligantur. Comæ quippe capitis, sunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur: quia in Scripturis Divinis, ne inutiliter fluant, stringuntur. Super quas aqua projicitur, quæ vestem regiam currens tingit: quia dum cogitationibus sanctæ mentis gratia cœlestis suscipitur, totam animam in cœleste ornamentum componit: ita ut jam tota anima in vitam æternam inardescat, & ad æternum Sponsum etiam per sanguinem Martyrii, pergere concupiscat. De tota quippe Ecclesia Paulus dicit: *Qui exhibuit sibi Ecclesiam, vestem sine macula & ruga, Ephes. V, 27.* Et de singulis Ecclesiæ fidelibus dicitur: *His omnibus velut ornamento vestieris, Esai XLIX, 18.* Sic tinctæ ergo, sic pulchræ, sic pur-

purpureæ factæ Sponsæ, adgaudens Sponsus loquitur, dicens.

(*Sponsa pulchra & decora, ob delicias mentis.*)

9. vers 6. *Quàm pulchra es, & quàm decora, charissima in deliciis.* Notandum quod charissima in deliciis dicitur: quia ad charitatem & familiaritatem Christi non pervenit, quisquis Scripturæ sanctæ deliciis abundare non contendit. Inde enim dicitur: *Omni habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferitur ab eo, Matth. XIII, 12.* His enim deliciis qui abundat, reficitur: his refectus, assidue ad majora percipienda præparatur. Vnde & huic Sponsæ carissimæ dicitur.

(*Cujus statura assimilata est palmæ, quæ deorsum stricta, sursum dilatatur & expanditur.*)

10. vers 7. *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.* Palma quippe dum crescit, deorsum stringitur, & sursum dilatatur. Sic sancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad majora crescendo, usque ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit. *Nemo enim*, sicut scriptum est, *repente fit summus.* In psalmo autem de justo homine dicitur, *justus ut palma florebit, Psalm. XCII, 13.* Vbera autem Sponsæ, duo præcepta charitatis existunt: quæ animam quam possident, vino coelesti inebriant, & nutriunt. Potest tamen per palmam, crux Christi intelligi. Palma enim in sublime valde crescens, dulcissimos fructus gignit: & crux Christi coelestem cibum nobis præparavit. Cui statura Sponsæ assimilatur: quia pro Christo mori non dubitat, quisquis Christum valde diligens, digne imitatur. De palma loquitur Sponsus, dicens.

(*Christus ascendit ad palmam crucis, unde collegit fructus ejus.*)

11. vers 8. *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Dixit vere & ascendit, quia sicut ante secula pro morte nostra mori disposuit, sic in fine mundi propitius & verax adimplevit. In palmam ergo ascendit, & fructus ejus apprehendit: quia in cruce suspensus fructum vitæ invenit, ac apprehendit, & nobis tribuit. Vnde adimpletum est, quod sequitur, *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Vere per crucem, ubera Sponsæ sicut botri vineæ existunt: quia in morte Christi duo præcepta charitatis sensus animæ susceperunt, quibus pasta anima debrietur, debriata posteriora obliviscatur, & in anteriora extendatur. His uberibus etiam proximos quosque nutrit, ac roboratos secum ad ea, quæ concupiscit, perducit. Vnde scriptum est: *Et odor oris tui, sicut malorum, vide cap. IV, 13.* Mala punica de quibus superius tam sæpe dictum est, hic rememorantur: quorum odori, odor oris Sponsæ bene satis assimilatur. Per mala autem punica, Martyres designari superius diximus. Per os autem Sponsæ, hic debere intelligi ejus prædicationem putamus: quæ dum virtutes Martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat: quid aliud quam malorum odorem, in ore portat? Quia & ruborem corticis in Martyrio ostendit, quod prædicat: & in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide, quasi sub eodem cortice demonstrat. De quo & subditur.

(*Guttur unde vox prodit, prædicationem exhibet seu præmonstrat.*)

12. vers 9. *Guttur tuum, quasi vinum optimum.* In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio iterum designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur: quia mentes hominum inebriat, ut præteritorum sicut dictum est obliviscantur, & in anteriora currentes non lassentur. De quo Sponsa verbum de ore Sponsi suscipiens, adjungit: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.* Tale est Sponsæ vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum: quia dum ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti, bonum esse verbis & operibus demonstrat: quid aliud quam vinum suum dignum facit, ut in ore Sponsi dulce sapiat? Quod bene Christus potare dicitur: quia a corpore suo, id est, à populis fidelibus, amabiliter potatur. De quo notandum est, quod omnes potant, sed labia sola & soli dentes ruminant: quia dum Ecclesia per Sanctos suos prædicat; omnes quidem audiunt, sed non omnes quantæ sit virtus sententiarum quæ dicuntur, discernunt. Labia verò & dentes ruminant, quia dum perfectiores quique, post auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant: quasi ad os revocantes quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi quem comederunt, sentiunt. Idcirco in lege scribitur, quia animal, quod non ruminat, immundum habetur, *Levit. XI, 26.* quod quisquis bona quæ audit vel legit non recogitat, vacans à sanctis cogitationibus, necessariò immundas congregat. Sequitur Sponsa, & dicit.

(*Adhæsio animæ, ad Christum.*)

13. vers 10. *Ego Dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Ac si diceret, Quoniam fide ac dilectione Christo soli adhæreo, solum sequor, solum cum Patre & Spiritu Sancto unum Deum videre concupisco: respectionis ejus suavitatem, visitationis benignitatem, conversationis dulcedinem gaudenter experiens, proclamo.

(*Egressus Sponsæ in agrum, eò Sponsum invitantis, ut videat fructus Ecclesiæ sanctæ.*)

14. vers 11. & 12. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiant, si floruerunt mala punica.* Dum Sponsa Sponsi dulcedinem experta se reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipsius Sponsi præcepto, sicut se diligit. Et quia Sponsi præcepta vel secreta intelligit, etiam ut alii in-

intelligant, concupiscit, dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*. Ager quippe teste Veritate, est hic mundus, *Matth. XIII, 38*. In agrum verò cum Sponsa Sponsus egreditur, quando Verbum Dei carne susceptâ, in thalamo Virginis mundo monstratur. In villis commoratur, quando gentes per fidem visitat, quam recipientibus largitur. Mane ad vineas surgit: quia post resurrectionem suam in gloria Patris sedens, Ecclesias quas construit, etiam defendit. Si floruit vinea, conspicit: quia omnem profectum Ecclesiæ, districto examine perpendit. Videt, si flores fructus parturiunt: quia perspicit ad quem profectum, teneri quique & imperfecti excrescunt. Videt etiam, si floruerunt mala punica: quia perfectos quosque respicit, & quid utilitatis in proximis habeant, quasi in floribus fructum arborum cognoscit. De quibus bene sequitur: *Ibi dabo tibi ubera mea*. In malis punicis, dat Sponsu Sponsa ubera: quia in perfectis vivit charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Ecclesia nutriunt, quasi Christum lactant, quem in minimis suis esse præsentem cognoscunt. De quibus bene subditur.

(*Mandragora medicinalis herba & odorifera, qua perfectos repræsentat.*)

15. vers 13. *Mandragora dederunt odorem suum, in portis nostris*. Quid per mandragoras herbam scilicet medicinalem & odoriferam, nisi virtus perfectorum intelligitur? Per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur, in fide quam prædicant, id est in portis Ecclesiæ, veri medici esse comprobantur. Qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuunt, quasi odorem quo ægroti sanentur, aspergunt. Sequitur. *Omnia poma nova & vetera, Dilecte mi servavi tibi*. Hic per poma sensus Scripturarum Sanctarum intelliguntur, quæ dum ex Patribus Sanctis ad nos usque perveniunt & creduntur: quasi ex arboribus poma exurgunt, quibus animæ delectantur. Omnia ergo poma nova & vetera, Dilecto suo Sponsa servat: quia sic Novum Testamentum Ecclesia Catholica recipit, ut vetus non abjiciat. Sic Vetus veneratur, ut Novum semper in ipsis sacrificiis carnalibus per spiritum intelligat: in Novo scilicet Christum venisse congaudens, in Veteri autem semper venturum expectans, & dicens.

a) Editiones legunt *irrogationem*, sed mendose.

CAPUT OCTAVUM.

(*Sponsa quærit osculum Sponsi, invento eo foris.*)

1. vers 1. **Q**Vis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? In veteri lege Ecclesia posita Christum exoptabat & expectabat, & in secreto Patris manentem; foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Unde & David desiderans dicebat: *Exurge & ne repellas in finem, Psalm. XLIV, 23*. Et alibi: *Inclina cælos tuos & descende, Psalm. CXLIV, 5*. Et Isaias valde cupiens cum videre, dicebat: *Utinam dirumperes cælos, & descenderes, Esai. LXIV, 1*. Vult ergo Sponsum foris Sponsa invenire, & deosculari: quia concupiscit sub lege posita ut per carnem appareat, ut ei per amorem serviat: cui prius non acceptâ gratiâ, plus timore quam amore serviebat. Post cujus osculum, jam à nemine despicitur: quia postquam Christus venit, & fidelibus suis Spiritum libertatis infudit, ab ipsis etiam Angelis Ecclesia honoratur. Hinc est quod Josuë Angelum adoravit, *Josuë V, 14*. Joanni vero volenti se adorare dixit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & unus fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Apoc. XXII, 8*. Sed quia venientem Ecclesia suscepit, Synagoga repulit: iterum eum in fine mundi suscipiet & amabit. Ideo subsequitur Ecclesia, & dicit.

(*Optat eum apprehendere, ac ducere in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ.*)

2. vers 2. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino conditum, & mustum malorum granatorum meorum*. Apprehensum, in domum matris suæ ducit: quia Synagogæ in fine mundi, Christum in quem credit, prædicabit. Dumque per prædicationem Ecclesiæ susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit: quia se doceri gaudebit, quando Synagogam jam idem corpus factam erudiri secum videbit. *Poculum ex vino conditum Ecclesia dabit*: quia ipsi Synagogæ Novum Testamentum cum veteri prædicabit. Et quasi vinum poculo condiet: quia dulcedinem Evangelii, testimoniis legis quæ aspera est, ut robustius teneatur, cinget. *Mustum* vero *granatorum suorum* tribuet, quia fortium virorum qui unitatem Ecclesiæ etiam in Martyrio tenuerunt, exempla apponet: ut ad eorum similitudinem Synagoga inardescat, & Antichristi persecutionibus, Martyrum præcedentium exemplis roborata, non succumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audiet, ad eorum imitationem, pugnam subire non dubitabit. Quod aperte manifestat, cum subjungit.

(*Læva sub capite, vita est præsens: dextra qua eam amplexabitur, alterna gloria.*)

3. vers 3. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Læva Christi, vita præsens: dextera vero vita beata habetur: Caput autem nostrum spiritualiter mens esse perhibetur. Dicit ergo Synagoga prædicationibus Ecclesiæ jam conversa, exemplis roborata, imitatione sublevata: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Ac si diceret: Quoniam nunc tandem Christi fidem teneo, ejus ineffabilem gratiam experior concupiscibilem, & quam desiderare nesciebam dulcedinem sen-

fentio: jam terrena omnia postpono, etiam ipsam vitam carnis pro ejus amore contemno, & ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Hoc quippe quod rem quamlibet amplectitur, ipsam quam amplectitur rem, ex omni parte intra se habere non ignoratur. Læva ergo sub capite est, & dextera amplexatur: quando sancta anima menti ea, quæ videt, supponit: & ea, quæ non videt, omni conatu & universis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modò nonnulli, qui tanto desiderio cœlestia sectantur: ut omnia visibilia pro nihilo reputent, mentem suam cœlestibus studiis sine intermissione occupent, ut nihil aliud agere libeat: quidquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat: hanc solam diligat, cætera contemnat, nisi fortè ea isti necessaria esse cognoscat. Isti verò sub capite lævam habent, qui mente erectâ ad beatitudinem Christi currentes, vitam præsentem sub se vident: & dextera Christi eos amplexatur, quia ex omni parte eos dilectio cœlestis intra se retinens tuetur. Hujusmodi quippe viri sancto otio delectantur, in quo vitæ beatæ delectatione concupiscibiliter per contemplationem perfruuntur. In qua contemplatione oculum cordis mundant, ut Deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, videant: cujus visione se illuminent, suavitate reficiant. Isti illam beatitudinem jam aliquantulum experiuntur, de qua in Evangelio veritatis voce dicitur: *Beati mundo corde, Matth. V, 8.* Quod enim futurum est, jam in eis incipit compleri: quia etsi in hoc mundo adhuc in carne vivunt, jam tamen per hoc quod majus est in eis, extra carnem sunt. In his impletur, quod per Psalmistam divina voce præcipitur: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, Psalm. XLVI, 11.* Hi enim quo sine mundi strepitu vivunt, eò mentem in Dei visionem, per desiderium & contemplationem figunt. Et quoniam tales multi ex Synagoga, in fine mundi ut credimus, per conversationem erunt, bene ad hujusmodi dictum intelligitur: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* De quibus & pro quibus, Sponsus loquitur consequenter.

(*Adjuratio ne suscitetur dilecta, donec ipsa velit, supra Cap. VII. n. 7.*)

4. vers 4. *Adjuro vos filiæ Herusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Sed quia jam illud superius exposuimus, iterum exponere recusamus. Sed de eadem Synagoga jam facta Ecclesia, filiæ Herusalem admirantes interrogant, & dicunt.

(*Ecclesia ascendit de deserto vita præsentis, bonorum operum deliciis affluens, innixa super dilectum suum Christum.*)

5. vers 5. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Sancta Ecclesia vel quælibet sancta anima de deserto ascendit: quia in exilio hujus peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente & cogitatibus tendit. Unde & Paulus dicebat, *Nostra conversatio in cælis est, Phil. III, 20.* Deliciis affluit: quia Sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assiduè mentem pascit. Super Dilectum innititur: quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe veritas omnibus fidelibus ait: *Sine me nihil potestis facere, Joan. XV, 5.* Unde verò acceperit, ut ab infimis ad superiora, à deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus eum subdit: *Sub arbore malo suscitavi te.* Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? Quæ malum illud sustinuit, de quo eadem Sponsa in superioribus dicit: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios, Cant. II, 3.* Sed Sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit: quia in cruce positus, subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit, ut à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens ad novam resurrectionem præpararet. Unde & Apostolus cuivis animæ mortuæ dicit: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, Ephes. V, 14.* Et quibusdam qui jam surrexerant, alibi dixit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, Coloss. III, 1.* Sed quia infidelitas Synagogæ Christum crucifixit, ideo sequitur: *Ibi corrupta est mater tua.* Sub arbore malo, mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur: quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cujus sceleris magnitudinem inculcat, eum idem explicat, dicens: *Ibi violata est genitrix tua.* Sed quoniam ad hoc cæcitas in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret, *Rom. XI, 25.* ideo intranti Ecclesiæ dicitur.

(*Sponsus ponitur ut signaculum, super cor & brachium Sponsæ, sanctis cogitationibus & operibus.*)

6. vers 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo & super brachium Sponsæ, dilectus ut signaculum ponitur: quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius & exterius Christum portat: quia dum in ejus meditationibus assidue laboret, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo ejus dilecta esse, dubitari non debeat. De quo signo, ipse Sponsus discipulis suis ajebat, *In hoc cognoscent omnes, quia veri mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem, Joan. XIII, 35.* De qua dilectione, mox subditur.

(*Fortis est ut mors, Christi dilectio.*)

7. *Quia fortis est ut mors dilectio.* Bene procul dubio, fortis ut mors dilectio esse perhibetur: quia dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum, ut omnia visibilia negligant: & dum in æterna mente ten-

tendunt, ad omnia temporalia pene insensibiles fiunt. In his nimirum fortis ut mors, dilectio existit: quia sicut mors exteriores corporis sensus, ab omni proprio & naturali appetitu interficit: Sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere, mentem aliis intentam compellit. Hujusmodi mortuis & vivis dicebat Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo, Col. III, 3.* Hi procul dubio vitam suam cum Christo abscondunt, qui dum omnia quæ videmus postponunt: in his quæ non videmus, in beatitudine scilicet Christi, veraciter & secrete vivunt. Quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in verâ vitâ se abscondunt, quæ nonnisi invisibilibus oculis se manifestat. Potest etiam intelligi, ut hoc de seipso Christus dicat, inquiens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio* Ac si diceret, Dignum est ut in mente & actione signum dilectionis meæ, meipsum tecum feras: quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem subii, ut tu quæ mortua in infidelitate eras, mecum resurgens in fidei novitate, spiritaliter vivas. Sed quia in cruce suspensus nequaquam fuisset, nisi ad magnam invidiam cor Synagogæ exarsisset, ideo subditur.

(*Dura sicut infernus, Judæorum ad mortem Christi persequendam, æmulatio.*)

8. *Dura sicut infernus, æmulatio.* Æmulatio quippe & in bonum, & in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur: *Æmulamini charismata meliora, 1. Cor. XII, 31.* In malum autem assumitur, ubi per Samuelem Saüli dicitur: *Auferetur à te regnum, & dabitur æmulo tuo, 1. Reg. XXVIII, 17.* Æmulus quippe ejus David dicitur, cui Saül invidere non ignoratur. Dura ergo sicut infernus æmulatio, quia dum Synagoga Christum ad inferos posse transmittere se putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut Infernus dura æmulatin existit, quia sicut infernus sine misericordia quos tenet, cruciat: sic Judaica plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis ad mortem trahebat. De qua bene subditur.

(*Lampades invidiæ, lampades ignis atque flammarum, quas in martyres excitarunt.*)

9. *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Sicut enim ignis, quæ incendit, consumit: Sic Judæos ab omni fidei virtute, invidia sua destruxit. De quibus bene alibi dicitur, *Et nunc ignis adversarios consumit, Heb. X, 27.* Ac si diceretur: Antequam ad æternam ignem veniant, in præsenti consumuntur: quia in seipsis ignem invidiæ portant, qui sine combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in Gentilibus usque ad Christianorum martyria per mundum universum excrevit. Sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur.

(*Aquæ tribulationum multæ, charitatem Martyrum extinguere non potuerunt, quam nec flumina obruent.*)

10. vers 7. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Charitate quippe Martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare *a*) non valebant. Hoc nimirum esset charitatem extinguere, si in tribulationibus quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictæ sint: quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa & vivacitas intelligitur? flumina quippe, vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem super Martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeo charitatis vigor *b*) vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret: ideo multi etiam persecutorum ad eandem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, & seipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. Unde & subditur.

(*Quam reliquis omnibus, homo justus prafert.*)

11. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,* Cum terrenæ substantiæ cupiditate Deus non diligitur, quia terrenus amor oculum cordis sordidat, ne divina claritas videatur. Contra quod in Evangelio dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. V, 8.* Et Joannes Apostolus ait: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, 1. Joan. II, 15.* Nec mirum, quomodo enim eum diligere potest, quem nescit? Aut quomodo eum scit, ad quem sciendum, oculum cordis claudit? Sed homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit: ut abjiciens quod impedit, Deum diligat: & terso pulvere sollicitudinum, oculos aperiat ut Deum videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit: quia postquam oculum tersit & Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihil pendit. Hoc Apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. Quibus ipse Christus, pro quo omnia dimiserant, dicebat: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt nobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc. XVII, 10.* Sed quoniam abjecta terrena substantia non statim ad perfectionem ascenditur, quia rebus exterioribus abnegatis, restat etiam labor: ut idem ipse homo à semetipso abnegetur, gradatim proficiat, & quandoque perfectus non solum se, sed & alios secum ad vitam tra-

trahat: Ideo de nova & tenera adhuc Ecclesia, vel unaquaque anima consequenter dicitur.

(*Ecclesia novella, ubera non habuit.*)

12. vers 8. *Soror nostra parvula est, & ubera non habet.* Sororem Christus Ecclesiam vocat, quia de ipsis Apostolis dicebat: *Ite, dicite fratribus meis, Matth. XXVIII, 10.* Soror autem parvula, ubera non habebat: quando in solis Apostolis Ecclesia erat, in quibus seipsam vel alios nutrire lacte prædicationis non poterat. Quid enim Petrus aliis prædicaret, cum seipsum discipulum Christi, in unius ancillæ voce detestando, & jurando negaret? Prima ergo Ecclesia, ubera non habebat: quia post resurrectionem in una domo inclusa, inter persecutores suos, non dico prædicare, sed & videri timebat. Consequenter ergo dicitur, *Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?* Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum Sanctum super Apostolos misit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed a quibus hoc quærere intelligendus est, qui omnia novit: nisi a Sanctis Patribus antiquis, quos ad quærendum Spiritu Sancto instigavit? Quibus eodem Spiritu Sancto quo in quæstionem eos induxit, respondet protinus convenienter, & ait.

(*Dato Spiritu Sancto, Ecclesia sancta murus effecta est, cujus propugnacula argentea.*)

13. vers 9. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Dato Spiritu Sancto, *murus* sancta Ecclesia efficitur: quia quæ prius timida erat, instruente eandem Spiritu omnipotente ad resistendum adversariis impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidus, mox contra Principes rigidus, quibus dicebat, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, Act. V, 29.* Et interum: *Si justum est nos potius audire quam Deum, judicate. Nos enim non possumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui, Act. IV, 19.* Et de cæteris discipulis scriptum est: *Ibant discipuli gaudentes à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, Act. V, 41.* Ecce qualis murus facta est Ecclesia, quæ modo tenerrima, nec pedem cujuslibet gradientis, sine sui læsione gerit: modo vero accepto mirabili artifice Spiritu Sancto, universi exercitus assultus illæsa contemnit. Super quam propugnacula ædificantur, quia ut non tantummodo se defendat, sed ut & impugnantes resistendo prosternat, miracula ei facere conceditur: quæ cum hostes viderint, ab ejus aggressione jacula timentes, terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur: quia ipsa miracula, cum verbi prædicatione donantur. Et quia argentum valde sonorum est metallum, argentea propugnacula existunt: quia per miracula factum est, ut eorum verba per universum mundum convalescerent, & fidei prædicationem inflexibiliter circumquaque diffunderent. Quod manifestat, Psalmista dicens: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum Psalm, XIX, 5.* Sequitur.

(*Ecclesia sancta ostium in paradisum est, ex tabulis cedrinis imputribilibus.*)

14. *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Ostium etiam bene esse Ecclesiam dicimus, quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi, accepisse scimus. Ostium procul dubio in suis Prædicatoribus existit, quia per eos aditus ad vitam se *c*) nobis aperit. Unde & ipsi primo pastori Ecclesiæ dicitur: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis, Marc. XVI, 19.* Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit: *Ego sum ostium, Joan. X, 9.* Ostium vero tabulis cedrinis compingitur, quia Sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur: & dum populi variis virtutibus aspergantur, ut videlicet alius de rebus, quas possidet, indigentibus necessaria tribuat: alius omnia abjiciens, etiam à legitimo connubio abstineat: alius vero tantum proficiat, ut aliorum etiam prædicator fiat: tanquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur. Quæ Sancto Spiritu convalescens, hilariter respondet dicens.

(*Eadem murus est ob firmitatem, cujus ubera sicut turris, ob elevationem & contemplationem prædicatorum.*)

15. vers 10. *Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Ubera sua sicut turrim habuit, ex quo pacem coram sponso reperit: quia postquam sub ipso Spiritum pacis accepit, prædicatores contemplatione altos, & robore inflexibiles nutrivit. Sed quid est quod non ait *Pacem*, sed *Quasi pacem* reperiens: nisi quia dum in hoc mundo sumus, a peccato *d*) omnimodis non desistimus: & quandiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo, qui sine peccato in carne vixit, non habemus? Sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsum mediatorem Dei & hominum tenemus, ideo subditur.

(*Eadem vinea, Pacifico vero, Domino Jesu Christo.*)

16. vers 11. *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.* Ipse vero pacificus noster esse dicitur, quia per ipsum Deo omne genus humanum reconciliatum est. Huic pacifico vinea fuit, quia in labore præceptorum carnalium Synagogam plantavit: de qua dicitur, *Vinea Domini Sebaoth domus Israël, est Isai. V, 7.* Quæ vinea, in ea quæ habet populos existit: quia in lege posita est, quæ multos populos ad se collegit. De quibus populis dicitur, *Populi meditati sunt inania, Psalm. II, 1.* Hanc vineam custodibus tradidit, quia Synagogam Moysi & cæteris patribus custodiendam subjecit. De qua bene subditur.

Pro

(*Pro cujus suavi fructu, Christiani offerunt mille argenteos, terrenis omnibus despectis.*)

17. *Vir affert pro fructu ejus, mille argenteos.* Hæc vinea fructum protulit, quia ex synagoga botrus ille magnus qui de terra promissionis allatus est, Christus videlicet Jesus, per humanitatem processit. De quo fructu Pater ad David ait: *De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam, Psalm CXXXII, 11.* Vnde & Apostolus scribit: *Quorum patres sunt, & ex quibus Christus, Rom. IX, 5.* Per argenteos vero in hoc loco omnem terrenam substantiam intelligimus, de qua Petrus Eleemosynam petenti claudo dicebat: *Argentum & aurum non est mihi, Act. III, 6.* Pro fructu ergo vineæ, vir mille argenteos affert; quia quisquis viriliter in fide quam suscepit, se habet, libenti mente & perfecte omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cujuslibet demonstratur. Hos argenteos in primitiva Ecclesia illi ferebant, de quibus in actibus Apostolum scriptum est. *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant; & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum, pretia eorum quæ vendebant, Act. IV, 34.* Isti congregati aliam vineam, videlicet sanctam Ecclesiam ex seipsis construxerunt, & ut boni agricolæ sanguine suo propagaverunt, & prædicationibus usque ad fines terræ dilataverunt: ut jam mundum pene universum impleat, & fructum gratum locata agricolis suis temporibus reddat. Vnde in Evangelio dicitur: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis, Matth. XX, 41.* De qua vinea jam bonis locata, ipse pacificus dicit.

(*Quæ vinea, semper coram sponso est, sollicitudine assidua.*)

18. vers 12. *Vinea mea coram me est.* Coram ipso vinea sua existit, quia perditis malis agricolis, sanctam Ecclesiam per bonos Doctores, respectu benigno erudit. Cui dicit, *Mille tui pacifici, & ducenti iis, qui custodiunt fructus ejus.* Qui sunt isti pacifici, qui mille dicuntur esse, & ducenti: nisi illi superiores argentei quos dum perfecte dimittimus, pacem per eorum distributionem, cum Sanctis, nobis ipsis acquirimus? Vnde & in Evangelio Dominus præcipit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, Luc. XVI, 9.* Sed quid per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem quam acquirimus: dum in hoc mundo perfecte pro Christo, omnia terrena contemnimus? Mille ergo & ducenti Ecclesiæ argentei existunt, quia dum fideles quippe omnia quæ possident ex toto relinquunt: & pacem sibi cum Sanctis faciunt & præsentis vitæ remunerationem cum cœlesti percipiunt. Et hoc est quod Dominus in Evangelio ait: *Amen Amen dico vobis, nemo est quid reliquerit domum, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & propter Evangelium: qui non accipiet centies tantum,* nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & filios, & agros cum persecutionibus: *& in seculo futuro vitam æternam, Matth. XIX, 29.* Sed quibus ista renumeratio sic duplicatur, nisi his qui custodiunt fructus ejus? Qui sunt autem, qui fructus vineæ custodiunt. Nisi illi qui in sancto opere quod inceperunt, perseverantes existunt. Opus enim, quod sancto desiderio incipitur, si constantia mentis usque ad finem non tenetur, sine fructu habetur: quia immature ab hoc unde processerat, evacuatur. Ideo Dominus in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, Marc. X, 22.* Sequitur Sponsus & dicit.

Habitat sponsa in hortis ad quietem, cujus vocem sponsus audire desiderat)

19. vers 13. *Quæ habitas in hortis, amici, auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Sponsa in hortis habitat, quia sancta Ecclesia vel quælibet sancta anima, in fructificatione virtutum mentem versat. Cujus vocem Sponsus audire desiderat: quia hoc summopere Christo placet, ut perfectus quilibet vir, infirmos quosque verbo sanctæ prædicationis *d*) admoneat. Amici enim auscultant, quia fideles in Ecclesia, ut amicus sponsi loquatur, pio desiderio expectant. Et notandum quod amicus est, qui auscultat: quia qui Deum mente integra diligit, prædicantem quem diligit, libenter audit. Vnde in Evangelio dicitur, *Qui ex Deo est, verba Dei audit, Joan. VIII, 47.* Sed quia dum Ecclesia veritatem prædicat, multi non intelligunt, munti quod percipiunt, pravo intellectu subvertunt: ideo admonenti ut prædicet, respondet sponsa & dicit.

(*Fuga sponsi super montes aromatum, assimilata capreæ hinnuloque cervorum, ob assumptam carnis nostræ similitudinem.*)

20. vers 14. *Fuge dilecte mi, & assimulare capreæ hinnuloque cervorum, super montes aromatum.* Dilectus fugit, quia a reprobis cordibus, se ne intelligatur, abscondit. Dum enim reprobæ mentes ad audienda vel legenda verba Dei perversa intentione accedunt: digno judicio veritatem non inveniunt quam in digno apperitu requirunt. Vnde & ipsa Dei sapientia dicit: *Quærent me mali, & non invenient, Prov. I, 28.* Sed fugiens reprobos dilectus, montes aromatum petit: quia perversos dimittens, sanctas animas visitare non desinit: quæ & per contemplationem excelsæ sunt, & per confectiones virtutum, oderifera unguenta secum ferunt. Super hos montes, Dilectus capreæ & hinnulo cervorum assimilatur: quia in cordibus Sanctorum virorum manifestatur, quam pia charitate humanitatem pro nobis assumpsit. Quia dum ex Patribus antiquis natus fuit, quasi ex cervis hinnulus, sicut dictum est superius, venit. Qui dum esset dives, pauperem se ut nos ditaremur, fecit: & dum esset super omnia excelsus, humilitatem nostram in effabili dignatione suscepit. Cui immensas gratias quoad usque vivimus, reddamus, Cui pro nobis in mortem tradito

dito

dito, & resurgenti in immortalitatem, nos ipsos & spiritum & corpus debemus: qui vivit & regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

a) MS. legit *transmittere*.
b) Codex legit alius, *charitas vixit*,
c) Alia legit male, *vobis*.
d) Alius Codex, *à peccatis*.

1090 JOANNES PATRIARCHA ANTIOCHENUS, natione Syrus, patria Damascenus, unde Joannes Damascenus Junior dictus, ob patriam, circa annum 1090. teste Lambecio floruit. Falsum autem esse videtur, quod scribit Joannes Baptista Cotelerius in Notis ad tomum I. *Veterum monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, indicare Joannem nostrum, se sub medium seculi duodecimi vixisse, cum ait ab Hæresi iconomachica ad ætatem suam annos quadringentos effluxisse: Hoc enim intelligi commode potest, ab initio seculi octavi, quo illa Hæresis seu opinio excepit, nempe ante annum 713. usque ad finem seculi undecimi quo Joannes iste Patriarcha Antiochenus sub Alexio Comneno Imperatore vivit, qui ab anno 1081. ad 1118. clarum imperii tenuit: unde recta ac plana quadringentorum annotum, de quibus loquitur dictus Joannes, ad sua usque tempora supputatio: ab anno nimirum DCC. ad annum MC. vel circiter. Ætas vera Joannis Patriarchæ Antiocheni fuit anno 1099. sub Urbani II. Pontificatu Romano, eo tempore quo à Godefrido Duce Bullonienfi, Occidentalium Crucesignatorum ope, Hierosolyma Saracenis occupantibus erepta fuit per deditionem, quæ post Damascum ab illis anno 634. ab iisdem anno 636. occupata & per annos 463. etiam possessa, nimirum usque ad annum 1099. Ac tentata quidem sæpe ab Imperatoribus Orientalibus, illius per obsidionem recuperatio sed irrito semper conatu, ut scriptores Græci testantur, ac cæteros inter, Theophanes & Cedrenus. Id quoque magis patet ex *Oratione hujus Joannis Antiocheni in donationes Monasteriorum Laicis factas*, quam Græce & Latine protulit tomo I. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 159. ad pag. 192. idem Corelerius, ex MSS. duobus Regiæ Galliarum Bibliothecæ Codicibus Græcis 277. & 2616. inscribitur, τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Ἰωάννου τοῦ ἐν τῇ Ὀξείᾳ νήσῳ ἀσκήσαντος. Λόγος περὶ τοῦ ὅτι οἱ τὰ μοναστήρια διὰ δωρεῶν λαμβάνοντες, εἴτε ἀρχιερατικῶν εἴτε βασιλικῶν, καὶ ἐκ τῶν μοναστηρίων κέρδη ἔχοντες, ἀσεβοῦσιν. Ὁ δὲ λόγος ἐν προοιμίοις περὶ τῆς μοναχικῆς πολιτείας διαλαμβάνει. ὅλος ἐν κεφαλαίοις δεκαοκτὼ συμπληρούμενος. ἤτοι Λόγος διαλαμβάνων τὰ περὶ τῆς νῦν ἐνδυναστευούσης τῇ ἡμῶν Χριστιανῶν πολιτείᾳ, δοκούσης δὲ μὴ εἶναι ἀσεβείας. Φημὶ δὴ τὸ διὰ δωρεᾶς χαρίζεσθαι τὰ ἀνδρῷά τε καὶ γυναικεῖα μοναστήρια ἄρχουσι, καὶ λαϊκοῖς, καὶ λοιποῖς. *Sanctissimi & beatissimi Patriarchæ Antiocheni Domini Johannis, qui in Oxia insula Monachus fuit: Oratio quod qui Monasteria per dona sive Pontificum, sive Imperatorum accipiunt, ac à Monasteriis lucra capiunt, impie agant. Oratio autem in priori parte de Monastica disciplina agit, totaque Capitibus decem & octo concluditur. Sive Oratio, quæ disceptatur de ea quæ nunc in Christiana nostra Republica viget, non putatur esse impietas: Largiendi inquam, per donum, virorum mulierumque Monasteria, Proceribus, Laicis & cæteris.* Constat autem ut supra diximus in *Joanne Scylitze seu Curopalate*, hoc factum esse sub initium imperii Alexii Comneni, qui cum omnia fisco Imperiali virorum ac mulierum Monasteria addixisset, illa in gratiam Procerum & Laicorum quorum interventa tyrannidem occupaverat, conferebat. Joannes ergo hic, qui adversus corruptionem hanc scribit, florebat sub Alexio Comneno circa annum 1090. non autem anno 1150. sicut erronee scribunt loco citato col. 747. in Notis ad tomum I. *Veterum Monumetnorum Ecclesiæ Græcæ* Joannes Cotelerius, atque post ipsum Guillelmus Cavus qui nihil exeussit, seculo Duodecimo *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1150. pag. 672. Hujus Opusculi Theodorus Balsamon Labente seculo XII. mentionem facit, huncque tractatum impugnat & improbat, attendens ad jus novum temporis sui. Accipe verba illius ad can. 13. VII. Synodi. Τὰ ἐν τῇ ἐξηγήσει τοῦ παρόντος Κανόνος γεγραμμένα παρ᾽ ἡμῶν, ἀρκέσουσι τῷ βουλομένῳ, εἰς το μὴ προσέχειν τοῖς παρὰ τοῦ Πατριάρχου ἐκείνου Ἀντιοχείας κυροῦ Ἰωάννου γραφεῖσι, χάριν τοῦ μὴ δίδοσθαι προσώποις μοναστήρια, καὶ ὀνομάζουσι τὸ ἔργον τοῦτο ἀσέβειαν. πάντως γὰρ κατακρατίσει τούτου, ὁ παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου οἰκουμενικοῦ κυροῦ Σεργίου γεγονὼς τόμος, ἑρμηνεύων πῶς ὀφείλουσι νοεῖσθαι τὰ τῶν κανόνων μετὰ συνοδικῆς συμπράξεως. *Quæ à nobis scripta sunt in præsentis Canonis expositione, sufficient ei qui voluerit: ut non assentiatur iis quæ ab illo Patriarcha Antiochia domino Joanne scripta sunt, ut non dentur Monasteria personis, ubi & hoc opus impietas nominatur. His enim omnino prævalebit, qui à sanctissimo Patriarcha universali Domino Sergio factus est Tomus, qui interpretatur cum Synodali consensu, quomodo debeant Canonum decreta intelligi.* Quibuscum jungenda, quæ habet Matthæus Blastares, Elemento E. cap. 22. nec non ista notatio ad Bulsamonem respiciens Nomocanonem Photii, quam profert doctissimus vir Guillelmus Bereregius. Σημείωσαι τὰ ἐν τῇ παρούσῃ ἑρμηνείᾳ γραφέντα, χρησιμώτατα ὄντα χάριν τῶν κατὰ δωρεὰν καὶ κέρδος διδομένων μοναστηρίων παρὰ τῶν ἀρχιερέων. καὶ μὴ προσχῇς τοῖς ἐν τῷ α΄ κεφ. τοῦ ια. τιτλ. γραφεῖσι παρὰ τοῦ ἐκθεμένου τὸ Νομοκάνονον. ὅτι ἡ διάταξις τοῦ β! τίτλου τῶν Νεαρῶν, ἥτις ἐστὶ κεφ. Ι τῆς ξ Ἰουστινιανείου Νεαρᾶς, οὐκ ἐτέθη εἰς τὰ Βασιλικά, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐνεργεῖ. *Nota quæ in hac interpretatione scripta sunt, maxime mirum*

mirum utilia, Monasteriorum causa, quæ à Pontificibus dantur in munus & lucrum. Nec attenderis iis quæ cap. 1. tituli 11. exorata sunt ab eo, qui Nomocanonem exposuit. Quia prima Constitutio secundi Novellarum tituli, quæ est caput 10. Justinianea Novella 11. non fuit posita in Basilicis, ac eapropter vim non habet. Itaque ut ad Joannem Patriarcham Antiochenum revertar, ille ipse est qui in fine seculi XI. floruit, memoraturque à Guillelmo Tyrio Lib. 6. *Historia* cap. 23. Alberto Aquensi Lib. 5. cap. 1. Orderico Vitali Libro 10. qui scripsit quoque *Eclogas Asceticas ex variorum Sanctorum Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum Operibus collectas*, & in duas partes divisas, quarum *prima* agit *De meditatione mortis & aeterni judicii, secunda* autem *De oratione, Psalmodia & sacra Synaxi.* Habentur autem in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos, Codice CCXLI. & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 136. pag. 2. ut habet Lambecius Libro seu tomo V. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 105. & 106. his verbis. „Titulus & principium primæ partis desunt, secunda autem inscribitur atque incipit hoc modo: Ἀρχὴ τῆς δευτέρας ὑποθέσεως περὶ εὐχῆς καὶ ψαλμῳδίας κεφάλαια διάφορα ἀπὸ ἁγίων Πατέρων καὶ διδασκάλων. In fine autem ejusdem secundæ partis, fit mentio Joannis Patriarchæ Antiocheni, tanquam istarum authoris Eclogarum, his verbis: τέλος τῆς βίβλου τοῦ μακαριωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας κυρίου Ἰωάννου, τοῦ ἐν τῇ Ὀξείᾳ. Idem quoque Patriarcha Joannes intelligendus est ibidem in fine primæ partis, nempe fol. 78. pag. 1. ubi simpliciter tantum appellatur *Sanctissimus Patriarcha*, & vitæ suæ exitum his verbis deplorat: Τοῦτο τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου. Ἐγὼ δὲ ὁ ταῦτα γράφων οἶδα μὲν, ὅτι μετὰ ἀπὸ τοῦ βίου ἔξοδον &c. Item fol. 100. pag. 1. ubi de Oratione agitur: Τοῦτο τοῦ Πατριάρχου. Οἴμοι ἐγὼ τί ποιήσω; νοήματι πάντοτε προσευχόμενος, οὐ δυνήσομαι καθαρῶς προσεύξασθαι, ἐμπλεκόμενος πράγμασι λαϊκοῖς &c. Cæterum quod ad authores attinet, ex quorum scriptis *Eclogæ* istæ desumptæ sunt, illi ordine Alphabetico sunt sequentes. Ammonas Abbas, S. Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, qui fol. 123. pag. 2. citatur hoc modo: Τοῦ ἁγίου Ἀναστασίου Πατριάρχου Ἀντιοχείας, ἐκ τῶν πρὸς [illegible] Σχολαστικὸν ἢ κεφαλαίων. ὁ τὸν [illegible] ἐρωτήσεις τιμῶν &c. Andreas Cæsarea in Cappadocia Archiepiscopus, qui fol. 38. pag 2. citatur hoc modo: Ἀνδρέου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας, ἐκ τῆς θεραπευτικῆς δευτέρας βίβλου. Ἐρώτησις, πῶς αἱ ψυχαὶ μετὰ τὴν ἐκδημίαν τοῦ σώματος ἀπέρχονται &c. Antonius *Melissa* author. S. Athanasius, qui fol. 46. pag 1. citatur hoc modo: Ἐκ τῶν κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου. Ἐρώτησις, ποῦ ἄρα εἰσὶν αἱ προλαβοῦσαι τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ &c. S. Barsanuphius Anachoreta Palæstinus. S. Basilius Magnus. S. Diadochus Photices in Veteri Epiro sive Illyrico Episcopus. S. Dorotheus Archimandrita, sive Abbas. S. Ephraim Syrus. Esaias Abbas. Evagrius citatur fol. 133. pag. 2. περὶ κενοδοξίας, sive *De vana gloria* Georgius Pisides. Gerasimus, cujus notabilis locus, *De incendio montis Vesuvii sub Imperatore Tito, & de causa subterraneorum ignium, secundum opinionem Christianorum tunc temporis viventium ut & de inferno Platonico secundum Platonis Phædonem, sive Dialogum de immortalitate animarum*, citatur folio 67. hoc modo: Ἐκ τοῦ χρονογράφου Γερασίμου. ἐπὶ Τίτου βασιλέως Ῥωμαίων τὸ Βέσβιον ὄρος ἐν τῇ δύσει κατὰ κορυφῆς ῥαγὲν πῦρ ἀνέβλυσε τοσοῦτον, ὡς καταφλέξαι τὴν παρακειμένην χώραν σὺν ταῖς πόλεσιν. ὅπερ θεασάμενοι οἱ Ἕλληνες καὶ καταπλαγέντες ἠρώτησαν τινὰς τῶν ἐλλογίμων Χριστιανῶν, πῶς καὶ πόθεν ἐξῆλθε τὸ πῦρ &c. S. Gregorius Nazianzenus. S. Gregorius Magnus, primus hujus nominis Pontifex, cujus Dialogi citantur. S. Jo. Chrysostomus. Jo. Cassianus, De patribus Scethensibus. Jo. Clymacus, Joannes Carpathius, Joannes Moschus *Limonarii* sive *Paradisi Spiritualis* author. S. Isaacus Syrus. Isidorus Palusiota, cujus ibi extant aliquot Epistolæ, foliis 64. 120. 121. S. Justinus Philosophus & Martyr. S. Macarius, Marcus Eremita. S. Maximus Manachus & Martyr. Michael Psellus. S. Nilus. S. Theodorus Studita. Extant insuper inter easdem Eclogas, alia etiam fragmenta sive Excerpta miscellanea, nempe ex *Constitutionibus* Apostolicis, ex opere *De vitis Patrum:* item de causa nativi caloris Thermarum, ex *Actis Martyrii S. Patricii, Prusæ in Bithynia Episcopi*, fol. 68. pag. 2. *Ex vita S. Macarii Ægyptii*, fol. 41. pag. 2. *Ex vita Sancti Symeonis Thaumaturgi, sive Stylitæ Senioris*, fol. 128. pag. 1. Hæc Lambecius loco citato. Atque ad eundem, nisi fallor, pertinent, quæ in MS. Theologico Cæsareæ Bibliothecæ Græco CLVII. folio 253. pag. 1. inscribuntur, *Excerpta Joannis Antiocheni contra Latinos*, de quibus Lambecius Libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 250. Ad eundem spectant, *Verba Joannis Antiocheni Episcopi ad Theodorum Episcopum Euphasinum, De baptismo & communione infantium:* quæ adducit Leo. Allatius, in Opusculo *De ætate & interstitiis in collatione Ordinum etiam apud Græcos servandis*, pag. 215. Idem quoque videtur auctor *Quæstionum ad Antiochum ex veteri & novo Testamento* quæ tomo II. Operum S. Athanasii CXXXV. pag. 331. & *Parabolarum & quæstionum quæ sequuntur* ibidem pag. 394. florebat enim illa ætate primæ Occidentalium ad terram Sanctam recuperandam expeditionis, quæ anno 1096. facta est, quo tempore Opuscula hæc conscripta sunt, ut ex eorum lectione liquet. Cum ergo multa mala ab Occidentalibus & Gallis facta in his partibus vidisset,

set, in hos infensus extitit, quos Christum Dominum crucifixisse dicit. Vidi quæ diximus supra, in Dissertatione. *De Operibus S. Athanasii* cap. 4. paragr. 17. & 18. Adde quod ratio hæc commentandi ex diversis, propria fuit hujus Joannis Antiochensis Archiepiscopi, ut in istis Opusculis contingit. Noster igitur Joannes, Patriarcha Antiochenus, multo plura scripsit, quam ut facile credi possit. Nimirum Opuscula multa sub alienis nominibus, ut Occidentalium tunc in Palæstina & Syria crudeliter & impie dominantium invidiam declinaret. Ita enim tunc temporis Occidentales & Galli potissimum sæviebant in Græcos atque Ecclesiam Orientalem sub Joanne Antiocheno Patriarcha collectam, ut indigenæ hospites novos omni odio execrarentur: qui cum sub prætextu jugi Turcarum ab illis excutiendi venissent, longe priores erant illis quos Barbaros appellabant, cum quibus Græci multo tranquillius quam cum Christianis occidentalibus vixerant: si tamen Christiani vocaodi erant, qui in omne scelerum genus, cædium, spurcitiarum, adulteriorum, incendiorum & rapinarum impune debacchabantur. Sub istis igitur Apostolis oovis Græcam Ecclesiam irridentibus, Joannes quotidianis injuriis & exactionibus attritus, animum solabatur *Libros & Tractatus* Græce scribendo, sub veterum Patrum nominibus ut invidiam hospitum novorum & Apostolorum declinaret. Scripsit igitur sub fictitio nomine S. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini ad *Antiochum Principem Librum unum Quæstionum in varia Scripturæ loca*, farraginis instar ex diversis hinc inde Excerptis Patrum collectum, cujus in editione Parisiensi Græco-Latina omnium sancti Athanasii Archiepiscopi Alexandrini Operum anni 1627. Tomo 2. pag. 331. hic titulus est: *Quæstiones ad Antiochum ex Veteri & Novo Testamento CXXXVI. atque Responsiones totidem*, Joanne Reuclino, Valentino Ampelandro & Joanne Lampadio interpretibus: de quibus diffuse disseruimus in Dissertatione *De Operibus sancto Athanasio Alexandrino Archiepiscopo attributis*, cap. 4. §. seu sectione 17. De his autem præsertim ex Leone Allatio, Philippus Labbeus Tomo I. *De scriptoribus Ecclesiasticis* verbo *Athanasius Alexandriæ Archiepiscopus in Addendis*. Duas duntaxat à Labbeo rationes allatas ego proferam. I. Quæ habentur quæstionibus 39. 40. & 41. de veneratione crucis & imaginum cultu, seculum octavum vel nonum præ se ferunt: tacito siquidem nomine, Claudii Taurinensis Episcopi adversus cultum crucis, objectiones iconodulus diluit. Impugnat etiam harum quæstionum & Responsionum author, sententiam eorum, qui asserebant imagines ob Sanctorum & rerum ab iis gestarum præclare duntaxat memoriam, esse conservandas: nullam vero ipsis venerationem exhibendam. *Monachus quidam erat Hierosolymis*, inquit, *cui frequenter adesse, ac molestiam facere solebat dæmon quidam malus. Quadam igitur die ita ipsi apparuit Spiritus, ut conspici posset, & dixit: si cupis ne te amplius oppugnem, imaginem hanc ne adorato, & ego absistam à te. Erat vero imago illa sanctæ Dei Genitricis. Quid ad hæc responderint illi, qui monent ut effigies sanctorum adorentur, quas non ob aliud aliquid, quam memoriæ causa effingimus?* At hæc opinio *solius memoriæ causa retinendas esse Sanctorum imagines*, Gallorum nostratium fuit post septimam Syoodum, ut ex libris Carolinis & ex Synodo Parisiensi sub Ludovico Pio, ex Agobardo Lugdunensi & Jona Aurelianensi Episcopis, constat. Nullæ ejusmodi quæstiones temporibus S. Athanasii motæ sunt, unde luce meridiana clarius est, non esse S. Athanasii quæstiones istas. *Secunda* non conveniunt S. Athanasii temporibus quæ quæstione 44 habentur. *Quantumvis sæpe numero Barbari Palæstinam occupaverint, non permisisse tamen Christum, sua ipsius loca hæreticis tradenda: sed licet ad breve tempus ea aggressi sint, statim tamen iterum Catholica Ecclesia ut porcos eos expulit, ex Christi Domini nostri sanctis mansionibus & locis.* His enim verbis Anonymus hic Græcus, videtur quoque Anastasio Antiocheno tertio junior, cui Quæstiones has ex conjecturis adjudicavimus: nam alludere omnino videtur ad primas expeditiones ab Occidentalibus in Palæstinam factas, quod Vrbani Papæ secundi temporibus contigit: unde & illos ob expeditionem hanc, *Catholicam Ecclesiam* vocat. Hinc certo nos concludimus *Quæstiones* istas à Joanne Patriarcha Antiocheno consarcinatas fuisse, qui temporibus hujus primæ Expeditionis ad annum 1098. Ecclesiam hanc per multos annos administravit, ac vult sub alienis oominibus opuscula conscripsit.

Item *Dicta & interpretationes Parabolarum Sancti Evangelii, cum aliis XX. quæstionibus quæ sequuntur* pag. 394. interprete Joanne Lampadio, eandem cum præcedentibus censuram mereotur. Non esse autem sancti Athanasii perspicue constat, ex quæstionibus 86. & 99. in quibus diserte allegatur S. Gregorius Theologus, Athanasio valde junior. Sunt autem Dicta & interpretationes Parabolarum sancti Evangelii à quæstione 1. ad 46. Diversæ Expositiones ex Veteri Testamento à quæstione 47. ad 75. Dubia in Selectos Psalmos à quæstione 76. ad 92. Denique à quæstione 93. ad 133. & ultimam, Dubitationes ex Epistolis divi Pauli propositæ explicantur. Solus quæstionum ordo farraginem arguit, quales ab Anonymis Græcis multæ in MSS. Codicibus, sub speciosis Justini, Athanasii, Maximi & Anastasii Sinaitæ nominibus, Lectori fucum faciunt. Si conjecturis agere liceat ob allatas supra rationes, ob similitudinem farraginis & methodi, spectant ad Joannem Antiochenum eundem Archiepiscopum, qui anoo 1096. floruit. Hoc coofirmatur ex quæstione 76. qua prodit se anno 1096. posteriorem, ac prima Francorum expeditione in Palæstinam seu

seu terram sanctam, quos *crucifixisse Christum* inquit, dubio procul ob mala quæ illic in Palæstina agebant. Cum enim Franci ex Occidentalibus Palæstinam occupantibus essent numero & impietate scelerum potiores odio erant Joanni Patriarchæ Antiocheno ac Græcis aliis, quos perpetuis torquebant exactionibus & injuriis: unde in his quæstionibus sub Athanasii nomine scriptis, illos eorumque scelera sugillans, scribit *Francos Christum crucifixisse*, quia solos tanti sceleris fuisse idoneos, in toto terrarum orbe credidit. Has autem farragines quæstionum & responsionum in Scripturam, lubens ex aliorum Excerptis scribebat Joannes noster Antiochenus, quia facillimum erat nec multi laboris, scribere libros & collectanea ejus rationis, quomodo se gessit in Operibus plurimis quæ comportavit potius, quam composuit. Non desunt MSS. Codices harum Athanasii quæstionum ad Antiochum Principem, inter MS.) Codices Theologicos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Græcos, Codicibus LVIII. pag. 97. Tomi tertii ejusdem Bibliothecæ CLXIV. Num. 8. CLXV. N. 2. CCX. N. 6. CCXXXVIII. N. 14. Item CCLXXXII. N. 3. & CCXCVII. N. 7. ad quos lectorum mittimus.

Idem scripsit *libros tres seu Orationes tres de Imaginibus* sub nomine sancti Joannis Damasceni, ubi eandem doctrinam habet, non quam Joannes Damascenus in libris *de fide* Orthodoxa docuit, sed quam ipse habuit in *Quæstionibus ad Antiochum Principem*, de quibus antea loquuti sumus. Authorem se autem librorum istorum trium ostendit Jo. Antiarchenus, dum libro 3. allegat *Chronicon Jo. Malelæ* Patriochæ Antiocheni, qui circa annum 910. vel 920. floruit: itemque sub Athanasii Alexandrini nomine *Quæstiones ad Antiochum Principem*, quæ ab ipso factæ sunt, & quas ipsius ætate factas fuisse constat circa annum 1098. dum Alexandrinum Patriarchatum obtineret. Vide quæ latissime disseruimus de his Libris seu Orationibus, in Dissertatione *De Operibus Sancto Joanni Damasceno attributis* Capite 8. ad finem capitis. Certe ad finem *Orationis tertia*, refert Historiam Monachi cujusdam Hierosolymitani, qui in monte Oliveti inclusus à dæmone fornicationis spiritu tentabatur, eo quod Mariæ Virginis imaginem veneraretur. Eandemque hanc Historiam refert Pseudo Athanasius Alexandrinus in *Quæstionibus ad Antiochum Principem*, in Responsione ad quæstionem 39. ut supra verbotenus retulimus: ex qua se unum & eundem auctorem profitetur utriusque operis Joannes Patriarcha Antiochenus, qui ætate, qua Quæstiones illæ scriptæ sunt, vivebat & scribebat. Eandem igitur doctrinam Librorum trium seu Orationum de *imaginibus*, atque Pseudo Athanasii *Quæstionum ad Antiochum Principem* qq. 39. 40. & 41. eandemque ætatem circa annum 1098. vel 1100. qua utrumque opus scriptum fuit, certo demonstrare Joannem Patriarcham Antiochenum utriusque Operis scriptorem esse.

Scripsit quoque *Eclogarum libros duos de rebus Asceticis* juxta methodum Homeri per 24. litteras Alphabeti Græci dispositos, quam primus scribendi rationem in Ecclesiam intulisse legitur, de quibus supra late jam disseruimus, ex Lambecio Tomo V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 105. & 106. Codice MS. Theologico Græco CCXLI. num. 1. his verbis: *Joannis Patriarchæ Antiocheni qui circa annum 1090. floruit, Ecloga Ascetica, ex variorum Sanctorum Patrum, aliorumque scriptorum Ecclesiasticorum operibus collecta & in duas partes divisa.* Codex iste juxta Lambecii descriptionem, ipsius scriptoris *autographus* esse creditur, fide dignior Claromontano Societatis Jesu Parisiensi, qui ex librarii errore, opus citatum S. Joanni Damasceno imperite tribuit, cujus ætate hæc scribendi methodus in usu non erat. Vide quæ diximus in Dissertatione *De scriptis S. Joannis Damasceni* cap. 9. num. 3.

Denique Opus *Parallelorum* quod Græce & Latine ex MS. Codice Vaticanæ Bibliothecæ sub nomine S. Joannis Damasceni editum est Tomo 2. Operum S. Joannis Damasceni a pag. 274. ad pag. 730. a Michaele Lequien, non obstante MS. Vaticani titulo, spectare non potest ad Joannem Damascenum, cujus ætate seu seculo 8. imo & 9. scriptor reperitur nullus usque ad tempora Photii qui *Bibliothecam* Græcorum scriptorum ingentem conscripsit, qui in Ecclesia ad methodum Homeri in Odyssea & Iliade, *Ascetica opera* per litteras XXIV. Alphabeti Græci composuerit. Hæc scribendi methodus inter Ecclesiasticos Scriptores, Græciæ recentioris est, quam primus Joannes Patriarcha Antiochenus induxit ut constat ex MS. Codice Cæsareæ Bibliothecæ Theologico Græco CCXLI. de quo antea diximus. Itaque *Parallela* ista methodo ut ita loquar Homerica composita, spectare videntur ob similitudinem cum *Eclogis Asceticis*, ad Joannem Antiochenum Patriarcham, qui hanc scribendi rationem primus adduxit. Cum enim in Eclogis suis facilem nec multi reperiisset illam laboris, placuit eandem assumere in *Parallelis* colligendis. Vide etiam quæ diximus in Dissertatione *De Operibus S. Joannis Damasceni* editionis Græco-Latinæ Parisiensis 2. in folio tomis anni 1712. Tomo 2. Num. 2. ad pag. editionis 274. Hic autem Joannes, Antiochenus, caute distinguendus est ab altero Joanne Patriarcha Hierosolymitano, cujus extat *Disputatio contra Latinos De Azimis*, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco XLVI. num. 6. ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 65. his verbis. "Sexto & quidem foliis 144. 145. 146. & " 147. *Joannis Patriarchæ Hierosolymitani Disputatio De Azimis*, quam in Urbe Hierosolymitana " cum Philosopho quodam Latino habuit. Ipsius

„tituli Græci verba hæc sunt: ἰωάννου Πατριάρχου ἱεροσολύμων λόγος διαλεκτικὸς μετά τινος Λατίνου φιλοσόφου, ὃν ἐποιήσατο ἐν ἱεροσολύμοις, περὶ τῶν Ἀζύμων. Initium autem „Disputationis, maxima ex parte nunc amplius „minime legibilis, quod summa cum difficul„tate vix ægre investigavi, istud est: Τὸν πολύπτων φασὶν τὸ παράπαν μὴ χαίρειν τῷ &c. Hæc nos desumpsimus verbotenus partim ex Lambecio, libro seu tom. V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, pag. 105. & 106. cujus etiam mentionem facit, ibidem in Catalogo pag. 335. partim ex Joanne Cotelerio, in Notis ad tomum I. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 747. ubi tamen male hæc Opuscula *Joanni alteri Antiocheno Patriarchæ* adscribit, ut supra dicimus.

1090 ANASTASIUS CÆSAREÆ PALÆSTINÆ ARCHIEPISCOPUS, claruisse eodem tempore videtur. Scripsit ille Tractatum *De jejunio sanctissimæ Deiparæ, quodque illud servandum sit ut legitimum*, ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ eductum, quem Græce & Latine produxit Joannes Baptista Cotelerius, *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* Vol. 3. pag. 432. quod Parisiis anno 1687. in 4. editum, cui Notas non pœnitendas ad calcem Tomi adjecit. Hic autem Anastasius Cæsariensis Archiepiscopus in hoc Opusculo *De jejunio sanctissimæ Deiparæ* pag. 438. ex sancti Niconis à se allegati authoritate, inquit hinc jejunio duplex nomen impositum, appellarique passim *Quadragesimam vel jejunium Sanctorum Apostolorum, nec non gloriosæ Deiparæ*: nominibus binis, *priori* quidem, quia maxima pars hujus Quadragesimæ protendebatur ab octava die festi Pentecostes usque ad festum sanctorum Apostolorum, ex indulgentia Patrum modicis jejunii induciis datis, ab hoc festo ad Kalendas Augusti. *Posteriori* autem, quod omnis tandem hæc Quadragesima in honorem Deiparæ fieret, atque ad festum Dormitionis illius terminaretur. Hic ergo claruit & scripsit post S. Niconem Armenum, qui ab anno seculi decimi sexagesimo primo clarus, anno demum 998. die 26. Novembris debitum humanæ naturæ solvit. Atque hinc, aliquot post sancti Niconis mortem, decadibus annorum extitisse, nec anno 1090. hunc Anastasium Cæsareæ Palæstinæ Archiepiscopum anteriorem esse concludimus, cujus opioor solus mentionem facit, qui ejus Tractatum edidit Græce & Latine Joannes Baptista Cotelerius Tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 432. Sed post ipsum Guilielmus Cavus Secunda parte seu Tomo 2. *Historiæ literariæ* seu Commentarii *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem decennio post primum elaboratum, anno 1698. Londini in folio edendum curavit, de quo ita ad annum 1094. mentionem habet. Anastasius gente Palæstinus, seu Syrus, patria ut videtur Antiochenus, Cæsareæ Palæstinæ Archiepiscopus, claruit anno 1094." certe sub Joanne Patriarcha Antiocheno, qui" hunc thronum anno 1090. conscendit, ὁ νυνὶ" πατριάρχης κῦρος ἰωάννης καὶ ἁγιώτατος, qui" *Patriarchatum nunc tenet, sanctissimus Dominus*" *Joannes*. Scripsit Anastasius, *Tractatum de je*-" *junio gloriosissimæ Deiparæ, quodque servandum sit*" *ut legitimum*. Hinc Græce & Latine edidit Jo-" annes Baptista Cotelerius *Veterum monumen*-" *torum Ecclesiæ Græcæ* Tomo 3. pag 432. ex MS." Codice Bibliothecæ Galliarum Regiæ. Hæc" Cavus loco citato."

PHILIPPUS SOLITARIUS, natione Græ- 1090
cus, scripsit anno 1095. ad Callinicum Monachum sibique fratrem ac professione Monastica amicissimum, Opus inscriptum *Dioptram*, id est *Regulam* seu *Amussim rei Christianæ*, quam Latine utramque versam edidit Jacobus Pontanus Soc. Jesu, desumptam ex Codice MS. Græco Bibliothecæ Augustanæ, distinctam per Dialogos & *in quatuor libros* explicatam. Illa spirat ubique maximam pietatem, fragratque studio reddendi homines Deo gratiores ac conformes ejus beneplacito; in qua Philippus versibus Politicis usus est, de quibus fuse agit idem Pontanus in Præfatione ad *Orationes Symeonis junioris Theologi*. Tantique facta hæc Philippi Solitarii *Dioptra*, ut Michael Psellus & Phylaretus hartatu Dionysii Metropolitæ Mytilenensis, illum notis illustraverint: quæ omnia idem Pontanus latinitate donavit, Notisque Gretserus illustriora reddidit Ingolstadii anno 1604. in 4. typis Adami Sartorii: unde in *Bibliothecam Sanctorum Patrum* editionis à Coloniensibus anno 1618. procuratæ, tomo XII. postea promissa sunt. Hæc Pontanus quidem ad *Dioptræ* commendationem scribit, cui assentior nempe Michaelem Psellum in Philippi Dioptram notas adjecisse: quem Philippo superstitem extitisse constat, qui ex pietate & operis merito, in Opus recentissimum Notas scripsit. Ita quidem juxta Pontanum & Gretserum, licet ab altero Psello Juniore hæc addita pertet Lambecius. Extat hoc Opus Manuscriptum ter inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, nempe Codicibus MSS. Theologicis 213 214. & 215. quo de Opere plurima anootat Petrus Lambecius tomo seu Libro 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ à pag. 34. usque ad pag. 43. Atque primum quidem Codice citato 213. à fol. 1. pag. 1. usque ad folium 166. pag. 2. extare *Philippi Solitarii Dioptram sive Amussim fidei & vitæ Christianæ, ad Callinicum Monachum versibus Politicis ac forma Dialogi inter animam & carnem compositam, & in quinque libros divisam, variisque Veterum Patrum testimoniis, contextui passim permixtis illustratam*. Quam quidem edidit ex Codice MS. Bibliothecæ Augustanæ, Jacobus Pontanus Soc. Jesu Ingolstadii typis Adami Sartorii anno 1604. in 4. Sed Latine tantum &

ora-

oratione soluta, aliisque variis modis, ut ipse in Præfatione ad Lectorem testatur, pro libitu interpolatam ac transformatam. Deesse præterea ibi totum *librum primum*, ac quem ille *librum primum* nuncupat, esse revera *librum secundum:* quem *secundum* vocat, esse *tertium* &c. vnde operæ pretium fere idem Lambecius opinatur, totam illam *Dioptram* denuo edi, sed Græce simul & Latine, sine interpolatione ulla. Cui novæ editioni adornadæ faverent plurium, hi tres MSS. Codices Bibliothecæ Cæsareæ, quorum primus amplissimus est, etsi etiam mutilus sit. Meminit hujus Dioptræ Martinus Crusius Libro 2. *Turco Græciæ*, ubi in Annotationibus ad Historiam Ecclesiasticam Constantinopolitanam pag. 198. sic scribit: *Manuscriptus Liber, qui Διόπτρα inscriptus, & à Gerlachio anno 1577. Constantinopoli emptus est, continens Disputationem animæ & corporis, cur non se ad moriendum præparent, incipit:*

πῶς κάθῃ, πῶς ἀμεριμνεῖς, πῶς ἀμελεῖς, ψυχή μου;
ὁ χρόνος σου πεπλήρωται, ἔξελθε τοῦ σαρκίου &c.

Atque hoc exordium libri primi, perperam in editione Latina Jacobi Pontani, qui omnia confudit, est Caput 20. sive ultimum Libri quarti in editione Pontanica, quod incipit ab his verbis: *Quid ita sedes? Quid enim cura vacas? Quid temet ita negligis anima?* Igitur minime hic audiendus est Jacobus Gretserus Soc. Jesu, qui in Notis ad Dioptram a Jacobo Pontano ejusdem Societatis Latine versam, ob differentiam exordii, suspicatur *Dioptram* cujus Crusius meminit, diversam esse ab ea, quam Pontanus edidit. Ipsa Gretseri verba hæc sunt: „Citatur in Turcogræcia fol. 198. Liber Dioptra inscriptus, versibus Politicis constans, animæque & corporis, Disputationem continens, cur ad moriendum non se præparent. Initium ejus fertur hoc, πῶς κάθῃ &c. Sed cum Dioptræ nostræ aliud sit exordium, haud temere suspicamur, diversam esse ab illa, cujus Turcogræcia meminit. Hæc Gretserus. Quæ is profecto nunquam scripsisset, si scivisset Codicem MS. Bibliothecæ Augustanæ, ex quo Latina Jacobi Pontani editio desumpta est, *toto libro primo* fuisse mutilum, ideoque *Librum secundum* perperam a Pontano habitum fuisse pro *Libro primo*." Hinc quoque idem Pontanus in Philippi Solitarii Proœmio ad Callinicum, æque perperam pro *libris quinque*, substituit *Libros quatuor:* & Exordium libri primi πῶς κάθῃ &c. falso habuit pro *Libro quinto:* ideoque Libro quarto in fine annexit tanquam caput vigesimum, sub titulo *Flebilis lamentationis & querimoniæ adversus animam.* Huc pertinent hæc verba præfationis ejus ad Lectorem, *Quintum librum paucarum paginarum, nec capitibus distinctum, cum quarto conjunximus.* Vide quoque Codicem 214. MS. ejusdem Bibliothecæ, apud Lambecium Libro 5. Commentariorum illius pag. 40. & Codicem 215. ibidem pag. 43

Annotat secundo & quidem à fol 166. pag. 2. usque ad fol. 168. haberi *Appendicem primam* Dioptræ Philippi Solitarii, qua continentur Capita quinque Historica & lectu dignissima *De fide & Ceremoniis Armeniorum, Jacobitorum, Chatzitzariorum, & Romanorum seu Francorum,* quorum primum inscribitur atque incipit: "Τὰ τῶν Ἀρμενίων παρατηρήματα εἰσὶ ταῦτα καὶ τοιαῦτα. Τῇ ϛ´ ἡμέρᾳ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς κατὰ τὴν πρωΐνα ἑορτάζουσι τὴν ἑορτὴν τοῦ Εὐαγγελισμοῦ. κατὰ τὴν ἑσπέραν δὲ αὐτῆς τῆς ἡμέρας τὴν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν &c. Secundum. Ἔχει δὲ καὶ τὰ τῶν Ἰακωβιτῶν οὕτως. Ὁ Ἰάκωβος οὗτος, ἀφ' οὗ καὶ οὗτοι καλοῦνται, μοναχός τις γέγονε Σύρος, Τζάντζαλος ἐπονομαζόμενος &c. Tertium. Ἔχει δὲ καὶ τὰ τῶν Χατζιτζαρίων οὕτως. Οἱ δὲ Χατζιτζάριοι τὸν Σταυρὸν μόνον προσκυνοῦσι καὶ σέμνυνται. Χατζὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς ὁ Σταυρός &c Quartum. Τὰ τῶν Ῥωμαίων ἤτοι Φραγγῶν παρατηρήματα καὶ σχίσματα. Καὶ ἃ μὲν ἐπιτελοῦσιν ἰουδαΐζοντες οἱ Ῥωμαῖοι, εἰσὶ ταῦτα. Τὸ τῶν ἀζύμων ἔγκλημα &c."

Tertio & quidem a fol. 168. pag. 2. usque ad fol. 169 pag. 2. *Appendix secunda* Dioptræ Philippi Solitarii, qua continetur *Demonstratio ex Scriptura sacra & S. Epiphanio, quod Christus in sacra Cœna non legale, sed verum comederit Pascha.* Ipsa tituli Græci verba cum principio Demonstrationis hæc sunt: "Ὅτι οὐκ ἔφαγε τὸν νομικὸν πάσχα ὁ Χριστὸς ἐν τῷ δείπνῳ, ἀλλὰ τὸ ἀληθινόν. Ἐπιφάνιος ὁ τῆς Κύπρου φησί. Ἐν τρισὶν ὕλαις ἐποίουν τὸ πάσχα οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐν τρισὶν ἀρεταῖς &c."

Quarto & quidem a fol. 169. pag. 2. usque ad fol. 173. pag. 2. *Appendix tertia* Dioptræ Philippi Solitarii, qua continetur *Epistola ipsius Apologetica ad Constantinum Sacerdotem, De differentia inter intercessionem & auxilium Sanctorum:* cujus inscripto & principium. "Τῷ κατὰ πνεῦμα υἱῷ καὶ ἱερεῖ Κωνσταντίνῳ περὶ πρεσβείας καὶ προστασίας ἀπόλογος. Ἐπειδήπερ ᾔτησω τὴν εὐτέλειαν ἡμῶν, τέκνον ἐν Κυρίῳ ἠγαπημένον καὶ πνευματικόν, τοῦ γνωρίσαι σοι πρεσβείας καὶ προστασίας τὸ διάφορον &c.

Quinto & quidem fol. 174. pag. 1. *Appendix quarta* Dioptræ Philippi Solitarii, qua continentur ipsius *Versus Politici* quibus & tempus absolutionis Dioptræ, & nomen suum per numeros octo literarum Φίλιππος, indicat: quorum principium est."

Ἐτελειώθη σὺν Θεῷ καὶ τὸ παρὸν πυκτίον,
Τὸ πόνημα, τὸ σύγγραμμα, ἡ ἐντελὴς Διόπτρα,
Διὰ χειρὸς ἁμαρτωλοῦ μοναχοῦ τε καὶ ξένου,
Μηνὶ Μαΐῳ δώδεκα, Ἰνδικτιῶνος τρίτης,
Κύκλος σελήνης δέκατος, ἡλίου εἰκὰς τρίτη.
Ἔτους ἑξακισχίλια καὶ ἑξακὸς πρὸς τούτοις.
Πρὸς δὲ καὶ τρία ἕτερα ἔτη τούτοις τυγχάνει.
Ἂν δὲ τὸ ὄνομα μου μαθεῖν ἐθέλῃς Φίλε &c.

,,Absolvit igitur Philippus Dioptram suam,
,,anno Mundi secundum supputationem Ec-
,,clesiæ Constantinopolitanæ 6603. hoc est, an-
,,no Christi 1095. Indictione tertia, Imperato-
,,ris Constantinopolitani Alexii Comneni anno
,,decimo quinto. Vnde patet quantum erret Ja-
,,cobus Pontanus in Præfatione ad Lectorem,
,,quam editioni Latinæ hujus Dioptræ præfi-
,,xit, & Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*
,,Litera P. dum scribunt *Philippum Solitarium Li-*
,,*bro quarto testari se Dioptram confecisse anno post*
,,*Christum natum Millesimo Centesimo quinto, quo*
,,*tempore Alexius Comnenus annum decimum sextum*
,,*imperabat.* Nam nec anno Mundi Græcorum
,,6603. respondet annus Christi Latinorum
,,1105. sed annus 1095. nec Christi anno 1105.
,,respondet annus Imperii Alexii Comneni de-
,,cimus sextus, sed annus vigesimus quintus:
,,ut in Philippi Labbei Soc. Jesu parte prima
,,*Chronologiæ Technicæ* pag. 338. & 342. cuilibet
,,videre est. Hinc porro etiam manifeste, elu-
,,cet, per Michaelem Psellum, qui Philippi Dio-
,,ptram, Præfatione & Scholiis illustravit, non
,,esse intelligendum seniorem illum Michae-
,,lem Psellum, qui circa annum 1078. obiit, sed
,,alium quendam Juniorem, qui post Imp. Alexii
,,Comneni tempora floruit. Qua de re alias
,,accuratius agam, cum primum in manus meas
,,pervenerit viri clarissimi Leonis Allatii Dia-
,,triba *De Psellis & eorum scriptis*, quam hacte-
,,nus nullo pretio nancisci potui, etsi incredi-
,,bili studio eam ubivis gentium quæsiverim.
,,Ita quidem Lambecius erronee arbitratus
,,est, quia nempe Psellum juniorem anno
,,1078. vel circiter obiisse credidit, quam-
,,vis sub Alexii Comneni imperio super-
,,stes diu fuerit, ut Præfationem ac notas etiam
,,in *Dioptram fidei* à Philippo solitario compo-
,,sitam addere potuerit.,,

Addit Lambecius Sexto & quidem fol. 174. pag 2. *Appendix quinta* Dioptræ Philippi Solitarii, qua continentur *Versus Constantini & Vesti Grammatici in laudem Dioptræ*, & authoris ejus Philippi, quorum titulus & principium: *Στίχοι κυροῦ Κωνσταντίνου καὶ Βέστου τοῦ Γραμματικοῦ. Ὁ τήνδ' ἀναγνοὺς εὐπρόσδεκτον τὴν* βίβλον &c. Hæc nos ut observatione digna per compendium ex libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 34. 35. 36. 37. 38. 40. 42. 43. & 44. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 352. & 365. Idem Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 5. pag. 566. & 567. editionis 1714. Hamburgi in 4.

1091 NICOLAVS METHONENSIS EPISCOPVS, quem alii ad annum 1090. cum Guillelmo Cavo collocant, qua quidem in re nihil certi definit: alii tamen ad sequentis seculi finem referunt, uti nos fecimus in *Supplemento* De Scriptoribus Ecclesiasticis, ad annum 1196. ascribentes. Constat autem jam prolixius mihi, claruisse illum annis 1080. & 1090. temporibus Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi & Nicetæ Heracleensium Metropolitæ, ad quem Nicolaus Methonensis varias olim quæstiones consecerat, quarum Solutiones Nicetas Heracleæ Metropolita ad Methonensim Nicolaum rescripsit. Hoc autem manifestum est ex Manuscriptis Codicibus Bodlejanæ Oxonii in Anglia bibliothecæ Baroccianis, ubi Codice Græco 215. num. 1. *Nicolai Methonensis Episcopi Tractatus de Processione Spiritus Sancti contra Latinos* pag. 1. Et num. 2. pag. 15. *Nicetæ Heracleensis Archiepiscopi Responsiones ad varias Quæstiones Nicolai Methonensis*, Γυνή τις &c. Idem autem opus MS. ibidem num. 3377. in MSS. Joannis Seldeni Codice 47. num. 7. ubi *Nicolaus Methonensis Episcopus de processione Spiritus Sancti.* Neque deest aliud ejusdem Methonensis Opusculum in eadem bibliotheca, nam num. 506. inter MSS. Codices Guilielmi Laudi olim Cantuariensis Archiepiscopi & Academiæ Cancellarii, litera B. Codice 25. num 3. *Nicolaus Methonensis Episcopus, quod panis & vinum consecrata, non sint signum Dominici corporis & sanguinis, sed ipsum Corpus & sanguis Christi.* Et ibidem num. 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji supra P. 3. Artium Codice 94. num. 23. *Nicolaus Episcopus Methonensis, ad eos qui negant panem consecratum esse corpus Christi* pag. 266. ad 268. Scripsit ergo *Libellum de Corpore & Sanguine Christi* adversus eos, qui dicunt consecratum panem & vinum non esse corpus & sanguinem Domini: in quo nonnulla esse monent ipsi Pontificii editores, quæ caute legenda esse volunt. Extat ille Græce & Latine in Auctuario Bibliothecæ Veterum Patrum Ducæano anni 1624. editionis Parisiensis, tomo 2. pag. 272. Extant ejusdem *Tractatus tres De processione Spiritus Sancti* adversus Latinos, quos Leo Allatius in Libro *De utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetuo consensu* 2. cap. 10. parag. 2. testatur se vidisse ac legisse in Bibliotheca Vaticana Græce Manuscriptas, de quorum tertio idem ambigere videtur, annon juniori cuidam Nicolao Methonensi tribuendus ille sit. Sic autem Allatius.
"Contra Chrysolanum Græci com-"
plures, forte etiam exercendi ingenii causa"
scripserunt, inter eos *Johannes Furnus Mona-*"
chus & *Nicolaus Methonensis*, quorum mentio"
fit in Responsione Josephi Methonensis ad E-"
pistolam Marci Ephesii. Meminit etiam ano-"
nymus *De dissidio inter Ecclesiam Græcam & Lati-*"
nam, & Joannes Veceus Patriarcha CP. *De u-*"
nione & pace Ecclesiarum veteris & novæ Romæ,"
τί δ' Ἰωάννης ὁ Φοῦρνος, καὶ τί Νικόλαος ὁ Με-"
θώνης; πολλὰ μὲν ψευδολογοῦσι καὶ οὗτοι. *Quid*"
porro Joannes Pharnus? quid Nicolaus Metho-"
nensis? multa quidem mentiuntur & hi. Metro-"
politæ etiam Methonensis meminit Emma-"
nuel Caleca Lib. 4. *contra Græcos*, cujus argu-"
mentum futile satis adducit & diluit. *Me-*"
thonensis Syllogismi de processione Spiritus Sancti"
pro

„pro Græcis adversus Latinos, ad nos etiam „conversati sunt, quos ipse legi & incipiunt, „ὡμολόγηται ὅτι καὶ ὅλη ἡ θεότης μονὰς ἐστι „καὶ τὸ ἕν. Sic etiam *Tractatus alter contra La-„tinos* incipiens, ἐχρῆν μὲν μηδ' ἀπολογεῖσθαι „τοῖς ὕτω καινοφώνοις καὶ καινοπίστοις Syllogi-„smis Methonensis usus est Nicolaus Hydrun-„tinus in libro *De processione Spiritus Sancti*, quos „verbatim non tacito authoris nomine retulit, „licet eundem Μεθωνίτην, *Methonitam* appellet. „Ejusdem etiam legitur alius *Tractatus de Azi-„mis adversus Latinos* cujus initium Τὸν μὲν πρῶ-„τον λόγον ἐποιησάμην ὦ Λατινόφιλε, πρὸς σέ, in „Bibliotheca Regis Christianissimi. De Me-„thonensi, cujus aliud scriptum *De processione* „*Spiritus Sancti contra Latinos* legi sæpius, & „principium est, βασιλεῦ οὐράνιε παράκλητε „ἀγαθὲ &c. dubium esse potest, an unus vel „plures fuerint cognomines, cui omnia, quæ „contra Latinos sub Nicolai Methonensis no-„mine comperiuntur, adscribi debeant. Non „unum fuisse, videtur asserere Nicephorus „Philosophus, qui postremum hoc Nicolao „Methonensi Juniori vindicare videtur, illis „carminibus.„

Ὅσοι γὰρ θεσμὲς πατέρων χριστοφόρων,
Ἀποστολικὰς παραδόσεις θείας,
πίστεως ἁπλῆς ἀληθεστάτες ὅρες,
Θέλετε ἰδεῖν ἀμέμπτες ὀρθοδόξες,
Δεῦτε, προσῆτε τῷ σοφῷ διδασκάλῳ,
Νικολάῳ λάμψαντι νέῳ Μεθώνης.
Ἔθες ἀρετῆς σώφρων συνεσίας,
ἃν ἔνομοι κυρῦσι τῆς γραφῆς τύποι,
Τέτων ὁ πατὴρ γνησίων νοημάτων,
Δι' ὧν νόθον κύλημα πορνικῦ σπέρυ,
Ἔξωθεν ἕλκων ἀλλόφυλον ὡς γένος,
Πρὸς ἐξαπάτην τῶν λόγων, τὰς φλυάφυς.
Ἤλεγξε, κατέβαλε, ῥίψας εἰς χάος,
Καὶ συλλογισμῶν τὰς ἀσυμπλήκες βρόχυς,
Ὄυλυσεν ἄρδην ὡς ἀραχνίας μίτυς.

„*Quicunque enim sancita Patrum Christiferorum,* „*Apostolicas divinas traditiones, fideique simplicis* „*verissimas definitiones, cupitis videre immacula-*„*tas & orthodoxas: eia agite, accedite ad sapien-*„*tem Magistrum Nicolaum Juniorem Methonensem.* „*Est divinitus afflatus virtute, & prudenter consue-*„*tudine, quam vera Scriptura forma stabiliunt. ho-*„*rum parens legitimorum conceptuum, per quos spu-*„*rium adultera sementis probrum extra contrahens* „*veluti externum germen ad fraudem sermonum,* „*nugaces reprobavit elisitque, præcipitans in chaos,* „*& Syllogismorum male concepta tendicula prorsus* „*disrupit, tanquam telas aranearum.* Et sane si „quis quæ in Tractatu hoc postremo, cum an-„tiquioribus conferat, diversum omnino scri-„ptorum, & post Nicephori Blemmydæ æta-„tem, vixisse comperiet. Sed ipse hæreo, & „aliorum judicium expecto. Hæc Allatius de Libris Nicolai Methonensis *adversus Latinos.* Idem autem Tractatus Nicolai Methonensis Episcopi, olim quoque manuscripti Græce fuerunt, in manibus Bonaventuræ Vulcanii, ut ipse testatur in præfatione ad *Tractatus Nili Cabasilæ* quos Græce & Latine edidit, de quibus postea dicemus ad annum 1340. in Nilo Cabasila. Ab illo mortuo cum devenissent in manus Levini Warneri, ab isto dati illi sunt Bibliothecæ Lugduno Batavæ, ut constat ex Catalogo istius Bibliothecæ publicæ anno 1674. in 4. ibidem impresso, pag. 397. ubi sic. *23. Gregorii Nazianzeni sermones, Græce folio in membrana. Item Nicolaus Methonensis Episcopus contra Latinos De Spiritu Sancto. Ex legulo Warneriano.* Extare quoque leguntur in Bibliotheca Vallicellana Romæ, apud Possevinum ad calcem *Apparatus sacri:* atque in Bavarica Serenissimi Ducis, Codice MS. Græco 116. "De Nicolao" isto Methonensi, sic præfatur in *Nilo suo* Bo-" naventura Vulcanius. Extat etiam apud me" præclarum ejusdem Nicolai Methonensis o-" pus, quo *Theologiam Platonicam Procli* quæ con-" stat Propositionibus CCXI. in quarum pleris-" que, dubium accuratiorne ille Philosophus, an" acrior Christi hostis, principia religionis Chri-" stinæ Philosophicis rationibus & demonstra-" tionibus avertere conatur: doctissime confu-" tat. Titulus libri sic habet, Νικολάυ ἐπισκό-" πυ Μεθώνης ἀνάπτυξις τῆς θεολογικῆς στοιχειώ-" σεως Πρόκλυ τῦ Λυκίυ Πλατωνικῦ φιλοσόφυ," *Nicolai Episcopi Methonensis confutatio Theologicæ*" *informationis Procli Lycii Platonici Philosophi:*" hi inquam libri a Nicolao Methonensi Episco-" po conscripti, Nili hujus nostri stylum tersum" sane atque elegantem proxime referunt. Ho-" rum te candide Lector monitum volui, libe-" rum tibi de tota re judicium relinquens." Convertit istud Opus insigne & amplum in Linguam Latinam, ut audio Bonaventura Vulcanius, quod post ejus mortem Bibliothecæ Lugduno Batavæ datum est, ut constat ex ejusdem Catalogo Manuscriptorum Codicum, anno ut supra dictum impresso, ubi pag. 396 ita legimus de dicto MS. Codice. *3. Nicolai Episcopi Methonensis Examen, sive animadversiones in Theologica Elementa Procli, Platonici Philosophi in folio. Idem Latine* ibidem pag. 402. num. 55. inscriptum, *Nicolai Methonensis Episcopi Examen in Elementa Theologica Procli Platonici Philosophi,* Latine folio in charta. Item etiam Codice MS. 129. ejusdem Bavaricæ Bibliothecæ habetur, *Nicolai Methonensis Episcopi Discussio Theologicæ Institutionis Procli Platonici Philosophi, ne quis probabilitate deceptus, a vera fide deficiat.* Nec plura dabit in *Bibliotheca* sua Conradus Gesnerus, nec etiam Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* verbo *Nicolaus Methonensis Episcopus,* tomo 2. pag. 152. qui ambo de illo loquuntur.

IRENE DUCÆNA, ORIENTIS IMPERA-
TRIX, uxor Alexii Comneni qui Imperium 1099
tenuit ab anno Christi 1081. usque ad annum
1118. pietati maxime incubuit, quam testata

 ipsa

Ipsa est in erectione Monasterii cujusdam ad honorem Beatæ semper Virginis Mariæ constructi ac dotati. Cæterum in Ecclesia Græca non Imperatoribus eorumque uxoribus solum, sed & privatis quibusque qui Monasteria construebat, licebat *Typica* seu *Regulas* edere, ut videre est apud Theodorum Balsamonem ad Canonem I. Synodi Constantinopolitanæ, ubi hæc habet: ἐπ' ἀδείας ἔχουσιν οἱ δομήτορες, τούτων Τυπικὰ ἐκτίθεσθαι: *In libertate habent Monasteriorum conditores, illorum Typica seu Regulas componere:* quod fusius ille ibidem prosequitur. Illa autem Typica vocabantur κτητορικά. Composuit ergo Irene Imperatrix *Typicum seu Regulam pro Monasterio Monialium à se constructo*, vel quis alius saltem sub nomine ejus, quod ex Regiæ Galliarum Bibliothecæ MS. Codice Græco 3019. desumptum & octoginta Capitulis completum, editum est Græcè & Latine inter *Veterem Analecta Ecclesiæ Græca* pag. 129. Parisiis anno 1688. in 4. apud Viduam Edmundi Martini & Joannem Boudot Via Jacobæa sub sole aureo: Interprete Domino Bernardo de Montfaucon Monacho Benedictino, Congregationis Sancti Mauri in Gallia. Codex ille jussu Imperatricis à peritissimo scriba exaratus, ab ipsamet Augusta proprio nomine subscriptus est, rubris characteribus, ut Imperatoribus moris erat, eorumque uxoribus: nec dubito unum fuisse ex tribus membranaceis, qui ejusdem Typici cap. 77. jussu Augustæ descripti memorantur. Plura in hoc Opere scitu dignissima lector eruditus deprehendet, ignotos nempe hactenus complures Monialium Græcarum ritus & consuetudines: descriptusque Codex MS. circa finem Imperii Alexii Comneni, ut ex pluribus locis eruditus Lector facile intelliget. Nullus quem sciam Irenem hanc inter Scriptores Ecclesiasticos recensuit. Ita autem in dicto Codice Regio post caput 78. dicti Typici subscribitur Litteris Cinnabaricis, Εἰρήνη ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὴ βασίλισσα Ῥωμαίων ἡ Δούκαινα. De qua pluribus agit Carolus Dufrenius du Cange in *Constantinopoli Christiana* Lib. 4. pag. 87. atque etiam ad calcem *Lexici Med. & infimæ Græcitatis* in Indice Authorum, colum. 28. Aliud verò ab Irenes Imperatricis ingenio habuit, quæ ejusdem temporis *Eudocia* seu *Eudoxia* dicta *Macrembolitissa* Augusta, Constantini Ducæ primum, deinde ab anno Christi 1068. *Romani tertii* cognomento *Diogenis* Imp. conjux fuit illoque post quadriennium capto, excæcato & extincto, anno 1072. in Monasterium relegata fuit, cujus Opus ineditum Ἰωνιά, *Violarium*, sive Collectio spissa varii argumenti, ordineque Alphabetico, ad Romanum Diogenem conjugem digesta cernitur, sedquod nonnisi fabulas continet. Opus MS. extat in Bibliotheca Colbertina, veterenti charactere exaratum, quod à Ducangie frequenter in *Glossario Græco* laudatur. Titulus est, Εὐδοκίας τῆς Μακρεμβολιτίσσης βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως Ἰωνιά, cujus meminit Bernardus de Montfaucon Benedictinus Monachus in *Palæographia Græca* pag. 298. Indicem verò hujus Collectanei capitum usque ad 1027. ascendentium, dedit Anselmus Bandurius notis ad *Antiquitates Constantinopolitanas* pag. 818. quem inseruit Tomo VI. *Bibliotheca Græca* cap. 5. à pag. 588. ad 602. Joannes Albertus Fabricius. Titulus Ἰωνιὰ ἤτοι συναγωγὴ Θεῶν, Ἡρώων τε καὶ Ἡρωινῶν γενεαλογίας, καὶ τῶν περὶ αὐτοὺς μεταμορφώσεων, μύθων τε καὶ ἀπηγορευμένων, τῶν παρὰ τοῖς παλαιοῖς εὑρισκομένων, ἐν ᾗ καὶ περὶ διαφόρων σοφῶν, πρὸς τὸν φιλόχριστον καὶ εὐσεβέστατον βασιλέα Ῥωμανὸν τὸν Διογένην, νικητὴν, τροπαιοῦχον. *Eudocia Macrembolitissa Imperatricis Constantinopolitana Violarium sive Collectio de genealogia Deorum, Heroum, Heroinarum, & de metamorphosibus ad ipsos spectantibus, de fabulis & allegoriis quæ apud Veteres reperiuntur. Ubi etiam de variis sapientibus & eruditis viris, ad Christi amantem & piissimum Imperatorem, Romanum Diogenem, victorem & tropæis ornatum.* Allegat Eudociam Bandurius pag. 449. 590. 818. 829. 830. Hæc occasione Irenes Imperatricis.

SAMONAS GAZÆ ARCHIEPISCOPUS 1090
in Palestina, circa annum 1080. vel 1090. vixisse & floruisse creditur, qui scripsit *Dialogum seu Disceptationem cum Achmede Saraceno*, qua probare nititur *Panem & vinum in Eucharistia Sacramento in verum corpus & sanguinem Jesu Christi commutari.* Extat Græce MSS. inter Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2877. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji supra P. 3. Artium Codice 94. num. 19. inscriptus *Dialogus Samonæ Archiepiscopi Gazæ & Achmed Saraceni, quod panis post consecrationem sit verum corpus Christi*, pag. 256. ad 260. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 5957. in Manuscriptis Thomæ Galæi Codice 123. *Disputatio Samonæ Archiepiscopi Gazæ, cum Achmede Saraceno.* Editus etiam Catalogus tam librorum quam MSS. Bibliothecæ Marquardi Gudii, Consiliarii, dum viveret, Daniæ Regis, in supremo tribunali Ducatus Slesvicensis, anno 1706. Kilonii in 4. apud Bartholdum Reutherum: Bibliotheca autem Hamburgi vendita ad diem 4. Augusti. Hujus auteni Catalogi pag. 537. inter MSS. Codices in 4. Codice 49. chartaceo comparet. Τοῦ μακαριωτάτου Σαμωνᾶ Ἀρχιεπισκόπου Γάζης Διάλεξις πρὸς Ἀχμὲδ τὸν Σαρακηνὸν &c. Hoc est, *Beati Samona Archiepiscopi Gazensis Disceptatio cum Achmete Saraceno, in qua probare nititur panem & vinum in Sacramento altaris in corpus & sanguinem Jesu Christi immutari.* Hanc immediatè & indistinctè sequitur in MSS. Codice Græco, *Epistola Nicolai Methonensis Episcopi* adversus eos qui hæsitant &c. ut in impressis habetur. Tractatus incipit, Ἐντυγχάνομέν ποτε &c. desinit τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἱερουργούμενον ἄρτον καὶ οἶνον, σῶμα τέλειον καὶ αἷμα τίμιον εἶναι τοῦ χριστοῦ σοῦ. Extat autem edita Græcè & Latine in Auctario Biblio-
the-

thecæ Veterum Patrum Frontonis Ducæi Tomo 2. pag. 277. ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, cujus mentionem facit Guilielmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1072. pag. 618.

1090 MICHAEL ATTALIOTA Jurisconsultus Græcus, Proconsul & Judex, sub Michaele Duca Imperatore circa annum 1071. & sequentibus claruit. Porro ad Michaelem Imperatorem scripsit *Breviarium Legum* accuratissimum, quod extat MS. inter Codices Græcos Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 264. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 18. à pag. 191. ad 214. *Michaelis Attaliota Proconsulis & Judicis breviarium Legum Capitibus XLIV.* incipiens, Μέλλων ὦ θειότατε βασιλεῦ. Et ibidem Codice 3399. inter Manuscriptos Codices Joannis Seldeni, qui in Pluteis superioribus, Codice 11. Tandem *Pragmatica* sive *Opus de Jure ad Michaelem Imperatorem, titulos XCV.* complectens, σύνοψιν αἰτανεὶ συνόψεως τῶν βασιλικῶν, *Synopsim Synopseos Basilicorum quandam*, & accuratissimi compendii Specimen edidit Græcè & Latinè Joannes Leunclavius *Juris Græco Romani* Tomo 2. pag. 1. Meminit Michaelis Attaliotæ Guilielmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1072. pag. 618.

1090 CONRADUS BRUVILLARENSIS ABBATIÆ MONACHUS, quem Guillelmus Cavus præteriit, natione Germanus, ex Ordine Divi Benedicti, in Archiepiscopatu Coloniensi, anno jam 1070. clarus, Imperante Henrico IV, tanquam oculatus testis, vel qui saltem familiariter cum oculatis ac domesticis conversatus fuisset, circa annum 1096. scripsit *Vitam Sancti Wolphelmi Bruvillarensis Abbatis*, qui anno 1091. die 22. Aprilis mortuus est. Fuisse S. Wolphelmi cum æqualem, hæc verba Præfationis argumento erunt. *Igitur sancti ac beatissimi Wolphelmi Abbatis vita seriem explicaturi, nihil aliud prorsus intendimus prosequi, quam quod ab idoneis testibus contigit audiri: sed quod aliquod annis ministrantibus sibi, divina nobis gratia contulit intueri. De quibus si ullius hasitaverit fides, tot nobiscum extant idonei testes, quot ex illius temporis collegio fratres, nunc usque manent superstites.* Ætatem verò S. Wolphelmi satis indicant, quæ de Henrico IV. Imperatore & Papa Hildebrando atque aliis, inibi legas. Hanc oblatam Everartho Wolphelmi Successori in regimine Sancti Nicolai Bruvillarensis, ac Herimanno Sancti Pantaleonis Coloniensis, Abbatibus, edidit primum Laurentius Surius ad diem Aprilis 22. Successores Joannis Bollandi Jesuitæ Antverpienses, in *Actis Sanctorum*, ad eandem Aprilis diem. Mentionem hujus Conradi faciunt Antonius Possevinus tom. I. *Apparatus sacri* pag. mihi 380. Citati Bollandistæ in Commentariis ad *Vitam Sancti Wolphelmi* præviis. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. mihi 354.

VDALRICUS CLUNIACENSIS MONACHUS sub Sancto Hugone ejusdem loci Abbate, ob regularem disciplinam & incorruptos mores clarus, circa annum 1090 scripsit *Libros tres antiquarum Cluniacensis Monasterii Consuetudinum*, quas in publicum eduxit Dominus Lucas Dacherius tomo IV. *Spicilegii* pag. 21. atque sequentibus. Vixisse usque ad annum 1100. & ultra forsitan creditur, de quo in Prolegomenis ad tomum IV. *Spicilegii* sui quæ Lector consulat, loquitur idem Lucas Dacherius. 1090

ROBERTUS S. REMIGII RHEMENSIS ABBAS, circa annum 1090. floruit, si tamen flotuisse dicendus est, quem variis agitatum fuisse tempestatum procellis video. Successeratis an. 1095. Henrico trium Monasteriorum Abbati, nimirum S. Remigii Remensis, B. Mariæ de Humolaria, & B. Mariæ de Novigento. Compunctus autem desiderio visendi sacra loca transmarina, anno sequenti 1096. cum Cruce signatis longam hanc peregrinationem aggressus est: præsensque dum Hierosolyma expugnaretur adfuit, quod anno 1099. die 14. Julii, Vrbano Papa jam mortuo, contigit. Intereà clamantibus ob Abbatis absentiam Remigianis Monachis, atque Manassem II. Remorum Archiepiscopum suis in Abbatem querimoniis pulsantibus, Synodus Episcoporum studio Manassæ Archiepiscopi Remis anno 1098. vel 1099. cogitur, ad disciplinam Ecclesiasticam in integrum restituendam. Actum in ea præcipuè de Roberto seu Ruperto Sancti Remigii Abbate, atque à Monachis graviter impositio, quod pro sumptibus itineris ad bellum sacrum, bona Monasterii dilapidasset, prædia oppignorasset debitisq; Cœnobium, positus etiam in remotis, aggravaret. Episcopi iteratis Monachorum querelis fatigati, Robert. Abbatem absentem totiusq; istius ignarum tragœdiæ, in zeli compensationem aliquam longinqui itineris solamen, dignitate Abbatiali velut præsentem exauctorant, atq; si quando redeat, ad prioratum Senucensem ablegant. Ad injuriæ etiam complementum, Godefridum Abbatem de Novigento qui Synodo præsens aderat, illi hortantur, ut Remigiani Cœnobii per ejusmodi depositionem vacantis onus susciperet. Fuerat hic primum Monachus Sancti Quintini de Monte prope Peronam, tum Abbas de Novigento per Henrici cessionem, qui ævo gravis & oculis captus, opulentiores quæ suâ sufficientiâ facilè regi poterant, Abbatias retinuerat. At vir Dei Godefridus, ut Remigiani curam regimenque Monasterii in se susciperet, adduci nunquam potuit: tum quia in absentem & inauditum hominem, sententiam ferri posse ab Episcopis haudquaquam opinabatur: tum quia de factis in absentem à Monachis apud Synodum querimoniis, plurimum vir justus ambigeret.

Hoc

Hoc longe mihi probabilius, quam quod ait Marlotus Tomo 2. *Historiæ Rhemensis* Lib. 2. cap. 17. pag. 221. *Godefridum dixisse se pusillo suo Grege & paupercula uxore esse contentum: cumque Manasses & alii Episcopi iterum multis rationibus ad id eum impellerent, constanter in proposito perseverasse, vixum authoritate Nicæni Concilii, quam ad manum habebat. Vnde Præsules attoniti inauditâ viri modestia, qui paupertatem opibus, solitudinem Splendori vitæ præferebat, Burchardum quemdam in ejus locum suffecerunt.* Quid de Roberto fieret, si quando à transmarinis reverteretur, haudquaquam conveniebat, inter hujus Concilii Episcopos & Abbates præsentes: aliis ut ad prioratum Senucensem honeste ibidem victurus mitteretur, aliis ut in proprio ubi professionem diu edixerat Monasterio, depositus lugeret, concludentibus. Cujus negotii factus certior Vrbanus II. Pontifex, & ab Episcopis qui rem pro studiis suis illi propofuerant consultus, mitiorem sententiam atque præcipiti ipsorum judicio adversam, hac Epistola reddidit.

„VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILI FRATRI MANASSÆ, REMENSI ARCHIEPISCOPO, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

„ Abbatis Sancti Remigii causa in præsentia „nostra & confratrum nostrorum Episcoporum „& Cardinalium diligentiori discussa est inquisi„tione, & ad hunc tandem finem perducta. Ju„dicium Episcoporum prolatum super eum, hac „ratione reprobatum noveris: quia postquam „filius à patre emancipatus est, sub curam & „dominationem patris redire dispositione legum „non cogitur, nisi sponte ipse rogaverit. Pro„motionem enim Abbatis emancipationem ac„cipimus: ideo sub potestatem Abbatis redire „non debere judicamus.

Hoc omne quod diximus, constare etiam potest, ex Baldrico Abbate Burguliensi, cujus habes Carmina apud Andream Duchesniùm tomo 4. *Scriptorum Coætaneorum Historiæ Francicæ.* Abbas enim Burguliensis, ut ex versibus mox citandis haud obscure colligitur, prædictum Manassem Remorum Archiepiscopum eximiè perstringit, rogatque pro Roberto Sancti Remigii Abbate, à Monasterii sui administratione pulso, quem Manasses cum Monachis severe persequebatur, Odonem Ostiensem Episcopum, qui Vrbano II. in Episcopatu Ostiensi successerat, & anno 1099. Paschalem consecravit. Quod sane non præstitisset sanctus ille Abbas, si Robertus depositionem hanc meruisset. Ita ergo tomo 4. *Historicorum Franciæ* Andreæ Duchesnîùp. 276.

Vnicus est (Odo) mihi filius, inmo coabbas,
Pro quo devotus adsto tuis pedibus.
Namque manum super hunc nimis aggravat ille Remensis,
Iram qui Papæ funditus emeruit.
Imposuit siquidem Regi diadema Philippo,
Nunc & in hoc Papæ negligit imperium.
Propterea fundo mea viscera funditus Odo,
Vt mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem sustentes ordine vecto,
Vt restauretur filius ille meus.
Quod confirmavit in eo Romana potestas,
Inconvulsum sit, permaneatque ratum.
Et potes & debes, nisi me contempseris, Odo,
Abbatem sancto reddere Remigio.

Quibus ex versibus constat authoritate Romanâ fuisse Robertum restitutum, atque Manassis Archiepiscopi Remensis & collegarum Episcoporum atque Abbatum judicium, cassatum nullumque factum. Quam forsitan & causam, noluit Godefridus impositam sibi hujus Monasterii administrationem suscipere.

Robertus igitur ex itinere transmarino reversus, etsi Pontificis Romani judicio sententiam Episcoporum emendante, imò penitus & reprobante; cum contra Remensis Antistitis authoritatem haud satis validus esset: ad titulum & possessionem Senucensis Præpositurae coactus, quæ ipsi in solatium exauctorationis suæ permissa fuerat, ibidem aliquot annis permansit. Vbi vacuus ab omni strepitu & Monachalibus clamoribus *Historiam Belli sacri & Expugnationis Hierusalem* stylo satis eleganti contexuit, quæ MSS. etiamnum in Bibliotheca Sancti Remigii Remensis delitescit. Vidi illam quoque MS. in Bibliotheca Bonifontis Cisterciensis Ordinis in Tractu Remensi, nec deest in celebrioribus Parisiensibus Bibliothecis, Regia, Colbertina, Victorina, atque in aliis Galliæ nostræ multis. Hoc ipse testatur in Prologo: *Si quis affectat scire locum, in quo hæc Historia composita fuerit, sciat esse claustrum cujusdam Cellæ Sancti Remigii, constituta in Episcopatu Remensi.* Scripta igitur in Prioratu Sancti Oriculi Senucensi, vulgo de Senuc, haud procul ab oppido & castro Grandisprati ad Axonam fluvium. Facta illa est ad cujusdam Abbatis sui Ordinis instantiam, non autem Sancti Remigii, qui Azenarius tunc temporis erat: quem forsitan adversarium in suis dissidiis Robertus expertus fuerat. Hæc *Historia Belli sacri Libris novem* comprehensa est, desinens in illa celebri victoriâ *de Babylonio Ammiravifo*, apud Ascalonum post captam Hierosolymam victo ac prostrato, quæ anno 1099. contigit. Incipit autem Robertus à Concilio Claromontano anni 1095. cui interfuit, & unde profectio illa in Orientem originem sumpsit. Cumque fuerit magno licet suo damno, ipse hujus expeditionis comes, majorem inde fidem meretur. Habetur Opus Roberti in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos* tomo 1. pag. 30. excuso in fol. Hanoviæ tomis duobus anno 1611. Wechelianis typis curâ & studio Jacobi Bongarsii. Prodierat jam anteà corruptissimâ editione, Basileæ apud Pernam, anno 1533. atque etiam extat inter Scriptores istos *Rerum Germanicarum* pag. 217. quos in editione sua, uno Colle-

cta-

ctaneo Justus Reuberus complexus fuit in fol. Francofurti anno 1584. Sed in editione Reuberi anni 1584. & in Basileensi anni 1533. sunt Libri VIII. tantum, in Orientali Historia Bongarsii, sunt IX. Hoc inde provenit, quod in editione Basileensi anni 1533. & Reuberiana anni 1584. unus fit liber, qui in *Historia Orientali* dividitur in septimum & octavum. Quod si Trithemium audire velimus, fuerunt hujus Historiæ libri decem. Credo, in Exemplar incidetat, ubi & alius liber in duos distinguebatur: quemadmodum in quodam MS. Codice hujus historiæ, olim vidimus.

Nec pacatior fortuna fuit Roberto Senucensi Priori, quam Remigiano Abbati. Simillimum enim vero est, ipsum ob negotia vel temporalia Prioratus male denuò administrata, Monachos in se iterum concitasse, atque ab illis rursus fastiditum. Anno enim circiter 1120. vel 1121. Callistus II. Romanus Pontifex illum à Prioratu amovendum esse censuit, rescripto Laterani dato XVII. Calendas Junii, his verbis: *Mandamus ut Robertum Priorem sancti Oriculi, qui olim Sancti Remigii Abbas extitit, ab illo prorsus amoveatur.* Hæc fortuna Roberti Sancti Remigii Remensis Abbatis, quam pluribus depinxisse, haud alienum ab instituto meo esse arbitratus sum. Agunt autem *de Roberto Abbate* nostro, Jacobus Bongarsius Gallus in *Prolegomenis* ad Gesta Dei per Francos, impressa 2. tomis in folio, Hanoviæ, anno 1611. Wechelianis typis. Joannes Trithemius in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 402. ultimæ editionis. Guillelmus Marlotus in *Historia Metropolis Remensis* tomo 2. lib. 1. cap. 40. pag. 137. & lib. 2. cap. 17. pag. 221. quem hic exscripsimus utplurimum.

1090 GAUFREDUS A MALATERRA, quem Guillelmus Cavus omisit, Monachus Ordinis Divi Benedicti, non natione Hispanus, ut censet perperam Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, ex eo quod inter *Scriptores Rerum Hispanicarum* impressus sit: Sed Gallus ea ex Provincia quam Normanniam dicimus, circa annum 1097. clarus, nomen suum commendavit posteris, scribendo *Gesta sui temporis, & sua* ut ita loquar *Normanniæ Nationis facta fortia:* nimirum *Libros quatuor de gestis Roberti Guiscardi Calabriæ Ducis & Rogeri ejus fratris, Normannorum Principum, & eorum fratrum in Campania, Apulia, Sicilia.* Seu *de conquestu Regnorum Siciliæ, Calabriæ & Apuliæ.* Cumque hoc Opus inter vetera Regum Aragonum monumenta ad annum usque 1578. diu latuisset, Hieronymus Zurita vir celebris, in folio illud edidit Cæsaraugustæ, eodem anno typis Dominici à Portonariis, privilegio Regio munitum & laudatum, atque Antonio Augustino tunc Tarraconensi Archiepiscopo, homini in Antiquitatibus doctissimo dedicatum. Idem etiam Opus insertum posteà in volumen IV. *Scriptorum Hispaniæ illustratæ*, quæ in fol. Francofurti anno 1603. edita sunt. Cum autem Gaufredus ad postulatum Rogerii Comitis, qui anno 1101. mortuus est, Opus istud aggressus sit, rectè illud ante annum 1100. retulimus. Mentionem facit hujus Historici Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. mihi 621. qui *Gaufredum* Hispanum malè scripsit & credidit, eo quod Opus ejus absque dubio in Sicilia olim inventum, in Hispaniam postea allatum, atque in eadem primo editum fuit, interque authores Hispaniæ illustrandæ idoneos collocatum. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 703. quem omnino in assignanda temporum ratione accuratum appellat, eoque nomine laudatum ab Dominico Portonario, qui illum primus in lucem produxit. Idem Lib. 2. cap. 47. pag. mihi 365.

GUILLELMUS APPULUS, quem Guillelmus quoque Cavus omisit, ita nuncupatus 1090 quod ex ea esset provincia in Regno Neapolitano oriundus, sub finem seculi undecimi floruit, perveniens ad extremum Imperium Henrici IV. Ad instantiam Urbani II. Romani Pontificis, qui Ecclesiam ab anno 1088. usque ad 1099. rexit, & Rogeri de Bussiaco preces, scripsit *Libros quinque carmine heroico de rebus Gestis Normannorum in Italia & Regno Neapolitano usque ad mortem Guiscardi Ducis*, quod Opus impressum anno 1582. Rhotomagi apud Richardum Pelit & Richardum L'Allemand, studio & curis Joannis Tiremæi, Fisci in Rhotomagensi provincia advocati, atque in eodem Parlamento Causidici. Illud hoc pacto incipit:

Gesta Ducum veterum veteres cecinere poëtæ,
Aggrediar vates novus edere gesta novorum.
Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu
Venerit Italiam, fuerit quæ caussa morandi;
Quosve secuta duces Latii sit adepta triumphum.

Hæc argumentum Operis ostendunt, exinde compellans eos quorum mandato laborem hunc aggressus fuerit, in hunc modum progreditur, Rogerum Ducem alloquutus atque Urbanum Pontificem.

Parce tuo vati pro viribus alta canenti,
Clara Rogere Ducis Rodberti, dignaque proles;
Imperio cujus parere parata voluntas
Me facit audacem; quia vires quas labor artis,
Ingeniumque negat, devotio pura ministrat.
Et patris Urbani reverenda petitio segnem

Esse vetat; quia plus timeo peccare negando,
Tanti Pontificis quàm jussa benigna sequendo.

Hinc cognoscimus, scripsisse Opusculum istud, ad instantiam ac petitionem, tum Urbani II. Papæ Romani, qui anno 1088. sedere cœpit, atque anno 1099. mortuus est: tum Rogerii de Busfiaco, qui Roberti Guiscardi frater fuit, Siciliæque unde Saracenos ejecerat factus Comes, anno 1101. admodum senex obiit. Tanto autem hoc Poëma Guillelmi Historicum majoris apud cordatos fidei esse convenit, quod eorum quæ narrat, testis Synchronus ac nonnullorum oculatus extiterit. Videas autem & illud Poëma in Collectione *Scriptorum Siciliæ*, impressa Francofurti anno 1579. in folio Wechelianis typis. Denique *Guilielmi Appuli Historicum Poëma De rebus Normannorum in Sicilia, Appulia & Calabria gestis* edidit vir clarissimus Guilielmus Leibnitius inter *Scriptores rerum Brunswicensium illustrationi inservientes*, anno 1707. Hanoveræ typis Nicolai Foersteri in folio impressos, pag. 578. ad 629. De *Guilelmo Appulo* Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 702. quem huc adduximus, paucis adjectis, Godefridus Guilielmus Leibnitius, in *Introductione* ad *Scriptores Rerum Brunswicensium illustrationi inservientes* præmissa, paragrapho seu Capite 39.

1090 BERTHOLDUS PRESBYTER CONSTANTIENSIS IN GERMANIA ET POENITENTIARIUS APOSTOLICUS, natione Germanus, qui etiam passim *Bernoldus & Bernaldus* dictus est. Sedi tamen Romanæ in Dissidio inter Imperatores ac Romanos Pontifices addictissimus, quorum caussam ad extremum usque habitum pro viribus ubique promovere & elevare sategit: qui etiam ipse anno 1086. in prælio apud Ostrofrancos commisso, adversus Imperatorem dimicavit. Hunc velut vicarium suum constituit in Germanicis partibus Gregorius VII. Romanus Pontifex, ut pro libitu data quavis occasione, omnes quoscunque posset ac quibuscunque modis, à Cæsareis partibus ad Pontificias alliceret, aggregaret. Scripsit *Chronicon de rebus post Hermanni Contracti obitum Gestis ab anno 1053. usque ad annum 1100.* atque etiam *Appendicem annorum undecim, videlicet ab anno 1055. ad annum 1066. inclusive*, Hermanni Contracti Chronico adjecit: quod utrumque Opus impressum in Collectione *Veterum Historiæ Germanicæ Scriptorum* Christiani Urstisii p. 341. & 335. edita in folio Francofurti anno 1585. Wechelianis typis, tum ibidem anno 1670. 2. tomis in folio. Ejusdem *Opusculum de vitanda Excommunicatorum Societate* cum *Veteribus Monumentis contra Schismaticos pro Gregorio VII.* à Sebastiano Tegnagelio editis anno 1612. Ingolstadii in 4. Denique *Bernaldi* sive *Bertholdi Constantiensis Opuscula alia pro Gregorio VII.* edita à Jacobo Gretsero cum Defensione Gretseri pro Cardinale Bellarmino, edita Ingolstadii anno 1609. in folio typis Adami Sartorii. Habentur in *Appendice* ad tomum secundum à colum. 45. ad finem & sunt,

1. *Tractatus Bernaldi de Sacramentis excommunicatorum, juxta assertionem Sanctorum Patrum.* Col. 45.
2. *Apologeticus ejusdem de Excommunicatione facta à Gregorio VII.* Col. 55.
3. *Synodus Romana sub Gregorio VII. facta.* Col. 69.
4. *Epistola prima Bernaldi ad Alboinum de Cœlibatu Sacerdotum.* Col. 75.
   Responsio Alboini ad præcedentem Epistolam. Col. 83.
5. *Epistola secunda seu Responsio Bernaldi ad Alboinum.* Col. 85.
   Responsio secunda Alboini ad Bernaldum. Col. 93.
6. *Epistola tertia seu Responsio tertia Bernaldi ad Alboinum.* Col. 99.
   Epistola reconciliatoria Alboini cum Bernaldo. Col. 111.
7. *Apologeticus Bernaldi pro Decretis Gregorii VII. in Romana Synodo factis.* Col. 117.
8. *Epistola Adalberti & Bernaldi ad Bernardum Magistrum Scholarum Constantiensem de Sacramentis Excommunicatorum.* Col. 165.
   Responsio Bernardi ad præcedentem Epistolam. Col. 168.
9. *Alia Adalberti & Bernaldi ad Bernardum Epistola.* Col. 198.

Qui plura de Bertholdo seu Bernaldo cupit, adeat locis citatis Tegnagelium & Gretserum, qui ejus Opuscula evulgarunt. Labbeum in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, tomo 1. pag. 202. Antonium Possevinum tomo 1. *Apparatus sacri*, pag. 218. & alios.

NALGODUS CLUNIACENSIS MONACHUS, quem Guillelmus Cavus omisit, discipulus Sancti Majoli Abbatis Cluniacensis non fuit, ut opinatus est Godefridus Henschenius ad diem undecimam Maji in Commentariis præviis ad Vitam Sancti Majoli, qui anno 994. mortuus est, sed circa annum 1090. & ultra floruisse & scripsisse videtur. Nam in *Vita Sancti Odonis Cluniacensis Abbatis*, quam scripsit quamque refert Joannes Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 186. annis ferme ducentis post Odonem vivebat, id quod ipse diserte asserit num. 29. nempe sub Urbano secundo Romano Pontifice: aut etiam post illud tempus ex num. 23. unde recte circa annum 1099. vel circiter collocandus venit. Scripsit etiam *Vitam Sancti Majoli Cluniacensis Abbatis* anno 994. mortui, quam ad diem Maji undecimam Bollandistæ ediderunt. Agunt de *Nalgodo* Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Histo-* 1090

Historicis Latinis cap. 5. pag. mihi 696. ubi eum sub ultimis Othonis primi Imperatoris annis vixisse & claruisse perperam affirmat. Antonius Possevinus, tomo 2. *Apparatus Sacri*, qui eum *Nalgendum* appellat. Godefridus Henschenius, in *Præludiis* ad Vitam Sancti Majoli, die undecima Maji. Joannes Mabillon, Seculo V. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, paginis 125. & 760. in *Præludiis* ad Vitas Sanctorum Odonis & Majoli Abbatum Cluniacensium.

1090 JACOBUS MONACHUS GRÆCUS, cujus nullus quem sciam, meminit, sub Alexiu Comneno Imp. circa annum 1090. vel 1100 florebat. Epistolæ ejus XLIII. Græcè manuscriptæ extant in Bibliotheca Galliarum Regia, Codice MS. Græco 2004. sub hoc titulo: 'Επιςολαὶ 'Ιακώβου μοναχοῦ μγ'. πρὸς τὴν πανευτυχεστάτην τὴν Σεβαστοκρατόρισσαν Εἰρήνην συνεκδημοῦσαν τῷ κυρίῳ καὶ ἁγίῳ ἡμῶν βασιλεῖ. *Epistola Jacobi Monachi 43. ad fortunatissimam Imperatricem Irenem cum Domino & sancto nostro Imperatore peregrinantem.* Solus de hoc authore agit, qui manuscriptum hunc Codicem in Regia Galliarum Bibliotheca excussit, Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Authorum* quem subjunxit calci *Glossarii ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis*, Lugduni duobus in folio tomis anno 1688. editi. Idem forsitan iste fuerit cum Jacobo altero, quem ex conjecturis tantum, ad annum 1150. infra collocaveram, postea expunctum. Qui enim has *Epistolas* scripsit, *Concionibus* etiam conscribendis occupare mentem potuit. Quam in sententiam maxime propendio, ut utrumque in unum Scriptorem colligam. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus & eorum Scriptis*, diversas hujus Jacobi Monachi ex Cornibaphi Monasteriu Homilias allegat, nimirum *In purpuram Sacerdotibus redditam &c.* pag. 10.. *in Conceptionem S. Mariæ*. pag. 104. *in præsentationem in Templo*, pag. 107. *in ejus Nativitatem* pag. 109. *in Annuntiationem ejusdem Virginis*, p. 114. de quibus Franciscus Combefis in Tabula hujus Operis, dum colligit certos authores *Vitarum & Encomiorum*, quæ in manuscriptis Metaphrasibus Græcis inveniuntur, pag. 265. Extant sub ejus nomine in Bibliotheca Vaticanâ Græcè MSS. Sermones, *in Assumptionem super sancta Deipara sermo collectus ex divinis Scripturis, & de eo quod extat in Historiis duodecim Tribuum.* Ejusdem *liber distributus in sex sermones* in festa quædam supersanctæ Deiparæ compositos: videlicet *In ejusdem Conceptionem, Nativitatem & Assumptionem. Id admissionem ad Sancta Sanctorum, in exitum è Templo, & in ea quæ deinceps. In salutationem seu Annuntiationem Angeli, in ἀπόδοσιν purpuræ.* Hæc autem argumenta recte convenire possunt Græco seculi XI. satis obscuri, ubi cultus & festa Beatæ Virginis ad excessum extensa sunt. De Jacobi hujus scriptis loquuntur, Antonius Possevinus tomo 1 *Apparatus sacri* p. 789. Leo Allatius atque Car. Dufrenius du Cange, ll. cc.

INGULPHUS CROYLANDENSIS ABBAS, 1090
claruit temporibus Guillelmi Nothi & Guil. Rufi ejus filii Angliæ Regum, circa annos 1080. 1090. & sqq. Hic natione Anglus, patria Londinensis, cujus pater unus fuit ex aulicis Edwardi Anglicanæ stirpis Regum ultimi, qui & ipse in Historia pag. 75. meminit velitationum, quæ sibi in pueritia cum Editha Regis Eduardi conjuge laudatissima fuerunt, cujus vitam ita paucis perstringit Cavus. „Bonis literis primum in Gymnasio Westmonasteriensi, deinde in Academia Oxoniensi sedulo operam dedit, Aristotelem imprimis in Philosophicis, ac Tullium in Rhetoricis, duces sibi adhibens. Venit in notitiam Guillelmo Normanniæ Duci, qui ad colloquium cum Eduardo Rege ineundum in Angliam transmearat, cumque in Normanniam trajiciens anno 1051. comitatus est, ei ab Epistolis ascitus: & ad summam Aulæ, si non dignitatem, saltem potentiam evectus, adeo ut omnia pro nutu regeret. Anno 1064. invidiam ex tanto principis favore enatam veritus, Germanis, Sigefrido Moguntino duce, loca sancta proficiscentibus comitem se adjunxit, Hierosolymam cum bona Guillelmi venia adiit, Constantinopolitanum Imperatorem Alexium, & Patriarcham Sophronium salutavit. Demum post mille viæ discrimina reversus, in Cœnobium Fontanellense secessit, vitam deinceps monasticam acturus, Monasterii Prior in brevi factus est. Anno 1076 à Guillelmo Rege in Angliam evocatus, Croylandensi Cœnobio præfectus in Abbatem est. Post aliquot annos Wulketulo decessore suo anno 1075. à Rege deposito, & Glastoniam relegato, regiam precibus enixis clementiam impetravit, illumque Croylandiam summo honore reduci curavit. Ipse Guillelmo Regi & Lanfranco Archiepiscopo semper inter primos charus, Monasterio suo multa beneficia & privilegia concedi obtinuit, ejus lapsum statum restituit, & combusta ædificia restauravit." Obüt anno 1109. Henrico I. regnante ibidem, ejusque in locum Joffridus Prior Monasterii S. Ebrulfi in Normannia suffectus est. Scripsit *Historiam Monasterii Croylandensis* ab anno 664. ad annum circiter 1091. quæ prodüt Londini anno 1596. in fol. à clarissimo Henrico Savilio, unà cum aliis rerum Anglicarum Scriptoribus, & anno 1601. Francofurti in fol. à pag. 850. ad 914. ἐπιγραφὴ ejusmodi est, *Descriptio compilata per Dominum Ingulfum Abbatem Monasterii Croyland, natione Anglicum, Monachum Fontanissensem.* Extat autem MS. codex ex quo illa primum prodiit, in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Othonis littera B. Codice 13. num. 1. cujus titulus ita habet, *Historica descriptio compilata per Dominum Ingulphum Abbatem Monasterii Croylandiæ, natione Anglicum, quondam Monachum Fontanissensem, & continuata per Petrum Blesensem & alios, ad tempora Regis Henrici VII.* At Appendix illa Ingulphi, quæ incerti Scriptoris esse in editis codicibus dicitur, Pe-

trum Blesensem authorem habet, ut dicemus, ubi ad hunc Blesensem deventum fuerit. Editio autem Savilii multis lacunis laborabat, & imperfecta erat, unde Thomas Galeus inter *Scriptores V. rerum Anglicarum* Oxonii 1684. in folio editos, auctiorem longe ac meliorem editionem procuravit, suppletis lacunis & integra posteriori parte addita, quæ in editione Saviliana deerat. Extat autem Codex ille, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Episcopalium & aliorum Collegiorum, num. 3074. in MSS. Bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Cod. 175. Inscriptus, *Ingulphi Abbatis Descriptio Croylandensis Monasterii.* Scripsit porro Chronicon istud allatus post annum 1100. cum in eo anni etiam 1107. meotionem faciat, unde ultimam illi manum adposuit Henrico I. in Anglia regnante, nec nisi paulo ante mortem perfecit, quæ anno 1109. Ingulpho contigit. Denique illud observatione dignum, Chronicon, istud ab anno 664. ad annum 974. non esse considerandum velut Ingulphi Abbatis, qui anno circiter 1100. scribebat & perficiebat illud: sed tanquam *Aionis Monachi Croylandensis*, qui Chronicon Cœnobii sui ex vetustis Ecclesiæ monumentis ad aonum 974. concinnavit, quod Ingulphus suo inseruisse videtur, ut ad anoum 974. citatum scribit. Meminit *Ingulphi Abbatis* inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 1723. in Codicibus MSS. Collegii Corporis Christi Codice 256. Brianus Twinius *Collectaneorum* volumine 3. ubi num. 51. Annotationes ex Ingulpho habet pag. 97. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 47. pag mihi 387. cui etiam Librum *De Vita & Miraculis S. Gutlaci* tribuit: sed falli cum puto, nihilque ab Ingulpho *de Sancto Gutlaco* scriptum esse, quam in Historia Croylandensis Mooasterii, passim occasione data. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria*, ad annum 1076. pag. 620.

1090 SVLCARDVS WESTMONASTERIENSIS MONACHVS, natione Anglus, eodem tempore, sub Rege Angliæ Guillelmo Conquestore & Guillelmo Rufo ejus filio, annis 1080. & 1090. sequentibusque clarus emicuit, qui præter *Sermones* & *Epistolas*, etiam *Chronicon de rebus Angliæ* coodidit. Hic mihi videtur esse ille author Britannus anonymus de quo loquitur Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. mihi 386. his verbis: „Circa annum 1080. Anonymus Britannus Bedam continuans, *Libros tres* emisit *De gestis Anglorum*, qui in Rerum Britannicarum Scriptoribus Heidelbergæ editis anno 1587. in folio, „Bedæ proximè junguntur, inscripti, *Incerti auctoris De gestis Anglorum libri 3* pag. 281. Ætatem ejus locus ille aperit libr. 3. cap. 27. *Responderunt Berengario libris Lanfrancus Archiepiscopus, sed præcipuè & fortiter Guitmundus prius Monachus de Sancto Leufredo Normanniæ, postea Episcopus Aversanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus.* At Guitmundus ille temporibus „Gregorii VII vixit, ut ipse testatur initio libri I. „*De Eucharistia*, Gregorius autem anno 1086. defunctus fuit. Anonymus verò hic sub initium Henrici Regis I. desinit, qui Guillelmo „patri anno 1100. successit, & circa hæc tempora „vivere desiisse, verisimile est.„ Fuisse Monachum illum Sulcardum, nullus fere dubito, ex miraculis quæ refert lib. 3. cap. 27. pag. 342. ubi & refert carmen Hildeberti Cenomanensis Episcopi in laudem Berengarii, quod circa annum 1084. Hildebertus junior cooscripsit. Denique terminat *Chronicon* suum lib. 3. cap. 37. in electione Henrici I. Angliæ Regis in quo finit. Carmioa autem *de contemptu mundi*, in quibus Chronicon suum concludit, Monachum illum ac seculo renuntiasse, ostendunt. Illud post annum 1100. scripsisse videtur, cùm Guillelmus Rufus Henrici I. pater, anno 1100. quarto Nonas Augusti percussus à fera incaute, dum venationi insisteret, Henrico regnum reliquerit. Hildebertus etiam, ante annum 1098. Cenomanensis Episcopus electus non est, quem allegat. Sulcardo autem hæc omnia apprime conveniunt. Idem etiam conscripsit *Chronologiam Cœnobii Westmonasterii, ex ejusdem Ecclesiæ vetustioribus instrumentis*, quæ MS. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Faustinæ littera A. Codice 3. num. 1. *Prologus De constructione Westmonasterii per Sulcardum Monachum Westmonasteriensem.* Num. 2. *Registrum Chartarum Regalium & Pontificalium, privilegiorum, compositionum & confœderationum Episcoporum & Abbatum Ecclesiæ beati Petri Westmonasteriensis.* Decessit non circa annum MLX. ut male scribit Vossius, sed circa annum MCX, hodieque in Westmonasterii templo lapis inscriptionem habet, *Sulcardus Monachus & Chronographus.* Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. p. 385. ultimæ editionis.

S. IVO CARNOTENSIS EPISCOPVS, 1100
natus in agro Bellovacensi, ex avis sanguine illustribus, cujus pater Hugo de Altoilo, mater Hiltemburga pari sanguinis nobilitate fulgentes. Hic primum Lantfranci non Abbatis quidem, sed Prioris duntaxat Beccensis in Theologicis auditor sedulus, tum ob morum insignem probitatem, non Præpositus tantum ut antea in *Supplemento* scripseram, sed Abbas etiam institutus Ecclesiæ Sancti Quintini ad muros Bellovacenses Canonicorum Regularium Sancti Augustini, quam Guido ejusdem urbis Episcopus anno 1078. fundaverat, ut ex multis authenticis constat instrumentis, quibus Abbas nominatur, vel Abbas testis subscripsit. Inde majores in diem faces emittente Ivonis pietate, factus Carnotensis Episcopus, & ab Vrbano II. Papa Capuæ in Italia die 21. Novembris anno 1092. consecratus. Aono 1093. multas passus est injurias in Concilio Stampensi urgentibus Re-

Regiis ministris, ob ordinationem à Romano Pontifice in partibus transalpinis susceptam, criminis etiam læsæ Majestatis accusatus: sed imminentem capiti suo procellam hanc, interjectione Appellationis ad Romanam sedem, propulsavit: qui dubio procul condemnatus fuisset, si judicium Episcoporum illic sedentium non detrectasset. Anno 1095. cum Philippum Regem, qui dimissa Bertha uxore legitima pellicem superinduxerat, acriter in colloquiis objurgaret, neque ob zelum quo ardebat silere vellet, imò datâ occasione scandalum istud à Rege factum multis divis exaggeraret: plutimas à Rege injurias passus est, bonorum spoliationem, imò carcerem ipsum in quem Rege mandante conjectus est: quo tandem intercessione Boelli Cenomanensis Episcopi, mitiora assumente Rege consilia, liberatus fuit. Anno 1104. Rotrocum Comitem Cenomanensem excommunicare à Romano Pontifice jussus, obtemperare nefas duxit, rescribens neminem indictâ caussâ condemnandum esse. Insigni ubique curâ, assedit corrigendis Canonicorum atque aliorum Episcopatus sui Sacerdotum & Pastorum moribus, eliminandæ ignorantiæ, avaritiæ, aliisque procul pellendis quæ tunc prævalebant, Cleri corruptelis: præcurrens omnibus rarissimo inculpatæ conversationis exemplo, ingentique ad erudiendam commissam sibi plebem studio sacrorum Canonum, quorum peritia inter alios sui temporis viros excelluit. Cum igitur Ecclesiam sibi commendatam rarà conversatione & Christiana ornasset, omnibusque norma rectè vivendi factus fuisset, mortalem reliquit sarcinam corpore figmenti, anno 1115 die 23. Decembris, tanto omnium applausu, ut in Ecclesia Carnotensi publicis in tabulis reperiatur.

Jam ad Scripta Ivonis Carnotensis Episcopi veniamus, de quibus paucis tantum egimus in *Supplemento* de Scriptoribus Ecclesiasticis, ad annum 1100. pag. 358. & sequentibus. Ivo igitur Carnotensis Episcopus, vir magni in Ecclesia nominis, & cujus lucubrationes in omnium manibus versantur, colligendis atque ordinandis præcipue Juris Canonici argumentis atque materiis, animum dum viveret applicuit. Extant *Collectiones duæ Canonum ac Decretorum* antiquæ huic Authori tributæ, quarum una *Decretum Juris* vulgo vocatur, seu *Decretorum Liber* in XVII. partes distributus, ac pro maximâ parte ex *Burchardi collectione* desumptus. Altera dicitur *Panormia Juris*, quæ Decretorum Ecclesiasticorum juris summa quasi quædam est, distincta in VIII. partes. Vtraque Ivonis Collectio eandem verbotenus habens Præfationem: quo factum est ut viri docti putaverint Pannormiam non esse Ivonis Opus, sed Hugonis cujusdam Cathalaunensis, aut alterius Scriptoris incerti, qui Decretum in compendium redegerit: illius suæ opinionis fundum accipientes ex Vincentio Bellovacensi, qui Libro XXV. *Speculi Historialis* cap. 74. testatur Hugonem illum ex eodem volumine abbreviato libellum portatilem composuisse, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur, qua de re posteà latius à nobis ex Baluzio disputabitur.

Decretorum Opus in XVII. partes distributum, pro maxima parte ex Burchardi collectione depromptum, prodiit Basileæ anno 1499. in 4. Lovanii anno 1557. in 8. & ibidem anno 1561. in folio cum Ivonis Epistolis. Denique Parisiis anno 1647. in folio, cum aliis omnibus Ivonis Operibus. Baluzius autem in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini Tarraconensis Archiepiscopi *De Emendatione Gratiani* à se emendatus & Notationibus eruditissimis illustratos, quos Parisiis anno 1672. in 8. apud Franciscum Muguet edidit, scribit num. XXIV. Ivonem magnum *Decretorum Opus* non multo post evulgatam *Panormiam* composuisse ac publici juris fecisse. „Cum vidisset Ivo (inquit) uti supra di„cebamus, Pannormiam favorabiliter acce„ptam, manibus studiosorum versari: majus„ opus aggredi statuit, in quo & caussas tracta„ret abundantius, ac prætereà excurreret ultra„ præfixos Pannormiæ terminos. Ergo incipi„ens à præfatione, Opus quod in octo tantum„ partes primo diviserat, nunc in decem & se„ptem distribuit, ordine tamen mutato. Opus„ illud vulgo vocatur DECRETVM IVONIS,„ initio facto ab editione Joannis Molinæi viri„ doctissimi. In vetustissimo tamen Codice„ manuscripto Bibliothecæ Sancti Victoris Pari„siensis, nullus titulus in fronte extat, neque no„men authoris, sed in fine Libri hæc tantum scri„pta sunt: *Explicit Liber Canonum*. Et mox in„ sequenti folio, alia manu multo recentiore:„ *Liber Canonum superscriptus* DECRETA JOVI„NIANI, *quem composuit Ivo quondam Carnotensis Episcopus, & continet decem & septem partes*„ *principales*. Viderat hunc Codicem Antonius„ Contius, qui Præfatione sua in Decretum Gra„tiani, loquens de duabus Canonum & Decre„torum Collectionibus Ivoni attributis, hæc ait:„ *Duplex ejus volumen hoc titulo insignitum reperi,*„ *unum majus, & magnitudine sua longe excedens*„ *Gratiani volumen, quod ex Bibliotheca Sancti Vi*„*ctoris Parisiensis, nobis aliquando communicatum*„ *est. Huic Operi inscriptum titulum hunc inveni*„*mus*, DECRETA JOVINIANI. *Verum hanc in*„*scriptionem falsam puto, & ignorantia Librariorum*„ *adscriptam: cum eadem illic sit Præfatio, qua apud*„ *Ivonem in minori volumine Pannomia, & eidem fere*„ *ordo: nisi quod illud volumen multo plures habeat*„ *partes & Titulos & Canones, in XVII. quippe partes*„ *divisum*.„ Hæc Baluzius post Contium. Longe igitur abest à sententia eorum, qui arbitrantur Ivonis Panormiam, esse compendium majoris *Decretorum Operis*: cum ipse putet *Decretum* esse post *Panormiam* compositum, atque ex illius applausu publico susceptum.

Panormia quæ Decretorum Operis quasi summa quædam est, in VIII. partes distincta:

de qua sic Labbeus in sua Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis*, tomo 2. pag. 504. *Ivoni quoque tribuitur à quibusdam, qua dicitur* Pannomia, *& corruptè à librariis voce* Pannormia, *qua ex Decreto Ivonis ab Hugone Catalaunensi in Compendium contracta est: nonnullis praterea additis ex Sanctionibus Innocentii secundi Papa. qui post Ivonem annis quindecim, in Schismate cum Petro Leonis in Romanum Pontificem electus est anno 1130 & post Pontificii Regiminis annos fere quatuor decim, defunctus est anno 1143 Hac Labbeus.* At quid huic Labbeanæ objectioni regerendum sit, subministrat eruditus antiquarius Stephanus Baluzius qui hoc Critices punctum, judicio eo quo pollet vecto diligenter excussit, in Præfatione ad Dialogos Antonii Augustini Tarraconensis Archiepiscopi *De emendatione Gratiani*, a se emendatos & Commentariis illustratos. Sic ergo num. XX. „*Sed Opus istud (Hugonis nempe Catalaunensis) diversum esse à* Pannormia, *vel hac res indicio est. quod* Summa Decretorum Ivonis *inscriptum fuerit: cum* Pannormia *in vetustissimo Codice manuscripto Sancti Victoris Parisiensis, in tribus etiam antiquis Codicibus manuscriptis Sancti Albini Andegavensis, denique in omnibus editionibus* Pannormia *semper vocetur, nunquam* Summa Decretorum. *Praterea vir rerum istarum peritissimus Antonius Augustinus, ex eo colligit* Pannormiam *non esse* Epitomen Decretorum Ivonis, *quod pauca sint in quibus ha dua Collectiones inter se conveniant. Caterum aut valde eur fallit amor suscepti negotii. aut deprehendisse mihi videor Victorinum* Pannormiæ *Codicem, multo antiquiorem esse Hugone Catalanensi, quisquis tandem homo ille fuerit. Vnde colligi potest Vincentium de eo alio opere loqui, quo caremus absque ullo bonarum literarum dispendio. Ego in ea sum sententia, ut omnino putem Ivonem primo scripsisse* Pannormiam. *& prafationem eodem tempore confecisse, qua postea magno* Decretorum *volumini prafixa est. Nam cum videret haud dubie Pannormiam successum habuisse prosperum, & commendari ob utilitatem insuam: putavit hic sistendum non esse, adeoque majus Opus aggrediendum.* Tum num. XXII. *Divisa est* Pannormia *in partes octo*, Decretum *in decem & septem. Vtrique Operi prafixa est, uti diximus, eadem Prafatio, in cujus fine, ista utrobique leguntur:* Deinceps singularum partium totius voluminis intentionem breviter perstringemus, & hinc prudens Lector advertat, quid in unaquaque parte sibi necessarium quærere debeat. *Statim verò describit Author, quid in unaquaque* Pannormiæ *parte contineatur, multum diverso ordine ab eo qui servatus est in compositione* Decreti. *Caterum prafatio illa uno tenore decurrit in Codice Victorino, cum in editionibus secta perperam sit in capita XLIII. in quibus continetur elenchus octo partium integri Operis.* Et num. XXIII. *Prima illius per Typographos editio exiit Basilea anno 1499 studio & opera Sebastiani Brant. Secunda Lovanii anno 1557. accurante Melchiore à Vosmediano. In utraque in calce libri, consequentibus numeris descripta sunt* Decreta Innocentii Secundi, *qua doctorum virorum conjectura locum fecerunt, ex eo suspicantium* Pannormiam *non esse Ivonis Opus: cum Ivo multo ante rebus humanis excesserit, quam Innocentius fieret Romanum Pontifex. Huic tamen doctorum virorum scrupulo faciemus satis, si cum Antonio Augustino dicamus, addita esse Decreta* Pannormiæ, *non esse partem ejus Collectionis. Testatur praterea idem Augustinus habuisse se veterem librum* Pannormiæ, *in quo* Decreta Innocentii II. *non extabant: sicuti non extant in optimo & antiquissimo Victorino, in quo caput quod est CXXXVI. octava partis in editionibus, incipiens* Leo Papa in Synodo congregata &c. *finem imponit* Pannormiæ. *Post à verò nihil aliud reperitur scriptum in Codice illo. Et hac de Pannormia sufficiant.*"

Observandum autem conspurcatam esse utramque & *Collectionem Ivonis & Pannomiam* quisquiliis & fictis ac supposititiis Decretalibus Isidori Mercatoris. Item aliis multis fictis & suppositis Decretis, quorum bene longum & accuratum Catalogum videas contextum apud Clarissimum Davidem Blondellum in *Pseudo Isidoro Vapulante* cap. 18. pag. 100. & seqq. Hæc Gerardus von Mastricht Juris & Historiæ Professor in illustri Duisburgensi Academia, in *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii* Num. 263. ad 272. pag. 304. ad 312. editionis 1686. Amstelodami in 8.

Epistola CCLXXXVII. quæ seorsim prodierunt cum Notis Francisci Jureti & Joannis Baptistæ Soucheti, Parisiis anno 1585. in 4. & 1610. in 8vo. Harum autem ultima quæ ad Haymericum est, titulo Libelli *De corpore Domini* in Bibliotheca SS. Patrum haberi consuevit.

Sermones XXII. De pracipuis totius anni festis, & de Ecclesiasticis Officiis & Sacramentis, impressi quoque seorsum inter Scriptores *De Divinis Officiis* Coloniæ a. 1568. & Parisiis a. 1610 in 8.

Breve Chronicon De Regibus Francorum a Pharamundo usque ad Philippum I. Francorum Regem & Anglorum Gulielmum Rufum: nam quæ de Henrico I. Angliæ Rege habentur, ab aliena manu addita sunt. Illud ex Papirii Massoni Jurisconsulti MS. Codice, Epistolis Ivonis in editione sua Parisina anni 1610. in 8. Franciscus Juretus subjunxit. Ambigunt tamen nonnulli an Chronicon istud vere Ivonis Carnotensis Episcopi sit, ab ea quæ de Henrico I. Angliæ Rege in eo ad calcem leguntur. Omnia hæc Ivonis Opera in unum collegit & castigata edidit Joannes Baptista Souchetus, Parisiis anno 1647. in fol.

Ejusdem autem Commentarius in Psalmos extat MS. in folio & asservatur Codice 1478. insignis Bibliothecæ Colbertinæ, cujus nullus, quem sciam, meminerit.

Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. mihi 364. ait se vidisse

ve-

volumen satis amplum, quod inscribitur: *Historia succincta edita a Venerabili Ivone Carnotensi Episcopo, De gestis quorundam Regum Assyriorum & De gestis omnium Romanorum Imperatorum, & ad ultimum De Carolo Magno rege francorum & ipsius successoribus.* Cujus Codicem MS. possidebat vir magnæ eruditionis, majorisque spei juvenis, Guilielmus Oomsius Amstelodamensis. Sed fallit MS. titulus hujus Codicis, spectatque hoc *Chronicon* ad Hugonem à sancta Maria Monachum Floriacensem Ord. divi Benedicti, qui eadem cum Ivone Carnotensi Episcopo ætate vixit, eique suum illud Chronicon nuncupavit. Vidi illud manuscriptum sub nomine proprii authoris *Hugonis a sancta Maria Monachi Floriacensis*, in Bibliotheca Igniacensi, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Rhemensi. Idem in Regia Galliarum Bibliotheca MS. Codice Latino 4954. quod ab exordio Regni Assytiorum incipit, ad annum circiter 1034. Et antem impressum sub proprii authoris nomine, Monasterii in Germania anno 1638. in 4. eura & studio Bernardi Rottendorf, qui Notas ad calcem operis adjecit. Mutilum tamen & imperfectum est, priorem tantum partem continens Chronici hujus, neque ultra tempora Constantini Magni progreditur, licet MS. Regius Codex usque ad 1034. producat. Agunt *De scriptis Ivonis Carnotensis Episcopi* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Robertus Bellarminus in opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, seculo XI. pag. mihi 293. Philippus Labbeus in eodem Opere tomo 2. pag. 500. & sequentibus, ubi omnes vitæ Ivonis epochas ac functiones egregie enuntiat, cum aliis omnibus vel saltem potissimis, qui de eo vel scriptis ejus scripserunt. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. 364.

1100 IRNERIVS seu WERNERIVS natione Germanus, ad scriptores Ecclesiastices proprie non spectat, quippe qui Justinianeo duntaxat juri suscitando, ex oblivionis atque contemptus tumulo, animum intenderit. Quia tamen & Codex iste Legum Justiniani, quem ad vitam aliquo modo revocavit IRNERIVS, multa continet argumenta materiarum & capita, quæ ad Ecclesiam atque Ecclesiasticos spectant, ideo hic quoque voluimus ut locum obtineret IRNERIVS, illumque proximum S. IVONI Carnetensium Episcopo, juris canonici suscitatori. Eo autem lubentius huc IRNERIVM adduximus, quod circa veram qua floruit ætatem, ac circa tempus mortis illius, plurimum a jurisconsultis recentioribus erratum sit, quod corrigere non indignum nobis videbitur. Jam ad ejus vitam procedamus.

„IRNERIVS seu WERNERIVS, quem fere omnes tanquam primum Juris Romani restauratorem fecerunt, quicunque post recuperatam Romani Juris prudentiam, vetustiorum Jurisconsultorum mentionem in scriptis suis fecerunt, quemadmodum Odofredus commemorat, qui non ita longo cum intervallo insecutus est, cum Bononiæ primum artes liberales tantum publice docerentur, hicque etiam IRNERIVS inter ipsos earum Professores esset, postea vero jus Civile recuperatum esset: cœpit IRNERIVS sepositis aliis studiis huic se totum dedere, tantaque ejus dignitate & elegantia captus, nullo etiam Magistro præcedente, illi sedulo ob utilitatem publicam inde certo emanandam incumbere. Cum ergo illius utilitatem esse quam maximam intelligeret, illud profiteri etiam atque alios docere primùs instituit. Primus item *Glossulas* obscurioribus locis apposuit, qua de re celebre sibi nomen comparavit, & primus Jurisprudentiæ restaurator, atque *Lucerna juris* passim vocari meruit. Quanquam enim ut idem Odofredus, qui circa annum 1240. Bononiæ clarus erat scribit, alius quidam *Popo* nomine primus Bononiæ propria auctoritate Leges professius esse feratur, tam obscurus tamen ille fuit, tamque nullius nominis, ut merito ante IRNERIVM nemo Jus docuisse dici possit. Neque vero Glossas tantum interlineares Legibus apposuit, sed *Autenticas* etiam, ut vocant, ex ipso *Autenticorum* Imp. Justiniani volumine quam brevissime juxta sententiam factum desumptas, Legibus Codicis ejusdem Justiniani inseruit, rem gratissimam simul & Juris studiosis commodissimam faciens. Excessit e vivis circiter anno Christi, 1190. eum Jus Civile ex Matsitanæ urbis direptione, in Italiam Pisas ab ipsis Pisanis victoribus anno Christi 1120. esset relatum, ut meminit Viglius Jurisconsulus eximius.“ Hæc ex Vitis Jurisconsultorum Joannis Fichardi, Paubus Freherus Jurisconsultus Nurembergensis, in *Theatro virorum eruditione clararum* parte 2. sect. 4. pag. 781. quem transcripsimus. Ejusdem meminit Johannes Trithemius in Catalogo virorum Germaniæ illustrium his verbis, *IRNERIVS merito Lucerna Juris appellatus est, quoniam Jus civile Glossulis primus exposuit, & sive exemplo cateris illuminandi juris exemplum dedit.* Christophorus Helricus in Theatro Historico editionis IV. Marpurgi anno 1638. in folio, hæc habet ad annum 1150. *Irnericus vel Wernerus Germanus, primus in Italia jus publice docuit, post Justiniani tempora, Author fuit Lothario Imperatori, ut libros juris civilis publice exponi curavit, id quod factum est anno Christi MCL. Bononia mortuus anno MCXC.* At Sethus Calvisius in Opere Chronologico editionis IV. anni 1650. in folio, Trithemium sequutus, longe turpius fallitur, dum illium anno Christi MCC. pag. 790. his verbis assignat: *Wernerus seu Irnerius vir illustris, juris civilis professor clarissimus, qui primus Jus Civile glossis illustravit, docuit. Roma & post Bononia circa hoc tempus.* Trithemius.

Veluntautem plerique Jurisconsultorum recen-

centiorum, claruisse IRNERIVM sub Lothario II. Imperatore circa annum 1134. vel 1136. atque ipso imperante illo, revocasse ad vitam Jus Justinianeum ab interitu neglectus & oblivionis, vitam autem usque ad annum 1190. produxisse, quæ omnia falsa sunt. Abbas Vrspergensis, qui unus omnium sequioris illius ævi historicus est præcipuus, neque procul abfuit ab ætate IRNERII, (factus est enim anno 1202. presbyter, quinquennio post anno 1207. Ordinem Præmonstratensem ingressus, & octavo post, anno 1215. Abbas vel Præpositus factus Vrspergensis) hic inquam accuratissime, si recte legatur, ætatem qua IRNERIVS floruit, designat in Chronico suo his verbis. Cum de Lothario II. verba fecisset, ita addit: *Hujus temporibus Magister Gratianus Canones & Decreta in unum compilavit. Eisdem quoque temporibus Dominus WERNERIVS libros legum qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, ad petitionem Mathildæ Comitissæ renovavit, & secundum quod a divæ recordationis Imperatore Justiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit.* Quibus verbis indigitat veram ætatem qua in jure docendo floruit IRNERIVS, nempe a temporibus Mathildæ Comitissæ seu ab anno circiter 1100. vel 1102. quo ejus hortatu Jus Justinianeum ab interitu vindicavit, usque ad tempora Lotharii II. seu Saxonis Imperatoris, sub quo adhuc superstes florebat, ipsi etiam Gratiano Synchronus, qui tunc temporis jam incumbebat Juris Canonici Collectaneo, postmodum evulgando. Vixit autem usque ad prima Conradi III. Imperatoris tempora, seu usque ad annum circiter 1140. septuagenarius circiter mortuus, vel ultimis Lotharii II. temporibus. Teste autem Abbate Vrspergensi *ad petitionem Mathildæ Comitissæ* quæ anno 1115. die 24. Julii mortua *Libros legum qui dudum neglecti fuerant, nec quisquam in eis studuerat, renovavit* &c. Carolus Sigonius vir doctissimus in Historia Bononiensi, quam post opus *De Regno Italiæ* ex tabulis ipsis Bononiensium vetustissimis concinnavit, perducta usque ad annum 1583. rerum serie, huicque immortuus operi, in argumento historico anni 1102. hæc verba habet: *IRNERIVS Philosophiam Bononiæ docens, Mathildæ rogatu Pandectas interpretari cæpit, & primus in eas Glossas scripsit.* Claruit ergo IRNERIVS anno 1102. temporibus Mathildæ Comitissæ, cujus hortatu Pandectas interpretari coepit, quæ anno 1115. die 24. Julii mortua est. Itemque temporibus Henrici IV. Imperatoris senioris dicti, qui anno 1106. die Martis VII. Augusti apud Leodium mortuus est. Temporibus Henrici V. dicti Junioris, qui Henrico Seniori, patri suo anno 1106. succedens, Vltrajecti anno 1125. die 23. Maji obiit. Quod rogatu Mathildæ hoc factum fuerit, historici jam adducti testantur. Idem autem putat, Hermannus Conringius *De Origine Juris Germanici* cap. 23. pag. 137. & quidem occasione controversiæ grammaticæ, quæ de significatione vocabuli. AS: mota erat: in cujus expositionem cum IRNERIVS incumberet, & jus civile Romanum Justinianeum laudaret, rogatu Mathildæ magis magisque illud illustravit. Et cum Bononienses cives novo exemplo scholam publicam juris doctrinæ circa annum forte 1128. instituissent, IRNERIVM primum publicum Juris professorem esse voluerunt. Contigit autem istud sub imperio Lotharii II. antea Saxoniæ Ducis, qui electus Imperator anno 1125. die 13. Septembris, licet anno tantum 1133. die 6. Julii ab Innocentio II. Romæ coronatus, obierit anno 1138. die ultima Septembris. Jure igitur merito, Abbas Vrspergensis retulit IRNERIVM etiam ad tempora imperii Lotharii II. seu Saxonis Imperatoris, sub quo superstes adhuc florebat, Gratiano Juris Canonici Magistro Synchronus. Imo videtur vixisse usque ad Conradum III. filium Friderici Sueviæ Ducis & Agnetis Henrici V. Sororis, qui Lothario II. seu Saxoni successit, apud Confluentiam die 22. Februarii anno 1138. electus, & Aquisgrani à Theoduino Cardinali Papæ Legoto die 13. Martii coronatus.

Seldenus tamen in Dissert. ad Fletam cap. 6. pag. 499 hoc de Mathilde, scilicet precibus ejus IRNERIVM fuisse persuasum ut jura traderet, impugnat his verbis: "Ob ætatem haud ita commode fieri potest, ut is anno 1102. hoc faceret rogatu Mathildæ, quæ etiam mortua est anno MCXV. & sic compluribus annis, antequam IRNERIVS Bononiæ legisse plerumque recipitur, id est, sub Henrico V. Augusto, & circa decennium ante Lotharii initia." Sed desipit Seldenus dum ita ratiocinatur, nihilque convenientius est rationi, quam ut is qui anno 1102. hortatu Mathildæ Comitissæ Jus Romanum e tumulo oblivionis suscitaverat, Glossulas illi adjecerat IRNERIVS: Idem ille Scholis juris Civilis postea Bononiæ institutis, anno 1128. ob peritiam notissimam ex labore præcedente, huic muneri primus præficeretur. Cum autem annos saltem triginta natus esset IRNERIVS, quando sub Mathilde Comitissa anno 1102. Glossulas juri adjecit, vitamque illius usque ad annum circiter 1140. prorogemus, illum hinc septuagenarium obiisse concludimus sub initia imperii Conradi III. Imperatoris, annis quinquaginta integris ante assignatum ab aliis mortis tempus.

Quæritur an Jus Justinianeum in scholas iterum ab IRNERIO in Italia reductum fuerit, jussu & auctoritate Lotharii II. seu Saxonis? Communiter Doctores jurisconsulti affirmant, sed Hermannus Conringius *De origine Juris Germanici* cap. 21. & sequenti, errorem hunc refutat, quia nempe ex nullo historico ejus ævi tale Lotharii II. decretum produci potest, imo diu ante illum ibi mansit arbitraria juris Justinianei professio. Et Vrspergensis Abbas quamvis

vis de IRNERIO & Lothario II. loquatur, restituti tamen juris laudem non Lothario, sed Mathildæ tribuit: quod sine dubio homo doctus & harum rerum studiosus fecisset, si aliquid in hanc rem de Lothario ipsi notum fuisset; Adde hic Caroli Sigonii testimonium *De regno Italia* Libro XI. & XV. ubi res Lotharii omnes diligentissime quidem ex antiquis monumentis persequitur, hujus autem decreti nullam injicit mentionem, quod sine dubio facturus fuisset. Adhuc clarius ex ejusdem viri doctissimi *Historia Bononiensi* liquet, quam post opus *De regno Italia* ex tabulis ipsis Bononiensium vetustissimis concinnavit, huic immortuus operi. Qui tamen hujus Lotharii edicti nullam facit mentionem, imo in argumento historico anni 1102. hæc verba habentur: *IRNERIVS philosophiam Bononia docens, Mathilda rogatu Pandectas interpretari cœpit, & primus in eas Glossas scripsit.* Agit de *IRNERIO* præter citatos, Joannes Andreas Quenstedt in Dialogo *De patriis virorum doctorum.* Martinus Lipenius in *Bibliotheca reali Juridica* passim, cum aliis. Christianus Matthiæ in *Theatro Historico* pag. 921. hoc habet post Trithemium supra allatum, *IRNERIVS primus Legibus glossas apposuit, & suo exemplo cæteris illuminandi juris exemplum dedit, unde* Lucerna juris *dictus fuit, & instaurator Legum Romanarum cognominatus.*

1100 LAMBERTVS ATTREBATENSIS EPISCOPVS anno 1100. claruit, electus anno 1093. hujus Ecclesiæ Antistes, qui antea erat Canonicus & Præcentor Insulanæ Collegialis Ecclesiæ, vir magni nominis hac ætate exstitit, qui Ecclesiam Cathedralem Attrebatensem à Cameracensibus oppressam ac servituti addictam, electus Episcopus dignitati pristinæ ac liberati curis suis ingentibus restituit, atque omnia ad hanc discordiam monumenta spectantia scripto mandavit, in volumine, quod ad nostram quoque ætatem in archivis Attrebatensibus adversatum est, ex *Codice Lamberti Episcopi*, qui in bibliotheca Ecclesiæ ejusdem custoditur. Inscribuntur *Gesta de restauratione Episcopatus Attrebatensis*, quorum partem aliquam dederant viri rerum antiquarum cognitione & diligentia memorabiles, Ferreolus Locrius & Lucas Dacherius in *Spicilegio* tomo 5. pag. 543. & sequentibus: sed integra edidit Baluzius beneficio J. Crignon Doctoris Sorbonici & Canonici Attrebatensis, qui hæc omnia ex MS. Codice Lamberti Episcopi manu sua descripsit, qui in bibliotheca Ecclesiæ ejusdem servatur, atque ad Baluzium pro singulari sua humanitate misit. Sunt autem edita à Baluzio Parisiis 1700. apud Franciscum Muguet in 8. Libro V. *Miscellaneorum* sub hoc titulo pag. 237. *Incipiunt Gesta quibus Attrebatensium civitas sub Vrbano Romana & Apostolica sedis Episcopo, excusso Cameracensium subjectionis jugo, in antiquam reformatur dignitatem.* Pag. 283. *Epistola Lamberti Episcopi Attrebatensis, & aliorum ad ipsum*, quibus continentur Epistolæ CXLIV. Pag. 377. *Privilegia concessa à Lamberto Episcopo Attrebatensi*, numero XIV. Quæ omnia idem Lambertus Episcopus collegisse videtur ac posteris reliquisse in memoriam rerum a se gestarum, vel aliquis mandato illius, nam *Lamberti Episcopi MS. Codex* appellatur. Addita autem *Varia de rebus Attrebatensibus* Lamberto posteriora pag. 401. ad 443. nimirum *Epistola XLVI.* Episcoporum Attrebatensium sequentium, quæ rebus etiam Ecclesiasticis illustrandis prodesse possunt. Hæc de *Collectaneo* Lamberti, qui anno 1112. Episcopatus sui 18. adhuc in vivis erat, quem nullus opinor Ecclesiasticis scriptoribus accensuit.

BERNARDVS TOLETANVS ARCHIEPISCOPVS post annum 1090. floruit, nam interfuit Legionensi Concilio ac præfuit anno 1091. Concilio Nemausensi anno 1096. denique tanquam sedis Apostolicæ Legatus Concilio Gerundensi anno 1097. Scripsit sermones IV. in Antiphonam *Salve regina misericordia*, quos huc usque sub nomine Divi Bernardi Claravallensis Abbatis habuerunt editiones Operum divi Bernardi, sed Joannes Mabillon Bernardo Toletano Archiepiscopo asseruit, in ultima editione Operum Divi Bernardi Parisiensi voluminibus in folio duobus anno 1690. apud viduam Joannis Baptistæ Coignart, Tomo V. pag. 711. quem proinde ex authoritate Mabillonii Scriptoribus Ecclesiasticis accensuimus. 1100

S. STEPHANVS DE MVRETO, primus Prior, institutor & fundator Ordinis Grandimontensis, ita cognominatus a cella seu loco Eremi de Mureto, ubi solitariam duxit vitam. Hic a Domino electus, juxta formam conversationis Eremitarum Calabriæ & Ægypti, cum viro præstantissimo Milone Beneventano Archiepiscopo, in cujus consortio annos quidecim educatus fuit, electa post ejus excessum Anachoretica vita, Romanum cui notus erat Pontificem adiit, a quo instanter petiit tandemque obtinuit, ut vitæ Eremiticæ formam & ordinem, quem in Calabria didicerat & observari viderat, sibi in remissionem peccatorum injungeret. Ductus igitur a Spiritu, & Apostolica (ut loquuntur) authoritate fultus, ad Eremum quam *Muretum* vocitant, horis quatuor à civitate Lemorica distantem anno Domini 1076. ætatis autem suæ 30. pervenit. Multi vero seculum deserentes, ipsum secuti & imitati sunt, quibus eandem vivendi normam ostendit & *Regulam* scripsit, suisque fratribus observandam reliquit: qua omnem carnium usum, curamque & coosortium mulierum, substantiam pecorum seu animalium, agrorumque proprietatem & occupationem, exceptis Eremis in quibus degerent, discipulis suis perpetuo interdixit. Hanc Regulam tam Adrianus IV. quam Vrbanus III. Alexander III. Lucius III. Romani Pontifices, succedentibus temporibus confirmarunt, ordinem hunc novum multis privile- 1100

giis & specialibus indultis munientes. Incipit Prologus hujus Regulæ, *De Unitate & diversitate Regularum* ab his verbis: *Filii mei & fratres dilectissimi, quamvis sit ardua & arcta via quæ ducit ad vitam, magna tamen est domus Domini* &c. Caput I. De obedientia. *Quisquis hanc Religionem Deo inspirante ingreditur, promittat obedientiam Deo & Pastori* &c. Impressa illa Rotomagi anno 1671. apud Eustachium Viret in area Palatii, & antea quoque Divione, anno 1645. apud Philibertum Chavance. Quam vidi quoque manuscriptam in veteri Codice Bibliothecæ sancti Victoris, Canonicorum Regularium divi Augustini, littera EE. 15. fol. 205. & seqq. Attamen cum editere hujus Operis, Lector advertet, hanc *Regulam* ab ipso sancto Stephano non fuisse conscriptam, sed verbo & exemplo per quinquaginta fere annos in discipulorum cordibus insculptam, atque ab ipsis postmodum, maxime autem à Petro Lemovicensi qui *Sancto Stephano* proxime successit, collectam fuisse, & deinceps a Guillelmo de Treinhaco sexto Priore in eum ordinem quo nunc habetur, anno circiter 1180. adductam: quam approbavit Clemens III. summus Pontifex anno 1188. expressis literis in archivo Grandimontensi asservatis. Vnde non mirum si in ea capitibus 60. & 62. fiat mentio *Grandimontis*, quem nunquam incoluit sanctus Stephanus: quod esset omnino inconveniens, ut & alia quædam. Scriptor itaque illius primus *Petrus Lemovicinus*, qui anno 1139. obiit: ultimus atque alter ordinator, *Guillelmus de Treinhaco*, qui illius confirmationem ab Vrbano 3. anno 1186. & à Clemente 3. anno 1188. obtinuit. Sub ejusdem *Sancti Stephani* nomine, in celebri Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, Codice MS. 727. quingentorum circiter annorum, hic rubricatis litteris titulus: *Incipit liber religiosissimus De doctrina Beati Stephani Confessoris, primi Patris & institutoris Ordinis Grandimontensis.* Tum sequitur Tractatus sive doctrina. *Multis modis Dominus Stephanus discipulos suos edocebat, qualiter & de vita sua inquirentibus responderent, hoc eis dicens: Fratres ne miremini si nonnulli a vita vestra moribusque dissentiunt, quandoquidem ab eo quod illi tenent vos dissidetis, & non vultis eos sequi in hoc quod faciunt. Quid igitur vos de illis ammiremini* &c. Ad finem rubricatis literis, *Explicit liber de doctrina Beati Stephani Confessoris, primi institutoris Ordinis Grandimontensis.* Ex his autem Opusculi devoti primis lineis, conscriptum videtur ab aliquo ex ejus discipulis qui eum olim audiverat, circa seculi XII. initium, ab eodem oempe *Petro Lemoviceno*: non autem ab ipso sancto Stephano, qui circa annum 1100. maxime floruit dictatum, & si inde contemni Opus, quod vivente forsitan Stephano collectum est, non debeat. Tandem Stephanus à seculo ad Christum Dominum, in cella de Mureto, Diaconus tantum existens, emigravit anno Domini 1124. ætatis suæ 80. effectus in hoc imitator alterius S. Stephani Protomartyris & Levitæ, plenus miraculis & Operibus bonis, sexto Idus Februarii, cum annos fere quinquaginta in eremo vixisset. Inscriptus Ecclesiæ Romanæ fastis à Clemente 3. anno 1189. Qui plura cupit, adeat *Galliam Christianam* Sammarthanorum fratrum tomo 4. pag. 492. verbo *Grandimons*, ubi successio Præpositorum hujus Ordinis. De eodem Joannes Bollandus, ad diem 8. Februarii in *Actis Sanctorum*, ubi Vita ejus ad plenum refertur, multaque de Ordine *Grandimontensium* referuntur.

RADULFUS ARDENS, patria Pictavinus, 1100
claruit anno 1100. vel circiter & ulterius forsitan. Hic legitur ex parentibus nobilibus ortus in agro Benchoratum, ex viculo de Beaulieu oriundus, ut erat ingenii juxta cognomentum ardentis, ingenioque mentis ardore in suis concionibus declamabat. Vnde celebris tunc temporis factus à Guillelmo IV. Aquitanorum Duce, in aulam adoptatus est. Homilias suas inter arma scripsisse dicitur, cum esset Guillelmo huic Bellicoso à concionibus simul & bellicis consiliis. Ambigo tamen plurimum, annon gratis & absque teste ad fidem idoneo, ista de Rodulfo Ardente scribantur à Francisco Combefis. Præter alios *libros Epistolarum & Historiam Belli contra Saracenos* a Godefrido Bullonio, cui etiam ut affecla Ducis sui interfuisse dicitur, scripsit aliud opus grande quatuordecim libris distinctum, quod *Speculum Ardentis* nuncupatur. Hæc lapsu temporum, interiisse arbitror. Restant ipsius *Sermones seu Homiliæ* de tempore ac de Sanctis totius anni quas duobus in 8. tomis impressas vidi Parisiis anno 1573. apud Michaelem Chesneau, via Jacobæa, sub quercu viridi. Item Antverpiæ annis 1571. & 1576. in 8 apud Petrum Bellerum. Et Coloniæ anno 1604. duobus tomis in 8. Agunt de *Radulfo Ardente* Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus sacri*. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria*, ad annum 1101. pag. 636.

ALEXIUS COMNENUS Imperator Ori- 1100
entis, successit in Imperio Nicephoro Botoniatæ anno Christi MLXXXI. qui per annos XXXVII. summam rerum obtinuit. Ecclesiasticis sese negotiis plurimum immiscuit, nec expers doctrinæ fuit. Extant *Alexii Comneni Imperatoris Novella* ad Ecclesiam spectantes in Jure Græco-Romano Tomo 1. pag. 123. Tomo 2. pag. 179. & apud Cotelerium Tomo 2. *Veterum monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, ut testatur Carolus du Fresne du Cange in Catalogo Scriptorum quem subjecit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 43. Idem in eodem *Lexico* seu *Glossario* col. 115. verbo ἀέρικὸν, testatur *Rationale Peraquatorum Alexii Comneni* extare Græce MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice MS. 1024. qui tamen in *Catalogo MSS. Codicum* quibus in *Glossario* hoc concinnando usus fuit,

fuit, col. 23. ita loquitur. *Alexii Comneni Imperatoris Rationale Peraequatorum* ex Codice Regio 2724. hoc titulo, Παλαιὰ λογαριϰὴ τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος: & Νέα λογαριϰὴ νῦν ἀπαιτουμένη διὰ προστάξεως τοῦ ἀοιδίμου βασιλέως ϰυροῦ Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ. *Antiquum Rationale Augusti Caesaris, & Novum Rationale quod modo exigitur ex praecepto inclyti Imperatoris Domini Alexii Comneni.* Item *Alexii Comneni monita ad Spaneam nepotem versibus Politicis Graeco barbaris* ex Codice Mentellano, nunc Regio, sub hoc titulo, Ἐξ Ἀλεξίου Κομνηνοῦ τοῦ μαϰαρίτου, ἐϰείνου. Λόγοι χρηστοὶ βουλευτιϰοὶ πάνυ ὠφελούμενοι, πρὸς τὸν ἀνέψιον αὐτοῦ Σπανέαν τὸν ἐπίϰλην: de quibus vide Lambecium Libro V. Bibliothecae Caesareae Vindobonensis pag. 262. ubi editum opus Venetiis testatur. Scripsisse etiam videtur adversus Latinos, ut testatur Nicolaus Hydruntinus Lib. I. *De processione Spiritus Sancti contra Latinos:* „Τοῦτο τὸ λῆμμα τῆς ἀγχινοίας ἐστὶ τοῦ συνετωτάτου βασιλέως Ἀλεξίου, τούτῳ γὰρ ἐχρήσατο ποτὲ ϰατὰ τοῦ Μεδιολάνων Ἐπισϰόπου διαλεγόμενος. *Hoc Lemma solertia est prudentissimi Imperatoris Alexii, eo enim usus fuit aliquando, adversus Episcopum Mediolanensem disputans.* „ Verum invidit nobis Opusculum istud Imperatorium lapsus temporis. Mortuus anno 1118. Alexius Comnenus, Joannem Comnenum filium successorem reliquit. Haec ex Leone Allatio Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiae* cap. 10. num. 2. col. 626. Lambecio Lib. 5. *Bibliotheca Caesarea Vindobonensis* pag. 262. Carolo du Fresne Domino du Cange in Catalogo scriptorum, quem subjunxit *Glossario mediae & infimae Graecitatis*, coll. 23. & 43.

1100 NICETAS SEIDUS, scriptor Graecus, adversarius Latinorum, claruit circa annum 1100. vel 1110. si in re obscura recte conjicitur, de quo ita Leo Allatius Lib. 2. *De consensu Ecclesiae Orientalis & Occidentalis* cap. 10. num. 2. col. 630. „ Niceta quoque Seidus his iisdem „temporibus cum videret à Latinis proponi in„haerendum esse opinionibus Ecclesiae Romanae, „tanquam antiquioris, venerabilioraque esse „novis antiquiora: Scripsit adversus eosdem „Opusculum, *Non simpliciter antiqua novis venerabiliora, ideoque neque nova vetus Roma, nec Sedes Sede* Multa illius dicta a nobis supra, pro„ut ferebat occasio, refutata sunt. „ Ex hoc Opere ampla quaedam nec contemnenda fragmenta, profert Leo Allatius Lib. I. *De consensu utriusque Ecclesiae Orientalis & Occidentalis* cap. 14. num. I. col. 209. num. 2. col. 211. Lib. 2. cap. col. 475. & 476. lib. 3. cap. 12. §. 4. col. 1111. Idem mihi videtur, cum Niceta Chartophylace Niceae, cujus extat in Codice MS. Graeco 1334. Regiae Galliarum Bibliothecae Tractatus hujus tituli, Κατὰ πόσους ϰαιρούς, ϰαὶ διὰ ποῖα αἰτιάματα ἐσχίσθη ἀφ᾽ ἡμῶν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐϰϰλησία, cujus meminit Carolus du Fresne in Catalogo Scriptorum, quem subjunxit *Glossario mediae & infimae Graecitatis* col. 30. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariae* ad annum 1110. pag. 639. Fuit ergo NICETAS SEIDUS ejusdem aetatis ac Graeciae Monachus, cujus meminit Antonius Arnaldus in libro *De perpetuitate fidei Ecclesiae Catholicae circa praesentiam ac realitatem corporis & sanguinis, Christi in Eucharistia sacramento*, quemque MS. extare Graece ait in bibliotheca Gallorum Regia. Extat autem inter MSS. Codices Bodlejanae Oxonii in Anglia bibliothecae, in manuscriptis Baroccianis Codicibus, Codice 131. pag. 390. Nicetae Σεΐδου πρὸς Λατίνους. Περὶ γενέσεως τοῦ Ἀδὰμ, τῆς Εὔας, τοῦ Σὴθ, ϰαὶ περὶ τοῦ ϰατ᾽ εἰϰόνα ϰαὶ ϰαθ᾽ ὁμοίωσιν, ἤτοι περὶ τῆς ἁγίας τριάδος, ϰαὶ τῆς ἐϰπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος. Incipit opusculum ὁ Ἀδὰμ &c. Meminit hujus scriptoris post Arnaldum citatum, Catalogus Manuscriptorum Codicum Bodlejanae bibliothecae pag. 16. columna 2. Codice 131. Ex hoc Opere ampla quaedam, nec contemnenda fragmenta profert Leo Allatius *De Consensu utriusque Ecclesiae Orientalis & Occidentalis* lib. 1. cap. 14. §. 1. 2. libro 2. cap. 1. §. 2. lib. 3. cap. 12. §. 4. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariae* ad annum 1110. pag. 639.

THEODERICUS ABBAS SANCTI TRUDONIS, in Episcopatu Leodiensi, Monachus Ordinis divi Benedicti, hac quoque aetate claruit, nomenque suum posteris commendavit, *Legendarum* compositione multarum. Quo tempore vixerit Legendarum ejusmodi scriptor Theodoricus, patet ex Chronico S. Trudonis, quod extat tomo VII. *Spicilegii* Dacheriani. Nam ad finem libri V. hujus *Chronici*, Theodoricus 3. Calendas Februarii anno Domini 1099. Abbas Trudoniani Coenobii consecratus dicitur. Ex eodem libro V. *Chronici*, discimus occasionem Scriptionis *Vitae Sancti Baronis*. Depositus ab Abbatia Trudoniana, in Monasterium Ganda exulare ob eas causas coactus est, quas in Observationibus praeviis ad Vitam sancti Baronis retulit Joannes Mabillonius Seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 393. Theodoricus igitur exul ac destitutus ab officio, Gandae in Monasterio Sancti Petri reclusus, sub contentione Abbatum Lanzonis & Luponis, qui Metensis & Leodiensis Episcoporum factione, *De dignitate & Praefectura Abbatiae Trudonianae* certabant, rogatu Gandensium fratrum *primariis Actis sancti Baronis exornandis* operam contulit: unde sub finem hujus Vitae se ornatius conscriptae, calamitosum illud tempus deplorat. Haec Vita S. Baronis extat apud Laurentium Surium ad diem 1. Octobris, & apud Joannem Mabillon Seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 395. ubi de hoc Theoderico in Praeludiis ad hanc Vitam pag. 393. Idem hortatu Joannis Abbatis & Monachorum Coenobii Trudoniani *Libellum versum de Vita sancti Trudonis* scribere sub finem seculi XI. aggressus est, quo in Opere proprium sibi 1100

nihil agnoscit *præter verba alio sensu derivantia*, authoritatem à scriptoribus receptissimis mutuatus; qui tamen nonnulla de Sancti Trudonis ætate infernit, quæ cum Chronologia recta convenire nullatenus possunt. Extat apud Surium, ad diem 23. Novembris. Idem scripsit *Vitam Sancti Rumoldi Archiepiscopi Dubliniensis & Martyris*, quæ extat apud Surium, ad diem 1. Julii. *Vitam S. Baronis*, quæ apud Surium die 1. Octobris. *Vitam sanctæ Landradæ, Virginis Belgicæ*, quæ apud Surium ad diem 8. Julii, sed mutila quam ad diem dictam dabunt integram Successores Bollandistæ, & quæ MS. integra in Rubræ vallis Cœnobio prope Bruxellas. *Vitam S. Amalbergæ Virginis Tamiscensis*, quæ nondum edita, extabat alia manuscripta apud Aubertam Miræum, & MS. extare dicitur in Cœnobio Cameræ juxta Bruxellas. Sermonem de translatione sanctorum Trudonis *Presbyteri & Confessoris & Eucheris Aurelianensis Episcopi*, quem habet Surius ad diem 23. Novembris. Sub finem autem libri sexti *Chronici Sancti Trudonis* edocemur, obiisse Theodoricum in Monasterio Gandavensi Sancti Petri, anno 1107. septimo Calendas Maji. De illo Sigebertus in libro *De viris illustribus* cap. 170. & Aubertus Miræus in *Scholio* ad dictum Caput Sigeberti pag. 157. *Bibliotheca Ecclesiastica*. Et in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 354. pag. 245. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 368. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Theodoricus* pag. 822. editionis 1643. Lovanii in 4.

HVGO SANCTI PETRI FLAVINIACENSIS IN BVRGVNDIA ABBAS, Monachus primum Cœnobii sancti Vitoni Virdunensis, sub Richardo Abbate ob vitæ sanctimoniam celeberrimi. Hic ex Imperatorio stemmate Othonis tertii nepos ut ipse affirmat in *Chronico*, qui electionem suam in hunc modum profert ad annum 1097. quo Abbas Flaviniacensis renuntiatus est. *Dominus Eduensis Episcopus Hagano conquestus plurimum desolationem Flaviniacensis Ecclesiæ, cum jam post obitum Domini Rainaldi fratris Ducis, septem annis Ecclesia eadem pastore viduata mansisset: me, eo quod quasi essem notus Archiepiscopo, quod etiam persæpe fecerat, requisivit ab eo in Abbatem.* Itaque Rainaldo Abbate Flaviniacensi Ducis Burgundiæ frater, anno 1090. mortuo, & Abbatia per septennium vacante, Hugo ex Imperiali stemmate anno 1097. substitutus est. Scripsit *Chronicon* suum à Christo nato ad annum usque 1102. quod primus vulgavit Philippus Labbeus Soc. Jesu Presbyter Theologus, tomo I. *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum* pag. 75. Hoc autem vere eximium Opus, dum adhuc esset Monachus apud sancti Vitoni Virdunensis Abbatiam, scribere aggressus fuit, unde & à nonnullis *Chronicon Virdunense* appellatur: permansit autem in Cœnobio Flaviniacensi, usque ad annum 1102. quo & obiisse dicitur, ex quo etiam *Chronicon Flaviniacense* vocatur. Opus istud *seculi præsertim undecimi Thesaurum incomparabilem* dicit Labbeus, qui illud ex ipso authoris Autographo in Bibliotheca Collegii Claromontani Parisiensis ex Jacobi Sirmondi rapinis ut audio asservato, publici Juris fecit, anno 1657. duobus in folio tomis, Parisiis apud Sebastianum Cramoisis. Illud tamen Chronicon quale ab authore factum est, tale omnino à Labbeo productum non est, qui ingenue fatetur, exclusisse consulto e priore parte vulgaria quampluríma & inutiles lacinias aliunde acceptas: quas (inquit) cordatus nemo atque industrius Historiæ Ecclesiasticæ indagator, merito unquam jure desiderabit. Multi tamen hodie sunt, qui Opus istud quale ab Hugone conscriptum est, non esse productum à Labbeo in lucem, conqueruntur; dicentes plurima sæpius inutilia viris doctis visa acresecta, ab aliis utilia fuisse visa ac necessaria. Plura de *Hugone Flaviniacensi Abbate* ejusque Chronico, Labbeus in Prolegomenis ad suam *Bibliothecam Novam Manuscriptorum librorum*. Sammarthani Fratres tomo IV. *Gallia Christiana* in Abbatibus Flaviniacensibus, pag. seu fol. 386. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1101. pag. 636.

DISSERTATIO SINGVLARIS DE COLLECTANEO SEV COLLECTIONE ANSELMI BANDVRII, QVÆ IMPERIVM ORIENTIS INSCRIBITVR.

PROLOGVS

1100 ANONYMVS GRÆCVS SCRIPTOR, qui circa annum MC. floruisse sub Alexio Comneno Imperatore creditur, libros tres, Græce, *De urbis Constantinopolitanæ situ & præstantia*, itemque *De Templo sanctæ Sophiæ* in urbe eadem librum quartum, in Bibliotheca Galliarum Regis Codice MS. Græco 3058. in quarto conscripsit; quo opere occasionem nactus est *Anselmus Bandurius*, Ragusinus, Monachus Ordinis divi Benedicti Congregationis Melitensis, multa convasandi ac dispersa hinc inde colligendi, quæ Historiæ Byzantinæ deesse arbitratus est, ut Collectionem sub hoc titulo Græco-Latinam Orbi litterario offerret: *Imperium Orientis*,

tis, seu Antiquitates Constantinopolitana, in quatuor partes distributa, cum ex Scriptoribus jam editis, tum ex MSS. eruta & collecta primum in unum, opera & studio Domini ANSELMI BANDURII, *Ragusini, Presbyteri & Monachi Ordinis divi Benedicti è Congregatione Melitensi, 2. in folio Voll. Grace & Latine. Parisiis anno 1711. apud Joannem Baptistam Coignard, Regis & Academia Typographum.*

Mentionem hujus Operis, seu Collectionis, faciunt amplissimam Diarium Eruditorum Parisiense anni 1712. mense Septembri, editionis Amstelodamensis in 12. à pag. 291. ad 312. Item Acta Eruditorum Lipsiæ, anni 1712. mense Martio in Novis Litterariis, pag. 144. breviter, sed latius mense Novembri pag. 485. ad 491. quoad Volumen primum, de qua referam, additis paucis, verbotenus, quæ Eruditi Lipsienses habent. Inter eos, qui Constantinopolitanæ urbis antiquitates tradere aggressi sunt, primus *Petrus Gyllius* fuit, ex agro Albiensi apud Gallos natus, qui à Francisco I. Francorum Rege, Codicum Græcorum comparandorum causa, illuc missus, pleraque ab Historicis recensita loca coram inspexit, & cum iisdem contulit; deinde ex peregrinatione diutina redux, libros tres *de Bosphoro Thracico*, & libros quatuor *de Topographia Constantinopoleos ac de illius antiquitatibus*, accurato studio scriptos, posteritati reliquit, quæ eosdem omni tempore magni fecit, & in deliciis habuit.

Post hunc *Joannes Meursius* Notis brevioribus *Codinum de Ædificiis* illustravit, quem deinde secutus *Petrus Lambecius*, ejusdem *Codini* Opus de Græco Latinum fecit, & uberioribus nec spernendis animadversionibus edidit. Superasse tamen horum in eo genere doctrinam & industriam creditur *Carolus Ducangius*, aliis quoque monimentis clarus, in *Constantinopoli Christiana*, qua ipsa ex Scriptoribus editis pariter & ineditis incredibili labore adornata, à *Bandurio* Byzantinæ Historiæ parens dici meruit. Neque tamen omnem materiam ita præripuisse Auctori nostro visus est, ut ab eo dictis non demi aliquid debeat, vel posset addi. Inciderat nimirum *Bandurius*, cum Regiæ Parisiensis Bibliothecæ Codices manu exaratos evolveret, in Codicem Græcum num. 3058 4. *Patria seu Origines urbis Constantinopolitana* inscriptum. Cumque animadverteret Scriptorem Operis *Codinum* annis circiter trecentis & quinquaginta, quod ex Jambis præmissis appsret, præcedere, diversa etiam methodo rem totam tractare, eundem per otium Latinum facere, ac, ubi opus esset, Commentariis illustrare incepit.

Hoc institutum adeo atrisit viris nonnullis doctis, quorum sententiam expiscabatur, ut sponte currenti ad absolvendum opus istud modis omnibus calcar adderent. Atque hunc quidem solum Scriptorem edere initio animo volvebat *Bandurius*; sed cum laborem quotidie succrescere videret silvâ rerum notabilium *Coignardus*, cujus typis & sumptibus edi debebat, hic auctor eidem extitit, ut adjunctis aliis nonnullis duos in Tomos Opus distingueret, unde demum enata est hæc *Veterum Scriptorum rerum Byzantinarum Collectio.*

CAPUT PRIMUM.
DE VOLUMINE SEU TOMO I. BANDURIANÆ COLLECTIONIS.

Absolvitur autem *Tomus prior* Partibus tribus, quibus *Græcorum* quorundam sequioris ævi scripta, partim jam vulgata, partim inedita, adhuc comparent. Posterior, cujus occasionem seorsim dabimus, Commentarios in Libros ante memoratos, *Antiquitatum* nempe *Constantinopolitanarum*, & Scriptores nonnullos alios complectitur. Nos quæ in qualibet Tomi prioris Parte scripta reperire liceat, paucis subjiciemus. Opus autem istud, seu Collectaneum omne Magno Tusciæ Duci dedicatum reperitur, cui *Bandurius* maxime devinciebatur, tum ob plurima ab illo beneficia accepta, tum quod eum, in Gallias ob studiorum promotionem missum, sumptibus suis aluerit, ac protectione singulari dignatus sit. Tum sequitur Præfatio ad Lectorem, ampla & erudita; qua totius instituti sui rationem reddit, in qua multa etiam eruditionis reconditæ suæ argumenta non contemnenda profert. Atque ad Partis primæ frontem reperitur *Tabula Chronologica Imperatorum & Constantinopolitanorum Patriarcharum*, à Constantino Magno & Metrophane, usque ad hanc urbem a Turcis captam. Hæc Tabula ita disponitur, ut successiones utrorumque ostendat in columnis duabus lateralibus, ac tertia, quæ annos Nativitatis Christi in medio designat, eodem tempore exhibeat Historicam Synopsim rerum Historiæ Byzantinæ principalium, tam Civilium & Laicarum quam Ecclesiasticarum: atque ista ratione medeatur sterilitati, quæ ab ejusmodi Catalogis ferè inseparabilis est.

In prima autem Parte, in qua *De Divisione Imperii Romani in Themata, sive Provincias, necnon de Provinciis atque urbibus, Imperatori Constantinopolitano olim subjectis*, continetur *Constantini Porphyrogeneti* Liber unus *de Thematibus Orientis*, pag. 1. Quem jam ante Latina Versione & Notis adornatum emiserat *Bonaventura Vulcanius*, Lugduni Batavorum, apud *Franciscum Raphelengium* 1588. in 8. Et post eum cum variis lectionibus, emendationibus ac supplementis Fredericus Morellus in Operibus Constantini, ibidem ex officina Elzeviriana 1617. in 8. Cui subjungitur *alter ejusdem Constantini de Thematibus Occidentis Liber*, pag. 20. ab eodem *Morello* editus. Utrumque Bandurius Librum cum MS. Codice Regio bombycino, num. 2431, ante quingentos annos circiter scripto, collatum emendatiorem hic protulit.

Constantinum excipit *Hierodis Grammatici Syn-*

Synecdemus, sive Comes Peregrinationis, Opus de Provinciis ac urbibus, quæ Imperatori Constantinopolitano parebant; Provinciæ quidem 64. urbes 935. quem Librum *Lucas Holstenius* ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ descriptum, & ad alium Altempsianum Codicem correctum, necnon ex duobus aliis Farnesianis expletum, Latinaque interpretatione donatum, una cum Constantino *de Thematibus & de Imperio administrando*, in Corpore Historiæ Byzantinæ edere pollicitus erat. Morte tamen prævento Holstenio, cum aliis schedis *Holstenianis* delitescentem in Bibliotheca Barberina, Tomo II. *Antiquitatis Ecclesiasticæ illustrata, in Appendice ad Opus Geographicum*, publici juris fecit *Emmanuel à Schelstrate*, Romæ 1692. typis Congregationis de propaganda fide: vel alius post ejus mortem, qui fata Schelstratii honorare voluit.

Anselmus Bandurius in Præfatione pag. 3. hunc partum suo *Hierocli* contra Schelstratium vindicat, deceptum, ut ostendit, loco quodam Constantini ex secundo de Thematibus sumpto, quem ille Hieroclis putabat, cum ipsius Constantini esset. Addendum est, idem Hieroclis opusculum a *Carolo de Sancto Paulo* ad calcem *Geographiæ Sacræ* editum fuisse, sed mutilum. Hoc Opus a Bandurio editum p. 31. ad 52.

2. In secunda Parte exhibentur Tractatus nonnulli politici, in quibus forma administrandi Imperii præscribitur. Primas hic obtinet *Constantini Porphyrogeneti de administrando Imperio*, pag. 53. ubi plurimarum Gentium, Patzinacitarum, Russorum, Bulgarorum, Turcarum, Saracenorum, Dalmatarum, Chrobatorum, Slavorum, Francorum, Italorum, aliorumque origines, ingenia, vires expendit: quidve ab iis vel timendum sit vel sperandum Imperatori Constantinopolitano. Prodiit & hoc Opus Græce & Latine auctore *Johanne Meursio*; & cum ejusdem Notis, apud Ludovicum Elzevirium Lugduni Batavorum 1617. 8. *Bandurius* ex Codice Regio membranaceo optimæ notæ num. 2661. innumerabiles mendas, quibus Meursiana editio scatebat, in textu pariter & versione sustulisse, suppleviſſe multa, præter caput XXXIII. *de Iberia*, & XXIV. *de Hispania*, quæ *Meursius*, utpote nimis corrupta, sine interpretatione Latina dereliquerat, Latina se fecisse indicat.

Sequuntur autem *Agapeti sanctissimæ Dei*, ut ipse profitetur, *magnæ Ecclesiæ, hoc est sanctæ Sophiæ Diaconi*, (dubium cujus, fuerunt enim eodem nomine eodemque tempore plures) *Capitula admonitoria LXXII. ad Imperatorem Justinianum*, pag. 158. jam ante aliquoties a *Joachimo Camerario*, deinde cum Notis, sed imperfectis, *Drandii*, aliis *Stephani Schroningi*, postremo *Bernardi Damkii* Hamburgensis, Basileæ 1633. edita; quæ Bandurius cum duobus MSS. Regiæ Bibliothecæ Codicibus contulit, & pluribus in locis emendavit. Quod idem præstitit in illis, quæ *Agapeti* σχέδην βασιλικὴν excipiunt, *Basilii Macedonis Capitibus Exhortationum LXVI. ad Leonem filium*, pag. 171. a *Frederico Morello* primum Græce, post cum Versione & Notis ejusdem *Damkii*, *Basileæ* anno 1633. vulgatis.

Agmen demum Parænetìcorum claudit *Theophylacti, Acridæ in Bulgaria Archiepiscopi, Institutio Regia, ad Porphyrogenetum Constantinum, Michaelis Ducæ Parapinacis & Mariæ Augustæ filium*, pag. 193. Quam, cum esset extra Corpus Historiæ Byzantinæ, in hunc locum cum interpretatione *Petri Poſſini*, aut potius paraphrasi, qui eandem ex Codice singulari Bibliothecæ Regiæ Mediceæ anno 1651. Parisiis in 4. vulgaverat, raponendam duxit doctissimus *Bandurius*. Notat autem hic in Præfatione pag. 5. obiter errorem nonnullorum, qui *Theophylactum* sub seculi noni finem floruiſſe scribunt, cum sub finem undecimi vixerit: quorum error cum ex hoc scripto, tum ex ipsius Epistolis a Meursio editis, facile refellitur.

Tandem pervenimus ad *tertiam* Collectionis hujus Partem, unde Operis hujus initium, seu *Antiquitates* dictæ *Constantinopolitanæ* pag. 1. proprie incipiunt: nam quæ præcedunt duabus Partibus prioribus, velut Præliminaria duntaxat consideranda sunt. Constat ista Pars libris VIII. *Antiquitatum Constantinopolitanarum*, quarum libri IV. priores illi sunt, qui sub titulo *Patria seu Origines urbis Constantinopolitanæ*, ex Codice MS. Regio 3058. chartaceo superius commemorato, circa *Michaelis Palæologi* tempora conscripto, & Constantinopoli advecto, paucisque post *Ducangii* obitum annis in Bibliothecam Regiam illato, nunc primum in lucem prodeunt, p. 2. 23. 41. 65. ad 81.

Auctorem illorum sub *Alexio Comneno* vixisse, ex Jambis in fronte positis, eidemque Imperatori nuncupatis, arguitur; fuisse vero Monachum, ex Præfatione, in qua Alexium a munificentia & liberalitate in Monachos laudat, conficitur. Cæterum in eo *Codino* præferendus, quod secus ac ab hoc factum deprehenditur, urbem in tres partes distributam describat, atque adeo singulis ædificiis situm suum quem tenuere adsignat. Liber IV. describendo Sanctæ Sophiæ Templo totus occupatur; cujus descriptio, quam facit, in multis non convenit cum aliis Scriptoribus, qui de eo egerunt.

Liber V. *Breves Enarrationes Chronologicas*, pag. 81. incerti Auctoris, quas *Lambecius* ad calcem Codini sui, sub titulo, *Anonymi Collectanea de Antiquitatibus Constantinopolitanis*; & FRANCISCVS COMBEFISIVS in *Manipulo originum rerumque Constantinopolitanarum*, sub inscriptione, *Breves Demonstrationes Chronographica*, Parisiis 1664. in 4. cum interpretatione Latina ac Notis promulgaverant, quæque hactenus extra Corpus Historiæ Byzantinæ exsulaverant, exhibet.

Libro VI. sistitur *Narratio Nicetæ Choniatæ, de statuis Constantinopolitanis*, quas Latini capta urbe confractas in monetam conflaverant, p. 107. qui Liber hactenus lucem non viderat, sed in Codice

ce quodam MS. Bibliothecæ Bodlejanæ inventus, a Viro Cl. *Joanne Ernesto Grabio*, nuper magno litterariæ rei dispendio morte extincto, descriptus, & ad doctissimum virum *Joannem Boivinium*, Christianissimo Regi a Bibliotheca, quique eundem Tomo IV. *Gregoræ* Operum inserere promiserat, missus, huic *Bandurio* ab eodem liberaliter communicatus fuit. Subjicitur deinde opusculo huic GEORGII PACHYMERIS *Descriptio Augustaonis, sive Augustai atrii pulcherrimi atque amplissimi Ædis Sophianæ*, pag. 114. In quo statua equestris Justiniani erat, ab eodem Boivinio in Notis ad Gregoram edita, sed Græcè tantum. Porro *Photii Patriarchæ Descriptio Ecclesiæ novæ in Palatio à Basilio Macedone extructæ*, p. 117. quam Lambecius primum Græcè, deinde etiam Combefisius in *Manipulo originum Constantinopolis* additâ Latinâ versione produxit, quæque & ipsa in Corpore Byzantino non reperitur. Deinde *Anonymi Catalogus, & Descriptio Sepulchrorum Imperialium, quæ apud Sanctos Apostolos & alibi erant*, diversus ab eo quem edidit *Ducangius*, Græcè tantum Lib. IV. *Constantinopoleos Christianæ* pag. 109. p. 121. & denique *Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis*, ex Codice Regio, & Codino Lambeciano decerpta.

Libro VII. pag. 135 ad 187. continentur varia Epigrammata ac Poëmata veterum æquè ac recentiorum Poëtarum, nec non variæ Inscriptiones. Primum locum tenent, quæ ex *Anthologia* libris III. IV. & V. descripsit, & cum interpretationibus metricis Latinis *Alciati*, *Velii*, *Morelli*, *Franchini*, *Grotii*, *Cornarii*, *Sleidani*, *Pauli Stephani*, aliorumque edidit.

Liber denique VIII. Catalogos varios, de quibus adeunda est erudita Præfatio *Anselmi Bandurii*, præfixa huic Tomo seu Volumini priori; istic repræsentat editos & ineditos, antiquos simul ac recentiores, Patriarcharum Constantinopolitanorum, nec non sedes Episcoporum illis subjectorum. Catalogos item duos inter se diversos Imperatorum Constantinopolitanorum, de quibus singularius disserit *Diarium Eruditorum Parisiense*, quorum verba imposterum referemus. Septem porro hi recensentur.

1. Catalogus Episcoporum & Patriarcharum Constantinopolitanorum, eductus ex Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani *Chronographia*, ab impresso diversus, p. 187.

2. Alter Catalogus eorundem Patriarcharum *Nicephori Callisti*, qui primum prodit ex MS. Codice Græco 3502. Regiæ Bibliothecæ, pag. 191.

3. Catalogus tertius eorundem in *Jurisprudentia Græco-Romana Leunclavii* Græco-Latine editus, p. 201.

4. Ex Compendio Historico *Matthæi Cigalæ* acceptus, qui ad annum Christi 1636. terminatur, pag. 209.

5. Catalogus horum Patriarcharum & Episcoporum eis subjectorum, à Philippo Cyprio, Protonotario Magnæ Ecclesiæ, conscriptus, pag. 218. & 125. ad 229. ad annum 1632. pertingens.

6. & 7. Catalogi duo Imperatorum Constantinopolitanorum, quorum primus ultra *Murtzuflum* non extenditur, vel urbem hanc Imperialem à Latinis occuparam, alter autem ad Imperium Sultani *Morati* vel *Ammurathi*, & annum 1634. progreditur, p. 241. & 244.

His octo libris Opera duo *Petri Gyllii* succedunt, quæ tanto æquius locum sibi in Collectione ista vindicant, quod plurimum illustrandis Antiquitatibus, de quibus quæstio est, conducant. Primum pag. 258. est Descriptio *Bosphori Thracici*, in tres libros divisa, ex diversis Auctoribus collecta, præsertim *Dionysio Byzantino*, Scriptore Græco veteri nondum impresso, cujus editionem *Lucas Holstenius* promiserat. Secundum pag. 349. in quatuor libros distinctum est *Topographia* Constantinopoleos, eo magis curiosa, quod *Gyllius* nobis describat antiqua monumenta, quæ in hac magna urbe suâ adhuc ætate videbantur, & quæ à Turcis harum reliquiarum pretiosarum inimicis postea destructa sunt. Curavit *Bandurius* corrigere plures errores, qui in hujus Scriptoris textum irrepserant, ac distinguere illum à locis ab eo allatis, quos litterâ Italicâ imprimendos fategit.

Insuper adjunxit *Descriptionem Constantinopoleos*, p. 429. quam Anonymus nobis reliquit, talem qualis sub Imperio *Arcadii* & *Honorii* extabat: cui Notas Panciroli ad Descriptionem hanc adjecit. Atque hæc omnia Tabulis quinque Topographicis finiuntur.

Observandum præterea nobili huic accessioni Corporis Byzantini, ut scribunt *Acta Lipsiensium* anni 1712. mense Novembri, pag. 490. Mappas duas Geographicas insertas esse, qua« rum una Orbis Romani delineationem, per« Themata sub Imperatoribus Constantinopoli« tanis Heraclii tempora factam, Auctore *Guiliel«mo Insulano*, seu *de Lisle*, è Regia Scientiarum A« cademia, juxta *Constantini* Porphyrogeneti« mentem. Altera Imperii Orientalis & Re« gionum circumjacentium Descriptionem, sub« Constantino Porphyrogeneto & ejus præde« cessoribus, eodem *Insulano* auctore, ob oculos« ponit. Optandum interim, ut doctissimus« Vir, quam pollicetur, Operum *Nicephori Con«stantinopolitani* editionem, cujusque conspectum« ante aliquot annos edidit, & *Patriarcharum Con«stantinopolitanorum Historiam*, diffusam & multis« difficultatibus circumseptam tractationem, fa« vente Minervâ, ad finem perducat. Neque« enim Mediocre aliquid sperare nos sinunt, in« defatigabilis illius diligentia, & rerum recondi« tarum cognitio. « Hæc Lipsienses Censores ad Volumen Bandurianæ Collectionis, in *Actis* anni 1712. mense Novembri, à pag. 485. ad 491.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.
DE
SECUNDO VOLUMINE SEU TOMO COLLECTIONIS BANDURIANÆ.

Restat nunc ut de secundo Volumine Bandurianæ Collectionis rationem reddamus, quod totius Operis Partem quartam facit, & libros VIII. *Commentariorum Anselmi Bandurii in Antiquitates Constantinopolitanas* complectitur, *Notas ejusdem in Constantini Porphyrogeneti Tractatus duos*, *Notas breviores in Opuscula Agapeti, Basilii* & *Theophylacti*, septem Mappas Topographicas & Tabulas plures de variis argumentis concinnè sculptas, de quibus Diarium Eruditorum Parisiense, quod heic ex Gallico Latinum reddimus.

His *Bandurii* Commentariis præmittuntur Mappæ septem Topographicæ, quatuor Constantinopoleos urbis, ac tres Propontidis & Bosphori Thracici. In prima habetur prospectus Constantinopoleos in quatuordecim regiones distinctæ, qualis sub *Arcadio* & *Honorio* Imperatoribus extabat. Accepta est ex illa, quam *Ducangius* expressit juxta mentem *Anonymi* Honorio synchroni, & ex altera *Gyllii*, sed exceptis nonnullis mutationibus, acceptis à Domino *de Combes*, in Mappa quæ conservatur in *Archivis marinis*.

Secunda Mappa urbem hanc Imperialem objicit juxta *Anonymi* nostri descriptionem, hoc est, qualis sub *Alexii Comneni* Imperio extabat. *Tertia*, ex MS. Codice Regiæ Bibliothecæ accepta, exhibet nobis Constantinopolim sub Joanne Palæologo Imperatore penultimo. Tandem in *quarta* Mappa, post Grelotium expressa, Constantinopolis apparet nobis, qualis nunc temporis cernitur. Quoad tres Bosphori Thracici Mappas, acceptæ illæ sunt ex recentioribus, *Gyllio, Greloto* & *de Combes*, Scriptoribus.

Primus Liber Domini *Anselmi Bandurii* placere plurimum omnibus debet, ob magnum Tabularum numerum, quibus ornatus ditescit. Ac primum quidem occurrunt *septem*; in quibus exhibentur LXXVIII. numismata Byzantina, quorum priora à tempore quo Byzantium adhuc Respublica erat, alia autem sub Imperio Romano, excusa fuisse dicuntur. Omnia illa, duobus exceptis, ex Cimelio Regio Numismatum & ex altero Domini FUCALDI prodierunt. Potuisset *Bandurius* collectionem illorum numerosiorem exhibere, si quidquid hoc in genere publicum factum est, adoptare voluisset; at sibi ipsi tantum inspectori certius esse meritò arbitratus est, solaque illic nobis exhibet, quæ propriis oculis vidit. Tabula octava duo Diptycha, seu Tabulas Consulares, repræsentat, quæ olim jam in Tomo 3. Benedictinorum Analium à Domino *Joanne Mabillione* conscriptorum exhibitæ sunt.

Sed quod hujus secundi Voluminis, ac primi Libri *Antiquitatum Constantinopolitanarum* principale ornamentum facit, Tabulæ sunt novemdecim, quæ sub oculis ponunt nostris *Columnam historiatam Constantinopoleos*, & omnia Prostypa, quibus induitur & ornatur. Hæc non est ea Columna, quam *Theodosius* Magnus in platea, quæ *Forum Tauri* dicitur, erigendam curavit, quamque *Bajazetes* ad constructionem Balneorum destruendam præcepit. Sed altera est, quam erigendam *Arcadius* voluit in platea ejusdem nominis, & in qua repræsentari voluit victorias patris sui, atque ædificia splendidiora ab utroque Imperatore facta. Hæc ultima Columna hodie adhuc Constantinopoli conspicitur, quam *Gyllius* nobis cum dimensionibus omnibus descripsit, & quæ perperam accipitur pro Columna *Theodosii*, quæ amplius non subsistit. Has *Franciscus Menestrier* ante annos octo incidere æri curaverat, quas explicationibus amplissimis adjunxerat. Sed cum Antiquarii primam hanc expressionem æri factam minime gratam habuerint, quæ parum illis exacta visa fuit, atque aliunde inter antiqua Constantinopoleos monumenta Columna ista primum obtineat locum, *Anselmus Bandurius* illam de novo incidendam æri voluit, post ipsas *Gentilis Bellini* delineationes, quæ Parisiis in Academia Regali Picturarum pretiosè conservantur: atque idem Bandurius explicationem brevem eorum quæ continentur, Tabulæ cuilibet, ad Lectorum satisfactionem, adjunxit, p. 449.

Secundus Liber pag. 597. Commentariorum Domini *Anselmi Bandurii*, in quo videas Scriptores *ἀνεκδότους*, quos vel inseruit vel saltem Bandurius commemoravit: ut pag. 613. tres Epistolas Græcas Athanasii Patriarchæ CP. quæ una cum aliis ejusdem Litteris Opusculisque, ex Codice Regio olim Telleriano, se descripsisse profitetur. Item Opusculum Græcum, quod nondum in lucem publicam emerserat, acceptum ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis: nempe *Historia Translationis corporis Sancti Stephani*, ab Anonymo ante tempora Simeonis Metaphrastis scripta, pag. 647.

Tertius Liber horum Bandurii Commentariorum pag. 662. exhibet ruinas Circi seu Hippodromi Constantinopolitani, quales illas *Onuphrius Panvinius* nobis post antiquam Topographiam hujus regiæ urbis repræsentat. Item Dominus Bandurius in hoc eodem Libro Opellas duas, seu Opuscula curiosa, quæ nondum lucem publicam viderant, exhibet, quæ Græce profert cum versione Latina, à se concinnatâ. *Primum* Tractatulus *de Hippodromo*, quem illi dat MS. Codex 3502. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, pag. 662. *Secundum* desumptum ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Germani de Pratis, est *Vita Sancti Dalmatii*, qui nomen suum dedit Monasterio Constantinopolitano celebri: atque Descriptio hujus Monasterii oca-

casionem dedit huic Opusculo illic collocando, pag. 697.

Quartus Liber complectitur descriptionem *Templi sanctæ Sophiæ* celeberrimi, hanc Gallicè à *Grelotio* factam, quam Tabulæ quinque, quas æri incidendas procuravit, ibidem comitantur, quæ principales magnificæ hujus Basilicæ partes exhibent, & Libri ferè quarti mediam partem occupant.

Ioviti, ob rationem compendii, *Libros* V. VI. & VII. Domini *Anselmi Bandurii* prætermittimus, qui ob eruditionem selectam qua replentur, ut & alia, Eruditorum curiositatem & attentionem merentur. Vno duntaxat verbo de Libro ultimo loquemur, ubi Scriptor singularis in Historiam Patriarcharum Constantinopolitanorum extenditur, & ubi argumenta repetiuntur studii iotensi, quo claruit, eorum omnium, quæ ad Antiquitatem Profanam & Ecclesiasticam spectant: sed ejus etiam exactitudo & judicium in Chronologia & temporum adaptatione demonstrantur, p. 744.

Octavus Liber pag. 873. plura Opuscula curiosa concludit. Horum primum *Notitia singularis* omnium Opusculorum quæ continentur in Codice MS. Græco 3502. Regiæ Galliarum Gazæ chartaceo prorsus attrito atque lectu difficillimo, unde Auctor *Catalogum Constantinopolitanorum Patriarcharum* à Nicephoro Callisto compositum habuit, quam notitiam Joanni Boivinio se debere testatur Bandurius.

Præterea Dominus *Bandurius* , Græcè nobis exhibet, pag. 942. ex pluribus Bibliothecæ Regiæ MSS. Codicibus, Opuscula Gregorii Cyprii & Athanasii Patriarcharum Constantinopolitanorum. Taodem ad hujus libri octavi finem, reperitur Græcè scripta *Historia Patriarcharum hujus urbis*, à paucis diebus Constantinop. ad Eusebium Renaudot missa, qui latinam illam fecit, atque quibusdam notis illustravit, quam licet recentissimam atque recentiorum duntaxat temporum, suæ Collectioni Bandurius inserendam voluit. Agit enim solummodo de *Patriarchis Constantinopolitanis* ab anno 1599. ad 1702, qui seculo XVI. sedem hanc Patriarchalem obtinuisse leguntur.

Omnes Commentarii isti terminantur Tabulis sex topographicis, in quibus Grelotius augustiora monumenta Turcica, quæ Constaotinopolim hodiernâ illustrant, delineanda curavit.

Restaret adhuc nobis agendum de Notis, quas Dominus Anselmus Bandurius, in *Constantinum Porphyrogenitum* scripsit, sed ut expositio earum prolixa oimium esset, satis erit admonere. 1. Has Notas præcedi Tabulis duabus Geographicis Imperii Orientis, scriptis à Domino *Guillelmo de l'Isle*, sive *Insulano*, Academiæ Regiæ ScientiarumSocio: atque adaptatis, alterâ Tractatui Porphyrogeniti *de Imperii Provinciis*, altera Tractatui secundo Imperatoris ejusdem *de Provinciarum regimine*.

2. *Bandurium* eundem edere primum Excerptum quoddam Græcum, acceptum ex Bibliotheca Colbertina, quod *Historiam conversionis Russorum ad Christianismum* continet.

3. Alphabeta plura *Slavonica* æri incid[...] procurasse; denique Historicas plures circ[...]stantias quoad *Dalmatiam* ac Rempublicam R[...]gusinam explicare, quæ Benedictini oostri eruditi, *Anselmi Bandurii*, natale solum est. Hæc ex *Diario* Eruditorum Parisiensi. *Acta* quoque *Eruditorum Lipsiæ* mentionem faciunt Voluminis II. hujus *Banduriana* Collectionis, ad Annum 1713. mense Februario, a pag. 49. ad 54. quorum verba hîc repetere vanum prorsus esset.

Hæc autem omnia a *Bandurio*, post finem Voluminis secundo impositum *numeris novis*, addita sunt, instar Appendicis ad Volumen secundum; Ita timuit ne Collectioni seu Collectaneo suo aliquid deesset, quod nonnulli nimiæ farraginis arguunt.

Historia autem *Patriarcharum hujus urbis recentiorum*, Græce scripta, & a paucis diebus missa Coostantinopoli ad *Eusebium Renaudot*, qui Latinam illam fecit atque Notis quibusdaon illustravit, quam suæ Collectiooi *Bandurius* inserendam voluit, juxta *Diarii* Parisiensis finem, collocatur Tomo seu Volumine 2. ad calcem Libri octavi, eò quòd illa serius advenisset, quao ut collocari posset post Catalogos quinque Patriarcharum Constantinopolitanorum, qui Volumine 1. parte 3. continentur a pag. 187. ad 225. At juxta Acti Eruditorum Lipsiæ Aoni 1712. mense Novembri pag. 490. collocatur Volumine 1. dicta Historia post Catalogum quintum Archiepiscoporum Constantinopolitanorum, ob quam Catalogos octo enumerant, de qua hi loquuntur.

Liber deniq; octo Catalogos varios, editos ac« ineditos, antiquos & recentiores, Patriarcharū« Constantinopolitanorum, necoon sedes Epi« scoporum iisdem subjectorum, Catalogos item« duos inter se diversos Imperatorum Constanti-« nopolitanorum recenset. Inter illos cum-» primis memoratione dignus, quem obtulit Au-« ctori nostro *Eusebius Renaudot*, non multò antè« ad se Constantinopoli missum, qui quidem ex« Codice Ecclesiæ PC. Patriarchalis descriptus,« seriem Patriarcharum illius Ecclesiæ ab Anno« Christi 1594. ad 1702. exhibet, ex quo facè« plures errores recentiorum Scriptorum, dum« sæpe plures Patriarchas ejusdem nominis pro« uno accipiunt, vel ex uno plures confingunt,« detegi possunt. De Catalogis reliquis adeun-» da est Præfatio Auctoris pereruditā, huic prio-« ri Tomo præfixa.»

Præterea Catalogus *tertius*, qui pag. 201. collocatur, annis centum antiquior est Catalogo secundo *Nicephori Callisti*, qui pag. 191. habetur, ac post Annum 1330. vel 1340. conscriptus creditur. Catalogus autem eorundem in *Jurisprudentia Græco-Romana* Joannis Leunclavii circa Annum Domini Christi 1220. compositus legitur.

CAPUT TERTIUM.

QUISNAM SIT HORUM QUATUOR LIBRORUM *GRÆCORUM* SCRIPTOR, QUOS *ANSELMUS BANDURIUS* ANONYMOS EVULGAVIT.

UBi in manus meas venit *Collectaneum* seu *Collectio Anselmi Bandurii de Imperio Orienti seu Antiquitatibus Constantinopolitanis*, statim dubitatione omni remotâ, agnovi Auctorem *Librorum quatuor anonymum de urbe Constantinopolitana & Ecclesia sancta Sophia*, esse *Michaelem Psellum* insignem illum seculi XI. Scriptorem & ornamentum, Philosophorum Principem, Medicum celebrem, Theologum spectatissimum, *Michaelis Duca* Præceptorem, atque ad Imperium Orientis assequendum promotorem: illum enim Græci πολυγραφώτατον per antonomasiam vocant, nec inferiorem in Historiis conscribendis ac colligendis, quam in aliis Scientiis ac Disciplinis.

Hanc me veritatem docuit, etiam non attendens, *Bandurius*, dum depinxit mihi *Anonymum* suum, ex tribus illi unice convenientibus, ex patria, ex professione Monastica, atque dedicatione Operis ad *Alexium Comnenum*, sub cujus Imperio per annos XXV. & amplius, post tonsionem suam, clarus emicuit. Noveram id ex Dissertatione singulari, quam multis jam ab annis, *de vita, studiis, scriptis tam editis quam manuscriptis adhuc in Bibliothecis latitantibus Michaelis Pselli, Michaelis Duca Imperatoris Praceptoris* conscripseram, *in Commentario meo de Scriptoribus Ecclesiasticis* insertam; ubi de studiis illius ac MSS. Codicibus Græcis ad Historiam Constantinopolitanam spectantibus diffuse satis tractaveram, ad *Leonis Allatii* Supplementum, qui parce admodum, vel prorsus de istis silet.

Ac ne gratis id in *Allatii* contemptum ac damnum famæ dicere videamur, damus verba illius omnia, in Diatriba *de Michaelis Pselli scriptis ined. tit, sect. 58.* „*Meursius Historiarum opus* Psel„lum scripsisse autumat, illumque laudari à Zo„nara Tomo 3. in Isaacio Comeno, & in Romano „Diogene: item à Theodoro Metochita *Histo„ria sacra* lib. 2. Cedreno, Joanne Curopalata in „Historiæ suæ initio, à *Michaële Glyca* in Annali„bus semel & iterum. Erat enim in Catalogo „exhibito à Grammatico, apud *Antonium Verde„rium* in Supplemento.“ Quibus paucis multa loquitur *Leo Allatius*, licet nullum Opus MS. Historicum Græcum Pselli in Bibliothecis, quas multas scrutatus est, se vidisse testetur. Hæsitantem fuisse de hac Michaelis Pselli Historia Constantinopolitana Leonem Allatium, qui manuscriptam illam nunquam viderat, ex verbis, quibus utitur, constat: dum Meursii testimonium de illà allatum *autumationem* seu *conjecturam* appellat. At ex allegatione tot testium, ex quibus fuerant tres Psello synchroni, res extra dubium relinquitur.

Jam videamus non opinationem quandam, sed demonstrationem certam & evidentem, ex conditionibus ipsis, quibus Anonymum suum *Bandurius* depingit; quas fuisse tres, illasque omnes uni Michaeli Psello atq; soli convenientes, diserte ostendo, ut dubitationi locus ea de re nullus relictus fuerit. Prima ex his conditionibus *Anonymum Scriptorem Constantinopolitanum* ortu fuisse, ut habent Diarium Eruditorum Parisiense, de quo supra, & Acta Eruditorum Lipsiæ Anni 1712. mense Novemb. pag. 486. unde Constantinopolim quam describit patriam suam appellat.

Inciderat nimirum *Bandurius*, cum Regiæ„ Parisiensis Bibliothecæ Codices evolveret, in„ Codicem Græcum num. 3058 in 4. inscriptum,„ *Patria seu Origines urbis Constantinopolitana*:„ cumque Scriptorem Operis animadverteret„ Codinum annis circiter trecentis & quinqua„ginta, quod ex Jambis præmissis apparet, præce„dere, diversâ etiam methodo rem totam tra„ctare, eundem per otium Latinum facere, ac„ ubi opus esset, Commentariis illustrare incepit.„ Hæc autem conditio maxime Michaeli Psello convenit, de quo ita *Leo Allatius*, in Diatriba *de Psellis & eorum scriptis* sect. 22. „Tertius„ fuit *Michael Psellus*, Michaelis Ducæ Imp. Præ„ceptor, qui maxime omnium de Republica lite„raria meritus, honorificam sui apud posteros„ memoriam consecravit, &c. Fuit patria Con„stantinopolitanus, e Consulum ac Patriciorum„ prosapia, quamvis non tam felici fortunâ.„ Ipse id ait de se in Epitaphio matris: Τῷ τοίνυν ἐμῷ πατρὶ, τὸ μὲν ἄνωθεν γένος ἐς τοὺς Ὑπάτους ἀνῆκτο καὶ Πατρικίους· τὰ δὲ καθ' ἐκεῖνον πράγματα οὐχ οὕτω δεξιῶς ἀῆγε. *Patris igitur mei genus antiquum ad Consules & Patricios referebatur, res verò ipsius non nimis prospere se habebant.*

Quoad autem alias duas conditiones Anonymi, nempe fuisse Monasticam vitam professum, atque vixisse sub Alexii Comneni Imperio, habent ex *Bandurio* ipso Acta Eruditorum Lipsiæ antea prolata pag. 489. his verbis: „Pars tertia„ ex Libris VIII. Antiquitatum Constantinopo„litanarum conficitur, ad quos totidem Tomo„ II. Commentariorum Libri extant. Quatuor„ Libri priores sunt illi, qui sub titulo *Patria*, &c.„ ex Codice Regio chartaceo superius comme„morato, ac circa Michaelis Palæologi tempora„ conscripto, & Constantinopoli advecto, paucis„que post Ducangii obitum annis in Bibliothe„cam Regiam illato, nunc primum in lucem„ prodeunt. Auctorem illorum sub Alexio Co„mneno vixisse, ex Jambis in fronte positis, ei„demque Imperatori sacris, arguitur. Mona„chum verò fuisse, ex Præfatione, in qua Alexi„um à munificentia & liberalitate in Monachos„ laudat, conficitur. Ceterum in eo Codino„ præferendus, quod secus ac ab hoc factum de„prehenditur, urbem in tres partes distributam„ describat, atque adeo singulis ædificiis situm„ suum, quem tenuere, adsignet.„

Vtrumque autem disertè probatur à nobis, ad Annum 1060. in Dissertatione prolixa *De vita & scriptis tam editis quàm manuscriptis Michaelis Pselli* cap. 6 ubi de Imperatoribus octo, sub quorum Imperiis vixit, diffuse agimus. Idem quoque Allatius in Diatriba *De Psellis & eorum scriptis* sectione 22. dum Psellum refert inter illustres viros qui sub *Alexii* Imperio floruerunt ex Anna Comnena lib. V. *Alexiados*, ubi de ejus cum *Joanne Italo* dissidiis latè loquitur. Nec enim ista sub Alexii Imperio Anna Comnena narrasset, nisi adhuc in vivis Psellus, Monachus licet, extitisset. Convenit quoque ibidem Allatius sectione 78. Michaelem Psellum floruisse sub Alexii Comneni Imperio, idque per plurimos post tonsionem capitis annos; XXV. nimirum & ultrà, si verum est id, quod *Jacobus Pontanus* Soc. Jesu scribit, Michaelem Psellum egisse Præfationem & Notas breves in Dioptram fidei. Philippi Solitarii, quæ Anno Christi 1105. conscripta & perfecta dicitur. Et quamvis Allatius hoc argumentum non usquequaque approbet, non negat tamen, quin dudum Monachus jam factus, sub hujus Alexii Imperio claruerit ac superstes fuerit.

Constat igitur Scriptorem hunc Anonymum a *Bandurio* editum, esse Michaelem Psellum, cui atque soli conditiones ipsi omnes assignatæ, unde detegi possit, absque dubio competunt. Anna Comnena, ubi de viris qui sub Imperio Alexii Comneni floruerant, *Alexiados* lib. V. pag. 144. Regiæ editionis 1651. pag. citata, narrat quomodo Joannes Italus sub Michaele Psello studiis operam dederit: „Deinde etiam „Michaeli Psello dedit operam, illi late inclyto „homini, non tam curâ Magistrorum sapien„rum, quorum limina non multum triverat, „quam indolis præstantiâ & felicitate mentis di„vinitus adjutæ. Id videlicet impetrantibus „matris ejus ardentissimis, per crebras vigilias „continuatis precibus, in templo Cyri ad san„ctam imaginem Dei Matris, haud sine ferven„tibus lachrymis effundi solitis. In eminen„tissimum sapientiæ & eruditionis omnis api„cem erecto, quippe qui ad Græcorum literas „atque artes omnes, quas perfecte norat, etiam „Chaldæorum disciplinas adjunxerat, famam„que meruerat Doctissimi omnium, qui tunc „essent.

Tum narratis latè Joannis Itali cum Psello jurgiis, id quod sub Imperio *Michaelis Ducæ* contigit, quamvis Anna Comnena sub Alexio parente referat, narrat pag. 145. quomodo Italus homo levis, postquam Roman aufugisset, Constantinopolim revocatus sit; quo revertente Michael Psellus abjecto seculo detonsus sit, atque ita Magistralem honoris Cathedram adversario suo reliquerit.

„Quid multa? jussu Augusti (Italus) revo„catur Constantinopolim, eique illic ad diver„sandum attribuitur Monasterium *Pege*, sive „fons, dictum, cum Ecclesia Sanctorum Quadraginta: ubi Psello tandem post tonsionem" Byzantino egresso, principi Philosophiæ Ca" thedræ Magister impositus idem est, summus" que Philosophorum declararus."

Hæc autem omnia contigerunt sub Imperio Michaelis Ducæ Augusti & fratrum ejus, qui literarum & eruditarum artium studiosissimi omnes cum essent, discordias inter Eruditos excitare atque alere gestiebant, ut ex pag. 145. notum fit.

Neque hoc Opere historico tantum posteris innotuit *Michael Psellus*, sed aliis multis ad res Constantinopolitanas spectantibus, quorum notitiam non habuisse videtur Leo Allatius, neque multi etiam viri eruditi. Neque enim de illis siluisset dictus Allatius, in Diatriba illa prolixa *De Psellis & eorum scriptis*, quam occasione hujus Pselli composuisse solum videtur. Quod dicimus, constat ex Catalogo Manuscriptorum Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ætate nostra, dum Parisiis manentes eramus, viri duo clarissimi *Carolus du Fresne* Dominus *du Cange* & *Joannes Baptista Cotelerius* opera conjuncta multis curis conscripserunt, confusione ablata, quæ in Catalogis anterioribus occurrebat, ut ex lectione *Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum, Latinorum & Gallicorum Philippi Labbei* agnosci potest, quæ Parisiis Anno 1653. in 4. edita prodiit. Idem porro Cl. *Ducangius*, seu *Dufrenius*, ad finem Glossarii sui mediæ & infimæ Græcitatis verbo *Michael Psellus* columna 29. Catalogi Scriptorum ineditorum, ex quibus Glossarium dictum contexuit, Opera plurima atque in iis Historica Pselli recenset, quibus constat illum multa contulisse ad Historiam Constantinopolitanam ex MSS. Codicibus Regiis, quorum sequens præstantissimus est.

Michaelis Pselli Philosophorum Hyperti" mi diversa, nempe Chronographia à Basilio &" Constantino Porphyrogenitis fratribus, usque" ad Michaelem Ducam per annos centum vel" circiter, ab anno 975. ad 1078. vel circiter; ex" Codice Regio 1837."

Ejusdem Epistolæ ex eodem Codice."

Monodia de casu Ædis Sophianæ ex eodem" Codice."

Monodia in Joannem Patricium ex eodem." Cod."

Περὶ καινῶν δογμάτων καὶ ὅρων τῶν νομικῶν," *ῥωμαϊστὶ λεγομένων λέξεων*, ex eod. Cod. Syn" opsis *διὰ στίχων πολιτικῶν περὶ πασῶν ἐπιστη*" *μῶν* &c. ex eodem Codice præstantissimo. De" Grammatica versibus politicis ad Constanti" num Monomachum, ex variis Codicibus. E" pistola ad Xiphilinum Patriarcham Constan" tinopolitanum, ex Codice Regio."

De Agricultura seu *περὶ γεωργικῶν*, ex Co" dice Regio 3502."

Opus ineditum, *ποίημα ἰατρικὸν ἄριστον, δι'* *ἰάμβων*, ex Codice Regio 3502."

De Kalendis, Nonis & Idibus, ad Isaacium"

Comnenum Imperatorem, ex Codice Regio" 2809."

Hæc quæ à me dicta sunt de Historia Constantinopolitana à Psello nostro conscripta, somnia non sunt, sed verissima, quibus alludit Leo Allatius, antea productus, in Diatriba *De Psellis & eorum scriptis*, sectione 58. ut dubitare nefas sit, post tot testium depositionem veterum, licet de ea Allatius siluerit, quippe quam nullibi extantem audiverat. Idemque dicendum de aliis ad Historiam eandem spectantibus, quæ in Codice Regio eodem continentur.

Præterea, si *Bandurius* hujus manuscripti Codicis Græci 1837. Regiæ Galliarum Bibliothecæ præstantissimi notitiam habuisset, potuisset ille ornare Collectaneum suum Opusculo, nondum edito, Michaelis Pselli, quod inscribitur, *Monodia de casu Ædis Sophianæ*; qua non mediocriter Volumine 2. seu Tomo, Librum IV. Commentariorum suorum *De Æde Sancta Sophiæ Constantinopolitana* illustrasset, atque ex ea docuisset posteros, quomodo insignis hæc Ecclesia regiæ urbis, sive ex terræ motu, sive ex alia causa, temporibus Alexii Comneni, cui Libros illos quatuor dedicavit, ruinam, seu casum, perpessa fuisset. Imo etiam ex collatione unius Opusculi cum altero, cognoscere verum Auctorem Librorum quatuor, quos adespotas produxit in lucem.

Denique, verum mihi esse non videtur, quod scribitur in Diario Eruditorum Parisiensi A. 1712. mense Septembri pag. 293. Actisque Eruditorum Lipsiæ A. 1712. mense Novembri pag. 489. in Collectione Banduriana parte 3. pag. 1. *Origines illas Constantinopolitanas nunc primum in lucem prodire, ex Codice MS. Græco Regio 3058. chartaceo, circa Michaelis Palæologi tempora conscripto & Constantinopoli advecto, paucisque post Ducangii obitum annis, in Bibliothecam Regiam illato.* Nam in Catalogo MS. Codicum Græcorum, dum ipsi Parisiis eramus, à Carolo Dufrenio & Baptista Cotelerio Anno 1686. confecto, numerus MSS. Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ longe ultra 3058. procedebat, ut constare potest ex illis quos tum *Dufrenius* ad finem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis*, tum *Cotelerius* in Opusculis Græcis Analectis allegat. Mortuus autem Anno 1688. ac paulo post, uterque, cujus etiam Coteletii funebribus officiis, apud S. Germanum de Pratis, invitati adfuimus.

Denique *Libros istos quatuor anonymos* pertinere ad *Michaelem Psellum*, constat ex Præfatione ad Alexium Comnenum facta. Cum enim sub octo Constantinopolitanis Imperatoribus, sibi succedentibus, Michael Psellus ab anno ætatis 30. vel circiter, vitam longævam agens, ad annos circiter nonaginta floruerit; nullus illorum, sub quibus modico etiam tempore claruit, cui πολυγραφώτατ☉ Philosophus, Theologus & Historicus Psellus, non Opusculum aliquod suum dedicaverit, uti antea probavimus ad annum 1060. in Dissertatione *De vita & scriptis tam editis quam manuscriptis Michaelis Pselli*, cap. 6. Illic enim de Opusculis Michaelis Pselli dedicatis Constantino Monomacho, Michaeli Ducæ Parapinacio, cujus Præceptor fuerat, Nicephoro Botoniatæ: atque etiam ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ Græco 2809. *De Kalendis, Nonis & Idibus ad Isaacium Comnenum Imperatorem*, quem biennio tantum annis 1059. & 1060. imperasse constat. Igitur à potiori hos quatuor libros Michael Psellus jam tonsus ac Monachus factus, qui per annos XXV. & amplius sub Imperio Alexii Comneni, cucullatus licet, in otio ac maxima existimatione fuit, huic Imperatori Literatos amanti, obtulisse censendus est. Unde nihil mirum quod Anna Comnena, *Alexii* hujus erudita filia, in *Alexiade* lib. V. pagg. 144. & 145. editionis Regiæ, hunc *Psellum* nostrum, ob eruditionem quandam infusam divinitus, atque pietatem, tantis adornet laudibus, utpote quem ipsa a crepundiis cognoverat. Quo testimonio luculentius dici nihil potest. Atque hæc sufficiant de Scriptore *Librorum quatuor Græcorum anonymorum*, quos Anselmus Bandurius Orbi literato obtulit.

CAPUT QUARTUM.

MICHAELIS PSELLI CASUS, OB STUDIUM HISTORIÆ AC ALIARUM DISCIPLINARUM, MICHAELI DUCÆ IMPERATORI IMPRESSUM.

Occasionem porro ejiciendi ab Imperio Orientali Michaelis Ducæ, à militibus Græcis & Primatibus, triplicem captatam fuisse, arbitror & lego. *Primam* ob infelicitatem aliquam in expeditione suscepta sub ultimum Imperii annum, & *alteram* ob tyrannidem in Romanum Diogenem illius præcessorem, cui contra fidem datam eruuntur oculi, nam juxta Zonaram in *Romano Diogene* pag. mihi 226. Ea vero quæ hic vir perpessus est, jussu Cæ" saris, acta esse omnia feruntur Michaele Im" peratore ignavo, qui quidem molli esset ac so" cordi ingenio, atque adeo ad Imperium ine" ptus, ut ne levissima quidem negotia admini" strare posset. Itaque patruus Cæsar, ejus sim" plicitate abutens, ex privato odio, illa omnia" in Diogenem perpetravit." *Tertiam, quod in" cumberet magis Carminibus politicis conscribendis & Historiæ majorem navaret operam*, quam negotiis aliis promovendis, juxta eundem Zonaram, ut in *Michaele Duca filio* pagina 227. his verbis testatur. "Nam Imperator puerilibus" rebus occupatus, à Principe Philosophorum" & honoratissimo Michaele Psello ad littera" rum studia deduci videbatur, ac modo in arte" Grammatica, versibus & Linguarum differen" tiis erudiebatur, modo Rhetoricis declama" tionibus, modo Historicis assuefiebat, modo" ad audienda Philosophica præcepta paraba" tur,

„tur, quamvis ad hæc omnia ineptus. Hujus„modi igitur studiis Romanorum Imperator af„fixus, rerum administrationem alteri, eique „uni commisit: ut legis auctoritatem haberet, „quod Logothetæ visum esset. Proinde Res„publica male habebat, Orientales vero pro„vinciæ gravis quam prius vexabantur. Nam „Sultanus cum didicisset, quemadmodum cum „Diogene actum esset, eumque à suis crudelis„sime interfectum, quem ipse captivum ad suum „imperium honorifice remisisset, & pacis con„ditiones cum illo initæ manere irritas: ma„gno dolore affectus, suas copias contra Ro„manorum provincias concitavit, quas non „tam prædabundi invadebant, sed ut subacturi „& possessuri, cum nemo esset, qui obsisteret. Atque ultima ex his accusationibus in Michaelem Psellum Michaelis Ducæ Præceptorem refundebatur, qui Imperatoris junioris indolem ad istas disciplinas induxerat.

Cum itaque res Michaelis Ducæ in Imperio Anno 1078. pessime se haberent, atque etiam Joanois Itali viri turbulentissimi consiliis uteretur, in tantum ut Philosophorum Constantinopolis Patriarchatus Princeps in contemtum Michaelis Pselli declararetur, assignato ipsi ad ædes Monasterio Sanctorum 40. Coronatorum. Hinc pertæsus rerum humanarum inconstantiæ Michael Psellus, Historiæ suæ seu Chronologiæ Constantinopolitanæ ad annum 1078. finem fecit, ut narrat Carolus du Fresne Dominus du Cange ex MS. Codie Regio 1837. quem dubio procul vidit ac tenuisse debuit, de quo ad finem Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis in Cataingo MSS. Codicum anecdotorum col. 27. Unde post Psellum eodem tempore Ducas Imperator, solium Imperii deserere compulsus, velut aptior officiis Ecclesiasticis & Monasticis quam Imperialibus, factus antea Monachus, Archiepiscopalem dignitatem Ephesinæ Ecclesiæ obivit, ut testatur Joannes Scylitzes Curopalates ejusdem temporis, in *Historia Byzantina* editionis Regiæ Græco-Latinæ Parisiensis Anno 1647. pag. 864. & Anna Comnena *Alexiados* pag. 9. & 28. editionis Regiæ Græco-Latinæ Parisiensis. Ex quibus concluditur, Michaelem Psellum Michaelis Ducæ Præceptorem, fuisse semper, tum Historiæ Byzantinæ seu Græcæ conscribendæ ac edendæ propensum, tum carminibus Politicis efformandis, quæ Discipulo occasionem Imperii abjiciendi obtulerunt. Non mirum itaque quod Michael Ducas Imperator, qui a Psello informatore ad carmina Politica conscribenda, & Historiam amplectendam atque addiscendam inductus fuerat, Præceptorem quoque suum, post Imperii desertionem, in schemate Monastico suscepto imitatus sit, quo Græcorum more ad dignitatem Ephesi Archiepiscopalem pervenerit.

Michaelem porro Ducam perversis fuisse moribus, Zonaras testatur, quem admiostrando Imperio fuisse tantum imparem mihique judicio debilem, qui tam facile à summo Imperii fastigio ad schema Monasticum descenderit, ex ingenii pusillitate magis, quam ex affectu voluntatis. Addimus occasionem Michaelis Ducæ ab Imperio dejiciendi potissimam fuisse, copias Imperii à Turcis fugatas & victas sub ultimum regiminis annum; qua de Græcorum clade accepta idem Zonaras in *Michaele Duca* ibidem pag. mihi 227. Omnia ista narrat oculatus testis Joannes Scylitzes Curopalates editionis Græco-Latinæ Regiæ Parisiensis, 1647. in folio, post Cedrenum coll. 861. 862. littera A. his verbis: " Michaelem Imperatorem ex« Ordinum jussu capiunt, qui ad Palatia in Bla« chernis cum Augusta Maria ex Alanis, suoque« filio Constantino Porphyrogenito fugerat, &« ad Monasticam vitam traducunt ad Studii Mo« nasterium, cum vili jumento transmissum,« dum annos 6. imperasset, eodem Sabbato quo« à fidelibus miraculum Lazari celebratur: &« constituunt Præfectos, qui continenti impe« rent, quin etiam Drungarium classis creant.« Idem Curopalates ibidem pag. 864. littera D.« Michael autem detonsis capillis sententia Patri« archæ & Metropolitanorum Ephesi Archiepi« scopus deligitur, semel tamen ad ipsam urbem« accessit, & reversus in Manuelis Mooasterium,« ibi mansit, suis manibus laborans. Egregie« vero cultus est ab Alexio Comneno, qui post« modum imperavit, sub cujus Imperio diem« suum obiit: suam uxorem Mariam, post Bo« toniatæ abdicationem Monacham factam, ve« nia eorum quæ in se admiserat, *in ipsa morte di« gnatus.„ Ita studium Carminum Politicorum & Historiæ*, atque aliarum disciplinarum, quo Michael Psellus Philosophorum Princeps & Michael Ducas Imperator, Magister & Discipulus, tenebantur, utriusque dejectioni & ruinæ occasio facta est.

CAPUT QUINTUM.

QUOMODO NOBIS COLLECTIONIS BANDURIANÆ SYNOPSIM CL. J. A. FABRICIUS EXHIBEAT.

ALIA RATIONE, sive amplioribus verbis, Vir, scriptis plurimis clarissimus, *Joanes Albertus Fabricius*, Tomo VI. Bibliothecæ Græcæ, quæ Hamburgi Anno 1714. in 4to. edita fuit, nobis exhibet, *Cap.* 5. à pag. 569. ad. 587. *Anselmi Bandurii* Ragusini, Presbyteri ac Monachi Benedictini è Congregatione Melitensi, *Imperium Orientale*, sive *Antiquitates Constantinopolitanas*, In IV. partes distributas, & Cosino III. Magno Etruriæ Duci dedicatas in fol. Parisiis Anno 1711. voluminibus 2. Quorum *Primum* scripta varia ab Editore collecta, *Guillelmi de l'Isle* chartas duas Geographicas complectitur, exhibentes *Imperium Orientale per themata* distinctum, ejusque descriptionem, quale seculo X. extitit, cum observationibus ejusdem. *Posterius* cootioet Bandurii in illa Com-

Commentarios, & varias veterum nummorum & monumentorum tabulas, rebus Constantinopolitanis melius intelligendis idoneas, & Urbis ipsius, atque templi S. Sophiæ imagini distinctius animo subjiciendæ utiles, ære nitide descriptas.

VOLUMINE PRIMO itaque Series Chronologica Imperatorum & Patriarcharum à Constantino Magno Imperatore, & Mettophane Patriarcha, ad captam usque a Turcis Constantinopolim, quam Bandurius labore magnu conscripsit: sed quam Fabribius refert hoc Tomo 6. Bibliothecæ Græcæ seorsim, à pag. 709. ad 746. cui præmisit pag. 707. & 708. Catalogum Episcoporum Byzantinorum XXII. qui ante Constantini Magni ætatem fuisse incerta fide scribuntur: tum pagina 746. Patriarchas Constantinopolitanos post captamà Turcis urbem, seu ab anno 1459. ad 1702. pag. 750. cum Catalogo Imperatorem Constantinopolitanorum & Patriarcharum, ordine alphabetico, à pag. 750. ad 762. Opuscula autem, quæ in hoc primo Volumine circumferuntur, hæc sunt.

1. *Constantini Porphyrogeneti Imperatoris de Thematibus Orientis atque Occidentis libri duo*, pag. 1. ad 30. ad MS. Codicem Regis Galliæ bombycinum 2431. ante annos circiter quingentos scriptum emendati, ac Latina Versione accuratiore & Notis illustrati, de quibus dixit Fabricius supra pag. 487. & seqq.

2. *Hieroclis Grammatici* Συνέκδημος, sive *Comes peregrinationis*, pag. 31. ad. 52. tradens recensionem ἐπαρχιῶν, sive Provinciarum LXIV. & Civitatum 935. quæ Imperatori Constantinopolitano olim paruerunt, cum Opusculi ejusdem variis editionibus.

3. Constantini Porphyrogeneti liber de administrando Imperio pag. 53. ad 157. de quo idem Fabricius dixit supta pag. 487. & sequentibus.

4. *Agapeti Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ* σχεδὴ βασιλικὴ *ad Justinianum* recens Anno Christi 527. Imperarorem creatum, sive ἔκθεσις κεφαλαίων παραινετικῶν. *Septnaginta duo capitula admonitionum* pag. 158. ad 170. quorum acrostichis, sive litterarum initialium juncta series hæc verba teddit hujus Agapeti magnæ Ecclesiæ Diaconi, τῷ θειοτάτῳ καὶ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ ἡμῶν Ἰουστινιανῷ Ἀγαπητὸς ὁ ἐλάχιστος διάκονος. De cujus Opusculi variis editionibus, idem post Bandurium Fabricius pag. 570. 571. 572.

5. *Basilii Macedonis, Imperatoris Constantinopolitani*, κεφάλαια παραινετικὰ ad Leonem Sapientem filium, quem pater Anno Christi 879. die 6. Januarii Augustum ptonuntiavit. *Capita exhortationum* LXIII. pag. 171. ad 192. quorum acrostichis sive primæ littetæ simul junctæ, hæc verba reddunt: βασίλειος ἐν Χριστῷ βασιλεὺς Ῥωμαίων Λέοντι τῷ ποθεινοτάτῳ υἱῷ καὶ συμβασιλεῖ: *Basilius in Christo Imperator Romanorum Leoni carissimo atque Imperii Collega.* Hunc librum *Bandurius* emendavit ex duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Regis Christianissimi num. 3059. 3363. Exstat etiam manuscriptum in Bibliotheca Imperatoria Vindobonensi; ut annotat Lambecius libro 3. pag. 38. dignum quod cum editis conferatur, testatus. Codices Vaticanum, Venetum, & Bibliothecæ Strozzianæ pridem laudavit Gesnerus: cujus etiam editiones varias, post *Bandurium*, affert *Fabricius* ibidem pag. 573.

6. *Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi institutio Regia ad Constantinum Michaelis Ducæ filium* pag. 193. de cujus editionibus aliis cum Bandurio idem Fabricius pag. 285. ubi Inquitur de Operibus aliis Theophylacti Acridis in Bulgaria Archiepiscopi. Atque hæc quidem Opuscula in Patte prima & secunda Voluminis primi *Imperii Orientis*, sive *Constantinopolitanarum Antiquitatum*. In Parte autem tertia Voluminis hujus primi habentur *Libri octo Antiquitatum Constantinopolitanarum*, qui ex MSS. ante inediti selecti & Græce descripti, ac Versione Latina, copiosisque & editis Commentariis illustrati, de quibus hoc ordine idem Fabricius.

Liber IV. Antiquitatum Constantinopolitanarum, quibus descriptio templotum, aliorumque ædificiorum, paginis 2.23.41. 65. ad 81. ex Codice Regio Galliarum 3058. in 4. quorum libro quarto pag. 65. descripto sanctæ Sophiæ continetut.

Exhibentur libro *quinto* pag. 82. ad 106. Anonymi παραστάσεις συντομοχρονικαὶ, cum nova Bandurii Versione, quas à Lambecio primum Græce, & à Combefisio Græce ac Latine editas dixi supra pag. 480. & sequentibus. Libro sexto pag. 107. ad 114. *Nicetæ Choniatæ narratio de statuis Constantinopolitanis post captam à Gallis Constantinopolim eversis, & ad monetam facendam conflatis, quam dedi supra pag. 405. quo in libro* Opuscula diversa exstant. Nempe 1. Georgii Pachymeræ descriptio Augusteonis, quam Boivinius laudatus in Notis ad Gregoram pag. 764. & sequentibus Græce vulgaverat, sed Bandurius cum Versione sua pag. 114. ad 117. tecudi curavit. De *Augusteone*, seu *Augustæo* atrio templi S. Sophiæ, Codinus in Originibus Constantinopolitanis num. 32. Jacobus Goarus ad Codinum *de Officiis* pag. 130. & Bandurius ad *Antiquitates Constantinopolitanas* pag. 468. & seqq. & pag. 804.

2. *Photii Patriarchæ Constantinopolitani Descriptio Ecclesiæ Dei Genitricis in Palatio constructa à Basilio Macedone Imperatore*, pag. 117. ad 121. Habita est in Encomiis Anno Christi 880. atque Basilii Imperatoris anno 14. Ediderat eam pridem Lambecius Græce, & utraque Lingua Combefisius, ut supra pag. 485. dicere me memini.

3. Περὶ τῶν τάφων τῶν βασιλέων, *De sepulchris Imperatorum in templo Constantinopolitano S. S. Apostolorum* pag. 121. ad 124. Adjuncta est descriptio

descriptio Heroi Justiniani, & tumulorum Imperatorum in Monasteriis variis ex Codice Regio. Confer quæ ex Codice Colbertino Græce exhibet Ducangius libro quarto Constantinopoleos Christianæ pag. 109. & 110. τὰ ἐν τῷ ἡρώῳ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου μνήματα, τὰ ἐν τῷ ἡρώῳ τοῦ μεγάλου Ἰουστινιανοῦ.

4 Denique ibidem *Excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis* pag. 124. ad 134. ex Codice Regio, & Codino de Ædificiis Constantinopolitanis, cum Lambecii & Bandurii Notis.

Libro *septimo Epigrammata & Poëmata variorum Poëtarum de rebus Constantinopolitanis*, pag. 135. ad pag. 187. ex Libris *Anthologiæ* tertio & quarto, & aliis locis, de quibus sigillatim Fabricius pag. 575.

Libro *octavo* Catalogi diversi occurrunt. 1. Catalogus Episcoporum & Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 187. ad 190. decerptus ex Chronographia illa compendiaria S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, quæ habetur in Codice Regio diversa ab editis, ac desinit in Ignatio Eunucho. 2. Nicephori Callisti Xanthopuli enarratio nova de Episcopis Byzantii & Patriarchis Constantinopolitanis pag. 191. ad 200. ex Codice Regio, quam Christianissimo Regi pridem donavit Antonius Eparchus. Desinit autem in Athanasio, qui Joanni Sozopolitano successit. 3. Catalogus Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 201. ad 208. ex Jure Græco Romano Joannis Leunclavii, Anno 1596. fol. pag. 269. & seqq. diversus ab aliis, desinit in Josepho Abbate Galesii. 4. Catalogus Patriarcharum Constantinopolitanorum pag. 209. ad 218. diversus ab aliis, ex nova Variarum Historiarum Synopsi Matthæi Cigalæ Græce primum Venetiis prodiit Anno 1637. in 4. ac desinit in Neophyto Heracleensi. 5. Catalogus Patriarcharum Constantinopolis pag. 218. ad 229. in Libello Philippi Cyprii Magnæ Ecclesiæ Protonotarii, qui in Parthenio desinit. Hunc primus Græce & Latine edidit *Nicolaus Blancardus, Franeckeræ* 1679. in 4. una cum Christophoro Angelo, de statu & ritibus Ecclesiæ Græcæ; deinde Latine cum Notis posthumis Henrici Hilarii, Rectoris Scholæ Cellerfeldensis, prodiit Lipsiæ Anno 1687. in 8. 6. Ἔκθεσις νέα Ἀνδρονίκου Βασιλέως, *Expositio nova Andronici Palaologi Imperatoris, qui Metropoles Constantinopoleos alias è minoribus ad majores extulit, alias è diverso ad minores thronos depressit*, pag. 230. ad 235. Diversa hæc est ab ἐκθέσει Andronici Senioris, quam cum Codino sæpius editam dixi supra pag. 479. 7. Κατάλογος Ἐπισκόπων, ἥτινι ἑκάστῳ τῶν μητροπόλεων ἐπικέκλινται, ὅσαι σώζονται νῦν ἐκ μέρους, ἐκ τούτων αἱ πλεῖσται ἀφανίσθησαν. *Catalogus Episcopatuum, cuinam singuli Metropoli subjiciuntur, qua nunc ex parte supersunt, pleraque earum exciderunt*, pag. 236. ad pag. 240. 8. Catalogi duo Imperatorum, unus à Constantino Magno ad Alexium Ducam Murzuflum, pag. 241. ad 243. ex Jure Græco Romano Joannis Leunclavii pag. 181. alter ab eodem Constantino usque ad Constantinopolim captam, cum subjecta Sultanorum successione, usque ad Annum 1636. pag. 244. ad 247. ex Matthæi Cigalæ Synopsi Variarum Historiarum.

Sequuntur Petri Gyllii Aletiensis Galli, Scriptoris eximii & longarum per annos quadraginta & amplius peregrinationum susceptarum usu, doctrina, ingenioque clarissimi, qui Anno Christi 1555. ætatis 65. Romæ diem suum obiit, *de Bosphoro Thracio libri III.* pag. 258. *de Topographia Constantinopoleos, & de illius Antiquitatibus Libri IV.* pag. 345. Utrumque Opus Latine ab Auctore scriptum & post editionem minus correctam Lugduni 1561. in 4. emendatius minori forma recusum Anno 1632. inter Respublicas Elzevirianas, lectuque dignum, Thoma Smitho quidem judice in *Notitia Constantinopoleos*, Londini 1692. 8. pag. 66. edita; Gyllius in illius urbis descriptione accuratissimus, nimia pene ipsius diligentia, narrationem paulo obscuriorem & minus gratam reddit.

Quam Elzevirius Gyllio subjunxit Veteria Auctoris *Anonymi Latini* circa Theodosii Junioris tempora compositam *Descriptionem Constantinopoleos* per XIV. Regiones pag. 429. eum Notis Guidonis Panciroli, Bandurius quoque exhibet; poterat vero Præfationem etiam præmittere, quam ex MS. Codice Vindobonensi vulgavit Lambecius Lib. 2. Commenrariorum pag. 950. atque in sua ejusdem editione Descriptionis non omisit Ducangius in *Constantinopoli Christiana* libro 1. pag. 63. & seqq. Eandem ediderat Constantinopoleos Descriptionem, sed sine jam dicta Præfatione, illustraverarque Pancirolus ad calcem *Notitia utriusque Imperii*; de quo Opere, quod in Tomo VII. *Thesauri Antiquitatum Romanarum* Græviani recusum est, dixi in *Bibliotheca Latina* lib. IV. cap. 1. §. 6. Subjunxerat etiam, sed sine Guidonis Panciroli Notis, Philippus Labbeus in *Protreptico* ad Scriptores Historiæ Byzantinæ pag. 54. ad calcem *Notitia utriusque Imperii*, Parisiis 1651. in 12. Hæc de Volumine primo *Imperii Orientalis* Bandurianæ Collectionis Albertus Fabricius Tomo VI. Bibliothecæ Græcæ cap. 5. à pag. 569. ad 577. de Volumine autem secundo pagina 580. his verbis.

CAPUT SEXTUM.

EJUSDEM FABRICII VERBA SEU JUDICIUM DE VOLUMINE SECUNDO COLLECTIONIS BANDURIANÆ.

IN Volumine secundo Bandurius Historiæ Byzantinæ lucem insignem affundit, partim Tabulis æneis nitide in æs incisis, partim eruditis Notis, & in scripta priore Tomo comprehensa Commentariis. Tabulæ æneæ quatuor præ-

præmissæ urbem Constantinopolim, pro vario urbis statu, per varia tempora repræsentant. 1. Qualis ab Anonymo Latino describitur, distincta in XIV. Regiones, tempore Theodosii Junioris. 2. Qualis ab Anonymo Græco describitur, qui Alexii Comneni temporibus vixit, divisa in partes tres. 3. Qualis fuit Johanne Palæologo, penultimo Constantinopolos Imperatore, ex Christophori de Bondelmontibus Florentini libro *de Insulis Archipelagi*, MS. in Bibliotheca Regia Parisiensi, quem ad Cardinalem Jordanum de Civitate, Rhodi misit, Anno Christi 1422. 4. Qualis hodie cernitur, atque à Grelotio delineata est. Similiter *Anaplus Bosphori Thracii* tabulis duabus repræsentatur, 1. uti ex Dionysio Byzantino, sive, qui hunc sequutus est, Petro Gyllio, ac pridem à Guillielmo Sansonio descriptus fuit. 2. Ex delineatione Domini de Combes. Denique exhibetur singulari tabella Prospectus Propontidis atque Hellespontì.

Numismatum Byzantinorum tabulas septem post paginam 456. sive quæ Byzantina veteri Republica adhuc florente, sive quæ sub Imperatoribus cusa sunt, magnam partem ex Regis Christianissimi Gazophylacio Bandurius, reliqua autem è Fucaltiano deprompsit.

Specimen diptychi eburnei Consularis pag. 492. quale dederat Sirmondus in Notis posterioribus ad Sidonium Libro VIII. Epist. 6. Tom. 1. Operum pag. 1060.

Columnia Historiata, quam Constantinopoli Arcadius Imperator pridem ex marmore erigi curavit, & in qua Theodosii patris gesta, nec non ædificia ab utroque Augusto exstructa repræsentantur, Tabulis XIX. per partes pulchre descriptam exhibet, post paginam 508. Confer quæ de eadem Ducangius in *Constantinopoli Christiana* libro 1. pag. 78. & Franciscus Menetrerius Soc. Jesu, qui columnam eandem ære depingi curavit & Parisiis Anno 1703. copiose descripsit.

Pag. 632. ex Codice Regio charactere unciali noni seculi scripto, in quo Opera S. Gregorii Nazianzeni exstant, in una tabella exhibentur, *Ordinatio S. Gregorii Nazianzeni, Victoria Constantini Magni contra Maxentium, & Inventio sancta Crucis per Helenam Constantini Magni matrem.*

Pag. 664. *Reliquiæ Circi seu Hippodromi Constantinopolitani* à Constantino Magno exædificati, quales adhuc fuerunt, centum annis ante Constantinopolim à Turcis occupatam, ex Onuphrii Panvinii Libro 1. *De Ludis Circensibus.*

Pag. 667. *Anaglypha in latere Septentrionali Stylobata Obelisci*, qui ex lapide Thebaico in medio Hippodromo Constantinopolitano erectus erat, descripta ex Jacobi Sponii & Georgii Wheleri scriptis itinerariis. Præterea *Tripus æreus Apollinis*, qui in eodem Hippodromo fuit, & Columna marmorea Marciano Imperatori à Tatiano quodam posita, alteraque Porphyretica, quæ Constantinopoli etiamnum visitur.

Pag. 745. *Ichnographia Templi Sanctæ Sophiæ Constantinopolitani*, & ejusdem Prospectus exterior Septentrionalis & Occiduus, qualis hodie cernitur pag. 752. atque Meridionalis pag. 756. Prospectus interior versus altare pag. 758. & Prospectus altari adversus, versus ostia pag. 762. Omnia ex Josephi Grelotii accurata descriptione, ex illius *Itinerario Constantinopolitano*, quod Gallice prodiit Parisiis 1680. in 4. atque inscribitur, *Relation nouvelle d'un Voyage de Constantinople, enrichie de Plans levez sur les lieux, & de tout ce qu'il y a de plus remarquable de cette ville.*

Pag. 790. *Natura multimamma Imago*, ex pila marmorea antiqua Romæ obvia, quam repræsentavit, Petrus Lambecius libro 2. Commentariorum pag. 738.

Pag. 937. *Imago Synodi Constantinopolitanæ universalis adversus Macedonium & Apollinarem habita*, Theodosio Magno imperante, deprompta ex Codice MS. seculi noni Operum Sancti Gregorii Nazianzeni, ex quo Bandurius pag. 632. alias icones exhibuerat, & de quo consulendus Bernardus de Montfaucon in *Palæographia Græca* pag. 250. ac Franciscus Louvart, in *Conspectu novæ editionis Operum S. Gregorii Nazianzeni procurandæ.* Porro observare licet, in hac Synodi imagine, in medio summo loco positum thronum, cui non insidet, sed proximus ante Episcopos assidet *Imperator:*, in throno autem positum esse magnum volumen explicatum, *Sacra Scriptura* videlicet, ad cujus oracula exigi omnia oportet.

Pag. 991. Imagines Johannis Baptistæ, Constantini Magni, matrisque Helenæ, Manuelis atque Johannis Palæologorum & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, qui Florentiæ in Concilio obiit, ex Codice Regio 3058. Antiquitates Constantinopolitanas complexo, quas primis quatuor libris Anselmus Bandurius edidit.

Post paginam 1007. Tabulæ sex celebriorum artificiorum, Constantinopoli ab Imperatoribus Mahumetanis conditorum, quæ hodie ibi supersunt. 1. Ichnographia & prospectus templi Sultani Achmed. 2. Prospectus Solimaniæ, sive superbi Templi à Solimano exstructi. 3. Ichnographia ejusdem. 4. Prospectus Templi cui nomen *Validæ.* 5. Claustri pro Gynæceo Imperatorio, Gallice *Grand Serrail*, & Palatii prospectus: & 6. Claustri porta sive introitus, ex Grelotio supra laudato, una cum descriptione illius lingua Gallica. Denique in Notis ad Constantinum Porphyrogenitum pag. 118. & 119. exstant *Alphabeta Slavonica varia.*

Hæc Joannes Albertus Fabricius, dum Imperium Orientis, seu *Antiquitates Constantinopolitanas* Anselmi Bandurii depingit à pag. 569. ad 582. qui Tomo etiam VI. seu Libro V. ejusdem *Bibliotheca Græca* cap. 5. paginis 352. & 353. de

de *Michaelis Pselli Historia Byzantina*, quæ in Collectaneo Simeonis Metaphrastis ultimum locum occupat, latissime differit, referens etiam quid de illa sentiat Franciscus Combefisius in *Apparatu ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam*, verbo *Simeon Metaphrastes*: existimans hoc Collectaneum esse *alterius Simeonis* quam Metaphrastæ, eo quod veram Metaphrastæ ætatem vir bonus, & Allatio nimium credulus, ab anno vigesimo seculi duodecimi ad quinquagesimum sub Imperiis Joannis & Manuelis Comnenorum assignandam, non cognoverit.

CAPUT SEPTIMUM.

MANUSCRIPTUM CODICEM REGIÆ BIBLIOTHECÆ ESSE LONGE RECENTIOREM, QUAM ANSELMUS BANDURIUS CREDIDERIT ATQUE SCRIPSERIT.

Duo autem sunt quæ contra Bandurium, vel ejus opinionem, in hoc capite probanda mihi incumbunt. 1. Manuscriptum Codicem Græcum 3058. in quarto Regiæ Bibliothecæ, esse Anno 1260. longe recentiorem seu temporibus eunctis Michaelis Palæologi Imperatoris, qui ab Anno citato ad Annum 1282. Imperium obtinuit. 2. Manuscriptum hunc Codicem non fuisse illatum in Bibliothecam Regiam, post clarissimi Dufresnii mortem, vel Joannis Baptistæ Cotelerii, qui fatum Dufresnii paucis post ipsum mensibus sequutus est; uterque enim Parisiis Anno 1688. mortem obiit, cujus & ultimi obsequiis invitati apud S. Germanum de Pratis adfuimus, ut antea diximus. Hæc non scribimus, ut Clarissimi Bandurii merito sive labori detractum velimus, sed solius causa detegendæ veritatis. Quantum enim debeamus celeberrimæ Congregationi Sancti Mauri in Gallia, quæ tot insignes eruditione viros Ecclesiæ nostra ætate produxit, eruditorum Monachorum nutrici, atque speciatim Cœnobio Sancti Germani de Pratis antiquissimo, quod Congregationis hujus velut Athenæum est, hilares lubentesque agnoscimus: quorum Fratribus ut contubernalibus & Bibliotheca tam impressorum quam manuscriptorum Librorum cum libertate omni usus per annos plures, illuc quotidianus adventans, atque ab iis cum virtute, tum doctrina & antiquitatis notione, mutuis informatus collationibus sive colloquiis, Præmonstratensem ignorantiam depuli, socordiam excussi, veternum Cnlubri cum scandalo luxuriantis & imperantis reliqui.

Commendat Anonymum suum multis ex capitibus Bandurius editor, his verbis, ex Diario Parisiensi: „Auctorem illorum Librorum „sub Alexio Comneno vixisse, ex Jambis in fronte positis, eidemque Imperatori nuncupatis, „arguitur; fuisse vero Monachum ex Præfatione, in qua Alexium à munificentia & liberalitate in Monachos laudat, conficitur. Cæterum in eo Codino præferendus, quod secus" ab hoc factum deprehenditur, urbem in tres" partes distributam describat, atque adeo singulis ædificiis situm suum, quem tenuere, ad-" signet." Nec Auctorem tantum ab antiquitate commendat, sed & Codicem Manuscriptum Regiæ Bibliothecæ, qui Bandurianæ huic Collectioni dedit occasionem, de quo ita Diarium citatum Dissertationis hujus capite 1.

Tandem ad tertiam hujus Collectanei par-" tem pervenimus, unde Operis hujus initium," seu *Antiquitates Constantinopolitanæ* proprie di-" ctæ incipiunt: nam quæ præcedunt duobus" partibus prioribus, velut Præliminaria duntaxat consideranda sunt. Constat ista pars *Libris VIII. Antiquitatum Constantinopolitanarum*," quorum libri quatuor priores illi sunt, qui sub" titulo *Patria & Origines Urbis Constantinopolitanæ*, ex Codice MS. Regio 3058. chartaceo superius commemorato, circa Michaelis Palæo-" logi tempora conscripto, atque Constantino-" poli advecto, paucisque post Ducangii obitum" annis in Bibliothecam Regiam illato, nunc" ptimum in lucem prodeunt, paginis 2. 23. 65." & 81."

Hæc quidem magna pompa Bandurius scripsit, sed veritati minus consona; dum scribit enim hunc Codicem Regium Græcum 3058. chartaceum esse, si tantillum in antiquitate MSS. Codicum versatus fuerit, scriptum illum esse post Annum 1300. fateatur necesse est; quo à tempore charta sola ad Libros describendos assumpta est, & non antea. Scribi ergo hic Codex non potuit, ut sibi Bandurius opinatus est, sub Michaelis Palæologi tempora, qui ab Anno 1260. ad 1282. Imperium Constantinopolitanum tenuit. Sed Manuscriptum Codicem integris annorum centuriis hac ætate recentiorem esse, atque post Annum 1439. quo Synodus Florentina celebrata fuit, recentiorem esse, invicto probant argumento illa prædicta à Joanne Alberto Fabricio Hamburgensi Theologo Tomo VI. *Bibliotheca Græca* pag. 582. ubi describit Codicem illum Bandurii, atque" ad hujus Manuscripti Codicis Regii ornatum, exstare depictas *Imagines Sancti Johannis Baptistæ, Constantini magni, Matrisque Helenæ, Manuelis & Johannis Palæologorum, & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, qui Florentia Anno 1439. obiit, in hoc Codice Regio 3058.* Codex ergo ille Regius, cui antiquitatem scripturæ longe majorem Bandurius assignat, necessario post mortem *Manuelis* & *Johannis Palæologorum*, qui ex ultimis Imperatoribus Orientis fuerunt, & post mortem Josephi, qui Anno 1439. Florentiæ in Contilio mortuus fuit, absolute ac certo scriptus videtur. Ita Fabricius loco citato pag. 582. Est ergo hic Codex, non sub Imperio Michaelis Palæologi, qui ab Anno 1260. ad 1282. Imperium tenuit, scriptus, sed post Florentinam Synodum ex prædictis, atque ita post An-

num 1440. contra quam sentit & scribit imperite vel oscitanter Bandurius. Sane cum Johannes Palæologus, Imperator hujus nominis VIII. cujus imago in hoc Codice depingitur cum imagine Sancti Johannis Baptistæ, quem patronum haberet, usque ad Annum 1443. imperaverit, recte Codicem extremis hujus Imperii annis descriptum opinamur, atque post mortem Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, Anno 1439. humanæ vitæ erepti.

Licet porro Codices MSS. tam Latinos quam Græcos, innumeros in Bibliothecis Galliarum ac Belgii plurimis ab anno ætatis circiter 20. viderim & excusserim, nullum tamen in charta seu papyro exstantem unquam vidisse me memini, qui non esset Anno MCCC. recentior, vel ante hunc Annum antiquitatem suam referre videtur. Ex doctiorum autem virorum calculo, sub seculi XIV. initum Libri MSS. in charta scribi cœperunt, non sola quidem, uti hodie fieri consuevit, sed in charta simul & pergameno alternantibus, sibique in eodem libro succedentibus, id quod usque ad seculi XIV. medium & ultra continuatum fuit. Atque hinc Codicem MS. Græcum Bibliothecæ Regiæ 3058. chartaceum, ex quo Anselmus Bandurius *Libros IV. Antiquitatum Constantinopolitanarum* Græco-Latine evulgavit, ætate Michaelis Palæologi Imperatoris esse longe recentiorem, contra editorem conclusimus, quem totum ex charta esse compactum rescivimus. Nec id mihi mirum apparuit, cum Scriptores illi, qui Codicibus MSS. evulgandis attendunt, ut exemplis innumeris probare possem, vel semper, vel utplurimum, Codices illos una aut altera annorum centuria antiquiores facere soleant, quam revera sint. Nec id dictum ratione hujus Codicis MS. Græci 3058. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ob allatam supra rationem Concilio Florentino recentiorem esse aperte constat. Recentior est igitur annis centum & sexaginta, quam a Bandurio, nimium facili, creditus sit.

CAPUT OCTAVUM.

PLURES MAGNI NOMINIS VIROS CIRCA MSS. CODICES ERRASSE, NIMIAM IPSIS EX OPINATIONE ANTIQUITATEM ASSIGNANTES.

Atque ut thesim probemus, ut extra Parisios urbem egrediamur, in qua studium illud Manuscriptorum Codicum excutiendorum floret, haudquaquam necesse est. Nam quo tempore Ducangius & Cotelerius viri doctissimi, hoc est Anno 1686. incumbebant Catalogo MSS. Græcorum omnium Regiæ Bibliothecæ instituendo, eodem quoque desudabant insignes duo viri, Monachi Sancti Germani de Pratis, amici mei singulares, ut Bibliothecæ ejusdem divitis MSS. Codices omnes Latinos excuterent atque in Catalogum recenserent: Michael Germanus Joannis Mabillonis ob eruditionem notissimi Socius, qui illum postea comitatus est in Itinere Italico Anno 1688. ad literariam rem suscepto, & Placidus Porcheron Bibliothecæ S. Germani de Pratis Præfectus, vir modestiæ insignis, nec pietatis inferioris.

Cum ambobus jam exstinctis amicitiæ specie unirer, illique labore suo perfuncti fuissent, Catalogum istum optanti mihi, ut per hebdomadas aliquas ad usum studiorum meorum volverem atque percurrerem, gratiam non denegarunt, illumque mihi Placidus Bibliothecarius, placida qua excelluit manu compactum in folio exhibuit, quem ad hebdomadas sex vel ultra, in Museo meo possedi, cum otio & libertate omni. Erat Catalogus iste ita comparatus, ut Manuscriptorum omnium Latinorum veterum in membrana vel papyro compactorum seriem & numerum referret, ac quidquid in Codicibus MSS. singulis continebatur, per ordinem recenseret. Nonnullos etiam recentioris notæ, seculo nempe 1600. & postea scriptos, ob scriptorum celebritatem veteribus adjungeret, qualia erant Volumina Joannis Maldonati Soc. Jesu & Andreæ Duchesnii manu scripta propria atque aliorum, quorum mihi memoria excidit. Cum autem uterque Michael & Placidus, de quibus supra, in Codicibus MSS. excutiendis & examinandis versatissimi essent, non tantum in hoc Catalogo observabant ad MSS. Codices singulos, quæ in illis Opuscula vel pauciora, vel plura continerentur, sed juxta peritiæ suæ his in rebus opinionem, in Codicibus quibusque, quantæ antiquitatis sibi viderentur, collatione inter se habita taxabant, 200. 300. vel 400. annorum, vel circiter.

Quia vero in hac Bibliotheca frequens versabar, atque cum Præfectis illius libere agebam, plurimosque ex MSS. Codicibus Latinis sæpius manibus oculisque volverem: quando hunc Catalogum in Museo commodatum habui, incessit cupido vel curiositas, ut Codices plurimos propriis oculis inspectos conferrem, cum taxatione illa, quam Benedictini amici nostri Codicibus singulis quoad antiquitatem Manuscriptorum adscripserant. Ac re juxta notionem meam pensitata, reperiebam illos una sæpe aut altera annorum centuria liberaliores fuisse in antiquitate Codicum taxanda, quam conveniret aut competere videretur. Nec enim regulæ judiciorum ejusmodi certæ esse possunt, sed quidquid hoc in argumento agimus, nitimur conjecturis solis, quæ sæpissime cautiores etiam in errorem adducunt. Atque ut hoc demonstrative probemus, extra Regiam Bibliothecam non egrediemur.

Amicus iste noster, Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis, Placidus Porcheron, Anno 1688. edidit in 8. Parisiis Opus inscriptum, *Ravennatis Anonymi, qui circa seculum VII. vixit, Geographia libri quinque* ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quem ex antiquitate MS.

MS. Codicis ad seculum septimum pertinere arbitrabatur. Idem porro Opus in 8. recusum iterum hic Lugduni-Batavorum Anno 1695. apud Jordanum Luchtmans, ac illud contulit Jacobus Gronovius ad MS. Codicem alterum Bibliothecæ nostræ Lugduno-Batavæ, cujus variationes aliquas à Parisiensi Codice adjecit in Præfatione ad Pomponium Melam *de Situ Orbis* à se editum per paginas duodecim à Præfationis pag. 8. ad finem. Unum ex suis Exemplaribus compactum obtulit mihi Placidus Porcheron tanquam Amico ejus singulari, dum Parisiis eram, quod attentione speciali legere ob necessitudinem placuit. Inter legendum autem animadverti Amicum nostrum deceptum fuisse, multis non annis nec annorum decadibus, sed integris ad minus 400. annorum centuriis remotum fuisse ab Anonymi sui vera ætate, quem seculo VII. vixisse imprudens scripserat. Sed circa Annum 1130 vel 1140. tantum floruisse ac vixisse, pro comperto ex lectione Operis nactus sum. Rem nulli unquam quamdiu vixit aperui, cum id legi amicitiæ deberem. At cum ad me rescripsisset Anno 1699. clarissimus Godefridus Leibnitzius Hanovera Lugdunum Batavorum, atque illius mortem, quæ illi hoc anno ex Gallia extorri his in partibus contigit: eum de hoc ipsius Opere evulgato loqueretur mihi Leibnitzius, rescripsi nec conticui Leibnitzio, quam fœde & enormiter in assignanda Anonymi sui ætate deceptus fuisset. Errorem suum ipsi Editori, dum viveret, non tacueram inter privatos parietes detexeram, secretum quamdiu vixit tenueram, nec mihi rationem hujusce lapsus asserenti respondere unquam potuerit. Oraveram, ut si quam, quod fallerer, rationem dare posset, lubens & amicus amplecterer.

Hic igitur Anonymus Scriptor lib. 1. num. 6. pag. 9. hæc habat. „Ad Orientalem plagam ipse Paradisus esse ostenditur, prout hic „testatur, in Sanctis Athanasius Alexandriæ Episcopus ab Antiocho requisitus Præside dicens, Testificatur nihi Sancta Scriptura dicens, quod plantavit Deus Paradisum in Eden ad Orientem; docet enim nos, quia in extrema Orientis totius terra est Paradisus. Quamobrem ajunt quidam disertissimi Historiographi, quoniam propterea cuncta aromatum genera gignuntur, in magis Orientalibus, hoc est Indicis partibus, sicut prædicta existit Paradisi Provincia. Et quemadmodum palmæ masculi proxime vicinantes feminas palmas per adspirationem ventorum fructificare faciunt: ita videlicet ex Paradiso ventorum flatibus fragrans adspiratio, vicinantium sibi locorum arbores arumata gignere faciunt; taleque testimonium quod ipse existit fluvius.“

Opera Sancti Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi sæpius edita fuerunt & à diversis in Latinam translata Linguam, sed Græce & Latine potissimum Parisiis edita sunt 2. Tomis in folio Anno 1627. quam editionem ut ampliorem aliis omnibus & correctiorem sequimur, atque ex Græco-Latina Commeliniana Heidelbergæ Anno 1601. facta in folio feliciter expressam, quam repræsentat Philippus Labbeus Tomo 1. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 113. Hujus autem editionis Tomo 2. pag. 131. ad 395. extant *Sancti Patris nostri Athanasii Alexandriæ Archiepiscopi ad Antiochum Principem, de diversis utriusque Veteris & Novi Testamenti locis Scripturarum Quæstiones* CXXXVI. ex MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ primum productæ Heidelbergæ in editione Anni 1601. Commeliniana Græce & Latine in folio, interpretibus tribus Protestantibus, quorum nomina hic exprimuntur. Nihil fere de his Quæstionibus habet Labbeus in Dissertatione *De Scriptoribus Ecclesiasticis in Athanasio Alexandrino*, Tomo 1. pag. 119. sed Tomo 2. *in Addendis & corrigendis* pag. 728. sequentia subjicit: "Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ Sanctæ rejicit his verbis: *Quæstionum ex Veteris & Novi Testamenti locis ad Antiochum Principem liber unus, continens Quæstiones CLXI. Athanasii non videtur.* Suspicor hunc ex variis Patrum scriptis collectum à Studioso quopiam, qui in Quæstione IV. Theologiam Mysticam Dionysii Areopagitæ seculo ut arbitror Athanasii ignotam allegat. Et Quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo diversam sententiam amplectitur. Videndi quoque ex nostris Maldonatus, Possevinus, Cornelius à Lapide, aliique: quæque supra in *Addendis* ex Leone Allatio diximus, de Justini Martyris & Anastasii Sinaitæ Quæstionibus, ab aliquo posterioris ævi Scriptore, multarum pariter additionum fermento locupletatis." Ex quibus Sixti Senensis paucis verbis ac Philippi Labbei pronuntiatione vaga atque ad alios remittente, Opusculum à neutro unquam lectum fuisse arbitratus sum.

Accinctus igitur lectioni Quæstionum seriæ & attentæ, percurrens titulos, absque mora reperi Scriptorem illarum esse hominem, non Athanasium Alexandrinum veterem, sed Græciæ recentissimæ, sub larvato Athanasii nomine, Græcorum more, nugas posteris vendentem. Nam ex Quæstionibus 39. 40. & 41. apparet evidenter, Opus istud compositum fuisse post ingentum illam de cultu Imaginum & Crucis adoratione altercationem Seculis Ecclesiæ VIII. & IX. agitatam, ac Anno tandem 842. post Imaginum restitutionem sopitam: unde non posse esse Scriptoris seculo IX. anterioris, atque ab ætate Athanasii Alexandrini quingentis annis remoti, certo certius mihi constitit. Progressus autem ulterius ad pag. 349. Quæstione XLIV. longe adhuc ætate ista recentiorem reperi Scriptorem istarum Quæstionum. Dicta enim illic Anonymum Scriptorem Græcum illum ad seculum Ecclesiæ duodecimum detrudunt. Nam vir bonus & Græ-

Græcus nugax affirmat illic, *quod Christus omnia loca, quæ sua præsentia in Palæstina sanctificavit, Ecclesiæ soli Catholicæ commiserit & conservanda tradiderit.* Audiamus propria vendentis nugas verba: *Ita enim Christus statim ab initio sua præsentia, Catholica Ecclesia veneranda loca tradidit. Si quis vero nobis objiciat, quod tyrannica potestate illa teneamus: ejusmodi homo discat, quantumvis etiam sæpenumero Barbari Palæstinam occupaverint, non permisisse tamen Christum, sua ipsius loca hæreticis tradenda, sed licet ad breve tempus ea aggressi sint, statim tamen iterum Catholica Ecclesia ut porcos eos expulit ex Christi Dei nostri sanctis mansionibus & locis:* τὕτυς ἀπεδίωξεν ὡς χοίρυς, τῶν ἁγίων Χριςῦ τῦ Θεῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ τόπων. Vtinam in narratione hac non plura essent mendacia, quam verba! Etsi septuaginta octo annos natus, risum tamen continere non potui, dum ista Græculi devoti Scripta revolverem; tam impune ac impudenter mentientis.

Relictis Pseudo-Athanasii istius mendaciis, ad institutum nostrum nihil facientibus, restat ut quamnam verba superius allata ætatem hujus Scriptoris designent, certo aperiamus. Juxta Ecclesiasticos notæ præstantioris Historicos, Christophorum Helvicum, Sethum Calvisium & alios, quos recensere necessarium non est, contra falsam ignaramque Pseudo-Anastasii hujus assertionem, nec Palæstina, nec Syria, nec Hierosolyma cum locis aliis, quos Christus Dominus sua præsentia dum viveret honorare voluit, in manibus Ecclesiæ Catholicæ, ut noster Græculus loquitur, semper fuerunt: sed multis temporibus ab Agarenis seu Saracenis occupata sunt, sub quorum potestate *non pauco admodum tempore*, sed multis annorum centuriis occupata sunt, ut ab annis jam trecentis & ultra à Turcis seu Muhammedanis occupantur, cum possessione tranquilla & omnimoda, contra Mendacem istum. Mendacium istud ita enorme & impudens est, ut à nemine, nisi insano, excusari queat. Hierosolyma sub Heraclii Imperio capta fuisse scribitur à Cosroe Persarum Rege Anno Æræ Christianæ 636. Sophronio Hierosolymitano Patriarcha ultimo 630. ut Cedrenus habet, quæ à Saracenis possessa iisdem per 463. annos, usque ad Annum 1099. vel 1100. quo sub Vrbano II. Occidentalibus Crucesignatis expeditionem in Orientem facientibus sub Godefrido Bulloniensi, Saracenos Hierosolyma capta expulissent. Hoc constans ita est, ut ab Historicis plurimis, qui illi etiam interfuerint, scriptum remaneat. Dum ergo hic Pseudo-Athanasius pag. 303. Quæstione XLIV. ita loquitur, diserte ostendit se post Annum Christi MC. scribere, sub seculi duodecimi initium, ac forsita iisdem Occidentalibus adhuc in Palæstina imperantibus ac Hierosolymam occupantibus; quo ex rerum situ mendacium scribentis Græci aperte destruitur. Scripsit ergo hic circa Annum MCX. Pseudo-Athanasius, nec ante hunc annum scribere potuit.

Jam ut ad argumentum, unde aberravit oratio, revertamur: Anonymus Ravennatensis, quam seculo VII. affixit Placidus Porcheron amicus noster, hoc Pseudo-Anastasio, quem verbo tenus profert, duabus aut tribus annorum decadibus recentior esse debuit, ut antiquiorem se allegare posset. Juxta itaque recti sensus regulas, ante Annum MCXL. Anonymus Ravennatensis scribere non potuit, quidquid contra statuat Placidus Bibliothecarius, ex incerta MS. Codicis Regii taxatione antiquitatis. Quid mirum igitur, si Anselmus Bandurius Monachus Benedictinus Congregationis Melitensis, jam Bibliothecarius Magni Florentiæ Ducis constitutus ex publicis nuntiis, circa manuscriptum Codicem Pselli Regiæ Bibliothecæ, centum sexaginta annis quoad Codicis antiquitatem erraverit: cum Placidus Porcheron Bibliothecarius Sancti Germani de Pratis Parisiensibus, in manuscriptis Codicibus tractandis versatissimus, qui Catalogum omnium MSS. Latinorum Regiæ Bibliothecæ Anno 1686. quando Parisiis eram & videbam, adornavit, cum Michaele Germain, Joannis Mabillionis Socio: hic inquam Bibliothecarius, quadringentis & amplius annis erraverit, circa antiquitatem assignandam Anonymi Ravennatensis ex Codice Regio, cujus editionem publicam faciebat. Quod autem Jacobus Gronovius, hoc Anno 1716. die 21. Octobris mortuus ac die 26. terræ mandatus, hanc *Geographiam* ad alterum MS. exemplar Lugduno-Batavæ Bibliothecæ nostræ contulerit, nihil ad rem facit: quia MSS. Codices nostræ Bibliothecæ fere omnes recentes sunt, ac paucissimi qui seculum duodecimum vel attingant vel superent, ut evolventi mihi patuit. Hæc de MSS. Codicibus, occasione MS. Codicis 3058. Regiæ Bibliothecæ.

At Athanasius ille Alexandriæ Archiepiscopus, quem allegat libro 1. *Geographia* num. 6. pag. 9. *Anonymus Ravennatensis Geographus*, adhuc longe recentior est seculo XII. quem Eusebius Renaudot in *Historia Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum* pag. 599. recenset, atque Patriarcham hujusce sedis recentissimum facit, ad A. Christi 1252. & 1262. assignans, de quo postea latius acturi sumus, quem Patriarcham LXXVI. nominat: unde Anonymus Ravennatensis, qui illum verbotenus refert, illo adhuc recentior esse debet: neque esse potest seculo XIV. antiquior, quamvis amicus noster Placidus illum ad seculum VII. referat, annis tantum septingentis, quod parum est, ab Anonymi sui Ravennatensis Geographi vera ætate aberrans. Nec primus est, qui ita turpiter erraverit, in ætate assignanda alicujus Scriptoris incerti, qui ex MS. Codice evulgatur. Vnde conjicimus Codicem Regium, ex quo prodiit, non esse majoris antiquitatis, quam qui ex Vossio,

fio, in Bibliotheca nostra recentissimus & chartaceus est, Geographiam eandam referens. Restat ad probandam thesim nostram, ut ex Scriptoribus bonæ fidei & certis, Athanasium hunc LXXVI. Patriarcham Alexandrinum, quem Anonymus Ravennatensis referens describit, probemus esse seculi XIV. recentissimum Scriptorem, ut idem de Anonymo Ravennatensi concludi certe possit ac debeat. Nicephorus Gregoras *Historiæ suæ Byzantinæ* lib. 7. cap. 1. Athanasii hujus Patriarchæ Alexandrini ut adversarii Athanasio Patriarchæ Constantinopolitano meminit, qui iterato ad hanc sedem assumptus post abdicationem fuerat, ab Anno 1302. ad 1309. vel 1310. Imo verisimile est illum cum Archiepiscopo Tyrio præbuisse occasionem abdicationi secundæ Athanasii hujus Patriarchæ Constantinopolitani, ut constat ex Epistola illius 52. cujus titulum refert ex MS. Codice Albertus Fabricius *Bibliotheca Græca* Tomo VI. pag. 584. ubi de *Epistolis* Athanasii Constantinopolitani. Præterea Amicus fuit Georgio Pachymeræ ejusdem temporis Scriptori, ut idem Fabricius habet ibidem pag. 465. in tantum ut Pachymeres ad instantiam illius in Opera Sancti Dionysii Areopagitæ Paraphrasin scripserit, quam illi etiam Constantinopoli residenti dedicaverit. Constat ergo ætas Athanasii hujus Alexandrini seculo XIV. ac consequenter Anonymi Ravennatensis Geographi, qui illo, quem exscribit, antiquior esse non potest.

CAPUT NONUM.

MANUSCRIPTUM CODICEM GRÆCUM 3058. FUISSE IN BIBLIOTHECA REGIA, DUM VIVERET DUCANGIUS.

Quæstionem hanc non adeo magni momenti esse ad Historiam Criticam vestram Reipublicæ Litterariæ ultroneus agnosco, neque talem esse quæ Cl. Bandurii famam ullatenus imminuere possit, optimo jure apud Eruditos sibi comparatam. Quod igitur incaute, qui rebus non adfuit, Bandurius capite IV. Dissertationis hujus a nobis relatus ad verbum scribit, *hunc MS. Codicem in Regia Bibliotheca non exstitisse*, dum viveret Ducangius, sed in eam illatum fuisse post illius mortem: somnium est, vel suspicio ab Anselmo Bandurio minus considerate conscripta, ut Scriptorem hunc Catalogi MSS. Græcorum clarissimum excusaret, quod illius ut putat mentionem non fecisset. Exstabat tempore clarissimi Ducangii, qui cum Regiæ Bibliothecæ MSS. Græcorum Codicum ante Annum 1686. una cum Johanne Baptista Cotelerio, Catalogum novum, dum Parisiis eram & videbam, conscripsit. Unde uterque Ducangius & Cotelerius mihi non ignoti, in Operibus suis semper Codices MSS. Græcos Regios allegant, juxta numeros novos Catalogi ultimi à se confecti: cui rei Bandurius non attendit. Quod autem tunc temporis exstaret Manuscriptus Græcus num. 3058. constat, quia in Catalogo eorum suo ordine, videntibus nobis, reperitur. Vidimus ac tenuimus frequenter ad usum nostrum, Catalogum illum Codicum Græcorum MSS. Bibliothecæ Regiæ, quæ tunc temporis ab unitate ad Codices Græcos MSS. 3600. & ultra, continua numerorum serie & absque interruptione ulla protendebatur: unde nulli dubitamus, quin Codex MS. Græcus 3058. in eadem Bibliotheca Regia exstaret, suoque ordine recenseretur. Non habuit semper Regia Bibliotheca multitudinem librorum quam nunc possidet, sed paulatim accrevit illa, sollicitudine Bibliothecariorum, qui supellectili librariæ præfecti erant. Juxta enim *Catalogum Bibliothecæ Coislinianæ* seu *Seguieranæ* parte 2. cap. 6. pag. 320. Codex CCCLVI. olim CCCXXXIII. in charta vulgari papyrea foliorum 118. est *Catalogus manuscriptorum Codicum Græcorum Bibliothecæ Regiæ sub Henrico II. Rege factus*, incipiens βίβλα θαλασσίω ἑκατοντάδες κγ &c. qui complectitur 558. Codices. Regnavit autem Henricus II. annos 12. ab Anno 1548. ad 1559. Tunc temporibus igitur erant tantum Codices MS. Græci 558. in Regia Bibliotheca. Ab hac autem temporis intercapedine, ad Annum 1653. quantum accreverit liquet ex *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam edendam voluit Philippus Labbeus Soc. Jesu Parisiis in 4. apud Joannem Henault. Omne enim illud Opus à Labbeo collectum est ex Catalogis Codicum MSS. tam Græcorum quam Latinorum atque Gallicorum Regiæ Bibliothecæ, in qua dudum versatus est, omnemque licentiam habuit, unde Opus aliud fere nihil est quam Catalogus Librorum illius manuscriptorum omnium, quos summatim recenset eo ordine ac serie, qua tunc temporis in eadem habebantur & asservabantur. Cujus conficiendi occasionem Anno 1648. habuit, dum incumberet Scriptoribus ad Historiam Byzantinam spectantibus ex Bibliotheca Regia colligendis atque ordinandis, cum Protreptico seu Adhortatione ad Historiam Byzantinam ex typographia Regia edito.

Si Bandurius attente Opera Ducangii legisset, atque citationes manuscriptorum Codicum Græcorum juxta Catalogum ultimum à se & Cotelerio compactum allegatas considerasset, in hanc ἀνεγνωσίαν incautus non lapsus fuisset.

I. Hoc demonstrari potest ex Dissertationis hujus cap. 4. ubi Bandurianam illam Constantinopolitanarum rerum Collectionem ex Alberto Fabricio retulimus. Illic enim, dum de Basilii Imperatoris Constantinopolitani Macedonis ad Leonem Sapientem filium κεφαλαίοις παραινετικοῖς, *Capitibus exhortatoriis LXVIII.* pag. 171. ad 192. locuti sumus, addimus ex Fabri-

bricio: *Hunc librum prius Bandurius emendavit ex duobus MSS. Codicibus Bibliotheca Regis Christianissimi*, num. 3059. & 3363. Exstabat ergo Codex MS. Græcus in Regia Galliarum Bibliotheca num. 3058. dum clarissimus Ducangius viveret & Catalogum scriberet: quippe cum in Catalogo eodem mentionem faciat numeri sequentis 3059. atque alterius longe ab hoc numero remoti, atque 3633. à Ducangio in Catalogo designati. Vnde liquet de hallucinatione Bandurii.

2. Id non minus constat ex Ducangio, qui ad calcem *Glossarii media & infima Græcitatis* pag. seu col. 29. singularius allegat manuscriptos Codices Græcos hunc numerum 3058. excedentes his verbis: *Anastasii Patriarcha Antiocheni Opusculum de Synodo Episcoporum Orientis, in Perside coacta, ex Codice Regio* 3111. Hæc in Catalogo ultimo, sed Labbeus in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum*, supplemento VII. pag. 289. refert hoc opus hoc titulo, *Anastasii Patriarcha Antiocheni narratio eorum, quæ gesta sunt in Synodo ab Orientalibus Episcopis in Perside, Codice* 1370. Erat ergo hic Codex 3058. in Regia Galliarum Bibliotheca, quando Ducangius & Cotelerius Anno 1686. Catalogum novum MSS. Codicum Græcorum omnium hujus Bibliothecæ collegerunt atque ordinarunt, qui longe majoris numeri Codicem MS. Græcum 3111. allegant, quem Labbeus in Catalogo antiquiori sua in Bibliotheca obtinente, num 1370. designaverat.

3. Id quoque certo & evidenter constat, ex his quæ allegavimus Ducangii verbis capite 3. hujus Dissertationis, & quæ repetere hic necessarium non est. Clarissimus itaque Ducangius ad finem *Glossarii sui media & infima Græcitatis* verbo *Michael Psellus*, columna 29. ubi Catalogum Scriptorum ineditorum Michaelis Pselli profert ex Manuscriptis Regiæ Bibliothecæ, non tantum meminit Opusculorum ejus ad *Historiam Constantinopolitanam* vere spectantium, quæ Codicibus Regiis 1837. atque 3058. habentur: sed aliorum etiam Operum Pselli ejusdem, quæ in manuscriptis Codicibus numerum 3058. excedentibus sub nomine ejusdem Pselli comprehendebantur. Nempe *De Agricultura*, seu περὶ γεωργικῶν, ex Codice Regio 3592. Opus ineditum πόνημα ἰατρικὸν ἄριστον δι ἰάμβων, ex Codice Regio 3502. Itaque certo & evidenter Codex MS. Græcus 3058. quem Bandurius allegat, erat in Regia Galliarum Bibliotheca, dum viveret, & Catalogum Bibliothecæ hujus cum Cotelerio compaginaret Ducangius, qui numerorum isto longe superiorum, in Codicibus Græcis inscriptorum, disertam in scriptis mentionem facit.

Denique Codices Græcos Regios numerum 3058. in MSS. Codicibus excessisse, facillime Bandurius scire potuisset, si cum attentione aliqua volvisset Opera Domini Bernardi de Montfaucon confratris sui, quem honoris causa, in Præfatione magnifica Operis sui, *Magistrum suum atque in studiis Pædagogum* appellat. Hic enim Bernardus in Opere, quod *Palæographiam Græcam* inscripsit, atque cum Litteratorum applausu omnium in folio edendum curavit Parisiis Anno 1708. passim facit mentionem MSS. Codicum Græcorum Regiæ Galliarum Bibliothecæ qui numerum 3058. excedunt, quos hic ex *Palæographia* lib. 1. cap. 6. juxta paginas enumerabo.

pag. 44. memoratur Codex 3424.
pag. 47. Codex 3265.
pag. 51. Codex 3421.
pag. 58. Codex 3513.
pag. 63. Codices 3417. & 3370. cujus dat specimen lib 4. cap. 8. pag. 419. & contenta libro 6. pag. 418.
pag. 64. Codex 3499.
pag. 65. Codex 3482.
pag. 69. Codex 3483.
pag 70. Codex 3271.
pag. 74 Codices 3495. & 3239.
pag. 76. Codex 3516.
pag. 77. Codices 3357. 3261. 3259.
pag. 81. Codex 3219.
pag. 82. Codices 3260. 3360. 3145. 3290. 3331. 3338. 3206.
pag. 83. Codices 3307. 3129.
pag. 84. Codices 3458. 3178.
pag. 85. Codex 3245.
pag. 89 Codex 3313.
pag. 90. Codex 3066.
pag. 91. Codex 3392.

Atque ibidem libro V. cap. 2. pag. 352. Codex MSS. Græcus 3514. Teste igitur Bernardo de Montfaucon Bandurii Socio & Commonacho, ætate qua vivebat, & scribebat Ducangius, Codex MS. Græcus 3058. in Bibliotheca Regia exstabat & in Catalogo censebatur, cum multis aliis numerum hunc etiam excedentibus.

Neque mirum cuiquam videri debebat, quod huic MS. Codici Græco 3058. in Catalogo recensito, operam singularem Dufresnius ac Cotelerius non impenderint; cum enim esset *Anonymus* atque *chartaceus*, facile relinqui potuit: cum rarissimum sit, ut ab Eruditis, etiam cum multa mentis contentione atque otio agentibus, Anonymi Scriptores detegantur: unde sit ut ab istorum Catalogorum MSS. ordinatoribus relinquantur, ne tempus atque oleum in iis detegendis terant, & ab opere ad finem urgendo removeant. Fortuitum sane fuit ac faustum Bandurio, quod *Anonymo huic chartaceo* animum apposuerit; fortuitum quoque mihi fuit, quod ex nuda verborum Bandurii lectione, absque studio, *Anonymum* detexerim, adjutus Dissertatione recenti, quam non ita pridem de Pselli Scriptis MSS. & editis conscripseram. Id itaque vel providentiæ vel fato, non felicitati ingenii vel studio, tribuendum videtur.

Addit Bandurius, *Origines illas Constantinopolitanas nunc primum in lucem prodire, ex Codice MS. Græco*

Graco Regio 3058. chartaceo, circa Michaelis Palaologi tempora conscripto & Constantinopoli advecto, paucisque post Ducangii obitum annis in Bibliothecam Regiam illato. Fallitur illic Bandurius, nam Anno eodem 1688. quo Ducangius mortuus est, advecti sunt Constantinopoli ad Regiam Bibliothecam Codices MSS. Græci triginta circiter, optimæ notæ in membranis antiquissimis, quos omnes ex humanitate laudabilis viri Nicolai Clement, tum temporis Librorum Regiæ Bibliothecæ sub Domino Thevenot, Bibliothecæ Præside, Custodis, qui illos omnes oculis nostris inspiciendos atque manibus contrectandos in Bibliotheca per otium voluit, ut de illorum antiquitate ex scriptura, ex membrana, ex compactura veteri judicium certius ferre possemus, antequam illi omnes in pluteos cum manuscriptis aliis recenserentur, atque Catalogo insererentur. Omnes illi veteres ac seculorum plurium ob antiquitatem, sed chartaceus nullus, qui hac ratione recentem ætatem Codicis demonstraret. Atque ita Codices illi manuscripti in Regiam Bibliothecam Constantinopoli deportati, quos vidimus & excussimus, suspicioni Bandurianæ opitulari non possunt, in quibus Volumen chartaceum recentisque temporis nullum à me animadversum fuit.

Hos inter Codices MSS. recenter in Bibliothecam Regiam Constantinopoli advectos, singularis mihi notæ & observantiæ fuit Codex *Homeri* antiquissimus, (*) quadratis litteris scriptus, membraneus, in 4. unum pedem altus, ex pergameno validissimo, cujus compactura singularis ita in longirudinem protendebatur, ut ulnam etiam excederet, atque ratione ista cum aliis in Bibliothecam immissus, solus tabulam integram longitudine sua implere & occupare posset; cui me similem alibi vidisse nunquam memini.

Inter illos quoque *Herodotus MS. optimæ notæ*, de quo, ut quidem crediderim, ita *Historia Critica Reipub. Litteraria*, Tomo VII. Art. XII. in *Nuntiis Litterariis*, pag. 453. „Mr. Bergierus, „de Leipsig, continue toujours à travailler à sa „nouvelle Edition d'*Herodote*, & avec beaucoup „de soin. Il a reçû des *Variantes* de plusieurs „endroits: on consulte pour lui un MS. de la „Bibliotheque du Roi de France, venu de Gréce depuis quelques années, & qu'aucun de „tous ceux qui ont travaillé sur cet ancien Hi„storien n'a vû.

Hæc de *Collectione* Anselmi Bandurii, cum reverentia Scriptoris eruditi. Præclarus hinc gloriæ campus Joanni Boivinio, Regiæ Galliarum Bibliothecæ librorum custodi, vero doctissimo apertus, ut opuscula omnia Michaelis Pselli, ad Historiam Byzantinam spectantia, quæ manuscripta ibidem inveniuntur, simul colligenda, Græcique & Latine evulganda aggrediatur, ad famam nominis perennem. Cæterum notandum, nos eandem Dissertationem per partes edidisse *dans l'Histoire Critique de la Republique des lettres*, cujus Tomus VII. à pag. 219-260. & Tomus VIII, a pag. 279-311. conferri possunt.

LVPUS PROTOSPATA, natione Appulus, 1100
(ut creditur) officio Protospatarius, sive Primipilus Palatinorum Militum, circa annum 1100. scripsit *Chronicon de rebus in regno Neapolitano ab anno octingentesimo sexagesimo usque ad annum millesimum centesimum secundum Gestis*, breve quidem sed accuratum: quo tempore vixisse creditur. Illud cum Appendice incerti authoris usque ad annum 1519. Antonius Caracciolus ex Ordine Clericorum Regularium, quos vulgo Theatinos vocant, Theologus, imprimi curavit anno 1626. Neapoli in 4. adjunctis *Heromperti Longobardi & Falconis Beneventani Chronicis*, quorum posterior Lupi Protospatæ narrationem excipit.

HARIVLPHUS ALDEMBURGENSIS 1100
ABBAS, in Flandriæ Comitatu, prope Brugas in Belgio, circa annum 1104. constitutus est, Monachus primum Centulanus seu Sancti Richarii in Pontivo, Ordinis divi Benedicti, unde ob eximias animi dotes ad regimen Abbatiæ hujus Aldemburgensis ejusdem instituti vocatus est. Opusculis variis nomen suum posteritati clarum transmisit, quem miror à Guillelmo Cavo in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, fuisse oblivioni mandatum. Scripsit autem *Chronicon Ecclesia sua Aldemburgensis*, quod ex Manuscripto Codice edidit Lucas Dacherius *Spicilegii* sui tomo quarto. Scripsisse etiam dicitur *Vitam Sancti Arnulfi Suessionensis Episcopi*, an. 1087. defuncti, sed quam Laurentius Surius ad diem 15. Augusti & alii ipsum secuti, non recte attribuunt Lisiardo Suessioni Episcopo. Hanc autem positive ac valide *Vitam Sancti Arnulfi Suessionensis Episcopi*, contra Surium attribuit Hariulpho Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 45. fol. 408. editionis ultimæ, his verbis: „Floruit iis temporibus Hariulphus Abbas Sancti Petri Aldem„burgensis in Flandria, Ordinis divi Benedicti.„ In litteras retulit *Vitam Sancti Arnulfi Suessionensium Episcopi*, quam Surius edidit sub nomine Li„ziardi: sed sub nomine Hariulphi integra extat„ in Vrsicampo Ordinis Cisterciensis celeberri„mo Monasterio, apud Noviomum Picardiæ„ oppidum. Initium ejus est hujusmodi, *Lam*„*berto*

(*) Voilà un MS. qui, par cette description de Mr. *Oudin*, paroît extrêmement curieux, & qui, sans doute, seroit très utile pour tous ceux qui voudroient travailler sur cet ancien Poëte. Il est surprenant, que Madame *Dacier* ne s'en soit point servie dans son *Iliade*. Peut être qu'elle en aura fait usage dans son *Odyssée*.

„*berto Dei gratia Tornacensi Episcopo Hariulphus* „*&c.* Sed Surius præfationem triplicem omi-„sit.“ Hæc Vossius, cui adjicimus nos vidisse hunc Manuscriptum Codicem in Monasterio Vrsicampi, dum hanc olim Bibliothecam in Codicibus antiquis non multum divitem excuteremus: cujus & apographum pariter videmus nunc in Monasterio Sancti Germani de Pratis Parisiensibus, ad exemplar Vrsicampi exscriptum, ubi triplex quidem præfatio est, ut notavit Vossius. Injustè igitur illam Surius Lisiardo Suessionensi Episcopo Arnulfi Successori adscripsit, qui Hariulphi opus quasi sibi proprium vindicasse videtur, ut majorem Vita ista in Concilio Remensi cui oblata illa est, sub proprio suo nomine, seu Lisiardi nomine assequeretur: cui tamen *Appendicem* tantum *De Miraculis Sancti Arnulfi adjecerat*, quæ Hariulphum utpote ab his remotum fugerant. Adde scripsisse & Hariulphum *Librum de Miraculis Sancti Richarii*, quem refert Joannes Mabillon Seculo V. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 567. Idem scripsit *Vitam Sancti Maldegisili Confessoris & Eremita in Pontivo*, quam ineunte seculo XII. composuit, & quam refert Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, parte seu tomo 2. pag. 537. De qua vide infra in *Anschero*. Denique scripsisse dicitur *Vitam Beati Geruini secundi Abbatis Aldemburgensis prædecessoris sui*, de qua nihil didici. Valerius Andreas testatur hanc Vitam extare MS. Aldemburgi cum Missali & Pontificali, quibus ferunt Divum Arnulphum usum fuisse, teste Molano in Natalibus Sanctorum Belgii, ad diem 16. Augusti, cujus compendium profert ibidem ad diem XVII. Aprilis. Decessit autem *Hariulphus* anno 1143. quemadmodum narrat Meierus Libro IV. *Annalium Flandriæ* his verbis, ad annum citatum. „Obiit vir venerabilis Hariulphus Abbas Aldemburgensis, postquam XXXVIII. per annos singulari prudentia eam rexisset domum, seque strenue, multaque cum laude Romæ apud Innocentium II. defendisset, contra Cœnobitas Suessionenses, qui incorporare in Suessionense Monasterium Aldeburgum, ac in prioratum (ut vocant) redigere conabantur: sed caussa ceciderunt. De illo Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca*. Antonius Possevinus in suo *Apparatu sacro*, in Appendice ad tomum 1. ubi ait hanc *Arnulfi Suessionensis Episcopi Vitam* esse Hariulphi, quam Surius sub Lisiardi nomine edidit ad diem Augusti XV. Ipse de se in *Chronico suo Aldemburgensi*. De illo Meierus Lib. IV. Annalium Flandriæ, ad annum 1143. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 45. pag. 408. ultimæ editionis & Cap. 46. ubi de Lisiardo loquitur, saltem in editione prima hujus Operis, pag. 355. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Hariulphus Aldemburgensis* pag. 340. editionis ultimæ 1643. Lovanii in 4.

PETRVS TVDEBODVS, PRESBYTER 1100
SIVRACENSIS apud Pictones, natione Gallus, omnium primus scripsit circa hæc tempora *De itinere Hierosolymitano cui interfuerat*, illud describens à Concilio Claromontano anni 1096 usque ad diem 14. Augusti anni 1099. res gestas quinque annorum enarrans: à quo imposterum alii omnes, Anonymus, Robertus, Abbas S. Remigii Remensis, Guibertus Abbas beatæ Mariæ de Novigento, Baldricus Burguliensis Abbas, mutuati sunt. Impressum Opus cum aliis aliorum authorum *Descriptionibus bellorum atque expeditionum ad Terram Sanctam*, tomis in folio duobus Hanoviæ anno 1611. Wechelianis typis, curâ & studio Jacobi Bongarsii. Hunc male Italum natione & in Comitatu Boamundi Apuliæ Ducis natum credidit, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pag. 246. Quibus adde quæ habet Sandius in Observationibus ad Vossium *De Scriptoribus Latinis* pag. 346. 308. & 313. Vnde patet quomodo etiam *Gesta Dei per Francos*, item *Historia Orientalis*, item *Iter Hierosolymitanum* inscribatur hic liber paginis posterioribus loci modo allegati. Quod autem à Jacobo Bongarsio edita sint hæc *Gesta Dei per Francos*, jam supra diximus. Scriptor detectus est à Sandio pag. 308. & 313. Nam Sandii Notæ & Observationes in *Historicos Latinos* Vossii pag. 309. hæc habent. Authorem hunc primo loco edidit Jacobus Bongarsius in Opere Historiæ Orientalis cui *Gesta Dei per Francos* titulum dedit, & is quidem auctorem fuisse Italum suspicatur, quem utique in eo Vossius sequitur. Cæterum nec author anonymus nec Italus est, dictus enim *Petrus Tudebodus* Gallus, Sivriacensis nobilis in diœcesi Pictaviensi, qui ipse expeditionem Hierosolymitanam oculis suis usurpavit. Porro mutilam esse Bongarsianam editionem ex MS. Beslienis Advocati patet, allegato à Petro de Marca *Historia Benearni* lib. 5. §. 6. Sect. 1. & 2. Cap. 7. Sect. 6. & 7. Cap. 8. Sect. 9. Cap. 9. Sect. 1. 2. 3. 4. Alius titulus Operis est *De Itinere Hierosolymitano*, quatuor libris comprehenso. Illius quoque mentionem facit Andreas du Chesne his verbis. „Monsieur Besly Conseiller & Advocat du Roy, au Siege Royal de Fontenay le Comte en Poitou a un exemplaire de cette Histoire, escrit à la main, soub le nom de *PETRVS TVDEBODVS SIVRIACENSIS*, lequel est mesme beaucoup plus ample, que l'imprimè.“ Hæc sunt verba Andreæ Duchesnii in *Bibliotheca Historicorum & Topographorum Galliæ*, Gallicè scripta & edita parte 1. cap. 7. pag. 49. & 50. Jam igitur de Scriptore Operis, dubium nullum esse potest.

RAIMVNDVS DE AGILES, Canonicus 1100
Podiensis, Capellanus Comitis Tholosani seu Sancti Ægidii, qui etiam Episcopus Podiensis erat, cum Gallis cæteris, anno 1095. expeditio-

tioni in Orientem, sub prætextu pietatis ac recuperandorum Palestinæ sanctorum locorum, se accinxit. Cum in profectione Sacerdos nondum esset, in hoc sacro itinere ad Sacerdotium promotus est, petente hanc gratiam Pontio Baladunio viro nobili, qui Comiti Tholosano Episcopo Podiensi intimus erat. Huic militari expeditioni præsens in multis fuit, quin & aderat, cum lancea Dominica effuderetur, qui antequam tota è terrâ extracta esset, mucronem ejus seu cuspidem instinctu devotionis actus, osculatus est: quam & postea in prælio tulit atque gloriosus Christianè extulit, ut ipse narrat in eo Opere, quod inscribitur, *Historia Francorum qui ceperunt Hierusalem*. Agressus est hoc Opus ad instantiam Pontii Balonensis sive de Baladuno viri nobilis, cujus precibus ad Sacerdotium urgente itinere electus fuerat: quam Historiam Episcopo Vivariensi & aliis Transalpinis omnibus dicavit. Quam sincera fide in hoc Opere egerit, ex solemni ipsius execratione pag. 163. discere possumus. *Oro igitur & obsecro omnes* (inquit) *qui hæc audituri sunt, ut credant hæc ita fuisse. Quod si quicquam ego præter credita & visa studeo referre, vel odio alicujus apposui, apponat mihi Deus omnes inferni plagas & deleat me de libro vitæ*. Orditur ille narrationem suam à Comitis Tolosani in Sclavoniam ingressu, ac definit in Victoria Ammirati sive Ammiravisi Babylonici: ut quinquennii & ille Historiam complectatur, ad imitationem aliorum, de quibus jam diximus. Extat Opus istud tomo 1. *Historiæ Orientalis*, quæ inscribitur *Gesta Dei per Francos* pag. 139. Hujus meminit Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana*, quem *Raimundum de Podio* vocat, cujusque *Historia* in Bibliotheca Londinensi Regia extare dicitur. Gerardus Joannes Vossius *De Historicis Latinis* Lib. 3. c. 6. p. m. 704.

1100 GILBERTUS, WESTMONASTERIENSIS ABBAS, cognomento Crispinus, quia ex nobili tunc temporis Crispinorum familia originem duxerat, natione Gallus, ut videtur, patria Nortmannus, Monachus Ordinis Divi Benedicti in Monasterio Beccensi tunc temporis celeberrimo, ubi sub Sancto Anselmo, quem illic Magistrum habuit, sacris Theologiæ studiis animum applicuit. His cum apprimè esset eruditus, noscendi plura desiderio ardens, potiores Galliarum academias & scholas, ut insigniores in iis Magistros audiret, lustravit. Inde ulterius profectus Italiam quoque omnem excussit, Romamque præsertim: unde per Germaniam reversus harum regionum scholas celebriores quoque ad aliquod tempus invisit, ab annò circiter 1100. clarus ob scientiæ famam. Moguntiæ incidit in quendam Judæum, contra quem *Disputationem habuit doctissimam in forma Dialogi* conscriptam, *Disputatio Judæi & Christiani* appellatam, quam nuper ex variis manuscriptis Codicibus edidit Gabriel Gerberon, Monachus Ordinis divi Benedicti, Congregationis Sancti Mauri, inter Opera S. Anselmi, vel ad calcem Operum pag. 512. editionis Parisiensis anni 1679. apud Ludovicum Billaine in aula Palatii, cujus Prologum libri jam antea ediderat Joannes Picardus Coloniæ 1612. in Notis ad Lib. 2. Epistolam 16. Sancti Anselmi. Hic tamen *Dialogus Christiani & Judæi* qui certè ad Gilbertum hunc Abbatem Westmonasteriensem spectat, editus etiam post hanc Anselmi Operum impressionem notissimam, sub nomine *Guillelmi de Campellis Catalaunensis olim Episcopi*, qui eadem cum hoc Gilberto ætate vixit & in Galliis floruit, in *Maxima Sanctorum Patrum Bibliotheca* editionis ultimæ Lugdunensis anni 1677. apud Anissonios fratres, quam procuravit D. Philippus Despont Doctor Theologus, quem ob eruditionem & virtutem plurimum colimus. Hic amicus noster, seculo XII. hujus Bibliothecæ, Dialogum allegatum sub dicti *Guillelmi Campellensis* nomine inseruit: sed quem in cantus aliquis decepit, attribuens ex folius litteræ initialis G inscriptione *Guillelmo Campellensi*, quod *Gilberti Westmonasteriensis Abbatis* prope Londinum in Anglia, opus est. Inventum forsan Opus MS. in Catalaunensi vel Vrbe vel Episcopatu, potuit dare locum viro alicui, vel ingenio claris Guillelmi Campellensis dotibus occupato, ut opus istud sola initiali litterâ inscriptum, ipsi adscriberet. Ita sane scripseram in *Supplemento* De Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 370. in *Guill lmo Campellensi*: atque uti conjectabar, ita contigit. Impressum enim est Opusculum istud sub nomine *Guillelmi Campellensis*, post editionem factam specialem ex fide MS. Codicis olim Sancti Petri Catalaunensis, qui jam extat in Bibliotheca Claudii Jolii Canonici Beatæ Mariæ Parisiensis & Cantoris: ubi anonymum legitur ad calcem *Sententiarum Guillelmi de Campellis*, Episcopi postmodum Catalaunensis; unde ex conjectura, qui edidit, quod spectaret ad eundem Guillelmum, arbitratus est. Hanc Disputationem quam viva voce inter peregrinandum habuerat, postea quidem Abbas Westmonasteriensis in Anglia factus, in otio literis mandavit, quam in Dialogi formâ compositam Sancto Anselmo, quo hortante id laboris susceperat, nuncupavit. Composuit etiam *Vitam S. Herluini primi Abbatis & Fundatoris Abbatiæ Beccensis in Neustria*, quam ex MS. Codice edidit Lucas D'Acherius ad calcem Operum Lanfranci in folio Parisiis 1648. ut dicemus infra ad annum 1130. in *Milone Crispino*. Extat autem hæc Vita MS. Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti, Codice 41. num. 3. Scripsisse dicitur Opusculum *De Statu Ecclesiæ* MS. in Bibliotheca Cantabrigiæ publica, vel 247. Et in *Prologos Divi Hieronymi super Biblia*, MS. Cantabrigiæ in Collegio Domus Sancti Petri, Cod. 91. At Opusculum istud *De Statu Ecclesiæ* spectat ad Gillebertum Episcopum Lumicensem in Hibernia, ut dicemus ad annum 1110. in hoc ipso *Gilleberto Lumicensi Episcopo*, qui cum eadem

dem tempestate qua Westmonasteriensis Abbas ipsique coævus viveret, cum ipso facile confundi potuit. *Commentarius* quoque *in Prologos divi Hieronymi super Biblia*, attribuitur diserte in aliis MSS. Codicibus *Gilberto Londinensi postea Episcopo*, qui *Universalis* appellatus est, de quo nos postea dicemus. Ex Galliis porrò in Angliam cum Anselmo suo magistro trajecerat, quem anno 1093. Guillelmus Rufus ad sedem Cantuariensem Archiepiscopalem designaverat, cujus postea interventu Westmonasteriensis Abbas electus fuerat. Mortuus autem hic Abbas est anno 1117. vel ut Abbatum Westmonasteriensium Historia MS. habet, anno 1114. & in australi parte Claustri ad pedes Abbatis Vitalis sepultus est, die 6. Decembris. Hic caute distinguendus venit à multis aliis Gilbertis seu Gillebertis qui eodem seculo floruerunt & scripserunt: Gilleberto Lumicensi Episcopo in Hibernia, Gilberto Londoniensi Episcopo in Anglia, Gilberto Porretano Pictaviensi Episcopo, Gilberto Abbate Hoilandensi; qui omnes eodem seculo 12. scripserunt, & quorum Opera sæpe confunduntur. Alia hujusce *Gilberti* Opuscula memorant Joannes Balæus Cent 2. cap. 63. Joannes Pitseus ad annum 1117. quæ an alicubi adhuc delitescunt, mihi plane incompertum est, inquit Cavus.

1100 **S. ANSELMUS CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS**, anno 1093. à Guillelmo Rufo designatus, ab Episcopis qui tum aderant die 4. Decembris consecratus est, cum antea per annos quindecim Abbas Beccensis in Normannia constitutus, hanc Ecclesiam summa prudentia ac virtute administrasset. mortuus autem die 21. Aprilis anno 1109. ætatis suæ 76. Archiepiscopatus 19. Ex veteribus plures mentionem faciunt Opusculorum Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, sed maxima omnium cura & sollicitudine, Guilielmus Gemmeticensis Monachus, scriptor ejusdem temporis, nationis & ordinis, seu Monachalis instituti, *Historia Normannorum* lib. 6. cap. 19. pag. 264. his verbis.

„Decessit autem Lanfrancus venerabilis pater VII. Kalend. Septembr. LXXXIV. ætatis suæ anno, Monachatus vero XLIV, paucisque interpositis diebus, electus est Abbas Anselmus pro eo, qui tunc erat Prior ejusdem loci. Qui quantæ fuerit religionis, quantæque sapientiæ in Libro, qui de vita ejus scribitur, facile, qui eundem librum legerit, reperiet. Scripsit vero idem vir reverendus nonnulla digna memoriæ, quæ subter annectere curavimus. Dum adhuc prior esset in Beccensi cœnobio scripsit tres tractatus, primum *de veritate*, secundum *de libertate arbitrii*, tertium *de casu diaboli*. Scripsit & quartum, quem titulavit *de Grammatico*, in quo discipulo quem secum disceptantem introducit respondet, & multas Dialecticas quæstiones proponit & solvit. Fecit & libellum quintum, quem *Monologium* appellavit. Solus enim in eo & secum loquitur, & tacita omni ratione quærit & invenit, & quod vera fides de Deo sentit, invincibili ratione sic, nec aliter esse posse probat & adstruit. Composuit etiam librum sextum licet parvulum, sed sententiarum ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quem *Proslogium* nominavit. Alloquitur enim in eo Opere aut seipsum aut Deum. Scripsit & septimum *librum Epistolarum ad diversos*, diversis eorum negotiis respondens, vel ea quæ sua interetant procurare, mandans. Fecit & octavum *de Incarnatione Verbi*. Quod opus epistolari stylo conscriptum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Urbano dicavit, destinavit. Nonum librum edidit, quem *Cur Deus homo* appellavit. Decimum *de conceptu virginali*. Undecimum *de Orationibus ad diversos Sanctos*, quas plurimi *Meditationes* vocant. In quibus legentibus facile apparet, quanta dulcedo Supernorum mentem ejus repleverat. Duodecimum, qui & ultimus illi tractatus fuit, *de processione Spiritus Sancti*. Confutaverat enim Græcos in Barensi Concilio, negantes Spiritum Sanctum à Filio procedere. Unde sumpta materia, rogatu Hildeberti Cenomannorum Episcopi hunc librum composuit. De illius scriptis abunde Antonius Possevinus, tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus*. Bellarminus & Philippus Labbeus. Addo autem ipsius nuperam Operum *Sancti Anselmi* editionem, quæ castigatius multo quam antea impressa sunt in fol. Parisiis anno 1675. apud Ludovicum Billaine, cura & studio doctissimi viri Gabrielis Gerberon Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri: quam tamen secutus non est Guilelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo XI. ad annum 1093. pag. 627. licet eam alleget: Absque dubio quod in alla ta ultima editione, hic rigidus Operum S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi censor, plurima ab ipso Opuscula abstulerit, quod Cavo forsitan haud placuit. Aliæ tamen editiones in istius comparatione, ita eruditis viles ac neglectæ, ut præter ampliorum Anselmo Suppositorum Opusculorum intrusam multitudinem, nihil commendatione dignum habeant.

Hæc autem perfectissima omnium editio, ordine infra scripto procedit. Incipit per Præloquium quoddam eximium in *Omnia sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Opera*. Inde sequitur magna quædam & erudita *Censura* omnium S. Anselmi Operum in particulari, tam eorum quæ germana, quam quæ supposita sunt, ac aliorum quorundam Operum quæ innuissa in hanc editionem. Hinc compendiosa quædam Vita sancti Anselmi cum Epitaphiis, cum Indice omnium Operum, & Chronologia brevi Vitæ atque Opusculorum divi Anselmi, ab anno 1033. quo natus dicitur, ad annum 1109.

quo

quo mortuus est. Opera distincta in Dogmatica & Paraenetica sive Ascetica. Opera Dogmatica, quae censet indubia, sunt. *Monologium* pag. 1. *Proslogium* pag. 29. *Apologeticus pro Anselmo contra Gaunilonem respondentem pro insipiente*, pag. 37. *De fide Trinitatis & de Incarnatione Verbi contra blasphemias Roscelini*. 41. *De processione Spiritus Sancti contra Graecos*. 49. *De casu diaboli*. 62. *Libri duo, Cur Deus homo*. 74. *De conceptu Virginali & originali peccato*. 97. *Dialogus de Veritate*. 109. *Dialogus de libero arbitrio*. 117. *Tractatus de concordia praescientiae & praedestinationis, nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*. 123. *De tribus Valeranni quaestionibus, ac praesertim de azimo & fermentato*. 135. *De sacramentorum diversitate ad Waleranuum Episcopum*. 137. *Ad Waleranni querelas Responsio*. 139. *De Presbyteris concubinariis, sive Offendiculum Sacerdotum*. 140. *De nuptiis consanguineorum*. 141. *Dialogus de Grammatico*. 143. *Liber de voluntate Dei*. 151. Haec de Dogmaticis, quae parte prima continentur: secundae vero partis Paraenetica atque Ascetica continentis, haec sunt. *Homiliae sexdecim & exhortationes prolixae de variis argumentis* pag. 155. *Exhortatio ad contemptum temporalium & desiderium aeternorum*. 190. *Admonitio morienti & de peccatis suis nimium formidanti*. 194. *Carmen de contemptu mundi*. 195. *Liber Meditationum*. 202. *Collectaneum diversarum Orationum & precum*. 247. *Hymni & Psalterium de sancta Virgine Maria*. 303. Tertia autem pars Operum, *Epistolarum libri tres* pag. 311. *Aliarum nunquam hucusque editarum liber quartus*, pag. 427. Haec de Opusculis a Gerberone S. Anselmo attributis. Sequitur *Appendix Operum incertorum authorum, vel ad alios ab Anselmo Cantuariensi authores spectantium*. Elucidarium sive Dialogus summam totius Theologiae Christianae complectens, libris tribus, pag. 457. Dialogus Beatae Mariae & Anselmi de Passione Domini. 488. Liber de mensuratione Crucis, in illud *si quis vult venire post me* &c. pag. 494. Tractatus de conceptione beatae Mariae Virginis, ex MSS. Cluniacensi & Corbeiensi. 505. Passio Sanctorum Guineri, Fingaris, Pialae & sociorum, sub *S. Anselmi* nomine. 508. Disputatio Judaei cum Christiano, De fide Christiana, scripta à Domino Gisleberto Abbate Westmonasterii. 512. Annulus seu Dialogus Christiani & Judaei De fidei sacramentis, authore Ruperto Abbate Tuitiensi, juxta Coloniam. 524. Dicta quaedam utilia collecta ex dictis sancti Anselmi. 545. *O homo qui ex anima rationali* &c. Miraculum S. Jacobi *de milite quodam à Daemonibus liberato* pag. 547. Aliud Miraculum *de Peregrino resuscitato*, pag. 548. Tractatus de Pace & Concordia pag. 704. Supplementum Epistolarum decem, & Sermo Sancti Anselmi *De passione Domini*, post indicem rerum & verborum.

Fateor ergo hanc editionem esse omnium amplissimam & correctissimam, quae tamen meo judicio adhuc commodius ita imposterum distribueretur.

* *Epistolarum sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Libri tres*, pag. 311. itemque ejusdem *Epistolarum liber quartus*, pag. 427. Conjiciendum autem inter Epistolas ut olim factum fuerat, Opusculum *De tribus Waleranni quaestionibus, praesertim de Azimo & Fermentato*, pag. 135. cum *Epistola Waleranni* quae beato Anselmo argumentum scribendi praebuit, pag. 137. & *Responsione ad Waleranni querelas* pag. 139. quae est Epistola Sancti Anselmi ad Waleranuum. Nec enim istae Epistolae nomen libri merentur, nec affectatio ista multiplicandorum Opusculorum, illustrandis Patribus quicquam conducit, imo puerilis est. Habebantur autem hae tres Epistolae in anterioribus editionibus Libro. 1. num. 134. 135. 136. quibus restituendae sunt. Idem censeo faciendum esse de Opusculo inscripto *De nuptiis consanguineorum* pag. 141. quod est Epistola 158. libri tertii in editionibus anterioribus: quippe quae nomen Opusculi ob parvitatem suam non meretur, maxime cum Epistola tantum sit, ac censeri debeat. Ad Epistolarum seriem, addendae sunt Epistolae decem, quae inscribuntur *Supplementum sancti Anselmi Cantuariensis Episcopi*, & habentur in hac editione *post Indicem rerum ac verborum*. Aliae Epistolae IX. quas in lucem produxit Lucas Dacherius *Spicilegii* Tomo 3. pag. 121. & Tomo IX. pag. 116. & seqq. nisi cum allatis eaedem sint. Denique *Epistola VII. sancti Anselmi*, quae à Baluzio primum editae sunt, tomo IV. *Miscellaneorum* pag. 471. Epistola quoque Anselmi vitiata in editione Operum sancti Anselmi Parisiis 1675. Lib. 3. Epist. 47. pag. 384. restituitur ex Cod. MS. vetusto Bibliothecae Lambethanae, Tomo 2. *Angliae Sacrae* pag. 178 quam Londini in fol. curavit edendam tomis duobus Henricus Warthote apud Bichardum Chiswel annis 1689. & 1691. Epistolos autem omnes Anselmi quae conficiunt librum quartum pag. 427. habuit Gabriel Gerberon ex MS. Codice Bibliothecae Cottonianae sub effigie Claudii litera A. Codice XI. ex Catalogo MSS. Codicum Bibliothecae hujus anno 1696. Oxonii in fol. edito pag. 39 col. 1. fuit autem hic Codex olim Collegii de Maidestone, unde ad Joannem de Grandissono Episcopum Exoniensem pervenit, qui anno 1374. illum Archiepiscopis in futurum Cantuariensibus dedit, de quo late dicemus, in *Joanne Grandissono* ad annum MCCCL. postea. Alii Codices in eadem bibliotheca sub eadem effigie litera E. Codice 1. & sub effigie Neronis litera A. Codice 7. num. 3. Epistolarum Anselmi Liber, cum frater esset, & postquam factus fuit Abbas Beccensis.

Monologium pag. 1.

Proslogium pag. 29. Vide quae habet de Opusculis S. Anselmi, Guillelmus Gemmeticensis Monachus *Historia Normannorum* lib. 6. cap. 9. pag. 264.

Liber Apologeticus pro Anselmo contra Gaunilonem pro insipiente respondentem. 37.
Liber De fide Trinitatis & incarnatione Verbi contra blasphemias Roscelini. 41.
Liber de processione Spiritus Sancti contra Græcos 49.
Dialogus seu Opusculum De casu diaboli 62.
Libri duo, Cur Deus homo 74.
Liber De conceptu Virginali & Originali peccato 97.
Dialogus De veritate 109.
Dialogus De libero arbitrio 117.
Tractatus De concordia præscientiæ & prædestinationis, nec non gratiæ Dei cum libero arbitrio 123.

Opuscula De tribus Waleranni quæstionibus, ac præsertim de Azimo & fermentato, pag. 135. *Epistola Waleranni, qua B. Anselmo scribendi argumentum dedit.* 137. *Responsio ad Waleranni querelas, seu Epistola sancti Anselmi ad Walerannum.* 139. rejicienda sunt inter Epistolas, ut supra diximus.

Offendiculum Sacerdotum seu De Presbyteris concubinariis pag. 140. non est aliud quam excerptum ex Sancti Anselmi Epistola ad Guillelmum Abbatem quæ est 56. Libri primi, ut utrumque legenti fit evidens, faleturque in censura sua Gabriel Gerberon: quare proscribendum tanquam purum excerptum & assumendum. Quam falsò autem hic libellus adscribatur Honorio Augustodunensi in tomo 12. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Coloniensis, ex præfatis liquet.

Opusculum De nuptiis consanguineorum, inter Epistolas rejiciendum pariter, unde immerito avulsum est, ut supra diximus.

Dialogus De Grammatico pag. 143.
Tractatus de voluntate Dei 151.
Opusculum Meditationum devotarum & Orationum 202. Vide Guillelmum Gemmeticensem, loco supra citato.

Collectaneum variarum Orationum 244. & sequentibus, quarum tamen ordini aliquid addi potest. Post Orationem *ad Crucem Domini, de sancta Cruce & beata Virgine Maria & bono Latrone* pag. 275 adde aliam *Orationem de sancta cruce* quæ habetur pag. 659. incipiens, *Ave Crux gloriosissima* &c. collocata inter castigationes & emendationes. Item post Orationem 44. *de sancta Cruce* pag. 278. adde *Orationem De passione Domini*, incipientem *Domine Jesu Christe, pastor bone* &c. quæ habetur tanquam Supplementum post *Indicem Rerum & verborum* folio ultimo: facit enim etiam ad memoriam Crucis. Post Orationem 63. quæ est ad sanctum Petrum Apostolum pag. 289. adde *Orationem ad sanctum Paulum Apostolum*, quæ habetur pag. 298. extra ordinem suum. Post Orationem 66. ad sanctum Joannem Evangelistam *pro gemina Dei dilectione & proximi impetranda* pag. 291. adde *Orationem ad sanctam Mariam Magdalenam.* quæ habetur pag. 301. extra ordinem suum. Atque hoc modo congrue omnes istæ Orationes devotæ procedent.

Tractatus De pace & concordia pag. 704. *Necessarium valde est cum fratribus pacem habere & concordiam* &c.

Appendix Operum incertorum vel suppositorum.

Homiliæ & Exhortationes in varia Evangelii loca pag. 155. quæ Anselmi Laudunensis esse creduntur, nec in ullo MS. Exemplari Operum divi Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi comparent. Adde autem Homiliæ novæ in Evangelium, *Intravit Jesus in quoddam Castellum* &c. prologum qui legitur pag. 640. hujus editionis. Quamvis hæc Homilia prædicta unica, in multis MSS. Codicibus sub sancti Anselmi nomine legatur, ita tamen absurda est atque sibi parum cohærens, ut nullatenus talem virum præ se ferat: sed potius aut somniantem aut delirantem aliquem, qui nulla cum consequentia, vel ordine loquitur: ut non invitus fatetur Gabriel Gerberon.

Exhortatio ad contemptum temporalium & desiderium æternorum 190.
Carmen seu Poëma de contemptu mundi 195.
Hymnus & Psalterium de beata Virgine Maria 303.
Dialogus B. Mariæ & Anselmi de passione Domini 488.
Liber de Mensuratione Crucis, in illud *Si quis vult venire post me* &c. 494.
Tractatus de Conceptione beatæ Mariæ Virginis 505.
Miraculum de Conceptione beatæ ejusdem Virginis 507.
Passio Sanctorum Guineri, Fingaris, Pialæ & Sociorum 508.
Dicta quædam utilia Anselmi & Miracula interventu S. Jacobi Apostoli 545.
Admonitio morienti & de peccatis suis nimium formidanti 194.

Hæc autem incerta omnia, præmissis censuris quas graviter protulit Gabriel Gerberon in Præludiis ad suam hanc editionem, ita ut Opusculum quodvis suam censuram in fronte Opusculi habeat, ad cautelam semidoctorum & incautorum.

Excludi autem debent ab editione proxima, *Elucidarium* sive *Dialogus summam totius Theologiæ Christianæ complectens*, Libris tribus, pag. 457. Quia certo spectat ad Honorium Augustodunensem Presbyterum, de quibus ipse loquitur in libro *De Luminaribus Ecclesiæ*, ubi de scriptis suis agit. *Disputatio Judæi cum Christiano De fide Christiana* pag. 512. quæ est Gilberti Westmonasteriensis Abbatis. *Annulus seu Dialogus Christiani & Judæi De fidei sacramentis* pag. 524 quia spectat ad Rupertum Abbatem Tuitiensem. Hæc nos breviter ad editionem Operum S. Anselmi, commodiorem convenientiorique ordine imposterum faciendam.

AN-

1100 ANSELMVS LAVDVNENSIS ECCLESIÆ CANONICVS, ac postea Decanus, florebat anno 1100. sub finem hujus seculi undecimi. Iste enim Anselmus Laudunensis & frater ejus Radulphus duo habebantur clarissima Galliæ lumina, teste Saresberiensi, atque omnium ore & prædicatione celebrabantur. Vnde Guibertus Abbas de Novigento ita de Anselmo loquitur in præfatione ad Bartholomæum Laudunensem Episcopum: *Indidit tanto Deus capiti duos oculos syderibus clariores, dum à dextris habes Anselmum totius Latini orbis magisterio præclarum, cujus tam sincera est in Scripturarum ac fidei assertione severitas, ut plures viros suis probetur documentis fecisse Catholicos, quam instituisse potuerit erroneus quispiam temporis hujus Hæreticos: altrinsecus Radulfum* &c. & Lib. 3. De Vita sua. *Magister Anselmus vir totius Franciæ, imo totius Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis & tranquillis moribus.* Non ita tamen de *Anselmo* sentiebat Petrus Abaëlardus, qui hoc circiter tempore ad eum accedens, ut Theologiæ præceptis informaretur, quid de illo sentiret, ita in Epistola Calamitatum suarum exprimit. *Accessi ad hunc senem*, inquit, *cui magis longævus usus, quam ingenium vel memoria famam comparaverant, ad quem si quis de aliqua quæstione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quæstionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem, ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat.* Ita scribebat Abaëlardici ingenii ostentatio, cum sodalium contemptu, Præceptorum obtrectatione & sugillatione, quorum gloriam & famam imminuere & deprimere gloriebatur, eisque in omnibus, de quibus in Scholis contentio esse poterat, adversari. Anselmus hic anno 1112. opposuit se solus & contra Laudunenses Canonicos, electioni Gualdrici in Laudunensem Episcopum, velut hominis incapacis, qui juxta Synchronum Laudunensem Canonicum, *in litteratura nihil valens, omnino litteratos despectui habens, milites super omnes diligebat, protervus pariter & præsumptuosus.* Sic autem de ista Gualdrici electione Guibertus Abbas de Novigento testis oculatus, lib. 3. cap. 4. *Mortuo Ingelvano*, inquit, *cum biennio vacesset Ecclesia Laudunensis, tandem Gualdricum eligunt, quem Regis Anglorum referendarium, quem auro argentoque audierant opulentum. Antequam electionem, duo Ecclesiæ Archidiatoni per mutuas eligentium contentiones in cathedram fuerant erecti, Gualterus scilicet & Ebalus, sed Apostolicæ sedis judicio sunt ejecti. Spe igitur falsissima concordorum, electus ille prædictus à Clero, Ingelvano primum elaborante & cæteris malo suo adnitentibus. Rotomagi a Rege Anglorum de curia contra Canones expetitur, qui nequaquam hujus electionis incertus, quod sub nullius Ecclesiæ titulo erat, nec quemquam sacri ordinis præter Clericatum acceperat, factione egit, ut e vestigio Subdiaconus fieret, & Canonicum in Ecclesia Rotomagensi susciperet: cum hactenus sese omnino militariter habuisset. Cum igitur omnes assensum in ejus susceptione dedissent, solus Magister Anselmus, vir totius Franciæ, imo Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis & tranquillis moribus, ab ejus electione dissensit.* Aliquot post mensibus periit *Gualdricus*, trucemque populi in mactando Episcopo rabiem describit idem Guibertus cap. 8. Qui postquam explicuit qua fronte, quove furore Cives in eum Laudunenses irruerint, quomodo fuga saluti consulere conatus sit, & tandem in angiportu Clericalis claustri ante domum Godefridi Capellani substiterit, subjicit: Cum eis miserabilissime supplicaret, jurejurando ipsis adstruere volens, se nunquam deinceps ipsorum Episcopum futurum, infinitas eis pecunias præbiturum, de patria recessurum: omnesque contra obfirmatis animis insultarent, unus nomine Bernardus cognomento de Brucriis, elevata bipenni sacrum quamvis peccatoris verticem truculenter exterebrat. Qui cum laberetur inter tenentium manus, antequam decideret, ab altero sub ocularibus per medium ex transverso percussus, occubuit. Ibi pessundato & tibias conciderunt, & vulnera plurima indiderunt: Itaque exspoliatus ad nudum, in angulum ante Capellani sui domum projicitur. Deus meus, quis retexat, quot in jacentem à transeuntibus sunt ludibria jacta verborum, quot glaborum jactibus, quot saxis est corpus oppressum? Hæc rabies, hæc Episcopi indigni funesta mors, quæ inimicos etiam ad commiserationem movit, inter cæteros Magistrum Anselmum Laudunensem, qui medias inter furentium turbas, eum ad sepulturam extulit. Rem quoque istam idem Guibertus describit cap. 10 ad Anselmi Laudunensis commendationem, postquam fuse funestum Ecclesiæ, ornamentorum, Palatii, aliorumque templorum incendium prolocutus est. « In crastino (inquit) quoniam nemo erat pene, qui jacens Episcopi cadaver sine jactu aut probro seu meledicto præteriret, de sepultura vero nullus cogitaret: Magister Anselmus ad tragœdiæ hujus authores preces fudit, ut hominem vel qui Episcopi nomen & insigne habuerat, finerent quoque humari. Vix annuunt. Quia ergo nudus ad terram canina quadam vilitate à vespertinis feriæ quintæ horis, tertiam crastinæ dici horam usque jacuerat, jubetur tandem a Magistro levari, & Salbano superjecti ad sanctum Vincentium deportari. Delatus ad Ecclesiam nihil prorsus officii, non dico quod Episcopo, sed quod Christiano competeret, in exequiis habuit. Paulo ante in eadem Ecclesia occisus fuerat Gerardus de Siriciaco Princeps & Castellanus Laudunensis, ejusque sanguine respersum fuerat pavimentum: & tunc *Magister Anselmus Laudunensis Ecclesiæ Decanus, vir scientia celeberrimus, quibusdam secrete*

„colloquiis pronuntiasse fertur, illam sanguinis effu„sionem nonnisi ejusdem Ecclesiæ concrematione di„luendam esse: cum tantum scelus non aqua, sed po„tius igne esset expiandum.„ Qund & contigit „haud ita multo post.„ Hæc de Vita & humanitate Anselmi Laudunensis Ecclesiæ Decani & ornamenti.

Scripsit multa, de quibus loquuntur, sed minus recte, Bellarminus ad annum 1077. quo jam florebat, & Labbeus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *Anselmus Landunensis*. Attribuunt illi *Glossam ordinariam*, de qua dubibium nullum est. Item *Commentarium in Evangelium Divi Matthæi*, quod habetur impressum in editionibus antiquis Operum Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, Coloniæ anno 1573. apud Maternum Cholinum, & sequentibus omnibus editionibus, usque ad eam quam Lugduni procuravit Theophilus Raynandus in fol. anno 1630. extraneis in Scripturam sacram Commentariis expurgatam. Habetur tom. 1. incipitque *Liber generationis &c. In ipso exordio satis ostendit, quod de humanitate Christi sit acturus* &c. At hic Commentarius non sapit stylum vel genium seculi XII nascentis, quo florebat Anselmus Laudunensis: unde alii volunt, hunc Commentarium in Matthæum inter Anselmi Opera impressum, spectare ad Petrum Babionem Anglum, qui florebat anno 1360. teste Possevino tomo 2. *Apparatus sacri* pag. mihi 240. Hoc autem noscere & experiri quisquam facile poterit, si voluerit, nam indubius Petri Babyonis Commentarius cum proprio authoris nomine, habetur MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4123 qui incipit: *Dominus ac Redemptor noster ad commendationem Evangelicæ fidei, Evangelium voluit, non solum omnibus prædicari* &c. Quomodo incipit Prologus dicti Commentarii quem edidit Theophilus Raynandus, in editione sua Operum divi Anselmi. Alii volunt hunc Commentarium spectare ad Guillelmum de Arvernia Parisiensem Episcopum, de quo nos infra dicemus ad annum 1240. Verus autem Commentarius *Anselmi Laudunensis* in Matthæum, habetur in eadem Bibliotheca Regia Cod. 3819. incipiens, *Evangelium Græce, Latine bonum nuntium interpretatur* &c. Inscribitur ex ignorantia exscriptoris, *Magistri Anselmi de Montelaonis Remensis Archiepiscopi:* ubi legendum *De Montelaonis*, vel *De monte Lauduno*, ut latine loquemur, qui nunquam Remensis Archiepiscopus fuit.

Eidem attribuuntur *Homiliæ Sexdecim in nonnulla loca Evangeliorum*, quæ etiam habentur ibidem inter *Operas. Anselmi Cantuariensis Episcopi*, Veterum editionum & novæ etiam Parisiensis anni 1675. apud Ludovicum Billaine, cura & studio Gabrielis Gerberon, Monachi Benedictini.

Item Commentarius in Cantica Canticorum, in citata antiqua editinne Operum divi Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, tomo 1. fol. 184. cujus initium, *In initiis librorum causæ dicendæ sunt, quomodo vel quare compositus sit liber iste* &c.

Denique *Commentarius in Apocalypsim* ibidem tomo 2. fol. 583. cujus initium, *Deus & Dominus Pater prævidens persecutiones, quas* &c. Habetur quoque eum expresso nomine *Anselmi Landunensis* in Bibliotheca Colbertina Cod. 5117. & anonymus in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 4513. fol. 52. post Opus Hugonis de Miramars, Carthusiani Montis Rivi. Hæc de scriptis.

Obiit anno 1117. celeberrimus ille Scholæ magister *Anselmus* Canonicus Ecclesiæ Laudunensis & Decanus, tum multorum discipulorum undequaque ad se convolantium doctor eximius, sepultusque est Lauduni in Ecclesia Sancti Vincentii extra Urbem. Illum autem in serie Decanorum primum collocat Lucas Dacherius in Notis ad Guibertum Abbatem de Novigento. Docuit Lutetiæ primum, & Lauduni postea per quadragiota & amplius annos, unde eum collocat Bellarminus ad annum 1077. in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, qui & ad meotem usque Theologiam publice professus est. Inter alios verò Lectionum suarum auditores, habuit hosce viros insignes & Magistros, Guillelmum Campellensem, qui & ipse Magisterii dignitate & munere perfunctus, ad Catalaunensem Episcopatum promotus est. Idem Anselmus ultimis Vitæ suæ temporibus discipulos habuit Petrum Abaëlardum, Albericum Rhauensem, qui Bituricensis postea Archiepiscopus fuit; Lothulfum Novariensem, Gaufridum Britonem, qui anno 1111. Rothomagensi Archiepiscopatui præfectus est; Philippum postea factum Ordinis Præmonstratensis Canonicum, & Bonæ Spei in Hannonia Abbatem; Radulphum & Guillelmum, qui in Cantuariensi sede sibi invicem successerunt. De Guillelmo Cantuariensi ita scribit Hermannus Monachus qui Ecclesiæ Laudunensis combustæ instaurationem describit. *Nos itaque assumpto Domina nostra Pheretro atque reliquiis, Cantuariam venimus, ubi tunc erat Archiepiscopus D. Willelmus nobis notissimus: quoniam jamdudum pro audienda lectione Magistri Anselmi Laudunensis petens, multis diebus in Episcopi domo manserat, ibique filios Radulfi Cancellarii Regis Anglorum docuerat.* Iste nempe Guillelmus de Corbolio, natione Gallus, cognominatus de Chiche, anno 1123. ab Henrico I. Angliæ Rege Archiepiscopatu Cantuariensi donatus, præceptor fuerat filiorum Radulfi ejusdem Regis Cancellarii, viri in regno Anglicano potentissimi: qui ut scribit Joannes Brompton, viginti annis infirmitate decoctus, in Curia nihilominus, ad omnia scelera juvene promptior erat, innocentes opprimens, & multas sibi terras diripiens. Cautè porrò distinguendus *Anselmus Landunensis Decanus* ab aliis duobus Anselmis Laudunensibus, eodem tempore viventibus, quorum *alter & primus* cog-

cognomento *Becffus*, unus e Thesaurariis Ecclesiæ Laudunensis, qui sub prætextu probitatis & pietatis, deceptis diu Canonicis, non exiguam gemmarum partem quibus sacræ Cruces diebus solemnioribus ornabantur, furatus, aurificibus tradidit & vendidit. Qua de re scribit author ille, qui Laudunensis Ecclesiæ instaurationem describit, *Magistrique Anselmi* Decani de Anselmo ista ferre judicium his verbis refert. *Protinus ergo Generalis conventus Canonicorum & Civium convocatur, quid opus sit facto discutitur: & præ omnibus Magister Anselmus tunc temporis totius orbis lucerna consulitur. Ille ut divinæ legis peritissimus, continuò Josue replicat Historiam, quomodo scilicet furtum in ferno nullo sciente factum, Dominus jusserit forte perquiri: primò per Tribus, deinde per familias, ac domos, ad ultimum sigillatim per viros. Instar hujus tam subtilis perquisitionis, consulit Magister Anselmus, ut tanti facinoris author judicio aquæ perquireretur, ac singulis Vrbis Parochiis unus infans Innocens in vase aqua benedicta repleto poneretur: & quacunque parochia fortè culpabilis reperiretur, de singulis domibus ejusdem Parochiæ unus infans in vase aqua poneretur: & quacunque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel fœminæ ad eam pertinentes, judicio aquæ se purgare cogerentur.* Posterior denique Anselmus fuit Abbas S. Vincentii Laudunensis, ex Monasterio Sancti Medardi Suessionensis anno 1131. cooptatus, cum religiose, docte ac prudenter Monasterium suum annos plus minus septemdecim rexisset, atque (ut inquit Laudunensis Scriptor) pro utilitate ejusdem Cœnobii Romam profectus fuisset: demum *à Clericis Tornacensibus ibi repertus, in Episcopum electus est, & à Domino Papa Eugenio invitus & reluctans, obedientiæ vinculo constrictus, Pontifex consecratus est: sicque per eum Tornacensis Ecclesia antiqua dignitati restituta, anno ab Incarnatione Domini 1145.* Hæc paullò latius de Anselmi Laudunensis doctrinâ, virtute, aliisque dotibus, quem primum seculo XI. illabente ac XII. inchoante, sacras in Galliis litteras excitasse, Scholas Theologicas aperuisse, narrant Scriptores antiqui omnes. Plura de illo tanquam Theologorum principe conveniebat dicere, de quo Bellarminus & Labbeus locis supra citatis. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro* tom. 1. pag. seu fol. 86. Et quem paucis additis vel mutatis huc transcripsimus, ordine tamen ad nostrum institutum convenientiori, Cæsar Egassius Bullæus seculo IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis*, ad annum 1101. fol. 9. ad ann. 1112. fol. 35. denique ad annum 1116. fol. 46. & 47.

1100 REGINALDVS CANTVARIENSIS ECCLESIÆ MONACHVS claruit ætate S. Anselmi Canturiensis Archiepiscopi, ad quem literas frequentes scripsit, anno circiter 1098. quo in oras exteras exul abiit, Lugdunumque Galliæ, tum Romam profectus est ab Vrbano Pontifice accitus, atque ingenti honore exceptus. Hic nomen suum posteris, scriptione Opusculorum quorundam mandavit, quæ in Anglicanis adhuc MSS. extant bibliothecis. Commisit Literis *Vitam Malchi Cantuariensis Ecclesiæ Monachi* ejusdem ætatis, quæ MS. in Bodlejana bibliotheca, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum Codice 1429. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis Archiepiscopi, litera K. Codice 1. Num. 1. *Reginaldus Monachus Cantuariensis De Vita Malchi Monachi, carmine Metrico.* Num. 2. *Malchus Monachus Sancti Augustini, de multis & diversis Patriarcharum operibus.* Et in Cottoniana bibliotheca sub effigie Vespasiani litera E. Codice 3. num. 12. *Reginaldus Monachus S. Augustini Cantuariensis de Vita Sancti Malchi, versibus rythmicis.* Num. 13. *Ejusdem versus rythmici multiplicis argumenti*, inter quos sunt aliqui ad Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem tunc peregrinantem: unde de tempore, quo iste Poëta floruit, facile constare poterit. Num. 14. *Hildeberti Cenomanensis Episcopi, ad Reginaldum Epistola.* Claruit ergo post annum 1090. circa 1100. cujus mentionem facit Thomas Smithus in Catalogo Bodlejanæ Bibliothecæ, quem anno 1696. Oxonii in folio ex theatro Sheldoniano edidit, pag. 116. col. 2. Auctores Catalogi MSS. Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ, ibidem in folio anno 1598. impressi, Codice MS. 1429. pag. 71. columna 1.

STEPHANVS SANCTI JACOBI LEODIENSIS ABBAS, circa annum 1100. floruit, 1100
extremis Henrici IV. ac primis Henrici V. temporibus. Circa hæc tempora composuit *Vitam Sancti Modoaldi Treverensis Archiepiscopi libris tribus*, quos obtulit Thietmaro Monasterii Helmovardiensis Abbati, quam refert Laurentius Surius, ad diem 12. Maji, & Socii Bollandistæ tomo 3. ejusdem Mensis ad eandem diem, p. 51. Crassus autem est error Antonii Possevini, in temporibus hujus Stephani assignandis, quem ad annum DCCXL. refert. Fortasse imposuerunt illi hæc Præfationis verba, *Adorsi sumus authore Deo enarrare, quæ de Vita & Miraculis beati Modoaldi Pontificis, tam ex antiquorum relatione, quam ex antiquorum librorum lectione, colligere potuimus.* Ita enim qui loquitur, innuere videtur, nonnulla se accepisse à senibus, qui si Modoaldum non vidissent ipsi, saltem aliquando sermonem habuerint cum iis, qui Modoaldi ætate vixissent. Sed hoc argumentum nemini fucum fecerit, qui viderit in ipso libro cap. 10. 11. 12. agi de Carolo Magno, Ludovico Pio & Clotario Imperatoribus: atque adeo ibidem legerit cap. 13. post hos fuisse complures tum Carolos tum Pipinos, tum Clotarios & Ludovicos: alios quidem Reges, alios autem Imperatores. Sed quid multis opus? Nihil manifestius arguit Stephani ætatem, quam quod Thietmaro æqualis fuerit, qui anno 1107. Translationem corporis Sancti Modoaldi procuravit. Huic autem Stephano idem Thietmarus ejus ne-

nominis secundus, numero autem sextus & fratres Helmovaudienses, in gratiarum actionem obtulerunt Tractatum eodem circiter tempore factum *De Translatione corporis ejusdem Sancti Modoaldi*, quem ibidem habes apud Bollandistas pag. 61. anno 1107. sub eodem Thietmaro celebratam. Plura de hoc Stephano Surius & Bollandistæ in Præludiis ad *Vitam Sancti Modoaldi Episcopi*, ad diem 12. Maji. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 369. Caute autem hic distinguendus ab altero Stephano Abbate primum Laubiensi, tum anno 903. Episcopo Leodiensi, qui scripsit *Vitam & Passionem S. Lamberti Episcopi & Martyris*, obiitque anno 920. die XIV. Calendas Junii, de quo Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ*, ad annum 903. pag. 576. Et post Sigebertum in Libro *De Viris illustribus* cap. 126. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 39. pag. 318. Valerius quoque Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 816. editionis 1643. Lovanii in 4.

1100 SIGEBERTUS GEMBLACENSIS IN BRABANTIA Ordinis Divi Benedicti Monachus ab anno 1080. & 1090. claruisse videtur, qui e Gemblaco tantum Diaconus, ob eruditionem missus est Metim ad studia reparanda quæ illic pessum iverant. Scripsit *Chronicon* quod ab anno CCCLXXXI. incipit, quo post Valcutis mortem, Valentinianus minor & Gratianus Imperare cœperunt, non quidem usque ad annum M C XXXI. uti Raphael Volaterranus initio Libri XXII. *Commentariorum Urbanorum* ait, sed usque ad annum M C XII, quo mortuus dicitur. Hujus MSS. Codd. plurimi in Bibliothecis, quorum multis ab Auberto Miræo collatis, idem Miræus *Chronici Sigebertani* editionem novam, Antverpiæ typis Verdussii anno 1608. dedit. In qua MSS. Codices, Sigebertum continuat Anselmus Abbas Gemblacensis usque ad annum M C XXXVI. Hinc Auctarium Aquicinctinum usque ad annum MCCXXV. producit. Edidit quoque Sigebertus librum *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem idem Miræus cum *Scriptoribus sex aliis* de eodem argumento tractantibus edendum curavit hoc titulo *Auberti Miræi Bibliotheca Ecclesiastica, sive Nomenclatores Scriptorum septem Veteres*, Antverpiæ 1639. in folio. In capite autem hujus extremo, alia recenset quæ olim scripsit his verbis.

„Scripsi Vitam Theoderici (Medio matricum) Episcopi, conditoris ipsius (Sancti Vincentii, in qua tunc degebat) Ecclesiæ & Abbatiæ, in qua etiam per digressionem, laudem ipsius urbis (Metensis) heroico metro declamavi. Scripsi Passionem Sanctæ Luciæ, quæ ibi requiescit, Alcaico metro. Quibusdam etiam reprehendentibus illam Sanctæ Luciæ prophetiam, Annuntio vobis pacem Ecclesiæ Dei datam, Diocletiano ejecto de regno suo, & Maximiano hodie mortuo: respondi, diligenter considerata temporum ratione, & rerum veritate. Scripsi nihilominus sermonem in laudem ipsius Virginis, in quo translationis ipsius à Sicilia in Corfinium civitatem Italiæ, & à Corfinio in Metim urbem Galliæ, ordinata temporum consequentia digessi. Scripsi Vitam Sigeberti Regis, conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ Sancti Martini extra civitatem Metensem sitæ. Hæc de Opusculis ejus, dum Metis in Cœnobio S. Vincentii resedit. Regressus ad Monasterium Gemblacense, scripsi Passionem Thebæorum, patronorum nostrorum, Heroico carmine. Scripsi Vitam Sancti Guiberti Confessoris, fundatoris Ecclesiæ nostræ Gemblacensis, de qua excerpsi lectiones competenti ordine, in ejus depositione. Scripsi & Gesta Abbatum Gemblacensium. Vitas Sanctorum Maclovii & Theodardi, urbanioti stylo melioravi. Vitam quoque Sancti Lantberti urbane melioravi." Hæc de Opusculis suis Sigebertus, de quibus jam sigillatim dicamus.

Vitam Theodorici I. Metensis Episcopi scriptam à Sigeberto Levita Sancti Vincentii edidit Godefridus Guilielmus Leibnizius inter *Scriptores rerum Brunswicensium illustrationi inservientes* à pag. 293. ad 313. impressos in folio anno 1707. Hanoveræ sumptibus Nicolai Foersteri, de qua idem Leibnizius in *Introductione* ad Scriptores istos prævia paragr. seu Cap. 26. Ubi eum ex stirpe Witikindæa Saxonica ortum esse asserit. *Sermo in laudem Sanctæ Luciæ Virginis* MS. Gemblaci.

Vitam S. Sigeberti Regis, conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ Sancti Martini extra civitatem Metensem sitæ habet Surius ad diem 7. Februarii.

Passio SS. Martyrum Thebæorum, opus 3. libris constans MS. Gemblaci superest.

Vita Sancti Guiberti Confessoris apud Surium Tomo 3. ad diem 22. Maji.

Vita Sancti Maclovii illa quam meliorasse Sigebertus dicitur, apud Surium Tomo 6. die 15. Novembris.

Vitam quoque Sancti Lamberti melioratam superesse volunt MS. indeque fortasse Appendix illa ad Vitam Lantberti à Stephano exaratam, quæ apud Surium Tomo 5. ad diem 17. Septembris.

Testatur verbis modo allatis Sigebertus se scripsisse *Gesta Abbatum Gemblacensium*. Extant autem *Gesta Abbatum Gemblacensium Ordinis divi Benedicti, Namurcensis diœceseos, quibus plura Historica tum Ecclesiastica tum secularia intermiscentur* ab anno 922. ad 1013. authore Monacho ejusdem Cœnobii, quæ ad Sigebertum spectare creduntur: Tomo 6. *Spicilegii* Dacheriani pag. 505. & sequentibus, quod Parisiis ab anno 1648. & seqq. Tomis XIII. in 4. impressum fuit. Gerardus autem Joannes Vossius Lib. 2. cap. 48. pag. 396. vult illum scripsisse *Gesta Abbatum Gemblacensium*, quæ Discipulus *Sigeberti continuavit usque ad annum M CCXXXVI.*

Agunt

Agunt de Opuſculis Sigeberti Anonymus author Magni Chronici Belgici ad annum MCXIV. Gerardus Joannes Voſſius, Libro 2. *De Scriptoribus Latinis* cap. 48. pag. 395. quem in multis exſcripſimus, ſed erroribus quos admiſit emendatis.

1100 MARBODUS RHEDONENSIS IN ARMORICA EPISCOPUS, natione Gallus, patriâ Cenomanenſis, vel ut aliis placet Andegavenſis, lapſu temporum Canonicus, Scholaſticus & Archidiaconus Andegavi factus eſt: atque huic merito doctrinæ & pietatis, ad Epiſcopatum Rhedonenſem in Britannia evectus, quem ab anno 1096. quo Concilio tunc Turonenſi interfuit, usque ad annum 1120. quo conſecrationi Cathedralis Eccleſiæ Cenomanenſis cum aliis Epiſcopis, ad petitionem Hildeberti hujus Eccleſiæ Præſulis adfuit floruiſſe cenſeo. Verum ſenio fractus & oculis orbatus, anno 1123 ob infirmitatem hanc Epiſcopatui cedens, Monachus pauper & cœcus in Monaſterio Sancti Albini Andegavenſis factus eſt. Scripſit ut teſtatur Sigebertus in libro *De viris illuſtribus* cap. 158. *Commentariorum in Cantica Canticorum*, quem an adhuc extet vel alicubi impreſſus ſit, prorſus neſcio: nec enim comparet in editione alia Bibliothecæ Veterum Patrum, nec in ullo alio Scriptorum Collectaneo, quod viderim. Item inter MSS. Codices noſtræ bibliothecæ Lugduno-Batavæ, in MSS. Codicibus Bonaventuræ Vulcanii Codice 19. *Marbodi veteris Poetæ Carmen de ornamentis verborum*. Item ejusdem *De gemmis Poëma*, quod hodie impreſſum extat. Ex Catalogo impreſſo hujus bibliothecæ, anno 1674. Lugduni-Batavorum in 4. in MSS. Codicibus pag. 414. Num. 19. Idem *Agonem Sancti Laurentii Martyris Carmine* expreſſit, quem Surius habet in *Probatis Sanctorum Vitis* ad diem 10. Auguſti. Vitam S. Roberti Abbatis Caſæ Dei, Ordinis S. Benedicti in Gallia, duobus libris, quam habent Continuatores Bollandiſtæ ad diem 24. Aprilis tomo 3. pag. 316. & ſequentibus. Item *Vitam Sancti Licinii Andegavenſis Epiſcopi*, quam legis apud Joannem Bollandum, ad diem 13 Februarii. Addo *Vitam Sancti Gualteris Abbatis & Canonici Stirpenſis*, quam habent Bollandiſtæ ad diem XI. Maji tomo 2. pag. ſeu fol. 701. & ſequentibus. Scribunt iidem ſocii Bollandi habere ſe membraneum MS. Codicem, in quo continentur *Vitæ aliquot Sanctorum* a Marbodo Archidiacono Andegavenſi conſcriptæ: ergo ante an. 1096. quo Redonenſis Epiſcopus is creatus eſt, illas educent ſuis temporibus ac diebus, ut pollicentur tomo 2. Maji fol. 701, citato. Promittunt autem *Vitam Sancti Florentii Martyris ad diem 22. Septembris. Vitam quoque Sancti Magnobaldi Andegavenſis Epiſcopi, ad diem 16. Octobris. Paſſionem Sanctorum Felicis & Adaucti, ad diem 20. Auguſti.* Adduntur in eodem MS. Codice varia ejusdem Poëmata, quorum aliqua indicantur à Sigeberto *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* c. 158. Hic Codex valde antiquus eſt, ut videatur aut tempore Marbodi & forſan ejus curâ diligenter exaratus, aut ſaltem non diu poſt ejus obitum. Ita Socii Bollandiſtæ. Ex hoc MS. Codice Godefridus Henſchenius, ut opinor, edidit *Vitam S. Theophili Pœnitentis auctore Marbodo Redonenſi Epiſcopo*, in Actis Sanctorum Tomo 1. ad diem 4. Februarii carmine expreſſam, pag. 487. & ſequentibus, de qua in Præludiis ad hoc opus pag. 482. §. ſeu Num. 8. ſic. „Eſt nobis pervetuſtus Codex MS. in quo varia carmine Heroico" hæc continentur, & quidem ordine iſto: *Paſſio S. Laurentii. Vita Sancti Alexii, Pœnitentia Vicedomini per Genitricem Dei mirabiliter ſalvati. Paſſio SS. Thebæorum Martyrum, Poema de Gemmis. Excerptum de Scriptis Solini &c.*" Nullus auctor apponitur, ſed opinamur *Marbodum* ex Archidiacono Andegavenſi *Epiſcopum Redonenſem* anno MXCVI. in Concilio Turonenſi, tum menſe Martio ad tertiam Quadrageſimæ hebdomadam habita, ab Urbano II. Pontifice Romano creatum. Eum Sixtus Senenſis libro 4. *Bibliotheca Sancta* appellat *Poëtam ſuorum temporum eximium, & ſacrorum eloquiorum profeſſorem inſignem:* à cujus illuſtri calamo plures Sanctorum Vitas daturi ſumus, etiam ſolutâ oratione deductas. Inter Poëmata jam recitata, *paſſionis S. Laurentii & paſſionis Thebæorum* auctorem agnoſcit hunc *Marbodum* Sigebertus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 158. Eumque ſecuti Trithemius Poſſevinus, Voſſius, Pitſeus & alii. *Poëma de Gemmis & Lapidibus* auctore *Marbodo ſeu Marbodeo* (ita nomen variè ſcribitur) ſæpius excuſum eſſe tradit in *Bibliotheca* Geſnerus, citarique aliquando à Vincentio & Alberto, aliisque hujuſcemodi auctoribus *Litiarii* vel *Lapidarii*, interdum etiam *Evancxis* nomine: non quod *Evanx* fuerit cognominatus, ut aſſerunt Baleus, Pitſeus aliique, ſed ob exordium hujus Poematis, quod tale eſt

Evax Rex Arabum legitur ſcripſiſſe Neroni.

Tum poſt verſus viginti & octo, ſequitur ab illis citatum initium

Annulus ut gemmam digitis aptandus habetur.

Ejusdem *Marbodi* interpoſita Poëmata *de vita S. Alexii & Pœnitentia Sancti Theophili* conjicimus eſſe: illud daturi XVII. Julii, hoc reliquis Actis S. Theophili addimus, ob ſententiarum gravitatem & verborum pondera, luce publicâ dignum. Plura de Marbodo dicentur XIII. Februarii ad Vitam *S. Licinii Epiſcopi Andegavenſis*, quam agnoſcit ſe *Archidiaconum Eccleſiæ Andegavenſis* ſcripſiſſe, quo etiam tempore aut etiam prius, cum junior eſſet, hæc aliaque poëmata ab eo arbitramur elaborata. Hæc Godefridus Henſchenius in Præludiis ad *Acta Theophili Pœnitentis* Tomo 1. ad diem Februarii IV. pag. 482. num. 8. Atque ut idem Sigebertus loco citato, *ſcripſit & Metricè Paſſionem Thebæorum, quaſi pedibus vadens in ſententiam Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, qui eam urbanâ proſa ſcripſerat ad Sylvium Epiſcopum.* Extat Opuſculum inter MSS. Codices Cottonianæ Biblio-

thecæ sub effigie Titi litera D. Codice 24. N. 4. de quo Catalogus impressus pag. 131. columna 1. Ibidem n. 5. *Passio S. Laurentii Martyris, versibus Rythmicis*. Item *Epistolas aliquot*, inter quas una in Epistolis Hildeberti Cenomanensis Episcopi n. 8. ad *Rainaldum Audegavensem Episcopum*. Altera Marbodi Epistola ad *Hildebertum Cenomanensem Episcopum*, edita tomo XIII. *Spicilegii Acheriani*, pag. 295. respondens illi qui consuluerat, de viro à quo debitum conjugale uxor postulabat, licet ipse votum Monasticæ vitæ de consensu ejus emisisset. Tertia demum sub ejus nomine circumfertur ad *Robertum de Arbrisello*, qua portentolis eum accusat criminibus, quam habet Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo XII. tomo seu parte 2. Dissertatione V. pag. 629. Idem scripsit *Tractatum De gemmarum lapidumque pretiosorum formis, natura & viribus*, impressum Coloniæ anno 1539. cum Notis Alardi Amstelodamensis & Georgii Pictorii Villigensis. Item *Dactylotheca* hæc cum Scholiis G. Pictorii impressa Basileæ anno 1555. in 8. In Bibliotheca Cottoniana sub effigie Claudii littera A. Codice 7. num. 4. extat MS. *Marbodi Episcopi ad ancillam Christi dictam Agenoridem Epistola paranetica*. Et sub effigie Vitellii litera A. Codice 12. num. 22. *Marbodi versus de laude castitatis, & de dissuasione mundanæ cupiditatis*. Obiit Marbodus paullo post susceptum Monasticum schema, anno 1123. die 2. Septembris.

De quo Miræus in Scholio ad Caput 158. Sigeberti *De Viris illustribus*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 44. pag. mihi 372. Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Redonensibus, ubi plura in ejus laudem. Natalis Alexander Seculo XII. citato, parte 1. cap. 6. pag. 458. Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, seculo sexto, parte 2. pag. 183. editionis Parisiensis anni 1701. tomis duobus in folio.

De Operibus Marbodi & Hildeberti Cenomanensis Episcopi.

Venerabilis Hildeberti, Cenomanensis primum Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi Opera omnia, tam jam edita quam in MSS. latentia, summo labore ac diligentia incredibili collegit D. Antonius Beaugendre, Presbyter Monachus Ordinis S. Benedicti ex Congregatione S. Mauri in Gallia quibus adjunxit non industria minore Marbodi Redonensis Epi. ipsius Hildeberti Supparis Opuscula omnia ex Bibliothecis Galliarum potioribus quæ MSS. Codd. abundant collecta atque Notis illustrata, edidit Parisiis in fol. anno 1708. Laurentius le Conte ad Ripam Sequanæ Augustinianam sub signo urbis Montis-Pessulani.

Admonitione autem ad editionem Opusculorum Marbodi novam præmissa col. 1378. eruditissimâ, Opuscula ipsius hoc ordine recenset.

Marbodi Redonensis Episcopi sex Epistolæ ex editione Redonensi anni 1514. antiqua & rudi, col. 1388.

Vita S. Licinii Andegavensis Episcopi, ex editione J. Bollandi ad diem 13. Februarii col. 1417.

Vita S. Roberti Abbatis Casæ Dei, ex Tomo 6. Actorum de SS. Ord. D. Benedicti col. 1433.

Vita Sancti Magnobodi ab Anonymo scripta, col. 1463.

Altera Vita S. Magnobodi à Marbodo ipso conscripta col. 1489.

Commentarius in Cantica Canticorum à Marbodo editus, ex MS. Codice Bibliothecæ Jesuitarum Claromontanæ Parisiis Societatis Jesu, quem utpote tardius acceptum, post indicem Operum Marbodi, editor Benedictinus adjecit, ne huic editioni deesset.

Historia Theophili metrica, quam ex Joanne Bollando in Probatis S S. Vitis ad diem 1. Februarii accepisse confitetur Benedictinus editor, col. 1507.

Certamina septem fratrum Machabæorum col. 1517.

De Sancto Laurentio Poema col. 1520.

Passio Sancti Victoris carmine, ex MS. Codice desumpta col. 1527.

Passio Sancti Mauritii & Sociorum col. 1535.

Passio Sanctæ Thaisidis col. 1541.

Passio Sanctorum Felicis & Adaucti Martyrum col. 1543.

Vita Beati Mauritii Andegavensis Episcopi in duobus libris col. 1545.

Libellus metricus *De ornamentis verborum* col. 1587.

Liber decem Capitulorum, quorum primum *De apto genere scribendi* col. 1595. ultimum autem *De resurrectione* col. 1616.

Liber *de gemmis & lapidibus* capp. 61. col. 1637.

Alia autem sunt Carmina aut Metra, Epistolæ, Epitaphia, quæ hic à col. 1555. longo agmine recensentur, atque huc referre tædiosum esset, unde lectorem ad editionem remittimus.

Editionem hanc novam Operum Hildeberti præcedunt Epistola dedicatoria ad Cæsarem D'Estrees Carnalem Episcopum Albanensem, Præfatio erudita ad Lectorem, Vita Venerabilis Hildeberti, Cenomanensis primum Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi, ex ejus scriptis & Veterum monumentis adornata, Excerptum ingens ex Gestis Episcoporum Cenomanensium, cum Notis.

Præclara Virorum illustrium De Venerabili Hildeberto testimonia: quibus tanquam præliminaribus collectis sequuntur Opera hoc ordine.

Epistolæ Centum & viginti in tres libros distinctæ, quas inter additæ sunt veteribus triginta, novem recentes. Col. 1. Item Appendix ad Epistolas, quæ novem circiter continet, ex archivis & aliunde collectæ, post editionem factam advenientes Collectori, ab eo post Indicem ipsum

ipsum Operum Hildeberti, adjectæ sunt, ne exciderent.

Sermones centum & quadraginta in tres partes distributi, ex quibus paucissimi antea, nempe quatuor aut quinque editi fuerant. Col. 201. Item *Sermo Venerabilis Hildeberti Cenomanensis Episcopi in Dominica Palmarum*, casu amissus, hic post Indicem Operum ejusdem subjicitur, ne aliquando excidat, qui etiam alias inter Epistolas illius impressas invenitur.

Vita Sanctæ Radegundis Reginæ col. 800.

Vita Sancti Hugonis Abbatis Cluniacensis ex Bibliotheca Cluniacensi & ex Surio col. 910.

Tractatus de Querimonia seu conflictu carnis & animæ col. 943.

Moralis Philosophia seu Tractatus de Utili & Honesto col. 959.

Tractatus Theologicus col. 1015.

Brevis Tractatus de Sacramento altaris col. 1104.

Expositio partium Missæ col. 1108.

Poëma de Mysterio Missæ ex Bibliothecis veterum Patrum col. 1136. Collatum ad editiones antiquas, & MSS. Codices Gallicos.

Alii Versus ejusdem de Sacramento Altaris paragraphis XXV. col. 1152.

Carmen de Operibus sex dierum col. 1169.

Physiologus col. 1173.

De Ordine Mundi col. 1179

De Ornatu mundi col. 1187.

In quatuor libros Regum col. 1191.

Diversorum Sacræ Scripturæ locorum Moralis applicatio col. 1211.

Versus de Sancta Susanna col. 1231.

De Sanctis Machabæis col. 1235.

De Sancto Vincentio col. 1243.

Passio Sanctæ Agnetis edita apud Barthium col. 1247.

De Inventione sanctæ Crucis col. 1255.

Vita Beatæ Mariæ Ægyptiacæ apud Joannem Bollandum accepta, col. 1262.

De Mahumete ex MSS. Codd. Elnonensi, Regio & Claromontano. col. 1277.

Mathematicus col. 1295.

Libellus qui dicitur *floridus aspectus* col. 1310. ad 1319.

Denique Carmina plurima majora ac minora à col. 1310. ad calcem Operum, quæ enumerare tædiosum omnino esset lectoribus.

1100 ANSCHERUS CENTULENSIS SANCTI RICHARII ABBAS, in Pontivo anno circiter 1108. floruit, qui *Vitam atque Miracula Sancti Angilberti Centulani Abbatis, tribus libris* composuit, quos evulgavit Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, tom. 1. pag. 123. & sequentibus. Et *librum quidem primum de Vita Sancti Angilberti* antea evulgavit Joannes Bollandus ad diem 18. Februarii, sub nomine Hariulphi Monachi Centulensis ac postea Abbatis Aldemburgensis: verum solis ex conjecturis, quæ pro *Anschero* validiores sunt, ut habet loco citato Joannes Mabillon pag. 91. ubi plurima in laudem Sancti Angilberti complectitur. De *Anschero* autem, solus quem sciam Mabillonius meminit ut Scriptoris Ecclesiastici, in præludiis ad dictos Vitæ Sancti Angilberti libros, loco citato.

THEOFRIDUS EPTERNACENSIS ABBAS in Ducatu Luxemburgensi, anno 1100. clarus vel circiter, ex Ordine divi Benedicti, prolixè admodum scripsit *Vitam Sancti Willibrordi Ultrajectensis Archiepiscopi*, nempe triginta sex Capitibus, qui in dicto Epternacensi Monasterio anno 739. die 7. Decembris mortuus est, de quo vide Laurentium Surium, ad dictam diem. Idem scripsit *Flores Epitaphios Sanctorum Libris quatuor*, quos vidi simul cum eadem Sancti Willibrordi Vita, impressos in 4. Luxemburgi anno 1619. apud Hubertum Reuland, cura & studio Joannis Roberti Arduennatis, Andaini, Soc. Jesu Theologi, qui hæc Opera Notis ornavit. Idem scripsit *Sermones quosdam De cultu & veneratione Sanctorum*, qui leguntur passim sub nomine *Theofridi Abbatis* in variis impressionibus Bibliothecæ Sanctorum Patrum, quas consulere quivis potest. Obiit Theofridus Epternacensis Abbas anno 1110. in suo Monasterio die 4. mensis Aprilis. De illo Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, quem Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* omisit. Gerardus Johannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. 382. editionis ultimæ. Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Christiana* pag. 356. in Abbatibus Epternacensibus. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 832. editionis 1643. Lovanii in 4. 1100

TURGOTUS SANCTI ANDREÆ IN SCOTIA EPISCOPUS, Monachus primum Dunelmensis, his temporibus floruit. Qui tum Prioris Dunelmensis ejusdem Ecclesiæ per XX. annos, tum etiam Archidiaconi, Vicarii, Decani, Vicedomini Episcopo suo ubique locorum Episcopatus officio functus, sive ut ipsius verba sunt Lib. 4. cap. 4. pag. 54. *Christianitatis curam per totum Episcopatum egit*, tum postea Sancti Andreæ in Scotia per septennium Episcopatus dignitate claruit. Hic autem *Historiam suam ab Oswaldo Rege seu à fundamentis Ecclesiæ Dunelmensis, ad tempora Guillelmi Rufi Regis media* vel circiter, seu ad annum 1097. adduxit, quam Symeon Dunelmensis excipiens, vel anonymus aliquis ad annum Christi 1154. continuavit. Nihil verò MS. extat sub Turgoti nomine in Catalogis MSS. Codicum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, nisi in Cottoniana Bibliotheca, ubi sub effigie Tiberii littera D. Codice 3. num. 45. Translatio & Vita Sanctæ Margaretæ Reginæ Scotorum, per Turgotum Dunelmensem, ad Mathildem Reginam. Et sub effigie Titi litera A. Cod. 1. n. 2. de Statu Lindisfarneosis, 1100

id est Dunelmensis Ecclesiæ per Venerabilem Bedam Presbyterum, & De gestis Episcoporum Dunelmensium ab anno 635. ad annum 1151. per Turgotum Monachum Dunelmensem. Et sub effigie Faustinæ Littera A. Codice 5. num. 10. Liber de exordio atque procursu Dunelmensis Ecclesiæ, hoc est De antiquitatibus & Episcopis istius Ecclesiæ, à primâ fundatione, ad annum Christi 1087. authore Turgoto Priore. *Vitam* autem hanc *Margaritæ Scotorum Reginæ, ad filiam Mathildem* scriptam, Anglorum Reginam, habes impressam & attributam certo cuidam *Theodorico ejusdem Margaretæ Confessario*, inter *Acta Sanctorum* Junii, Tomo 2. ad diem 10. à pag. 320. ad 340. collecta, digesta, Commentariis & Observationibus illustrata à Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Francisco Baërtio & Conrado Janningo, Presbyteris Theologis Soc. Jesu, impressa Antverpiæ apud viduam & hæredes Henrici Thieullier 1698. in folio, ad quam lectorem mittimus. Quia verò Symeon Dunelmensis Monachus, authorem hunc, ejus Opera sibi adscribendo, perpetuo oblivionis silentio apud posteros obtegere voluit: æquum est ut latiori de eo sermone, famam ejus ac meritum, cum Seldeno, ab oblivione vindicemus. Scotum illum fuisse omnes recentes Scoticarum Historiarum Scriptores indubitanter asserunt. Antonio Possevino in *Apparatu sacro* Scotus dicitur, Thomæ etiam Dempstero bini fiunt Turgoti, alter Monachus Mailronensis, alter hic Dunelmensis, temerè nisi fallor ab ipso ita in duos diffectus: quorum utrumque inter *Scotorum Sanctos*, atque velut Scotos citra controversiam, sibi similis accenset in *Scriptorum Scotorum Nomenclatura* pag. 21. ac in *Menologio Scotico* pag. 27. Sed Anglum eum planè nec ignobilem, etiam in juventute clarissimum fuisse, dubitare nequeo. Rogerius Horedenus ubi de compluribus maximè ex regionibus Septentrionalibus accitis loquitur, qui per Angliam, Ecclesias ac Monasteria Danorum irruptionibus diruta, & ferè ad nihilum passim redacta, enixius Turgoti seculo undecimo restauratum ibant: parte priori *Historiæ* suæ ad annum 1073. ita loquitur. Turgotus erat unus, postea Scotorum Episcopus. *Is prosapiam de genere Anglorum non intimo trahens, unus erat inter alios obsides, qui nuper subjugata Normannis Anglia, pro tota Lindisseia in Lindicolnio Castro custodiebantur. Ille pecunia emolliens custodem, cum magno suorum periculo, fugit clanculo ad Norwegenses, &c.* Quod autem spectat ad *Historiam de Dunelmensi Ecclesia* Symeonis Dunelmensis nomine editam, tametsi Symeon in *Apologia* sua præfixa, non solum *Majorum authoritate jussum*, illam seipsum contexuisse confidentius profiteatur: verum etiam *ea, quæ sparsim in schedulis invenire potuit, ordinatim collecta digessisse*, præfationem item ac distinctiones Librorum & capitum adjiciat, aliaque aliquot, velut in prævium ei apparatum: quasi citra controversiam Opus istud integrum suipsius plane fuisset, atque ex disjectis schedis ab ipso velut authore solo formatum congestumque, unde etiam ab exscriptoribus *Historia Symeonis Dunelmensis*, atque in editione anni 1652. alibique securius vocitatur; Monendus tamen Lector noster est omnino credendum esse, *Opus illud integrum* eodem ipso ordine à libri primi initio usque ad finem libri quarti, totidemque etiam verbis & syllabis, idem (inquam) Opus anteà à Turgoto illo Monacho Dunelmensi percelebri, compositum fuisse. Turgotus itaque in officio Prioris Dunelmensis constitutus, suam illam *Historiam ab Oswaldo Rege seu Fundamentis Ecclesiæ Dunelmensis Libris IV. in tempora Guillelmi Rufi Regis media vel circiter ad annum usque 1097.* deduxit, quam posteà sibi impudenter circa annum 1130. affinxit sibi Symeon Dunelmensis ejusdem loci Monachus. Audax porro nimium facinus istud Symeonis, ne quid gravius dicam, qui Scriptoris sibi proximi & cogniti, ac ejusdem Ecclesiæ tum collegæ tum Præfecti, tantisque dignitatibus clarissimi, Opus integrum sibi ipsi velut novum plane, idque sua quasi solum minerva congestum sit, arrogaverit. Habetur autem in Bibliotheca Cottoniana Codex MS. *Turgoti*, ætate ipsius manifestè conscriptus, cui titulus: *Libellus de exordio atque procursu istius, hoc est, Dunelmensis Ecclesiæ, cum sequentibus. Turgotus Prior Dunelmensis, author hujus libri.* Incipit, *Gloriosi quondam Regis Northanhimbrorum & pretiosi Martyris Oswaldi &c.* usque ad finem ultimi libri totius Historiæ, quæ sub ementito Symeonis Dunelmensis nomine evulgata est, de qua nos ad annum 1119. iterum loquemur. Adjicitur in ora libri, manu non ita multum recentiore, *Liber Sanctæ Mariæ de fontibus.* Olim enim servabatur in Bibliotheca Cœnobii illius Fontanensis, fundati in agri Eboracensis ea parte, quæ Richmandia dicitur: unde postmodum Cottonianæ cum aliis optimæ notæ Codicibus Bibliothecæ donatus est, à viro præstantissimo illo Oxoniensi, Thoma Alleno. Quemadmodum post Apologiam & reliqua in apparatum antecedentia, quæ ad Turgotum nullatenus spectant, incipit Librum primum Symeon Dunelmensis: ita quoque apud Turgotum eadem ipsa vocabula, eædem Syllabæ quæ apud Symeonem, nec aliæ omnino voces, si paucas variantes excipias, usque ad finem libri quarti. Porro tam accuratus fuit ac diligens exscriptor Turgoti, Symeon Dunelmensis: ut quæ singuli Turgoti personæ conveniunt, sibi etiam imprudens assumpserit. Ibidem enim, Primæ personæ ab altero fine injuria nullibi ullatenus assumendæ, usus apud Symeonem frequens: adeò ut quidquid nomine suo dixisset Turgotus, idem Symeon sibi attribuat. Sic Exempli Causa in Præfationis fine Symeon. *Quæ defectu Scriptorum litteris non fuerunt tradita, Seniorum autem veracium relatione, qui ea vel viderunt, vel à Patribus suis, viris religiosis fideque dignissimis qui interfuere, sæpius audierunt, AD NOSTRAM NOTITIAM per-*

pervenerunt: vel QUÆ ET NOS IPSI VIDIMUS, hic qua ex aliorum Scriptis collecta, adjungenda credimus. Verba plane sunt, ut ex sui natura alteri non communicanda, ita nec honestè usurpanda alteri, quàm Turgoto. Ut fraudem verò suam Symeon contegeret lectoribus, nonnulla Lib. 3. cap. 22. suppressit, quæ Turgotum arguissent authorem. Ibi narratur, Turgotum Alduino primo ibidem Priori comitem fuisse itineris à Monasterio Girwensi Dunelmum usque, Dunelmique benignè esse exceptum, nec Clericalem habitum in Monasticum mutare diu voluisse, sed sub magisterio Alduini vixisse, his verbis: *Non enim habitum Monachicum prius suscipere audebat, quam m ijori ac diuturniori se districtione probasset.* Tum suppressit Simeon Dunelmensis verba sequentia, quæ Turgotum totius Operis authorem indicassent: *Ipse est qui in locum Magistri videlicet Aldnini succedens, hodie in hac, id est, Dunelmensi Ecclesia, dudum sibi traditum à Willelmo Episcopo Prioratum tenet.* Totum hoc consultò à Simeone Dunelmensi prætermittitur, ut sane ad contegendum plagium, necessariò ab ipso fieri oportuit. Non enim Symeon Dunelmensis unquam, sed Turgotus, tum *Prioris ejusdem Ecclesia per annos viginti officio* functus, ut *etiam Archidiaconi, Vicarii, Decani, Vicedomini ubique Episcopo suo,* ut habet Guillelmus Malmesburiensis Lib. 3. *De gestis Pontificum Anglorum*, capite *De Episcopis Lindisfarnensibus:* seu ut ipsius verba Turgoti sunt *Historia Ecclesia Dunelmensis* Lib. 4. cap. 8. col. 54. ad annum 1093. ubi de ædificatione Dunelmensis Ecclesiæ loquitur. *Est autem incæpta Ecclesia MXCIII. Dominica Incarnationis anno, Pontificatus autem Willhelmi 13. ex quo autem Monachi in Dunelmum convenerant XI. tertio Idus Augusti, feria quinta. Eo enim die Episcopus, & qui post eum secundus erat in Ecclesia Prior Turgotus, cum cæteris fratribus primos in fundamento lapides posuerunt. Nam paullo ante, id est quarto Calendas Augusti, feria sexta idem Episcopus & Prior facta cum fratribus oratione ac data benedictione, fundamentum cæperant fodere. Igitur Monachis suas officinas ædificantibus, suis Episcopus sumptibus Ecclesia opus faciebat. Quo tempore memoratum Turgotum Priorem ante totius Episcopatus populos producens, vices suas etiam super illos ei injunxit, ut scilicet per Archidiaconatus officium, Christianitatis curam per totum ageret Episcopatum, ita statuens ut quicunque illi successores fierent in Prioratu, similiter succedant & in Archidiaconatu.* Jam autem ex loco illo sic fide pessima prætermisso, tempus Scriptionis hujus *Historia Dunelmensis* manifeste ostenditur, dum tenebat nimirum Turgotus Prioratum Dunelmensem, post Alduini mortem sibi dudum traditum: *Hodie*, inquit, *tenet*. Ideoque tempus illud incidit intra vicennium à tempore, quo in Priorem electus est, nempe ab anno 1087. ad annum 1107. Obiit etenim Alduinus anno Christi 1087. seu circa Guillelmi Regis primi exitum, cujus in locum Turgotus suffectus, dignitatem per annos viginti tenuit. Hoc totum testatur altera Dunelmensis Historia MS. in Bibliotheca Cottoniana anno 1087. fol. 44. quæ Turgoto quidem & Symeone Dunelmensibus multo recentior est, sed ex vetustis monimentis ejusdem Ecclesiæ sedulo congesta, ubi post obitum Alduini ita collocatum, inquit: *Alduino primo Priore Monasterii Dunelmensis mortuo, Turgotus ejus Discipulus omnium fratrum consensu electus in Prioratus successit, & totius Monasterii curam intus est foris, cum Dei timore, viginti annis nobiliter agebat.* Hæc nos ex Joanne Seldeno, qui pluribus cadere agit in *Prolegomenis* ad decem Scriptores Historiæ Anglicæ à se editos Londini anno 1652. in folio. Ita pag. 3. 4. 5. & 6. dictorum Prolegomenon. Sed & iterom, idem argumentum tractat ibidem pag. 21. 22. 23. 24. & 25. Cum certo igitur Historia illa quæ sub Simeonis Dunelmensis nomine prodiit, eo tempore quo Turgotus erat Dunelmi Prior, scripta sit: ea ad Simeonem Dunelmensem nullatenus, ad Turgotum optime spectare potest. Multis accurateque de Turgoto agit Henricus Warthon in Prologomenis ad *Angliam sacram* Tomo 1. num. 53. & 54. quam anno 1689. Londini in folio edidit apud Richardum Chiswel. Plura Warthonius hic habet *De Dunelmensi sede*, nimirum *Historiam Episcoporum Dunelmensium* a prima Sedis hujus fundatione ad annum 1096. pag. 691. *Monachi anonymi Dunelmensis Historiam Episcoporum Dunelmensium* ab anno 1096. ad annum 1144. pag. 705. *Gaufridi Sacrista de Coldingham Continuationem Historia Dunelmensis* ab anno 1144. ad annum 1214. pag. 718. *Roberti de Graystanes Episcopi Dunelmensis Continuationem Historia* Dunelmensis ab anno 1214. ad annum 1336. pag. 732. *Wilhelmi de Chambre Continuationem Historia ejusdem Dunelmensis* ab anno 1333 ad annum 1559. pag. 765. Testatur autem Warthon in Prolegomenis num. 53. in adornanda Dunelmensium Historia, se usum Turgoti Commentatio genuino, scilicet interpolationes Simeonis nondum passo, qualis in Codice vetusto & pulcherrimo Cottonianæ Bibliothecæ *Faustina A. S.* extat. Idem de Scriptoribus aliis Turgotum hunc excipientibus, ibidem num. 54. 55. 56. 57. quos quia momenti modiei sunt, postea nos suis prætermittimus locis, & temporibus.

Apud Scriptores nuperos, Turgotus nihil aut parum scripsisse dicitur, lingua alia quam vernacula, seu Anglica. Inde Balæus in utraque editione, *Vernacula quidem lingua coacervavit de Scotorum Regibus Lib. 1. Chronica Dunelmensia lib. 1. Annales sui temporis librum 1. Vitam Malcolmi Regis lib. 1. Vitam Margareta Regina lib. 1.* Citat quidem ille Hectorem Boëthium, quasi eadem ipse tradidisse. Certe apud Hectorem, hac de re tantum legitur, Libro nempe 12. *Historia Scotorum* fol. 259. eum sancti Andreæ factum Episcopum, *Vitam Sancta Margareta &* Mal-

Malcolmi Regis conscripsisse vernacula quidem lingua, sed non minori elegantia, quam pietate, veritateque. Pitseus attamen etiam scribit, *Si Hectori Boëthio credimus, lingua quidem materna, sed elegantia plane Demosthenicana & nutritate sincera*, Libros jam ex Balæo memoratos subjungere, ut lingua materna scriptos. Inde etiam Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. editionis secundæ, verba faciens de Historicis Anglicanis, inquit: *Turgotus etsi praeclare de Historia patria meritus sit, tamen vix ei hic locus superesse potest, quia Britannica Lingua scripsit, ut Hector Boëthius ait: nec quod sciam, interpretem Latinum hactenus est nactus, nisi quatenus eum Boëthius atque alii exscribunt.* Ac Vossius Turgoti Operibus adjicit *Chronica Dunelmensia* quæ orditur ab anno DCXXXV. & perducit ad annum MXCVII. quibus verbis eandem Historiam exprimit, quæ sub nomine Symeonis Dunelmensis anno 1652. evulgata est. Volunt itaque Nomenclatores omnes Turgotum vernacule scripsisse, ego post Joannem Seldenum Latine fol. 24. in *Prolegomenis* ad Scriptores decem Historiæ Anglicanæ. Certe Joannes Fordunius in *Scotichronico* Manuscripto in Bibliotheca Cottoniana Lib. 5. Capp. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. ita Turgotum sibi adhibet authorem scribentem *De sancta Margareta, aliisque ei coævis*: ut vix sit probabile hunc non Latine, seu non ipsa scripsisse vocabula quæ Fordunius illic affert, in Annalibus puta sui temporis. Verbi gratia, ubi Capitis Lemma est, *De felici applicatione Edgari Ethlin in Scotia, & sororis sua Margareta.* Incipit caput, *Turgotus. Cernens autem Edgarus Ethelinus res Anglorum undique perturbari, ascensa navi cum matre & sororibus, in patriam reverti qua natus erat, conabatur. Sed summus Imperator qui ventis imperat & mari, mare commovit* &c. Lemma capitis proximi est, *De conjugio Malcolmi Regis & sancta Margareta.* Incipit caput, *Item Turgotus. Rex igitur utcunque Margaretam viderat, eamque de regio semine similiter & Imperiali genitam esse didicerat, & eam in uxorem ducere petit & obtinuit, tradente Eadgara* &c. Caput sequens, *De filiis & filiabus quos de Margareta genuit.* Cujus Lemmatis caput incipit, *Turgotus. Huic illustrissimo viro Regi Scotorum Malcolmo ab Incarnatione Dominica anno MLXX. suaque regenerationis XIV. quidam tamen scripserunt* &c. hæc ille. *Historiam* igitur seu *Annales* Latine conscripsit, de Malcolmo, Eadgaro, Margareta & aliis, à Margaretæ Vita seu Legenda, quæ sic usus est Fordunius, diversam. Nam & idem Fordunius paullo post, *De illius magnifici Regis Malcolmi virtutum operibus, & eleemosynarum largitione, sicut in Legenda Vita beata Regina Turgotus testatur, hic aliqua breviter recitabo.* Et tunc pauculis Interjectis: *Fateor inquit Turgotus, fateor magnum misericordia Dei miraculum. Mirabar cum viderem interdum tantam orandi, Regis intentionem; tantam inter orandum, in pectore viri secularis, compunctionem.* Aliisque subjunctis similibus, adjicit ibi: *Hac Turgotus.* Uti & in aliquot sequentibus, ejusdem pariter nomen præfigit, ut tam linguæ Latinæ ipsius ibi exhibitæ, quam rerum narratarum sit testis, contra recentiorum omnium sententiam. De illo Historia recentior Dunelmensis MS. in Bibliotheca Cottonii, *Anno ab Incarnatione Domini 1108. ac tempore Regis Malcolmi & S. Margareta, electus fuit, Turgotus in Episcopum Sancti Andrea, consecratusque est Eboraci, tertio Calendas Augusti, & stetit per annos septem.* Consecratus a Thoma Archiepiscopo Eboracensi, ut expresse etiam habet MS. Codex Mailrosensis in Bibliotheca Cottoniana, sed anno 1109. Mortuus igitur est anno MCXV. ut jam antea diximus, & apud Dunelmum sepultus in domo Capitulari est, ut habet Historia Dunelmensis MS. recentior. De *Turgoto* Balæus, Pitseus, Gesnerus, Possevinus, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 396. Seldenus, atque alii locis antea citatis. Amplissime post omnes alios Henricus Warthon in Prolegomenis ad Tomum 1. *Anglia sacra* num. 53. & 54. pag. XVII.

BALDERICUS NOVIOMENSIS ET TORNACENSIS EPISCOPUS, primum Gerardi primi qui anno 1049. obiit, deinde Lietberti anno 1076. mortui, denique Gerardi secundi, Cameracensium ex ordine Episcoporum Secretarius, hinc autem Canonicus & Cantor Tarvanensis, tandem anno 1097. Noviomensis & Tornacensis Episcopus creatus est, quæ duæ Ecclesiæ annis circiter sexcentis unitæ fuerunt. Scripsit *Historiam Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiarum* olim unitarum, *tribus libris* quos titulo *Chronici Cameracensis* Georgius Colvenerius Doctor Theologus Duacensis & Cancellarius cum Notis anno 1615. Duaci in lucem edidit. Dicitur insuper scripsisse *Chronica Ecclesiarum Tarvanensis & Ambianensis*, quæ vel perierunt, seu pulvere fœdo obsita alicubi latent. Narrat quidem Guillelmus Cavus *Chronicon Ecclesia Morinensis seu Tarranensis* ab eodem conscriptum extare MS. apud Cenomanenses in Monasterio Benedictino, ut prodit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. Sed falli Cavum facillime quidem crediderim, habuimus enim Catalogum MSS. Bibliothecæ Abbatiæ Cenomanicæ Ordinis divi Benedictini, ad Lucam Dacherium olim ab ipsis Cenomanensibus Monachis missum, ubi nihil omnino de hoc Balderici Opusculo, quod sane diutius in tenebris latere Dacherius non passus fuisset. Obiit anno 1112. Baldericus qui in Choro Ecclesiæ Tarvanensis sepultus est, cum hoc Epitaphio, quod ante urbis hujus excisionem atque eversionem ita legebatur. *Pater Baldericus, hujus Ecclesia Cantor, & Episcopus Noviomensis, anno Verbi Incarnati 1112. prælationis sua anno XV. pridie Calendas Junii obiit meritis plenus, & Chronico Cameracensi celebris.* Si autem, ut nonnulli volunt, Baldericus Chronicon Movinen-

vinenſe ſeu Tarranenſe conſcripſiſſet, nullum dubium quin illius mentionem in ejus Epitaphio Tarranenſes feciſſent, longe potiori jure quam Cameracenſis, quod nullatenus ad ipſos ſpectabat. Plura *De Balderico Noviomenſi Epiſcopo*, Georgius Colvenerius in editione citati *Chronici*. Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 47. pag. mihi 363. Fratres Sammarthani, tomo 3. *Gallia Chriſtiana* in Epiſcopis Movinenſibus & Noviomenſibus. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 97. editionis ultimæ 1743. Lovanii in 4.

1100 ALVLFVS SANCTI MARTINI TORNACENSIS MONACHVS, primum Clericus in Eccleſia B. Virginis, poſtea Monachus in Cœnobio S. Martini intra muros urbis Tornaci, annis XLVII. officio Cantoris functus, claruit ab anno 1098. tempore Odonis hujus Loci Abbatis & Cameracenſis poſtea Epiſcopi, qui anno 1113. obiit. Scripſit hortatu Odonis ſui Abbatis, ad imitationem Sancti Paterii, cujus Opus Gregorianum ad nos imperfectum & mutilum pervenit, ac forſitan ut huic vulneri medelam afferret, Opus grande *ex propriis Sancti Gregorii Papa primi verbis*, collectum, quod *Gregoriale* appellavit. Illud vidimus manuſcriptum in diverſis Bibliothecis, quatuor Voluminibus in folio, nimirum in Bibliothecis S. Amandi Ordinis divi Benedicti, & in Alucuſi ordinis Ciſtercienſis, Epiſcopatus Leodienſis, Volumina primum & ſecundum continent *Commentaria in Veteris Teſtamenti Libros*, Tertium *in libros Novi Teſtamenti*, editum ſub Paterii nomine ab anno 1553. inter Opera Gregorii Magni, ut ſupra diximus in *Paterio*. Quartum *De variis argumentis*, in 16. libros diſtinctum eſt. Vidi etiam tria priora hujus Operis volumina MSS. in Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu Sueſſionenſi, & quartum MS. in Bibliotheca S. Petri Selincurtenſis Ordinis Præmonſtratenſis in tractu Ambianenſi. MS. Codex Tornacenſis Alulfi autographus videtur, 4. voluminibus in folio, quorum poſtremo hi duo verſus leguntur. Plura de hoc *Alulfo* Joannes Mabillon tomo 1. *Analectorum* pag. 312. & ſequentibus, quem deſignaſſe ſufficit, Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Alulfus* p. 44. editionis 1643. Lovanii in 4.

Hac de Gregorii qui traxit Opuſcula libris, Gregorii precibus in pace quieſcat Alulfus.

SEC. XII.

1110 GILLEBERTVS LVMICENSIS SEV LIMIRICENSIS IN HIBERNIA EPISCOPVS, anno 1110. claruit, quo Synodum in Hibernia celebravit, in qua Limites Epiſcopatuum Hibernicorum definiti ſunt, teſte Waræo in Commentario *De Præſulibus Hiberniæ* pag. 183. & Jacobo Vſſeri Armachano Archiepiſcopo, in Notis ad Epiſtolas Hibernicas pag. 140. Anno 1115. cum in Anglia tunc temporis eſſet, Bernardi Menevenſis Epiſcopi ordinationi apud Weſtmonaſterium peractæ interfuit. Scripſit *Libellum unum De ſtatu Eccleſiæ*, cui præmiſſa Epiſtola *De uſu Eccleſiaſtico ad Epiſcopos Hiberniæ*, quam inſeruit Jacobus Vſſerius *Collectioni ſuæ Epiſtolarum Hibernicarum*, pag. 54. & ſequentibus. Extat ibidem pag. 61. *Gilleberti ejuſdem Epiſtola ad Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, cum reſponſione Sancti Anſelmi ad eundem:* unde liquet quo tempore hic Gillebertus floruerit. Primus vero per totam Hiberniam Legatus Apoſtolicus factus, ea authoritate Synodos congregavit, quibus præſedit Canoneſque ad diſciplinam ſpectantes conſtituit: cui muneri ætate jam gravis, morbiſque gravatus, anno 1139. renuntians, paullo poſt mortuus dicitur. Hic caute diſtinguendus ab aliis duobus Gilbertis Anglis eadem ætate viventibus, Gilberto Abbate Weſtmonaſterienſi, de quo ad annum 1100. egimus; & altero Londonienſi Epiſcopo cognomento *Vniverſali*, de quo poſtea ad annum 1127. agemus. Impreſſæ autem *Epiſtolæ Hibernicæ* Vſſerii Pariſiis anno 1665. apud Ludovicum Billaine, Pariſiis in aula Palatii in 4.

CLARIVS FLORIACENSIS primum Ordinis D. Benedicti Monachus, tum poſtea Abbatiæ S. Petri Viri Senonenſis, ejuſdem Ordinis, annis 1109. & 1120. claruit, quo *Chronicon Abbatiæ Sancti Petri Viri Senonenſis* conſcribebat tempore Daimberti Eccleſiæ Senonenſis Archiepiſcopi, ut conſtat ex editione hujus *Chronici* pag. 749. ubi ſic. Verum præfato Richerio de medio ſublato ſucceſſit Daimbertus ipſius Eccleſiæ Vicedominus, nobilis & clarus, ab omni clero & populo electus. «Permanſit autem ſine benedictione paſtorali anno uno & duobus menſibus, poſtea vero Romæ a Papa Vrbano conſecratus, cum Apoſtolica benedictione & pallii decore rediit, in ſede propria locatus XIV. Kal. Maji Anno MXCVIII. ab Incarnatione Domini, lætante clero, & bona devotione Populi. Cujus jam in Archiepiſcopio XC. anno pene peracto, teſtor Deum nuſquam Abbatiam S. Petri, vel audiſſe vel legiſſe aut vidiſſe quietius vixiſſe, vel fuiſſe ab omni inquietudine. Det Deus ſuccedentia tempora ſub eo & cum eo, habere læta & proſpera.» Eandem ſuam ætatem indicat pag. 753. & 754. ubi ſe Monachum fuiſſe Floriacenſem agnoſcit. Scripſit *Chronicon* ab anno 446. ad 1109. & 1120. ut patet ex pag. 771. & 772. At quæ ſequuntur uſque ad annum 1184. alterius auctoris ſunt. Edidit illud ex MS. Codice Lucas Acherius Tomo 2. *Spicilegii* pag. 705. quod clam ſublatum quidem fuerat, ſed Lucæ Acherio tandem ab amico reſtitutum, qui inter Literatos dum viveret, facile primas tenebat. Illud ejus cura deſcriptum, contulit cum aliis auctorum Chronicis poſterioris ævi, Hugo Mathon Acherii ſocius, Simonis moram

tra-

trahens. Expunxerunt autem ex *Chronico* illo multa, toties ab antiquioribus Eusebio, Gregorio Turonensi, Sigiberto, & aliis repetita, ea potissime quæ Francorum Regni primordia antecedunt. Clarium hoc ornat encomio Gaufredus a Colone S. Petri Senonensis itidem alumnus, de Concilio Belvacensi agens in *Tabulis Chronologicis*, cui Clarius ipse Archiepiscopi Senonensis & Archimandritæ sui nomine adfuit: *Pro Domino Senonensi Archiepiscopo, & pro se, misit* (Abbas) *Monachum nomine Clarium, valde bene literatum, qui Monachus bene illos excusavit.* Chronicon istud tanti fuit auctor *Chronologia S. Mariani* Robertus Antissiodocensis, ut verba Clarii ipsiusmet, suppresso licet nomine, res Senonenses præsertim agitando, passim usurpet. Hæc Lucas Acherius in Præfatione ad Tomum 2. *Spicilegii*, paucis adjectis.

1110 BRUNO quidam hoc anno 1110. vel 1120. claruit, de quo plura scire non licuit. Fuisse videtur ætatis ejusdem cum Alulfo sub seculi 12. initium, qui ambo Collectaneum Paterianum ex Opusculis divi Gregorii in Libros scripturæ compositum, injuria temporum perditum, reparare voluerunt. De Alulfo hæc habet Hermannus in *Historia restaurationis Monasterii Sancti Martini Tornacensis* tomo 12. *Spicilegii* num. 38. pag. 395. & sequentibus.

„Is primum Clericus, deinde Monachus in „præfato monasterio, *Armarii seu Cantorie* officium 47. annis tenuit, omnesque libros beati „Gregorii sæpius relegens, imitatus *Paterium*, „universas tam veteris quam novi Testamenti „sententias ab eo expositas excerpens, tres ex„inde Codices composuit, & quartum de valde „utilibus sententiis superaddidit, eisque *Gregorialis* nomen indidit.„ Hæc Hermannus de Alulfo, qui *Gregorialem* componens ad imitationem Paterii, illius operis jacturam, cui Prima pars tantum superesset, resarcire voluit. Alter autem qui resarciendæ Paterii jacturæ laborem suum contulit, fuit ille Bruno de quo loquimur, qui cum Collectaneum Paterii in libros Veteris ac Novi Testamenti ex Gregorii libris conscriptum & injuria temporis perditum cerneret, reparare jacturam eandem voluit. Unde quia Operis Pateriani seu Collectanei in Libros scripturæ potiores; pars prima tantum superstes esset, addidit primæ huic Paterii antiqui parti, partes secundam & tertiam, ipso nomine etiam Paterii relicto, hic Bruno de quo loquimur; unde contingit ut in MSS. omnibus bibliothecarum, Paterii credantur, quia illius nomine insigniuntur. Spectant tamen hæ partes secunda & tertia Paterii ad Brunonem, ut ex Epistola Brunonis ad Wernerum quendam constat, quam Benedictini Monachi ediderunt in editione ultima Operum divi Gregorii Papæ omnium, Parisiis 4. in folio voluminibus anno 1705. facta, tomo 4. parte 2. sub Præfationis finem, quam Operi Pateriano a se edito præmiserunt. Ex hac igitur Epistola, constat Paterium quem Benedictini Monachi Galli velut genuinum & integrum produxerunt, esse mutilum, ac partem tantummodo primam ad Paterium pertinere: partes autem secundam & tertiam esse hujus Brunonis, qui anno circiter 1110. Paterium deficientem supplevit, illique duas partes adjecit, quæ temporum injuria perierant. Plura de hoc Brunonis ad Paterium supplemento, & ejus editione a Benedictinis nescientibus facta, diximus supra in Dissertatione singulari *De Operibus Sancti Gregorii Papæ* cap. 17. quam legas ac relegas.

FRANCO AFFLIGHEMIENSIS ABBAS, 1110 Ordinis divi Benedicti, claruit anno 1112. & ulterius, qui primum quidem Scholasticus Ecclesiæ Sancti Lamberti Leodiensis, arctius ac perfectius vitæ institutum desiderans, Monachali se schemati submisit: de quo hæc Henricus Gaudavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 39. "Franco Abbas Afflighemiensis, ro-" gatus a Domino Fulgentio prædecessore suo," antequam ipse Dominus Franco Abbas esset," scripsit Opusculum quod appellavit *De gratia" Dei*: & antequam consummaret dictum Opu-" sculum, decedente Abbate Fulgentio, ipsi suc-" cessit, & jam Abbas factus prædictum Opu-" sculum consummavit, in ejusdem Opusculi fi-" ne laudes sui prædecessoris declamans. Me-" trice etiam statum futuræ gloriæ eleganter de-" scripsit." Hæc Henricus Gaudavensis, cujus etiam mentionem facit Sigebertus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 164. ubi ait eum quoque scripsisse Librum *De quadratura circuli* ac alium *De ratione Computi*, qui interciderunt vel alicubi absque authoris nomine latitant. Hi autem libri *De Gratia Dei* impressi sunt Antverpiæ anno 1565. & Friburgi in Brisgoia anno 1620. itemque in diversas editiones *Bibliotheca sanctorum Patrum*, quæ excuti possunt, immissi. Legitur & *Franconis Monachi* quam existima esse hujus *Franconis* nostri Tractatus *De cursu vite Spiritualis* per Distinctiones vel Tomos XII. ut ipse scribit, MS. apud Regulares Tungrenses. Item *De jejunio quatuor temporum*, MS. Leodii ad sanctum Laurentium. De laudibus B. Mariæ Virginis, MS. olim in Cœnobio septem fontium apud Bruxellam. De *Francone Afflighemiensi Abbate*, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Aubertus Miræus in *Scholio* ad caput 39. Henrici Gaudavensis, pag. 170. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 248. & 249. editionis 1643. Lovanii in 4 ubi Francorum duplicem statuit, alterum Abbatem Afflighemiensem, alterum Scholasticum Leodiensem, de quibus alii viderint.

GOTSELINUS seu GOSCELINUS SANCTI BERTHINI IN ARTESIA MONACHUS, natione ut creditur Gallus, ex Ordine 1110 divi

divi Benedicti, Monasticen in Cœnobio Berthiniano primum professus, tum postea ad Monasterium sancti Augustini Cantuariensis in Angliam vocatus, ob eximias observantiæ regularis ac doctrinæ omnifariæ dotes. Scripsit diligentissime omnium *Vitam sancti Augustini Cantuariensis Archiepiscopi* post Bedam libro 1. *Historiæ Anglorum* cap. 23. & sequentibus, & Libro 2. capitibus 2. & 3. *duplici Opusculo, majore scilicet & minore*, ut in Præfatione sua enarrat num. 4. Illorum *alterum* post Lanfranci Opera, tacito authoris nomine editum reperitur a Dacherio, anno 1648. Parisiis in folio. *Alterum* nempe majus Opusculum nusquam editum, evulgatur Sæculo primo *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* pag. 499. cum Libro Miraculorum ab eodem Gotselino composito. Prologus majoris Operis incipit, *Domino Carissimo* &c. Libellus autem incipit, *Potentissimus triumphator* &c. Claruisse ipsum refert ad annum 1096. Guillelmus Cavus in *Historia Rei litterariæ* seculo XI. pag. 629. ad annum 1110. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 398. quorum utrumque verum esse potest. Præterea Gotselinus iste *Historiam translationis sancti Augustini duobus libris* sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo nuncupatis comprehendit, MSS. penes Joannem Mabillon, quos dabit in publicum Seculo 6. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*. Commendavit quoque scriptis *Vitam Sancti Swithmi Wintoniensis Episcopi*, quæ ipsa vel saltem ejus Epitome apud Laurentium Surium extat tomo 4. ad diem XI. Julii. Præterea *Vitas S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis, Grimbaldi Abbatis, Erkenvaldi Episcopi, Edgithæ, Milpurgæ & Witheburgæ Virginum*. Item *librum De origine sancti Ivonis & alterum de translatione ac miraculis ejus*: de quibus Vossius loco citato. Hanc habent *Acta Sanctorum* ad diem 10. Junii Tomo 2. pag 287. ubi de S. Ivone Episcopo Persa & tribus sanctis sociis in Anglia: quam scripsit Goscelinus Monachus Ramesiensis Abbati suo Herberto inscriptam, creato 1087. ac post quatuor annos Episcopo Nortwicensi facto, cujus encomium habitur in *Monastico Anglicano* pag. 1003. At Goscelinus postea Monachus Cantuariensis ad S. Augustinum scripsit vitam S. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi datam ad diem 26. Maji, atq; alias plures *Sanctorum* vitas, habitus post Bedam secundus in laudibus SS. Angliæ celebrandis, uti de ipso testatur Malmesburiensis lib. 4. de gestis Regum Anglorum cap. 1. Hic infra in Prologo explicat, quænam ab Andrea Leucandro Abbate Ramesiensi primo *vita* hujus authore acceperit, quidque ipse ex aliorum relatione addiderit. Quæ autem cap. 4. habentur, ab eodem auctore adjuncta sunt, cum adhuc viveret Herbertus Nortwicensis Episcopus, anno 1119. 22. Julii mortuus.

Nullus qui pompa majore Opera Gotselini Bertiniani seu Cantuariensis Monachi describat, Henrico Warthon eruditissimo Anglicarum rerum viro, qui plura ejusdem Opuscula ex MSS. Codicibus eruta evulgavit Tomo 2. *Angliæ Sacræ*, de quo ita in Præfatione num. III. pag. 6.

"Gocelinus sive Gotselinus, Bertinianus vulgo dictus, narrante Baleo Cent. 13. cap. 17. patria Morinensis erat, Monachus ad S. Bertini fanum. Postea crebrescente eruditionis fama ab Anselmo Archiepiscopo in Angliam accitus, primo apud Ramesiam sub Hereberto Abbate, postea apud S. Augustini Cantuariense Cœnobium, vitam Monasticam duxit, & plures Sanctorum Anglicanorum Vitas literis consignavit. Paria habet Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. nisi quod ordine inverso, illum Monachum primo Cantuariensem, postea Ramesiensem fuisse velit. Malè uterque. Si enim Gotselinus in Angliam ab Anselmo Archiepiscopo evocatus fuerit, neutiquam potuit inter Ramesienses degere sub Hereberto Abbate, qui Abbatiam anno 1091. dereliquit. Certiora habet de Gotselino Willelmus Malmsburiensis Lib. 4. *De gestis Regum Anglorum* in fine, inquiens, *Goscelinus Monachus de S. Bertino, cum Heremanno Episcopo Salesberia quondam Angliam venerat*, (Heremannus post triennalem moram apud S. Bertinum factam, in Angliam rediit anno 1058) *insignis literarum & cantuum peritia. Is multos Episcopatus & Abbatias perlustrans tempore, præclaræ scientia multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ nulli post Bedam secundus, Musica porro palmam post Osbernum adeptus. Denique innumeras Sanctorum Vitas stilo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas comptius renovavit. Hujus quoque (S. Augustini Cantuariensis) Translationis seriem ita expolivit, ut eam præsentibus monstrasse digito, futurorumque videatur subjecisse oculo.* Se Monachum fuisse Sancti Augustini Cantuariensis, Gotselinus in utraque præfatione ad Vitam S. Augustini testatur. Scripsit enim duplicem Historiam de ejusdem vita, *Fecimus* (inquit in Præfatione ad Hist. Majorem) *de eadem materia duos Codices, Majorem & Minorem*. Majorem edidit Johannes Mabillonius in Actis Benedictinorum Seculo 1. pag. 499. addito etiam libro ejusdem Majori *De miraculis S. Augustini*, ibidem pag. 535. Historia Minor *De Vita*, & alia Minor etiam *De miraculis S. Augustini*, in Bibliothecæ Lambethanæ Codice, inscriptæ Gotselino reperiuntur. Ex hoc *Vitam Minorem* descripsimus & typis hoc Tomo 2. pag. 55. evulgari curavimus, ne primo apud Anglos fidei Christianæ prædicatori sua apud Anglos laus deesset, quam vis perpauca de illo Gotselinus noverit, quæ non antea Beda scripserit. Longe amplior est *Historia Major*, quæ tamen si fabulas & inanes verborum phaleras omittas, nihil *Historia Minori* intactum habet. *Minorem* antea ediderat Dacherius in Appendice ad Lanfranci O-

„pera, Parisiis 1648. pag. 57. Sed Authoris nomine & integro capitulo 36. destitutam. Plurima Gotselini Opera in Codice perantiquo & perelegantiCottoniano *Vespasianus B. 20.* isthoc ordine exstant.

„*Historia Minor de Vita S. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi.*

„*Historia Minor de Miraculis S. Augustini.*

„*Historia Major de Vita Sancti Augustini ejusdem.*

„*Historia Major de Miraculis S. Augustini.*

„*Sermo in Festivitate S. Augustini.* Incipit, *Praclara diei prasentis solennitas.*

„*Libri II. ad Anselmum de Translatione S. Augustini* anno 1091. 6. Septembris facta. Hos Seculo sexto Benedictione in lucem proferre Cl. Mabillonius spondet. *Seculum VI. Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, quod est ab anno M ad CMC. colligere cœpit Dominus Luca D'Achery Congregationis S. Mauri Monachus, D. Johannes Mabillon, & Theodoricus Ruinart ejusdem Congregationis, illustrarunt & cum Indicibus necessariis ediderunt, 2. Vol. in folio Parisiis 1701. apud Carolum Rebustel. His Libris continua serie subjungitur *Vita S. Petardi.*

„*Vita S. Mildreda.*

„*Translatio S. Mildreda, & Institutio Monasterii ejusdem.*

„*Vita Sanctorum Laurentii, Mellisi, Justi, Honorii, Deusdedit & Theodori Archiepiscopis eoporum Cantuariensium.* In his quicquid Historicum est, ex Beda totidem fere verbis desumptum est, ampliatis duntaxat magnifice Bedæ sententiis, & Miraculis multis in singularum fine appositis. In *Vita S. Laurentii* author longa digressione facta, fidem sui temporis, Miraculis conciliare nititur.

„*Vita Adriani Abbatis S. Augustini*, quem anno 708. obiisse refert.

„*Historia de Translatione ejusdem*, tempore Willelmi Regis facta.

„*Libellus contra inanes Sancta Mildreda usurpatores*, probans corpus ejus non in parochia S. Gregorii Cantuariensis, in Ecclesia ficto nomine Miltrudis nuncupata, sed in Cœnobio S. Augustini, ad quod ab Ælsstano abbate tempore Canuti Regis translatum est, adservari. Hactenus Codex Cottonianus.

„Præter hæc à Gotselino Balcus scriptas memorat *Vitas SS. Swithuni, Grimbaldi, Erkenwaldi, Eadgitha, Milburga, Withburga & Ivonis*, & *Historiam de Translatione Ivonis.* Porro vetustum Catalogum Sanctorum in Anglia sepultorum Saxonice scriptum, Latine convertisse dicitur ab Usserio *Antiquitatum Britannia* cap. 2. pag. 15. Cujus Versionis plurima exemplaria in Bibliothecis nostratibus reperiuntur. Ejusdem *Cronicam* laudat Guillelmus Thorn in *Historia S. Augustini* col. 1783. Nec de alio intelligenda esse arbitror, quæ antiquum Ecclesiæ Eliensis Registrum habet cap. 10. Tempore Symeonis Abbatis (Eliensis qui ab anno 1082. ad 1094. præsedit) *interorat inter Monachos, quidam Gocalinus nomine, disertissimus, undique per Angliam Vitas, miracula & gesta Sanctorum Sanctarumque in Historiis, in Prosis dicando mutavit. Hic scripsit Prosam S. Etheldreda, cujus initium est*, Christo Regi sit gloria. Obitum, illius Obituarium Sancti Augusti Cantuariensis ita commemorat, *Idibus Maji obiit Gezelinus, Mouachus & Sacerdos. Vitam S. Wereburga Virginis* auctore Goscelino Monacho, edidit Godefridus Henschenius ad diem 3. Februarii Tomo 1. pag. 386. quam illi asserit in Commentariis ad Vitam præviis paragrapho 1. Num. 2. pag. 384. Anno quoque 1688. Antverpiæ apud Michelem Cnobarum Daniel Papebrochius in *Probatis Sanctorum Vitis* tomo 6. Maji mensis ad diem XXVI. pag. 375. & sequentibus, edidit opuscula Gocelini omnia ad *Vitam S. Augustini Cantuariensis Episcopi* spectantia, nimirum *De Vita & Miraculis* libros 2. *De translatione* libros 2. quibus Commentarium p. 373. præmisit, ad paginam autem 443. pertingunt. In eadem autem Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vibellii Litera C. Codice 8. n. 15. extat *Vita Sancti Kentigeani Confessoris*, qui & Ingalschu nominatur, per Joscelinum."

Commendat eximie hunc *Goscelinum* Guillelmus Malmesburiensis Lib. 4. *De Regibus Anglorum* cap. ultimo & in libro *De Dorobernensibus Archiepiscopis.* Cæsar Baronius in Annalibus ad annum 862. Gotzelinum hunc *Moriuensem* appellat, alii *Monachum Bertinianum*, quæ eum superioribus minime pugnat: nam ex oppido Sancti Audomari seu Abbatia Sancti Bethini in Angliam a S. Anselmo evocatus est. Plura de illo Joannes Mabillon in Observationibus præviis ad Vitam Sancti Augustini Cantuariæ Archiepiscopi, Seculo 1. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 498. quod anno 1668. Parisiis in folio apud Carolum Sarreux impressum est. Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 398. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Gotselinus* pag. 298. editionis 1643. Lovani in 4.

GVILLELMVS DE CAMPELLIS CATALAVNENSIS EPISCOPVS, 1110 cognomento Venerabilis, sic dictus a natali solo de Campellis, Gallice de Champeaux, Parisiensis Diœcesis in Bria, tertio a Maleduno milliario, ubi Collegialis Ecclesia insignis. Adolescens sub Anselmo Laudunensi Decano litteris operam dedit, qui tum per Franciam celeberrimus habebatur, sicut ex Abaëlardo discimus.* Magnos sub eo cum progressus fecisset, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconus, & hujusce Cathedralis Ecclesiæ scholæ insuper in edocenda Dialectica præpositus est. At ille cupidus tranquillionis vitæ, ad Cellam veterem non longe ab urbe Parisina remotam, ubi erat Sacellum quoddam Sancti Victoris, cum discipulis aliquot nu-

migravit, vestemque Canonici Augustinianorum Ordinis, teste anonymo Scriptore, sed antiquo, induit. *Eodem*, inquit, *tempore Magister Willelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum litteratus & religiosus, assumens habitum Canonici Regularis, cum aliquibus discipulis suis extra urbem Parisius, in loco ubi erat Capella quadam Sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare Monasterium Clericorum.* Hanc mutationem professionis laudat Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epistola 1. ad eundem. *De conversione & conversatione tua lætatur & exultat anima mea, illum prosequens actione gratiarum, cujus muneris est, quod tandem philosophari decreveris. Nondum quippe redolebas Philosophum, cum ex acquisita Philosophorum sententia, scientia morum tibi minime depromeres venustatem.* Vnde Abaëlardus in Epistola declarativa calamitatum suarum, cap. 2. *Perveni Parisios, ubi jam maxime Disciplina hæc* (Dialectica) *florere consueverat, ad Guillelmum scilicet Campellensem Præceptorem meum, in hoc tum magisterio, re & fama præcipuum.* Et paullo post: *Præceptor meus ille Guillelmus Parisiensis Archidiaconus habitu pristino mutato, ad Clericorum Regularium Ordinem se convertit: ea, ut referebant, intentione, ut quo religiosior crederetur, ad majorem Prælationis gradum promoveretur, sicut in proximo contigit, eo Catalaunensi Episcopo facto.* Nec tamen hic suæ conversionis habitus, vel ab Vrbe Parisina, aut a consueto Philosophiæ studio eum revocavit: sed in Cœnobio ipso, ad quod se caussa religionis contulerat, statim more solito, publicas ejusdem hortatu Hildeberti aperuit scholas. Scripsisse plura *Guillelmum Campellensem*, mihi vix dubium est: quem nonnulli credunt fuisse primum ordinatorem Theologiæ, quam Scholasticam vocant. Editus est nuper sub ejus nomine *Dialogus Christiani & Judæi* in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis ultimæ Lugdunensis anni 1677. apud fratres Anissonios, quam procuravit maximam D. Philippus Despont Doctor Theologus, quam ob virtutem ac scientiam plurimum colimus. Hic amicus noster inseruit seculo XII. sub *nomine Guillelmi Campellensis* præfecti *Dialogum* prædictum: sed quem hac in parte incautus aliquis decepit, attribuens ex solius litteræ initialis G. abbreviatione, *Guillelmo Campellensi* Opus, quod est *Gilberti Abbatis Westmonasteriensis* prope Londinum in Anglia. Inventum forsitan Opus MS. in Vrbe Catalaunensi vel Episcopatu, potuit dare locum ingenio alicui claris Guillelmi Catalaunensis datibus occupato, ut Opus istud sola initiali littera inscriptum ipsi adscriberet. Vti vero conjectabar, ita contigit. Impressum enim est in Bibliotheca Patrum, post editionem specialem factam ex fide MS. Codicis olim Sancti Petri Catalaunensis, qui modo extat in Bibliotheca Claudii Jolii Canonici & Cantoris B. Mariæ Parisiensis: ubi anonymum legitur ad calcem *Sententiarum Guillelmi de Campellis* Catalaunensis Episcopi, unde ex conjectura qui edidit, quod spectaret ad eundem authorem opinatus est. Nos autem nec unum vidimus, sed duos aut tres MSS. Codices *Gilberto Abbati Westmonasteriensi* attribuentes: atq; hoc vulnus hujus Abbatis inflictum lateri, industrius hac in parte sanavit, Gabriel Gerberon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, qui in nupera ac correctissima editione omnium Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Operum, de qua in *S. Anselmo* diximus, hunc Dialogum *Guillelmo Campellensi ereptum*, Gilberto Westmonasteriensi restitutum inseruit: neque id ex conjecturis, sed ex fide MSS. Codicum, quos ad marginem allegat. Scripsisse insuper dicitur *Sententias Theologicas* ante Petrum Lombardum Sententiarum Magistrum, quarum exemplar MS. in Bibliotheca Abbatiæ S. Petri Catalaunensis, ordinis divi Benedicti Monachorum, repertum fuit: quod asservatur nunc in Bibliotheca beatæ Mariæ Parisiensis, ex dono D. Claudii Jolii Canonici & Cantoris Parisiensis. Hic Manuscripti Codicis titulus, *Incipiunt sententiæ Guillelmi Catalaunensis Episcopi.* Opus incipit, *Simoniaca hæresis a Symone Mago non habuit principium, multi enim ante Simonem Magum eadem hæresi peccaverunt: ut ille qui dixit Domino Jesu, Magister sequar te quocunque ieris* &c. Sententiæ autem istæ nihil aliud sunt, quam *Collectio satis compendiosa quæstionum quarundam & dubiorum*, ut inspicienti mihi & lectitanti constitit. Denique juxta Albericum in Chronico ad annum 1113. *Magister Guillelmus de Campellis, Moralia Sancti Gregorii Papæ abbreviavit & alia fecit.* Factus postea doctior ex inspectione MS. Codicis in Catalogo manuscriptorum Codicum Abbatiæ Claræ vallis, quem accuratissimum anno 1664. obtinuit Lucas Dacherius. Vbi legimus, *Moralia Guillelmi de Campelles super Job.* Nullus itaque dubito quin Moralia ista spectent ad Guillelmum hunc nostrum, postea Catalaunensem Episcopum: nec possum reluctari tum antiquo Codici, cum authoritate Alberici conjuncto. Anno 1113. ad Episcopatum Catalaunensem assumptus est, ut Albericus narrat ad dictum annum in Chronico. *Obiit Catalaunensis Episcopus, succedit Magister Guillelmus de Campellis, qui Moralia Gregorii Papæ abbreviavit, & alia fecit.* Sequenti anno interfuisse memoratur dedicationi S. Mariæ Laudunensis. Anno 1115. Bernardum Claræ Vallis abbatem consecravit vacante Sede Lingonica, uti Albericus & Vita ipsius Bernardi Lib. 1. cap. 7. memorant. Anno quoque 1120. pacem inter Canonicos S. Martini de Virtute & Monachos Sancti Salvatoris sub certis conventionibus stabilivit. Hujus porro cum elogio meminere Ivo Carnotensis Epist. 368. S. Bernardus Epist. 3. charissima virum appellans. Otho Frisingensis Episcopus Lib. 7. Chronici cap. 47. & 48. Chronicon Mauriniacense in quo *Celebratur Canonis Prænestini Episcopi & Apostolicæ sedis Legati auxiliator magnus, Willelmus Catalaunensis Episcopus, qui sublimes causas rexerat, & tunc zelum Dei habens super omnes Episcopos totius Galliæ, Divinarum Scripturarum*

rarum ſcientia fulgebat. Exceſſit e vivis anno 1121. octavo Kalendas Februarii, ut docent Tabulæ Sancti Stephani & Albericus. Hæc longe certior epocha, quam alia quæ cum fato ceſſiſſe anno 1119. juxta nonnullos affirmat. Corpus ad ſepulturam in Abbatiam Claræ Vallis delectum, quam intime ſemper dilexerat. Rexit Eccleſiam Catalaunenſem annis ſeptem & ſex menſibus. Hæc ut plurimum ex Sammarthanis Fratribus, in *Gallia Chriſtiana* tomo 2. p. 504. ubi de Catalaunenſibus Epiſcopis.

1110 JOANNES FURNEUS MONACHUS primum Græcus, tum poſtea Montis Gani Præpoſitus, ſub Alexio Comneno hoc eodem tempore, circa annum 1110. & ſequentes, cum Euſtratio Metropolitano Nicæno & aliis florebat, qui contra Latinos Eccleſiam Græcam in ſibi ſingularibus opinionibus defendebant. Cum enim anno 1116. Groſolanus ſeu, ut alii legunt, Chryſolanus Mediolanenſis Archiepiſcopus, aliunde ad hanc Eccleſiam gubernandam tranſlatus, in Scripturis divinis & in ſecularibus litteris nobiliter doctus, Græca ac Latina lingua (quod hac tempeſtate rarum) inſtructus a Paſchali Papa II. ad Alexium Comnenum Imperatorem legationis munere fungeretur: inde occaſionem accepit, operamque contulit, ad Græcos *De proceſſione Spiritus Sancti a Filio* convincendos, quam illi opinionem impugnabant. Cum Chryſolanus igitur Conſtantinopolim veniſſet, ſive occaſione aliqua aliter oblata, ſive hoc etiam imprimis agendum ſuſcepiſſet, *Diſputationem adverſus Græcos De proceſſione Spiritus Sancti* coram Imperatore ipſo inſtituit, quæ hactenus extat Latine apud Cæſarem Baronium *Annalium* tomo XII. ad annum 1116. ex MS. Codice Bibliothecæ Vallicellanæ, ſive ut titulus habet, *Oratio ad eundem Imperatorem Alexium Comnenum:* quod egregium viri docti monumentum, cum a Latinis prorſus excidiſſet, Græcia utcunque mutilum conſervavit, quod ut impugnaret, dudum præ manibus habuit. Extat autem Græce & Latine apud Leonem Allatium tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* p. 379. Sed contra Chryſolanum tunc temporis Græci complures indicto quaſi bello, ſtructa acie caſtra moverunt. Interque alios Joannes Furneus Montis Gani Præpoſitus & Monachus, nec non Euſtratius primum quidem Monachus ſed Archiepiſcopus poſtea Nicænus, quos iiſdem temporibus vixiſſe, ex eorum Scriptis aperte conſtat: dum coram cum Chryſolano egiſſe affirmant, vel accepiſſe ab aliis, qui cum eo egiſſent. Utrumque autem Opus, nempe *Joannes Furneus contra Groſolanum Epiſcopum Mediolanenſem*, item *Euſtratius contra eundem*, extat MSS. Romæ, in Bibliotheca Vallicellæ. Inſcriptam Opus Joannis Farnei, *Ad ea quæ allata ſunt a Mediolanenſi Epiſcopo, & Spiritum Sanctum non procedere a Filio:* quod in Regia etiam Galliarum Bibliotheca inveniri dicitur. Cum autem Scriptum Joannis Furnei contra Chryſolanum Mediolanenſem Archiepiſcopum, ab altero Mediolanenſi Archiepiſcopo nomine Petro confutatum fuiſſet, cujus ſub hoc titulo Tractatulus in Regia Galliarum Bibliotheca cernitur, *Diſceptatio Petri Latini Mediolanenſis Epiſcopi, adverſus Monachum Dominum Joannem Furneum, Montis Gani Primarium, de Proceſſione Spiritus Sancti:* Joannes Furneus huic ſecundo Operi reſpondit, altero hujus tituli libro, *Contradictio ſpecialis in Epiſtolam Mediolanenſis*, quæ ibidem manuſcripta legitur. Et in Anglia inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, in MSS. Græcis Baroccianis Codice 101. pag. 94. *Johannis Phurni Monachi diſceptatio cum Petro Mediolanenſi Epiſcopo coram Imper. Alexio Comneno & Synodo Univerſa ac Senatu* Ἄχισον καὶ νέησον ἃ πρὸς σε &c. Ibidem num. 720. MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cod. 78. hujus Opuſcula diſputationis §. 3. 4. 5. 6. Audiamus omnem hanc *Monomachiam* propriis Leonis Allatii verbis Lib. 2. *De Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis perpetua conſenſione* cap. 10. num. 2. col. 626. "Hinc etiam illud obſervandum eſt, Groſolanum quem alii Chryſolanum, alii Proculanum dicunt, Mediolanenſem Archiepiſcopum, a Paſchali ſecundo ad Alexium Comnenum Imperatorem miſſum, eo ſolo nomine, quod ipſe exiſtimo, ut ſi quid erat in Græcia noxium ex Cerularii ſchola, radicitus extirparet, Græcoſque alios in fide contineret. Quare cum Conſtantinopolim perveniſſet, coram ipſo Imperatore diſputationem inſtituit de *Spiritu Sancto, eum ſcilicet ex Patre Filioque procedere*, quam & ſcripto mandavit, extatque hactenus ad Alexium Imperatorem Græce utcunque conſervata, ſive Græce ab eo ſcripta, ſive ab alio in Græcum converſa, ut Græcis ipſis innoteſceret: licet eum Trithemius vocet virum in Divinis Scripturis eruditiſſimum, & in ſecularibus literis nobiliter doctum, Græca & Latina eloquentia inſignem. Meminit illius, Nicolaus Hidruntinus Lib. 1. De proceſſione Spiritus Sancti contra Latinos, Τῦτο τὸ λῆμμα τῆς ἀγχινοίας ἐςὶ τῦ συνετωτάτυ, βασιλέως Ἀλεξίυ, τύτῳ γὰρ ἐχρήσατο ποτὲ κατὰ τῦ τῶν Μεδιολανῶν ἐπισκόπυ διαλεγόμενος. *Hoc lemma ſolertiæ eſt prudentiſſimi Imperatoris Alexii, eo enim uſus fuit aliquando, adverſus Mediolanenſem Epiſcopum diſputans.* Contra Chryſolanum Græci plures, etiam ingenii exercendi cauſa ſcripſerunt: inter eos Joannes Furnus Monachus & Nicolaus Methonenſis, quorum mentio fit in Reſponſione Joſephi Methonenſis ad Epiſtolam Marci Epheſii. Meminit etiam Anonymus *De diſſidio inter Eccleſiam Græcam & Latinam*, Et Joannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus, *De unione & pace Eccleſiarum veteris & novæ Romæ.* Τί δ' Ἰωάννης ὁ Φυρνὴς, καὶ τί Νικόλαος ὁ Μεθώνης; πολλὰ μὲν ψευδολογῦσι καὶ ὗτοι. *Quid porro Joannes Furnus? quid Nicolaus Methonenſis? multa quidem mentiuntur & iſti*, Phurnei Reſpon-

„sponsionis titulus fuit, Πρὸς τὰ ὑπὸ τῦ Με„διολανῶν ῥηθέντα, καὶ ὅτι οὐκ ἐκπορεύεται ἐκ „τῦ υἱῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Ad ea qua allata „sunt a Mediolanensi Episcopo, & Spiritum Sanctum „non procedere a Filio.* Cujus principium γρά„ψας ἅπερ ἐβέλυ, καὶ διατρανώσας ὡς οἴει, „δίκαιος ἂν εἴης. Et col. 627. Contra Furnem „in causa jam facta communi, rescripsit Petrus „Mediolanensis Archiepiscopus, quem se vidis„se Neapoli, narravit mihi sæpius, virtutum o„mnium laude cumulatissimus, Donatus Lili„tellus, inque Bibliotheca Regis Christianissimi „reperiri, præstantissimus Joannes Aubertus, „datis literis significavit sub hoc titulo: Διάλε„ξις Πέτρυ Λατίνυ Ἐπισκόπυ Μεδιολάνων, κα„τὰ τῦ μοναχῦ κυρῦ Ἰωάννυ τῦ Φρνῆ, τῦ „πρώτυ τῦ ὄρυς Γάνυ, περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῦ „ἁγίυ πνεύματος: *Disceptatio Petri Latini Me„diolanensis Episcopi adversus Monachum Dominum „Joannem Phurnem, Montis Gani primarium, De „processione Spiritus Sancti.* Principium, Ἄκυ„σον καὶ νόησον ἃ πρὸς σὲ φθέγγομαι ἐγὼ τῦ „θεῦ ἐπιτάσσοντος, Φρονιμώτατε καὶ ἀνεξίκα„κε, δύναλε καὶ πρᾶε βασιλεῦ Ἀλέξιε. *Audi „& intellige, qua ad te loquor ego jubente Deo* &c. „Joannes etiam Monachus & Montis Gani He„gumenus, eidem Mediolanensi, scriptione non „admodum longa respondit. Legitur enim i„psius Ἀντίθεσις μερικὴ εἰς τὴν Ἐπιςολὴν τῦ Με„διολάνων Ἐπισκόπυ. *Contradictio specialis in E„pistolam Mediolanensis Episcopi.* Principium, ὁ „Λατῖνος. ἀλλ᾽ ἡμεῖς μὲν φασὶν οἱ Γραικοὶ τῷ „λέγοντι ῥητῷ, τὸ πνεῦμα ἐκ τῦ Πατρὸς ἐκ„πορεύεσθαι. Ipse tamen hunc Joannem, eun„dem esse cum superiore Joanne Phurne exi„stimo: quod colligo ex Responsione Petri Epi„scopi Mediolanensis ad hunc eundem, cujus „titulus ita concipitur, Διάλεξις Πέτρυ Λατίνυ „Ἐπισκόπυ Μεδιολάνων κατὰ τῦ μοναχῦ κυρῦ „Ἰωάννυ τῦ Φρνῆ, τῦ πρώτυ τῦ ὄρυς τῦ Γάνυ, „περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τῦ ἁγίυ πνεύματος. „*Disceptatio Petri Latini Episcopi Mediolanensis, ad„versus Monachum, Dominum Joannem Phurnem, „montis Gani Prepositum, De processione Spiritus „Sancti.*„ Tertium autem eo tempore discordia arsit inter Ecclesias ambas Orientalem & Occidentalem, ut Græci fere omnes hujus ætatis celebres, contra Latinam Ecclesiam scripserint. Imo ipse Imperator Alexius Comnenus eandem arenam ingressus sit, ut ex allato supra *Nicolai Hydruntini* testimonio constat, cujus Opusculum ad nos usque non pervenit. Hæc contra ipsum Allatium, paucis dicta sunto.

Denique apud Petrum Lambecium Tomo 8. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* inter MSS. Codices Historicos Græcos Codice 53. num. 34. extat & quidem a folio 374. pag. 1. ad folium 375. pag. 1. *Johannis Furne Ascetæ sive Monachi Epistola ad Monachum Gregorium Antigonitam, cur neque in Quadragesima, neque a Paschale usque ad Pentecosten, exceptis certis Sabbathis, defunctorum & Sanctorum memoria celebrentur.* Ipsa tituli Græci verba cum principio hæc sunt, Ἐπιςολὴ τῦ τιμιωτάτυ Ἀσκητῦ Ἰωάννυ τῦ Φουρνῆ πρὸς τὸν τιμιώτατον Μοναχὸν κυρὸν Γρηγόριον τὸν Ἀνταγονίτην περὶ τῦ, διατὶ ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ τεσσαρακοςῇ, καὶ τῇ μετ᾽ αὐτὴν Πεντηκοςῇ, ἄνευ τῶν ἀφορισμένων σαββάτων, μνημόσυναι νεκρῶν ὀυ γίνονται, ὄυτε μνῆμαι ἁγίων ἐπιτελῦνται. καὶ περὶ τῆς προσηγιασμένης &c. Cujus meminit Daniel de Nesset in *Compendio Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* Petri Lambecii, 2. in folio voluminibus anno 1690. Vindobonæ edito, tomo 2. parte V. Codice Historico 34. num. 34. p. 63. Juxta Philippum Labbeum in *Bibliotheca Nova Manuscriptorum Librorum Græcorum & Latinorum ac Gallicorum* seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum,* quæ ex Catalogo potissimum MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collecta, anno 1653. in 4. Parisiis impressa est apud Joannem Henault. In hac *Nova Bibliotheca* parte I. pag. 75. *Joannis Furna de Assumptione Beatæ Virginis,* seu *De translatione sacri corporis Deipara, quod surrexit ante communem resurrectionem,* in Codice Regio MS. notato G. cum Theophanis Ceramei homiliis & in Regio Codice 801. in quo & aliæ plures homiliæ sunt. Hæc Labbeus. Agunt de Scriptoribus istis Baronius in *Annalibus* ad annum 1116. num. 15. ejusque epitomator Henricus Spondanus. Antonius Arnaldus in opere, *De perpetua fide Ecclesia Catholica circa Sacramentum Eucharistia* Lib. 2. cap. XI. pag. 233. Leo Allatius *De perpetuo consensu utriusque Ecclesia, Occidentalis & Orientalis,* Lib. 2. cap. 10. pag. 626. & Lib. 3. cap. 13. num. 15. Petrus Lambecius Libro 4. *Commentariorum Bibliotheca Vindobonensis* pag. 150. scribit fragmenta quædam Græce manuscripta extare *Tractatus Joannis Furnei contra Latinos,* in Codice MS. Theologico Græco CLVII. num. 18. fol. 264. pag. 2. & fol. 265. pag. 1.

EUSTRATIUS, METROPOLITA NICÆNUS, claruit circa annum 1110. sub Imperio Alexii Comneni, inter eos qui adversus Chrysolanum Mediolanensem Archiepiscopum scribunt, non ignobilis. Testatur hoc Anna Comnena ipsius Imperatoris Alexii filia testis contemporanea, *Alexiados* Lib. 14. & quidem editionis Regiæ Parisiensis Græco-Latinæ pag. 453. ubi honorificentissima ejusdem Eustratii mentio fit his verbis. Ἀνὴρ τά τε θεῖα σοφὸς καὶ τὰ θύραθεν αὐτῶν ἐν ταῖς διαλέξεσι μᾶλλον, ἢ οἱ περὶ τὴν ςόαν καὶ ἀκαδημίαν ἐνδιατρίβοντες. *Vir in rebus divinis externisque apprime eruditus, in concertationibus majorem sibi locum vendicans, quam illi qui stoa & academia exercitabantur.* Author certe gravis, & aliarum scriptionum laude apud Latinos ipsos celebris, fatente Leone Allatio *De consensu utriusque Ecclesia Occidentalis & Orientalis* Lib. 2. cap. 10. paragr. 2. Scripsit autem *adversus Chrysolanum* 1110

Opus de Processione Spiritus Sancti ex solo Patre, quod Romæ in Bibliotheca Vallicellana hodie MS. asservatur. Alios *quinque ejusdem argumenti Tractatus* recenset Leo Allatius loco supra citato, quos ipse vidit. Hæc Guillelmus Cavus in *Historia Rei Literaria* ad annum 1110. pag. 639. Sed Allatium unde sua Cavus hausit audire juvat loco citato, col. 624. ex iis quæ vidit atque legit, loquentem. Eustratius etiam Metropolita Nicænus, cujus extant *Commentarii in secundum Librum & alios posteriorum Analyticorum Aristotelis*, & meminit Caleca Lib. IV. *contra Græcos* in eumdem Chrysolanum seu Proculanum pro Græcis stylum acuit. Opus illius legitur in Vallicellana Bibliotheca & incipit, Πρώην μὲν ἡμῖν δύο γράμματα ἐμπεπόνηται, πρὸς ἅπερ Λατῖνοι φασὶ, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μὴ ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, παρεισάγοντες καινοτομίαν τινὰ οὐ σμικρὰν ἐν τῷ τῆς πίστεως ἀπεργαζόμενοι δόγματι. ἀλλ' ἐν ἐκείνοις μὲν ἐκεῖνα ἐκτέθειται, ὅσαπερ ἀκοῦσαι πεφθάκαμεν, πρὸς ἃ καὶ ἱκανὰς οἶμαι τὰς ἀντιθέσεις ἐξειργασάμεθα. *Nuper à nobis duo Commentarii conscripti sunt adversus ea, quæ Latini de Spiritu Sancto tradunt, eum nempe non ex solo Patre procedere, sed etiam ex Filio, in fidei dogmate maximum in modum innovantes. Sed in illis ea quidem exposuimus, quæ ab ipsis auditu accepimus, adversus quæ, sufficientes ut existimo oppositiones exeanti sumus.* Prætet itaque ea, quæ adversus Chrysolanum scripserat, alia quoque contra Latinos scripsisse, eodemmet Eustratio fatente condiscimus. Ego ipsius vidi tractatus aliquot de eodem argumento. *Primum* cujus principium, Πάλιν Λατῖνος ἡμῖν, καὶ πάλιν ζητήσεις περὶ τοῦ πνεύματος: *Iterum Latinus nobis, iterum Quæstiones de Spiritu.* Secundum cujus principium ἀλλ' ἀπαντητέον αὖθις, *Sed occurendum iterum.* Tertium cujus principium, Ποιήσεις φησὶν, *facies inquit.* Quartum cujus principium, ἔτι προστίθησιν ὥσπερ τοῖς προσφερομένοις ἐναβαρυνόμενος, καὶ μηδένα πρὸς μηδὲν: *Adhuc adjicit velut allegatis appressus, & neminem ad quicquam.* Quintus cujus titulus, Πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, κατασκευὴ, ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ μόνον, οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ. *Ad eos qui dicunt, ex Patre & Filio Spiritum Sanctum procedere, probatio quod ex Patre per Filium tantum, non ex Filio, procedit.* Principium, Οὐ πρὸς ἔριν ὁ λόγος, ἀλλ' ἀληθείας ἐξέτασιν, *Non ad contentionem sermo, sed ad veritatis inquisitionem.* Auctor est gravis, & aliarum scriptionum laude apud Latinos ipsos celebris, nisi causam adeo ineptam, contra veritatem, sibi defendendam suscepisset. Sed multa similium hominum zelo non secundum scientiam, aut præsumptioni consuetudinis, aut superbiæ, aut ambitioni, aut propriæ indulgentiæ, metui etiam ne pœnis afflictarentur, seu probris affecti suis bonis privarentur, condonanda sunt. Hæc Allatius, in quem facile retorqueri possent, quæ ille probra in Græcos ipse contorquet. Non tantum autem contra Latinos scripsit iste Eustratius Metropolita Nicænus, sed etiam *Libros duos contra Armenios*, in quibus cum imprudenter errores varios inseruisset, Confessionem & revocationem istorum errorum in Synodo Constantinopolitana sub Imperatore Alexio Comneno an. Christi 1107. celebrata obtulit, quæ Græce MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologio Græco CCXLVIII. num. 16. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 139. his verbis. "Decimo sexto & quidem a fol. 98. pag. 1. usque ad fol. 100. pag. 1. *Eustratii Metropolita Nicæni: Confessio & revocatio errorum, quos imprudenter inseruerat duobus libris suis contra Armenios.* Hujus Confessionis procemium ab alio quodam authore anonymo compositum inscribitur atque incipit his verbis: ἡ ἐξομολόγησις τοῦ Νικαίας Εὐστρατίου. Ἔφθασε μὲν ὁ ἱερώτατος τῆς Νικαιέων Μητροπόλεως, ἀρχιερεὺς Εὐστράτιος δύο λόγους ἐκθέσθαι κατὰ τῆς τῶν Ἀρμενίων αἱρέσεως. Ipsa autem Eustratii Confessio seu Revocatio, incipit hoc modo: ἐπειδὴ πρὸς Ἀρμενίους μαχόμενος, καὶ εἰς ἀνατροπὴν τῆς αὐτῶν σπουδάζων αἱρέσεως, ἐνέτυχον βίβλῳ, ἐν ᾗ ἦσαν λόγοι τοῦ ἁγίου Κυρίλλου εἷς μὲν πρὸς τὰς βασιλίσσας, ἕτερος δὲ &c. Finis demum & subscriptio ejusdem Confessionis seu Revocationis talis est: Τούτων ἐσφαλμένως γραφέντων, αὐτῶ συγγνώμην, οἰκειόχειρος τὸ παρὸν μου ἔγγραφον γράψας καὶ ὑπογράψας ἐν αὐτῷ, μηνὶ Ἀπριλλίῳ κϛ'. ἐπινεμήσεως ι. ἔτους ϛ. χ κ ε. ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης Νικαίας Εὐστράτιος τὸ παρὸν ἔγγραφον συνθέμενος οὕτως, καὶ οἰκειόχειρος τοῦτο γράψας καὶ ὑπογράψας ἐν αὐτῷ, ἐπιδέδωκα τῷ ἀφθίτῳ καὶ ἁγίῳ ἡμῶν βασιλεῖ, τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ οἰκουμενικῷ Πατριάρχῃ, καὶ τῇ θείᾳ καὶ ἱερᾷ συνόδῳ. Hoc est, *His perperam scriptis peto veniam, ideoque præsens hoc scriptum meum propria manu scripsi, eique subscripsi, mensis Aprilis die 26. Indictione decima, anno mundi 6625. hoc est Christi anno 1117. Ego Humilis Metropolita Nicææ Eustratius, præsens scriptum ita composui, propriaque manu scripsi & subscripsi, atque intemerato sanctoque Imperatori nostro, ut & sanctissimo ac œcumenico Patriarchæ, & divina ac sacra Synodo obtuli.*" Extat *Commentarius Eustratii Nicæni & Aspasii in Ethicorum Aristotelis libros X. ad Nicomachum* MS. Græce inter manuscriptos Codices Universitatis Oxoniensis num. 1204. & 1205. in manuscriptis Codicibus Collegii Novi Codicibus 240. & 241. Item ibidem num 1573. in manusciptis Codicibus Collegii Corporis Christi, Codice 106. folio in membrana. Et in Bibliotheca nostra Lugduno-Batava, in manuscriptis Græcis ab Isaaci Vossii hæredibus emptis, Codice 8. Translatus autem jamdudum hic Commentarius in Latinam linguam ab anonymo interprete,

extat

extat quoque in Bibliothecis frequenter, Anglicis autem potiſſimum inter manuſcriptos Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 237. in manuſcriptis Codicibus Collegii Baliolenſis, Codice notato E. 2. Inter manuſcriptos Codices Vniverſitatis Cantrabrigienſis num. 1701. in manuſcriptis Codicibus Domus S. Petri Codice 39. *Ethica Ariſtotelis cum Commentariis Euſtratii & Aſpaſii.* Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum n. 1854. in manuſcriptis Codicibus Collegii Ethonenſis ſub arce Windeſoria, Cod. 56. *Ethica Euſtratii Latine in fol.* Cæterum &c. Cæterum *Euſtratii noſtri Commentaria in poſteriora Analytica Ariſtotelis* Græce Venetiis, apud Aldum Manutium in folio impreſſa ſunt, anno 1534. Ejusdem *Commentaria in Ariſtotelis Ethica* Græce ibidem in folio anno 1536. & Latine Pariſiis anno 1543. ex interpretatione Joannis Bernardi Feliciani apud Johannem Boigny in folio. Plura de celeberrimo hoc Ariſtotelis interprete Græco Euſtratio Metropolitano Nicæno, qui ſub Imp. Alexio Comneno floruit, Philippus Labbeus in *Brevi conſpectu Græcorum Ariſtotelis Interpretum*, Lutetiæ typis Cramoſianis anno 1657. in 4. Ac ſpeciatim quidem De ſcriptis ejus *contra Latinos*, Leo Allatius *De perpetua conſenſione utriusque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* Lib. 2. cap. 10. paragr. 2. Petrus Lambecius Lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ pag. 139. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 324. & 365. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* ad annum 1110. pag. 639. quem in paucis ſupplevimus.

1110 GREGORIVS MONACHVS & PRÆPOSITVS MONASTERII IN OXIA SEV OXEA PROPONTIDIS INSVLA, floruit ſub initium ſeculi poſt Chriſtum 12. ſub Imperatore Alexio Comneno, eadem tempeſtate qua Theodorus Prodromus, de quo ſupra, qui & ad eum Epiſtolam ſcripſit, ut antea obſervavimus. Extant autem *Gregorii iſtius Epiſtolæ duæ* Græce MSS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice manuſcripto Theologico Græco 283. num. 13. ut habet Lambecius Tomo V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 232. his verbis: Decimo tertio & quidem a fol. 128. pag. 1. usque ad fol. 132. pag. 1. *Gregorii Monachi & Præpoſiti Monaſterii in Oxia ſeu Oxea Propontidis inſula Epiſtolæ duæ*, quarum prima *ad Cæſarem* inſcribitur atque incipit ab his verbis: Γρη»γορίου μοναχοῦ καὶ καθηγουμένου τῆς ἐν τῇ Ὀξείᾳ »νήσῳ σεβασμίας μονῆς, τοῦ Βουλγαρίου, ἐπιστολὴ »τῷ Καίσαρι. Τοὺς λαμπροὺς καὶ διαφανεῖς τοῦ »νοῦς ὀφθαλμοὺς, οὓς ἡ σοφία τῇ βασιλείᾳ συ»νιδωρήσατο ὦ Καισάρων εὐκλεῶν εὐκλεέστερα δια»δοχὴ, ποίει ἀπὸ τοσαύτου τοῦ διαστήματος φαν»τάζεσθαι καὶ ἡμᾶς &c. Secunda autem *Conſola»toria ad Porphyrogenitam Deſpoenam, ſive Dominam »Theodoram, de obitu Panhyperprotoſebaſto hyperba»ti Deſpotæ* Ἀνεμοῦς. Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὴν Πορφυρο-γέννητον κυρίαν Θεοδώραν ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ" πανυπερπρωτοσεβάστου περτάτου Δεσπότου τοῦ" Ἀνεμοῦς. Πᾶς ἁμαρτωλὸς πρὸ τῆς οἰκείας" ἐξόδου καταξιωθεὶς ἐξ ὅλης καρδίας ἐπιστρέψαι" πρὸς τὸν θεὸν &c. Ita Lambecius Lib. 5. Com" mentariorum hujus Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pag. 232. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 323. & 365.

THEODORVS PRODROMVS ſeu PROCHOPRODROMVS natione Græcus, ſub initium ac medium etiam ſeculi XII. poſt Chriſtum natum, ſub Alexio Joanne atq; Manueli Comnenis floruit, multaque ſcripſit, quorum pauca impreſſa extant, *Nempe Domini Theodori Prodromi Epigrammata, quibus omnia utriusque Teſtamenti capita comprehenduntur.* Græce Baſileæ 1536. in 8. *Theodori item Prodromi Philoſophi Rhodantes & Daſiclis amorum libri VIII.* Græce & Latine ex interpretatione Gilberti Gaulmini, Pariſiis 1615. in 8. Pleraque in Regia Galliæ Bibliotheca, de quibus ita in *Bibliotheca Nova MSS. Codicum* Philippi Labbei, quam anno 1653. in 4. edendam curavit apud Joannem Henault. *Nova Bibliotheca MSS. Codicum Græcorum, Lati"norum ac Gallicorum*, ſeu *Speciminis antiquarum" lectionum Græcarum, Latinarum ac Gallicarum"* parte 2. pag. 9. *Theodori Prodromi brevis enarra"tio ad quæſita Sebaſtocratoriſſæ* in Codice MS. 24." Bibliothecæ Regiæ. Ibidem pag. 97. *Theodo"ri Prodromi Expoſitio Canonum in Domini noſtri" Jeſu Chriſti feſta, auctoribus Coſma & Joanne Da"maſceno*, cum Nicephori Blemmydæ Canone" & Jambis in S. Gregorium Theologum, & Ni"cetæ Expoſitione in ejusdem Tetraſticha Na"zianzeni, aliisque, in Codice MSS. N. & in O." Enarratio ſacrorum Canonum ſeu Trapario"rum Andreæ Archiepiſcopi Cretæ ad Rigi"num. Ibid. parte 3. pag. 100. in Codice Re"gio 623. in quo *Italici Epiſtola ad Prodromum" Philoſophum, & Prodromi Reſponſio ad Italicum.*" Ibid parte 4. pag. 105. & 106. ex Codice Re"gio 1644. ubi *Theodori Prodromi Grammatica &" Quæſtiones Grammaticæ.* Parte 4. pag. 115." *Theodori Prodromi de pauco & multo, magno &" parvo, quod non ſint relativa, ſed quanta & con"traria*, ex MS. F. collato cum Codice Regio" 547. Ejusdem invectiva in illud Poëtæ hemi"ſtichlum ἡ πενίη σοφίην ἔλαχεν, *Pauperies ſapi"entiam nacta eſt*, ex Codice MS. 1251. ejus"dem Regiæ bibliothecæ, quam cum Latina In"terpretatione anno 1608. Federicus Morellus" edidit. Ibid. parte 4 pag. 136. Nicephori Cal" liſti Xantopuli Carmina Technica excuſa fue"runt Baſileæ an. 1536. apud Joannem Babelium," cum *Domini Theodori Prodromi Poëmatibus*, quæ" operæ pretium fuerit vulgare iterum, cum in"terpretatione Latina, quæ Baſileenſi editioni" defuit. Ibidem pag. 137. *Theodori Prodromi" Tetraſtica Jambica & Heroica Hiſtoriarum Sacræ" Scripturæ. In Bareum a quo appellatus fuerat hæ" reticus. Epithalamium Alexii Comneni. In nuptias"* 1100

filii

„*filii Alexii. Hymnus Joanni Comneno. Alius*
„*hymnus Comneno. In baptismum Christi, in Hor-*
„*tum. in sepulchrorum effossores, in sepulchrum Jo-*
„*annis in magnum Apostolum Paulum*, & alia in
„Codice Regio 1513. *Ejusdem versus Epitaphii*
„*ad Tzicandelem Leonem, in duodecim Apostolos, in Ru-*
„*bum, in Arcam Mosis, in Ægyptum, in Vetulam, in*
„*Crucem* &c. in Codd. 623. 2120. 2215. Multa
„carmina Græce duntaxat edita vidimus Basileæ
„anno 1536. cum Nicephori Xanthopuli Opu-
„sculis Poëticis, & aliorum quorundam: De-
„nique ibidem *Nova Bibliotheca MSS. librorum*
Supplemento VII. pag. 269. ubi *Analecta quadam*
„*ex ditissima gaza Bibliotheca Regia* pag. 298. Co-
„dice MS. 1818. *Joannis Damasceni Canones Do-*
„*minici in quasdam Ferias Dominicas, cum inter-*
„*pretatione Theodori Prodromi.*

Omisit quidem Guillelmus Cavus Theodorum Prodromum *Historia litteraria* parte 1. sed illius mentione facit Tomo 2. seu Parte 2. ad annum 1110. pag. 379. Londinensis editionis & pag. 221. editionis Genevensis his verbis.
„Cyrus Theodorus Prodromus in quo titulo
„*Cyrum* nihil aliud quam Κῦρον, Dominum
„denotare arbitror, Monachus sive ut hoc tem-
„pore loqui solebant, Philosophus, causæ Græ-
„corum adversus Latinos fautor & defensor
„strenuus, sub Alexio Comneno anno MCX.
„claruit. Scripsit *De processione Spiritus Sancti*,
„cujus hoc principium, *Φανερὸν ἐςιν ὅτι ὥσπερ ὁ*
„*υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον οἴεται ἐκ Πατρὸς*
„*μόνου ἔχειν ὕπαρξιν.* Hunc se legisse testis
„nobis est Leo Allatius *de consensu Orien-*
„*talis & Occidentalis Ecclesia* lib. 2. cap. 10. Num.
„11. pag. 630. *Epistola* ejus ad Gregorium Mo-
„nasterii Insulæ Oxiæ in Propontide Abbatem,
„de exilio Patriarchæ ad hanc Insulam, habetur
„MS. Bibliothecæ Vindobonensis Codice Theo-
„logico Græco LVIII. Num. 14. fol. 132. hoc
„initio, *οἶμαι θεσπέσιε καὶ σοφὲ Πατὴρ καὶ σῶ-*
„*τερ μέγα γρηγόρει, ὅτι ἐκλέλοιπεν ὅσιος ἀφ'*
„*ἡμῶν.* Epistolæ ejus aliquot MSS. habentur
„in Bibliotheca Bodlejana, Codice Barocciano
„131. Scripsit item amplissimam Expositionem
„in Sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Maju-
„mensis & Joannis Damasceni Canones sive Can-
„tica Ecclesiastica, in præcipuis solennitatibus
„decantari solita, quæ ita incipit, ὁ Χριςὸς βρο-
„τὸς γενόμενος, ἦγουν ἄνθρωπος θνητὸς, ἦν καὶ
„θεὸς ὁ αὐτὸς &c. Extat MS. Bibliothecæ Vin-
„dobonensis Codice Theologico Græco
„CCCV. Num. 1. fol. 1. usque ad folium 191.
„pag. 2. & Codice CCLXIX. iterumque Cod.
„CCCXII. & in Bibliotheca Bodlejana inter
„Codices Baroccianos, Codice CX. Ejusdem
„Tetrasticha sacra cum anonymi cujusdam
„Commentario grammaticali incipiunt, Ἐν
„ὑμέραις ἐξ τὴν κτίσιν κτίζεις Λόγε &c. MSS. i-
„bidem Codice Juridico XV. Num. XII. folio
„184. Mitto Miscellanea Grammaticalia ejus
„ibidem Codice Philosophico CV. num. 2.
„Ejusdem *Poëma astronomicum versibus Politicis*,
ad Sebastocratorissam Irenem, Codice CX. num.“
24. in alium quippe censum referenda. Bre-“
vis ejus Enarratio ad quæsita Sebastocratoris-“
sæ, habetur Græce MS. in Bibliotheca Regia“
Parisiensi, Codice XXIV.“ Hæc Cavus locis citatis, cujus citationes omnes ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis factæ, falsæ sunt, ut mihi conferenti innotuit: atque extant Numeris a me postea latius citandis.

Paraphrasis Theodori Brodromi Carminum trium Jambicorum Pentasticorum, Codice MS. Theologico Græco CXLVII. Num. 9. de qua Lambecius libro 4. Commentariorum pag. 114.

Epistola ad Gregorium Monasterii Oxiæ Abbatem Codice CCLXXXIII. Num. 14. ut Lambecius habet Libro 5. Commentariorum pag. 233.

Commentarius amplissimus in Canones seu Cantica Ecclesiastica Sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Majumensis & Joannis Damasceni, in præcipuis Solemnitatibus decantari Solita, Codice MS. Theologico Græco CCCXV. CCCXVI. & CCCXVII. de quibus Lambecius.

Ejusdem Tetrasthica Sacra cum anonymi ejusdem Commentario Grammaticali, MS. ibidem Codice Juridico Græco VII. Num. 12. folio 184.

Ejusdem Poema astronomicum ad Sebastocratorissam Irenem, Codice MS. Philosophico XLII. num. 24. a fol. 532. pag. 2. ad 538. pag. 1. de quibus jam accuratius. Omnia hucusque in Bibliothecis manuscripta, cum pulvere luctantia, cujus tibi quæ in Imperatoria Bibliotheca Græce extant, ex Lambecii commentariis simul collecta, hic sub conspectum unum exhibemus. *Theodori Prodromi Paraphrasis trium Carminum Jambicorum Pentastichorum Sancti Joannis Damasceni in Festum Christi Nativitatis, in festum baptismatis Christi & in festum Pentecostes*, extat inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice 147. Num. 9. ut habet Lambebecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 114. his verbis. “Nono & quidem“
à fol. 53. pag. 1. usque ad fol. 65. pag. 1. *S. Jo-*“
annis Damasceni Canones seu Carmina tria Jam-“
bica Pentasticha: quorum primum *in festum*“
Pentecostes post Acrostichidem suam, duobus“
hexametris totidemque Pentametris compre-“
hensam, incipit hoc modo: *θείῳ καλυφθεὶς ὁ*“
βραδύγλωσσος γνόφῳ &c. Secundum Carmen“
in Nativitatem Christi, incipit post Acrosti-“
chidem suam hoc modo: *Ἔσωσε λαὸν θαυμα-*“
τουργῶν Δεσπότης &c. Tertium Carmen *εἰς τὰ*“
θεοφάνια, sive *in festum baptismatis Christi*,“
post Acrostichidem suam incipit hoc mo-“
do: *Στείβει θαλάσσης κυματούμενον σάλον* &c.“
hisce tribus autem Carminibus adjun-“
cta est *Paraphrasis Graca Theodori Pro-*“
dromi, ita ut singulis eorum versibus,“
e regione collocata respondeat. Titulus hu-“
jus *Exegeseos* sive *Paraphrastica Expositionis* ta-“
lis

lis est, Κανόνες δεσποτικοὶ δι' ἰάμβων ἐξηγηθέντες παρὰ κυρῦ Θεοδώρου τῦ προδρόμου. De illo quoque Lambecius in Catalogo Scriptorum hujus 4. tomi, pag. 254. Item Codice MS. Theologico Græco 315. num. 1. extat *Theodori Prodromi Expositio in Sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Majumensis & Joannis Damasceni Canones, sive Cantica Ecclesiastica in præcipuis sacris solennitatibus cantari solita:* ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 276. his verbis. Codice MS. Theologico Græco 315. num. primo & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 191. pag. 2. *Theodori Prodromi Expositio* &c. ut supra. Ipsa tituli Græci verba cum principio Expositionis Canonis primi, hæc sunt: Τῦ Φιλοσόφου Θεοδώρου τῦ Προδρόμου ἐξήγησις εἰς τὰς ἐν ταῖς θείαις καὶ δεσποτικαῖς ἑορταῖς μελουργηθέντας κανόνας, παρὰ τῶν ἁγίων καὶ σοφῶν μελῳδῶν Κοσμᾶ καὶ Ἰωάννου τῦ Δαμασκηνοῦ. Ὁ Χριστὸς βροτὸς γενόμενος, ὅπερ ἄνθρωπος θνητὸς, ἦν καὶ θεὸς ὁ αὐτὸς &c. Codice MS. Theologico Græco 316. ut habet Lambecius pag. sequente 277. continetur quoque *Theodori Prodromi Expositio in sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Majumensis & Joannis Damasceni Canones, sive Cantica Ecclesiastica in Solemnitatibus Dominicis cantari solita.* Ipsa tituli Græci verba cum initio Præfationis, ad Orphanotrophum, quæ in præcedenti proxime Codice 315. non extat, hæc sunt: Τῦ Φιλοσόφου κυρῦ Θεοδώρου τῦ Προδρόμου ἐξήγησις εἰς τὰς ἐν ταῖς ἱεραῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς ἐκτεθέντας Κανόνας, παρὰ τῶν ἁγίων καὶ σοφῶν ποιητῶν Κοσμᾶ καὶ Ἰωάννου. Προοίμιον εἰς τὸν Ὀρφανότροφον. Ἔοικας ἄνθρωπε τῦ θεῦ, πρὸς τὴν τῶν ἐν ταῖς δεσποτικαῖς καὶ ὑπερτελέσιν ἑορταῖς μελουργηθέντων ᾀσμάτων &c. quo finito Procemio, sequitur *Expositio primi Canonis in Exaltationem sanctæ Crucis*, hoc modo: ἡ Ἀκροστιχίς. Σταυρῷ πεποιθὼς ὕμνον ἐξερεύγομαι. Δίκαιος ὢν ὄντως ὁ μελῳδὸς, εἰκότως καὶ ὡς λέων πέποιθε κατὰ τὴν γραφὴν &c. Denique ut habet idem Lambecius ibidem Codice MS. Theologico Græco 317. continetur, *Theodori Prodromi Expositio in sanctorum Patrum Cosmæ Majumensis Episcopi & Joannis Damasceni Canones, sive Cantica Ecclesiastica in Solemnitatibus Dominicis cantari solita.* Initium *primi Canonis Expositionis* tale est, ἡ ἀκροστιχίς, Χριστὸς βροτωθεὶς &c. ἀπὸ τῦ Ἀποστόλου ἡ τῆς ἀκροστιχίδος ταύτης χρῆσις εἰλήφθη τῷ μελῳδῷ &c. Ejusdem *Theodori Prodromi Epistola ad Gregorium Monasterii Insulæ Oxia Abbatem* extat ibidem Codice MS. Theologico Græco 283 n. 14. ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 233. his verbis: Decimo quarto & quidem à fol. 132. pag. 1. usque ad fol. 133. pag. 1. *Theodori Prodromi ad Gregorium Monasterii insulæ Oxiæ Abbatem*, cujus titulus & principium: Τῦ Φιλοσόφου κυρῦ Θεοδώρου τῦ Προδρόμου ἐπιστολὴ, πρὸς τὸν αὐτον κύριον Γρηγόριον, ὅτε ἦλθε πρὸς τὸ νησίον ὁ ἁγιώτατος ἡμῶν Δεσπότης ἀπὸ τῦ Πατριαρχείου ἀρρωστήσας καὶ παραιτησάμενος. Οἴμοι θεσπέσιε, καὶ σοφὲ μου Πάτερ καὶ σῶτερ μέγα Γρηγόριε, ὅτι ἐκλέλοιπεν ὅσιος ἀφ' ἡμῶν &c. Ejusdem *Theodori Prodromi Tetrastica sacra cum Anonymi ejusdem authoris Commentario Grammaticali*, extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Juridico Græco VII. num. 12. ut habet Petrus Lambecius Lib. 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 32. his verbis: Duodecimo & quidem à fol. 184. pag. 1. usque ad fol. 191. pag. 1. *Theodori Prodromi Tetrasticha sacra cum Anonymi cujusdam authoris Commentario Grammatisali*, quorum titulus & principium: Τῦ Προδρόμου κυρῦ Θεοδώρου Τετράστιχα. ἐν ἡμέραις ἓξ τὴν κτίσιν κτίζεις Λόγε &c. verum tantisper relicta Imperatoris Bibliotheca, ad Heidelbergensem accedamus, in qua Codice 369. num. 10. *Theodori* sunt *Prodromi tetrasticha heroica*, quibus primum *quatuor Evangelistarum summa capita, deinde Veteris quoque Testamenti præcipua historia exprimuntur*, in parvo folio, Jam ad bibliothecam Imperatoriam redeamus. Ibidem inter Manuscriptos Codices Philosophicos Græcos, Codice XLII. num. 24. ut habet Lambecius Libro septimo Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 83. his verbis. Vigesimo quarto & quidem a fol. 533. pag. 1. usque ad folium 538. pag. 1. *Theodori Prodromi*, qui sub initium seculi 12. sub Imperatore Alexio Comneno floruit, *Poëma Astronomicon versibus Politicis ad Sebastocratorissam Irenem*, cujus titulus & principium: Στίχοι συντεθέντες παρὰ τῦ μακαριωτάτου Φιλοσόφου κυρῦ Θεοδώρου τῦ Προδρόμου, τῇ Σεβαστοκρατορίσσῃ Κυρίᾳ Εἰρήνῃ. Εἶγε ψυχὴ βασίλισσα μεγαλοπρεπεστάτη &c. Videtur fuisse juvenis valde sub Alexii Comneni imperio, ac attigisse Manuelis Comneni imperium. Carolus du Cange meminit *Theodori Prodromi* seu *Ptochoprodromi* in Catalogo Scriptorum quem subtexuit *Glossario* suo *mediæ & infimæ Græcitatis* col. 32. his verbis. Ptochoprodromi Poëma versibus Græcobarbaris politicis, in quo paupertatem suam deplorat, ad Imperatorem Manuelem Comnenum. Post illud Poëma, sequitur aliud eodem metro compositum, hoc titulo: Πτωχοπροδρόμου βιβλίον δεύτερον καθ' ἡγουμένων, in quo in suum Abbatem acrius invehitur, in Cod. Regio 1354. laudatur a Gregorio Corinthi Episcopo de constructione Orationis, apud Allatium *De Georgiis* pag. 309. *Theodorus Ptochoprodromus* appellatur in Codice Pithæano quem vidi, adeo ut idem videatur cum ejusdem ævi Poeta, qui *Theodorus Prodromus* nude appellatur in lemmate prioris Poematis, Στίχοι τῦ Θεοδώρου Πτωχοπροδρόμου πρὸς τὸν Βασιλέα κύριον Μανουὴλ τὸν Κομνηνόν. Alterius vero Poematis titulus ita concipitur, Ἕτεροι στίχοι τῦ Ἱλαρίωνος μοναχῦ τῦ Πτωχοπροδρόμου πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα κύριον

νῆσιον Μανουὴλ, τὸς Πορφυρογέννητον, τὸν Κομνηνόν. Et revera se Ilarionem vocat sub finem „Poematis, nomine scilicet monachico.„ Ita Carolus du Fresne, Cangii Dominus, qui ibidem columna 57. notat Poemata Theodori Prodromi edita Græce, Basileæ 1536. in 8. cum Synopsi sacræ Scripturæ Nicephori Callisti Xanthopuli qui sub Palæologis floruit. Idemque confirmat Continuator Cavi quoad Synopsim Callisti, ad annum 1333. pag. 30. Leo autem Allatius in Opere *De perpetua consensione Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis* lib. 2. cap. 10. §. 2. col. 629. Theodorum Prodromum vult floruisse sub Alexio Comneno, atque eidem addictissimum comperisse, qui tamen sæpius in suis Operibus, *Processionem Spiritus Sancti ex solo Patre* intonat, se legisse Orationem ejusdem adversus Latinos *De processione Spiritus Sancti,* cujus illud principium est, *Φανερὸν ἐστὶν, ὅτι ὥσπερ ὁ υἱὸς, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον ὀϊεται ἐκ πατρὸς μόνου ἔχειν τὴν ὕπαρξιν* &c. In bibliotheca Heidelbergensi apud Vaticanum Romæ, Codice 369. num. 10. *Theodori Prodromi Tetrasticha heroica quibus primum summa capita 4. Evangelistarum, deinde Veteris quoque Testamenti præcipua historia exprimuntur*, Græce in fol. parvo. In bibliotheca Lugduno-Batavæ nostra inter MSS. Codices Græcos Isaaci Vossii ab hæredibus emptos, Codice 103. *Joannis Damasceni Cantica* sive Liber qui dicitur *Octoechus* vel *Octo sonorum seu tonorum cum Prolegomenis & Commentariis Cyri Theodori Prodromi & Joannis Zonara.* Item inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ in Anglia, in MSS. Baroccianis Græcis num. 110. *Theodori Prodromi expositio Octoechi Cosmæ & Damasceni*, Περὶ τῶν χειροτονηθέντων πρεσβυτέρων. *Ejusdem Expositio hymnorum Cosmæ ac Damasceni*, qui in festis canuntur. pag. 182. Ἔοικας ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ. Ibidem num. 131. pag. 172. *Theodori Prodromi Epistolæ aliquot.* Item ibidem pag. 176. ad 178. *Epistola Italici ad Prodromum* & alia responsoria *Prodromi ad Italicum.* Ibidem Codice MS. Barocciano 197. *Prodromus in beatam Barbaram* pag. 209. Λαμπρῶν ὁ πατὴρ ἀξιοῖ σε τῶν γάμων &c. Ibidem Codice 214. *Theodori Prodromi Expositio Canonum Cosmæ & Damasceni*, ut supra Ἔοικας ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ. Ibidem num. 264. in MSS. Græcis Codicibus Thomæ Roe, Codice 18. pag. 454. *Theodori Prodromi varia Epigrammata sacra*, ad pag. 460. Hæc ex Lambecio, variis Locis Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis dispersa, quorum meminit Lib. 4. pag. 114. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 254. Lib. 5. pag. 276. & 277. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 318. & 365. Lib. 6. pag. 32. & in Catalogo pag. 78. Lib. 7. pag. 83. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 303. Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. bibliothecæ Græcæ cap. 6. accurate a pag. 815. ad 820. editionis 1714. Hamburgi in 4.

EUTHYMIUS ZIGABENUS MONACHUS GRÆCUS, vixit ineunte 1110
seculo Christi XII. eo tempore, quo florebat Joannes Zonaras, de quo nos postea. Adhucque anno 1118. superstes erat, quo Alexius Comnenus Orientis Imperator obiit, cujus jussu Basilius auctor Bogomilorum in theatro equestri combustus fuisse narratur: quorum Euthymius errores parte a. *Panopliæ* cap. 23. confutat, unde ejus tempora conjicimus. De illo Labbeus & Bellarminus uterque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, hic ad annum 1118. iste tomo 1. *Dissertationis Historicæ* pag. 311. verbo *Euthymius Zigabenus*, ambo satis imperfecte. Scripsit primum *Orthodoxæ fidei Panopliam Dogmaticam adversus omnes hæreses*, in duas partes distributam, Latine tantum Lugduni anno 1536. editam, & Venetiis anno 1575. apud Franciscum Rampazetum, interprete Petro Francisco Zeno Veronensi Canonico. Quæ autem ejusdem nomine Græce & Latine edita sunt cum aliis Saracenicis a Joanne Jacobo Beutero, & recusa tomo XII. Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Parisiensis col. 536. titulo *Confutationes Ismaelitarum & eorum sectæ fictitiorum Dogmatum*, nihil aliud sunt quam breve fragmentum ex *Panoplia* desumptum, nempe titulus ultimus, ex Codice manuscripto Palatino, nunc Vaticano, quod cum Notis edidit Fredericus Sylburgius in *Saracenicis* a pag. 1. usque ad p. 54. atque ex illo fronte Ducæus in Auctario suo *Bibliotheca Veterum Patrum* anni 1624. tomo 2. p. 292. Ita Labbeus, cui addimus, extare Græce manuscriptam hanc Panopliam in Bibliotheca Vaticana ter ex manuscriptis Heidelbergensibus, Codd. 33. 201. & 345. ut ex ejus Catalogo ad calcem *Apparatus Sacri* Antonii Possevini constat, foliis 74. 79. & 89. Eademque MS. ter in Bibliotheca Cæsarea Viennensi, inter manuscriptos Codices Theologicos Græcos, num. 227. 226. & 225. ut habet Lambecius Libro V. Commentariorum hujus Cæsareæ Bibliothecæ pag. 51. & 52. iterumque in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 324. & 365. Item in Bavaria, Cod. 47. Interdum autem in Manuscriptis etiam Codicibus hæc Panoplia dividitur in duos libros seu partes, quarum prima continet titulos XI. secunda XVII. Aliquando unico libro continetur, qui 28. vel 29. vel 30. titulorum est. Nec dubium mihi, quin reperiatur in celebrioribus Europæ Bibliothecis, quæ Græcis abundant Cudicibus, ut in Regia Gallica Codd. 1990. 2399. 2939. & alibi. In Anglia inter manuscriptos Codices Bibliothecæ Bodlejanæ n. 8707. in MSS. Joannis Felli Codice 21. Inter manuscriptos Codices Hiberniæ num. 419. in manuscriptis Codicibus S. Trinitatis Dublinensis Codice 279. litera E. Præter allegatos supra Bibliothecæ Cæsareæ manuscriptos Codices *Panoplia Euthymii Zigabeni*, Codice manuscripto Theologico Græco LXXVII. ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothe-

cæ

cæ pag. 168. & quidem a fol. 203. pag. 1. & 2. hujus Codicis, extant Excerpta novem magna ex Panoplia Dogmatica Orthodoxæ fidei Euthymii Zigabeni Monachi Græci, adversus omnes hæreses, quorum titulos & principia sic Lambecius subjungit. Excerptum 1. fol. 203. pag. 1. adversus Agnoetas, ex Sancto Basilio Magno, & Oratione secunda Sancti Gregorii Nazianzeni *De filio &c* Excerptum 2. fol. 203. p. 2. contra varios errores Origenis. Excerptum 3. fol. 204. pag. 2. adversus Monothelitas Sergium, Pirrum, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos, ex Sancto Maximo, S. Joanne Damasceno, aliisque Patribus. Excerptum 4. folio 213. pag. 1. adversus Iconomachos ex Nicephoro & Photio Patriarchis Constantinopolitanis, & ex Theodoro Studita. Excerptum 5. adversus Armenios fol. 214. pag. 2. Excerptum 6. contra Paulicianos ex Photio Patriarcha Constantinopolitano, ex Sancto Joanne Damasceno *de Cruce* & aliis, fol. 218. pag. 2. Excerptum 7. adversus Massalianos fol. 234. pag 2. Excerptum 8. adversus Bogomilos, fol. 237. pag. 1. Excerptum 9. adversus Saracenos fol. 245. p. 2. tum ex Evodio Monacho, tum quoque ex aliis. Denique ad calcem horum Excerptorum Panopliæ Dogmaticæ Euthymii Zigabeni, *Appendix ejusdem Panopliæ*, hactenus quidem quod sciam, nec Græce nec Latine edita unquam, editione tamen multas ob causas dignissima, qua continentur *Anathematismi quatuordecim contra Massalianorum & Bogomilorum hæresim, & triumphus de eorundem repressione per Imperatorem Alexium Comnenum*, cujus jussu Basilius hæresiarcha, professione quidem Medicus, habitu autem Monachus, in Hyppodromo Constantinopolitano vivus combustus est, ut testatur Alexia Comnena *Alexiados* Lib. XV. pag. 487. editionis Græco-Latinæ Parisinæ, ubi Basilium illum vocat *Βασίλειον τὸ ἔνδυμα Μοναχόν*. De qua pluribus *Appendice* idem Lambecius loco citato pag 171. & 172. & in Catalogo hujus tomi pag. 235. & 271. Vtrumque Opusculum hoc ex MS. illo Codice Cæsareæ bibliothecæ, edidit Græce & Latine in 4. anno 1696. Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmann, Jacobus Tollius in *Insignibus Itinerarii Italici*, pag. 106. & 126. *Formulam recipiendi eos qui a Manichaeorum & Paulicianorum hæresi ad puram fidem convertuntur*, quæ ad 177. observationibus illustrantur, ac notis.

Item *Commentationes in omnes CL. Psalmos & decem sacra Scriptura Cantica*, quæ Græce Veronæ anno 1530. in folio excusæ sunt typis Stephani Nicolini Sabiensis & fratrum. Conversæ autem in latinum sermonem à Philippo Saulio Episcopo Brugnatensi, Parisiis anno 1543. in 8. 1547. in 8. tandemque Venetiis anno 1568. prodierunt. Præfationem vero Euthymii *Zigabeni in Psalmos* prolixam admodum, Græce & Latine primus edidit Stephanus le Moine tomo 1. *Variorum Sacrorum* pag. 150. qua author de natura, origine, usu, scopo, multiplici Psalmorum genere, obscuritate, variisque versionibus Græcis accurate agit. Hæc Cavus tantum, cui nos adjicimus illas inveniri Græce manuscriptas, tam in Bibliotheca insigni Vaticana, quam Monachii in Bibliotheca Bavarica Cod. 47. In Regia Galliarum Bibliotheca, Codd. 2400. 2401. 2938. Lugduno Batava ex Libris Græcis a Vossii hæredibus emptis Codice 68. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ in MSS. Codicibus Baroccianis num. 122. 194. pag. 42. Ibidem 253. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 7. Num. 2942. cum libris Sinensibus Thomæ Bodleji Codice 159. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium bibliothecarum num. 9144 in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Codice 73.

Commentaria in quatuor Evangelia, edita Græce in folio Veronæ anno 1630. cum *Commentario in Psalmos*, Latine ex interpretatione Joannis Hentenii Mechliniensis excusa Lovanii anno 1544. in 8 Parisiis 1544. 1560. & 1602. Extant MSS. Græce in bibliotheca Bodlejana inter MSS. Codd. Baroccianos Codice 28.

Addit Labbeus loco citato. Eodem quoque interprete prodiisse dicitur Lovanii & Parisiis *Commentarius in Epistolas Sancti Pauli ex Chrysostomo & aliis Patribus diversis studiose collectus*, sed non memini me uspiam vidisse. Caret in Bibliothecis Veterum Patrum Coloniensi & Parisiensibus, non apparet. Quisquam ne erit, qui hæc & quæ præterea dicuntur latere MSS. doctissimi interpretis monimenta, quem acerrimi judicii scriptor Joannes Maldonatus in caput 17. Matthæi, dixit esse in verborum proprietatibus observandis diligentissimum tan-« dem ornate & Græce simul & Latine evulget,« ad publicam eruditorum omnium utilitatem.« Hoc Labbei votum, cui ut pro parte nostra« qualitercunque satis stat: Quantum ad *Commentarium in Epistolas Sancti Pauli ex Chrysostomo & aliis Patribus*, quem Euthymio Zigabeno affingit, dicimus illum ipsum esse quem habemus sæpissime MS. in Bibliothecis sub nomine Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi, sub cujus nomine sæpius quoque editus est, ut antea in *Theophylacto* exposuimus.

In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS Theologico Græco CCLXXXVIII. num. 13 ut habet Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 106. Decimo tertio & quidem a fol. 43. pag. 1. us-« que ad fol. 48. pag. 2. *Euthymii Zigabeni Mo-« nachi Græci, Disputatio cum Saraceno quodam Phi-« losopho, de fide, habita in urbe Cappadocia Meli-« tine* Ipsa tituli Græci verba cum principio« Disputationis, hæc sunt: *Διάλεξις Εὐθυμίου μο-« ναχοῦ καὶ Σαρακηνοῦ Φιλοσόφου περὶ πίστεως, γε-« νομένη ἐν τῇ πόλει Μελιτηνῇ. Ἐρώτησις Σαρα-« κηνοῦ. Πῶς ὁμολογεῖτε πολυθεΐαν, καὶ εἰσάγε-« τε ἐν τῷ θεῷ γέννησιν, καὶ πάλιν λέγετε Πατέ-« ρα, υἱὸν, καὶ ἅγιον Πνεῦμα; δείξατε ἡμῖν ταῦτα.«*

„λέγει ὁ Εὐθύμιος. ἡμεῖς ἕνα θεὸν πιστεύομεν „ἄκτιστον, ἄναρχον, ἀπερίγραπτον.

Codice MS. Theologico Græco CCXLVIII. num. 1. ut habet Lambecius Libro 5. eorundem Commentariorum pag. 134. his verbis. „Primo & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. „21. pag. 1. *Euthymii Zigabeni, Monachi Monasterii Constantinopolitani cognominati τῆς Περιβλέπτου Epistola adversus Phundagiagitas sive Bogomilos & Messalianos, ut & contra Armenios, cæterosque hæreticos, Constantinopoli in patriam suam missa:* cujus titulus & principium. Ἐπιστολὴ Εὐθυμίου μοναχοῦ τῆς περιβλέπτου μονῆς σταλεῖσα ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως καὶ τῆς εἰρημένης μονῆς πρὸς τὴν αὐτοῦ πατρίδα, στηλιτεύουσα τὰς αἱρέσεις τῶν ἀθεωτάτων καὶ ἀσεβῶν „πλάνων τῶντε Φυνδαγιαγιτῶν ἤτοι Βογομίλων „καὶ Μασσαλιανῶν λεγομένων, καὶ τὴν τῶν Ἀρμενίων βεβηλὸν καὶ βδελυρὰν αἵρεσιν, καὶ τὰς „λοιπὰς ἀθέτους καὶ πάνυ βεβήλους αἱρέσεις. „Βούλομαι ὑμᾶς, ἀδελφοί μου συγγενεῖς καὶ φίλοι, „διὰ σμικροτάτης καὶ εὐτελοῦς μου γραφῆς &c. „Extat quidem hæc Epistola etiam supra in Co„dice CCXIII. num. 8 ut habet Lambecius ibi„dem pag. 38 Sed posterius hoc illius exem„plar MS. non solum ob multas veriantes Le„ctiones valde discepat à priori, verum etiam „auctius & copiosius multo est. Idem quoque „Codice MS. Theologico Græco 247. num. 14. „excerptum est, ut idem habet Lambecius Li„bro eodem Commentariorum ejusdem Bi„bliothecæ, pag. 122.

Subjungimus extare in Bibliotheca Galliarum Regia MS. Græce Euthymii Zigabeni tractatum Codice 2995. inscriptum *Euthymii Monachi Zigabeni adversus Romæ Veteris Cives, Capita duodecim demonstrantia, non ex filio procedere Spiritum Sanctum.* Item inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia, in MSS. Cod. Baroccianis Codice 101. *Euthymius Zigabenus contra Latinos de processione Spiritus Sancti* pag. 88. Εἰ ἁπλοῦν μὲν τὸ πνεῦμα &c. qui tamen tractatus Photio adscribitur ibidem Codice 85. pag. 27. b. In Vaticana etiam ex MS. Codice Heidelbergensi 361. *Euthymii Zigabeni Tractatulus, Christum magna feria quinta cum Discipulis suis legale Pascha celebrasse:* quod idem cum præcedente Opusculum esse nequaquam videtur.

Idem opus videtur, quod extat quoque MS. inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 9123. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmensis, Codice Græco 52 in 4. ubi *Euthymii Oratio de tempore Paschatis* inscribitur.

Ejusdem Euthymii Monodia in Sepulturam Eustathii Thessalonicensis, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ in Anglia, in Codicibus Græcis Baroccianis Codice 131. Ἐμὲ δὲ καὶ &c. pag. 333. b. quæ ob distantiam temporis, alicujus Euthymii esse recentioris videtur.

Item *Euthymii Monachi Encomium in Zonam beatæ Mariæ Virginis*, inter MSS. Codices ejusdem Bodlejanæ Bibliothecæ num. 726. in MSS. Græcis Guilielmi Laudi Codice 84. num. 19. pag. 317.

Denique in Bibliotheca Vaticana, *Euthymii Monachi Zigabeni encomium in venerationem supersanctæ Deiparæ, & in encænia Sancti ejus sepulchri in Chalcopratiis*, cujus meminit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 108. his verbis: Πρόκειται σήμερον ἡμῖν προσκύνησιν καὶ πνευματικὴν ἑστίασιν. *Euthymii Monachi* εἰς τὴν προσκύνησιν τῆς ἁγίας Θεοτόκου, καὶ εἰς τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας αὐτῆς Σοροῦ, τῆς ἐν χαλκοπρατείοις. Quod nempe Opusculum ejusmodi sæpius immissum inveniatur, in MSS. Græcas Metaphrases, quæ de Sanctorum Vitis vel Festivitatibus sunt. Agunt de *Euthymio Zigabeno* Sixtus Senensis Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, pag. mihi 229. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 539. Bellarminus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1118. Philippus Labbeus, ibidem tomo 1. *Dissertationis Historicæ* pag. 311. verbo *Euthymius Zigabenus*. Cæsar Baronius in *Annalibus* ad annum 1118. Petrus Lambecius Lib. 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ, pag. 168. ad 172. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 135. & 171. Lib. 4. pag. 206. & in Catalogo Scriptorum ejusdem Libri pag. 231. & 258. Lib. 5. eorundem Commentariorum pag. 38. 128. & 134. In Catalogo Scriptorum pag. 324. & 365.

IOANNES ZONARAS, MONACHUS GRÆCUS, in aula Imperatoria Orientali magnus antea vigilum Præfectus & primus à Secretis circa annum 1110. claruit ad usque annum 1120. vel ulterius. Cujus Scriptoris eruditio non modo ex Annalibus toti orbi obviis colligi potest, sed etiam ex aliis quamplurimis Operibus, quorum indicem à Labbeo atque Bellarmino utcunque productum, hic tibi integrum subjiciemus: in quibus neque rerum cognitionem, neque acre vel solidum judicium, ut nec pietatem quisquam desideret. Quin etiam si gesti in Palatiis Imperatorum Magistratus, natalium que splendor, existimationem aliquam Scriptori conciliare possunt, quod nemo forte in dubium revocaverit: his omnino titulis celebrari poterit & ipse Zonaras, qui de rebus Politicis, in quibus versabatur, scribere aggressus est. Quem cæteroquin ab illo Zonara, qui sub Constantino Porphyrogenito Leonis Sapientis filio, in aulà vixit, genus duxisse suadet omnino nominis similitudo, de quo apud Anonymum Francisci Combefis in *Porphyrogenito*, num. 8. In Joannis autem & Manuelis Comneni, quibus Imperatoribus vixit, Palatio, Magni Vigiliarum Drungarii, seu ut Latini efferebant, Vigilum Præfecti ac Primi à Secretis gestæ dignitates, inter illustriores semper habitæ, magno fuisse apud Imperatores loco satis arguunt. Verum abdicatis posteà Palatinis curis, quo sibi 1110

in-

inprimis vacaret, animæque saluti consuleret: Monachum induit, relictaque Vrbe Imperii primaria, in remotiorem secessit insulam, quod ipsemet in præfatione Annalium testatur: quo in loco, iis ut par erat conscribendis, librorum defectum causatur: *αὐτὸς ἐπερίστος ὤν, καὶ πόῤῥω τῆ ἄςεως ἐν νησίδι ἐνδιαιτώμενος.* Quæ verò fuerit Insulula illa tanto ab urbe spatio distans, assequi promptum non est; sed vel inde saltem conjicere licet, venire in dubium quod tradit Andreas Thevetus, Scriptor cæteroquin in aliis haud certæ fidei, visum sua ætate adhuc in quodam Montis Sancti (ita Athos hodie appellatur) Monasterio, Zonaræ Epitaphium hisce versibus conceptum, ΕΝΤΑΔΕ ΖΩΝΑΡΑΣ ΚΕΙΤΑΙ, nisi sub extrema Vitæ illuc concessisse dicatur. Vtcunque de hac re sit, vix aliquot annos in Asceterio exegerat, quando eum convenire amici hortatique sunt, ut solitarium istud otium in negotium aliquod conferret, quod & Rempublicam juvaret, & æternæ vitæ præmium ipsi conciliaret: quod quidem maximè assequi liceret, si Historiam scriberet, quæ & resecaret supervacanea, & res memoratu digniores nullo verborum ambitu, in compendium quoddam contraheret. Eos enim qui in hocce scriptionis genere, operam hactenus collocassent, rerum fere semper seriem in utilibus interrumpere *παρεκβάσεσι*, seu excessibus, vel etiam descriptionibus aut concionibus: atque adeo intempestivis & quæ Annalibus parum conveniant, de religione Disputationibus: denique dum fidei Mysteria exponunt, vel hæreses confutare aggrediuntur, argumentis è Sacrâ Scripturâ, vel ex Sanctis Patribus petitis. Quibus quidem ex causis sugillabat aliquos ex Chronologis, qui ea tempestate in omnium manibus versabantur: authorem forte Chronici quod Alexandrinum vocant, Georgium Syncellum, Georgium Hamartolum, Georgium Cedrenum, aliosque quorum Chronica ejusmodi supervacaneis excursibus passim scatent.

Cæterum in Annalium decursu occasionem interdum captat Zonaras, vellicandi Græcorum sui temporis mores: veluti cum Virorum Ecclesiasticorum simoniam carpit, comatos & cincinnatos Palatinos perstringit; & Imperatores, quod abdicato patrio vestitu, barbaricum amplecterentur. Lib. 7. sect. 17. Denique in ipsos adhuc Augustos, ac eorum in Rebus administrandis publicis tyrannidem Lib. 10. sect. 28. gravius invehitur. Nam ut Valentis Mathematici de Vrbis Constantinopolitanæ duratione, editum sub Constantino Magoo Natalitium thema quodammodo tueatur, ne omnino falsum putetur, quam Libri 3. Sect. 3. annos DCXCVI. duraturam prædixerat, jam olim dum scriberet Zonaras, elapsos: subdit aut falsam existimandam Valentis prædictionem, aut annos illos intelligendos esse, quibus instituta Reipublicæ ac status conservabantur, dum suus honor erat Senatui, dum Cives sub legitima Imperii potestate florebant: non autem cum manifesta vigebat tyrannis Dominorum, publica sibi pro privatis vendicantium, & ad suas voluptates conferentium, easque parum honestas: cum publica quibusvis donarent, nec pastorum instar subditos tractarent, nec lanâ superfluâ detonsâ, sed prædonum more oves mactanda, ad medullas ipsas exsugerent.

Annales isti Zonaræ semel atque iterum editi sunt. Ac primum quidem Augustæ Vindelicorum anno 1556. evulgandis iis animum intendit Hieronymus Wolfius, eosque à se in latinum sermonem versos insigni diligentia ad MSS. quinque Codices contulit, quibus eximiam Præfationem totius sui instituti ac laboris seriem continentem, præmisit. Illos iterum anno 1686. duobus ingentis folii voluminibus ex prelo Galliarum Regio eleganter edidit Carolus du Fresne Dominus du Cange, Regi à Consiliis & Franciæ apud Ambianos Quæstor, qui Wolfianam editionem cum quinque MSS. Codicibus, quatuor Regiis & Colbertino uoico contulit, Latinam versionem recensuit, Annalesque notis illustravit: curis tantis atque nitoribus, ut hujus editionis præstantiæ addi nihil possit. Præmisit huic Operi tum Wolfii antequam & eruditam Præfationem, tum propriam suam & prolixam, ex qua desumpsimus ea fere omnia, quæ hic de Zonara ejusque Operibus, per compendium afferimus. Huicce Zonaræ Historiæ titulum *Chronici* Carolus ille Dufrenius adscripsit, quemadmodum Wolfius. Nam & ita laudatur à Michaele Glyca in *Annalibus* pag. 286. *ὁ Ζωναρᾶς ἐν τῷ χρονικῷ συντάγματι.* Et in altero ex Codicibus Regiis, in quo secunda duntaxat pars continetur, hæc verba in fronte leguntur: *τὸ παρὸν βιβλίον χρονογράφος ὀνομάζεται.* Verum in Codice Viennensi quo usus est Wolfius, alia habetur epigraphe, hisce videlicet uncibus concepta. *Ἐπιτομὴ ἱςοριῶν συλλεγεῖσα καὶ συγγραφεῖσα παρὰ τῆ σοφωτάτε Μοναχῆ τῆ Ζωναρᾶ, τῆ γεγονότος Μεγάλε Δρεγγαρίε τῆς βίγλας, καὶ Πρωτοασηκρῆτις.* Et sane compendium Historiæ scribere se profitetur ipse Zonaras Lib. 3. sect. 26. *ἐμοὶ δὲ ἐπιτομὴν ἱςορίας πεποιημένῳ, ὐκ ἐπέοικε τὴν πραγματείαν θέσθαι πολύςιχον* &c.

Jam conferamus nos ad id quod supra polliciti sumus, nempe ad subjiciendum aliorum Zonaræ Operum accuratum indicem, quorum memoria ad nos pervenit: quam sane spartam parum diligenter adornarunt Bellarminus & Labbeus, quisque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*: at insigni studio Carolus Dufrenius Cangii Dominus, antequam Præfationi suæ in Zonaræ Annales finem imponeret: à quo summatim ac verbotenus sequentia plurima desumpta sunt, quibus & nostra quædam aliunde adnotata adjecimus: ut vel inde quam singularis fuerit viri eruditio, ac pietas, quam assiduus in

in ſcribendo labor, lectoribus innoteſcat. Atque ut ab editis ſumatur exordium, occurrit imprimis *Commentarius in Canones Apoſtolorum & Conciliorum & in Epiſtolas Canonicas*, cujus titulus ita cuncipitur in Codicibus Mſſ. Galliæ Regiis, Ἐξήγησις τῶν ἱερῶν καὶ θείων Κανόνων, τῶν τε ἁγίων καὶ σεπτῶν Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἱερῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων πατέρων ποιηθεῖσα Ἰωάννῃ Μοναχῷ τῷ Ζοναρᾷ τῷ γεγονότι Μεγάλῳ Δρουγγαρίῳ τῆς βίγλας καὶ Πρωτοασηκρῆτις. In iſtius porrò Operis præfatione, illud ſe aggreſſum ait non ſponte, ſed alterius perſuaſu, Manuelis forte Comneni, ut aſſerit idem Duſrenius. μή τις δέ μοι καταγνοίη προπέτειαν, οὐ γὰρ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τῷ πονήματι ἐγχειρῶ, ἀλλὰ παρακληθεὶς ἐπέκυψα, καὶ τῷ πόνῳ δέδωκα ἐμαυτὸν, ἵνα μὴ δι᾽ ἀνηκοΐαν κατακριθῶ. Hoc Opus ſæpius extat manuſcriptum inter vetuſtos Codices Hiſtoricos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codd. 48. num. 16. 49. num. 2. 50. num. 1. 51. num. 34. ut habet Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum iſtius Bibliothecæ pag. 558.

Λόγος πρὸς τοὺς τὴν Φυσικὴν τῆς γονῆς ἐκροὴν μίασμα ἡγουμένους, qui editus habetur in Jure Græco Romano, apud Leunclavium. Extat quoque in Codice MS. Græco Hiſtorico LI. num. 8. & quidem à fol. 33. usque ad fol. 42. *Joannis Zonaræ Monachi*, qui antea Magnus Drungarius Vigiliæ & Protoſecretarius fuerat, *Oratio ad eos qui naturalem ſeminis fluxum immunditiam eſſe exiſtimant, & eos qui illud patiuntur, non ſolum ſacra Divinorum Myſteriorum participatione frui prohibent, verum etiam ob eandem cauſſam ne ſacras quidem Imagines attingere permittunt.* Vide Joannis Leunclavii & Marquardi Freheri *Jus Græco Romanum*, ubi edita extat Græcè & Latinè tomo 1. p. 351. & ſeqq.

Ἰωάννου Μοναχοῦ τοῦ Ζωναρᾶ ἐκ προσώπου τῶν Ἀρχιερέων, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δύο δισεξαδέλφους τὴν αὐτὴν ἀγαγέσθαι πρὸς τὸν γάμον. Editum à viro clariſſimo Joanne Baptiſta Cotelerio, ex Regio Codice 2038. tomo 2. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 433.

Laudatur à Petro Lambecio Libro 3. *De Bibliotheca Cæſarea* pag. 39. & 247. ejusdem Zonaræ & Nicetæ Theſſalonicenſis *Expoſitio Canonum Anaſtaſimorum Sancti Joannis Damaſceni* hoc titulo: Ἰωάννου ἀσκητοῦ τοῦ Ζωναρᾶ, γεγονότος τοῦ Μεγάλου Δρουγγαρίου τῆς βίγλης Ἐξήγησις τῶν Ἀναστασίμων Κανόνων, τῶν τοῦ Δαμασκηνοῦ. Cojus initium hiſce verbis concipitur, ἐπεὶ κανόνων ἑρμηνεία ἐστὶ τὸ παρὸν σύγγραμμα, χρὴ καὶ περὶ αὐτὸ ὄνομα τοῦ Κανόνος, καὶ τὴν τοῦ Εἱρμοῦ καὶ τῆς ᾠδῆς κλῆσιν, ἔτι δὲ καὶ τοῦ Τροπαρίου, ἐκ τούτων γὰρ ἀπαρτίζεται ὁ Κανὼν, φιλοσοφῆσαι ἡμᾶς. Poſterioris verò Expoſitionis hic eſt titulus: Αὐτὴ ἡ Ἐξήγησις τῶν Ἀναστασίμων Κανόνων τοῦ πρώτου καὶ τοῦ δευτέρου, ἄχρι τῆς ϛ′ ᾠδῆς, γέγονε παρ᾽ ἱερωτάτου Μητροπολίτου Θεσσαλονίκης κυρίου Νικήτα ἐξ αὐτοῦ τοῦ Ζωναρᾶ &c. Habetur hoc Opus inter Codices MSS. Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice XXV. n. 4. & quidem à fol. 33. usque ad fol. 171. Idemque in Codicibus Theologicis Græcis CCCXIII. & CCCXIV. ejusdem Bibliothecæ, ut idem Lambecius Libro 5. Commentariorum pag. 275. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 355. & 365. Extat quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Græcos, in MSS. Baroccianis, Codice 157. Ibidem Codice 725. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi Cod. 83. *Joannis Zonaræ Canones antiqui feſtivales cum hymnis Patrum*, Græce in fol. Ibidem Codice 129. in MSS. Baroccianis extat *Zonaræ Expoſitio Canonum* ἀναστασίμων Damaſceni ἐπεὶ κανόνων ἑρμηνεία, pag. 1. Idem *De Pſalmis Gradualibus & cur Spiritus S. vocetur* ἰσοειδὴς αἰτία pag. 142. Πρὸς τοὺς ἐρομένους. Laudatur pariter *Zonaras in Canones Anaſtaſimos Damaſceni* ab Allatio in Syntagmate *De Georgiorum Scriptis* pag. 417. ex quibus fragmenta quædam edidit Jacobus Gretſerus ſub initium Libri quinti *De ſancta Cruce*: & in *Octoechum ejusdem Joannis Damaſceni Expoſitio Pulcherrima*, ab eodem Allatio in *Symmictis* pag 453. Extat autem in Bibliotheca noſtra Lugduno-Batava, inter MSS. Codices Græcos à Voſſii hæredibus emptos, Codice 103. *S. Joannis Damaſceni Cantica*, ſive *liber qui dicitur Octoechus vel octo tonorum cum Prolegomenis & Commentariis Theodori Prodromi & Johannis Zonaræ.* Et ibidem Codice 135. *Johannis Zonaræ ad Manuelem Comnenum Imperat. quinquaginta quæſtiones cum earum ſolutionibus.* Vnde concludimus vixiſſe usque ad annum 1144. Joannem Zonaram, cum anno 1143. Imperium Orientis, Manuel Comnenus obtinuerit tantum.

Servatur etiam in Regia Galliar. Bibliotheca Ἰωάννου Μοναχοῦ καὶ Πρωτοασηκρῆτις, τοῦ Ζωναρᾶ Κανὼν εἰς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, οὗ ἡ ἀκροστιχίς. ΥΣΤΑΤΟΣ ΗΧΟΣ ΥΣΤΑΤΟΝ ΠΛΕΚΕΙ ΜΕΛΟΣ. Huic ſubduntur, Νικηφόρου Πατρικίου καὶ Ἀνθυπάτου Μιτυληναίου στίχοι καταβάσιοι ιβ′ εἰς τὴν ποσότητα τῶν ιβ′ μηνῶν. Μὴν Σεπτέμβριος &c. Idem in Imperatoris Bibliotheca Viennenſi, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codice CCLIII. num. 14 ut habet Lambecius tomo ſeu libro 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ pag. 161. & 335. ubi obſervat illum eſſe impreſſum tomo XII. Magnæ Bibliothecæ VeterumPatrum, Græco-Latina editionis Pariſienſis pag. 358. & 359. ſed Latinè tantum & in fine mutilum. Integrum autem Græcè & Latinè cum Notis apud Cotelerium tomo 3. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, p. 465.

Quatuor prætereà Zonaræ laudantur Opuſcula à Leone Allatio in Diatriba *De Symeonibus* in Syllabo iſtorum certorum authorum, ex quibus vel *Vitæ Sanctorum, vel Encomia* conſtant, apud Symeonem Metaphraſtem, pag. 256. *Joannis* ſcilicet *Zonaræ in Crucis adorationem*, pag. 95.

95. Λόγος εἰς τὴν Σταυροπροσκύνησιν, hoc initio: ἤρετό μέ τις πρόβλημα τοῦ ἐκ πνεύματος &c.

Vita Sancti Silvestri pag. 101. βίος τοῦ ἁγίου Σιλβέστρου, hoc initio: Οἱ μὲν σοφοὶ καὶ θεόπται Ἀπόστολοι. Proinde alia est Vita ejusdem Sancti Silvestri à Combefisio edita, cujus initium aliter concipitur.

In Domini occursum pag. 105. Ὑπόμνημα εἰς τὴν Ὑπαπαντὴν τοῦ Σωτῆρος, cujus hoc initium: Πάλιν τοῖς Εὐσεβέσι πανήγυρις, καὶ πάλιν μυστήριον ἕτερον &c.

Denique *in Sanctum Sophronium Hierosolymorum Antistitem* pag. 101. Εἰς τὸν Ἱεροσολύμων Σωφρόνιον, hoc initio: Οἱ τοῖς θείοις καὶ μακαρίοις Πατράσι συγγράφοντες τὰ ἐγκώμια &c.

Scribit Lambecius Libro 4. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 17. servari in eadem Bibliotheca *Zonaræ* vel authoris alterius *Paraphrases XXXIII. in totidem Sancti Gregorii Nazianzeni Carmina*, de quorum authore nondum liquet, inquit idem Lambecius, quem tamen Zonaram pag. 244. nominat, dum de hoc MS. Codice Theologico Græco 102. loquitur. Nisi fuit Nicetæ Davidis Paphlagonis, quem Δαδύβρων scilicet Episcopum nominatum, inquit, David Hæschelius in descriptione Bibliothecæ Augustanæ pag. 46. Cujus Commentarius in Sancti Gregorii Nazianzeni Tetrasticha & Monosticha latinè versa editus est ab Hercule Phalleo Imolæ anno 1588. vel potius Joannis Zonaræ, qui non solum Sancti Gregorii Nazianzeni Tetrasticha, verum etiam alia non pauca, partim ejusdem partim diversi generis monumenta antiqua Commentariis atque Paraphrasibus suis illustravit.

Enimverò præter suprà laudata Joannis Zonaræ Opera, in Bibliothecis passim circumferuntur, *Epistola dogmatica* continentes obscuriorum locorum sacræ Scripturæ explicationem, *numero sex & quinquaginta*: quarum seriem & argumenta describit Petrus Lambecius Lib. 4. *Bibliotheca Cæsarea*, loco citato. Illas quidem Joanni Zonaræ quidam Codices, alii Michaeli Glycæ adscribunt, adeo ut hactenus incertum maneat, utrius illæ sint. Tametsi in eam videatur concedere sententiam Leo Allatius Libro *contra Creigtonum* pag. 544. ut Glycæ potius ipsas tribuat, quam Zonaræ, ubi ita scribit. Hæc & alia Michael Glycas Epistolâ satis prolixâ ad Joannicium Monachum &c. Hujus etiam Epistolam de hac eadem re se legisse scribit Casaubonus Exercitat. in Baronium XVI. num. XLIX. sed sub nomine Zonaræ editam, quam Glycæ esse „Codices antiqui repræsentant. „Cujusnam „vero sint istæ Epistolæ, quæ sub nomine Glycæ & nomine Zonaræ in Manuscriptis præ„stant, alius erit differendi locus. Vtinam viri „doctissimi & in re Veterum libraria peritissimi, „extaret super hac difficultate Dissertatio, quæ nos ab hac inquisitione levasset.„ Certe Zonaræ adscribit Codex Regius 2813. sed recentiore manu scriptus, anno scilicet Mundi juxta Græcos VI. M. DCCCCXCVI. Christi M CCCC LXXXVIII. Indictione II. hoc titulo: Ἐπιστολαὶ κυροῦ Ἰωάννου Ζωναρᾶ καὶ Πρωτοασηκρῆτις καὶ Δρουγγαρίου τῆς βίγλης. Continet porro hic Codex XLV. duntaxat Epistolas, quarum prima Joanni Sinaitæ inscribitur, penultima verò quæ est XXXVIII. in indice Lambeciano, videtur esse Manuelis Comneni Imperatoris, scripta videlicet ut inscriptio præfert: Τῷ τιμιωτάτῳ μοναχῷ κυρίῳ Ἀλυπίῳ τῷ ἐγκλείστῳ. Εἰ χρὴ τὴν μαθηματικὴν ἐπιστήμην ἀποδέχεσθαι ἡγεῖσθαι παντάπασιν. Initium vero illius est, τὰ τῆς μαθηματικῆς &c. . Ad calcem denique Regii Codicis eorum nomina describuntur, quorum authoritatibus Epistolarum Scriptor usus est: Συγγράφοντες καὶ σημμάρτυρες τῆς βίβλου αὐτοῖ, Γρηγόριος ὁ Θεολόγος, ὁ μέγας Βασίλειος. Γρηγόριος Νύσσης, Ἰωάννης ὁ Χρυσοῤῥήμων. ὁ μέγας Ἀθανάσιος. ὁ Κύριλλος. ὁ μέγας Ἐπιφάνιος. Ἀναστάσιος ὁ Σιναΐτης. Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς. Γρηγόριος ὁ Διάλογος. Ἀνδρέας Κρήτης. Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι. Νικηφόρος Πατριάρχης. σὺν τούτοις καὶ Μωσῆς καὶ Δαβὶδ, καὶ τις ὁ Φωτίσων τούτοις, καὶ Μάρτυς ἀψευδὴς, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ex hisce Epistolis aliquot edidit Bonaventura Vulcanius in Notis ad Sanctum Cyrillum *Contra Anthropomorphitas*, quem edidit anno 1605. Lugduni Batavorum in 4. Verum ex Codice quem Georgius Douza Constantinopoli attulerat, recenti & parum fidâ manu, ut ipse testatur, exscripto, qui Joannis Zonaræ nomen præferebat. Extatque in Bibliotheca Lugduno-Batava, ut notat Fridericus Spanhemius in Catalogo hujus Bibliothecæ impresso 4. Lugduni Batavorum, apud Elzevirios anno 1674, pag. 413. Cod. 9. & Cod. 23. pag. 414. Præterea Zonaræ adscribuntur istæ Epistolæ in Codice MS. Regio 2813. ut constat ex supra dictis. Continentur quoque ejusdem Zonaræ *Epistola XLVI*. cum aliis nonnullis, in MS. Codice Claromontani Collegii Parisiensis Societatis Jesu, non minus quam in Codice Regio, ut habet Gerardus Joannes Vossius in Addendis ad Librum 2. *De Historicis* Græcis, pag. 541. Verum Codices duo MSS. Cæsarei quos laudat Lambecius Lib. 4. pag. 152. & 157., quorum prior L. alter autem LVI. Epistolas continet, Michaelem Glycam authorem præferunt, hoc Lemmate: Τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ, εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας γραφῆς. Laudantur etiam a Gesnero in *Bibliotheca* sub nomine Glycæ, ut & a Davide Hæschelio ex Bibliotheca Augustana eodem titulo, Cod. 75. & a Jacobo Pontano qui priores duas Latine edidit. Sed & ad calcem Codicis Cæsarei posterioris hæc scribuntur: Τοῦτο βιβλίον ὑπάρχει Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ. Hasce verò Epistolas, sub no-

nomine Zonaræ five Glycæ promiscuè, semper laudat Allatius Lib. 2. *De consensu utriusque Ecclesiæ* cap. 18. num. 17. Lib. 3. cap. 15. num. 8. cap. 16. num. 24. cap. 18. num. 8. Et *contra Creightonum* pagg. 541. & 544. in quibus quidem locis quasdam ex iis integras exscripsit: ita ut cum scribebat, cujus essent non omnino ipsi pro indubitato haberetur. Id tantum constat, harum authorem juxta Dufrenium vixisse sub Manuele Comneno, ex viris primariis Aulæ Constantinopolitanæ, quibus aliquot inscribuntur: inter quos unus Joannes Ducas Magnus Hetæriarcha & Sebastus, cujus præ cæteris, ut alios taceam, mentio occurrit apud Nicetam in *Alexio Manuelis filio*, num. 7. & 9. Alter Manuel Comnenus Sebastocrator, qui non alius est ab eo, cujus pariter meminit Cinnamus Lib. 5. n. 14. & 15. Hæc Dufrenius, qui insigniter fallitur, nam Scriptor illarum circa annum 1450. vel 1440. vixit & floruit.

„ Neque Joannes Ducas Magnus Hetæriar„cha & Sebastus, est ille cujus præ cæteris, ut „alios taceat, mentio occurrit apud Nicetam in „Alexio Manuelis filio num. 7. & 9. Nec alter „Manuel Comnenus Sebastocrator est idem „cum eo, cujus pariter meminit Cinnamus lib. 5. „Num. 14. & 15. Joannes autem Ducas de quo hic agitur, est Joannes Ducas, qui scripsit *Historiam illam Constantinopolitanam*, quando Constantinopolis a Mahumete II. Turcarum Rege expugnata est, eaque illis imperii esse sedis incepit, quod erat anno Hegiræ DCCCLVII, Christi autem MCCCCLIII. quo vivebat ille *Ducas* ex inclyta Ducarum familia oriundus, qui de gestis Turcarum adversus Græcos & Constantinopoli subactâ Commentarium reliquit, MS. Græcè in Bibliotheca Christianissimi Francorum Regis, quem una cum versione suâ latinâ V. C. Ismael Bullialdus in corpore Byzantinæ historiæ edendum promisit, de quo Gerardus Joannes Vossius Lib. 4. *De Historicis Græcis* cap. 19. p. 492. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. Extant inter Epistolas Græcas Michaelis Glycæ, Epistolæ duæ ad hunc Joannem Ducam, nempe 21. & 52. de quibus nos ad annum 1460. in *Joanna Duca* diximus. Item Epistola 39. quæ creditur Scripta ad *Manuelem Comnenum Sebastocratorum* de qua Ducangius supra, non habet inscriptionem in MSS. Codd. Cæsareis, sed est *Apologeticus* quo se defendit Michael Glycas, quod Scriptum quoddam Manuelis Comneni Imperatoris, sibi in manibus traditum, ad quendam Monachum misisset. Si autem Epistola habeatur scripta ad *Manuelem Comnenum Sebastocratorem*, id intelligendum est, de aliquo Manuele Comneno, qui tunc temporis inter Græcos, id est circa annum 1450. vel 1460. ætate Michaelis Glycæ floruerit & id nomen habuerit, non autem de Seniore aliquo.

Hæc nos ut plurimum verbotenus ex Carolo Dufresnio in Præfatione ad suam editionem *Chronici* seu *Annalium Joannis Zonaræ*, cui tamen Petrum Lambecium lubenter præferimus, ejusque sententiam amplexi, has Epistolas potius Michaelis Glycæ, qui Constantini Palæologi ætate floruit, esse credimus. Sed si ejusmodi Epistolæ, ad quem spectent, incertæ sint: suppetunt in earum Supplementum alia duo Opera Joannis Zonaræ, quæ Dufrenium fugerunt. Hæc sunt ejusdem *Explicatio in Cantica & in Psalmos Graduum*, quæ MSS. habentur in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Cod. 112. cujus in Catalogo legimus ita ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini pag. 61. *Joannis Zonaræ Commentarii in ἀναβαθμοὺς κανόνας Damasceni. Ejusdem Explicatio in Cantica & in Psalmos graduum.*

Laudatur præterea *Ejusdem Zonaræ Lexicon*, de quo ita Josephus Scaliger in Epistola ad Isaacum Casaubonum, quæ est XLVIII. inter Scaligerianas editas: „*Ego quoque videor mihi non inutiliter Zonaræ Lexicon tractare, quod est in Libris*„ *soceri tui* (Henrici Stephani) *si per te & affinem*„ *tuum Paulum Stephanum, ejus usura brevis mihi*„ *contingat.*„ Extat Græcè MSS. Philologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Codd. 32. 154. 322. ut testatur Daniel de Nessel in *Breviario & Supplemento Commentariorum Lambecianorum* De Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, in *Actis Eruditorum* Lipsiæ, mensis Octobris 1692. p. 496. Meminit denique Jacobus Pontanus in *Præfatione ad Historiam Jo. Cantacuzeni*, Poëmatum Joannis Zonaræ *De processione Spiritus Sancti*, quæ a Genebrardo in Latinam Linguam conversa esse observat. Sed ista cum in omnibus ferme Bibliothecis exactissimâ adhibitâ diligentiâ conquisierit Ducangius, nec reperit, nec ubi & in quo Genebrardi volumine edita sint, à viris Lutetiæ Parisiorum doctiuribus rescire potuit. Sic Porro Pontanus: *Zonaram fuisse Schismaticum testari possunt ejus Poemata de processione Spiritus Sancti, & alia adversus Latinos composita, quæ Genebrardus dum converteret, se criminationes illas omisisse narrat.* Quæ quidem ipsissima Pontani verba exscripsit Allatius in Creighthonum, pag. 345. Hæc de Scriptis tam impressis, quam Manuscriptis Joannis Zonaræ, cujus mortis annum diemque, nescire nos fatemur. De illo Bellarminus & Labbeus, quisque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, sed parcè admodum. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 955. verbo *Joannes Zonaras*. Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, ibidem. Hieronymus Wolfius in Præfatione ad editionem suam *Annalium Joannis Zonaræ*. Carolus Dufrenius Cangii Dominus, in editione sua Græco-Latinâ eorundem Annalium ultimâ, Parisiis ex typographia Regia anni 1686. quem in compendium redactum fere semper secuti sumus. Petrus Lambecius Libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 17. & in Catalogo Scriptorum, pag. 244. & 258. Lib. 3. pag.

pag. 39. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 247. Lib. 5. pag. 275. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 355. & 365. Libro 8. pag. 558. & alibi.

1110 PETRUS ALFONSUS, Moises antea vocatus dum Judaismum profiteretur, gente ut videtur Hispanus, anno Christi 1106. Æræ autem Hispanicæ 1144. mense Julio, salutaribus Baptismi aquis in ipso Sancti Petri Apostolorum Principis festo tinctus, Petri nomen hanc ob rem assumpsit: atque ab Alphonso Hispaniæ Rege ad baptismi fontem susceptus & oblatus, ejusdem nomen pro cognomine accepit. Conversus ad Christi fidem, claruit circa annum 1110. ob peritiam in humanis atque divinis litteris. Scripsit sub nomine Petri & Mosis *Dialogum adversus Judaeos*, quæ duo erant ipsius tum Judæi tum Christiani nomina, hoc Opusculo in duodecim titulos seu partes distributo, de quo loquuntur Labbeus & Bellarminus, uterque in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi de illo pluribus. *Dialogus* autem istius Alfonsi *adversus Judaeos* editus est seorsim Coloniæ anno 1536. apud Joannem Gymnicum, ac sæpius in Bibliothecis Sanctorum Patrum diversæ editionis. Extat MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti, Cod. 295. & Pembrochiana Cod. 144. & privatim in Bibliotheca Gualteri Copi Cod. 91. In Parisiensibus celebrioribus Regia, Colbertina, Victorina, Longipontana, & alibi. Scripsit etiam Opusculum inscriptum, *Clericalis Disciplina* MS. in Bibliotheca Regia Galliarum, Cod. 4264. Incipit, *Dixit Petrus Alfonsus servus Christi Jesu, compositor hujus, Gratias agoDeo qui primus est, sine principio &c.* Item MS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codice 798. & in Victorina Parisiensi Canonicorum Regularium Augustinianorum Littera B. 13. Idem Opus *Clericalis Disciplinæ Petri Alfonsi*, MS, in Anglia Oxoniæ in Bibliotheca Collegii Corporis Christi Cod. 12. & Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Benedicti Codd. 85. & 292. & Sancti Petri Cod. 18. Denique scripsit *Logicam* quæ MS. extat in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 6279. in 4. qui 300. & amplius annorum est. Incipit, *Dialectica est ars artium, scientia scientiarum, ad omnium habituum principia viam habens &c.* Hanc Petri Alfonsi *Dialecticam* olim in Linguam Græcam transtulit Georgius ille Scolarius seu Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus ita translatæ Exeerpta profert Petrus Lambecius Libro 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 385. ubi de Codice quodam Historico Græco hujus Bibliothecæ quo continentur Excerpta miscellanea ex diversis variorum authorum Scriptis. Illic num. 4. à fol. 17. pag. 1. usque ad fol. 25. pag. 2. *fragmentum ex Dialectica Magistri Petri Hispani interprete Georgio Scholario*, cujus titulus & principium: Ἐκ τῆς διαλεκτικῆς τοῦ Μαΐστορος Πέτρου τοῦ Ἰσπανοῦ, ἑρμηνευθὲν παρὰ τοῦ Σχολαρίου. Διαλεκτικὴ ἐστὶ τέχνη τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν &c. de qua infra suo loco in *Georgio Scholario* dicemus. Hæc ad Supplementum Bellarmini & complementum Operum Petri Alfonsi, de quo loquuntur Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. pag. 234. Labbeus & Bellarminus, locis allatis. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, seculo XII. ubi *De Scriptoribus Ecclesiasticis* agit.

HILDEBERTUS DE LAVARDINO, Berengarii primum itemque Sancti Hugonis Cluniacensis Abbatis Monachus postea & discipulus, cum sub duobus hisce Magistris, divinis & humanioribus litteris excultus, inter condiscipulos alios claresceret, primum Scholæ Cænomanicæ Canonicorum Magister, hinc Archidiaconus, posteaque in Hoëli locum Episcopus Cenomanensis factus, huic Ecclesiæ per annos XXVIII. ab anno nimirum 1098. ad 1125. præfuit. Ita Ordericus Vitalis Scriptor coævus & qui Hildebertum noverat Lib. X. *Historiæ Ecclesiasticæ* pag. 770. his verbis. His temporibus (1098.) Venerabilis vitæ Hoëllus genere Brito, Cænomannorum Episcopus defunctus est, Helias autem Comes Goiffredum Britonem Decanum ejusdem Ecclesiæ ad Episcopatum elegit, sed præveniens Clerus Hildebertum de Lavardeio Archidiaconum in cathedra Pontificali residere compulit, & altæ vocis cum jubilatione tripudians cantavit *Te Deum laudamus*, & cætera, quæ usus in electione Pontificis exposcit Ecclesiasticus. Quod Helias ut comperit, valde iratus, resistere voluit. Sed Clericis dicentibus illi, electionem tuam Ecclesiasticæ præferre non debes electioni, reveritus, quia Deum timebat, siluit: & ne lethale in membris Ecclesiæ schisma fieret, Canonicis consensit. Idem. Hildebertus autem post mortem Gisleberti Turonensis Archiepiscopi, à Clero & populo electus est. Hic mansuetus fuit ac religiosus, & tam divinarum quam secularium eruditioni scientiarum studiosus, nostris temporibus incomparabilis versificator floruit, & multa carmina priscis poëmatibus æqualia vel eminentia condidit, quæ fervidus calor Philosophorum subtiliter rimari appetit, ac super aurum & topazion sibi conscribere diligenter satagit. Eleganter enim & sapienter loquitur de Christo & Ecclesia, de corpore & anima, de gestis Sanctorum & virtutibus eorum, de laude virtutum & vituperatione vitiorum. A Romanis Cardinalibus, qui frequenter Galliarum plagas adeunt, quia mansuetos illic & obedientes se reperiunt, plurima Hildeberti carmina Romam transferuntur, quæ dicacium scholis & didascalis Quiritum admiranda censentur. Hic sacer Hexos ferè XXXV. annis Præsulatus officium exercuit, studiisque bonis docendo & faciendo specialiter institit. Ecclesiam Sancti Gervasii, ubi corpus eximii Confessoris Christi Juliani requiescit, multis modis laudabiliter decoravit, 1110

quam postmodum tempore Guinmari Britonis successoris sui, qui alio nomine Guido de Stampis appellatur, dedicavit. Verum peccatis exigentibus, quam bonorum exercitatio affatim decoravit, variisque ad honorem Dei ornamentis dilavit, post VIII. annos dedicationis, incendium quo magna pars urbis consumpta est, deturpavit horribilique modo devastavit. Idem Ordericus Vitalis Libro XII. pag. 881. Anno ab incarnatione Domini 1125. Calixtus Papa defunctus est. Eadem etiam septimana, qua Calixtus Papa hominem excessit, Gislebertus Turonensis Archiepiscopus, qui pro Ecclesiasticis negotiis Romam perrexerat, illic obiit. Quod audientes Turonici, Hildebertum Cenomanensem probatum Præsulem sibi asciverunt, & Honorii Papæ permissu, gaudentes in Turonicæ Metropolis cathedram transtulerunt. Ibi fere VII. annis honorificè vixit & subjectis profecit, Cænomanis verò Guinmarum Britonem Episcopum consecravit. Quibus ex verbis coævi Scriptoris, Hildebertum constat fuisse Turonensi Ecclesiæ anno 1125. præfectum, obiisse anno 1132. die 18. Dec.

Ex his autem Hildeberti Laudibus amplissimis ab Orderico Vitale profusis, injurius plane Baronius illi est ad annum 1088. *Annalium*, dum quæ de effræni Adalberti cujusdam Cenomanensis Archidiaconi impudicitia habet Epistola 279. Ivo Carnotensis Episcopus, in Hildebertum probissimum incautus confert. Amicus autem intimus fuit S. Anselmo Cantuariensi Episcopo Hildebertus Cenomanensis Episcopus, unde Anselmus Librum XII. & ultimum suorum Opusculorum *De processione Spiritus Sancti adversus Græcos*, quem paulo ante mortem anno 1106. vel 1107. conscripserat, rogatu Hildeberti Cenomannorum Episcopi composuit, ut testatur Guillelmus Gemmeticensis *Historia Normannorum* lib. 6. cap. 9. pag. 265. Hildebertus Cenomanensis Episcopus præsens fuit privilegio Paschalis II. Papæ, super controversia inter Abbatem de Carnoto & Cluniacensem Ecclesiam pro Ecclesia Sancti Dionysii de Nogento, dato Saviniaci anno 1107. nčtavo Kalendas Junii. Anno eodem 1107. Hildebertus Henrici Angliæ Regis & Normanniæ Ducis injuriis divexatus, Romam perrexit, suppetias à Paschali Pontifice quem in Gallia hoc anno viderat, sibi ferri postulaturus. Domum reversus, in carcerem datus est, atque accusatus variorum criminum, postulante Henrico Rege, ut innocentiam suam probatione per ignem demonstratam daret. Istiusmodi vero conditionem, ab Ivone Carnotensi admonitus, nequaquam subire voluit. Apud Ægydium Brii *Historia Perticensium & Alenzoniorum Comitum* lib. 3. legitur, ut Hubertus Capreolus, Rotroci Perticensis Dapifer, Nogenti quod vulgò *le Rotrou* dicitur, in vinculis illum detinuerit. *Epistolæ ipsius LXXXIII, Liber seu Prosa de Natali Domini. Versus de Mysterio & ordine Missæ, seu De Concordia Veteris & novi sacrificii. Sermo in illud Isaiæ XXXV.* Tunc aperientur oculi cæcorum &c. *Sermo in illud Lucæ XII.* Cui multum datum est, multum quæretur ab eo &c. *Sermo Synodicus ad Pastores.* Hæc Opuscula hactenus enumerata, habentur in omnibus *Bibliotheca Sanctorum Patrum* Parisiensibus editionibus, quæ plurimæ sunt, & in ultima maxima Lugdunensi, XXVII. volum. comprehensa anni 1677. tomo XXI. pag. 19. & seqq.

Extant in Bibliothecis Codices MSS. Epistolarum Hildeberti Cenomanensis Episcopi, in quibus aliæ nonnullæ atque aliæ ab editis Epistolæ reperiuntur. Nimirum inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 1094. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, litera F. Codice 57. Ibidem Codice 1872. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera A. 2. Codice 15. n. 42. & 43. Hildeberti Episcopi Epistolæ duæ, pagg. 81. & 85. 86. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 146. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis apud Cantabrigiam Codice 9. Classis a dextra, Serie supremà. Ibidem Codice 1558. in Codicibus MSS. Collegii S. Benedicti Codice 291. num. 1. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium Bibliothecarum, Codice 6385. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 15. *Epistola Hildeberti Episcopi & sermones ejusdem & narratio de genealogia Salvatoris nostri.* Inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ, Codice 468. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Codice 328. num. 6. Litera G. Et ibidem Codice 504. in MSS. iisdem litera I. Codice 364. num. 2. Item in Cottoniana bibliotheca sub Vespasiani effigie litera D. Codice 19. num. 9. Denique inter MSS. Codices Theologicos Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Theologico III. Serie 4. in quarto Codice 32. *Hildeberti Cenomanensis Episcopi Epistolæ & Sermones*, ut habet Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ pag. 130. edito Lipsiæ a. 1686. in 12.

Ejusdem Hildeberti Epistola ad Reginaldum Cantuariensem Monachum edita est à Mabillonio, tomo I. *Analectorum* pag. 293. quam habuit ex MS. Codice Cottonianæ bibliothecæ sub effigie Vespasiani, litera E. Codice 3. num. 14. sub finem Codicis. *Ejusdem Hildeberti ad diversos de diversis argumentis Epistolæ IX.* editæ à Luca Dacherio ex MS. Codice Epistolarum Hildeberti, Tomo IV. *Spicilegii* à pag. 244. ad 257. Item Tomo XIII. *Spicilegii* pag. 295. *Marbodus Redonensis Episcopus respondet Hildeberto Cenomanensi Episcopo*, qui illum consuluerat de viro, à quo uxor debitum thori postulabat, licet ipse votum Monasticæ vitæ de consensu ejus emisisset. Denique nos anno 1677. conferentes Epistolas Hildeberti Cenomanensis Episcopi editas cum MS. Codice Abbatiæ Fulcardi montis in Normannia, reperimus *Epistolas XV. ad diversos de diversis argumentis*, non editas; quas à nobis datas anno 1677. Lu-

Lucas Dacherius edidit Tomo XIII. *Spicilegii*, nimirum post Indices tres generales ad Tomos tredecim *Spicilegii*, supplemento adjecto p. 260. & seqq.

Ejusdem *Vita S. Hugonis I. Abbatis Cluniacensis*, præceptoris sui, quam Cluniaci Manuscriptam extare, author est Arnoldus Wion, edita est Lutetiæ Parisiorum anno 1614. in folio, *Bibliotheca Cluniacensis* col. 413. quam procurarunt Martinus Marrier & Andreas du Chesne.

Vita Sanctæ Radegundis Reginæ extat MS. apud eundem Mabillonium, qui Prologum ejus edidit Tomo 2. *Analectorum* pag. 296.

Poëma elegans seu Epitaphium in Berengarium exhibet Guilielmus Malmesburiensis, Lib. 3. *De Gestis Regum Anglorum* fol. 64. & ex eo Baronius ad annum 1088. *Annalium Ecclesiæ.*

Idem scripsit *Vitam Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ* carmine eleganti, cujus meminit Henricus Gandavensis *De Viris illustribus* cap. 8. his verbis. *Hildebertus ex Cenomanensi Episcopo Archiepiscopus Turonensis, qui claruit tam prosâ quam metro, scripsit eleganti metro vitam Mariæ Ægyptiacæ* : ubi alia etiam quæ posteritati mandavit, subjungit. Extat hæc Vita MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 951. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera E. Codice 28. num. 4. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1604. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 137. num. 4. Item in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera A. Codice XII. num. 19. *Vita S. Mariæ Ægyptiacæ per Hildebertum, versibus.* Num. 20. *Ejusdem Episcopi versus de XII. plagis Ægypti.* Denique inter MSS. Codices Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, Repositorio Theologico II. Serie II. in folio Codice 29. num. 5. *Hildeberti Episcopi Cenomanensis carmen de vita S. Mariæ Ægyptiacæ.* Ejusdem *carmen prolixum de Sacramentis*, ut habet Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ pag. 109. edito Lipsiæ anno 1686. in 12. Cum autem anno 1679. Codices MSS. Bibliothecarum Belgii excuterem, vidi quoque Vitam hanc MS. in Bibliotheca Alnensi Ordinis Cisterciensis diœceseos Leodiensis, una compactam cum Algeri Leodiensis Scholastici libris tribus *De justitia & misericordia Dei* nondum editis, Cod. in 8.

Extant quoque *Poëmata varia ejusdem Hildeberti* MSS. in Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 951. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera E. Codice 28. num. 2. *Hildeberti de mundi & primi hominis creatione, carmine.* Num. 3. *de verbo incarnato versibus.* Num. 4. *de Maria Ægyptiaca versibus.* Num. 5. *Expositio Missæ ab Hildeberto versificata.* Item Codice 2742. in MSS. supra M. 4. Art. Codice 143. Num. 8. *Hildeberti Cenomanensis Episcopi Liber de Officiis & Mysteriis Missæ, versibus hexametris & pentametris exaratus*, pag. 154. Ibidem Codice 4050. in MSS. Codicibus Hattonianis Codice 31. Num. 9. *Hildebertus Episcopus Cenomanensis de concordia veteris ac novi sacrificii, versibus.* Num. 10. *liber præsigmationum Christi & Ecclesiæ versibus Hexametris.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis, Codice 714. in Codicibus MSS. Collegii Sidney-Sussex K. III. Codice 6. num. 1. *Sancti Hildeberti versus de Explanatione Missæ.* Num. 2. *Ejusdem versus de corpore & Sanguine Domini.* Num. 3. *Ejusdem versus de baptismate.* Num. 4. *Ejusdem versus, quare non copulantur in conjugio Consanguinei.* Ibidem Codice 1351. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 74. num. 1. *Hildebertus de Sacramentis.* Inter MSS. Codices Ecclesiæ Metropolitanæ Eboracensis Codice 42 num. 6. *Hildeberti carmina de Veteri & Novo Testamento.* Inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Vespasiani litera B. Codice 13. num. 14. *Versus Hildeberti Episcopi in quasdam historias Veteris Testamenti, præsertim libri Geneseos.* Ibidem litera D. Codice 5. num. 2. *Poemata quædam sacra Hildeberti.* Ibidem sub effigie Titi littera D. Codice 24. num. 6. *Versus Hildeberti Cenomanensis Episcopi, de corpore Christi, de Sancto Nicolao, de Sancto Zosima & Sancta Maria Ægyptiaca &c.* Ibidem sub effigie Cleopatræ litera C. Codice 1. *Varia Poëmata miscellanea, præsertim de argumentis historicis ex Sacra Scriptura petitis, Hildeberti Cenomanensis.* Ibidem sub effigie Faustinæ, in MSS. Codicibus nondum in loculis repositis Codice 13. num. 3. *Versus Hildeberti Cenomanensis Episcopi, de Explanatione Missæ, cum versibus aliis.* Hæc diffuse de Opusculis & MSS. Codicibus Hildeberti Cenomanensis primum Episcopi, tandemque Archiepiscopi Turonensis.

Opuscula quoque proxime sequentia & enumeranda in lucem produxit & cum notis edidit Jacobus Hommey amicus noster, Ordinis Eremitarum divi Augustini, in suo *Supplemento Patrum*, Parisiis 1684. in 8. impresso, ex MS. Codice Collegii Sorbonici, ejusmodi Opusculorum Hildeberti Cenomanensis Episcopi, nimirum, *Librum de querimonia conflictu Spiritus & carnis* pag. 421. *Librum de concordia Veteris & Novi Testamenti metricum* pag. 441. *Orationes aliquot Theologicas & Rythmos sacros* pag. 446. *Librum elegiacum de exilio suo* pag. 453. *Librum metricum de Vrbe Roma, duabus constantem partibus, 1. de Roma diruta, 2. de Roma reparata* pag. 450. *Alia miscellanea metrica, videlicet de Sacramentis, de utraque parte Altaris, de tribus Missis in Natali Domini &c.* Neque Galli soli Opusculis Hildeberti Cenomanensis Episcopi evulgandis, operam suam contulerunt: Sed & Germani quoque Symbolam suam iis adjecerunt. Caspar Barthius in *Adversariorum* Libris LX, anno 1624. Francofurti in folio editis, Libro XXXI. cap. XIII. profert *Martyrium seu Agonem Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris*, ab Hildeberto Cenomanensi Episcopo, carmine elegiaco conscriptum col. 1449. & seqq. quod ipsi dono dederat, à se ex MS. Codice descriptum, Heribertus Rosweidus Soc. Jesu Theologus, vir præclarè de literis ob insignia Ope-

ta quæ in lucem edidit, meritus. Item ab anno quoque 1637. Andreas Rivinus nonnulla Hildeberti Opuscula ex MSS. in apricum protraxit, ex cujus *Apparatu* Christianus Daumius *Sermonem illum* qui in editione ultima *Centesimus* est, & pag. 723. legitur, repetiit: & Sanctorum Patrum Veterumque Ecclesiæ Doctorum aliquot, qui oratione solutâ scripserunt, Homiliis ac Meditationibus in Festum Nativitatis Jesu Christi abs se anno 1670. Cygneæ junctim evulgatis, pag. scilicet 209. inseruit. Omnia denique *Venerabilis Hildeberti, Cenomanensis primum Episcopi, deinde Turonensis Archiepiscopi Opera*, tam edita quam inedita, ex MSS. Codicibus plusquam XL. collecta & collata, cum Opusculis Marbodi Redonensis Episcopi, studio & labore Domini Antonii Beaugendre, hominis octogenarii, Presbyteri & Monachi Ordinis D. Benedicti, è Congregatione S. Mauri, edita Parisiis apud Laurentium le Conte anno 1708. in folio.

• Hanc ergo provinciam sibi assumpsit Octogenarius senex, strenueque ornavit, qui tantam Scriptorum majorum minorumque ab Hildeberto profectorum copiam nunc exhibet, quantam ante ipsum nullus collegisse deprehenditur: id quod labore multorum annorum, indefessoque studio assecutus est. Editioni autem suæ præmisit Antonius Beaugendre *Vitam Hildeberti*, ex scriptis ejus & Veterum monimentis à se collectam, quam hic compendii causa omittendam arbitramur, ut ad Opera editionis hujus veniamus.

Primum locum *Epistolæ* ejusdem obtinent, quarum cum antea *Octoginta tres* tantum numeratæ fuerint, hic Editor *triginta novem* additis, centum & viginti unam publici juris facit. Et singulas sane ad tredecim MSS. Codicum optimæ notæ fidem recensuit, varias lectiones observavit, argumenta plura endavit: quo tempore dictatæ, & ad quos directæ fuerint annotavit, notisque eas, ubicunque visum fuit, eruditis sollerter instruxit. Subsequuntur deinde *Sermones Hildeberti centum & quadraginta*, cum antea tres solum in variis editionibus *Bibliothecæ Patrum* reperirentur. Hos excipiunt varia ejus Opuscula soluto sermone composita, quorum agmen ducit *Vita S. Radegundis Reginæ*, quam ex schedis suis transmisit Joannes Mabillon, qui ejus *Præfationem* Tomo III. *Analectorum* dederat, eo consilio, ut si quando sese offerret occasio, integram illam vitam ederet. Comitem hæc habet *Vitam S. Hugonis Abbatis Cluniacensis* in Bibliotheca Cluniacensi jam tum editam, & apud Surium quoque ad diem 29. Aprilis reperiundam. Excipit hanc *Liber de querimonia* sive *de conflictu carnis & Spiritus*, partim prosâ, partim metro, conscriptus ad imitationem Boëtianæ Consolationis Philosophicæ, & hactenus nondum editus. Item *Tractatus de utili & honesto*, quatuor libris distinctus, & nonnisi ex variis Senecæ, Ciceronis, Taciti, & aliorum veteris scholæ Philosophorum Scriptis adornatus, pariterque hactenus ineditus. Qualis etiam est *Tractatus Theologicus*, quem inter alia indubitata Hildeberti Opera, medium reperit in MS. Codice Monasterii B. Mariæ de Lyra, Ordinis & Congregationis S. Mauri, 600. circiter annorum. Sequuntur autem *Brevis Tractatus de Sacramento Altaris, liber brevis de Missa expositione, Versus de Mysterio Missæ, liber de sacra Eucharistia, Opuscula que alia metrica, & Carmina miscellanea quamplurima*, quæ nunc primum ex MSS. Codicibus eruta, quoad maximam partem evulgantur: in quibus strictam Syllabarum mensuram non semper ita scrupulose sectatus Hildebertus quod fuerit, ignoscendum ipsi ob sententiarum gravitatem materiæque pondus, postulat. Cæterum cum Editori sero nimis sero relatum fuisset, Dominum Philippum Loyante, causarum in Parlamento Parisiensi patronum celeberrimum, cœpisse olim operam navare illustrandis Hildeberti Epistolis, ad *Appendicem* Operi suo faciendam coactus fuit, continentem *tres Epistolas* ex ejusdem Codice erutas, cum eruditis Notis ad decem & octo Hildeberti Epistolas. Item *alias tres Epistolas* à CL. Baluzio concessas, & *tres* denique ex S. Vincentii & Ebronensis Monasterii tabulariis translatas. Neque sic tamen omnia Hildeberti Opera extare fatetur, quin potius ejus *Historiam Miraculorum Exoniensis Ecclesiæ, Statutaque Synodalia pro Diœcesi Cenomanensi*, quorum fragmenta aliqua olim Jo. Baptista Thiersius citaverit, sed nullo impetrare labore potuisse, majorem in modum dolet. Hæc de hac editione verbotenus suppeditarunt *Acta Eruditorum Lipsiæ* anni MDCCIX. Kalendis Aprilis pag. 145. ad 150.

Cum vero Hildeberti lucubrationes ad MSS. Codices supra quadraginta expendens, Epistolas nonnullas Marbodi Redonensis Episcopi Hildeberto supparis intermixtas deprehendisset, Opusculaque Marbodi vicissim discutere, & ab Hildebertinis discernere, necessitas sæpe flagitaret: hinc in eam venit sententiam, ut *Appendicem alteram Opusculorum & poematum Marbodi Epistolarum* adderet, quâ nunc Marbodum Hildeberto comitem esse datum Eruditi haud indigoe ferent. Egit primum ille Marbodus Scholarum Ecclesiæ Andegavensis publicarum ab anno 1067. ad 1081. Magistrum, & post Archi-Diaconi officium in ista Ecclesia per annos pluresadimpletum, anno 1096. jubente Vrbano II. Pontifice, in ipso Concilio Furonensi, solemni ritu consecratus fuit Ecclesiæ Redonensis Episcopus. Huic dignitati posteaquam per annos plures præfuisset, abdicato tandem sponte Pontificatu, in Monasterium S. Albini Andegavensis secessit, ibidemque monachum sub regula S. Benedicti professus, aliquandiu vixit, donec anno 1123. tertio Idus Septembris, annos circiter octoginta & octo natus, supremum diem obiit. Tantam Opusculorum ejus raritatem se observasse Antonius Beaugendre inquit, ut vix aut ne vix qu. dem ex instructioribus Galliæ Bibliothecis, uni-

unicum exemplar editionis Redonis anno 1524. antiquo charactere vulgatæ nancisci potuerit, qui Lectoris oculos elegantioribus assuetos facilè offendere potuerit. Voluit igitur & ad detegenda illa quæ nunquam antè apparuerant, & ad vetera ista majori nitore donanda, suam lubentissimè conferre operam, hisque Marbodi non minus atque istis Hildeberti opusculis notas suas, quantum ex variis seculi istius historiis & eventibus, aut etiam probabilioribus conjecturis assequi datum fuit, adjicere.

Cum autem *Vitam Hildeberti* multis Antonius Beaugendre ex Scriptis ejus aliisque veteribus monimentis adornasset, quæ ob prolixitatem lectoribus tædium parere potuisset: Eruditi Lipsienses laborem hunc prolixum compendio hujus Vitæ facto, in grariam lectorum obtulerunt, quod hic quoque verbotenus referre non dedignabimur.

„ Ortum scilicet accepit Hildebertus à mediocris fortunæ parentibus in castro Lavarzinensi seu Lavardini ad Montem Aureum in Agro Vindocino, anno Christi MLVII. Institutus à puero disciplinis bonisque artibus, Magistroque Berengario usus fuit, tunc eruditionis laude præ cæteris insigni. Primos adolescentiæ annos emensus, ad Cœnobium Cluniacense accessisse fertur, statumque monasticum amplexus fuisse, à Scriptoribus quibusdam non ignobilibus perhibetur, sed ab aliis vicissim negatur. Inde Hoellus Cenomanensis Episcopus, eruditionis ejus famâ permotus, Cenomanensibus cum Scholis præfecit, & anno 1092. cum ætatis annum trigesimum quintum ageret, in Archidiaconum adlegit, quod munus per annos quindecim administravit: neque tamen (uti contra Ivonem Carnotensem atque Baronium, famam ejus tueri conatur Antonius Beaugendre) post acceptum honorem illum vitam solutiorem exercuit. Defuncto Hoello Episcopo, in ejus locum anno 1097. successit, non sine magna quadam partium subordinatione in Præsulem ordinatus: qui & post illud tempus factiones plurimas sibi adversantes superare necesse habuit. Consulum imprimis Cenomanensium contumeliis impetitus, iter Romam versus capessivit, tum ut apud Pontificem solatii quidpiam inveniret, tum ut ex nutu ejus Episcopatu se abdicaret, Cluniacumque repeteret, reliquum vitæ tempus in exercitiis monasticis transacturus; quanquam non Romæ, sed Savigniaci Papam Paschalem II. invenerit. Hic autem viri indolc, doctrinâ, industriâ, animarumque curâ permotus, non solum à proposito Pontificatum deponendi eum deterruit, sed & mandato Scriptis expresso, ad Ecclesiam curasque pastorales remisit. Cenomanum igitur vel invitus rediit, ubi constitutâ sic pace, mox denuò confligendum ipsi fuit cum Henrico quodam, priscorum hæreticorum deliramenta non pauca renovante. Quo vix superato & expulso, novas molestias expertus est. Technis enim Rotroci Comitis Mauritanensis, ejusque matris & Humberti Dapiferi circumventus, duro se carceri præter omnem opinionem, mancipatum vidit: sed mutatâ rerum facie, post tempus aliquod è vinculis iterum dimissus, ad pristinam Ecclesiæ gubernationem rediit. Ubi omnibus ac singulis in ejus commodum ritè laudabiliterque constitutis, anno MCXV. Gilberto Turonensi Archiepiscopo è vivis sublato, in locum ejus, licet fere Septuagenarius & renitens, suffectus est. Tunc verò res Ecclesiasticas non modò composuit, sed populorum etiam oneri levando omnem operam navavit. Sed quominus Ludovici VI. seu Crassi Francorum Regis odium incurrerit, evitare nullus potuit, quem tamen eundem paulo post sibimet reconciliatum persensit. Denique post frequentiores variarum ægritudinum molestias, placidè in Domino obdormivit decimo octavo mensis Decembris, anno Christi MCXXXIV. Quæ aliaque ut prolixè refert noster Beaugendre, ita in majorem enarratorum abs se fidem illa subjicit, quæ antiquus Autor Gestorum Episcoporum Cenomanensium apud Joannem Mabillon Tomo III. *Analectorum*, pag. 303. & sequentibus de *Hildeberto* tradidit, unà cum Notis quibus istam Hildeberti historiam dilucidavit & amplificavit *Philippus Loyauté*, Parisiensis in Parlamenti supremâ curiâ causarum patronus celeberrimus."

Hæc de Vita *Hildeberti* ab Eruditis Lipsiensibus contracta in Compendium ex monumentis majoribus Philippi Loyauté & Antonii Beaugendre, quæ editioni huic ultimæ Operum Hildeberti præmissa fuerunt.

Complures ad illum Epistolæ supersunt, tum Sancti Ivonis Carnotensis Episcopi clarissimi, tum Goffridi Vindocinensis Abbatis, qui & eum *virum religiosum & in provincia sua primarium post Metropolitam* appellat. Ejus quoque elogium apud Guilielmum Malmesburiensem lib. 3. *De Gestis Anglorum*, & apud Sanctum Bernardum Claravallensem Abbatem Epistolis CXXV. & CXXIII. Quid mirum? quando inter eloquentissimos Galliæ viros, refertur etiam à Nicolao de Clemangiis, Epistolâ ad Galiotum de Petramala Cardinalem: atque veteres in eum versiculi isti extant.

Inclytus & prosa, versuque per omnia primus,
Hildebertus olet prorsus ubique rosam.

Ex recentioribus autem pluribus, agunt de illo Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. pag. 403. & 404. editionis ultimæ 1651. in 4. Fratres Sammarthani Tomo I. ac III. *Gallia Christiana* in Archiepiscopis Turonensibus & Episcopis Cenomanensibus. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* seculo XI. ad annum 1097. pag. 629. Atque omni-

omnium diffusissimè Antonius Beaugendre in editione Operum ejus ultimâ, Parisiis anno 1708. in folio.

1110 GODOFRIDVS seu GODFRIDVS Ecclesiæ Sancti Swithini Wintoniensis civitatis, Ordinis S. Benedicti primum Monachus, deinde Prior ejusdem loci, claruir annis 1110. 1120. 1130. usque ad annum 1141. quo mortuus est, quidquid alii scribanr. Insigne ejus elogium habet Guillelmus Malmesburiensis, non mulrum à fine Libri quinti *De rebus gestis Regum Angliæ*, ubi laudes ejus maxime litterarias in hæc verba profert: „Nec memoria Godfridi Prinris Winroniensis ire debet in perditum, qui temporibus his literatura & religione insignis fuit. Litteraturam protestantur *libri plures & Epistolæ* familiari illo & dulci stylo ediræ, imprimisque *Epigrammata* quæ Satyrico modo absolvit. Prætereà versus *De Primatum Angliæ laudibus*. Quid? *Omne divinum Officium, quod agresti quadam vetustate obsoletum, per industriam suam nativa excultum venustate fecit enitescere.* Religionis & hospitalitatis normam pulchrè inchoatam delineavit in Monachos, qui hodieque ita in utrisque Prioris ferunt vestigium, ut aur nihil aut parum iis desit, ad laudis cumulum. Denique est in ea domum hospitium, terra marique venientium, quantum libuerit diversorium, sumptu indeficienti, charitare indefatigata. Inter hæc inerat sancto viro morum humilitas, ut nihil ex illo unico Philosophiæ promptuario redoleret, nisi humile; procederer, nisi dulce. Quantula verò potest videri hæc ejus laudatio? Quotus enim quisque est, qui vel minimum literis imbutus, non alios infra dignitarem suam opinerur tumido gestu & pompatico incessu, præ se ferens conscientiam literarum? Veruntamen ne quid perfectionis sanctæ deesset animæ, multis annis ille grabbatum fovit, camino, diuturnæ tabis medullas & peccata excoctans.“ Ab hoc elogio, nos ad ejus lucubrationes veniamns. Scripsir teste Malmesburiensi *De Primatum Angliæ laudibus*, librum unum. *De diversis hominum moribus* librum unum. *Epigrammata Satyrica* librum unum. *Vudique susceptum, quia miscuit &c. Nummi descriptionem* librum unum, *Nummum destripsit, Nummo quoque &c. D sticha moralia* librum unum, *Discendi Damiane modum &c. Tetrasticha moralia* librum unum. *Miramur Rupilum &c. Octosticha moralia* librum unum, *Epistolarum familiarium* librum unum, & ejusmodi alia non pauca. Extanr pleraque aut omnia forsan hæc Opuscula, MSS. in Anglicanis bibliothecis. Extat enim MS. Codex, qui Godefridi hujus esse autographus credirur, in Bibliorheca Bodlejana Codicc 1666. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 65. cujus inscriptio, *Carmina Godefridi Prioris Wintoniensis*, ubi Num. 1. *Poema de Nummo.* Num. 2. *Poemata varia*, in qnibus quædam Hildeberti Cenomanensis. Num. 3. *Alia diversa Epigrammata*, ubi dubio procul, *Disticha, Tetrasticha & Octosticha*, de quibus Pitseus loquitur. Num. 5. *elegans Poema in novum Testamentum.* Num. 6. *Epithalamium B. Mariæ Virginis.* Ibidem Codice 1713. in MSS. Codicibus ejusdem Kenelmi Digbæi Codice 112. ad finem codicis, *Liber Proverbiorum Godefridi Prioris Wintoniensis.* In Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Virellii littera A. Codice XII. num. 18. *Versus Rythmici Godofridi Prioris Ecclesiæ S. Swithini Wintoniensis, de moribus & vita instituenda.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis, Codice 1721. 1622. &c. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi, Codice 254. & sequeotibus, extant *Variorum Collectaneorum* decem Volumina Briani Twyni sacræ Theologiæ Baccalaurei & CCC Socii, quorum volumini secundo, Codice 155. extat num. 3. *Prologus Godfridi Prioris Sancti Swithini Wintoniensis, super Epithalamium Beatæ Mariæ Virginis.* Num. 4. *Epitaphium Petri Abælardi* ex libro ejusdem Godfridi. Num. 5. *Poëma Hildeberti Episcopi Cenomanensis de Nummo*, ex Codice citato ejusdem Godfridi, quod ipsius Godfridi esse Baleus & Pitseus censenr. Indissolubilem amicitiæ consuerudinem coutraxit cum Serlone Nortmanno, ejusdem instituti, paris eruditionis & pietatis, Abbate Claudiocestrensi, de quo jam defuncto scripsir non inelegans hoc Epitaphium, ut habet loco citato Malmesburiensis, ex ejusdem *Octostichis* acceptum.

Ecclesiæ murus cecidit Serlone cadenre,
Virtutis gladius, buccina justitiæ.
Vera loquens, & non vanis Sermonibus utens,
Et quos corripuit, Principibus placuit.
Judicium præceps, contrarius Ordinis error,
Et levitas morum, non placuere viro.
Tertius à Jano mensis, lux tertia mensis
Cum nece suppressum, vita levavit eum.

Mortuus est autem Godfridus Prior S. Swithini Wintoniensis, non anno 1107. uti Joannes Baleus imperitè scribit, sed anno 1141. Hoc constat, quia eodem anno ille mortuus est, quo turris Ecclesiæ Wintoniensis ex incendio cecidit, juxta autem *Chronicon* Gervasii Monachi Dorobernensis ad annum 1141. col. 1350. Incendium urbis Wintoniensis agente & præcipiente Henrico ejusdem civitatis Episcopo, factum est anno 1141. die 2. Augusti, quo Monasterium Sanctimonialium cum officinis suis & plusquam viginti Ecclesiis, cum melioti parte Civitatis, & Cœnobio S. Grimbaldi cum ædibus suis in cinerem redactum est. Hoc quoque anno 1141. sub finem libri V. *De rebus gestis Regum Angliæ*, illius elogium texir Guillelmus Malmesburiensis, qui Historiam suam à primo Anglorum adventu ad annum 1142. quinque libris complexus est, ut habet Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De*

Hi-

Historicis Latinis cap. 51. pag. 414. editionis ultimæ. De eodem Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* ætate 12. ad annum 1107. p. 192. editionis Parisiensis 1619. in 4.

1110 THEOBALDUS STAMPENSIS, quem Guillelmus Cavus natione Anglum post Joannem Balæum facit, mihi natione Gallus videtur, dictusq; Stampensis ab eo Galliæ oppido quod *Estampe* dicitur: unde in Angliam evocatus pertransierer, ut plerisque Gallis, sub Nortmannis Angliæ Regibus, tunc consuetum. Claruit ex mente clarissimi viri Lucæ Dacherii anno 1108. & ultra, quam cum ipso epocham amplector in Prolegomenis tomi III. *Spicilegii* in quo extant *Epistolæ quinque Guillelmi hujus Stampensis*. Favet quoque mirum in modum huic sententiæ, nuperus Scriptor *Oxoniensis Historiæ* ad annum 1129. pag. 48. narrans anno præfato. Theobaldum nostrum edidisse *Librum contra Regulares*, quem Thurstanno Eboracensi Archiepiscopo obtulit ac dicavit, qui sedem hanc ab anno 1119. usque ad annum 1140. occupaverit. Florebat ergo circa annum 1110. hic Theobaldus probabilius multo, quam circa tempora Roberti Capitonis Lincolniensis Episcopi anno 1250. vel circiter, cui illum assignat Joannes Balæus, in Opere *De Scriptoribus Angliæ* Centuria X. pag. 41. Vide Guillelmum Cavum in *Historia rei literaria* seculo XIII. ad annum 1250. pag. 721.

1110 BERENGOSIUS SANCTI MAXIMINI TREVIRENSIS ABBAS, quem Gallia Christiana tomo 4. pag. 633. in Abbatibus Sancti Maximini Treverensis *Berengosum* vocat, ex Ordine divi Benedicti, quem unum atque eundem esse opinor cum *Berengaudo & Berenguiddo* in multis MSS. Codicibus. Hic claruit ab anno circiter 1110. ad annum 1120. qui jam ab anno 1112. factus Sancti Maximini Trevirensis Abbas, insigne privilegium ab Henrico V. Imperatore obtinuit pro advocatia hujus Abbatiæ, ubi inter alios hoc tempore in Imperio illustres Episcopos hujus privilegii testes nominantur, *Bruno Treverensis & Fridericus Coloniensis Archiepiscopi, Bruno Spirensis, Obertus Leodiensis, Burchardus Trajectensis, Odalricus Constantiensis, Rudolfus Basileensis, Richardus Virdunensis & Richuinus Tullensis*, omnes Episcopi. Scripsit insignia Opera, quæ ex MSS. eruta extant in tomo 2. *Bibliothecæ sanctorum Patrum* Margarini Bignæi, editionis secundæ Parisiensis anni 1589. apud Nivellium. Sunt autem *De Laudibus & inventione sanctæ Crucis* Libri III. Ejusdem insignis Libellus *De Mysterio Ligni Dominici, & de luce visibili & invisibili, per quam antiqui Patres meruerunt illustrari*. Ejusdem in illud ex Psalmo 58. *Deus repulisti nos & destruxisti nos*, sermones duo *in Natali sanctorum Martyrum*. Ejusdem in illud Levitici cap. 6. *In sartagine oleo conspersa frigetur, offeret eam calidam in Odorem suavissimum Domino Sacerdos, qui jure fratri successerit*. Et super illud, *Ignis in Altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos*. Seraco *de uno Confessore atque Pontifice*. Itemque alius *De reliquiarum veneratione & in dedicationem Ecclesiæ*. Hæc sub ejus nomine vulgata prostant. At ejusdem opinor esse Berengosii seu Berengaudi *Commentarium in Apocalypsim Beati Joannis Apostoli*, qui legitur ad calcem Operum divi Ambrosii anonymus. Quamvis enim hic Commentarius in plurisque MSS. Codicibus absque nomine authoris habeatur, in multis tamen etiam sub nomine *Berengaudi* legitur, vel *Berengodi*, vel *Borenguiddi*, suntque fere omnes Codices MSS. ætatis & antiquitatis, quæ ad hunc *Berengosum* spectant. Ita habetur sub expresso nomine *Berengaudi* MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4111. & in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis Cod. 556. optimæ notæ, nec dubito quin illum suo restituant authori, Illustratores Ambrosianorum Operum amici nostri Jacobus le Friche & Nicolaus Noris eruditi congregationis Sancti Mauri in Gallia Monachi, in editione Operum Ambrosii ultima, quam studio insigni procurant. Incipit quidem in MSS. Codicibus, verbis tantisper mutatis, *Beatum Joannem Apostolum & Evangelistam* &c. sed eum impressis in idem redit. Idem Commentarius sub nomine *Berenguiddi* in MSS. Anglicis, Oxoniæ in Bibliotheca Collegii Corporis Christi, Cod. 47. Cantabrigiæ in Domo Sancti Petri, Cod. 98. sub nomine *Brengwiddi*. In Bibliotheca Sancti Benedicti, Cod. 239. sub nomine *Barengaldi*. In aula Pembrochiana Cod. 169. sub nomine *Berengaudi*. In Bibliotheca Sancti Sergii Andegavensis Littera K. *Berengaudus in Apocalypsim*, idemque in Bibliothecis Beccensi & S. Martini Sagiensis. At in Bibliothecis Claræ Vallis & Longipontis Littera I. 6. Cisterciensis Ordinis, sub nomine *Berengarii* existit. *De Berengoso* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, tomo 1. pag. 212. Bellarminus & Labbeus in Opere suo, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Gallia Christiana tomo 4. in *Abbatibus Sancti Maximini Trevirensis* pag. 633. Aubertus Miræus in *Auctario*, & alii.

BERNARDUS SILVESTRIS, ULTRAJECTENSIS CLERICUS, hoc tempore non ignobilis Philosophus ac Theologus docuit, 1110
quem Belgem fuisse verisimile est, cujus & mentionem facit. Antonius Sanderus in *Bibliotheca MS. Belgica* parte 2. pag. 327. editionis Insulanæ 1641. in 4. florebat circa an. 1110. & ulterius, cum Opuscula sua de quibus infra Terrico famoso Scholarum Magistro dicaverit, cujus meminit Petrus Abaëlardus in Epistola seu libro *Calamitatum suarum*. Hic enim Terricus Concilio Suessionensi, anno 1120. quod contra Petrum Abaëlardum convocatum fuerat, interfuit, & Cononem Legatum (Si Abaëlardo fides est) ignare dicentem *in Trinitate tres esse omnipotentes*, redarguit irridendo & afferendo illud

„ludAthanasii, „*Et tamen non tres omnipotentes, sed* „*unus omnipotens.* Cumque ab Episcopo tan- „quam reus, qui in Majestatem loqueretur, re- „prehenderetur; attulit verba Danielis: *sic fa-* „*tui filii Israel non judicantes, neque quod verum* „*est cognoscentes, condemnatis filium Israel? Rever-* „*timini ad judicium & de ipso Judice judicate, qui* „*talem Judicem quasi ad instructionem fidei & cor-* „*rectionem errorum instituistis? Qui enim judicare* „*deberet, ore se proprio condemnavit.* Divina ho- „die misericordia innocentem patenter, sicut „olim Susannam a falsis accusatoribus libera- „vit.„ Sic ille apud Abaëlardum. Quæ neu- tiquam ad Abaëlardi justificationem attuli- mus, cum nemo judex in propria caussa sedere debeat: sed ut cujus temporis fuerit *Bernardus Sylvestris*; inde demonstremus. Scripsisse di- citur *Commentarium in Theodulum*, qui extare dicitur in Regia Galliarum, bibliotheca, Codi- ce MS 954. Meminit Operis hujus Sigebertus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* capp. 134. & 169. quem consulas. Extat hujus *Bernardi Sylve- stris Epistola ad Raymundum Castri Ambosii, De modo rei familiaris utilius gubernandæ*, quæ incipit *Doceri petis a me &c.* MS. in Bibliotheca Gallia- rum Regia Cod. 4264. in folio. Hæc olim ha- betur impressa inter Opera *Divi Bernardi Claræ Vallis Abbatis* editionis Parisiensis anni 1586. & sequentium, usque ad editiones ultimas Hor- stianam & Mabillonianam, quæ Opus istud o- lim Bernardi Abbatis putatitium, sed adulteri- num exclusisse noscuntur. Scripsit pariter O- puscula duo, Unum *Megacosmus*, alterum vero *Microcosmus* appellatum, quæ MSS. extant in Bibliotheca Colbertina, Codice insigni 199. in maximo folio. Hic minio titulus, *Incipit Mega- cosmus Bernardi Silvestris.* Inscriptio autem Pro- logii *Terrico veris scientiarum titulis Doctori famo- sissimo, Bernardus Sylvestris Opus suum. Aliquandiu fateor mecum sensu secretiore quæsivi, utrum Opuscu- lum meum in amicas manus traderem, aut non expe- ctato judice abolerem &c.* Constat partim oratione Ligata, partim soluta. Incipit Carmen primum, *Congeries informis adhuc cumSylva teneret* &c. In- cipit Microcosmus, *In præclaro Longeque artifici mundi sensilis apparatu* &c. Carmen incipit, *Jam Sectum per membra chaos, jam Sylva decorem* &c. In fine, *Explicit Philosophia Bernardi Sylvestris.* Stylus hujus Scriptoris obscurus est, nec hodi- ernæ perspicuitati convenit, quam ob caussam nondum in lucem prodiit. Nec semel tantum in Bibliotheca Colbertina MS. sed iterum & tertio. Itemque in Gallia Regia, in Victoria Parisiensi, in Longipontana Cisterciensi, unde transcriptum a Joanne Baptista Desvoyville hujus loci Priore, ad me olim immissum est. Idem apud Anglos inter MSS. Codices biblio- thecæ Bodlejanæ num. 1265. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera H. Codice 2. num. 8. & 9. & 10. Ibidem num. 1758. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 157. num. 1. Ibidem num. 1647. in MSS. Codicibus Kenelmi Dig- bæi Codice 46. *Liber Fortunæ per Bernardum Syl- vestrem.* Item Megacosmus MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri, Cod. 52. num. 7. & in MSS. Sancti Benedicti, Cod. 69. num. 3. Alludit absque dubio scriptor ad nomen suum *Bernardi Sylvestris*, dum in primo quoque utriusque Operis versu, vox *Sylva* com- paret, quæ *Sylvestris* affectationem denotat. Hujus scriptoris cujus Opusculum solum *De cu- ra rei familiaris* impressum est, meminit Sigeber- tus in libro *De Viris illustribus* cap. 156. & Ger- rasius Tilleberiensis MS. parte 3. *Otiorum Im- perialium* cap. 46. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 94. & in ipso Glossario, columna 1000. verbo Cisimus.

CALIXTUS II. ROMANUS PONTIFEX, 1110 antea Guido dictus, Guillelmi Burgundiæ Comitis filius, primum Monachus monasterii Falleriensis in Gallia, Congregationis Clunia- censis, & hinc ab anno 1110. Viennensis in Gallia Archiepiscopus, denique post Gelasium 2. Romanus Papa anno 1119. Cluniaci die 4. Februarii electus, ibidem exeunte mense Mar- tio coronatus est. Scribit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 400. præter *Epistolas & Decreta*, reliquisse librum *De obitu & vita Sanctorum*, ac seorsim li- brum *De miraculis Sancti Jacobi Apostoli*, qui pro- pe integre extat in Vincentio Bellovacensi *Spe- culi Historialis* lib. 26. à cap. 30. ad usque 42. Sane Callistus magno semper honore habuit S. Jacobum Compostellanum, id quod & indi- cant verba ista Guillelmi Malmesburiensis Lib. V. Historiæ suæ: *Nec quicquam in Callisti pecto- re pecuniarum vel habend.rum ambitus, vel habita- rum amor, operari bono abhorrens potuit. Adeo ut Anglos peregrinos magis ad Sanctum dictum*, Jaco- bum nempe Compostellanum, *quam Romam pergere admoneret: pro via longitudine ad illum lo- cum bis euntibus, idem benedictionis refundendum commodum, quod habent qui semel Romam irent.* Idem MS. asservatur Oxonii in Bibliotheca Bal- liolensi, & Cantabrigiæ in Benedictina, ubi & Liber ejus MS. *Super translationem S. Jacobi*, i- tem ejusdem Liber MS. *De inventione* corporis Turpini. Hæc Gerardus Joannes Vossius, in quæ tantillum commentari, non inutile Cri- ticis fuerit. Quantum ad librum *De obitu & vita Sanctorum* quem Callisto II. attribuit Vos- sius, longe illo antiquior est, spectatque dubio procul ad S. Isidorum Hispalensem Episcopum, cujus Scripta ad annum 610. excussimus. Ex- tat hoc Opusculum inter ejus Opera impres- sum, cujus & mentionem expressum facit S. Braulio Cæsaraugustanus Episcopus, ubi de O- peribus S. Isidori. Quoad Opus Callisti Papæ *De Miraculis S. Jacobi*, extat in Collegio Ballio- lensi in Oxonia, Cod. in membrana 192. in folio. Item in Collegio Sancti Benedicti Catabrigiæ, Cod. 41. num. 5. Calixtus Papa super miracula S. Ja-

S. Jacobi Apostoli. 6. Idem super translatione ejusdem. 7. Epistola Leonis Papæ 3. de Translatione S. Jacobi Apostoli. 8. Liber Turpini Archiepiscopi *De gestis Caroli Magni*, vel ut præ se fert titulus, *Liber Turpini Archiepiscopi, Quomodo Carolus Rex Francorum acquisivit Hispaniam.* Hunc librum dicit Callistus Papa esse authenticum. 9. Callistus Papa *De inventione corporis Turpini Archiepiscopi & Martyris.* Spectant autem hæc Opuscula omnia ad Callixtum II. Romanum Pontificem, qui hæc composuisse videtur, dum Archiepiscopus esset Viennensis, non tam ad Caroli Magni commendationem, quam ad peregrinationis ad Sanctum Jacubum frequentationem, & Compostellanæ Ecclesiæ quam summe ambivit, exaltationem. Nam Callistus omnem suam elevationem referebat ad S. Jacobum Apostolum, cujus ergo devotionis, peregrinationem ad reliquias ejus venerandas Compostellam olim susceperat. Extant hujus *Historia Caroli Magni per Turpinum*, seu potius per *Callistum II. Romanum Pontificem*, antea Guidonem Viennensem in Gallia Archiepiscopum, IV. MSS. exemplaria in Bibliotheca Cottoniana, nempe sub effigie Claudii Litt. B. Codice VII. num. 3 Historia Turpini Archiepiscopi Remensis Ecclesiæ de famosissimo Rege Carolo Magno, cum Appendice & morte Turpini, quam sequuntur fabulosæ quædam & mendaces narrationes. Sub Neronis effigie Litt. A. Codice XI. num. 2. Historia famosissimi Regis Caroli Magni per Turpinum. Num. 3. De miraculis beati & gloriosi Apostoli Jacobi, fratris Sancti Johannis Evangelistæ, quibus præfigitur Argumentum Calixti Papæ, in quo præcipit, ut Codex iste inter authenticos deputetur, & in Ecclesiis & Refectoriis, diebus festis ejusdem Apostoli, aliisque, si placet, diligenter legatur. Num. 4. Epistola Calixti Papæ ad Cluniacenses, & ad Guillelmum Patriarcham Hierosolymitanum, & Compostellanensem Archiepiscopum, de fide & auctoritate miraculorum hoc Codice contentorum. N. 5. Epistola Innocentii II. Papæ ad universos Ecclesiæ filios, de auctoritate hujus libri. Num. 6. Testimonium Emeriti Cancellarii de eodem. Num. 7. Ordinatio Gregorii Papæ de recipiendis Sancti Jacobi peregrinis & egenis. Sub effigie Vespasiani Littera A. Codice 13. num. 6. Historia Turpini Rhemensis Archiepiscopi, de famosissimo Rege Carolo Magno. Denique sub effigie Titi Littera A. Codice 19. num. 8. Turpinus Archiepiscopus Remensis, De gestis Caroli Magni Francorum Regis. Non mirum igitur, *Historiam Caroli Magni* sub nomine Turpini Remensis Archiepiscopi, in MSS. Codicibus sæpe cum aliis Calixti II. Papæ opusculis conjungi, cum ab illo concinnata sit, tribus post mortem Turpini seculis: unde & in ea mentio fit mortis ipsius Turpini, & inventionis corporis illius apud Viennem, multis post mortem ejus seculis. Vide quæ diximus supra in *Pseudo-Turpino* Remensi Archiepiscopo, ad annum 830. Extant Calixti seu Callisti Papæ II. *Sermones IV. in S. Jacobum Apostolum in Gallacia habiti*, in Bibliotheca Patrum editionis Coloniensis 1618. Tomo XV. qui est *Supplementum* aliorum pag. 324. & editionis quæ Maxima est, Lugdunensis anni 1677. Tomo XX. pag. 1278. Extant quoque *Epistolæ XXXV.* Conciliorum Tomo X. col. 827. & sequentibus, editionis ultimæ Parisiensis. Item *alia Epistola V.* apud Baluzium Tomo 2. *Miscellaneorum* pag. 19[2]. atque aliæ nonnullæ aliis in locis, ut apud Guillelmum Malmesburiensem. De illo pluribus Cæsar Baronius, in Notis suis ad *Martyrologium Romanum*, ad diem 25. Julii, occasione devotionis ejus in Sanctum Jacobum Apostolum & Compostellanam Ecclesiam singularis, quem audire convenit.

De eodem (Sancto Jacobo) Beda ac cæteri Latinorum, Græci autem in *Menologio* agunt, pridie Kalendas Maji, in quem diem Natalis ejus, quando ab Herode occidi jussus est, transfertur. Latini vero hac die agunt, quando venerandum ejus corpus ex Ilia Flavia Compostellam translatum est, ubi hactenus celeberrimo totius Christiani orbis officio colitur, ut ex Apostolicis Callisti Papæ II. literis constat, quibus expressum etiam habetur, ut ejus translatio Hierosolymis facta in Galleciam, itemque electio, tertio Kalendas Januarii celebretur. Rursus autem ut solemnitas agatur V. Nonas Octobris, qua ejusdem S. Jacobi miracula recolantur. Kalendis vero Junii, agitur dedicatio Compostellanæ Ecclesiæ, facta à Turpino Rhemensi Episcopo, & aliis Episcopis sexaginta, id curante Carolo Magno Imperatore, ut idem Turpinus testatur. De ejus accessu & prædicatione in Hispanias, hæc habet Liber qui nomine S. Isidori inscribitur *De vita & morte Sanctorum* cap. 37. *Hispania atque Occidentalium locorum populis, Evangelium prædicationis infudit* &c. Hæc ibi, licet ille, an sit Isidori, non immerito adducatur in controversiam, cum in eo complura indigna Isidoro reperiantur, coagmentare mendacia. Beda in *Collectaneis* agens de divisione Apostolorum, Jacobum hunc in Hispanias esse profectum testatur. Id ipsum Turpinus in libro *De rebus gestis Caroli Magni Imperatoris*: id denique Callistus, Papa II. (ejus enim nomine literæ Apostolicæ scriptæ reperiuntur) affirmare videtur. Sed cum omnium Apostolorum primus S. Jacobus martyrio ex hac vita migraverit, idque etiam ante Apostolorum divisionem, inde nonnullis ea de re dubitandi occasio orta est. Verum Jacobi in Hispaniam profectio tunc potissimum contigisse potuit, cum post mortem Stephani Protomartyris, secuta est statim omnium discipulorum dispersio. Et licet S. Lucas in Actibus dicat, omnes dispersos esse, præter Apostolos: id esse intelligendum, ex majori parte: sicut cum ibidem ait, omnes discipulos dispersos esse *per regiones*

„*Judaea & Samaria*: cum tamen constet, inter „alios Ananiam tunc temporis Damascum Syriae profectum esse, illicque Evangelium praedicasse. Trithemius *De Viris illustribus*, dum recenset Callisti Papae Commentarios, ait illum „copioso sermone & maxima diligentia tractatum scripsisse *De miraculis Sancti Jacobi*. Legimus ejusdem Callisti nomine de ea re *quinque libros* digestos, quibus *Miracula* ejusdem Apostoli virtute edita continentur, licet ut constat ex ratione numeri annorum, aliqua fuerint superaddita, atque illis admixta. Habentur & ejusdem Callisti Sermones *De translatione Sancti Jacobi*, itemque de ea re *Epistola*, nec non & Literae Leonis Papae III. *De translatione S. Jacobi in Hispaniam* tertio Kalendas Januarii facta, quarum id exordium, *Noscat Fraternitas vestra* &c. Itemque Litterae Innocentii Papae II. habentes S. R. E. Cardinalium subscriptionem, qui temporibus illis vixerunt, quibus „ejusdem Callisti Commentarius comprobatur, in quo & recitatur epigramma Fortunati „de Martyria Sancti Jacobi. Haec de insolita Calixti II. Papae devotione in S. Jacobum Apostolum & Compostellanam Ecclesiam, qui tandem anno 1124. die 12. Decembris mortuus, debitum naturae solvit. Haec nobis de *Callisto II. Romano Pontifice* suppeditarunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 400. Caesar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 25. julii. Guillelmus Cavus in *Historia rei Litterariae*, ad annum 1119. pag. 650. Thomas James in Ecloga Manuscriptorum Oxonio Cantabrigiae, quae Londini in 4. anno 1600. edita est.

1110 RODULFUS SANCTI TRUDONIS IN TRACTU LEODIENSI ABBAS, Monachus primum hujusce Coenobii, quod Ordinis Divi Benedicti atque Congregationis Cluniacensis. Ex Monacho ob virtutem & industriam ad Ecclesiae praefecturam elatus floruit ab anno 1110. & sequentibus, unde translatus ad Abbatiam Sancti Pantaleonis Coloniensis, ubi Disciplinam regulari quae pessum iverat restaurata, obiisse legitur aono 1138. die 6. mensis Martii, post quam annis 30. unique Abbatiae cum laudibus praefuisset. Scripsit varia, *Chronicon Coenobii sui Sancti Trudonis Libris XIII.* evulgatum tomo VII. *Spicilegii Dacheriani*. Item *Vitam Sancti Lietberti Cameracensis Episcopi*, quam absque authoris nomine evulgavit idem Dacherius tomo IX. ejusdem *Spicilegii*. Item *Opusculum De susceptione puerorum in Monasteriis, ad instantiam Siberti Prioris Sancti Pantaleonis Coloniensis*, evulgatum a Joanne Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 495. & sequentibus. Idem scripserat *Libros septem contra Simoniacos*, quos manuscriptos sibi asservabat Bibliotheca Gemblacensis Ordinis divi Benedicti, de quibus Joannes Mabillon, loco citato pag. 534. Sed proh dolor? illos consumpsit nuperum incendium hujusce Coenobii quod totum absumptum est: ut a Priore loci, dum ibi agerem, mihi relatum est. Idem litteris consignavit *Inventionem & translationem corporis Sancti Gereonis*, quae apud Laurentium, Surium tomo 6. ad diem 24. Novembris. Meminit hujus *Rodulfi Sancti Trudonis & Sancti Pantaleonis Abbatis*, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, ubi velut diversos scriptores legas *Rodolfum Abbatem & Rodulfum Sancti Trudonis Monachum*, qui tamen unus & idem homo sunt. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Rodulphus Trudonensis*, pag. 801. editionis 1643. Lovanii in 4. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 374. Lucas Dacherius in Prolegomenis ad tomos VII. & IX. *Spicilegii*. Joannes Mabillon, tomo 2. *Analectorum* p. 534. ubi de ejus Scriptis agit plenius.

FLORENTIUS BRAVONIUS, natione Anglus, professione Monachus Vigorniensis, claruit anno 1110. & sequentibus annis novem: qui homo utraque Scientia divina & humana apprime eruditus, magnum sibi ex Opusculis suis doctrinae nomen comparavit. Ingenium plane habuit, ad quodcunque vellet, apertum & conspicuum, memoriam splendidam & facilem, inquit Joannes Balaeus *De Scriptoribus Angliae* Centuria 2. cap. 66. uode posteris demum reliquit ad Anglicanae antiquitatis momoriam, eximia ingenii sui monimenta Latino sermone conscripta. Ejus *Chronicon ab initio Mundi usque ad annum 1118.* ab altero ejusdem Coenobii Monacho ad annum 1163. continuatum evulgavit Henricus Savillius Anglus, vir doctissimus in *Collectaneo Historicorum Angliae*, quod in fol. Londini anno 1596. editum & Francofurti in Germania anno 1601. Hoc Florentii Chronicon ex Chronicis variis anterioribus collectum est, idque opus eo majoris duci convenit, quod ei Latine suis locis inserantur antiqui Anglo Saxonum annales. Conflatum autem illud praesertim, & ut plurium ex Mariani Scoti Annalibus desumptum: unde nonnulli Opus istud *Appendicem* esse volunt ad Annales Mariani Scoti, quos huic Chronico inseruit. Hoc *Florentii Chronicon, & Continuatorem ejus*, ex propria Bibliotheca primus evulgavit Guilielmus Howardus, nobilis Anglus, postea Comes Northamptoniensis, Londini anno 1592. in 4. ad cujus editionis calcem extat ejusdem *Florentii Bravonii Liber De Regali Anglorum prosapia*, seu *De Regum Anglorum Genealogiis*, qui in aliis hujus Chronici editionibus annorum 1596. & 1601. deest. Scripsisse etiam dicitur *De rebus memorabilibus Coenobii sui Wigorniensis*, de quo vide Balaeum & Pitseum *De Scriptoribus Anglicis*. Agunt De *Florentio Bravonio Vigorniensi Monacho*, Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 397. Guillelmus Cavus in *Historia Rei litterariae* seculo XII. ad annum 1118. pag. 650. quo obiisse dicitur, vel anno

anno 1119. regnante Henrico primo Anglorum Rege, juxta Gerardum Vossium.

1110 PETRVS DE HONESTIS, SANCTÆ MARIÆ DE PORTV PROPE RAVENNAM, ABBAS, virtute circa annum 1116. conspicuus ac regulari observantia, scripsit *Regulam pro Clericis sui Instituti*, quam vulgo *Constitutiones Portuenses* appellant, Petro Damiani falso attributas, ut Gabriel Pennotus in *Historia Canonicorum Regularium* lib. 2. probat. Nam Abbatia S. Mariæ de Portu usque hodie a Canonicis Congregationis Lateranensis possidetur. Habetur hac Regula inter Opera S. Petri Damiani editionis Parisiensis apud Carolum Chatelin anni 1642. via Jacobæa sub signo Constantiæ, & ultimæ editionis anni 1663. apud Ægidium Tompere via aurigaria prope puteum certum. Floruit temporibus Paschalis secundi Papæ, & anno 1119. die 29. Martii obiisse dicitur. Edidit hanc Regulam Constantinus Cajetanus, Syracusanus, Abbas S. Baronti, ex Congregatione Cassinensi, qui in præliminaribus suis haudquaquam oblitus est, veteris æmulationis fermenti, quo jam ab annis bene multis ardent Benedictini Monachi contra Canonicos Regulares divi Augustini. Multi autem funt ut idem Abbas Cajetanus notat, qui hunc Petrum de Honestis cum Petro Damiani qui etiam *de Honestis* cognominatus est, confuderunt, atque ita antiquiorem istum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Monachum Benedictinum, indiscrete Ordini Canonicorum Regularium adscripserunt. At Hieronymus Rubeus Lib. 5. *Historiæ suæ Ravennatensis* circa annum 1116. utrumque recte distinguit. Sic autem de hoc ultimo Petro de Honestis loquitur.

„Insignis hoc tempore habebatur Petrus
„Portuensis Cœnobii Præfectus, qui nobili Ho-
„nestorum Ravennatis familia genitus, litte-
„rarum haud omnino expers, cum esset Sacer-
„dos, ut votum persolveret, quod in naviga-
„tione tempestate actus, nuncupaverat Divæ
„Mariæ Virgini, in portu Ravennati, ædem &
„Cœnobium extruxit: quod deinceps ob eam
„a loco sumptam causam, Portuense Cœnobi-
„um est appellatum. Ibi Sacerdotum conven-
„tum instituit, de quo diximus, quibusdam præ-
„scriptis legibus, quas Paschalis II. Pontifex
„Maximus exitu hujus anni Millesimi centesi-
„mi decimi sexti ad se missas firmavit, Petro i-
„pso ita postulante. Eæ autem Petri fuere lit-
„teræ, *Paschali Dei nutu Summæ & Apostolicæ Se-*
„*dis Episcopo, Petrus Peccator* &c. Tum utrum-
„que docte quidem & in hanc rem eximie di-
„stinguit idem Hieronymus Rubeus, his verbis.
„Satis autem, ut puto, constare potest quantum
„inter hunc Petrum Portuensem, & Petrum
„Damiani intersit. Est quidem uterque Pe-
„trus, uterque Ravennas; sancte ambo atque
„innocenter vixerunt, eodemque ferme tempo-
„re: quodque fecit, ut eos multi non interno-
scerent. Ambo *Peccatores* appellati, inoleve-“
rat enim mos, ut qui religiose tunc viverent,“
ob animi demissionem, sese peccatores inscri-“
berent: idque facile cognoscet, qui monu-“
menta illorum temporum evolverit. Petrus“
tamen Portuensis Præfectus, semper Sacerdos“
& Clericus, ut ajunt: Petrus autem Damiani,“
Monachus. Ille in Portuensi Cœnobio, per-“
petuo fere vitam traduxit, hic in Catriana so-“
litudine. Ille Ravennæ diem suum obiit, hic“
faventiæ. Ille IV. Calendas Aprilis, hic VIII.“
Calendas Martii. Ille anno Millesimo Cente-“
simo decimo nono, hic septuagesimo secundo“
post millesimum. Quodque hac ratione in-“
ter se ii differrent, Dantes de Petro Damiani“
scribens, videtur testari: Dum enim Petrum“
Damiani loquentem inducit, se Petrum Da-“
miani fuisse inquit, in Catrianaque solitudine“
vixisse: Petrum autem Peccatorem in Divæ“
Mariæ Virginis ad littus Hadrianum, commo-“
ratum.“ Hæc præclare Hieronymus Rubeus.

Contenderunt acriter satis ac perperam meo sensu, scriptores *De Excellentia & Prærogativis Canonicorum Regularium divi Augustini*, hunc utrumque Petrum de Honestis fuisse ex Ordine Canonicorum Regularium. Certum enim est Petrum Damiani fuisse Monachum ac Regulam divi Benedicti professum esse: unde immerito eum accenset suis Canonicis Augustinianis, Augustinus Ticinensis in *Propugnaculo Canonici Ordinis* parte 4. cap. 22. & parte 5. cap. 8. Idemque Joannes Trullus *De ordine Canonicorum Regularium* Lib. 1. cap. 5. At e contra Constantinus Cajetanus, Abbas Sancti Baronti ex Congregatione Cassinensi, ut par pari Augustinianis Canonicis referat, multis contendit neutram ex his duobus Petris de Honestis, spectare ad Canonicorum Regularium Ordinem. Non *primum*, quem constat fuisse Monachum instituti Benedictini: non *secundum*, quippe cum Regulam Augustinianam vel sic appellatam, nunquam amplexus sit: sed propriam ipse conscripserit, nihil habentem commune cum illa, quæ Augustiniana dicitur. Qui plura cupiunt de *Petro de Honestis* legant citatum Cajetanum in Prolegomenis ad istam Regulam, Hieronymum Rubeum Lib. 5. *Historiæ Ravennatis*, & alios qui de eodem argumento post ipsum scripserunt.

VDASCALCVS SANCTI VDALRICI APVD AVGVSTAM VINDELICORVM MONACHVS, ex ordine divi Benedicti claruit anno 1120. & sequentibus. Vixit enim temporibus Paschalis Papæ II. & Arnoldi Moguntini Archiepiscopi quorum & Litteras narrationi suæ Vdascalcus inseruit. Scripsit *Tractatum seu Narrationem de controversiis inter Hermannum Comitem à Wietlispach, Augustæ Vindelicorum Episcopum, & Eginonem S. Vdalrici Abbatem*, quam habet Henricus Canisius *cum carmine de Itinere & obitu ejusdem Eginonis*, tomo 2. An- 1120

tiquæ Lectionis, anno 1602. Ingolstadii in 4. impresso. Augustanus autem iste Episcopus Hermannus, de quo hic sermo est, anno 1096. sedere Augustæ Vindelicorum cœpit, qui huic Ecclesiæ usque ad annum 1134. præfuit, succedente ei tunc Walthero Comite in Tubingen. Quando huc Opusculum Scripserit, verba ista in extremo libelli indicant: *Quem defensorem ac propugnatorem sperabamus, ut puta Dominici gregis pastorem Augustensem Episcopum, crudelem sensimus persecutorem. Qui cum a beata memoria Papa Paschali, pro diuturna inobedientia, in omni Pontificali officio fuisset interdictus, atque a successore ejus Gelasio secundo, nec non & Sancto adhuc superstite Papa Calixto secundo, absque spe ejusdem recuperandi officii sit damnatus: ab ipsa Apostolica sede hoc accepimus mandatum, hujusmodi vitare, ut mortiferum. Nos tamen, ut minus perfecti, non statim adhuc implenda convaluimus* &c. Opusculum igitur istud compositum vivente adhuc Calixto secundo, qui anno 1119. ad Romanam Ecclesiam regendam electus, anno 1124. die 12. Decembris humanis rebus exemptus est, circa annum 1122. vel circiter. Non dubium autem, quin idem sit Udascalcus qui in litteras retulit tum *Vitam S. Mariæ Magdalenæ, & sanctæ Atræ Virginis*, tum *S. Udalrici Augustani Episcopi*, quam etiam ante eum produxerant Gebhardus Augustanus Episcopus, & Berno Abbas Augiensis. Hæc ex Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 370.

1120 AMANDUS DE CASTELLO cognominatus, Canonicus primum Ecclesiæ Tornacensis, tum Monachus Cœnobii Sancti Martini in urbe eadem, anno MCXIII. & sequentibus floruit, factus deinde Prior Aquicinctinus ac demum Marchianensis postremo Abbas, qui Herimanno teste, Ecclesiam illam pene destructam, tam interius in religione, quam in divitiis & ædificiis renovando correxit, prout fusius prosequitur ex antiquis ejusdem loci monumentis in sua *Galloflandria* Joannes Buzelinus. Scripsit Amandus Aquicincti degens Epistolam *De vita & obitu venerabilis Odonis Cameracensis Episcopi* MS. ibidem & apud S. Martinum Tornaci, hoc initio ordientem, *Aquicinctensis Cœnobii humilis congregatio* &c. quam edidit Arnoldus Baissius Duacensis, in Ecclesia D. Petri Canonicus, in *Belgica Christiana* De Episcopis provinciæ Belgicæ, edita Duari 1634. in 4. Meminit hujus Scriptoris Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 398. editionis ultimæ: Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Andreas de Castello* pag. 44. editionis ultimæ 1643. Lovanii in 4. Cum autem hic Odo Cameracensis Episcopus, in exilio Aquiscincti 1119. XIII. Kalendas Julii decesserit, vel anno 1120. ut alii volunt, hinc tempus Epistolæ istius conjicitur, ac Amandi de Castello ætas.

1120 GILBERTUS LONDINENSIS EPISCOPUS, natione Anglus, *Universalis* dictus, quod in omni literarum genere excelleret, sub initium hujus seculi florebat Parisiis inter Philosophos & Theologos clarissimus, unde Antissiodorensem Canonicatum adeptus, in hac Ecclesia successive ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum promotus est. De illo Petrus Faber ex veteri Necrologio Ecclesiæ Majoris Antissiodorensis inquit, *Pridie Idus Augusti obiit Vir venerabilis memoriæ Magister Gilbertus Veteris & Novi Testamenti Glossator eximius, qui Universalis merito appellatus est, hujus Ecclesiæ Canonicus, postmodum vero Londoniensis factus Episcopus.* Ex Canonico Antissiodorensi, post decessum Richardi factus Londinensis Episcopus, & a Wilhelmo Cantuariensi Archipræsule consecratus est XI. Calendas Februarii sub annum 1127. teste Radulfo de Diceto in *Abbreviationibus Chronicorum*. Extat ad eum jam Londinem Episcopum Epistola 24. Bernardi Claræ Vallensis Abbatis, qua eum laudat, quod bona fortunæ & Ecclesiastica beneficia contemneret. Eum autem magni nominis fuisse in professione litterarum & scientiarum, satis indicat inquiens. „Longe satis exiit sermo quem fecisti, & magnum dedit suavitatis odorem, ad quoscunque potuit pervenire. Extincta est avaritia, cui non suave redoleat? Charitas regnat, cui dulce non sapiat? Quando hoc cognoscunt omnes, quia vero sapiens fis, qui sapientiæ hostem maximum contrivisti: hoc certe & tuo sacerdotio dignum, & nomine tali profecto decebat specialem tuam Philosophiam clarescere testimonio, hoc præclara illa tua studia fine compleri. Vera illa & indubitata sapientia est, quæ turpia lucra contemnit, & indignum sibi indicat eodem cum idolorum servitute, contubernio frui. Non magnum fuit Magistrum Gilbertum Episcopum fieri, sed Episcopum Londinensem pauperem vivere, id plane magnificum. Nec enim tanto nomini quicquam augere gloriæ potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ est; sponte appetere, sapientiæ laus est. Laudatur denique & admirabilis prædicatur, qui post annum non obiit: qui vero abjecit, plus nihil merebitur? Nisi quod vigil ratio mirandum minime ducit, si sapiens sapienter agit, & ille sapiens, qui in cunctis hujus mundi sapientiam litteris & studiis ludens, omnem quoque studuit & potuit divinam quodammodo revocare & renovare Scripturam. Quid enim? Dispersisti, dedisti pauperibus, sed pecuniam. Quid vero pecunia est, ad illam quam pro ea commutasti justitiam? *Justitia*, inquit, *ejus manet in seculum seculi*. Num ita & pecunia? Quæstuosum sane, honestumque commercium: illam quæ præterit, pro illa dare quæ permanet. Sic semper tibi negotiari datur, bene & omni laude prosequende Magister. Superest ut laudabile principium, condignum consequatur finem,

„finem, & cauda hostiæ capiti conjungatur. „Benedictionem tuam libenter accepimus, præ„sertim quod tantæ tuæ hujus perfectionis fue„rit cumulata jocunditate. Latorem præsen„tium etsi pro seipso satis commendabilem, ta„men etiam pro me, vestræ magnificentiæ esse „cupio commendatum. Est siquidem mihi pro „sua honestate & religiositate carissimus.„ Præter istam *Glossam* de qua antiquum Antissiodorensis Ecclesiæ Necrologium, cum Diaconus tantum esset, scripsit *Commentarium in librum Job & Threnos Jeremiæ* MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Caji & Gonelli, Cod. 8. cujus hæc verba in fine libri: *Hac sufficiant ad Expositionem Lamentationum Hieremiæ, qua de Patrum fontibus hausi ego Gilbertus Antissiodorensis Ecclesiæ Diaconus.* Hic Hieremiæ Commentarius in Manuscriptis Codicibus frequens satis est, qui quatet MS. habetur in Bibliotheca S. Albini Andegavensis, Ordinis divi Benedicti. Itemque in Bibliotheca Sancti Ebrulfi, Littera E. 5. denique in Bibliotheca Cluniacensis Abbatiæ Littera S. 1. extat *Commentarius Gilberti Antissiodorensis in Threnos Hieremiæ & in aliquot Psalmos.* Ejusdem quoque *Homiliæ in Cantica Salomonis*, Cantabrigiæ in Bibliotha S. Petri. Itemque ibidem *Commentarius in Prologos Sancti Hieronymi super Biblia*, Cod. 92. Opinor autem *Glossam ejus in Vetus & Novum Testamentum*, ex antiquioribus Patribus potissimum esse ab eo decerptam, sicut de *Commentario in Lamentationes Hieremiæ* dictum est. Obiit Gilbertus Londoniensis Episcopus, *Universalis* dictus, an. 1134. teste eodem Radulfo de Dicato. Plura de illo seculum IV. *Historia Universitatis Parisiensis* fol. 102. & in Catalogo fol. 735. de quo silent alii fere omnes.

1120 VDALRICUS Bambergensis natione Germanus, an. 1125. claruit, Monachus ut opinor, cujus extat *Codex epistolaris*, continens variorum Pontificum Romanorum atque Imperatorum, ut & S. R. E. Cardinalium & S. Romani Imperii Ecclesiasticorum secularium que Principium Epistolas an. 1125. collectas, MSS. in bibliotheca Imperatoris, quas edendas pollicetur Daniel de Nessel in *Sciagraphia Magni Corporis Historici*, in Syntagmate Historiæ Ecclesiasticæ. Ita ille in Opere citato quod edidit Vindobonæ 1692. in 4. apud Johannem Jacobum Mann, cujus mentionem faciunt *Acta Eruditorum* Lipsiæ ad annum 1692. Mense Octobri.

1120 ADELARDUS natione Anglus, patria Bathoniensis, circa an. 1120. floruit, vir doctus in naturalibus seu Physicis atque Mathematicis disciplinis. Extant *Adelardi Quæstiones Naturales seu Physica num. LXXVI.* per modum Dialogi inter Adelardum & Nepotem suum conceptæ, quem Magistri instar erudit, & informat. Illæ MSS. in Bibliotheca Colbertina Codice 199. in folio quam maximo, quæ incipiunt: *Adelardus. Meministi Nepos quod septennio jam transacto, cum te in Gallicis studiis pene puerum juxta Laudisdunum una cum cunctis auditoribus meis dimiserim* &c. Incipit Liber, *Cum in Angliam nuper* &c. Quibus ex verbis docuisse ac scholas publicas in Galliis tenuisse Adelardum, constat. Inscribitur in MSS. Sancti Victoris Parisiensis. hhh 17. hhh 22. & PPP 13. *Adelardus de Quæstionibus naturalibus.* Et in Codice Regio MSS. 6591. *Adelardi Bathoniensis Problemata seu Quæstiones naturales:* sed in Bibliotheca Corporis Christi Oxoniæ in Anglia Codice 12. inscribitur *De Causis naturalium Compositorum.* Isdem habetur sæpius MS. in Anglicis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1612. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 11. num. 6. *Adelardi Bathoniensis & Nepotis Dialogus*, ubi docetur stellas esse animatas. Inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 859. in MSS. Codicibus Collegii Orielensis Codice 7. num. 5. vocatur *Adelardi Bathoniensis De decisionibus naturalibus.* Ibidem Codice 1553. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 86. num. 11. *Liber Adelardi de causis naturalium compositionum.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum celebrium Codice 1799. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 1. *Adelardi Bathoniensis Quæstiones naturales* circa tempora Henrici I. in 8. Inter MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ sub effigie Galbæ, litera E. Codice 4. num. 6. *Tractatus Adelardi Bathoniensis continens Dialogum inter ipsum & nepotem* De variis Philosophicis argumentis. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 3265. in MSS. Codicibus bibliothecæ Norfolejanæ Codice 366. num. 4. *Magistri Adelardi Astrolabium.* Item inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1669. in MSS. Codicibus Latinis Kenelmi Digbæi Codice 68. num. 4. *Isagoge minor Japharis Mathematici in Astronomiam* per *Adelardum Bathoniensem* ex Arabico sumpta. Ibidem Codice 4137. in Codicibus MSS. Hattonianis Codice 112. num. 5. *Ezich Elkauresmi*, hoc est, *Tabula Chawaresmica per Edelardum Bathoniensem ex Arabico Traducta.* In bibliotheca nostra Lugduno-Batava, ut habet Catalogus impressus anno 1674. Lugduni Batavorum in 4. Librorum bibliothecæ pag. 392. in libris MSS. Græcis & Latinis ex Legato Scaligeri Codice 11. *Adelardus de doctrina abaci* in majori folio. Denique inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 3359. in MSS. Codicibus Johannis Seldeni Codice 29. num. 2. *Euclidis Elementorum libri XV. ex versione Adelardi de Arabico*, cum Commento *Magistri Campani Novariensis.* Et ibidem Codice 3623. in MSS. Codicibus Hyperoi Bodlejani Codice

157. num. 1. *Euclidis Elementa cum Scholiis & Diagrammatibus, latine reddita per Adelardum Bathoniensem.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1967. iidem *Libri Euclydis De arte Geometrica per Adelardum Bathoniensem ex Arabica Lingua in Latinam translati*, habentur MSS. Oxoniæ in Bibliotheca Collegii sanctæ Trinitatis, Cod. 30. num. 4. Nullus quem sciam hujus Scriptoris meminit, excepto Thoma James Anglo in Ecloga MSS. Oxonio Cantabrigiensi, edita Londini in 4. anno 1600. apud Joannem Northon.

1120 PANDVLFVS PISANVS dictus *de Alatro*, qui in MSS. Codicibus *Ostiarius Lateranensis Ecclesiæ* inscribitur, circa annum 1120. clarus, posteris reliquit famam nominis, scribendo *Vitam Gelasii Papæ Secundi*, qui an. 1119. in Cœnobio Cluniacensi die 29. Januarii diem suum clausit. Impressa illa primum est an. 1638. Romæ in 8. cum Commentariis Constantini Cajetani Abbatis S. Baronti, Ordinis divi Benedicti, quem hoc seculo varia Scripta celebrem reddiderunt. Hic autem Pandulfus, hujus Gelasii familiaris fuit, ex Aletrina gente, Hugonis de Alatro Cardinalis Presbyteri sanctorum Apostolorum nepos, cujus compendium *Vitæ* exhibuit Baronius in *Annalibus* ad an. 1118. integram Papebrochius in *Conatu Chronolog. Histor.* ad Catalogum Pontificum parte 2. pag. 9. Idem *Vitam Papæ Callisti* II. quam in Annalibus mutilam dedit Cæsar Baronius, integram Papebrochius loco citato parte 2. pag. 14. sed medicum. Loquitur De *Pandulfo Pisano*, Seniore isto, Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* in *Gelasio II.* ad an. 1118. pag. 650. Daniel Papebrochius in *Conatu Historico Chronologico* ad Catalogum Romanorum Pontificum, an. 1685. Antverpiæ in fol. impresso, ad annum 1118. in Vitæ Gelasii II. prolegomenis, & Callisti II.

1120 GVIBERTVS BEATÆ MARIÆ DE NOVIGENTO ABBAS, juxta Codiciacum agri Laudunensis castrum, hac quoque ætate ob doctrinam ac diversa composita sacra volumina clarus in Episcopatu Laudunensi audiebat. Hic Monachus primum Flaviacensis Abbatiæ, seu Sancti Geremari, Ordinis divi Benedicti in Tractatu Bellovacensi fuit, unde Novigentum veniens vixit sub Abbate Henrico: qui quantum in rem domesticam ac temporalium œconomiam propenderet, tantum alienabatur à Monachis, quorum animi ad studia litterarum inclinabant. Guiberti porro qui vitam ipse suam conscripsit, ingenium impense inclinabat ad sacrarum amplexum litterarum, etiam contra voluntatem Abbatis sui Henrici, viri illiterati, & qui litteras haud amaret. „Cœpi „(inquit Guibertus) postmodum & ego ejus „sensa commentis prout poteram similibus æmulari, & ubiq; Scripturarum si quid istis mo„raliter arriderat, sensibus multa animi acrimo„nia perscrutari. Vnde factum est ut cum„quodam Abbate meo ad aliquod Provinciæ„nostræ Cœnobium devenirem. Cumque illi„tanquam plurimæ religionis viro suggererem,„ut ad Capitularem conventum veniens inibi„sermonem faceret, ea quæ a se petebantur, in„me transfudit, & ut vicis super isto ejus exe„querer, exoravit & jussit. Die autem Mariæ„Magdalenæ Natalis celebratur eodem. Ea„propter de Libro Sapientiæ adhibita sermonis„materia, solo illo unico verbo, illi qui peteba„tur tractatui contentus fui: *Sapientia*, videli„cet, *vincit malitiam, attingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Hoc cum qua„potueram, oratione explanassem, & ipsis audi„toribus pro dictorum eorundem convenien„tia placuissem: Prior Ecclesiæ ipsius, littera„rum sacrarum non minimum pro scientiæ po„tentia studiosus, familiariter a me exegit, ut„id sibi scriberem, in quo materiam sumendi cu„juscunque sermonis acciperet. Quoniam er„go Abbatem meum, quo præsente id dixeram,„ægre laturum scripta mea cognoveram, cau„te aggredior hominem, & ut causa viri illius„quem se diligere testabatur, quod petebam,„indulgeret: ex latere quasi ex parte amici, &„quasi talium minus studiosus precor. Su„spicatus igitur brevissima me dicturum, assen„sit: cujus cum de ore verbum rapuissem, cœ„pi exerari in eo quod proposueram. Propo„situm autem habui, ut initia Geneseos, He„xaëmeron scilicet, commentari moraliter ag„grederer. Cui Commento præposui Tracta„tum satis mediocrem, qualiter sermonem fieri„oporteat. Quo præmisso, sex dierum tropo„logice prosecutus Opera, fudi importuno licet„eloquio, quæque meo sedissent ingenio. Cum„que primum Abbas meus sacræ illius Historiæ„conspexisset annotari capitulum, minus sano„hæc attendit intuitu; & cum me plurima anim„adversione finem Scriptis illius facere admo„nuisset, videns quod nonnisi spinas cœpta talia„oculis ejus ingerebant: non solum ejus, sed„& omnium qui ad ipsum id deferre poterant,„præsentias præcavendo, clam illud opere pere„gi. Opuscula enim mea hæc & alia, multis„impressa tabulis dictando & scribendo, scriben„da etiam pariter commentando, immutabiliter„paginis inserebam. Tempore ergo illius Ab„batis, omnimodo studia mea delituere silentio.„Qua decedente, nactus occasionem, dum pa„store locus ille vacaret impegi tandem & bre„ve opus compleri, quod decem libris comple„xum est.„ Hæc loco citato Guibertus infelix, ab ignaro suo Abbate Henrico atque ignorantiæ cupido, sese ad scribendum occulrans. Qui enim venerabilis ille Abbas fuerit, ita ignorantiæ amans, idem Guibertus aperit Lib. 2. *Monodiarum suarum* cap. 2. pag. 490. agens de *Henrico* trium simul Abbatiarum Abbate, *Sancti Remigii*

Remigii Remensis, *Humolaria* apud Veromanduos, & *Novigenti* juxta Codiciacum Castrum, quem his depingit: *qui siquidem non litteris, non genere clarus, sed in rerum forasticarum fuit dispensatione conspicuus* &c. Hæc contra Abbatis sui ignorantiam Guibertus, qui ab Abbatia Sancti Geremari ad Novigentinam pertransiverat, Monasticen illic culturus. Interea Henrico isto ignaro atque ignorantium Monachorum fautore, an. 1099. oculis orbato præ senio vel vita functo, Godefrido succedente viro sancto atque urbano, Guibertus circa an. 1100. scriptionibus & Opusculis ut ipse testatur libere incubuit. Godefrido autem ad Episcopatum Ambianensem assumpto, successit ipsi Guibertus in Abbatiæ Novigentinæ administratione & præfectura. Scripsit multa & insignia, quæ evulgata in folio Parisiis an. 1451. cura & studio Lucæ Dacherii Monachi Benedictini, Congregationis Sancti Mauri in Gallia. Sunt autem

Tractatus quomodo sermo fieri debeat.

Moralium in Genesim Libros X. cujus utriusque Operis a se conscripti meminit ipse Guibertus Abbas Novigentinus Lib. I. *Monodiarum suarum* cap. 16. pag. 477. quasi hæc opuscula compleverit post Henrici Abbatis sui mortem, dum Ecclesia vacaret, circa annum 1099. vel 1100. Innuereque videtur Opusculum utrumque fuisse primitias Operum suorum. Ejusdem quoque *Expositionis in Genesim* a se compositæ fidem facit idem Guibertus in *Epistola* ad Lisiardum Suessionensem Episcopum Historiæ Hierosolymitanæ præfixa: de quibus mirum est quod Cavus scripsit: *qua quidem an superfint hodie, non liquet.* Certum enim est istos *Libros Decem Expositionum moralium in Genesim*, contineri hac ipsa editione Parisiensi omnium Guiberti Operum a Dacherio procurata, ac primarium esse quodammodo hujus editionis Opusculum, quam cum apud se Guillelmus Cavus habuerit, mirum quod ne in illam quidem conjicere oculos dignatus sit. Perperam igitur Guillelmus Cavus ad an. 1101. pag. 635. inter Opera Guiberti recenset, *Moralium in Job Libros decem* quos sane nec scripsisse unquam Guibertum scimus, vel saltem impressos non esse: quorum loco legendum & corrigendum est, *Moralium in Genesim libros X.* ut eos amplius non requirat, quos præ oculis impressos habuit.

Tropologiarum in Osee Libri III. In Amos. Lib. I. In lamentationes Hieremiæ Lib. I.

Tractatus de Incarnatione adversus Judæos.

Epistola prolixa de bucella Judæ data & de veritate Dominici Corporis.

De laude beatæ Mariæ. Liber I.

Opusculum de Virginitate.

De pignoribus Sanctorum libri tres.

Gesta Dei per Francos seu Historia Hierosolymitana, Libris IX. quibus Belli sacri Historiam ab ingressu primo nostrorum Occidentalium in Palæstinam, ad Balduini I. Regnum & annum Christi 1110. pertexuit, quam Lisiardo Suessionensi Episcopo sibi amico nuncupavit. Hoc in opere profitetur, scribere se non quæ videret, e Gallia ipse non egressus unquam: sed aliorum sequi vestigia, ita tamen ut quæ deessent, interserat ex aliorum relatu, qui præsentes fuissent. Habebat autem proximum sibi, testem oculatum Robertum olim S. Remigii Remensis Abbatem, qui expeditioni huic præsens, de illa totidem libris scripserat, quorum numerum imitatus est Guibertus, non styli simplicitatem.

Monodiarum seu De Vita sua libri III. quæ Guiberti Opera hactenus recensita collegit, ex MSS. Bibliothecæ potissimum Regiæ eruit, & cum Notis & Observationibus suis, Additamentisque multis ad Laudunensis Historiæ elucidationem præsertim spectantibus, edidit Loco & forma citatis Lucas Dacherius. Plurima ex Operibus istis MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codicibus 4084. & 4085. quos consuluit & exscripsit Dacherius.

Item Sermo magnus in illud *Sapientia vincit malitiam*, qui legitur inter Opera divi Bernardi, spectat ad Guibertum Abbatem nostrum, ut constat ex lib. I. *Monodiarum* seu *De Vita sua* cap. 16. pag. 477.

Scripsit alia multa quæ latent in diversis Galliarum Bibliothecis, & quæ vidi MSS. in Bibliothecis Vallis Claræ & Igniaci, ambabus Ordinis Cistercensis, Laudunensis ac Remensis Episcopatuum. Sunt autem *Commentarii in Abdiam Prophetam*, quorum prologus incipit: *Patribus & Dominis totius cultu reverentia amplectendu, Sancti Medardensi Abbati Godefrido: & item ejusdem gratia Floriacensi Alardo, Guibertus, ad omnem prob dolor impunitatem vitæ degenerans & moribus, votivo utriusque salutis affectus. Quoniam & litteratura celebritas* &c. Incipit Abdias Propheta, *Visio Abdiæ, visio Prophetalis subtilitatem significat* &c. Item *In Jonam Prophetam*, cujus Prologus incipit: *Audemus & bonam voluntatem habemus* &c. Item *In Michæam Prophetam Libri II. In Zachariam Libri III. in Joëlem Lib. I. In Nahum Lib. I. In Abacuc Lib. I. In Sophoniam Lib. I.* Ejusdem denique *Guiberti Abbatis de Novigento Commentarius in XII. Prophetas Minores*, MS. in Bibliothecis Claræ Vallis & Pontigniaci, ejusdem Cisterciensis Ordinis: ex quibus ut probabile aliæ ejusdem Ordinis Bibliothecæ acceperunt. Cum autem Abbatiam prudenter administrasset, & scripta multa Guibertus reliquisset, obiit qui suam ipse Vitam scripsit, an. 1124. die 1. Augusti. De quo paucis quidem Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 6. pag. mihi 705. Fratres Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* in Abbatibus Novigentinis. De cujus autem laudibus abunde agit Lucas Dacherius, tam in *Prolegomenis* ad editionem Operum ipsius, quam in *Annotationibus* suis & in *Chronico Abbatum Novigentinorum* calci hujus editionis subjecto.

LAV.

1120 LAURENTIUS DUNELMENSIS MONACHUS & hujus Cœnobii Præcentor, natione ut credimus Anglus, ex ordine divi Benedicti, temporibus Henrici primi Anglorum Regis, circa annum 1120. & ulterius sub Stephano Rege Henrici filio, atque etiam Henrico 2. Stephani filio, floruisse mihi videtur. Judicium Joannis Lelandi de illo est, *fuisse oratorem vehementem nec aspernandum Poëtam.* Multa & carmine & prosa condidisse dicitur, atque inter alia *Librum de sancto Cudberto*, ac *Vitam* etiam *sanctæ Brigittæ*, quam prosa exaravit. Quoad *Vitam sanctæ Brigittæ* vel *Brigidæ*, cujus meminit Joannes Bollandus in Præludiis ad *Vitam hujus Sanctæ* Paragrapho 2. num. 15. ad diem 1. Februarii tomo 1. pag. 102. edita illa est ibidem pag. 172. & sequentibus, ad 185. Scripsit circa id temporis *Hypognosticon* seu *Memoriale Veteris & Novi testamenti Carmine* satis eleganti, quod Opus in Libros VIII. proprie distinctum est. Ad calcem autem Operis adjunctus est liber IX. diversorum ejusdem Laurentii Monachi Carminum *De diversis argumentis ac Sanctis* potissimum Anglis, quorum vel Vitas vel agones carmine prosequitur. Inter hæc Carmina, unum potissimum *De sancto Cutberto*, quem alii librum appellarunt. Hoc Memoriale igitur Libris IX. expansum, habetur MS. in Bibliotheca Thuanca, quam jam Colbertus possidet, Codice 3735. Idem in Bibliotheca Aureæ Vallis, Cisterciensis ordinis in Ducatu Luxemburgensi, Cod. 88. in 4. Denique in Bibliotheca Bucilienſi, ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Laudunensi, quod Opus olim editioni paratum habui ad 3. MSS. Codices collatum. MS. illud denique inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1294. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi, litera H. Codice 31. num. 8. Inter MSS. Godices Universitatis Cantabrigiensis num. 1351. in Codicibus manuscriptis Bibliothecæ Sancti Benedicti Cantabrigiæ Cod. 74. inscriptum, *Laurentii Dunelmensis Hypognostica ad Gervasium.* In MSS. Ecclesiæ Metropolitanæ Eboracensis Cod. 42. Bibliothecæ Jacobeæ Cod. 937. In bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani littera D. Codice XI. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1052. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, litera F. Codice 15. num. 9. Vita S. Brigidæ Virginis a Laurentio Dunelmensi Latine reddita, quam excepto prologo impressam diximus. Hujus meminit Carolus de Wisch in *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*, pag. 236. quam male accensuit Cisterciensibus suis, ex manuscripto Codice Bibliothecæ suæ Dunensis quam vidimus, ubi dictum *Hypognosticon* sub nomine *Laurentii Dunensis* habetur, sed mala neque toleranda fraude & audacia Dunensis alicujus Monachi, qui ex *Dunelmensi Dunensem* fecit, ut suum hunc Laurentium faceret. Fuit itaque hic author Dunelmensis Monachus, ut ex multis MSS. Codicibus Cisterciensis etiam Ordinis Bibliothecarum vidimus. Quia tamen singularia quædam Laurentii Dunelmensis opuscula in nonnullis Angliæ bibliothecarum manuscriptis Codicibus reperiuntur, quæ in Gallicis non habentur, operæ pretium est singularem facere illorum mentionem, ne quid Laurentii depereat. In bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani litera D. Codice XI. num. 1. *Consolatio Laurentii Dunelmensis Monachi de morte amici, partim prosa, partim versibus.* N. 2. *Ejusdem hypomnesticon De veteri & novo testamento, versibus, libris novem:* hoc est, *De historicis sacris utriusque Testamenti, & etiam de laudibus B. Mariæ Virginis, de operibus Salvatoris, de Apostolis, Joanne, Paulo, aliisque Sanctis.* N. 3. *Oratio sive Apologia Laurentii pro Laurentio, cum duabus aliis orationibus.* N. 4. *Maledictio seu Exeeratio solemnis pronuntiata contra quosdam malefactores:* quæ omnia authoris ejusdem videntur. Inter quoque MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Sancti Petri Eboracensis Codice 42. in fol. ubi num. 1. *Laurentii Dunebnensis Hypognosticon carmine hexametro*, cujus initium, *Principium verum sine tempore tempora formans* habetur num. 12. *Laurentii Dunelmensis Consolatio de morte amici.* Num. 13. *Ejusdem Dialogorum libri quatuor & descriptiones.* Cum autem Vita sanctæ Brigidæ Virginis mutila à Bollando edita sit, integra illa extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 1052. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera F. Codice 15. num. 9. *Vita S. Brigidæ Virginis a Laurentio Dunelmensi Latine reddita.* Num. 10. *Epistola dedicatoria ejusdem Laurentii ad Ethelredum*, quem Elredum puto esse, Rievallis Abbatem. Floruit usque ad annum 1160. cujus mentionem facit inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num 5105. Johannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. num. 126. pag. 166. quem temporibus Henrici I. claruisse asserit. Gerardus Johannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 422. quem nominale anno 1160. sub Henrico II. Anglorum Rege hujus nominis adscribir, ab anno enim circiter 1120. ad 1170. illuxisse mihi videtur.

ROBERTUS CANUTUS, Ordinis Sancti Augustini Canonicus regularis, in oppido Græcolada natus & educatus, unde & Græcoladensis, perperam Crickeladensis vocari solet, natione Anglus. Postquam adolescens humaniores literas utcumque gustasset, Oxoniam ad altiora studia profectus est, ubi & in bonis moribus & in litteris & in omni virtutum genere incredibiles progressus fecit, ita ut apud omnes magnæ existimationis esse cœperit. Non anno autem 1170. sub Henrico II. Anglorum Rege floruit, ut Angli plerique scriptores volunt, sed sub Henrico I. & Stephano Anglorum Regibus, imo ex Charta quadam Registri S. Fridefwydæ anni 1141. illum per annos jam L. scholas Oxoniæ 1120

niæ vel scholam rexisse, unde anno 1091. vel 1092. Magisterium in Scholis Oxoniensibus obtinuisse cognoscimus. Claruit igitur ad minus ab anno MCX. notissimus Guitmundo Regis Henrici primi Sacellano, qui anno MCXI. vir doctus, ut ea ferebant tempora, jus advocationis seu patronatus Ecclesiæ S. Fridefwidæ jam prope labentis adeptus fuit, juxta Malmesburiensem *De Pontificibus Angliæ* lib. 4. Lelandum *Collectaneorum* vol 4. cap. 117. pag. 158. Librum Magnum S. Fridefwidæ pag. 8. tum deinde seipsum ad Præfecturam seu Prioratum præsentandum curavit. Is exturbatis secularibus conjugatis, cælibes in eorum locum cooptavit, ejusdem præterea ædificia reparavit, & prædia insuper invisit lustravitque, quæ ad dictum Prioratum aut olim aut usque eum pertinerent, eademque exercitia scholarum induxit, quæ Academicis ætate illa in usu fuerant. Inter Academicos illos, ex quibus anno MCXXII. Prioratui illi Canonicos Regulares Ordinis divi Augustini suppeditatos diximus, Robertus Canutus occurrit, cui primas in hoc sodalitio Guitmundus detulit, utpote qui sub hæc tempora Academicorum reliquiis præsedisse in Scholis videretur. Joanni Balæo *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 3. cap. 4. Robertus Crickladensis vocatur, quod oppido cognomine apud Wiltonienses oriundus esset, unde cum ad ultiorem habuisset ætatem, missus ad Academiam Oxoniensem, eos paucissimis annis fructus fecit, ut titulis viro literato debitis cohonestatus fuerit. Juxta autem Lelandum in *Collectaneorum* vol. 4. cap. 149. pag. 186. Guitmundo demum mortuo ad Prioratum Fridefwidensem evectus est. Inter alia ejus Opera, quæ ab authoribus citatis recensentur, occurrunt inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1855. in MSS. Codicibus Collegii Etonensis sub arce Windesoria Codice 57. *Excerpta ex Plinio per Robertum Crickladensem Priorem de Oxonia, dicata Henrico Regi Anglorum*, in folio. Initium *Tibi illustrissime* &c. Non autem ut Pitseus scribit, *Juvenus Plinii flores collegerat & per ordines disposuerat, jam autem ad communem omnium utilitatem opus perpolivit, in publicum emisit, Regi Anglorum Henrico secundo dedicavit, & operi titulum fecit*, Defloratines Historiæ naturalis Plinii, libris novem, *Tibi illustrissime* &c. Opus enim Henrico primo est oblatum, cujus tempore collectum fuit. Idem Opus ibidem Codice 8591. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 869. *Roberti Crikladensis defloratio naturalis Historiæ Plinii.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1356. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariensis olim Cancellarii & Archiepiscopi litera I. Codice 16. num. 2. *Magister Robertus de conjugio Patriarchæ Jacob.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 425. in MSS. Codicibus Baliolensis Collegii nonato M. 19. num. 5. *Robertus Peior sanctæ Frideswidæ de connubio Jacobi Patriarchæ.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, Codice 1722. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Herefordensis Codice 130. *Roberti Crickeladensis de connubio Jacobi Patriarchæ* in 4. Ibidem Codice 8213. in MSS. Codicibus bibliothecæ Jacobææ Codice 491. *Connubium Jacob Patriarchæ* in 8.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 2019. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ, ex dono Guilielmi Smort advenientibus, Codice 91. *Homiliæ 41. Roberti Crickeladensis Prioris Sanctæ Fridefwidæ super ultimam partem Ezechielis, ubi S. Papa Gregorius finivit.* Ita enim nota ex adverso libri adscripta, planissimis verbis ostendere videtur. Item inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum Codice 1703. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Herefordensis Codice 121. *Expositio Roberti Prioris sanctæ Fridefwidæ Oxoniensis in Ezechielem* in 4.

Ipsius autem tractatus *De connubio Jacob*, hæc diserte verba initium faciunt, *Dum adhuc Scholaris Scholarium insisterem, regimini* &c. Quibus utique innuitur, Robertum de quo agimus, Moderatoris seu Rectoris munere in Scholis Oxoniensibus, ubi susceptum quoque sese ac educatum profitetur, functum fuisse. Illum vero titulum non alium atque Cancellarium antiquitus designasse, *Roberti Grostesti* suffragio adstruitur, qui supremum Academiæ seu Scholarum Magistratum, eo etiam cognomine exornatum refert, velut in Catalogo Cancellariorum ad annum 1294. perdisces. De tempore quo floruit *Canutus*, cum Balæo ut sentiam, adduci non possum: quamtumvis enim illum anno plus minus MCLXX. assignarit, ex indiciis tamen contravenientibus, in tempora priora rejiciendus videtur. Primo enim Prioratui S. Fridefwidæ, sub dictæ restaurationis tempora (quod in annum 1122. cadit) idem *Robertus* cognomento *Presbyter*, molendinum contulit, ut in libro Censuali dicti loci, seu Registro Magno S. Fridefwidæ pag. 14. perhibetur. Quam præterea donationem a Rege dein Stephano ratam habitam confirmatamque in hunc modum deprehendo. *Stephanus Rex Angliæ &c. sciatis me reddidisse & concessisse Deo & Ecclesiæ Sanctæ Fridefwidæ Oxoniensis Ecclesiam omnium Sanctorum intra Civitatem &c. & molendinum super pontem Oxoniensem, quod Robertus Presbyter dedit prafatæ Ecclesiæ, quando factus est Canonicus &c.* Præterea quod Guymundum in dicto Prioratu exceperit ad annum 1141. (tempus quo a Balæo viguisse dicitur, trigesimo anno antevertens,) ex scriptis ejusdem Prioratus omnino liquet, uti & L. jam annos decurrisse, ex quo Rectorem Scholarum agere occepisset. Testimoniis hisce perspicuum fit, & in errore versatum Badæum, vel Robertum hunc plurimas demum annos explevisse, licet ejus mentionem nullam

post annum 1148. invenerim, in quo nimirum Canonici *Sanctæ Fridefwidæ* cum Monachis Cœnobii de Beck in Normannia, de Ecclesia Bellimontis prope Hungerfordiam in agro Bercheriensi disceptarunt, de qua cum lites aliquantisper motæ fuissent, anno tandem præfato, coram Eugenio III. Romano Pontifice, Lutetiæ controversia finita est. De Roberto autem isto nihil addendum præterea, nisi primum Ordinis sui scriptorem emicuisse inter Anglos. Agunt de illo inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* Volum 4. cap. 149. pag. 186. qui ex loco illi assignato circa annum MCLXX. vel MCLXXX. floruisse illum voluit, aliisque sequentibus occasionem errandi obtulit. Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 3. c. 4. Joannes Potsæus ætate XII. scriptore 234. ad annum 1170. pag. 234. Antonius à Wood in *Antiquitatibus Oxoniensis Academiæ* Lib. 1. pag. 48. qui ex Archivis Cœnobii Sanctæ Fridefwidæ errorem aliorum correxit, cui hæc singulariæ debere me, agnosco.

1120 PSEUDO-HEGESIPPUS hic quoque contra vulgatem omnium opinionem collocandus venit Appello autem Pseudo-Egesippum, ut distinguatur ab antiquiore Hegesippo altero, temporibus Apostolorum proximo, quem *Quinque Actuum Ecclesiasticorum libros* elucubrasse, auctores sunt, Eusebius, Hieronymus & Honorius Augustodunensis, & *quintum* eorum citat Eusebius *Historia Ecclesiastica* lib. 2. cap. 22. sed Græcè κγ'. 23. ubi de Jacobi fratris Domini martyrio verba facit. Item Photius in *Bibliotheca* Cod. CCXXXII. ubi dicitur ἀρχαῖος τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός. Ex illustribus verò fragmentis, quæ apud Eusebium habemus, quanto cum damno libri ejus interciderint, omnes vident. At Hegesippus ille vulgatus, quem B. Ambrosius Latinè vertisse diu creditus fuit, pro genuino quidem à Joanne Trithemio aliisque habetur, imò quantum videre possum, etiam à Ludovico Vives lib. I. *De tradendis Disciplinis:* Sed ut inquit Vossius, Scriptor est omnino ὑποβολιμαῖος, *suppositititus*, vel alius saltem ab illo nobili Hegesippo Apostolorum temporibus proximo, Justino Martyri & Athenagoræ æquali. Sanè alterius planè opus esse, censet etiam Cæsar Baronius *Annalium* Tomo 2. ad an. 167. n. 15. atque idem judicium est Laurentii de la Barre Præfatione ad *Historiam Christianam Veterum Patrum*, Margarini Bignei in Indice Chronologico ad finem Tomi 6. *Bibliotheca Patrum* edit. secundæ, & aliorum: ac validæ id astruunt rationes. Nam ut alia multa omittam, *primò* hic Scriptor non agit *De rebus Ecclesiasticis*, sicut antiquus Hegesippus ex Eusebii testimonio & aliorum: Sed *De gestis Judæorum*, inde à Maccabæis usque ad urbis excidium. *Secundò* in his libris Pseudo-Hegesippi fit mentio Constantinopolis, & dignitatis ejus, quam Romanæ urbi æqualem habuit: id quod Hegesippo antiqua nec ejus temporibus convenire potest. Sic enim Pseudo-Hegesippus lib. III. cap. V. de urbe Antiochia scribit. *Urbs tertio loco ante ex omnibus, quæ in orbe Romano sunt, civitatibus æstimata, nunc quarto, postquam Constantinopolis excrevit, civitas Byzantinorum.* Ait Pseudo-Hegesippus, antequam Constantinus sedem Imperii Constantinopolim transtulisset, maximum fuisse decus trium in Imperio urbium, primum Romæ, inde Alexandriæ, hinc Antiochiæ: Sed Antiochiam quarto nunc loco contentam esse, postquam Imperium Constantinopolim translatum est, eaque urbs dicta est νέα Ῥώμη, ac veteri Romæ æquata. Hoc anno circiter CCC LXXXI. contigit in Constantinopolitano Concilio factum: ad quæ tempora Hegesippus antiquus non pertingere potuit. Quæ clare ostendunt, à maligna manu ac planè contra mentem Hegesippi, adjecta esse quæ mox sequuntur, *Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis.* Nec leviter hanc sententiam firmat Cornelius Gualterus, qui in Notis ad eum Scriptorem, monet verba ista non legi in MSS. Codd.

Quemadmodum verò eo quæ diximus, claré ostendunt vixisse hunc Scriptorem, postquam imperium Constantinopolim translatum est, ita alia leguntur ibidem, unde eum sexcentis amplius annis post id tempus vixisse colligam. Nam de Antiochia sic ibi scribit: *Persarum quondam caput, nunc repulsorium.* At Antiochia Persis sive Saracenis, à Nicephoro Phoca anno Christi DCCCCLXVIII. erepta est, quemadmodum Cedrenus narrat. Quare non multo post hæc tempora vixit, necesse est. Neque enim puto Hegesippum ignare tempus illud, quo eam Turcis eripuere Sacræ Expeditionis Duces, quod demum anno Christi MCXVIII. factum est, utcunque sit, infimæ esse antiquitatis Scriptorem, satis illa quæ dixi ostendunt. Hucusque verbotenus ex Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 14. pag. 229. editionis ultimæ. At pace tanti viri quem sequimur, dicam Pseudo-Hegesippum esse adhuc recentioris ætatis, quam crediderit & scripserit. Nam Cedrenus editionis Græco-Latinæ atque ad MSS. Codices accurate collatus, ac 2. in folio voll. typis Regiis impressus, Tomo I. p. 429. litt. D. scribit anno XXVIII. Heraclii Imperatoris qui in annum Christi DCXXXVI. incidit, *Arabes Antiochiam occupasse*, illam autem à Nicephoro Phoca Imperatore anno Imperii secundo *obsessam quidem contra Saracenos occupantes, sed non captam*, ibidem Tomo 2. pag. 656. littera A. *quamvis*, ut inquit idem paullò post Cedrenus, *urbes amplius centum cepisset & oppida, Cilicia, Syria, Phœnicia & Banisia, quarum præcipuas illic recenset.* Antiochia igitur in manus Arabum seu Saracenorum sub imperio Heraclii anno Christi DCXXXVII. veniens, in eorum potestate mansit, nec à Nicephoro Phoca anno DCCCCLXVIII. oc-

occupari potuit, donec tandem anno MCXVIII. ab Occidentalibus Crucesignatis post multos labores, longamque expeditionem obsidionis, occupata fuit. Atque hinc liquet Scriptorem hunc Pseudo-Hegesippum non esse anno 1120. vel 1130. antiquiorem, esseque recentiorem annis septingentis & amplius, S. Ambrosio Mediolanensi Episcopo, quem illius è Græca lingua in Latinam interpretem, Codices MSS. seculi 12. & 13. faciunt.

Historia autem *De excidio urbis Hierosolymitanæ Libris V*, quæ ejus nomine circumfertur, nihil aliud esse videtur, quam versio quædam paulò liberior Flavii Josephi, cum paucissima apud illum habeantur, quæ in Josephi libris partim *De Antiquitatibus Judaicis*, partim *De Bello Judaico*, non habeantur. Porro in his libris ita Josephi vestigiis insistit, ut magis interpretis, quam ex Scriptoris officio fungatur, ut etiam scribit Durantius Casellius lib. 2. *Variarum Lectionum* cap. 13. Neque quisquam indicare aliter potest, qui legerit. Interim hoc habet, quod subinde non contentus Josephi verbis, ut aliquid novi afferre videatur, sincerum vas incrustet: de quo vide quæ notavit Scaliger ad Eusebii annum MDCCCCL, ubi impudens ejus commentum diluit de illis, quæ Pompejum, captis Hierosolymis, vidisse memorat.

Multa scribit Guilielmus Cavus ut Scriptorem hunc S. Ambrosio æqualem faciat, à cujus ætate annis septingentis & amplius remotus est. „Hegesippi nomen ex Josippi, idq; à Josephi nomine formatum esse inquit; quam in rem apposita notat P. Colomesius *Paralipomenon* p. 4. in „membranis per vetustis Cl. Is. Vossii eraso *Josippi* „nomine, *Hegesippi* substitutum comparere. Et „in Bibliothecæ Ambrosianæ Codice MS. libro „V. hic titulus præfigitur, *Joseppi liber quintus.* „Auctorem horum librorum, sive potius interpretem fuisse D. Ambrosium, saltem D. Ambrosii συγχρονον. Opus Ambrosii esse, præter „Codicum nonnullorum fidem, & in his eximiæ „vetustatis Codicem MS. quem Mediolani in „Bibliotheca Ambrosiana vidit Joannes Mabillonius *Itinerarii Italici* pag. 14. ubi libro primo „mutilo, secundus hanc notam habet, *Incipit secundus, Ambrosius Episcopus è Græco transtulit in Latinum.* Arguunt denique ingens styli Ambrosiani & Hegesippiani paritas, eædem phrases ab utroque frequentatæ, eædem verborum „argutiæ, utrique in delitiis habitæ, quod sexcentis ferè locis utrinque productis, fusissimè com„probat Johannes Fridericus Gronovius in *Observationibus ad Scriptores Ecclesiasticos* Daventriæ 1651. in 12. editis, cap. 1. pag. 1. ad 20. & „cap. 24. pag. 258. ad 271. Vtut sit, id constat, „auctorem fuisse Ambrosii æqualem, & vergente hoc seculo claruisse stante enim adhuc & „florente apud Orientem Imperio Romano vixisse, ipse sæpius id innuente, constat. Hæc mira confidentia Guilielmus Cavus, quæ me nequaquam movit. Quem enim anno 374. statuit, hunc anno 1120. vel 1130. opus istud composuisse arbitror.

Eandem suam sententiam de ætate Pseudo-Hegesippi, quam lib. 2. *De Scriptoribus Græcis* cap. XIV. pag. 230. asseruit, confirmat quoque idem Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 2. quæ est *De Historicis incertæ ætatis* littera H. verbo *Hegesippus* ubi sic. *Hegesippus cujus libros quinque habemus de bello Judaico & Hierosolymorum excidio, Latinus mihi Scriptor videtur, non è Græco versus. Nam Græcè si unquam fuisset, aliquis Græcorum ejus meminisset. Quare, quod à B. Ambrosio translatum dicatur, id totum est commentitium. Imo auctor iste sexcentis & fortasse amplius annis, Ambrosio junior fuit.* Hinc immeritò etiam Ascensius in editione Hegesippi quam Parisiis 1511. in fol. impressit, in titulo *S. Ambrosium* translatorem effecit. Gaspar quoque Barthius *Adversariorum* Libro XXXIV. cap. XI. *Monachorum impudentiam increpat*, qui hanc translationem Ambrosio adscribant, cum tamen liber non plane sit inutilis, non penitus hoc denegare ausim. An autem Hebraicè unquam editum sit hoc scriptum, à pletisque in dubium revocatur. Contrarium tamen libro XLVI. *Adversariorum* cap. 4. sensisse videtur. Cum enim multa sequioris ævi indicia in Hegesippo deprehenderet, quæ veteris Hegesippi ævo convenire minime possent, hunc scrupulum ita sibi eximebat: ut diceret idem Hegesippo contigisse, quod in Eutropio aliisque Auctoribus factum esse constat, cum jam à multis seculis Monachi id in more habuerint, ut longiora scripta in epitomen redigerent, aut breviora assutis hinc inde variis laciniis extenderent. Et Hegesippi quidem libros immanibus cumulis ex Rufini Josepho petitis distentos atque coarctos fuisse judicat, de cætero minime dubitans, quin priscus Hegesippus illorum librorum Auctor censeri debeat. Hæc inconstans sibi de Hegesippo Barthius.

Edidit anno 1706. in 8. Jenæ Burcardus Gotthelfius Struvius *Introductionem in notitiam rei litterariæ & usum Bibliothecarum*, ad cujus calcem adjecit Dissertationem *De doctis impostoribus* eruditam, cujus paragrapho 4. & 5. paginis 9. 10. 11. & 12. quæstionem movet, an inter *impostores doctos* hic Hegesippus censendus sit. Hunc Vossius De Historicis Græcis Lib. II.„ cap. XIV. suppositítium habet. Vossium se„quuntur alii & communis est sententia, Hege„sippum esse impostorem, qui Scripta sua pro„ Scriptis Josephi insignis rerum Judaicorum„ Scriptoris, vendicaverit. Sed unde conclu„danr, seipsum pro Josepho vendicasse, non vi„deo. Extat quidem Latina versio cujusdam„ Scripti sub Hegesippi nomine *De bello Judaico„ & urbis Hierosolymitanæ excidio*, Coloniæ 1575.„ in 8. per Cornelium Gualterum aliosque cum„ notis edita & castigationibus. Hoc scriptum„ esse dicunt, quod tanquam Josephi haberi vo„luerit. Sed si initium Prologi inspiciamus, fa„ci-

„cile adparebit, ipsi animum non fuisse, ut pro „Josepho haberi vellet, cum ad Josephum ipse „remittat. Verba ejus hæc sunt. *Quatuor „libros regnorum, quos Scriptura complexa est sacra, „& jam ipse stylo brevi persecutus usque ad captivi„tatem Judæorum, murique excidium, & Babylonis „triumphos, historia in modum composui. Maccea„bæorum quoque res gestas Propheticus sermo paucis „absolvit, reliquorum usque ad incendium Templi & „manubias Titi Cæsaris relator egregius historico stylo „Josephus, utinam tam religioni & veritati attentus, „quam rerum indagationi & sermonum sobrietati.* „Qui Flavium Josephum illum Mathatiæ filium „in Prologo profert, seipsum pro illo haberi ne„quaquam vult. Impostor ergo neutiquam „est. In ipsa quoque historia, Josephi facta non „solum recenset, sed etiam ipsius Josephi de Jesu „Crucifixo testimonium refert libro 2. cap. 12. „pag. mihi 260. desumptum ex Josephi *Antiqui„tatibus Judaicis* lib. 18. cap. 6. Quod argumen„tum sole est clarius, nec se pro Josepho, nec „Scriptum suum pro Scripto illius haberi vo„luisse. De ipso etiam Josepho Gorioni de in„staurandis muris præfecto, mentionem facit „Libro 3. cap. 3. pag. mihi 298. Qualis ergo „impostor ? Forsitan quod multa, imo ferè „omnia ex Josepho hausit, quod negandum non „est, sed breviter complexus est atque in epito„men redegit, quod Josephus latius persecutus „fuerat, additis hinc inde aliis Josepho non me„moratis. Sed hæc agendi ratio impostorem „non facit.

An ergo mentitus est Hegesippum illum Seniorem, quem Hieronymus *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. XII. vocat *Vicinum Apostolicorum temporum.* Sed neque hic animus fuisse Hegesippi hujus videtur, uti jam supra diximus: cum & Francorum & urbis Constantinopoleos, aliarumque rerum posterioris longe ætatis, mentionem faciat, ex quibus Fridericus Gronovius *Observationum in Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 1. pag. 6. concludit, Scriptorem esse seculi quarti. Tantum porro abest, hunc Pseudo-Hegesippum *novissimum* voluisse haberi pro Hegesippo antiquo ac temporum Apostolicorum proximo, ut è contra hunc Hegesippum Græcum & genuinum, aliquando nugatum esse, idem eopse opere ostendat, ubi refellit ridicula ejus commenta *de passione Jacobi Apostoli*, item de *Juda fratre Domini*, de qua posteritate Davidis: de quibus vide omnino Scaligerum in Chronico Eusebii ad annum MMLXXVII, item MMCXII. Dixi Scriptorem *Novissimum*, libro enim III. cap. V. dum de Antiochia scribit, *Persarum quondam caput, nunc repulsorium:* ætatem suam novissimam ostendit, atque alludit ad occupationem Antiochiæ ab Occidentalibus Crucesignatis anno M CXVIII. factam. Cum enim anno DC XXXVII. Heraclii Imperatoris XXVIII. Arabes seu Saraceni Antiochiam occupassent, illam pacificè possederant usque ad annum D CCCC LXVIII. quo Nicephorus Phocas Imperator illam obsedit quidem, sed obsidionem re infecta solvere coactus fuit ob incommoda temporis ac pluviarum abundantiam. Sic factum ut sub Saracenorum potestate permanserit ad annum usque M CXVIII. quo ab Occidentalibus Crucesignatis post diuturnam & laboriosam obsidionem occupata fuit, illam post annos ferme quingentos possessionis pacificæ, Barbaris seu Saracenis relinquentibus. Occupatâ illâ ab Occidentalibus, ruinæ ex obsidione murorum & aliæ clades reparatæ, munita iterum quibus ex partibus infirmior erat, adjecta Latinorum curis nova præsidia & propugnacula, unde *Saracenorum repulsorium* per multos annos evasit. Hos duos Hegesippos vulgò confundi videas. Meminit Hegesippi hujus junioris, Joannes Sarisberiensis Libro VI. *De nugis curialium* cap. XVIII. & libro VIII. c. XVIII. At cap. XIX. intelligendus est Hegesippus vetus, qui *quinque Ecclesiasticorum Actuum libros* temporibus Marci Antonini edidit. A viro etiam doctissimo Francisco Femardentio, Notis in Beati Irenæi Lib. I. cap. III. quo loco testem producere se velle ait, qui ante Irenæum scripserit, adducit locum ex ejus quem habemus Pseudo-Hegesippi seu Hegesippi junioris libro I. cap. III. Extat Historia ista *libris quinque* comprehensa edita Parisiis apud Judocum Badium Ascensium 1511. Coloniæ 1521. in fol. Item cum Notis & Emendationibus Cornelii Gualteri Coloniæ 1575. in 8. Et in *Historia Christiana Veterum Patrum* Renati Laurentii de la Barre edita Parisiis 1583. in folio, ad calcem operis pag. 399. Hinc autem in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Parisiensis transierunt, de quibus agere superfluum est. Hæc porro sunt quæ de Pseudo-Hegesippo dicenda urbis contulerunt Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 14. pag. 219. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. Et libro 3. *De Historicis Latinis* parte 2. quæ est *De Historicis incertæ ætatis*, litera H. verbo *Hegesippus.* Fridericus Gronovius *Observationum* in Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 1. pag. 1. ad 20. & cap. 24. pag. 258. ad 271. editionis 1651. Daventriæ in 12. Guilielmus Cavus *Historia Literaria* seculo IV. ad annum 374. pag. 216. Burcardus Gotthelfius Struvius in Dissertatione *De doctis impostoribus* paragg. 4. & 5. editionis 1706. Jenæ in 8.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
PSEVDO - JOSEPHO GORIONIDE, EJVS-QVE LIBRIS.

PROLOGVS

1120 EDideram jamdudum Dissertationem hanc adversus Opus Josepho Gorionidi adscriptum, quà suppositionem Operis rationibus multis probatam exhibueram: sed ut amplioribus illum verbis resumerem, effecit, hoc Opus Gothæ anno 1707. in 4. editum pag. 892. absque præfatione & indice, sub hoc titulo: *Josephus Gorionidas sive Josephus Hebraicus juxta Venetam editionem, ut & eam quæ superioribus annis Francofurti ad Mœnum typis excepta est, Latinè versus. & cum Exemplari Constantinopolitano cujus partem Munsterus Basileæ 1541. edidit, collatus atque notis illustratus à Joanne Friderico Breithaupto, Consiliario Saxonico. Accessit rerum & verborum index locuples, Gothæ apud Jacobum Mavium 1707. in 4.*

CAPVT PRIMVM.
OPVS JOSEPHI GORIONDÆ MVLTIS RATIONIBVS SVPPOSITVM PROBATVR.

PSEVDO-JOSEPHVS GORIONIDES, quem Genebrardus *Chronologiæ* lib. 3. Flavio Josepho insigni *Judaicarum antiquitatum* Scriptori æqualem facit, imò si Munsterum in Præfatione librorum hujus Josephi editionis Basileensis anni 1541. audimus, unus idemque fuit cum Flavio illo Josepho Mattathiæ filio, qui Historiam *de bello Judaico* conscripsit. Sed neque hic idem est ac Flavius Josephus neque æqualis, quin annis septingentis vel circiter, ille posterior est, ut prolixius infra probabitur. Hunc enim Pseudo - Gorionem pro supposititio Scriptore habent eruditi ferè omnes, à quibus dissentire non possum, uti Cæsar Baronius *Annalium* Tom. I. ad annum 72. num. 27. Franciscus Ribeira Comment. in Abdiam cap. 1. num. 110. Joannes Maldonatus in Matthæi cap. XVI. Amplius dico, Gorionidem istum, non librariorum culpâ, sed affectatione & malitiâ, se Flavium Josephum nobilem *Judaicarum Antiquitatum* historiographum haberi à posteris voluisse, & ipsum, quantus quantus est, impostorem fuisse. Cum enim legisset apud Josephum ex interpretatione Rufini, qua ipsum usum esse liquet, & Flavium Josephum Galileæ Præfectum fuisse, & Josephum Gorionis filium, quem Γωρίωνα Flavius Josephus nominat, una cum Anano mœnibus Hierosolymæ reparandis fuisse præfectum: ille horum utrumque in unum conflavit, & homo impudens nobis persuadere conatus est, se nempe esse Josephum illum Sacerdotem, qui *De excidio Hierosolymitano* scripserat. Itaque rectè in editione Venetà hic locus concipitur: *Et dixit Joseph Sacerdos filius Gorionis: Hac porta non introibamus cum mulieribus & parvulis nostris, nisi in sanctitate & castimonia ingrediebamur, quoties ingrediebamur.* Oblitus autem mendacii sui Pseudo-Gorionides postea inquit, *Et nos ad ipsam domum non accedebamus, quia Sacerdotum locus est.* Absurdius nihil & magis contradictorium dici potest, ipse se Sacerdotem dicit, & tamen Sanctuarium ingredi non licuisse, propterea quod solis Sacerdotibus licebat. Mendacem certè memorem esse oportet, & qui tam cito oblitus est, quod se Sacerdotem dixerat & scripserat, insanus fuit. Attamen suæ genti, ut ad istiusmodi credula est, se esse celebrem illum Flavium Josephum, persuadere potuit. Solent autem Judæi nobilem illum historiographum, de quo antea dictum est, *Josephum* sive *Josippum longum* vocare, nempe ut distinguatur ab eà Josippi Epitome, quam Hebraico-Latinam, Basileæ Sebastianus Lepusculus anno M D LIX. edendam procuravit. Impostorem verò istum, multis seculis à Flavii Josephi Mattathiæ filii ætate remotum esse, eruditi omnes uno ore concedunt. Illumque Josephus Scaliger post annum Christi nati DC vixisse affirmat, in *Elencho Trihæresii* Nicolai Serarii c. 4. „*Recentem admodum fuisse arguunt, verba locorum recentia quibus utitur, Tours, Amboisa, Chinon: quæ loca post DC annos à natali Christi, adbuc* Turones, Ambasia, Kairon *vocabantur.*“ Ego, ut infra dicam, anno DCCL. antiquiorem non esse probaturus sum, quin & multis etiam seculis hac ætate posteriorem. In eandem sententiam intrat Nicolaus Serarius in *Trihæresio Judæorum* lib. 1. cap. 9. dum scribit: „*Josephum Flavium longè notiorem & illustriorem quam Gorionidem fuisse,* à D. Hieronymo in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* laudatum, à quo etiam in libello ad Eustochium de custodia virginitatis, *Græcus Livius* appellatur. De Gorionide autem Josepho quid simile? Omnia in eo & de eo perobscura, Veterum Latinorum aut Græcorum nemo ejus meminit, nescitur quando scripserit, ubi vixerit, quid egerit, qualis fuerit.“ Hæc Serarius qui utrumque maxime distinguit. Multis quoque seculis, à Flavii Josephi Judaicarum rerum Scriptoris ætate, renatum esse Gorionidem, ex Opere sub ipsius nomine edito, probare variis rationibus idem Serarius contendit.

Nam *primò* si ante D. Hieronymum hic Scri-

„ptor extitisset, nunquam ille aliquem alicubi ejus mentionem faciendi occasionem prætermisisset.

„ *Secundò* utitur idem Scriptor certis quibusdam gentium, urbiumque nominibus, quæ posterior tantummodo ætas usurpavit. Nam libro 5. cap. 1. Julium Cæsarem ait subegisse Francos, Britannos, & Occidentem totum, usque ad Oceanum. Et cap. 4. in Hebræo, cap. 42. in Latino, dum Herodis funus narrat, eum executos ait ipsius Stipatores milites Germanos & Gallos, de quibus subdit, *hem Frankou*, id est, *illi erant Franci.* At seculo illo Herodiano, nondum Francorum nomen Gallis tribuebatur, iis præsertim quos in Gallia devicit Cæsar. Nam Gallis nomen Francorum non accessit, nisi sub regno Clodovæi primi, ac postquam Alaricum maximæ Galliarum parti regnantem, collato prælio, extra Galliam & ultra Pirenæos montes expulisset. Quæ quingentis atque amplius annis, ab ætate Flavii Josephi & persona quam affectavit, remota esse nullus nescit. Vixque ante finem seculi VI. nomen Francorum Gallis accessit.

„ *Tertiò* ut Africæ pars, in qua Carthago est, *Barbaria* nominetur, recentissimum est, & in Latina lingua barbarum. At in illo Gorionidæ ejusdem Libro 3. cap. 15. dicitur *cum Annibale Barbaria robur omne fuisse.* Scripsit ergo ille Pseudo-Josephus Gorionides, postquam Africa *Barbaria* dicta est, id quod ante annum Christi DCC non contigit. Africa etenim nec tota nec ex parte, unquam *Barbaria* dicta fuit, nisi postquam Saraceni seu Arabes occupatâ Ægypto, in Africam arma intulissent, quod post annum Christi Salvatoris DCC accidit. Longe igitur abest impostor ille, à Flavii Josephi præstantissimi Judæorum historici ætate, cujus stupida affectatione personam ac nomen cum Sacerdotio assumere voluit. Africam autem ab Arabibus seu Saracenis, ante annum Tiberii Imperatoris 2. seu Christi DCXCIX. non esse occupatam, tradunt Theophanes in *Chronologia* seu *Chronographia* editionis Græco-Latinæ Regiæ Parisiensis anno 1655. in folio pag. 309. Atque etiam qui illum exscribit Georgius Cedrenus, ejusdem Græco-Latinæ editionis Regiæ Tomo 1. pag. 443. litera D. Parisiis 1647. 2. tomis in fol. „Hoc anno (Leontii Imperatoris 3. Christi nati DCCXVII.) Arabes impressione in Africam facta, armorum vi eam cœperunt, & ex proprio sibi exercitu præsidiarios milites in ea constituerunt. Eo comperto, Patricium Joannem virum rebus agendis idoneum, cum Romana classe omni Leontius in auxilium misit. (Anno Tiberii 1. Christi nati DCXCVIII.) Is cum Carthaginem appulisset, & bellica virtute catenam portum occludentem perrupisset, hostibus demum in fugam versis & ejectis, omnes Africæ munitas urbes in libertatem restituit: & præsidio ex suis militibus relicto, Imperatorem de iis quæ acciderant, certiorem fecit, ibique hiemavit, mandata Imperatoris expectans. Protosymbulus verò, qui Arabici consilii princeps, ubi hæc gesta rescivit, potentiorem & numerosiorem classem adversus Romanos (anno Tiberii 2. Christi nati DCXCIX.) instruxit, & memoratum Joannem ejusque classem à portu, mutatâ belli fortunâ, ejecit: eumque levi & humili terræ vallo circumcinctum reperiens, exercitu applicato, illum undequaque obsidere decrevit. Præfatus tamen Joannes periculo expeditus, in Romaniam reversus est, majores & robustiores copias ab Imperatore quæsiturus.“ Hæc Theophanes, ac post illum Cedrenus. Constans igitur est, Africam à Saracenis seu Arabibus ante annum DCXCIX. non fuisse occupatam, nec statim ab occupatione, sed aliquanto post tempore, nomen *Barbaria* habuisse ab his Barbaris. Cum igitur Pseudo-Josephus Gorionides *Barbariam* hanc vocet, se post annum Christi nati DCC scribere, apertissimè testatur.

Quartò inquit Serarius, idem eodem loco profert Hannibalem in Hispaniam venisse, ibidem *gentis Gothorum superbiam depressisse.* At in Hispania non consederunt Gothi ante D. Hieronymi ætatem, nec ante seculi octavi annum XX. vel circiter, eorum in Hispania potentia fracta fuit.“ Scripsit ergo hic Pseudo-Josephus Gorionides post imperium Gothorum seu regnum in Hispania destructum, quod post annum DCCX. vel DCCXX. accidit. Nam quo anno seculi octavi id factum sit Scriptores inter se non conveniunt, aliis citius, tardius aliis rem istam assignantibus. Hic Gothici regni in Hispania occasus circa annum 711. accidit, trecentis circiter annis postquam cœperat, juxta Sigebertum in *Chronico.* Juxta Chronicon Carionis libro V. pag. 703. hoc anno 717. contigit, juxta alios anno 713. Juxta Tursellinum, qui diffuse hanc epocham ratione compendii sui habitâ describit libro 6. *Historiarum* cap. 16. num. 8. & sequentibus. „Vitiza Visigothorum rex, libidine ardens, uxoribus & pellicibus impleverat regiam. Igitur ut liberiore Licentia frueretur, Episcopos ac Sacerdotes suo exemplo edictoque primum conjugibus aut pellicibus irretivit, inde à Romani Pontificis, qui talia flagitia laturus non erat, auctoritate semovit.“ Ergo gens omnis in Luxuriam effusa, brevi sensit iram ultoris Dei. Saraceni ab Jusiano Comite filiæ ab rege violatæ probrum ulturo ex Africa accersiti, in Hispaniam trajiciunt, & Roderico Rege acie victo, regionem subigunt, anno à Virginis partu ferme DCC XL. Vix igitur Pseudo-Josephus hic Gorionides, ex allatis ab eo verbis, ante annum DCCL. collocari potest.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

IDEM JUDICIUM NOSTRUM AMPLECTITUR DIARIUM ERUDITORUM PARISIENSE ANNI MDCCVII. IN SUPPLEMENTO DIARII DIE ULTIMA DECEMBRIS, QUORUM JUDICIUM HIC E GALLICA LINGUA IN LATINAM VERBOTENUS EXPRIMITUR.

FErmè semper prævenimur in gratiam Authoris, quem vel commentamur, vel in linguam aliquam vertimus. Dum anno 1541. Historiam Hebraicam Josephi Gorionis filii Munsterus Basileæ edendam curavit, hanc ut opus genuinum celeberrimi Josephi haberi valuit qui (inquiebat) Historiam suam *de bello Judaico* olim Hebraice scripserat, antequam Græce illam edidisset. Munsterus paucos in suam sententiam adduxit, pars maxima eruditorum hujus ætatis, respexit filium Gorionis ut Impostorem, & opus de quo agitur, ut opus suppositium, de quo Critici fere omnes idem judicium tulerunt. At traductor novus multitudinem non secutus, opinionem Munsteri licet ab omnibus proscriptam amplectitur. Hoc critices punctum longâ satis præfatione versioni suæ præmissa agitat. Ac primum rationes opinioni quam defendere vult, contrarias refert, tum illas exponit ex Munstero utplurimum acceptat, quæ opinioni suæ favent, quas suffragio suo corroborat, ac aliquibus à seipso notis novis, & validiori quo potest modo Adversariis respondet.

Josephus Scaliger, Drusius, Gerardus Vossius, Casaubonus, Alstedius, auctores sunt præcipui, qui suppositionis nobis suppeditant, quorum aliquas duntaxat potissimas adducemus. Noster Josephus personatus mentionem fecit in hac Historia, Francorum, Gothorum, Bulgarorum, Longobardorum, qui populi omnes in orbe non comparuerunt, nec sub his nominibus cogniti fuerunt, nisi multis post Josephum genuinum seculis. Inveniuntur etiam apud Scriptorem hunc suppositium, Franci Galliarum domini & possessores. Dat pluribus provinciæ Turonensis urbibus, eadem nomina quæ hodieque habent & quæ adhuc non obtinebant, ab annis plus quam quingentis, post Josephi genuini mortem, cujus personam induit. Hunc Judæum quendam Turonensem fuisse Scaliger arbitratur, quod diversis hujus Provinciæ locis amplius hæreat, ac de illis multo singularius loquatur, quam de aliis Franciæ locis. Crassam ignorantiam prodit, dum scribit Davidem venisse olim Neapolim, ac Romulum à quo hic Princeps multum timebatur, cum ipsa fœdera sanxisse: ac Patriarchas plures & Judæorum Judices, bellum in Europa gessisse. Ex cerebro suo fingit Epocham, quam *annos Imperatoris* vocat, licet nullus intelligat, de quo Imperatore loqui velit. Inquit anno 60. hujus epochæ, Romanos occupasse Calabriam ac Messanam, quod in Chronico Eusebii ad tertium Olympiadis 126. annum refertur. Idem paucis postea nos docet, se natum esse anno ejusdem Olympiadis 134. id est, *centum triginta novem annis ante ruinam templi Hierosolymitani.* Ita insaniam urget, ut Julium Cæsarem anno 182. hujusce epochæ admirabilis natum esse dicat, quo tunc temporis annos LI. habuit, seque Septuagenarium fuisse, anno ejusdem Imperatoris XIX: quamvis constet Josephum genuinum annis LVI. natum fuisse, Domitiani Imperatoris anno decimo tertio. In *Historia Græca* agitur eodem loco *de Josepho Gorionis filio & de Josepho Matthiæ filio*, qui ipse Historicus Græcus est: ex quibus Josephis duobus hic Historicus Hebraicus unum facit, quem seipsum esse dicit. Omittimus plures alias notas, quarum nonnullæ probant, hunc Scriptorem non transtulisse *Historiam hanc Judæorum Hebraicam* ex textu Josephi genuini græco; sed ex versione Latina Ruffini Aquilejensis.

His suppositionis argumentis Breithauptus alia opponit, quæ opinionem contrariam stabilire videntur. Hæc sunt, ut antea diximus, argumenta Munsteri, quæ præfatus interpres magno æstu profert. Primum argumentum pro *Historia Josephi Hebraica* attentionem meretur. Desumptum est ex Josephi genuini testimonio, in Præfatione ad libros *de bello Judaico*. Illic distinctè asserit, se antequam Historiam hujus belli Græcè scriberet, illam Hebraicè jam scripsisse, pro Judæis dispersis inter Parthos, Babylonios, Arabes, & eos qui ultra Euphratem habitarent. Idem habet Eusebius *Historiæ Ecclesiasticæ* libro 3. cap. 9 acceptum ex testimonio quod retulimus, quodque citat. Urget etiam idem Breithauptus uti rationem validissimam, opinionem constantem & unanimem Judæorum, juxta Rabbinorum libros, qui dicunt Josephum Græcè scribentem, fuisse eundem illum Josephum Gorionis filium, qui Hebraicè scripserit. Rabbi Manasses speciatim, erudito cuidam viro, qui illum ea de quæstione consuluerat, nunquam de hac re apud Judæos dubitatum fuisse, disertè respondet. Idem observat stylum *Historici hujus Hebraici* esse elegantem, & Bibliorum stylo proximè accedentem, atque ideò à Rabbinorum modernorum stylo discrepantem: quibus addit, quod si hæc *Historia Hebraica* non esset Josephi, sed alicujus tantum Interpretis, idem ordo qui Historiæ Græcæ, observatus fuisset. Hoc autem neutiquam apparet. Historia enim Hebraica habet capita integra, quæ in Græca non comparent: ac viceversa habet Historia Græca capita integra, quæ in Hebraica non extant. Hæc ad opinionem Munsteri confirmandam argumenta non contemnenda: sed quid respondebunt adversarii rationibus contrariis à nobis allatis, quæ in hac Historia Hebraica absurditates maximas & fabulas ineptissimas ostendunt? Respondent in genere, has esse

opus

opus quorundam Judaeorum miserrimorum, qui Historiam hanc multis modis corrupetunt: illam tamen quantumcunque adulteratam & vitiatam, esse Josephi Mattathiæ filii *Historiam Hebraicam*. Ita Breithauptus, qui responsionem non probat, sed supponit: uti dum ait, in ea se *filium Gorionis* dixisse, cum in Græca se dixerit esse *filium Mattathiæ Maccabæi*, ex gente Asmonæorum, quod nulli difficultatem movere debet. Scribendo enim Græcè pro Gentilibus, apud quos nomine Macchabæorum & Mattathiæ in veneratione erant, his ad dandam fidem & pondus Historiæ suæ, usus fuit: Sed Hebræis solum scribens, in gratiam hominum suæ gentis, qui illum noscebant, nomen patris sui Gorionis cujus filius immediatus erat assumpsit: cum Mattathias avus, vel abavus tantum esset cujus tamen se filium juxta Hebræorum morem dicere poterat, licet ab ipso immediate non prodiisset. Hæc magna confidentia Breithauptus, quæ nullatenus probat.

Post alias quasdam objectiones aliasque responsiones, in gratiam *Josephi genuini* noster interpres novus concludit, quam opinionem duplici observatione confirmat. Prima, quod Historicus Hebraicus ita exactè ac distinctè quasdam machinas bellicas Romanorum describit, & inter alias speciem quandam arietum, cujus descriptio nullibi Scriptorum reperitur, ut nisi eas oculis propriis vidisset, describere ita non potuisset. Observatio altera, est hujus Historiæ testimonium de Sanctâ Joanne Baptista, quem Herodes Antipas occidit, quia Divinus Præcursor ipsi exprobrabat nuptias incestuosas cum uxore fratris sui. Hoc testimonium à Judæis modernis scribi non potuit, qui à libris suis testimonia Christianis faventia rescindunt potius, quam adjiciunt. Ob haec rem Scriptor Breithauptus narrat factum à Baronio attestatû & probatum. Cum nempe in vetusto admodum Codice MS. hujus Historiæ Vaticanæ bibliothecæ, inquireret testimonium Flavii Josephi de Christo, quod in Historia illius Græca legitur: abrasum fuisse, ac nefariâ manu lituratum fuisse ab aliquo Judæo, inventum fuit, quod ipsa membranæ inspectio evidenter ostendebat. Ex hoc facto, Editor novus argumentum antiquitatis hujus Historiæ assumere se putat, quod opinionem Munsteri maxime confirmet. Verum hæc omnia conjecturas tantum satis debiles efficiunt, nec idoneæ fuerunt, ut Editoris novi sententiam Parisienses in *Diario Eruditorum* amplecterentur.

Quod versionem verò, considerans Editor, Historiam originalem stylo Bibliorum maxime accedere, lectionemque ejus utilissimam esse posse his qui linguam Hebraicam discunt: multâ se applicuit curâ, ut versionem Latinam sinceram & putam, quantum utriusque linguæ idiomata patiuntur, exhiberet. Atque ut facilius ea de re judicium ferri posset, textum Hebræum Latino collateralem edidit. Si autem in versione occurrant quædam, quæ explicatione indigeant, paginas infrà notis inspersit, quæ necessarias expositiones continent. Harum plurimæ desumptæ ex opere tui Hegesippi nomen, ex Epitome Josippi, ex textu Græco Josephi, ex Tacito ubi Scriptor hic de ruina Hierosolymæ loquitur, aliis Scriptoribus qui utiles ipsi fuerunt, non omissis. Horum subsidio auctorum, & curis suis conferendo editionem suam Venetam ex qua transtulit, cum editione Francofurtensi & Constantinopolitano exemplari, plura Historiæ hujus loca depravata, quæ designat, restituit. Editiones Hebraicæ hujus Operis principales fuêre, Constantinopolitana 1490. in fol. altera ibidem 1510. in fol. Cracoviensis 1589. in fol. Venetæ 1544. tandemque editio Munsteri Basileæ facta 1541. Hæc nobis observatione digna visa sunt, de hac Historia, ejusque editione novissima. Speramus non in malam partem Editorem acceptuтum, quod nos ab operis integri lectione exemerimus, & examinis curâ, an Latina versio fideliter ubique textui Hebraico originali respondeat. Præterea Opera Josephi genuina & quæ nullius in dubium revocat, in omnium manibus sunt, fidemque majorem merentur, quam quæ ipsi attribuere vult Editor ille novus. Hæc Parisienses.

CAPUT TERTIUM.

IDEM OPUS SUPPOSITITIUM ALIIS CONJECTURIS VEL RATIONIBUS PROBATUR, MULTIS TAMEN SECULIS RECENTIUS, QUAM CAPITE PRIMO DISSERTATIONIS HUJUS STATUERAM.

Argumenta, quæ superius allegata, ad probandam Operis præfati suppositionem idonea esse videntur, licet aliæ rationes & conjecturæ non desint, quibus idem iterum demonstratur. Quæcunque autem impostorum à nobis Dissertationi huic subjicientur, suggeret ultima hujus Operis editio ac præstantissima, Latine ex Hebræo facta atque hoc titulo insignita: *Josippon sive Josephi Ben, Gorionis Historia Judaica Libri sex*, quos *ex Hebræo Latine vertit, Præfatione & Notis illustravit Johannes Gagnier Angliæ Minister*, Oxonii e Theatro Scheldoniano anno Domini M DCC VI. in quarto. Eximiam hanc operam obtulit Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo Joannes Gagniet, olim Canonicus Regularis Congregationis Sanctæ Genovefæ Parisiensis, qui abjectis Romanæ Communionis fabulis ac novitatibus, Anglicanæ Ecclesiæ adscriptus fuit. Præmisit insignem huic Historiæ ac eruditam Præfationem, qua quidquid de Operis authore ac methodo sciri potest, erudite explicat, Notasque occasione datâ doctissimas variis locis in eruditorum gratiam adjicit: unde vix melius unquam tale argumentum tractari possit. Ab hoc igitur quidquid

quid imposterum de hoc argumento dicemus, nos accepisse lectoribus testamur, plagii ne quis nos accuset. Rationibus igitur quas hujus Dissertationis quatuor, capite 1. attulimus, sequentes addimus.

Quintò ut inquiunt Parisienses Censores supra, impostor hic qui se unum eundemque cum Flavio Josepho Historicum & hominem facit, *Bulgariæ & Lombardiæ* regnorum, in ipso primum Operis sui fabulosi limine mentionem habet, quamvis ab ejus ætate seculis multis remota sint.

Nam Bulgarorum nomen primò auditum in Thracia & Illyria quam depopulabantur tempore Anastasii Imper. qui ab anno 491. ad annum 518. per annos 27. imperavit. Dicti sunt à Belga Russiæ fluvio, ex paludibus non procul à Moscovia profluente. Consederunt igitur primum ad mare Pomeranicum, unde egressi Thraciam invaserunt, ac vicina loca depopulati sunt: unde adhuc Bulgaria dicitur, quæ Mysia olim dicta fuit. Postea sub Constantino Pogonato qui anno Christi 669. imperare cœpit & annos 17. imperavit usque ad annum 686. Bulgari è Sarmatiæ finibus egressi, Thraciam impetu maximo adorti sunt, qui omnia terroribus impleverunt & ad Mysiam inferiorem accesserunt, quæ non procul Byzantio abest & hodie *Bulgaria* dicitur. Denique sub Philippico Bardesane qui anno Christi 712. imperare cœpit, & annos duos ac menses novem imperavit, Bulgari Thraciam devastarunt, ad urbem ipsam Constantinopolim usque incursantes, & magnâ prædâ onusti ad domum impune radierunt. Hæc Bulgarici regni quod dudum perstitit, initia insignia: quæ multis seculis remora sunt, à temporibus Josephi Gorionis, qui se supparem Julio Cæsari facit lib. 3. cap. 15. pag. 100. Hunc Julium Cæsarem, se vidisse disertis verbis testatur: *Primus Rex qui appellatus est Latinè Imperius, cujus quidem interpretatio est Cæsar, is fuit Cæsar primus quem ego vidi, quique jus Cæsareatus tertia vice in urbe Roma restituit.*

Sextò idem argumentum de Longobardorum regno, de quo ibidem loquitur, fieri potest. Imposturam Scriptoris hujus qui se Julio Cæsari supparem facit ut statim diximus, quantumque ab ætate illa distet, ex historicis omnibus, audiamus ex Henrici Gutberlethi *Chronologia* sub Justino Juniore pag. 395. editionis Amstelodamensis anni 1639. in 8. „In Italia exoritur novum regnum, quod est Longobardorum anno Christi 568. idque per hanc occasionem. Cum Narses Italiam jam annos 16. venisset, jamque summâ fortitudine, sapientia & justitia, ex magnis calamitatibus recreasset: crescere cœpit ejus auctoritas, adeo ut in aula Justini Imperatoris, potentia ejus suspecta redderetur, unde Justinus commotus successorem ei mittit Longinum hominem sceleratum: Justini verò uxor in litteris, Narsem per ludibrium ad pensa in Gynecæo tractanda redire jubet. Narses tantæ injuriæ impatiens, cum respondisset Imperatrici, se jam ordiri telam, quam superba illa mulier retexere non posset: Longobardos, quorum auxilio contra Gothos olim usus fuerat & maxime contra Totilam, incitat in Italiam. Ipse autem ut tutior illic esset, Constantinopolim non rediit, sed in Italia mansit, & ut privatus Neapoli vixit, donec ibi mortuus est. Fuerunt autem Longobardi Germani, nomen à genere armorum, longis nempe securibus seu bipennibus adepti, qui olim ad mediam Albim sub tructeriis habitarunt, ubi nunc Episcopatus Magdeburgensis & Halberstatensis sunt. Ex hoc tractu, (cum jam variarum gentium fatales essent commigrationes) ad eam Pannoniæ otam quæ Italiæ propior est, ac cesserunt, ubi annos 42. manserunt. Inde porrò sive à Narsete accersiti, sive loci fertilitate & amœnitate allecti, Italiam anno Christi 568. duce Alboino intraverunt, & regnum in ea Italiæ parte quæ olim Gallia Cisalpina dicta est, & hodie Lombardia vocatur, constituerunt: in qua sedes regia Papia fuit, quæ & Ticinum dicitur, postquam Vicentiam, Veronam & Mediolanum occupassent. Primus Rex Alboinus fuit, qui in Italia ab anno Christi 568. annos quatuor regnavit. Duravit autem hoc Longobardorum regnum annos 206. in Italia, usque ad annum Christi 774. quo Desiderio capto & in Franciam abducto, Carolus Magnus hoc regnum ad se transtulit." Ita Annales Francorum veteres, Rhegino, Sigebertus, Henricus Gutberlethus in Chronologia editionis Amstelodamensis 1639. pag. 295. in 8. Impudentissimus autem impostorum omnium Josephus ben Gorion, qui ut supra retulimus lib. 3. Operis sui cap. 15. pag. 100. *se Julium Cæsarem vidisse* disertis verbis affirmat, an potuit vivere usque ad annum 568. vel ultra, quo Regnum Longobardorum in Italia initium sumpsit? Attamen impostor impudentissimus id asserit sub Operis initium lib. 1. cap. 1. pag. 2. *Elisab ii sunt Alemania qui habitant inter montes &c. ex quibus orti sunt Lombardi, qui habitant trans fluvios Jub & Sebtimo. Et subjecerunt sibi terram Italiæ, habitantque in ea usque in hodiernum diem, juxta fluvios Po & Tesino.* Juxta supputationem hanc impostor ille vixit annos circiter octingentos, ac si alias ejus supputationes huic adjuveris factas in aliis locis, annos plus quam nongentos ipsum vixisse necesse est, ut erudite probat Joannes Gagniet, in Præfatione quam huic Operi præmisit. Cum autem tam splendide ubique mentiri soleat, opinor etiam esse mendacium, dum scribit illic, *Lombardos sibi subjecisse terram Italiæ, habitareque in ea usque in hodiernum diem juxta fluvios Po & Tesino*, illumque scripsisse post deletum istud regnum anno 774. a Carolo Magno, quamvis contrarium asserat. Hæc enim nimia præcautio,

habitantque in ea usque in hodiernum diem: est doli & mendacii præsumptio, magisque indicat, quod Opus istud longè post destructum Longobardorum regnum, à Josepho ben Gorionis compositum fuerit.

Septimò Scriptorem hunc mendacissimum, vel temporibus Caroli Magni qui anno 800. Romæ Imperator à Romano Pontifice coronatus est, vel post ejus etiam ætatem vixisse, censet Joannes Gagnier vir doctissimus, qui Opus Ben Gorionis commentatus est, in præfatione editionis jam citata pagg. XXV. XXVI. & XXVII. his verbis: „At verò si inter sapientes & eruditos res maturè perpendatur, longè diutius se „vixisse ipse fatis *Gorionides* innuit. Si enim „conjicere licet ex multis quæ ille, sive de Po„pulorum, Provinciarum, urbium, montium, & „fluviorum modernis nominibus, sive de novis „variarum Linguarum Idiotismis, quos frequen„ter usurpat, sive denique de moribus ritibus„que Gentium, præcipuè *Romanorum* recentio„rum, suis per totum Operis decursum Scriptis „consignavit: omnino fatendum est, cum qui „talia scripserit, multis centenis annis post Tem„pli secundi excidium vitam produxisse. Quo„rum omnium exempla hic breviter afferre, „non erit injucundum. Et quidem primò in „ipso Historiarum ejus vestibulo cap. 1. pag. 1. „promiscue nominantur FRANCI FRANCIA, „SEINA fluvius, BRETONES & BRETANIA, „LERA Fluvius, BVLGAR, TVRCI, ONGRI, „TOSCANA, ENGLESE, alibi ENGLISCHS, „ALEMANIA, LOMBARDI, TEVERO, PO, „TESINO fluvii, DANISHI & DENA seu DA„NIA, alibi DANMARKA, CROATÆ, JVB & „SEPTIMO montes &c. Vbi non modo re„centiora nomina, sed etiam nuperarum & vul„garium Linguarum *Francia, Italia, Anglica* &c, „vernaculas appellationes & sonos, aperte de„prehendimus. Nec est cur aliquis cum Mun„stero & R. Azaria objiciat hæc adjecta esse ab „amanuensibus Expositionis gratia. Nam „ipsemet Authot disertis verbis affirmat illas „Expositiones a seipso fuisse conscriptas, lib. 1. „cap. 3. pag. 27. *In eo autem Expositi omnes fami„lias & gentes quarum in ipso est mentio, idque in „parte prima hujusce libri memorati, videlicet primi „cap. 1.* Neque solum in hoc Capite occurrunt „hujusmodi νεότητος exempla, sed & passim in „sequentibus libris, atque adeò per totum opus „obvia sunt. Quod verò magis mireris, Ecce „tibi hominem *Judæum* in *Judæa* natum 200. fe„re annis ante Templi excidium, jam adhuc in „vivis superstitem octingentis plus quam annis „post captam *Hierosolymam*, & cum majoribus „nostris de *Francia* nostræ urbibus, pagis & Ca„stellis vernacule confabulantem, videlicet „AMBOISE, TOVRS, CHINON: Quid plura? „Vlterius ipsi cognitæ sunt SCOTIA, IRLAN„DA, DANMARKA: quorum omnia loca, si „volupe est inspicere, ex Indice nostro reperies. „Neque est cur diutius immoremur, ut eorum novitatem ostendamus, quam quilibet Histo„riæ & Geographiæ vel modice peritus, facile„ per seipsum cognoscere possit."

Octavò. Sed quæ omnem superarent fidem, „nisi oculatum testem haberemus, ea sunt quæ„ de *Romanorum* moribus & ritibus refert libro 6.„ cap. 77. pag. 341. & seqq. Asserit enim se vi„ disse *quomodo inaugurantur Cæsares secundum con„suetudinem Romanam.* Vidit itaque primo„ *Septem REGES coronis suis insignes, quas accepe„runt de manu Cæsaris, electos verò jussu SENATVS„ ROMANI.* Facile agnoscas *Septem IMPERII„ ROMANO-GERMANICI ELECTORES,* totius„ pompæ actores & ministros. Vidit duos E„ quites hinc illinc in solemni Processione proji„ cientes ad populum *FLORES AVREOS*, id est„ ut vulgò appellant *FLORENOS.* Vbi deven„ tum est ad Domum regni, vidit illic Præfectum„ Magnum *Romæ, qui est* (inquit) *Pater omnium„ Præfectorum, qui sunt in universo mundo in dom„inatione constituti, & appellatur Romæ* PATER, *&„ apud Græcos* PATRON. En tibi ipsummet PA„PAM! *PATRON ergo*, pergit ille, *dat in manu„ dextra inaugurati Cæsaris* SCEPTRVM LIGNE„VM *deauratum per partes, & supra caput ejus su„spenditur* SACCVLVS *pulvere plenus. Deinde„ optat digito ejus parvum* ANNVLVM *fabricatum„ ex osse hominis mortui. Et in manu ejus sinistra„ ponit* CALICEM *aureum oblongum, super quem„ est* POMVM BVLLARE *in similitudinem„ GLOBI terræ universæ. Tandem imponit capiti„ ejus Coronam regni, & constituit illum Regem. Et„ postquam constituit illum Regem, Rex osculatur ma„num Patron supradicti. Tunc illico accipit Pa„tron diadema Cæsareæ dignitatis, & ponit illud super„ caput ejus, superaddens Coronæ Regni. Hic cla„mat voce magnâ & dicit,* VIVAT DOMINVS„ NOSTER CÆSAR &c. Audivit denique„ universum populum cum Papa, Electoribus &„ Principibus, acclamantem, AMEN."

Vidit ergo *Ben Gorion* noster *Romæ Carolum„ Magnum*, & aliquot successores ejus *Cæsares„* inaugurari cum tota illa ceremonia, quam ac„ curate & eleganter describit: ac proinde an„ nos plus quam mille vixisse comperitur, quod„ nec *Adamo* nec ipsi Metusalecho concessum„ fuit, atque adeo omnium mortalium longævis„ simus. Neque dicas illum narrare hæc omnia„ contigisse, quando inauguratus est Romæ„ *VESPASIANVS* Imperator. Facilis responsio.„ Nempe vir bonus, jam tot annotum, imo secu„ lorum ut ita dicam mole obrutus, hic quoque„ memoria lapsus deprehenditur. Cum enim„ *Roma* in Insula sua *Tiberina à Tito* sibi concessa,„ usque ad senectutem decrepitam, dies licet ut„ verisimile est protraxerit: & interea *Caroli Ma„gni* aliorumque aliquot Imperatorum corona„ tionem viderit, paulò antequam extremam„ manum Operi suo imponeret: dubio procul„ illius ceremoniæ Ritus & circumstantias nar„ ravit, prout eum imago recentior, animo„ ejus tunc temporis observabatur." Hæc ver-

bo-

botenus Joannes Gagnier loco citato, quibus Scriptorem hunc seculo nono antiquiorem non esse contendit, dum *Caroli Magni Coronationi Romæ factæ & aliquot successorum illius*, se præsentem fuisse ipse Josephus Ben-Gorion scribit.

Nonò aliter sentit Jacobus Basnagius, olim Ecclesiæ Rothomagensis Reformatæ ante Edictum Namnetense suppressum & extinctum Minister, nunc autem Ecclesiæ Roterodamensis Gallicæ, magni vir nominis neque minoris eruditionis, in *Historia Judæorum seu Judaica* tomo 5. lib. 7. cap. 6. num. 24. pag. 1563. editionis suæ Roterodamensis apud Renerium Leers 1707. in 8. Has ceremonias, de quibus suprà diximus, non fuisse in Coronatione Vespasiani Imperatoris observatas, neque Gorionem intendere coronationem Caroli Magni illic describere, ut vulgò creditur. Imperium enim non fuit electivum, quamdiu posteritas ejus illud obtinuit. Præterea hoc tempore non habebat formam quam ipsi Gorion assignat, qui loquitur de Septem Regibus qui Imperatori serviebant, & qui principales officiarii erant, quibus postea jus electionis accessit. 2. Normanni quos Gorionides Joseph. lib. 6. c. 64. p. 280. cognovisse noscitur, ante tempora Caroli Calvi, qui anno 876. regnare cœpit, terminos ac provincias Galliarum non excursarunt, nec nisi seculo decimo hæc provincia nomen accepit *Normanniæ*, ab iis qui eam occupaverant. 3. Kravati seu Croati de quibus Gorionides lib. 1. cap. 1. pag. 2. temporibus Vespasiani vel Caroli Magni nondum cogniti erant, ac Cedrenus qui seculo duodecimo scripsit, primus est qui de ipsis loquitur. 4. *FLORES AVREI* seu *FLORENI* sub Carolo Magno in usu non erant. Villanius asserit seculo duntaxat decimo tertio Florentiæ percussos fuisse, sed ut aliqui illorum qui annum 1067. designatum habebant, effossi sunt, ità necessario credendi sunt, aliquanto antiquiores. Hi omnes Characteres nobis persuadent, Josephum illum Hebræum non vixisse nisi sub finem seculi decimi, vel potius seculo undecimo: ac coronationem Imperatoris, cujus descriptionem nobis exhibet, esse Othonis primi, quæ anno 962. Romæ magnâ pompâ, vel anno 963. à Leone VIII. Romano Pontifice celebrata est. Vel Othonis Secundi quæ eadem pompâ anno 973. ibidem contigit. Principes ac officiarii præcipui qui eum secuti fuerant, coronationi ipsius adfuerunt. Vt autem nobilitas ac Deputati plebium & urbium tunc temporis Imperatores eligebant, habuit Gorionides rationem aliquam faciendi subordinationes *Septem Principum, Præfe*[illegible] *. Sub-Præfectorum & aliorum officiariorum.* [illegible]o I. recipiendo Diadema Imperiale, juravit se conservaturum Ecclesiæ Romanæ sua privilegia, & restituturum ei quod ab ipsâ oblatum fuerat. Ipse Papa coronationis ceremoniam fecit, & hic consensus *Patroni* ita necessarius apparuit, ut Baronius & alii Historici aliqui, annos hinc Imperii Othonis computare incipiant, quamvis illud diu ante possideret. Otho II. aliquanto post tempore cum iisdem ceremoniis Romæ coronatus fuit. Hæc omnia cum enarratione Josephi Gorionidis conveniunt, qui seipsum transfodit; dum Romanos gentiles velut Judæos & Christianos, loquentes & acclamantes introducit. Equidem benedictionem *Summi Dei* orabant, ac Josephus populo idololatræ *Amen* respondere facit. Juxta igitur hæc verba Jacobi Basnagii loco citato, noster Josephus Ben-Gorion, seculi duntaxat decimi expirantis vel undecimi Scriptor est.

CAPVT QVARTVM.

FABVLA JVDÆORVM RABBINORVM DE *JOSEPHIS LONGO ET BREVI*, HIC A JOHANNE GAGNIER EXPENDITVR ET EXPLODITVR.

POst tot clara & luculenta testimonia, quibus *IOSEPH BEN-GORION* sive *IOSIPPON* noster se universæ tum *Romanæ* tum *Judaicæ* Historiæ Authorem se esse affirmat, constans fuit omnium *Judæorum*, & ex *Christianis* non paucorum, opinio, illum eundem esse cum *Flavio Iosepho Matathia* seu *Matthia* filio, qui libris *Antiquitatum* viginti, & de *Bello Iudaico* Libris septem, totam Hebraicæ gentis Historiam ab orbe condito ad sua usque tempora, *Excidiumque Hierosolymorum*, complexus est. Quod autem ille vocetur *Matathia*, noster vero *Gorionis* filius, id nullo negotio conciliant *Iudæorum Magistri*, unum eundemque hominem facientes *Binominem*, ut videre est in celeberrimo Libro *Iuchasin* sive Familiarum R. *Abraham Zacuth* dum inquit. *Illius* Vitellii Cæsaris *tempore florere cœpit flos surculi Sacerdotum, Ioseph filius Matathiæ Sacerdos Aben Gorion, id est filius Gorionis:* ac si unum esset Familiæ nomen, ortæ à Magno illo *Matathia*, Hasmonæorum gentis Principe; & alterum Patris: quomodo R. *David* appellatur filius *Ioseph* & filius *Kimchi*: & *Abraham* sapiens dicitur filius *Meir*, & *Aben Ezra*, i. e. filius *Ezra*.

Vtrumque opus tamen ipsius *Ben-Gorionis* exemplo, *Iudæi* distinguunt. Cum enim *Flavium Iosephum* citant, modo appellant eum *Iosippon Romanis Scriptum*, modo *Iosippon Ben-Gorion Magnum*, aliquando etiam *Iosippon Longum*. Cum verò ex Hebraico Codice testimonia proferunt, appellant *Iosippon Israeli scriptum*, sive *Iosippon Hebræum*, nonnunquam *Ben-Gorion Brevem*, sive *Curtum*: sæpissimè, ubi non est, ambigendi locus, *Iosippon* simpliciter aut Ben-Gorion, vel etiam, ubi aliqua distinctione opus est, subjungunt, *Qui est apud nos.* Quarum appellationum tot exempla in utramque partem apud Rabbinos occurrunt, ut prope infinitum esset omnia illa huc congerere.

Quia verò circa illam distinctionem Authoris nostri in *Longum & Brevem*, Josephus Scaliger & post eum Nicolaus Serarius, aliique fere

Eruditi omnes, mihi hallucinari videntur: volunt enim librum integrum *Ben-Gorionis*, qualem hæc nostra editio exhibet, esse *Iosippon Longum*, Epitomam verò, se *Iosippum* à Munstero & Lepusculo editum, esse *Iosippon Brevem*: ipsam hallucinationem aliquot exemplis illustrare necesse est. *Iosephi Epitoma*, ait Josephus Scaliger in *Elencho Trihæresii Nicolai Serarii* cap. 6. pag. 44. *publicata est Basileæ à Sebastiano Lepusculo, ad cujus differentiam, Liber totus Pseudo-Gorionidæ vocatur ab Abraham Zacuth, Liber Gorionidæ Longus, id est, totus, integer.* Nicolaus Serarius magno alias antagonistæ Scaligero hic fasces submittit, inquiens: *Bifariam invenitur Gorionides Iosephus, 1. Epitome, 2. integer minimèque curtus: & dicitur Sepher Ben-Gorion Haaruch, longus*: & posteà fol. 14. *Ben-Gorion Haggadol, Magnus, in Libro Iuchasin, ad Epitomæ enim differentiam &c.* ut Scaliger. Quem locum affert Clarissimus Vsserius in eandem sententiam.

Sed pace tantorum virorum dixerim, *Abraham Zacuth* in locis citatis, per *Librum Gorionidæ Longum* intelligere ipsum Librum *Flavii Iosephi*, ad differentiam *Libri Gorionidæ Hebræi*. Quod & ipsa exempla à Serario adducta planè confirmant. Verba prioris loci in *Iuchasin* fol. 141. hæc sunt. *In diebus Claudii Cæsaris contigit Historia Helenæ Reginæ, quæ Proselyta facta est ipsa & duo filii ejus Reges, quemadmodum in Libro Ben-Gorionis Longi, cujus hic est sermo &c.* Atqui tota Historia *Helenæ* Reginæ ferè ad verbum reperitur in Iosepho *Antiquitatum* XX. cap. 2. prout illam Hebraicè reddidit *Abraham Zacuth*. At verò in *Iosepho Hebræo* frustra illam quæras.

Alter locus à Serario citatus, ubi dicitur *Ben-Gorion Magnus*, sic se habet in *Iuchasin* fol. 14. *Sunt qui dicunt Simeonem justum habuisse nomen Iddo, filium Iehoshua Sacerdotis Magni, sed hoc non videtur in Iosiph Ben-Gorion. Animadversio. Dicit Semuel Shullam: Ego legi Ben-Gorionem Magnum, ubi dicitur, quod Sacerdos, qui erat tempore Alexandri, vocabatur Iddo. Vide illic.* Et revera si consulas Flavium Josephum Latinum *Antiquitatum* Lib. XI. cap. 8. invenies istum Pontificem vocari *Iaddum*, noster autem *Ben-Gorion* Lib. 1. cap. 5. pag. 37. illum *Chonia* appellat. Quæ loca attendens Joannes Drusius *De tribus Sectis Iudæorum* Lib. I. cap. 8 pag 23. inquit. *Sanè Flavius Iosephus in Libro Iuchasin, vocatur Iosephus filius Gorion, Magnus aut Longus.*

At verò quod omnem dubitationem tollit, idem R. Abraham Zacuth, Librum *Ben-Gorionis* nostri disertè *Brevem* seu Epitomam appellat, in Juchasin fol. 140. *In diebus ejus* (Tiberii Cæsaris) *contigit Historia Paulinæ libro sexto cap. 66*, voluit dicere 62. *Ben-Gorionis Brevis.* Deinde folio sequenti, postquam retulit Historiam *Petronii*, qui statuam *Caji Cæsaris* in Templo statuere volebat, subjungit: *Hoc inveni Scriptum in Ben-Gorione Longo* (En tibi Flavium Josephum) *quamvis etiam in Ben-Gorione Brevi qui est inter nos* (En Ben-Gorionem Hebræum) *reperiatur in Exemplari alio quodam; istud videbis Libro sexto cap. 63.* Vbi vides quod cum citat *Ben-Gorionem Brevem sive Curtum*, indicat Librum & capita prout in nostra Editione extant.

Denique R. Tham in sua Præfatione, postquam varias Authoris nostri editiones Hebraice, Græce & Latine factas commemoravit, ita concludit. *Porro hic liber, ille scilicet qui Amplior apud nos reperitur, hodie cum auxilio Dei typis excusus in lucem prodit.* Non appellat eum simpliciter *Magnum*, sed hoc est ut ita vertam ex Hebræo *Magis Magnum*, ad differentiam scilicet editionum præcedentium R. *Abraham Couath*, & aliarum si quæ fuerint, quæ nihil aliud quàm *Compendia* erant, ut alibi monuimus. Quo sensu R. *Abraham Ben-Dior*, editionis Lepusculi pag. 208. de eodem sic loquitur. *Qui composuit Librum Magnum de rebus Domus Secundæ, ex cujus summis ramusculis decerpsimus hunc librum.* Vbi *Magnum* sive *Majorem* illum dicit, respectu Compendii sui.

Sed ex nostratibus præter *Drusium*, habemus duos eximios viros, quos *Scaligero* & *Serario* opponamus, *Raymundum Martini* in Pugione fidei, à quo ut supra ostendimus, noster Ben-Gorion *Iosephon Abbreviator Iosephi* appellatur. *Ioannem Picum Mirandulæ Comitem*, cujus de *Iosepho Hebræo* censura tanto plus habet ponderis, quod ille rerum Judaicarum sui temporis callentissimus fuit. Is in Epistola ad amicum ignotum anno 1486. data, inter Opera Joannis Pici Mirandulani pag. 261. editionis Basileensis 1601. sic loquitur. *Quod petis de Iosepho, scias quod Iustus Iosephus apud Hebræos non reperitur, sed Iosephi Epitoma, id est Breviarium quoddam, in quo & multa sunt commentitia, & quæ de decem Tribubus ibi leguntur, quæ post Babylonicam captivitatem postliminio non redierunt, ea esse notha & adulterina, multi ex Hebræis mihi confessi sunt. Quapropter istorum Iosepho nulla fides adhibenda.* Quæ hic habet Mirandulanus *de decem Tribubus*, in *Ben-Gorione* nostro lib. 2. cap. 10. pag. 71. reperies, at in *Munsteriano Iosippo* nullibi.

Quoad illam Epitomam *Gorionidis*, quæ fictitio titulo Josippi inscribitur, quamque supra nihil aliud esse quam ipsum Libellum R. *Abrahami Ben-Dior* demonstr[illegible]imus: nusquam a Rabinis citatur sub nom[illegible]en. *Gorionis* aut *Iosippon Brevis*. Certe hoc opusculum laudatur a R. *David Kimchi* in suo Commentario ad *Zachariam XI. 1.* ubi Authorem appellat *Sapientem R. Abraham Levitam Toletanum, qui composuit librum Cobala.*

CAPVT

CAPUT QUINTUM.

CUJAS FUERIT JOSEPHUS GORIONIDES, ET QUO TEMPORE OPUS ISTUD COMPOSUERIT?

CErtum est Scriptorem fuisse Gallum seu Francum, 1. quod multis nominibus passim in Opere suo utatur, quæ Linguæ Francicæ ex vulgaribus ac vernaculis appellationibus desumptæ, in Latinam linguam translatæ Ita lib. 1. cap. 1. pag. 1. *Franci & Francia*, lib. 6. capite 64 pag. 280. *Francus* dicitur *gens fortis & valida*. Ibidem Gens *Borgonia populus robustus, & omnis terra Normania. Usque ad mare Oceani terra Britannia, finis terræ. Terra Danischi, qui habitant in terra Danmarka, qui delitescunt in medio fluctuum Oceani, ne serviant Romanis.* Hæ enim expressiones ex Gallica vulgari lingua adaptatæ, Gallum hominem denotant. Idem lib. 6. cap. 61. pag. 268. ubi Flavius Josephus Judæorum Historiographus *Galatas* pompæ funebri Herodis Magni adfuisse scribit, hic loco citato Gallos Galatarum nomini substituit post Germanos, „*Gallim qui sunt „Francus, hi omnes accincti gladio & induti loricis „& instructi ornamentis bellicis, flentes & lugentes „atque cum lamento ordine incedentes*„. Cujus autem provinciæ fuerit, non ita constans est. Nam Josephus Scaliger in *Elencho Trihæresii Serarii* cap. 4. hinc Josephum Gorionidem originæ Turonensem fuisse contendit, eo quid singularius lib. 1. cap. 3. pag. 7. Operis sui, de hujus provinciæ urbis *Turonibus, Ambosia & Chinonio* loquatur, quas nominibus *Turesch, Ambesa & Chinoch* designat, ac sibi subjecisse Aventinum Regem Romanorum Remuli successorem narrat. At cum semel tantum de hac provincia & istis urbibus loquatur, sæpius autem de Britannia & Britanibus: hinc argumentum validum, ipsum ex Britannia minori fuisse oriundum, deducitur. Primum enim lib. 1. cap. 1. pag. 1. originem Britonum a Japheto deducit. *He sunt familia filiorum Iepheth in terris ad quas dispersi sunt juxta linguas suas, juxta terras suas & juxta gentes suas. Tum Riphat ii sunt Bretonum, qui habitant in terra Bretania juxta fluvium Lira. Aqua autem Seina & Lira defluunt in mare Okeanus, quod est mare magnum.* Affectatio dandi antiquitatem tam magnam hujus Galliæ singularis provinciæ incolis, hanc fuisse sedem & originem Gorionis, suspicionem non locum injicit. Secundo dum describit imperii Romani amplitudinem lib. 4. cap. 23. pag. 129. & lib. 6. cap. 64. pag. 280. semper de Bretannia loquitur, quasi hæc provincia locum insignem in hac vasta Monarchia obtinuisset, cujus tanta portio minima tantum extitit. Tertio adducit lib. 6. cap. 88. pag. 394. sub Titi mandatis, *viginti millia virorum Britannia* ad obsidionem Hierosolymæ. Nec mirum porro videatur, quod Britannia natale Gorionis solum fuerit, cum in hac provincia seculis XI. & XII. Judæi in magno numero fuerint.

Jam, quo tempore Opus istud Josephi Ben-Gorionis scriptum sit, examinemus. Illud ad seculum IX. post tempora Caroli Magni Joannes Gagnier rejicit, uti supra diximus: Jacobus Basnagius non contemnendis rationibus, sub finem seculi decimi, vel seculo etiam undecimo eum vixisse statuit. Ego sub seculi XII. initium, opus istud conscriptum arbitror. Primum enim scriptor hic utitur vocibus, quæ ante seculum XII. non videntur fuisse in usu, neque usurpatæ a scriptoribus. Ita lib. 1. cap. 1. pag. 2. *Dodanim ii sunt populus Danischi, qui habitant intra urbes sitas in finibus seu Peninsulis maris Oceani in terra Dena.* Ibidem *Kravati quoque & Salaki*, seu *Valaki*, nam Cedrenus, qui seculo duodecimo scripsit, primus est, qui de *Kravatis* loquitur. Idem dicendum de aliis vocibus, quibus in hoc Opere passim utitur, ut *FRANTSA* pro Francia, *SEINA* pro Sequana, *LIRA* pro Ligeri lib. 1. cap. 1. paginis 1. & 2. *BORGONIA* pro Burgondia ibidem & lib. 6. cap. 64. pag. 280. & cap. 88. pag. 395. *Decem millia fortissimorum ex viris BORGONIÆ* dicuntur adfuisse obsidioni Hierosolymitanæ. *DANISCHI* pro Danis, de quibus lib. 1. cap. 1. pag. 2. & lib. 6. cap. 64. pag. 280. itemque *DANMARKA* pro Dania ibidem. Neque enim tot voces barbaræ atque ex idiotismis Gallicæ Linguæ Latinæ factæ, ante seculum XII. in usu fuisse scriptoribus videntur.

Secundo scriptor hic scripsisse mihi videtur post Expeditionem primam Occidentalium Crucesignatorum in Orientem, ad recuperationem Palæstinæ seu Terræ sanctæ contra Turcas, anno 1096. sub Urbano II. Romano Pontifice susceptam. Cum enim innumeri ex Gallis relicta patria ac dignitatibus in Orientem abiissent, plurimi ex ipsis hanc Expeditionem velut Domini bellum considerantes, ex eo reversi, de illo sub seculi XII. initium, circa annum millesimum centesimum decimum scripserunt; omnes fere Galli, ut Petrus Tudebodus Presbyter Sivracensis qui *De Itinere Hierosolymitano* opus composuit. Raymondus de Agiles Canonicus Podiensis & Comitis Tolosani seu sancti Ægidii Capellanus scripsit *Historiam Francorum qui ceperunt Hierusalem anno 1099.* Robertus Abbas Sancti Remigii Remensis, qui ex hoc itinere redux *Historiam Belli sacri & expugnationis Hierusalem libris novem* comprehendit, res gestas quinque annorum describens, ac in illa celebri victoria de Babylonio Ammiraviso apud Ascalonem post captam Hierosolymam victo ac prostrato, quæ anno 1099. ad diem 14. Augusti contigit, desinens. Cum igitur Christiani hanc expeditionem, velut *Bellum sacrum ac bellum Domini* considerassent, libros de illa conscriptos *De bello sacro* appellarunt, in quibus interdum magna barbaries ob propria nomina occurrit. Hos imitatus videtur

tur Josephus Ben-Gorion, qui etiam Judæus ex curiositate huic expeditioni adesse cum aliis ex Gallia potuit. Maximam enim partem Operis sui inscripsit *Bella Ichova*, librum nempe sextum aliis quinque prioribus ampliorem, capitibus LV. p. 189. a Capite 43. ad 97. Itaque alludere mihi videtur hoc titulo, ad libros *De bello sacro* a Christianis conscriptos, atque ita scripsisse hoc Opus, sub seculi duodecimi initium.

Tertio dum obsidionem Hierosolimæ a Tito factam describit, refert lib. 6. cap. 88. pag. 394. *electos esse ex turmis nationum illarum* quæ exercitum conflabant, *octoginta millia virorum, scilicet decem millia Macedonum, Viginti millia virorum Britannia, quinque millia Syrorum, decem millia virorum Africæ, decem millia fortissimorum ex viris Borgonia, quinque millia de filus Cedar, decem millia militum ex fortissimis Persarum & Chaldaeorum.* Atque his verbis alludere mihi videtur ad obsidionem Hierosolymæ a Godefrido Bullonienfi factam, quam obsederunt anno 1099. & expugnarunt octoginta circiter millia Occidentalium militum, qui ex omnibus illorum gentibus electi ad obsidionem urgendam collecti fuerant.

Quarto dum libro 6. cap. 77. pag. 341. & sequentibus describit inaugurationem Vespasiani in Imperatorem Romanorum talia habet, quæ nequaquam conveniunt coronationi factæ Vespasiani dum Imperator factus est, sed quæ fictitia mere sunt, nec ab nullo unquam observata, indeque recentissimum scriptorem subolent, cum de servandis Romanæ Vrbis privilegiis mentionem faciat. Recte autem convenire posse mihi videntur electioni Godefridi Bullonii in Regem Hierosolymorum, quæ facta fuit de consensu Patroni seu Papæ occidentalis Ecclesiæ, suffragantibus electioni septem Occidentis Regibus qui ad Expeditionem transmarinam, milites ex suis regnis singuli miserant. Item consentientibus potissimarum nationum septem Præfectis, cum subpræfectis inferioribus. Itant quæ illic habentur, nec ad Vespasianum nec ad Carolum Magnum, nec ad Othonem I. aut II. Romæ inauguratos spectent, sed ad Godefridum Bullonium, de consensu omnium Occidentis Regum & Romani Papæ, anno 1099. Regem Hierosolymis declaratum & acclamatum. Nam *Hierosolyma* est *Roma Judaeorum*, & caput Regni illorum interum, ut dicunt, restituendi.

Quinto Nullus est probæ notæ scriptor etiam inter Judæos & Rabbinos, qui ante seculi XII. medium Josephi Ben-Gorionis mentionem faciat, Vnde illum sub seculi XII. initium floruisse conjicimus. Rabbi *Salomon Jarchi* qui anno Christi 1140. florebat, primus est qui diserte citat hunc librum sub nomine JOSIPPON vel *JOSEPHI BEN-GORIONI*, & ex eo authoritates adducit, quarum loca habet Joannes Gagnier infra in Testimoniis editioni suæ præmissis. Rabbi *Abraham* filius *Meir*, dictus *Aben-Eiza*, qui in urbe *Rhodo*, anno ut ipse ait in fine ejusdem Commentarii 916. juxta minorem supputationem, hoc est anno Christi 1156. Commentarium suum in *Danielem* scripsit, hunc quoque Librum *Josephi Ben-Gorionis* citat. Rabbi *Abraham Den-Dior*, qui Librum *Cabala* anno 921. supputationis minoris & Christi 1161. composuit, ut planum fit ex libro ejus ad seculum *Seburaeorum*, non modo Authorem frequenter laudat, sed etiam ejus librum in compendium redegit. Illud tamen animadversione dignum est, quod in prima parte, quæ proprie *Cabala* nomine insignitur, nullibi citatur *Joseph Ben-Gorion*, contra quam putavit *Munsterus*. Rabbi *David Kimchi*, qui circa annum 950. supputationis minoris, Christi autem 1190. Syntagmata sua composuit, laudat librum *Josephi Ben-Gorionis*, Commentario suo in *Haggaum*. Hæc de scriptoribus Judæis, ut habet Joannes Gagnier in præfatione ad editionem a se factam pag. 28.

Sexto Impostor hic idem mihi Scriptor Judæus videtur, qui sub falso nomine *JOSIPPI* seu *HEGESIPPI* Apostolicorum temporum proximi, *LIBROS QUINQUE DE BELLO JUDAICO ET URBIS HIEROSOLYMITANÆ EXCIDIA* Latine conscripsit, editos Coloniæ anno 1578 in 8. Nam ut in Opere, de quo loquimur, affectat hic impostor passim *nomen JOSEPHI seu JOSIPPI BEN-GORIONIS*; ita idem in hoc Opere secundo, eandem semel nominis imposturam affectat, ut nullum fit dubium, quem utrumque opus à Judæo aliquo ad fraudem posterorum & deceptionem conscriptum fuerit, atque ex eadem officina processerit. Porro hic *JOSIPPUS* seu *HEGESIPPUS* dum libro 3. cap. 5. *Antiochiam* vocat *Persarum quondam caput, nunc repulsorium:* ætatem suam novissimam ostendit, alludit enim ad *Antiochiæ* occupationem ab Occidentalibus Crucesignatis anno MCXVIII. factam, in Expeditione prima Occidentalium ad Palæstinam & Syriam ex Arabibus recuperandas, ut late ad annum MCXX. verbo *PSEUDO-HEGESIPPUS* vel *PSEUDO-JOSIPPUS* diximus. Noster igitur *JOSEPHUS seu JOSIPPUS BEN-GORION* ejus ætatis est, qui seculi 12. initio scripsisse videtur.

CAPUT SEXTUM.

DE VARIIS LIBRIS A JOSEPHO BEN-GORIONE COMPOSITIS.

Jam ergo, inquit Joannes Gagnier in Præfatione ad Lectorem editionis a se adornatæ paginis VIII. IX. & X. ut ad ipsum Opus integrum veniamus, quod nunc ex Hebræo versum publici juris facimus: sciendum est in genere BEN-GORIONEM nostrum lib. 6. cap. 55. pag. 243. asserere, *se multos Libros scripsisse, ac præcipue Libros Sapientiæ, qui quidem*, inquit, *repe-*

„*reperiuntur apud Romanos & Græcos:* quos omnes, ſalum de quibus loquitur, quantum quidem ex variis hujus Operis locis colligere licuit, propriis ejus verbis ordine recenſebimus.

„Primo ait lib. 5. cap. 42. pag. 188. ſe ſcripſiſſe *TEMPORE JVLII CÆSARIS*, Librum univerſam *Romanam* Hiſtoriam cnntinentem. En ejus verba: *Reliqua autem verba Hiſtoriarum omnium Conſulum, qui dominati ſunt Romæ ab eo tempore quo Romani ſupremam poteſtatem conſtituerunt in manu Conſulis, etiam Hiſtoria cujuslibet Curiæ Senatorum, qui vixerunt tempore cujuslibet Curiæ, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro meo? Ego nempe ſum Joſeph Ben-Gorion Sacerdos, qui & appellatus ſum Joſephus. quem quidem librum ſcripſi TEMPORE JVLII CÆSARIS.* Librum iſtum alibi, nempe lib. 1. cap. 3. pag. 27. dicit ſe compoſuiſſe in gratiam Romanorum. *Reliqua autem geſta ejus* (Cyri) *nonne ſcripta ſunt in Libro Medorum & Perſarum, ac etiam, in libro meo, Ego ſum Joſeph Sacerdos filius Gorionis Sacerdotis, quem ſcripſi Romanis? qui quitem Liber appellatur IOSEPHVS. Ego autem ſum ille Ioſeph Ben-Gorion, quem captivum abduxerunt Titus & Veſpaſianus ab Hieroſolymis.* Appellat quoque lib. 5. cap. 36. pag. 171. Librum ſuum Magnum, quem ſcripſit in gratiam *Senatus Romani.* Audiamus. *Iſta autem deſcripſi &c. in LIBRO MEO MAGNO, quem ſcripſi Senatoribus Romæ.*

„Quisnam ſit iſte Liber, & qua lingua ab Authore ſcriptus fuerit, explicat Rabbi Tham in ſua Præfatione, hoc modo. *Ecce autem iſte idem Author, in gratiam Romanorum compoſuit Librum, id eſt Commentarium longe iſto* (Hebraico) *majorem, continentem Hiſtorias Regum illorum, & rerum quæ apud ipſos contigerunt, ſcriptura & lingua eorum: qui Liber apud eos appellatur* GOSIPPVS MAJOR, *cognominatus* JOSIPPON MAGNVS.

„Huic magno Libro per modum appendicis, ut videtur, ſubjunxerat Prophetias de futuro caſu & ruina *Romæ*, ſed quod dolendum, hæc pars Libri nobiliſſima injuria temporem deperdita eſt, vel alicubi in ſcriniis *Iudæorum* deliteſcit. Sic autem de illa loquitur Lib. 5. cap. 42. pag. 188. *Præterea ſcripſi in eo omnes Eventus, qui debent, contingere illi* (Romæ) *ex decreto divino poſt mortem meam, donec tandem deſoletur & penitus devaſtetur, quemadmodum accepi ex ore Sapientium Iſraël, qui proxime ad Prophetas acceſſerunt, atque etiam ex ore Sapientum Gentilium, qui ſunt veraces in ſapientia ſua.*

„2. Idem libro 6. cap. 55. pag. 237. librum quemadmodum ſapientiæ à ſe ſcriptum commemorat. *Reliqua autem verba quæ huc ſpectant, nonne ſcripta ſunt in libro Ioſippon Sacerdotis filii Gorionis, cui titulus eſt*, LIBER SAPIENTIÆ JOSEPH. *Quo in libro Ioſippon nullam mentionem fecit bellorum, ſed tantummodo memoria tradidit Sapientiam.*

„3. Idem lib. 6. cap. 55. pag. 243. *Scripſit etiam* (ipſius verba ſunt) *Librum Correctionum & Accuſationum, in quo Ioſephus ſcriptor redarguit & corrigit Scriptores Gentilium, qui male loquuti ſunt contra Iſraelem, & profert in eo adverſus illos Reſponſiones multas, quibus prævalet & ſuperat eos: in quo etiam bene loquitur de populo ſuo, & cognatione ſua quantum potuit, & ſas ei fuit loqui coram omnibus eruditis & ſcientibus Legem & judicium.*«

4. Denique ſcripſit hunc ipſum librum, quem jam habemus præ manibus, in Iſraelitarum gratiam, quod & diſertis verbis teſtatur lib. 1. cap. 3. pag. 27. *Hunc vero Librum Ego Ioſeph Ben-Gorion Sacerdos* ISRAELI *ſcripſi, & ea, quæ in illo ſcripta ſunt, Ego ipſe conſcripſi.* Alibi lib. 5. cap. 39. pag. 182. dicit ſe *Populo Iehovæ* librum ſcripſiſſe: Alibi lib. 6. cap. 45. pag. 198. *Vniverſis Senioribus Iſraël.* Deinde poſtquam Opus ſuum in Libros ſex diſtribuit, & ſingulorum argumenta diligenter contexuit, qua lingua illos exaraverit, ſic lib: 1. cap. 3. pag. 28. declarat, *Porro ſex libros iſtos ego ſcripſi Lingua Iudaica:* quin etiam toti Operi impoſuit, videlicet JOSIPPON *lingua Iudaica, Lingua autem Græca* Ιωσηπ©, *denique Lingua Romana* GOSIPPVS: *Quia*, inquit, *ita effertur* nomen meum apud illos.«

De hoc quoque libro Rabbi Tham affirmat, *quod apud Græcos reperiatur ex lingua ſancta translatus, a quibus appellatur* Ιωσηπ©, *transtulitque eis Strabo ſcriptor. Invenitur etiam ex Hebræo in Romanum ſermonem verſus apud Romanos, a quibus appellatur GOSIPPVS, quem vertit Gregorius Antiſtes magnus inter Antiſtites Romanos, qui & plurimum Judæos amavit, in diebus Sebaſtiani Cæſaris.* De hoc *Sebaſtiano Cæſare*, ſub quo Gregorius Antiſtes vixit, vide quæ habet R. *Abraham Ben-Dior* parte 2. *Cabala ſua*, quæ eſt *De Regibus Romæ.*«

Denique omnium fere librorum ſuorum collectionem facit *Ioſephus Ben-Gorion* lib. 6. cap. 55. pag. 243. his verbis. «Porro illa quæ ſcripſimus de opere ædificii domus & fabrica ejus, pauca quædam ſunt ex longe pluribus: nam fabrica ingens fuit fabrica illius, neque hic deſcripſimus vel medietatem hiſtoriæ, imo nec tertiam partem. At in libro quem ſcripſimus *Romanis*, deſcripſimus univerſam fabricam. *Ioſephus* autem Sacerdos, filius *Gorionis* Sacerdotis, teſtatur ſe non in uno libro tantum, deſcripſiſſe opus ædificii Domus. Ecce enim deſcriptum eſt in libro *Bellorum Iehovæ*, & etiam in *Libro Sapientiæ* ejus, quia multos Libros ſcripſit, ac præcipue *Libros Sapientiæ*, qui quidem reperiuntur apud *Romanos & Græcos.* Scripſit etiam *Librum Correctionum & Accuſationum*, in quo *Ioſephus Sacerdos ſcriba* redarguit & corrigit Scriptores Gentilium, qui male loquuti ſunt contra *Iſraël*, & profert in eo adverſus illos Reſpoſiones multas, quibus prævalet & ſuperat eos: in quo etiam bene loquitur de populo ſuo & cognatione ſua, quantum potuit,

&

„& fas ei fuit loqui, coram omnibus eruditis, & „scientibus legem & judicium. Hæc de diversis JOSEPHI GORIONIDIS libris, ex Gorionide ipso collecta sunt: nunc de variis MSS. Codicibus, ac variis editionibus Operum illius agendum superest.

CAPUT SEPTIMUM.

DE VARIIS MSS. CODICIBUS ATQUE EDITIONIBUS OPERIS JOSEPHI BEN-GORIONIS.

INtegrum hoc caput nobis suggereret Johannes Gagnier in Præfatiune ad editionem a se factam anno 1706. Oxonii in 4. *Historia Judaica* Josephi hujus Gorionidis, a pag. 3. ad 8. usque, „cum his dici nihil rectius possit. „Editio hu„jus Operis ptima Constantinopolitana fuit „anni Christi 1490. Quod attinet ad illud *Ex„emplar Constantinopolitanum* Hebraice à Judæis „illius urbis impressum, ad quod *Munsterus* pro„voeat, quodque fideliter secutum se palam „profitetur, celavit nos idem *Munsterus* quo an„no editum fuerit, ac qua ratione id fecerit, ig„noro. Sed verum editionis istius tempus à „Bartoloccio discimus, qui *Bibl. othec a sua Rab„binica* pag. 732. ubi de *JOSEPHO BEN-GO„RIONE* agit, sic loquitur. *Sebastianus Mun„sterus ex Constantinopolitano Exemplari anno Mun„di 5250. minoris supputationis, anno Christi 1490. „(Libros quinque) Latinos fecit & Annotationibus „illustravit, excusos Basilea apud Henric Petrum an„no 1541. in fol.* Illam autem anni 1490. editio„nem, ut suspicor, *R. Abraham Conath* Medi„cus Constantinopolitanus euravit: quod fa„tis innuit Munsterus, eum istius Rabbini de „*JOSEPHO HEBRÆO* elogium, à nobis supra „ex parte allatum, suæ Præfationi inseruit. „Hæc eadem edito *R. Abraham Conath*, cum al„tera ejusdem, laudatur à *R. Azaria de Rubeis* „in suo *Meor Enaim*, parte dicta *Imre Bina* cap. „19. cujus verba vides is ad calcem hujus Præ„fationis inter Testimonia cæterorum de *Jose„pho Hebræo.*

„Illud itaque est ipsum Exemplar, quod pas„sim apud *Judæos Germanos* tempore *Munsteri*, „sicut ipse inquit, inveniebatur. Et revera est, „*Iosephi Hebrai* antiquissima omnium edito, quæ „ab *Abrahamo Conath* vel alio quovis Judæo in „Compendium redacta, per *Germaniam* à Judæ„is circumferebatur, ut fucum Christianis fa„cerent, refectis nimirum nonnulis quæ nimi„rum fabulosa videbantur. Quæ fraus tam „bene eis fuecessit, ut ipse *Munsterus* illud opus „pro pretiosissimo Thesauro, tanquam genui„num magni illius *Flavii Josephi* Historici gra„vissimi fœtum ambabus ulnis acceperit, ac de„inde totis vitibus orbi Christiano idem per„suadere conatus sit, rejectis tamen iis quæ ad„huc nimium Fabulosa censuit. Ejus rationes in„fra ad examen revocabimus, postquam quid à nobis in hac nostra editione præstitum sit, pau." lo fusius ostenderimus."

Anno igitur Mundi 5270. minoris supputa" tionis Christi 1510. id est post priorem editio" nem viginti annis, *Judæi iidem Constantinopoli" tani* opus integrum *Josephi Hebrai*, sex libris &" 97. capitibus contentum, sub titulo JOSIP-" PON typis evulgarunt, editore quodam *R." Tham ABEN JECHAIA*, qui animadversio" nem ad calcem subjecit, in qua Lectorem in" struit de nomine, genere, & nobilitate Au" thoris, utilitateque istius operis, imo priorum" eriam editionum his verbis mentionem facit," *Quæ quidem omnia liber iste, quem nunc edimus," methodo laudabili, & longe perfectiori quam cæte" ra priores editiones, idque ordine elegantissimo in" se continet.* Idem *Rabbi Tham* se etiam profi" tetur authorem *divisionis hujus Operis in Libros. seque singularis Libris argumentum in eo contenta" rum apposuisse, sicque viam seu methodum illas in" veniendi faciliorem quam antea reddidisse.* Quod" quidem iste editor facit, partim juxta ipsius" Authoris designatiunem, qui libro 1. cap. 3." pag. 27. & 28. totum Opus suum in sex libros" distribuit, & singulorum librorum argumenta" proponit. Mirum igitur videtur, *Munsterum*" aliam prorsus divisionem secutum fuisse, nisi" forsan illam editionem recentiorem non vide" rit, quod illius gratia eredo quidem non illi" benter."

Alia editio longe accuratior & elegantiori" bus typis Hebraice impressa prodiit Venetiis," anno Christi 1544. minoris supputationis" 5304. Atque ea est, quam nos in hac nostra" translatione potissimum secuti sumus: nam" *Cracoviana editio* anno mundi minoris supputa" tionis 5355. Christi 1595, a Veneta nihil dif" fert. Illam autem *Venetam* cum *Constantino" politana* accurate contulimus, & ubicunque" in rebus alicujus momenti ab invicem discre" pant, vel in Notulis ostendimus, vel ad cal" cem totius Operis rejecimus. Eandem Constantinopolitanam integram editionem & Cracoviensem sequitur quæ anno MDCXC. Francofurti prodiit, cui etiam Germanicam typis Hebraicis Tiguri anno MDXLVI. impressam, quæ postea Amstelodami anno MDCLXI. eum Commentario ejusdem Linguæ prodiit, addere licebit. Hæc de integris editionibus Historiæ Judaicæ *Josephi Ben-Gorionis.*

Jam ad MSS. Codices veniamus, quos Jo" hannes Gagnier his verbis recenset. *Ray" mundus Martini* Codiee MS. usus est tam *Con" stantinopolitana* anni 1510. quam *Veneta* & *Cra" coviana* editionibus impressis simili, ut colligi" tur ex variis testimoniis quæ ex *Josephon Ab" breviatore Josephi* ut appellat, in medium pro" ducit parte 2. *Pugionis fidei* cap. 3. pag. seu fol." 220. editionis Parisiensis & cap. 4. fol. 260." quæ etiam in hac nostra editione reperiuntur" totidem sententiis cap. 3. pag. 10. & cap. 91."

pag.

„pag. 414. nisi quod in dictionibus aliqua differentia occurrit, five additione, five permutatione, five etiam omissione. Tales ex variis „MSS. citationes videre est in *Aben Ezra*, *R. Salomonis Jarchi*, *R. Davidis Kimchi* aliorumque „Commentariis, & Historicis Libris *Juchasin*, „*Tsemach David* &c. quorum verba inferius in „Testimoniis afferemus. Extat quoque in Bibliotheca Vaticana referente Bartoloccio, nostri Authoris Codex MS. pergameneus sub „num. 408. *Ubi*, inquit ille pag. 72. b. & 81. „*circa principium citatur praedictus Flavius Josephus Historicus, & passim regiones Italiae & Galliae modernis nominibus nominantur, uti Lombardia, Apulia, Francia &c. ut videre est in ipsius libri exordio.* Quae omnia exacte conveniunt cum „impressis editionibus: nullibi vero *Josephus* „citatur sub praenomine *Flavii*, quod Bartoloccius de suo inseruisse videtur.

„ Baronius tomo 1. *Annalium* ad annum 34. „pag. 215. asserit *Testimonium Josephi de Jesu* „*Christo* (Antiquitatum lib. 18. cap. 4) *in pervetusto Judaeorum Codice, in quo Josephi Historia e Graeco in Hebraicum translata antiquitus scripta fuit, cum Roma requireretur, abrasum inventum esse: adeo ut nulla ad excusandum scelus posset afferri defensio cum membrana ipsa id exclamare videretur.* „Hunc pervetustum Codicem eundem esse, cujus antea Bartoloccius meminit, admodum „verisimile est. Quod autem Historia illa *Josephi* e Graeco in Hebraicum translata sit, id a „Baronio perperam dictum, probabimus. „Complura quoque exemplaria hujus Authoris „extitisse olim in Anglia, cognoscimus ex loco „*Sylvestri Gyraldi Cambrensis* in libro *De institutione Principis* apud Clarissimum Thomam Galeum, nondum edito, ut refert Guilielmus Cavus *Historia literaria Scriptorum Ecclesiae* parte secunda pag. 18. *Robertus Canutus dictus, Prior S. Fridiswidae apud Oxoniam, Hebraice doctus, in duobus Exemplaribus Josephi Hebraice scriptis invenit testimonium de Christo, in aliis nuper erasum: quod & Judaeis Oxoniae degentibus postea usum fuit.*„ Claruit non circa annum 1170. sed post annum 1120. ut infra contra Cavum probabimus, de quo vide Baleum Centuria 3 cap. 4. pag. 213.

„Sequitur ut jam de Compendiis scriptoris „hujus dicamus, quorum potissimum illud „quod Munsterianum dicitur, de quo pluribus „a me dicendum superest. Non pauca autem „extant hujus generis Compendia tam impressa quam MS. variis linguis, sed Hebraice & „Arabice praesertim, de quibus postea loquemur. Ante omnia celeberrimum est illud, „quod sub titulo *Josippi* nescio cujus, Hebraice „simul & Latine, ejusdem Sebastiani Munsteri „opera, Vormatiae anno 1529. in 8. apud Petrum Schaefer, cum hac inscriptione *Compendium Historiarum Josephi*, complectens Acta *LXX. Interpretum*, Gesta *Machabaeorum*, facta *Herodum*, *Excidium Hierosolymitanum & decem captivitates*, prodiit.„ Compendium tantum Constantinopolitanae editionis est & brevissimum a Judaeo quodam concinnatum, & a Munstero Latine redditum. Observat autem Morinus *Exercitationum Biblic.* lib. 2. Exercit 1. cap. 3. qui Wormatiensem editionem cum editione Constantinopolitana secunda contulit, auctorem illius Compendii, addidisse nonnulla ex aliis Authoribus, nempe traditionem Talmudicam de tredecim mutationibus a LXX. Interpretibus in Bibliorum translationem illatis, quarum nulla mentio in Editione Constantinopolitana extat: a qua Compendium hoc etiam in eo discrepat, quod solam Legem a septuaginta Interpretibus translatam asserat, cum in Constantinopolitana editione *Viginti quatuor libri*, hoc est, omne vetus Testamentum, translati asserantur. Hoc idem Compendium rursus edidit, cum aliquot collectaneis *Sebastianus Lepusculus*, Basileae anno MDLIX. illud citat frequenter *Munsterus* sub nomine *IOSIPPI* in Annotationibus suis, sed quis iste *IOSIPPUS* fuerit, aut quo tempore vixerit, neque ipse *Munsterus* neque *Lepusculus* docent. Authorem hujus Compendii Joannes Gagnier in Praefatione ad editionem suam *Josephi Ben-Gorionis* pag. VII. contendit esse virum magni nominis Judaeum *R. Abrahamum Levitam Ben-Dior*, qui anno Christi 1161, apud Judaeos florebat. Atque hac de re quam detexit, altissimum esse apud scriptores Judaeos silentium.

Post Wormatiensem editionem *Munsterus* iterum aliam Basileae anno 1541. vulgavit, quae ut Morinus indicat, a Constantinopolitana nihil differt, nisi quod plus media parte mutilata est. Desunt enim in Munsteriana editione, duo priora capita libri 1. cum non mediocri parte capitis tertii, & cum editio Constantinopolitana libris 6. & 97. capitibus constet, Munsteriana in Capite 63. finitur, adeoque totam Historiam rebellionis Judaeorum adversus Romanos, natamque inde Urbis & Templi excidium omittit: ut caeteras mediorum capitum mutilationes taceam, in quibus ut membrum divulsa melius cohaererent, *Munsterus* nonnulla verba seu periodos textui asserit. Et postremam quidem partem, quae de bello Judaico agit, in Munsteri Manuscripto plane defuisse suspicatur Morinus, cum nobilem istam Josephi partem omissurus non fuisset, nisi lacerum & extrema sui parte mancum Exemplar habuisset. Verum S. Morinus Munsterianae editionis titulum inspexisset, legere ibi potuisset, Munsterum etiam Historiam belli Judaici & excidii Hierosolymitani Hebraice a Josippo scriptam habuisse, quippe quam se alio tempore adjecturum Lectoribus promittit.

Extat in Bibliotheca Bodlejana Codex Hebraicus MS. chartaceus inter *Huntingtonianos* num. 345. cum hoc titulo *Josippon Ben-Gorion*, in quo nihil aliud quam *Excidium Hierosolymitanum* describitur. Incipit autem ab anno primo *Vespasiani*, & vigesimo *Agrippae Regis*.

„In fine ait Abbreviator *Titum* dedisse *IOSEPHO* Insulam quandam in medio *Tiberis* sitam „in ipsa urbe *Roma*, in qua *Iosephus* domos pro „sua familia & synogogam construxit. Scriptus fuit Codex a desolatione DOMUS 1393. „qui est annus Christi 1461.

„ Nec silentio præteriri debet insigne aliud „Compendium Arabice scriptum, eo magis „consideratione dignum, quod impressum est „ad calcem Bibliorum *Polyglottorum* editionum „*Parisiensis & Londinensis* cum inscriptione ista, „*Liber Machabaorum Secundus, & translatione Hebræorum*: de quo vide Præfationem quæ huic „libro ab Editor. *Parisiensibus* præfixa est. Certum quoque est istud Compendium ex nostro „*Ben-Gorione* desumptum, quod cuivis conferenti facile erit judicare. Sed hoc ipsi Editores non animadverterunt, ne quidem suspicati „sunt.

„ Duos alios Codices MS. Arabice vidi in Bibliotheca Bodlejana, quorum unus in 4. qui „fuit CL. D. Marschalli num 139. orditur narrationem ab ipso Adamo usque ad Excidium „Templi secundi. Scriptus fuit, ut ultimo folio notatur, anno 1223. Alter in fol. qui fuit „CL. Roberti *Huntington* num. 238. Incipit ab „Historia *Tsephonis* filii *Eliphaz*, filii *Esau*, & desinit quoque in Excidio Templi. In utroque „Author appellatur *Ioseph* filius *Carion* sed de „hujusmodi Compendiis parum interest ulterius inquirere, cum certum sit omnia illa ex „Hebraico fonte instar rivulorum deducta fuisse. Quare si quæ alia ejusdem generis in aliarum bibliothecarum delitescant forulis, ea „studiosorum curiositati indaganda relinquimus. Hæc Johannes Gagnier loco citato.

CAPUT OCTAVUM & Vlt.

GUILLELMI CAVI INCONSTANTIA ATQUE ABSURDITAS CIRCA JOSEPHUM GORIONIDEM SEU PSEUDO-HEGESIPPUM OSTENDITUR.

Agit Guillelmus Cavus de Joseppo seu Josepho Gorionide seu Hegesippo tribus locis *Historia litteraria*, quæ, si vingantur simul, maximam viri inconstantiam & Levitatem animi ostendent: Cujus ipsissima verba hic referam. Primo loco Tomo I. seu Parte I. *Historia literaria* ad annum 67. pag. 22. ubi ita loquitur. „Cæterum hic loci non inutile erit „Lectorem de Josepho Gorionide, pauca quædam docere. Josephus sive Josippus iste, qui „dum nugas suas pro genuino Flavio Josepho „apud populares suos venditare voluerit, stolide hallucinatus se Gorionis filium dixit, Judæus aliquis Gallicæ gentis ex agro Turonensi fuisse, & post annum Christi sexcentesimum „scripsisse videtur Scaligero *Tribæreson Elencho* „cap. 4. & 5. cui fere per omnia succinit Vossius *De Historicis Græcis* lib. 2. cap. 8. Scripsit „Hebraice *Compendium quasi quoddam Flavii Iosephi Historiarum, Acta LXX. Interpretum, Gesta Maccabæorum & Excidii Hierosolymitani* narrationem complexum, quod ex Latino Rufini» excerpsit. Insulsus admodum & inficetus scriptor, qui inscitiam suam & imposturam fere» ubique prodit: ex quo tamen solo quæcunque de Machabæis & Excidio Hierosolymitano habent, Judæi scriptores accipiunt. Primi» ediderunt Judæi Constantinopoli Hebraice,» inde Sebastianus Munsterus (omissis tamen fabulis plerisque putidioribus) Hebraico-Latine» cum Notis, Wormatiæ 1529. & Basileæ 1541.» Prodiit etiam Hebraice Venetiis 1544. & Cracoviæ 1589. Fusissime de eo agit CL. Usserius *Bibliotheca Theologica* MS. pag. 116. &c.»

Iterum de eodem Parte I. ad annum 374.» pag. 216. Hegesippus, qui, qualisve fuerit, Eruditis inter se non bene convenit. Liceat» nobis de eo, ejusque Libris, tria in medium proferre. 1. *Historiam de excidio Urbis Hierosolymitana*, quæ ejus nomine circumfertur, videri» solummodo laxiorem Josephi versionem:» pauca quippe apud illum habentur, quæ in» Josephi libris partim *De Antiquitatibus Hebraicis*, partim *De bello Iudaico*, non reperiuntur.» 2. Hegesippi nomen ex Josippi, idque à Josephi» nomine formatum esse: quam in rem apposite notat Paulus Colomesius, in membranis» pervetustis CL. Isaaci Vossii eraso Josippi nomine Hegesippi substitutum comparere. Et» in Bibliothecæ Ambrosianæ Codice MS. Libro V. hic titulus præfigitur: JOSEPPI LIBER QUINTUS. 3. Horum Librorum Authorem sive potius *Interpretem* fuisse D. Ambrosium, saltem D. Ambrosii Synchronon.» Ambrosii esse, præter Codicum nonnullorum» fidem (& in his eximiæ vetustatis Codicis MS.» quem Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana» vidit R. Pater Mabillonius *Itineris Italici* pag.» 14. ubi mutilo libro primo secundus hanc notam habet, INCIPIT SECUNDUS. *Ambrosius Episcopus e Græco transtulit in Latinum*) arguunt ingens styli Ambrosiani & Hegesippiani» paritas, eædem phrases ab utroque frequentatæ, eædem verborum argutiæ, utrique in delitiis habitæ: quod sexcentis fere locis utrinque productis, fusissime comprobat Johannes» Fredericus Gronovius, *Observationibus* in Scriptores Ecclesiasticos. Utut sit, constat Authorem fuisse Ambrosii æqualem, & vergente» hoc seculo claruisse. Stante enim adhuc &» florente apud Orientem Imperio Romano vixisse, ipso sæpius id innuente constat. Nec minus certum est, cum post Constantini tempora scripsisse, quippe qui Constantinopolis &» Novæ Romæ mentionem sæpius faciat. Quin» & Scotiæ & Saxoniæ provinciarum nomina apud eum deprehensa, ad declinantis seculi hujusce finem, illum non obscure revocent. Cæterum monendus est Lector *Anacephalæosin*» Historiæ hujusce fini subjonctam, eundem» quem Historia auctorem non agnoscere, sed» putidi cujusdam ac insulsi consarcinatoris opus

„pus esse. Extat ista *Historia* libris quinque „distincta Parisiis 1511. Coloniæ 1581. fol. Cum „Scholiis Gualtheri Coloniæ 1575. in 8. Et in „Laurentii de la Barre *Historia Christiana* pag. „399. Parisiis 1585. in fol.

Præter has quatuor editiones hujus operis Latinas, quas Cavus recenset, habeo alteram in fol. Coloniæ anno 1544. cui præfigitur Epistola dedicatoria Philippi Melanchtonis apud Jasparum Gennepæum factam, cujus post Librum V. habetur *Recapitulatio* seu *Anacephaleosis* operis totius, sed ab homine Christiano conscripta, ut constat ex glorificatione Trinitatis, qua illam concludit.

Joseppus iste Gorionis filius, natione Gallus, patria Turonensis, relicta Gallia, in Orientem cum aliis Crucesignatis circa annum 1110. perrexit atque lares suos Constantinopoli fixit, ubi Historiam hanc *De bello Hierosolymitano* modo scribendi Judaico, ist est obscuro & contecto, linguis duabus conscripsit, *Hebraica* quam velut Judæus noverat, & *Latina* quam in Gallia didicerat ad usus suos. Vnde absurdi illi & hahetes sunt, qui volunt Libros istos ab *Ambrosio Episcopo e Græco in Latinum translatos*, uti de MS. Codice Ambrosianæ Bibliothecæ narratur. Qua enim ratione transtulisset *Ambrosius* opus istud in Latinum, cum ab auctore ipso Josepho Gorionide, post annum 1120. Hebraice simul & Latine compositum fuerit: Ambrosius qui anno 370. florebat, non poterat transferre librum hominis, quem seculo duntaxat XII. post annum 1120. scripsisse, constat. Apage Cavi nugas istas atque Pontificiorum, qui hominem hunc seculi XII. scriptorem fuisse, nunquam adverterunt. Joannes Kyberus Heidelbergensis Melanchtoni coævus, circa annum 1550. contulit Exemplar suum editionis 1544. in folio, cum MS. Codice Bibliothecæ Palatinæ in 4. qui ætatem Joseppi auctoris antiquitate sua referre videbatur. Hoc Exemplar in manus meas venit cum Kyberi collationibus ex Bibliotheca CL. viri Caroli Drelincurtii, hujus Academiæ Lugduno-Batavæ doctissimi Medicinæ Professoris. Variationes Lectionum ex MS. Codice, à dicto Kybero diligentia summa huic Exemplari a capite ad calcem, adjunctæ sunt marginibus. Titulus Operis in MS. Codice Palatino, *Historia belli Judaici per Ioseph Hebræum Gorionis filium.* Rubrica Prologi, *Incipit Prologus viri disertissimi Egesippi de excidio terræ Hierosolymitanæ.* Titulus libri primi. *Incipit Liber Egesippi Apostolorum discipuli, disertissimi & Apostolici viri, de Excidio Hierosolymæ à Romanis.* Ad librum primum hæc Kyberus, *MS. non agnoscit capitum distinctiones.* Ad finem libri quinti, *MS. Codex, Explicit Liber quintus Egesippi Historiæ de Excidio terræ Hyerosolimitanæ.* Anacephaleosis autem calci Operis subjuncta, in MS. Codice Palatino deerat. Hæc ex Collatione Davidis Kyberi Heidelbergensis.

Tandem Guillelmus Cavus Tomo 2. seu

Parte 2. *Historia literaria* ad annum 420. facinore heroico tertium nobis *Iosephum* ab anterioribus distinctum ex Judæo fine baptismate Christianum ab ipso factum nobis & Orbi litterario obtrudit, de quo ita paucis: „*Iosephus ortune Iudæus incertum, scriptor certe Christianus, claruit,*" *si in re omnium obscurissima hariolari fas sit, circa*" *annum CCCCXX.*" En Cavi oraculum, quod *delirium* critici rectius appellabunt. · Nec istud per transennam, sed amplificatione longa per multas paginas prosequitur. Quisquis sit, contexuit Commentarium, quem ὑπομνηστικὸν seu Commonitorium inscripsit. „In quo id præcipue agit, ut dubia breviter solvat, quæ" rudiores Christiani, minusque in sacra Histo-" ria exercitati proponere poterant. Opus in-" tegrum in V. libros & Capita CLXVI. divi-" sum est: etsi in ipso Opere libri *tertii* nulla" habeantur vestigia. Titulus operis, ut & pri-" mi capitis literis miniatis descriptus est. ὑπομνηστικὸν βιβλίον Α. Ἰωσήππου. ὅσαι γεγόνασιν" ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ, ἕως τῆς τοῦ Σωτῆρος παρουσίας" γενεαί. Est postea, Cum vero Josephi nomen" in fronte Libri compareret, iterumque cap." CXXV. nec pauca ex Operibus ejus excerpta" fuerint: inde nomen illi Josephi adhæsisse, &" ut ab antiquo illo Judæo distingueretur, à re-" eentioribus *Josephum Christianum* dictum esse." Quam tamen conjecturam eruditis lectoribus" discutiendam relinquo. Codex MS. in Biblio-" theca Publica Cantabrigiensi asservatur, una" cum multis aliis à Matthæo Parkero Acade-" miæ Cantabrigiensi olim dono datus. Plus" quam D. annorum ætatem præ se fert, in" membranis scriptus, continetque paginas CLXXXIV. in 4. quavis pagina in duas co-" lumnas divisa. Ex his membranis Apogra-" pham descriptum habet CL. Galeus, qui de" hoc Opere non pauca me monuit, &c. & an-" tea, ad calcem Operis subjuncta est hæc ex-" scriptoris nota."

Τέρμα πλυντίδων ἐνταῦθα Ἰωσήππου,
Τὰς ἀποθέσεις τῶν πέντε βίβλων ἔχων,
Πέρας δέδωκα τῷ τελευταίῳ στίχῳ,
Τῷ συντελεστῇ τῶν καλῶν Θεῷ χάρις,
Τῷ συμπέρασμα δόντι μοι λόγους γράφειν,
Εἰς αἶνον εὐχάριστον αὐτοῦ τοῦ Λόγου.

Consideranti mihi dispositionem hujus Codicis Græci manuscripti, reperi nihil esse aliud, quam editionem Latinam Josephi Gorionidis, hoc excepto quod scriptor hujus Codicis confudit simul librum 1. & 2. Item liber quintus editionis Græcæ istius, editionem Latinam cujus Liber V. capita LIII. habet tantum, supe-" rat capitibus XII. habens capita LXV. Quod procedit ex interpolatione Christiani exscriptoris, qui ut aliquid huic operi fecisse videretur, ex capite suo capita XII. adjunxit. Nihil itaque mirum, ut Cavus testatur, & in libro V. inveniatur Cap. CXXV. Κεφάλιον Ἰωσήππου ἱστορ. Γυνή τις τοῦ λιμοῦ. Quod aliud nihil continet, quam Josephi *De bello Iudaico* libri

 VI.

VI. cap. 22. compendio exceptum, servatis pene ipsius verbis. Item Cap. CXXXVI. Ἱππολύτου Θηβαίου ἐκ τοῦ Χρονικοῦ αὐτοῦ συντάγματος, neque aliud est, quam pars illius fragmenti Hippolyti Thebani, quod Canisius in *Antiquis suis Lectionibus* jam dudum edidit. Itaque ista Christianismus quem Josepho Gorionis filio Cavus oscitanter adscripsit, procedit nude ex Christiano qui Opus istud Josephi Judæi in Græcum transtulit, qui titulum interpolavit Christiana levitate magis quam zelo, atque libro V. capitula XII. ex propria mente adjecit, sicut & carmina quæ præmisimus, ut hinc *Christianus Scriptor* Josephus Gorionides crederetur. Falsitates enim istæ ad majorem Dei gloriam, apud Græcos scriptores, frequentes esse reperiuntur.

Hæc porro omnia paucis exceptis de *Pseudo-Josepho Gorionide* suppeditarunt, Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 8. pag. 196. editionis ultimæ 1651. in 4. Thomas Ittigius in erudita & prolixa *Præfatione* quam præmisit editioni Operum omnium *Flavii Josephi Hierosolymitani Sacerdotis*, Græco-Latinæ, Lipsiæ anno 1691. in folio. Diarium Eruditorum Parisiense anni 1707. mense Decembri die ultima pag. 506. editionis Amstelodamensis in 12. Joannes Gagnier in Præfatione doctissima & Notis adjectis ad editionem Josephi Ben-Gorionis, quam ex Hebraico Latinam adornavit anno 1706. Oxonii in 4. ex Theatro Sheldoniano. Jacobus Basnagius in *Historia Judæorum* à Christo ad ætatem nostram Tomo 5. libro 7. cap. 6. a pag. 1539. ad 1570. editionis Roterodamensis 1707. in 8. Joannes Fridericus Breithaupt in editione *Josephi Ben-Gorionis* Hebraica & Latina columnis duabus collateraliter sibi invicem respondentibus, quam cum Præfatione, Observationibus & Indice, ad Constantinopolitanam primam editionem contulit, ac Gothæ anno 1707. edendam suis sumptibus procuravit.

1120 GUALTERUS SEU GALTERIUS CANCELLARIUS, natione se Gallum prodit ob Gallicismos quibus Historia ipsius aspergitur, quem tamen Valerius Andreas *Morinensem* facit & *Ecclesiæ Morinensis Canonicum & Archidiaconum*. Accinxit se cum plurimis aliis Gallis, expeditioni in Palæstinam cum Godefrido Bullionensi ad promovendam Terræ sanctæ recuperationem: scripsitque *Narrationem de obsidione Antiochena & aliis rebus fortiter gestis usque ad annum 1119.* quæ legitur apud Jacobum Bongarsium in Collectione *De gestis Dei per Francos* tomo 1. pag. 441. Scriptum illud Cancellario dignum est, narrans ut infeliciter anno 1119. apud Antiochiam bellum gestum sit, qui illic præsens abductusque captivus, carceri diu inclusus fuit, unde hebetatum sibi fuisse ingenium conqueritur. Hujus Historia quomodocunque scripta sit, accurate ab oculato teste digesta est, qui multis a se descriptis eventibus præsens adfuit. Redux ab hoc itinere, sibique restitutus & tranquillus, Historiæ huic incubuit. Alter autem eodem tempore Gualterus Tarvanensis Ecclesiæ Canonicus circa annum 1130. floruit in Arthesia & scripsit ad Joannem Episcopum Tarvanensem *Vitam ac Martyrium Caroli cognomento Boni, Flandriæ Comidis*, quam ex Bibliotheca Abbatiæ Igniacensis in Tractu Remensi Ordinis Cisterciensis, edidit primum Jacobus Sirmondus Parisiis anno 1615. in 8. apud Sebastianum Cramoisi. Cum autem cædes Caroli Boni Flandriæ Comitis anno 1127. patrata sit, circa annum 1130. Vita ista conscripta esse videtur. Potuit autem hic Gualterus seu Galterius secundus, esse unus atque idem cum alio, qui ex orientalibus expeditionibus ad propria reversus, Canonicus postea Tarvanensis factus sit, & *Gesta res Caroli Boni Flandriæ Comitis* circa annum 1130. conscripserit. Quod tamen ego definire nolim, idoneis ad id probandum rationibus vel testibus destitutus. Agit de utroque isto Gualtero Gerardus Johannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, de primo cap. 6. pag. mihi 709. de secundo cap. 7. pag. 712. Loquitur de primo Guillelmus Cavus ad annum 1120. pag. 654. de altero prorsus silet. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 301. editionis 1643. Lovanii in 4.

ALBERTUS AQUENSIS ECCLESIÆ CANONICUS ET CUSTOS, SIVE ÆDITUUS, post annum 1120. clarus, scripsit *Libris XII. Historiam expeditionis Hierosolymitanæ super itinere sive passagio Godefridi Bullonii & aliorum Principum in Palæstinam:* quam habes in Collectaneo inscripto *Gesta Dei per Francos* inclusam, authorique suo redditam à Jacobo Bongarsio, tomo 1. pag. 184. Huic quidem expeditioni præsens non adfuit Albertus, sed quæ auditu & relatione nota habuit, ab iis qui præsentes adfuerant, ea scripto bona fide consignavit, ut ipse diversis locis testatur. Initium ducit ab ipso Expeditionis exordio & in anno secundo Balduini II. Hierosolymorum Regis finem Historiæ suæ imponit complexus Res gestas annorum XXIV. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 374. opinatus est, scriptorem hunc quem vocat *Anonymum Chronici Hierosolymitani scriptorem*, omnium eorum, qui Hierosolymitanam expeditionem scripserint, antiquissimum videri; secus autem omnino sensit Lib. 3. *De Historicis iisdem* cap. 6. pag. mihi 708. Nam priores Alberto isto reperiuntur, qui ipsi interfuere huic itineri, ut Anonymus author libri, qui inscribitur *Gesta Francorum & aliorum Hierosolymitanorum*; Item *Robertus Monachus & Abbas sancti Remigii*, adhæc *Raimundus de Agiles* sive *de Podio*. Nec dubitat quin antiquior quoque Alberto isto sit *Baldricus Dolensis Archiepiscopus*, 1120

etsi

etsi is non visa, sed lecta auditaque referat. Denique albertum hunc recentiorem esse iis quos diximus, ex eo etiam colligimus, quod non multo longius quam isti, Historiam producat. Nam cum illi quinquennii res narrent, hic ab Expeditionis initio progreditur usque ad Regis Balduini secundi annum secundum, ita ut annorum XXIV. res deducat. Vnde vix ante annum 1130. Historiam hanc esse aggressum Albertum suspicor. Debemus hanc Historiam Alberti, Reinero Reineccio, qui primus illam charactere insigni, sed absque nomine authoris edidit sub titulo *Chronici Hierosolymitani*, anno 1602. in 4. Helmestadii. Nomen autem authoris debemus Davidi Hæschelio, in Præfatione, quam anno 1610. Augustæ Vindelicorum in 4. *Libris Alexiados octo Anna Comnena* præmisit, ubi authorem hujus Chronici *Albertum Canonicum Aquensem* appellat. Tum postea Jacobo Gretsero ex MS. Codice Sancti Martini Lovaniensis, id adstruenti. Hinc in manus nostras venerunt volumina *Historia Orientalis* Hanoviæ anno 1611. edita, quorum tomo 1. pag. 184. Historiam hanc authori restitutam Jacobus Bongarsius inseruit. Agunt de *Alberto Aquensi Canonico* Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*. Jacobus Bongarsius in Prolegomenis ad *Gesta Dei per Francos*. Gerardus Joannes Vossius duobus locis, tum Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 374. tum Lib. 3. cap. 6. pag. 708.

1120 THEOBAVDVS REZVENSIS IN BVRGVNDIA COENOBII MONACHVS, ex instituto divi Benedicti, circa annum 1126. clarus, scripsit *Acta, Translationem & Miracula Sancti Prudentii Martyris, libris quatuor*, quibus Carmina quædam identidem interjecit, quos primus ex MS. Codice edidit Philippus Labbeus tomo 2. *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum*, pag. 605. & sequentibus. Cujus authoris, nullus quem noverim, meminit.

1120 ERNVLFVS sive ARNVLFVS ROFFENSIS IN ANGLIA EPISCOPVS, natione Gallus, Cœnobii Bellovacensis Ordinis divi Benedicti Monachus, cujus vitam ita describit Cavus. „Cum nonnulla Monachorum facinora insolentiæ plena doleret, quæ nec ipse „emendare posset, nec pati vellet, de Monasterio delinquendo consilium iniit. A Lanfranco Cantuariensi etiam admonitus, cujus discipulus olim extiterat, ut ad se veniret: inquit „Guillelmus Malmesburiensis Lib. 2. *De gestis Pontificum Anglorum* in fine, cum Bellovaci „cum fratribus salvare animam suam non posset, in Angliam transmigravit. Vbi factus illic primum Monachus, deinde sub „Anselmo Prior Cantuariæ, ac postea Abbas Petriburgensis, demum Radulfo Cantuariam translato anno 1115. die 26. Decembris Roffensis Episcopus constitutus est.« Hujus Opuscula quædam impressa inveniuntur in *Spicilegio* Domini Lucæ Dacherii tomo 2. p. 420. *Tomellus sive Epistola Ernulfi ex Monacho Benedictino Episcopi Roffensis De incestis conjugiis.* Ibidem pag. 431. *Epistola 2. qua variis Lamberti Abbatis Bertiniani quæstionibus respondet*, quarum aliquæ *de Corpore & sanguine Domini sunt*. Nam quæ ipsi attribuit Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* verbo *Ernulfus Roffensis Episcopus* tom. 1. pag. 514. *De operibus sex dierum & De verbis Domini in Cruce*, certo ad Ernaldum seu Arnoldum Bonæ Vallis in Carnotensi Episcopatu Abbatem spectant, sub cujus nomine sæpius jam multis ab annis Opera ista impressa sunt. Obiit autem Ernulfus mense Martio anni 1124. ætatis 84. Variæ ad eum extant Sancti Anselmi Episcopi Cantuariensis Epistolæ, de quo Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 514. & Lucas Dacherius in *Prologo* ad tomum citatum *Spicilegii*, pag. 18. Omnium plenissime Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum I. *Anglia sacra* quam anno 1689. in fol. Londini edendam curavit apud Richardum Chiswel, num. 53. his verbis, »Ernulfus Roffensis Episcopus, qui sedem ab anno 1114. ad 1124. tenuit, librum, compilavit *De Ecclesia Roffensis fundatione, dotatione, chartis, placitis, aliisque rebus ad eam spectantibus*. Codicem in Archivo Ecclesiæ Roffensis asservatum Decanus & Capitulum Roffense benignitate summa mihi transmiserunt. Plurimis nostræ gentis antiquariis *Textus Roffensis* titulo innotuit. In fronte libri hanc inscriptionem antiquissima manus apposuit, *Textus de Ecclesia Roffensi per Ernulfum Episcopum*. Continet autem plura monumenta tam Latine quam Saxonice scripta, videlicet Leges Ethelberti, Alfredi, Guthrunni, Edwardi, Edmundi & Etholredi Regum, Saxonice. Exorcismum Ordalii, Leges Canuti Regis, Constitutiones Willelmi I. Regis, Excerpta ex Decretis Pontificum. Institutiones Henrici I. Regis anno 1101. factas, successionem Pontificum & Imperatorum Romanorum, Patriarcharum Jerosolymitanorum & quatuor Sedium Patriarchalium. Nomina Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ à S. Augustino per singulas Sedes distributa, Latine. Judicia civitatis Lundoniæ, Geneologiam Edwardi Regis ab Adamo, Geneologias omnium Angliæ Heptarcharum ab Adamo, Saxonice. Privilegia, Chartas, Ordinationes &c. Ecclesiæ Roffensis, Latine & Saxonice. Nulla in Codice habentur, ætate Ernulfi inferiora, si demas 13. nomina in Catalogo Archiepiscoporum Cantuariæ, & 15. nomina in Catalogo Episcoporum Roffensium, quæ ab aliena manu diversis seculis accesserunt, ut ex literis & atramanto constat. Quædam enim manus, Episcoporum sex Ernulfum sequentium nomina adjecit, cui alia manus recentior, nomi-

„nomina Episcoporum novem succedentium
„apposuit. His addenda sunt pauca quædam
„de rebus tempore Johannis & Ascelini Epi-
„scoporum gestis, congesta post folium 203.
„Cætera omnia manu Ernulfo coæva scripta
„sunt. Leviora forsitan hæc videri possent,
„nisi quis ea quæ ad Historiam Roffensem ex
„hoc Codice adnotantur, inspexerit. Ista enim
„nos præfari debuisse, tum facile liquebit. Cæ-
„terum aliis ingenii monumentis Ernulfus in-
„claruit. In his extat Epistola ad Walkeli-
„num Wintoniensem Episcopum *De incestis*
„*conjugiis* præclara, quam Lucas Dacherius in
„*Spicilegio* suo evulgavit Tomo 2. p. 420. Ha-
„betur eadem Ernulfo inscripta in Codice ve-
„tustissimo Bibliothecæ Lambetanæ, vix unico
„apice a Dacheriana diversa. Turpissime vero
„hallucinatus est Baleus Centuria 2. cap. 70.
„qui Opera quædam Arnulphi Lexoviensis Epi-
„scopi & Arnoldi Bonævallis Abbatis Arnulfo
„Roffensi Episcopo inscripsit: eundemque per-
„miscuit cum Arnulpho Presbytero, quem Ro-
„manorum Clericorum insidiis tempore Hono-
„rii II. Papæ Platina refert fuisse sublatum, dum
„in Romanæ Curiæ vitia acrius inveheretur.
„Re ipsa enim Arnulphus ille Concionator toto
„cœlo diversus erat a Roffensi nostro, qui ante
„inceptum Honorii Pontificatum obiit. Veritas
„autem Baleo parum auræ erat, dummodo Ro-
„manæ Ecclesiæ inimicorum numerum augere
„posset.„ Cæterum nos insigniora Ecclesiæ Roffensis monumenta ex Ernulfi Farragine delectu habito exscripsimus, & nunc primum evulgavimus Tomo. I. *Angliæ sacræ* a pag. 329. ad 341. sub titulo hoc: *Ernulfi Episcopi Roffensis Collectanea de rebus Ecclesiæ Roffensis.* At quidquid scripserit Henricus Warthon ut probaret farraginem hanc spectare ad Arnulfum Roffensem, me tamen in sententiam trahere non potuit, ob rationes dubitandi quas ipse proponit, nempe *pauca quædam post folium 203. congesta de rebus tempore Johannis & Ascelini Episcoporum gestis.* Felicior fuit Warthon, dum agens de rebus Roffensibus, post incertum istud Ernulfi Collectaneum a se tantummodo delibatum, non verbotenus expressum: adjunxit *Edmundi de Hadenham Annales Ecclesiæ Roffensis a prima sedis fundatione ad annum 1307.* pag. 341. *Willelmi de Dene Historiam Roffensem ab anno 1314. ad 1350.* pag. 356. *Continuationem Historiæ Roffensis ab anno 1350. ad 1540.* pag. 378. de quarum Historiarum agit authoribus in Præfatione ad citatam *Angliam sacram* num. 36. pag. XXXI. & num. 36. pag. XXXIII.

2180 ELIAS CRETENSIS, Orationum ultimus Sancti Gregorii Nazianzeni Commentator, vix ante annum 1120. vel 1130. clarere potuit: quem imperite omnes hucusque confuderunt, cum Elia Cretensium Archiepiscopo, à quo distinguendus omnino venit. Nam Elias hic Senior, Cretensium Archiepiscopus, ob famam doctrinæ eminentem circa annum 770. vel 780. florebat, quem ob præclaras animi dotes, ad hancce promotum esse haud ignobilem sedem, nullatenus ambigimus: licet neminem ex antiquis habeamus, qui Scriptis suis posteritati illum commendaverit. Quonam anno sedem ille occupaverit, ob silentium veterum, rescire nobis datum non est: sed quod certissimum, septimæ Synodo universali adfuit, quam secundam Nicænam dicunt, adversus Iconomachos ad annum 787. collectam, cui cum pluribus Episcopis subscripsit. Recitatur ibi inter plurimos hujus Conciliobuli Antistites, Actione 1. col. 39. ex versione Anastasii, ac col. 661. ex Anonymi alterius interpretatione, tomo VII. Concil. editionis Labbeanæ, Parisiensis ultimæ. Comparet Elias Actione 2. hujus Concilii, atque his verbis sententiam suam profert: *Elias sanctissimus Episcopus Cretæ dixit: Juxta venerandas sanctissimi Papæ veteris Romæ litteras, confiteor & teneo venerandas & sacras imagines, nunquam seponens sed perfectè eas adorans: qui verò secus confitentur, eos anathematizo.* Et Actione 4. ejusdem Concilii col. 323. editionis præfatæ, ubi de adorandis Imaginibus agitur: *Elias peccator, Episcopus Cretensium insulæ, libenter omnia quæ prascripta sunt, suscipiens subscripsi.* Alter extitit junior Elias Cretensis, quem an Archi-Episcopus, an Monachus duntaxat circa annum 1120. extiterit, nescire me fateor. Scripsit ille *Commentarium doctissimum & facilem*, licet prolixiorem nonnulli opinentur, in plerasque, vel omnes *Orationes divi Gregorii Nazianzeni*: quem ex MSS. Codicibus Græcis Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Latinè translatum habes ad calcem secundi tomi Operum Sancti Gregorii Nazianzeni, editionis Græco-Latinæ Parisiensis, annorum 1583. 1609. & 1630. sumptibus Caroli Morelli typographi Regii, viâ Jacobæâ sub signo fontis. Excurrunt hi *Commentarii in Orationes Gregorii 1. 2. 3. 4. 10. 11. 19. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 33. 34. 35. 36. 37. & in Epistolas ad Cledonium, quæ Orationes 51. & 52. sunt*: unde cum duabus Epistolis, ad numerum XXIII. assurgunt. Hic sane labor Eliæ Cretensis sive Archiepiscopi sive Monachi, magnus est: neque hi Commentarii MSS. tantum in Regia Galliarum Bibliotheca inveniuntur: sed in aliis etiam Europæ celeberrimis, ut in Vaticanâ, Barberinâ, Venetis, Bavarica Serenissimi Ducis, Codd. 64. & 65. Augustana Codd. 26. 27. 29. 30. quibus ex locis, si quando bene visum fuerit, Græcus textus addi possit. Scripsisse quoque dicitur *Scholia in Opera Sancti Johannis Climaci*, quæ anonyma quidem, sed Græcè & Latinè, impressa dicuntur cum Sancti ejusdem Abbatis Operibus, à Matthæo Radero, societatis Jesu Theologo, Parisiis in fol. anno 1633. apud Sebastianum Cramoisy, sub ciconiis. Ista autem Scholia extant MSS. in Bibliotheca Regia Parisiensi, atque in alterâ clarissimi viri Petri Seguierii Franciæ Cancellarii, ut ex Catalogo Manuscriptorum hujus Biblio-

bibliothecæ impresso constat: atque ex Antonio Arnaldo Doctore Sorbonico, in præludiis ad hanc *Scalam Joannis Climaci*, à se Gallicè redditam. Sed quæ Arnaldus positivè attribuit Eliæ Cretensi *Scholia*, ea Græcè atque Latinè à Matthæo Radero producta, anonymi Scriptoris dicuntur: quæ in duobus quoque MSS. Codicibus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Theologicis Græcis CLXXIX. & CLXXX. anonyma reperiuntur. Hinc fallitur Cavus, qui in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo VI. ad annum 564. pag. 421. Scholia ista in *Scalam Johannis Climaci & in Pastorem*, disertè, attribuit Eliæ Cretensi Archiepiscopo. Scripsit quidam Elias Cretensis, *Explanationum ingens Climaci scalam* ingens volumen, ab his brevibus scholiis omninò distinctum: quod manuscriptum extat integrum, in solis Bibliothecis Augustanæ Reipublicæ & Venetæ, ut habet Raderus cap. 4. *Isagoges Joannis Climaci scalam*, his verbis: „Alter Joannis Climaci Scholiastes, est „Elias Metropolita Cretensis, homo Græcus, „qui ingens Exegeseon sive Explanationum Vo„lumen in Climaci Scalam composuit, quod „propemodum Eustathii Symbola S. ad Home„rum mole suâ exæquat. Cujus unicum ex „oobili inclytæ Reipublicæ Augustanæ Biblio„thecæ exemplar accepi, quamvis & capite & „calce careat, omnibus paginis exesum: ut to„to libro nulla charta sit sana & integra, ita „per viscera libri, pestes chartarum lioeæ gras„satæ & debacchatæ sunt. Cæterum codex „antiquissimus est, & magnâ curâ resartus, & „quantum fieri potuit redintegratus, ab erudi„tâ manu (nisi ipsum fortasse authoris auto„graphum sit) veteri charactere descriptus. „Elias porrò Cretensis Pontifex, vixit sub an. „Christi 787. fuit in Oecumenicâ Synodo se„ptimâ. Atque hic *Eliæ Commentarius* ad Cli„macum, in lucem nec Græce nec Latine pro„diit unquam. Vnicum exemplar MS. extat „in Bessarionis Bibliotheca Pluteo 31, quam „hodie Serenissimus Venetorum Senatus possi„det, ad quod aspirare mihi non licuit. Nam „quod Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* ex „Vaticanâ memorat cum Scholiis Eliæ Creten„sis, haud scio, an Scholia tantum sint; & (in „Catalogo Vaticanæ Bibliothecæ sine nomine „inscribuntur) an adjunctus sit author. Di„versæ sunt enim Exegeses Eliæ ad Climacum, „& Scholia ex illo & aliis, ab aliquo anonymo & „posteriore, decerpta. Idem Raderus cap. 5. Isagoges ad Scalam S. Johannis Climaci *De variis Climaci Exemplaribus Græcis MSS. quapassim in nobilioribus Bibliothecis extant*, hæc habet: *In Bessarionis Bibliotheca Venetiis litera C. apud Possevinum pagina 35.* Climacus cum Expositione Eliæ Cretensis, fol. magno papyraceo. Extat denique hujus prolixi Commentarii, qui in tria volumina distinctus erat, Volumen secundum Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CLXXXII. Incipit à gradu octavo *Scalæ Climaci*, atque desinit in gradum vigesimum quintum: de quo loquitur abunde Petrus Lambecius Libro seu tomo 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 193. & 194. Denique scripsit quoque *Responsa ad Dionysii Monachi interrogat. VIII.* circa difficiles quosdam conscientiæ (ut vocant) casus, quæ Græce & Latine extant in *Jure Græco-Romano* Lib. 5. pag. 335.

Jam autem hujus Eliæ Cretensis junioris atque ab illo Elia Cretensi Archiepiscopo distincti ætatem expiscari licet, ex ejus Prologo in Orationes S. Gregorii Nazianzeni, his verbis. *Sancti Gregorii Nazianzeni Orationes unà cum Epistolis interjectis, numerantur conjunctim quinquaginta duæ. Quarum illæ sedecim, quæ uno libro comprehensæ sunt, magnam interpretum copiam nactæ sunt, tam priscorum quàm recentiorum, quorum in dicendo lingua perpolita essent. Cætera verò à nemine, qui vel dicendi facultate floruisset, vel spiritu dijudicare posset, saltem mediocrem, quantum quidem nobis constat, sunt explicationem consecuta. Solus Basilius quidam & Gregorius, qui & sedecim istis Orationibus enarrandis operam suam impenderunt, voluerunt quidem illi quasdam annotationes Scholiis consimiles, etiam in Orationes quas nunc contemplaturi sumus, nobis relinquere: Verum quod in ipsis fuit, nulla ex parte per ipsorum doctrinam, adjutos nos reliquerunt. Quippe quibus neque dicta vel de libris divinitus scriptis vel de externis, curæ fuerunt: neque quicquam aliorum, ad quæ magnus hic vir partim alludendo, partim quadam adglutinando, partim mutando & multipliciter variando, suas Orationes contexuit.* Ita refert Joannes Leunclavius in editione Latinâ Operum S. Gregorii Nazianzeni, p. 1. editionis Hervagianæ Basiliensis anni 1571. in folio, atque post ipsum Petrus Lambecius tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 202. & 203. ex quibus hunc Eliam Cretensem seculo XII. haud antiquiorem extitisse, ita demonstramus & colligimus. Constat ex hoc Prologo ante Eliam Cretensem, fuisse plurimos qui *Orationes Sancti Gregorii Nazianzeni* suis Commentariis explicaverint, præsertim *illas sedecim, quæ uno libro comprehensæ sunt, magnam interpretum copiam nactas esse, tam priscorum quam recentiorum, quorum in dicendo lingua perpolita essent.* Cum autem inter istos nominatim recenseat *Basilium quendam Monachum & Gregorium Cæsariensem Presbyterum*, qui primi suos in has *Orationes sedecim Gregorii Nazianzeni* Commentarios ediderunt, illosque inter *priscos* enumeret: inde dubio procul, ætatem hujus Eliæ Cretensis recentiorem, atque certissimam ejus ab altero qui anno 787. temporibus Nicenæ Synodi secundæ floruit distinctionem, arguere possumus ac debemus. Nam cum *Basilius ille quidam & Gregorius*, quos Elias iste recensens *Priscos interpretes* vocat, circa annum 940. ætate Constantini Porphyrogeniti cui

cui Commentarios suos dedicavit, claruerint: vix qui ita loquitur, ante seculi 12. initium collocandus videtur, cum ducentis vel circiter annis posterior esse videatur, iis quos *Priscos* vocat. Unde hanc ob causam hunc Eliam Cretensem juniorem, anno 1120. assignavimus. Præterea quamvis non expresse nominet, innuere tamen videtur alios *recentiores* dictarum Orationum Divi Gregorii interpretes & commentatores. Horum potissimus cum fuerit *Nicetas Heraclea in Thracia Archiepiscopus*, qui in eas Græcè commentatus est, atque anno 1080. ætate Theophylacti Bulgariæ Archiepiscopi claruit: hoc modo, se saltem aliquot annorum Decadibus, posteriorem esse prodit Niceta Heracleæ Archiepiscopo, recentiore istarum Orationum commentatore: unde vix Elias iste ante annum 1120. collocandus est, cum Niceta Heracleensi se recentiorem prodat. Hinc apparet insignis error, tum Guillelmi Cavi, in *Historia rei literaria* seculo 8. ad annum 787. p. 499. confundentis hunc Eliam Cretensem cum altero ejusdem nominis, qui dicto anno adfuit atque subscripsit Nicænæ Synodo secundæ; Tum Ludovici Elliæ du Pin, qui in *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo 8. tomo 6. pag. mihi 127. eundem errorem incurrit. Ad hunc eundem Eliam spectare possunt, quæ habet Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum tam Græcorum quam Latinorum & Gallicorum* à se collecta potissimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ quam anno 1653. Parisiis in 4. edendam fategit apud Joannem Henault. Illic parte 2. pag. 91. *Elia Presbyteri Anthologia Gnomica capitibus CCLI.* in Codicibus Regiis 378. & 765. in quibus Nili de octo vitiis principalibus & Joannis Carpathii varia Opuscula ascetica.

Hæc erudita Opera Eliæ Cretensis junioris, seculo Ecclesiæ XII. etsi prætermiserint veteres nomenclatores, e tenebris tamen oblivionis vindicarunt authores recentes. Jacobus Billius, qui omnia, quæ extabant Opera Gregorii Nazianzeni, edidit in fol. anno 1583. ex officina Nivelli, cum Commentariis & Scholiis Græcorum, nempe Nonni, Eliæ Cretensis, Pselli ac Nicetæ Serronii. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Elias Cretensis* pag. 501. & verbo *Gregorius Nazianzenus* pag. 671. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* à Bellarmino recensitis, tomo 1. verbo *Gregorius Nazianzenus* pag. 369. & 370. Antonius Arnaldus in *Praludiis* seu *Præfatione* ad Scalam S. Joannis Climaci à se Gallicè editam, Parisiis anno 1678. in duodec. apud Petrum Parvum.

1120 NICETAS BIZANTINUS, vulgo ex vitæ instituto dictus *Philosophus*, id est, nisi fallor, *Monachus*, circa annum 1120. claruisse mihi videtur, quem etiam sub imperio Alexii Comneni vixisse ac emicuisse, vult Leo Allatius. Huic Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1120. pag. 655. adscribit *Tractatum Apologeticum pro Synodo Chalcedonensi adversus Armenia Principem*, cujus fragmenta extant apud Leonem Allatium Libro 1. *De perpetuo consensu utriusque Ecclesia Orientalis & Occidentalis* cap. 5. §. 3. col. 72. Et Libro *De purgatorio* pag. 4. & *De Libris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 314. Integrum autem Tractatum edidit Græcè & Latinè idem Allatius Tomo 1. *Græcia Orthodoxa* pag. 663. At hic Tractatus longè antiquior videtur aliis, cumque plurimi attribuunt Nicetæ Davidi, qui etiam Paphlago dictus legitur, ortu Bizantino, dignitate Philosopho, ut idem Cavus non dissimulat in eadem *Historia rei literaria* ad annum 880. pag. 563. Huic Nicetæ Davidi annis multis antiquiori, hic Tractatus tribuitur, est enim *Refutatio Epistola missa ab Agarenis ad Michaelem Imperatorem Theophylacti filium*, quà Epistola Christianam calumniabantur fidem: unde tempus allatum hujus Nicetæ Bizantini arguitur, cum hic Michael Theophili filius imperium tenuerit ab anno 842. ad 867. Opus igitur istud Nicetæ Davidis & Bizantini Senioris potius, quam junioris censendum est, ut supra diximus in *Niceta Heracleensi Archiepiscopo*, ad annum 1070. Alium autem Tractatum adscribit isti Nicetæ Byzantino, Leo Allatius his verbis: *Circa hæc tempora vel paulo post, vixisse videtur Nicetas Byzantius, cujus Syllogismi contra Latinos extant in Bibliotheca Bavarica Codice MS. CXX. Illius mentionem facit Hugo Ætherianus in suo Opere contra Græcos pro Latinis.* Extat MS. Græcè inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 720. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, Codici 78. inscriptus *Niceta Byzantini Patricii Philosophi & Doctoris Capita Syllogistica ex Communibus de Deo notionibus &c. & contra eos qui Symbolo addiderunt* filioque &c. pag. 102. ad 117. Hæc Allatius Lib. 2. *De perpetuo consensu Ecclesia Occidentalis & Orientalis* cap. 10. §. 2. col. 631. quem hic expressimus, qui ejus quoque meminit ibidem cap. 18. §. 18. col. 871.

ALEXANDER MONACHUS GRÆCUS, 1120
huic tempori à me assignatur, quamvis nesciam qua præcise ætate vixerit. Emisit *Historiam De inventione sancta Crucis*, quam Græce & Latinè primus edidit Jacobus Gretserus in Libris *De Cruce* Tomo 1. col. 1089. Inscribitur Ἀλεξάνδρου τοῦ μοναχοῦ λόγος εἰς τὴν εὕρεσιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, *Alexandri Monachi sermo in inventionem pretiosa & vivifica Crucis.* Hujus initium: Τὴν κέλευσιν τῆς ὑμετέρας πατρικῆς ὁσιότητος δεξάμενος, λίαν ἰλιγγίασα: *Paterna tua sanctitatis jussum non sine gravi perturbatione suscepi.* Hanc fatetur se accepisse Gretserus, ex duobus MSS. Codicibus, uno Bibliothecæ Augustanæ, altero Cryptæ ferratæ, ejusque meminit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 110. *Encomium* etiam *Alexandri Monachi in Sanctum Barnabum Apostolum*

lum & revelationem sanctarum ejus Reliquiarum, Græcè MS. in Bibliotheca Colbertea, Cod. 4137. hoc titulo, Τοῦ Ἀλεξάνδρου μοναχοῦ εἰς τὸν ἅγιον Βαρνάβαν προτραπέντος ὑπὸ τοῦ Πρεσβυτέρου καὶ κλειδούχου τοῦ σεβασμίου αὐτοῦ ναοῦ, ἐν ᾧ ἱστόρηται καὶ ὁ τόπος τῆς ἀποκαλύψεως τῶν ἁγίων λειψάνων αὐτοῦ. Cujus meminit quoque Allatius loco citato pag. 99. initiumque his verbis profert, Μεγίστην λόγων ὑπόθεσιν προέθετο τοῖς πτωχοτάτοις ἡμῖν &c. Agunt de *Alexandro Monacho* Geraldus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Græcis* pag. 319. inter Scriptores quorum certum tempus ignoratur. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 99 & 110. Carolus du Cange in Catalogo MSS. Codicum quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 23. & in Catalogo Scriptorum Græcorum editorum col. 43.

1120 EADMERVS seu EDMERVS ANGLVS, in Cantuariensi Cœnobio Ordinis divi Benedicti Monachus, Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi discipulus atque itinerum socius fuit. Hic anno 1120. atque ulterius claruit, suumque nomen posteritati transmisit variis Operibus compositis, quorum plurima sub Sancti Anselmi nomine hucusque edita fuerant ex MSS. Codicum fide, qui quæ sunt Eadmeri discipuli, *Anselmo Magistro* sæpe attribuunt. Sed illa tandem seculo nostro restituta legitimo sunt parenti à Gabriele Gerberon Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri in Gallia, qui Magistro Discipulum, Anselmo Eadmerum, ad calcem Operum Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi adjecit, cujus hæc Opuscula sunt. *Libri duo de Vita Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi. Historia novorum seu rerum gestarum sui temporis Libris sex, ab anno nimirum 1066. usque ad annum 1122. De excellentia B. Mariæ Virginis Lib. I. De quatuor Virtutibus quæ fuerunt in Beata Virgine Maria Lib. I. De beatitudine cœlestis patriæ Lib. I. De similitudinibus Sancti Anselmi Lib. I.* qui hucusque Sancto Anselmo attributus est. Hæc omnia edidit post Opera Sancti Anselmi Gabriel Gerberon, Parisiis in fol. anno 1675. apud Ludovicum Billaine. Scripsit etiam *Vitam S. Vulfridi Eboracensis Archiepiscopi*, quam edidit Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tomo seu parte 1. pag. 196. & sequentibus. Eadem historia jam ante sub hoc titulo edita: *Eadmeri Monachi Cantuariensis historia novorum sive seculi sui libris VI. continens res gestas & ab auctore spectatas sub Guillelmo I. & II. & Henrico I. Anglorum Regibus* &c. Londini 1620. in folio. Extat quoque Codex in 4. in Bibliotheca Sancti Benedicti Cantabrigiæ num. 339. ubi varia designantur Opuscula, quæ Guillelmus Cavus opinatur omnia ad Eadmerum pertinere. "Videlicet Carmen de Sancto "Dunstano. Hymnus de Sancto Edwardo Rege & Martyre. Epistola ad Edmerum de Matre S. Edwardi. Vtrum Eboracensis Ecclesia" Primatum super Scotos habeat. De corpore" S. Dunstani apud Glastonienses posito. Vita" Sancti Wilfridi Archiepiscopi. Vita S. Odonis Archiepiscopi. Vita S. Dunstani & quædam miracula ejus. De ordinatione B. Gregorii Papæ. De excellentia beatæ Mariæ Virginis. Vita S. Oswaldi Eboracensis Archiepiscopi. De cœlestis patriæ beatitudine. Vita S. Bregwini Archiepiscopi. De conceptione Sanctæ Mariæ. Vita Petri primi Abbatis" Cœnobii S. Augustini Cantuariensis. Sententia de memoria Sanctorum, quos venerari decet. De commovendo super se manum S. Petri Apostoli. De reliquiis S. Audoëni & aliorum sanctorum in Ecclesia Christi Cantuariensi. De Gabriele Archangelo." Ita Thomas James in Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, quod improbabile non est. Idem Eadmerus teste Simeone Dunelmensi, circa annum 1124. Episcopus Sancti Andreæ in Scotia electus, cum Regi Scotorum Alexandro minus placuisset, annulum & pastoralem baculum resignans, Cantuarium ad Monasterium reversus est, ubi senescens, anno mihi incomperto mortuus est. Insignes autem planè curas evulgandis Eadmeri Operibus contulit Henricus Warthon, qui Tomo 2. *Angliæ Sacræ* edidit Eadmeri librum *De vita S. Odonis Cantuariensis Archiepiscopi* pag. 78. Ejusdem *Librorum De vita S. Anselmi*, quæ desunt in editionibus omnibus pag. 181. Eadmeri librum *De vita S. Bregwini Cantuariensis Archiepiscopi* pag. 184. Ejusdem librum *De vita S. Oswaldi Episcopi Wigorniensis & Cantuariensis Archiepiscopi* pag. 191. Ejusdem librum *De vita S. Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi* pag. 211. Ejusdem Epistolam ad Monachos Glastonienses *De corpore S. Dunstani* pag. 222. *Nicolai Prioris Ecclesiæ Wigorniensis Epistolam ad Eadmerum de Primatu Sedis Eboracensis in Scotia* pag. 234. *Eadmeri Epistolam ad Monachos Wigornienses de electione Episcopi* pag. 238. Horum Opusculorum occasione in Præfatione ad hunc Tomum præmisit insignem discussionem Operum & MSS. Codicum Eadmeri num. 10. pag. XII. quam uti maximè eruditam hic verbotenus referam.

"Eadmerus Monachus Ecclesiæ Christi Cantuariensis, Anselmi Archiepiscopi discipulus & individuus comes, quam plurima Scripta posteritati transmisit. De illo ubertim agunt Seldenus in Præfatione ad Historiam Novam, & Hist. Novæ lib. 5. pag. 130. Baleus Cent. 2. cap. 68. & alii. Ad Episcopatum Sanctandreanum anno 1120. electus, demisso Episcopatu ad Cantuariam rediit anno 1121. Hunc ab Elmero Ecclesiæ Cant. Priore Baleus Centuria 2. cap. 72. diversum facit, diversaque singulis opera inscribit. Huic favet Gervasius, qui Eadmeri Historiam sæpius citans, non alio quam Cantoris titulo illum cohonestat. Sic etiam Obitua-

„tuarium Cantuarienfe, Edmerus *Præcentor Cantuarienfis obiit Idibus Januarii.* Nota autem in „fine Vitæ Anfelmi addita in Codice Lambetha-„no fol. 159. fic habet: *Explicit Vita Anfelmi edita „ab Edmero ejus difcipulo, & hujus Sanctæ Can-„tuarienfis Ecclefiæ Monacho, & poftea Priore Ecclefiæ „Chrifti Cantuariæ.* Paria ibidem ad calcem Vi-„tæ metricæ Anfelmi extant. Elmerum Mo-„nachis Cantuarienfibus ab anno 1128. ad 1137. „præfediffe in fuperiore Tomo oftendi. Huic „verò alium ab Edmero Cantore obitus diem, „Obituarium Cantuarienfe pofuit. Eadme-„rum itaque Hiftoricum ab Elmero Priore di-„verfum, Baleus rectè ftatuiffe videtur. Sunt „tamen inter ea quæ Elmero idem author in-„fcribit, nonnulla quæ Eadmero potius deberi „cenfeo. Magis infignem Eadmeri Hiftoriam „quæ *Novorum* dicitur, & de rebus geftis Lan-„franci, Anfelmi & Radulphi Archiepifcoporum „agit, Johannes Seldenus Londini 1613. in folio „edidit. Reliqua ferè illius Opera extant in „Codice Collegii Corporis Chrifti Cantabrigiæ „valde antiquo & elegantiffime fcripto, Vol. 318. „in 4. ifthoc ordine difpofita.

„*Carmen de Sancto Dunftano.*

„*Carmen de S. Edwardo Rege & Martyre.*

„*Epiftola alterius ad Edmerum de matre S. Ed-„wardi.*

„*Epiftola Nicolai ad Edmerum, utrum Eboracenfis „Ecclefia primatum fuper Scotos habeat.* Iftam ex „hoc ipfo Codice defcriptam, habes in hac par-„te fecunda pag. 234. Authorem ejus fuiffe „arbitror Nicolaum Ecclefiæ Wigornienfis „Priorem, qui anno 1124. vivis exceffit. Maxi-„mam enim Eadmero eum Monachis Ecclefiæ „Wigornienfis familiaritatem interceffiffe, „conftat ex Epiftola hic pag. 238. impreffa, quam „de electione Epifcopi facienda ad hos Mona-„chos anno 1123. fcripfit. Quin imò Nicolaus „in Cœnobio Cantuarienfi fub Lanfranco Ar-„chiepifcopo educatus, tefte Malmesburienfi „*Vita Wiftani* lib. 3. cap. 17. Eadmerum condifci-„pulum habuit. Vidit hanc Epiftolam Joceli-„nus, & in Antiquitatibus fuis Britannicis ejus-„dem compendium pag. 19. exhibuit. Gravi-„ter autem hallucinatus, tam Authoris fenten-„tiam male reddidit, quam de illius patria „male fenfit, Scotum enim fuiffe exiftima-„vit.

„*Quale fit, quod apud Glaftonienfes dicant cor-„pus Sancti Dunftani fe habere.* Hujus libri du-„plex extat apographum in Codice Lambeta-„no fæpius memorato. In eodem fubjiciun-„tur Epiftolæ Willelmi Warham Archiepifco-„pi & Abbatis Glaftonienfis *De corpore S. Dunfta-„ni*, quas ob argumenti fimilitudinem hic adjun-„ximus pagg. 227. 229. 230. 232. licet longe po-„fterioris temporis. Easdem Ecclefiæ Cantua-„rienfis Regiftrum habet.

„*Vita S. Wilfridi Archiepifcopi Eboracenfis.* Hanc „edidit Mabillonius Seculo Benedictino 3. parte. „1. pag. 195.

Vita Sancti Odonis Cantuarienfis Archiepifcopi,„ quæ extat in hac parte 2. pag. 78. & apud Ma-„ billonium Seculo V. pag. 283. Osberno perpe-„ ram infcripta. „

Vita S. Dunftani Cantuarienfis Archiepifcopi.„ Extat in hac parte 2. pag. 211. Hanc cum Libro„ *De Dunftani Miraculis* fequenti in compendium„ redacto, Laurentius Surius edidit ad diem 19.„ Maji, dempta duntaxat Præfationis maxima„ parte. Authoris nomen codici Suriano de-„ fuit, legerat autem Surius apud plures Osber-„ num quendam *De Dunftani vita* commentatum„ fuiffe. Huic itaque opus infcripfit, quamvis„ memoria nonnihil lapfus *Osberti* nomen pro„ *Osberni* repofuerit. Hujus Osberni ætatem in„ anno 1020. ftatuit, errore graviffimo: cum o-„ mnia fere Dunftani miracula fub ejusdem Au-„ thoris nomine ab ipfo evulgata, Lanfranci Ar-„ chiepifcopi mentionem ingerant: quin & non-„ nulla tempore Anfelmi facta inibi legantur.„ Errorem Surio initum alii facile fecuti funt, &„ in his Baronius, qui Vitam iftam *Osberni* nomi-„ ne fæpius laudavit: & Spelmannus *Conciliorum*„ *Angliæ* pag. 492. qui *Osbertum* Surii a noftris *Os-„ bernum* rectè dici affirmat. Poftquam genui-„ num Osberni opus prodiit, Vita Suriana Os-„ berto de Clara Priori Weftmonafterienfi ad-„ fcribi cœpit. Floruit Osbertus ab anno 1108.„ ad 1140. quod ex Epiftolis ejus in Bibliotheca„ Cottoniana affervatis conftat. Sic autem e-„ ditores *Actorum Sanctorum* Antverpienfes to-„ mo 4. Maji pag. 344. Vere autem *Eadmero* illa„ debetur, qui Osberni opus ejusdem argumenti„ nunquam vidit, & hanc eodem circirer tempo-„ re contexuiffe videtur. Antiquo tamen au-„ thore Vitæ Dunftani, eodem quo Osbernus„ ufus, multa Osberno communia habet. Ea„ atque alia minoris momenti prætermifi, quæ„ apud Osbernum fatis ubertim habentur, adeo„ ut tertiam duntaxat Vitæ ab Eadmero fcriptæ„ partem ediderim. „

Liber De miraculis S. Dunftani. Illa fe Scri-„ ptis confignaturum Eadmerus in fine fuperio-„ ris Libri pollicitus fuerat. Extant apud Suri-„ um in compendium redacta, mihi prætermit-„ tenda erant. „

Scriptum de ordinatione Beati Gregorii. „

De excellentia Beatæ Mariæ habetur ad calcem„ Anfelmi Operum, à Gabriele Gerberonio edi-„ torum, Parifiis anno 1675. in fol. „

Vita & Miracula S Oswaldi Archiepifcopi Ebo-„ racenfis, quam hic typis exprimendam curavi„ pag. 191. Aderat quidem in Codice Cottoniano„ *Nero E. 1.* Vita Oswaldi antiquior, ex qua fua de„ Oswaldo omnia Eadmerus haufit, à Monacho„ Ramefienfi tempore Elfrici Cantuarienfis Ar-„ chiepifcopi Scripta. Verum illam tum ob ni-„ miam prolixitatem, tum ob affectatum dicendi„ genus rejeci. Incipit, *Cum folerter Ilias & Odyf-„ fea, atque Æneidos Virgilii fint exarata &c.* Hanc„ Eadmerus fere abbreviavit, omnia autem fcitu„ digna retinuit, & opus longe utilius condidit.„

Por-

„Porrò Senatus Prior Wigorniensis à Baleo Centuria 3. c. 10. & Folcardus Monachus Cantuariensis ab Orderico Vitali Libro 2. ad annum 1108. Oswaldi Vitam scripsisse dicuntur. Vtriusque opus interiit. Aliam ex Chronico Ramesiensi Mabilloonius evulgavit Seculo V. SS. Ordinis divi Benedicti pag. 735. Diversa apud Capgravium reperitur, ex Tinmuthensis farragine, stilo immutato desumpta Tinmuthensis Eadmeri librum vidit, & in multis imitatus est. Ejusdem denique Oswaldi Vita inter alias Sanctorum Legendas ab Elfrico Saxonicè conscripta superest.

„*De beatitudine cœlestis patriæ.* Extat ad calcem Anselmi Operum, in editione nupera Parisiensi.

„*Vita S. Bregwini Archiepiscopi Cantuariensis* pag. 184. scripta est post mortem Radulphi Archiepiscopi, qui anno 1122. obiit. Hujus Epitome a Johanne Tinmuthensi concinnata est, quæ Osberno perperam inscripta in hoc volumine prodit. Postea facta nobis Codicis Cantabrigiensis copia, luculentiorem Bregwini vitam ab Eadmero scriptam luci publicæ subducere noluimus.

„*Vita S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi Libris II.* Habetur in omnibus fere Anselmi Operum editionibus, & apud Surium die 21. Februarii. Vbivis autem Capitula duo posteriora desiderantur, quamvis ea in omnibus quæ vidi hujus Operis exemplaribus MSS. reperiantur, & ab Eadmero in Prologo ad Librum *De miraculis S. Anselmi* laudentur. Inibi enim Eadmerus dicit se de miraculis Arnulfi Comitis & Roberti Monachi in calce Librorum de Vita Anselmi egisse.

„ *Liber de miraculis S. Anselmi*, quem eundem Codex Lambethanus sæpe dictus habet.

„ *De conceptione Sanctæ Mariæ.*

„ *Vita Petri primi Abbatis Cœnobii S. Augustini Cantuariensis.*

„ *Sententia de memoria Sanctorum, quos veneraris.*

„ *De commovendo super se manum Sancti Petri Apostoli.*

„ *De Reliquiis S. Audoeni & aliorum Sanctorum in Ecclesia Christi Cantuariensi.*

„ *De Gabriele Archangelo.*

„ Alia Eadmeri Scripta recenset Baleus Cent. 2. cap. 68. atque alia quædam ad calcem Operum S. Anselmi evulgavit. *Vitam S. Anselmi* carmine heroico scriptam Codex Lambethanus habet, *Epistolas Eadmeri plures* Codex vetustus Cottonianus *Otho A 12.*

Agunt de Eadmero Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Edmerus.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* c. 48. p. mihi 400. Guillelmus Cavus in *Historia rei litteraria* seculo 12. ad annum 1121. p. 656.

1120 HVGO A SANCTA MARIA dictus, Monachus Floriacensis Ordinis divi Benedicti in Gallia, claruit anno 1120. variis nec contemnendis Opusculis, de quo jam supra locuti sumus, ubi de Ivone Carnotensi Episcopo supra egimus. Scripsit autem Hugo Floriacensis Libros duos *De Regia potestate & Sacerdotali dignitate* ad Henricum Angliæ Regem, quos nuper èx MSS. Codicibus Gallicis in lucem produxit amicus noster Stephanus Baluzius Tomo IV. *Miscellaneorum* pag. 9. Scripsit quoque *Chronicon Libris VI. vel VIII. ad Ivonem Carnotensem Episcopum*, cui illud in Manuscriptis nostris Gallicis nuncupatum est dedicatoriâ Epistolâ, unde à nonnullis ut Labbeus notat, illud perperam Ivoni Episcopo tributum est. Hujus sub nomine Ivonis Carnotensis Episcopi, meminit Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 856. ad MS. Codicem CCLIII. arcis Ambrosianæ his verbis. „Volumen CCLIII. membranaceum in 4. ante annos circiter 500. ut ex Scriptura indubiè liquet exaratum, quo continetur *Ivonis Episcopi Carnotensis* anno 1115. defuncti *Chronicon* à Nino Assyriorum Rege usque ad Imper. *Ludovici Pii* obitum, qui anno Christi 840. contigit pertingens, cujus titulus & principium se habent ibi hoc modo. *Incipiunt Excerpta* Ivonis *venerabilis Episcopi Carnotensis, imprimis de gestis quorundam Regum Assyriorum, & de gestis omnium Romanorum Imperatorum, & ultimum de Carolo Magno Rege Francorum & ejus filio Ludovico Pio. Assyriorum igitur Rex potentissimus fuit olim Ninus, qui bellum finitimis inferens Regibus, omnes Asiæ populos præter Indos sibi subjugavit &c.* Edidit quidem illud Chronicon jam pridem Marquardus Freherus in Corpore *Historiæ Francicæ veteris & sinceræ*, sed tantum usque ad tempora Imperatoris Constantini Magni, ideoque dimidiata ferè & eà quidem præcipuâ parte mutilum, ut ipsi Freherus in *Epilogo* testatus est.“ Hic autem MS. Codex Cæsareus ad tempora Ludovici Pii pertingens, neque integer est, ut Lambecio visum fuit, desinens in morte Ludovici Pii quæ anno 840. contigit. Nam sub finem hujus Codicis, testatur Author *Ludovico Imperatori successisse quatuor ejus filios*, de quorum imperio haud dubiè idem egerat, licet hic MS. Codex de iis sileat. „Sic finit Codex Cæsareus, *Explicit de omnibus Imperatoribus Romanis, quorum quidam Reges Francorum fuerunt, usq; ad tempus videlicet Ludovici Pii, Caroli Magni filii, qui Ludovicus ultimus Rex Francorum & Imperator Romanorum fuit, anno scilicet Incarnationis Dominicæ 814. intronizatus.* Hucusque antiquum illud Chronicon, quod utrum reverâ ab ipso Ivone sit compositum, quemadmodum in præstantissimo hoc Codice Ambrosiano æq; ac in illo ex quo Freherus id primus publicavit, clarè & expressè scriptum legitur: an potius ut nonnulli asserunt, *Hugoni Monacho Floriacensi*, sicut Labbeus Tomo 2. Dissertationis *De Scriptoribus à Bellarmino recensitis*, verbo *Ivo Carnotensis Episcopus*, pag. 503. asserit, tribuen-

„buendum sit non satis constat." Ediderat hoc Chronicon sub Ivonis nomine Marquardus Freherus, sed illud primus sub nomine *Hugonis Floriacensis Monachi* cum notis edidit Bernardus Rottendorpius, anno 1638 in 4. Monasterii mutilum tamen, neque ultra tempora Constantini Magni excurrens, licet in MSS. nostris Gallicis usque ad annum 1034. progrediatur. Itaque Hugo à Sancta Maria, Floriacensis Monachus, Ordinis divi Benedicti post annum 1120. imò & ad annum 1130. claruisse mihi viderur, eadem ætate qua Hugo Victorinus, animum Historicis apponens studiis. Nam Andreas Duchesnius in *Apparatu* seu *Specimine* ad Collectionem Coætaneorum Historicorum Franciæ *triplex Chronicon* illi attribuit, quod opinabar olim excidisse, nunc tamen adhuc extare mihi constat. Ex his tribus *Chronicis* primum jam exiit in lucem, maximè de rebus Gallicis agens, *distinctum sex libris ad Ivonem Carnotensem Episcopum*, quod olim vidi MS. in Bibliotheca Igniacensi Ordinis Cistercienis in Rhemensi Archiepiscopatu. Idemque in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 4954. ab initio Regni Assyriorum incipiens, & ad annum circiter 1034. pertingens. Dedicatum per Epistolam vel missum ad Ivonem Carnorensem Episcopum. Incipit *Glorioso* &c. Ecce tibi &c. Incipit Chronicon, *Assyriorum ergo Rex* &c. impressum ut jam suprà dixi, Monasterii in Germania anno 1638. in 4. cura & studio Bernardi Rottendorfii qui Notas ad calcem Operis adjecit, apud Bernardum Ransfeldium. Hujus quoque *Chronici* exemplaria duo MSS. extare in Bibliotheca Lambetana Cantuariensis Archiepiscopi, scribit Gulielmus Cavus in *Historia literaria* Seculo XII. ad annum 1120. pag. 654. Pleraque MSS. Exemplaria hujus Chronici falsò attributa sunt Ivoni Carnotensi Episcopo, eo quod ad illum destinatum ab Hugone à Sancta Maria fuerit: & plurima MSS. ultra tempora Caroli Magni vel filiorum ejus, non procedunt, ex scribarum (opinor) negligentia, quomodo procedit illud, de quo Lambecius supra citatus locutus est. Ac eodem modo exemplaria Anglicana procedunt, nempe inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2502. litera F II Codice 7. num. 18. *Ivonis Carnotensis Chronica à Nino Rege ad Carolum II. filium Ludovici filii Caroli Magni*, libris quatuor pag. 314. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 555. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 88. *Ivonis Carnotensis Historia* N. 7. 8. Art. Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1384. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 107. num. 9. *Chronica Ivonis*. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 8340. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 618. *Ivonis Carnotensis Historia ab initio mundi usque ad Ludovicum Pium.* Inter MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ Codice 517. & 518. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis litera I. Codice 377. *Ivonis Historia Ecclesiastica* in 4. membrana H 21. Codice 378. *Ivonis* vel *Freculphi Chronicon*, ut viderur, in fol. membrana B. 2. Inter MSS. Codices Cotronianæ Bibliothecæ, sub effigie Virellii litera E Codice 8. num. 22. *Historia succincta, edita à venerabili Ivone Carnotensi Episcopo, imprimis de gestis quorundam Regum Assyriorum, & de gestis omnium Rom. Imperatorum, & ad ultimum de Carolo Magno Rege Francorum, & ipsius Successoribus, hoc est, ad tempus Ludovici Pii, anno 814.* Hæc de *Chronico primo* Hugonis Floriacensis. Scripsit *Chronicon secundum* de rebus Ecclesiasticis maxime agens, quod extat MS. in Bibliotheca Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis cujus fragmentum *de Statu Galliæ* profert Andreas Duchesnius Tomo I. *Historicorum Franciæ Coætaneorum* pag. 16. ubi hæc *Ex libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ, quæ breviter ab Hugone de Sancta Maria Monacho S. Benedicti Floriacensis deflorata, anno ab Incarnatione Domini M C IX. Extat Historia hæc MS. in Bibliotheca Alexandri Petavii, Senatoris Parisiensis.* Idemque habet in Indice Scriptorum qui hoc Tomo continentur. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2388. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Bodleji litera F 3 Codice 22. *Hugonis Floriacensis Historia Ecclesiastica*, quam ab ipso Scriptam anno 1109. testatur Andreas Duchesnius, qui illam habuit. *Tertium Chronicon* quod scripsit Hugo Floriacensis, est illud ipsum quod habentur cum *Chronico primo* in Corpore Historiæ Francicæ veteris & sinceræ quod Marquardus Freherus supra citatus Hanoviæ in fol. 1613. edidit, itemque ad calcem Operum Ivonis Carnotensis Episcopi, ex editione Parisiensi 1647. in folio apud Joannem Baptistam Souchetum. Nempe *Breve Chronicon de Regibus Francorum*, à Pharamundo usque ad Philippum I. Francorum, & Gulielmum Rufum & Henricum I. Anglorum Reges. Nam ad hoc usque tempus pervenit Hugo Floriacensis, qui Regibus Angliæ gratus fuit, maxime autem *Henrico I.* cui libros duos *De Regia potestate & Sacerdotali dignitate* dedicavit, quos nuper in lucem emisit doctissimus Baluzius *Miscellaneorum* Tomo IV. pag. 9. Horum quoque librorum *De potestate Regia* &c. extat MS. exemplar aliud in Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, litera B 2 quem cum editis conferre curiosi possunt harum rerum. Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 299. in Manuscriptis Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis Codice 234. *Hugo Floriacensis in Psalterium* MS. in 4. habetur. Agunt de Hugone Floriacensi, ejusque variis *Chronicis* Andreas Duchesnius in *Apparatu* seu *Specimine* Collectionis Historicorum Coætaneorum Franciæ Gerardus Johannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 47. pag. 364. Petrus Lambecius Lib. 2. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis*

fis cap. 8. à pag. 856. ad 860. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1120. pag. 654. ubi ait extare MSS. duo integra exemplaria hujus *Chronici* in Bibliotheca Lambethana. Nos quoque suprà in *Ivone Carnotensi Episcopo* ad annum 1100. ubi de MSS. Gallicanis foliis integris & sinceris.

1120 DOMNIZO PRESBYTER sub Imperio Henrici V. potissimum claruit usque ad annum circiter 1125. & ultrà, quem sæpe in rebus ad Mathildem & Gregorium Papam VII. spectantibus, ut oculatum testem & in omnibus rebus sincerum ac fidelem allegat in Annalibus Ecclesiasticis Cæsar Baronius. Scripsit Libris 2. *Carmine heroico Vitam Mathildis Comitissæ*, stylo barbaro & maxime inculto. Cum autem mortua illa non sit ante annum 1116. ut testatur idem Domnizo, inquiens ipsam Mathildem anno 1115. celebrare voluisse Natalem Christi diem: inde inferimus Opusculum Domnizonis circa annum circiter 1120. promotum atque expressum, quod vir clarissimus Sebastianus Tengnagelius Imperatoris Bibliothecarius, Ingolstadii anno 1612. in 4. edidit. In hoc autem volumine Tengnagelii *Gebhardus Salisburgensis Archiepiscopus* qui anno 1088. obiit, *Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus* qui anno 1084. mortuus dicitur, *Stephanus Halberstatensis Episcopus*, & alii Antistites ac Principes continentur: qui diversas *Epistolas pro Gregorio VII. aliisque Pontificibus Romanis contra Schismaticos* scripserunt, quas cum aliis veteribus Monumentis ex MSS. Codicibus edidit dictus Tengnagelius. Tum sequuntur *Libri 2. Metrici Domnizonis Presbyteri, de rebus gestis Mathildis Comitissæ*, cum Bernaldi seu Bertholdi Constantiensis Presbyteri *Libello de vitandis Excommunicatis*. In quo eodem volumine Tengnagelii reperies *Vitas Altmanni Passaviensis*, *Thiemonis Salisburgensis & Anselmi Lucensis Episcoporum* ab anonymis scriptas. Itemque *Hestonis Scholastici brevem Commentarium De rebus anno 1119. gestis inter Calixtum Papam II. & Henricum V. Imperatorem*. Quæ omnia rebus Gregorii VII. explicandis conducere credita sunt. Idem *Domnizonis Poëma* recusum inter *Scriptores rerum Brunsuicensium illustrationi inservientes* quos anno 1707. in folio Godefridus Guilielmus Leibnitz edendos curavit Hanoveræ, sumptibus Nicolai Foersteri pag. 629. ad 689. Agit de *Domnizone* Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis*, cap. 6. pag. mihi 773. Godefridus Guilielmus Leibnitzius, in *Introductione* præmissa ad suos Scriptores collectos suprà §. seu capite 40.

1120 HESSO REMENSIS SCHOLASTICUS & PRESBYTER, circa hoc idem tempus brevi compendio scripsit *Acta Concilii Remensis anni 1119.* quod insertum Conciliis ultimæ editionis Parisiensis Labbeanæ, tomo X. pag. 872. & sequentibus. Idem autem est Opusculum cum superiore, de quo statim diximus, ut ex utriusque collatione apparet: cujus editionem primus procuravit Sebastianus Tengnagelius anno 1612. Ingolstadii in 4.

LIETBERTUS SANCTI RUFI ABBAS, 1120 seu Litbertus natione Belga mihi fuisse videtur, qui tandem Insularum in Flandria Canonicus & successu temporis ob famam doctrinæ ac meritum probæ conversationis, Canonicorum factus Præpositus. Ut credere par est, Lietbertus perfectius Vitæ institutum desiderans, abjecta Canonicorum Insulanorum Præfectura, quorum mores forsitan tunc temporis minus ornati & compositi erant, ad Canonicos Regulares Congregationis Sancti Rufi, Ordinis divi Augustini prope Valentiam in Delphinatu se contulit. Quorum amplexus institutum regularis observantiæ, in tantam apud sodales urgente temporis spatio existimationem venit, ut ad Abbatiæ tandem regimen admotus sit. Insignis doctrina, circa annum 1120. scripsit prolixum simul & insignem *Commentarium in Psalmos Davidis omnes*, de quo Joannes Mabillon tomo 1. Analectorum pag. 289. Ubi extat Epistola Gualteri Magalonensis Episcopi ad Robertum Præpositum Insulanum consanguineum ejus *De Floribus Psalmorum à Lietberto Sancti Rufi Abbate collectis*. Cum autem Gualterus anno 1103. factus Magalonensis Episcopus & Apostolicus Legatus, anno 1129. mortuus sit, atque hoc Opus Lietberti exposcat à Roberto Insulano Præposito, qui ut credibile est, Lietberto in Præpositura Canonicorum Insulanorum successerat: vix hoc Opus ante annum 1120. vel circiter compositum opinamur. Vidi Opus istud cum Epistola quam idem Mabillonius refert, MS. tribus in fol. voluminibus in Bibliotheca Brauensi Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Suessionensi. Ista tamen *Expositio in Psalterium Davidis*, attributa Gualtero Magalonensi Episcopo, MS. in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 4164. Idemque Opus istud MS. in Bibliotheca Claræ Vallis, inscriptum, *Expositio Gualteri Magalonensis Episcopi super Psalterium*. Et in Bibliotheca Pontiniacensi ejusdem Ordinis, inscriptum *Gualteri Magalonensis Episcopi de Floribus Psalmorum*. Verum ad dictum Lietbertum spectat, ut ex lectione Prologi apparet, atque ipsius Gualteri Magalonensis Episcopi *Epistola* quam loco citato Mabillonius edidit. Mentionem facit Lietbertus Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Letbertus S. Rufi Abbas* pag. 626. editionis 1643. Lovanii in 4.

HERMANNUS SANCTI MARTINI 1120 TORNACENSIS ABBAS, ab anno circiter 1120. clarus, Segardo Abbate anno 1127. tertio Calendas Februarii mortuo atque in Sacello beatæ Mariæ ante Altare sepulto, successit in regimine hujus Ecclesiæ. Hic filius Radulphi Præpositi, qui cum reliquis fratribus suis Theodorico, Waltero & Radulfo, ad pedes magistri

Odardi seu *Odonis* literali scientia apprime eruditus, divini verbi claruit prædicator maximus, egregie evangelizans & affirmans testimoniis Scripturarum Christum Dei virtutem, mundi Redemptorem & Salvatorem, cujus lingua principaliter inter principes loquebatur sapientiam. Temporibus autem Abbatis Hermanni Ecclesia S. Martini Tornacensis dedicata est à Domino Simone Episcopo anno Dominicæ Incarnationis 1132. ab instauratione verò ejusdem Cœnobii 40. In administratione autem Cœnobii, annis decem nondum expletis, in gravem quæ paralysis dicitur, ægritudinem incidit: qui juxta exemplum Summi Magistri dicentis, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, mansuetudine eximia & cordis humilitate pollens, nemine prorsus cogente, sed propria voluntate & humilitate, curam sibi commissam susceptique regiminis baculum, anno 1136. vel sub initium anni 1137. in manus reddidit Simoni Dei gratia Tornacensium Episcopo. Hæc verbotenus ex continuatione *Chronici Abbatiæ S. Martini Tornacensis*, tomo XII. *Spicilegii Dacheriani*, num. 107. pag. 475. utrum morbo quo tunc temporis tenebatur, dum Abbatiæ oneri cessit, succubuerit & satesfunctus sit Dominus Hermannus, an eo tandem favente Deo solutus sit, incertum est, reticente Abbatiæ istius Historia. Mihi tamen ex conjecturis, huic morbo diu superstes fuisse videtur. Scripsit ille pro indole sibi ad literas nata *Libros tres de Miraculis beatæ Mariæ Laudunensis*, quos clarissimo tunc temporis Antistiti, seu Episcopo Laudunensis urbis Bartholomæo dedicavit, impressos postmodum ad calcem operum Guiberti Abbatis Novigentini, studio Domini Lucæ Dacherii, Parisiis anno 1651. in fol. apud Ludovicum Billaine. Scripsit quoque dum esset Abbas hujus Cœnobii *Narrationem* seu *Historiam Abbatiæ S. Martini Tornacensis*, quam Patribus, Fratribus, filiisque ejusdem Monasterii omnibus dedicavit. Impressionem cujus procuravit idem Dacherius Ordinis divi Benedicti, Congregationis S. Mauri in Gallia, tomo XII. *Spicilegii* pag. 358. & sequentibus, anno 1675. apud eundem Billanium, in 4. Scriptum autem Opusculum istud Romæ ut ipse inquit, atque anno à restauratione Monasterii Sancti Martini Tornacensis quinquagesimo: dum ibidem ob negotia Episcopatus versaretur, *Ne otio torperet:* quod quantum studiis intentus esset Hermannus, insigne indicium est. Id ipsius audiamus verbis, in prologo narrationis præfatæ. „Nostis autem ex quo adolescentulus fui, me idem „facere voluisse, & etiam tabulis aliqua impres„sisse: Sed dum considerarem primos Ecclesiæ „nostræ incœptores adhuc vivere, adulationis „notam timuisse: si eorum actus viventibus „ipsis videre scribere, sicque ea quæ incœperam, „delevisse. Nunc verò quia jam duobus pri„mis defunctis, ego tertius Abbas successi, ac „de prioribus Monachis aut nullum aut paucos „superstites video, simul etiam quia jam quinquagesimum annum restaurationis nostræ„ transiisse non ignoro, ecce securior petitioni„ vestræ possum acquiescere. Si enim ulterius„ distulissem, tempore prætereunte multa possunt„ paulatim oblivioni tradi, quæ necesse fuisset„ describi. Quia ergo, sicut nostis, præterito„ nuper Natali Domini cum Domino nostro„ Samsone Remorum Archiepiscopo Romà re„ diens, litteras Domini Papæ Innocentii II.„ Tornacum detuli, præcipientes Tornacensi„ bus ut proprium sibi Episcopum eligerent, &„ ab obedientià Noviomensis Episcopi omnino„ absoluti essent: sicque electo ad Episcopatum„ Domino Absolone Sancti Amandi Abbate, sta„ tim pro eo Romam rogatus sum redire.„ Dumque Domini Papæ responsum expecto,„ jam ab octavis Paschæ usque ad octavas Pen„ tecostes, me Romæ demoratum esse conspi„ cio. Ne penitus tam longi temporis tædio„ deficiam, vel otio depeream, in Lateranensi„ Palatio, restaurationis Ecclesiæ nostræ ordi„ nem scribere aggredior, descriptumque vobis„ transmittere cupio. Summopere deprecans,„ ut si forte, quod multum timeo, nimio calore„ ingravescente, mori me Romæ contigerit:„ Servuli vestri animam, Domino precibus„ commendetis. Duobus sane fraternitatem„ vestram jugiter hortor insistere, Religioni„ scilicet & mutuæ dilectioni: per hæc enim„ duo, tam intrinsecus quam extrinsecus Deo„ favente proficere poteritis. Hæc duo quo„ tiescunque firmiter tenuimus, exterius fæ„ vientes mundi procellas deridendo despexi„ mus, & despiciendo calcavimus: Si quando„ verò ea vel leviter inter nos frigescere per„ misimus, exteriorem prosperitatem nihil no„ bis commodi conferre probavimus.„

Ambiguum autem videtur, quomodo hoc Chronicon Hermanno convenire possit. Nam num. 107. pag. 475. vel ipse Hermannus vel illius continuator, annum 40. restaurationis Cœnobii S. Martini Tornacensis, cum anno Dominicæ Incarnationis 1132. concurrentem facit. Annus ergo restaurationis hujus Cœnobii 50. quo Hermannus in Prologo Chronici, se Romæ illud scripsisse testatur, cum anno Dominicæ Incarnationis 1142. concurrit. Si autem Abbas adhuc sui Cœnobii & Romæ positus, anno 1142. illius Chronicon scribebat: quomodo stabit quod ad marginem Prologi, pag. 398. de Hermanno scriptum est: *Abdicavit munus Abbatiale anno 1136. in fine, vel initio sequentis, cum præfuisset 10. fere annis.* Quod confirmatur ex eodem Chronico, num. 104. pag. 473. ubi Segardus ejus decessor mortuus dicitur die Dominicâ anno Dominicæ Incarnationis 1127. Indictione V. Epacta VI. Concurrente V. tertio Calendas Februarii. Sed dicendum, post Abbatialis dignitatis depositionem, Romam anno 1142. missum esse, ut constat ex continuatore *Chronici* num. 113. p. 481. Non videtur autem Hermannus extendisse suam

suam *Narrationem* ultra numerum 102. pag. 472. tomi XII. *Spicilegii*. Nam numerus 103. incipiens, *Hermannus ergo Praepositus factus capit pro posse paternos mores imitari &c.* videtur esse continuatoris alterius, qui usque ad annum 1160. protenditur, quo suam relationem absolvit. Nam ut inquit Lucas Dacherius in Præludiis ad tomum 12. *Spicilegii*, „Hermannum quippe „summa animi demissione, aliisque virtutibus „præclarum, in tot sui laudes prorupisse, minime „fas est credere.

Idem Abbas existens scripsit Opusculum *De Incarnatione Domini ad Stephanum Viennensem Archiepiscopum* in Gallia, quod ex MS. Codice Abbatiæ Viconiensis juxta Valencenas acceptum, à me Lugduni Batavorum in 8. anno 1692. apud Petrum de Meerche editum est. Opusculum istud ab eo Abbate Ecclesiæ Sancti Martini Tornacensis scriptum ut præfatur, atque ad prædictum Archiepiscopum missum, quo cum aliquando de eo locutus fuerat. Cum enim è Metropoli Flandriæ Tornaco, alias Viennam Galliarum (ut inquit) causas ob nescio quas venisset, cumque ab Archiepiscopo lubenter & hilariter acceptus fuisset: in hospitalitatis exhibitæ gratiam, Tractatum hunc, de quo olim cum Archipræsule disseruerat, ad eum misit, gratitudinis monumentum stabile. Scriptum autem illud Opusculum fatetur, ex Domini Odonis Abbatis primi Sancti Martini Tornacensis dictis, sub quo juvenis Monasterium ingressus, profectum Monachorum exercitationem didicerat. Hermannum ipsum ex Prologo audiamus. „Is inquam Odo Abbas in vi„gilia Nativitatis Domini, de eadem incarnatio„ne ejus sermonem perpulchrum & prolixum „fratribus nostris in capitulo singulis annis fa„cere consueverat: adeò ut cum mane incipe„ret, usque ad horam ferè sextam eum proten„deret. Et quia tunc eram adolescens & capa„cis ingenii, non pauca ex ejus verbis memo„riæ commendavi, quæ nunc etiam referam vo„bis, & omni legere volenti. Itaque pronun„tiato ex more Evanglio *Cum esset desponsata* „*Mater Jesu* &c. Sicut mihi videtur, hoc modo „solebat incipere &c." De eodem autem *Hermanno* Continuator Chronici Sancti Martini Tornacensis, tomo XII. *Spicilegii Dacheriani* pag. 486. ita loquitur. *Dominus etiam Hermannus quondam Abbas noster cum eisdem Principibus gloriosum Domini Jesu sepulchrum invisere multo ardore sitiens, anno Dominicæ Incarnationis ni fallor 1147. Hierosolymam religioso cum apparatu ire perrexit. In itinere quid egerit, actum quid de eo sit, nihil certi habemus: alii enim pro Christi nomine & proximi dilectione martyrizatum, alii captivum abductum referunt.* Non improbabile autem videtur, quin ad annum circiter 1150. vel circiter superstes fuerit. De isto *Hermanno* Lucas Dacherius, tum in præludiis ad Opera *Guiberti de Novigento* editionis citatæ, tum ad tomum XII. *Spicilegii*. Natalis Alexander in *Scriptoribus* Seculi XII. Nos in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1120. pag. 385. & pauci quidem alii. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Hermannus Abbas 3. S. Martini Tornacensis*, pag. 378. editionis 1643. Lovanii in 4.

ÆLNOTUS CANTUARIENSIS ECCLESIÆ MONACHUS, ex Ordine divi Benedicti Anglia relictâ ineunte seculo XII. In Daniam transiit, ubi se mansisse per annos viginti & quatuor testatur. Scripsit *Librum de Vita & Passione Sancti Canuti Daniæ Regis*, quem Nicolao ejusdem Canuti Fratri, Daniæ Regi dedicavit: qui cum ab anno 1105. ad annum 1135. per annos circiter triginta Danicum regnum rexerit, circa annum circiter 1120. hoc Opusculum ab Ælnoto compositum arbitror. Edidit illud omnium primus Arnoldus Huitfeld Hasniæ anno 1602. tum posteà Joannes Meursius ibidem anno 1631. in 4. cum paucis ad finem notis, apud Joachimum Moltkenium. Hujus meminit Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad a. 1105. p. 638. 1120

BALDRICUS DOLENSIS IN ARMORICA ARCHIEPISCOPUS, natione Gallus, patriâ Aurelianensis, qui junior Ordinem divi Benedicti apud Burguliensem in Andegavis Abbatiam amplexus, lapsu temporis atque progressu maturioris ætatis doctrinæque majoris, ad hujus Ecclesiæ Abbatialem dignitatem assumptus est. Jam Prælatus huic Cœnobio, interfuit anno 1095. Concilio Claromontano, à quo Expeditio Christianorum Occidentalium in Orientem decreta est. Factus ex Burguliensi Abbate, anno 1114. Archiepiscopus saltem nomine tenus, Dolensis in Britannia Minori, cujus loci Ecclesiam per annos XXXII. & dies 44. cum laude & inculpata vita administravit. Scripsit *Libros IV. Historiæ Hierosolymitanæ Poëtica methodo*, qui laudantur ab Orderico Vitali lib. 9. *Historiæ Ecclesiasticæ*. Admovit manum huic Operi sexagenarius, neque visa à se narravit, sed quæ ab Anonymo verè quidem, at stylo planè rustico & incondito scripta sunt, ornatiori ipse oratione ligatâque dictione prosecutus est. [Inc]ipit ab anno 1095. seu à Concilio Claromontano, quo initium habet peregrinatio in Orientem, desinit verò in captis Hierosolymis, quod quinquennio post contigit. Hunc Baldricum non verè modò, sed etiam disertè scribere, judicium est ejus, qui se illum exscribere profitetur, Orderici Vitalis dico, qui & alia de eo refert, quæ legere licet apud eruditum ejus evulgatorem Bongarsium in προλεγομένοις Historiæ Orientalis. Opus impressum in Collectaneo *Gestorum Dei per Francos* seu *Historia Orientalis* editæ 2. in fol. tomis Hanoviæ anno 1611. curâ & studio Jacobi Bongarsii, tom. 1. pag. 81, non autem inter Historicos Francicos à Duchesnio editos tomo IV. ut imperitè vult Cavus 1120

in

in *Historia Rei litterariæ* ad annum 1114. pag. 642. in *Baldrico*. Ejusdem *Baldrici Andegavensis, Abbatis Burguliensis Carmina Historica* de illustribus ætatis suæ viris, ex vetere Codice MS. qui exstabat in Bibliotheca V. Cl. Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis, nunc primum citato tomo 4. pag. 251. quæ Andreas Duchesnius edidit. Extat etiam Historia illa MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4899. Eadem illa MS. iterum ac tertiò, in celebri Bibliotheca Abbatiæ Claræ-vallis, Ordinis Cisterciensis, quam olim vidimus. Denique in Bibliotheca quoque Dominicanorum Carnutensium, extat MS. *Baldrici Burguliensis Abbatis Historia peregrinationis Hierosolymitanæ*. Idem *Vitam Sancti Samsonis Dolensis in Armorica Episcopi Libris duobus* scripsit, quam edidit Joannes Mabillon Seculo I. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 165. & sequentibus. Opus quod fabulam olet, in quam facilis & propensus ex ingenio Baldricus fuisse videtur. Hujus Prologus incipit, *Religiosorum memoriâ compulsus &c.* Liber I. *Igitur Beatus Samson &c.* Liber 2. *Regnante perenniter Domino nostro Jesu Christo &c.* Scripsit pariter *Vitam Sancti Maglorii Dolensis Episcopi*, ibidem pag. 223. quæ incipit, *Magnificæ sanctitatis vir Domine Maglorius &c. Vitam Sancti Maclovii Aletensis Episcopi*, ibidem pag. 217. quæ incipit, *Gloriosus Christi Confessor Maclovius &c.* Idem *Vitam Sancti Roberti de Arbrissellis, Ordinis Fontis Ebraldi fundatoris* Petronillæ Abbatissæ dicatam, quam habent Surius & Bollandus ad diem 26 Februarii. Cui Andreas Monachus Fontis-Ebraldi, *descriptionem obitus Sancti Viri* ibidem insertam, addidit. Idem Baldricus scripsit *Translationem & Miracula capitis Sancti Valentini Martyris* ad Abbatiam Gemmeticensem, quæ apud Bollandum ad diem 14. Februarii. *Historiam veterem De Sancto Hugone Rhotomagensi Archiepiscopo* in meliorem (ut potuit) statum restituit idem Baldricus, quam Ursioni Gemmeticensium Abbati, ejusdemque loci Congregationi nuncupavit. Hanc ex libro XIII. Jacobi Guisii habemus, qui illam in undecim capitula distinxerat. Integram verò edidit Arturus du Monstier in *Neustria Pia* cap. 8. Gemmeticensis Monasterii pag. 282. quam capite 9. discussit exploditque ut fabulosam, & variis mendis veritati ac rationi Chronologieæ omnino adversantibus scatentem. Unde confirmamur in opinione ea quam suprà jam exposuimus, fuisse Baldricum facilem ad obvia quæque credenda & scribenda, absque discussione argumentorum ullâ gravi. Ejusdem *Relatio prolixa de Monasterio Fiscamnensi*, quam ex MS. Codice Fiscamnensi edidit idem Arturus du Monstier, ibidem pag. 227. Scribit Guillelmus Cavus in *Historia litteraria* ad annum 1114. p. 642. extare *Baldrici libellum De visitatione infirmorum* MS. in Bibliotheca Lamberana Cantuariensis Archiepiscopi: sed videndum an non fit unum ex illis Opusculis, quæ de eodem argumento extant tomo 6. inter Opuscula Spuria divi Augustini, quorum multa spectant ad Scriptores seculi duodecimi. Mortuus tandem Baldricus Dolensis Episcopus anno 1131. die 24. Januarii, quem citat Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali* Libro XXV. Cap. 96. & alibi. Canonicus Regularis prope Nussiam in *Magno Chronico Belgico*. Cui fabulosas quoque *Vitas S. Samsonis Dolensis Episcopi & S. Hugonis Rothomagensis Archiepiscopi*, tum apud se manuscriptas, tum Atrebati in Monasterio Sancti Vedasti, attribuit Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pag. 246. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* parte 2. cap. 6. pag. mihi 771. fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 2. in Episcopis Dolensibus.

STEPHANUS HARDINGUS CISTERCII ABBAS, natione Anglus, cum varias Galliarum partes percurreret, in Burgundiam demum iter faciens, apud Molisinense Cœnobium Lingonensis Episcopatus ex instituto divi Benedicti, Monasticam vitam amplexus est. Quibus relictis ad Ordinem Cisterciensem se recipit, ubi eum decennio Monachus vixisset, anno tandem 1109. Cisterciensis Abbatiæ regimini designatus est. Appellatur seu creditur author *Primarum Ordinis Cisterciensis Constitutionum*, quas vulgo *Chartam charitatis* appellant, quasque congregato Generali Cisterciensium Capitulo anno 1116. atque iterum etiam 1119. communi Abbatem tunc existentium in Ordine decreto, ad unionem Monasteriorum inter se stabiliendam & confirmandam, evulgavit. 1120
Extant *Constitutiones* quidem seu *Charta Charitatis* in Menologio Cisterciensi edito Antverpiæ typis Plantinianis anno 1635. ad diem 5. Julii. Et in *Annalibus Cisterciensibus* Angeli Mauriquez Lugduni anno 1642. in folio impressis tomo I. ad annum 1119. Dicitur etiam scripsisse *Exordium parvum Ordinis Cisterciensis*, quod impressum legitur tomo I. pag. 1. *Bibliotheca Cisterciensis*, quam variis in folio tomis edidit Bertrandus Tissier Prior Bonifontis in tractu Remensi anno 1660. & sequentibus, venditur autem Parisiis in Collegio Bernardinorum, & apud Edmundum Conteret via Jacobæa sub signo boni pastoris. Ejusdem *Sermo habitus in obitu S. Alberici*, quem refutat Angelus Mauriquez tomo I. *Annalium Cisterciensium* quos supra attulimus, ad annum 1109. Denique extant ejusdem *Epistola dua* ad Ludovicum Galliæ Regem, inter Epistolas Sancti Bernardi. Obiit anno 1134. die 17. Aprilis, cum aliquot ante mensibus abdicasset, oculis orbatus. Plura de Sancto Stephano Cistercii post Albericum Abbate tertio, Omnes qui scripserunt de *Cisterciensibus rebus*. De scriptis autem Carolus de Wisel, Dunensis Prior, in *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis* pag. 301. Angelus Mauriquez in *Annalibus Cisterciensibus* tomo I. ad annos 1109. & 1119. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1109. pag. 639.

HER-

1120 HERMANNVS CAPPEMBERGENSIS PRÆPOSITVS, natione Germanus, ortu Coloniensis, religione Judæus, qui tandem Egberti Monasteriensis Episcopi sermonibus & Ruperti Abbatis Tuitiensis colloquio expugnatus, abdicato Judaismo nomen Christo dedit, Freudentibus in eum Coloniensibus Judæis, a quibus injurias multas pertulit. Adhæsit ille postmodum Nerberto Ordinis Præmonstratensis fundatori, qui ex his Coloniæ partibus oriundus erat, unusque fuit ex primis, qui Ordini huic anno 1120. initium habenti, se inscripsit. Itaque anno 1124. à Norberto institutus est atque designatus Ecclesiæ Cappembergensis in Vesphaliâ primus Præpositus, quam multis annis summa cum laude rexit. Scripsit *Opusculum de conversione sua*, quod ex Bibliotheca Paulina Lipsiensi erutum, novissimæ *Raymundi Martini Pugionis fidei* editioni subjecit Benedictus Carpzovius Lipsiæ anno 1687. in fol. Scripsit quoque ille *Vitam Sancti Godfridi Cappembergensis Comitis & Præposituræ ejusdem nominis, Ordinis Pramonstratensis Fundatoris*, qui anno 1126. die 13. Januarii obiit, anonymam à Laurentio Surio & Joanne Bollando telatum, tom. I. mensis Januarii, ad diem 13. ipsius. Vixit ad annum 1140. hic Hermannus & ultra, de quo pluribus Joannes Paigius vel Joannes Le Paige author *Bibliotheca Præmonstratensis*, quæ anno 1633. Parisiis in fol. impressa est. Goillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1116. pag. 646.

1120 GVILLELMVS MALMESBVRIENSIS MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, Abbatiæ Malmesburrii Præcentor & Bibliothecarius, natione Anglus, patria Somersetensis, unde Somerset dictus, claruit circa annum 1110. & 1120. itant omnino erret Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, dum inquit illum æqualem fuisse *Berengarii Andegavensis*, qui teste Sigeberto in *Chronico* circa annum 1051. De *Eucharistia* seu *Corpore & Sanguine Domini* quæstionem movit, a quo annos octoginta integros distat. Inquior prorsus fuit Guillelmus Malmesburiensis Monachus, in Rabanum Maurum Moguntinensem Archiepiscopum, quam par esset arque rationi conveniret, ut ex *Præfatione ejus ad Abbreviationem Amalharii* liquet, quam ex Lambetana bibliotheca nuper produxit Petrus Allix, ad Joannem Parisiensem à se editum. Qua non modo illius de Eucharistia sententiam tanquam minus sanam, imo periculosam notat, sed & libros ejus veluti parum utiles traducit, inquit Guilielmus Cavus *Historia rei literaria* Sec. IX. verbo *Rabanus Maurus* ad annum 847. pag. 540. Quin & illum plagii cujusdam insignis insimulat, quasi *tres de officiis Ecclesiasticis libros* ex Augustino, Isidorio, & Gregorii Pastorali ad verbum transcripsisset, alia quædam Opuscula ex Isidoro & Beda compilasset: *Fuit enim*, inquit, *vir ille huic vitio peculiariter affiduus, quasi prorsus desperaret lectores suos memoriam non habere, qua possint ejus furta deprehendere:* quæ tamen juxta Cavum, non tam rei veritati, quam literatorum invidiæ, & peculiari in Rabani sententiam odio, Guillelmo Malmesburiensi, adscribenda sunt. Erat quippe Rabanus extra controversiam, inter seculi sui doctrina claros facile princeps: nec ipse modo eruditissimus, sed solis instar, ubique doctrinæ radios sparsit. Erat sub eo Fuldense Monasterium publica virtutis & eruditionis schola, CCLXX. Monachos habebat, quos non solum in SS. Scripturis, sed etiam secularibus literis erudivit. Aliunde etiam confluxerunt ad eum discipuli, adeo ut ex ejus Schola prodirent, qui mox ad summas in Ecclesia & Republica dignitates evecti sint. In suorum usum Fuldensem Bibliothecam primus condidit, libris quæ illam ornatam reddidit: quin & ipse tot præclara volumina scripsit, quæ sola Bibliothecam formaret & instruere possunt. Hæc Cavus in Rhabani Mauri gratiam verbotenus, loco citato. Verum ut par pari referatur, Guilielmo Malmesburiensi: dico eundem esse reum aperte illius criminis, cujus Rabanum accusat, illumque fuisse expilatorem antiquiorem quos neque nominat, scriptorum. Hoc mihi constitit ex lectione Historiarum ejus, duobus ex locis. Nam quæcunque habet *De gestis Regum Anglorum* lib. 3. de humilitate, eleemosyna, modestia, castitate, zelo, abstinentia Berengarii Andegavensis Archidiaconi, apud quem extat nobile Hildeberti Cenomanensis Episcopi, ipsius Berengarii discipuli, in laudem ejus Epitaphium, hæc omnia verbotenus expilavit ab anonymo Anglo scriptore quem Sulcatdum Vestmonasteriensem Monachum arbitror, qui circa annum 1090. scribebat, ubi habentur lib. 3. cap. 27. de quo ad annum 1090. locutus sum. 2. quæ etiam habet Guillelmus Malmesburiensis lib. V. *De Pontificibus Anglorum* pag. 355. Alfricum nempe Ablatum Malmesburiensem anno 974. obtinuisse privilegium & confirmationem ab Edgaro Anglorum Rege, quam profert ibidem: hæc quoque accepit ab Ingulfo Croilandiæ Abbate in *Chronico* suo Abbatiæ, quem tamen ne nominare quidem dignatus est: vel ab Aione, ex quo Ingulfus habuit, ut ex citato Chronico constat. Ac nullus dubito, quin eodem plagii facere passim usus sit. Scripsit *Libros V. De rebus gestis Regum Anglorum a primo Saxonum adventu ad vigesimum octavum Henrici primi Regis annum*, videlicet ab an. 449. ad annum 1127. ad Robertum Glocestriæ Comitem, Henrici primi filium nothum. Cui Operi addidit postea *Historia Novella Libros duos ab* anno 1127. ad annum 1143. eidem Roberto dicatos. Denique *Libros IV. De rebus Gestis Pontificum Anglorum* a primo *S. Augustini Cantuariensis Episcopi adventu ad sua usque tempora*. Quas omnes Historias ex MSS. Anglicanis collectas in unum collectas imprimi curavit Henricus Savillius Lon-

Londini primum anno 1596. in fol. quæ postea recusæ Francofurti in Germania anno 1601. in fol. Quibus addo scripsisse illum anno 1125. *Vitam Sancti Aldelmi Schireburgensis Episcopi primi*, quam edidit Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* tomo I. seu parte I. pag. 726. & sequentibus. Ejusdem *Opus de Antiquitatibus Glastoniæ* habetur MS. in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ, Codice 373. Thomas Galeus in *Collectaneo Scriptorum Historiæ Anglicanæ*, quod 2. in folio tomis anno 1684. & 1687. Oxonii e Sheldoniano theatro edidit, habet Tomo I. pag. 291. *Guillelmi Malmesburiensis De antiquitatibus Glastoniensis Ecclesiæ*. Et pag. 337. *Ejusdem librum V. de Pontificibus Anglorum*, seu potius *De vita & miraculis S. Aldelmi*. Item *Abbreviatio Guillelmi Malmesburiensis ex Gestis Heymonis de Imperatoribus* MS. in Bibliotheca Collegii Balliolensis Oxoniæ, Cod. 108. Denique ut notat Petrus Allix ad calcem præfationis ad Joannem Parisiensem pag. 82. scripsit *Abbreviationem librorum Amalarii De divinis officiis* Roberto quodam amico suadente factam, cui epitomen hanc nuncupavit, quæ MS. extat in Bibliotheca Lambethana Cod. 39. in 4. Magnam Speculi sui Historialis partem Vincentius Bellovacensis ex Guillelmo Malmesburiensi descripsit, qui anno 1143. mortuus scribitur. Cum autem singularia plane sint, quæ de Willelmo Malmesburiensi scripsit Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. seu Partem 2. *Angliæ sacræ* num. 1. pag. 1. occasione Opusculorum quorundam Guillelmi istius, quæ ex MSS. Codd. Anglis in lucem primus produxit: ejus hic verba referre non gravabor, cum ad erudiendos posteros non parum conducent. Sic itaque num. 1. pag. 1. „Primum in his tenet locum *Vita S. Aldhelmi Scireburnensis Episcopi*, qui primus è Gente nostra Latinas literas scriptis adhibuit. Authorem habet insignem Historicum, Willelmum Somerset, Cœnobii Malmesburiensis Bibliothecarium & Præcentorem, qui plurimis ingenii monumentis egregiam sibi famam comparavit, & *Historiam Novellam*, quam ultimo loco scripsisse videtur, in anno 1143. clausit. Inter alia *Historiam de Pontificibus Anglorum* à prima fidei susceptione ad annum circiter 1125. contexuit, & in quinque libros opus distribuit. Ex his *quatuor priores* in multis apud nos Codicibus MSS. reperiuntur, *quintus* autem rarissima exemplaria sunt. Hodie enim vix aliud, præter id quo usi sumus invenitur: & Johannes Jocelinus in Tractatu MS. *De Historicis Angliæ* cap. 16. post enumerata plura priorum quatuor librorum apographa a se visa, se *quintus* unicum penes Johannem Foxum vidisse testatur. Postea autem bina alia ejusdem *Vitæ* exemplaria vidi, alterum in Bibliotheca Publica Academiæ Cantabrigiensis, alterum in Collegio Corporis Christi Cantabrigiæ: utraque nostro recentiora, sed integra & manu longe elegantiori descripta; cura ni fallor Matthæi Cantuariensis Archiepiscopi, qui illa Bibliothecis laudalis dono dedit. Scriptus itaque à Willelmo videtur diu post evulgatos libros priores, atque hinc factum est, ut à cœteris dissociatus fuerit. Ejus spem fecerat Guillelmus in Lib. 2. *De Pontificibus Anglorum* cap. De Episcopis Scireburnensibus. *Primus*, inquit, *ibi sedit pater Aldelmus, quem hic tantum loco ordinis nomino. Namque quod ejus Vitam unquam plene digestam reperi, spectantque ad eam quamplurima, quæ si posteros celavero, delinquo: cogitavi annuente Deo, in extremo hujus Opusculi libro, cum ejusdem modi materia, liberioris congredi otio.* Quintus igitur liber, ut Jocelini verbis utar, *agit tantum de Vita & miraculis S. Aldelmi, & de statu Malmesburiensis Cœnobii:* Ad hunc scribendum Willelmus lege gratitudinis se obstrictum dicit, Cœnobium enim Malmesburiense Aldhelmus fundavit. Quatuor priores libri à viro doctissimo Henrico Savilio Londini 1596. editi sunt, quintus jam primum prodit Tomo 2 *Angliæ sacræ* p. 1. Hunc quidem vir Cl. Johannes Mabillonius in Actis Benedictinorum Sec IV. part. I. pag. 726. se dedisse ex Codice Cottoniano descriptum arbitratus est, qui vere autem compendium ejusdem leve duntaxat edidit. Compendium sane antiquitatem non contemnendam habet, Codex enim ille Cottonianus *Claudius A. 5* ante quingentos fere annos exaratus esse videtur, vix autem genuinæ Willelmi Historiæ octavam partem exhausit. In Præfatione sua Mabillonius Egwinum Wigorniensem, Osinundum Sarisburiensem & Eadmerum, ante Willelmum Commentarius *De vita Aldhelmi* contexuisse scribit. Ejusmodi quidem opus Egwino Baleus & Pitsius inscribunt, vereor ne incerta admodum fide, neque de aliis res constat. Favicium Abbatem Abendoniensem nonnulla de Aldhelmi Vita ante se collegisse, Willelmus in prologo suo agnoscit. Genuinum Willelmi *De Vita Aldhelmi* librum Baleus nunquam viderat. Initium enim istud Cent. 2. cap. 73. dedit, *Beatus Aldhelmus Saxonica* &c. Quibus verbis Epitome à Mabillonio edita inchoatur. Alium de eodem libro errorem Baleus iniit, Librum *De antiquitatibus Malmesburiæ* à libro ejusdem *De S. Aldhelmi Vita* diversum statuens. Pitsius utrumque Balei errorem in farraginem suam cap. 201. pro more descripsit. Genuinum Willelmi librum ex Codie MS. Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, descripsi, Codex charactere pessimo ante ducentos circiter annos scriptus est, ac præter frequentia Librarii Sphalmata, graviorem accepit injuriam à Bibliopega, qui in foliorum summitatibus integras sæpe lineas abscidit.„ Item num. XI. pag. 15. ubi de *Libris III. Vitæ S. Wolstani Episcopi Wigorniensis*, quos illic edidit Tomo 2. *Angliæ sacræ* pag. 241.

Vi-

„ Vitam Wolstani Episcopi Wigorniensis ex „Codice Cottoniano antiquo *Claudius A. 5.* de- „scripsi, qui prætulit manu nupera ascriptum „*Senati Bravonii* nomen. Senatus Prioratum „Wigorniensem ab anno 1189. ad 1196. admi- „nistravit, Hanc Wolstani Vitam literis con- „signasse Baleus Cent. 3. c. 10. refert, qui ab an- „tiquo urbis Wigorniæ nomine, Bravonii cog- „nomen eidem dedit. Illam autem quam e- „vulgamus Wolstani Vitam, non Senatus sed „Willelmus quidam à Monachis Wigorniensi- „bus rogatus scripsit, ipse tamen alieni Cœno- „bii Monachus, quod ex Epistola nuncupato- „ria & Prologo clarissime constat. Hunc non „alium ab eximio hujus seculi historico Willel- „mo Malmesburiensi fuisse, ex libro 1. cap. 12. „clarius autem ex lib. 3 cap. 16. patet: in qui- „bus Author ad libros *De gestis Pontificum* & *De* „*gestis Regis Anglorum*, à se olim scriptos lecto- „rem remittit. Fuse autem Willelmus Wol- „stani res gestas libro 4. *De gestis Pontificum* tra- „diderat, ubi nonnulla reperiuntur, quæ in hoc „uberiore Commentario frustra quæruntur. „In hoc Willelmi opere describendo pluresо- „tiulas sententias passim rejeci, atque integra „plerumque capitula prætermisi, indicatis ta- „men utplurimum, de quibus singula agunt, ar- „gumentis. Illa enim exhibuisse multum tædii „lectoribus, & molis inanis præsenti volumini, „nil autem emolumenti Historiæ Ecclesiasticæ „seu rei literariæ contulisset. Præter hanc „*Wolstani*, & præcedentem *Aldelmi Vitam*, scri- „psit Willelmus *Vitam S. Dunstani libris duobus*, „& *SS. Patricii, Benigni atque Indracti:* prout i- „pse in Prologo ad Antiquitates suas Glastoni- „enses prodit. Hæc locis citatis erudita Hen- „ricus Warthon." Multa etiam habet de Guil- lelmo Malmesburiensi seu Meldunensi inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ n. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. num. 28. his verbis.

„ 28. Ex libris Gulielmi Meldunensis de Re- „gibus Anglorum pag. 207. Ex libris ejusdem „de Pontificibus pag. 214. Ex itinerario ejus- „dem de laboriosa Joannis Abbatis Meldunen- „sis profectione versus Romam, pag. 225. Guil- „lelmo Meldunio non fuit in hoc Itinere co- „mes Joannes Abbas, sed quidam Petrus na- „tione Biturix, Monachus ejusdem cœnobii, & „post Joannem Abbas, a quo Gulielmus instru- „ctus *Itinerarium* scripsit, multis plane memo- „rabilibus rebus refertum.

„ 29. Ex duobus libris Gulielmi Meldunen- „sis, quos De vita S. Patricii ad Monachos Glas- „soburgenses scripsit. Hunc librum inveni a- „pud Canonicos Christicolos de Twinham sive „Medinenses in provincia Avoniæ littoralis pag. „230. Pollicetur hic Gulielmus scripturum se „de reditu Patricii in Britanniam, sed hactenus „in nullo exemplari, de reditu scriptum all- „quod vidi. Nescio, an quod iste opus forsitan „imperfectum reliquerit, an quod Codices in quos incidi, mutili fuerint, quorum duos Glas" soburgi inveni, ubi Patricium prædicant Mo-" nachi sepultum esse, reclamante hoc disticho" ex Bedæ (nisi fallor) epigrammatibus desum-" pto."

Calpurnus genuit istum, alma Britannia misit:
Gallia nutrivit, tenet artus Scotia felix.

Inter MSS. Codices ejusdem Bodlejanæ bibliothecæ num. 5105. Joannes idem Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. seu cap. 119. pag. 160. multa habet de Gulielmo Malsmburiensi Historico. Cujus cum notissimum nomen sit, & in Anglicanis bibliothecis, aliqua ejusdem Opuscula nondum edita lateant, non absurdum fuerit, Codices illorum MSS. recensere, ex Catalogis Impressis hoc anno 1698. Manuscriptorum Angliæ & Hiberniæ Codicum. Inter MSS. Codices bibliothecæ Budlejanæ num. 1377. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera I. Codice 27. Guilielmi Malmesburiensis *De Regibus Anglorum libri quinque.* Ibidem num. 1475. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera I. Codice 49. Guillelmus Malmesbury *De gestis Pontificum Anglorum.* Ibidem num. 1713. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 112. num. 10. Passio S. Indrasti Martyris per Guilielmum Malmesburiensem. Ibidem num. 2452. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 8. Codice 12. Guilielmi Monachi Malmesburiæ, de Gestis Pontificum Anglorum libri quatuor. Ibidem num. 2619. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji super D. 1. Art. Cod. 20. num. 2. Guilielmi Malsmburiensis Gesta Anglorum libris VI. pag. 89. Ibidem num. 3848. in MSS. Codicibus emptis Richardi Jamesii Theologiæ Doctoris, Codice XI. Malmesburiensis de gestis Anglorum. Ibidem num. 4072. in MSS. Hattonianis Codice 47. Guilielmi Malmesburiensis Historia De rebus gestis Regum Anglorum.

Ibidem num. 2313. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ Cod. 172. Guilielmus Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum. Ibidem num. 2366. in libris omissis Collegii Corporis Christi Codice 272. Guilielmi Malmsburiensis liber quintus de Vitis Pontificum *Inter* MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 145. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Classe adextra, serie suprema Codice 8. Malsmburiensis de Gestis Pontificum Angliæ, Ibidem num. 268. in Serie suprema adversi lateris ejusdem classis, Codice 13. Willelmus Malsmburiensis de gestis Regum Angliæ. Ejusdem Historia Novella. Idem de Pontificibus totius Angliæ. Ibidem num. 272. Codice 17. Malsmburiensis de Gestis Pontificum Angliæ. Ibidem num. 278. Codice 23. Guilielmus Malsmburiensis de Gestis Regum Angliæ. Ibidem num. 283. Codice 28. Guilielmus Malsmburiensis de Gestis Pontificum Angliæ, Ibidem num. 430. Classe 24. Serie prima Codice 19. Guilielmus Malsmburiensis

fis de gestis Regum Angliæ. Ejusdem Historia Novella. Ibidem num. 455. classe 24. Serie secunda Codice 14. Malsinburiensis de gestis Pontificum Angliæ. Ibidem num. 1359. in MSS. Collegii S. Benedicti Codice 82. Guill. Malmsbury de summis Pontificibus. Ibidem num. 1641. in MSS. Collegii ejusdem Codice 374 num. 11. Guiliel. Malmsburiensis de antiquitate Glasconiæ. Ibidem num. 2432. in MSS. Codicibus bibliothecæ Publicæ, Cod. 252. Guil. Malmesbury de gestis Regum Anglorum.

Inter Manuscriptos Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium Angliæ bibliothecarum, num. 2934. in MSS. bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Codice 35. Guil. Malmesburiensis de Gestis Regum Anglorum. Ibidem 3057. in eadem bibliotheca Codice 158. Guil. Malmesburiensis de Gestis Anglorum libri V. Ibidem num. 3113. Codice 224. Guil. Malmesburiensis de gestis Pontificum Angliæ Ibidem num. 3226. in eadem bibliotheca Codice 327. Collecta in Guil. Malmesburiensi de Gestis Anglorum. Ibidem num. 6027. Joannis Scoti Heruligenæ libri V. *De naturarum divisione*. Codex vetustus, ubi habetur de auctore & opere, Epistola præfixa Malmesburiensis. Ita in MSS. Codicibus Thomæ Galæi, Cod. 195. Ibidem num. 6053 in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 219. Vita S. Aldelmi per Guilielmum Malmesburiensem. Ibidem num. 6113. in MSS. Codicibus ejusdem Galæi Cod. 279. Guilielmi Malmesburiensis de Pontificibus liber V. ineditus. Ibidem num. 6413. in MSS. Codd. Caroli Theyeri Codice 43. Willelmus Malmesburiensis de Gestis Regum Angliæ. Ibidem num. 6983. in MSS. Codd. Henrici Langley Equitis Cod. 30. Will. Malmesburiensis de Gestis Anglorum in fol. Ibidem n. 7037. in MSS. Codicibus Henrici Jones Codice 34. Guilielmi Malmesburiensis de antiquitate Glastoniensis Ecclesiæ, cum continuatione in fol. Ibidem n. 8319. in MSS. Codicibus Jacobeæ bibliothecæ Codice 597. Guilielmus Malmsburiensis de Gestis Pontificum Anglorum. Ibidem Codice 598. Ejusdem Historiæ Novellæ. Ibidem Cod. 599. Idem de Gestis Pontificum Anglorum. Ibidem num. 9925. in Codicibus MSS. Simonis D. Ewes Baronetti Codice 65. Willelmus Malmesbury de Gestis Regum Angliæ, Anglice. Ibidem num. 9953. in MSS. Codicibus ejusdem Simonis Codice 93. liber Willielmi Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum. Ibidem num. 9960. in MSS. Codicibus ejusdem Simonis Codice 100. Gulielmus Monachus Malmesburiensis de Gestis Anglorum.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum & Collegiorum Hiberniæ num. 477. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis apud Dublinum, litera G. Codice 337. Guilielmus Malmesburiensis de Gestis Pontificum Angliæ. Ibidem num. 478. in iisdem Codicibus Sanctæ Trinitatis Codice 338. Guilielmus Malmesburiensis *de Miraculis Sancti Andreæ Apostoli*.

Denique inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ sub effigie Tiberii litera D. Codice 3. num. 21. *Miracula S. Andreæ Apostoli per Gulielmum Monachum Malmesburiensem*. Ibidem sub effigie Neronis Littera E. Codice 1. num. 4. *Vita sive De miraculis & virtutibus Sancti Andreæ Apostoli, per Gulielmum Malmesburiensem*. Ibidem sub effigie Claudii littera A. Codice 5. num. 2. *Gulielmus Monachus Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum*. Num. 3. *Vita Aldhelmi Episcopi ab eodem Gulielmo* composita. Ibidem sub effigie Claudii litera C. Codice 9. num. 2. *Gulielmi Monachi Malmesburiensis de Gestis Regum Anglorum libri* V. Ibidem sub effigie Vitellii Litera E. Codice 5. num. 15. *Chronica Glastoniæ Gulielmi Malmesburiensis*, collecta per Laurentium Noell, sua manu descripta, in quibus occurrit charta S. Patricii Episcopi. Denique sub effigie Tiberii Litera A. Codice 12. num. 1. *Explanatio Lamentationum Jeremiæ prophetæ per Willelmum Meldunensem Monachum*, hoc est, Malmesburiensem. Rationem prioris appellationis videas in fine Commentarii ipsius. Hæc de MSS. Codicibus in Anglia extantibus Guillelmi Monachi Malmesburiensis.

Abbreviatio Guillelmi Malmesburiensis ex Gestis Haymonis De Imperatoribus, habetur inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 3362. in MSS. Codicibus Joannis Seldenii Codice 32. num. 7. Catalogi Bodlejani pag. 162 col. 2. Et inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis num. 244. in MSS. Codicibus Collegii Boliolensis Codice 108. num. 3. notato E. 9.

Abbreviatio ejusdem Librorum Amalarii De divinis officiis, Roberto quodam amico suadente facta, eidemque nuncapata, extat MS. in bibliotheca Lambechana, cujus Præfationem una cum duobus Epilogis à Joanne Battely acceptam, edidit Petrus Allix ad calcem suæ præfationis ad Joannem Parisiensem pag. 82. Cæterum Wilhelmus Malmesburiensis, in fine hanc de libris istis censuram & sententiam tulit. „Si de Compendio vis scire, significationes Missæ, legas versus Hildeberti prius Cenomanensis Episcopi, postea Turonensis Archiepiscopi. „Si significationes sacrarum vestium & cæterorum id genus, Sermones Ivonis Carnotensis Episcopi: hi enim viri talia videntur intellexisse perspicacius, & texuisse pulchrius. Cæterum de varietatibus Officiorum, alium frustra desiderabis, quam Amalarium. Fuerit fortassis aliquis qui scripserit disertius, nemo certe peritius.“ De illo Possevinus, Bellarminus & Labbeus *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 414. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1130. pag. 661. Thomas Galeus in Præfatione ad Lectorem, quam præmisit *Scriptoribus XV. Historiæ Britannicæ, Saxonicæ &*

& Anglodanica ex vetustis MSS. Codicibus, Oxonii e Theatro Sheldoniano in fol. anno 1691. editis.

1120 HUGO METELLUS, Canonicus regularis Ordinis divi Augustini in Abbatia S. Leonis Tullensis, sub seculi XII. initium floruit circa annum 1120. & ulterius, qui *Epistolas plures ad viros sui temporis scientia vel dignitate illustres* scripsit, quas asservat MSS. Bibliotheca Collegii Parisiensis Claromontani Soc. Jesu. Ex his Epistolis intelligitur, quis fuerit, quove tempore vixerit Hugo Metellus. Is autem apud Tullum Leucorum natus, Tiecelino praeceptore usus est, atque etiam Anselmi Laudunensis auditor fuit. Condiscipulum habuit Humbertum quendam, cui Epistolam XL. ita inscribit, *Humberto quondam Philosopho, nunc Theologo.* In qua inferius: *Simul adulti sumus, simul manum ferula supposuimus, simul progressu temporis in Grammatica desudavimus, simul in castris Aristotelis militavimus. In Tullio simul declamavi tecum, in Arithmetica numeravi tecum, in Musica musavi tecum, sub Geminis natus sum tecum.* Jam cum provectae esset aetatis, ad Sancti Augustini Canonicos Regulares se contulit in Abbatiam S. Leonis Tullensis, sub Siebaudo Abbate, cujus nomine scripsit Epistolam 18. ad Guillelmum Abbatem. Istius conversionis suae meminit in Epistola II. *Gemma Sancti Benedicti alumno* inscripta, in haec verba: *Mutavi mentem, mutavi vestem, & pro pellicula peregrini muris redolente, involutus sum ovina pelle: pro pelle mardarina, vestitus sum pelle caprina: pro cibis delicatis, exquisitis terra & aquis, placent vilia olufcula, rustica legumina, faba Pytagora cognata. Pro nectareo potu, placet potus arena, potus aqua.* Et in Epistola prima, quae est ad sanctum Bernardum Clarae Vallis Abbatem ait *se abrasis crinibus scripto libello repudii, priori conversationi nuntium remisisse: post hae omnia,* inquit, *Regula beati Augustini me dedicavi & in claustro candidorum Nazareorum me clausi.* Hinc quo tempore Hugo iste Metellus vixerit, ex aliis quoque ejus Epistolis patet, quae extant in MS. Codice Bibliothecae Claromontanae Parisiis, numero *Quinquaginta quinque*, quem Codicem ibidem vidimus. Illarum aliquae ad Innocentium Papam II. Alberonem Trevirorum, Stephanum Metensium, Guilencum Lingonum, Henricum Leucorum, Embriconem Herbipolensem, Episcopos. Itemque ad Petrum Abaëlardum atque Heloissam quam Helwidem vocat, Paracleti Abbatissam scripsit. Multa sunt in his Epistolis, quae Hugonem fuisse eruditum, sed contentiosum & criticum docent. In Epistola 4. ad Innocentium contra Petrum Abaelardum, *mortuo Anselmo*, ait, *Lauduneńsi & Guilelmo Catalaunensi, ignis verbi Dei defecit in terra:* quamvis Sanctum Bernardum laudet, eumque opponat Petro Abaëlardo. Observatu digna est inscriptio XXI. Epistolae, *Embriconi venerabili Herbipolensi Praesuli & Duci, Hugo Metellus utrinsque officii dignitatem digne Deo administrare:* ob mentionem ab eo jam tempore *Ducalis* in eo Episcopo Dignitatis. In istis Epistolis, XXVI. *Gerardo probati Spiritus Monacho* inscripta est. In hac Epistola XXVI. quaerit Gerardus, *Si quotidie debeat sumi corpus Christi:* tum *Si sit verum corpus Christi quod sacratur in Altari, an figura corporis in caelo regnantis?* Ad priorem respondet Metellus, authoritate Sanctorum Ambrosii & Augustini. Ad posteriorem hoc modo loquitur. *Diversorum enim diversa sententia, ne dicam adversa, te dubitare cogunt, & in diversa te distrahunt. Dicit namque Augustinus verba ista Evangelica figurata esse,* nisi manducaveritis carnem &c. *nec aliquid aliud significare, nisi Christum possum esse.* Itemque: *at quid puras dentem & ventrem? Crede, & manducasti. Mones itaque quaestionem, cur beatus Augustinus verba ista Evangelica signata esse dicat, cum Ecclesia fidelis Sion, panem sacratum veram Christi carnem esse credat? Sed vir Spiritu Dei plenus, ad intentionem Christi oculum convertit, & sub appellatione corporis & sanguinis figurata locutione, fidem passionis sua incredulis obumbrari voluit, & amicis revelari fidem, scilicet operantem per dilectionem: societatem scilicet capitis & membrorum, & unionem: Spiritualem scilicet comestionem, non sacramentalem: rem sacramenti, non sacramentum? virentem sacramenti & efficaciam, non sacramentum. Quod ipsa Veritas subsequenter dat intelligi patenter, unde subjungit: qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, ipse praeparat mihi mansionem: quod excludit aperte sacramentalem comestionem, quam quidam sumunt ad sui confusionem.* Et infra. *Certum est, quia eventus rei certificat, fidem Romanae Ecclesiae secundum promissum Dei nunquam defecisse, nec aliqua haeresi temeratam esse. Romana autem Ecclesia in praedicta fide corporis Christi fuit & fideliter perstitit, & per praecones suos eam longe lateque disseminat.*

Epistola 33. est de eodem argumento, inscripta *Gerlando scientia Trivii & Quadruvii honorato & onerato, Hugo Metellus, verba Scriptura sacra triturare, & diligenter cribrare.* Quam refert Joannes Mabillon tomo 3. *Analectam* pag. 459. ex citato MS. Codice desumptam. Hunc esse eundem cum Gerardo, cui Metellus inscripsit Epistolam 26. censet idem Mabillonius pag. 465. loco praedicto. Hic autem Gerlandus ad quem scripsit Epistolam 33. Metellus, claruit scientia, librumque *De Computo Ecclesiastico* non contemnendum scripsit, quem saepe vidi MS. in Bibliothecis cum libro Helperici, de eodem argumento. Hugo Metellus Epistolam 34. *Hugoni Carnotensi Magistro Venerabili* nuncupat, quo nomine Magistri litterarum designari solent. Itaque per ea tempora Hugones quinque alicujus nominis erant in litteris, quorum primas tenet Hugo Victorinus, deinde Hugo de Folieto, Hugo Farsitus, Hugo Carnotensis ille Magister, atque Hugo Metellus, praeter Hugonem a Sancta Maria cognominatum, Floriacensem Monachum,

chum, & alios forsan nobis ignotos. In Epistola 41. ad Cardinales data, Hugo Metellus Præmonstratenses exagitat a Norberto institutos ob vestem insolentiam, & objecta illorum novitate, suorum originem Canonicorum Regularium, pro captu exponit. Quid nostro tempore scriberet Hugo Metellus, si viveret? ac Præmonstratenses nostros in Galliis non quales, in simplicitate vidit suo XII. seculo, sed in mirabilibus, elegantissimis ac formarum etiam secularium vestibus pompatice, absque pudore & verecundia meretricum instar, objecta omni vestium regularium simplicitate, ambulantes conspiceret? Si quos saccus ac pœnitentia attritus vultus ornare deberet, sub regimine Michaelis Colberti Præmonstratensium corruptissimi Abbatis ac venenatissimi Colubri, videret instar mulierum ornatos, venustulos, tibialibus indutos sericis, pannis pretiosissimis ac subtilissimis, crinibus cincinnalis ac meretricio pulvere conspersis, per compita vicosque Parisiensis urbis incedentes, qui Venerem longe magis quandam, quam Canonicum Regularem præ se ferant: quales nos sæpissime dudumque vidimus & erubuimus? Hæc occasione Epistolæ Hugonis Metelli 41. adversus novos Præmonstratenses, contra novos nostros histriones, ab antiquis nostris ob luxum, Luxuriamque apertam & ignorantiam, aliasque turpitudinis & ignominiæ notas, prorsus dissimiles. Vixisse videtur usque ad annum 1130. & ultra Hugo Metellus, de quo agunt Joannes Mabillon tomo 3. *Analectorum* pag. 463. quem excerpsimus. Labbeus in *Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XII.

1120 BERNARDUS ECCLESIÆ COMPOSTELLANÆ BRESBYTER & sacrorum custos, ut vocant, anno 1129. conscripsisse legitur *Collectaneum* seu *Cartularium*, in quo transcripta sunt *Diplomata summorum Pontificum, tum priscorum etiam Hispaniæ Regum*, sanctæ eidem Compostellanæ Ecclesiæ concessa, ex quo Collectaneo extat tomo IV. *Hispania illustrata* pag. 353. qui Francofurti 1608. in folio prodiit, *Diploma Regis Veremundi II.* cum subscriptionibus, Cui Ambrosius Morales præmisit, sequens Diploma in Sancta Ecclesia Compostellana servari, quod ille cum aliis centum ferme hac occasione habuit. Compostellanos Episcopos librum MS. habere, qui illis simul cum dignitate traditur. Hunc librum congessisse Bernardum ejusdem Ecclesiæ (ut vocant) thesaurarium anno Domini MCXXIX. quod in Præfatione ipsemet Bernardus ostendit. Cum autem sancta eadem Ecclesia aliquando opera Ambrosii Moralis indigeret, eum librum ipsi tradi jussit, unde ipse hoc Veremundi II. Diploma cum aliis multis transcripsit, quæ Hispanicis rebus & veræ temporum supputationi magnam lucem afferre possunt. Quin etiam (inquit Morales) cum sanctum divi Jacobi sepulchrum postea, tum sancta legatione Philippi Regis Catholici fungentes, tum etiam religioso Peregrinorum more invisissemus: hoc ipsum Diploma in secretioribus hujusmodi Monumentorum Collectaneis, quos *Tumbos* patrio nomine hic vocant, denuo vidimus. Hæc Ambrosius Morales, de hoc Bernardo, cujus mentionem facit Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 7. pag. 778. editionis ultimæ.

ECKARDUS, qui EKKEHARDUS" 1120 & EGGEHARDUS etiam scribitur," primus Abbas Monasterii Sancti Laurentii" quod Vragia dicitur, Diœceseos Herbipolensis" in Hercinia Sylva, Ordinis Divi Benedicti, na" tione Teuthonicus, vir in divinis scripturis e" ruditus, annis 1120. 1130. atque sequentibus" clarus, metro & prosa excellens, scripsit non" contemnendæ lectionis Opuscula, de quibus" ego tantum vidi opus insigne ad imitationem" Boethii, gemino stylo compactum, ad instru" ctionem & consolationem Monachorum valde" utile, quod prænotavit *Laternam Monachorum*." *libris V. sermones quosdam elegantes, variasque" Epistolas ad diversos* composuit." Hæc Joannes" Trithemius nec mihi dubium quin opus illud quod ætate Trithemii exstabat, adhuc lateat alicubi in Bibliothecis Monasteriorum Benedictinorum Herciniam sylvam incolentium. Extant quoque *Chronicon seu Annales Hildeinesheimenses* ab anno Incarnationis Dominicæ 714. ad annum usque 1137. quos ex MS. Codice membranaceo Bibliothecæ Regis Christianissimi edidit Franciscus Duchesnius seu Quercetanus inter *Scriptores rerum Francicarum* tomo 3. pag. 504. ad 540. atque post ipsum Godefridus Guilielmus Leibnitius in Collectione *Scriptorum Historia Brunswicensi inservientium* tomo 1. num. 45. pag 710. ad 742. itemque num. 52. *Catalogus Episcoporum Hildenesheimensium, sumptus ex Chronico Eggehardi Vragiensis Abbatis ad Ecbertum Abbatem Fuldensem* pag. 772. & 773. quam ex MS. Codice, suis inferuit *Annalibus Fuldensibus*, anno 1612. Antverpiæ in 4. impressis, Christophorus Browerus, Soc. Jesu Theologus. Observat autem Duchesnius, non *unum esse auctorem hujus Chronici Hildesheimensis, sed duos saltem aut plures*, qui sibi inscribendo illo successerint. Nam qui incepit, Monachus fuisse videtur Cœnobii S. Nazarini ad Rhenum quod & Laurishamense dicitur, ut patet ex iis, quæ ad annum 764. & deinceps referuntur. Continuatum fuit in Fuldensi monasterio, ut ex anno 800. constans est, Maxima vero pars in Ecclesia seu Monasterio Civitatis Hildensheimensis addita postea fuit, quæ & fere tota de rebus est Germanicis. Initia Chronici hujus eadem Francis Orientalibus & Occidentalibus communia sunt, posteriora in rebus Germanicis occupantur, quantum ex ipsis locis coniectare licet. Itaque cum annis 985. & 990. Osda-

Osdagus & Gerdagus Episcopi simpliciter ordinati scribuntur, illi Hildeshemenses intelligendi sunt. Et ad annum 1038. Godehardus vocatur *noster Episcopus*, qui ad Hildeshemenses certo pertinere cognoscitur. Finiunt Antiqua Chronica, Manachi Fuldensis, ut mihi videtur, ad annum 869. quo *Thiotonis Abbatis Fuldensis depositio* &. 871. quo *illius mors* refertur. Vltima autem pars *Chronici* anno DCCCLXXII. à dedicatione Ecclesiæ Hildesheimensis incipire videtur, quæ usque ad annum MCXXXVII. progreditur. *Chronica* hæc ultima quæ ab anno 872. sequuntur, esse ipsissima illa Eggehardi Vragiensis Abbatis comperit Leibnitzius, conserendo cum *Excerptis ex Eggehardi Chronicis ad Ecbertum Fuldensem Abbatem*, quæ reperit Christophorus Browerus atque edidit in *Antiquitatibus Fuldensibus*, & adjecit Leibnitzius in Collectione *Scriptorum Brunswicensi Historiæ inservientium*. Num. 52. pagg. 772. & 773. Nam verba excerptorum omnia, perpaucis mutatis, illic occurrunt. Hujus Scriptoris mentionem faciunt, Anonymus in *Catalogo Episcoporum Hildeneshemensium sumpto ex chronicis Eggehardi Vragiensis Abbatis ad Ecbertum Fuldensem Abbatem*, quem Christophorus Browerus *Annalibus Fuldensibus* inseruit, anno 1612. Antverpiæ in 4. à se editis. Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Vniversali* verbo *Eckardus* fol. 218. editionis 1545. Tiguri in fol. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. Godofr. Guilielmus Leibnitzius in *Introductione ad Collectionem* scriptorum Historiæ Brunswicensi inservientium, Num. seu Paragr. 45. & 52. editam Hanoveræ anno 1707. in folio, à quo ista pleraque accepimus.

1120 GVALBERTVS MARCHIANENSIS MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, hac eadem ætate clarus, scripsit ad Saswalonem Cathedralis Ecclesiæ Attrebatensis Canonicum & Roberti Episcopi qui sedit ab anno 1115. ad annum 1131. Secretarium, *Libros duos Miraculorum Sanctæ Rictrudis patronæ Marchianensis*, quos referunt Continuatores Bollandi ad diem 12. Maji tomo 3. pag. 118. & sequentibus. Opus istud compositum post mortem Rodulfi Remensis Archiepiscopi anno 1124. defuncti, qui in hoc Opusculo num. 45. *Archiepiscopus bonæ memoriæ* velut jam mortuus dicitur. Scriptum quoque post cædem Caroli Boni Flandriæ Comitis an. 1127. patratam, cum in Epistola meminerit author versuum de cæde illa a se conscriptorum, atque a Saswalone, eo quod nimium secularem litteraturam spirarent, reprehensorum. Ex quibus colligi posse censeo, proximo post dictam cædem anno hos libros esse conscriptos, atque anno circiter 1128. visum esse atque dilectum a Gualberto Saswalonem Canonicum. Vide successores Bollandi in *Actis Sanctorum* ad diem Maji 12. ubi in prædudiis ad *Vitam & Miracula S. Rictrudis*, de Gualberto agunt.

STEPHANVS AVGVSTODVNENSIS EPISCOPVS, ad hanc sedem anno 1118. elatus, adfuit Concilio Tornutiensi anno 1107. 1120 itemque anno 1129. unctioni Philippi filii Ludovici Crassi, in Regem Franciæ. Hoc tempore quo Episcopus Augustoduni fuit, *Librum seu Tractatum de sacramento Altaris, & iis qua ad illud variosque Ecclesia ministros pertinent*, composuit: quem Joannes de Montalon Canonicus & Cantor Augustodunensis Ecclesiæ, primus anno 1517. in lucem edidit. Vnde in Bibliothecam sanctorum Patrum editionis primæ Parisiensis anno 1575. & in alias transiit. Episcopatui Stephanus anno 1130. renuntians, Cluniaci sub regimine Petri Venerabilis Monachus factus, illic anno incerto mortuus est. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis meminit *Stephani Augustodunensis olim Episcopi*, in Epistola ad Humbertum Archidiaconum Eduensem suum nepotem, quæ libri quinti sexta est: ubi testatur illum reddidisse spiritum Creatori inter manus suas. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 2. in Episcopis Eduensibus.

SYMEON DVNELMENSIS MONACHVS AC PRÆCENTOR, ex Ordine divi Benedicti, natione Anglus, cum primariis seculi 1120 sui Monachis merito conferendus, ante seculi duodecimi medium floruit. Quæ de illo habent Pitseus, Balæus, Vossius, hic describere visum non est, cum isti Biographi omnibus passim obvii sint: cum Seldeno tamen, Vitam ejusdem a Joanne Lelando conscriptam, nondum typis editam prætermittere noluimus: quæ reperitur ad hunc modum in ejus MS. Codice *De Vitis scriptorum Anglicorum* in Bibliotheca publica Oxoniensi. "Simeon Dunelmensis Præcentor, cum primariis seculi sui Monachis jure conferendus, optime intelligens res" Transabrinorum gestas, tum Scriptorum negligentia, socordiaque, prævalentibus tot Danicis bellis, tum iniquitate temporis ita ob" scuras & in silentio pressas delitescere, ut brevi" ad oblivionem interitumque, nisi eas diligen" tis aliqua docti investigatoris cura repararet," colligeret, in ordinem referret, pervenirent." Quare rationem sollicitus apud se inibat, qua" mala instanti occurreret. Multa tandem co" gitanti, hoc succurrit imprimis & necessarium" & utile, ut reliquias Bibliothecarum à Danis" spoliatarum anxie disquireret. Nam Mona" chi Lindisfarnenses, Coquedani, Tinomuthen" ses, Girovenses, Veromutenses, Hagulstaden" ses, Sinuspharenses, Vetandunenses, Lestin" gani, Ripodunenses, Deiro Sylvani, denique" Eboracenses, Danorum tyrannidem misere" fugientes, aliam veteris Historiæ supellecti" lem, & cognitionis rerum sui temporis secum" detulerant, & in dies conservaverant, quas" feli-

„felicius aliquando futuras ſperabant. Hæc „omnia perquiſivit, invenit, excuſſit curioſa Simeonis diligentia, atque adeo ut ante ardorem ſtudii nulla ex parte remiſerit, quam Hiſtoriam Gentis Nortabrinæ à tempore Bedæ „Girovicnſis, ad Stephani tyranni regnum accurate perduxiſſet. Non hic decrevi Simeonis encomiaſtes eſſe, ejus immortale opus eſt, „atque adeo erit, me reticente. Tantum interim Lectorem admonitum volo, fuiſſe quendam Rogerium Hovedenum, hominem non „indoctum, qui eadem qua ille ſerie Hiſtoriam „deduxit a Beda ad Joannis Regis imperium: „quem ob hiſtoriam avitam, ut merito probandum putem, ita improbandum, quod picta „Simeonis prata, nulla ejus nominis mentione „prorſus habita, expilaverit.„ Hæc ibi Lelandus. Idem etiam alibi, nempe MS. *Commentario in Cygneam cantionem*, verbo *Dunelmenſis*, plagii ſimiliter Hovedenum hujusmodi accuſat. „De Symeone Dunelmenſi verba faciens, inquit: Hujus ego aliquando Hiſtoriam „de Rebus geſtis Anglorum legi, quam & inchoavit commodeà morte Bedæ, perſtringens „illuſtria facta & Anglorum & Danorum. Spatio quadrigentorum & viginti novem annorum ac quatuor menſium, cui & alii viginti „anni appendebant authore Joanne Hagulſtadenſi. Hic mihi non placet Rogerius Hovedenus, vir alioquin laudandus, qui ſcrinio Simeonis, ſuppreſſo ejus nomine, ſtrenue compilavit: & aliena pro ſuis, gloriæ avidulus, „ſuppoſuit. Inore etiam & ſcriptis aliorum ſubinde occurrit, Hovedenum adeo Simeonem „hunc, tacito ejus nomine, deſcripſiſſe compilaſſeque: ut priorem Annalium Hovedeni partem, uti etiam cætera usque in annum quo „in parte ſecunda finitur Simeon, cum Simeonis Annalibus velut plane eadem eſſe velint. „Atque ita fieri ſolet ab hominibus, qui lubentius de rebus ejusmodi temere ac oſcitanter „pronuntiant, nec rem ipſam penitius introſpicere, ac verum ſic aſſequi cordatius capiunt.„ Extant inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1579. in Codicibus MSS. Guilielmi Laudi Litera L. Codice 53. Chronica De exordio & progreſſu Eccleſiæ Dunelmenſis, ſeu De geſtis Epiſcoporum Dunelmenſium & Lindeſerenſium per Symeonem Monachum Dunelmenſem. Ibidem num. 2182. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji D. 3. Codice 5. num. 2. Symeonis Dunelmenſis Hiſtoria Anglorum poſt obitum Bedæ. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis num. 1775. In MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptiſtæ Litera D. Codice 37. Symeonis Dunelmenſis Hiſtoria, cui accedunt Additamenta quædam Rogeri Hoveden. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis, 1341. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 64. num. 5. Epiſtola Symeonis Monachi Dunelmi ad Decanum Eboracenſem De Epiſcopis ejusdem loci. Num. 6. Hiſtoria ejusdem ab obitu Venerabilis Bedæ, usque ad Regem Henricum I. Inter MSS. Codices Cathedralium Angliæ Eccleſiarum num. 25. in MSS. Codicibus Eccleſiæ Metropolitanæ Eboracenſis Cod. 25. num. 4. Symeonis Dunelmenſis Monachi Epiſtola De ſucceſſione Pontificum Eboracenſis Eccleſiæ usque ad Thorſtinum 1136. transmiſſa Hugoni Decano ejusdem Eccleſiæ. Ibidem num. 10007. in MSS. Codicibus Symonis D. Ewes Baronetti, Codice 147. Hiſtoria Symeonis Dunelmenſis. In MSS. Codicibus Cottonianæ bibliothecæ, ſub effigie Caligulæ, litera A. Codice 8. num. 2. Chronicon Simonis Monachi Dunelmenſis, De primis Angliæ Regibus, ſive a primo Saxonum adventu: hoc eſt, ab an. 449. ad annum 1119. cum nominibus Archiepiſcoporum Cantuarienſium & Eboracenſium, & Epiſcoporum Dunelmenſium. Ibidem ſub effigie Titi litera A. Codice 19. num. 1. Symeonis Dunelmenſis De ſucceſſione Pontificum Eboracenſium liber, Hugoni Eccleſiæ S. Petri Decano inſcriptus. Quæ de Simeone Dunelmenſi aliisque collecta ſunt in *Prælimmaribus* ad Collectionem Decem Hiſtoricorum Angliæ, an. 1652. Londini in fol. impreſſa curis ac ſtudiis Joannis Seldeni, ex Lelando, Baleo, Pitſeo & Voſſio, hic exſcribere operæ pretium non fuit, cum ad Seldeni Prolegomena recurrere non arduum ſit. Sunt autem in hac Collectione, Opera Simeonis Dunelmenſis, nimirum *Hiſtoria Dunelmenſis Eccleſiæ*, pag. 1. integra ferme ex Turgoto, de quo ſupra ad annum 1110. egimus. Hanc enim Hiſtoriam nomine ſuo inſcriptam Simeon Dunelmenſis ex Turgoto ejusdem loci Priore, atque antiquiore ſcriptore, ab initio usque ad finem libri IV, legitimo authore nec quidem nominatn, accepit: quod honori Simeonis Dunelmenſis haudquaquam cedit. Item *De Archiepiſcopis Eboraci* pag. 751. *De obſidione Dunelmi* pag 79. *Hiſtoria De geſtis Regum Anglorum ab anno 716. ad annum 1129.* pag. 85. Addidit Hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis *annos XXV.* nempe ab anno 1129. usque ad annum 1154. Joannes Prior Hagulſtadenſis, ſeu de Heiſam, ibidem pag. 258. Richardus item Hagulſtadenſis Prior, qui ſub Henrico ſecundo Rege floruit, & ſub an. 1190. Richardo primo regnante mortuus eſt, adjecit Libros duos *De ſtatu & Epiſcopis Eccleſiæ Hagulſtadenſis*. Porro quod in Simeonis Vita Lelandus habet, quoad Hiſtoriam ejus *De geſtis Regum Anglorum* ad Stephani Regis tempora perductam, recte ab ipſo corrigitur in ſuo illo *Commentario ad Cantionem Cygneam*, ubi ut vides, a Bedæ fine, quo ille incipit, numerantur anni 400. & menſes quatuor. De anno autem mortis Bedæ, unde ſuam contexuiſſe Simeonem hunc Hiſtoriam nonnulli perperam ajunt Scriptores non talis conveniunt, apud Baronium tomo IX. *Annalium* anno 731. num. 23. quem pauculis ab Hiſtoriæ ſuæ fine annis, vel non diu poſt, illum obiiſſe certum

tum est. At Historia Bedæ terminatur anno Christi DCCXXXI. Vnde nemo utcunque non vidit, 400. annos & 4. menses exitum Historiæ Bedæ sequentes, annos satis complere MCXXX. Adeoque finis ejus Historiæ in posteriora Henrici primi Regis tempora incidit, seu quinquennio circiter ante Stephani Regis initia. Lapsus igitur erat hic plane Lelandus in Simeonis Vita, utcunque postmodum in Commentario illo sic a seipso emendatus. Aliquot paginas ex Beda & de eo præfixit *Historiæ suæ De Gestis Regum Anglorum* Simeon Dunelmensis, videlicet a col. 86. usque ad 98. Incipit *Historia ipsa* col. 98. *His peractis gaudiis ex sanctissimi Doctoris* &c. unde scriptum est Balæo atque Pitseo, *Peractis ex sanctissimi Doctoris* &c. pro initio ejus. Faciunt illi quidem nescio cur, duos hic Simeonis Libros. Qui vero apud illos dicitur ut alter omnino ejusdem liber, *Abbreviationes Malmesburiensis*, hisce Annalibus col. 135. quasi per digressionem abauthore inseritur, ubi earum initium: *Non indecens opinor si quiddam* &c. Sed mirus interea Joannis Balæi, in ejusdem Vita, lapsus. Cum enim primo ibi vere indicasset, eum res suas Historicas usque ad an. 1130. protendisse, quod & alibi pariter commemorat, *Centuria* nempe 3. scriptore 31. paucis tamen interjectis lineis, idque etiam in utraque editione, inquit: *claruisse anno ab apparente in carne Dei filio 1164. quo primam finivit Historiam, sub Henrico Rege Anglorum secundo.* Et quartum ad annum, quo sic ab eo claruisse dicitur, sequuntur hic Balæum Gesnerus, Simlerus, Possevinus, Pitseus, Arnoldus Wion in *Ligno Vitæ* Lib. 2. cap. 77. Certe illum tandiu superstitem fuisse, nondum didici: nec satis capio illud Balæi *Finivisse tunc Historiam*, aliud significare, quam eam illuc usque pertextam esse: quomodo anni XXXIV. supra verum Historiæ ejus terminum male excrescunt. Atque hactenus de *Symeonis Dunelmensis* scriptis, nam de *Historia Turgoti Dunelmensis Ecclesiæ*, quam sibi inverecunde Simeon attribuit, jam supra in *Turgoto* diximus. Id porro certum est, usum esse Simeonis Annalibus Hovedenum, uti & aliis tum Latine, tum Anglosaxonice conscriptis: ipsumque etiam inchoare ubi definit Beda, quemadmodum & Simeonem. Sed interim manifestius utrosque consulenti ac conferenti nihil erit, quam innumera passim, ab Hovedeno inserta suis Annalibus, quibus caret Simeon: atque apud hunc perplurima itidem haberi, quæ Hovedenus prætermisit. Ideoque plane non tam plagii reus is Hovedenus habendus est, qua Simeonem spectat; quam Scriptor diligens, qui ex compluribus qui antecesserant authoribus, quorum unus erat hic Simeon, opus unicum copiosius seligeret, conflaretque. Quod sane ab optimis omnium seculorum Historicis fieri, studiosis notissimum est. Quid quod ipse etiam Lelandus, licet in *Simeonis Vita* (ut jam ostensum est) tantilli cum fecisset, atque sub nomine *Cujusdam Rogerii Hovedeni*, plagii arguisset: in eodem tamen Opere *De Viris scriptorum Anglorum* MS. in Bibliotheca Publica Oxoniensi, ubi Vitam ipsius Hovedeni postmodum inter alias exhibet, nihil omnino ejusmodi memorat? Imo eum Historiæ suæ nomine, laudibus affecit eximiis, inquiens: *Mortuo Henrico* (Rege secundo cujus in aula ut domesticus dudum feliciter egerat) *omne studium suum ad Historiam scribendam contulit, in quo negotio si diligentiam, si antiquitatis cognitionem, si sanctam fidem spectes: non modo quotquot seculo rudibus quidem illo præcesserant scriptores, verum etiam seipsum superavit. Quod si adjunxisset fidei, qua prima pars Historiæ est, plusculum elegantiæ Romanæ, facile palmarium obtinuisset.* Agunt De *Simeone Dunelmensi* Gesnerus & Possevinus, locis sæpius citatis. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. num 45. pag. 302. & ibidem num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. num. 114. pag. 148. Joannes Balæus *De Scriptoribus Angliæ* Centuria 2. Scriptore 98. Joannes Pitseus ibidem, *ætate* 12. Scripture 226. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 417. editionis secundæ. Joannes Sheldenus in *Præludiis* ad Decem Scriptores Historiæ Angliæ, unde ista nus ordine tantum mutato accepimus.

RAINERVS SANCTI LAVRENTII LEODIENSIS MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, circa an. 1120 & sequentes clarus, scripsit *Librum de viris illustribus Cænobii sui & Episcopatus Leodiensis*, quem ignoro an impressus sit. Illud autem Opus citat Gabriel Gerberon, in libro Gallico quem scripsit, ut Ruperbum Abbatem Tuitiensem ab errore Stercoranistarum fœdo eximeret. An etiam alicubi MS. extat, nescire me fateor. Idem scripsit breviter *Gesta Sancti Lamberti Episcopi Leodiensis & Martyris*, impressa anno 1612. tomo 1. *Rerum Leodiensium pag. 411.* qui tribus in 4. tomis editæ in lucem opera & studio Joannis Chapeavilli, typis Christiani Ouverx junioris. Ibi de *Raynero S. Laurentii Monacho* in Prulegomenis, quæ adiri possunt. Scripsisse quoque perhibetur, *Vitam S. Laurentii Episcopi & Martyris, & Vitam S. Woldobonus Episcopi Leodiensis*, quæ MS. Leodii asservatur, ut habet Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* c. p. 42 pag. 361. Valerius Andreas in sua *Bibliotheca Belgica* pag. 789. editionis 1643. Lovanii in 4. 1120

BENEDICTVS MONACHVS CLAVDIOCESTRENSIS SEV GLOCESTRENSIS. 1120
cujus ætas penitus incomperta est, haud ita diu tamen post annum 1120. quo Dubricii translationem factam esse refert, claruisse videtur, codex enim ætatis patuoi inferioris speciem gerit. Scripsit *Vitam S. Dubricii Archiepiscopi*, quam habet Codex Cottonianus *Vespasianus A.* 14. no-

14. nomen ejus diserte præferens. Hanc autem pluribus in hac Dubricii Vita miraculis rejectis, edidit Henricus Warthon Tomo 2. *Anglia sacra* pag. 654. qui & hujus mentionem facit in Præfatione ad dictum Tomum num. 22. pag. XXVI.

1120 RAINALDVS LVGDVNENSIS ARCHIEPISCOPVS, cognominatus de Semur, Dalmatii Domini de Semur & Arembergæ Vergeiæ filius ex illustri Burgundionum genere, frater S. Hugonis Abbatis Fluniacensis & Ganfridi de Sinemuro, Monachus primum Ordinis divi Benedicti, deinde exigentibus meritis tum sanguinis clari tum observantiæ regularis Abbas Vezeliacensis, quo nomine anno 1104. Concilio Trecensi interfuit, atque inde tandem ad sedem Archiepiscopalem Lugdunensem assumptus est. Scripsit breviter *Vitam Sancti Hugonis fratris sui, Abbatis Cluniacensis*, qui an. 1109. tertio Calendas Maji ætatis 85. mortuus est, quam habes in Bibliotheca Cluniacensi, editam ab Andrea Duchesnio. Mortuus autem est Rainaldus Lugdunensis Archiepiscopus anno 1129. die 7. Augusti, cujus mentionem faciunt Henricus Gaudavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 3. pag. 162. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, Auberti Miræi Antverpiensis. Consulere etiam poteris Continuatores Bollandi, ad diem 29. Aprilis tomo 3. pag 648. & sequentibus, ubi *Vita* prædicta prosa & metro legitur. Quibus addi possunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 373. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 1. pag. 314. in Archiepiscopis Lugdunensibus.

1120 FVLCHERIVS CARNOTENSIS PRESBYTER, Balduini fratris Godefridi Bullonii Capellanus, cum Roberto Normanniæ Duce & cum Stephano Blesensi & Carnotensi Comite, sanctam cum Gallis aliis expeditionem in Orientem suscepit & ingressus est. Cum autem non longe ab Antiochia Syriæ abesset, Balduinum Godefridi Bullonii fratrem in Expeditione individuum secutus, cujus tum Capellanus factus est, ut ipse narrat. Laudatur ab Orderico Vitali Lib. 9. & à Guillelmo Malmesburiensi Libro 4. *De gestis Regum Anglorum* & aliis. Igitur quinquennium illud Expeditionis sacræ intra quod Scriptores ante recensiti (Excepto Alberto Aquensi) nempe Robertus Remensis, Baldricus Burguliensis & Raimundus Agileus se continuerant, egressus: *Historiam Belli sacri* seu *Gesta Francorum Hierusalem peregrinantium ab anno 1095. ad annum usque 1124.* composuit, quam primus mutilam edidit inter *Gesta Dei per Francos* tomo 1. pag. 381. Jacobus Bongarsius, qui restatur integriorem hujus Historiæ Codicem se olim nactum esse, in quo ipsum Opus in tres libros distinctum erat, quorum secudus à Balduino I. Rege, tertius autem à Balduino secundo ordiebatur. Scripsit igitur Fulcherius *libros tres*, qui Brugis in Collegio Soc. Jesu inter reliquias Bibliothecæ Pamelianæ pleni & integri extant, quod monere congruum fuit, eo quod exemplaria quibus Jacobus Bongarsius usus fuit, nec integra nec satis emendata fuerint, ut ipse fatetur. Hæc Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 358. pag. 247. Bibliothecæ Ecclesiasticæ. Cui addo eandem Historiam integram & correctam extare tomo 4. pag. 816. Collectanei *Historicorum Franciæ Coætaneorum*, ab Andrea Duchesnio collectorum, post Historiam Petri Tudebodi de eadem materia, de quo supra ad annum 1100. diximus. Plura de *Fulcherio* Bongarsius & Duchesnius in Præludiis Collectaneorum citatorum. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 6. pag. mihi 775.

HUGO DE FOLIETO CORBEIENSIS MONACHVS, natione Gallus, ex ordine divi Benedicti, factus Prior Sancti Laurentii in Agro Ambianensi, tum S. R. E. Cardinalis, ut habet Carolus Dufresnius Dominus du Cange in Indice authorum, ex quibus compofuit suum *Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis* pag. seu col. 115. ex MS. Codice 1830. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, claruit circa annum 1130. eadem ætate qua Hugo S. Victoris, celebris ob doctrinam, qui optima multa scripsit, quæ perperam Hugoni Victorino attribuuntur, atque inter ejus Opera magno legitimi authoris damno, recensentur. 1130

Hujusmodi sunt ex pluribus MSS. Codicibus a me visis & discussis in diversis Bibliothecis maxime autem Cisterciensis Ordinis, *Libri 4. aurei de claustro animæ. Libellus de medicina animæ. Liber unus de Avibus ad Raynerum*, quem sæpe cum ipsis picturis avium Codices manuscripti repræsentant, nam alii duo *De feris* posteriores, ab alio postmodum adjecti fuere. Sunt autem illi tres Libri, unus de *Avibus* & alii duo de *Feris*, longe stylo simpliciores aliis opetibus indubiis Hugonis Victorini, ut legenti constabit. Quos iste Hugo de Folieto utplurimum excerpsit ex Opusculo LII. Sancti Petri Domiani, tomo 3. Operum ipsius, ubi *De feris & avibus* moraliter tractat: cum hoc discrimine, quod quæ uno libro *De feris & avibus* simul congessit Petrus Damiani, illa in tres libros Hugo iste de Folieto partitus sit, unum attribuens *avibus*, alios *feris*. At non legimus Hugonem Sancti Victoris, officium Excerptoris & consarcinatoris unquam in se suscepisse, unde & merito hos illi libros auferimus, ut Hugoni Falietano adscribamus, horum tractatum Mysticorum avidissimo. Ejusdem sunt *Libri duo de Nuptiis Carnalibus & Spiritualibus* Hugonis de Falieto, ex variis MSS. Codicibus quos vidi, qui unum tantum librum exhibent inscriptum, *Ad socium volentem nubere, De nuptiis fugiendis*. Eidem autem attribuitur Opus *Speculum peccatoris* inscriptum, Cantabrigiæ in Bibliotheca publica,

blica, Cod. 218. quod tomo IX. Operum divi Augustini, inter spuria impressum extat. Editores porro Operum Hugonis Victorini, ut plura huic scriptori adscriberent ex industria, omiserunt in editione sua Rothomagensi anni 1648. & 1650. Censuram istorum operum, quam prudenter adhibuerant, qui eadem in folio Parisiis olim an. 1526. ediderant, multisque hujus editioois primæ præmiserant Opusculis: ad quam tamen, qui rescire dubia vel in dubia Hugonis Victorini cupiunt Opera, recurrere debent. Hos autem libros morales *Hugoni folietano* potissimum competere, tam ex stylo quam ex fide Manuscriptorum Codicum, maxime mihi compertum est. Jam redeamus ad *Libros IV. de claustro animæ*, qui frequenter occurrunt in MSS. Bibliothecis, sed in Codicibus notæ melioris utplurimum anonymi, interdum cum solo nomine *Hugonis*, aliquando cum nomine *Hugonis de Folieto*, vel sub nomine *Hugonis Prioris S. Laurentii*: Sed rarò atque in MSS. Codicibus vel scripturâ vel inscriptione recentibus, sub nomine *Hugonis Victorini* vel *Hugonis Parisiensis*. Quod autem hujus Operis Scriptor non sit *Hugo Victorinus* Canonicus Regularis Ordinis divini Augustini, sed *Hugo de Folieto* Monachus Corbeiensis Ordinis divi Benedicti, certum mihi manet argumentis sequentibus. 1. Hic author Lib. 1. cap. 12. ubi de infirmis agit, qui delicatius cæteris ali ac foveri solent, cum sese illic offerret præclara occasio allegandi Regulam divi Augustini huic consuetudini succinentem: affert e contra Regulam divi Benedicti, sub finem capitis. Ergo hoc Opus Monachi Benedictini, qui Regulæ suæ authoritatem affert, ad confirmandam erga infirmos claustralem indulgentiam, ac remissiorem vivendi modum. Silet autem Augustinianæ Regulæ testimonium, quod ea Benedictinis consuetudinibus favere non posset. 2. in Prologo Libri secundi allegat *Tunicam divi Benedicti* non *Augustini*, quod Monacho Benedictino conveniens, Canonico Regulari Augustiniano absurdum esset. 3. Dum libro 2. cap. 7. de numero ferculorum loquitur, Regulam divi Benedicti allegat. Quis autem ferre possit, ut Canonicus Regularis Augustinianus probet per *Regulam divi Benedicti*, quot & quibus ferculis vesci debeat? Monachus itaque Benedictinus est author hujus Opusculi, ergo Hugo Folietanus, non Victorinus. 4. Idem author Lib. 2. cap. 16. & 17. de abusibus Monachorum loquitur, unde se Monachum fuisse ostendit. 5. ibidem cap. 18. allegat quidem semel atque iterum *Regulam divi Augustini*, verum anteà profert *Regulam divi Benedicti* quam Augustinianæ etiam præmittit. 6. Ibidem Lib. 3. cap. 7. ait, *post Capitulum ad laborem manuum fratres egredi solent: sic post quietem contemplationis egreditur animus ad providendum laborem corporea necessitatis.* Hæc autem laboris manuum post Capitulum consuetudo, ad praxin Benedictinam spectat. 7. Denique cap. 8. quod de *refectorio* est, affectat potissimum adducere humilitatem & obedientiam Sancti Mauri, allegat Vitam ejus scriptam: quæ nisi fallor omnia, Benedictinum hujus Operis Scriptorem eloquuntur. Jam quoad *Libros IV. de bestiis* seu *de feris* inscriptos, qui leguntur inter Opera *Hugonis Victorini* ad Raynerum conversum tomo 2. pag. 394. & seqq. pauca notanda sunt. *Primùm*, nihil est communius his libris inter MSS. Codices antiquarum Bibliothecarum, quam quod non eodem modo legantur. Nam in antiquioribus ac melioris notæ Codicibus, invenitur tantum liber primus qui *De avibus solis* est. In multis autem etiam antiquis & notæ bonæ Codicibus, inveniuntur *duo libri primi*, qui sunt *De avibus & bestiis*. In paucis atque recentibus illis Codicibus Seculum XIII. non excedentibus, inveniuntur libri quatuor. Horum primus spectat ad *Hugonem de Folieto*, alter spectare creditur ad *Alanum Universalem*, qui *De natura animalium* scripsisse dicitur: quamvis uterque liber eundem Hugonem de Folieto oleat, Opusque Alani periisse credatur. *Secundum* Notandum, quoad inscriptionem istorum librorum, esse plerumque *De bestiis*, aliquando *De proprietatibus ferarum vel animalium*: ac dum solus primus liber invenitur, vel esse inscriptum *De avibus*, de quibus solis hic liber loquitur: vel *De columba deargentata*, eo quod prima capita Libri *De columba & proprietatibus ejus* agant, unde Librarii occasionem acceperunt hunc totum librum inscribendi, *De columba*, vel *De columba deargentata*. *Tertium* quoad nomen authoris, Codices antiquissimos vel esse anonymos, vel cum solo nomine *Hugonis*, non adjecto Folietano vel Victorino; ac paucos eosque vel scriptione vel titulo recentiores, habere nomen *Hugonis Victorini vel Folietani*. Notandum *quartò* horum quatuor Librorum non esse unum authorem, sed duos vel tres. Author libri primi, qui *de avibus* inscribitur, est *Hugo de Folieto*, cujus ingenium & calamus fuerunt, ut ex Scripturis Moralia quædam *De avibus* ita excerperet atque exponeret, sicut constat ex libris *de claustro animæ, de medicina animæ &c.* Author secundi est Alanus dictus *Universalis*, qui librum unum *De natura quorundam animalium*, teste Henrico Gandavensi scripsit. Author verò tertii & quarti est Guillelmus Perault Lugdunensis (ut volunt) Archiepiscopus, qui juxta Nomenclatores scripsit *Libros duos de proprietatibus rerum*, quomodo adhuc in veteribus impressis exprimuntur. Cum autem hic author sic scribere instituisset. *De proprietatibus rerum*, atque multa anterius dicta ab Hugone de Folieto in libro suo *De avibus*, & ab Alano in libro suo *De natura animalium* legeret: transmisit ferè totum *Hugonis* librum ut & *Alani* atque intrusit in duos suos libros. Quis autem nisi stupidus credat *Hugonem* scripsisse continuo quatuor Libros, atque in tertium & quartum immisisse, quæ dixerat in primo & secundo? Hoc rectè advertit Collector Operum Hu-

Hugonis Victorini, qui omisit in tertio & quarto, quæ jam in primo & secundo tractata fuerant. Ex his quatuor libris *primus* MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis Littera II. 23. fol. 127. hoc titulo: *Incipit libellus Hugonis Prioris ad Raynerum Conversum, cognominem corde benignum.* Incipit *de tribus columbis &c.* nec ultrà primum librum *de avibus* extenditur, nec cujus *Hugonis* sit, exprimit. Idem habetur Littera LL. 14. folio 247. incipiens à *Graculo*, sed anonymus. Item Littera E 6. fol. 96. Liber primus & secundus anonymi, qui finiunt per *Mirmycoleonem.* Liber autem tertius & quartus in eadem Bibliotheca, Littera DD. 8. à fol. 96. ad 118. sed anonymus, cui nomen Hugonis recenter anno 1513. appositum, quando Claudius de Grandivico hujus Bibliothecæ Catalogum scribebat. Iidem libri tertius & quartus MSS. ibidem Littera SS. 3. fol. 112. ad finem, sed absque nomine pariter: unde ex 5. manuscriptis Codicibus in Bibliotheca Victorina existentibus, nullus qui nomen *Hugonis Victorini* habeat, unus solus cum nomine *Hugonis Prioris*, quod convenire potest tam Victorino quam Folietano, aliis omnibus anonymis. Ad eundem *Hugonem de Folieto* spectant *Libelli IV. de vanitate mundi*, tomo 2. pag. 265. Operum Hugonis Victorini. Nam sub finem libri quarti pag. 283. laudat cum affectatione quadam præ cæteris *Sanctos Gregorium & Benedictum*, quod Monachum Benedictinum olet, neutiquam verò Canonicum Regularem. Ita ille, nam Gregorius alter spiritu plenus, & ipse domum vatio decore adornavit, *ministrans pulchritudines multas & jucunditates veritatis:* quod de aliis omnibus Ecclesiæ Doctoribus simul collectis vix tam apertè dicit. Tum *Benedictum* Sanctis Martino & Nicolao associans, beatiorem velut ex sequenti numerosâ sobole insinuat: *Martinus & Nicolaus & Benedictus miraculis effulserunt in sanctitate mirabili, & in his omnibus plenitudo in fin. m properans, alios quoque qui vocati sunt associans, quotidie consummatur.* Qui igitur laudat Benedictum *ob miracula, ob sanctitatem mirabilem, qua quotidie consummatur, associans quoque alios qui vocati sunt:* haud dubiè Benedictinus est, non Canonicus Regularis, qui hæc omnia *Augustino* Canonicorum omnium Regularium parenti cum emphasi adscripsisset, non *Benedicto* Monachorum patri. Item *Libri quinque de arca Mysticè vel Moraliter*, ejusdem *Hugonis Folietani* sunt, qui etiam illos citat in libro 2. *De vanitate mundi* longè post medium, pag. 272. col. 2. Prætereà idem stylus eademque tractandi ratio, *Librorum 4. de Claustro animæ moraliter seu mysticè, & librorum quinque de arca moraliter & mysticè*, ut nullus non videt: unde Liber primus *de arca mystica descriptione* inscribitur, pag. 286. seu secundum mysticum sensum, alii quatuor *de arca morali* pag. 298. Idem quoque stylus Librorum Moralium *de bestiis*, qui in MSS. Codicibus inscribuntur aliquando *De avibus*, aliquando *De columba*, ratione initii, quo de Columba per 3. aut 4. capita agitur. Quantum ad MSS. Codices Librorum quinque *De arca Moraliter & Mysticè*, habentur in MSS. omnibus Bibliothecis Galliarum celebribus, & apud Cistercienses potissimum: sed in exemplaribus plurimis & vetustioribus, anonymi sunt: in aliis cum nomine *Hugonis* simpliciter, abstrahendo à *Folietano* vel *Victorino*. In nonnullis sub nomine *Hugonis Victorini*, sed quorum titulus vel Codex non ita antiquus est. Advertendum autem hos Libros esse perturbatos quoad ordinem in editione *Operum Hugonis Victorini.* Nam liber, qui pag. 186. primus *De arca* ponitur, debet adjici quinto loco post librum quartum *De arca moralem*, pag. 332. quomodo habentur hi libri in MSS. Codicibus. Hoc patet ex hujus primi libri cap. 12. pag. 296. ubi citat & allegat suos *quatuor priores Libros De arca*, nimirum ea quæ anteà dixerat Lib. 2. cap. 4. pag. 308. col. 2. Itemque in MSS. Codicibus inter libros quartum & quintum depicta invenitur arcæ figura, quod etiam indicatur ad initium libri pag. 286. Hæc nos ex attenta Lectione Operum Hugonis Victorini, cujus plurima spuria noscuntur, quæ castigatione & censurâ maximè indigent. Agunt De *Hugone Folietano* Vincentius Bellovacensi in *Speculo Historiali.* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, & alii.

GVILLELMVS COGNOMENTO CALCVLVS, MONACHVS GEMMETICENSIS, in Nortmannia, ex Ordine divi Benedicti, floruisse videtur temporibus Guillelmi I. cognomento Conquestoris Anglorum Regis, Guillelmi II. ejus filii & Henrici I, ac scripsisse *Historiam insignem Rerum Normannicarum Libris VII.* quam impressam habes in fol. Parisiis anno 1619. in Collectaneo *Historicorum Normanniæ*, cujus Andreæ Duchesnii procnrato. Plura de illo dictus Andreas in Prolegomenis ad citatum Collectaneum, cui cognomentum *Calculus* fuit, ut constat ex Orderico Vitali in *Prologo* Libri tertii Historiæ quam composuit. Divisa est hæc Historia in Libros VII. quorum sex Guillelmo primo seu Conquestori nuncupavit. Initium Narrationis ex Dudonis Historia collegit, ut ipse fatetur: *eamque eleganter abbreviavit*, ac *de aliis Ducibus qui Richardo I successerunt, breviter & disertè res propalavit*, inquit Ordericus loco citato. *Qua partim relatu plurimorum ad corroborandam fidem aque idoneorum annis & rerum experimentis, partim certissimo indice proprio visu didicerat, privatim sua donans:* inquit ipse Guillelmus Gemmeticensis in *Prologo.* Sed de Gestis HENRICI I. Anglorum Regis & GVILLELMI II, utrum ab illo quoque post obitum GVILLELMI I. adjecta sint, an ab alio potius conscripta Monacho qui libri septimi author sit, dubium movet Epistola quam Operi suo Guillelmus præfixit ad Guillelmum I. & multo magis Ordericus præfatus. Hic enim ipsum post Senlacejum certamen narrationem suam termi-

minasse scribit omnino his verbis: *Guillelmus quoque cognomento Calculus, Gemmeticensis Monachus, Dudonis materiam subtiliter replicavit, facete abbreviavit, & successorum actus usque ad subjectionem Angliæ adjecit. Post certamen Senlacejum narrationem suam consummavit, Guillelmoque Regi subtilissimo suæ gentis obtulit.* Vtut sit illius scripta primum a clarissimo viro & doctissimo D. Guillelmo Cambdeno Anglo edita, & inter Anglicarum, Normannicarum, Hibernicarumque rerum Historicos in Germania, Francofurti anno 1603. in fol. impressa sunt. Eadem Andreas Duchesnius cum duobus antiquis MSS. Codicibus contulit, qui ipsi ex locuplete Bibliotheca amplissimi Jacobi Augusti Thuani humanè suppeditati sunt, in quibus multa typographorum errore depravata correxit, omissa restituit, confusa variis in locis distinxit, sicut Lector ipse legendo facilè deprehendet. Vult autem Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. pag. mihi 405. Guillelmum Gemmeticensem vitam produxisse usque ad Stephani Anglorum Regis tempora. Itaque postquam scripsisset sex libros de quibus nos diximus, adjecisse septimum multo post: in quo paucis de *Guillelmo II.* agit qui anno 1100. mortuus est, fusiusque res gestas *Henrici I.* qui fato suo anno 1135. functus fuit, persequitur, cujus & obitum narrat. Miror authorem tam vulgarem ac celebrem à Guillelmo Cavo in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* omissum, ab Anglis primò productum, atque ad Anglorum Historiam illustrandam plurimum conducentem: cujus amplam mentionem faciunt Cambdenus & Duchesnius, uterque in *Prologo* editionis suæ. Gerardus Joannes Vossius, loco citato. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, in Scriptoribus Seculi XII. & omnes qui de *Rebus Normannicis* scripserunt.

1130 MILO CRISPINUS Monachus ordinis divi Benedicti, & Cantor in Abbatia Beccensi, ad annum 1130. & 1140. claruisse videtur. Scripsit inter alios Milo Crispinus *Vitam & res gestas Lanfranci Cantuariensis in Anglia Archiepiscopi*, atque *Vitas Abbatum Beccensium* proximè S. Anselmum subsequentium, usque ad Theobaldum & Letaldum, quas in compendium redactas Lucas D'Acherius edendas curavit ad calcem Operum Lanfranci Parisiis anno 1648. in folio. Id probat ex indiculo MS. Codicis, cujus hæc verba esse asserit: „*Vitam S. Herluini edidit Gilbertus Crispinus, Monachus Beccensis & Abbas* „*Westmonasterii. Vitam S. Anselmi edidit Edmerus* „*Monachus Cantuariensis. Vitas aliorum, scilicet* „*Lanfranci, Willelmi, Bosonis, Theobaldi & Letaldi,* „*conscripsit Milo Crispinus, Cantor Becci.* Hinc constat Milonem diu vixisse, nam in Vita Lanfranci num. 54. de energumeno agens ait, *se beato Anselmo Archipræsule narrante hæc audivisse.* Mortuus est autem S. Anselmus anno 1109. die 21. Aprilis, quo ejus Vitam edidit Papebrochius. Letardus verò quadraginta annis serius è vita decessit, Abbas sextus Beccensis, anno scilicet 1149. ut in Chronico Beccensi legitur, unà cum Operibus beati Lanfranci edito. Quæ tamen de *Theobaldo & Letardo* habentur, nonnisi parva auctoris compendia sunt atque velut Scriptoris senis *Appendices*, qui diu antè *Vitam beati Lanfranci* scripsisse potuit, ac deinde Willelmi & Bosonis, tertii quartique Abbatis. Post dicta compendia, de nobili Crispinorum genere agitur, ex quo prognati tam Milo, quam Gilbertus, Scriptor *Vitæ S. Herluini* Abbatis & Fundatoris Monasterii Beccensis: unde Milo fortè in Prologo se varia in hanc narrationem transtulisse fatetur, quæ D'Acherius edendo *Vitam S. Herluini* omisit, quod in *Vita B. Lanfranci* extarent. Hanc Vitam Lanfranci ex hac Acheriana editione recudit Godefridus Henschenius, quæ anno 1688. tomo 6. Sanctorum Maji mensis ad diem XXVIII. pag. 833. edita est, cui *Commentarium* promisit pag. 832. ubi num. 2. de Scriptis Milonis Crispini ab Acherio impressioni datis differit, unde hæc atque ex Acherio accepimus. Joannes Mabillon in *Actis Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, Seculo Sexto parte 2. pag. 340. editionis Parisiensis apud Car. Robustel 2. tomis in folio.

GAUFREDUS GROSSUS natione (ut opinor) Gallus, monachus Ordinis Sancti Benedicti in Abbatia Tironensi, Carnotensis diœceseos, anno 1130. vixit, mandavitque literis *Vitam Sancti Bernardi de Abbatisvilla* cognominati, quod eò loci in Pontivensi Comitatu ortus sit, cujus discipulus in Abbatia Tironensi per annos aliquot fuerat. Ætatem Gaufredi Grossi hinc certò colligimus, ex ætate Bernardi Abbatis prædicti, qui anno 1100. Abbas primum Sancti Cypriani propè Pictavos defuncto Reginaldo eligitur, tum anno 1107. fundamenta posuit Tyronensis Cœnobii in Carnotensi Diœcesi, cujus fundator & primus Abbas factus est, relicta S. Cypriani Pictaviensis Abbatia, cui in hoc munere successit Petrus quidam, atque huic alter Petrus natione Vasco, ut habet *Chronicon Sancti Maxentii* vulgò *Malleacense* dictum. Tomo 2. *Biblioth. Manuscriptorum Codicum Labbeana* pag. 216. Anno igitur 1107. Bernardus Abbas quem Sancti Cypriani Pictaviensis diximus, cœpit suum Cœnobium ædificare in loco, qui *Tyro* vocatur, in honorem Sanctæ Mariæ, ubi plus quam centum Monachorum cœtum simul collegit atque aluit, usque ad annum 1116. quo 7. Calendas Maji, seu die Aprilis 25. morte occubuit. Hujus *Sancti Vita* legitur à Gaufredo Grosso Monacho ejus discipulo, scripta ad Gaufredum Carnotensem Episcopum Apostolicæ sedis Legatum, dignissimum Sancti Ivonis ac docti Carnotensi Episcopi successorem, quamprimum ex MS. Codice Latine edendam curavit anno 1649. in 4. Parisiis Joannes Baptista Souchetus, causarum forensium in 1130

Galliæ patronus, de quo in *Ivone Carnotensi Episcopo* ad annum 1100. supra diximus. Hanc iterum ab ill, oinseruit *Probatus Sanctorum Vitis*, in folin Antverpiæ anno 1674. editis Joannes Bollandus Tomo tertio mensis Aprilis ad diem 25. pag 222. Mentionem faciunt hujus Scriptoris Carolus du Fresne Dominus du Cange, in *Indice Scriptorum* quam præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columnâ CX. Joannes Bollandus, in *Preludiis* ad hanc Vitam, loco citato.

2130 HERVEUS BURGIDOLENSIS MONACHUS, ex Ordine divi Benedicti, in Diœcesi Bituricensi, patriâ Cenomanensis, pietate & doctrinâ insignis, anno circiter 1130. floruit, de cujus laudibus & meritis extat Epistola Encyclica Monachorum Abbatiæ Burgidolensis edita tomo 2. *Spicilegii Dacheriani* pag. 514. quam integram ad MSS. operum omnium fidem & Hervei Monachi commendationem hic subjicio.

Epistola Encyclica

Monachorum Burgidolensis Abbatiæ, vitam librosque Hervei continens.

„Cum Propheta dicit, *Dominus virtutem operum suorum annuntiabit populo suo;* si ipse „non pro suâ, sed pro auditorum salute pro„prias enarrat laudes, quomodo nos quorum „tota salus in laudibus ejus est, tacere audebi„mus magnalia ipsius, quæ nostris temporibus „ostendere nobis dignatus est? Noverit ita„que quisquis hæc auditurus est vel lecturus, „nos nequaquam vanis vel falsis laudibus velle „mortuos extollere: sed ad laudem & glori„am Christi, salutemque audientium, pro amo„re veritatis, de veritatis ipsius amatore veraci „stylo pauca describere.

„Fuit igitur vir tam vitâ quam doctrinâ ve„nerabilis HERVEUS nomine, Dolensis Cœno„bii Monachus, degens ibi circiter quinquagin„ta annis, in prædicandâ morum prabitate, pa„triæ autem Cenomanensis indigena. Multa „apud nos suæ fidei & sapientiæ, nec non & in„nocentiæ monimenta relinquens. Jam nam„que juvenis & à puero, scholarum dogmatibus „multipliciter imbutus, cum prædictum Mo„nasterium ingressus fuisset, totum se studio „sanctarum Scripturarum dedit, atque Catho„licos tractatores, Augustinum videlicet, Hie„ronymum, Ambrosium, Gregorium, ac reli„quos frequentari cœpit, jugiterque diebus ac „noctibus eorum lectioni incumbere, meditatio„ni inservire non destitit, nec quolibet impedi„mento ab inquisitione veritatis avelli potuit. „Cumque singularis ingenii atque inæstimabilis „memoriæ esset, cœpit in vasculo cordis sui „multa profutura recondere, & columbæ more meliora grana eligere, sibique memoriter reti„nere, scriptoque commendare. „

Fecit ergo primum *Expositionem mirabilem* „*super librum beati Dionysii de Hierarchiis Angelorum*, deinde *exposuit tum Librum Isaiæ Prophetæ*„ *& Lamentationes Jeremiæ*, *extremamque partem*„ *Ezechielis*, ibi incipiens ubi Sanctus Gregorius„ Papa dimiserat, & ad finem usque perducens.„ Simul etiam *Deuteronomium Moysi & Ecclesiasten*„ *Salomonis, necnon quoque librum Judicum & Libellum Ruth, librumque Tobiæ*, omnia quæ in illis„ minus intelligentibus solam litteram sonare„ videntur, inconvincibili ratione ostendens,„ Christi & Ecclesiæ contestari & prædicare My„steria. Præterea *& Apostoli Pauli Epistolas cum*„ *tanta sapientiæ affluentia exposuit*, ut qui eas lege„runt, asserant nunquam se illis comparabiles„ cognovisse, & vix aut nunquam tantâ exposi„tas diligentià posse alicubi reperire. Ad ulti„mum cum fama doctrinæ ejus circumquaque„ spargeretur, & jam nullus ei, sicut attestantur„ qui eum veraciter cognoverunt Canonicarum„ Scripturarum scientia primus haberetur: *Librum duodecim Prophetarum & librum Genesis ex integro*, tam mirabili sensu exposuit, ut exposi„tionem super illos necdum potuerimus inve„nire, quæ suæ æquiparari possit. Inter hæc„ quippe fecit plurimas *Expositiones de Lectionibus*„ *Sanctorum Evangeliorum, Canticorum etiam* quæ„ in Ecclesia leguntur: *Libellum quoque de connexione quarundam lectionum*, ostendens quali„ter in quibusdam Ecclesiis legi, quam in sa„cra Historia continentur: de quibus unum„ quod subditur, exemplum sufficiat. Legitur„ in Quadragesima Lectio quædam de Libro„ Esther, & ita in quibusdam Lectionariis incipit„ Lectio Libri Esther: *Oravit Esther ad Dominum dicens, Domine Deus Rex omnipotens in ditio*„ *ne sua cuncta sunt posita.* Quam orationem„ ipse illic ex authore sacræ Historiæ probat„ non fecisse Esther, sed fecisse Mardochæum, &„ ideo non esse legendum, *Oravit Esther*, sed le„gendum esse, *Oravit Mardochæus*: & multa simi„lia ibidem asserit. Librum etiam non mini„mum fecit *De miraculis Sanctæ Mariæ Dei genitricis*, quæ eadem inviolata Virgo temporibus„ ejus gessit in Dolensi templo: quæ ipse mox„ postquam gesta erant, sicut audiebat ab ipsis in„ quibus fiebant, & à Monacho custode Mona„sterii, sine aliqua dilatione scribebat. „

Demum quamvis propinquum finis sui ter„minum paulatim vigore deficiente sensisset, ta„men sine consueto scribendi opere esse non„ poterat. Et rogatus à nonnullis, ut qui o„mnes Scripturas supra cunctos memoriter re„tinebat, *De cœna sancti Cypriani Cæcilii Carthaginensis Episcopi*, ferè de omnibus libris Canonicis„ aggregata, quæ quid intimaret eatenus apud„ nos incognitum erat, edoceret ipse quid de ea„ sentiret: adquievit rogantibus, dicens dum„ scriberet, se fortassis cum ista præsentem vi„tam

„tam finire. Et quia prior liber Expositionum „suarum, de dictis Sanctorum Patrum, Dionysii „videlicet Areopagitæ extiterat, de eorundem „Sanctorum Patrum dictis, iste posterior esset. „Sicque contigit. Namque cum eandem *Ce-„nam* usque ad illum locum exposuisset, quo di-„citur, *Confundebatur Elizabeth, Stupebat Maria, „videbat de facto Sara*, quo loco videlicet apud nos „terminabatur: arbitraretur autem de eà „non nimiam abesse partem, tam ipse quam „Dominus Abbas Girbertus qui hoc ei tanquam „Monacho suo & filio mandaverat, eamque „quæ deerat partem, ab Abbate Sancti Savini qui „se eam habere dicebat, & mittendam eis promi-„serat, expectabant: multa siquidem in ea vel „dempturus fortasse vel additurus, illam sicut „erat in abolitione reliquit.

„Et cum tempus Quadragesimæ in maximâ „mentis & majore corporis quam nuper fuerat „virtute, in multa abstinentiâ, multisque quoti-„dianis virgarum verberibus, devotis atque assi-„duis orationibus, & in quotidianâ sacrosancti „Sacramenti corporis & sanguinis Domini reve-„renda celebratione, cum alacritate & gaudio „Spiritus Sancti consummasset: & in die sancto „Cœnæ Domini nos dulcissimo verbi Dei pane „in Capitulo refecisset: in die sancto Paschæ „Missæ hebdomadarius fuit, & sermonem in Ca-„pitulo fecit. Secundâ feriâ Missam in con-„ventu cantavit, & postmodum debilitate cor-„reptus, quartâ feriâ inunctus est. Sed tunc „communicare non potuit, quod ipse posteà ali-„quantulum convalescens, divina providentia „accidisse asseruit: dicens non Dominum ad „se, sed se ad Dominum venire debere. Et „sic sequenti, quam præcedenti die non audie-„rat, ipsiusque diei Missam audivit: & confes-„sus prius, sacrosancta Mysteria corporis & san-„guinis Domini, in tutelam exituræ in proximo „animæ, devotissimè accepit. Sicque per to-„tam hebdomadam, cum Missam quotidie au-„disset, quam nullo modo amittere volebat: & „Dominum Abbatem qui tunc fortè deerat, an-„tequam recederet multum videre vellet: post-„quam venit, ab eo visitatus & absolutus, inter „manus ipsius cui se accusabat, cœpit acri qui-„dem sed brevissimo dolore fatigari, usque ad „mortem: Dominica in Octavis Paschæ trans-„iens ex hac vita, & scandens ut credimus ad „Syderea regna.

„Ne verò longius protrahatur Epistola, de „omni tempore vitæ ejus breviter diximus: „in diebus nostris majoris abstinentiæ, pudicitiæ „mundioris, sanioris consilii, humilitatis altio-„ris, taciturnitatis magis assiduæ, locutionis „plus circumspectæ prorsusque à vanitate alie-„næ, purioris vel amplius Catholicæ doctrinæ, „inque universâ morum honestate, præclario-„rem nullum nos cognovisse. Hæc scribimus „vobis, quoniam frater erat, ut de tanto fratre „gaudeatis, & quod ei promiseratis, devotè „persolvatis in regnu Dei, ad quod eum evo-lasse confidimus, ei consociari precantes.„ Valete.„

Scripsit multos Commentarios in Scripturam sacram, spectantque ad eum *Commentarii in omnes Epistolas Sancti Pauli Apostoli*, hactenus impressi passim cum Operibus divi Anselmi Cantuariensis, qui sunt hujus *Hervei Burgidolensis* tam ex fide MSS. Codicum atque allata Epistola Encyclica, quam ex impressione Operum ejusdem Anselmi, Parisiensi anni 1544. quæ Herveo adjudicat. Vidi duos MSS. Codices optimæ notæ in manibus D. Placidi Porcheron Bibliothecarii S. Germani Parisiensis, dictum Commentarium in Epistolas Paulinas *Herveo præfato Benedictino* attribuentes. Bellarminus in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, attribuit hos Commentarios *Herveo Britoni* Ordinis fratrum Prædicatorum, ad annum 1320. verum aperte fallitur, uti & in multis. Vidi enim illos in MSS. Codicibus extantibus, longè antequam hic Herveus, Natalis vulvam suæ matris egrederetur, forasque erumperet vel scriberet. Ejusdem *Commentarii in Isaiam Prophetam amplissimi ad Joannem Abbatem Dolensem*, quos MSS habet Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis in Episcoparu Suessionensi, duobus voluminibus in fol. littera H. 5. Item Bibliotheca Cluniacensis, Littera EE. Bibliotheca Parisiensis Collegii Claromontani Soc. Jesu. Denique Bibliotheca sancti Michaelis in periculo maris, littera G. 1. Itemque vidi ejusdem authoris *Postillas breves in Deuteronomium* MSS. apud sanctum Germanum Parisiensem cum *Commentario in Esaiam* de quo suprà: quarum mentionem facit allata sursum Epistola Encyclica Monachorum Burgidolensium. At longè plura sunt Monumenta doctrinæ *Hervei* non Mendicantis Dominicani, sed Monachi Benedictini, in Bibliothecis Cisterciensis Ordinis. In Bibliotheca enim celeberrima Claræ Vallis, extant *Commentarii Hervei Monachi in Isaiam*, de quo suprà. Item *Commentarii Hervei Monachi super Leviticum*. Item ejusdem *super Deuteronomium*. Item *Hervei Monachi super ultimam visionem Ezechielis Prophetæ*. Item Ejusdem *De Cantico Abacuc & de Cantico Annæ Prophetissæ*. In Bibliotheca Pantigniaci, *Expositio Hervei Monachi in libros Judicum, Ruth, lamentationum Jeremiæ, Ecclesiast. m, & Canticum Moysi*, Cantemus Domino &c. In Bibliotheca Vallis Lucensis ejusdem Ordinis, eadem Opera *Hervei Monachi*, quæ jam enumerata sunt ex Bibliotheca Pontigniaci. Itemque ibi *Expositio Magistri Hervei in duodecim Prophetas Minores*, pulpito 3. Littera F. Itaque vel nihil omnino, vel pauca sane amissa sunt, ex illis omnibus Hervei Dolensis Monachi Operibus, quæ in illa Epistola Encyclica recensentur: quemadmodum ex citatis Bibliothecarum Galliæ nostræ Manuscriptis Codicibus evidens est, quorum occasione dictam supra Encyclicam hic integram adduximus.

Agunt De *Herveo Dolensi Monacho* Philippus Lab-

Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 1. pag. 432. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XII. ad annum 1130. pag. 659. Carolus Dufresnius du Cange in Indice Scriptorum præmisso *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu col. 113.

1130 ALGERUS CLUNIACENSIS MONACHUS, claruit anno 1130. cujus elogium authore Nicolao Canonico Leodiensi ejus æquali, refert Joannes Mabillon tomo 1. *Analectorum* pag. 303. Fuerat hic primum Sancti Bartholomæi Leodiensis Canonicus & Scholasticus, deinde ad Ecclesiam Sancti Lamberti ab Oberto Episcopo translatus, negotiis Ecclesiasticis per annos ferè viginti usque ad obitum Friderici Episcopi operam dedit. Verum pertæsus humanæ vicissitudinis ad Cluniacense Monasterium se contulit, sub Petro Mauricio Abbate institutum Monasticum amplexus: de quo loquuntur Bellarminus & Labbeus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Quibus addo Algerum scripsisse adhuc *Tractatum de Misericordia & Justitia inscriptum libris tribus*, cujus Prologum refert loco citato ex MS. Codice, pag. 307. Abbatiæ Villariensis in Brabantia Cisterciensis Ordinis, idem Mabillon. Quem etiam vidi MS. in Bibliotheca Alnensi Cisterciensis Ordinis in Belgio, in Codice medico cujus dorso hæc inscriptio seu titulus est, *De Vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, ubi Algerus *Augerus* dicitur. Atque hujus Algeri Opus istud *De Canonum observantia* agit, præloque dignissimum videtur, uti se facturum idem Mabillonius ex Codice à se inspecto promiserat. Meminit hujus Operis Nicolaus Synchronus in elogio *Algeri*, quod tomo I. *Analectorum* pag. 303. à Mabillonio relatum est. Plura Labbeus & Bellarminus, locis indicatis. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Algerus* p. 42. editionis 1643. Lovanii in 4.

1130 ROBERTUS PULLEINUS, PULLENUS, POLLENUS & PULLUS, vulgo POLLEN, Gallice Poulain, natione Anglus, in alma Facultate Theologiæ Parisiensi toto Orbe celeberrima, professor publicus, ante seculi XII. medium fuit. Inde in Angliam reversus, Oxoniensem Academiam (ait Pitseus) jam pene collapsam denuò erigere, & musis iterum restituere deliberavit. Ipse illic scholas aperuit, optimas scientias gratis docuit, auditores & discipulos, Professores & Magistros ex aliis Regni partibus illuc evocavit: ex quibus non paucos suis sumptibus aluit, alios omnibus humanitatis officiis sibi & musis obstrinxit. Cum iste præstantissimus Doctor esset, litterarum Fautor, & Mæcenas munificentissimus, multa publice docuit & dictavit, privatimque ad æternam ejus memoriam & Reipublicæ literariæ utilitatem scripsit. Quem ob summas ingenii & naturæ dotes, eximium animi candorem, singularem morum probitatem, & exquisitam scientiarum cognitionem, Henricus I. Anglorum Rex, maxime dilexit. Cujus commendatione S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli S. Eusebii ab Innocentio II. Romano Pontifice anno Christi 1134. mense Decembri, Romæ, & juxta Onuphrium Pisis creatus, postea à Lucio II. Cancellarius Apostolicus ordinatus. Habet honorificam de illo mentionem Sanctus Bernardus in Epistola 205. ad Roffensem Episcopum. Non est hic meus gloriæ titulus, dignum fuisse Pullenum Bernardi laudibus, cui illi soli acceptissimi erant, qui virtutis aut probatissimæ doctrinæ merito & apice eminerent. Epistolam illam, quia solum spectat authorem, siquidem illius doctrinam non mediocriter commendat, hîc integram exhibemus. Causa autem Bernardo scribendi ad Episcopum Roffensem Pulli Diœcesanum ea erat, ne virum de litteris & Academia Parisiensi meritissimum, in eaque utilem adhuc futurum, tam cito in Angliam reverti cogeret. Ita se habet Epistola.

Dure quidem scribitis non merenti. Quid peccavi? Si monui Magistrum Robertum Pullum, aliquantum tempus facere Parisiis ob sanam doctrinam quæ apud illum cognoscitur, id putavi esse necessarium, & adhuc puto. Si rogavi sublimitatem vestram ut permitteretis, etiam nunc idipsum rogarem, nisi eam de priori prece indignatam sensissem. Si dixi hominem fultum gratia amicorum, quorum in Curia non minima authoritas est, id dixi quod vobis formidavi & adhuc formido. Nam quod post appellationem factam, extendistis manum (ut accepimus) ad res appellantis, nec laudavi nec laudo. Verumtamen voluntati vestræ in aliquo contradicere, nec consului ei, nec consulo. De cætero vestri sumus, coronam vestram suscipere & colere, semper digna & debita veneratione parati. Hujus testimonio conscientiæ, audemus adhuc advos (prece duntaxat atque consilio) ut Magister Robertus cum integritate gratiæ vestræ per aliquantum tempus possit Parisiis demorari. Retribuat vobis Dominus in vitam æternam, quod viscera nostra refovistis, filios nostros loquor quos misistis in Hiberniam. Probat etiam Joannes Mabillon ex MS. Cod. Cisterciensi Sanctum Bernardum scripsisse Epistolam 334. ad *Robertum Pullum jam Cardinalem*, quamvis ineditis ad *Rolandum Cardinalem & Cancellarium* inscribatur. Et sane Robertus Pullus munere Cancellarii functus est usque ad annum 3. Eugenii III. teste Onuphrio, id est usque ad annum 1148. cum anno 1145. Eugenius III. ad Papatum promotus sit. *Rolandus* verò cognomento *Bandinellus* seu *Paparo*, ante annum Eugenii octavum Cancellarii dignitate ornatus non est, hoc est ante annum 1152. vel 1153. Vir hic longe doctissimus, Scripturarum sacrarum interpres excellentissimus,

Theologus sublimis, qui ante Petrum Lombardum Sententiarum Magistrum ac Episcopum Parisiensem, Theologorum facile principem, Theologiam scripsit. Opus inscribitur, *Sententiarum Theologicarum libri 8.* qui incipiunt, *ut in hoc volumine, Lectori facile quod quæsierit, occurrat, hæ præmittuntur Distinctiones.* Distinctio Prima. *Irrationabilium rationabilis progressus, & indefessus inferrecursus &c.* Eductum illud impressumque curâ & studio Domini Hugonis Mathoud Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri, Parisiis in folio anno 1655. apud Simeonem Piget via Jacobæa sub signo prudentiæ. illud cum Notis & animadversionibus in Historia ac Theologia doctissimis à pag. 291. ad 438. quas eruditi spernendas non censent. Eductum autem ex MS. Codice S. Remigii Remensis optimæ notæ, qui in fronte distinctissime inscriptus legitur: *Incipit Prologus Sententiarum Magister Roberti Pulli.* Post quem, *Incipiunt Sententiæ Magistri Roberti Pulli, S. Romani Ecclesiæ Cardinalis & Cancellarii.* Scripsit haud dubiè hoc Opus antequam ad purpuram Cardinalitiam promoveretur, quod anno 1134. sub Innocentio II. juxta Onuphrium Panvinium contigit: ideoque antequam Petrus Lombardus nomen sibi ob suas Sententias compararet. Idem Opus *Sententiarum de Trinitate* inscriptum, MS. olim in Bibliotheca GualteriCopi nobilis Angli, Cod. 41. ut indicat Thomas James in sua Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, Londini anno 1600 in 4. edita. Denique in insigni etiam Bibliotheca Abbatiæ Claræ Vallis, Ordinis Cisterciensis in Gallia. Damnant aliqui Robertum Pullenum, quod in ejusmodi *Collectaneo sententiarum*, argumentis nimium ac ratiociniis indulserit, parcè autem usus fuerit authoritate sanctorum Patrum, quæ potissimum Theologiam facit: ac volunt hoc Pulleni mendum, fuisse posteà emendatum à Petro Lombardo, quem ideò omnes secuti fuerint. Concionator etiam ætate sua extitit: Robertus Pulleinus, cujus Sermonum *Liber I. de Communi Sanctorum*, qui olim in Bibliotheca illustrissimi viri Alexandri Petavii, Pauli filii, Senatoris Parisiensis, MSS. reperiebantur, Cod. 1434. atque in Puteanâ. Sed hic tandem MS. Codex cum omni supellectile Petaviana, in Christinæ Suecorum Reginæ clarissimæ abundantem abiit Bibliothecam. Vidimus autem alterum ejusmodi Codicem MS. in Bibliotheca Fulcardi Montis Ordinis Cisterciensis, Archiepiscopii Rotomagensis, quæ jam in Colbertinam Bibliothecam transivit. Inscribuntur in Colbertina, Codice 5133. *Sermones Magistri Roberti Pullo de communi Sanctorum:* & incipiunt, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Tria sunt diligenda, Deus, Proximus, & nos ipsi. Superbia verò tollit Deum, invidia proximum, ira seipsum &c.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, num. 1609. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Herefordensis Codice 17. num. 4. *Roberti Pullani Sermones.* Ex hac vitâ Robertus Pullenus migravit, circa annum Dominicæ Incarnationis 1150. sub Eugenio III. Romano Pontifice.

Alter Robertus Pullanus seu Pullus, quem alii Anglum, alii Gallum volunt, doctus & antiquus Theologus, in Gymnasio Parisiensi an. 1200. & ultrà floruit. Inde posteà ob morum & doctrinæ famam, ad Archiepiscopatum Rotomagensem anno 1208. elevatus est, qui Expeditioni contra Albigenses ut putant Hæreticos anno 1209. nomen dedit: ut est apud Albericum Monachum Trium Fontium, & Petrum Vallis Sarnensis Monachum in *Chronico* cap. 62. Cui perperam in *Supplemento* meo priore adscripsi *Libros 8. sententiarum de Trinitate* inscriptos, de quibus hic loquimur. Huic rescripsit Innocentius III. cap. 8. *ad reprimendam* De officiis Ordinarii, quatenus Archiepiscopus à suffraganeo excommunicatum absolvere possit. Porrò nullibi lego alterum hunc Robertum Pullum Rotomagensem Archiepiscopum, scripsisse quippiam ad Ecclesiam erudiendam. Moritur an. 1221. quarto Nonas Maji, in Cœnobio Mortui Maris, Nonis ejusdem mensis sepultus: de quo vide Historiam Vniversitatis Parisiensis Sec. XII. & XIII. Fratres Sammarthanos in *Gallia Christiana* tomo 1. pag. 584. in *Archiepiscopis Rotomagensibus.* Agunt de meritis & Scriptis *Roberti Pulleini Senioris*, S. Bernardus Epistola 205. Onuphrius Panvinius Augustinianus Eremita in *Innocentio II.* Alfonsus Ciaconius Dominicanus, *ibidem.* Joannes Pitseus *De illustribus Angliæ Scriptoribus* Seculo XII. Joannes Balæus, ibidem. Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus sacri.* Claudius Hemereus in Libro *De Academia Parisiensi* cap. 5. pag. 41. Angelus Mauriquez Burgensis, Ordinis Cisterciensis, ac posteà Pacis Augustæ in Hispania Episcopus, tomo 2. *Annalium Cisterciensium*, anno 1146. cap. 3. num. 12.

OSBERTVS CLARENTIVS seu de Clara, ita dictus a Clarentia pago in Comitatu Suffolcensi Monachus, ac posteà Lelando teste, Prior Londinensis in Abbatia Westmonasteriensi, anno 1136. claruit sub Stephano Anglorum Rege, ut in Catalogo Majore Bostonus Buriensis scribit. Opus contexuit *De Passione S. Athelberti Regis & Martyris* quod extat MS. in Collegio S. Benedicti Cantabrigiæ Codice 298. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 135. in MSS. Collegii Vniversitatis Litera I. Codice 7. *Osberti Monachi de Stokeclare Vita & Passio S. Athelberti Regis & Martyris*, in fol. In bibliotheca etiam Cottoniana sub effigie Vitellii Litera A. Codice 17. num. 6. Epistola Osberti de Clara ad Dominum Henricum Wintoniensem Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, de canonizando Sancto Rege Edwardo, cum Epistolis Henrici Episcopi Wintoniensis, & 1130

& Regis Stephani ad Innocentium Papam, de eodem argumento, cum ejus Responsoira ad Abbatem & fratres Sancti Petri Westmonasterii. Hæc num. 6. Ibidem num. 8. *Osberti de Clara Epistolæ*, inter quas eminet illa ad D. Adelidem Berkingensis Cœnobii Abbatissam, *De armatura castitatis*. In nonnullis MSS. Codicibus *Vita Sancti Elphegi* illi etiam assignatur, sed perperam, cum ad Osbernum spectat, de quo superius dictum est. Meminit hujus scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. pag. 409.

1130 ROBERTUS SALOPIENSIS, sive de Shreswisbery, teste Joanne Capgravio in *Catalogo Sanctorum Angliæ* sub eodem Stephano Anglorum Rege claruit, qui post Sanctæ Wenefridæ Virginis e Cambrigia in Salopianum Monasterium translationem, cujus Antistes tunc erat, Librum *De Vita illius* conscripsit, atque illum Guarino Wigorniensium Monachorum Præfecto dicavit. Occasio nempe hujus operis, fuit quod ut dixi, ossa S. Wenefridæ ad ejus Cœnobium translata essent, quod an. 1138. factum est. Extat illa apud Surium Tomo VI. Ante quidem Robertum Elerius Vitam hanc conscripserat, quam excerpsisse Robertus creditur. Extat MS. in Cottoniana celebri Bibliotheca sub effigie Claudii Litera A. Codice 5. num. 6. *Vita S. Wenefridæ Virginis & Martyris per Elerium Britannum Monachum anno 660.* ut Jamesius annotavit, *vel potius per Robertum Salopiensem anno 1138.* ut vir quidam eruditus melius docet. Ibid. num. 7. *Miracula ejusdem*. Meminit hujus scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 134. pag. 173. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 413. editionis ultimæ.

1130 TURSTINUS qui & TURSTANUS EBORACENSIS ARCHIEPISCOPUS, an. 1130. & sequentibus ob pietatem insignem emicuit, quæ cum eruditione conjuncta fuit. Hic postquam jam senex illa se dignitate abdicasset, anno 1136. Cistercienfis monachus apud Rippon, agri Eboracensis oppidum, quod *Fontanense* sive *de fontibus* dicitur factus est, qua occasione ipse præter alia Opusculum *De origine Fontanensis Cœnobii* posteritati commisit, per modum Epistolæ ad Guillelmum Cantuariensem Archiepiscopum anno 1132. conscriptæ. Obiit sub Rege Stephano anno 1140. vel 1141. cum odore Sanctitatis. Extat in bibliotheca Cottoniana, sub effigie Titi litera A. Codice 19. num. 13. *Vita S. Turstani Archiepiscopi Eboracensis*, partim oratione soluta, partim ligata, per Hugonem de Pontefracto Monachum & Galfridum de Nottingham. Extat ibidem sub effigie Othonis litera C. Codice 14. num. 6. *Epistola Turstini Archiepiscopi Eboracensis, ad Guilelmum Cantuariensem, De reformatione & discordiis Monachorum Ecclesiæ S. Mariæ Eboracensis anno Christi 1132.* Et inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 1892. in MSS. Thomæ Bodleji A. 3. Codice 20. num. 9. Et Oxonii in Collegio Corporis Christi Codice 209. num. 5. Meminit hujus scriptoris, inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 5103. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 2. cap. 48. pag. 319. ubi Excerptum ex Epistola sive libellulo Turstini Archiepiscopi Eboracensis ad Guilielmum Archiepiscopum Cantuariensem, De origine Fontanensis Cœnobii Eboracensis. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 413. editionis ultimæ.

GUILIELMUS RHIEVALLENSIS, Cisterciensis Monachus, in Rusheforda, hic collocatur à Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *D. Historicis Latinis* cap. 51. pag. mihi 415. qui tanquam sydus effulsit atque Historiam Anglorum reliquit, quam Ealredo Rhievallensi Abbati dicavit, quemque anno 1140. mortuum, vult inter potissimos Angliæ scriptores haberi à Richardo Hagustaldensi, Ranulpho Higdeno, & Guillelmo Hormanno. Verum absurde hic fallitur Vossius, nullusque fuit Guillelmus Rievallensis Monachus, qui Historiam Angliæ scripsit. Equidem juxta Nicolaum Rievallensem Monachum, qui carmine primos Abbates Rievallis depinxit, Primus Abbas fuit Guillelmus e Claravalle anno circiter 1131. missus, qui cum Rievallem tribus circiter annis necessariis ad regularem observantiam ædificiis adaptasset, illius Abbas circa annum 1134. primus institutus, post annos regiminis 13. circa annum 1147. mortuus est. Secundus Ælredus qui post annos præfecturæ 18. anno 1166. die 12. Januarii mortuus est. Tertius Silvanus qui post 33. annos administrationis anno 1198. mortuus, locum cessit Edelredo, cui paucis post electionem mensibus, Guillelmus Litle sive Parvus, Canonicus Regularis Novoburgensis monasterii prope Sylvam Cuculinam ac Doctor Theologus, *Historiam Rerum Anglicarum* libris V. comprehensam dedicavit, cujus meminit idem Gerardus Joannes Vossius eodem libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. mihi 452. editionis ultimæ. Quod ergo Vossius adscripsit Guilielmo Rhievallensi, hoc dubio procul pertinet ad Guilielmum Neubrigensem seu Novoburgensem Canonicum Regularem Ordinis divi Augustini, qui ad annum usque 1198. Chronicon contexuit, ab an. 1066. inceptum. Extat opus MS. in bibliotheca Cottoniana sub effigie Vespasiani, Littera B. Codice 6. num. 6. inscriptum *Historia miscella Willelmi viri religiosi, Canonici Noviburgi ad Edelredum Abbatem Rievallis in qua res Angliæ præcipue enarrantur.* Et Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Codice 87. quam Thomas Jamesius ait manu recentioris scriptam quibusdam in locis

locis esse restitutam & perfectam. Prodiit primum *Historia* ista Antverpiæ 1567. in 8. quam in lucem produxit Guilielmus Sylvius. Deinde Heidelbergæ anno 1587. apud Hieronymum Commelinum pag. 353. Ethelredo Abbati Rievallis dicata, denique multis interdum periodis & integris XI. Capitulis auctior, optimisque Joannis Picardi Canonici Regularis Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis illustrata notis, anno 1610. Parisiis in 8. cujus meminit Guilielmus Cavus in Historia rei literariæ seculo 12. ad annum 1195. pag. 691. Porro tam ex Notis quas Joannes Picardus huic Operi adjecit, quam ex præludiis quæ Joannes Bolandus præmisit Tomo 1. *De Vitis Sanctorum probatis* in Vita S. Ælredi Abbatis Rievallis ad diem 12. Januarii, atque ex præfatione ipsius Operis, evidenter constat *Historia hos quinque libros* non pertinere ad Guilielmum Abbatem vel Monachum Rievallis, ut falso Vossius opinatus est: sed ad Guillelmum Canonicum Regularem Ordinis divi Augustini, anno 1198. celebrem, qui obstupescit, quod hanc spartam cuidem e suis Rievallis Monachis adornandam, Abbas Ethelredus non commiserit.

1130 PAULUS BERNRIEDENSIS Ordinis Canonicorum Divi Augustini regularium an. MCXX. & sequentibus vixit, Ecclesiæ Ratisponensis primum Canonicus, sed ab Henrico IV. in exilium actus, in Cœnobio Bernried recens fundato, habitum Canonicorum Regularium circa annum 112 . suscepit, ab Vdalrico Passaviensi Episcopo qui dict m Ecclesiam ab an. 1091. usque ad annum 1124 gubernavit, Presbyter consecratus, & elapsis ab obitu hujus Episcopi septem annis, scripsit Paulus Bernriedensis *Vitam Gregorii Papæ VII.* circa annum MCXXXI. Edidit hoc opusculum Pauli Bernriedensis an. 1688. Daniel Papebrochius in *Probatis Sanctorum Vitis* tomo 6. Maji mensis ad diem XXV. pag. 113. & sequentibus cui Commentarium ingentem pag. 102. præmisit. Jacobus Gretserus, qui primus eandem una cum *Apologia* pro Cardinali Baronio ediderat, arbitratur *Paulum cum Romæ esset, Callisto II. Papæ familiarem fuisse*, qui ab anno 1119. die 4. Februarii usque ab an. 1124. sedit ad 12. Decembris: & confirmavit anno 1122. fundationem cœnobii Bernriedensis, qua de causa Romam proficisci Paulus potuit. Hic Vitæ hujus num. 11. adducit *Callistum Papam narrare solitum, quod Episcopus simoniace electus, non voluerit recitare*, Gloria Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ita deinde num. 16. ait Joannem Camerarium olim Alexandri II. Pontificis, narrare solitum, *quod precibus S. Alexandri febris ardens depulsa sit*. Atque ita hinc inde inserit varia miracula tempore vitæ patrata, quæ cum simplicem & nimis credulum probant. Sed num. 104. quæ ad sepulchrum ejus cœlitus facta, vel quæ fieri dicunt religiosiores quique Romani, illis qui viciniores sunt, percensenda reservat. Sub finem tamen num. 1 4. addit *Superlatam narrationem duorum miraculorum, Salerni cælitus patratorum*. Hæc de Paulo Bernriedensi Daniel Papebrochius loco allato, in Commentario ad Acta Gregorii VII. prævio, Paragrapho primo num. 3. ad diem XXV. Maji mensis pag. 102. Vixisse usque ad annum 1140. vel 1150. creditur. Plura etiam Jacobus Gretserus Soc. Jesu, qui *Vitam* hanc primus edendam Ingolstadii 1610. in 4. curavit cum aliis, in *Prolegomenis* præmissis. Ego quoque in *Supplemento* Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem male anno 1180. affixeram pag. 459.

VDALRICUS CONSTANTIENSIS IN GERMANIA EPISCOPUS, Monachus primum Abbatiæ Sancti Blasii in Hercinia Sylva Ordinis divi Benedicti, circa annum 1109. Imperatoris nutu ad Episcopatum Constantiensem electus est, qui renitente Paschali Romano Pontifice installatur, atque octo annis quamdiu nempe Paschalis Papa vixit, sine consecratione præsedit. Postea Decreto Gelasii successoris anno 1118. a Mediolanensi Antistite consecratus, qui jam antea aliquanto post electionem, anno 1111. Comitiis argentinensibus interfuerat. Henrico autem de Bavaria anno 1128. cum magno exercitu Constantiam urbem obsidente, Vdalricus Episcopus cum civibus ei strenue restitit. Obtinuit a Sede Apostolica canonizationem Sancti Conradi decessoris sui. Monasteria Erentzelingen Ordinis divi Augustini & Brigantinum Ordinis Benedictini a Rudolfo Brigantiæ Comite fundatum, dedicavit. Nec Martem solum coluit, sed & Minervam Vdalricus. Scripsit *Vitam Sancti Gebehardi Augustani Episcopi libris 2* quam refert Henricus Canisius in *Collectaneo ant quæ Lectionis*, & Laurentius Surius in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem 27. Augusti. Idem scripsit *Vitam Sancti Conradi itidem Augustani Episcopi ad Calixtum 2. Papam*, quæ apud eundem Surium, ad diem 26. Novembris. Denique Vdalricus amans quietem & solitudinem, ad Monasterium suum Sancti Blasii in Hercinia Sylva, anno 1138. liberrime onere pastorali deposito rediit, ubi usque ad annum 1140. vel circiter vixisse creditur. Falluntur autem qui ex uno, Vdalricos duos Constantienses Episcopos sibi immediate succedentes, faciunt. 1130

ISAAC MAGNÆ ARMENIÆ CATHOLICUS, juxta Labbeum in brevi *Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum* anno circiter 1130. floruit, cujus supersunt *Orationes duæ invectivæ seu libri duo adversus Armeniorum errores*, quos ex MS. Codice edidit Franciscus Combefis in Auctario Græco-Latino Bibliothecæ Veterum Patrum tomo 2. pag. 317. & sequentibus, quod editum Parisiis in fol. anno 1648. apud Antonium Berthier, via Jacobæa sub signo fortunæ. Vult autem dictus Combefis loco citato pag. 415. 1130

415. in Notis cum floruisse circa medium seculi XII. quo a Labbeo modicum discrepat. Vide de Isaaco isto Guillelmum Cavum in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1150. pag. 672. de quo alii omnes silent. Extant in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCXIII. num. 7. & quidem a fol. 175. pag. 1. usque ad fol. 186. pag. 2. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 38. ex Isaaci Magnæ Armeniæ Catholici Orationibus duabus invectivis adversus Armenias, *Excerpta de duabus in Christo naturis, de Annuntiatione beatissimæ Virginis Deiparæ, de sudore Christi sanguineo, de pane, vino & aqua in Mysteriis Christi, de Judaicis sacrificiis, de Sacerdotio & de jejunio Artziburi:* de quibus idem Lambecius quoque in Catalogo scriptorum hujus tomi, pag. 338. & 365.

1130 NICEPHORVS BRYENNIVS IMPERII CÆSAR, claruit nobilitate atque meritis sub finem seculi XI. atque XII. initium, qui Nicephori Bryennii ob affectatum imperium oculis privati filius natu maximus fuit, juxta Zonaram, nepos vero juxta Annam Comnenam uxorem ejus. De illo sic Joannes Zonaras tomo 3. Annalium agens de Alexio Comneno Augusto, post Constantini Porphyrogeniti ante nuptias mortem, cui desponsata Anna ejusdem Alexii primogenita fuerat, sic loquitur. Νυμφίον ἕτερον ἐπ' αὐτῇ εἰσωκίσατο τὸν μείζω τῶν υἱῶν Νικηφόρου τοῦ Βρυεννίου, ὃν ὁ λόγος προέφησε τῇ τυραννίδι ἐπιχειρήσαντα καὶ ἁλόντα, καὶ πηρωθέντα τοὺς ὀφθαλμούς. τούτῳ τὴν θυγατέρα ταύτην κατεγγυήσας τετίμηκε τὸν ἄνδρα πανυπερσέβαστον. *Sponsum alterum ei adscivit maximum natu filiorum Nicephori Bryennii quem superius retulimus, in conatu Imperii usurpandi captum & excæcatum. Huic cum ei filiam suam daret uxorem, titulo Panhypersebasti honoravit.* Annis autem jam præcedentibus, multis præclare gestis claruerat Bryennius. Anno 1096. dum Alexius Latinis Thraciam ingressis obstaret, Nicephorus noster ille Constantinopolim adversus Gothofredum Bullionæum defendit. Anno 1108. pacem inter Alexium & Boemundum Antiochiæ Principem conciliavit. Ægrotante anno 1118. Alexio Comneno, omnia Constantinopoli nutu Nicephori in Aula gerebantur, & certe parum abfuit, quin Annæ Comnenæ, ejusque matris Ivones consiliis, ad Imperium post Alexii mortem elatus sit. Ita sane idem Zonaras paullo post. Βρυεννίῳ τῷ Καίσαρι πολλή τις ἦν ἰσχὺς, καὶ δι' ἐκείνου πᾶν ἐν τοῖς ἀνακτόροις οἰκονομούμενον ἐκπεφόνητο. διὸ καὶ πάντες ἐκείνῳ προσῄεσαν καὶ δικάζειν αὐτῷ ἐπιτέτραπτο, καὶ βασιλικῶς ἐθεμίστευσεν. ἦν γὰρ δὲ λόγοις προκείμενος ὁ ἀνήρ. Et paullo post. οὕτω δ' ὡς εἴρηται τῷ Καίσαρι τῶν πραγμάτων συνενεχθέντων διὰ πάσης ἦν γλώττης ᾀδόμενος ὁ ἀνήρ. *Brienni Cæsaris magna erat potentia, & jam vulgo celebre, illius nutu in Regia geri omnia. Quare omnes ad eum se conferebant, juris dicandi & pro Imperii authoritate sententias ferendi potestate præditum. Erat autem & ipse studiis doctrinarum deditus.* Et paullo post: *Hoc rerum suarum statu Cæsar omnium Linguis celebratur.* Nicetas Choniates initio libri primi referens conatum Irenes Augustæ in promovendo ad successionem Imperii genere Bryennio, & filio Joanne excludendo ab ea, de eadem Augusta sic scribit. Ἐνιαχοῦ δὲ καὶ λόγου πρόφασιν τὸν Βρυέννιον παρενσφέρουσα παντοίοις αὐτὸν ἐπαίνοις κατέστεφεν. ἅτε εἰπεῖν ἱκανώτατον καὶ ἐγχειρῆσαι διαπράξασθαι, καὶ μαθημάτων ἐλευθερίων μεταλαχόντα ῥυθμίζειν τὸ ἦθος εἰδότων, καὶ πρὸς βασιλείαν ἀδιάλυβητον ἢ βραχέα συναιρομένων τοῖς ἄρχειν μέλλουσιν. *Aliquando etiam Bryennium per occasionem summis laudibus celebrabat, & ut eloquentissimum, & rebus agendis aptissimum, & liberalibus artibus quæ animum ad virtutem informent, & ad Imperium gerendum & tuendum maxime adjumento sint, eruditum.* Idem Nicetas narrata Alexii Comneni morte, refert conspirationem multorum, Bryennium repulso Joanne Alexii filio, ad Imperium evehere studentium. Τῷ Βρυεννίῳ πάντες προστίθενται, καὶ παραχωροῦσι τούτῳ τῆς βασιλείας, ὡς λογικῶν ἐν μεθέξει ὄντι παιδεύσεων καὶ εἶδος τυραννικὸν προφαίνοντι. *Briennio se omnes adjunxerunt, eique Imperium detulerunt, uti & liberalibus erudito disciplinis & Regia forma conspicuo.* Anno 1137. Joannem Comnenum Imperatorem arma in Syriam moventem comitatus est, unde ab obsidione Antiochena æger redux factus, eodem (ut videtur) anno diem obiit. Hujus sui mariti cum laudibus haud modicis meminit Anna ipsa Comnena, in præfatione *Alexiados*. Ἐμοὶ ἀνὴρ ἐγένετο κατὰ νόμους συναφθεὶς ὁ Καῖσαρ Νικηφόρος εἰς τὴν τῶν Βρυεννίων σειρὰν ἀναγόμενος. Ἀνὴρ καὶ κάλλους ὑπερβολῇ καὶ συνέσεως ἀκρότητι καὶ λόγων ἀκριβείᾳ, μακρῷ τοὺς κατ' αὐτὸν ὑπερβάλλων. Θαῦμα γὰρ ἄντικρυς καὶ ὁρώμενος καὶ ἀκροώμενος, καὶ τὰ ἑξῆς. *Maritus mihi fuit legitimo ritu conjunctus Nicephorus Cæsar, generis seriem ad Briennios referens, vir & forma præstantia & consummatione prudentiæ, & perfectione doctrinæ, longe omnes qui tunc erant, antecellens. Miraculum prorsus oculis videntium, auribusque auscultantium offerens.* Alibique sæpe in sua Historia ejusdem Bryennii firma cum laude, Anna Comnena meminit. Scripsit ille *libros quatuor Commentariorum De rebus gestis Alexii Comneni, ac Botaniatis*, quos ex tenebris erutos notisque paucis illustratos, Græce & Latine edidit Petrus Possinus Tolosanus societatis Jesu, in folio Parisiis anno 1661. typis Regiis, inter alios Historiæ Byzantinæ seu Constantinopolitanæ scriptores, quibus litterariam Rempublicam sibi devinxit plurimum. Adjecit autem Notas in hos libros Carolus du Fresne Dominus du Cange, quas anno 1670. ibidem in fol. edidit, post editionem suam *Joannis Cinnami*. Quomodo autem hoc Opus Nicephori Bryennii

nii in Lucem publicam venerit, ex quo MS. Codice, à nullo certius audire possumus, quam ab ipso evulgatore Possino, qui sic in Prologo ad Lectorem se explicat. Narrat ibi vir eruditus cum Tholosæ esset, omnique anniteretur modo, ut manuscriptum aliquem Codicem *Alexiados* Annæ Comnenæ invenire posset, quo ex lectionibus variantibus atque plurium collatione, hujus historiæ quam meditabatur, editionem promoveret. Tunc movisse lapidem omnem, ut MS. illum Alexiados Codicem nancisceretur, quem à Jacobo Cujacio Jurisconsultorum principe ad spem editionis olim traditum, esse adhuc Tolosæ magna opinio erat: sed cujus in manu, quare in domo esset, frustra hactenus quæsitum erat. Cum tandem Antonius Dadinus Altaserra, excellentium prærogativa meritorum, extra sortem & comparationum moras, Juris illic utriusque Professor Regius, ac judicio illustrissimæ istius Academiæ in amplissimum Antecessorem ordinem allectus, post diuturnam inquisitionem ejusmodi Codicem nactus, illum a Guillelmo Pugetio Tolosani Senatus lumine ingenti, obtinuit. Hic cum Possinum Codice isto indigere rescivisset, paucis post illum mutuatum mensibus, indigentem adiens, isto ipso quem quasi furtim antea tantum viderat, Manuscripto libro de manu famuli sequentis accepto: *En hunc*, inquit, *Codicem, quia tibi utilem & desideratum intellexi, mea pecunia redemptum do tibi, donoque, ut tuus quam optimo jure sit.* Erat Codex chartæ linteæ perantiquus & manus transmarinæ, quem statim avidissime evolvens Possinus, reperit in eo *Libros quindecim Alexiados Annæ Comnenæ* integros, nec paucis locis ab eo Exemplari unde sua jam tum prodierat editio, diversos. Præfatio quam ex Hæschelianis Excerptis assumpsit, deerat: sed exhibebat loco illius, bene longum Opus *ἀνεπίγραφον, ἀνώνυμον, ἀκέφαλον*: quippe cujus primum folium, & Operis titulum, & nomen authoris & initium Proëmii verisimiliter complexum, non comparebat. Non plus tamen uno folio deesse, nota secundi numeri primo foliorum quæ restabant præfixa, monstrabat: ex quo aliæ similiter pagellæ ad finem usque spissi voluminis, suos invicem hærentes & perpetua serie sine ullo hiatu continuatos numeros habebant, figuris Saracenicis expressos. Quæsivit anxie Possinus, quid illa tandem essent tam verbosa Alexiadis Prolegomena? Nec diu abfuit, quin plane ac certo comperirit, esse ipsos *αὐτόχειρας Commentarios Nicephori Cæsaris Bryennii* tam propriis & illustribus characteribus ab Anna ejus conjuge insignitos, ut agnosci visu primo absque nomenclatoris opera possent. Nimirum habemus ex Annæ Præfatione, „*Bryennium rogatu Irenes Augustæ, matris Annæ scripsisse* „*Opus quo complectebatur primordia Alexii, deinde* „*Augusti. Ejus scriptionis initium repetitum esse* „*usque a Romani Diogenis principatu, inde narrationem ad Botaniatis Imperantis tempora perductam.*" Hæc omnia huic Possiniano scripto unice conveniunt, *primum* Irenæ Augustæ nuncupato, *deinde* principium & finem narrationis iis exacte terminis cohiberi, quos designat Anna: *postremo* ubique dotes & virtutes Alexii tum privati, tum Imperatoris, studiosissime celebranti. Præterea quæ inesse Bryennianis Commentariis affirmat Anna, ea in hisce omnia comparent. Id uno alterove exemplo demonstrasse, satis sit. Libro 1. pag. 9. De causis quæ Bryennium Seniorem moverint ad Imperium affectandum, ita scribit: *τὸ μὲν ὅθεν καὶ ὅπως, οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστι διηγεῖσθαι. Φθάνει γὰρ ἡ τοῦ Καίσαρος συγγραφὴ τὸν αἴτιον τῆς ἀποστασίας ἐξιστορῆσαι.* Hoc est, *Hujus incepti quæ causa, quave rationes fuerint, mihi non est necesse diligentius exponere: quoniam istum nobis laborem accuratus ea de re nostri Cæsaris Commentarius occupavit.* Hæc plane digitum intendunt in librum 3. horum Commentariorum, ubi a sectione 2. ad 10. fusissime declarantur causæ, quæ Seniorem Bryennium moverant, ad imperium usurpandum. Paullo post Anna eadem de expeditione Alexii in Bryennium, hujusque clade, captivitate & excœcatione breviter memorans ait, sibi necesse non videri ea diligentius cuncta persequi: *τὸ γὰρ ἀκριβὲς* (inquit) *τῆς ἱστορίας τὸν βουλόμενον μαθεῖν, εἰς τὸν Καίσαρα παραπέμπομεν*, hoc est, *Nam fusius & subtilius ista descripta qui nosse cupierint, eos ad Cæsarem remittimus.* Respiciunt ista manifeste librum 4 horum Commentariorum, in quo a num. II. usque ad XVIII. hæc tota Bryenniani belli & Bryennii calamitatis Historia distinctissime, minutissimeque traditur. Anna eadem Libro quoque *Alexiadis* X, pag. 271. de prælio Isaaci Sebastocratoris cum Turcis commisso prope Antiochiam ita scribit: *ὅπως δὲ τὸ λεπτομερέστερον ἐθέλοντι μαθεῖν, ἔξεσται ἀπὸ τῶν τοῦ κλεινοῦ Καίσαρος συγγραμμάτων διευτυχεῖν.* *De quo* (nimirum prælio) *qui distinctius scire volet, habet Commentarios inclyti Cæsaris, quos consulat.* Extat autem indicatus his verbis locus in Possinianis hisce Briennii Commentariis, Libro 2. num. 29. Denique Bryennium, licet indicium tituli Codici MS. ut dixi, defuerit, esse hujus Operis indubium auchorem, satis clare ostenditur libro IV. num. XV. ubi Seniorem illum Bryennium Imperii candidatum commendans scriptor, deprecatur, vulgarem invidiam atque exceptionem allegari solitam, in fidem eorum qui de rebus propriis ad personas familiasve ipsorum pertinentibus, narrant. Quo satis significat istum, quem adeo extollit Bryennium, auc Patrem, quod habet Zonaras; aut ut Anna verius affirmat, avum suum fuisse. De quo vide, si lubet, Notas Possini ad num. XII. & XIII. libri IV. horum Commentariorum. Agit sæpius de *Nicephoro Bryennio & Commentariis ejus*, Anna Comnena in *Alexiade*. Petrus Possinus, qui libros ejus abditos detexit evulgavitque, in Præludiis Operis, quem hæc in compendium adduxi-

duximus: omissis aliis instituto nostro haud satis convenientibus, ne Lectori prolixitate narrationis molesti simus.

1130 GEORGIUS CEDRENUS MONACHUS GRÆCUS, quem recte Cavus appellat pag. 612. *Scriptorem obscura admodum fama, de quo nihil omnino referunt, qui sequentium temporum Historiam tradiderunt.* Plurimi certatim in illius vituperia convolant, nam Casaubonus Exercit. 2. cap. 17. pag. 195. hunc accusat veluti *nullius admodum judicii Scriptorem & Veteris Historiæ imperitissimum.* Justus Lipsius Centuriæ Miscell. Epistola 61. pag. 466. *Anilium sæpe fabularum scriptorem & veri incuriosum vel ignavum, qui dabit tamen quod juvet, si cum judicio legatur.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. mihi 295. vult *In rebus Byzantinis Zonara paulo diligentiorem esse, in iis autem quæ Constantinopolitanos Cæsares præcedunt, cedere Zonara, a quo & stylo vincitur, uti etiam a Niceta & Gregora & aliis. Interim in Centone hoc, ac pene dixerit quisquiliis istis, aliquos purpura pannos reperiri, ex Africano ab Eusebio, indeque a Compilatore hoc, suo adsutos centoni.* Nec Leonis Allatii judicium insignius de Georgio Cedreno, in diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 334. quem post Cavum transcribam. *Opus e variis historiis, non sententiis solum, sed verbotenus consarcinatum absolvit: quæ si ab auctoribus repeterentur, nudus ipse aeque ac cornicula illa remaneret. Nescio qua fronte quæ exscripsit, pro suis divendidit, adeo ut vix unam alteramve periodum in tam vasto volumine Cedreni propriam ac legitimam reperies. Gratia tamen illi agenda sunt, quod auctores nobis præcipuos & raros, suo ipse furto conservavit.* Editus est hic author Græce & Latine ex interpretatione Guillelmi Xilandri Basileæ in fol. anno 1566. qui Annotationes & Tabulas Chronologicas etiam addidit, ita tamen ut paginarum integrarum defectum pluribus in locis sentiat, qui ex MS. in Altempsiana & Vaticana Bibliothecis conservatis, suppleri potest. Erat quoque in Bibliotheca Patriarchæ Constantinopolitani ut Verderius tradit, & in Bibliotheca Antonii Augustini Codice 131. Porro integrius hoc Opus prodiit postea Græce & Latine Parisiis in fol. 1647. ex Regio prælo, cum Notis & Animadversionibus Xilandri, Caroli Fabroti, Jacobi Goaris, & Glossario minobarbaro, Scripsit *Annales* sive *Compendium Historiarum ab Orbe condito usque ad tempora Isaacii Comneni, hoc est, ad annum Christi 1057* Congessit autem Historiæ suæ collectaneum ex pluribus auctoribus, quos ipse in Proœmio commemorat, ex quibus tres sunt, a quibus sua fere omnia accepit. Omnia enim fere ab initio Mundi usque ad Diocletiani tempora, ex Chronologia Georgii Syncelli descripsit: inde a Diocletiano usque ad Michaelem Curopalatem, Theophanis Chronicon compilavit: denique ab hoc tempore usque ad Isacium Comnenum in quo Opus expilatum definit, omnia fere ad verbum descripsit ex Historia Joanois Scylitzæ, patria Thracesii, qui suam Historiam tamen usque ad annum 1081. extendit, atque temporibus Alexii Comneni Imperatoris floruit. Extat enim *Joannis Stylitza & Curopalata Suggestio* ad Alexium Comneoum Imp. *De ambiguitate quadam in Edicto de Sponsalibus recent promulgato tollenda*, in *Jure Græco-Romano* Leunclavii Tomo 1. pag. 132. Cum ergo hic ultimus scriptor quem Georgius Cedrenus in *Annalibus* transcripsit, usque ad annum 1081. suam Chronologiam deduxerit, atque sub Alexii Comneni imperio floruerit, qui ad annum usque 1118. imperasse legitur: hinc colligo Georgium Cedrenum non expilasse Joannem Scylitzem dum viveret, neque tantæ fuisse impudentiæ, ut Authorem adhuc viventem transcriberet. Itaque vix ante annum 1130. *Collectaneum* suum aggressum esse, una forsitan aut altera annorum Decade, post Alexii Comneni imperium, sub quo Joannes Scylitzes florebat. Igitur male Cavum referre Joannem Scylitzem ad annum 1081. pag. 622. ejus autem expilatorem Georgium Cedrenum ad annum 1057. p. 612. rectiusque assignari ad annum 1130. una annorum decade post Alexii Comneni imperium. Hæc de *Georgio Cedreno* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 26. pag. 295. Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 334. Guillelmus Cavus loco citato pag. 612. & 622. suggesserunt.

ANSELMUS GEMBLACENSIS ABBAS 1130 in Brabantia, post Sigebertum ab anno 1112. ad annum usque 1135. vel 1138. quo die 20. Martii mortuus est, *Chronicon* dicti Sigeberti Gemblacensis Monachi continuavit: quod ab alio pariter anonymo usque ad annum 1149. continuatum & extensum. Cui tandem alius Aquiscincti Monachus appendicem usque ad aonum 1225. adjecit. Edidit hæc omnia in 8. Antverpiæ anno 1608. Aubertus Miræus, cum Chronico Sigeberti, Verdussianis typis. Hujus Chronici Sigebertani hæc editio sola genuina est, utpote libera a nugis & quisquiliis *Gualfridi Monumetensis* seu *Asaphensis*, quæ in aliis omnibus Chronici Sigebertani editionibus inspersæ leguntur. Meminit *Anselmi Gemblacensis* Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 346. pag. 244. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo XII. parte 1. cap. 6. art 3. pag. 462. Libellus *De gestis Abbatum Gemblacensium* quem Lucas Dacherius tomo 6. *Spicilegii* produxit in publicum, eundem Anselmum laudat pag. 539. Author *Magni Chronici Belgici* ad annum 1137. ut refert Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* parte ultima in *Addendis*, pag. mihi 837. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Anselmus Gemblacensis* pag. 60. editionis 1643. Lovanii in 4.

GVI-

1130 GVIGO PRIMVS nomine, ordine autem QVINTUS MAJORIS CARTHVSIÆ PRIOR, Delphinas Valentinensis, ad clavum Carthusiani Ordinis ab anno 1110. admotus est, floruitque temporibus Henrici V. & Lotharii Saxonis Imperatorum Occidentis, qui & *Vitam Sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi*, anno 1132 Kalendis Aprilibus defuncti Innocentio II. Papæ nuncupatam exaravit. Vir fuit Magni meriti & doctrinæ, cujus insignis fit mentio in Vita Sancti Bernardi Abbatis Claravallensis, qui & ad Guigonem duas quoque scripsisse legitur Epistolas. Scripsit *Statuta Carthusiensium prima* quæ Manuscripta olim asservata sunt in Bibliotheca Thuanea, nunc Colbertina semel atque iterum, & passim apud Carthusianos habentur, olim Basileæ an. 1510. in fol. impressa, apud Joannem Amerbachium cum multis aliis ad Ordinem Carthusiensem, eorumque primas, medias ac tertias Constitutiones noscendas, spectantibus. Collectaneum hoc *Statutorum Antiquorum & Novorum ac Privilegiorum Ordinis Carthusiensis*, excusum impensis Carthusiæ Montis Sancti Johannis, prope Friburgum procurante hanc editionem Domino Gregorio Griore Montis Sancti Joannis, ita procedit. Incipit 1. Repertorium prolixum Alphabeticum eorum omoium quæ reperiuntur in Statutis Carthusiensium Domini Guigonis, quam aliorum quæ antiqua vocantur, & aliorum quæ nova sunt. 2. Incipiunt Capitula Consuetudinum Domini Guigonis, continentque 80. Capita seu Capitula, quorum hic Prologus. „*Amicis & fratribus in Christo dilectissimis, Bernardo Portarum, Humberto Sancti „Sulpitii, Miloni Majorevi Prioribus, & universis „qui cum eis Deo serviunt fratribus, Carthusiæ Prior „vocatus Guigo, & qui secum sunt fratres, perpetu„am in Domino salutem.* Charissimi ac Reveren„dissimi nobis Patris Hugonis Gratianopolitani „Episcopi, cujus voluntati resistere fas non ha„bemus, jussis & monitis obtemperantes, & „quod vestra non semel dilectio postulavit, „Consuetudines domus nostræ, scriptas memo„riæ mandare curavimus. A quo negotio, „Rationabilibus ut putamus de caussis, diu dis„simulavimus: videlicet quia vel in Epistolis „beati Hieronymi vel in Regula beati Benedi„cti, seu in cæteris scripturis authenticis, o„mnia pene quæ hic religiose agere consuevi„mus, contineri credebamus &c.„ Sequuntur Capitula 80. quorum primum, *A Calendis itaque Novembris* &c. 3. sequuntur *Statuta* quæ dicuntur *Antiqua* seu *Secunda Ordinis Carthusianorum*, in tres partes distincta, composita circa annum 1250. a Rifferio, de quibus nos aliquando separatim dicemus in *Rifferio*. 4. *Nova* seu *Tertia Statuta Ordinis Carthusianorum* de quibus sic ibidem. „Præficitur Dominus Guillelmus „Rainaldi, scientia, moribus, multisque virtu„tibus perornatus, qui similiter Cardinalatum „recusavit, & in electione Summi Pontificis „undecim, voces habuit. Hic ex ordinationibus Capituli & aliis, nova compilavit statuta, „per Capitulum Generale anno Domini 1368.„ confirmata, in tribus partibus adinstar antiquorum Statutorum comprehensa, ut sequi„tar. Litteris lubricatis. *Nova statuta Ordinis Carthusiensium*, quæ Tertia sunt. *Incipit Prologus in Novas Constitutiones Ordinis Carthusiensis.*„ Post olim editam compilationem Statutorum„ ac consuetudinum tripartitam, Generale no„strum Capitulum Constitutiones Dellaratio„nesque multas consulte quidem & rationabi„liter ordinavit, quarum quasdam pensata uti„litate evidenti, consultius oportet & rationa„bilius revocari, seu in melius commutari &c.„ 5. sequitur Repertorium Alphabeticum Privilegiorum Ordinis Carthusiensis, inde ipsa Privilegia, quæ Dominus Gregorius Prior, domus Sancti Joannis Baptistæ prope Friburgum digessit, ordinavit, obtulitque anno 1500. *Domino Francisco de Puteo, Juris utriusque doctori eximio, Carthusianæ religionis Monacho, Majoris Carthusiæ Priori vigilantissimo* &c. Porro quantum Carthusienses has primas *Guigonis Constitutiones* æstimarent, patet ex Decreto Capituli Generalis anni 1259. ubi statutum est, ut *singulis annis bissextilibus* hæ Constitutiones in Conventu legerentur, atque in omnibus hujus Ordinis Carthusiis haberentur: *ut videamus* (inquiunt) *quantum lapsum facimus a conversione Patrum antiquorum.* Decretum istud & primum caput secundæ partis *Constitutionum Carthusiensium*, quas Rifferius ordinavit, his expressum verbis. Anno Domini MCCLIX. visum est Capitulo Ge„nerali, quod omnes Consuetudines & Statuta„ nostri Ordinis, simul in unam quantum possibile est, aggregarentur consonantiam, ut inveni„ri citius, & facilius possent memoriæ com„mendare. Si qua vero addenda essent, adderen„tur: si qua demenda, demerentur. Hoc au„tem Opus divisum est in tres partes, quarum„ *prima* continet ea quæ ad Divinum spectant„ officium. In *secunda* ponuntur ea quæ magis„ ad Monachos, quam ad Laicos, pertinere vi„dentur. In *tertia* continetur specialiter de„ Conversis & redditis & Monialibus nostri„ Ordinis. Secundo statutum est etiam, quod„ secunda pars in conventu Monachorum singulis annis legatur ex integro in claustro, vel„ alibi: prima vero pars de triennio in trienni„um, nec tamen propter hoc dimittatur diebus„ festivis lectio Evangelii a Pascha usque ad fe„stum omnium sanctorum. Tertia vero pars„ semel ad minus infra annum, legatur in con„ventu Conversorum. Cumque occurrerit„ quod minus fuerit observatum, interloquen„do tractent, quomodo possit & debeat emen„dari. Quod si non fuerit emendatio subsecu„ta, si Prior est in caussa, privatim moneatur,„ ut inde se corrigat: vel si alii sunt culpabiles,„ denuntientur Priori, ut eos corrigere faciat.„ Quod si nec ita fuerit secuta emendatio, cum„ Priores de Ordine nostro advenerint, quilibet„ Monachorum seu Conversorum valeat eis intima-

„timare: ut ipsi denuntient Priori Carthusiæ, „vel si opus fuerit, Capitulo Generali. Hoc „ipsum statuit idem Capitulum de tractatu di„vini Officii, & de omnibus quæ ad nostræ reli„gionis honestatem seu bonitatem pertinent, si „contra hoc aliquid ab aliquo temere fuerit at„tentatum. Et quamvis in Consuetudinibus Do„mini Guigonis, quantum ad observantiam quæ„dam mutata sint: statuit tamen idem Capitu„lum, quod eædem Consuetudines in singulis „domibus nostri Ordinis ex integro quantum „ad litteram, sine mutatione aliqua habeantur: „etsi qua sunt in eis cancellata, restaurentur: „& in anno Bissextili in Conventu legantur, *ut* „*videamus quantum lapsum facimus a conversione* „*Patrum antiquorum.*" Ecce quantum æstimabantur *Guigonis Constitutiones* apud veteres Carthusianos, quæ tamen in editione ultima Constitutionum Carthusiensium suppressæ sunt, de quo conqueruntur Critici hodierni. Hæc eadem *Statuta primaria Carthusianorum* ab Guigone conscripta, cum *Statutis antiquis* circa annum 1250. a Risserio collectis, & cum *Statutis novis* a Guillelmo Raynaud, Majoris Carthusiæ XXV. Priore, qui ab anno 1367. ad annum 1402. annis XXXV. præsedit, simul omnia iterum impressa sunt Parisiis, anno 1703. in folio, studiis Innocentii Masson Prioris Carthusiæ Majoris, in Opere quod inscribitur, *Disciplina Ordinis Carthusiensis in tres Libros distributa* pagg. 404. apud Antonium Dezallier, Carthusiensis Ordinis bibliopolam, via Jacobæa. Idem scripsit *Vitam Sancti Hugonis Gratianopolitani Episcopi* primi Carthusianorum Fundatoris, quam Laurentius Surius & Bollandistæ in Vitis sanctorum ad diem 1. Aprilis non omiserunt. Item *Epistolam* seu *librum De modo orandi*, quæ etiam *scala Claustralium* dicitur, quæ olim habebatur inter Opera Sancti Augustini sub titulo *Scala Paradisi*, atque etiam inter Opera Sancti Bernardi, falso ipsi adscripta, impressa nunc sub veri authoris Guigonis nomine, in editione ultima Operum divi Bernardi Parisiensi anni 1666. & in Bibliotheca SS. Patrum editionis ultimæ Lugdunensis, anni 1677. Item *Tractatum De quadripartito exercitio cellæ*, quem primus edidit Petrus Franciscus Chifflet, societatis Jesu: atque post eum ultimus amplificator bibliothecæ Veterum Patrum tomo XXIV, pag. 1463. Idem scripsit *Epistolas tres.* 1. *ad Haymeriam Cardinalem.* 2. *ad Hugonem sancta militia Templi Priorem.* 3. *ad Innocentium Papam secundum:* quæ habentur in editionibus Operum Sancti Bernardi Parisiensibus 1645. & 1666. Ejusdem *Epistolam ad Durbonenses fratres De suppositiis beati Hieronymi Epistolis* edidit Joannes Mabillon tomo I. *Analectorum* pag. 331. Denique idem ne Monachali otio torperet, insigne Opus aggressus est, nempe *Collectionem & criticism Epistolarum Sancti Hieronymi*, de qua loquitur præfatus Mabillon loco citato. Opus hoc a multis hodie desideratum, licet valde dubitem, an seculo isto XII. hæc provincia a Guidone Carthusiano ad perfectionem adducta sit, cui vix plures homines consummandæ ac perficiendæ idonei essent. Habetur hoc Opus Guidonis MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi Tabula II. Theologica num. 10. inscriptum, *Hieronymi Epistolæ cum præfatione Guidonis Carthusiensis ad Lazarum Durbonensem Priorem:* ut constat ex Catalogo MSS. istius Bibliothecæ p. 105. num. 10. impresso Lipsiæ anno 1686. in 16. opera & studio Joachimi Felleri Academiæ Bibliothecarii, apud Joannem Fridericum Gleditsch. Diem clausit ultimum *Guido* an. 1137. die 27. Julii, ætatis suæ anno 50. Monachatus 30. Prioratus 27. de quo plura Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 971. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus*, seculo XII. parte 1. cap. 6. art. 9. pag. 498. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. pag. mihi 380. Omnes Scriptores *Historiæ* Carthusiensium.

GOLSCHERVS SANCTI EVCHARII prope Treverim MONACHVS, Sancti Matthiæ, Monachorum Ordinis D. Benedicti, anno 1130. claruisse mihi videtur, atque *Historiam Archiepiscoporum Trevirensium* literis mandando, nomen suum commisisse posteris. Duos veteres, qui Historiam Trevirensium literis commiserunt, auctores memorat Joannes Trithemius initio Chronici Hirsaugiensis, *Theodoricus*, ait *Monachus in historia Trevirorum*, *Golscherus Monachus in Gestis eorundem* &c. Duos item laudat Browerus in *Proparasceve ad Annales Trevirenses*, scilicet Golscherum Monachum S. Matthiæ apud Treviros, & Anonymum (forsan Theodoricum) qui annales Trevirenses Cunoni dedicavit Archiepiscopo, qui anno MLXVI. occisus legitur. Extat autem & tertius Anonymus, quem ex MS. codice Abbatiæ S. Cornelii Compendiensis, anno 1675. edidit Lucas Achirius Tomo XII. *Spicilegii* a pag. 196. ad 251 deducens Historiam suam usque ad annum 1122. quo tempore vivebat & scribebat, ut ex fine illius constat, annis quinquaginta & amplius, post mortem Cunonis, ad quam usque alter Anonymus allatus à Christophoro Browero, historiam antea scripserat. Acherius in præfatione ad Tomum XII. *Spicilegii* pag. X. num. 14. Historiam hanc quam edidit, ad Golscherum pertinere arbitratus est, cujus ætatem Trithemius non indicat, nec nomen habet apographum Compendiense, ex quo hanc Historiam eduxit. Apud Trithemium in *Catalogo Virorum illustrium Germaniæ*, proxime post Theodericum qui anno 1070. floruit, duobus tantum interpositis auctoribus, laudatur *Golscherus ejusdem cœnobii Monachus, qui gesta Trevirorum libro uno scripsisse perhibetur.* Igitur post Theodericum aliquot annorum decadibus, id est circa annum 1120. vel 1130. clarebat juxta Trithemium. Hæc juxta mentem Trithe-

Trithemii locis citatis. Contra Joannes Bolandus in Commentario prævio ad *Vitas SS. Eucharii, Valerii atque Materni* trium priorum Episcoporum Trevirensium Tomo 2. Januarii ad diem 29. pag. 917. num. 3. Vbi *antiquissimam esse ex eo putat, quod Harigerus Abbas Labiensis, qui anno 990 Fulcuino succedens, 31. Octobris anni 1007. (non 1117. ut Valerius Andreas & Aubertus Miræus scribunt) obiit.* Nam multa hinc fere ad verbum descripta ab Harigero credit, in *Gestis Episcoporum Tungrensium*, ubi de SS. Euchario, Valerio & Materno *per sexdecim capita* agit. Imo econtra Golscherus ex Harigero tanquam junior ex seniore accepit, quem scripsisse de his noverat. Edidisse putat Bolandus, *Historiæ* hujus sex priora capita, quæ complectuntur *Vitas trium priorum Episcoporum Trevirensium, SS. Eucharii, Valerii & Materni*, sub Golscheri Trevirensis Monachi nomine, ex variis MSS. Codicibus loco citato pag. 918. Ibi pag. 917. observat *Res gestas SS. Eucharii, Valerii & Materni scripsit Golscherus, Treviris in Cænobio Sancti Matthiæ Monachus ex Majorum certissima relatione*, ut sub initium profitetur. Idem in Epilogo scribit, se *hæc de gestis SS. Patrum post excidium Treverica urbis, reliquos cineres diligentius perscrutantem, sparsim in chartulis scripta invenisse, quæ in unum redacta, utilitati tam præsentium quam futurorum fideliter commendavit.* Collegit igitur Golscherus hinc inde sparsa apud varios auctores, ac proinde ab Harigero accepit, non Harigerus a Golschero. Mirum autem est, quod quæ producuntur tanquam Golscheri à Bolando, non reperiantur Verbotenus eadem in *Historia* quam Lucas Acherius edidit Tomo XII. *Spicilegii* pag. 196. Neque etiam apud integram *Historiam Anonymam*, quam anno 1698. in 4 Hanoveræ edendam curavit Godefridus Guilielmus Leibnitius, inter *Accessiones Historicas* apud Nicolaum Forsterum, etsi Goldastus in *Apologia* pro Henrico IV. Golscherum fuisse dictum, persuasissimum habuit; Idemque Lucas Acherius & Leibnitius, de *Historiis Trevirensium Archiepiscoporum* a se in lucem productis, arbitrentur. Hujus Operis velut MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, meminit Petrus Lambecius lib. 2. *Commentariorum hujus Bibliothecæ* cap. 8. pag. 977. unde scriptorem floruisse ex Chronici cap. 68. & 71. ab an. circiter 1120. ad 1132. quod scribere desiit, colligitur.

1130 GVIDO RAVENNATENSIS PRESBYTER, juxta Gerardum Johannem Vossium libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 38. pag. mihi 333. „cum Carolus Crassus Imperio potiretur, anno „puta 886. nomen suum monumentis ingenii „apud posteros diffundebat, cui Historiam at„tribuit *De bello Gothorum* idem Vossius. Eun„dem *Vitas Pontificum* tradidisse, auctor est Vo„laterranus initio Libri XXII. *Commentariorum* „*Vrbanorum*, atque addit vixisse ante annos sexcentos. Floruit autem Volaterranus anno„ MCCCCXC. ac deinceps, unde inter alia de„ ætate Guidonis Ravennatis satis liquet.„ Hæc Vossius illic, quæ omnia falsa sunt, tam de illius ætate, quam Operibus attributis, quæ ut corrigamus, nostri instituti fuerit, ne alii in similes errores incidant. Scripsit dictus Guido Ravennas *Geographiam* orbis terrarum, quam ex MS. Codice anonymum edidit amicus noster Placidus Porcheron Bibliothecarius S. Germani Parisiensis tunc temporis, anno 1688. Parisiis in 8. sub titulo *Anonymi Ravennatis Geographia*, ubi in Præludiis auctorem vixisse Seculo VIII. Ecclesiæ conjectatur. Opus cum legissem, atque in eo bis aut ter allegatas a Guidone *Quæstiones sub nomine Sancti Athanasii ad Antiochum Principem* animadvertissem, statim adverti editorem errasse annis circiter 400. in assignandâ ætate *Guidoni* vel *Anonymo Ravennatensi*. Vt enim diximus atque demonstrative probavimus supra in Dissertatione *De Scriptis S. Athanasio Alexandriæ Archiepiscopo adscriptis* cap. 4. num. 17. manifestum est, opus Quæstionum istud esse Athanasio aperte suppositum, ac esse Græci Scriptoris, qui vixerit post annum 1096. seu primam Occidentalium expeditionem in Palæstinam seu Terram sanctam, ut Agareni seu Saraceni inde expellerentur: unde *Quæstiones* illas circa annum MC. conscriptas fuisse liquide apparet. Vide quæ diximus loco citato, neque hic repeti debent. Has ergo Quæstiones si statuamus annis 30. vel 40. antiquiores Guidone, qui eas allegat, Guidonem circa annum 30. vel 40. Seculi XII. vixisse ac floruisse consequens erit, contra Porcheronium, qui Seculo VIII. & Volaterranum ac Vossium qui anno DCCCLXXXVI. perperam affigunt. Confirmant meam sententiam de hac Guidonis Ravennatis ætate, hæc sequentia Vossii Verba. Meminit illius quoque Antonius Galateus in„ descriptione *Japigiæ*, ubi de urbibus *Italiæ*„ scripsisse ait, ut erant cum ipse viveret. Nec„ credendum ei esse, nisi in iis quæ ipse vidit:„ in multis eum errasse, quod non esset literis„ Græcis instructus, nec bonos legisset auctores:„ atque inde inter alia esset, quod *Ennium* dicat„ *Torentinum*, quem *Rhodium* fuisse constat.„ Idem etiam Guidonis hujus mentionem facit,„ *Præfatione* in descriptionem *Calliopolis*: ubi„ eum ait a junioribus in plerisque testem adhi„beri, *lectum sibi esse, verum nec esse veterem, nec*„ *recentem Scriptorem*„ Hæc αὐτόπτης Antonius Galateus, cujus honorificam mentionem facit idem Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. pag. 618. qui *Opus Geographicum* Guidonis Ravennatis accurate legerat, ejusque errores detexerat. Cum autem vel suppar vel antiquior Raphaele Volaterrano, ex eo quod summus vir Hermolaus Barbarus, *Paraphrasim Themistianam octo librorum φυσικῆς ἀκροάσεως*, Latine a se conversam illi dicaverit, quam anno M CCCC LXXX. edidit: hinc quo-

quoque dignior fide est assignanda Guidonis Ravennatensis ætate, quem *nec esse veterem nec recentem Scriptorem* pronuntiat, id quod Scriptori seculi duodecimi circa annum 1130. vel 1140. optime convenit. Hæc adversus Gerardum Joannem Vossium loco citato, atque editorem Anonymi Operis, amicum nostrum Placidum Porcheron.

Nec minus peccat Vossius, dum assignat alia Opera Guidoni Ravennati, quæ ad illum non spectant. Nam *Historia illa de bello Gothorum* quam attribuit *Guidoni Ravennati*, est ipsa *Historia de bello Trojano*, quæ MS. extat in Bibliotheca nostra Lugduno Batava, inter MSS. Codices Latinos Codice 26. in folio membranâ, spectans ad *Guidonem de Columna*, sub hoc titulo *Guidonis de Columna Belli Trojani historia*, quam invenio impressam Argentorati anno 1489. in folio. Vide Catalogum Librorum Bibliothecæ Lugduno Batavæ editum in 4. 1674. Lugduni Batavorum, in MSS. Codicibus pag. 401. Conferatur & ipse, Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 60. pag. 491. cujus hic verba ad inconcussam fidem referam. „Eadem Rodol„phi II. Imperatoris ætate an. MCCLXXXVII. „fuit *Guido de Columna*, natione Siculus, patriâ „Messanensis, qui cum Eduardo I. Angliæ Rege, „ex bello Asiatico revertente, in Angliam se „contulit, ut Bostonus Buriensis in *Catalogo* re„fert. Hic nomen suum posteris commenda„vit CHRONICO MAGNO quod librorum „XXXII. est. Item multa tradidit *De Regibus* „*& rebus Anglorum*, estque id opus inter ea, ex „quibus sua hausit Robertus Fabianus Anglus. „Præterea *Historiam condidit De rebus Trojanis*, „cujus MS. Codex Cantabrigiæ in Bibliotheca „Domus S. Petri, & Oxonii in Bibliotheca Col„legii Balliolensis. Sed & in mea Bibliotheca „antiquum exemplar habeo manu exaratum, „quod incipit *Licet cottidie vetera recentibus obrui„ant &c.* Inscriptio Operi nulla est, sed au„ctor nomen suum in Præfatione exprimit, „consilium etiam suum exponit. Nam ait „Daretem Phrygium & Dictyn Creten„sem, primos hoc argumentum tractasse, „atque ita tractasse ut probe consentirent: „hos Latine esse translatos à quodam, cui no„men esset Cornelius Romanus, fuisseque eum „Magni Sallustii nepotem: quod commentum alibi refellimus. Cæterum hoc unum in istis„ culpari posse, quod non pauca prætererint,„ quæ multum allicere possent animos legen-„ tium: atque isthoc in caussa esse, cur idem„ argumentum sibi fusius exponendum putarit.„ Iterum nominat se in *Epilogo*, ubi & illud ad-„ dit, se hanc Historiam condidisse postulato„ Matthæi de Porta, Archiepiscopi Salernitani,„ viri doctissimi. " In his verbis dupliciter errat, 1. dum distinguit *Chronicon Magnum* quod XXXIV. librorum est ab *Historia Trojana*, idem enim opus est. 2. dum scribit opus istud constare libris XXXVI. quod constat tantum libris XXXIV.

Nec minus peccat, dum attribuit Guidoni Ravennatensi *Vitas Romanorum Pontificum*, quæ dubio procul spectare videntur ad Landulphum de Calumna, Carnotensem Canonicum, ut asserit etiam idem Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 64. pag. 507. Vide etiam quæ posteà dicturi sumus ad *Guidonem de Columna* anno 1280. & ad *Laudulphum de Columna Carnotensem Canonicum* anno 1320. hujus operis.

DROGO OSTIENSIS EPISCOPUS, & 1130
S. R. E. CARDINALIS, natione Gallus, Monachus primum Ordinis divi Benedicti, tum Monasterii Sancti Nicasii apud Remos Prior, anno 1128. in Abbatem primum Sancti Joannis Laudunensis assumitur. Sed cum jam illinc amandatis Monialibus impudicis ac scandalosis, Deo donante non parum proficeret, longe lateque diffuso bono odore sapientiæ & probitatis ejus, Innocentius Papa Secundus circa annum 1130. sub obedientiæ mandato Romam evocatum, urbis Ostiensis Episcopum & S. R. Ecclesiæ Cardinalem consecravit. Scripsit *Opusculum de Passione Domini*, & alia quæ inserta *Bibliotheca Sanctorum Patrum* editionis Parisiensis anni 1644. tomo 2. pag. 565. & sequentibus. Obiit anno 1138. vel 1139. De quo plura Lucas Dacherius in editione *Historia Hermanni Monachi* Lib. 3. cap. 22. pag. 552. Et in Catalogo Abbatum S. Joannis Laudunensis pag. 829. ad calcem Operum Guiberti Abbatis Novigentini, quem suprà ad annum 1110. retulimus. Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Christiana* in Abbatibus S. Joannis Laudunensis.

DISSERTATIO SINGULARIS

DISCUTIENS AC VENTILANS OPERA HUGONI VICTORINO ATTRIBUTA.

1130 HUGO DE SANCTO VICTORE seu VICTORINUS, ex Ordine Canonicorum Regularium divi Augustini, quem MSS. Codices sæpius *Hugonem Parisiensem* appellant, anno 1130. claruit, quem multi multis laudibus ob doctrinam collaudant atque eximiè efferunt: qui cum multa ornatè graviterque scripsisset, anno tandem 1140 die XI. Februarii, ætatis anno 44. obiit atque in Ecclesia Sancti Victoris conditus jacet. Hujus Opera sæpius impressa in Galliis, de quibus Bellarminus & Labbeus in opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasti-* *cis*,

eis, nos etiam plura suprà in *Hugone de Folieto Corbeiensi Monacho*, & infrà in *Roberto Paululo* ad annum 1170. dicemus. Nonnulla tamen à me advertenda sunt de Scriptis & impressionibus Operum tam Hugonis Victorini quam Richardi ejusdem Ecclesiæ Canonici ac Prioris, quæ Criticis haud ingrata erunt.

CAPVT PRIMVM.

VNDE HVGO DE SANCTO VICTORE ORIVNDVS SIT, SEV ORIGINEM DVCAT?

QVæstionem hanc eximiè meâ quidem sententia discussit Godefridus Guilielmus Leibnizius in Præfatione ad *Chronicon Alberici Monachi* à se editum tomo 2. *Accessionum Historicarum*, quas Hannoveræ apud Nicolaum Forsterum anno 1698. in 4. edidit, quem heic verbotenus referam.

„Viros doctos quoque & eorum Scripta passim *Albericus* memorat. Notabilis est locus *de Hugone à Sancto Victore* ad annum 1130. ubi cum ab aliis Hugonibus distinguens, *de Saxonia natum dici* scribit, antiquior plerisque omnibus, quod sciam aliis, qui extant, idem dicentibus, & adhuc antiquiorum haud dubie auctoritatem secutus, ut adeò fortasse *Roberto Abbati de Monte* S. Michaëlis opponi possit: qui Tractatu *de Abbatibus & Abbatiis* p. 5. Magistrum Hugonem *Lotharienseni* appellat, quemadmodum alius à Mabillonio viro insigni in *Analectis* productus *Flandrum Iprensem*, Hartmanno Schedelio *Gallum*. Sed pro Saxonia patria stant præter Albericum, *Johannes à S. Victore*, Gobelinus Persona, Rollewinck, Engelhusius, *M. Hermannus Cornerus*, Johannes Trithemius, Paulus Langius: eademque est sententia communis recentiorum nostrarum pariter, exterorumque. Certè in *Monasterio Hamerslebiensi* Ordinis sui, id est Canonicorum Regularium S. Augustini, sese aliquando vixisse indicat ipse Epistola ad Fratres in Hamersleve, libro *De arrha animæ* præfixa. Ab eo qui Operum ejus editionem anno 1648. procuravit, duo afferuntur loca notatu digna, unus est *Anonymi Monachi Gemeticensis*, alter *Johannis à S. Victore*. Porro *Gemeticensis Monachi* hæc verba sunt. *Eo tempore, quo scilicet Ordo Cisterciensis & Carthusiensis fuere creati, Magister Guillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum literatus & religiosus, assumens habitum Canonici regularis, cum aliquibus discipulis extra urbem Parisiensem, in loco ubi capella quadam erat S. Victoris Martyris, cœpit monasterium ædificare Clericorum. Assumpto autem illo ad Episcopatum Catalaunensem, venerabilis Gilduinus discipulus ejus, primus Abbas ibi factus est. Sub cujus regimine multi Clerici nobiles, secularibus & divinis literis instructi, ad istum locum habitaturi convenerunt: inter quos* Magister Hugo Lothariensis sic dictus à confinio Saxoniæ, *& scientia litterarum & humili religione maximè effloruit. Hic multos libros edidit, quos quia vulgò habentur, non oportet commemorare.* Hæc Monachus iste, quæ penè totidem verbis apud *Robertum de Monte* loco supra citato libri *de Abbatiis* reperiuntur: nisi quod omissa verba maximè ad rem facientia, *sic dictus à confinio Saxoniæ*, & quod Abbas *Geldoinus* vocatur. Alter est locus *Johannis de Sancto Victore* in *Memoriali Historiarum* anno 1107. ubi verba hæc: *Hugo fuit Saxonicus genere & ortu, prapotenti parentela, adduxitque apud S. Victorem avunculum suum Hugonem, cujus sumptibus fere tota ædificata est S. Victoris Ecclesia.* Auctor *Vitæ Hugonis S. Victoris* plura adhuc & distinctiora adducit nescio unde, quæ ita habent. *Hugo de S. Victore, illustri apud Saxones genere ortus, qui teneriorem puerorum cum implesset ætatem, in diœcesi Halberstadensi traditus est Monasterio Sancti Pancratii, ut ab ejusdem Canonicis Regularibus institueretur. . . . Vbi decimum octavum ætatis annum attigit, seculi fugam meditari cœpit, id communicat patruo Hugoni* (Johannes a S. Victore *avunculum* vocaverat, sed hæc vocabula Galli imprimis sæpe confundunt, quibus *oncle* uterque dicitur) *Halberstadensis Ecclesiæ Archidiacono, qui statim in ejus consilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt . . . in manus Gilduini Abbatis S. Victoris primi vota emittunt, sanctique Augustini regulam profitentur. Tunc præterpropter annus erat Domini millesimus centesimus decimus quintus.* Narraverat autem ambos Massiliam profectos, reliquias quasdam S. Victoris inde ad Parisios attulisse. Extant duæ Epistolæ nondum editæ, una *Borchardi Episcopi Halberstatensis* data in Groningen, altera *Friderici Archiepiscopi Magdeburgensis* data in Magdeburg, ambæ Scriptæ anno 1456. ad Capitulum Generale Ordinis Canonicorum Regularium in Windesem congregatum, quibus commendatur Monasterium S. Pancratii in Hamirsleve. Burcardi verba sunt, *Et hoc potissimè contemplatione illius eximii & insignis Viri Hugonis de Sancto Victore, qui in dicto Monasterio Hamersleven, religionis habitum & prima elementa regularis vitæ suscepit. Qui talis & tantus fuit, ut in Ordine vestro & tota orthodoxa religione Christi, etiam mortuus quamplurimum celebretur, & sepultus gloriose vivat, ita ut alter Augustinus nominetur. Ita ut ipsius duntaxat respectu, agendum esset quod postulamus. Quamplures etenim sunt apud nos, qui amore tanti Viri, ad Monasterium ipsum singularem inclinationem gerunt &c.* Friderici verò hæc verba sunt, *Scripsimus præteritis diebus devotionibus vestris de Statu Monasterii S Pancratii in Hamersleven Halberstadensis diœcesis Ordinis vestri, unde ille præclarus* Hugo de S. Victore, *toti orbi venerabilis ortum duxit.*" Hæc Guilielmus Godefridus Leibnizius, missis aliis, quæ ibidem de ejus familia profert, non ita clare rem definientibus. Conveniunt equidem tam Gallorum quam Germanorum allata testimonia, quæ Hugonem a Sancto Vi-

Victore *Germanum & Saxonem* faciunt, diffident tamen meo quidem judicio inter se plurimum, quod hæc illum in *Abbatia S. Victoris Parisiensis* sub Gilduino Abbate *vitam regularem*, hæc in Germania in Monasterio S. Pancratii in Hamersleve, eandem amplexum esse velint: quæ tamen simul stare apud eruditos viros nequaquam possunt. Hugonem quoque Victorinum fuisse Saxonem contra Joannem Mabillionem *Analectorum* Tomo I. pag. 316. optime probat vir de re Historica, imò de re litteraria optime meritus, Henricus Meibomius junior ad calcem Tomi III. *Rerum Germanicarum* p. 429. ad 431. editionis Helmestadiensis anno 1688. 3. tomis in folio, quem videas.

CAPUT SECUNDUM.

EXPENDUNTUR ALIQUO HUGONI VICTORINO ADSCRIPTA PASSIM.

PRimum. Opera utriusque ultima editione, Rothomagi in folio annis 1648. & 1650. apud Joannem Berthelin in Area Palatii impressa sunt, quæ ut promptius Bibliopolæ divenderent, illa omnia esse recensita & collata ad Manuscriptas Codices, quod magnum huic editioni meritum commendasset, si tamen verum fuisset, audaci manu adjecerunt. At nullus invenitur qui edita cum Manuscriptis contulerit, nec vel modica variatio ex Manuscriptis Codicibus allata est: imò quantum mihi ex MSS. multis Codicibus inspectis liquet, nec vel Codicum MSS. apicem cum impressis contulerunt. Hoc unico vel maximè ab impressoribus peccatum est, vel ab hujus impressionis Rotomagensis curatoribus: quod varias *Censuras* in antiquis anni 1526. eorundem Operum editionibus Parisiensibus tunc temporis, cum judicio gravi ac maturo factas suppresserint: quibus Opera plurima vel Hugoni Victorino abjudicabantur, vel ei ob fidem Manuscriptorum Codicum, cum scrupulo ac formidine attribuebantur, quos antiquæ istius editionis curatores examine diligenti discusserant. At moderni Rothomagenses *Censuris* suppressis, omnia quæque cæco modo *Hugoni Victorino* perperam & absque ullo delectu concesserunt. Hæc generatim de hac editione ultima, dicta sunto, quæ facile probari possunt ex sequentibus. Paulus Langius qui Chronicon suum *Citizense* usque ad annum MDXV. produxit, de Hugone Victorino quædam habet singularia. Annotat ad annum 1123, ideoque ipse ejus verba hic apponam. „ Eodem tempore Hugo de Sancto Victore, natione Saxo, Parisiis „floruit, qui ob eximiam eruditionem & Scripturarum doctrinam, alter Augustinus ævo „suo habitus est. Hic novitius fuit in Mona„sterio Hamersleve non longe ab Halberstadio, „qui ob studium missus Parisios, in magnum Ec„clesiæ crevit Doctorem, factus Prior in Monasterio S. Victoris, in quo & usque in finem vitæ„ permansit. Scripsit Fratribus suis in Hamers„leve in sui memoriam, devotum libellum *de arrha animæ*, ut patet in ea quam præmisit„ Prooemiali epistola." Hæc Langius, unde duo constant, *primò* hunc Hugonem Victorinum fuisse origine Saxonem, & in Monasterio Hamersleve Canonicorum Regularium non longe ab Halberstadio fuisse novitium, ut probat Dissertatione singulari Henricus Meibomius Junior seu Senioris nepos, in Collectaneo Historicorum Germanicorum, Helmestadii 3. tomis anno 1688. in folio editorum, Tomo 3. à pag. 429. ad 432. *Secundò* editiones antiquas Operum Hugonis Victorini esse præferendas Rotomagensibus novissimis, non tantum ob censuras judiciosas quas opusculis prudenter præmiserunt, & quas Rothomagenses ex ignorantia vel malitia affectata suppresserunt: sed etiam quia Opuscula nonnulla in antiquis editionibus extant cum titulis ex fide MSS. Codicum, ut *Liber de Arra animæ*, de quo loquitur Paulus Langius anteà, cum Epistola prooemiali præmissa fratribus suis in Hamersleve: quæ tamen frustra quæsieris in editionibus Rothomagensibus postremis, ex negligentia bibliopolarum enormi suppressa. Id autem factum, ut Hugoni Victorino plurima opuscula quæ ipsi non debebantur, attribuerent, atque ita editionem suam Rotomagenses ampliorem antiquioribus ac perfectiorem, impune mentirentur. De Hugone Victorino seu Priore Sancti Victoris Parisiensis Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri* pag. mihi 771. & 772. editionis Coloniensis anno 1608. apud Joannem Gymnicum. Pag. autem 772. profert *de arra animæ* lib. 1. incipientem *loquar secretò animæ*. Cæterum notat postremam operum Hugonis editionem, Venetiis prodiisse tribus Tomis anno 1588. apud Joannem Baptistam Somascum, quibus accessere Notæ seu Scholia Thomæ Garzonii, una cum Vita ipsius Hugonis ab eodem conscripta. Tomo 2. pag. 486. verbo Thomas Garzonius Canonum Regularis a Bagnacaballo, de cujus scriptis, ibidem satis diffuse disserit idem Possevinus. Item Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali* edita in folio Tyguri apud Christophorum Froschoverum anno 1545. in folio, agit latissime de Hugone Victorino quem Saxonem facit, folio 340. verbo *Hugo Presbyter & Monachus Sancti Victoris Parisiensis Ordinis Canonicorum Regularium*. Idem profert folio 340. *De arra animæ lib. 1.* qui incipit *Loquar secretò animæ*. Idem pag. 340. versa, inter opuscula quædam Hugonis de Sancto Victore, anno 1505. in 4. excusa Parisiis apud Henricum Stephanum, refert *De institutione Novitiorum* librum capp. XV, qui spectat ad Guilielmum Peraldum, Ordinis Fratrum Prædicatorum. Itemque *De operibus trium dierum* librum capitibus XXIII, qui ad alium Scriptorem mihi ignotum pertinere videtur. At folio 341. *Soliloquium animæ*, cujus chartæ sunt tres & dimidia. In-

Introducuntur autem in illo colloquentes, homo & anima ejus, & paullo ante finem ponitur *Confessio ad Deum.* Ex Præfatione Auctoris, *Soliloquium dilectionis, quod de Arra animæ intitulatum est, misi charitati vestræ, ut discatis ubi vos oporteat, verum amorem quærere, & quemadmodum debeatis corda vestra spiritualium studio meditationum ad superna gaudia excitare.* Hæc sunt interea, quæ Parisiis olim Henricus Stephanus anno 1506. in 4. edidit, ut habet Conradus Gesnerus folio 341. verso, primis lineis duabus. Atque hic est ille prologus, quem Fratribus Augustinianis de Hamersleve non procul ab Halberstadio, missum fuisse ab Hugone, Paulus Langius scribit.

Secundum. Inter Opera Hugonis Victorini hoc modo impressa, extant *Libri quatuor de Claustro animæ, Liber de medicina animæ, Libri duo priores de avibus & feris ad Raynerum conversum, Libri duo de nuptiis carnalibus & spiritualibus, Libelli quatuor de vanitate mundi, & Libri quinque de arca mysticè & moraliter:* qui ex fide Manuscriptorum Codicum spectant ad Hugonem de Folieto Monachum Benedictinum Corbeiensem, ejusdem Scriptorem temporis. Alii *duo Libelli posteriores de proprietatibus animalium & aliarum rerum*, pertinent ad Guillelmum Peraldum Ordinis Fratrum Prædicatorum, posteà (ut volunt) Lugdunensem Archiepiscopum vel ad Joannem Cornubiensem Anglum. De quibus diximus suprà in *Hugone Folietano* ad annum 1130. Item *Libri tres de officiis Ecclesiasticis* & Opusculum *de Canone mystici Libaminis* spectant ad Robertum Paululum Presbyterum, de quo ad annum 1170. dicemus. Ac sane recenter Opera ista conjecta sunt in massam Operum Hugonis Victorini in editione Coloniensi anni 1609. & Rothomagensi anni 1648. ab editoribus nuperis eo celebriorem esse Scriptorem opinantibus, quo plura ei, indiscriminatim attribuuntur. Opusculum etiam *De Spiritu & anima*, quod inter Opera divi Augustini impressum tomo VII. cum spuriis, quoque nonnulli ad Hugonem Victorinum ex conjecturis spectare opinabantur, novissimi Illustratores Operum divi Augustini, Patres Benedictini doctissimi Congregationis S. Mauri in Gallia, *Hugoni Victorino* abjudicarunt, ut alicui Cisterciensi vero illius Parenti, *Isaaco Stella Abbati* restituerent.

Tertium. Extat inter Opera Hugonis Victorini *Liber de anima Christi*, quem in Bibliothecis pluribus Manuscriptum sub nomine *Hugonis Parisiensis* vidi, inscriptum *De Sapientia Christi & Sapientia Christo:* indubius Hugonis hujus Victorini foetus, quem dicavit Gualtero de Mauritania, Laudunensi postea post Gualterum S. Martini Laudunensis Abbatem & Bartholomæum Episcopo, viro litteris clarissimo. Hic autem liber in MS. Latiensis Abbatiæ Ordinis Divi Benedicti Comitatus Hannoniæ, prologum habet ad dictum Gualterum, velut in aliis multis MSS. Codicibus, qui ineditis hucusque deest, quemque ultima editio Rothomagensis facile obtinere potuisset, si quod ipsa mentitur, cum MSS. Codicibus collata fuisset. Hunc itaque hic subjicimus, ne quempiam Hugoni evulgando incumbentem, imposterum lateat.

Ex MS. Lætiensi.

Incipit Prologus Magistri Hugonis De Sapientia Christo, & Sapientia Christi, ad Magistrum Gualterum de Mauritania.

Prudenti ac religioso verbi divini inter cæteros & præ cæteris Scrutatori Gualtero, Hugo Peccator. Aliquotiens accidisse comperi, ut in rerum difficilium tractatione aut insipientia relatoris auditorem corrumperet, aut temeritas auditoris relatorem infamaret. Quapropter æque cavendum mihi videtur, ut potissimum illic ubi sine periculo aliud sentiri non potest, nec facile nostra præsumamus asserere, nec aliena temere judicare. Novi enim ut beatus dicit Augustinus, quanta somnia cor humanum pariat: atque eo judicio quo in sui cognitione fallitur, cætera quoque quæ præter ipsum sunt, non rectè conspicatur. Quid enim hoc esse putatis, quod de rerum veritate, tam diversa sentire solent homines? Nunquid non una est veritas? Ecce ut interim de Deo taceamus, quid est quod Dialectica tot diversas & tam adversas, ne dicam perversas habet sententias? Nunquid non omnes noverunt unum id quod est, sed amore fallendi diversa finxerunt? Non sic ego puto, sed narrant quique somnia sua, & ea quæ primum ipsi in sua opinione decepti sunt, postmodum nescientes alios seducunt. Et sicut beatus Job amicis suis arrogantibus, & de se plusquam oportebat præsumentibus, dicit: omnes jam non solum secum orituram, sed exortam quoque à se sapientiam putant. Dignum ergo est, ut idipsum in nostra assertione nos reddat timidos, quod in unius assertione veritatis, tot jam videmus esse diversos. Quia enim de longe veritas videtur, diversa judicia parit: & tantum de illa quisque potest, quantum ipse est. In nobis quippe est, quod de rerum cognitione percipimus, & eo modo cordis intellectus de his quæ extra sunt ad veritatem judicat, quo se interius animus in repræsentatione figurat. Vnde necesse est, ut dum meus interius corrupta prave afficitur, intellectus quoque in judicio eorum quæ foris sunt, decipiatur. Hæc ipsa est caussa, quæ etiam aliquando in unitate sensuum, controversiam verborum generare solet, quæ tamen tunc magis venialis fit, cum pertinax non fuerit. Hanc igitur nos qui Verbi Dei tractatores & inquisitores veritatis esse videmur, si inter nos fortè ut assolet ali-

„quando invenerimus, citius in idipsum redeamus: ne si cœperimus nostra dicta pertinaciter defendere, aliud putemur sapuisse. Illud „quod *De anima Christi*, Charitas vestra à me „quærere dignata est, jam pridem inter quosdam „sapientes, ventilatum fuisse didici: atque ex „his quid senserint, quibus magis credendum „existimamus, cum aliis de ipsis, tum ipsis de se „referentibus, agnovi. Ego autem cum sæpius „hac quæstione pulsari soleam, talem me esse „profiteor, qui nollem hinc aliquid ab omnibus „vel tam curiosè ac superstitiosè inquiri, vel tam „fidenter asseri. Vnde ounc quoque, geminâ „in hac re consideratione coarctor, cum videam „me & prudentiæ vestræ debere silentium, & bonitati responsum. Inter hæc, ipsa etiam rei „difficultas occurrit, quæ fortassis non potuit à „me ita ut decet, compendiosè discuti: cum „ego si modum in dicendo transiero, timeo superstitiosus videri: Volo tamen & multo magis volo aliquâ in parte insc ientiæ argui, quam „charitatis cootemptor videri: & verba iocom„perta habere, quàm cor perversum.

Explicit prologus, Incipit textus.

„Quæritis De anima Christi, id est, de illo rationali Spiritu, qui humanam in Christo homine „carnem vegetavit &c. Sic autem finit: Sic tamen ut interius unusquisque in suo sensu humiliter abundare studeat, non arroganter præsumere. Amen. Vt in impressis. Opus istud adhuc melius se habet in MS. Codice Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, ut constat ex Catalogo illius MSS. Codicum, quem anno 1686. in 16. edidit Joachimus Fellerus Bibliothecæ Præfectus. Ibi enim pag. 147. inter MSS. Codices Theologicos Repositorio 3. Serie 2. in folio Codice 28. extat *Epistola Magistri Gualteri de Marizania Flava ad Hugonem de anima Christi. Hugonis rescriptum ad hanc Epistolam.* tum *ejusdem tractatus, De anima Christi.*

CAPVT TERTIVM.

EXAMINANTVR ACCVRATIVS LIBRI XXIV. EXCERPTIONVM, QVI DISPERSI ATQVE A SE INVICEM DIVVLSI IN III. TOMIS HVGONIS VICTORINI.

Quartum Libri XXIV. *Excerptionum* apud Hugonem Victorinum habentur, de quorum authore vero controvertitur, fuerit ne Hugo Victorinus, an Richardus Victorinus & ipse, an neuter, sed anonymus aliquis, qua de re posteà ad hujus Observationis finem dicemus. Hi autem *Libri XXIV. Excerptionum*, sparsim ac tumultuariè inter Opera Hugonis ac Richardi Victorinorum, impressi reperiuntur. Nam *libri quatuor primi* tantum sub *Richardi Victorini* nomine extant inter ejus Opera editionis Rothomagensis anno 1650 apud Joannem Berthelin pag. 313. absque prologo. At *Libri primi decem* tantum hujus Collectanei, habentur cum Prologo & cum Scholiis brevibus Domini Thomæ Garzonii à Bagnacaballo, Ordinis Canonicorum divi Augustini Regularium Theologi, sub nomine *Hugonis Victorini*, inter ejus Opera editionis Rothomagensis anni 1648. apud eundem Berthelin, tomo 2. pag. 333. & sequentibus. Vbi perperam inscribuntur, *Institutiones Monasticæ Excerptionum priorum*, cum de Monasticis rebus non loquantur. Altera verò pars istarum Excerptionum, juxta *Prologum* citatum, continere debet *Libros quatuordecim*, quorum *novem primi* sub *Hugonis Victorini* nomine habentur tomo I. Operum impressionis prædictæ, pag. 221. & seqq. *Decimus* autem *liber* secundæ partis harum Excerptionum, atque *vigesimus* totius Operis, juxta prologum tomo 2. dictorum Operum pag. 333. ab Excerptore *per Sermones seu Homilias* quasdam distinctus est. Estque *Collectaneum centum sermonum de variis argumentis*, ordine utcuoque confuso atque insolito, quod incipit à sermone *de dedicatione Ecclesiæ*, tomo 2. pag. 478. ad usque pag. 633. editionis Operum Hugonis Victorioi. Hoc patet ut jam diximus ex *Prologo generali* ad dictas Excerptiones, ubi ait: *Decimus* (nimirum secundæ partis) *sermones diversos, singulos de materia sua editos*: quibus verbis hoc Collectaneum sermonum indicatur, quod ejusdem styli cum superioribus, cum *Prologo & præmisso Sermonum Syllabo*. Itaque quod scripseram in prima editione hujus Operis, hunc *vigesimum Excerptionum librum*, esse *Collectaneum homiliarum novendecim in Ecclesiastem*, quas habes sub *Hugonis Victorini* nomine editas, & inscriptas *Annotationes elucidatorias in Ecclesiastem Salomonis* tomo 1. ejusdem Hugonis Operum pag. 75. & sequentibus: posteà falsum esse deprehendi, cum illud *Opus in Ecclesiastem* verè ad Hugonem Victorinum pertioeat. Quod autem hic *Vicesimus Excerptionum liber* sit *Collectaneum centum Sermonum* de quibus suprà, constat evidenter mihi ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ 3835. In quo habentur hi *Decem postremi libri* hujus Collectanei Excerptionum, nempe ab XI. ad XX. de quo loquimur: quorum *decimus* quidem qui totius Operis est *vigesimus*, continet in hoc MS. Codice *Sermones XXVII. hujus Collectanei* verbotenus sub *Richardi Victorini* nomine, nempe à primo qui *De dedicatione Ecclesiæ* est, usque ad XXVII. inclusivè, qui *De Festo Paschali & corporis Christi* pag. 507. inscribitur, incipiens ab his verbis: *Isti sunt dies quos observare debetis &c.* Vnde nec dubium ex hoc MS. Codice qui mutilus & imperfectus est, quin idem de aliis omnibus censendum sit. Habentur quoque Hi libri Collectaneorum cum his Sermonibus, in MS. insigni Thomæ Gale Angli Codice 326. inter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum insignium Bibliothecarum, Codice 6160. nomine Richardi Victorini, de quo etiam postea. Præterea aliunde constat hanc omnem *Collectionem*

nem Sermonum ſpectare non poſſe ad *Hugonem Victorinum*, cum Sermone XL. qui *De dedicatione Eccleſiæ* eſt, poſt medium pag. 531. author alleget Sanctum Bernardum in libris *de Conſideratione ad Eugenium* Summum Pontificem, qui certo certius *Hugone Victorino* poſteriores ſunt. *Hugo* enim *Victorinus* anno 1140. mortuus ſcribitur, qui Libros iſtos vidiſſe non potuit, ſactos demum a Bernardo poſt Eugenii 3. ad Romanam ſedem promotionem, quod anno tantum 1145. contigit.

Libri autem XXI. XXII. XXIII. XXIV. qui reſtant, eodem tomo 2. ſub ejusdem Hugonis nomine habentur pag. 283. & ſequentibus, inſcripti, *Annotationes elucidatoria in quatuor Evangeliorum libros*, tantumque *Libros quatuor* ſecundum Evangeliorum numerum continent, & non *novem*, ut male habet titulus dicta paginâ 283. Nec ultra Libros XXIV. *Collectaneum Excerptionum Victorinarum* extenditur, ſive Hugonis ſit, ſive Richardi, ſive Anonymi, juxta prologum quem allegavimus. Adverte autem huic *Collectaneo Excerptionum*, adjectas eſſe duas Appendices a poſteriore aliquo, quæ alterius omnino ſtyli ſunt, magisque Scholaſticas methodos olent, conſuetas circa annum 1210. vel 1220. Ambæ enim agunt per Quæſtiones & ſolutiones. Harum *prima* continet *Annotationes in Evangelium Joannis*, tomo 1. pag 336. quarum Prologus, *Inter omnes ſcripturas ſacra Scriptura excellit &c.* de quo tamen Collector primus jam egerat libro ſuo XXI. integro: unde abſurdam fuiſſet idem argumentum reſumere iterum tractandum. Item continet alias *Annotationes in Epiſtolam divi Pauli ad Romanos & duas ad Corinthios*, usque ad pag. 379. *Secunda Appendix*, quæ adhuc magis recens ac Scholaſtica, *Quæſtiones breviores in quatuordecim Epiſtolas Sancti Pauli* habet, tomo eodem a pag. 379. ad pag. 469. Quamvis autem hic *Commentarius* Collectanei pag. 336. qui in *Evangelium Sancti Joannis* eſt, per modum Quæſtionum ac Solutionum diverſarum a conſarcinatore compoſitus, bonus ſit: ſtyli tamen omnino alterius eſt, cum *Annotationibus elucidatoriis in Epiſtolas Sancti Pauli*, tom. 1. pag. 361. ſapientibus ſcholaſticam venam primorum ejusmodi hominum, qui anno circiter 1210. vel 1220. ſcribebant. Vnde vocis iſtius *Solutio* ad ſingulas quæſtiones perpetua affectatio, qualem primi Summarum Scholaſticarum Conſarcinatores affectabant: ac quâ abſtinet Latinus magis & minus Scholaſticus Collector *Libri XXIV. Excerptionum*, licet interdum per Quæſtiones & Reſponſiones agat. Denique *Commentarius in omnes Epiſtolas Sancti Pauli*, quem habent Opera Hugonis Victorini editionis Rotomagenſis anni 1648. tomo 1. pag. 361. huic Collectaneo poſtmodum, ab aliquo alio additus eſt, qui Opus mutilum atque truncatum opinatus eſt, niſi ejusmodi ſubjungeretur additamentum, ut hoc Collectaneum quodammodo complecteretur omne novum Teſtamentum. Huc patet ex ſimplici lectione totius Operis. Atque iſta quantum ad ordinem & impreſſionem *Librorum XXIV. Excerptionum* inter Opera Hugonis Victorini, adnotaſſe haud inutile fuerit, ad futuram & planam Operum ejusmodi impreſſionem, quæ hucusque nomine advertente, maxime perturbata ſunt. Hujus Collectanei MSS. Codices in nonnullis Galliæ Bibliothecis 2. in ſolio voluminibus inveniuntur anonymi ut plurimum quorum *volumen primum* primam Collectionis partem, *aliud* alteram complectitur. Memini me vidiſſe in MS. Codice Bibliothecæ Fulcardi Montis, Ordinis Ciſtercienſis, Archiepiſcopatus Rothomagenſis, primam hujus Operis partem ſub *Richardi Sancti Victoris* nomine, qui Codex jam in Bibliothecam Colbertinam cum aliis tranſiit, neque multum poſt tempora authoris cujus nomen præfert, ſcriptus videtur. Itemque alteram ſub ejusdem *Richardi Victorini* nomine in Bibliotheca Regia Galliarum, Cod. 3835.

Jam quæritur quis author iſtius magni Collectanei ſit legitimus, quod per partes ac ſparſim in Operibus Hugonis Victorini vel Richardi, ut ſuprà meminimus, impreſſum eſt? An Hugo Victorinus, Richardusne, an anonymus? Optandum, ut tam grande Opus Hugoni attribui poſſet, verum judicium ex affectu neutiquam metiendum eſt, ſed ex rei veritate, quantum eam aſſequi poſſumus. Nullus alienis ditandus, ac vel parens alienis indutus, ſpoliandus eſſet ac nudandus, ut alienum redderetur. Vincentius Bellovacenſis Libro 27. *Speculi Hiſtorialis* cap. 58. Antoninus Florentinus in 3. volumine *Partis Hiſtorialis* tit. 18. cap. 3. Guillelmus de Sancto Laudo, Abbas XXII. S. Victoris Pariſienſis in *Elogiis quatuor Patrum Victorinorum*, Thomæ ſcilicet Prioris, Hugonis, Richardi, & Adami, ejusdem Eccleſiæ Scriptorum. Platina in *Vitis Romanorum Pontificum*, in Anaſtaſio IV. qui tamen illi Collectaneum iſtud non attribuit, ut falſe contendit ultima editio Operum Richardi Victorini. Trithemius in libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Joannes Pitſeus Anglus, *De illuſtribus Angliæ Scriptoribus*. Gilbertus Genebrardus & Jacobus Gualterus Soc. Jeſu in *Chronologiis*, & alii paſſim *Richardo Victorino* attribuunt, quos refert nupera editio Operum Richardi, facta Rothomagi anno 1650. in fol. apud Joannem Barthelin ubi de hac controverſiâ in frontiſpicio Operis, cumulatè & ex profeſſo. Quibus addo vidiſſe me MS. Codicem optimæ notæ velut Richardo Synchronum, in Bibliotheca Fulcardi Montis, nunc Colbertinum, ubi *prima pars* hujus Operis ſub nomine *Richardi Victorini*. Itemque alius MS. in celebri Bibliotheca Claravallis inſcriptus, *Liber Magiſtri Richardi Canonici Sancti Victoris Pariſienſis Excerptionum, continens originem & diſcretionem Artium, ſitum terrarum, & Summam Hiſtoriarum.* Nec dubito, quin ſimiles inveniantur in pluribus aliis ejusdem Ordinis Bibliothecis, in Gallia.

Hos

Hos tamen libros Hugoni Victorino attribui video à Joanne Canonico S. Victoris ejusdem in *Chronico* suo MS. quod ad annum usque Christi 1321. concurrit, sed ex conjecturis, ut opinor. Nullum enim vidi MS. Codicem Collectanei hujus, qui Hugoni Victorino adscriberet, omnes autem vel plures sanè, qui Richardo Victorino, qualis est ille Colbertinus à me apud Fulcardi Montis bibliothecam sæpissimè tractatus, qui pulcherrimus & antiquissimus in membrana. At alii plures in Anglicanis Bibliothecis, Richardo Victorino unanimiter asserentes. Inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Tiberii litera A. Codice X. num. 19. extat *Liber Exceptionum Magistri Richardi, Canonici Sancti Victoris Parisiacensis, de Artibus, de creatione mundi, de tribus partibus mundi, de Patriarchis & Judicibus, aliisque in Historia sacra contentis, de regnis mundi, de Imperatoribus Romanis, de Pontificibus Romanis, Regibus Franciæ, de gente Normannorum & Successoribus Caroli, & de Regibus Persarum & Græcorum.* Sed Codex ille 200. antiquitate non excedere videtur, ob alia quæ in eodem volumine continentur. At Codex MS. longè præstantior inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 1150. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera F. Codice 113. sub titulo isto, *Richardi de Sancto Victore Tractatus Exceptionum qui continet originem & discretionem Artium, situmque terrarum, & Summam Historiarum, distinctus in 14. libros.* Illic eodem ordine, quo supra à me explicati sunt, cum editio impressa libros tantum 4. contineat à pag. 324. ad 339. At Opus hoc integrum ac præstantissimum, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium Bibliothecarum Codice 6160. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 326. antiquo *Richardi de Sancto Victore Libri XXIV. Exceptionum & ejusdem Sermones.* In membrana eodem ordine collecti, quam supra explicui: & hic unicus Codex hujus Operis integri, quem viderim. Ne quid tamen dissimulare videar, idem opus habetur MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, Repositorio Theologico IV. Serie III. in fol. Codice 3. *Bernardi de Sancto Victore Canonici libri Exceptionum Theologicarum.* Ita Joachimus Fellerus in Catalogo MSS. Codicum hujus bibliothecæ pag. 188. Codice 3. qui editus anno 1686. in 16. Lipsiæ. His tamen non obstantibus, vel diversis etiam Richardi Victorini, ubi sub nomine ejus comparent, editionibus: ut in editione Parisiensi anni 1528. Lugdunensi 1534. Coloniensi in Germania 1621. & Rothomagensi 1650; Nec obstantibus etiam editionibus Operum *Hugonis Victorini* sub cujus nomine inveniuntur, ut in Parisiensi anni 1526. cum censura tamen quæ dubium præfert; In Venetiana itidem anni 1588. quam procuravit Garzonius Lateranensis Canonicus Regularis, in Coloniensi 1629. & in Rothomagensi 1648. tomo 2. pag. 332. ubi *prima pars* seu *Libri decem primæ partis* hujus Collectanei impressi leguntur, cum Scholiis dicti Thomæ Garzonii à Bagnacaballo ejusdem Ordinis Theologi; unicum mihi suppetit argumentum, sed in hoc genere demonstrativum, quo Collectaneum istud & Hugoni & Richardo Victorinis adimatur, quod tale est. Quisquis fuit author hujus Collectanei, illud scripsit postquam Philippus cognomento Augustus Monarchiam Francicam assecutus est, quod anno 1180. post mortem Ludovici junioris contigit. Hoc patet ex ipso Collectanei authore, qui ita caput 10. Libri decimi concludit, dum de Regibus Franciæ loquitur: *Post hunc fuerunt isti Henricus, Philippus, Ludovicus Grossus, Ludovicus junior & Philippus.* At nec Hugo Victorinus qui anno 1140. obiit, nec Richardus Victorinus, quem Victorini Canonici anno 1173. die 10. Martii mortuum asserunt, Regnum Philippi Augusti Francorum Regis attigerunt: unde certò constat neutrum hujus Collectionis esse authorem, quæ tempore hujus Regis vel circa annum 1190. conflata videtur. Nec adversus hoc argumentum, authoritas Vincentii Bellovacensis aut aliorum valet, qui hoc punctum ex professo nunquam attigit, sæpeque circa designandos Operum authores deceptus deprehenditur. Aliam iniit viam Cardinalis Bellarminus in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ut Hugoni Victorino hoc Collectaneum auferret, magnam nimirum styli disparitatem: secutus hac in parte Thomam Garzonium, qui in editione Venetâ 1588. & Rothomagensi 1648. in Annotationibus suis ad primam hujus Collectanei partem, sic eam concludit. *Finis libri decimi & ultimi prioris partis Excerptionum Magistri Hugonis de Sancto Victore, Canonici Regularis Sancti Victoris Parisiensis, ut plerique credunt: mihi tamen ob phrasim & loquendi de Gente sua formam aliter, citra assertionem, visum est. Secunda autem pars in primo tomo Operum Magistri Hugonis impressa est.* Verum hæc ratio tam Bellarmini, quam Thomæ Garzonii infirma semper mihi visa est. Quis enim stylus, vel quæ styli discrepantia cognosci potest in Exceptione perpetua ac fideli ex aliis authoribus? Qui verbotenus ut hic Excerptor, ex aliis desumit, is consequenter proprium in Collectaneis stylum non habet. Igitur ex styli differentia, non possumus arguere Authorem hujus Collectionis, vel Hugonem Victorinum, vel Richardum non esse. Denique ob rationem supra allatam, quisquis ille est hujus Collectionis author, sive Hugo Victorinus, sive Richardus, agens de Philippo Francorum Rege, illud congessit sub extremum Vitæ diem. At quis credat, hos duos viros, ambos doctissimos, ambos multis Operibus è suo penu doctissimi depromptis insignes ac famosos, sub senium & satiscentes artus, alienis authoribus transcribendis incubuisse, conficiendis rerum omnium, quale hoc Collectaneum censetur, farraginibus operam suam contulisse. Hæc sane cogitatio utriusque honori derogat meritisque doctrinæ notissimis; quod absque præjudicio

cio meliorum quæ fervidus semper amplectar, dictum omnino fit. Si conjecturis agere liceat, tam *Collectaneum* istud *Exceptionum*, quam *Miscellanearum* de quo infrà, lubens adscriberem *Richardo Cluniacensi*, qui circa annum 1180. vel 1190. multa scripsit. Promptum enim fuit adtribuere Richardo Victorino magis celebri, quæ Richardi Cluniacensis minus clari erant.

CAPUT QUARTUM.

HÆC COLLECTANEA AD HUGONEM HUNC VICTORINUM PERTINERE NON POSSUNT.

QUintum advertendum. Extat inter Opera Hugonis Victorini allud *Collectaneum* non *Excerptorum*, sed *Miscellaneorum*, seu *Miscellanearum eruditionum*, quod etiam mirum in modum quoad ordinem perturbatum est. Ac sane si Procuratores ultimæ editionis, qui tanto fastu se Opera Hugonis Victorini ad MSS. Codices correxisse gloriantur, hoc præstitissent, nunquam Miscellanea ista sic confusa atque immissa in tomum primum & tertium reliquissent. Harum autem *Eruditionum Miscellanearum* fuisse duos MSS. Codices, fatetur ultimus Operum Victorinorum jactabundus emendator & corrector: quorum primus continebat *libros duos*, Codex alter *libros quatuor*: ut omnia Collectanea sex libris continerentur, quorum hic unum etiam ante nares adpositum investigare non potuit: ut verum esset adagium, aliter olere fanes, aliter sues. *Liber primus* primi Codicis habetur tomo 3. pag. 91. ad pag. 163. continens titulos ducentos *De variis argumentis* in plures Libros Sacræ Scripturæ. *Secundus* autem *liber* hujus primi Codicis, eodem modo procedens, easdem moralitates habens, easdem divisionum affectationes quas optimas censeo, habetur tomo I. a pag. 50. usque ad pag. 75. continens titulos octoginta duos *De variis argumentis* in diversos Psalmorum versiculos, ut cum primo libro, gutta guttæ similior non fit. Secundi autem Codicis *libri quatuor*, eodem stylo eodemque modo procedentes, habentur tomo 3. pag. 163. ad calcem libri primi, usque ad paginam 329. Ac quemadmodum *liber secundus* Codicis primi *de folis Psalmis* est: ita *liber quartus* Codicis secundi ac totius Miscellanei *sextus & ultimus* est *de folis ritibus & officiis Ecclesiasticis*: quæ omnia simul collata, purissimam arguunt farraginem, Hugone Victorino (ut mihi videtur) prorsus indignam. Atque si in ultima editione sua, non dico ad MSS. Codices, sed ad impressos solum, emendator respexisset: hanc perturbationem cognovisset & emendasset. Jam videamus num Miscellanea ista, ex rectâ judicii limâ, ad Hugonem Victorinum spectent.

Sextum. Miscellanea quæ habentur comprehensa sex libris tomo 3. Operum Hugonis Victorini pag. 91. & sequentibus usque ad 329. & tomo I. pag. 50. usque ad 75. meâ quidem sententiâ ad *Hugonem Victorinum* non spectant. Vocari debent hæc Miscellanea *Exceptiones posteriores*, quæ veluti *priores* in duas partes distinguuntur, quarum *prima* librum primum, *secunda* libros quinque complectitur. Non spectare possunt ad Hugonem Victorinum. Ita censet Thomas Garzonius, qui olim editionem Operum Hugonis Victorini procuravit, & sequentem notam ante primum librum horum Miscellaneorum, tomo 3. pag. 91. præfixit. „ Quæ Miscellanea dicuntur, quod mixtim & confusè procedunt. Ea enim alii ab ipso Hugone collecta censent, ut eis ubi commodum fuerit, ad institutum suum applicet: alii non ab Hugone, sed ex Operibus Hugonis ut sententiarum flosculos excerpta existimant, eò quòd plurima ejus Scriptis inserta deprehenderunt: quæ si impressa invenero, titulum duntaxat & locum signavero. Eorum autem quæ hoc volumine continentur, hi sunt tituli. Idem ante librum primum secundi Codicis & totius Operis tertium, ibidem pag. 163. Sequuntur plusculâ documenta è secundo Miscellaneorum excerpta, quæ quia seorsum ab Operibus Hugonis nostri inventa sunt, & nonnihil in phrasi (ut quibusdam videtur) discrepantia, an ipsius sint, in dubio est: quia tamen cujuscunque sint, bona sunt, superioribus duximus apponenda. Eorum autem hi sunt tituli &c. „ Et ad finem totius Operis pag. 329. *Finis eruditionum variarum è secundo Codice Miscellaneorum, de quibus ante tabellas eorundem, quid fent remus, diximus.* 2. Hoc Collectaneum constat ex variis ac nullatenus sibi cohærentibus fragmentis, quorum tituli plures desumpti sunt ex aliis Hugonis Victorini Operibus. Quis autem sanæ mentis credat *Hugonem Victorinum* contexuisse tam grande Collectaneum tam ex propriis suis Operibus quàm ex alienis? Hoc tanto viro omnino indignum, nec ultum in omni antiquitate ejusmodi invenietur Exemplum. Hoc autem, quod diximus, probatur. Nam lib. 1. titulus 80. pag. 119. est *Epistola Hugonis Victorini ad Joannem Hispalensem Archiepiscopum*, quam Cardinalis Baronius in *Annalibus* suis ad annum 1136. refert. Ejusdem libri titulus 200. pag. 162. est *Epistola Hugonis ad Raulfum de Mauriaco.* Atque hoc etiam verum de ejusdem libri titulis 96. 97. & 98 qui vel Epistolæ vel saltem fragmenta Epistolarum sunt, quibus *Hugo Victorinus* respondebat, vel quis alius *ad diversas quæstiones sibi propositas* à diversis personis. 3. Varii etiam Sermones *de diversis argumentis* immissi in hunc primum Collectaneorum librum. Nam tituli 99. *De gratitudine beneficiorum Dei &c.* pag. 128. 103. *De Spiritu Dei & spiritu mundi per quem consumata sunt omnia*, pag. 130. 113. *De Festu Sanctorum recolendis* pag. 134. sequens 114. *Quod finis Legis Christus est & de bono fuis* pag. 135. Sermones sunt producti olim in publicum, atque idem dicendum de titulis 172. & 173. ejusdem libri, pagi-

nis 149. & 150. hujus Operis. Quis autem credat Hugonem Victorinum doctissimum atque ornatissimum virum, tantam aggressum esse farraginem?

Jam veniamus ad *librum secundum*, cujus titulus 53. *De uberibus sponsæ attributis* pag. 223. desumptus est per compendium ex Sermone 90. divi Bernard. *De diversis* tomo 2. pag. 251. editionis Parisiensis anni 1558. apud Societatem Bibliopolarum sub signo magnæ navis. Itemque ex Sermone ejusdem 10. in Cantica, & ex Sermone 12. in eadem, ut videre est. Titulus 107. *De tribus osculis* pag. 233. desumptus etiam est ex Sermone ejusdem Bernardi 87. *De diversis*, tomo 2. pag 249. Titulus 132. *De triplici oleo & de fide & charitate*, pag. 237. ejusdem libri secundi, habetur quoad initium in *Sententiis divi Bernardi* tomo 5. Operum citatæ editionis, pag. 360 Finis autem seu extrema hujus tituli, apud Bernardum Sermone 15. in Cantica Canticorum habentur. Unde nulli dubium esse debet quin hujus Miscellanei Author, Opera divi Bernardi legerit, illoque posterior fit: quod in Hugonem Victorinum cadere nullatenus potest. Idem autem de Libro tertio hujus Miscellanei statuendum est, cujus ex lectione simplici farraginem agnosces. Nam tituli 50. 55. 57. 58. 60. 61. 62. 63. sunt pariter Sermones habiti atque excerpti, ut supra. Quoad *librum Miscellaneorum quartum*, hujus titulus 17. *De verbi Dei efficacia* p. 279. totus habetur eodem tomo 3. Operum Hugonis Victorini pag. 66. ut est adnotatum sub initium tituli dicta pagina 65. Titulus etiam 100. *De septem gradibus Confessionis* pag. 301. per compendium omnimode desumitur ex Sermone 40. *De diversis*, tomo 2. Operum divi Bernardi pag. 229. & 230 qui nec Bernardi est, sed Domini Gaufridi Claræ Vallis Abbatis quarti: unde etiam inter spuria divi Bernardi, tomo 5. Operum pag. 184 legitur. Quisquis ergo Collectaneum istud scripsit, post tempora Hugonis Victorini, Bernardi atque Gaufridi Claræ Vallensium Abbatum, illud composuit: ac consequenter post annum 1190. vel circa annum 1200. Hoc optimè convenit tempori *Richardi Cluniacensis* qui floruit tempore Philippi Augusti Francorum Regis, anno 1181. ad coronam assumpti. Facillimum autem fuit ut quæ erant Richardi Cluniacensis, ea ob nominis identitatem Richardo Victorino magis cognito à scribis adscriberentur, quamvis natæ temporum repugnarent. Quo circiter tempore affectata quædam Divisionum expressio, qualis in hoc *Miscellaneo* legitur, in usu esse cœpit. Porrò quamvis anonymum sit, magni tamen meriti atque industriæ est, præclara multa continens & Concionatoribus commoda: quæ tamen non impediunt, quo minus ab Hugone Victorino illud removeamus.

CAPUT QUINTUM.

EXAMINANTUR ALIA TOMI SECUNDI

Septimum. Habetur tomo 2. Operum Hugonis Victorini fol. 4. tanquam caput quartum *Institutionis Catholicæ in Decalogum*, Sermo quidam *De substantia dilectionis & charitate ordinata* inscriptus, qui nullatenus ad præfatum tractatum spectat: sed est sermo in MSS. utplurimum anonymus, quem ad amplificandum Opusculum aliquis illuc temerè adduxit. Idem autem sermo ex parte habetur de verbo ad verbum, mutilus tamen ac truncatus, pag. 253. tanquam caput XIX. & ultimum libelli *De fructibus carnis & spiritus* ad quem etiam non spectat, quia caput XVIII. *De charitate & comitatu ejus*, finem imponit Opusculo.

Octavum. Diximus *De claustro animæ*, *de medicina animæ*, *de nuptiis Carnalibus & Spiritualibus*, *de vanitate mundi* & *usu rerum transeuntium*, *de arca Noë & de bestiis*: in Hugone Folietano supra.

Nonum. Sequuntur in eodem tomo pag. 133. *De anima & ejus ad sui, & ad Dei cognitionem ac veram pietatem institutione, Libri quatuor*. Sed ut rectè annotatur pag. 132. præcedente, horum *primus* & *tertius* sub titulis *Meditationum* & *De interiori domo*, Sancto Bernardo Abbati Claræ vallensi adscripti sunt. Ac *primus* quidem spectat ad Guillelmum S. Theoderici prope Remos Abbatem. *Tertius* qui utilis tamen & pius tractatus est, sed sine ordine & methodo, præsertim a cap. 24. diversa documenta congerit, repetens subinde priores materias, & pleraque ex Libro *Meditationum* præcedenti: unde ad Hugonem Victorinum spectare non potest, Guillelmo Sancti Theoderici Abbate anteriorem. *Secundus* vero quem (ut vult censura præmissa) tum propter disserendi subtilitatem, tum propter dicendi gravitatem, Opera beati Augustini sibi perperam vendicarunt, non spectat tamen (ut vult Censor) ad *Hugonem Victorinum*: sed ad Isaacum Stellæ Abbatem, Ordinis Cisterciensis, qui sec. XII. floruit, cui tanquam legitimo parenti restituerunt clarissimi Operum Augustinianorum illustratores in editione Parisiensi nupera, ad finem Voluminis quinti. Denique *liber quartus* adhuc evidentius ostendit, hos omnes libros *De anima* esse auram farraginem sub nomine *Hugonis Victorini* inter ejus Opera immissam, ubi quidquid fere anonymum in Bibliotheca Sancti Victoris anno 1526. tempore primæ hujus editionis repertam est, hoc totum cæco impetu *Hugoni Victorino* attributum fuit. Hic autem *Liber quartus de anima* pag. 200. ut verbo primo *Quoniam in medio laqueorum* &c. usque ad hæc verba capitis XI. *non cessant mihi dicere, ut amem Deum meum:* habentur verbotenus tomo 9. Operum divi Augustini, in Opere quod *Manuale* inscribitur, a Prologo seu capite 1. usque ad 24. inclusive. Caput 12. desumptum est ex tractatu alicujus *De charitate*, quod cum præcedentibus non cohæret. Capita 13. 14. 15. 16. 17. Farragines male assutæ sunt, & quæ novitium confarci-

sarcinatorem arguunt. Nam postquam toto capite 12. *de Charitate* egit, statim cap. 13. affert exemplum Patrisfamilias hora indicta advenientis, ut famulos, num recte se gerant, exploret. Deinde hic author velut stultescens, his quinque ultimis capitibus formam Dialogi inducit, quod in libris quatuor factum non est, unde purissimam arguas rapsodiam. 3. cap. 14. ludit seu nugatur hic author dicendo, *alius nuntius venit pulcher & hilaris, qui videtur afferre bona* &c. & alia risu dignissima, quæ præ se ferunt simplicitatem alicujus boni Monachi. 4. denique author se prodit manifeste Monachum, quod Hugoni Canonico Regulari non convenit, dum cap. 14. de gloria Sanctorum locutus, ait: *Sunt ibi Monachi qui pro claustris & cellis angustis, immensa & solo clariora palatia possidentes; pro asperis tunicis, nive candidiores omnique suavitate molliores vestes induti, ab oculis quorum abstersit Deus omnem lachrymam, Regem in decore suo vident.* Quod enim *& palatia possideantur in cœlo a Monachis, & induantur vestibus omni suavitate mollioribus*, somnia sunt Monachi simplicis, gravitate ac firmo sensu Hugonis Victorini indigna: quæ Monachum consarcinatorem Libri hujus produnt, eumque de gloria Sanctorum materialiter sentientem & loquentem.

CAPUT SEXTUM.

ALIA OPUSCULA TOMI TERTII SUBJICIUNTUR DISCUSSIONI AC CENSURÆ.

D*ecimum.* Opusculum seu Tractatus *De anima Christi* pag. 58. tomi tertii, in MSS. plurimis Codicibus quos in Abbatiis præsertim Ordinis Cisterciensis vidi, inscribitur *De Sapientia Christo & Sapientia Christi*, atque ita inscribitur in MS. Codice Bibliothecæ Lætiensis in Hannonia Ordinis divi Benedicti dedicatus Gualtero de Mauritania præconi divini verbi famosissimo, qui ætate Hugonis Victorini scientia potissimum Theologica florebat, cui tale Opus Hugo nuncupavit.

Undecimum. Quæstio *de voluntate ex potestate Dei, utra major sit?* pag. 55. magis scholastica est, quam aliæ quas movit in aliis suis Operibus Hugo Victorinus. Habet voces ipsi insuetas, ut *amplius* pro *preterea* vel *insuper*: quod commune & perpetuum est *Guillelmo Arverno* Parisiensi Episcopo. Item *voluntas* appellatur *potestativa*, & *potestas voluntaria*, quæ vocum combinationes Hugoni Victorino non conveniunt. Denique perpetuus est in ratiociniis, quod modum scribendi Hugonis Victorini non sapit. Audio esse fragmentum huc allatum ex *Guillelmo Parisiensi Episcopo* cognomine *Arverno*, quod excutere per otium mihi non licuit.

Duodecimum. Apologia de Verbo incarnato pag. 68. est opus anonymi Hugone Victorino longe recentioris. Hujus sola Lectio indicat illud esse conscriptum florescente jam methodo scholatica, cujus voces maxime affectat: unde per quæstiones opus divisum est, cujus *prima* Quæro igitur &c. *secunda*, Quæro item quomodo Augustinus &c. Verum quam hæc barbara simul & scholastica scribendi ratio, differat a stylo Hugonis Victorini in suis sententiarum & sacramentorum summis, aliisque genuinis Theologiæ tractatibus, nullus ex collatione nescire potest. Hanc autem methodum scholastici habebant, per Quæstiones & breves solutiones ex perpetuis SS. Patrum allegationibus, circa annos 1210. vel 1220. & ultra. 2. perpetua affectatio vocis *Solutio*, dum dubiis aut quæstionibus respondet, idem tempus denotat. Item affectatio hujus phraseos, *quæro ab iis qui dicunt* &c. quæstionibus 1. 4. 6. &c. idem tempus indicat. 3. Multas quæstiones quas appellamus Metaphysicas proponit, Theologis seculi XII. nascentis indignas & insuetas, quæ magis ad seculum 13. vel 14. spectant. Ita quæstione 16 *Quæro quid ejusdem natura sit cum matre, si aliquis homo non consisteret ex anima & carne Christi.* Quæstione 19. *Quæro si Deus crearet nunc animam & carnem non unitas ad aliquid constituendum, utrum una natura nominarentur, au una substantia?* Quæstione 14. *Quæro quid sit ille habitus, qui prædicatur Dei Verbo, cum dicitur, Deus est homo, secundum istos.* Et Quæstione 20. & ultima. *Quæro ergo quid per secundum significetur, cum dicitur, Christus secundum humanitatem est prædestinatus.* Hi quæstionum modi, meo quidem sensu sapiunt scholasticam seculi XIV. 4. denique ista methodus conscribendi Tractatus seu libros Theologicos per *Quæstiones & Responsiones* vix ante Petrum Cantorem & seculi XII. finem ultimum invenitur, unde author hujus Opusculi *Hugone Victorino* longe recentior est. Dicemus infra ad annum 1170. spectare ad Joannem Cornubiensem, Anglum scriptorem.

Decimum tertium. Fragmentum *De unione corporis & spiritus* desumptum est ex primo Miscellaneorum, ut habetur pag. 63. tomi tertii ultimæ editionis. Item *quomodo sermo Dei unus est, scilicet Verbum Incarnatum* &c. pag. 65. desumptum ex eodem est, ut ibi legitur: idemque constat de tribus Collationibus pag. 78. *De triplici silentio, in quorum secundo agitur de Incarnatione Verbi.* Pag. 79. *Quod Verbum dum caro factum est, naturam assumpsit, non personam.* Pag. 80. *De Incarnatione Verbi & Mysterio ejus, respectu nuntii & Virginis.* Habent enim omnino eandem venam & stylum, ac cætera Collectanei Miscellaneorum, ut nullus negabit. Recurrendum ad MSS. Codices vel antiquas editiones Miscellaneorum.

Decimum quartum. Speculum Ecclesiæ pag. 335. indignum omnino est quod *Hugoni Victorino* tribuatur, nec ullatenus ad eum spectat. Nam 1. author hujus Operis in Proœmio ait cœpisse dubitare an petentibus hoc Opusculum contradiceret, an potius scribere mallet? Et rationem addit, *Cum lubentius quia facilius Logicas*

guas quam Theologicas (jure consuetudinis) revolvires sententias &c. Ubi manifeste se magis applicatum fuisse testatur Logicis seu secularibus, quam Theologicis studiis, quod Hugoni Victorino non convenit. 2. Stylus hujus Operis est abjectus, puerilis, exprimens minutias homine gravi & docto indignas. Dictio barbara, qualem *Hugo Victorinus* nunquam habuit. Nulla dictionis unctio, affectata Responsoriorum & Antiphonarum Ecclesiæ allegatio, quæ in aliis *Hugonis Victorini* scriptis non legitur. 3. Assuta pessime Sanctarum Scripturarum allegatio, hominem in scribendo novitium produnt. 4. Qualem quæso phrasim capitis primi? *Cancellus humilior reliquo corpore Ecclesia, mysticat quanta humilitas debeat esse in Clero.* Et in eodem Capite: *Ecclesia enim hic militat, in patria regnat: pars peregrinatur, & pars gloriatur.* Idem cap. 3. *de officiis horarum Canonicarum*, dum de hora prima loquitur, *Et quia hac hora initium est diei, in ea laudamus Deum, quia dedit nobis noctem cum salute transire.* Quid magis barbarum & impolitum expressione ista? Innumeras ejusmodi expressiones & voces non Latinas proferrem, quæ Scriptorem hunc probant virum impolitum, non Hugonem Victorinum. 5. Dum loquitur de eadem hora, ait: *Deinde in hac prima hora quotidie quinque Psalmos canimus*, quod non convenit Canonicis Regularibus, qui exceptis diebus Dominicis, tres tantum Psalmos per hebdomadam ad *Primam* canunt. 6. Caput 4. hujus Speculi inscriptum *De Servitio totius anni*, quod incipit *In principio Septuagesimæ incipit Ecclesia servitium totius anni:* atqui vox ista in hac significatione nec seculo XII. nec XIII. usurpata mihi videtur, sed seculo XIV. quo corruptissima Latinitas fuit, unde hic author recentissimus colligendus est. Innumera possem contra hunc anonymum proferre, sed hæc sufficiant, ut authoris suppositio probetur.

Decimum quintum. Libri tres *De ceremoniis, Sacramentis, officiis & observationibus Ecclesiasticis* pag. 357. impressi primo fuerunt anonymi, qui postea sub nomine *Hugonis Victorini* immissi in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. tandemque in Opera *Hugonis Victorini* anno 1648. editionis ultimæ Rothomagensis, qui certo spectant ut infra dicemus, ad *Robertum Paululum* Presbyterum Ambianensem, ex MS. Codice Sancti Germani Parisiensis, num. 658. qui optimæ notæ est, quem attente conspexi.

Decimum sextum. *Canon Mystici libaminis de septem Missa ordinibus* pag. 399. non est etiam Opus *Hugonis Victorini*, sed ex fide Manuscriptorum Anglicorum spectat ad Joannem Cornubiensem, de quo dicemus infra. Nec tantum habetur impressum inter Opera *Hugonis Victorini*, sed etiam inter Opuscula *Thomæ Aquinatis* ad quem non pertinet, & etiam in Bibliotheca Cisterciensis Ordinis Bertrandi Tissierii seu Textoris, cum Operibus *Guillelmi de Sancto Theodorico*.

Hæc animadvertenda censui ex attenta ac repetita lectione, in Operibus Hugonis Victorini, quorum editionem corruptissimam atque confusissimam omnium Theologorum video, si Athanasium excipias: ut imposterum infirma cum sanis, dubia cum certis, supposita cum genuinis non misceantur. Nec inde mihi irascantur Victorini Canonici, quod ultra dimidium Hugonem illorum minorem reddam; non enim qui mole majores, insigniores semper sunt Patres ac Theologi. Nullus jam nescit quomodo in ultima editione Operum *Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi*, plus quam media pars Operum, tanquam spuria abjecta sit & projecta foras. Idem in Operibus *Sancti Bernardi Clara Vallis Abbatis* factum, idemque in Operibus *Hugonis Victorini* faciendum restat: ubi dum pretiosum a vili, judicio recto separatum fuerit, velut os Domini *Hugo Victorinus* erit. Hæc omnia dicta sint, absque cujuscunque ulterioris inquisitionis ac sanioris præjudicio. Sic autem Opera in duo vel tria volumina imprimi debent, quorum *primum* Opera certa, *secundum* dubia vel supposita contineat, exclusis iis quæ spectant ad *Hugonem Folietanum*, *Joannem Cornubiensem Robertum Paululum*, vel conjectis in *tertium volumen* cum propriis authorum nominibus.

Decimum septimum. Quod scribit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1120. pag. 656. *scripsisse adhuc Hugonem Sancto Victore, Chronicon ad annum usque 1128. jam deperditum:* quod tamen non tacito Hugonis nomine, passim exscripsit auctor *Magni Cronici Belgici* a Pistorio editi. Ejusdem meminit Matthæus Parisius in Chronico ad hunc annum 1128. in Vita Henrici primi Sed hoc falsum mihi videtur, ac illud Chronicon non spectare ad Hugonem Victorinum, sed *Hugonem a Sancta Maria Monachum Floriacensem*, qui triplex Chronicon scripsit, atque alteri Victorino Synchronus fuit, de quo abunde diximus supra, tum anno 1110. in *Ivone Carnotensi* cui unum ex suis Chronicis nuncupavit: tum anno 1120 in *Hugone a Sancta Maria seu Floriacensi.* Plures autem eadem ætate Hugones fuerunt, quorum Opera omnia Hugoni Victorino attributa sunt. Hæc de Hugone Victorino a me singularius observata sunt, qui autem trivialia ac vulgaria ambit, adeat Sixtum Senensem lib. 4. *Bibliotheca sancta* verbo *Hugo Sancti Victoris.* Antonium Possevinum tomo 1. *Apparatus sacri*, verbo *Hugo a Sancto Victore.* Robertum Bellarminum & Philippum Labbeum *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Guillelmum Cavum in *Historia rei literaria* ad annum 1120. pag. 655. & 656. aliosque innumeros. Qui autem singularia de eodem optat, adeat Henricum Meubomium Juniorem ad calcem Tomi III. *Germanicorum Historicorum* pag. 429. ad 432. ubi latissime de ejus

jus patria loquitur, editionis anni 1688. Helmestadiensis 3. tomis in folio. Godefridum Guillelmum Leibnitium, in Præfatione ad *Chronicon Alberici Monachi* ad se editum Tomo 2. *Accessionum Historicarum*, quas Hanoveræ apud Nicolaum Forsterum anno 1698. in 4. edendas voluit.

1130 ROBERTUS RETENENSIS, natione Anglus, circa annum 1130. celebris, post Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam lustratas, in Syriam tandem transiit, & inter Saracenos ibi agens, linguam Arabicam perfecte didicit. Unde in Hispaniam navigio transvectus, ubi innotuit hominis eruditio, ad Archidiaconatum Pampelonensis Ecclesiæ evectus est, illic anno 1143. mortuus. Roberto Petro Cluniacensi Abbate dum in Hispanicis partibus esset, instantius petente, *Alchoranum Mahometanum in epitomen redegit, atque ex Arabico in Latinum transtulit*, ut Nicolaus Cusanus in Cribratione Alchorani narrat. *Alchoranum* porro Joannes Albertus Widmanstadius Austriæ Cancellarius, mêles Ordinis divi Jacobi & alii multi refutarunt: quorum Opuscula cum *Roberti Retenensis versione & Epitome* anno 1543. Norimbergæ, & 1550 Basileæ, typis edita sunt. Acri hanc *Alchorani interpretationem* Roberti Retenensis censura corripit Daniel Huetius in Opere *De claris interpretibus* pag. 141. his verbis. „Ineptissima est, ut semel dicam hæc Alcorani „interpretatio, sententias misere subveniens, „strigosa adhæc nonnunquam & exilis, in ni„miam statim molem assurgit, ut nemo inde „Alcorani intelligentiam sibi spondere queat. „Id quidem sperare possemus, si integra alte„rius hujus interpretis prodiisset conversio, cu„jus Suratta prior cum Roberti & Hermanni „interpretatione edita est, quæ an Joannis Se„gobiensis, alterius ne sit, aliorum esto judicium.„ Extant istæ *Roberti Retenensis* interpretationes *Alchorani* ad instantiam Abbatis Cluniacensis circa annum 1140. factæ, Manuscriptæ cum *Chronica Saracenorum ejusdem Roberti Retenensis*, in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4722. ordine isto.

Prologus generalis De rebus Mahumetanis hoc Codice contentis, *In hoc meo libro continetur* &c.

Prologus Roberti Retenensis ad Dominum Petrum Abbatem &c. *Cum jubeor* &c.

Chronica Saracenorum &c. *Generatio Mahometis* &c.

Ejusdem Roberti Epistola ad Petrum Abbatem Cluniacensem, de sua *Interpretatione Alchorani* quæ incipit, *Domino suo divino instinctu* &c. pag. 14. sequitur Alchoranus per Azoara seu Capita 122. ibidem.

Epistola Saraceni Christianum invitantis ad suam sectam. *In nomine Dei misericordis* &c. pag. 83.

Responsio Christiani, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* &c.

Epistola Petri venerabilis Abbatis Cluniacensis ad Bernardum Abbatem de impia secta Saracenorum, *Singulari veneratione* &c. *Mitto tibi charissime* &c. pag. 105.

Schola Mahometis cujus prologus, *Hic incipit* &c. Schola autem, *Sicut omnes de quatuor mundi partibus* &c. pag. 105. & sequentibus. Alius Codex MS. in celebri Bibliotheca.

Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis, Littera GGG. 14. a fol. 155. usque ad finem, continens eadem Opera, quæ Codex Regius supra allatus. Item Codice 5202. ejusdem Bibliothecæ Regiæ *Vita, Doctrina & Miracula mendosa Mahometi*, in cujus fine Codicis hæc leguntur: *Hunc librum fecit Dominus Petrus Cluniacensis Abbas transferri de Arabico in Latinum a Petro Magistro Toletano, juvante Petro Monacho scriptore: cum esset idem Dominus ac venerabilis Abbas in Hispaniis constitutus, cum Glorioso Imperatore Adefonso, eo anno quo idem gloriosus Imperator Choriam Civitatem cepit, & Saracenos inde fugavit.* Idem MSS. inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ num. 3419. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni Codice 31. Et Oxoni in Collegio Corporis Christi Codice 184. Agunt de *Roberto Retenensi* Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 373. pag. 252. Philippus Labbeus tomo 2. Dissertationes *De Scriptoribus iisdem*, verbo *Petrus Cluniacensis*.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS PETRI ABAELARDI.

1130 PETRUS ABAELARDUS, oppido quodam quod in ingressu Minoris Britanniæ positum, ab urbe Nannetica versus Orientem, octo circiter milliariis remotum, *Palatium* appellatur, oriundus, ex parentibus piis, Berengario atque Lucia. Pater militari cingulo insignitus & in litterarum studia nihilominus propensus, filios ante litteris, quam armis instrui curavit.

CAPUT PRIMUM.
DE VITA PETRI ABAELARDI.

PEtrus *Abaelardus* ingenio ad litteras facili præditus, militaris gloriæ pompam cum hæreditate primogenitis fratribus derelinquens, Martem abdicavit, ut Minervæ gremio educaretur. Ut humanis philosophicisque informaretur disciplinis, Parisios urbem Galliarum am-

amplissimam ac ob studia litterarum celeberrimam concessit, ubi Guillelmi Campellensis, Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconi, peripateticæ Philosophiæ professoris auditor fuit. Ipsi primum gratus, postea vero ob disputandi vim, qua illum sæpe in Scholis superare videbatur, gravis admodum fuit. In Theologicis Magistrum habuit Anselmum Laudunensis Ecclesiæ Decanum, ubi condiscipulos habuit Albericum Remensem & Lothulfum Lombardum æmulos ipsius gloriæ & famæ perpetuos obtrectatores. Lauduno Parisios reversus non multo post, ex auditore scholæ magister evasit, adhuc adolescens Abaëlardus. Inter docendum incidit in amores Heloissæ ut ipse testatur in *Historia calamitatum suarum* capp. 6. & 7. pag. 10. lectissimæ puellæ Fulberti Parisiensis Canonici neptis, ex qua furtivo concubitu filium quendam cognomento Petrum Astrolabium suscepit. Quanta ab furtivum neptis recessum & ereptum pudorem, exarserit in Abaëlardum ira Fulbertus Canonicus, excogitare facile est: quem placare non potuit, nisi ex amica uxorem sibi faceret. Duxit ergo Heloissam in matrimonium Abaëlardus, quæ tamen uxorem se Abaëlardi, ne fortunæ ejus officeret, palam negabat, quod non modicum Fulberto Avunculo dolorem ingerebat. Cum ergo inclusa apud Argentolium Heloissa cum Monialibus, incautus & solus dormiret in ædibus Fulberti Canonici exasperati Abaëlardus, ab Heloissæ consanguineis repente noctu in cubiculum cubileque irrumpentibus, virilibus exsectus est. Hic ob inflicti vulneris infamiam, pudore suffusus potius quam devotione excitatus, ut ipse testatur, ad Monasticorum latibula claustrorum secessit, atque in Abbatia Sancti Dionysii Monasticum habitum suscepit: Heloissa vero induit benedictum ab Episcopo velum in Monasterio Argenteolensi, in quo Priorissa postmodum fuit.

Gravissimas autem a falsis fratribus & ab æmulis Alberico ac Lothulfo, persecutiones passus est Abaëlardus, quas luctuoso stylo in Historia calamitatum suarum exponit. Hoc enim circiter tempore circa annum 1118. vel 1119. livore tabescentes ob famam quam pepererat *Magistro Petro* Liber *De Theologia* ab ipso compositus, eum ubique velut Hæreticum & trium Deorum assertorem infamarunt. Qui rumor de ipso longe lateque sparsus, Conciliis in illum congregatis occasionem dedit. Infensos etiam habuit Sancti Dionysii Monachos, quod secularem ipsorum vitam, moresque irreligiosos liberius argueret. Ipsorum magis inflammavit invidiam vindicata in privato colloquio Venerabilis Bedæ sententia, qua asseruit *Dionysium Areopagitam* Corinthiorum potius, quam Atheniensium fuisse Episcopum. Ex qua consequens videbatur, Dionysium Galliarum dictum Apostolum, Areopagitam non esse, quem Atheniensium Episcopum ejus Acta testantur. Hinc gravis in Abaëlardum tumultus, hinc Sancti Dionysii Monasterii, imo Regni Franciæ hostis a Monachis elata voce conclamabatur: quod ei honorem auferret, quo singulariter gloriabatur, *De Apostolatu S. Dionysii Areopagitæ*. Ille adversus cacozelosos Monachos contentionem excusat, Areopagitam se minime inficiatum profitetur: disciplinam regularem, si quid deliquerit, sibi imponi frustra rogat. Abbas senioribus congregatis, etsi vir nullius observantiæ atque tepidissimi animi, comminatur (quasi de summa Christianæ fidei agatur) se ad Regem quantocius missurum, qui de ipso vindictam sumat, tanquam Regni sui gloriam & coronam ei auferente. Ita solent Monachi ex nugis, imo ex fabulis, portentosa accusationum monstra apud Reges rerum sæpius ignaros, componere. Et interim Abbas Adamus *Magistrum Petrum* diligenter observari jubet, donec illum Regi tradat. Hinc sibi fuga consulit Abaëlardus, ac in ditionem Comitis *Theobaldi* se recipiens apud castrum Pruvini moratur, in cella quadam Monachorum Trecensium. Hinc magni in eum clamores excitati, nec unum ipsi hæreseos impactum crimen. Petrum Abaëlardum ad Ecclesiæ tribunal, ut multiplicis erroris contra Catholicam fidem rerum, ejusdem æmuli Albericus & Lothulfus detulerunt, Scholarum Remensium Regentes: qui Radulphum ejusdem urbis Archiepiscopum adversus ipsius novitates impulere. Qui re cum Canone Prænestino Episcopo sedis Apostolicæ in Galliis Legato communicata, Suessione Concilium anno 1121. ad cognitionem causæ convocari curavit. Abaëlardus indicta dies, jussumque ipsi, ut suum *De Trinitate* seu *De Theologia* librum, qui offensionis materia erat, Synodo exhiberet. Adiit coram Legato Apostolico Abaëlardus, ipsique librum examinandum & dijudicandum tradidit, ad correctionem vel satisfactionem se paratissimum professus, si quid a fide Catholica devium scripsisset. Favit ipsi Gaufridus Carnotensis Episcopus, instititque plurimum, ut scriptis ejus prolatis interrogaretur, ac libera facultas ipsi concederetur respondendi, ne vir ingenii & doctrinæ fama celebris, præjudicio oppressus videretur. Suasit deinde, ut ad Abbatiam Sancti Dionysii remitteretur, ibique majore Præsulum & eruditorum virorum cœtu congregato, caussa discuteretur. Sed Sanioris Consilii visum est, ut homini Dialectico & Sophismatibus instructo, cæterum novatori, & erroris multiplicis ex libro suo satis convicto, silentium imponeretur: fideique professionem edere, ac librum palam comburere cogeretur, quod ex sententia Synodi factum est. Post aliquas cum æmulis suis disceptationes, vocatus ad Concilium Abaëlardus, Decreto Patrum librum flammis tradere, ac fidem suam coram omnibus exponere compulsus est. Cumque propriis verbis profiteri vellet, Patres jussere *ut Symbolum S. Athanasii* ex

ex scripto recitaret: quo magis hominis novatoris, in Dialectica nimium confidentis, superbiam retunderent. Mox Abbati Sancti Medardi traditus est, ejus claustro, velut carcere concludendus. Inde tamen post eductum, Legatus Apostolicus ad Sandionysianum Cœnobium remisit. Hujus Concilii historiam didicimus ex S. Bernardo in Epistola ad Ivonem Cardinalem 193. ex Ottone Frisingensi Lib. I. *De rebus gestis Friderici* cap. 47. & uberrime ex Epistola ipsius Abaëlardi ad amicum *De Calamitatibus suis* cap. 10. quanquam testis in propria caussa plurimum suspectus sit. Satis fuisse visum Concilio ad libri damnationem, quod Romani Pontificis & Ecclesiæ authoritate nequaquam approbatus, in publicam emissus esset, ex ipsius Abaëlardi testimonio colligitur. *Dicebant*, inquit, *ad damnationem Libelli satis hoc esse debere, quod nec Romani Pontificis nec Ecclesiæ authoritate commendatum legere publice præsumpseram, atque ad transcribendum jam pluribus eum ipse præstitissem. Perutile futurum fidei Christianæ, si exemplo mei multorum præsumptio præveniretur.*

Reversus ad Sancti Dionysii Abbatiam, inde secedendi in aliquam solitudinem, ubi Monastice viveret, obtenta ob Abbate Sandionysiano licentia, de consensu Christianissimi Regis, ad amænissimam Trecensis Episcopatus solitudinem se contulit, ibique liberaliter concessa sibi a quibusdam terra, annuente Trecensi Episcopo, *Oratorium* in nomine Sanctæ Trinitatis, ex calamis primum & culmo construxit. Quod ubi scholastici cognovissent, undique ad eum concurrere cœperunt, & relictis Civitatibus & Castellis solitudinem inhabitare, pro domibus sibi construere tuguriola; pro delicatis cibis, herbis agrestibus & pane triviali victitare; pro mollibus stratis, culmum sibi & stramen comparare; pro mensis denique Glebas supponere. Cum vero ingentem eorum copiam dictum Oratorium capere non posset, illud amplificarunt, atque ex lapidibus & lignis construentes, meliorem in formam redegerunt.

E Paracletensi Oratorio ad Abbatiam Sancti Gildasii Rivensis in Diœcesi Venetensi Britanniæ Minoris, concordi fratrum electione assumptus, multos in Præfectura illa Monastica labores, multa pericula passus est. Maxime augebatur vir pius, certus quod si Monachos indisciplinatos ad regularem vitam cogere tentaret, securus vivere non posset: si autem id pro viribus non ageret, damnationis æternæ (ut ipse ait) subiret periculum. Præter hoc, ipsi imminebat continua vexatio a Principe, seu potius Tyranniculo illius regionis, qui ex dissolutione Monachorum occasionem nactus, omnia loca Monasterio adjacentia in proprios usus redegerat, ac gravioribus exactionibus ipsos Monachos, quam tributarios Judæos exagitabat. Porro quanta sit ab effrænatis Monachis perpessus Abaëlardus, quotiens veneno etiam in sacrum calicem injecto, & in ipso Altaris sacrificio impetitus, quotiens gladio minaci perterritus, nemo facile credet, nisi qui ejus querimonias audierit in priori ad Amicum Epistola cap. 13. ubi post multa, hæc scribit. Quotidie quasi cervici meæ gladium imminentem suspicio, ut inter epulas vix respirem: sicut de illo legitur, qui cum Dionysii tyranni putentiam atque opes conquisitas maximæ imputaret beatitudini: filio latente appensum super se gladium respiciens, quæ terrenam potentiam felicitas consequatur, edoctus est. Quod nunc quoque ipse de paupere Monacho in Abbatem promotus incessanter experior, tanto scilicet miserior, quanto ditior effectus: ut nostro quoque exemplo, eorum qui id sponte appetant, ambitio refrænetur. Denique detractum linguis Abaëlardus vexatus est. Cum enim ad Paracletense Monasterium, quod carissimæ suæ Heloissæ linquens concesserat, identidem reverteretur, ipsam ejusque sorores consiliis suis adjuturus: istud crimini ipsi vertebant obtrectatores pessimi, qui pristinæ voluptatis desiderio carnalique amori tribuebant, quod ex solius impulsu charitatis factitabat. Qua de re graviter conqueritur sub finem prioris Epistolæ ad Amicum, ubi & maximam se consolationem percepisse significat ex illis S. Hieronymi verbis ad Asellam Epistola XCIX. scribentis. *Nihil mihi objicitur nisi sexus meus, & hoc nunquam objiceretur, nisi cum Hierosolymam Paula proficiscitur. Antequam domum Sanctæ Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant, omnium pene judicio, dignus summo Sacerdotio decernebar. Sed scio per bonam & malam famam pervenire ad regna Cælorum.* Ista discimus ex ipso Abaëlardo in Epistola *Historica de Calamitatibus suis* ad amicum.

Deserto itaque Abbatiæ Sancti Gildasii regimine, in quemnam locum sese receperit, non satis constat: sed ubicunque Locorum Abaëlardus extitit, ubique in eum excitata invidiæ procella, hominem miris attrivit impressionibus. Sunt qui putant Abaëlardum ita extorrem & expulsum, sub extrema vitæ tempora scholas resumpsisse Lutetiæ: cujus rei fidem facere videtur Joannes Sarisberiensis, qui adito anno 1136. gymnasio Parisiensi, ait se contulisse *ad Peripateticum Palatinum*, quo nomine *Petrum Abaelardum* indigitari arbitrantur, imo ferme constat ex MSS. Codicibus Victorinis & aliis, quos statim verbotenus asseremus. Denique diserte sic eum appellat Sarisberiensis Libro 2. *Metalogici* cap. 17. ubi de *Universalibus Logicis* verba faciens, *In hac opinione*, inquit, *deprehensus est Peripateticus Palatinus Abaëlardus noster, qui multos reliquit & adhuc quidem alios habet hujus professionis sectatores & testes* Nullibi tamen ipse scribit, se repetiisse post Paracletum, scholas Parisienses. Sed ut ut sit, varias tandem ille calamitates perpessus, in Senonensi demum Concilio anno 1140. pro hæretico habitus est. Hoc

Hoc fane vulnus ab Bernardo contra Petrum Abaëlardum renovatum non esset, nisi scholas iterum apertas tunc habuisset: quod insinuare videtur Petrus Abbas Cluniacensis in Epistola sua ad Innocentium II. Romanum Pontificem, inquiens Petrum Abaëlardum *Scholas & studia reliquisse*, dum ad Cluniacense Monasterium illic mansurus secessit: unde concludo ante istud tempus, scholas usque ad annum illum 1140. habuisse apertas, quæ iteratæ in eum commotionis occasionem Bernardo Claræ Vallis Abbati dederint. *Interim a nobis admonitus, magis autem a Deo ut credimus inspiratus, dimissis scholarum & studiorum tumultibus, in Cluniaco vestro sibi perpetuam mansionem elegit.*

Cum ergo relicta Britannia scholas iterum Petrus Abaëlardus aperuisset, iterum contra se tempestatem non modicam Ordinum novorum quibus infensus erat, excitavit: Cisterciensium dico ac Præmonstratensium, quos in publicis Scholis irridebat subsannabatque. Extincto igitur Petri Leonis Schismate, anno 1140. urgente potissimum Bernardo Claræ Vallis Abbate, Concilium Senonis celebratum est in caussa Petri Abaëlardi, qui coram Archiepiscopo Senonensi ab adversariis suis conventus, ac velut hæreseon assertor passim diffamatus, ipsum rogavit ut suam exponeret doctrinam, & ab hostium calumniis & objectionibus vindicare in publico consessu sibi liceret. Ad Synodum Bernardus Abbas Claræ Vallensis invitatus accessit, ut Abaëlardi errores confutaret. Statuta die adfuere præsulus & viri Ordinum omnium eruditi, celeberrimique congressus testis futurus Ludovicus VII. Christianissimus Rex. Abaëlardo stante coram Synodo, prolata sunt Capitula ex ipsius libris excerpta: quæ dum legerentur. Concilio se subduxisse dicitur, Romanum Pontificem appellans: quod incredibile videtur. Seditionis popularis metu ipsum appellasse scribit Otto Frisingensis, quod nequaquam verisimile est: cum Rege Galliarum, Theobaldo Comite, plurimisque viris Nobilibus præsentibus, nihil esset a populo metuendum. Ob sedis Apostolicæ reverentiam, Abaëlardus Pontificis Maximi judicio reservatus est, nihilque in ejus personam a Patribus statutum fuit. Verum appellatione non obstante, prava ab ipsis putata illius dogmata damnarunt, qui de umnibus relationem ad Innocentium II. miserunt, ipsum urgentes ut pro sui Primatus officio, errores pariter damnaret, atque confirmata Synodi sententia novatotem hominem coerceret. Ista constant ex Gaufrido Claræ Vallensi Monacho in Vitas. Bernardi Lib. 3. cap. 5. & ex Ottone Frisingensi Lib. 1. *De gestis Friderici Imperatoris* cap. 48. ubi etiam exhibet Epistolam Samsonis Remensis Archiepiscopi, Josselini Suessionensis, Gaufredi Catalaunensis & Alvisi Attrebatensis Episcoporum ad Innocentium II. quæ brevem Caussæ Abaëlardi expositionem & Synodi gesta complectitur, in qua inquiunt. Petrus Abaëlardus Christianæ fidei meritum" evacuare nititur, dum totum quod Deus est," humana ratione arbitratur se posse comprehendere. Ascendit usque ad coelos, & descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat" eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis," disputans de fide contra fidem, ambulans in" magnis & mirabilibus super se, scrutator Majestatis, hæresum fabricator. Jam dudum" fecerat Librum *De Sancta Trinitate*, sed sub Legato Romanæ Ecclesiæ igne examinatus est," quia inventa est in eo iniquitas. Maledictus" qui reædificat ruinas Jerico. Surrexit a mortuis Liber ille, & cum eo multorum hæreses" quæ dormierant, surrexerunt & apparuerunt" multis. Denique jam extendit palmites suos" usque ad mare, & usque ad Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod" liber suus in Curia Romana, habet ubi caput" suum reclinet: hinc confortatus & confirmatus est error illius. Proinde cum fiducia prædicat verbum iniquitatis, usquequaque. Propterea cum in conspectu Episcoporum super" his eum argueret Abbas Claræ Vallensis, zelo justitiæ & fidei armatus: ille nec confusus" est nec negavit, sed a die, a loco & judice" quem ipse sibi elegerat, sine læsione, sine gravamine, ut prolongaret iniquitatem, Sedem" Apostolicam appellavit. Episcopi qui propter" hoc in unum convenerant, vestræ Reverentiæ deferentes, nihil in personam ejus egerunt: sed tantummodo Capitula a Sanctis olim Patribus condemnata, medicinali necessitate, ne morbus superet, abjudicaverunt." Quia ergo homo ille multitudinem trahit" post se, & populum habet qui sibi credat, necesse est ut huic morbo celeri medicina occurratis &c. Processimus nos in hoc negotio," quousque ausi sumus. Tuum Beatissime Pater est de cætero providere, ne aliqua pravitatis hæreticæ macula decor Ecclesiæ contaminetur. Tibi commissa est Sponsa Christi," o amice sponsi! Tuum est eandem uni viro" Virginem castam exhibere Christo." Quam a Bernardo Abaëlardi adversario scriptam esse Epistolam, stylus loquitur.

Damnatus iterum anno 1140. in Concilio Senonensi Petrus Abaëlardus, appellatione ad Sedem Apostolicam interposita, Romam profecturus per Cluniacum transiit, ubi tum fortuito Abbas Cisterciensis cum Petro Venerabili advenit. Illic ergo de pace inter Bernardum Abbatem Claræ Vallis ac Petrum Abaëlardum actum est procuranda, qua mediante" omnis impacta Abaëlardo hæresis nullo negotio dilueretur: ambabus partibus ex odio & simultate privata potius, quam ob fidei commoda pugnantibus. His ergo urgentibus arbitris, Petrus in concordiam cum Bernardo rediit, qui quamvis semel atque iterum in Conciliis hære-

hæreſeos damnatus, hilari tamen animo ac lubenti in Cluniacenſe Cœnobium admiſſus ad ſocietatem eſt. Hujus rei teſtem Petrum ipſum Cluniacenſem Abbatem in Epiſtola ad Innocentium II. pro Petro Abaelardo refero, cujus hic tenor eſt. „Magiſter Petrus, ſapi-„entiæ veſtræ ut credo optime notus, nuper à „Francia veniens, per Cluniacum tranſitum fe-„cit. Quæſivimus quo tenderet, gravatum „ſe vexationibus quorundam, qui ſibi quod val-„de abhorrebat, Hæretici nomen imponebant, „Majeſtatem Apoſtolicam ſe appellaſſe, & ad „eam confugere velle, reſpondit. Laudavi-„mus propoſitum, & ut ad notum & commune „refugium confugeret, admonuimus. Juſti-„tiam Apoſtolicam, quæ nulli etiam extraneo „vel peregrino defuit, ſibi non defuturam „diximus: miſericordiam ipſam, ubi ratio po-„ſtularet, ſibi occurſuram promiſimus. Venit „interim Dominus Ciſtercienſis Abbas, & de „pace ipſius & Domini Claræ Vallenſis, cujus „cauſſa appellaverat, nobiſcum & cum ipſo pa-„riter egit. Dedimus & nos operam paci ejus, „& ut ad illum cum ipſo iret, hortati ſumus. „Addidimus hoc monitis noſtris, ſi qua Catho-„licas aures offendentia aut ſcripſiſſet aut dixiſ-„ſet: hortatu ejus & aliorum bonorum & ſapi-„entum, & a verbis ſuis amoveret, & a libris „abraderet. Et factum eſt ita. Ivit, rediit, „cum Domino Claræ Vallenſi, mediante Ciſter-„cienſi, ſopitis prioribus querelis, ſe pacifice „conveniſſe, reverſus retulit. Interim a nobis „admonitus, magis autem a Deo ut credimus „inſpiratus, dimiſſis ſcholarum & ſtudiorum „tumultibus, in Cluniaco veſtra ſibi perpetu-„am manſionem elegit. Quod nos ſenectuti „ejus, debilitati ejus, religioni ejus congruere „putantes: & ſcientiam ejus vobis ex toto non „incognitam, magnæ fratrum noſtrorum mul-„titudini proficere poſſe credentes, voluntati „ejus aſſenſimus: & ſi ſic benignitati veſtræ be-„neplacitum eſſet, benigne & cum gaudio no-„biſcum veſtris, ut noſtis, per omnia remane-„re conceſſimus. Rogo igitur ego qualiſcun-„que, tamen veſter, rogat devotiſſimus vobis „Cluniacenſis Conventus, rogat ipſe per ſe, „per nos, per præſentium latores, filios veſtros: „per has quas ut ſcriberem rogavit, Epiſtolas: „ut reliquos dies vitæ & ſenectutis ſuæ, qui for-„taſſe non multi ſunt, in Cluniaco veſtra eum „conſummare jubeatis: & ne a domo quam vel-„ut paſſer, ne a nido quem velut turtur, in-„veniſſe ſe gaudet, aliquorum inſtantia aut ex-„pelli aut amoveri valeat: more quo omnes „bonos colitis, & etiam iſtum dilexiſtis, ſcuto „defenſionis Apoſtolicæ protegatis.

Appellatus ſuæ ætatis Dialecticus, ob eximiam differendi induſtriam, qua plurimum in Diſputationibus voluit. Accuſatus a Sancto Bernardo errorum multorum, quos nunquam ab ipſo probatos fuiſſe, hodie multi temporum noſtrorum rationibus hinc atque inde penſatis, cenſent & affirmant, qua de re quippiam ſtatuere noſtri non eſt inſtituti. Vltro citroque ab authoribus ſui temporis accuſatus & abſolutus, damnatus & laudatus, pro variis partium ſtudiis.

CAPVT SECVNDVM.

DE OPERIBVS TAM IMPRESSIS QVAM MANVSCRIPTIS, VDHVC EXTANTIBVS, PETRI ABAELARDI.

Opera Petri Abaelardi & Heloiſſæ ejus uxoris lectu digniſſima, Pariſiis in 4. anno 1616. impreſſa ſunt, iſto ordine, *Epiſtola ad Heloiſſam IV.* quæ Tractatus potius quam Epiſtolæ cenſeri poſſunt. In penultima de *Origine ſanctimonialium & religionis Monaſtica* erudite agit, in ultima *Inſtitutionem ſeu Regulam Heloiſa & Sanctimonialibus Paracleticis* tradit.

Epiſtolæ aliæ ad diverſos ſeptem.

Epiſtola ad Amicum, ſeu *Hiſtoria calamitatum ſuarum*, quam eruditis notis illuſtravit Andreas Ducheſnius.

Apologia ſeu *Confeſſio fidei*, quam refert quoque *Bibliotheca Scriptorum*, ſeu *Patrum Ciſtercienſis Ordinis*, Bertrandi Tiſſerii tomo 4. pag. 254. inter Opera *Guillelmi de Sancto Theodorico*.

Expoſitio Orationis Dominicæ.

Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum.

Expoſitio in Symbolum Sancti Athanaſii.

Solutionum ad Problemata liber 1. Heloiſſæ nuncupatus.

Adverſus Hæreſes Liber.

Commentariorum in Epiſtolam ad Romanos libri V.

Sermones XXXII. in feſtis per annum legendi.

Ad Heloiſam ejusque Virgines Paracletenſes.

Introductionis ad Theologiam libri III. quorum tertius imperfectus in editis eſt. Sive ut ipſe Epiſtola 21. ad Gaufridum Pariſienſem pag. 334. appellat, *Opuſculum de fide Sancta Trinitatis*, quod plurimos ipſi hoſtes peperit, contra quod debacchatur Bernardus Abbas. Hoc tamen Opus frequenti manu tractare ſolebat ac pene ſemper ante oculos ſuos habuit Magiſter Sententiarum Petrus Lombardus, dum *ſententiarum libros* ſcriberet, fatente Joanne Cornubienſi, ipſius Lombardi diſcipulo, apud Andream Ducheſnium in Notis ad Abaelardum pag. 1159. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 8615. in Adverſariis Langbaini Codice 2. num. 6. *Petri Abailardi Introductionis ad Theologiam Libri tertii ſupplementum* pag. 148. Num. 7. *fragmentum libri ſecundi Æthica Petri Abbailardi* pag. 180. Num. 8. *Excerptum ex ejusdem Abailardi Collationibus* pag. 182. ad 213. Num. 10. *Ex quibusdam Petri Abailardi MSS. in bibliotheca Baholenſi* pag. 247. Hæc ad Operum Abalardi complementum.

Scripſit & *Commentarium quendam in Ezechielem Prophetam*, Lauduni dum Anſelmu audiret inceptum, ac poſtea Pariſiis ubi ſcholas illic aperuiſſet, completum: de quo loquitur ipſe

ut opinor Abaëlardus Epiſtola ſua prima ad Amicum, quæ *De calamitatibus ſuis* eſt.

Idem ſcripſit *Librum ſententiarum*, & alium inſcriptum *Noſce teipſum* quem Ethicam ſuam appellat, de quibus poſtremis loquitur Sanctus Bernardus in Epiſtolis ſuis & Petrus ipſe in *Apologia ſua*. Opus iſtud *ſententiarum* Petri Abaëlardi in veteribus Manuſcriptis communiter ioſcribitur *ſic & non*, eo quod apparentes Scripturæ contradictiones conciliet: atque ita MS. extat in Bibliotheca publica Cantabrigiæ, Cod. 168. num. 8. Et in Collegio Sancti Benedicti ibidem, Codice 391. Hos quoque Manuſcriptos, cum *Commentario in Geneſim Heloiſſæ ſuæ nuncupato*, aſſervat Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, ex Joanne Mabillon, in editione ſua Operum divi Bernardi, dum Notas Epiſtolæ 188. adjicit. Et quidem *Tractatus* prolixus *Sententiarum Petri Abaëlardi* qui *ſic & non* dicitur, & apparentes locorum ſacræ Scripturæ pugnas conciliat, habetur illic Littera E. I. incipiens, *cum in tanta verborum multitudine* &c. *Hexhameron* autem *Petri Abaëlardi*, extrema ſui parte mutilum, habetur in dicta Sancti Michaelis Bibliotheca, una cum Alano *De arte prædicandi*, Littera M. I. Incipit, *Tria ſumuntur in Veteri Teſtamento loca* &c. Ejuſdem Petri Abaelardi *Expoſitio ſuper Epiſtolas Pauli & ſuper Pſalterium*, MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 4234. Hæc de Theologicis, quantum autem ad Philoſophicos Tractatus, Franciſcus de Amboſia Conſiliarios Regius, qui ejus Opera inquiſivit & evulgavit, *Logicam ejuſdem Petri*, quam apud ſe Manuſcriptam habebat, in publicam lucem dare promiſerat: quod an præſtiterit dubium mihi eſt, quippe cum de illa nihil unqoam, inquiſitione etiam facta, audiverim.

Multa autem Theologica ſcripſiſſe Petrum Abailardum, qui & in MSS. Codicibus *Petrus* quoque *Peripateticus* dicitur, conſtat, ex quibus opuſcula etiam ſingularia MSS. in Anglicis bibliothecis latent.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 8622. in MSS. Codicibus D. Antonii à Wood Codice 9. *Verſus Petri Abailardi ad Aſtralabium filium*. Et in Cottoniana bibliotheca ſub effigie Vitellii litera C. Codice 8 num. 3. *Verſus elegiaci Petri Abaëlardi ad Aſtralabium filium ſuum, De moribus & vita pia ac proba.*

Inter MSS. Codices Univerſitatis Oxonienſis Num. 458. in MSS. Codicibus Collegii Balioh nſis R. 5. *Petri Abaëlardi Theologia libri tres* quorum *Tertius* integer eſt, non ut in impreſſis, mutilos & imperfectus. *Ethica liber unus. Commentarius in Epiſtolam ad Romanos. Collationes duæ, Prima Collatio Philoſophi cum Judæo, ſecunda Collatio Philoſophi cum Chriſtiano.* Ibidem Num. 2392. in Codicibus MSS. Thomæ Barlovii in Collegio Reginenſi Codice 20. *Petri Abailardi Collationes duæ. 1. Philoſophi cum Judæo, 2. Philoſophi cum Chriſtiano.* Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 6086. & 6087. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codicibus 252. & 253. *Petri Abelardi Collationes; Petri Abelardi Ethica*, rata ſcripta, nunquam impreſſa. Et ibidem num. 8206. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 484 *Petri Abaelardi* ſic & non, deeſt autem *Sic* initium. *Ejuſdem Dialogus inter Chriſtianum & Philoſophum*, cujus initium deeſt. Ibidem num. 8207. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ 485. *Ejuſdem Elucidarius* in 8. Inter MSS. Codices Eccleſiarum earundem num. 42 in MSS. Codicibus Eccleſiæ Sancti Petri Metropolitanæ Eboracenſis Codice 41. num. 10. *Petrus Abailardus De vera eſſentia Dei & de fide Catholica.* Num. 11. *Petrus Peripateticus de Sacramento Altaris.* Ibidem num 6434. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Codice 64. *Capitula Petri Abaëlardi & Epiſtola ejus.* Idem num. 6954. in MSS. Codicibus Henrici Langley Equitis Codice 1. *Petri Abaëlardi Doctrina* in fol. Denique in Cottoniana bibliotheca ſub effigie, Othonis litera C. Codice 14. num. 15. Epiſtola Bernardi Abbatis Clarevallenſis ad Innocentium Papam de hæreſibus Magiſtri Petri Abaelardi. Num. 16. Ejuſdem Epiſtola de eodem ad Cardinales. Num. 17. *Reſponſio Petri Abaëlardi contra calumnias objectorum articulorum.* Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum Celebrium bibliothecarum, num. 8670. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 948. *Petri Abaëlardi Scholarius.* Relinquimus autem Anglis inquirendum, quid titulis talibus deſignetur.

De Philoſophicis jam Petri Abaëlardi loquamur, quæ adhuc omnia reſtant & viſa à nobis ſunt Manuſcripta in Bibliothecis Pariſienſibus. Nam in Victorina Canonicorum Regularium divi Auguſtini, Codex eximius notatus M.M.M. 6. ubi omnia ferè Philoſophica *Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici*. In hoc itaque MS. Codice *Logicalia dicti Abaëlardi* ordine iſto procedunt.

Super prædicamentis Ariſtotelis fol. 117. Commentarius incipit, *unum verò univerſaliter in generibus ſubſtantiarum accipiendum eſt &c.*

Ejuſdem *De modis ſignificandi* fol. 127. *Evolutus ſuperiùs textus ad diſcretionem ſignificationis nominum & rerum, naturas quæ vocibus deſignantur, diligenter ſecundum diſtinctionem decem prædicamentorum aperuit &c.*

Ibidem fol. 132. *Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici* Analyticorum priorum liber primus. Incipit, *juſta & debita ſerie textus exigente, poſt tractatum ſingularum dictionum &c.*

Fol. 137. Explicit liber primus, incipit ſecundus eorumdem, hoc eſt Categoricorum. *Categoricarum igitur propoſitionum partibus ſeu membris quibus ipſæ componuntur, diligenter pertractatis &c.*

Fol. 143. Explicit ſecundus, incipit Tertius.

Qua-

Quoniam autem propositionum naturas, in his enunciationibus ostendimus &c.

Fol. 149. *Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici* Topicorum primus. *Sicut ante Categoricorum Syllogismorum constitutionem, ipsorum materiam in Categoricis propositionibus oportuit præparari &c.*

Fol. 183. *Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici Topicorum liber explicit.* Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici Analyticorum posteriorum primus. *Novam accusationis calumniam adversum me de Arte Dialectica scriptitantem, æmuli mei novissimè excogitaverunt, affirmantes quidem de his quæ ad fidem non pertinent, Christiano tractare non licere &c.*

Fol. 187. Explicit primus Hypotheticorum, incipit secundus. *Omnium autem hypotheticarum propositionum naturâ diligenter pertractata, ad earum Syllogismos discedamus &c.*

Fol. 191. *Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici Analyticorum posteriorum secundus liber explicit.* Petri Abaëlardi Palatini Peripatetici De divisionibus. *Dividendi seu diffiniendi peritiam non solum ipsa doctrina necessitas commendat.*

Fol. 199. Ejusdem De diffinitionibus. *Hactenus quidem de divisionibus tractatum habuimus, de quibus satis est disputasse: nunc verò consequens est ut ad definitiones nos convertamus, quia sicut dictum est, ex divisionibus nascuntur.*

In Bibliotheca Regia Codice MS. 5491. fol. 168. *Petri Abaëlardi super Topica Glossæ incipiunt.* Sic autem, *Topicorum intentio est sicut Boetius in consequentibus dicturus est, vim similium argumentorum, id est, probabilium copiam demonstrare &c.*

In Bibliotheca Floriacensi Littera A. 4. extat *Logica Petri Abaëlardi*, una cum Logica Rabani.

In Bibliotheca sancti Germani de Pratis, Codice 635. *Petri Abaëlardi divini Peripatetici Dialectica.* Paucis autem post titulum carie exesis, *intentio de propositione Categorica una apta Categorico Syllogismo regulari &c.* qui fortsitan Codex cum aliis convenit, nec enim excutere & cum aliis conferre, otium datum est.

In Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, littera P. H. 12. *Petri Abaëlardi tractatus de intellectibus.* Incipit, *De Speculationibus itaque &c.* qui in fine mutilus est.

CAPUT TERTIUM.

RELIQUA PETRI ABAELARDI, USQUE AD MORTEM, EJUSQUE EPITAPHIA.

NEscius ergo quo se verteret, Cluniaci refugium apud Petrum Venerabilem inveniens, illic biennio post, Monachus Cluniacensis factus obiit in Prioratu Sancti Marcelli prope Cabilonem dicti Ordinis, anno 1142. die 21. Aprilis, ætatis 63. Heloissa verò ejus olim amica ac postmodum uxor, ad conversionem post Pe-

trum veniens, & Abbatissa Paracleti in Episcopatu Tricassino constituta, anno 1163. die 17. Maji mortua est. Sanctæ ipsius Petri vitæ & obitus testem habemus omni exceptione majorem Petrum Venerabilem cognominatum, Abbatem Cluniacensem, in Epistola ad Heloissam Paracletensem Abbatissam, in qua postquam *ipsum verè Christi Philosophum* prædicat & extollit, ista subdit. „Non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu & gestu similem, in tantum ut nec Germanus abjectior, nec ipse Martinus bene discernenti pauperior appareret. Cumque in magno illo fratrum nostrorum grege, me compellente, gradum superiorem teneret, ultimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpe, & in processionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, pene stupebam, tanti tamque famosi nominis hominem sic seipsum contemnere, sic se abjicere posse. Et quia sicut quidam religionis professores, qui ipsum quem gerunt habitum religiosum, nimis cupiunt esse sumptuosum: erat ille prorsus parens in istis, & cujuscunque generis simplici veste contentus, nihil ultrà quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni curâ corporis sui servabat. Et non dico superflua, sed & cuncta nisi valde necessaria, tam in se, quàm in omnibus, verbo pariter & vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, juge silentium, nisi aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in Conventu de Divinis sermo publicus, eum loqui urgebant. Sacramenta Cœlestia immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat: Imò postquam litteris & labore meo Apostolicæ gratiæ redditus est, penè continuabat. Et quid multa? Mens ejus, lingua ejus, opus ejus, semper divina, semper Philosophica, semper eruditiora meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiscum, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: tali (inquam) per aliquantum temporis conversatione, ultimos vitæ suæ dies consecrans Deo, pausandi gratiâ (nam plus solito scabie, & quibusdam corporis incommo[illegible]tibus gravabatur) à me Cabilonem missus est. Nam propter illius soli amœnitatem, qua cunctis penè Burgundiæ nostræ partibus præeminet, locum ei habilem, prope Urbem quidem, sed tamen Arari interfluente, provideram. Ibi juxta quod incommoditas permittebat, antiqua sua revocans studia, libris semper incumbebat. Nec sicut de Magno Gregorio dicitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitiis, cum adventus illius Evangelici visitatoris reperit, nec eum ut multos dormientem, sed vigilantem invenit. Invenit eum verè vigilantem, & ad æternitatis nuptias, non ut fatuam, sed ut sapientem virginem evocavit. Attulit enim ille secum lampadem plenam oleo, hoc est, conscientiam refertam

 san-

„ſanctæ vitæ teſtimonio. Nam ad ſolvendum „commune Mortalium debitum, morbo correptus, eoque ingraveſcente, in brevi ad extrema „perductus eſt. Tunc verò quàm ſanctè, quam „devotè, quàm Catholicè, primò fidei, deinde „peccatorum confeſſionem fecerit: quanto „inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus, corpus ſcilicet redemptoris Domini acceperit: quam fideliter „corpus ſuum & animam hic & in æternum ipſi „commendaverit: teſtes ſunt religioſi fratres, „& totus illius Monaſterii, in quo corpus ſancti „Martyris Marcelli jacet, Conventus. Hoc „Magiſter Petrus ſine dies ſuos conſummavit, „& qui ſingulari ſcientiæ magiſterio, toti pene „orbi terrarum notus, & ubique famoſus erat, in „illius diſcipulatu qui dixit, *Diſcite à me quia mitis „ſum & humilis corde*, mitis & humilis perſeverans: ad ipſum, ut dignum eſt credere, ſic „tranſivit. Hunc ergo venerabilis & cariſſima „in Domino ſoror, cui poſt carnalem copulam, „tanto validiore, quanto meliore divinæ charitatis vinculo adhæſiſti, cum quo & ſub quo, diu „Domino deſerviſti: hunc inquam, loco tui, „vel ut te alteram in gremio ſuo conſovet, & in „adventu Domini, in voce Archangeli, & in tuba „Dei deſcendentis de cœlo, tibi peripſius gratiam reſtituendum reſervat.

„De eodem Chronicon Cluniacenſe in PE„TRO VENERABILI ita loquitur. Abaëlar„dus Petrus nomine ab erroribus fidei per ve„nerabilem Petrum Abbatem noſtrum, & ſan„ctum Bernardum Abbatem ClaræVallenſem „revocatus, quæ antea de fide dogmatizaverat „perfide, abjurans, Monachus Cluniacenſis fa„ctus eſt. Et deinde mens ejus, Lingua ejus, „opus ejus, ſemper divina fuere." Obiit anno MCXLII. undecimo Kalendas Maji, ætatis LXIII. Ejus corpus Heloiſſæ Abbatiſſæ a Peter venerabili Abbate Cluniacenſi conceſſum, ad Monaſterium Paracletenſe delatum eſt. Miſit ad eandem religioſam Heroinam Venerabilis Abbas Magiſtri Petri abſolutionem ejus tumulo appendendam, quæ his erat concepta verbis. *Ego Petrus Cluniacenſis Abbas, qui Petrum Abaëlardum in Monachum Cluniacenſem recepi, & corpus ejus furtim delatum Heloiſſa Abbatiſſa & Monialibus Paracleti conceſſi, authoritate omnipotentis Dei & omnium Sanctorum, abſolvo tum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.* Miſit etiam Epitaphium duplex, quo Magiſtri Petri Abaëlardi ingenium, eruditio atque pietas commendantur.

PRIMUM EPITAPHIUM.

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis quicunque fuerunt,
Aut par aut melior, ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis & acer:
Omnia vi ſuperans rationis, & arte loquendi
Abalardus erat: ſed tunc magis omnia vicit,
Cum Cluniacenſem Monachum moremque profeſſus,
Ad Chriſti verum tranſivit Philoſophiam.
In qua longæva bene complens ultima vitæ,
Philoſophis quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, undenas Majo revocante Kalendas.

EPITAPHIUM ALTERUM.

Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, ſed jam Sydera Sydus habent.
Sol erat hic Gallis, ſed eum jam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallica ſole ſuo.
Ille ſciens quidquid fuit ulli ſcibile, vicit
Artifices, artis abſque docente docens.
Undecima Maji Petrum rapuere Kalendæ,
Privantes Logices atria, Rege ſuo.
Eſt ſatis in tumulo, PETRUS HIC JACET ABAELARDUS,
Cui ſoli patuit ſcibile quidquid erat.

Hæc nos paullò plura in Petri Abaëlardi gratiam, cujus calamitatibus ac laceratæ famæ compaſſi ſumus, cujus ingenium & loquendi vim admiramur: deſumpta tamen ut plurium ex Seculo 4. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis, tam in Catalogo illuſtrium Academicorum pag. 758. & ſequentibus, ubi plura in ejus laudem: quam in Hiſtoria paſſim, ubi plurima de Abaëlardi fortunâ & doctrinâ. Vide Natalem Alexandrum in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* Seculo XII. parte 3. Diſſertatione VII. ubi variam Abaëlardi fortunam latiſſime exponit Opuſculo ea de re ſingulari: quem nec omiſit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ad annum 1120. pag. 650. & ſequentibus 651. & 652.

ANNA COMNENA, natione Græca, patriâ Conſtantinopolitana, Alexii Comneni & Irenes Ducenæ filia, anno 1083. nata eſt, quæ a patre primum conjugio Conſtantini Michaelis Ducæ deſtinata fuit, quo mortuo Nicephorum Bryennium Meliſſenum maritum accepit. Multiplici ſane laude nomen ſuum Anna immortale reddidit, variaque eruditione & judicii acumine doctiſſimas inter ævi ſui fœminas inclaruit. Maxime autem orbata matre primum, tam patre quidem Imperatore Alexio anno 1118. atque anno 1137. marito, ſolatium ſibi doloris ex occupatione ad Hiſtoriæ ſtudium quæſivit. Hæc Heroina incomparabilis non ſolum in linguis Græcis eruditiſſima extitit, ſed etiam in rebus Hiſtoricis domeſticis verſatiſſima, de qua ita Zonaras tomo 3. *Annalium* prope finem, τῆς ἐν λόγοις παιδείας ἀντείχετο, καὶ τὴν γλῶτταν εἶχεν ἀκριβῶς ἀττικίζουσαν καὶ τὸν νοῦν πρὸς ὕψος θεωρημάτων ὀξύτατον. ταῦτα δὲ αὐτῇ προσεγένετο φύσεως ὀξύτητι καὶ σπουδῇ. προσετεθήκει γὰρ ταῖς βίβλοις καὶ λογίοις ἀνδράσι, καὶ ὐ παρέργως ὡμίλει αὐτοῖς. *Maximam in ſtudiis doctrinarum operam poſuit, exquiſitè atticiſſans, ingenioque prædita acutiſſime ad ſublimes contemplationes, eam facultatem partim natura bonitate, partim induſtria conſecuta. Affixa enim erat libris, & erudi-* 1140

ditorum consuetudine haud obiter utebatur. Scripsit Graece hoc ingens musarum decus, *De rebus Alexii parentis sui gestis libros XV.* quos *Alexiada* nominavit, hoc est, *Historiam Ecclesiæ Constantinopolitanæ & controversiarum religionis in Orientalibus Ecclesiis motarum*, quibus Zonaræ in scribendâ historiâ defectum supplevit, quod opus anno 1148. completum est, multis post Alexii parentis obitum annis. Extant MSS. Romæ in celeberrima Bibliotheca eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini, Augustæ Vindelicorum in Bibliotheca Publica sed mutili, Florentiæ in Sant Laurentiana, & etiam in variis Italiæ Bibliothecis. *Libri octo primi* prodierunt Augustæ Vindelicorum anno MDC XVIII. in 4. cum notis Davidis Hæschelii. Omnes verò nunc in lucem protracti e Bibliotheca Barberina, Lutetiæ Parisiorum typis Regiis anno MDCLI. in folio, cum eleganti versione Latinâ, Glossario & Præfatione Petri Possini Societatis Jesu Theologi, magni nominis. Cui Operi Notas adjecit vir doctissimus Carolus Dufrensus Dominus du Cange, scriptis suis notissimus, quæ cum Notis ejusdem in Nicephorum Briennium adjectæ sunt post editionem Joannis Cinnami factam in folio a dicto Dufrenio inter Historiæ Byzantinæ Scriptores, Parisiis anno 1670. ex Regio prelo. Hanc Alexiadem continuavit *Joannes Cinnamus Regius Grammaticus*, quæ nunc lucem aspexit ex MS. Codice Vaticano 319. cum versione & Notis Petri Possini, quique circa annum Dominicæ Incarnationis MCL floruit. Porrò ut loquit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 27. pag. mihi 304. *Multa de parente suo longe aliter narrat, quam Latini solent: qui omnes propè, si unum excipias Albertum Aquensem Canonicum, Cæsarem eum describunt, tanquam hominem fraudulentum ac perfidum. Sed satis verisimile est, tum Latinos suo erga Græcum Imperatorem odio, tum filium Comnenam amori erga parentem suo, aliquanto amplius indulsisse, quam per Leges Historiæ* liceat.

Audiamus Scriptores Latinos, quorum primus Robertus Abbas Sancti Remigii Remensis, Lib. 2. *De profectione Christianorum Principum in Syriam*, cui ipse interfuit. „ Subdolus itaque „Imperator (Alexius) videns crescere castra „Dei, & de die in diem augmentari, inops animi, „expers sensus, pauper consilii, ira vehementi „cœpit anxiari. Mens enim fraude plana sem„per anxiatur, & est sollicita, & quod machina„tur alteri, pertimescit semper sibi machinari. „In mente Imperatoris semper mansit fraudu„lenta fictio. Quidquid juravit, totum exina„nivit, quia perjurii noxam incurrere maluit, „quam Gentem Francorum a suis finibus non „elongari.

„Otto Frisingensis *Chronicorum* libro VII. cap. „10. Alexius Imperator perfidissimus, jam diu „conceptam corde malitiam celare amplius non „valens, cum Turcis qui jam pene desperati „erant, turpissime fœderatur, eisque Nicæam multo nostrorum sanguine acquisitam, impiis„sime tradidit. „

Guillelmus Tyrius Lib. 2. *De bello sacro* cap.„ 5. Præerat autem per id tempus Græcorum„ Imperio vir nequam & subdolus, Alexius no„ mine, cognomine Comutio (Comnenus) di„ ctus. Qui cum esset in Imperiali palatio a Do„ mino Nicephoro, cognomento Botoniath, qui„ tunc in sceptris agens principabatur, pluri„ mum honoratus: & Megadomestici dignita„ te, quem nos Majorem Senescallum appellare„ consuevimus, fungeretur officio, ab Imperato„ re secundus: contra Dominum & benefacto„ rem suum malitiose recalcitrans, quinto vel„ sexto anno antequam populus noster accede„ ret, depulso Domino imperium invaserat, & re„ tinere præsumebat quod violenter occupave„ rat. Ex capite 10. Dum vero hæc in castris„ aguntur, ecce Domino Boamandi nuntius præ„ sens ante ducem astitit, prædicti Principis lit„ teras deferens in hæc verba: Noveris virorum„ optime, quod sibi contra feram pessimam, &„ cum homine nequam (Alexio) incumbit nego„ tium: cujus propositum est semper fallere, &„ omnem Latinorum nationem usque ad mor„ tem modis omnibus persequi. Et quod de eo„ rectè sentiam, tuo aliquando approbabitur„ judicio, novi enim Græcorum malitiam & odi„ um adversus Latinorum nomen, pertinax &„ obstinatum. Cap. 13. Veruntamen sicut vir„ erat (Alexius) subdolus, potens simulare & dis„ simulare propositum, missis quibusdam nobili„ bus ex suis Domesticis ad eundem virum egre„ gium, verbis pacificis ei loquutus est in dolo,„ tentans si quomodo eum posset decipere.„ Cap. 14. Hic demum plenius innotuit, quod„ quidquid eis Imperator (Alexius) loquebatur,„ fraus erat & circumventio. Cap. 19. Quod„ que Principibus liberaliter contulerat (Alexi„ us,) nec liberalitatis erat neo gratiæ, sed timo„ ris desperati & fraudulentæ versutiæ. Nostris„ autem in simplicitate Spiritus & sincera fide„ incedentibus, vix persuaderi poterat Græco„ rum malitia, & nequam illorum Principis fraus„ & circumventio pertinax, maxime cum erga„ eos tanta liberalitate & simulara gratia redun„ daret. Cap. 20. Sicque quotidie magis & ma„ gis Græcorum dolus, & fraus Imperatoris„ (Alexii) detegebatur, ita ut jam nemo esset„ de Principibus, cui non esset manifestum, & lu„ ce meridiana clarius, quanto odio prosequeba„ tur populum nostrum, & omne genus Latino„ rum haberet invisum. Cap. 21. Quidquid„ autem loquebatur (Alexius,) dolus erat & cir„ cumventio. Libro 7. cap. 20. fraudes enim„ Imperatoris (Alexii) & ejus versutia, quas sæ„ pius experti fuerunt, declinare judicabant„ commodius, ne ejus Labyrinthis & ambagibus„ iterum se involverent, à quibus non satis facile„ postmodum possent expediri, Lib. 10. cap. 12.„ At verò idem (Alexius) Imperator vetusto„ Græcorum more nostrorum successibus invi„ dens

„dens,quamvis eos,ut prædiximus, apud se fatis „benigne habuisset, occulte inde per internuntios frequentes in eorum perniciem hostes „sollicitabat, & ab eorum adventu crebris Epistolis & nuntiorum discursibus reddebat instructiores,eos præmonens, ne tantum populum suo periculo liberè transire patiantur. „Vicem Scorpionis agens, qui cum non sit in facie quod formides, prudenter feceris, si caudæ „posterioris declinare poteris maleficium Lib. „12.cap. 5. Per idem tempus (anno 1118.) Constantinopolitanus Imperator Alexius, Latinorum maximus persecutor, rebus humanis exemptus est.

„Gotfridus Viterbiensis, *Chronici* parte XVIII. „Constantinopolim pervenerunt, ubi multum „dolum & impedimentum à Rege Alexio perpessi. Tunc Alexius Rex Constantinopolitanus Christianæ prosperitatis adversarius, Turcos in desperationem jam positos, in amicitiam „suam confœderavit, eisque turrim Nicæam, „Christianorum sanguine conquisitam, concessit.

„Conradus Abbas Urspergensis in Chronico, „anno MCI. Ecce subito murmur exoritur, in„visum Imperatorem (Alexium) Turcorum „potius quam Christianorum parti favere, ex„ploratisque quæ circa nos erant, frequentibus „illos contra nos nuntiis animare. Hic est, in„quiunt, perfidus ille Alexius, qui Domino suo „Nicephoro, per quorundam Alamannorum „conductitiorum auxilium depulso, Imperium „ejus usurpavit, ipsosque sui sceleris cooperato„res, exilio damnatos necari fecit: nuncque se „tanti dixit facere Francos cum Turcis præliantes, quanti canes se invicem mordentes. Cum „autem navigia quisquam conducere tentaret, „audivit Cæsarem insidias peregrinis etiam in „mari posuisse, multasque dudum eodem faci„nore naves eum submersisse. Quapropter „omnes eum maledicebant & anathematizabant, omnes illum linguæ *non Imperatorem sed* „*traditorem* appellabant. *Anno MCVI.* Invidus „& occultus eatenus Ecclesiæ persecutor Ale„xius, diu tectam perfidiæ suæ toxicatam rabiem „evaginatam Turcis, quibus jam nulla vel rara „in Oriente regnandi spes remanserat, se tutis„simè conciliat: &, O turpissimum facinus! „Nicæam quam olim fidei nostræ turrim, du„dumque multo Christianorum sanguine com„paratam præscripsimus, Solimanni Tyranni fi„liis reddidit: custodias ad prohibendum tran„situm peregrinis terrâ marique constituit: „cujus classes contra Antiochenos directas, ipsi „bello cœperunt, & in confusionem Alexii, nasis „atque pollicibus omnibus abscissis, unam de „scaphis inde oneranres, hujusmodi pulmen„tum eidem reo multorum millium homicidæ, „transmiserunt. Albertus Stadensis eadem fe„rè ad verbum habet.

„Matthæus Paris in *Historia Majori*, anno „MXCVI. Alexius autem Imperator Græcorum, vir nequam & subdolus, cum esset in Palatio Nicephori decessoris sui summus & princeps militiæ, contra Dominum suum malitiosè recalcitrans, quinto vel sexto ante hanc expeditionem anno, Domino depulso Imperium invaserat, & invasum nequiter detinebat. Hic semper propositum habens fallendi, sæpe cum peregrinis verba pacificè alloquebatur in dolo, suspectam jugiter habens multitudinem Crucesignatorum, & militiæ probitatem. Unde si quandoque nocere cessavit, non hoc virtutis fuit, sed timoris. *Anno MCXIII.* Tunc Imperator Alexius & proditor nequissimus, nostrorum invidens successibus, Turcis infidelibus per quorum terras Peregrini transituri erant, crebras transmisit Epistolas, exhortans attentius, ne tantum Christianorum populum liberè transire in suam perniciem paterentur."

Matthæus Westmonasteriensis in *floribus Historiarum* anno MCV. *Alexius tunc temporis Græcis imperabat, vir quidem subdolus, & nostratibus semper paratus cum insidiis nocumentum.*" Atque hæc de Alexii moribus, vulgò apud Latinos opinio obtinuit. Unus quem ego legerim ALBERTUS AQUENSIS CANONICUS à Reinero Reineccio sub titulo *Chronici Hierosolymitani* sine authoris nomine editus, benignius de illo, non uno in loco sensit: sic ut alicubi ejus se apologetam, fermè ex professo egerit.

De Annæ Comnenæ laudibus & scriptis præclara reddunt testimonia, Joannes Zonaras Monachus Græcus, tomo 3. *Historiæ Catholicæ*, pag. mihi 242. Nicetas Acominatus Choniates in Historia Græca. Author anonymus Græcus in Synopsi *Vita Annæ Comnenæ*, quam Petrus Pollinus edendam promiserat. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 27. pag. 304. editionis 1651. Lugduni Batavorum in 4. Jacobus Gretserus Theologus Societatis Jesu, in *Refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ* in Alexiade contra Gregorium VII. Romano Pontificem. Leo Allatius Chius in libro, *De Psellis & eorum Scriptis*: & in Opere *De perpetua consensione Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis.* Gilbertus Gauminus Molinensis, Libellum supplicum magister in Notis ad Michaelis Pselli Dialogum *De Operatione Dæmonum.* Franciscus Balduinus Jurisconsultus, *De institutione Historiæ Universalis.* Elias Ehingerus Augustanus, in *Bibliotheca Augustana.* Aubertus Miræus in Auctorio *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Joannes Meursius in *Glossario Græcobarbaro*, & in Notis ad *Expositionem Pselli in Canticum Canticorum*, p.174. Martinus Crusius in *Prolegomenis* ad Commentationes in librum primum Iliados Homeri. Philippus Labbeus Soc. Jesu in *Protreptico & delineatione Apparatus Historiæ Byzantinæ.* Petrus Possinus in Prolegomenis *Alexiados*, cujus editionem procuravit.

LUCAS CHRYSOBERGES cognomento 1140 dictus, Patriarcha Constantinopolitanus ex Mo-

Monacho anno 1148. juxta Cæsarem Baronium factus est, quo clarus ob doctrinam habebatur. Hujus extant Græce & Latine in Joannis Leunclavii *Jure Græco Romano* Libro 3. pag. 217. *Decreta Synodalia XIII.* videlicet, *Ne fiant nuptiæ in septimo gradu cognationis. Ne Clerici se immisceant negotiis secularibus. Ne jusjurandum irregulare serventur. De infantibus captivis baptizandis. De Agarenis &c.* Extat quoque inter MSS. Codices Historicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice XLVIII. n. 14. ut habet Lambecius Libro 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 460. his verbis: „ Decimo „quarto & quidem à fol. 129. pag. 1. usque ad „fol. 131. pag. 2. *Lucæ Chrysoberga Patriarchæ „Constantinopolitani* ab anno Christi 1148. usque „ad annum 1166. *Poema versibus Politicis de diæta „moderata respectu festorum & jejuniorum totius an„ni*, quod inscribitur atque incipit hoc modo: „Τοῦ μακαριωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυ„ροῦ Λουκᾶ τοῦ χρυσοβέργου περὶ διαίτης κοσμίας „τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἐξ αἰτήσεως τινὸς γυναικὸς προ„γενοῦς αὐτοῦ. Ταῦτα δὲ ἐξέθετο πρὸ τοῦ εἰς τὸ „Πατριαρχεῖον ἀνελθεῖν. Δεῦρο ψυχὴ βασί„λισσα, ψυχὴ φιλοσοφοῦσα &c. Composuit „autem istud Poëma rogatu cujusdam fœmi„næ, priusquam Patriarcha fieret, ut ex verbis „tituli suprà exhibiti patet. Plura de eodem *Luca Chrysobergo* vide apud Cardinalem Baronium, tom. XII. *Annalium Ecclesiæ*, in actis anni 1148. ubi de electione ejus agitur. Et anno 1166. quo post Concilium Constantinopoli ab ipso habitum, mortuus est. De eodem Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 228. & 248. & in Catalogo Scriptorum hujus libri, pag. 340. Libro 8. eorundem pag. 460. & in Catalogo hujus tomi pag. 560. & 578. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1155. pag. 676.

1140 NILUS SEU NICOLAUS COGNOMENTO DOXAPATRIUS, Ecclesiæ Græcæ primum Archimandrita, cujus locus natalium incertus atque ignotus est, factus postmodum Notarius Patriarchalis Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Protoprœdrus Syncellorum, simul etiam Nomophylax Imperii Romanorum. Certe Panormi in Sicilia aliquandiu vixisse, ipse nobis testis est. Claruit anno 1144. qui per Epistolas a Rogerio Siciliæ Rege monitus scripsit Opusculum *De majorum Patriarcharum sedibus*, quod postea anno nempe prædicto fusiori opere prosecutus est: in quo de quinque Patriarchalibus thronis, iisque subjectis Archiepiscopis, Metropolitanis, Episcopis, de Patriarchalium sedium institutione, ordine, & propriis nominibus luculenter agit. Ex hac Patriarcharuum notitia, amplissima multa ac præclara sane fragmenta exhibet Leo Allatius *De concordia Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis*, Lib. 1. capp. 2. 8. 9. 10. 12. 14. 16. 17. 24. Integrum autem librum ex Codice Bonaventuræ Wulcanii recentiore manu anno 1631. descripto, Græce & Latine in lucem emisit Stephanus le Moine tomo I. *Variorum sacrorum* pag. 211. Lugduni Batavorum anno 1685. in 4. Fallitur eximie Guillelmus Cavus dum annis centum hunc Scriptorem antiquiorem quam fere fuerit, facit: asserens floruisse anno 1043. seculi undecimi. Aliam habuisset mentem, si tantisper ad Opus illius quod præ manibus habuit, attendisset. Ille enim ait diserte se hoc composuisse Opusculum ut ipse testatur, ἔτει ςχνα seu anno Græcorum Constantinopolitanorum 6651. id est anno Christi 1143. Sane Nilus Doxapatrius diserte ad annum 1143. relatus a Carolo du Fresne, Domino du Cange, in *Indice Auctorum* quem subjunxit ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* col. 57. & 58. his verbis. *Nilus Doxapatrius Archimandrita* de quinque Patriarchalibus sedibus, *cujus libri excerpta varia describit Leo Allatius in libro* De consensu utriusque Ecclesiæ pagg. 15. 160. 165. 167. 173. 195. 215. 239. 255. 409. 522. 531. *Vixit sub Rogerio Rege in Sicilia anno 1143. editus nuper a Stephano le Moine 1685.* In editione omnium S. Athanasii Operum Parisiensi 1698. apud Anissonios, inter Vitas & Elogia S. Athanasii in Præludiis pag. CLXIV. τοῦ Δοξαπάτρου qui maou Codicem Basiliensem Operum Athanasii cujus meminimus scripsit, ἐπ[illegible] in Arium *de Laude Athanasii* in limine hujus Codicis, editum a Petro Felckmanno Græce 1600. Heidelbergæ, & in editione Parisiensi 1698. Extat etiam in MS. Codice Græco Historico Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Cod 47. num. 2. *Nicolai Notarii Patriarchalis Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Protoprœdri Syncellorum, simul etiam Nomophylacis Imperii Romanorum, cognomento Doxapatri, Expositio in S. Gregorii Nazianzeni Tetrastica Jambica, & alia ejus nonnulla Carmina:* ut habet Petrus Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 457. his verbis: *Secundò* & quidem a fol. 125. pag. 1. usque ad fol. 153. pag. 1. *Nicolai Notarii Patriarchalis Ma„gnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Protoprœdri„ Syncellorum, simul etiam Nomophylacis Imperii Ro„manorum, cognomine Doxapatri, Expositio in S.„ Gregorii Nazianzeni Tetrastica Jambica, & alia„ ejus nonnulla Carmina.* Inscribitur ea atque„ incipit hoc modo: Νικολάου τῆς Κωνσταντινουπό„λεως τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας Πατριαρχικοῦ„ Νοταρίου, καὶ Πρωτοπροέδρου Δόξα πατρὶ, ἐξή„γησις τῶν τετραστίχων ἰαμβικῶν, παραινετικοῦ ἐν„ ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου. Τὸ„ ἐπίγραμμα τῶν στίχων Γρηγορίου πόνος εἰμὶ,„ τετραστίχων δὲ φυλακτὸν &c. quo finito Prooe„mio sequitur initium ipsorum *Tetrasticorum*,„ Γνώμη α'. Πρᾶξιν προτιμήσειας, ἢ θεωρίαν &c.„ Expositio autem subjuncta incipit his verbis:„ Διττῆς οὔσης τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας, ἣν ὁ χριστὸς„ καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἡμῖν παραδεδώκασιν ἐν Εὐαγ„γελίοις, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἱεραῖς βίβλοις τῶν„ πράξεων, καὶ τῶν Ἐπιστολῶν, καὶ τῆς πρακτικῆς„ οὔσης,

„ὄσης, τῆς δὲ θεωρητικῆς &c. Plura de his *Tetrastichis* aliisque S. Gregorii Nazianzeni Carminibus, vide tomo 2. Operum illius, Parisiis à Frederico Morello 1611. Græcè & Latinè in folio editorum: & quidem imprimis pag. 156. ubi ipsa illa *Tetrastica* extant. Et columna 1405. atque deinceps, ubi *Nicetæ Dabyrensis Commentarius in eadem Tetrastica* Latine exhibetur, cum infertis Jacobi Billii Scholiis. Sed de Nicolai istius Doxapatrii Expositione, quæ in præsenti MS. Codice Cæsareo extat, nulla prorsus ibi mentio fit, quia & Billio & Morello incognita fuit." Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregatioois Sancti Mauri in Gallia, *Diarium Italicum* anno 1702. Parisiis apud Joannem Anisson in 4. edendum lategit, in quo plurima ad Bibliothecas Italiæ spectantia continentur. Illic ergo capite 15. loquitur de Monasterio & Bibliotheca Monachorum S. Basilii Græcorum Romæ. Quod quidem Cœnobium perparvum, nulliusque antehac nominis, jam studio R. Patris Petri Mennitii Ordinis Præfecti, festivà copià Codicum Græcorum exornatur. Ille enim, quia in variis sibi subjectis Monasteriis Calabriæ, Codices istos, obsoletn pene Græcæ linguæ usu, jacere intactos neglectosque acceperat, imminenti jam exilio subduxit, inque Vrbem advehi in usum eruditorum curavit. Hæc cap. 15. pag. 210. enarrat, tum pag. 216 inter Bibliothecæ hujus MSS. Codices, eminet unus de quo ita ille. „In Codice XII. Seculi membraneo Nomocanon Doxapatris, jussu Joannis Comneni Imp. editus, ut ex titulo fides, nam sic habet. Νομοκάνονον σὺν Θεῷ περιέχον συνοπτικῶς ὅλας τὰς κανόνας τῶν ἁγίων καὶ οἰκυμενικῶν ἑπλὰ συνόδων καὶ τῶν ἁγίων ἀποςόλων, καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, καὶ ἑτέρων θεοφόρων πατέρων. ἑρμηνευθὲν προτροπῇ τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως κυροῦ Ἰωάννου. τοῦ Κομνηνοῦ, παρὰ τοῦ λογιωτάτου διακόνου τῆς τοῦ Θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, καὶ νομοφύλακος τῆς τῶν Ῥωμαίων βασιλείας, πατριαρχικοῦ νοταρίου. καὶ πρωτοπροέδρου τῶν πρωτοσυγκέλλων Δοξαπάτρη. Ibidem Νομοκάνονον bis occurrit descriptum, uti superius, ut nullum sit de lectione dubium. Præmissa sic verto: *Nomocanon, Deo favente, conscriptus. Synopseos more complectens, Canones omnes sanctarum & œcumenicarum septem Synodorum, & sanctorum Apostolorum atque Magni Basilii, & aliorum deiferorum Patrum; interpretatione donatus jussu pijssimi Imperatoris Domini Joannis Comneni, opera eruditissimi diaconi magnæ Dei Ecclesiæ, & Nomophylacis (sive legum vindicis) Imperii Romani, Patriarchalis Notarii, & Protoproedri Protosyncellorum, Doxapatris.* Deinde sequuntur Canones cum Explicationibus Doxapatris, videlicet.

1. Canones Apostolorum numero 85.
2. Canones Nicæni numero 25.
3. Ancyranæ Synodi Canones 25.
4. Neocæsariensis Synodi Canones 15.
5. Gangrensis 20.
6. Antiochenæ 25.
7. Laodicenæ 59.
8. Constantinopolitanæ 150. Patrum Canones 8.
9. Ephesinæ Synodi Canones 9.
10. Chalcedonensis 30.
11. Sardicensis Canones 21.
12. Carthaginensis 137.
13. Constantinopolitanæ de Agapio & Bagadio, Canon 1.
14. Constantinopolitanæ in Trullo sextæ Generalis, Canones 102.
15. Nicænæ secundæ Canones 22.
16. Constantinopolitanæ in templo Sanctorum Apostolorum, πρώτης καὶ δευτέρας, primæ & secundæ, Canones 17.
17. Constantinopolitanæ in templo Sanctæ Sophiæ, Canones 3.
18. Sancti Basilii Magni, Canones 91.
19. Tarasii Constantinopolitani Hadriano Papæ, Canon 1.
20. Dionysii Alexandri Canones 5.
21. Petri Alexandrini Canones 14.
22. Gregorii Thaumaturgi Canones 13.
23. Athanasii Canones 5.
24. Gregorii Nysseni Canones 8.
25. Timothei Alexandrini Canones 15.
26. Theophili Alexandrini Canones 14.
27. Cyrilli Alexandrini Canones 7.
28. Ecclogii Alexandrini Canon 1.
29. Gennadii Constantinopolitani Canon 1.
30. Γραφὴ ἀπὸ Κ Π Μαρτύριῳ ἐπ. Ἀντιοχείας. Rescriptum Constantinopoli ad Martyrium Episcopum Antiochenum, Canon 1.
31. Athanasii ad Rufinianum Canon 1.
32. Sanctorum Apostolorum Canones 17.
33. Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Canones 17.
34. Sanctorum Apostolorum in communi, Canones 2.
35. Τὰ κεφάλαια τοῦ χρυσοβούλλου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας Ἰουστινιανοῦ: id est, Capita sive Canones bullæ aureæ Justiniani, quæ est in magna Ecclesia, num 6.
36. Τοῦ μεγάλου Βασιλείου περὶ τίτλου καὶ χρόνου ἁμαρτημάτων, Magni Basilii de titulo & tempore peccatorum, Canones 27.
37. Cyrilli contra Nestorium Canones 11.
38. Demetrii Cyziceni Canones 3.
39. Petri Antiocheni Canones 4. Primus Canon Petri Antiocheni, qui num. 39. recensetur, sic habet. Πέτρου Ἀντιοχείας πρὸς τὸν Βενετίας Γέγονεν δὲ οὗτος ἐπὶ τοῦ πατριάρχου κυροῦ Ἀλεξίου Οὐδαμοῦ γέγραπται τὸν πρόεδρον Ἀκυληΐας, ἤτει Βενετίας πα-

πατριάρχην ὀνομάζεσθαι. ὁ γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ πατριάρχας ἐγνώκαμεν, τὸν Ῥώμης, τὸν Κωνσταντινουπόλεως, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων· ὡς γὰρ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον ε αἰσθήσεσιν οἰκονομεῖται, ὕτω καὶ τὸ σῶμα τῦ χριςῦ, ἡ ἐκκλησία τῶν πιςῶν. ὡς ὑπὸ πέντε αἰσθήσεων τῶν ε θρόνων οἰκονομεῖται. Hoc est, *Petri Antiocheni contra Venetiarum Episcopum. fuit autem (Petrus) tempore Patriarchæ Domini Alexii. Nusquam scriptum est Aquileiæ, sive Venetiarum Præsulem Patriarcham esse vocandum. Nam quinque solum in Orbe toto Patriarchas novimus, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, sicut enim corpus nostrum quinque sensibus regitur, eodem modo corpus Christi, sive Ecclesia fidelium, velut quinque sensibus, scilicet totidem thronis dispensatur.*

40. Joannis Monachi S. Basilii discipuli, Canones 2.
41. Synodorum & Patrum, Canones 27.
42. Timothei Alexandrini.
43. Joannis Νηστευτῦ seu Jejunatoris.
44. Septem Synodorum œcumenicarum.
45. De nuptiis.

Deinde hæc sequuntur *Erotemata Joannis Monachi sacri montis. Euphemiani Metropolitani Thessalonicensis solutiones capitibus 12. ad Gerasimum Monachum sacri montis. Ejusdem, cui cognomen Χῦμ:ⓐ, Chumnus, ad eundem Responsiones. Ex novellis Justiniani quadam.* Reliqua mittimus Codicis hujus MS. quæ recenset citatus Bernardus de Montfaucon pagg. 219. & 220. velut instituto nostro non convenientia. Sequitur in eodem Codice *Theodori Studitæ encomium in sanctum Joannem Evangelistam. Item quadam erotemata*, Agmen claudit *Magni Basilii opus de sacra liturgia non contemnenda*, scripsit igitur hunc Nomocanonem *Nilus Doxapatru seu Doxapatrius* jussu Joannis Comneni Imperatoris, atque eodem tempore scripserunt de eodem argumento alii duo ætatis ejusdem, Alexius Aristinus & Symeon Logotheta seu Metaphrastes dictus, de quibus nos hic eadem ætate agimus. Pluribus de hac quoque *Collectione Canonum* agit idem Bernardus de Montfaucon libro I. *Palaographia Graca* cap. 6. pag. 62. & libro 4. cap. 6. pag. 302. quam anno 1708. edendam curavit Parisiis in folio apud Ludovicum Guerin, Viduam Joannis Boudot, & Carolum Robustel, Agunt de *Nilo seu Nicolao Doxapatrio*, præter Allatium locis citatis. Stephanus le Moine in Prolegomenis *Variorum sacrorum*. Petrus Lambecius tomo 8. *Commentariorum Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis* pag. 457. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo XI. ad annum 1043. pag. 603. quem huc transtuli, errore excepto. Fredericus Spanhemius in Exercitatione Historico theologica, *De perpetua in hunc diem dissensione Ecclesia Græcæ & Orientalis à Romana & Papali*, parte 2. num. 22.

THEOPHANES CERAMEUS TAURO- 1140
MENII ARCHIEPISCOPUS, quem alii binominem fuisse existimant, appellatumque *Gregorium* vel *Theophanem Ceramenm*, vel utroque simul nomine *Gregorium Theophanem Cerameum*. Circa annum 880. à Francisco Scorso vixisse creditur, quem in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 880. pag. 278. retuleram, atque etiam ipse Cavus in *Cartophylace* ad annum 870. ut ipse refert in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo XI. ad annum 1040. pag. 602. Scripsit *Homilias plures in Dominicas & Festa anni*, quas habes Græcè & Latinè impressas in fol. Parisiis anno 1644. apud Sebastianum Cramoisy viâ Jacobæâ sub ciconiis, ex interpretatione & cum *Annotationibus* Francisci Scorsi Societ. Jesu Theologi. Porro *Theophanis* ætatem multis venatur Scorsus in Prolegomenis, putatque spectare ad seculum nonum sub Leone Imperatore Basilii filio, dum adhuc Tauromenium cum Sicilia Græcis obediret. Extant autem sub *Gregorii Cerameï Tauromenitani etiam Archiepiscopi* nomine, istæ *Homilia Manuscripta Græcè in Dominicos dies & Festa per annum*, in Bibliotheca Cardinalis Mazarini, nunc in Regia Gallica: de quibus loquitur Franciscus Combefis in *Authoribus recensitis* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam, Verbo *Gregorius Cerameus Tauromenitanus Episcopus* pag. 14. & Verbo *Theophanes Cerameus Tauromenitanus Episcopus* pag. 46. Utrumque opus esse *Homiliarum*, sed omnino diversum & ad authores diversos spectare Franciscus Combefis falsò opinatus est: deceptus ex non attentâ satis inspectione Manuscriptorum Codicum, qui variare creduntur tam in nominibus *Gregorii* vel *Theophanis Tauromenitani Archiepiscopi*, quam in ordine ac varia dispositione *Homiliarum* ejusmodi. Sed qui omnes Codices & Gallos & Italos per Sirmondum atque alios excussit Franciscus Scorsus, re diligentius attentâ, invenit contra Combefisium, omnes illos ordine tantum diversos, continere easdem homilias, ut expresse admonet in *Præludiis* ad impressionem à se factam *Homiliarum Theophanis Cerameï Tauromenii in Sicilia Archiepiscopi*. Hæc contra ea quæ scripseram, in prima editione hujus Opusculi, à Francisco Combefis deceptus.

1. De hac autem ætate quam Scorsus huic Theophani Episcopo assignat, latius nobis disputandum incumbit: cum egregiè illam impugnare mihi videatur Leo Allatius, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 60. & sequentibus. Innititur ad hoc Theophani tempus assignandum Franciscus Scorsus Soc. Jesu, tribus argumentis seu veris conjecturis. *Primò* constituit duos annorum intercurrentium terminos,

intra quos Theophanem vixisse, certum omnino censet. Primus annus est 862. ex argumento Jacobi Gretseri tomo 2. *De Cruce* in Notis ad duas Orationes Theophanis, ubi putat eum floruisse, quo tempore nondum Sicilia à Saracenis subacta esset, quod circa annum 900. contigit. Alter est annus, quo captum à Saracenis Tauromenium fuit, quod sub Leonis Basilii Macedonis filii imperio contigisse, tradunt Constantinus Porphyrogenneta Leonis filius, Lib. 2. *Thematum Imperii Orientalis:* Joannes Curopalata, & alii recentiores: quem probat Gretserus fuisse annum 893. pluribus antiquorum monumentorum testimoniis. Floruit itaque juxta Scorsum, Tauromenii ab anno Basili tertio, qui fuerit Christi 870. usque ad Leonis annum decimum sextum, qui est 902. Hoc probat ille variis authoris locis, ut in homilia *De parabola cœna,* ubi vocat Agarenos *ὁμυρίυς ὁποίυς ὁρῶμεν τοῖς ἀμόροις ἡμῖν ἀπογόνοις τῦ Ἰσμαὴλ: Cujusmodi videmus hos finitimos Ismaëlis populos.* Et homilia *De sanctis Apostolis Petro & Paulo,* magnificè exornat templum ab Imperatore Basilio in Palatio Constantinopoli conditum: *συνήδομαί σοι πόλις, καί σοι θεῖε τῶν ἀνακτόρων ναὲ: Gratulor tibi civitas, & sacrum in Palatio templum erectum.* Hoc primum, Scorsi argumentum, ad Theophanis Ceramei stabiliendam ætatem, tempore Basilii Macedonis ac Leonis ejus filii, Imperatorum Orientis. Sed hanc rationem, vult Leo Allatius esse tantum conjecturam, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 62. quam levem appellat, ne quid pejus dicat. Vult idem Allatius hîc plura probanda esse, quæ Scorsus supponit. *Primò* concionem hanc Tauromenii esse habitam, pluribus enim in locis ac regionibus habuisse conciones Theophanem constat. *Secundò* dum concio illa habebatur, nondum Tauromenium à Saracenis fuisse subactum. *Tertiò* Tauromenium à Saracenis semel occupatum, nunquam à Christianis recuperatum: quæ nec probata sunt, nec unquam probari poterunt. Quare potuerunt Saraceni esse finitimi, non Tauromenio, sed urbi in qua ipse perorabat: & Theophanem perorasse in aliis urbibus, non uno exempl idem Scorsus probavit. Porro quod De templo Sanctorum Apostolorum in palatio dicitur, nihil esse: quia non unus Imperator Basilius id conatus est. Atque *πόλιν* eo loco Byzantium, neminem posse certò dicere, esse expressum.

2. Alterum Francisci Scorsi argumentum, quo rem omnem evidenter ostendere contendit, quod idem Theophanis adamussim Imperatores describat Basilium Macedonem & Leonem Sapientem, pro quibus inter concionandum Deum deprecatur. Sic homilia *In Ramis palmarum* loquitur. *Oremus etiam ut piissimi Imperatoris nostri imperium divinitus custoditum, filiis etiam ejus permaneat inconcussum: ut intendat & prosperè Dei ductu procedat, qui hunc sapientia & fortitudine & Imperatorio diademate exornavit.* Et homilia De Sanctis Apostolis. *Et sine intermissione Deum oremus, ut per multa annorum spatia, pio Imperatori nostro conservet potentiam, qui dum clavum Imperii per pietatem dirigit, & cum morum probitate ornatus ipse sit: tum etiam diadema doctrinis exornat, veram ingenuamque obtinet laudem.* Subdit Franciscus Scorsus: «Quis autem est obsecro alius hic Imperator, qui sapientiâ ornatus, & diadema doctrinâ exornavit? Nisi Leo Basilii Macedonis filius, qui Sapiens seu Philosophus ab omnibus Scriptoribus cognominatur. Et rem insuper, mentio filiorum Imperatoris quæ fit à Theophane, valde corroborat: habuit enim Basilius quidem Leonem hunc & Alexandrum.« Addere poterat, *Constantinum & Stephanum.*« Argumento Scorsi sic Allatius respondet pag. 62. Diatribæ *De Symeonum Scriptis.* Veruntamen palmare argumentum excutiamus. Bona precatur Imperatori & filiis, quem dicit & sapientiâ & fortitudine & diademate à Deo exornatum, & imperium per pietatem dirigere, cum morum probitate, tum etiam doctrinis præditum. Id ait, non nego. Leo Imperator fuit pietate & doctrinis insignis, adeò ut Sapientis cognomentum sibi adsciverit. Verum est. Ergo de Leone Imperatore, verba ista intelligenda sunt. Hoc verò nequaquam, nunquam id nisi dormiens affirmabo. Imperator qui Filios habuit, ille est qui & virtutibus & disciplinis pollet. Si de Leone intelligis, falsum est: quamvis enim ille & pietate & doctrinâ excelluerit, nunquam tamen filios habuisse dicendus est, qui unico tantum superstite, eoque puerulo adhuc Constantino, vitam finivit. An non insaniret Theophanes, probeque ab Imperatore aliisque irrideretur, filium unicum in filios, eosque plures discerpens? Si de Basilio loquitur, falsum quoque est: quamvis enim ille filios habuerit, nunquam tamen illum & doctrina & disciplinis præstasse dices. Ille arti militari deditus & corporis viribus strenuus, non doctrina aut sapientia innotuit. Et licet sub ejus nomine Capita Parænetica ad Leonem filium, & alia nonnulla circumferantur: non propterea Sapientis vel Philosophi nomen, sibi eorum author vindicabit. Quare certo certius concludendum, Theophanem non deprecari Deum, neque pro Basilio, qui disciplinis exornatus non fuit: neque pro Leone Sapiente, qui filios plures non habuit.

3. Tertium Scorsi argumentum desumitur ex Epistola Photii Patriarchæ ad Theophanem Monachum missa, quam integram Græcè simul & Latinè descriptam edidit, in Proœmii secundi parag. 3. Istum Theophanem esse *Cerameum* suadent, ut Scorsus conjectat, Sicilia ipsa cujus fit mentio in ipsa Epistola, & quod cum aliis Epistolis unà reperiatur, quæ & Gregorio Siracusano Episcopo, & Euthymio Catanæ Metropolitæ, & Marco Siculo Scriptæ sunt: & temporis ratio, quam se infrà subtilius supputaturum dixit. Igitur Theophanes qui eo tempore Mona-

nachus erat, posteà ad Episcopi dignitatem evectus, Zachariæ successor fuit. Hæc ad sententiæ suæ patrocinium Scorsus, cui ita respondet Allatius pag. 62. Diatribæ. „De Epistola Photii ad Theophanem nihil est quod dicam. Quomodo enim scribere potuit Photius sub Basilio, Theophani Cerameo: qui mentionem facit Metaphrastæ sub Leone Basilii filio, & Constantino nepote vitam agentis, nisi rerum invertamus ordinem? Fuerit eo tempore & Marcus Siculus, & Euthymius Catanæ Metropolita, & Gregorius Syracusanus, ad quos scripsit Photius: Fuerit & iste Theophanes Monachus: ergone statim iste Theophanes erit *Cerameus* ille, cujus istæ homiliæ leguntur; & quod magis est, Zachariæ Successor?" Nihil ergò conjectura ista concludit, in gratiam ætatis seu temporis, quod in Scorso, Theophani Cerameo affixum est. Diluuntur igitur atque diruuntur omnes istæ conjecturæ Scorsi, hoc ultimo Leonis Allatii argumento. Synchronus enim Photio Constantinopolitano esse non potest iste Theophanes Cerameus, qui velut seipso antiquiorem sæpius citat Symeonem Metaphrastem, virum celebrem sub imperio Leonis Sapientis seu Philosophi anno 911. mortui, atque filii ejus Constantini Porphyrogennetæ, qui ab anno 911. ad 959. habenas Orientis tenuit. Quis enim credat hunc Theophanem citavisse Metaphrastem, nisi centum circiter annis seipso antiquiorem novisset: ut inde Theophanis ætatem ad annum circiter 1040. ille referat, nos ad annum 1140. ad Rogerii Siciliæ Regis tempora, qui ab anno circiter 1130. ad 1151. regnasse legitur. Citat autem Metaphrastem in homilia De Lazaro suscitato: *ὁ δὲ τῶν μεταφράσεων γλυκὺς συγγραφεὺς παῤῥησίας εἶπε λόγον εἶναι δηλωτικόν: Metaphraseon verò suavis Scriptor, fidentem ac liberum animum à sermone indicari censet.* Et in quarto Matutino, *ἀλλὰ περὶ τούτων ἄμεινον ἐμοῦ λέγει τῶν μεταφράσεων ὁ γλυκὺς ἐγγραφεὺς: Sed de his melius quam ego id faciam, Scriptor ille dulcis Metaphraseon disserit.* Et in quinto Matutino: *Ac ne nos etiam sine probabili caussa divinare velle videamur, fide dignum testem ad hanc rem producimus, Symeonem illum, qui Metaphrases praclarè composuit. Satis igitur sit hic, qui in Sanctum Lucam Commentario existimavit &c.*

1. Contendit ergo Leo Allatius hunc Theophanem haudquaquam antiquiorem esse Rogerio Siciliæ Rege, Rogerii Comitis filio, qui circa annum 1040. florebat, suamque sententiam his argumentis probat. *Primum* ex homilia dicta in *Dominica Palmarum*, cujus ista inscriptio est: *ἐλέχθη καὶ ἐνώπιον τοῦ Ῥηγὸς Ῥογερίου, Dicta est præsente Rege Rogerio.* Quæ quamvis à duobus Codicibus Gallicanis absit, ab aliis tamen innumeris manuscriptis recipitur velut antiqua & genuina, licet in aliquibus ita descripta sit, ut Rogerii nomen per compendium signetur. Exprimitur namque in Linea Ῥογ? ubi supra lineam expansam ε agnoscitur. Quod indicat inter primas litteras in linea, & alias supra in spatio medio, aliquid deesse: ideoque facili negotio suppleri, si extente Ῥογερίου nomen proferas. Hanc autem vocem subtili sane & satis acutâ immutatione Rogerii in ῥόγῃ vel ῥόγας Franciscum Scorsum fecisse ridet Leo Allatius, ut sub Basilio & Leone Imperatoribus, tantum antiquitatis *Theophani* servaretur.

2. Secundum Leonis Allatii argumentum habet ipse Diatribæ *De Symeonum Scriptis*, p. 64. Rogerii tempore plures in Sicilia Episcopos Græcos fuisse, probari potest ex Rogerii Ectypo, cujus Græcam inscriptionem nobis Scorsus ab aliis acceptam retulit. Quâ enim Causâ Rogerius Græcis litteris nomen imprimi suum procurasset, si à nemine vel intelligeretur vel legeretur, ac præsertim eo tempore, quo barbaries ferè omnia occupaverat, extinctis litteraturæ politioris luminibus? Et sanè nemini dubium esse debet, eo tempore Græcis Siciliam abundasse, Episcopis Græcis nondum per Latinos expulsis, vel summo etiam studio à Rogerio ipso procuratis, cui tum Romanis Pontificibus inimicitiæ fuerunt, & ingentes controversiæ: ut in medio schismate, auxiliaribus quoque eorum conatibus, se suis hostibus redderet formidabiliorem. Imò hoc eodem tempore Rogerii, per universam ferè Siciliam & urbes illius præcipuas, Episcopos Græcos à Patriarcha Constantinopolitano ordinatos, jurisdictionem & potestatem in eos populos exercuisse, habemus ex authore illius ævi Nilo Doxapatrio, qui *De quinque thronis Patriarchalibus*, rogatus ab eodem Rogerio ad eundem Rogerium scripsit, ubi sic præfatur. *Commentarius concinnatus à Nilo Doxapatrio Archimandrita, jussu nobilissimi magni Regis Rogerii de quinque Patriarchalibus thronis, & illis subjectis Archiepiscopatibus & Metropolitanibus, & qui Metropolitanibus subduntur, Episcopis & Diœcesibus uniuscujusque sedis Patriarchalis. Et quomodo & quando Patriarchici throni instituti sunt, & de eorum ordine, & propriis nominibus, & cujus locum teneant. Concinnatus est anno 6651. Indictione sexta. Perquam illustrissime Domine mi, de eo quod ad me scripsisti argumento, recordor me, cum in Castro Panormo essem, ad tuam quæstionem rescripsisse, non ita tamen fusè, ut nunc postulasti. Nunc verò quæ à te poscuntur, plenaque sunt, indigentque scriptione exactiore, & narratione. Propterea omni labore neglecto, (hoc enim ex debito quod effugere nemo valet, tibi debetur, toto pectore ac animo explere, quidquid à tua praexcelsa eminentia mihi imponitur, & potissimum cum Sancti Patris mei imperium accedat) conabor breviter ut potero, scriptione plana & aperta, omnia mihi commissa complanare.* Si Rogerii tempore nulli erant Episcopi Græci in Sicilia, frustrà De quinque Patriarchalibus thronis, & eorum subjectis Episcopis quæsivisset Rogerius: frustra enim eorum, quæ ad nos non spectant, cognitio quæritur. Hic itaque Nilus cum de Epi-

Episcopis Patriarchæ Constantinopolitano obnoxiis ageret, Syracusani in Sicilia meminit, cujus inter viginti & unum Episcopos subjectos, secundo loco ponit Tauromenitanum: ejusque verba in Syntagmate Allatii *De perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, Lib. 1. continentur. Primum enim locum *Catania*, secundum *Tauromenium*, tertium *Messana* occupat. Idem anteà recensuerat suo ævo Episcopatus à se numeratos, inter quos & Sicilienses fuere, quos ipse commemorat fuisse sub Patriarcha Constantinopolitano. Tempore ergo Rogerii potuit Theophanes Tauromenii Episcopus esse, & coram Rogerio hanc homiliam habuisse.

Sed eximiè fallitur Allatius, dum anno 1040. sub Rogerio Siciliæ Rege, Rogerii Comitis filio Theophanem hunc floruisse scribit. Nam Rogerius II. Siciliæ Rex appellatus, annis centum postea floruit, anno nimirum 1140 & annis centum recentior allatâ epochâ fuit. Posset tamen excusari Allatius, atque citata epocha typographico adscribi errori, ut non rarò contingit. Amplexus est errorem hunc cæcis oculis in *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1040. pag. 602. Guillelmus Cavus, nulla dignus venia. Si enim attentione tantilla respexisset ad annum 1040. & Rogerii Siciliæ Regis tempora, hanc epocham à se & Allatio constitutam, enormem parachronismum invenisset. Errorem ante me jam correxit Petrus Lambecius tomo V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag. 328. & 365. & tomo VIII. ejusdem Bibliothecæ, pag. 96. cujus verba postea referam.

Contra authoritatem *primò* allatam homiliæ *Dominica in ramis palmarum*, vult Scorsus inscriptionem τοῦ Ῥηγὸς non convenire cum iis, quæ in ipsa homilia dicuntur, in qua βασιλεὺς appellatur, *Cujus præsentia quam nunc timeo & contremisco, sudore aspersus, pavore occupatus, reverentia detentus, pavente anima, nutante mente & subsultante corde, intercluso etiam vocis sono, quod βασιλικαῖς ἀκοαῖς, Imperatoriis auribus sermonem, quasi salsugine amarum propino.* Tanta inquit demissio, tantusque tremor dicentis, nonnisi ab Imperatoria Majestate excitari posse videtur. Nomen Βασιλέως convenire Rogerio non potuit, & solum appellatos Imperatores à Michaelis III. temporibus usque ad Concilium Florentinum, trecentis post Rogerium annis celebratum, comperitur. Hinc, necnon ex diademate & consessu adventuque Episcoporum, quæ non alibi quam in urbe ipsa Constantinopoli congruentius evenire posse videntur, & frequentia Ducum & Magistratuum aulæ Constantinopolitanæ, istam homiliam Constantinopoli habitam, & titulum corruptum suspicatur Scorsus. At Allatius contendit objectionem hanc nihil facere, aitque pag. 66. Diatribæ *De Symeonum Scriptis*, solemne id fuisse Græcis proprios Dominos, non quibus illis debebantur titulis, sed multò amplioribus adornare, ut eos sibi simili titulorum liberalitate conciliarent. Et ne plura hic aggeram, ex eodem, ex quo Scorsus contrarium stabilire conatur, à Niceta probatur, & constantissimè. Photius iliis iisdem temporibus, quibus Controversia hæc inter Orientales & Occidentales agitabatur, Imperatori Occidentali atque Imperatrici, si sibi morem gererent, pollicetur se eos βασιλεῖς proclamaturum. *Magnis eorum muneribus, præcipuè Regem Franciæ Lodoicum & Engelbertam ejus uxorem sibi propitios reddens, eos Imperatores βασιλεῖς, in urbe Constantinopoli se proclamaturum pollicebatur: Si sibi opem ferrent in hac re adeò absurda & injusta, ut Sanctum illum virum* (Ignatium intelligit) *ab Ecclesia ejicerent.* Si Patriarcha in urbe Constantinopoli, reluctante ac contendente Imperatore, nomen hoc exteris tribuisset: quanto magis simplex Episcopus in propria Diœcesi, tyranno ac impio & fortè etiam ambitiosè affectanti, extra urbem Constantinopolitanam tribuere poterat.

Anceps est sibique non constat circa ætatem Theophanis, Petrus Lambecius. Nam tomo seu Libro IV. *Commentariorum Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis* pag. 154. ait eum potissimum floruisse circa annum Christi 880. Tum narrat extare illius *Homilias quinquaginta sex in Evangelia Dominicalia & Festa anniversaria*, MSS. in Bibliotheca Imperatoria, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Cod. 102. num. 1. Et ejusdem *Homilias undecim in totidem Evangelia matutina*, Cod. 111. num. 8. At sibi contrarius, vel saltem doctior factus, tomo seu Lib. V. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ, pag. 328. & 365. ait *illum* cognomine *Cerameum* seu *Figulum*, seculi post Christum duodecimi priori parte dimidia, sub Rogerio Rege Siciliæ floruisse: utpote coram quo anno Christi 1140. Dominica die Palmarum, Orationem etiam nunc superstitem habuisset. Tum subjungit ejusdem *Homilias triginta sex in Evangelia Dominicalia & Festa anniversaria*, extare inter MSS. Codices Theologicos Græcos hujus Imperialis Bibliothecæ, Cod. 228. num. 1. de quibus loquitur pag. 53. Idemque de anno 1140. quem huic Theophani assignat, tomo VIII. ejusdem Bibliothecæ, pag. 98. Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, in *Diario Italico* quod Parisiis anno 1702. in 4. apud Joannem Anisson edidit, duos MSS. Codices *Homiliarum seu Sermonum Theophanis Cerami* à se inspectos, unum cap. 21. pag. 309. ubi Bibliothecam Neapoli S. Joannis de Carbonaria, Patrum Augustinianorum recenset, *Theophanis Cerami Homilia Scripta* anno mundi 6891. hoc est Christi 1383, & cap. 28. pag. 435. ubi Bibliothecam & MSS. Codices in musæo Julii Justiniani Procuratoris Sancti Marci Venetiis recenset, *Ejusdem homilia in Codice paris ætatis, bombycino*, ibidem. Agunt de *Theophane Cerameo* Jacobus Gretserus tomo 2. *De Cruce* in Notis ad duas illius Orationes

nes de hoc argumento, quas edidit. Franciscus Scorsus in Prolegomenis ad Homilias ejusdem, quas Græco Latinas evulgavit. Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* a pag. 60. ad 67. quem hic exscripsimus.

1140 GAVFREDVS seu GAVFRIDVS DE ORATORIO, BVRDEGALENSIS ARCHIEPISCOPVS, natione Gallus, patria Aquitanus, vir magnæ eruditionis ac celeberrimus ætate sua divini verbi præco, floruit in Gallia ab anno 1130. ad 1158. quo mortuus est. Extat ad illum Epistola divi Bernardi circa annum 1129. scripta, ordine 125. qua eum rogat ut in sacris concionibus quas ad populum habebat, caussam Innocentii II. contra Petrum Leonis Antipapam tueatur, quanduquidem jam omnes vere Christiani, præter unum Gerardum Engolismensem, Episcopum, ab illius parte stabant. Ea autem est Bernardi Epistola hic inserenda, quæ Gaufridi meriti eximie commendat. „Odor in flore, in fructu sapor requiritur. Odore provocati charissime frater olei effusi „nominis tui, cupimus & ex fructu cognoscere „te. Non enim nos tantum, sed ipse quoque „qui nullis indiget Deus, opem tamen habet „hoc in tempore, opere tuo, si non dissimulas. „Gloriosum tibi est esse posse Dei coadjutorem, „posse, & non esse damnosum. Porro autem „gratiam habes apud Deum & homines, habes „scientiam, habes spirirum libertatis, habes verbum vivum & efficax & sale conditum. Nec „oportet te pro tantis viribus Sponsæ Christi „deesse in tanto discrimine, cum sis amicus „Sponsi. Amicus siquidem in necessitate probatur, quid enim tu tibi quiescis, & mater rua „Ecclesia conturbatur? Habuit sua tempora „quies, & sanctum otium hactenus sua negu„tia licenter libenterque exaravit. Tempus faciendi nunc, quia dissipaverunt legem. Bestia illa „de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri „cathedram occupat, tanquam leo paratus ad „prædam. Altera quoque bestia juxta vos sibilat, sicut catulus leonis habitans in abditis. „Illa ferocior, ista callidior, pariter venerunt „in unum adversus Dominum & adversus Chri„stum ejus. Demus operam cito dirumpere „vincula eorum, & projicere a nobis jugem i„psorum. Nos in nostris partibus una cum aliis Dei servis divinu igne accensis, Deo cooperante laborabimus in conveniendo populos in „unum, & Reges ad diripiendum pravorum „consensum, ad destruendam omnem altitudi„nem, extollentem se adversus scientiam Dei. „Nec infructuose. Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hispaniarum & Hierosolymo„rum Reges, cum universo Clero & populis, „favent & adhærent D. Innocentio, tanquam „filii patri, tanquam capiti membra, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Merito autem illum recipit Ecclesia, cujus & opinio clarior & electio sanior inventa est, numerum eligentium & numero superans & merito. At tu frater quid adhuc negligis? quo„usque vicino serpente, tua in alta secura dormi„tat industria? scimus quidem te filium pacis, „nulla posse ratione induci deserere unitatem, „sed profecto non sufficit, nisi & defensare ar„que ipsius quoque turbatores totis viribus de„bellare studueris. Nec quietis timeas detri„mentum: non parvo gloriæ tuæ incremento „recompensabitur, si fera illa vicina vobis, „tuo studio mansuescat & obmutescat, & tam „tam Ecclesiæ prædam, Comitem Pictaviensem, „in manu tua Dei pietas de ore Leonis eripiat." Factus postea Gaufridus iste anno 1136. Burdegalensis Archiepiscopus, qui anno sequenti 1137. nuptias Ludovici Regis cum Eleonora Willelmi Aquitaniæ Comitis filia consecravit. Adfuit anno 1148. Remensi Concilio, & Gilberto Porretano contra eos, a quibus hereseos insimulabatur, adhæsit: ut testatur Gaufridus Claræ Vallis Monachus in Epistola sua inserta ad calcem Synodi, ubi *Vir magnus nec mediocriter litteratus* dicitur. Cluniacensium autem benefactorum suisse & Petri Venerabilis amiana, docet ipse Petrus Abbas Lib. 4 Epistola 12. quam ipsi inscripsit, *Venerabili & præcordiali nostro Gaufrido Burdegalensi Archiepiscopo*; qui ejusdem meminit Lib. 5. Epist. 5 ad Eugenium Papam, scripta pro Consecratione electi Episcopi Engulismensis. Confirmavit idem Gaufridus anno 1150. apud Fontem Ebraldi, conventionem factam inter Mathildem dicti loci Abbatissam & Julium Abbatem de Corona. Præfuit Synodo Balgenciacensi ad Ligerim, cui congregandæ ansam dedit Ludovici VII. Regis cum Eleonora Aquitana divortium. Indeque Gilberti Porretani Pictavorum Episcopi celebravit exequias, pridie Nonas Septembris anni 1154 cum Sanctonensi, Engolismensi & Petracoricensi Præsulibus. Extant hujus Gaufridi *Epistolæ quinque* scriptæ ad Sugerium Sancti Dionysii Abbatem, impressæ inter *Sugerianas Epistolas*, quibus continetur ipsum sententiam interdicti pronuntiasse in vicecomitem Gavarritanum. Lemovicas item convenisse mandaro Romani Pontificis, pro caussa Bituricensis Antistitis. Ejusdem quoque Gaufredi extant *Sermones in nonnullis anni festivitatibus & Dominicis* aurei & elegantes, qui plerumque in Bibliothecis anonymi incipiunt, *Aspiciebam in visu noctis & me in nubibus cœli quasi filius hominis* &c. sermo 1. incipit, *Cœlestibus Daniel flagrans desideriis* &c. MSS. in Bibliotheca S. Germani Parisiensis, Codicibus 242. & 381. Iidem sermones incipientes, *Aspiciebam ego in visu noctis* &c. MSS. in Bibliotheca S. Michaëlis in periculo maris, sub nomine Petri Long. (forte Longobardi) una cum defensione Formosi Papæ in Dialogo *inter infensorem & defensorem*, qui sub Auxilii nomine editus est. Item in Bibliotheca Sancti Martialis Lemovicensis Cod. 24.

Goffridi sermocinarium ex homiliis sanctorum Patrum in certis anni festis & solemnitatibus majoribus Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Litaniis &c. Item ejusdem Sermones alii in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis Cod. 559. incipientes: *Deum time. Rex Salomon quem pro Regibus & optimatibus insignivit Dominus talento scientia singularis* &c. qui etiam extant anonymi in Bibliotheca S. Theodorici prope Remos Cod. 101. quos Bibliothecarius inscripsit *Sermones varios Gaufridi Catalaunensis Episcopi, & hujus loci quendam Abbatis*, qui ad hunc Gaufridum pertinere mihi videntur. Extat pariter in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis num. 191. Codex 500. & amplius annorum optimæ notæ continens *sub nomine Gaufridi Commentarium in primos quinquaginta Psalmos Davidis.* Incipit, *Inquirendum est quid sit Prophetia* &c. Qui autem novissime appinxit titulos Manuscriptis hujus Bibliothecæ, vult illum spectare ad *Gaufridum Abbatem Vindocinensem* tam ob antiquitatem Codicis, quam ex speciali charactere elementorum, qui ad hanc ætatem spectat. Verum posset quoque spectare ad *Gaufridum de Oratorio* Monachum etiam Benedictinum, vel etiam ad *Gaufridum olim quartum Claræ Vallis Abbatem* & Sancti Bernardi Secretarium, cujus extant MSS. multa Opera in Bibliothecis. Videant ista & examinent, quibus per otium licet. Denique Gaufridus de Oratorio, ab Sugerio S. Dionysii Abbate ad conventum Carnotensem vocatus, illi inter esse non potuit, ex ægritudine detentus qua Fontebraldi occumbere anno Domini 1158. coactus est. Commendatur in Chronico veteri Normanniæ, *tanquam vir religiosus & verbi Dei seminator egregius.* Plura de illo Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 1. pag. 210. & sequentibus, in serie *Archiepiscoporum Burdegalensium.* Seculum 4. Universitatis Parisiensis tam in *Historia* pag 111. quam in Catalogo pag. 732. unde pleraque accepimus.

1140 BENEDICTUS ECCLESIÆ SANCTI PETRI ROMÆ CANONICUS, circa annum 1140. sub Innocentio II. Romano Pontifice clarus, nomen suum commisit posteris, scribens librum *De ritibus Ecclesiæ Romanæ*, seu, ut ipse vocat, *De Ecclesiastico ordine totius anni, & præcipue Apostolicæ dignitatis & totius Curiæ*, quem habes editum Parisiis anno 1689. Tomo 2. pag. 118. *Musei Italici*, antiquos rituales libros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ complectentis, quod edidit Joannes Mabillonius in 4. apud Viduam, Edmundi Martini & Joannem Boudot. Inscriptus, *Benedicti Ecclesiæ beati Canonici Liber pollicitus, ad Guidonem de Castello, tum Cardinalem S. Marci, qui postmodum Cœlestinus II. factus est.* Itaque Opusculum istud certo ante annum MCXLIII. scriptum fuit, quo Guido iste cui dedicatur, dictus Cœlestinus II. ad Pontificatum Romanæ Ecclesiæ assumptus est. Hujus meminit qui Opusculum edidit, Joannes Mabillon in *Commentario* quem præmisit *in ordinem Romanum* num. 2. pag. VIII. & num. 5. pag. XXXII.

SEFRIDUS, THIMO, EBBO ET HERBORDUS, quatuor hi Germani, scriptores *Vitæ S. Othonis Bambergensis Episcopi*, claruerunt ultimis Conradi Suevi Imperat. temporibus, qui ab anno 1138. usque ad 1142 imperium tenuit, atque primis Friderici Ænobarbæ qui successit. Nam extiterunt tempore S. Othonis, qui anno 1124. in Pomeraniam ad prædicandum Evangelium profectus est, atque anno 1139. obiit. Ex his quatuor *Sefridus* sive *Sifridus* S. Othonis scriba seu notarius fuit, ut observat Daniel Cramerus *Chronici Pomeranici* lib. 1. cap. 14. *Ebbo* fuit Monachus Cœnobii S. Michaelis prope Bambergam, ac Vitam Othonis retulit, prout eam ex ore Udalrici Sacellani S. Ægidii accepit: ut auctor Andreas Abbas, in Præfatione quam quatuor libris de vita Othonis præmisit. *Thimon* autem ut ex eodem Abbate cognoscimus, erat Monachus genere illustris, & S. Othoni gratus acceptusque, qui & quinquennis ejus fuisse minurus creditur. *Herbordus* autem ibidem *Scholasticus* vocatur, diciturque, *Vitam præfati Othonis in libello quodam dramatico, carmine vel etiam prosa luculentissime persuasisse.* Ex tribus prioribus Vita S. Othonis, quæ extat apud Henricum Canisium Tomo 2. *Antiquæ lectionis*, contexta est. Ex iisdem quoque, atque item ex *Herbordo*, sua se accepisse Andreas Bambergensis Abbas in præfatione fatetur, cujus *Quatuor libri de vita S. Othonis* extant in *Divis Bambergensibus* a Jacobo Gretsero editis. Ita Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 50 pag. mihi 412. 1140

ROBERTUS AUSTROVANDIÆ ARCHIDIACONUS, ultimis quoque ejusdem Conradi Imperatoris temporibus vixit, ac *Vitam S. Aiberti Monachi & Presbyteri monasterii Crispininsis* æqualis sui conscripsit, qui circa annum 1140. obiit. Ejus autem Vitæ auctorem, S. Aiberto æqualem fuisse, hæc verba præfationis ostendunt: *Vitam S. Confessoris Christi Aiberti, quemadmodum a religiosis & veridicis viris, maxime autem a Domino Alulpho religioso monacho, qui ejus secreta præ cæteris melius noverat, accepi, pro ingenii mei mediocritate diligenter enarrare constitui.* Extat hæc Vita apud Laurentium Surium Tomo 2. ad diem 2. Aprilis. Hæc Gerardus Joannes Vossius loco citato. 1140

S. PETRUS MAURICIUS cognomento VENERABILIS, ABBAS EX CLUNIACENSIS, gente Gallus, patria Arvernus, ex nobili Dominorum de Monte Buxerio stemmate prognatus, Mauricii & Bangardæ filius, postquam militiæ gloriosam per annos aliquot navasset operam, seculo renuntians, Monachis Clu- 1140

Cluniacenſibus ſe adjunxit, & poſt Hugonis junioris mortem, anno 1123. die aſſumptionis B. Virginis, Abbas Cluniacenſis creatus eſt, *Venerabilis* ob morum gravitatem vulgo dictus. Primis ſuæ præfecturæ exordiis, graviſſimas a Pontio olim Abbate Cluniacenſi, qui ante triennium Hieroſolymam profecturus munere ſuo ſeſe abdicarat, abdicatum redux repetierat, injurias paſſus eſt, quibus importunis opportuna mors Pontii finem mox impoſuit. Anno 1126. Petri de Bruis dogmata voce & ſcriptis oppugnare cœpit. Anno 1140. Petrum Abaëlardum apud Cluniacenſes fortuito divertentem, ab erroribus in ſaniorem mentem revocavit, & in Monaſterio Cluniacenſi, ſenectuti ſuæ ſedes ponere, Monaſtica vita ſuſcepta perſuaſit. Anno 1145. ab Eugenio Pontifice in Italiam evocatus eſt, ut Tuſciæ civitates implacabili inter ſe bello digladiantes, invicem conciliaret. Sedulo id quidem Petrus conatus eſt, verum obſtinata Tuſcorum pervicacia pios illius conatus irritos fecit. Anno 1150. ad procuranta Ordinis Cluniacenſis negotia Romam iter ſuſcepit, ingenti honore ab Eugenio III. Papa & Romanis Civibus exceptus. Obiit exeunte anno 1156. octavo Kalendas Jonuarii. Hæc Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ad annum 1123. pag. 658. opera ejus accurate recenſens, quibus addimus *Diſpoſitionem rei familiaris a Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi anno 1149. prælatura ſua 28. factam*, quam ex MS. Codice edidit anno 1700. in 8. Stephanus Boluzius *Miſcellaneorum libri V.* a pag. 443. ad 453. cujus mentionem facit *Bibliotheca Cluniacenſis* in *Geſtis Petri Cluniacenſis*, col. 592. Hæc ad Cavum adjecta ſint.

Joannes Albertus Fabricius S. Theologiæ profeſſor publicus, edendam curavit anno 1713. in 4. paginis 800. *Bibliographiam Antiquariam*, ſive *Introductionem in Notitiam Scriptorum*, qui *Antiquitates Hebraicas, Græcas, Romanas & Chriſtianas ſcriptis illuſtrarunt.* Quibus acceſſit ſub nomine *Mauricii Senonienſis de ſacra Miſſa ritibus carmen ſeu Poema* nunc primum editum Hamburgi & Lipſiæ impenſis Chriſtiani Liebezeit 1713. in 4. Habetur Carmen iſtud verſu Elegiaco, verſus DCX. continens, cujus hic prologus.

Scribere propoſui, quæ Myſtica ſacra priorem
Miſſa repræſentat, quidve Miniſter agat.
Pro multis una, pro cottidie repetitis
Eſt oblata ſemel, Hoſtia vera Deus.
Involucrum legis Chriſtum patefecit, ovemque
Significativam, vera removit ovis.
Presbyter hanc offert, & in hac ceſſare figuram,
Remque figuratam, teſtificatur agl.
Sic etenim Templi, ſic & Crucis exprimit aras,
Vt ſacra commemoret illius, hujus agat.
Ergo quod in Miſſa vel agatur, vel memoretur,
Quæ quibus aſſimilet, ſub brevitate canam.

Opuſculum iſtud in membrana ſcriptum, atque annos 500. circiter referens, in auctione Librorum Hamburgi facta ſibi comparatum, ſub falſo *Petri Mauricii Senonenſis* nomine edere in lucem publicam voluit, opinatus ex conjectura Levi, illud pertinere ad *Petrum Mauricium, Cluniacenſem Abbatem*, Venerabilem cognominatum, ac dictum *Petrum Mauricium*, quia ex ſtyrpe Comitum Sancti Mauricii in Sabaudia oriundus eſſet. Verum hac in parte Albertus Fabricius ex MS. Codicis titulo eximie deceptus fuit, cujus conjectura prorſus vana fuit. Nam Petrus Mauricius non ita nuncupatus, quod ex familia Comitum Sancti Mauricii in Sabaudia eſſet, ſed quia nomen patris ſui qui *Mauritius* dicebatur, ſuo Petri nomine adjunxit, ut ſcriptor vitæ illius teſtatur. Neque Senonenſis in Burgundia, neque Sedunenſis vel Agaunenſis ſeu Sancti Mauricii in Sabaudia fuit: ſed Gallus, patria Arvernus, a partibus Sabaudicis remotiſſimus. Præterea indignum eſt Fabricio, edidiſſe opuſculum ut recens, ſub incerti nomine hominis quod jam dudum ſub nomine ſcriptoris proprii, ſæpius editum proſtat: & quod Codices MSS. in Gallia plurimi *Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo ac poſtea Turonenſi Archiepiſcopo* diſerte attribuunt, qui ſeculi XI. & XII. Eccleſiæ, ob multitudinem Poematum innumeram celeberrimus inclaruit. Vidi ego Operis hujus Codices MSS. plures ſub Hildeberti hujus nomine in Bibliothecis. Itaque aerem percutit Fabricius, dum Poema iſtud hujus incognitio *Mauricio Senonenſi*, vel *Petro Mauricio Cluniacenſi Abbati* tribuit, qui in Poetica arte, nihil unquam elaboraſſe legitur. Ex MSS. Codicibus Germanicis etiam, errorem ſuum negotio facili corrigere Fabricius Hamburgenſis poterat, ſi Codices Lipſienſis Bibliothecæ conſuluiſſet. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis extat Repoſitorio Theologico II. Serie II. in folio, Codice 29. Num. 5. *Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi Carmen de Vita S. Mariæ Ægyptiacæ.* Ejuſdem *Carmen prolixum de Sacramentis*, ut habet Joachimus Fellerus Bibliothecarius in Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ pag. 109. edito Lipſiæ anno 1686. in 12.

Cum oraſſem eruditum virum Dominum Gabrielem du Mont Eccleſiæ Reformatæ Lipſienſis Miniſtrum, ut Codicem hunc MS. Lipſianum inſpiceret atque examinaret, hæc ad me de illo reſcripſit Epiſtola erudite Lipſiæ anno 1714 die 9. Februarii data.

« Quoad MS. Codicem Bibliothecæ noſtræ « Paulinæ, de quo Fellerus Catalogi pag. 109. « reperi in uno Volumine in folio, poſt Opera « quædam S. Auguſtini, ſubſequi Opera quædam « Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi, nimirum « *Vitam*

„*Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ* cum hoc titulo, „*Incipiunt versus Hildeberti Episcopi Cenomanensis* „*de Vita Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*: tum conse-„quenter ejus Tractatus *de Missæ ritibus* cum „solis his verbis quæ illum ab Opusculo præ-„cedenti distingunt, *Versus Hildeberti de Sacra-* „*mentis*

Scribere propofui quæ Myftica facra piorum Al, priorum
Miffa repræfentat, quidve Minifter agat &c.

„Hæc Disticha sex præfationem hujus Tracta-„tus faciunt, qui versus circiter DCCCL. com-„plectitur. „ Amplior igitur multo reperitur, Fa-briciano ille quem protulit, qui versus tantum DCX. continet. Plurimi alii Codices sunt MSS. in Gallia & Anglia, qui Opusculum istud in-dubitanter ei attribuunt, ut in *Hildeberto* ad annum MCX. supra exposuimus. Hinc con-cludimus Opusculum istud ab Hildeberto vero auctore prolixius factum, ab ignoto illo *Mau-ricio Senonensi* decurtatum ac mutilatum fuisse, qui nomen suum operi decurtato imposuit. Denique omnes editiones Bibliothecæ Vete-rum Patrum nulla quod sciam excepta, habent Opusculum istud sub veri authoris nomine Hil-deberti Cenomanensis Episcopi impressum. Editio prima Parisiensis anni 1575. Tomo 4. col. 631. Itemque Secunda anni 1589. & Tertia an-ni 1610. quibus adde Coloniensem ejusdem Bi-bliothecæ Patrum editionem 1618. ordine se-culorum distributam. Michael autem quidam Historicus dictus scripsit Collectionem seu Col-lectaneum quoddam, continens Patres qui *De officiis divinis & Mysteriis Catholicæ Ecclesiæ* scri-pserant, quod anno 1619. *Auctarii* loco cæteris Bibliothecæ Veterum Parrum Tomis adjunxit, Parisiis anno 1624. cum editione Bibliothecæ Patrum Parisiensi, anni 1624. ejusdem, ven-ditum, in quo hoc pariter Opus sub Hildeber-ti Cenomanensis Episcopi nomine contentum a col. 839. ad col. 849. Idem quoque Opus in editionibus tribus ultimis Parisiensibus anno-rum 1624. 1644. & 1654. Denique & in Ulti-ma editione Lugdunensi anno 1677. facta, quæ voluminibus viginti & septem completur, ut mihi inspicienti constitit. Inscribitur, *Versus Hildeberti Cenomanensis Episcopi de Mysteriis & ordi-ne Missæ, seu de concordia Veteris & Novi Testa-menti.* Ut mirum sit, quomodo venerit in mentem Joannis Alberti Fabricii, opusculum sub incogniti atque obscuri hominis edere no-mine, quod toties jam sub nomine proprii Scri-ptoris, ab annis fere ducentis evulgatum ac ju-ris publici factum fuerat. Ita ex *Actis Erudito-rum Lipsiæ* anno 1313. mense Junio pag. 254. ad 257. qua agit de Poemate Mauricii, ubi ip-psum damnat Fabricius, dum Petrum Venera-bilem Abbatem Cluniacensem apud Arvernos natum esse fatetur, licet statim hæsitans sub-jungat, *Senonensis videtur appellari, quod fortassè cum ista scriberet, apud Senonenses commoratus fuit.* Quo quid nugacius aut incertius dici possit non video.

Rectius ipsi Caspar Barthius S. Petro Mau-ricio Cluniacensi Abbati IX. attribuit opellam seu Prosam unicam de Sancto Martino Episco-po, quam ut modicam refert *Adversariorum* lib. 14. cap. 13. col. 955. editionis Francofurtanæ 1648. in folio, atque omissam reperit in *Biblio-theca Cluniacensi*, ubi Rythmi, Prosæ, versus & Hymni illius habentur a col. 1338. ad col. 1354. Pluribus autem de illo agit dictus Barthius *Ad-versariorum* lib. 55. cap. 10. col. 2606. ad 2609. atque aliis eorundem locis.

BERENGARIUS PICTAVIENSIS, Petri 1140 Abaëlardi discipulus, floruit hoc seculo XII. ab anno 1140. ad annum præter propter 1150. & ultra, nec enim scimus quo casu, quo-ve tempore mortuus sit. Hic cum Petri Abaë-lardi quondam auditor fuisset, infractus tanti Magistri tamque pulsati discipulus, nomen & famam Magistri sui adversus omnes turri ausus est, etiam post quam anno 1140. in Concilio Se-nonensi damnatus fuerat. De eo ita Franci-scus Petrarcha in *Apologia*, ubi eum vocat *virum non infacundum.* „Damnavit Pernardus Clara-„ Vallensis Abbas Petrum Abaëlardum, Litte-„ rarum quendam virum, Huic iratus Beren-„ garius Pictaviensis, vir & ipse non infacundus„ ac discipulus Petri, contra Bernardum librum„ unum scripsit, non magni quidem corporis, sed„ ingentis acrimoniæ: de quo postmodum a„ multis increpatus se excusavit, quod adole-„ scens scripsisset, & quod sibi viri sanctitas non-„ dum penitus nota esset.„ Scripsit itaque Be-rengarius Pictaviensis Epistolam *seu Apologeti-cum contra Bernardum* in gratiam Petri Abaëlar-di Magistri sui, *alteram* contra Carthusienses, & *tertiam* ad Episcopum Mimatensem, quas non omisit clarissimus editor Operum Petri Abaë-lardi, immixtas Abaëlardensibus Epistolis, de quibus supra in *Abaëlardo*. Ipsæ eædem seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis* insertæ tomo 2. pagg. 182. 193. & 194. Habentur & Manu-scriptæ in Codice Regiæ Galliorum Bibliothe-cæ 3824. fol. 185. Epistola contra Bernardum. fol. 189. Altera ad Episcopum Mimatensem. fol. 191. tertia adversus Carthusienses, cum Confes-sione fidei Petri Abaëlardi fol. 192. Culpatus a multis tamen quod contra Bernardum virum sanctum in plurimis stylo mendaci scripsisset, eumque proscidisset, excusavit se quod adole-scens & joco potius quam serie scripserit, ut te-statur in *Epistola ad Episcopum Mimatensem.*

GUALTERUS DE MAURITANIA, LAU-1140 DUNENSIS EPISCOPUS, insignis pri-mum fuit in monte Sanctæ Genovefæ Parisiis professor Rhetorices, quem in numero profes-sorum sui temporis ponit Joannes Sariberiensis, eorum scilicet a quibus litteris informatus est ab anno 1136. ad annum 1148. Ad Philosophi-am

am deinde & ad Theologiam se contulit, cujus *Epistolas & Tractatus* refert in Historia Seculi IV. *Universitatis Parisiensis* Cæsar Egossius du Boulais. Hic Petro Abaëlardo adversarius fuit & valde infensus, scripsitque contra Tractatum ejusdem Abaëlardi, quem modo Opusculum *De fide Sanctæ Trinitatis*, modo *Theologiam suam*, modo *Sacra eruditionis summam*, vulgo autem *Introductionem ad Theologiam* vocat, *doctissima Opuscula*: quæ Dominus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus tom. 2. pag. 459. & seqq. sui *spicilegii* edidit, & quæ extant in MSS. Codice 656. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis, quem per octiduum apud me habui. Eadem Opuscula Gualteri de Mauritania MSS. in Bibliotheca S. Martini Sagiensis in Normannia, Littera G. 6. nisi sit ipse Codex quem habui ex Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, cui donatus fit. Extant etiam hæ *Epistolæ Gualteri* insertæ seculo 4. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1120. pag. 69. & sequentibus. Idem scripsit *contra Guillelmum Monachum & contra Albericum Remensem Magistrum*, doctas, eloquentes ac nitentes Epistolas, quæ locis citatis leguntur. Revera haud scio, an ullo magis seculo quam isto, floruerint musæ Parisienses, ut evidenter agnoscitur ex scriptis Magistrorum hujus ætatis, quos nostri vix hodie assequantur. Atque hoc supra cæteros Gualterus habebat, quod Rhetoricam diu in Monte Sanctæ Genovefæ teste Joanne Sarisberiensi professus fuerat, unde postea se ad Theologicam palæstram contulerat. Idem circa annum 1140. ut vir humilis & quietus, retractavit libenter & correxit, quod in suo *De Incarnationis Mysterio* tractatu nonnulla nova & duriora dictasset, etsi insignis tunc temporis Theologiæ professor. Hæc *Retractatio* habetur tomo 2. *Spicilegii Dacheriani* pag. 462. & seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis*, pag. 201. Porro quam affert Epistolam Seculum 4. *Universitatis Parisiensis*, pag. 64 sub nomine *Guillelmi de Mauritania ad Hugonem Priorem sancti Victoris*: ea sane spectat ad *Gualterum istum*, qui sæpius cum Hugone Victorino de rebus Theologicis contulit, ut patet ex Operibus Hugonis de Sancto Victore, qui ei dedicat Opusculum suum *De anima Christi*, alias & in MSS. inscriptum, *De sapientia Christi & sapientia Christo, Magistro Gualtero de Mauritania, clarissimo divini verbi scrutatori*. Fefellit Hugonem Mathoud, qui primus hanc Epistolam edidit in Observationibus suis ad *Robertum Pullum* pag. 332. sub nomine *Guillelmi de Mauritania*, sola littera G. initialis, qua *Guillelmum* legit pro *Gualtero*. Hanc ita inscriptam edidit in suis ad Robertum Pullum annotationibus, pag. 332. Sed Epistola ista ea est, ut denotet *Tractatum De anima Christi* quem ei Hugo Victorinus distinaverat, arguens illum amice & eleganter, quod diceret *animam Christi tantam habuisse scientiam, quantam ipsa Divina natura habet*. Jam veniamus ad reliquas vitæ Gualteri de Mauritania epochas. Fuit postmodum Authoniensis in Flandria Canonicus, & a Canonicis ad Eugenium III. Romanum Pontificem missus contra Franconem Laubiensem Abbatem sibi Præbenda ejusdem Authoniensis collationem arrogantem. Qui ab Eugenio ad Samsonem Remensem Archiepiscopum ad caussam terminandam remissi sunt, ut in Historia Abbatum Lambiensium his verbis legitur: *Quid plura? Itum est & reditum, sed nihil finitum: nam & Abbas & qui contra Abbatem erat Walterus de Mauritania (est ille summus quidem inter Francia Magistros, nunc Authoniensis Canonicus) postea Laudunensis Episcopus, a Papa Eugenio ad Samsonem Remorum Archiepiscopum sua ipsorum petitione remissi sunt.* Decanatum quoque Gualterus de Mortagnia & Canonicam præbendam in Ecclesia Cathedrali Laudunensi circa annum 1150. obtinuit, tum post mortem Gualteri de Sancto Mauricio suffectus ei Episcopus, & Romæ anno 1155. consecratus est. Concilio Turonensi, præsidente Alexandro III. anno 1163 interfuit. Nivernensi, anno 1167. in quo Popeliani damnati sunt, teste Hugone Pictaviensi in Chronico Vezeliacensi. Obiit anno 1174. sepultusque in Ecclesia Sancti Martini Laudunensis, cum hoc Epitaphio.

Hic tego Gualterum, quod detego, mutaque petra
Præsulis acta loquor, pro lingua sunt mihi metra.
Consilio, monitis, virtutibus hoc modo vitam,
Rexit, correxit, erexit oves & ovile.
Infuit huic pietas, sale sed condita vigoris,
Torpida ne fieret virtus, & egena Saporis.
Abstulit hunc mundo, divisio discipulorum,
Vivat in æternum, meritis adjutus eorum.

Illi successit Rogerus de Rosoy seu de Roseto, ut habet Chronicon Laudunense: *Mortuo apud Laudunum insigni viro Gualtero de Moretonia, qui eundem Episcopatum multis ædificiis insignivit, vocatur ad Præsulatum Rogerius de Roseto, Decanus Catalaunensis, vir sui temporis in amanda societate, in honesta largitate, in faciendis expensis, in omni urbanitate incomparabilis.* Plura de *Gualtero de Mauritania* Seculum 4. *Universitatis Parisiensis* tomo 2. pag. 64. 69. 77. & in Catalogo Scriptorum, pag. 739. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 2. in Episcopis Laudunensibus pag. 623. quos consulas.

DISSERTATIO
DE
GRATIANO ET COLLECTIONE DECRETORUM ILLIUS.

MULTI multa scripserunt de Gratiano tum veteres tum recentiores, ex quibus & nonnulla fabulam olent: nullus autem hucusque a me lectus est, qui cum judicio & æquitate de illo scripsetit, studiis partium authorem quemcunque abripientibus: aliis Gratianum indebitis laudibus, aliis injusto vituperio, vel attollentibus vel deprimentibus, quæ huic Dissertationi anno 1698. scriptæ occasionem dederunt, quam nostro more ab aliis excerpsimus.

CAPUT PRIMUM.
DE PATRIA, VITÆ GENERE, STUDIO ET FRATRIBUS GRATIANO ATTRIBUTIS.

1140 GRATIANUS Juris Pontificii Doctor & professor, Collectionis Decretorum Ecclesiasticorum quæ prænotatur *Concordantia discordantium Canonum* compilator ut vocant, natione Etruscus, patria Clusinus, professione Monachus Sancti Proculi, sive, ut aliis placet, Sanctorum Felicis & Naboris Bononiæ, ordinis divi Benedicti, Congregationis Cluniacensis, opus suum anno 1151. in Abbatia S. Felicis Bononiæ consummavit. Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Gratianum hujus Collectionis auctorem esse agnoscit, idemque Lib. 2. *De viris illustribus ord. Divi Benedicti*, c. 113. quo in loco addit, fuisse ab eo compositam *anno Domini millesimo centesimo vigesimo septimo*: ipsam dubio procul Operis inceptionem spectaos, quo in consummando usque ad annum 1151. annos viginti quatuor insumpserit. Opus omne tribus partibus constat, quarum prima *Distinctiones centum & unam* complectitur, secunda *Causas triginta sex*, quarum quælibet varias sub se quæstiones, quælibet quæstio varia complectitur. Adde *Causa XXXIII. quæstioni III.* subjici amplissimum tractatum *De Pœnitentia* septem Distinctiones continentem. Tertia pars agit *De Consecratione*, quæ in quinque Distinctiones dicitur. Opus tripartitum in *Distinctiones*, *Causas & de Consecratione* interpretati sunt Hugo seo Hugutio, & Joannes Teutonicus cognomento Semeca. Apparatum autem ad illud, quod dicitur *Rosarium Decreti*, scripsit Archidiaconus. At nostra ætate (inquit Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Gratianus*) universum Corpus Decreti emendari & annotationibus illustrari curavit Gregorius XIII. Pontifex Maximus, qui & sanxit, ne qua editio alia in scholis legeretur, aut privatim haberetur, donec reliquæ ab aliqua Universitate repurgatæ fuissent. Ita autem emendatum prodiit Romæ an. 1580. Venetiis 1584 Lugduni an. 1584. & an. 1591. Francofurti nis 1586. & 1590. cum idem Parisiis anan. 1584. prodiisset. Quia & emendare illud antea attentaverat Antonius Contius, quod impressum fuit Antverpiæ apud Plantinum an. 1570 & ibidem 1573. Sed jam Romana editio & emendatio cæteris anteponendæ sunt. Contigit autem (ait Arnoldus Wioo) de Gratiani monasterio, quod olim de patria Homeri, nempe Monachis sanctorum Felicis & Naboris suum esse asserentibus, Monachis autem Sancti Proculi contra dicentibus, qui Gratianum Monachum suum esse affirmant, & pro tali eorum in claustro quod hortum respicit, *statuam ei marmoream erexerunt*. Quibusdam etiam placet, ut Monachus Classensis vocetur, quemadmodum sensisse videtur Trithemius Lib. 2. *De viris illustribus ord. divi Benedicti* cap. 113. At hallucinatus putatur, quod nomine *Classis* sive potius *Clusis* natum, monasterium pro civitate acceperit, in qua eum esse natum testatur liber prænotatus *Pomarium Ecclesiæ Ravennatis*, quod in bibliotheca Vaticana manuscriptum extat. Cæterum illos inter se conciliari posse putat Arnoldus Wion in *Ligno Vitæ*, si dicatur, Gratianum *Clusis* natum, monasticam vitam in Monasterio Sancti Proculi professum fuisse, deinde transiisse majoris commodi gratia in Monasterium Sanctorum Felicis & Naboris Bononiæ, ibique composuisse *Decretum* seu *Concordantiam Discordantium Canonum*. Quod & conjecisse videtur Carolus Sigonius lib. 1. *De Episcopis Bononiensibus*, non ausus dicere Gratianum Monachum fuisse Sancti Felicis, sed *Decretum in ejusdem S. Felicis Monasterio composuisse*. Hæc Antonius Possevinus Tomo 1. Apparatus Sacri, verbo *Gratianus*, ubi & errores aliquot Collectionis Decretorum illius observat.

Jam ad fratres Gratiano attributos veniamus, & quantum hæc fabula successu temporis accreverit, audiamus. Non audiebatur illa tempore Vincentii Bellovacensis, qui *Speculum Historiale* suum ad annum Christi 1254. poduxit. Illic enim 3. parte lib. 29. cap. 1 agit de Petro Lombardo Sententiarum Magistro & de Petro Comestore, eorumque scriptis, quos eodem capite collocat, ac nihil, quod fratres fuerint, loquitur. Idem parte 2. agit bis de Gratiano, semel lib. 23. cap. 31. de Isidoro Peccatore loquens, & iterum lib. 25. cap. 84. de Ivone Carnotensi & aliis Decretorum collectoribus agens: utrobique ne verbum quidem, quod germanos habuerit fratres Petrum Lombardum sententiarum Magistrum, & Petrum Comestorem Historiæ

storiæ Ecclesiasticæ authorem. Debebatur hæc fabula S. Antonino Florentino Archiepiscopo, qui primus eam scripto mandavit in *Summa Historiali*, quam ad sua usque tempora deduxit, hoc est ad annum circiter 1455. Illam ex incertis quorundam concionatorum ad populos declamationibus se scripsisse affirmat parte 3. tit. 18. cap. 6. his verbis. „Circa ista tempora fuerunt tres solennes viri valde studiosi, qui composuerunt libros multum utiles Ecclesiæ Dei, scilicet Gratianus monachus Claustensis qui composuit *Decretum*, & Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum *Sententiarum*: & Petrus, qui dictus est Comestor, qui fecit *Historiam Scholasticam*. Et a quibusdam prædicatur in populis, quod fuerint germani ex adulterio nati, quorum mater cum in extremis peccatum suum confiteretur, & confessor redargueret crimen perpetratum adulterii, quia valde grave esset: & ideo multum deberet dolere, & pœnitentiam agere. Respondit illa, Pater scio quod adulterium peccatum magnum est: sed considerans quantum bonum secutum est, cum isti filii sint lumina magna in Ecclesia, ego non valeo pœnitere. Et Confessor ad eam, Quod tui filii sint notabiles viri, & opera utila fecerunt Ecclesiæ Dei, non ex te, sed ex dono Dei est: ex te autem adulterium crimen magnum, & de hoc doleas: etsi non habes illum dolorem quantum exigit tantum peccatum, de hoc tamen doleas quod dolere non potes." Fabulam autem a se ex nugis Concionatorum, scripto commissam, miserrimis, imo falsissimis rationibus confutat idem Antoninus Florentinus Archiepiscopus sic. „Sed de hoc potest dici id. Exempla ponimus non quod ita sint, sed ut sentiant addiscentes: non enim reperitur authenticum, imo non fuerunt contemporanei, etsi vicini tempore, Gratianus enim fuit ante alios duos. Nam ut dicit Hugo in Glossa 2. quæst. 6. §. *Forma appellationis*, Gratianum librum Decretorum edidit, Alexandro III. Papa tum legente Bononiæ in Theologia, & Jacobo in Legibus: qui Alexander creatus fuit Papa anno Domini 1159. Magister autem Petrus Lombardus qui fecit librum Sententiarum, fuit quidem tempore Friderici primi Imperatoris & ejusdem Alexandri Papæ, sed non germanus ejus: nec de more est duos germanos eodem nomine vocari, scilicet *Petrus*. Composuit igitur Decretum vir venerabilis Gratianus Monachus in civitate Bononiæ ut dicitur, quem librum intitulavit *Concordiam discordantium Canonum*, librum utique plurimum utilem ad prædicandum, sermocinandum, & consulendum, præcipue in foro conscientiæ. Et est fundamentum Juris Canonici, quamvis prius aliqui fecerunt Compilationes Canonum, ut Isidorus & Ivo Carnotensis, tamen aliis rejectis hoc solum est in usu. Et incipit, *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet jure, & moribus*. Primus glossator ejus seu commentator fuit Hugo seu Huguitio, secundus qui glossavit Joannes Teutonicus fuit, & ista est glossa communis in textu. Apparatum autem nobilem super ipsum sine textu fecit Archidiaconus, qui dicitur *Rosarium Decreti*." Hæc Antoninus Florentinus, qui tum pluribus exponit hujus Collectionis partitionem paragg. 1. 2. 2. 4. Tum cap. 7. sequenti de Petro Lombardo paragraphis 1. 2. 3. 4. & cap. 8. de Petro Comestore *Historia Scholastica* scriptore. Sententiam Antonini sed cum formidine & cautela, amplexus est Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, lib. 1. *De emendatione Gratiani* Dialogo XVIII. his verbis. „Capitale crimen extremo loco positum est adversus Gratianum *De pœnitentia Distinct. 1.* & ejus fratrem (ut vulgus putat) Petrum Lombardum, quem Magistrum Sententiarum appellant. Ambo enim fratres quæstionem proponunt: An sit necessaria oris confessio, quam sacramentalem vocant, ad remissionem peccatorum; vel sola contritio cordis, & secreta satisfactio sufficiat, etiamsi copia vel facultas adsit presbyteri. Neuter solvit quæstionem, imo Gratianus multis in utramque partem relatis air: *Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur, utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros*." Eandem de duobus saltem Fratribus Gratiano & Petro Lombardo Magistro Sententiarum, ambobus Italis, amplexus est Philippus Mornæus in *Historia Papatus* pag. 285. quem capite sequenti dabimus. Eandem Robertus Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1145. in *Petro Lombardo* pag. mihi 318. sed cum prudenti cautela his verbis. „Ferunt Gratianum Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem, germanos fratres fuisse, sed fundamento caret ea opinio. Certe in patria non conveniunt, Gratianus enim Etruscus fuit ex Clusio civitate, Magister Petrus Lombardus ex Novaria, Petrus Comestor Gallus ex Trecis." Dum ergo de hac fabula loquitur Antoninus Florentinus, inquit, *Et a quibusdam prædicatur in populis*: dum Antonius Augustinus, inquit *Ut vulgus putat*: dum Robertus Bellarminus, inquit *ferunt*. Nullus autem qui fabulam magis amplificat, quam Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1131. in Gratiano pag. 662. licet fabulam fateatur, scribens: „Non desunt plurimi, qui Gratianum Petri Lombardi, Petrique Comestoris germanum fuisse volunt, matremque tergeminos hos fratres ex furtivo concubitu conceptos uno partu edidisse, quod quidem nullo satis gravis auctoris testimonio fulcitur." Ego hactenus neminem legi, qui hos tres fratres unico partu editos ex furtivo concubitu dixerit, hoc autem Gnillelmo Cavo amplificandum debetur. Quomodo enim eadem mulier unico partu tres mares edidisset, in locis tum remotis, ut Gratianum Clusii, Petrum

trum Lombardum Novariæ, ac Petrum Comestorem Trecis in Gallia? Illic autem natos esse, testimonio veterum comprobatur.

CAPVT SECVNDVM.

VARIÆ ATQVE OPPOSITÆ DE COLLECTIONE DECRETORVM GRATIANI, ERVDITORVM SENTENTIÆ.

Gerardus Mastrichtius Professor Doesburgensis, edidit anno 1676. in 8 Doesburgi *Historiam Juris Ecclesiastici ac Pontificii*, qui faria de hoc Gratiani opere ejusque usu, eruditorum judicia protulit ac collegit num. 318. & 319. Idem Gerardus ver Mastricht in editone altera *Historia Juris Ecclesiastici & Pontificii*, quæ facta est Amstelodami anno 1686. in 8. Num. 317. pagina 246. hæc habet in depressionem Collectionis Gratiani. „Hisce quatuor adde multa „falsa, spuria, conficta, aliis supposita, quæ „Gratianus sine ullo judicio in suum opus cor„ralit: velut Epistolas illas suppositiias Pseu„do-Isidori Mercatorius, quas integras fere de„scripsit, item Pseudepigrapha quæ affinxit pri„mis Vrbis Episcopus, quorum omnium accu„ratissimum & bene longum Catalogum Do„ctissimus David Blondellus contexuit *Pseudo-„Isidori vapulantis* cap. 18. fere ad finem, „quem videas. Quæ cujus auctoritatis sint, „jam satis supra in *Pseudo-Isidori Collectione* dis„quisitum est.„ Hæc Mastrichtius atque alia multa de Gratiano congerit, a Num. 294. ad 335. seu a pagina 315. ad paginam 372. Idem quoque præstitit Thomas Popeblount Anglobritannus, in Opere anno 1694. Genevæ in fol. impresso, cui nomen inditum *Censura celebriorum auctorum*. Illic enim ad annum MCXXXI. in *Gratiano* pag. 380. varia judicia extant eruditorum virorum de *Collectione Decretorum Gratiani*, a quo pauca delibabimus, adjectis ab ipso aliis omissis. Lutherus imprimis contra Gratianum debacchatur, *Præfatione* in Epist. Hieronymi ad Evagrium tomo 4. editionis Jenæ pag 408. his verbis. „ Multa sunt in libro quem „*Decretorum Gratiani* vocant, præclara ex Patri„bus collecta, in quibus cernere est utcunque „statum veteris seu primitivæ Ecclesiæ, longis„sime diversum a statu sequentis, præsertim „Romanæ, quæ sibi per Schariaticos Pontifi„ces *Vniversalis Ecclesiæ* nomen arrogavit: si ta„men Ecclesiam licet appellare, quæ hoc sacri„legum idolum ausa est statuere impudentissi„ma facie. Sed Gratianus, Pontificibus jam „tunc tyrannidem in Ecclesia Christi sibi vendi„cantibus, adulantior vel obsequentior quam „oportuit, optima dicta & decreta Patrum vel „antiqua, vel ad arbitrium Romanorum Pon„tificum depravat, pia intentione ut apparet, „sed pestilentissimo exemplo. Nam inde Papa „ita superbivit, ut jura negarit sibi data. Hæc „cum hyperbole Lutherus. Idem paulo modestius scribit Philippus Mornæus in *Historia*" *Papatus* pag. 285. his verbis. Per idem etiam" tempus Gratianus *Decretum* consarcinat, non" felicius quam *Pandectas* Justinianus, ex Cano." nibus & Decretis antiquis, qua quidem ipse" pluribus locis ad temporis corruptelam ac" commodat, *Romana ambitioni* præsertim servi" re cogit. Quanquam multa nobis vestigia" relinquit, quorum ope, antiquam Ecclesiæ &" doctrinam & praxim investigare sedulo quæ." rentibus datur. In eandem sententiam Guil." lelmus Cavus in *Historia Res literaria* ad annum" 1131. in *Gratiano* pag. 662. sic loquitur. Va." ria de hoc Opere ejusque usu eruditorum ju." dicia, dabit inter alios Gerardus Mastrichtus" *Historia Juris Ecclesiastici* num. 319. 319. Certe" utut toties a Pontificiis purgatus, in plurimis" tamen controversiis adhuc a Reformatorum" partibus stat Gratianus, unde Romanæ Eccle." siæ Theologis sæpe vapulat."

Verum meo quidem sensu vapulat immerito apud Lutherum Gratianus, tanquam *Pontificibus jam tunc tyrannidem in Ecclesia Christi sibi vendicantibus, adulantior vel obsequentior quam oportuit, optimo dicta, & Decreto Patrum vel antiquet, vel ad arbitrium Romanorum Pontificum depravet*. Et apud Mornæum, *Decreta quidem ipse pluribus in locis ad temporis corruptelam accommodet, Romana ambitioni præsertim servire cogat*. Vnicus enim Gratiani locus, adulationem ab eo Romanæ curiæ removere videtur, quem profert post Ivonem parte 5. cap. 23. & Deus dedit lib. 1. cap. 231. *ex gestis S. Bonifacii Archiepiscopi & Martyris*, Distinctione 40. cap. 6. hic verbis. Si" Papa suæ & fraternæ salutis negligens, depre." henditur inutilis & remissus in operibus suis," & insuper a bono taciturnus, quod magis offi." cit sibi & omnibus. Nihilominus innumerabi." les populos catervatim secum ducit primo" mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in" æternum vapulaturus. Hujus culpas isti re." darguere præsumit mortalium nullus, quia" cunctos ipse judicaturus, a nemine est judican." dus, nisi deprehendatus a fide devius. Pro" cujus perpetuo statu universitas fidelium tan." to instantius orat, quanto suam salutem post" Deum, ex illius incolumitate animadvertit" propensius pendere." Sic autem casum proponit antiquus Gratiani glossator, Bartholomæus Brixiensis, professor Juris Canonici, qui ab anno 1220. ad 1250. floruit. *Bonifacius Martyr consultus fuit, an Papa ab aliquo possit judicari, si inveniatur negligens & remissus in operibus suis, cum noceat sibi & omnibus subditis suis, & similiter multos secum trahit. Et respondet quod non, cum debeat omnes alios judicare, nisi hereticus deprehendatur. Pro cujus salute, cum ipse sit caput Ecclesia post Deum, universitas fidelium instantius orat: sed licet judicari non possit, nihilominus punietur cum ipso diabolo in æternum.* Longe ergo aberat Gratianus ab adulatione cœca in Romanos Pontifices, qualem hodie vidamus in multis,

tis, qui illos tum in hæresim labi posse, atque tunc ab Ecclesia judicandos esse decernit, ex Bonifacii Martyris rebus gestis.

Multi etiam ex Romanæ communionis alumnis, Gratianum in multis notarunt, quorum primus & clarissimus S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus ob theologiæ ac juris canonici peritiam celeberrimus, in *Summa Majori* seu *Theologica*, parte 4. titulo II. cap. 8. quod inscribitur *De articulis seu conclusionibus XIV. in quibus communiter Magister Sententiarum non tenetur, & Gratianus in Decreto:* id quod prosequitur paragraphis 1. 2. 3. 4. Idem Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, qui Libros duos Dialogorum forma conscriptos *De emendatione Gratiani*, multo labore & diligentia insigni composuit, quos Præfatione erudita ac Notis illustratos Stephanus Baluzius anno 1676. in 8. Parisiis apud Franciscum Muguet edidit. Arthurus Duckius *De usu & auctoritate juris civilis in Dominio Christianorum* lib. 1. cap. 7. §. 4. „De Canonibus vero Conciliorum, dictis Patrum & Constitutionibus Pontificum in Decreto, licet negari non possit sæpe errasse *Gratianum* in iis transcribendis, multaque ex libris incertis & suppositiis inseruisse: in iis tamen explicandis, restituendis, & corrigendis insigniter laborarunt *Didacus Covarruvias*, *Antonius Contius*, & præ aliis omnibus *Antonius Augustinus* Episcopus Ilerdensis, vir ad miraculum doctus, cui Jus utrumque Civile & Canonicum cum suam puritatem & nitorem præsertim debet.

De beati Antonini Archiepiscopi Florentini censura in Gratianum, ita per compendium habet Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus Lib. 1. *De emendatione Gratiani* Dialogo XVI.

Beatus Antoninus Florentinus ut nostri Antistes in Summæ Majoris 4. parte titulo II. cap. 8. post Petri Lombardi Parisiensis Episcopi quem Magistrum Sententiarum appellant, XIV. articulos perscriptos, in quibus communiter non tenetur, de Gratiano sic ait: *In Decreto quadam ponit Gratianus, quæ non tenentur; quadam alia a Conciliis vel Summis Pontificibus edita, quæ sunt revocata seu immutata per consuetudinem generalem contrariam, & abrogata* 1. Mox addit exemplum jejunii quadragesimæ, quod ex Distinct. 4. cap. 3. & 4. & ultimo Clerici servare tenebantur a Sexagesima, hodie autem non servant, sed initium faciunt jejuniorum, ut laici. 2. Alterum exemplum affert Antoninus ex Distinct. 3. cap. 1. & 3. *Rogationes* de Rogationum diebus quibus erat ab operibus cessandum, & jejunandum ex Conciliis Lugdunensi & Aurelianensi. De his enim Rogationibus recte Antoninus notat, aliud in his Conciliis præscribi, quam quod usus receperit. 3. Idem inquit *De Consecratione* Distinct. 3. cap. 1. *De hebdomada sancta & hebdomada Pascha*, quæ erant in præcepto, quoad cessationem ab operibus, ut in dicto Concilio Lugdunensi. Sed de *hebdomada sancta* nihil Gratianus habet. 4. Post hæc Antoninus de *litteris dimissoriis* refert, quæ Gratianus *Distinct.* 73. in principio, diligenter scripsit, quæ, nomine Attici Constantinopoleos Episcopi, in Conciliis sunt post Calcedonensem Synodum. Eadem referunt Ivo part. 6. cap. 433. Decreti, Anselmus lib. 6. cap 116. Sed & formulas earum litterarum, quas Gratianus conscripsit, habent Burchardus lib. 2. cap. 227. Ivo Decreti part. 6. cap. 434. & 435. & Anselmus lib. 6. cap. 117. qui alias quoque addunt. Hæc quasi usu abrogata improbat Antoninus, quod ad eam formulam attinet, quæ tradita dicitur in Synodo Nicæna, litteris quibusdam Græcis adjectis. 5. Sequitur (inquit Antoninus) *de sacramentis a jejunis tantum præstandis in judicio*, quod etiam usu abrogatum esse dicitur. Quæ *Carnelia Papa* falso adscribunt Burchardus lib. 12. cap. 12. Ivo lib. 8. Panormiæ tit. 8. cap. 31. & parte 12. Decreti cap. 69. Anselmus lib. 11. cap. 64. & Gratianus Causa 22. quæst. 5. cap. 16. *honestum*. Verum ut antea diximus, non *Carnelii Papa* verba sunt, Sed *Caroli Magni* in Capitularibus, quod etiam Ivo agnoscit Decreti part 12. cap. 33. ubi illic ita scribitur: *Sed & nobis honestum videtur, ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore Dei.* 6. Additur ab eodem, *In quadragesima, in adventu, in diebus dominicis non exigantur vel exhibeantur sacramenta, sollemnia scilicet, & in judicia*, & similia; quod etiam ait esse abrogatum consuetudine. Plenius hæc nisi fallor Burchardus lib. 12. cap. 20. & Gratianus 22. quæst. 5. cap. 17. *decrevit*, his verbis: *A septuagesima usque ad octavam Pascha, & ab adventu Domini usque ad octavam Epiphania, & in jejuniis quatuor temporum, & in litania majore, & in diebus rogationum, & in diebus dominicis, nisi de concordia & pacificatione, nullus semper sacra juvare præsumat.* 7. Multa (inquit Antoninus) antiquo jure edita, quæ Gratianus notat, postea immutata sunt: ut de electione Romani Pontificis, item de electione aliorum Episcoporum. Namque non soli Cardinales olim Pontificem eligebant, neque soli Canonici Ecclesiæ cathedralis Episcopum; sed adhibebantur alii religiosi viri, & a Metropolitano confirmabatur electio, antequam Romani Pontifices, ecclesiarum cathedralium provisiones sibi reservassent. Ex quibus apparet multa esse apud Gratianum supervacanea, sed eadem antiquitatis cognoscendæ caussa, legenda sunt. 8. Sequitur *De ætate ordinandorum, & de intervallo servanda in ordinatione:* hæc enim varie constituta sunt, neque ullum crimen est Gratiano, si aliud posteriori seculo visum est constituere, sive in Concilio Viennensi a Clemente V. sive in Tridentino sub Pio quarto. Idem dicendum est *De gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis matrimonio conjungi:* quod a Gregorio IX. immutatum non est, ut ait Antoninus, sed ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi Generali

nerali cap. L. 9. Postea refert Antoninus illa quæ *de furto* diximus in Monasterio facto, nempe Dialogo XV. Illa sunt Concilii Vormaciensis cap. XV. *Sæpe contingit ut in Monasteriis Monachorum furta perpetrentur: Missa ab Abbate celebretur, aut ab alio presbytero, & omnes communicentur in hac verba: Corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* Hæc in Conciliis sunt, utcuncta prius dicta, & apud Burchardum lib. 11. cap. 66. & Gratianum 2. quæst. 5. c. 23. *Sæpe.* Sed id male fieri ait S. Antoninus S. Thomam Aquinatem secutus. 10. Mox Antoninus Concilii Carthaginensis verba affert, *Vt sacramenta altaris nonnisi a jejunis celebreatur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.* Quæ verba sunt *Concilii Africani* cap. 8. in *Corpore Canonum*, & Carthaginensis III. cap. XXIX. in Collectione Isidori, & caput XLI. Græcis est *Concilii Carthaginensis.* Eadem verba refert Concilium Matisconense 11. cap. 6. & Anselmus lib. 9. cap. 3. Et Gratianus *De Consecratione* Dist. 1. cap. 48. *sacramenta.* At exceptionem illam *cœna Domini* impugnat Antoninus ex verbis Augustini a Gratiano alibi relatis, *De Consecratione* Distinct. 2. cap. 54. *liquido*, atque ait consuetudine derogatum esse. 11. Illud quoque præceptum *Vt in eadem die cœna Domini omnes communicarent*, juxta Gratianum eundem *De Consecrat. Distinct.* 2. cap. 17. *in cœna*, quod non Soteris Papæ est, sed Concilii Cabilonensis 11. c. 47. ut alio die a te dictum est, abrogatum esse ait consuetudine Antoninus. 12. Illud etiam abrogatum Concilii Agathensis cap. 49. *Seculares qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur:* quod etiam Burchardus lib. 5. cap. 23. & Ivo *Decreti* part. 2. cap. 33. & Gratianus *De Consecratione* Dist. 2. cap. 19. *seculares* referunt. Mihi Augustini oraculum maxime placet, apud Gratianum ejusdem Distinctionis cap. 13. *Quotidie Eucharistiæ communionem, accipere nec laudo nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor.* 13. Illud etiam quod falso Sergio Papæ adscribunt *Triforme est corpus Domini*, tum Ivo lib. I. *Panormiæ* tit. 4. cap. 18. & Gratianus Distinct. 2. cap. 22. *triforme:* illud inquam est, Amalarii lib. 3. *De divinis officiis* cap. 35. ex quo capite elicitur, partem quandam hostiæ, servari debere, ut creditur, Viatici caussa: sed abrogatum consuetudine fuisse ait Antoninus. 14. Quod vero ex Epistola Clementis secunda dicitur, *Post sumptam Eucharistiam aliquot horis esse ab alio cibo abstinendum:* quod etiam Burchardus lib. 9. cap. 11. Ivo *Decreti* parte 2. cap. 21. Anselmus lib. 8. cap. 38. & Gratianus dicta *Distinctione* 2. cap. 23. referunt: id Antoninus ex Sancti Thomæ sententia, ait non esse necessario servandum. 15. Postremo quod ex Concilio Eliberitano refertur a Burchardo lib. 5. cap. 22. & Ivone lib. 1. *Panormiæ* tit. 4. cap. 29. & *Decreti* part. 2. cap. 32. & Gratiano *De Consecratione* Distinct. 2. cap. 21. *Vt ante communionem a conjugibus se abstineant aliquot diebus:* hoc in Conciliis non inveniri, ac consilium esse, non præceptum, beatus Antoninus ait. De aliis majoribus erroribus alio die, si placuerit, ejus opinonem referam, inquit Antoninus Augustinus.

CAPUT TERTIUM.

ALII MAJORES ERRORES IN COLLECTIONE DECRETORUM GRATIANI, AB ANTONINO FLORENTINO ARCHIEPISCOPO, ET ANTONINO AUGUSTINO ENARRANTUR.

Alios majores errores recensent in Collectione Decretorum Gratiani, tum Antoninus Florentinus loco citato, tum Antoninus Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus lib. 1. *De emendatione Gratiani* Dialogis XVII. & XVIII. Audies quid sanctissimus vir de hoc homine dicat, inquit Augustinus *Dialogo* XVII. 1. Inprimis notat quod etiam Joannes Teutonicus fecit, dixisse Gratianum *Distinct.* 13. in principio, *perplexo inter duo mala, hoc est peccata, licere minus eligere, idque perpetrare.* Atqui nunquam cogitur quis peccare, nec potest esse perplexus necessario, ergo falsum est licere alicui minus peccatum eligere. Id quod confirmat Hieronymi, Augustini, & B. Thomæ verbis. His autem verbis utitur Gratianus, *Item adversus naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi forte duo mala ita urgeant, ut alterum horum necesse sit eligi: Vnde in Concilio Toletano VIII. cap. II. ita legitur, duo mala &c. Item Gregorius in Moralibus, Nervi testiculorum Leviathan* &c. Et quamvis de duobus malis, non de duobus peccatis Gratianus loquatur, attamen in verbis Toletani Concilii & B. Gregorii quibus suam opinionem fulcire nititur, invenies duorum peccatorum mentionem. 2. Sequitur illud de Presbyteris, ut possint ex consuetudine, si urgeat necessitas & Episcopi absint, chrismate pueros in fronte signare. Verba Gratiani Distinct. 95. cap. 2. pag. 1. hæc sunt. *Sed istud Gregorii pro scandalo sedando semel concessum legitur. Illud autem Leonis Papæ & Gelasii, usu approbante prævaluit: nisi forte ubi aliquorum consuetudo hoc admisit, ut in absentia Episcopi, extrema necessitate cogente, ex concessione Gregorii, Presbyteri baptizatos in frontibus liniant. Prohibitio vero Leonis & Gelasii in eo casu intelligatur, cum Episcopi præsentes sunt, vel cum non cogit ultima necessitas.* Id falsum esse, agit S. Antoninus, post Joannem Teutonicum, & B. Thomam, & alios Theologos. 3. In notoriis sive manifestis, a Gratiano 2. qu. 1. cap. 14. *prohibentur* in fine, & cap. 16. *qua Lotharius* pag. 1. non requiri ordinem judiciarium: reprehendit Antoninus, quasi non semper verum sit, sed aliquando, ut notat Joannes Teutonicus. Et cap. 20. ejusdem quæstionis *Deus*, particula *quando*, inquit: *Aliquando evidentia ipsa operis rerum esse testatur, quando opere publico crimen suum confitetur: tunc post secundam & tertiam*

tiam correctionem, sine examinatione damnandus est, si incorrigibilis extiterit. Neque enim in his notoriis requiritur admonitio, sive correctio, aut forte correptio. 4. Illud gravius est, quod anathema in verberantes Clericos, Causa 17. q. 4. cap. 29. *si quis*, interpretatur *separationem a sacramentis & ab ingressu ecclesiæ*: non a communione fidelium Causa 11. q. 3. cap. 24. *ad mensam* p. *evidenter*, quod Joannes Teutonicus etiam notat. Nec calumniam mihi Gratianus pati videtur, quasi id non aperte dixerit: imo inter excommunicationem & anathema prius hanc differentiam statuit, quam ego minime probo; ut Anathema sit, cum separatur quis a consortio fidelium: Excommunicatio, cum se quis separat, aut a superiore separatur ab ingressu Ecclesiæ, & a communione Eucharistiæ, ut pœnitentibus evenit. At inconstantiæ crimen effugere non potest, quod enim de excommunicatione dixerat, id de anathemate in hoc crimine interpretatur. 5. Sequitur illud de interpretatione horum Gregorii verborum, *Sententia pastoris sive justa, sive injusta, timenda est.* Inquit Gratianus 11. q. 3. cap. 1. & cap. 77. *non solum* pag. 1. *Contingit aliquando, ut adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cujus reatum in conscientia non habet. Hæc sententia etsi injusta sit, quia non est in eo crimen, super quo lata est sententia: tamen juste ab eo reportata est, quia ex reatu adulterii jamdiu apud Deum excommunicatus fuerat. Et in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gregorii, Sententia pastoris* &c. Hoc est Johannes Teutonicus & Antoninus improbant, qui volunt, ut quamvis sit injusta, nisi post appellationem lata sit, vel contineat intolerabilem errorem: a judice suo lata, eum liget, & ab eo servanda sit. 6. Illud etiam reprehendunt, quod Causa 12. q. 1. cap. 24. *præcipimus*, part *sed notandum*, dixerit, *Orientis clericos qui uxores habeant, habere etiam bona propria posse, quibus uxoribus & filiis consulant.* Sic etiam his qui in Occidente filios ex legitimo matrimonio habent, sive uxoribus vivis continentiam professis, sive mortuis: non vero licere his Clericis, qui ab infantia sacræ militiæ traditi sunt, nisi forte retinendo sua, a sumptibus Ecclesiæ abstineant. Contra autem illi statuunt, omnibus Clericis licere habere propria, nisi eis renunciaverint ut Regulares, vel qui se voto paupertatis astrinxerunt, vel in primativa ut ajunt Ecclesia, quorum erant bona communia. Hunc errorem in Notis quoque selectorum virorum invenio reprehensum, qui jure quidem reprehenditur. 7. Post hæc ut imperfecte docens reprehenditur in quæstione, An liceat Clericis in judicio sua repetere: quod 14. q. 1. cap. 1. pag. 1. dixerit, *licere pro damno vitando, non pro lucro quærendo, aut pro communibus suarum Ecclesiarum rebus stare in judicio, easque defendere.* Verius que esse, eos Clericos qui habere possunt propria bona, posse etiam ea repetere in judicio: alios autem nomine suorum monasteriorum, si eis præsint, & minores mandato superiorum. 8 Sequitur illud quod etiam ex jure civili sumptum est a Gratiano *Causa* 16 q. 3. c. 15. *placuit*, p. *præscriptionum. Sufficere bonam fidem in præscriptione XXX. annorum initio possessionis, licet postea quis mala fide possederit.* Mendose tamen Gratiani locus refertur a B. Antonino, quod etiam in aliis quibusdam accidit. Verum Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi cap. 41. sic ait, *Oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.* 9 Si post votum simplex castitatis, juraverit quis aliquam ducere uxorem, Gratianus Causa 22. q 4 c. ultimo p. *unde datur* & p *est etiam*, & Antoninus sacramentum illicitum esse fatentur: sed servare hoc sacramentum non vetari, pœnitentia de voti fractione indicta, ait Gratianus: quod verum esse consummato matrimonio, Antonino placet. Namque si non consummaverit, prohibetur servare id sacramentum, & peccat, inquit, mortaliter. 10. Illud quoque post B. Thomam notat, dixisse Gratianum, posse aliquem jurare, ne Clerici tonsuram, neve Monachi habitum unquam accipiat, ac si juraverit, servandum esse. Illicitum esse juramentum istis videtur, & peccasse jurantem, quod obicem (inquiunt) opposuit Spiritui Sancto: atque Antonio Augustino verum esse videtur, quod dicunt. Sed Gratianus de eo loquitur, qui cogebatur a parentibus alterutrum facere, qui sine ullo peccato jurare potuit, se id non facturum, invitum scilicet. 11. Quod sequitur omitti potuisset, sed ne quid relinquat, dicit Antonius Augustinus. Antoninus notat Gratianum 22. q. 5. in principio, & Joannem Teutonicum, quod affirmasse videantur, eum qui cogit aliquem falso jurare, aut exigit ab eo jusjurandum, ita peccare, ut is qui pejerat. Sed id verum esse ait, cum scit aut probabiliter credit, falsum illum juraturum Judex quoque sacramentum juris ordine observato exigens, sive per se, sive parte petente, non peccat: & si sciat, vel credat illum falso juraturum, ut B. Thomas scribit. 12. Illud etiam reprehenditur quod apud Gratianum legitur *De Conser. Distinct.* 4. c. 24. *à quodam* ex Nicolai responso ad consulta Burgavorum cap. 104. *A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis.* Nam quo pacto is qui Judæus erat, paganus esse potuit? Aut de eo quem certum erat Judæum esse, dubitabatur num Christianus esset, an paganus? 13. Antoninus quoque reprehendit Gratianum *Causa* 24. q. 1. in principio, &c. 4. *audivimus* p. 1. de differentia quam statuit, ejus qui veterem hæresim defendit, & ejus qui novam suscitat: illum excommunicatum esse, & suspensum ab executione ordinis, & jurisdictionis, & sic neminem posse excommunicare: de alio Gratianum dubitare, quia toleratur, & non rejicitur ut excommunicatus, & sic valent gesta ab eo. Joannes Teutonicus & Antoninus, omnes esse excommunicatos affirmant, & neminem posse excommunica-

care, licet alia gerat, dum toleratur. Sed juxta Antonium Augustinum, non id aperte Gratianus dicit, quod isti notant. 14. Quædam postea notat Antoninus, sed oblitus est locum certum indicare, in quo ea Gratianus scripserit. Sunt autem ea quæ *Distinct. 2.* non in eadem illa *Causa XXIV.* in qua superiora continebantur. Quæritur de lapsis post baptisma in aliquod crimen, & pœnitentibus: An possint ad ordines sacros & dignitates, vel parochias promoveri? vel jam promoti permanere post crimina in eisdem, & ad alia promoveri queant? Refertur Gratiani Distinct. 50. c. 24. *Sacerdos*, part. *quomodo*, ut si verè eos pœniteat, utrumque possint: si fictè, neutrum possint. Objicit hic noster Antoninus, exceptiones de his criminibus, quæ irregularitatem inducunt. Neque enim pœnitere satis est, sed superioris dispensatio necessaria est. Alia distinctio Gratiani est cap. 32. *Presbyteros* in fine ejusdem *Distinctionis*, si crimina sunt occulta, tunc possint promoveri; si manifesta, non possint. Sed eodem modo addatur exceptio irregularitatis, & ex qualitate criminum cognosci poterit, an requiratur dispensatio: & an dispensare debeat Episcopus, vel Pontifex Romanus. 15. Capitale crimen extremo loco positum est adversus Gratianum *De pænitentia* Distinct. 1. & ejus fratrem (ut vulgus putat) Petrum Lombardum, quem Magistrum Sententiarum appellant. Avebo enim fratres quæstionem proponunt, An sit necessaria oris confessio, quam sacramentalem vocant, ad remissionem peccatorum? Vel an sola contritio cordis, & secreta satisfacta sufficiat, etiamsi copia vel facultas presbyteri adsit? Neuter solvit quæstionem, imò Gratianus *De pænit.* Distinct. 1. cap. 88 *quamvis* part. *quibus*, & cap. ult. multis in utramque partem relatis ait: *Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur: utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* Mox addit verba Theodori Cantuariensis, *Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferme sancta ecclesia*, & quæ sequuntur. Verba sunt Concilii Cabilonensis secundi sub Carolo, cap. 33. Referunt etiam Capitularia lib. 7. c. 58. in addit. & Burchardus lib. 19. cap. 145. & Ivo *Decreti* part. 15. c. 155. Sed hi duo ut Gratianus, Capitularia & Concilia illis verbis *ut Græci* carent: item illis, *ut tota fere sancta Ecclesia*. Atque Gratianus quæstionem aliis verbis proponit, neque enim is illa addit, *Cum facultas adsit presbyteri.* Hæc sunt quæ potissimè in Gratiano arguit S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, ac post ipsum Antonius Augustinus Tarraconensis Archiepiscopus, qui plurimos alios errores observat in allegationibus sententiarum, vocum immutationibus, nominum corruptionibus tam Conciliorum quam Patrum & Pontificum, quæ explicantur prolixe Libris duobus *De emendatione Gratiani*, quos cum Notis edidit Baluzius. Neque hi soli ex Pontificiis errores Gratiani observarunt, nam Antonius Possevinus tomo 1. Apparatus sacri verbo *Gratianus*, post relatas ejusdem laudes ex Trithemio & aliis, observat quoque aliquot errores in *Collectione Decretorum* illius, quos ibidem enumerat: Robertus etiam Bellarminus Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1145. pag. mihi 318. in *Gratiano*, tale de eo judicium profert.

Scripsit *Decretum* sive *Concordiam discordantium Canonum*, opus valde laboriosum, in quo« Canones plurimos collegit ex Responsis Pon« tificum, ex Conciliis & ex Patribus. Et quam« vis multi alii viri docti in hoc scriptionis gene« re laboraverint, ut Dionysius Exiguus, Isido« rus, Cresconius, Burchardus, Ivo, etsi qui alii« sunt: ipse tamen solus obtinuit, ut publice in« Gymnasiis prælegeretur, & multorum doctissi« morum virorum Commentariis illustraretur.« Gratianus id unum habet quod reprehendi« posse videtur, quod non habuit delectum Au« ctorum, ex quibus Decreta collegit. Ita Bel« larminus, qui aliquot ejus errata illic pariter« observat atque recenset, quæ nos omit« timus.«

CAPUT QUARTUM.

VARIÆ COLLECTIONES EJUSDEM EDITIONES ET EMANDATIONES EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

Operæ pretium est heic referre admonitionem eorum, qui primi post typographicam artem inventam, emiserunt in lucem illud Gratiani opus. Volumen est magnæ molis, tum rarissimum, utpote cujus unicum exemplar hactenus viderim, quod mecum pro amicitia nostra communicavit, vir mihi sæpe laudatus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus. Erunt haud dubie quos delectabit scire, per quos primum & quo tempore editus sit hic liber, quibus auspiciis, quibus sumptus & operas exhibentibus, ut solebant in initiis typographiæ ista adnotari. Ita Baluzius in Præfatione quam præmisit editioni Librorum duorum *De emendatione Gratiani*, ab Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo conscriptorum, quos cum Notis anno 1676. in 8. Parisiis apud Franciscum Muguet edidit, num. 26. Sic ergo legitur in calce prioris illius editionis.

Anno Incarnationis dominicæ MCCCCLXXII.« Idibus Augustiis, Sanctissimo in Christo Patre« ac Domino Domino Sixto Papa quarto Ponti« fice Maximo, Illustrissimo nobilissimæ domus« Austriæ Friderico Romanorum Rege gloriosis« simo, verum dominis, Nobili nec non generoso« Adolpho de Nassau Archiepiscopatum geren« te Moguntinensem, in nobili urbe, Moguntia,« quæ nostros apud majores Aurea dicta est,« quam Divina etiam clementia dono gratuito«

præ

„præ cæteris terrarum nationibus arte impref-„foria dignata eft illuftrare, hoc præfens Gratia-„ni Decretum, fuis cum rubricis, non atramen-„tali penna cannave, fed arte quadam ingeniofa „imprimendi, cuncti potente adfpirante Deo, „Petrus Schoiffer de Gernfcheym, fuis confi-„gnando fcutis feliciter confummavit. " Secunda quam quidem viderim, editio Gratiani prodiit Venetiis feptennio poft, accurante Petro Albignano Trecio, cujus extat in fronte præfatio ad cives Brixianos, & in fine Epiftola ad Bartholomæum Puteum, divæ Agathæ Brixianum Præpofitum, cujus hortatu ipfe Decretum Gratiani emendandum fufceperat. In fine autem voluminis hæc adnotata funt. „Impendio „ac liberalitate Johannis Coloniæ Agrippinen-„fis, Joannifque Manthen Gheretzen, ex illuftri „ac populofa Germania originem ducentium, „divinus Decretorum Codex impreffus Vene-„tiis, accuratiffime iteratò emendatus per egre-„gium ac clariffimum juris utriufque confultum, Dominum Petrum Albignanum Trecium, Venetiis, Sixto IIII. Summo Pont. anno „VIII. Imperatore Frederico III. Johanne Mo-„cenico inclyto Venetorum Principe, III. No-„nas Januarias, Anno Salutis Dominicæ „MCCCCLXXIX. Laus Deo. " Hactenus editiones non præferebant in fronte *Gratiani* nomen, tametfi de re fatis conftaret. Item *Decretum Pontificum* in unum opus redacta, ac juxta materiarum diverfitatem digefta, nempe (à Gratiano Monacho Benedictino qui anno 1145. floruit) cum Apparatu & Gloffis feu Diftinctionibus Bartholomæi Brixienfis, Juris Canonici Profefforis & Interpretis, qui anno 1225. tempore Frederici II. Imperatoris floruit, edita Bafileæ 1476. 1482. & 1486. in fol. Argentorati 1484. in fol. Denique *Decreta* Gratiani cum Apparatu de Tortis Juris Confulti, anno 1500. Venetiis in fol. Ut autem inquit Baluzius in Præfatione ad Libros Antonii Auguftini *De emendatione Gratiani*, num. 28. „Prima, quod fciam, editio Parifien-„fis anni M D VIII, nomen Gratiani in titulo ha-„bet, hoc modo, *Decretum aureum Divi Gratiani,* „*cujus titulus talis eft: Incipit Concordantia difcor-„dantium Canonum.* In fine autem Libri hæc „leguntur: *In nomine Sanctæ & individua Trini-„tatis. Tripartitum Decreti aurei opus infigne at-„que laudabile fideliter, ut lectio ipfa indicabit, eli-„matum, multis admodum aptis & utilibus adjun-„ctis, finem accepit in alma Parifienfi Academia, ex-„penfis & opera Johannis Petit & Thielmanni Her-„ver, Bibliopolarum Parifienfium in vico divi Jacobi „fejunctis hofpitiis commorantium, & Johannis Cabil-„ler mercatoris benemeriti Lugduni moram trahen-„tis, anno Salutis millefimo quingentefimo octavo, die „VIII. Februarii.*

Seculo autem fuperiori, Galli duo Juris fcientiâ non ignobiles, Antonius Demochares & Antonius Contius, curas fuas contulerunt editioni atque emendationi fimul *Decreti Gratiani*, de quibus loquitur Antonius Auguftinus Lib. I. *De emendatione Gratiani* Dialogo I. his verbis: Antequam Vincentius noftro refpondeas, ego dicam, quod ab illis felectis viris accepi, in nul-" lo ferè veteri libro Gratiani, eam *Decreti* infcri-" ptionem extare, fed hanc *Concordia difcordan-" tium Canonum*. Sic etiam in melioribus editio-" nibus Antonii Democharis & Antonii Contii, " vox illa *Decretum* utpote inepta, in multitudinis " vocem mutata eft. Quod in librorum infcri-" ptionibus aptius effe, vel Cicero teftis eft, qui-" pe qui noluit *De officio* aut *De fine* fcribere, fed " *De finibus* & *de officiis*. Itaque *Decretorum Colle-" ctanea* Demochares, & *Decretorum Canonicorum " Collectanea* Contius infcripferunt: quorum " editiones in Gallis prodierunt in fol. hæc Pari-" fiis anno 1561. ifta Antverpiæ annis 1570 & " 1573. apud Plantinum, & Lugduni anno 1571. " At Gregorius Papa XIII. anno 1580. viros in Jurisprudentia nobiles elegit, quibus commifit provinciam edendi & emendandi *Corpus Juris Canonici* omne, conftans Decreto Gratiani, Libris V. Decretalium Gregorii IX. Sexto Decretalium Bonifacii VIII, Clementinis & Extravagantibus: quod tribus in folio voluminibus Romæ anno 1580. in ædibus populi Romani, cum commentariis diverforum editum eft, inde Lugduni anno 1584. apud Guillelmum Rouillium, ac Parifiis anno 1612. & alibi, eadem formâ. In iis autem, de quibus lectorem in principio admonere vifum eft, hæc emendatores dicunt. In plerifque vetuftiffimis hujus Collectionis " exemplaribus, hæc tanquam infcriptio rubris " litteris pofita eft, *Concordia difcordantium Cano-" num*, addita in quibufdam dictione *Incipit*, fine " ullâ Gratiani mentione. Verùm in Vaticano " illo vetuftiffimo, cujus voluminis ipfius initio, " recentiori manu paleas effe præpofitas dictum " eft, ante ipfas paleas eft hic titulus, *Decretum " Gratiani Monachi Sancti Felicis Bononienfis, ordinis " divi Benedicti, compilatum in dicto Monafterio an-" no Domini millefimo centefimo quinquag. fimo pri-" mo, tempore Eugenii Papæ III.* In aliis verò duo-" bus MSS. Codicibus, in extremo eft, *Explicit " Decretum compilatum à Gratiano Monacho Mona-" fterii Sancti Felicis de Bononia.* In Chronico " quod infcribitur *Pomerium Ecclefiæ Ravennatis*, " qui liber in Bibliotheca Vaticana affervatur, " hæc de Gratiano leguntur: *Anno Chrifti 1151. " Gratianus Monachus de Claffa* five Clufio, *civitate " Thufcia natus, Decretum compofuit apud Bononiam " in Monafterio Sancti Felicis.* Idem teftatur Hu-" gutio, vetuftiffimus hujus Codicis interpres " parte 2. Caufa 2. q. 6. cap. *poft appellationem*, & " Vincentius etiam Bellovacenfis in Speculo Hi-" ftoriali bis, femel lib. 23. cap. 31. de Ifidoro lo-" quens, & iterum lib. 25. cap. 84. de Ivone a-" gens, & aliis Decretorum collectoribus. S. " Antonius Florentiæ Archiepifcopus in Sum-" ma Hiftoriali part. 3. tit. 18. cap. 6. Joannes " autem Trithemius in lib. *De Scriptoribus Eccle-" fiafticis* Gratianum hujus Collectionis aucto-" rem agnofcit, idemque lib. 2. *De viris illuftribus* "

„*Ordinis divi Benedicti* cap. 113. quo in loco addit „fuisse ab eo compositam *Anno Domini millesimo* „*centesimo vigesimo septimo*, ipsum dubio pro„cul inceptionem operis spectans, quo in „consummando usque ad annum 1151. annos „viginti quatuor insumpserit. Hanc Colle„ctionem Innocentius III. vocat *Corpus Decreto*„*rum* in Epistola ad Archiepiscopum Compostel„lanum." In indice autem librorum qui variis ex locis ad hanc emendationem habiti sunt, enumerantur ab iisdem emendatoribus, Decreti hujus undeviginti MSS. exemplaria collata, partim sine glossis, partim cum glossis: duodecim quidem ex Vaticana, reliqua verò ex bibliotheca Marcelli Papæ II, Cardinalium Vercellensis & Sirleti, Michaelis Thomasii Episcopi Ilerdensis, & Achillis Stathii.

Addam solum id quod habet Valentinus Forsterus *Historia Juris Civilis* lib. 3. cap. 7. p. 472. opus hoc in æde Sancti Felicis fuisse compilatum, cujus memoria hodie conservatur Bononiæ apud D. Petronium in Sacello D. Sebastiani hac inscriptione.

D. O. M.

Gratiani Clusini, Cæsarei Juris & Pontificii enucleatoris prope divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde, absolutissimum ibidem opus Decretorum anno Gratiæ M C LI. compilavit, monumentum: quod illi carie ruderibusque obsordiverat, hic magnificentius renovatum, Joannes Franciscus Aldobrandus Bononiensis IV. Dictator, ære publico restauravit anno MCCCCXCVIII. idibus Junii, Joanne Bentivolo II. PP. Remp. Feliciter gubernante.

Hæc à nobis ex pluribus more nostro compilata, contulerunt S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus in Summa Historiali parte 3. tit. 18. cap. 6. & in Summa Majore seu Theologica parte 4. tit. 11. cap. 8. Illi qui anno 1580. emendarunt Romæ *Corpus Juris Canonici*, illic editum jussu Gregorii XIII. Antonius Augustinus in libris duobus *De emendatione Gratiani*, qui editi primum Tarracone 1586. in 4. Parisiis 1607. in 4. item cum Præfatione & notis Paluzii, ibidem 1676. in 8. Duisburgi ad Rhenum 1677. in 8. Antonius Possevinus Tomo I. Apparatus sacri, verbo *Gratianus*. Robertus Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1145. Thomas Popeblount in *Censura celebriorum auctorum* ad annum 1131. pag. 380.

DISSERTATIO
DE
PETRO LOMBARDO SENTENTIARUM MAGISTRO.

CAPUT PRIMUM.
DE
OPERIBUS PETRI LOMBARDI SENTENTIARUM MAGISTRI.

1140 Petrus Lombardus cognomine, patria Novariensis dicitur, ab oppido urbi illi vicino, quod vulgò *Lumen omnium* vocatur, Magister Sententiarum vulgò appellatus est ob doctrinæ excellentiam, ac Sententias Patrum ab illo libris quatuor, labore eximio collectas. Hic ex Theologicæ Scholæ præsidentia, qui per ista tempora *Scholasticus* in Abbatia seu claustro sanctæ Genovefæ vocabatur, *Parisiensis*, non Archiepiscopus, ut alicubi minus circumspectè Blondellus scripsit, sed Episcopus ab anno Christi 1159. aut sequenti, quo ei ob doctrinæ eminentiam Philippus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, Ludovici VI. Franciæ Regis filius & Ludovici VII. frater cessit, usque ad annum 1164. fuit, quo ad diem Julii 20. vitam cum morte commutavit, & in suburbana Sancti Marcelli Ecclesia conditus est. Ejus laudes ita describit Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, „Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis ex of„ficio Scholastici, vir in divinis Scripturis studio„sissimus & nobiliter doctus, ingenio subtilis & clarus eloquio, nomen suum scribendo cum tanta gloria transmisit ad posteros, ut usque in„ hodiernum diem suis opusculis Theologorum„ schola ubique exercitata, singulari veneratio„ne, *Magistrum* eum nominet & habeat. Scripsit„ Sagaci studio *ex dictis Sanctorum Patrum* com„mendabile opus *Sententiarum* Libros quatuor." Hæc Trithemius, ita autem Sixtus Senensis lib.„ 4. *Bibliotheca Sancta* de Petro Lombardo. „Hunc„ omnes Theologorum Scholæ singulari qua„dam venerationis excellentia *Magistrum Sen*„*tentiarum* appellant, & in cujus Theologiæ com„pendium innumerabilia Disputationum volu„mina eruditissimi clarissimarum toto Christia„no orbe Academiarum Theologi elaborarunt.„ Collegit *In Psalmos Davidis omnes & in omnes*„ *Pauli Epistolas*, ex sententiis Ambrosii, Hilarii,„ Augustini, Cassiodori & Remigii, suppressis eo„rum nominibus *Commentarios*, omni eruditione„ refertissimos, in quibus etiam de suo aliqua non„ prorsus abjicienda interposuit." Excellisse mihi videtur Philippus Labbæus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, dum de Lombardo sic loquitur. „Quanquam *Petrus* noster suos næ„vos habere dicatur, rectè tamen Stancarus li„bro *De Trinitate* dixit, unum *Lombardum* pluris„ facere, quàm centum *Lutheros*, ducentos *Me*„*lanchthones*, trecentos *Bullingeros*, quadringen„tos

„tos *Petros Martyres*, quingentos *Calvinos* : ex „quibus si in mortario contundantur, utpote „Hæreticis & Hæreticorum Ductoribus Docto„ribusque, exprimi non posset una veræ Theolo„giæ unciæ." Hæ etenim hyperbolæ etsi Labbeo placent, cæteris tamen partium studio cœco non abreptis, displicent.

Sententiarum Libri IV. inquit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1141. pag. 667. quibus Theologiæ Summa ex Scriptis Patrum collecta, & in methodum Scholasticam digesta traditur, prodierunt Norimbergæ 1474. Venet. 1480. in fol. & cum Conclusionibus Henrici Gorichemiensis, Basil. 1492. 1498. in fol. Norimbergæ 1478. 1499. 1528. in 8. Basil. 1513. Parif. 1564. in 8. Lovanii 1576. in 4. Parif. 1577. in 8. alibique sæpissimè *Glossa* seu *Commentarius in Psalmos Davidis*, Parif. 1541. 1561. in fol. *Collectaneum in omnes Pauli Epistolas*, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque Scriptoribus contexta, Parif. 1535. 1537. 1555. in fol. In Bibliotheca verò Paulina Lipsiensi, ut habetur ex illius Catalogo MSS. Codicum per Joachimum Fellerum anno 1686. in 16. Lipsiæ impresso pag. 182. Codice 10. extant Repositorio Theologico IV. Serie III. in folio. *Epistola Arnoldi Metensis Ecclesia Præpositi ad Petrum Lombardum. & Lombardi Epistola dua ad Philippum Archi-Episcopum Rhemensem.* Omnia autem Lombardi Opera impressa Norimbergæ 1478. Basileæ 1486. Sepultus est autem Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus in Ecclesia Suburbii Sancti Marcelli, ubi & hoc ejus epitaphium hodie legitur.

Hic jacet Magister Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus qui composuit Librum Sententiarum, Glossas Psalmorum & Epistolarum, cujus obitus est dies decimus tertius Kalendarum Augusti.

CAPVT SECVNDVM.

AN PETRVS LOMBARDVS PLAGII LITERARII ACCVSANDVS SIT?

Certum est Petrum Lombardum omnia sua Opera ex variis anteriorum Patrum sententiis ac dictis concinnasse, neque tam Scriptorem quàm collectorem & compilatorem dici posse. Hoc tantum evidens est, quod in MSS. Codicibus antiquis atque etiam ætate Petri Lombardi Scriptis, extent vel ad marginem, vel inserta ipsis operibus, nomina Patrum rubricis, ex quibus sua comportaverit Petrus Lombardus. Hoc mihi plurimos Codices MSS. inspicienti patuit, qui tamen plagii literarii hanc ob causam accusandus non venit, cum non ex propriis sed ex aliorum fontibus, velut compilator colligat. Colligit enim non integrum alicujus opus verbotenus, quod plagii crimen est, sed frustatim ac per particulas & sententias selectas, quæ ipsius argumentis magis conducere & convenire videbantur : quibus interdum paucaex suis subjicit, ad connexionem argumentorum ac materiarum. Hoc autem excerptorum proprium est, non plagiariorum, qui tractatus aliorum integros sibi adscribunt, nec authoribus nominatis. Ita egit Vincentius Bellovacensis in quatuor *Speculis* suis, quæ edita sunt Basil. 1481. Venetiis 1591. & Duaci 1624. in fol. de quo Jacobus Thomasius *De plagio literario* Lipsiæ 1673. in 4 edito, Sect. 562. 575. his verbis: *Ergo Vincentium plagii damnabimus? Ne hoc quidem Plagii enim culpa solet ex eo depelli, quia ipse in Operis totius prologo, apertè se profiteatur non emblatorem, sed excerptorem : quam excusationem & nos utcunque admittimus.* Idemque dicendum de S. Antonino Archiepiscopo Florentino, qui *Summas* duas ingentes, *Theologicam* atque *Historialem*, ex aliis atque aliis Scriptoribus utplurium excerpsit & collegit. Idem quoque à me dicendum de Petro Lombardo Sententiarum Magistro, quem tamen *plagii literarii* accusasse videntur, tum Jacobus Thomasius *De plagio literario* à Sect. 493. usque ad 502. tum Guilelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1141. p. 667. his verbis.

In condendo Sententiarum opere, non levi„ter adjutum esse Lombardum, Petri Abaëlardi„ Sententiarum libris, nobis auctor est Joannes„ Cornubiensis, ipsius Lombardi discipulus." Addunt alii, Lombardum Magistri cujusdam„ Baudini obscuri & penè ignoti Theologi scri„nia insigniter compilasse. Scripsit Baudinus„ *Sententiarum Theologicarum Libros IV.* qui curâ„ Benedicti Chelidonii prodierunt Viennæ 1519." Non ovum ovo similius, quam Baudiniano„ operi, Lombardi sententiæ, nisi quod prolixior„ multo Lombardus sit. Vter alterum exscri„pserit, incertum, nec lis facile dirimenda est, etsi„ non desint qui Lombardum sua ex Baudino de„sumsisse suadeant. Vide quæ de hac re dili„genter collegit CL. Jacobus Thomasius *De*„ *plagio literario* à Sect. 493. ad 502." Verum ista immeritò dixisse ac sensisse de Petro Lombardo, mihi videtur Cavus.

Quantum enim ad Joannem Cornubiensem Anglum, Petri Lombardi discipulum, quamvis in Opere suo quod contra Lombardum anno 1179. Alexandro III. in Concilio Lateranensi III. cui adfuit præsens obtulit, & quo movit bilem Alexandro Papæ contradictum Petrum Lombardum jam mortuum & mutescentem in sepulchro: fateatur vel asserat, *Non leviter adjutum esse Lombardum Petri Abaëlardi Sententiarum libris* : non tamen ipsum vel Abaëlardum expilasse vel plagii instar verbotenus expressisse asserit. Aliud sanè est, Lombardum adjutum fuisse anterioribus Abaëlardi Sententiarum libris, aliud expressisse verbotenus Abaëlardum: id quod Joannes Cornubiensis, quamvis in Petri Lombardi memoriam iratissimus non dixit. Cum uterque suas Sententias ex Scriptis Patrum antecedentium acceperit, alter alteri in non-

nonnullis similis esse potuit: tum quod uterque idem argumentum tractare potuit, uterque ad eosdem fontes recurrere, utrique placere dicta & sententias unius ejusdemque Patris. 2. Ex sepulchro Petri Lombardi, quo nihil magis authenticum, constat Petrum Lombardum *composuisse Librum Sententiarum, Glossas Psalmorum & Epistolarum*. 3. Denique extat editum, utrumque opus *Sententiarum Petri Abaëlardi ac Petri Lombardi*, nec ullus hucusque satis audax & temerarius fuit, qui ex collatione utriusque factâ, Lombardum Abaëlardum verbotenus expilasse, asseruerit. Sane si Lombardus Sententias suas ex Abaëlardo accepisset, eas nunquam legere Parisiis, ubi Abaëlardus aderat, ausus fuisset. Nam & Abaëlardus præsens ac vivens, famam Lombardi tanquam Plagiarii planè proscidisset, idque perpetuò Abaëlardi discipuli tum Magistro Sententiarum tum ejus omnibus discipulis, exprobrassent. Nec ergò vel unciam boni sensus habent, qui istud affirmant.

Quoad autem concernit Baudinum, de quo præter Thomasium & Guillelmum Cavum, scribit quoque Thomas Popeblount *Censura celebriorum Auctorum* ad annum 1141. in *Lombardo* pag. 383. Illud dicam, rectè à Thomasio & Cavo *obscurum & ignotum Theologum* vocari, cujus ætas incerta est, & altissimum apud omnes silentium. Idem autem ac unus homo mihi videtur, cum *Banchino* vel *Bankino* Londinensi Augustiniano, qui Oxonii olim primarius Theologiæ Professor, *librum adversus propositiones Wicleffi, alterum Determinationum variarum, & Sermones ad populum reliquit*. Qui vivebat anno 1382. testibus Antonio Possevino Tomo I. *Apparatus sacri* verbo *Bankinus*, atque Carolo du Fresne in *Indice Scriptorum*, quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, col. 91. Jam utrum Baudinus ex Lombardo exscripserit, ao Lombardus ex Baudino, conjectari facillimum est. Lombardus enim anno 1164. mortuus die 20. Julii, non potuit exscribere Baudinum seu Baukinum, anno 1382. tempore Wicleffi florentem: at Baudinus hoc anno clarus, rectè libros Magistri Sententiarum anno 1164. mortui, in compendium contrahere potuit. Unde nota Plagiarii meritò in Baudinum, non in Lombardum cadit. Addo constare, quod Magister Sententiarum ideo Petrus Lombardus dictus sit ab illo opere, ut liquet tum ex Epitaphio suprà allato, tum ex hostibus qui aliquanto post mortem, in Magistrum Sententiarum occasione dictorum librorum insurrexerunt, de quibus Capite sequenti disseram.

CAPUT TERTIUM.

DE HOSTIBUS ET ÆMULIS, QUI IN MAGISTRUM SENTENTIARUM POST MORTEM INSURREXERUNT.

Annis circiter quatuordecim vel quindecim à Petri Lombardi morte, in doctrinam ejus invidiâ agente, plurimi insurrexerunt. Imò ipso Petro Lombardo adhuc vivente Joannes Cornubiensis Anglus, olim illius Discipulus accessit ipse ad hoc Turonense Concilium, quod coram Alexandro Papa III. celebratum anno 1163. quarto Calendas Junii in Ecclesia Sancti Mauricii, cui interfuerunt Cardinales XVII, Episcopi CXXIV., Abbates autem CCCCXIV. Comparuit in hoc Concilio Joannes Cornubiensis, atque Petrum Lombardum accusavit coram, quod secutus Petrum Abaëlardum, docuisset *Christum ut hominem non esse aliquid*. Id autem non factum esse tantum in Concilio Lateranensi III. anno 1179 ut scribit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* post alios, ex literis Alexandri III. ad Willelmum Senonensem Archiepiscopum, quæ in Notis ad hoc Concilium referuntur: sed anno 1163. instante Turonensi Concilio factum, coram Alexandro III. ac Patribus eo convocatis, constat ex Opusculo secundo quod adversus Magistrum Sententiarum scripsit Joannes Cornubiensis, atque MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis extat, uti nos diximus ad annum 1170. in *Joanne Cornubiensi*. Nam accusationem suam ab illo Concilio orditur his verbis, *In Concilio Turonensi quod dudum convocatis plerisque omnibus tam Anglicana quam Gallicana prælatis Ecclesiæ &c.* Non videtur autem Joannes assecutus fuisse suum finem, nec Petri Lombardi damnationem in hoc Concilio obtinuisse, donec repetitis instantiis eodem Instante, circa annum 1169. vel 1170. sexennio post Lombardi mortem vel circiter, Alexander III. literas dedit ad Willelmum Senonensem Archiepiscopum, quæ extant apud Matthæum Parisiensem *Historia Anglicana* pag. 138. ad annum 1179. & in Notis ad hoc Concilium Tomo X. Conciliorum ultimæ editionis. Quibus injunxit Papa Willelmo, ut convocatis Provinciæ suæ Episcopis, in hanc Petri Lombardi doctrinam diligenter inquireret, eamque penitus aboleri, & Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ex anima & corpore consistentem, à Magistris Scholaribus Parisiis in Theologia studentibus edoceri curaret. Convocatum verò Parisiense hoc Concilium ultimi editores Conciliorum, ad annum 1170. tomo X. col. 1820. retulerunt cum literis allatis Alexandri III. ad Willelmum Senonensem Archiepiscopum eò spectantibus, anno enim 1175. Willelmus ad Rhemensem Metropolim à Senonensi traosiverat, eratque Guido Senonensis Archiepiscopus anno 1179. dum Concilium Lateranense III. celebratum est. Quinquennio igitur vel sexennio post mortem Petrus Lombardus agente Joanne Cornubiensi ob hanc doctrinam damnatus est.

Ulterius alterationem suam in Magistrum Sententiarum prosecutus est Cornubiensis, nam anno 1179. ad Concilium Lateranense III. accedens,

dens, Alexandro III. Papæ Opusculum obtulit, quo Magistri condemnationem doctrinæ urgebat, Opusculo titulus *Eulogium Joannis Cornubiensis ad Alexandrum Papam III.* Non videtur tamen finem suum ac Magistri condemnationem obtinuisse in hoc Concilio Joannes, nam paucis post illud annis aliud ac majus Opusculum de eodem argumento obtulit eidem Alexandro, anno nimirum 1180. vel 1181. ut eandem Petri Lombardi doctrinæ condemnationem urgeret, cujus Prologus incipit, *Cum in prima Eulogii editione, propter Romanum quod tunc temporis imminebat Concilium, brevi nimis & sterili stilo functus &c.* Si enim anno 1179. in Concilio Lateranensi damnationem Petri Lombardi obtinuisset, alteri Scripto locus non fuisset relictus, nec novis instantiis. Plura nos de illo postea, ad annum 1170. in *Johanne Cornubiensi* dicemus.

Circa hæc tempora Gualterus Sancti Victoris Parisiensis Prior, insignis Theologus claruit, qui clarioribus ætatis suæ infensus Theologis Petro Lombardo, Petro Abaëlardo, Gilberto Porretano & Petro Pictaviensi, scripsit Opus multa bile refertum, contra istos quatuor Theologos, ubi sæpius illorum sensum in pravitatem detorquens, multa eis hæretica & insana imponit, de quibus ne vel unquam somniasse, probabile est. Habetur opus istud Manuscriptum in celebri Bibliotheca Sancti Victoris, littera JJ. II. fol. 39. in Codice optimæ notæ, qui 500. annorum est, Gualteri forsitan autographus. Primus titulus minio scriptus, uti & prologus, ita incipit. *Quisquis hæc legerit, non dubitabit quatuor labyrinthos Franciæ, id est Petrum Abaëlardum & alium Lombardum, Petrum Pictavinum & Gilbertum Porretanum, non Spiritu Aristotelico afflatos, dum in effabilia Trinitatis & Incarnationis Scholasticâ levitate tractarent, multas hæreses olim evomuisse, & adhuc errores pullulare &c.* Tum litteris etiam rubricatis, *Incipit Liber Magistri Walteri Prioris Sancti Victoris Parisius, contra manifestas & damnatas etiam in Conciliis hæreses, quas prædicti Sophistæ libris Sententiarum suarum reponunt, acuunt, limant, roborant &c.* Opus distinctum est in quatuor libros, contra celeberrimos quatuor seculi sui Magistros, quos *quatuor Franciæ Labyrinthos & novos hæreticos*, odiosâ prorsus nuncupatione odiosos facit. Factum opus istud opinor circa tempora Concilii Lateranensis III. anni 1179. quibus Fama Petri Lombardi ab æmulis proscindebatur. De Gvaltero nos infrà dicemus ad annum 1170.

Eodem tempore adfuit etiam Concilio Lateranensi III. Abbas Joachim Florensis Cœnobii, atque contra Petrum Lombardum insurrexit eumque hæreseos accusavit, quasi non Trinitatem in Divinis sed quaternitatem admitteret, appellans eum hæreticum & insanum. Quo tempore in hanc calumniam erga Magistrum prædictus Abbas inciderit, indicat Matthæus Parisiensis in *Historia Anglicana* anno 1179. his verbis: „Scripsit etiam ejusdem" Alexandri Papæ diebus contra eundem Petrum" Lombardum, Abbas Joachim Florensis Cœno-" bii libellum, vacans eum hæreticum & insa-" num, eo quòd in libro *Sententiarum* quem com-" posuerat idem Petrus, de unitate sive essentia" Trinitatis dixit: *Quoniam quadam summa res est,*" *Pater & Filius & Spiritus Sanctus; & illa non est*" *generans, neque genita neque procedens.* Contra" hanc assertionem apposuit Abbas præfatus," quod non tam Trinitatem astruebat in Deo," quam quaternitatem, tres videlicet personas &" illam communem essentiam quasi quartam." Manifestè protestans, quod nulla res est, quæ sit" Pater & Filius & Spiritus Sanctus, nec est essen-" tia, nec substantia, nec natura &c." prout habentur in Concilio Lateranensi IV. anno 1215. habito cap. 2. Conciliorum tomo XI. pag. 144. & in Notis pag. 240. Et paulò infra subjungens ait: Stetit autem hæc indeterminata altercatio" à diebus Alexandri Papæ III. usque ad tempora" Innocentii Papæ per annos multos, sedentibus" inter eos in cathedra Romana Lucio, Grego" rio, Clemente & Celestino Pontificibus Roma-" nis. Quibus succedens Innocentius Tertius" anno Domini 1215. Romæ generale Concilium" celebrans, libellum Abbatis Joachim, quem" contra Petrum & Articulum ediderat prædi-" ctum, his verbis damnavit: *Nos sacro approban-" te Concilio damnamus ergo & reprobamus libellum" sive tractatum quem Abbas Joachim edidit contra" Magistrum Petrum Lombardum* De unitate seu" essentia Trinitatis, *appellans illum hæreticum &" insanum, pro eo quod in suis dixit Sententiis:* quo-" niam quædam summa res est, Pater & Filius &" Spiritus Sanctus: & illa non est generans, ne-" que genita, neque procedens. *Unde asserit," quod ille non tam Trinitatem, quam quaternitatem in" Deo adstruebat, videlicet tres personas & illam com-" munem essentiam quasi quartam: manifeste pro-" testans, quod nulla res est, quæ sit Pater & Filius" & Spiritus Sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec" natura &c.* Nos autem sacro & universali" Concilio approbante credimus & confitemur" cum Petro, quod una quædam summa res est," incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ" veraciter est Pater & Spiritus Sanctus, tres si-" mul personæ, ac singulatim quælibet earun-" dem." Causam scribendi contra Petrum Lombardum Joachimo dedisse videtur Alexander Papa III, qui cum relatu aliorum didicisset, quod Magister Sententiarum in quibusdam Scriptis suis, ab articulis fidei recederet: authore Matthæ Parisiensi loco citato, circa annum 1169. vel 1170. ad Willelmum Senonensem Archiepiscopum litteras direxisse scribitur, quæ extant Tomo X. Conciliorum in Concilio Parisiensi, anni 1170. col. 1820. & in Notis ad Concilium Lateranense III. anni 1178. sub Alexandro Papa III. col. 1529.

S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, lon-

ga post allatos temporum intercapedine distans, quippe anno MCCCCLIX. die XI. Maji mortuus, errores XIV. Petri Lombardi Sententiarum Magistri in Summa Theologica parte 4. titulo 11. cap. 8. recenset & confutat, *in quibus non muniter non tenetur*, inquit ille. Verum mihi illos legenti meræ nugæ plerique apparuerunt, & qui attentionem viri gravis non mereantur, unde mirum cur ad minutias istas Antoninus animadverterit. Eadem verò tempestate Henricus Gorcomius seu Gorcomiensis, natione Batavus, ab urbe natali ita cognominatus, Theologus & Philosophus insignis, Academiæ Coloniensis Vice-Cancellarius, anno 1460. clarus, edidit Opus inscriptum *Conclusiones & Concordantia Bibliorum & Canonum in libros Magistri Sententiarum*, impressum Coloniæ 1502. Venetiis 1506. & Basileæ 1513. in quo longè plures articulos arguit. Rectè ergo Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1145. pagina mihi 322. sic loquitur, „ Quamvis Petrus „Lombardus *Magister* appelletur, tamen Discipuli ejus Scholastici Doctores, acuti & docti „non omnia probant, quæ *Magister* docuit: notantur enim Articuli viginti sex, in quibus Magister rejicitur. Nec solum opiniones ejus „aliquando refelluntur, sed etiam non defuerunt „qui cum ad Alexandrum III. Pontificem detulerint hæreseos nomine, quod docuisset *Christum ut hominem non esse aliquid*. Quam ejus „sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi, jubente Alexandro Pontifice, „testatur Matthæus Paris in Historia Anglicana „in *Henrico II.* quæ damnatio contigit annis novemdecim post mortem ejusdem Petri. Non „diu postea accusatus fuit à Joachimo Abbate, „quod docuisset, *unam summam rem esse, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum*. Sed Concilium „Lateranense sub Innocentio III *Petri Lombardi* „sententiam approbavit, & contrarium Joachimi Abbatis reprobavit.

Agunt de Petro Lombardo Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali* lib. 29. cap. 1. S. Antoninus Florentiæ Archiepiscopus in *Summa Theologica* parte 4. tit. 11. cap. 8. & in *Summa Historiali* parte 3. tit. 18. cap. 6. & 7. Antonius Possevinus Tomo 2. Apparatus sacri, verbo *Petrus Lombardus*. Robertus Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1145. pag. mihi 322. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1141. pag. 667. Denique Thomas Popeblount *Censura celebriorum auctorum* ad annum 1141. pag. 381. & alii.

1140 HENRICUS TORNACENSIS ECCLESIÆ CANONICUS, Divo Bernardo Claræ Vallis Abbati contemporaneus, ac Herimanno apud Sanctum Martinum in urbe Tornacensi notus, circa annum 1140, cum anno 1092. Abbatia S. Martini cum omnibus ejusdem monumentis, igne absumpta fuisset, destitutus omni antiquitatum subsidio, *Vitam S. Eleutherii Episcopi Tornacensis*, quam Sancto ipso revelante didicisse se opinabatur, scriptis mandavit. Extat MS. in Bibliotheca S. Martini Tornacensis hoc initio, *Temporibus Imperatorum Diocletiani & Maximiani &c.* ubi & sequentia verba Vitæ eidem antiqua manu præfixa leguntur.

Erat Tornaci Clericus, puer, civis, Canonicus,
Henricus dictus nomine, alumnus magna Domina
Cui revelantur omnia hujus libri sequentia,
Quæ fuerant igni data à Gente nimis elata.

Scripsit præterea idem Henricus, dubio procul, eadem revelationis sibi factæ auctoritate fultus, Libellum *De antiquitate urbis Tornacensis* MS. ibidem ab his verbis incipientem, *Anno ab eversione Trojani imperii &c.* Cæterum quod ad ipsius visiones attinet, fit earum mentio in Auctario ad Chronicon Anselmi Abbatis Gemblacensis, his verbis ad annum 1140. *Apud Tornacum adolescens Clericus, Henricus nomine, multa in Spiritu vidit, Vitam quoque S. Eleutherii Tornacensis Episcopi notitiæ hominum tradidit, & alia multa tam de ipsius urbis Episcopatu, quàm de cæteris rebus prophetavit.* Quibus convenienta Herimannus Abbas prædictus in *Historia S. Martini Tornacensi* scribit, qui Historiam omnem dictæ vifinnis & rei gestæ fuse prosecutus est, quam præsens oculis spectasse creditur. Hæc verbotenus Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Henricus Tornacensis* pag. 370. editionis 1643. Lovanii in 4. Immemor autem sui Valerius Andreas, hæc eadem Opuscula attribuit in eadem *Bibliotheca Belgica* Henrico Gandavensi pag. 351 his verbis, *Vitam S. Eleutherii Tornacensis Episcopi* hoc initio, *Temporibus Imperatorum Diocletiani & Maximiani &c.* MS. ad Sanctum Martinum. Et *Elevationem ejusdem S. Eleutherii corporis*, MS. ibidem. Edita autem extat sed absque auctoris nomine, in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 3. Februarii mensis pag. 187. ad diem 30. hujus mensis. Cui addo *Vitam* quoque *S. Eleutherii Tornacensis Episcopi* scriptam esse ad Joannem Episcopum Tornacensem circa annum 1260. à Guiberto Tornacensi Ordinis Fratrum Minorum, cui etiam adjunxit *Sermones quatuor* de variis argumentis sub nomine *S. Eleutherii Tornacensis Episcopi* à seipso compositos: ut quemadmodum Henricus Tornacensis Canonicus *Vitam S. Eleutherii* ex visionibus sibi attributis conscripserat, ita Guibertus pari in Eleutherium zelo, eundem Ecclesiasticis Scriptoribus accenseret, sermonibus nonnullis ipsius nomine à se conscriptis. Nullus enim Veterum, nec Sigebertus quidem eorum meminit, nec in MSS. Codicibus reperiuntur, nisi ad calcem Vitæ S. Eleutherii Tornacensis Episcopi à Guiberto Minoxita conscriptæ, quod indicium est suppositionis illorum à Guiberto factæ.

NICOLAUS SANCTI LAMBERTI LEODIENSIS CANONICUS, circa annum 1140. post alios plures stylum suum exercuit, scribendo *Vitam Sancti Lamberti Leodiensis Episcopi*, 1140

pi, ad Wedericum, Lætiensem in Hannonia Abbatem quam edidit Joannes Chapeavillus tomo 2. Collectanei sui *De Rebus Leodiensibus*, Leodii anno 1613. in 4. de quo jam sæpe diximus. Item *Victoriam ac triumphum Sancti Lamberti in Expeditione Bullonensi anno 1141. contra Rainaldum I. Barrensem Comitem*, quam cum cæteris *Rerum Leodiensium* Scriptoribus edidit Tomo 2. Joannes Chapeavillus. Item *Elogium breve Algeri Leodiensis Scholastici*, quod Joannes Mabillon *Analectorum* Tomo 1. edidit. Alius autem eadem ætate *Nicolaus Suessionensis Monachus* circa annum 1120. claruit, qui ad Rohardum Suessionensis Ecclesiæ Decanum, *Vitam Sancti Godefridi Ambianensis Episcopi* æqualis sui qui anno 1118. obiit, tribus libris conscripsit: quos habes apud Laurentium Surium in *Probatis Sanctorum Vitis*, tomo 6. ad diem 8. Novembris. De primo isto Nicolao, vide Chapeavillium in Notis ad Scriptores *Vitæ Sancti Lamberti Leodiensis Episcopi*: de secundo, Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. mihi 376. De primo quoque Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Nicolaus Canonicus & Scholasticus Leodiensis* pag. 681. editionis 1643. Lovanii in 4.

1140 GVILLELMVS DE CONCHIS, Normannus, patriâ Ebroicensis, ab oppido de Conches ita cognominatus, juxta Sarisberiensem insignis Grammatices Professor fuit, post Bernardum Carnotensem opulentissimus, qui eum suo tempore docentem se vidisse, imò per triennium audivisse, summa cũ laude prædicat. Inde promptum est ætatem Guillelmi dignoscere, nam cũ Joannes Sarisberiensis an. 1136. Parisios venerit, inde concludimus Guillelmum de Conchis, docuisse illic ad annum usque 1140. Juvat audire Sarisberiensem Lib. 2. *Metalogici* cap. 10. postquam de Schola Peripatetici Palatini Petri Abaëlardi locutus est: *Deinde reversus ad me, & metiens vires meas, bona præceptorum meorum gratia, consulto me ad Guillelmum de Conchis transtuli, ipsumque triennio docentem audivi.* Quo autem pacto, & quorum virorum operâ reparata fuerit eloquentia, bonæque artes refloruerint, idem author Lib. I. cap. 5. aperiens, illud singulare & illustre beneficium, quinque præsertim celeberrimis Professoribus & Magistris tribuit, Gilberto Porretano, Theodorico, Bernardo Carnotensi, Guillelmo de Conchis, & Peripatetico Palatino, qui Petrus Abaëlardus est. *Quanquam obstreperet Cornificius ille & tota ejus familia seu sectatorum turba, qui nitidè & tersè loqui parum curantes, Grammaticam, Rhetoricam, & cæteras liberales ac præclaras artes contemnebant, neque tantorum virorum famam rodere abstinebant.* Sic autem ille postquam de Magistro Gilberto locutus est: *Sed & alii viri amatores litteratorum, utpote Magister Theodericus Artium studiosissimus investigator: itidem Willelmus de Conchis Grammaticus post Bernardum Carnotensem opulentissimus: & Peripateticus Palatinus qui Logicæ opinionem præripuit omnibus coætaneis suis, adeò ut solus Aristotelis usus crederetur colloquio, se omnes opposuerunt errori, sed nec universi insanientibus resistere potuerunt. Insipientes itaque facti sunt, dum insipientiæ resistebant: & Erronei diutius habiti, dum obviare nitebantur errori. Veruntamen fumus ille cito evanuit, & prædictorum opera Magistrorum & diligentia redierunt artes, & quasi jure postliminii honorem pristinum nactæ sunt, & post exilium gratiam ampliorem.* Vide seculum 4. *Universitatis Parisiensis* in Historia pag. 143. & 144. Extitit quoque Professor in Philosophia nominatissimus, qui juxta Democriti opinionem, omnia constare ex atomis seu indivisibilibus existimavit: ut intelligimus ex hoc *Gualteri de Sancto Victore* loco, in Opere suo *Adversus quatuor Galliæ Labyrinthos*. „Ajunt, inquit, Hebræi Doc significari tenuissimum pulverem qui vento rapitur, sæpe in oculos mittitur, & sentitur potius quam videtur. Minutissima ergo frusta pulveris & pene invisibilia hoc verbo appellantur, quæ forsan Democritus cum Epicuro suo *atomos* vocat. Inde Willelmus de Conchis ex *atomorum*, id est minutissimorum corporum concretione putat fieri omnia. Et alibi. Idem est pene Timæum Platonis & Philosophiam M. Willelmi de Conchis legere, stellas, animalia & Deum colere.“ De *Guillelmo Conchensi* ita paucis sed rectissimè loquitur *Epitome Bibliotheca Conradi Gesneri* fol. 301. editionis Tigurinæ anni 1583. apud Christophorum Froschoverum. *Guillelmus de Conches Normannus, magnus Philosophus scripsit Philosophiam Universalem lib. 5. De naturis Superiorum seu Philosophiam primam lib. 1. De naturis Inferiorum seu Philosophiam secundam lib. 1. Sunt autem duo magna volumina ante multos annos impressa.* Quæ neutiquam ex auditu refert Conradus Gesnerus vel ejus epitomator Josias Simlerus, sed ex visu, ubi antiquæ editiones in Bibliothecis extant. De illo autem ita scribit Antonius Possevinus tom. 1. *Apparatus sacri*. „Guillelmus de Conchis, quem fuisse Franciscani Ordinis magis conjicio, quam scio, *Triginta tres libros super opere sex dierum composuit*, qui & Patrum nostrorum memoria excusi sunt. Tomum autem quo Decimus nonus liber usque ad Trigesimum tertium continetur, legi tantum, quoniam alii tomi ad me non venerunt. Et quidem Volumen hoc è Cœnobio S. Francisci quod est in oppido Pera è regione Byzantii delatum, missum est ad me ab illustrissimo Aquilejæ Patriarcha Francisco Barbaro, mutilum in fine, ut quis fuerit illius typographus, resciri non potuerit. At ipsum Opus ex Theologis atque Philosophis conflatum, uberem supellectilem habet, dignam quæ legatur. Nam & post creaturarum quæ in mundo sunt, hominisque tractationem, Tertius decimus tandem liber agit de locis hac & in habitabilibus, deque temporibus sex ætatum mundi, usque ad Antichristum, & de innovatione mundi.“ Hæc Possevinus, quæ Lucas Vadin-

dingus in *Bibliotheca Ordinis Minorum*, fol. 151. repetit. Scripsit igitur Guillelmus de Conchis *Magnam de naturis Philosophiam*, desumptam ferme verbotenus ex Operibus veterum Ecclesiæ Patrum, quantum materiæ hoc passæ sunt, Basilii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Nysseni, & aliorum plurimorum, quos nominatim ad capita quævis citat: ut non tam proprium opus sit Guillelmi de Conchis, quam Collectaneum ex Sanctis Patribus desumptum, atque in certum ordinem redactum. Opus istud maximum, distinctum est in duas partes, ut rectè narrat ex visu Gesnerus, impressumque maximis duobus in fol. Voluminibus anno circiter 1474. absque nomine loci, typographi, vel anni, quod antiquitatem hujus editionis denotat. Agit primum volumen *De naturis Creaturarum Superiorum*, secundum *De naturarum Inferiorum*, cujus impressionis secundam tantum partem vidi primæ relativam, in Bibliotheca Collegii Parisiensis Navarrici. Nec dubium quin pars altera diligenter inquisita reperiretur, in iis Bibliothecis quæ vetustis abundant impressionibus. Hoc sane Opus Guillelmi de Conchis quamvis impressum, rarissimum est, quod multis Bibliothecarum MSS. Codicibus qui obvii atque communes sunt, anteponerem. Appellatur autem *Major Philosophia seu Physica Guillelmi de Conchis*, quam nollibi adhuc manuscriptam in Gallia vidi. Extat autem *Philosophia Minor Guillelmi de Conchis*, MS. in Codice optimæ notæ, Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis, Littera MM. 17. fol. 172. & sequentibus, cujus titulus, *Philosophia Guillelmi de Conchis*. Incipit Prologus, *Quoniam in Prologo Rheticorum ut ait Tullius, Eloquentia sine sapientia nocet &c.* in 4. partes distincta, quarum prima incipit: *Philosophia est eorum quæ sunt & non videntur, & eorum quæ sunt & videntur &c.* Eadem quoque MS. in Bibliotheca Colbertina, Cod. 6109. Extat Philosophia hæc frequenter MS. in Anglicis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1602. in MSS. Codd. Kenelmi Digbæi Codice 1. Num. 1705. & 1708. in MSS. Codicibus ejusdem Codice 104. & 107. Nom. 2596. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 11. Codice 101. num. 10. Et num. 3623. in MSS. Codd. Hyperoi Bodlejani Codice 157. num. 30. pag. 187. Et num. 4056. in MSS. Hattonianis Codice 31. num. 1. Idem autem istud Opus impressum habetur inter Opera Venerabilis Bedæ Presbyteri, ut jam in *Beda* superius animadverti, inscriptum *De elementis Philosophiæ Libri IV.* tomo 2. pag. 206. & sequentibus. Scripsit *contra Guillelmum de Conchis Guillelmus de Sancto Theodorico* Opusculum inscriptum *De erroribus Guillelmi de Conchis*, ad Sanctum Bernardum Claræ Vallis Abbatem, impressum tomo IV. *Bibliothecæ Patrum Cisterciensis Ordinis*, quam Collegit Bertrandus Tisserius seu Textor, Bonifontis in Thierascia Prior. Ibi vult hic Abbas non minus erroneum esse Guillelmum de Conchis in sua Philosophiam, quam *Petrum Abaëlardum* in Theologiâ suâ, quem utrumque duobus Opusculis sibi succedentibus impugnat. Idem posteà *Guillelmus de Conchis* scripsit libellum per modum Dialogi inter se & Henricum secundum Normanniæ Ducem, qui olim in curiâ Regis Franciæ enutritus & litteris in Parisiensi Academiâ initiatus sub Guillelmo fuerat. Inscribitur *Dragmaticon Philosophiæ Magistri Guillelmi de Conchis*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca domus Sancti Petri, Cod. 44. Et Bibliotheca Bodlejana num. 3565. in MSS. Codd. Hyperoi Bodlejani Codice 75. Et in Bibliotheca Colbertina Parisiensi Codice 199. in folio maximo & pulcherrimo. Prologus incipit, *Quæris Venerande Dux Normannorum & Comes Andegavensium, cur Magistris nostris minus creditur, quam antiquis &c.* Incipit Liber. *Dux. Quoniam officium interrogandi mihi est injunctum &c.* In hoc Prologo ait se scripsisse Philosophiam quodam modo Theologicam, cujus hic aliquot sententias emendat & revocat, tanquam non conformes Scripturis, quas in juventute docuerat, maximè ubi de Personis divinis loquens, dixerat: *Patrem esse potentiam, Filium Sapientiam, Spiritum Sanctum voluntatem:* & alios errores quos scripserat: unde hoc Opus est Palinodia quædam, inconcinnorum Guillelmi dictorum ac malè sonantium.* Idem *Dragmaticon* adhuc MS. in aliis duabus Galliæ Bibliothecis, nempe anonymum in Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, Monachorum Benedictinorum, Littera M. 2. Et in Bibliotheca Pontigniacensi Ordinis Cisterciensis, *Dragmaticon Philosophiæ Magistri Guillelmi de Conchis.* Obiit Parisiis circa annum 1150. cui hoc cecinit Epitaphium Philippus Abbas Bonæ Spei.

Gallia suspirat radio privata sereno,
Clarius irradians Sydera Sydus habet.
Nox abit in questum, sequiturque dies sine sole,
Fit sine Guillelmo, fit sine sole dies.
Flevit Apollonium sua Græcia, Roma Maronem,
Gallia Guillelmum luget, utrique parem.
Ejus præclaret Natu Normannia, victu
Gallia, Parisius corpore, mente polus.

De illo Seculum 4. *Universitatis Parisiensis* in Catalogo pag. 742. & in *Historia* pagg. 143. & 144. Antonius quoque Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 701. ubi magis ex conjecturâ quam ex scientiâ & certitudine, facit illum Franciscani Ordinis, ut ipse ait. Quod autem ipse dubitando proposuit, idem posteà asseruit Lucas Vadingus in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum* pag. 151. verbis Possevini allatis. Verum qui insignis Rhetorices Professor anno 1130. & 1140. vel circiter floruit, quomodo fune Franciscano præcingi potuerit, videant & Possevinus & Wadingus: videant cæteri omnes, qui propius epochas & Ordinis Franciscani & Guillelmi de Conchis, & ejus qui Epitaphium defuncto con-

condidit Philippi Bonæ Spei Abbatis, attendent.

1140 GEBVINVS TRECENSIS ECCLESIÆ CANONICVS ET CANTOR, anno 1140. & sequentibus floruit, clarus multis concionibus quas frequenter ad populum habuit. Extant hi Sermones MSS. in insigni Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris, Ordinis divi Augustini, ad muros Parisienses, Littera QQ. 19. post Sermones Magistri Petri Comestoris, & Mauritii Parisiensis Episcupi. Inscribuntur in Codice optimæ notæ, *Sermones Magistri Gebuini Trecensis*. Sunt autem quinquaginta numero, quorum primus incipit: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me. Psalmo 3. Hac sunt verba David Prophetæ orantis &c.* Quonam autem fioruerit tempore, quasve dignitates in Cathedrali Ecclesia Trecensi assecutus sit Gebuinus, constat ex *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 790. verbo *Ripatorium*, ubi in Chartâ quadam confirmationis ab Hattone Trecensis Ecclesiæ Episcopo datâ, affirmatur donatio facta Monachis de Ripatorio, loci illius qui *Bussteiacus* dicitur, cum omnibus bonis eò spectantibus. Cujus testes sunt, *Gaufridus Carnotensis Episcopus, Dominus Bernardus Abbas Claræ Vallis, Guillelmus Abbas Sancti Martini, Odo Præpositus, Manasses Archi-Diaconus, Gebuinus Cantor.* Nullus quem noverim, hujus Scriptoris meminit.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS S. BERNARDI, PRIMI CLARÆVALLIS ABBATIS.

1140 BERNARDVS ClaræVallis Abbas primus, atque ut illustrissimus R. E. Cardinalis & Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor Cæsar Baronius ait tomo 12. Annalium ad annum 1153. vir verè Apostolicus, imò verus Apostolus, missus à Deo, potens opere & sermone, illustrans ubique & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis, ut planè nihil minus habuerit à magnis Apostolis. Hic vivens adhuc, Monasteria centum & sexaginta ubique terrarum erexit. Sed ista minora censenda respectu illorum, quæ extra claustra in diversis Orbis Ecclesiis, potissimum vero pro Romanâ operatus est Ecclesiâ. Qui & apud Imperatores, Reges, aliosque Principes pro omnium sublevatione, atque ipsorum & Principum salute, tot tantaque peregerit: quique dicendus sit totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum, simul & fulcimentum: Gallicanæ verò Ecclesiæ imprimis prædicandus sit summum decus, summa gloria, summa majestas: cujus memoria felicissima in benedictione & in ditatione ad morum informationem & disciplinam, & in condemnationem hæreticorum, in sanctâ Ecclesia jugiter perseverat. Hæc Baronius.

CAPVT PRIMVM.
DE
EDITIONE OPERVM DIVI BERNARDI HORSTIANA.

QVemadmodum seculo XII. nullus Scriptor tanti ponderit, tantæque venerationis, quantæ Bernardus est: ita nullus, qui hoc seculo nostro toties in omni Orbis Christiani parte & regione impressus sit. Scripta porro ejus Ecclesiam ædificantia & erudientia tanti sunt meriti, ut suum hic locum mereantur, quamvis de illis amplè satis Bellarminus & Labbæus in libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* loquantur. Sanè vir quidem typographiâ primas sui cunas in Germania habuit, cum Opuscula D. Bernardi Clarævallensis Abbatis per Christianum orbem esse noscuntur. Ac primum quidem *Sermones Bernardi de tempore, de Sanctis & de diversis* cum *Libro ad Milites templi*, anno 1475. Moguntiæ apud primos typographiæ inventores lucem adspexerunt. Eodem circiter tempore *Libri De consideratione, Apologia ad Guillelmum Abbatem & Tractatus de præcepto & dispensatione*, Rothomagi sine certa anni designatione prodierunt. Secuta anno 1481. Bruxellensis editio *Sermonibus de tempore & de Sanctis, Epistolas* adjecit, quas etiam in Parisiensi editione anni 1494. Magister *Roald Sermonibus in Canticum* conjunxit. Hanc excepit editio Brixiensis anni 1495. quæ *Homilias in Missus est* cum aliis quibusdam Opusculis exhibuit, Spirensis 1501. & Veneta 1503. referta non paucis spuriis & Bernardo suppositis operibus. Qui pleraque Bernardi opera in unum corpus redegit, *Johannes Bocardus* primus est, cujus studio & Industria, Bernardus anno 1508. novam quasi formam Parisiis nactus est. Hunc imitatus *Judocus Clichtoveus* Bernardi Opera denuo recognovit, & anno 1514. Lugduni publicavit, quæ editio Parisiis & Lugduni sæpius iterata fuit. Alia editio Lugduni anno 1520. prodiit per duos Monachos Claræ-Vallis *Lambertum Campestrem & Laurentium Dantiscenum* adornata, quæ inter optimas & emendatissimas reputatur. *Franciscus Comestor* Collegii Sorbonici socius, anno 1547. novam Operum Bernardi editionem procuravit, & Lutetiæ apud Claudii Chevallonii viduam, imprimendam dedit.

dit. Secuta est editio Veneta anno 1550. & editio Basileensis 1552. quam *Antonius Marcellius* apud Johannem Hervagium hoc ordine adornari curavit, ut primum locum *Sermones*, secundum *Epistolæ*, tertium *Tractatus*, ultimum *Pseudepigrapha & dubia* tenerent. Alia Bernardi editio, præmissâ *Francisci Comestoris* Epistola anno 1566. Parisiis prodiit, & ad calcem adjecta *Appendice Hervagiana*, studio *Jacobi Pamelii*, qui Bernardi *Sermones parvos* numero 16. & *Soliloquiorum librum*, & alia nonnulla Bernardo suppofita in lucem protulit. Hanc excepit alia Parisiensis *Johannis Gillotii* anno 1572. evulgata, in cujus Præfatione mentionem etiam injicit recognitionis à Theologis Parisiensibus factæ, qui postremas editiones tam privato suo conatu, quàm ex veterum Codicum collatione, quos in Gallicanis Bibliothecis corrogare licuit, restituerunt. Possent memorari, si id opus foret, & aliæ superioris seculi editiones, & inter has illa omnium elegantissima anno 1586. vulgata, quæ Navis symbolo ornata, & sæpius etiam repetita fuit. Nec Segnius præsenti seculo officinæ typographicæ imprimendis Bernardi Operibus insudarunt. Nam statim sub hujusce seculi initium editio *Edmundi Tiraquelli* Monachi Cistercienfis prodiit, quam post octennium editio *Johannis Picardi* Canonici S. Victoris ad muros Parisienses, cum Notis & accessione *Epistolarum* aliquot secuta est. Infiniti penè laboris esset, cæteras omnes enumerare; quamobrem ad eam properamus, quæ *Jacobi Merlonis Horstii* cura anno 1641. primum prodiit, & anteriores omnes nitore suo obscuravit, & ab eo tempore sæpissimè variis in locis & provinciis ad prælum revocata fuit. Hæc de variis Operum Divi Bernardi editionibus, Johannes Mabillnn, ejusque focii in Præfatione prolixa quam præmiserunt editioni suæ ultimæ Parisiensi anni 1690. apud viduam Johannis Baptistæ Coignart. De qua prolixè admodum Supplementum ad *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo I. anni 1692. Sectione XI. pag. 556. ad 567. Nullus est circa cujus Scripta, tanto zelo ut spuria à germanis distinguerentur, tantoque studio desudatum sit. Horum primus Jacobus Merlo Horstius Germanus, Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Beatæ Mariæ in Pasculo Colonienfis Pastor, labore ingenti desudavit corrigendis atque discernendis Divi Bernardi Operibus, quæ tandem magnis duobus in fol. voluminibus anno 1641. Coloniæ Agrippinæ impressa sunt, ac Parisiis posteà eodem modo apud magnam Societatem Bibliopolarum anno 1658. sub signo navis. Dicavit ille non *opellam hanc suam* ut ipse loquitur, sed laborem ingentem, multorumque annorum vigilias & studia, ipsi cujus Opera evulganda curabat. *Sanctissimo Patri Bernardo, primo Claræ Vallis Abbati, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctori eximio, melli fluo, Theodidacto. Invictissimo Sedis Apostolicæ defensori, acerrimo libertatis Ecclesiasticæ Vindici, intimo Magnæ Dei matris Clienti, magno zelatori domus Dei, maxime inter Sanctos Thaumaturgo, Hæreticorum malleo, Schismaticorum flagello, sacra militia Præconi, orbis pacificatori, patri patriæ, Præsulum ac Prælatorum magistro, Clericorum ac Religiosorum omnium Mystagogo &c.* Hi insignes tituli, quibus Bernardum Claræ Vallis Abbatem extulit Jacobus Merlo Horstius.

Præmissa dedicatione ad Sanctum Bernardum & præfatione ad Lectorem de instituto hujus editionis, plurima præmitti tanti viri Bernardi vitam & famam commendantia, tum Opus ipsum in sex tomos dividit, ordine sequenti.

Præludia.

Liber 1us Vitæ Sancti Bernardi, authore Guillelmo Abbate S. Theodorici.

Liber 2us Vitæ ejusdem, authore Arnaldo Abbate Bonæ Vallis Carnotensis.

Libri 3us, 4us, 5us authore Gaufrido Monacho quondam Claræ Vallensi, & Sancti Bernardi Notario, demum quarto Abbate Claræ Vallis.

Libri 6us & 7us desumpti ex MSS. antiquis, & ex magno Exordio Ordinis Cisterciensis, quorum authores fuerunt Bernardo Abbati contemporanei.

Litteræ Apostolicæ Alexandri Papæ III. de Canonizatione S. Bernardi, pag. 84.

Sermo Gaufridi Abbatis IV. Claræ Vallis in anniversario obitus S. Bernardi, p. 86.

Anonymi Monachi Vita metrica S. Bernardi Abbatis, elegantissima. p. 90.

Descriptio situationis Monasterii seu Abbatiæ Claræ Vallis. p. 97.

Illustria variorum authorum de Sancto Bernardo, ejusque Scriptis elogia & testimonia. pag. 99.

Chronologia Vitæ & Scriptorum S. P. Bernardi Claræ Vallensis Abbatis. p. 112.

Tomus primus

Continens Epistolas, qui nunc primum novis Epistolis auctior prodit, & præfixis ad singulas argumentis & summariis, itemque variis annotationibus, aliisque ad majorem operis lucem & commodum Lectoris.

Tomus secundus

Continet Sermones in Dominicas & Festa per annum, à pag. 1. usque ad p. 166.

Sermones XVII. in Psalmum, *qui habitat in adjutorio Altissimi*, p. 166.

Denique Sermones *De diversis* centum & duodecim, quidam tamen valde dubii atque breves sunt, potissimum à Sermone XLIII. *De magnanimitate, longanimitate & unanimitate*, pag. 235. Ab hac autem pagina appellantur Sermones *Parvi*, quorum quidam sunt satis magni: sed omnia ista, vel ex *Bernardi* aliis Operibus collecta sunt, vel inventa anonyma in Collectaneum *Bernardinorum Operum* conjecta sunt.

Parabolæ quædam divo Bernardo attributæ. pag. 263.

Officium de Sancto Victore à Sancto Bernardo,

do, rogatu Guidonis Abbatis Arremarensis compositum. p. 269.

Jubilus Sancti Bernardi Abbatis, in Commemorationem Dominicæ passionis. p. 271.

Tomus tertius.

Commentarium in Cantica Canticorum, Sermones LXXXVI. habentem continet, ad MSS. Codices emendatum.

Tomus quartus.

De Consideratione ad Eugenium Papam Libros V. continet pag. 1.

Tractatum de vitâ & moribus & officio Episcoporum, ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. p. 25.

Apologiam de Vita & moribus Religiosorum ad Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem. pag. 33.

Tractatum de contemptu mundi seu De vita & moribus Clericorum rectè instituendis p. 40. qui spectat tamen ad Gaufridum quartum Claræ Vallis Abbatem.

Tractatum De diligendo Deo ad H[illegible]mericum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. p. 54.

Tractatum De gratia & libero arbitrio ad Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem. pag. 63.

Tractatum de præcepto & dispensatione ad Abbatem Columbensem. p. 73.

Tractatum De gradibus humilitatis & superbiæ. p. 84.

Exhortationem ad Milites Templi, seu Tractatum de novâ militiâ. p. 96.

Tractatum De conversione ad Clericos, seu Exhortatio de vitâ in melius restituendâ. pag. 103.

Tractatum De erroribus Petri Abaelardi in Synodo Suessionensi damnatis ad Innocentiam II. Pontificem. p. 111.

Tractatum ad Hugonem de Sancto Victore, de quæstionibus ab ipso propositis. p. 118.

De Vita & rebus gestis S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi, cum Sermone de eodem. p. 124.

Tomus quintus.

Separatim complectens aliena, dubia, notha, & supposititia, quæ hactenus genuinis S. Bernardi Operibus passim absque discrimine permixta fuerant. Omnia novo labore recognita, distincta, aucta & variè illustrata.

Sermones Gilberti de Hoïlandia Abbatis Swinshetensis, Ordinis Cistertiensis in Anglia, in Canticum Canticorum, ab eo loco ubi Sanctus Bernardus morte præventus desiit. p. 1.

Tractatus De vita Solitaria ad fratres de Monte Dei. p. 86.

Tractatus De passione Domini super illud, *Ego sum vitis vera & pater meus &c.* p. 102.

Meditationes piissimæ ad humanæ conditionis cognitionem. p. 139.

Tractatus De domo interiori, seu De conscientia ædificanda. p. 148.

Tractatus De ordine vitæ & morum institutione. pag. 164.

Scala Claustralium, sive Tractatus *De modo orandi*, authore Guigone Carthusiano. p. 173.

De amore Dei, seu De diligendo Dei Libri tres. p. 176.

Instructio Sacerdotis, seu Tractatus De præcipuis mysteriis nostræ religionis. p. 210.

Sermones varii in Festa quædam & Dominicas anni pag. 216. & sequentibus, quorum præcipui spectant vel ad Elredum Rievallis Abbatem in Anglia, vel ad Gaufridum IV. Claræ Vallis Abbatem.

Tractatus De conscientia ad Religiosum quendam Ordinis Cistercienfis. p. 315.

De modo bene vivendi ad Sororem Liber. pag. 318.

Tractatus qui sub nomine *Divi Bernardi ad Sororem*, conscriptus est circa annum 1430. à Johanne Nidero Theologo Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Priore olim Conventus Basileensis hujus Ordinis, editus primum Parisiis 1494. in 16. & Romæ 1604. in 8. ut habet Henricus Wharton in Continuatione *Historiæ Litterariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1431. pag. 106. Unde nihil est mirum, quod in MSS. Operum Divi Bernardi antiquis nunquam reperiatur. Sed perperam, hic enim Tractatus pertinet ad Thomam Frigidimontis, Ordinis Cisterciensis Monachum anno 1190. pietate insignem, quem Margarethæ Jerosolymitanæ Sorori suæ, Moniali Ordinis ejusdem circa annum 1200. inscripsit, de quo nos posteà ad annum 1190. loquemur. Antiquior itaque Joanne Nidero, qui anno 1430. floruit, annis circiter 230. Tractatus præfatus.

Liber Sententiarum. pag. 358.

Soliloquium. p. 365.

Disputatio cujusdam justi cum Deo. p. 366.

Aliud Soliloquium S. Bernardo attributum. pag. 368.

Formula vitæ honestæ. pag. 370.

Instructio, quo modo homo possit in bono proficere. p. 371.

Varia & brevia documenta piè vivendi. p. 372.

Speculum Monachorum p. 372.

Doctrina beati Bernardi. p. 373.

Octo puncta perfectionis assequendæ. p. 375.

Epistola de doctrina vitæ agendæ. p. 376.

Tractatus, Ad quid venisti, inscriptus. p. 377.

Lamentatio Beatæ Mariæ Virginis. p. 381.

Tomus sextus.

Complectitur Opera duorum S. Bernardi discipulorum, nempe Sermones Domini Guervici Abbatis Igniacensis, & opuscula ascetica Gilberti De Hoïlandia, Abbatis Swinshetensis in Anglia, nimirum *Epistolas* atque *Dissertationes* pag. 73. *Epistolas quasdam Guigonis Majoris Carthusiæ Prioris* p. 89. Annotationes denique Jacobi Merlonis Horstii in Opera divi Bernardi omnia, cum Indice duplici, uno locorum sacræ Scripturæ, altero Rerum & Verborum.

CAPUT SECUNDUM.

DE EDITIONE OPERUM DIVI BERNARDI MABILLONIANA.

Hic quidem labor Jacobi Merlonis Horstii maximus,à quo plurima quæ Bernardum ejusque Opuscula spectant, nova detecta sunt: cui in eodem labore in Gallia nostra successit alius,scriptis clarissimus,qui sua etiam me amicitiâ coluit, Joannes Mabillon Monachus Benedictinus, ex Congregatione Sancti Mauri, apud Abbatiam Sancti Germani Parisiensis. Operam itaque suam illustrandis divi Bernardi Operibus rursum contulit, multaque quibus è tenebris erudiendis impar fuerat Jacobus Merlo Horstius,detexit. Omnia itaque Divi Bernardi Opera distinxit duobus voluminibus & sex tomis in folio,uti Horstius fecerat,sed ordine tamen utcunque alio,edita Parisiis anno 1667. apud Fredericum Leonard, viâ Jacobæa sub Scuto Veneto, cujus hic tibi specimen damus.

Præludia.

Hujus editionis sunt, Præfatio ad Lectorem studiosum Operum divi Bernardi,in qua dat rationem novæ editionis suæ atque novi ordinis quem in editione ista observat.

Brevis Chronologia,Vitæ & Operibus Sancti Bernardi lucem præferens.

Vita Sancti Bernardi primi Claræ Vallensis Abbatis, authore Alano Antissiodorensi Episcopo,pag. 7.

Canonizatio seu Apotheosis Sancti Bernardi Abbatis. pag. 28.

Testimonia illustria Scriptorum de Sancto Bernardo, in classes quasdam distributa. pag. 30.

Tomus primus.

Epistolarum omnium,cum Summariis ad singulas,& Notis Chronologicis,quibus nonnullæ ex MSS. Codicibus huic editioni recenter advenerunt.

Tomus secundus.

Sermonum eodem fermè ordine quo in editione Horstianâ, procedentium, paucissimis discrepantibus. Adjecit huic Tomo pag. 284. *Carmen paræneticum Sancti Bernardi Abbatis ad Rainaldum*, quod prodiit Romæ anno 1663. ex Bibliotheca Chisia, opera Petri Possini, Societatis Jesu. *Rithmum ejusdem de contemptu mundi* pag. 286. quam primus evulgavit ex MS. Abbatiæ Dunensis, Carolus de Visch ejusdem loci prior, in sua *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*. Alias etiam *Rithmicas Orationes* ex eodem MS. Codice, pag. 288. & sequentibus: quæ devota quidem omnia sunt, sed dubia nec certo attribui D. Bernardo Abbati possunt.

Tomus tertius.

Complectitur Sermones LXXXVI. in Cantica Canticorum, quibus pag. 147. adjecit *Tractatum De triplici statu amoris*, seu *Brevem Expositionem in duo priora capita Cantici Canticorum*. Verum Tractatus iste vel *Brevis expositio* spectat ad *Guillelmum Abbatem Sancti Theodorici*, inventaque in MS. Codice Bibliothecæ Dunensis, immixta & juncta cum aliis indubiis *Guillelmi* Operibus, quæ tamen Divi Bernardi Abbatis nomen præferebant: unde credibile est fallere quoque ac falli Manuscriptum Codicem in inscriptione ista, sicut in cæteris, quod notat Joannes Mabillon in admonitione ad Lectorem,huic Opusculo præmissa.

Tomus quartus.

Complexus diversos Tractatus morales,doctrinales & polemicos, servat eundem ordinem, quem jam observaverat ante eum Jacobus Merlo Horstius. Huic addidit ex authoritate eminentissimi Joannis Bona S. R. Ecclesiæ Cardinalis, pag. 144. *Tractatum de ratione cantus* seu *De reformatione cantus Ordinis Cisterciensis*, cum divi Bernardi quadam Epistola. At habeo hunc Tractatum in MS. Codice optimæ notæ cum aliis multis ad Cantum spectantibus in Bibliotheca Bucilliensi, ubi hoc Opus *Domino Guidoni Abbati Cariloci in Burgundia* Ordinis Cisterciensis tribuitur, cui Epistolas duas Sanctus Bernardus scripsit. Hinc sequuntur Notæ Joannis Mabillonii in Opera divi Bernardi.

Tomus quintus.

Complectitur Opera dubia,spuria,& supposititia,eo ordine quem subjicimus.

Tractatus Guillelmi Abbatis S.Theodorici ad Fratres de Monte Dei. pag. 1.

Vitis mystica,seu Tractatus de passione Domini. p. 19.

Meditationes piissimæ ad humanæ conditionis cognitionem. p. 57.

Tractatus De interiori domo, seu De conscientia ædificanda. p. 65.

Tractatus alter De conscientia. p. 82.

Tractatus De ordine vitæ & institutione morum p. 85.

Scala Claustralium sive Tractatus De modo orandi, authore Guidone Carthusiano, pag. 94.

Tractatus De contemplando Deo, authore Guillelmo Abbate S. Theodorici. p. 98.

Tractatus authoris ejusdem, De natura amoris. p. 103.

Tractatus De charitate, ex diversis authoribus consarcinatus. p. 113.

Instructio Sacerdotis seu Tractatus De præcipuis Mysteriis nostræ religionis. p. 132.

Sermones varii in Festa quædam & Dominicas anni. p. 139.

Sermones quindecim in cœna Domini, Ogerii Abbatis de Lucedio. p. 162.

Tractatus De modo bene vivendi ad Sororem. p. 243.

Li-

Liber Sententiarum divi Bernardi. p. 284.
Disputatio cujusdam justi cum Deo, p. 291.
Soliloquium, p. 292.
Formula vitæ honestæ. p. 295.
Instructio, quomodo homo possit proficere in bono. p. 297.
Varia & brevia documenta pie vivendi, pag. 297.
Speculum Monachorum Anselmi de Boheris. p. 298.
Documenta vitæ religiosæ. p. 299.
Octo puncta perfectionis. p. 301.
Epistola de doctrina vitæ agendæ. p. 302.
Opusculum *Ad quid venisti*, authore Davide de Augusta Franciscano. p. 303.
Addit autem in hac editione, multa Opuscula sed spuria quæ in antiquis aliis editionibus non comparent, nempe Sermonem in illud, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te &c.* pag. 307.
Alium De prærogativa vitæ religiosæ in Evangelium, *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori &c.*
Item aliud in istud Michex, *Judicabo tibi, ô homo, quid sit bonum &c.*
Tractatum De statu Virtutum. p. 309.
Expositionem in Orationem Dominicam. pag. 317.
Meditationem in passionem Domini. p. 319.
Lamentationem in passionem Christi. p. 330.
Carmen de essentia Dei seu Divinitatis, pag. 332.

Tomus sextus.

Continet Sermones XLVIII. Gilleberti de Hoïlandia, Abbatis Swinshetensis in Cantica Canticorum. p. 1.
Ejusdem Epistolas & Opuscula ascetica per modum Epistolarum composita, pag. 91. & sequentibus.
Gverrici Abbatis Igniacensis Sermones in præcipuis totius anni Festivitatibus, p. 107.
Guigonis Majoris Carthusiæ Prioris Epistolas quasdam, p. 181.
Libros septem De Vita Sancti Bernardi Abbatis, quos editioni suæ præmiserat Horstius, pag. illic 185.
Anonymi Monachi metricam Vitam ejusdem Abbatis, p. 273.
Descriptionem positionis seu Situationis Claræ Vallis. p. 280.
Sermonem Gaufridi quarti Abbatis Claræ-Vallis in anniversario obitus Sancti Bernardi die, cum ejusdem Gaufredi Epistola ad Josbertum, continente Notulas in Orationem Dominicam. p. 286.

CAPUT TERTIUM.

DE TERTIA EDITIONE OPERUM DIVI BERNARDI, TISSERIANA.

Instituerat apud se & *tertiam editionem Operum divi Bernardi* post Merlonianam atque Mabillonianam, Bertrandus Tisserius Prior Bonifontis in Thierascia, paullo antequam e vivis excederet, cujus ego Specimen post hujus senis mortem habui, a Priore loci mihi datum. Hoc unum cordi erat seni, ut *Omnia divi Bernardi Opera* in unum colligeret volumen, suppositis omnibus vel dubiis ad calcem rejectis, ut in antiquis editionibus anterioris seculi, Parisiensi 1517. Lugdunensi 1530. & 1544. factum fuerat: exclusis autem omnibus a Sancto Bernardo alienis, quæ suos haberent authores certos, qualia sunt quæ spectant ad Guerricum Abbatem Igniacensem, ad Gilbertum Swinshetensem, Guillelmum Sancti Theodorici, Gaufridum Claræ-Vallis Abbates.

Excludenda ab Operibus Divi Bernardi.

1. Itaque excludebat quidquid spectat ad *tomum sextum* editionis Merlonianæ & Mabillonianæ, quia ibi nihil omnino Bernardinum fuit, ut constat ex inspectione Opusculorum hoc tomo sexto comprehensorum.

2. Excludebat *Omnia illa Prolegomena* quæ summis curis ad paginas centum & ultra, Horstius collegerat, tanquam nimia, & facientia molem magnam in Operibus divi Bernardi, contentus his paucis quæ inveniuntur in editione Mabilloniana.

3. Excludebat a sermonibus *Tractatum In Psalmum Qui habitat* &c. pag. 56. tomi secundi, conjiciendum inter alios Tractatus S. Doctoris. Item Meditationem in vitam & passionem Domini p. 90. tanquam Bernardo indignam Item Sermonem *de pugna Davidis & victoria adversus Goliath* p. 116. tanquam Gaufridi Claræ-Vallis Abbatis. Item Sermonem *de Festo S. Mariæ Magdalenæ*, p. 146. tanquam Nicol. Claravallensis. Inter Sermones autem *de diversis*, excludebat sermonem 8. *de diversis affectionibus animæ*, Sermonem 28. *de eo quod legitur in Job*, in sex titulationibus &c. Sermonem 71. *Spectaculum facti sumus mundo* &c. Sermonem 73. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* &c. Sermonem 76. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* &c. Sermonem 79. *Paratum cor meum Deus* &c. tanquam Opuscula quæ authorem præferunt *Guerricum Abbatem Igniacensem* Sancti Bernardi discipulum, in Bibliotheca SS. Patrum diversæ editionis. Item excludebat sermonem 6. *de carne, cute & ossibus animæ*, tributum Nicolao Monacho Claravallensi Sancti Bernardi Notario seu amanuensi, qui revera ex sermone Sancti Bernardi 32. *de triplici judicio* consarcinatus est, pro more Nicolai, qui sua Opera ex Magistri sui centonibus contexere solet. Item Sermonem 21. in illud Sapientiæ, *Justum deduxit Dominus per vias rectas* &c. & Sermonem 40. *de gradibus confessionis*, & 41. *de septem gradibus obedientiæ*, & 42. *de quinque negotiationibus & quinque regionibus*, ad eundem Nicolaum Claræ Vallis Monachum pertinentes.

4. Excludebat a sermonibus certis divi Bernardi *Sermones de diversis omnes*, a Sermone 43. *de magnanimitate*, *Longanimitate & unanimitate* sequentes usque ad hujus tomi finem, conjiciendos inter Opera dubia & incerta, cum *parabolis quinque* pag. 276. *Carminibus*, *Rithmis & Jubilis*, usque ad ultimum. Et re vera hæc omnia sunt assumenta potius hinc atque illinc collecta, quæ temere coacervata ac Bernardo adscripta sunt, si solum *sancti Victoris officium* pag. 282. excipias, quod Bernardi Abbatis genuinum est.

Excludebat in tomo 3. pag. 147. *Brevem Expositionem in duo priora capita Cantici Canticorum*, tanquam Opus spectans ad Guillelmum Abbatem Sancti Theodorici, atque inventum in MS. Codice Bibliothecæ Dunensis, cum indubiis aliis ejusdem Guillelmi tractatibus, licet nomen Sancti Bernardi habentibus.

Excludebat in tomo 4. *Tractatum de moribus & officio Episcoporum* pag. 25. *Tractatum de erroribus Petri Abaelardi in Synodo Senonensi damnatis*, pag. 114. *Tractatum ad Hugonem de Sancto Victore, de quæstionibus ab illo propositis*, pag. 126. tanquam Epistolas & non tractatus, proinde rejici debere inter Epistolas, ubi olim habebantur.

Excludebat deinde *Tractatum de contemptu mundi*, in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia* &c. pag. 40. velut Opus certum Gaufridi Abbatis Claræ Vallis, ac jam sæpius impressum.

Nos denique excludimus *Tractatum de ratione cantus* pag. 144. tanquam Opus Bernardo impositum, & quod ex MS. Codice Buciliensi in Episcopatu Laudunensi, spectat ad Guidonem Cariloci Abbatem, Ordinis Cisterciensis, in Burgundia. Excludebat 1. in tomo V. *Tractatum seu Epistolam Guillelmi Abbatis vita Solitaria ad fratres de Monte Dei* pag. 1. *Meditationes devotissimas ad humanæ conditionis cognitionem*. 57. *Tractatum de amore Dei*, pag. 98. Tractatum alium *de natura amoris* pag. 103. indubios ejusdem Guillelmi Abbatis fœtus, sæpius jam impressos, ac ultimo sub nomine hujus Guillelmi, in *Bibliotheca Veterum scriptorum Ordinis Cisterciensis* tomo 4. ab eodem Bertraudo Tisserio vindicatos. *Tractatum de modo orandi*, sive *Scalam Claustralem* pag 94. tanquam Opus Guigonis Majoris Carthusiæ prioris quinti. *Tractatum de charitate* pag. 113. velut farraginem collectam ex variis & consarcinatam, ut observat Mabillonius in censura prævia: cujus sex priora capita desumpta sunt ex tractatu *de gradibus charitatis* Richardi Victorini. Quidquid autem a capite 6. ad 9. interjacet, ex diversis Sancti Bernardi locis contextum est, ut in margine infra notatur. Denique ex Petro Blesensi, videlicet a capite 9. usque ad finem, quod ex duobus ipsius Libris *de charitate Dei & Proximi* ad verbum expressum est, paucis hinc inde prætermissis.

Excludebat iterum ab eodem tomo pag. 139. *Sermonem de undecim oneribus Isaiæ*, & pag. 151. *Tractatum de puero Jesu duodenni*, tanquam opera indubia Aelredi Abbatis Rievallensis in Anglia, ut ibidem annotatur. Item *Sermones tres de Nativitate Domini*, pag. 143. & sequentibus. *Sermonem de Sancto Protomartyre Stephano*, pag. 150. In illud, *Panem Angelorum manducavit homo*, Sermonem *de excellentia Sacramenti Eucharistiæ & dignitate Sacerdotum*, pag. 194. *Sermonem de honoribus & privilegiis Sancti Johannis Baptistæ*, pag 198. *Sermonem de Beata Maria Deipara*, pag. 205. *Sermonem de Sancto Andrea Apostolo* pag. 214. *Sermonem de Sancto Nicolao Episcopo*, pag. 216. Hæc omnia ut indubia Opera Gaufridi Abbatis Claræ Vallis, olim Sancti Bernardi Notarii.

Excludebat tertio *Sermones quindecim de Cœna Domini* pag. 162. qui teste Johanne Mabillonio spectant ad *Ogerium Abbatem de Lucedio* in Sabaudia, Ordinis Cisterciensis. Nosque excludimus etiam pag. 208. Sermonem magnum in illud, *Sapientia vincit malitiam, attingit a fine usque ad finem* &c. tanquam Opusculum spectans ad *Gubertum Abbatem de Novigento*, Ordinis divi Benedicti, quod primum composuit, & de quo ipse loquitur in *Vita* sua quam scripsit.

Excludebat quarto *Tractatum de modo bene vivendi ad sororem*, pag. 243. Spectat enim ille Tractatus ad *Thomam Monachum Frigidi montis Ordinis Cisterciensis*, Episcopatus Bellovacensis, de quo mentionem facit etiam, in sua *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* Carolus Vischius pag. 311. Hunc scripsit dictus Thomas ad dilectissimam sibi sororem suam *Margaretam*, vulgo cognominatam *Hierosolymitanam*, quia Hierosolymæ nata fuerat, dum mater devotionis caussa ibidem versaretur. Ita autem de Thoma Vischius, *Scripsit præterea Tractatum aliquem de contemptu mundi ad memoratam Sororem suam, qui MS. asservatur etiam in Claravalle, teste Barnaba de Montalbo.*

Excludebat quinto, *Speculum Monachorum Arnulphi de Boheriis* pag. 298. Opusculum *Ad quid venisti* pag. 303. authore Davide de Augusta Franciscano, & quidquid imposterum detegere posse, ad certos scriptores spectans.

Hic autem exclusis, Præludiis parvis quomodo habentur in editione Joannis Mabillon præmissis, colligebat Omnia Divi Bernardi Opera in unum volumen in *duos tomos* partitum, quorum *primus* Opera genuina omnia divi Bernardi complectabatur, *secundus* in certa, dubia & anonyma, donec authores illorum detegerentur, hoc modo.

Operum Divi Bernardi primi Claræ Vallis Abbatis.

Tomus primus.

Complectetur sola Opera certa & indubia. Nimirum *Epistolas omnes* cum Notis ad singulas & post singulas quæ iis indiguerint adjectis, quas in anterioribus editionibus, ad calcem vel volu-

voluminis vel totius Operis reliquerunt. Rejectis etiam inter Epistolas tractatibus, qui in tomo 4. extant, nempe *de moribus & officio Episcoporum* pag. 25. *de erroribus Petri Abaelardi*, pag. 114. *Ad Hugonem de Sancto Victore*, de Quaestionibus ab illo propositis pag. 126. qui olim inter Epistolas legebantur, nec ita prolixi sunt, ut nomen *Tractatus* mereantur.

Sermones de Dominicis ac festis Sanctorum per annum tomo 2. exclusis iis quos supra excludendos diximus, nempe Tractu in Psalmum XC. *Qui habitat in adjutorio Altissimi* &c. pag. 56. in alium locum postmodum translato. Denique Sermonibus omnibus qui *de diversis* sunt a sermone 43. pag. 243. qui *de magnanimitate longanimitate & unanimitate* est, inter incerta & dubia Opera conjectis, cum parabolis pag. 276. & aliis omnibus Rithmis, Carminibus & Jubilis.

Sermones in Cantica Canticorum.

Libri V. de consideratione ad Eugenium Papam.

Apologia ad Guillelmum Abbatem Sancti Theoderici.

Tractatus de diligendo Deo ad Haimericum.

Tractatus de gratia & libero arbitrio.

Tractatus de praecepto & Dispensatione.

Tractatus de gradibus humilitatis & superbiae.

Tractatus in Psalmum XC. Qui habitat in adjutorio Altissimi.

Exhortatio ad Milites Templi.

Tractatus de conversione ad Clericos.

De Vita & rebus gestis S. Malachiae Episcopi Hiberniae.

Officium Sancti Victoris Martyris, pag. 282. tomi secundi.

Tomus secundus.

Complectetur Opera incerta & dubia, exclusis aliis, quae certos authores habent. Haec autem Opuscula erunt.

Vitis Mystica, seu Tractatus De passione Domini. Tomo 2. pag. 19.

Alter Tractatus De Passione Domini, ibidem pag. 319.

Tractatus de Domo interiori, ibidem pag. 65.

Tractatus de conscientia pag. 82.

Tractatus de ordine vitae & morum institutione. pag. 85.

Instructio Sacerdotis, seu Tractatus De praecipuis Mysteriis nostrae religionis, ibidem pag. 132.

Tractatus de statu virtutum, ibidem p. 309.

Ejusdem auctoris Expositio in Orationem Dominicam, pag. 317.

Opuscula Minora.

Sermo unus Dominica in Ramis palmarum. pag. 159.

Sermo de duobus discipulis euntibus in Emmaüs, feria secunda Paschatis. pag. 188.

Sermo de Villico iniquitatis. pag. 202.

Sermo in parabolam Evangelicam de Virginibus. pag. 212.

Sermones IV. in antiphonam, *Salve Regina mater misericordiae* &c. pag. 218. & seqq.

Meditatio in antiphonam, *Salve Regina* &c. pag. 224.

Sermones tres in Conciliis & Synodis habiti. pag. 225. & sequentibus.

Sermo de cavenda cordis & corporis munditia. pag. 233.

Sermo de miseria humana. pag. 236.

Sermo de septem gratiis seu donis Spiritus Sancti. pag. 237.

Sermo de duodecim portis Hierusalem. pag. 238.

Item in Canticum Beatae Mariae Virginis, *Magnificat* &c. pag. 240.

Sermones omnes parvi tomi 2. pag. 243. a Sermone 43. usque ad finem, exclusis tamen illis, quos orationes superius allatas, excludendos esse diximus.

Liber Sententiarum tomo V. pag. 284. & sequentibus.

Disputatio ejusdem justi cum Deo, ibidem pag. 291.

Soliloquium Sancto Bernardo attributum, Ibidem pag. 292.

Formula vitae honestae, ibidem pag. 295.

Instructio, quomodo homo possit in bono proficere. pag. 297.

Varia & brevia documenta bene vivendi, ibidem.

Documenta vitae Religiosae, alias *Regula novitiorum*, pag. 299.

Octo puncta perfectionis, pag. 301.

Epistola de doctrina vitae agendae, pag. 302.

Sermo in illud, *Ecce nos reliquimus omnia* &c. pag. 307.

Sermo de praerogativa vitae religiosae, pag. 308.

Sermo in illud, *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum* &c. pag. 309.

Lamentatio in Passionem Christi, pag. 330.

Carmen paraeneticum S. Bernardi Abbatis ad Rainaldum, tomo 2. pag. 284.

Rithmus ejusdem de contemptu mundi, ibidem pag. 286.

Jubilus Rithmicus in commemorationem Dominicae Passionis, ibidem pag. 288.

Ejusdem Rithmica oratio ad membra Christi patientis, ibidem.

Ejusdem Oratio devota ad Dominum Jesum & Beatam Mariam Matrem ejus. Ibidem pag. 291.

Item prosa Rithmica in laudem Dominicae Nativitatis, ibidem pag. 292.

Carmen de Divina essentia, tomo V. pag. 332. & ultima.

Hoc specimen *Editionis Tisserianae* retuli, quae facile unico volumine contineretur, mihique cum ordine insigni ac dudum meditatio, visa est, quem quis etiam correctiorem facere potest,

est, si allubeat. Illam autem meditabatur senex, asserens eo minus legi Opera divi Bernardi, quo alienis magis aggravarentur & tumerent, a quibus purganda essent, ut & legentibus tædium tolleretur, & ementium pecuniæ parceretur, pretii dimidia fere parte imminuta.

CAPUT QUARTUM.

DE VLTIMA EDITIONE OPERUM D. BERNARDI, STUDIO MONACHORUM BENEDICTINORUM, Anno 1690. PROCURATA.

Tandem anno 1690. Parisiis apud Johannem Baptistam Coignart, voluminibus 2. tomos sex complectentibus *Opera S. Bernardi Abbatis primi Claræ Vallensis, post Horstium denuo recognita, aucta & in meliorem ordinem digesta, nec non novis præfationibus, admonitionibus, notis & observationibus illustrata, secundis curis Domini Johannis Mabillon, Presbyteri & Monachi Congregationis S. Mauri*, prodierunt. Illis Præfationem præmittit insignem, in qua de potissimis tam antiquis Operum D. Bernardi editionibus differit, quam supra prælibavimus: donec ad illam tandem perveniat, quam anno 1667. Parisiis evulgandam procuravit. Etsi vero ista Bernardi editione satis præclare meritus fuerit, omittere tamen non potuit, quin de politiori editione & castigatiori aliquando vulganda cogitaret sæpius, & subinde quæ huc facerent, diligenter annotaret. Et hinc secunda hæc quam nunc recensemus, doctissimo Mabillonio Bernardi editio nata est: qui etsi nonnulli ejusdem Congregationis socii, nempe *Michael Germanus, Theodoricus Ruinartius, & Edmundus Martenius* auxiliatrices operas contulerint, præcipuas tamen hujus laboris partes sibi vendicat, & alteram hanc Bernardi editionem, non tam secundam, quam novam prorsus esse pronuntiat. Nam primum in hac secunda editione, multos vetustos codices antea sibi non visos consuluit, quos partim in variis, quas perlustravit, provinciis evolvere ipsi licuit, partim e Colbertina bibliotheca a *Stephano Baluzio* communicatos accepit. Et horum ope plurimis in locis *Bernardi* textum nativæ suæ integritati restituere conatus est. Deinde nonnulla *Bernardi* scripta, quibus olim inter genuina locum reliquerat, in nova hac editione inter supposititia rejecit, & ex genuinorum numero expunxit; ut *Epistolas duas*, quas ex Bernardi Brito Annalibus, Horstius Bernardi Epistolis inseruit. Item *Sermones quosdam de tempore & de Sanctis*, cum libro *Declamationum* & quibusdam aliis, quæ Bernardi non esse, certis indiciis deprehendit. In qua censura præter Gaufredum & alios vitæ Bernardinæ Scriptores & manuscriptos codices, & veterum auctorum Bernardi scripta allegantium monumenta, *Bernardinum* consuluit, seu *Florigerium ex Bernardi scriptis contextum*, quod Parisiis anno 1503. primum prodiit. Hoc enim *Bernardinum*, cujus auctorem esse *Willermum* S. Martini Tornacensis Monachum, ex Codice quodam Cistercensi deprehendit, longe accuratius esse censet, quam alteram illam *Bernardinorum florum* collectionem, quæ anno 1571. ab *Huberto Scutepulo* Canonico Regulari facta est. Præterea in nova hac editione, quoad Tomorum distributionem, mutatio quædam ordinis facta est. Nam in Horstiana & priori Mabillonii editione primus tomus *Epistolas*, secundus *Sermones de tempore & de Sanctis*, tertius *Sermones in Canticum*, quartus *Tractatus seu Opuscula*, quintus *Dubia*, & sextus denique *Guerrici Abbatis Igniacensis*, & *Gilleberti de Hoylandia* discipulorum S. Bernardi opera complectebatur. Verum in altera hac Mabillonii editione, commodiori ordine *Epistolas* statim excipiunt *Tractatus* sive *Opuscula*, quorum pleraque vel ad modum Epistolæ scripta, vel ex epistolis ob prolixitatem, in tractatuum classem redacta sunt. His tertio loco succedunt *Sermones de tempore & Sanctis*, quarto *Sermones in Cantica*, quibus in quinto tomo statim annectitur eorundem *in Cantica Canticorum continuatio* per Gillebertum cum variis operibus Bernardo perperam adscriptis. Sextum denique tomum occupant *Guerrici Abbatis Igniacensis sermones*, *Guigonis Cartusiani Epistola*, & varii authores, qui *de vita & rebus gestis Bernardi* scripserunt, quos vitæ Bernardinæ scriptores Horstius & Mabillonius in priori editione primo volumini præmiserant. Denique in nova hac editione non solum notæ fusiores, quæ ad calcem tomi quarti seu voluminis primi leguntur, non pœnitendis accessionibus auctæ sunt: sed etiam notæ aliæ breviores ad ipsum Bernardi textum, maxime in Epistolis adjectæ, ut de prolixa Præfatione nihil dicam, in qua non solum varias Operum Bernardi editiones recenset, & instituti sui rationem reddit: verum etiam nonnulla ad Bernardi vitam & res ab ipso gestas spectantia, observationibus eruditis illustrat. Agit enim de Bernardi doctrina, quam non tam humanis artibus acquisitam, quam cœlitus infusam ipsi fuisse dicit. Item de ejusdem sanctitate atque auctoritate in Ecclesia, Itemque de ejusdem zelo in corruptos Clericorum mores & Monachorum imprimis singulari vitæ severitate, quam hodie plerosque vix credituros Mabillonius asserit, nisi Monachi beatæ Mariæ de Trapa aliique nonnulli, austeritatem illam imitatione sua factu possibilem demonstrarent. De schismate Antipaparum ejus temporis per S. Bernardum compresso, de erroribus Petri Abaëlardi & Gilberti Porretani a Bernardo refutatis, de Henricianis aliisque hæreticis a Bernardo repressis, & denique de expeditione sacra, ad quam Bernardus concionibus suis plurimos invitavit, ejusque infelici successu.

Tomo primo voluminis primi.

Epistolæ Bernardi, quas *tomo primo* contineri diximus, in antiquis editionibus 310. leguntur, in

in Clichtoveana 350. in Lugdunensi a Monachis duobus Claraevallensibus procurata, Basileensi & quibusdam aliis 351. in editione Johannis Picardi 368. in Horstiana 386. in Mabilloniana priori 397. & in hac novissima 444. Adjecit enim Epistolas viginti in Germania inventas, & Coloniae appendicis instar Horstio adjectas, & nonnullas alibi inventas, quibus etiam nonnullae admistae, quae ad Bernardum vel in Bernardi causa scriptae sunt, & ad Bernardinas illustrandas proficuae. Et in prioribus quidem 310. Epistolis, veterem ordinem servavit: in reliquis, quae per varia intervalla adjectae sunt, rationem temporis, quo scriptae sunt, sequi maluit: cum eas in prioribus editionibus ordine tam praepostero collocatas animadverteret, ut nonnunquam responsio ad quasdam literas facta, longo illas intervallo praecederet. Praeterea etiam genuinas Bernardi Epistolas a dubiis & supposititiis discrevit, totamque Epistolarum Bernardi collectionem ad tres classes revocavit, quarum *primam* constituunt Bernardi Epistolae 310. veterem ordinem servantes, *secundam* reliquae Bernardi Epistolae genuinae in novum ordinem ab Epistola 311. usque ad Epistolam 417. redactae, *tertiam* denique Epistolae Bernardi dubiae & spuriae, nec nun chartae & instrumenta ejus nomine confecta, item literae ad ipsum vel pro ipso scriptae, cum aliis nonnullis, quae ad Epistolas ejus illustrandas conducere visae sunt, ab Epistola 418. usque ad 444.

Tomo secundo.

Inter *Tractatus* seu *Opuscula* quae Tomum secundum constituunt numero 13. comparent primo loco *Libri V. de Consideratione ad Papam Eugenium*, quos Nicolaus V. in usus suos elegantissime describi curavit, quorum lectionem Pius V. & Gregorius XIII. mensae suae adhibuerunt: quos Vrbanus VII. dum Episcopus & Cardinalis esset, familiares sibi reddidit, & secum ad conclave tulit, in quo Pontifex renuntiatus est. Quos Innocentius IV. in Praelatorum usum, ut commodius circumferri possent, seorsim imprimi optavit, ut Gerardus Vossius Tungrensis Praepositus testatur, qui hos libros Romae anno 1594. seorsim edidit, & Clementi VIII. dedicavit. Et vel ob hunc solum tractatum Mabillonius ejusque socii, Opera Bernardi digna judicarunt, quae Alexandro VIII. dedicarent, cum hic tractatus ipsorum judicio tot oraculis refertus sit, ut ad dirigendos Summos Pontifices, divinitus dictatus videatur. Monent autem in Praefatione tomi secundi, hos libros ad Eugenium, quos author quidam non malus & Bernardo ferme aequalis, *Summorum Pontificum Deuteronomium* appellavit: non simul & semel scriptos, sed *primum* in quo Bernardus *Considerationis* utilitatem & necessitatem demonstrat, anno 1149. scriptum fuisse: *Secundum* quo considerat quis & qualis Pontifex, anno 1150. *tertium* quo agit de iis quae infra Pontificem sunt, anno 1152. *quartum* vero quo ea, quae circa Pontificem sunt, contemplatur; & *quintum* quo ea, quae supra Pontificem sunt, considerat, paulo post, vel eodem anno, quo tertium absolvit.

Secundum Bernardi opusculum est *Tractatus de officio Episcoporum*, ex ejusdem Epistolis quas inter locum 42. habuit, huc translatus, & ad Henricum Senonensem scriptus, cum is a Gaufredo Carnotensi & Burchardo Meldensi jam ad meliorem vitam conversus, novis stimulis ad partes suae dignitatis strenue implendas incitandus videretur.

Tertium opusculum est *liber* seu *Sermo de conversione ad Clericos* Parisienses habitus, & capitulis 22. distinctus.

Quartum opusculum *De praecepto & dispensatione* agit, cui scribendo Carnotenses Monachi occasionem dederunt, a quibus consultus fuerat, quaenam esset Regula Benedicti & statutorum ejus obligatio. Cum autem Carnotenses, inconsulto Abbate suo, hac de re ad Bernardum scripsissent: Epistola ad Abbatem Columbensem praemissa est, quem Bernardus rogat, ut hunc tractatum a se perlectum Carnotensi Abbati transmittat, ne inscio Abbate in manus Monachorum perveniat: cum ex Ordinis sui lege, sine Abbatis sui nutu, epistolas dare & accipere prohibeantur.

Quintum opusculum est *Apologia ad Guillelmum S. Theodorici Abbatem*, quae in editione antiquissima Rotomagensi, cujus supra mentionem fecimus, inscribitur: *Libellus Bernardi de concordantia religiosorum statuum, qui pro tempore suo erant.* Agit enim Bernardus in hac apologia de Cisterciensibus & Cluniacensibus, & priori quidem parte Cistercienses perstringit, quod severioris vitae specie Cluniacensibus detrahanti posteriori autem Cluniacensium solutiorem disciplinam & luxum reprehendit. Neque dubitandum censet Mabillonius, in admonitione huic opusculo praefixa, quin vera sint, quae de Cluniacensibus Bernardus notavit, quem accurate ea de re edoctum fecisse putat ex Petri Cluniacensis statutis, qui Capitulo Generali apud Cluniacum coacto, pleraque illa vitia emendare conatus est.

Sextus tractatus est *liber de laude novae militiae* ad milites Templi, Hugoni Militi Christi & Magistro militiae Christi dedicatus. Regulam autem Templariorum, quam a Bernardo dictatam Miraeus, Manriquez & alii censuerunt, Bernardi non esse Mabillonius probat, ideoque ejus inter Bernardi opera, quod & ab aliis factum, nullam rationem habet. Post Opuscula ad varios status Ecclesiastici ordinis spectantia, sequuntur in hac editione, quae ad Christianas virtutes pertinent.

Septimum igitur Bernatdi opusculum est *Tractatus de gradibus humilitatis & superbiae*, qui si temporis ordo in opusculis istis Bernardi di-

gerendis servatus fuisset, cæteris omnibus præponi debuisset.

Octavum opusculum est *Liber de diligendo Deo*, in quo amoris erga Deum modus, causæ, origo, gradus, obligatio, aliaque quæ ad hanc materiam faciunt, exponuntur. Etsi autem Berengarius huic libro insultaverit, quasi superfluum esset de eo differere, de quo nemo dubitat: reponit tamen Mabillonius in admonitione huic opusculo præmissa, quod præceptum amoris si non verbis, factis tamen a maxima hominum parte negetur. Quin & a nonnullis prava interpretatione ita in nihilum redigatur, ut dubitare impune liceat, num Deum Optimum Maximum aliquo speciali amoris actu vel semel in vita, a quovis Christiano diligi oporteat? Quæ sequuntur, opuscula dogmatica sunt & polemica.

Nonum enim est *Tractatus de gratia & libero arbitrio* ad Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem, parvus qui liber Mabillonii judicio, sed qui plus succi & solidæ doctrinæ contineat, quam magna librorum volumina, quæ hoc argumentum pertractarunt.

Decimum, quod olim inter Epistolas numero 77. legebatur, est *Responsio ad quæstiones de Baptismo, Christi incarnatione, aliisque fidei articulis*, quos Bernardo Hugo de Sancto Victore proposuerat, non quidem ille, qui ab Eugenio in epistola ad Sugerium laudatur: sed alter scriptis suis notissimus, quem Mabillonius non Saxonem, quod Micæo aliisque visum est, sed Iprensem fuisse existimat. Anonymus autem ille, qui Hugoni a S. Victore occasionem dedit de his quæstionibus Bernardum consulendi, juxta Mabillonii conjecturam, non alius est, quam Hugo Farsitus, cui 35. Bernardi epistolam inscriptam legimus.

Vndecimum opusculum, quod olim Epistolam 190. constituit, est *Tractatus de erroribus Petri Abalardi*, ad Innocentium II. Pontificem scriptus, cui Capitula hæresium Petri Abælardi præmissa sunt, quæ ex Vaticano codice descripsit Johannes Durandus, & ad Mabillonium ejusque socios transmisit.

Duodecimum opusculum historicum est *De vita & rebus gestis S. Malachiæ Hiberniæ Episcopi*.

Vltimum denique *tractatus de cantu*, cui Prologus super Antiphonarium Ordinis Cisterciensis præmissus est. Hunc tractatum primus edidit Jacobus Hommey in edito *Supplemento Patrum*, qui etiam huic Bernardi tractatui subjungit tractatum *De ratione cantandi graduale*, item *Expositiones morales*, & alia quædam, in nova hac Bernardi editione eam ob caussam omissa, quod alium quam Bernardum auctorem agnoscere viderentur.

Tomo tertio.

Tertius tomus operum Bernardi *Sermones de tempore, de Sanctis & diversis* complectitur, qui verborum acumine, sententiarum varietate, rerum sublimitate, & affectuum pietate, cæteris ejus scriptis minime cedunt. Quam laudem Bernardum cum paucis habere communem, doctissimi editores observant: cum in reliquorum Patrum scriptis ea pars, quæ homilias seu sermones complectitur, plerumque minus elaborata deprehendatur. Quibus diebus Bernardus hos sermones habuerit, quibus horis, qua lingua, Latina an Gallica, & quæ doctrinæ capita in suis sermonibus imprimis tractaverit, prolixe in Præfatione huic Tomo præmissa inquiritur. Ejusque sententia de statu animarum post mortem exponitur, nempe quod *animæ sanctæ* corpore solutæ statim in cœlum & Angelorum consortium admittantur, ibique in multa luce versentur, & ante resurrectionem corporum tantum humanitatem Christi, non item Divinitatem videant, multamque in corde suo, licet non plenam lætitiam habeant. Observatur tamen, nonnullis in locis Bernardum sanctis animabus visionem ipsius quoque Dei tribuere. Notatur præterea Thomas Anglus, qui in libello *De medio animarum statu* asserit, primum e Patribus Bernardum, beatorum animabus corpore solutis sedem in cœlo tribuisse: cum reliqui Patres nonnisi post extremum judicium Beatis in cœlo locum dederint: quod falsum esse, Cypriani, Alcuini & Flori Lugdunensis Diaconi testimoniis probatur. Idem Thomas Anglus statuit, Bernardum visionem Divinitatis animabus ante resurrectionem corporum negasse, quam alii Patres ipsis concesserint. Ad quam sententiam respondetur, non constare, quod veteres, qui beatorum animas ante resurrectionem non in cœlo, sed in abditis quibusdam recessibus statuerunt, iisdem divinæ essentiæ visionem concesserint. Bernardum autem, cum humanitatis Christi manifestam contemplationem animabus ante extremum judicium tribuat, vel in hoc a Johannis XXII. ejusque sequacium opinione dissidere: & contra ab earum opinione non alienum videri, qui divinitatis intuitum beatis tribuunt, sed minus perfectum, quam post resurrectionem. Postrema hujus Præfationis pars de Nicolao agit, qui ex Arremarensi monacho Clarævallensis factus, Bernardi Notarius primum, & post ejusdem desertor fuit. Inter alia animadvertitur vulgaris eorum error, qui asserunt, Nicolaum hunc, cum a Bernardo defecisset, in Angliam profugisse, & se in S. Albani monasterium recepisse: nec diversum esse a Nicolao, qui Bernardi vita jam defuncti *De conceptione Deiparæ* sententiam oppugnavit, & Petrum Cellensem adversarium habuit. Diversos enim fuisse hos Nicolaos, ex eo probatur, quod Nicolaus Bernardi Notarius natione Francus fuerit, Anglus alter: item quod Bernardi Notarius Petro Cellensi de facie notissimus, alter de facie ignotus fuerit.

To-

Tomo quarto.

Tomus quartus operum Bernardi complectitur *Sermones 86. in Canticum Canticorum.* Quod opus etsi anno 1135. cœptum fuerit, intra tamen octodecim annos quibus supervixit, perfici non potuit: cum variis Ecclesiæ & Regni negotiis interpellatus & nonnunquam importuna hospitum adventantium frequentia impeditus fuerit. Quæ causa etiam fuit, quod Bernardo Sermones hos habituro non semper præmeditari licuerit, unde nonnunquam eos nondum scriptos ex animi copia & plenitudine deprompsit. Habuit autem hos Sermones in auditorio Fratrum, & quidem Novitiis præsentibus, non vero Conversis seu fratribus laicis, horis interdum vespertinis, interdum matutinis, & nonnunquam absque dierum intervallis. Quo magis mirandum, meditandis his sermonibus ipsum parem fuisse, quos una cum libris *De consideratione*, doctissimi Editores præ ceteris ejus scriptis maxime commendant. Præmissa est in hac editione Sermoni 65. *Epistola Evervini* Steinfeldensis prope Coloniam Præpositi, ad Bernardum, quæ etiam tomo 3. *Veterum Analectorum* pag. 452. legitur. Hanc ad ipsum miseram Mabillonem, repertam a me furnis in Flandria anno 1688. dum illic Abbatiæ antiquitates & monumenta excuterem. Multum enim lucis hæc Epistola affert Sermoni 65. & 66 in quibus Bernardus de illis ipsis hæreticis agit, de quibus Evervinus in hac Epistola ad ipsum scripserat. Et Mabillonius quidem primum cum Horstio consuerat, in prædictis sermonibus Bernardum non de aliis hæreticis agere, quam de Henricianis, contra quos Epistolam 240. edidit. Verum reperta & perpensa Evervini Epistola, sententiam mutavit. Cum Colonienses illi hæretici ab Evervino descripti, etsi cum Henricianis, qui imprimis Aquitaniam turbarunt, in nonnullis consenserint, nonnulla tamen peculiaria habuerint: unde Mabillonius colligit, quod diversi rami fuerint ex una radice prodeuntes, nec dubitat Colonienses illos hæreticos ex Tanchelini officina prodiisse.

Ad calcem Tomi quarti leguntur *Flores seu sententiæ ex Operibus Bernardi deprompta.*

Nomenclator vocum exoticarum in Sanctum Bernardum.

Chronologia Bernardina ab anno 1090 quo natus est, ad annum 1153. quo mortuus.

Censura Stephani Abbatis Cisterciensis II. de aliquot Bibliorum locis, quæ ex Codice bibliorum apud Monasterium Cisterciense deprompta est.

Nota Johannis Mabillonii in Bernardi opera fusiores, quarum supra mentionem fecimus, nonnullis Horstianis intermixtis, quæ addito Horstii nomine ad marginem notantur.

Tomo quinto voluminis secundi.

Ut primum volumen Opera Bernardi genuina complectitur, ita volumen secundum Opera quæ ad ipsum non spectant, Tomis quinto & sexto, cum Indicibus rerum & Scripturæ locorum.

Tomo igitur quinto a quo Volumen II. incipit, continetur *Continuatio sermonum in Canticum Canticorum, auctore Gilleberto de Hoilandia*, quod insulæ nomen est Anglis & Scotis conterminæ, *Abbate Ordinis Cisterciensis*, cum ejusdem nonnullis *Tractatibus asceticis, & Epistolis.*

Epistola seu Liber ad fratres de Monte Dei Guillelmi Abbatis S. Theodorici prope Remos, postea Monachi Signiacensis, Bernardo a nonnullis perperam adscriptus, cum *ejusdem Guillelmi aliis tractatibus nonnullis*, qui dudum inter Bernardi opera velut ipsius opuscula, impressi sunt. Ejusdem *Commentarius brevis in duo capita priora Cantici Canticorum*, quem Mabillonius in editione priori Bernardi *Sermonibus in Cantica* tanquam genuinum ejus fœtum adjunxerat. Nam« *Commentationem* hanc ad Guillelmum S. Theo-« dorici Abbatem pertinere, scriptis ad Mabillo-« nium Epistolis docui & admonui, uti & in Sup-« plemento Bellarmini *De scriptoribus Ecclesiasti-*« *cis*, ad annum 1150. pag. 426. Idem meo quo-« que beneficio habuit Epistolam *Evervini illius*« Steinfeldensis Præpositi, quam & hic tomo 4.« & *Analectorum* tomo 3. pag. 452 edidit.«

Declamationes Gaufridi Abbatis ad Henricum Cardinalem ex Bernardi Sermonibus collectæ.

Scala Claustralium Guigonis Carthusiani, seu *Tractatus de modo orandi*, perperam tum Augustino, tum Bernardo adscriptus, aliique tractatus Bernardo suppositi.

Sermones varii Ælredi, Nicolai Claravallensis, Ogerii, Ecberti, Bernardi Cluniacensis, Bernardi Archiepiscopi Toletani, & aliorum, Bernardo in Codicibus nonnullis affficti.

Denique *Carmina quædam & rhythmi*, quos Bernardo tribuere nonnullis placuit.

Tomo sexto.

Restat Tomus sextus operum divi Bernardi Abbatis Claravallensis, quo continentur.

Sermones Guerrici Abbatis Igniacensis, qui S. Bernardi discipulus fuit.

Epistola quædam Guigonis Majoris Carthusiæ Prioris quinti.

Libri septem de vita & rebus gestis Bernardi Abbatis, quorum *primus* Guillelmum S. Theodorici prope Remos Abbatem, *secundus* Ernaldum vel Arnaldum Bonæ Vallis in agro Carnotensi Abbatem, *tertius, quartus & quintus* Gaufridum Bernardi Notarium & Abbatem postea Claravallis, *sextus* Philippum & alios Claravallenses Monachos auctores habet, *septimus* autem ex Magno Exordio Cisterciensi excerptus est.

Accedunt fragmenta ex libris Herberti *De miraculis Cisterciensium Monachorum.*

Vita Bernardi autore Alano Antissiodorensi Episcopo.

Fragmenta de vita Bernardi, excerpta a Petro Francisco Chiffletio anno 1670. in quatuor O-

pusculis, ex Auctore quodam incerto, quem Mabillonius *Gaufridum* esse existimat.

Libri duo Johannis Eremita de vita S. Bernardi.

Carmen encomiasticum Philothei Monachi de vita & moribus Bernardi.

Descriptio Monasterii Claravallensis.

Sermo Ganfridi Abbatis Claravallensis in obitum Bernardi.

Ejusdem Epistola ad Albinum Cardinalem & Episcopum Albanensem, de condemnatione errorum Gilberti Porretani, & libellus contra Gilberti capitula.

Ejusdem Epistola ad Josbertum brevem Orationis Dominicæ explicationem continens.

Epistola Alexandri III de canonizatione Sancti Bernardi.

Epistola Henrici Abbatis Claravallensis ad Stephanum Anglorum Regem, de elevatione corporis S. Bernardi.

Tandem *testimonia de Bernardo* variorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Regum & Magnatum, Abbatum & Generalium, Doctorum Theologorum, Religiosorum, Jureconsultorum, Oratorum, illustrium Fœminarum & Protestantium, cum Horstii parænesi ad Sectarios, & excerptis ex ejus invectiva contra Centuriatorum Magdeburgensium censuras. Hæc de nova hac Bernardi editione dixisse sufficiat, cujus utrumque volumen copiosis indicibus clauditur.

Hæc verbotenus mihi subministravit Supplementum ad *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo 1. anni 1692. Sectione XI. pag. 556. ad 167. quæ instituto meo convenientia huc transtuli.

1140 PHILIPPUS ABBAS DE ELEEMOSINA, ORDINIS CISTERCIENSIS, clarebat ab anno 1136. quo Episcopus factus Tarentinus, Petri Leonis Antipapæ summus fautor fuit, a quo procurante sedem hanc assecutus fuerat, qui idcirco a Synodo Lateranensi anno 1139. depositus est. Huic in Galliam se conferens, atque apud Claram Vallem anno 1140. adveniens, hilari vultu a Bernardo ejus Abbate acceptus, illic constitit, Monachalemque habitum ipsius Bernardo manibus induit. Scripsit pro illo Sanctus Bernardus Epistolam CCLVII. ad Eugenium III. Romanum Pontificem, rogans ut ipsi sacrorum Ordinum munia obire permitteret, a quibus, ob partes Petri Leonisolim defensas, suspensus fuerat. Cum in castris regularibus decennio integro Philippus militasset, moresque integros Abbati probasset, anno 1150. factus est Cœnobii Claræ Vallis a Bernardo prior, qui sexennio post, anno nimirum 1156. Abbas constituitur Ecclesiæ de Eleemosina Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Carnotensi. Extant *Epistolæ XXV.* sub hujus Philippi nomine, quas Carolus de Visch edidit primum ad calcem *Bibliotheca de Scriptoribus Cisterciensis Ordinis*, pag. 336. cum præfixa iis cura Francisci Silvii Duacensis Universitatis Theologi & Cancellarii, quæ Epistolas istas pensitis huic inde rationibus, huic Philippo Claravallensi asserit: licet nonnulli vellent spectare illas ad *Philippum Abbatem Bonæ Spei* Ordinis Præmonstratensis, quam opinionem impugnat Vischius præfatus. Eædem extant quoque in *Bibliotheca Veterum Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, tomo 3. pag. 238. quem edidit Bertrandus Tisserius. Negari tamen nequaquam potest, quin una saltem aut altera ex istis, ad Philippum Bonæ Spei Abbatem Ordinis Præmonstratensis pertineat, ut legenti constabit. Cum autem Abbatiam de Eleemosina Philippus non multos annos circonspecte ac laudabiliter administrasset, senio gravis præfecturam manibus fratrum resignans, circa an. 1166. ad Monasterium Claræ Vallis unde Eleemosinam accesserat, reversus, plenus dierum ac meriti mortuus est, anno dieque mihi incompertis. Agunt de *Philippo isto* Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, verbo, *Philippus Abbas de Eleemosina* pag. 277. & 278. Bertrandus Tisserius tomo 3. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis.* Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1136. pag. 663.

ODO SANCTÆ GENOVEFÆ PARISIENSIS ABBAS, Canonicus primum regularis, Ordinis divi Augustini, in Abbatia Sancti Victoris ad muros Parisienses, vir eximiæ pietatis & doctrinæ, post mortem clarissimi & doctissimi viri Hugonis Victorini quæ anno 1140. contigit, ejusdem Ecclesiæ Prior sub Abbate Gilduino factus est. Tum ex Priore assumptus ad regimen Abbatiæ novæ Sanctæ Genovefæ Parisiensis, primus illius Abbas institutus est anno 1147. a Sugerio supremo Regni sub Ludovico Crasso, Ministro. Is ad preces Sancti Bernardi, qui Parisios veniens, apud Sanctum Victorem excipi & commorari solebat, suorumque Sancti Victoris fratrum, ob commodum Cœnobii sui antiqui, aquam fluvioli sui de Beveris, vulgo *de Bievre* a consueto canali per hortos Sancti Victoris deflecti permisit, ut hodie adhuc illuc fluit. Vir autem doctus Odo ac dictione eloquens, scripsit *nonnullas ad diversos Epistolas*, quas habes MS. Codice 656. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis, illiusque erutas edidit Dominus Lucas Dacherius tomo 2. *Spicilegii* sui. Has Epistolas perperam Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 677. ad annum 1160. attribuit Odoni patria Cantiano, Monacho Benedictino, Cœnobii Cantuariensis Priori, quas vel si levi rotatu oculi respicere dignatus fuisset, haudquaquam ad hunc Odonem Monachum spectare animadvertisset: maxime cum illas Odoni Sanctæ Genovefæ Abbati & Canonico Regulari Lucas Dacherius adscribat, quem nec Cavus quidem vel leviter adspexit aut voluere voluit. In hoc autem MS. Codice de quo locuti sumus, qui 500. annorum est, sequentes adhue ser- 1140

sermones habentur, quos scripsit, dum esset Prior Abbatiæ Sancti Victoris.

1. De verbo Domini, qui incipit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Magnum est bonum & necessarium fratres carissimi ex Deo esse* &c.

2. Ejusdem in die Ascensionis. *Hodierna die elevatis sursum sordibus, immensas gratiarum actiones tibi Jesu bone referimus* &c.

3. Sermo ad Populum. *Quem vu'tis vobis dimittam, Barrabam, an Jesum qui dicitur Christus? Verba ista fratres carissimi frequenter audistis* &c.

4. In Ascensione Domini. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Magno & inæstimabili gaudio mens tua homo quicunque* &c.

5. In Rogationibus. *Amen amen, dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* &c.

6. In Ascensione Domini. *Humiliate vos ad benedictionem. Obsecro vos fratres carissimi, obsecro vos filii Dei* &c.

7. Sermo in hebdomada pœnosa. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Septimana præsens fratres carissimi, ex re nomen habens, vocatur laboriosa: vel ut vulgo loquar, a pœna verbo rustico nominatur pœnosa* &c.

8. De Epiphania. *Domino & fratri 6. frater Odo. Sermonem quem Dominus Abbas in die Sancto Epiphaniæ in nostro Capitulo fecit* &c. Idem sermo de Epiphania, Codice 648. ejusdem Bibliothecæ, cum aliis duobus sermonibus Magistri Petri Comestoris *in Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis & in Assumptione ejusdem*, & aliis duobus Mauricii Canonici Sancti Victoris, quorum unus *in Solennitate Sancti Victoris*, alter *de communi argumento*. Incipit autem Sermo de Epiphania, *Et ecce Stella quam viderant* &c. usque *gaudio magno valde. Solemnitas præsentis diei tribus miraculis decoratur, & a fidelibus totius orbis devote celebratur* &c.

Hic Odo cum Hugone Sancti Germani Abbate, & Herneo Abbate S. Victoris, anno 1165. Philippum Augustum de fonte Baptismi suscepit: qui ritus una cum tribus illis Abbatibus, in quodam vase lapideo, quod apud Vincennarum Canonicos asservatur, insculptus visitur. Plenus dierum anno 1166. mortuus est, & apud sanctum Victorem sepultus, a quo nonnisi corpore unquam abfuerat, relictis apud sanctam Genovefam multis virtutum ac pietatis suæ alumnis, inter quos fuit Sanctus ille Guillelmus, cujus Acta apud Surium extant. Odonis vero Epitaphium sic se habet in eodem Victorino Cœnobio.

Martyris Odo Prior prius, & post Virginis Abbas,
Martyrium didicit Virginitate sequi.
A Victore rogas certaminis, a Genovefa
Lilia promeruit, plena pudoris habens.
Intulit hos flores Paradiso, tempore florum,
A puero senior, in sene Virgo puero.
Mitis cum Moyse, cum Nathanaële fidelis,
Cum Samuele sacer, cum Simeone timens.
Ne pereas, per eum te Parisius Paradiso
Orba patente para, non peritura parem.

Agunt de *Odone* Sanctæ Genovefæ Parisiensis Abbate, *Gallia Christiana* fratrum Sammarthanorum tomo 4. pag. 470. Seculum 4 Vniversitatis Parisiensis in Catalogo pag. 756. & omnes qui de antiquitatibus *Vrbis Parisiensis* scripserunt.

FALCO BENEVENTANVS, Sacri Palatii Notarius seu scriba, ab Innocentio II. Papa ob fidei constantiam, qua Pontificias partes in maximis illorum temporum turbis tutatus fuerat, Index patriæ suæ renuntiatus est. Reliquit posteris *Chronicon* sive *Historiam* quæ ab anno 1113. usque ad annum 1140. eventus & res præsertim Beneventi gestas narrat, & accurate adeo describit, ut qui eas legit, non legere, sed præsens esse rebus videatur. Illud Neapoli evulgavit anno 1626. Antonius Caracciolli Presbyter ex Ordine Clericorum Regularium quos Theatinos dicimus, cum *Historiis Heremperti & Lupi Protospata Appuli* conjunctum: quod invenire etiam potest in Collectione Veterum Siciliæ Historicorum, quæ Francofurti anno 1579. impressa fuit. Stylus Falconis, barbarie quidem pro ingenio illius ævi horridus est, sed quoad cætera Cæsari Baronio in *Annalibus*, & Jacobo Gordono in *Chronologico opere* placuit. De illo Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap 330 pag. 241. Antonius Possevinus tomo 1 *Apparatus sacri*. Gerardus Joannes Vossius quoque Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte tertia, quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 7. pag. 315. editionis ultimæ anni 1651. Lugduni Batavorum in 4. quem *Folcardum Beneventanum* vocat, his verbis. Henrici V. Lotharii II. & primis Conradi III. temporibus, in studiis versabatur *Folcardus*, domo Beneventanus atque ejusdem urbis clericus, auctor *Chronici* Beneventani, quo narrantur res gestæ ab anno 1113. usque ad annum 1140. Codicem hunc habuit Maximilianus a Palumbaria olim Archiepiscopus Beneventanus, a quo eum se accepisse, ait Baronius ad annum MCXIII. atque addit, ex Folcardo hoc pleraque se in *Annalibus* suis hausisse, cumque res sincera plane & integra fide narrare: quippe qui referat ista, quæ vel ipse viderit, vel viderint illi a quibus hæc accepisset: Ferdinandus Vghallus sub Episcopo 3. Melphiensi *Falconem Beneventanum* vocat, & sub 6. Trojano *Falconem Beneventanum*, ejus Chronicon ad annum 1133. allegans, quod etiam sub *Falconis Beneventani* nomine edendum curavit Antonius Caracciolus, Neapoli an. 1626. in 4. 1140

ARNVLFVS LVXOVIENSIS IN NORMANNIA EPISCOPVS, ex Archidiacono Sagiensi, 1140

Sagiensi, his quoque temporibus floruit. Electus ad hanc Episcopalem anno 1141. sedem, anno 1147. Ludovicum Galliæ Regem in Palæstinam exercitum ducentem comitatus est. Anno 1160. Legatus Apostolicus ab Alexandro III. Pontifice per Angliam creatus est. Anno 1163. orationem in Concilio Turonensi habuit, qui Episcopus ad constanter propugnandam libertatem Ecclesiasticam contra Henrici II. Angliæ Regis molimina multis hortatus est. Anno 1167. ab Henrico Rege ad Thomam Becketum Cantuariensem Archiepiscopum in Gallia exulantem missus est, ut excommunicationem quam Becketus Angliæ intentaverat, precibus & instantiis averteret. Anno 1173. ab Henrico eodem ad Ludovicum Galliæ Regem, pro pace incunda legatus est. Anno 1177. seu ut alii 1180. Henrico Regi ob tutatas Becketi partes suspectus, Episcopatu relicto, in Cœnobium Sancti Victoris prope Parisios, Canonicorum Regularium D. Augustini secessit, ibique anno 1182. die XXXI. Augusti vitam felici morte commutavit. Clarus ætate sua extitit, scripsit *Conciones plures Epistolas & Epigrammata*, ab Odone Turnebo Hadriani filio, edita primum Parisiis 1585. in 8. quæ deinde in varias editiones *Bibliotheca SS. Patrum* Parisienses derivarunt, atque in ultimam illam maximam *Lugdunensem* anni 1677. apud Joannem Anisson, voluminibus XXVII. in folio comprehensam, Tomo XXII. pag. 1304. & sequentibus. Extant insignes duo MSS. Codices Opusculorum Arnulfi Lexoviensis Episcopi, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Oxonii, unus Codice 1810. in Manuscriptis Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 209. num. 2. ubi *Arnulfi Lexoviensis Epistola:* Alter Codice 2482. in Manuscriptis Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 11. Codice 5 num. 2. ubi *Arnulfi Lexoviensis Episcopi Epistola, Epigrammata & Sermones aliquot*. Notat autem Catalogi editor, *Nonnulla haberi in MS. quæ desiderantur in edito*. Nihil mirum igitur, quod CL. vir Lucas Dacherius Tomo II. *Spicilegii* pag. 336. ediderit *Arnulfi Sagiensis Archidiaconi post Episcopi Lexoviensis Tractatum de Schismate orto post Honorii II. decessum, contra Gerardum Engolismensem Episcopum*, ex fide MS. Codicis. Item Ejusdem *Epistolas de variis argumentis VII. ad diversos* pag. 482. & sequentibus. Ejusdem *Sermo in Synodo Turonensi*, qua Victor Antipapa, illiusque fautores excommunicati fuerunt, anno 1163. habitus, reperitur in Conciliorum Tomo X. col. 1411. Ejusdem *Epistola tres ad Arnoldum Abbatem Bonavallis* Carnotensis diœcesis, extant inter Arnoldi Opera quæ subjecta sunt ad calcem Operum Sancti Cypriani, Oxoniensis editionis 1682. in folio. Denique cum anno 1677. Codicem quendam MS. Arnulfi Lexoviensis Episcopi cum impressis contulissem inter Codices MSS. bibliothecæ Fulcartimontis Ordinis Cisterciensis in Normannia, reperi *Sermonem ejusdem de Annuntiatione B Mariæ Virginis & Epistolas V. ad diversos de variis argumentis*, quæ ineditis deerant: quas Lucæ Dacherio donatas, ille edendas curavit Tomo XIII. sui *Spicilegii* quem in lucem emisit anno 1677. Parisiis in 4. apud viduam Edmundi Martini. Cum enim huic Tomo addidisset ad calcem, tres Indices generales ad dicti *Spicilegii* Tomos tredecim, subjecit huic supplemento Opuscula allata, pag. 246. & sequentibus ad 259. Agunt de Arnulio Luxoviensi Episcopo fratres Sammarthani, Tomo 3. Galliæ Christianæ in *Episcopis Luxoviensibus*. Lucas Dacherius in *Spicilegio*, Præfatione ad Tomum II. & XIII. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* Seculo XII. ad annum 1141. pag. 667.

ORDERICUS VITALIS Angligena, Monachus Vticensis seu Sancti Ebrulphi in 1140
Normannia, Ordinis divi Benedicti, scribebat anno 1141. ætatis suæ 67. *Historiam Ecclesiasticam* insignem, insertam pag. 324. Collectioni *Historicorum Normannia* quam Parisiis in folio anno 1619. edidit Andreas Duchesnius. Hæc porro *Historia Orderici Vitalis Ecclesiastica* tam nobile opus, ut ampliorem authoris sui laudem mereatur. Hic igitur Ordericus, nunc *Angligena*, nunc *Vitalis* dictus, Cœnobii Vticensis Presbyter & Monachus fuit, ut ipse Lib. 5. *Historia sua* pag. 548. se inscribit. Natus in Anglia est XIV. Calendas Martii, anno Christi MLXXV. patre Odelerio Constantii Aurelianensis filio, præcipuo Rogerii de Montegomerici Scrobesburiensis Comitis Consiliario. Tum ut ipse eodem libro pagg. 579. & 581. scribit, sabbato sequentis Paschæ apud Attingesham in Ecclesia Sancti Eattæ Confessoris, per ministerium Ordrici Sacerdotis sacro fonte renatus est. Post quinquennium Siwado nobili Presbytero litteris erudiendus a genitore traditus, cujus magisterio prima percepit rudimenta. Vndecimo autem ætatis suæ anno, pro amore Dei a proprio patre abdicatus, & ex Anglia in Normanniam tenellus exul, ut æterno Regi militaret, destinatur. Deinde a Meinerio venerabili Vticensis Cœnobii patre, susceptus, Monachalis habitus trabea togatus, sinceroque Monachorum conventui fœdere indissolabili sociatus est. Inter quos Ecclesiasticum morem & servitium ediscere laboravit, & semper ad aliquid utile, præcipue vero ad scribendum, ingenium applicuit. Sed præstat Ordericum ipsum audire, de se sic pag. 924. in fine Operis sui loquentem. „Tu es Rex meus & Deus meus, & ego" sum servus tuus & ancillæ tuæ filius, qui pro" posse meo, a primis tibi vitæ meæ servivi die." bus. Nam Sabbatho Paschæ apud Attinges" ham baptizatus sum, qui vicus in Anglia situs" est, super Sabrinam ingentem fluvium. Ibi" per ministerium *Ordrici* Presbyteri ex aqua &" Spiritu Sancto me regenerasti, & mihi ejus" dem Sacerdotis, patrini scilicet mei nomen indidisti.

„didisti. Deinde cum quinque essem annorum, „apud urbem Scrobesburiam scholæ traditus „sum, & prima ibi servitia Clericatus obtuli in „Basilica sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. „Illic Siguardus insignis Presbyter per quinque „annos carmentis Nicostratæ litteras docuit „me, ac Psalmis & Hymnis, aliisque necessariis „instructionibus mancipavit me. Interea præ- „dictam Basilicam super Molam flumen sitam, „quæ patris mei erat, sublimasti: & per piam „devotionem Rogerii Comitis, venerabile Cœ- „nobium constituisti. Non tibi placuit, ut il- „lic diutius militarem, vel inter parentes qui „servis tuis multotiens oneri sunt & impedi- „mento, paterer inquietudinem, vel aliquod „detrimentum in observatione legis tuæ per „parentum carnalem affectum, incurrerem. „Iccirco Gloriose Deus, qui Abraham de ter- „ra, patrisque domo & cognatione egredi jussi- „sti, Odelerium patrem meum aspirasti, ut me „sibi penitus abdicaret, & tibi omnimodis sub- „jugaret. Raynaldo igitur Monacho plorans „plorantem me tradidit, & pro amore tuo in „exilium destinavit, nec me unquam postea vi- „dit. Et paullo post. Decennis itaque Bri- „tannicum mare transfretavi, exul in Norman- „niam veni, cunctis ignotus neminem cogno- „vi. Linguam, ut Joseph in Ægypto, quam „non noveram, audivi: suffragante tamen gra- „tia vestra, inter exteros omnem mansuetudi- „nem & familiaritatem reperi. A venerabili „*Mainerio* Abbate in Monasterio Vticensi, unde- „cimo ætatis meæ anno ad Monachatum susce- „ptus sum, XIque Calendas Octobris Domi- „nico, Clericali ritu tonsoratus sum. Nomen „quoque *Vitalis* pro Anglico vocamine, quod „Normanois absonum censebatur, mihi impo- „situm est: quod ab uno Sodalium Sancti Mau- „ricii Martyris, cujus tunc Martyrium celebra- „batur, mutuatum est. In præfato Cœnobio „LVI. annis te favente conversatus sum, & a „cunctis fratribus & contubernalibus, multo „plus quam merui, amatus & honoratus sum. „Æstus & frigora, pondusque diei perpessus, in „vinea Soreth inter tuos laboravi, & denari- „um quem pollicitus es, securus quia fidelis es, „expectavi. Sex Abbates, quia tui fuerunt vi- „carii, ut patres & Magistros reveritus sum, „*Mainerium & Serlonem, Rogerium & Guari- „num, Richardum & Ranulfum.* Isti nempe Vti- „censi Conventui legitime præfuerunt, pro me „& pro aliis tanquam rationem reddituri vigi- „laverunt, intus & exterius solertiam adhibue- „runt, nobisque necessaria te comitante & ad- „juvante procuraverunt. Idibus Martii, cum „XVI. essem annorum, jussu Serlonis electi „Gislebertus Luxoviensis Præsul ordinavit me „subdiaconum: deinde post biennium VII. Ca- „lendas Aprilis Serlo Sagiensis Antistes mihi „stolam imposuit Diaconi, in quo gradu XV. an- „nis tibi libenter ministravi: Denique XXXIII. „ætatis meæ anno, Guillelmus Archiepiscopus Rothomagi XII. Calendas Januarii, oneravit„ me Sacerdotio. Eodem vero die CCXLVIII.„ Diaconos & CXX. consecravit sacerdotes,„ cum quibus ad sanctum Altare tuum in Spiri-„ tu Sancto devotus accessi, jamque XXXIV.„ annis cum alacritate mentis, tibi sacra ministe-„ ria fideliter persolvi.„ Habuit & idem fratres duos minores se natu, quorum unus *Ebrardus* nomine, paternæ hæreditatis successor, alter *Benedictus* in Cœnobio S. Petri Scrobesburien-sis æque Monachus extitit. Sic enim *Odelerius* ipsorum pater in exhortatione ad Rogerium de Montegomerici Scrobesturiæ Comitem, de fundatione præfati Monasterii apud Orderi-cum Libro 5. *Historiæ* pag. 580. & 581. verba faciens inquit. „In primis advenientibus Mo-„ nachis cum cementariis ad jaciendum Mona-„ sterii fundamentum, ad inchoationem hujus-„ cemodi porrigam quindecim libras Sterlinen-„ tium, deinde meipsum, & Benedictum filium„ jam quinquennem, & omnia mea tradam Mo-„ nasterio, tali tenore, ut omnium rerum mea-„ rum medietas meum subdatur Monachorum„ dominio: aliaque medietas *Ebrardo* filio meo„ dedatur sub Monachorum patrocinio. Porro„ primogenitum *Ordericum* videlicet meum,„ jamdudum litteris imbuendum liberali dida-„ scalo mancipavi, eique locum tutæ mansionis„ inter vernulas Dei apud Vticum in Neustria„ procuravi: pro quo Eulogias benedictionis,„ XXX. scilicet marcos argenti futuris ejus Ma-„ gistris & consodalibus de porisinate meo liben-„ ter erogavi. Et Ordericus filius paullo post„ subdit: Expeditus quoque *Odelerius* pater *Vi-„ talis*, quod promiserat ex integro complevit,„ datisque ducentis libris argenti, Deo *Benedi-„ ctum* filium suum ibidem obtulit, & ipse post„ obitum Rogerii Comitis, Monachile schema„ suscepit. Ibi septem annis fecundum normam„ Sancti Patris Benedicti, Monachus Deo servi-„ vit.„ Opus vero suum *Ordericus* præcepto *Ro-gerii Abbatis Vticensis* III. incœpit, & quia De re-bus potissimum Ecclesiasticis, ac de sui tempo-ris Christianorum eventibus in eo tractavit, il-lud *Ecclesiasticam Historiam* appellare affectavit, quam & in tria volumina distinxit. In *primo* enim duos libros continente, *De quibusdam a-micis Dei, Dominisque & rectoribus populi sui*, hoc est, De Apostolis & Pontificibus Romanis, de Imperatoribus, de Regibus, & aliis Principibus, locutum se fuisse testatur. In *secundo* quod quatuor libros complectitur, *plurima dictavit de Monasterio in Vticensi salin tempore Guillelmi Du-cis postea Regis honorifice restaurato nonnullisque de bonis & malis Primatibus sui seculi veraciter adje-cit.* Denique in *tertio* septem libellos compre-hendit, quibus *De morte Guillelmi Regis & de tri-bus filiis ejus plura edidit, & iter Hierosolymita-num, casusque varios sui temporibus contingentes referendo addidit*: ultimum terminans anno æta-tis suæ LXVII. Christi autem MCXLI. quo *Stephanus* Anglorum Rex in carcere *Mathildis* Ande-

Andegavorum Comitissæ gemens detinebatur. In ea Historia edenda, quam hactenus multi desideraverant, tribus Codicibus usus fuit Andreas Duchesnius, uno Monasterii Sancti Ebrulfi altero Sancti Stephani Cadomensis. Habuit primum ope Domini de Petrisco, a Reverendo admodum D. Carolo Chaliveam Vticensi Abbate dignissimo: alterum ab illustri viro Claudio de Salet, summa & eruditione & eloquentia inter caussarum patronos hoc seculo in Normannia sua provincia celeberrimo. Tertium denique a viro ornatissimo atque antiquarum rerum studiosissimo D. Joanne Bigot, in Rothomagensi Vectigalium Curia Senatore, habuit. Hæc nos ex Præfatione Andreæ Duchenii ad Collectionem seu Collectaneum *Historicorum de rebus Normannicis*. De *Orderico Vitali* Gerardus Joannes Vossius lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. quæ est *De Historicis prætermissis* cap. 6 pag. mihi 774. Guillelmus Cavus in *Historia rei Literariæ* ad annum 1140. pag. 666. Arturus du Monstier in *Neustria pia*, & alii Normannicarum rerum scriptores.

1140 LVCAS MONTIS SANCTI CORNELII JVXTA LEODIVM ABBAS, Ordinis Præmonstratensis, quem male Joannes Trithemius Ordini Monachorum Benedictinorum adscripsit: nam Mons Cornelii ubi nunc Carthusiani resident, olim Abbatia Ordinis Præmonstratensis fuit, quæ postmodum in Vrbem Leodiensem translata, Bellus reditus, vulgo *Beaurepert* nuncupata est. Scripsit circa annum 1140. *Commentarium in Cantica Canticorum* Miloni Tarvanensi Episcopo olim ejusdem Ordinis Præmonstratensis alumno dedicatum, qui proprie Commentariorum antiquiotis Aponii compendium est: quem habemus anno 1538. Friburgi impressum, unde in Bibliothecam Veterum Patrum accessit. Obiisse dicitur anno 1157. ut scribit Guillelmus Cavus, sed incertum istud maxime est: nec enim annum hujus obitus inveniri mihi licuit, dum Chronologiam hujus Abbatiæ ex scriniis abditisque illius monumentis, anno 1682. illic positus conscriberem, quam cum aliis plurimis Præmonstrato restituimus. Correxit errorem Trithemii, Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica*, in Appendice quæ solet adjungi Operi Henrici Gaudavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 9. pag. 174. Hujus quoque *Lucæ Abbatis* idem Miræus iterum alibi meotionem facit, in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 241. ubi loquitur de Aponio, cujus Lucas Abbas abbreviator est. Joannes le Paige in Bibliotheca Præmostratensi lib. 1. cap. 17. pag 304. editionis Parisiensis anno 1633. apud Adrianum Tempinart, in folio. Carolus quoque Ducangius in *Catalogo Scriptorum*, ex quibus composuit Glossarium suum ad scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, columna 128.

HVGO FARSITVS, PRÆMONSTRATI PRIMVS ABBAS, quem in *Supplemento* De Scriptoribus Ecclesiasticis, Canonicum Regularem Ordinis divi Augustini simpliciter & absque addito dixeram: & quantum augurari licuerat, juxta vel in ipsa Vrbe Suessionensi Abbatem postea, sed Ecclesiæ nondum mihi cognitæ constitueram: Lecto tandem Abaëlardo qui eum noverat, primus mihi probatur fuisse Abbas nostri olim Archicœnobii Præmonstrati. Hunc vulgo nos Hugonem Fossensem, divi Norberti in dividuum comitem, a patria dicimus: Abaelardus a cognomine *Hugonem Farsitum* docuit, *Norberti comitem individuum*, in ipsis etiam jactatis miraculis. Vnde merito eum Abbatem vocat, qui ejus mentionem facit, Henricus Gaudavensis in Libro suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 36. Scripsit circa annum 1130. librum unum *de miraculis beatæ Mariæ Suessionensis*, ab aliis *de sacro igne* inscriptum: quem Juannes Picardus Canonicus Regularis Sancti Victoris, in Notis ad Epistolas divi Bernardi testatur inveniri MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis. Vidi etiam MS. in 4. in Bibliotheca Fusniacensi Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Laudunensi, cum altero *Libro Miraculorum Sancti Quintini Martyris & Libris quinque Miraculorum Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, quos Odo Cantuariensis Monachus & postea Abbas de Bello in Anglia composuit. Est autem editus *Hugonis Farsiti* liber ad calcem *Historiæ Galliæ Beatæ Mariæ Suessionensis* Ordinis divi Benedicti pag. 481. & sequentibus, quæ prostat in 4. Parisiis anno 1675. apud Joannem Coigoart cura & studio Michaelis Germani, Monachi Benedictini, Congregationis Sancti Mauri. Videtur tamen hoc Opus *De sacro igne* ad alium Hugonem Suessionem dictum pertinere, cujus extat una Epistola MS. in Bibliotheca Regia, ad Heloissam Paracleti Abbatissam scripta. Scripsit ad *Hugonem Farsitum* jam Abbatem Epistolas duas Sanctus Bernardus. Hoc quidem in editione *Supplementi* De Scriptoribus Ecclesiasticis nesciveram, at re maturius considerata absque ulla ad Ordinem olim mihi proprium affectatione, pensatis huic & inde rationum momentis, hunc *Hugonem Farsitum* esse socium Nurberti primum atque individuum censeo, quem successorem suum anno 1129. dum esset Magdeburgi Archiepiscopus, designavit. Ita sentit Cæsar Egassius du Bulay Seculo IV. tom. 2. *Vniversitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum pag. 749. his verbis. *Hugo Farsitus vir doctus ad Præmonstratenses se contulit, fuitque deinde Ordinis Generalis Præfectus, anno scilicet 1129. fuit Abaelardi impugnator, & Norberti Institutoris defensor acerrimus, ut dictum est in Historia.* Constat enim successorem divi Norberti in regimine Præmonstratensis Ordinis fuisse hunc Hugonem, natione Belgam, patria fossensem in belgio, & cognomine Farsitum, unicum fere ac maxi- 1140

maximum totius Ordinis propagatorem. Quartum ad cognomen *Farsiti*, divi Norberti individui comitis, illud ex Petro Abaelardo teste oculata & Synchrono habemus, qui acriter in Norbertum Præmonstratensis Ordinis institutorem Sermone 31. *De Sancto Joanne Baptista* invehitur his verbis: illum ut præsumptorem Miraculorum & affectatorem sugillans. *Ad majora veniam & summa illa miracula de resuscitandis quoque mortuis inaniter tentata. Quod quidem nuper præsumpsisse Norbertum, & coapostolum ejus Farsitum, mirati sumus & risimus. Qui diu pariter in oratione prostrati, & de sua præsumptione frustrati, cum a proposito confusi deciderent, objurgare populum impudenter cœperunt, quod devotioni suæ & constanti fidei infidelitas eorum obsisteret. O calliditas incautorum! O excusatio frivola inexcusabilium.* Ita ille in Norbertum & M. Hugonem Farsitum, qui relictis scholis ad Præmonstratenses se contulerat. Quantum autem ad Miracula Suessione anno circiter 1129. vel 1130. facta, hæc facillime Hugo Abbas Præmonstratensis colligere potuit ad hujus Operis compositionem qui nullo negotio Miraculorum ejusmodi huic atque unde testimonia comparare potuit, maxime cum Præmonstratum Suessione paucis horis distet: unde hoc Opusculum Hugoni primo Abbati Præmonstratensi optime convenire potest, quem fuisse *Farsitum* cognominatum Petrus Abaëlardus nos decet. Extat inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 756. in MSS. Codicibus Collegii Sidneysussex litera K. V. Codice 7. num. 6. *Liber M. Hugonis Farsiti de Dei gratia conservanda* Incipit *Frater Hugo Fratri Roberto salutem* &c. Idem scripsit *Vitam Sancti Norberti Ordinis Præmonstratensis fundatoris & Magdeburgensium Archiepiscopi*, quam ad MSS. Codices Ordinis plurimos excussam a Joanne Chrysostomo Vander Steerre, Abbate S. Michaelis Antverpiani ac Vicario Generali Ordinis Præmonstratensis per Brabantiam, amplissimisque a Polycarpo de Hertoghe ejusdem Ecclesiæ Canonico & Lectore Theologo Notis illustratam, edidit in 8. Antverpiæ anno 1656. ex officina Plantiniana Balthasar Moretus. Habetur eadem cum multo apparatu spectante ad Præmonstransem Ordinem & Norbertum illius fundatorem, in *Actis Sanctorum Junii* tomo 1. ad diem 6. collectis, digestis, Commentariis atque Observationibus variis illustratis a Godefrido Henschenio, Daniele Papebrochio, Francisco Baërtio & Conrado Janningo, Presbyteris Theologis Societatis Jesu, Antverpiæ apud Henricum Thiullier anno 1695. in folio. Ita *Acta Eruditorum Lipsiæ* Supplementorum Tomo 3. sect. 7. pagg. 291. & 293. Ambigit tamen utcunque Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 49. pag. 408. editionis ultimæ, propter hæc verba cap. 13. quæ scrupuli nonnihil injiciunt. *Anno igitur post Incarnationem Domini nostri Jesu Christi 1118. mense Majo, post comitum suorum ex hac vita decessum, accessit ei Dominus Hugo jam dictus Clericus (hoc enim erat nomen ejus) qui proximo post eum loco successit in regimine Præmonstratæ Ecclesiæ, pia & sanctæ conversationis homo.* Quomodo de se minime scripsisset homo modestissimus. Sed addit idem Vossius, *Dicere possumus hæc postea a successore vel ab alio esse adjecta.* Et recte, nam dum de sua electione cap. 48. hoc modestissime præstat, ac quasi in tertia persona loquitur, appellans se *fratrem illum*, nec seipsum nominans quidem. Tum cap. 54. & ultimo post visionem quandam relatam, sic de se concludit: *Det Deus omnipotens, ut secundum promissionis intellectum ad ipsum veniat: & quem socium ac successorem, participemque miseræ & pœnalis tribulationis seculi hujus reliquit, consortem faciat eum gaudiis felicitatis æternæ, & donis a Deo perceptæ benedictionis:* quibus se evidenter & Norberti socium in vita, & successorem in Præpositura Ordinis indicat, quod Hugoni contigit. Regimen enim habuit Præmonstratensis Ordinis post Norbertum, non Archiepiscopatus Magdeburgensis ut perperam opinatus est Cæsar Baronius, tomo 12. *Annalium Ecclesiæ* ad annum 1134. ubi de Norberto Loquitur: unde merito illum arguit Vossius, loco citato. Denique scripsit *librum Cæremoniarum* seu *Rituum Ordinis hujus Præmonstratensis*, quem habes in Opere inscripto *Bibliotheca Præmonstratensis* Libro V. pag. 892. cujus Prologus incipit: *Ordinem annualis officii quod in Ecclesia Dei pro dierum & temporum qualitate, pulchra varietate distinguitur* &c. Caput primum *De reverentia circa Altare.* Pia fides habet præsentiam Christi &c. Hujus Hugonis Vita pluribus scripta extat in eadem ista *Bibliotheca Præmonstratensi* Lib. 2. pag 416. & sequentibus. Postquam igitur Institutum Ordinis Præmonstratensis incredibili ardore per multa Europæ regna propagasset, per Galliam nimirum, Angliam, Hispaniam, Germaniam, Poloniam, usque ad Syriam seu Palæstinam, anno 1161. mortuus est: vel ut loquitur Bibliothecarius Præmonstratensis pag. 435. cap. 7. & ultimo hujus Vitæ. "Cum extremum Vitæ diem sibi imminere divinitus intellexisset, advocatis fratribus, atque ad charitatem, vitæque communis propositum vehementer cohortatus, florigera ipse vernans charitate, corporeis solutus vinculis, ad immortalitatis gloriam commigravit die 10. Februarii anno Domini 1164. sepultusque est Præmonstrati ante Altare Sancti Andreæ Apostoli. Verum lapsu temporum, cum Præmonstratensis Ecclesia denuo dedicari, & consequenter corpora sepultorum juxta consuetudinem Ecclesiæ, inde efferri oporteret: ubi ubi ventum est ad Beati Hugonis mausolæum, tanta ex eo processit odoris suavitas, ut omnium aromatum fragrantiam superaret. Hinc factum est, ut Egidius Abbas Ecclesiæ Præmonstratensis XXI. avitæ pietatis & devotionis æmulator ferventissimus, illa beati

„Hugonis ſacra pignora fecerit ante majus „Altare Præmonſtratæ Eccleſiæ transferri, & „illic ea anno Domini circiter 1279. honorifice „ſepeliri, ſuperaddito lapide marmoreo, cui „hæc inſcribi quoque curavit.

Hic Jacet Dominus Hugo, qui fuit primus Abbas hujus Eccleſiæ, & rexit Eccleſiam iſtam cum universo Ordine Præmonſtratenſi triginta quinque annis, feliciter & quiete. Obiit anno Domini MCLXIV. cujus anima cum Beatis requieſcat in pace amen.

Hoc autem unicum *Primi Præmonſtratenſium Abbatis* Epitaphium, egregium atque authenticum eſt antiquæ Ordinis olim noſtri ignorantiæ monumentum, in deſignandis Primi ſui Abbatis annis: cujus legitimam non habent Præmonſtratenſes excuſationem, cum anno 1279. vel 1280. factum eſſe, ſcriptum ſit. Certum enim omnino mihi eſt, qui Chronologias olim breves omnium hujus Ordinis in Lotharingiæ Circaria Abbatiarum ſcripſi, quas fratres Præmonſtrati aſſervant: ex authenticis Abbatiæ Bellævallis inſtrumentis, Philippum anteà Bellævallis Abbatem, anno 1161. Hugoni Farſito apud Præmonſtratum ſucceſſiſſe. Itemque Theodoricum Philippi Succeſſorem apud Bellam Vallem, eodem anno 1161. à variis obtinuiſſe plures bonorum donationes, & chartas ſeu inſtrumenta confirmationum. Certum 2. ex aliis legitimis Privilegiis in Synodo Tullenſi ab Epiſcopo factis, quæ aſſervantur apud Stivagium, & Miram Vallem ejusdem Ordinis in Lotharingiæ Circaria Abbatias: Philippum Præmonſtratenſem Abbatem anno 1161. cum ſex aut ſeptem aliis ejusdem Ordinis Abbatibus, præſentem fuiſſe ac ſubſcripſiſſe Ejusmodi privilegiis. Vnde Luce meridiana clarius eſt, falſum eſſe hoc Epitaphium, neque mortuum Hugonem primum Præmonſtrati Abbatem anno 1164. ſed anno 1161. Imò pugnat quod mortuus ſit anno 1164. atque tantum *annis triginta quinque rexerit Eccleſiam Præmonſtratenſem cum universo Ordine*, ut vult Epitaphium. Aſſumpſit enim regimen Abbatiæ atque Ordinis Præmonſtratenſis, ab anno 1126. quo *Norbertus* Inſtitutor primus in Germaniam abiit recturus Eccleſiam Parthenopolitanam, nunquam poſteà reverſus ad Ordinem, cujus curam Hugoni commiſerat. Atqui ab iſto anno ſi ſupputes *annos triginta quinque*, quibus Epitaphium ait, *rexiſſe Eccleſiam iſtam cum universo Ordine Præmonſtratenſi:* incidet mors *Hugonis Farſiti primi Præmonſtrati Abbatis* in annum 1161. atque ita mendacii arguetur, qui Epitaphium conſcripſit. Olim opinatus fueram, Hugonem aliquot annis ante mortem ceſſiſſe officio, ſed nec modicum contrariæ ſententiæ reperitur indicium, in Necrologiis aliisque monumentis Ordinis, quæ Hugonem mortuum eſſe Præmonſtratenſem Abbatem volunt. Hoc latius in gratiam *Domini Hugonis Farſiti*, primi Ordinis hujus Præpoſiti, atque fauſtiſſimi per ſparſas quaqua verſum Orbis regiones & regna, Abbatiarum ejus propagatoris. Nec ullis hoc Critices punctum oculis niſi Lippientibus diſplicebit, quibus demonſtrata etiam veritas haud placet. Extat inter Epiſtolas divi Bernardi una ad *Hugonem Abbatem Præmonſtratenſem* num. 254. in editione ultimà Pariſienſi, Joannis Mabillonii: ſed aliæ duæ ad *Hugonem Farſitum* ibidem num. 35. & 36. quibus eidem commendat *Humbertum quendam injuſtè exhæredatum*, ejusque patrocinio apud Comitem committit. Rectè iſta convenire poſſunt *Hugonis Præmonſtratenſis meritis*, qui gratià plurium apud Theobaldum Campaniæ Comitem valebat, cui notiſſimus erat, ac cujus familiam duo Præmonſtratenſes in Spiritualibus regebant. Inſcriptio etiam Epiſtolæ xxxv. *Cariſſimo Fratri & Coabbati ſuo Hugoni, frater Bernardus debitum ſinceriſſimæ dilectionis affectum:* & Epiſtolæ xxxvi. *Dilectiſſimo ſuo & olim & modo, Dei gratia Sancto Abbati Hugoni, frater Bernardus de Clara Valle, irreverberatum ſinceræ dilectionis affectum:* rectè *Hugoni primo Abbati Præmonſtratenſi* conveniunt, cujus notiora ſunt merita, quam ut probatione indigeant. Quid ſi titulus ultimæ Epiſtolæ *Dilectiſſimo ſuo & olim & modò*, alluderet ad contentiones quas cum Hugone Præmonſtratenſi anteà Bernardus habuit, quarum teſtis eſt Epiſtola ejus 254. ad eundem Hugonem? Hæc per conjecturas. Vult Michael Germanus, Ordinis divi Benedicti & Congregationis Sancti Mauri doctus Monachus in *Hiſtoria Beatæ Mariæ Sueſſionenſis* pag. 353. *Hugonem Farſitum* fuiſſe Canonicum Regularem divi Auguſtini, quem Necrologium Majoris Eccleſiæ Sueſſionenſis inſinuat, dediſſe huic Eccleſiæ ſuam Bibliothecam: ac Necrologium Sancti Joannis de Vineis, inſinuat Hugonem Farſitum eodem ſeceſſiſſe, & illic eſſe mortuum. Sed Necrologia iſta incerti temporis, quibus pro lubitu quisque adjecit, contra Petrum Abaëlardum contemporaneum & oculatum teſtem, valere haudquaquam poſſunt. Agunt de *Hugone Farſito* Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* tom. 1. pag. 770. Joannes le Paige in *Bibliotheca Præmonſtratenſi* lib. 1. cap. 17. pag. 304. editionis Pariſienſis anno 1633. apud Adrianum Taupinart in folio. Cæſar Egaſſius du Boulay Seculo IV. *Vniverſitatis Pariſienſis* in Hiſtoria fol. 80. Et in Catalogo fol. 749. ambo parcè admodum. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum* ex quibus compoſuit Gloſſarium mediæ & infimæ Latinitatis, col. 115.

ANDREAS VICTORINVS natione Anglus, Canonicus Regularis, Victoris Pari- 1140
ſienſis, Hugonis de Sancto Victore Diſcipulus, ſcientia & moribus claruit poſt annum 1140. Pariſiis, ſeu circa annum 1150. ut habet Antonius Poſſevinus in Appendice ad tomum 1. ſui *Apparatus ſacri*, verbo *Andreas:* ubi ait illum ſcripſiſſe in *Pentateuchum Moſis, Joſuë, Judicum, Regum libros, Paralipomenon, Eccleſiaſten, Parabolas ſeu Proverbia Salomonis, Eſaiam, Jeremiam, Danielem, Jobelem, &*

ſi

si qua sint ejusdem alia, ut fertur. Ita Possevinus. Extant autem hujus Andreæ *Commentarii MSS.* in Bibliotheca S. Victoris ad muros Parisienses Canonicorum Regularium divi Augustini, Littera F. 19. ubi folio 496. *Magister Andreas in Pentateuchum ad litteram*, qui Codex 500. vel circiter annorum est. Incipiunt hi Commentarii: *Difficile, quod durum, quod grave, quod asperum est, observatur: si nullum custodienti præmium proponatur.* Ejusdem Andreæ *Historica brevis Expositio super Pentateuchum, libros Regum, Paralipomenon, Parabolas & Ecclesiastem*: Itemque *super duodecim Prophetas Minores* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Cod. 144. Ejusdem Andreæ *Commentarius super Libros Regum, Danielis & Machabæorum*, ibidem Cod. 173. Richardus de Sancto Victore in Prologo utroque librorum suorum *De Emmanuele*, hujus etiam Andreæ meminit, cujus ratione ac discipuli illius cujusdam, hos duos libros scripsit. Atque illos ex occasione cujusdam *Commentarii* hujus Andreæ *in Esaiam Prophetam*, in quo juxta Richardum, nonnulla minus cautè dicta erant, quæ his libris arguit. Hic porrò *Commentarius Andreæ in Esaiam* fortuitò à me inventus MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 6196. fol. 9. incipiens, *In explanando Isaiam, omnium quorum apud nos commendata scripto existit Prophetia, Prophetarum nobilissimum, nisi fortè &c.* Hic Scriptor elegans est, & sensu gravis, qui nugacem aut puerum nullatenus olet, quod magni apud omnes momenti est. De illo Antonius Possevinus, loco citato. Ecloga Oxonio Cantabrigiensis Thomæ Jamesii, in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti, pag. 81. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario* suo *Scriptores mediæ infimæ Latinitatis*, p. 84.

1140 SVGERIVS SANCTI DIONYSII IN FRANCIA ABBAS, humili loco natus, virtutis & doctrinæ gradibus ad summa conscendit. In celebri Sancti Dionysii prope Parisios Monasterio, Sancti Benedicti Regulam professus, ingenii felicitate & ad res magnas gerendas capacitate, Ludovico VI. Galliarum Regi innotuit, cujus legatione ad Callixtum II. Summum Pontificem cum laude persunctus, Abbas Sancti Dionysii absens electus est, adhuc Diaconus, & accedente Regis consensu anno 1123. benedictus. Regularem observantiam in Cœnobio sibi commisso *absque scandalo & perturbatione fratrum* restituit, Basilicam insignem eo quo etiamnum Schemate conspicitur, instauravit, ornavit, locupletavit: reformationem factam Deo remunerante bonorum etiam temporalium copia, ut dicere possent: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Nec virtuti studium litterarum defuit, nam Sugerius scripsit *Vitam Ludovici VI. Francorum Regis* cognomento *Grossi. Librum Epistolarum ad diversos, de gravioribus Regni negotiis*, quibus Ludovico VII. dicto juniore ad Expeditionem sanctam profecto, dignissime præfuit. Item *librum De rebus in administratione Cœnobii Sancti Dionysii à se gestis*, & alterum *De consecratione Ecclesiæ à se ædificatæ & translatione corporum S. Dionysii & Sociorum*: quæ omnia à Francisco Duchesnio in Collectaneo Historicorum Franciæ Coætaneorum tomo 4. edita sunt, collecta ex MSS. Codibus. Porro Liber *De consecratione Ecclesiæ Dionysianæ* qui apud Duchesnium mutilus est, ex tomo 1. *Analectorum* Joannis Mabillonii pag. 328. suppleri potest. Obiit anno 1153. die 13. Januarii more Romano, cujus *Constitutiones & Testamentum* post alia ejus Opera in Collectaneo citato tomo 4. pag. 546. Hæc quidem per compendium in Supplemento meo de Scriptoribus Ecclesiasticis dixeram, sed amplissimum & æquissimum ejus elogium hic habeas ex Sammarthanis fratribus in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 334. Nec enim fas est paucis de tanto viro loqui, maximè cum illum Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* licet scriptorem nobilem atque editum, omiserit. Sic igitur illi.

Sugerius regni Galliarum ministerio sub Ludovico VII. dicto juniore celeberrimus, quem præter exquisitam magna prudentia & integritatis laude, rerum gerendarum sagacitatem & solertiam, singularis integritas, eruditio, religionis probitas multiplex, & tot in suæ Basilicæ decus congesta ornamenta apprime commendant, meritò ut ad supremum illud politicæ administrationis fastigium, fortunato quodam genio provectus esse videatur. Is humili ortus loco circa annum 1082. inter Divi Dionysii Cœnobitas tyrocinium fecit, ac mira ingenii felicitate studiis expolitus, Synodo Pictavensi anno 1106. interfuit. Posteà Tauriaci famosæ in Belsia S. Dionysii villæ præpositus, inde Bervevallis in Normannia eligitur: quibus officiis functus, ad Summum Pontificem Callixtum legationem suscepit, qua egregie obita, omnium suffragiis Abbas exposcitur absens, ut ipse in *Vita Ludovici Regis* de sua promotione loquitur. *Triplici augebar dispendio, utrum contra Domini Regis voluntatem electionem suscipiens, Ecclesia Romana vigore, & Domini Papæ Callisti qui me diligebat authoritate, matrem Ecclesiam dilapidare occasione mei sustinerem. Nos autem cum ad Matrem Ecclesiam, Deo opitulante pervenissemus, tam dulciter, tam fideliter, tam nobiliter filium prodigum suscepit: ut & Regem prius severo, modo sereno vultu occurrentem, Archiepiscopum Bituricensem, Episcopum quoque Silvanectensem, ibidem nos expectantes gratulanter invenerimus. Qui cum multâ veneratione celerrimè cum lætabundo fratrum Conventu nos suscepissent, sequenti die, Sabbatho scilicet Mediana, me indignum ordinavit Presbyterum: sequente autem Dominica, ibidem ante sacratissimum corpus Beati Dionysii, Abbatem licet immeritum consecravit.* Hoc contigit anno 1123. Consecratus Abbas, confestim animum reformationi Abbatiæ suæ addicens, Regularem observantiam in Cœnobio sibi commisso *absque*

„*scandalo & perturbatione fratrum* cum prudentia insigni restituit: Deo sanctam reformationem bonorum etiam temporalium copia remunerante, ita ut dicere possent: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quæ commemorans ipse Sugerius in libro *De Vita Ludovici Grossi Regis*, ita Monachos obtestatur: *Quo experimento gloria futura Dei, fratres Successores nostros obtestando, per Dei misericordiam & terribile ejus judicium sollicitamus, ne sanctam Religionem qua & homines & Deum conciliat, confracta consolidat, perdita restaurat, paupertatem opimat, tepescere permittant: quia sicut timentibus Dominum nihil deest, non timentibus, etiam Regibus, omnia, ipsi quoque ipsi, deficiunt.* Anno post ordinationem proximo, ne grati animi significationi deesset, ob favores à Romano Pontifice acceptos, Romam se contulit, ubi à Callisto Papa & Purpuratorum universo Collegio honorificè & amanter susceptus, sex menses in Curia demoratus est, qui Concilio Lateranensi œcumenico, quo diuturna de Investituris controversia composita est, interfuit.

„Scripsit non tantum *Vitam Ludovici VI. Regis* cognomento *Grossi*, sed & Opus aliud *De rebus in administratione Monasterii S. Dionysii à se gestis*, nec non & *Libellum de consecratione Ecclesiæ à se ædificata, & translatione corporum S. Dionysii atque Sociorum ejus.* Præterea *Volumen Epistolarum* ad Eugenium 3. Papam, Regem Ludovicum & alios Franciæ Magnates, ipsorumque ad eundem de gravissimis rebus conscriptarum, dum Ludovico Juniore in terram sanctam profecto, Regnum dignissimè administraret: quas ex MS. Codice clarissimorum virorum, eruditissimorumque Puteanorum fratrum, tomo 4. *Historicorum Francicorum* inseruit Andreas Quercetanus, cum exemplari Testamenti Sugerii Abbatis XV. Calendas Julii 1137. Inter Epistolas, quas plures ipsi scripsit B. Bernardus, illum carissimum & intimum amicum, maximumque Principem in Regno vocat: in altera ad Papam Eugenium de laude Sugerii ita fatur. *Si quod magna domus magni Regis vas in honorem apud nostram habetur Ecclesiam Gallicanam: si quis ut David fidelis, ad imperium Domini ingrediens & egrediens: meo quidem judicio, ipse est venerabilis Abbas Sancti Dionysii. Novi siquidem virum, quod & in temporalibus fidelis & prudens, & in spiritualibus fervens & humilis: in utrisque (quod est difficillimum) sine reprehensione versetur. Apud Cæsarem est tanquam unus de Curia Romana, apud Deum tanquam unus de curia Cæli: specialiùs diligere & honorare personam ejus, honorificare est ministerium vestrum.* Robertus Herefordensis Episcopus, de illo hæc etiam habet. *Abundantiùs rapiunt in amorem vestrum & latificant animam meam tanta rum charismata virtutum, quæ de vobis ad commoda multorum latius prædicantur. Quid enim si sapientia, si providentia quæritur in Sugerio? Tanta reperitur, ut quacunque negotia vestro nituntur consilio, cautius procedant, & succedant feliciùs. Si ad religionem recurritur, de speculo vita vestra relucet, & quod foris luceat, & quod intùs expediat: additur liberalitatis præconium, quæ beneficiis prævenire gaudet, nedum rogata erogaturum.* Et Saresberiensis Episcopus in Epistola ad eundem. *Opinionis vestræ odor, qui circumquaque diffunditur, nos de transmarinis partibus, in odorem vestri currere fecit. Venimus ergo de finibus terræ, vestram scilicet nostri temporis audire sapientiam. Sapientiam audivimus, templum quod ædificatis, aspeximus: ornamenta quæ à vobis oblata sunt & offeruntur, vidimus: ordinem Ministrorum & Ministeriorum attendimus, & meritò in illius australis Reginæ voces erupimus, quia media pars non fuerit nobis nuntiata, & quoniam major est sapientia & opera, quam rumor fuerit in terra nostra. Quis enim non miretur hominem unum, tot & tanta sustinere negotia, ut & Ecclesiarum pacem conservet, statum reformet, & Regnum Francorum armis tueatur, moribus ornet, legibus emendet?*“

Sed quæ in Republica & aulico Regis Consistorio gravissima munia exegerit, abunde testantur authores Rerum Francicarum hujus temporis. Imprimis circa ornatum excellentis Basilicæ, quam innumeris vasorum, reliquiarum, lapillorum, cæterisque hujusmodi donariis exquisiti pretii, munificè locupletavit, ut ipse fusè exponit singulari libro *De gestis in administratione sua.* Instauravit enim Ecclesiam eo schemate, quo nunc non sine admiratione conspicitur in forma Crucis, longa pedes 390. larga 100. alta à pavimento ad fornicem 80. columnis seu pilis 60. suffulta, plumbo tecta, porta majore alta pedes 15. lata 11. cum dimidio, vitreis fenestris incomparabilibus, choro vario marmore strato, cuppa porphyrea, Cruce & Crucifixo, tabulaque aurea: quam curavit anno 1140. benedicendam, Rege ipso præsente, aliisque primoribus Regni proceribus. Vbi ipse tandem tot exantlatis pro Ecclesia & Regno Laboribus, anno 1152. tumulatus est, cujus exequias Ludovicus Junior sua præsentiâ honestavit. Cæterum Epitaphii excerptum veteris MS. Codicis Ecclesiæ Sancti Dionysii, ad annum præfatum omittere noluimus, quia Sugerii memoriam quodammodo illustrare videtur, quod est ejusmodi. *Hic est annus ultimus Vitæ Felicis recordationis Sugerii Abbatis Monasterii Regalis S. Dionysii in Francia, viri magnæ prudentiæ & eloquentiæ, ac inter præclaros Ecclesiæ Gallicanæ viros eruditissimi & facundissimi. Cui tempore prælationis quantum fuit studium, ut Ecclesiam omni gloria & honore attolleret, religiose ordinaret, & eam redditibus opulentam, ædificiis ampliorem, ornamentis decoratam redderet, omnibus patet. Cooperante etiam superna illius clementia, qui ponit humiles in sublime, & ipsum de plebe humili sic erexit, ut non solum in Parlamento Regali solium ac tribunal judicii sapientia, qua præditus erat, laudabiliter peroraret: verum etiam tanquam vir magni consilii & industriæ, ac in omni domo Regia spe*

Ha-

„*stabilis & probata fides, cum excelsis Principibus consederet, at Regni ipsius gubernacula præcipuè moderaretur. Acumen ingenii, lingua nitor Litterarum scientia, dictandi scribendique peritia, semper in eo splenduerunt: tantaque opinionis apud Eugenium Papam extitit, ut quotiens aliqua in Regno graviora emergebant, & usque ad ejus audientiam perlata, illius probata discretioni terminanda committebat. Gloriosus etiam Rex Franciæ Ludovicus Herosolymam proficiscens, Pontificum & Procerum consilio, ex parte illius fidei & solertiæ Regnum suum specialiter commisit regendum. Quod ille Deo juvante ita administravit & rexit, ut Principi redeunti commissa sibi cum pace & integritate restitueret. Virum quia à conditione moriendi nemo excipitur, tum valetudine qua mortuus est, vexari sæpisset, fratrum manibus sustentatus in Capitulum se deduci poposcit. Ubi post verba ædificationis, cum lacrymis & gemitu omnium pedibus provolutus, eorum se judicio humiliter exposuit: lacrymabiliter postulans, ut quod in eos delquerat, vel negligentius egerat, respectu pietatis ei relaxarent. Quod fratres omnes maxima cum devotione, & copiosa lacrymarum effusione gratanter fecerunt. Transiit autem idem Venerabilis Pater inter verba Orationis & Symboli die Idus mensis Januarii, anno vero Domini M CLII. LXXX ætatis suæ anno, à susceptione autem Monastici habitus ferè LX. Prælationis verò suæ XXIX. Cujus sepulturæ & exequiis interfuerunt sex Episcopi, tum multis Abbatibus & Christianissimo Rege Franciæ Ludovico: ubi & pietatis memor, & immemor Regiæ celsitudinis, dùm sepeliretur, amarissimè flevit. Flevitque omnis Regia domus, sed & populus qui eum tanquam prudentissimum Consiliarium, totiusque Regni gubernatorem, & administratorem planxerunt sapientissimum.* Jacet porrò in Ecclesia, sub Scarua Pontificalibus insigniis ornata, cujus prælimitari hic titulus inscriptus: *Hic jacet Sugerius Abbas.* Vitam ejus litteris exaravit Guilielmus ipsius Domesticus, & S. Dionysii Monachus.

Legatur & Carmen Panegyricum ab Anonymo Poëta, ingenioso sane & docto *ad Sugerium Abbatem*, præfixum ejus Epistolis apud Andream Duchesnium tomo 4. *Scriptorum Veterum Coætaneorum* Historiæ Francicæ. Legere etiam juvat *Epistolam* S. Bernardi LXXVIII. *ad Sugerium*, qua ipsi susceptam & introductam in Cœnobium Sancti Dionysii reformationem gratulatur. Et *Epistolam* CCLVI. qua ipsi gratias agit, ob Cœnobium *Sanctæ Genovefæ*, ordini & disciplina restitutum. Denique eundem *Epistola* CCLXVI. ad mortem alacri animo suscipiendam hortatus est, tenerrimæque amicitiæ officia exhibuit. Porrò elegantissimum ipsi Epitaphium composuit *Simon Capra Aurea* Canonicus Regularis Cœnobii S. Victoris Parisiensis, quod post Franciscum Chiffletium exhibet Joannes Mabillon in Notis ad Epistolas Sancti Bernardi, pag. 35.

Decidit Ecclesiæ flos, gemma, corona, columna,
Vexillum, clypeus, galea, lumen, apex.
Abbas Sugerius, specimen virtutis & æqui,
Cum pietate gravis, cum gravitate pius.
Magnanimus, sapiens, facundus, largus, honestus,
Judiciis præsens corpore, mente sibi.
Rex per eum caute rexit moderamina Regni:
Ille regens Regem, Rex quasi Regis erat.
Dumque moras ageret Rex trans mare pluribus annis,
Præfuit hic Regno, Regis agendo vices.
Quæ duo vix alius potuit sibi jungere, junxit:
Et probus ille viris, & bonus ille Deo.
Nobilis Ecclesiæ decoravit, reppulit, auxit,
Sedem, damna, chorum: laude, vigore, viris.
Cui rapuit lucem, lux septima Theophaniæ,
Veram vera viro, Theiophania dedit.

Qui plura *De Sugerio* cupit, adeat Sammarthanos fratres *in Gallia Christiana* tomo 4. pag. 333. in Abbatibus Sancti Dionysii in Francia. Natalem Alexandrum *in Selectis Historiæ Eccl. siasticæ Capitibus* seculo XII. tomo 1. cap. 6. art. 12. pag. 530. & sequentibus, ex quo compendium istud desumptum est.

PETRUS PICTAVIENSIS de Sancto Johanne cognominatus, Monachus Cœnobii Cluniacensis, discipulus Sancti Petri Mauricii Ecclesiæ Cluniacensis IX. Abbatis, qui anno 1156. octavo Calendas Januarii mortuus est, multo ante Abbatis hujus mortem floruisse creditur, circa annum 1140. ad 1170. inter Poetas hujus temporis non ignobilis, *Poema elegans in laudem Petri Cluniacensis Abbatis sui* composuit, quod cum Operibus dicti Abbatis imprimi censuerit. Habetur MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 3839. cum duobus libris Epistolarum Petri Cluniacensis Abbatis. Hic Petrus Pictaviensis *in Bibliotheca Cluniacensi*, ætate S. Petri Mauricii celeberrimus legitur, qui illic Epistolarum dicti Petri Cluniacensis Abbatis IX, libro I. Epistola IX. col. 630. *Bibliotheca Cluniacensis* præfatæ *Magister* appellatur, *dilecto filio Magistro Petro*, inquit Petrus Venerabilis in Epistola. Fuit Secretarius seu Notarius & ab Epistolis scribendis dicto Abbati Petro, qui ejus mentionem facit Epistolarum lib. I. Epistola XXIV. col. 653. littera D. Epistola XXV. col. 654. littera B. Lib. II. Epistola V. col. 722. litera B. Libro IV. Epistola XVII. col. 843. litera E. Illum autem appellat *Petrum de Sancto Johanne* in Epistola singulari ad eum Scripta, col. 965. littera C. Hujus *Panegyricum in laudem Petri Mauritii Cluniacensis Abbatis*, refert eadem *Bibliotheca* col. 604. & sequentibus, Ejusdem Opuscula alia ad calcem Panegyrici citati, nempe colum. 615. *Carmen quando ad Ajam insulam penetravit*, colum. 616. *Epistola ad calumniatorem quendam*, colum. 617. 1140

Epitaphium Gelasii Papæ II. anno 1127. apud Cluniacum sepulti: quæ olim Opuscula junior conscripserat. Præter hæc quæ in Cluniacensi Bibliotheca extant, contexuit etiam *Summam Historiam Bibliæ*, ut quidem ipse appellavit, quod Opusculum Huldricus Zwinglius junior, Novi Testamenti in Schola Tigurina Professor, præmisit *Chronologiæ* suæ, quem à Julio Cæsare usque ad nostra tempora Basileæ in folio anno 1592. apud Leonardum Ostenium, libris quatuor edendam curavit. Inscribitur, *Incipit Summa Magistri Petri Pictaviensis*, extenditur tantum ad 13. paginas, pag. enim 13. habetur, *Explicit Summa Historica Bibliæ Magistri Petri Pictaviensis.* Paginâ 14. Laurentius Wammer de Vrach legitur Scriptor hujus Libri anno MCCCCLX. Denique pag. 18. Supplementum sive Continuatio hujus Chronologiæ usque ad nostra tempora ex variis Historiographis ab Huldrico Zwinglio juniore concinnata libris IV. cum Epitome de Francorum regno & Regibus usque ad Henricum IV. ab eodem Huldrico Zwinglio, à pag. 18. ad 263. in folio. De duobus aliis Petris Pictaviensibus huic Synchronis, at aliquanto junioribus, agemus postea ad annum 1170. verbo *Petrus Pictaviensis, Ebreduneñsis Archiepiscopus.* Scriptorem hunc Zwinglius ad annum 1140. ætate Magistri Sententiarum, licet dubitans assignare videtur. At cum errore enormi, allegat illum anno MCCC Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 62. pag. 501. editionis ultimæ.

1140 ODO SUESSIONENSIS, Ordinis Cisterciensis Monachus, anno 1147. florebat ob virtutem simul & doctrinam, unde factus postea Abbas Ursicampi ejusdem Ordinis in Episcopatu Noviomensi, tunique Episcopus Prænestinus, Eugenio III. Romano Pontifici carissimus. Hujus mentionem facit Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum, Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine MSS. Lectionum antiquarum, Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex MSS. potissimum Codicibus & antiquis editionibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectam, anno 1653. in 4. edendam curavit Parisiis apud Joannem Henault. Illic parte 2. pag. 25. hæc habet. „Quæstiones Magistri Odonis Suessio-„nensis, postea Abbatis Ursicampi, tandem Epi-„scopi Tusculanensis (die *Prænestini*,) qui tem-„pore Eugenii Papæ III. vixit. ex MS. Codice „Gabrielis Naudæi. Ejusdem *super Jeremiam* „*Commentarius* incipit super Jeremiam, *Quid-„quid mali super nos adducitur, nostra peccata me-„rentur.* Finit, *ad id alium, ad quod meipsum.* „Ejusdem meminit, nempe pag. 369. *Supplemen-„to X.* ad paginam Bibliothecæ 25. Ejusdem Scriptoris meminit Carolus du Fresne Dominus du Cange in *Syllabo* Scriptorum quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis columna CLV. his verbis, *Odo Abbas Ursicampi posteà Episcopus Prænestinus sub Eugenio III. Papa, cujus lau-dantur Quæstiones.* Alter ejusdem nominis extitit centum annis postea, cujus Opuscula recenset atque laudat Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Odo* Tusculanus his verbis. Odo Episcopus Tusculanus scripsit« *Homilias seu Sermones* duobus grandibus volu-« minibus per totum annum Extabant MSS. Ro-« mæ in Vaticana Bibliotheca, & apud Ascanium« Martinengum Canonicum Regularem Brixiæ.« Veruntamen quis quove tempore fuit hic« Odo, mihi incertum. Planiore stylo & ad pie-« tatem apto utitur, doctrinam ex theologicis« fontibus haustam ostendens.« Ætatem autem illius quam Possevinus nescivit, nobis detegit Carolus du Fresne Dominus du Cange, in *Syllabo Scriptorum* quem Glossario mediæ & infimæ Latinitatis præmisit, verbo *Odo Tusculanus Episcopus* columnâ CLV. his verbis, *Odo Episcopus Tusculanus anno 1249. Tomo VII. Spicilegii pag. 354.* quibus ætatis ipsius certam profert ex *Spicilegio* notam. Hæc de duobus istis Odonibus, non immerito simul junctis.

BERNARDUS MORLACENSIS, natione Anglus, si Pitseo credamus, in Opere *De Scriptoribus Angliæ* pag 205. Si alios audiamus, natione Gallus, Gente Arremoricus, ex urbe Morlaco oriundus, unde Morlanensis seu Morlacensis dictus, Monachus Cluniacensis ex Ordine divi Benedicti, Poëta sui Seculi XII. non ignobilis, circa annum 1140. sub Petro Mauricio Cluniacensi Abbate clarus, scripsit ad Petrum suum Abbatem Carmine Rithmico, *Libros tres de contemptu mundi*, quos primus ex membranis Gerardi Baumanni Embricensis Medici, dedic publicæ luci Nathan Chytræus Bremæ anno 1597. deinde Eilhardus Lubinus anno 1607. Impressi postea Rintelii ad Visurgim in Germania, anno 1626. in 8. demum Sternii anno 1640. in 12. à Typographis Luneburgensibus. Nullatenus autem conveniunt cum Opere *De contemptu mundi Metrico*, quod legitur inter Opera Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, ultimæ editionis Parisiensis anni 1675. apud Ludovicum Billaine. Licet opus quod apud Anselmum est, nonnulli *Anselmo Cantuariensi* attribuant, alii huic *Bernardo Cluniacensi*, quod forsitan neutrius est. Ita quidem censuit Gabriel Gerberon in editione sua Operum divi Anselmi, Censurâ præmissâ in Librum *De contemptu mundi*, quem vult correctum & integrum factum fuisse, ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Victoris. Sed si Victorinos omnes Codices & Catalogum accuratè volvisset, illic legitimum Opus *De Contemptu mundi* Bernardi Cluniacensis invenisset, in Alphabetico Catalogo designatum, verbo *Bernardus Cluniacensis* : & in altero secundum literas, notatum GGG. 14. folio 1. cujus hoc rubricatis litteris initium est. *Incipit Epistola Bernardi Monachi Cluniacensis in librum de contemptu mundi.* Prologus. Domino & Patri suo Petro, dignissimo Abbati Fratrum Cluniacensium,

ſium, Bernardus ejus filius, eorum Frater, *inaurem auream unam. Quod ad aures publicas, ſive ad multorum ora profertur, ſapientis eſt correctione curandum, abſolvendumque judicio &c.* Tum incipit Liber 1. De contemptu mundi. *Hora noviſſima, tempora peſſima ſunt, vigilemus. Ecce minacuer, imminet arbiter, ille ſupremus &c.* Liber 2. *Ab mea tempora, primaque robora, præterierunt &c.* Liber 3. *Perdita ſecula, moribus æmula, prævaluerunt &c.* At nullam habet iſtud Opus quod jam ſæpius ut ſupra diximus, in Germania impreſſum eſt, convenientiam cum Carmine *De contemptu mundi*, quod à Gabriele Gerberon Monacho Benedictino Erudito, editum eſt pag. 195. Operum divi Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, in ultima editione Pariſienſi anni 1675. Conveniunt *titulo* tantum, utrumque tamen eidem Scriptori non immeritò adſcribi videtur, nec ſcribendi hæc ratio, à ſeculo 12. abhorrere creditur, in quo Bernardus Cluniacenſis claruit. Extat denique in ultima editione Operum Divi Bernardi quam Joannes Mabillon Pariſiis eduxit anno 1690. 2. Voluminibus in fol. volumine 2. inter Opera Spuria tomo V. *Bernardi Monachi Cluniacenſis Sermo de villico iniquitatis* pag. 695. Ad hanc eandem ætatem pertinere videtur, licet alius homo mihi ſit, *Palpeniſta Bernardi Geiſtenſis, ſeu De vita privata & aulica libri duo verſibus Rithmicis ſcripti*, quos ex MS. Codice edendos curavit Chriſtianus Daumius Cygneæ anno 1660. in Octavo. Agunt de illo Antonius Poſſevinus Tomo I. *Apparatus ſacri* verbo *Bernardus Cluniacenſis*. Guillelmus Cavus *in Hiſtoria rei litteraria* ad annum 1140. pag. 666.

1140 GILBERTUS PORRETANUS, PICTAVIENSIS EPISCOPUS, ortu Pictavienſis, ſubtiliſſimus Philoſophus & in ſacris Litteris plurimum exercitatus, factus primum Eccleſiæ Carnotenſis Canonicus, tum Sancti Hilarii Majoris Pictavienſis, qui cum Pictavis anno 1141. Theologiam profiteretur, hujus urbis Epiſcopus electus eſt, ob famam doctrinæ ſingularis. Is autem cum ſublimia nimium ſcrutaretur, ad Concilium Remenſe ſub Eugenio III. Summo Pontifice habitum, anno 1148. vocatus eſt. Ad inſtantiam Divi Bernardi, hac tempeſtate ubique Europæ omnipotentis, quod obſcurius de Sanctiſſima Trinitate diſſeruiſſet, arguitur unde Scripta ſua benigne interpretari coactus fuit. Qua de re Otto Friſingenſis Lib. I. *De rebus geſtis Friderici Imperatoris* c. 46. & 47. qui tamen ibidem condemnatus non legitur, ut multi paſſim ſcribunt. Rem hanc omnem atque tragœdiam in Gilbertum motam, nullus melius ac ſincerius exponit, Ottone Friſingenſi Epiſcopo, quem hic verbotenus loquentem audire juvat. Quis autem fuerit Gilebertus, quo loco, quibusve parentibus ortus, enarrat Libro I. *De geſtis Frederici Imperatoris* cap. 46. his verbis. Fuit „illis in diebus in Aquitania Galliæ Civitate Pi„ctavis, Epiſcopus Gilibertus nomine. Hic ex eadem Civitate oriundus, ab adoleſcentia uſque ad ultimam ſenectutem in diverſis Galliæ locis Philoſophiæ ſtudium colens, re & nomine Magiſtri officium adminiſtrabat, noviterque ante hos dies ad culmen Pontificale in præfatâ Civitate ſublimatus fuerat. Conſuetus ex ingenii ſubtilis magnitudine, ac rationum acumine, multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice Conventum de ſuâ Diœceſi Clericorum magnum celebrans, ſermoni quem fortè gratiâ exhortandi habebat, quædam de fide Sanctæ Trinitatis interſereret: à duobus Archidiaconis ſuis Arnaldo & Calone, tanquam contra Catholicæ normam Eccleſiæ doctrinam inſtituens, ad Summi Pontificis Romanæque ſedis examen, interpoſitâ appellatione, vocatur. Sic utrique viam carpunt, Romanoque Pontificis Eugenio ab urbe in Gallias tendenti, Senis Civitate Tuſciæ occurrunt. Quibus Romanus Pontifex auditis, cauſſaque viæ cognitâ, breviter reſpondit, ſe Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter Litteratorum virorum copiam ibidem manentium, oportuniorem examinandi facultatem haberet, plenius velle cognoſcere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac conſulto BERNARDO ſupra memorato Abbate, eum in commodum cauſæ ſuæ adverſus Epiſcopum inclinant." Tum cauſſam & Acta Concilii, perſonam, mores & dogmata Gilberti Porretani deſcribens Otto Friſingenſis Lib. I. *De geſtis Friderici* cap. 50. & nonnullis ſequentibus, anno 1147. iſta refert quæ ſequuntur.

Igitur ut ad id à quo digreſſa fuit, redeat oratio: prætaxati Archidiaconi, adſcito ſibi tantæ authoritatis & æſtimationis viro Abbate Bernardo, Epiſcopum Gilibertum, eadem quâ prædictum Petrum Abaëlardum viâ, damnare attentabant. Sed nec eadem cauſſa, nec ſimilis erat materia. Iſte enim ab adoleſcentiâ magnorum virorum diſciplinæ ſe ſubjiciens, magiſque illorum ponderi, quàm ſuo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictavienſis, poſt Bernardus Carnotenſis, ad ultimum Anſelmus & Radulſus Laudunenſes, germani Fratres, non levem ab eis, ſed gravem doctrinam hauſerat. Manu non ſubitò ferulæ ſubductâ, à ſcientiâ haud cenſurâ morum vitæque gravitate diſcordante: non jocis vel ludicris, ſed ſeriis rebus mentem applicabat. Hinc erat ut ut tàm geſtu quàm voce pondus ſervans, ſicut in factis, ſic in dictis ſe oſtenderet difficilem: ut nunquam puerilibus, vix autem eruditis & exercitatis quæ ab eo dicebantur, paterent animis. Is itaque primò Antiſſiodorum, poſt Pariſius vocatus eſt. Erant inter cætera quæ illi objiciebantur *De divina Majeſtate*, quatuor Capitula."

Quòd videlicet aſſereret Divinam eſſentiam non eſſe Deum."

Quòd

„Quòd ptoprietates Perſonarum non eſſent ipſæ perſonæ.

„Quòd Theologicæ Perſonæ in nullâ prædicatentur propoſitione.

„Quòd Divina natura non eſſet incarnata.

„Præter hæc alia minora, id eſt, Quòd meritum humanum attenuando, nullum meteri dicetet præter Chriſtum: quòd Eccleſiæ ſacramenta evacuando, diceret nullum baptizari niſi ſalvandum, & cætera in hunc modum.

„Itaque præſidente cum Cardinalibus Epiſcopis, aliiſque viris venerabilibus & eruditis in jam dicta Civitate Pariſius Summo Pontifice Eugenio, prædictus Epiſcopus Gilibertus Conſiſtorio præſentatur de his Capitulis reſponſurus. Producuntur contra eum duo Magiſtri, Adam de Parvoponte vir ſubtilis, & Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus recenter factus: Hugo de Campoflorido, Cancellarius Regis: aſſerentibus eis, & quaſi ſub ſacramento pollicentibus, ſe aliqua ex his de proprio ejus ore audiſſe, non ſine multorum qui aderant admiratione, viros magnos & in ratione differendi exercitatns, pro argumento juramentum afferre. Ibidem dum hinc inde multa ſibi objicerentur, pluriumque impulſationibus ad reſponſionem de re tam ineffabili cogeretut, inter cætera dixiſſe traditur: *Audacter confiteor Patrem alio eſſe Patrem, alio Deum, nec tamen eſſe hoc & hoc.* Cujus dicti obſcuritatem tanquam verborum prophanam novitatem, tam impatienter Magiſter Joſſelinus Sueſſionenſium Epiſcopus excipit, ut juxta proverbium, medium vitando, incurreret ripam. Nondum enim authoritatem illam Auguſtini legerat, vel fortaſſis lectam non intellexerat, qua de eodem altiſſimo loqui geſtiens ſecreto, inter cætera dicit: *Sic aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere: ſicut aliud Deo eſſe, aliud patrem eſſe, vel Dominum eſſe. Quod enim eſt, ad ſe dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſervientem creaturam.* Ait ergo prædictus Epiſcopus, quid eſt quod dicis, *eſſe Deum nihil eſt?* Erat quippe quorumdam in Logica ſententia, cum quis diceret, Socratem eſſe, nihil dicere. Quos præfatus Epiſcopus ſectans, talem dicti uſum haud præmeditate ad Theologiam verterat. Quo verbo omnium penè auditorum ab illo in ſe retorſit ſpicula. Poſt hoc ſectato clamore, cum à circumſtantibus rogaretur Epiſcopus Gilibertus, ut quare in Theologia Perſonas in tantum diſtingueret, apetire vellet, breviter reſpondit: quia omnis perſona eſt pet ſe una. Et ita non ſine magno multorum qui aderant ſtupore, Conventus ea dicere ſolvitur.

„Alia rurſus die in cauſam ductus, pulſatusque de novitate dictionis, eo quod in proſa *De Sancta Trinitate*, tres Perſonas tria ſingularia vocaverit: Hugo Rotomagenſis Epiſcopus cauſam aggravavit dicens, Deum potius debere dici unum ſingulare, quàm tria ſingularia: non tamen ſine multorum ſcandalo, cum Hilarius in Libro *de Synodis* dicat: *Sicut duos Deos dicere prophanum eſt, ita ſingularem & ſolitarium dicere, ſacrilegium eſt.* Et idem in eodem: *Nihil Solitarium ex divinis Sacramentis ad ſuſpicionem audientium, & ad occaſionem blaſphemantium proferemus.* Epiſcopus verò Pictavienſis, in præfatis ſuis dictis ſe habuiſſe ſimplicem ſenſum teſtabatur, affirmans per ſingularia, non Theologicas Perſonas, ſed ipſarum excellentiam intellexiſſe, ſecundum quòd Autonomaſticè Paulum ſolemus vocare Apoſtolum, vel glorioſam Dei genitricem, Virginem ſingularem: eo quòd nec eſt, nec fuit, nec erit talis virgo, quæ videlicet ſimul ſit mater & virgo. Ea tationis proportione, trium Perſonarum excellentiam ſe conſideraſſe, cum tria Singularia diceret, aſſerebat: cum nec ſit, nec fuerit, nec futurus ſit talis Pater, qui ſcilicet ſit Pater & Deus: atque in eundem modum talis Filius, talis Spiritus Sanctus.“

Poſt hæc idem Otto Libro citato cap. 54. ſubjungit. Dum ita per aliquot dies, jam ſæpe dictus Epiſcopus coram Summo Pontifice, de fide ſua in Civitate Pariſiis diſcuteretur: ſentiens Papa, utpote vir cautus & religioſus, cauſſæ difficultatem, protelandam eam uſque ad univerſale Concilium adjudicavit. Erat enim in proxima medianæ Quadrageſimæ Dominica, apud illius Galliæ Metropolim Remis generale indictum Concilium.“

Cauſſa igitur Gilberti Porretani, remiſſa ac protelata ab Eugenio III. ad Concilium Remenſe anni 1148. ad mediam Quadrageſimam convocatum atque indictum. Quæ verò in hac cauſſa, poſthæc geſta in hoc Concilio fuerint, idem Otto Friſingenſis Epiſcopus, Libro citato cap. 56. & ſequente, his verbis deſcribit.

Itaque finita Synodo, ſalutiferisque ad innovationem & confirmationem antiquorum, ibidem promulgatis Decretorum Capitulis, prudentiores & viciniores ad cauſſam Epiſcopi Giliberti terminandam reſervantur. Decurſa medianæ Quadrageſimæ hebdomada, ſacroque Dominicæ Paſſionis tempore inchoante, Epiſcopus Pictavienſis, manente adhuc Summo Pontifice Remis, rurſus ad judicium trahitur. In cubiculo, ubi urbis Epiſcopus cum Senioribus ſedit, vocatur: & ab eo quid de fide Sanctæ Trinitatis ſentiat, ſubtiliter interrogatur. Ille Orthodoxorum Patrum, quas non in ſchedulis, ſed in corpore librorum integras attulerat, legi faciens authoritates, eandem ſe quàm illi fidem tenere aſſerebat. Cumque hujuſcemodi Sermone, ſeu legendi prolixitate dies detinetur, tanquam tædio affectus, Romanus inquit Antiſtes: Multa frater dicis, multa & ea fortaſſis quæ à nobis non intelliguntur, legi facis: ſed ſimpliciter à te cognoſcere velim, anne illam ſummam eſſentiam, qua tres Perſonas

pro

profiteris unum Deum, credas esse Deum. Qui diutina enllatione fatigatus, minus præmeditate respondit, Non. Quod dictum mox ab ejus ore raptum Notarius excepit, scribens in hunc modum, *Episcopus Pictaviensis scripsit & dixit, Quod Divina essentia non est Deus.* In Commentario cum super Boëtium *de Trinitate*, ubi author Theologica à naturalibus prædicamenta discernens inter cætera posuit, *Substantia qua Deus est:* ille apposuit, *Non qua Deus est:* id est, ut non ad subsistentem, sed ad subsistentiam referatur. Sicque in hæc verba, Conventus ea die dimittitur. Episcopus totum quod superfuit illius diei spatium, cum nocte sequente, unicus suos ex Cardinalibus, quos habuit non paucos, circuit.

In crastino ipso denuò coram Summo Pontifice in caussa posito, recitatur Scriptum: cujus ut ab eo reddatur ratio, exposcitur. Ipse se hoc non simpliciter concessisse affirmabat. Dicebat enim se hoc nomen *Deus*, quandoque in designatione naturæ, quandoque in designatione Personæ unius etiam poni. In designatione naturæ, ut cum dicitur, *Deus tuus unus est:* Personæ, ut cum dicitur, *Pater est Deus, Filius est Deus:* Personæ, & unius tantum de tribus, ut ibi, *Ascendit Deus in Jubilatione:* quod de Persona illa dictum esse nemo ambigit. Quare & ajebat se, *Divinitatem esse Deum* in illo tantum sensu concedere, quo Deus ponitur pro Natura. In eo verò absolutè concedere non audere, quo pro qualibet Personarum, hoc nomen *Deus* accommodatur: ne videlicet si indeterminate profiteretur Divinitatem esse Deum, id est quamlibet Personarum: cogeretur sine determinatione concedere quidquid de qualibet Personarum, & de Essentia: sicque in hanc incideret absurditatem, ut sicut personam Filii, ita Divinam essentiam indeterminate incarnatam passam confiteretur. Ex qua absurditate facile sensus hæreticus juxta Sabellium emergeret, ut eadem res diceretur & generans & genita, & eadem seipsam genuisse. Quod autem inter naturam & Personam, non Mathematica abstractione, sed Theologica consideratione, quoquo modo divideret ratio, & ratione & authoritate probare nitebatur. Ratione, ne videlicet, juxta Arium, sicut Personarum ita & pluralitatem admitteret essentiarum: vel secundum Sabellium, ad essentiæ singularitatem, Christianæ fidei religio pluralitatem restringeret Personarum. Hac Theodoreti contra Sabellium utens authoritate: Oportet ergo desiderantem Spirituales divitias, & volentem Christianorum dogmata vindicare, rerum non ignorare proprietatem: ne forte aliud pro aliis intelligens, circa dogmata peccet. Qui enim naturam & personam idem esse intelligit, aut in divisionem Arii incidit, aut in confusionem Sabellii. Et illa Hilarii: Discerne igitur o Hæretice Spiritum Christi, à Spiritu Dei: & excitati à mortuis Spiritum Christi, à Spiritu Dei Christum à mortuis excitantis. Et quæro nunc, in Spiritu Dei, utrum naturam aut rem naturæ significatam existimes? Non idem est enim natura, quod naturæ res est: Sicut non idem est homo, & quod hominis est: nec idem ignis, & quod ipsius ignis est: & secundum hæc non idem est Deus, & quod Dei est. Item, quod non natura, sed Filii persona carnem suscepisse credenda sit, hac authoritate Toletani Concilii ostendit: Solum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen accepit hominem in singularitate personæ, non unitate Divinæ naturæ: id est, id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati. Quam authoritatem cum determinare vellet Clara Vallensis Abbas, aliqua verba quæ Cardinalibus displicerent, protulit. Episcopo Pictavino dicente: & hoc scribatur. Ad quod ille respondit: Scribatur stylo ferreo, ungue adamantino. Moxque ad publicum progressus, omnes quos poterat convocavit.

Ibi cum Archiepiscopis, virisque religiosis & eruditis, contra quatuor prædicta, quæ Pictavino Episcopo, imponebantur Capitula, fidem suam in hunc modum, ipse cum aliis, & alii cum ipso exposuerunt.

Credimus simpliciter naturam Divinitatis esse Deum: nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas. Si verò dicitur, sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, Divinitate Deum esse, & alia hujusmodi: credamus nonnisi ea sapientia quæ est ipse Deus, sapientem esse: nonnisi ea magnitudine quæ est ipse Deus, magnum esse: nonnisi ea æternitate quæ est ipse Deus æternum esse: nonnisi ea unitate quæ ipse est, unum esse: nonnisi ea Divinitate quæ est ipse, Deum esse: id est, seipso sapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

Dum de tribus Personis, Patre & Filio & Spiritu Sancto loquimur, ipsas unum Deum, unam Divinam substantiam, fatemur esse: & è converso cum de uno Deo, una Divina substantia loquimur: ipsum unum Deum, unam Divinam substantiam esse tres Personas confitemur.

Credimus solum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, æternum esse: nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, & hujusmodi alia, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.

Credimus ipsam Divinitatem, sive substantiam Divinam, sive naturam Divinam dicas incarnatam, sed in Filio esse.

Quod Gallicanæ Ecclesiæ factum tam graviter facer Cardinalium Senatus accepit, ut cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tanquam unum corpus effecti, una omnes voce Pontifici suo dicerent: Scire debes, quod à nobis, per nos tanquam per cardines, universalis

„Ecclesiæ volvitur axis. Ad regimen totius „Ecclesiæ promotus, ex privato universalis pa„ter effectus, jam deinceps te non tuum, sed no„strum potius esse oportere: nec privatas & „modernas amicitias antiquis & communibus „præponere, sed omnium utilitati consulere, „Romanæque curiæ culmen ex officii tui ne„cessitudine curare & observare debere. Sed „quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ec„clesia? Qua fronte, quo ausu cervicem contra „Romanæ Sedis Primatum & apicem erexit? „Hæc est enim sola quæ claudit, & nemo aperit; „aperit, & nemo claudit. Ipsa sola de fide Ca„tholica discutere habens, à nullo etiam absens, „in hoc singulari honore præjudicium pati „potest. Sed ecce Galli isti, etiam faciem no„stram contemnentes, super Capitulis quæ his „diebus nobis assidentibus agitata sunt, tanquam „finitæ sententiæ ultimam manum apponen„do, nobis inconsultis fidem suam scribere præ„sumpserunt. Certè si in Oriente, utpote „Alexandriâ vel Antiochiâ, coram omnibus Pa„triarchis hujusmodi tractaretur negotium, „nihil firmâ stabilitate solidum sine nostrâ defi„niri valeret authoritate: quin imò juxta an„tiquorum Patrum instituta vel exempla, Ro„mano servaretur examini terminandum. „Quomodo ergo isti, in nostra præsentia usurpa„re audent, quod etiam remotioribus & majo„ribus nobis non licet? Volumus igitur huic „tam temerariæ novitati celeriter assurgas, ipso„rum contumaciam punire non differas. Quos „Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, „Abbate ad se vocato, de hoc facto, qualitate ve „facti, solerter inquirit. Cui ille humiliter & „cum reverentiâ respondit, se vel Dominos Epi„scopos nihil de præfatis Capitulis diffinivisse: „Sed quia ab Episcopo Pictavino audiverat, ut „fides sua scriberetur: idcirco, quia solus nollet, „illorum authoritate ac testimonio simpliciter „se, quod sentiret exposuisse. Hocque tam hu„mili quam modesto ipsius responso, prædicta „Cardinalium indignatio conquievit: ita ta„men, ut præfatum Scriptum, tanquam incon„sulta curia prolatum, velut authoritatis pon„dere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in „Conciliis contra hæreses congregatis fieri so„let, non haberetur. Benedictus per omnia „Deus, qui sic Ecclesiæ suæ, Sponsæ suæ providit, „ne vel summa membra à Capite suo diffide„rent: vel tantus religiosarum & discretarum „personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ, ali„quod judicii pondus à Sede Romanâ reportans, „schismatis non parvi occasio esset.

„Hæc pauca ex multis de illius Concilii agen„da dixisse sufficiat: hoc tamen apposito, quod „de tribus Capitulis propter præmissam tumul„tuationem, nihil definiri potuit. Nec mirum: „in *quarto* enim non multum ab aliis discordabat „Episcopus Gilibertus, cum illi profiterentur „Naturam incarnatam, sed in Filio: iste Perso„nam Filii incarnatam, non sine sua natura. *De prædicatione Personarum*, quid diffinirent?„ Cum ejus usum quidem, quid scilicet propriè„ prædicari diceret, ab aliis Magistris etiam in na„ turalibus alienum non haberent. *De proprie*„*tatibus*, an Personæ essent, tam ob prædictam„ causam, quam ab Theologicas rationes, quæ„ hinc inde habentur, suppressum est. De *primo*„ tantum Romanus Pontifex diffinivit, *ne aliqua*„ *ratio in Theologia inter Naturam & Personam divi*„*deret: neve Deus Divina essentia diceretur ex sensu*„ *Ablativi tantùm, sed etiam Nominativi.* Unde„ adhuc à probatioribus ejusdem Episcopi audito„ribus tenetur, ne ratio ibi discernat in intelli„gendo, sed in dicendo. Episcopus verò præ„missam Summi Pontificis sententiam reveren„ter excipiens, Archidiaconibus suis in gratiam„ receptis, cum ordinis dignitate & honoris„ plenitudine, ad propriam Diœcesim remea„vit.„

Idem Otto ibidem cap. 57. de eodem Conci„lio & Abbate Claræ Vallis. Verum autem„ prædictus Abbas Clara Vallensis in hoc nego„tio ex humanæ infirmitatis fragilitate, tan„quam homo deceptus fuerit; vel Episcopus„ tanquam vir litteratissimus, propositum astutè„ celando, Ecclesiæ judicium evaserit, discutere„ vel judicare nostrum non est. Quod enim„ sancti & sapientes viri corruptibili carne cir„cumdati frequenter in talibus fallantur, &„ novis & antiquis probatur testimoniis. Nam„ ut de illo taceam, quod beatus Gregorius San„cto David, in quem Spiritus Domini directus„ asseritur, ad patriam à qua à Filio propulsus fue„rat, revertenti, a Servo Miphiboseth cum Xeniis„ occurrenti surreptum inducit, exemplo: Chri„stianis temporibus beatus Epiphanius Salami„næ Cypri Episcopus, tam eximiæ ut mortuum„ suscitaret sanctitatis, adversus Joannem Chry„sostomum, cujus hodie in Ecclesia viget me„moria, tam acriter ab æmulis induci potuit: ut„ eum in propria Civitate declinans, communi„careque nolens, etiam populum sibi commis„sum, quantum in ipso fuit, contra illum conci„taret. Quod in priori nostra, ex Tripartita„ sumptum Historia, plenius dictum est.„ Hæc Otto, prædicto loco.

Unde patet nunquam ut hæreticum fuisse damnatum in Concilio Rhemensi, Gilbertum Porretanum, quemadmodum plurimi clamant. Complero enim ac dimisso Concilio, de rebus Gilberti Porretani actum est. Symbolum ab Episcopis Gallis & Abbate Claravallensi Bernardo compositum, ut authoritati Romanæ sedis adversum, & ipsa inconsulta adornatum, omnino proscriptum est: solumque & a solo Romano Pontifice definitum, *Ne aliqua ratio in Theologia inter Naturam & Personam divideret, neve Deus Divina essentia diceretur, ex sensu Ablativi tantum, sed etiam Nominativi:* nec nomine quidem Gilberti Porretani seu Pictavini expresso. Quod si scire cupias, quem finem habuerint tot itinera Arnaldi & Calonis Pictaviensium

Ar-

Archidiaconorum, tot plurimorum Monachorum sollicitationes, tot Episcoporum & Bernardi Abbatis clamitationes, tot disputationes, quasi de Summa totius fidei Christianæ hic ageretur? scilicet, *Ne Deus Divina essentia diceretur ex sensu Ablativi tantùm, sed etiam Nominativi.* Nimirum facillimo negotio tota controversia composita est. Etenim qui tanto æstu, tantisque armis in Theologicas ingressi fuerant palæstras, post multas utrinque Disputationes, sedatis animis, ad Grammaticam reversi, *mediantibus Ablativo ac Nominativo casibus*, inter se pacifici componuntur.

De ejusdem Giliberti causa fusè Baronius in *Annalibus* ad annum 1148. num. 13. ubi habet ista, neutiquam vera. „His absolutis, introdu„cta est in Conciliū Giliberti Episcopi Pictavien„sis caussa, in qua idem Gilibertus expertus est „Sanctum Bernardum vehementissimum con„tradictorem. Qui cum adeò perstringeret il„lum, ut omnino convinceret ipsum Hæreti„cum: Eugenius Papa consulens tanti Episco„pi famæ, id seorsum post dimissum Concilium „faciendum duxit. Testatur hæc Goffridus in „Vita ipsius Sancti Bernardi, cum ait.“ *Igitur in Concilio, quod in urbe Remorum Papa Venerabilis Eugenius celebravit, egit cominus adversus hunc Gilbertum, Ecclesia sancta suo tempore singularis athleta Bernardus. Primò quidem totum, quod ille verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens: deinde verò tam suis ratiocinis quam Sanctorum testimoniis, biduana disputatione redarguens. Confidemus sunt, nonnullos ex his qui præsidebant, jam quidem animadvertent blasphemiam in doctrina, adhuc tamen avertentes injuriam à persona: accensus est zelo, & domesticam sibi Ecclesiam seorsum convocat Gallicanam. Communi denique Concilio à Patribus decem Provinciarum, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis dictante viro Dei, novis dogmatibus opponitur Symbolum novum: cui etiam subscribuntur nomina singulorum, ut eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis fides, sic irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demùm Apostolico judicio & authoritate universalis Ecclesiæ, error ille damnatur. Episcopus Gilibertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur. Consentiens & publicè refutans, quæ priùs scripserat & affirmaverat, indulgentiam ipse consequitur: maximè quod ab initio cautus fuisset, ea lege eandem ingredi disputationem, ut promitteret sine ulla sese obstinatione, pro Ecclesia sancta arbitrio correcturum liberè suam opinionem.* Hactenus Gaufridus.

„Ex quibus planè illud inducitur, eundem Gi„libertum, licet hæretica senserit, hæreticum „non fuisse: cum pertinacia quæ secundum „Sanctum Augustinum *De Civitate Dei*, facit „quenquam hæreticum, omnino caruerit: & „hac de caussa non fuerit pœna mulctatus pri„vatione Episcopatus, quo privandus omoino „fuisset ex præscripto sacrarum legum, si convi„ctus fuisset hæreticus, imò & hæresiarcha. Tum „n. 14. At quod ad Symbolum novu, quod asserit tunc a Sancto Bernardo fuisse conscriptum, at-“ que ab Episcopis subscriptum: quænam con-“ troversia ejus caussa excitata fuerit, & tumul-“ tus obortus a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-“ dinalibus adversus Eugenium Papam: & Otto-“ ne Frisingensi rem ipsam locupletius prose-“ quente, supra dictum est.“ Hæc Baronius.

Ego autem longe credibiliora puto, eaque majorem fidem mereri, quæ ab Ottone Frisingensi Episcopo de Gilberto Porvetano dicta sunt, quam quæ a Gaufrido. Cum enim ipse esset sub Sancto Bernardo Monachus, ipsius Notarius, seu a Secretis, nulli dubium esse debet, quin omnia ad laudem Magistri atque Abbatis sui, cui conductitius quasi erat, conscripserit. Tot in paucis quæ de hoc Consilio scribit, falsitates interserit, ut nullam mereatur fidem. Ita meotitur, dum ait, *Apostolico judicio & authoritate universalis Ecclesiæ, Gilberti errorem damnatum.* Mentitur dum ait, *Gilbertum eidem sua damnationi consensisse.* Mentitur dum ait, *consensisse & publicè refutasse quæ priùs scripserat & affirmaverat*, unde *indulgentiam ipse consequitur.* Mentitur denique dum ait, quod *maximè ab initio cautus fuisset ea lege eandem ingredi disputationem, ut promitteret sine ulla sese obstinatione pro Ecclesia sancta arbitrio, correcturum liberè suam opinionem.* Hæc somnia Monachalia suot, omnem excedentia veri speciem. Hæc nos pluribus de Hæresi Gilberto Porretano imposita, & de Conciliis adversus eum convocatis. Volunt autem nonnulli Ottonem Frisingensem, plus æquo favisse Pictaviensi Episcopo Gilberto, ac Sancto Bernardo nonnihil derogasse, unde sententiam suam revocaverit, & censuræ Ecclesiasticæ moriturus subjecerit, teste Radevico Frisingensi Canonico Lib. 2. *De gestis Friderici* cap. 11. his verbis. *Hunc Codicem* Historiarum *manibus suis offerre præcepit, eumque litteratis & religiosis viris tradidit, ut si quid pro sententia Magistri Gilberti (ut patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad ipsorum arbitrium corrigeretur: seque Catholicæ fidei assertorem, juxta Sanctæ Romanæ, imò & universalis Ecclesiæ regulam, professus est.* At verba ista conditionata cum solummodò sint, nihil contra Gilbertum faciunt: neque confessione ista Otto Frisingensis quidquam a se falsum esse dictum vel scriptum, profitetur. Vnde longè probabilius est, Gilbertum nunquam fuisse in Concilio Remensi anno 1148 damnatum, ut Otto scribit: quam quæ garrit conductitius D. Bernardi Notarius, & successor in Abbatia Claræ Vallis, Gaufridus. Porrò Gilbertus vivere desiit anno 1154. pridie nonas Septembris, ut habetur ad hunc annum in Appendice Roberti de Monte ad Sigeberti Chronicon, ubi sic: *Moritur Gillibertus Episcopus Pictaviensis, vir religiosus ac multiplicis doctrinæ, qui Psalmos & Epistolas S. Pauli luculenter exposuit.* Jam ad Scripta veniamus.

Scripsit itaque *Commentarium in Psalmos* pro-

 Mmm m 2 li-

lixum, incipientem ab his verbis: *Christus integer, caput cum membris, est materia hujus libri &c.* quem vidi MS. duobus voluminibus in folio, in Bibliotheca Selincurtensi Ord. Præmonstratensis in Tractu Ambianensi. In biliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera D 3. In Bibliotheca Sancti Theodorici prope Remos, Cod. 94. Estque etiam MS. Oxonii in Anglia, in Bibliotheca Balliolensi, Cod. 35. Idem scripsit & *Commentarium breviorem in Epistolas divi Pauli Apostoli*, MS. bis in Bibliotheca Vallis Claræ, Ordinis Cisterciensis, in Episcopatu Laudunensi. In Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. MS. Latino 4156. fol. 70. Incipit, *Sicut Legis ita & Evangelii &c.* Et in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis semel atque iterum, Littera F. 8 & F. 12. Item Oxonii in Collegio Sanctæ Mariæ Magdalenæ Codice 118. Idemque scripsit Opus *De Trinitate*, de quo loquitur Bernardus Gilberti æmulus, Sermone 80. *in Cantica*, MS. in folio apud Carmelitas Discalceatos Parisienses, quorum Manuscriptos Codices transiisse ad Bibliothecam Regiam, falsò audieram. Notandum porrò est Carolum de Visch Priorem Beatæ Mariæ de Dunis, in *Bibliotheca* sua *Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 127. designasse quemdam *Gilbertum cognomento Magnum* Abbatem Vrsicampi Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Noviomensi, quem ad annum 1160. floruisse vult, atque anno 1163. ex Abbate Vrsicampi Abbatem Cisterciensem factum: quamvis Pitseus in libro suo *De Scriptoribus Angliæ*, illum referat tantum ad annum 1280. ætate XIII. Hinc porrò *Gilberto Magno* successivè Vrsicampi & Cistercii Abbati piurima Vischius attribuit, nempe *Commentarium in Psalterium*, cujus initium, Christus integer, caput cum membris est materia hujus libri &c. *Libros tredecim in Epistolas divi Pauli, & in Boetium De Trinitate Librum unum*, qui sic incipit, *Libros quæstionum &c.* At certum est omnia ista Opera spectare ad *Gilbertum nostrum Porretanum*, nullatenus ad *Vrsicampensem vel Cisterciensem Abbatem*, ut perperam asserit Vischius citatus. Nec mireris, cum ut Ordini suo faveat, in multis aliis fallatur. Videant autem quomodo conveniant, quoad *Gilbertum Vrsicampi Abbatem* Vischius & Pitseus, quorum primus anno 1163. vel 1166. floruisse vult, alter anno 1280. Mirum autem nihil, quod cui Bernardus orthodoxiam authoritate sua grandi vultus abstulit, vel auferre omni nisu voluit, ab illo etiam omnia ferme Scripta Bernarditæ auferre voluerint, suis ut adscriberent Abbatibus & sodalibus. Extat *Epistola ipsius ad Matthæum Abbatem S. Florentii*, apud Dacherium in Appendice ad Opera Guiberti Abbatis Novigentini, pag. 564. Hic porrò *Commentarius* Gilberti Porretani Episcopi *in quatuor libros De Trinitate, Severini Anicii Boetii*, olim impressus est cum Operibus ejusdem Boetii, in editione Basileensi anno 1570. apud Henricum Petri, ut constat. Idem autem Opus habetur Manuscriptum in insigni Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, Littera M. 12. fol. 209. sub hoc titulo: *Commentum Gilberti Porretani super libros Boëtii de Trinitate.* Prologus incipit, *Libros quæstionum Anicii &c. quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos.* Incipit Commentum sive Explanatio, *Omnium quæ rebus percipiendis suppeditant rationes, alia communes sunt multorum generum, alia propria aliquorum &c* Ejusdem *Commentarius in librum Boëtii de Hebdomadibus*, pag. 223. Prologus. *Quod Græce Philosophia, Latinè amor sapientiæ dicitur &c.* Liber *Postulas &c.* *Quid Joannes Diaconus petat, & quid se facturum super hoc Boëtius respondeat, tanquam brevi prologo &c.* Item *Commentarius Gilberti ejusdem in librum Boëtii, De duabus Naturis & una Persona Christi*, ibidem pag. 228. Prologus. *Non sum nescius Oratores ingenio acutos, arte peritos, & inter Sophistas diu multumque exercitatos &c.* Liber. *Anxiè te quidem &c.* Commentum. *Præmittit prologum, in quo scribendi causam modumq; declarat &c.* Scripsit etiam *Librum De Sex Principiis* qui incipit, *Forma est compositioni &c.* impressum Græcè & Latinè inter Opera Aristotelis, Manuscriptum autem in Bibliotheca Galliarum Regia, Codd. 4960. fol. 34. & 4961. fol. 14. Tanti autem opus istud *De Sex Principiis* visum æstimatumque ab *Alberto Magno Doctore eximio & Ratisponensi Episcopo*, ut illud Commentariis explanaverit propriis, quos habes octo Tractatibus tomo I. Operum ipsius pag. 198. & sequentibus, ex editione Lugdunensi anni 1651. apud Societatem Bibliopolarum. Quibus ex operibus bene multis, constat sanè, quam profundam & uberem doctrinam, quam non otiosam duxerit vitam Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus, quem eruditi plurimum semper duxerunt, & quem fuisse hæreticum vix mihi unquam persuadere potui, adversus neotericos totis faucibus contra ipsum ejusque novitatem clamantes. Is est procul dubio *Gilbertus* quem Joannes Sarisberiensis ait se Parisiis audivisse in Logicis & Divinis: quemque nimis citò sublatum queritur: dum nempe Canonicus & Cancellarius Carnotensis factus est, & anno 1141. ex Cancellario Episcopus Pictaviensis. Vnde cum Joannes Sarisberiensis anno 1136. Lutetiam Parisiorum advenerit, circa hæc tempora cum Parisiis docentem repererit, necesse est. Ei autem in docendi officio Robertus Pullus successit, quem & idem Sarisberiensis audisse testatur. Henricus Gandavensis de Gilberto sic scribit in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 17. *Gilbertus cognomento Porreta, ex Magistro Theologicæ Scholæ Parisius, Pictaviensis Episcopus, scripsit in Apostolum & in Psalmos. Commentatus etiam in Boëtium de Trinitate, sed à Bernardo Hæreseos notatus, in Concilio Remensi coram Eugenio conversus est.* Albericus verò Monachus Abbatiæ Trium fontium in Chronico ait, *Gilbertum Romæ laudatum fuisse, quod correctus fecisset minorem Glossaturam continuam in Psalterium & in Epi-*

Epistolas Pauli, insequendo dicta Beati Augustini, & alia qua recipiuntur. Eum quoque inter quatuor primos Theologiæ Scholastices patronos & antistites, commemorat Gualterus de Sancto Victore, de quo posteà oos quoque in *Gualtero Sancto Victore* dicemus. De ejusdem obitu Laurentius tunc Decanus Pictaviensis, totius Capituli nomioe, planctum seu elogium funebre scripsit, ut habetur io quibusdam MSS. Schedulis, cujus in fine hæc verba leguntur. *Dormivit in senectute bona senex & plenus dierum, anno ab Incarnatione Domini 1154. Episcopatus sui 13 Anastasio Romano Pontifice, Ludovico Francorum Rege, Henrico Aquitanorum Duce, mense Septembri pridie Nonas. Sepultus est à Burdegalensi Goffrido, & Episcopis aliis, Bernardo Santonensi, Hugone Engolismensi, Helia Petragoricensi, in Ecclesia beati Hilarii, Patris & Patroni sui. Dignum quippe maximè visum, ut cujus fuerat doctrinam secutus, cujusque tenuerat vicem, sortiretur hæreditatem. Anima requiescat in pace. Amen.* Referunt etiam Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 3. in Episcopis Pictaviensibus, ejusdem Epitaphium Codici MS. Bibliothecæ Carmelitarum Discalceatorum Parisiensium insertum, ejusdemque Commentario *in Boëtium de Trinitate*, subjectum.

Temporibus nostris celeberrimus ille Magister,
Hocopus excepit, strenuus sapiensque minister
Floruit, & cunctis præcelluit ille magistris.
Logicus, Ethicus hic, Theologicus atque Sophista,
Solaque de septem, cui defuit Astronomia
Artibus, ac divâ præcelsus Philosophiâ.
Qui quam facundus verbis fuit, atque profundus
Sensu, testantur bene qui legisse probantur
Illius in libris, magni Commenta Boëti.
Hic alter rectè, dictusque Boëtius ipse,
Cum Gislebertus proprio sit nomine dictus.
Pictavis hunc genuit, quem Pontificem sibi legit,
Nobilior tanto verè ditata Patrono.
Hic requie æternâ patiatur pace supernâ.

Hæc nos habuimus ex Seculo IV. Historiæ Vniversitatis Parisiensis, in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 736. sed omissis amplioribus quæ habet Historia ad annum 1141. 1146. 1148. pagg. 223. 233. 236. ad 240. & ultrà. Ex Sammarthanis Fratribus tomo 3. *Galliâ Christiana* pag. 886. ubi de Episcopis Pictaviensibus.

1140 JARLANDVS CANONICVS ET RECTOR SCHOLARVM SANCTI PAVLI VESVNSIONENSIS, florebat post annum 1149. vivens secundum Regulam Divi Augustini. Scripsit grande Opus nunc *Candelam*, nunc *Candelabrum* in MSS. Codicibus appellatum, distinctumque in XXVI. Libros varia eruditione conspicuos. Hujus *Jarlandi Candelabrum* extat MS. in insigni Bibliotheca Archicœnobii Claræ Vallis, Ordinis Cisterciensis. Itemque idem Opus sub nomine *Candela* extat MS. in celebri Bibliotheca Vallis Lucensis ejusdem Ordinis, pulpito 13. Littera H. Viderat hanc Operam in Bibliothecis Burgundicis Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis Jesu Theologus & antiquarius, qui in editione Operum Ferrandi Diaconi facta in 4. Divione anno 1649. apud Petrum Paillot, in Notis ad Responsionem Fulgentii ad duas Ferrandi quæstiones pag 323. sic loquitur. *Addo a Jarlando, qui ante annos quingentos vixit, Chrysopolitano Sancti Pauli scholarum Præceptore & Canonico, Bedam in Epistolas Pauli ex Augustino passim laudari in* Candela, *quod Opus de omni pene Canonica & Theologica doctrina ex antiquis collectum, in sex & viginti libros digessit.* Hic solus quem novi, hujus Burgundici Scriptoris meminit, cujus tibi duos manuscriptos Codices designavimus, in Cisterciensium Bibliothecis.

ARNALDVS SEV ERNALDVS BONÆ- 1140
VALLIS IN VALLE CARNOTENSI ABBAS, vir quamvis obscuræ originis, non obscuræ tamen famæ fuit, Sancto Bernardo ClaræVallis Abbati æqualis, atque ipsi maxime intimus & familiaris, uti & Petrus Cellensis. Institutum divi Benedicti Professus apud Bonam Vallem Carnotensis Diœcesis, ut verisimile est, ubi totum se illis addixit studiis, quibus Christiana & religiosa pietas pasci ac foveri solet. Divinis ita humanisque literis instructus, Cœnobio huic Abbas successu temporum & observantiæ merito præfectus est, maximo hujus Monasterii honore & commodo, quod in agro Carnotensi, vix sexto ab ipsa urbe milliari conditum est. In qua etiam urbe Petrus Cellensis paullo post obitum Arnaldi, munus Episcopale gessit. Hic Arnaldus est, quem S. Bernardus Claravallensis Abbas plurimum adamavit, ut Epistola ipsius 310. ad eum manu propria in extremis a Bernardo scripta, fidem facit. Hic Arnaldus est, ab Arnulpho quoque Lexoviensi Episcopo laudatus, cui in hæc verba ægrotanti Arnulphus scripsit. *Cœperunt occurrere mihi quæ de vestra dilectione jocunda provenerant. Occurrebat mihi siquidem sanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes verum erudire sollertia, & aures jocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeam admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi invicem paritate respondent, ut neque rerum majestas, verborum videatur coarctari angustiæ e* nec

nec sermonis dignitas, aliqua sententiarum excellentia prægravari. Extant & aliæ ejusdem ad eundem Epistolæ in quibus sicut etiam ab Henrico Gandavensi, *Ernaldus* semper appellatur.

Tanta cum fuerit Arnaldi nostri doctrina & pietas, Lucubrationes tamen ejus aliæ quidem hactenus latuerunt, aliæ aliis authoribus adscriptæ sunt, exciderunt ve, paucis authori germano reservatis. *Ernaldus*, inquit Homicus Gandavensis, *Abbas BonaVallis Vitam Sancti Bernardi in quatuor libris, præter illum, quem Abbas S. Theodici Guillelmus scripserat, explicavit: multa hinc inde tangens, quæ ipsi pertinere videbantur, ad materiam quam scribebat. Commentatus est etiam super quinque vel sex ultimis verbis Domini in cruce, multipliciter ac subtiliter inde disputans.* Verum in hoc lapsus est Henricus, quod *quatuor libros de Vita Sancti Bernardi* Ernaldo tribuerit, cui rectius Trithemius unicum adsignat & quasdam Epistolas. Ex libris enim quinque *de Vita Bernardi* passim obviis, *primus* est Ernaldi fœtus, *alter* Guillelmi Abbatis Sancti Theodorici, ac postea in Signiaco Monachi Ordinis Cisterciensis. *Tres reliqui* spectant ad Gaufridum olim Bernardi Notarium seu amanuensem, ac postea IV. ClaræVallis Abbatem. Insuper in eo hallucinatur Henricus, quod in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Arnaldum Ordinis Cisterciensis fuisse dicit, quem instituti Benedictinorum fuisse certum est. Præter hæc, alia etiam Opuscula Arnaldum authorem præferunt in diversis Bibliothecis, alia hactenus latuerunt, aut penitus interciderunt. Ex his omnibus Arnaldi Operibus, in ultima editione Operum divi Cypriani, Oxonii in Anglia anno 1682. e theatro Seldoniano procurata, atque ex anterioribus multis editionibus correcta, prodierunt *De septem verbis Domini in cruce. De operibus Christi cardinalibus*, Opusculum hucusque perperam D. Cypriano Carthaginensi Episcopo attributum. *De operibus sex dierum. De laudibus beatæ Mariæ Virginis. Meditationes variæ.* Itemque inter Opera divi Bernardi sæpius, *Liber primus de Vita S. Bernardi*, Bernardo alteri BonæVallensi apud Viennenses (ut ajunt) Abbati, suppositus a plerisque: de quibus singulis paulo amplius agendi, occasionem hic aucupari, haud incongruum lectori erudiendo fuerit.

Opusculum *De septem verbis Domini in cruce*, a nullo Arnaldo BonæVallis Abbati non adscribitur: quanquam nonnulli in eo fallunt, falluntur que, quod BonæVallis apud Vesuntiones Abbatem interpretentur. Verum quæstionem omnino dirimit, inscriptio apographo Cisterciensi subjecta, *Arnaudus Abbas de Bona-Valle in Francia, de verbis Domini:* Franciæ enim nomine BonamVallem agri Carnutensis ab aliis ejusdem nominis Monasteriis satis distingui, quæ sive in Diœcesi Viennensi, sive Pictaviensi, sive in Ruthenensi constituunt, omnes qui res Gallicanas intelligunt, facile norunt. Istud Opusculum a Joanne Gagneio viro erudito primum, Francisco primo Galliarum Regi a Consiliis & Eleemosynis, cum hoc titulo, *Arnaldus Abbas BonaVallis in Diœcesi Carnotensi de verbis Domini in cruce*, typis excusum est.

Liber *De cardinalibus Christi operibus* inter Sancti Cypriani Opera hactenus vulgatus, Arnaldo etiam nostro, tum in Cisterciano & ClaraVallensi, tum in Oxoniensi, apographo Collegii omnium animarum inscribitur: tametsi in ultimo isto mendose *BonaVillanensis* pro *BonaVallensis Abbatis* nomen legatur. Ita enim inscriptio se habet in exemplari ClaræVallensi; *Domini Ernaldi Bonavallensis Abbatis liber de cardinalibus Christi operibus:* atque in alio additur, *quem scripsit ad Adrianum Papam* scilicet IV. qui anno 1154. ad Romanam sedem promotus est. Hunc librum Arnaldo illi jam bene multi adjudicaverant, nempe Robertus locus in *Censura* sua, Philippus Labbeus in Dissertatione ad Librum Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, tomo I. verbo *Cyprianus*. Franciscus Combefisius in *Apparatu* ad Bibliothecam Concionatoriam, verbo *Arnaldus*, & Joannes Mabillon in Notis ad Epistolam 210. S. Bernardi Abbatis, editionis Parisiensis anni 1667. Quod tamdiu nomen genuini authoris ignotum fuerit, id ex scriptoris modestia factum, qui sub prologi finem, nomen suum premi, his verbis postulat: *Libellus igitur quem de cardinalibus Christi Domini nostri operibus scripsi, Paternitati vestræ suppresso nomine misi.* En Arnaldi modestiam, pruriginis scribendi inimicam.

Mirum est Opusculum hoc S. Cypriano suppositum fuisse, cum solo ejus lectio contrarium persuadeat. Illud unum afferre sufficiat, quod scriptor de Baptismo Christi agens, ait, *Baptismum per quemcumque fiat, eundem esse: nec hoc meritu esse datum, sed gratia, & proprie sibi omnipotentiam Dei retinere hujus effectum.* Quod non facile dixisset S. Cyprianus, quippe qui omnem Baptismum ab hæreticis collatum respueret. 2. Quid quod scripturæ citationes vulgatæ versioni respondent, quæ a Cypriani temporibus immensum abest. 3. Author de unctione Christmatis agens, hæc scribit, *Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur, severitate deposita hodie judices mansuescunt:* quod de Regibus & Judicibus Christianis intelligendum venit: & hoc quam alienum sit a Cypriani tempore, quo Judices fere omnes gentiles erant, nemo non videt. 4. Denique adhuc in eodem sermone affirmat, *Non solum in Regibus & Sacerdotibus unctionis honorem permansisse, sed & in omnem populum Catholicum, effusam esse hujus gratiæ plenitudinem:* cum longe post Cypriani tempora, unctio & Regibus & Sacerdotibus adhibita fuerit. Verum etsi varios Codices Membraneos, qui istud Opus Ernaldo vindicant, seponeremus: id etiam ex styli similitudine, tum ex mutua ejus comparatione cum aliis ipsius Operibus, pateret. Exemplo sit, quod author in Libro

Libro *de cardinalibus Christi operibus* ubi de Nativitate, hæc verba profert: *Genitrix est obstetrix, & dilectam devotio soboli exhibet clientelam.* Item eodem loco, *Nec præcedens delectatio aliquam expetat pœnarum usuram.* Qui uterque locus in Arnaldi libello *de laudibus beatæ Mariæ Virginis* In hunc modum legitur: *Vbi virgo & obstetrix & genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clientelam.* Et infra, *Nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultro repetebat.*

Illud luculentum quoque hujuscerei argumentum est, quod author libri istius Cypriano adscripti, ubi de Passione agit, eandem sententiam habet, de Mariæ commendarione Joanni a Christo facta, atque Arnaldus in sermone 3. *de verbis Domini in cruce.* Illic enim ita Arnaldus loquitur: *Ecce Joannes pia hæreditatis suscipis testamentum, eligeris & in hoc proponeris omnibus. Joseph qui eatenus ministraverat, te subrogato cedit, nec maritalia jura opponit: ut obstruatur os loquentium iniqua impostorum, quia matrimonium illud dispensationi divinæ, non copula carnali serviebat. Ideoque nec Joseph, cum Johannes eam suscepit in parentem, queritur de disjuncto connubio, quod dispensatorium fecerat, sine ullo carnalis copulæ commercio.* Illic vero author iste in hunc modum. *Jam exigebat ratio, ut conjugis removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris & conjugis tenuerat. Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum* &c. Vtrubique author & Joseph in passione superstitem fuisse existimat, & Mariæ commendationem Johanni, prætermisso sponso, factam dicit, *ut carnalis copula removeretur opinio.* His si addamus MSS. Codicum testimonia, qui librum illum Ernaldo nostro tribuunt, extra omnem quæstionem erit, Opus istud Ernaldi nostri genuinum esse fœtum. Illud vero maxime authorem commendat, quod ista ejus elucubratio digna visa sit, quæ facundissimo Latinorum fere omnium Patrum, Cypriano tribueretur.

Tractatus *De operibus sex dierum*, qui etiam in MSS. Codicibus Bibliothecæ olim Fulcardi montis, nunc Colbertinæ Parisiensis *De paradiso* inscribitur, opera Dionysii Peronetti Ecclesiæ urbis Autissiodorensis, sub nomine Arnaldi seu Arnoldi primum editus. Authorem ipsum præfert in multis MSS. Codicibus, ex quibus illum exscripsit olim & ad Dominum Lucam Dacherium transmisit Dominus Bertradus Tissier, Prior Bonifontis in Thieracia, Cisterciensis Ordinis, in Archiepiscopatu Rhemensi. Atque etiam sub ejusdem nomine, in Bibliotheca veterum Patrum sæpius impressus est: idemque de Libello inscripto *de laudibus beatæ Mariæ Virginis* dicendum est. Liber autem *Meditationum*, anno tantum 1682. ad calcem Operum Sancti Cypriani, ab Episcopo Exoniensi editus est.

Quod attinet ad Librum secundum *de vita S. Bernardi Abbatis*, mirum est quonam æstu, quantoque ardore simul & errore, hunc Arnaldum Abbatem Bonæ Vallis Carnotensis Benedictinum, accensuerit Cisterciensibus suis in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 25. Carolus de Visch Prior beatæ Mariæ de Dunis in Flandria. Allegat ad assertionem suam illam stabiliendam, magnam Scriptorum cohortem idem affirmantium, quos authores appellat gravissimos. Sixtum Senensem in *Bibliotheca Sancta.* Joannem Trithemium & Bellarminum in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Possevinum in *Apparatu sacro*, Guillelmum Eisengrenium in *Scriptoribus Orthodoxis*, Contadum Gesnerum in *Bibliotheca Vniversali*, Philippum Seguinum in *Bibliotheca Cisterciensi* MS. Item Henricum Gandavensem *de viris illustribus* cap. XI. Aubertum Miræum in Scholiis ad Henricum Gandavensem supra. Hippolytum Mataccium in *Bibliotheca Mariana* pag. 144. & 145. Jongelinum denique tam in *Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis*, quam in *Originibus & progressibus ejusdem Ordinis.* Sed hoc numero authorum ita affirmantium non obstante, hunc *Arnaldum* authorem secundi libri Vitæ Sancti Bernardi, non fuisse Abbatem, Bonæ Vallis Viennensis Cisterciensem, sed singularem Abbatem Bonæ Vallis Carnotensis, Ordinis divi Benedicti: demonstrat eruditissimus Joannes Mabillon in ultima sua editione Operum divi Bernardi, procurata 2. voluminibus in folio Parisiis anno 1667. apud Fredericum Leonard, via Jacobæa sub scuto Veneto. Ita ergo ille ad calcem primi voluminis operum divi Bernardi in Notis ad Epistolam 310. pag. 39. Scriptores recentiores, « nimirum Horstius, Carolus de Visch atque « author Vitæ Gallicæ Sancti Bernardi, contra « Trithemii, Bellarmini, aliorumque sententi- « am, Arnaldum hunc distinctum volunt ab au- « thore libri secundi. Vitæ Sancti Bernardi, « quem authorem Bernardum vocant, eumque « Abbatem Bonæ Vallis, non Pictaviensis aut « Ruthinensis, sed Viennensis Ordinis Cisterci- « ensis. Alterum vero *Arnoldum* appellant, Bo- « næ Vallis Carnotensis Abbatem, quæ est Mo- « nachorum Benedictinorum, ad quem hæc E- « pistola scripta fuerit. Sed tantorum virorum « pace, dixerim unum & eundem esse. Nam « quod pertinet ad nominis diversitatem, au- « thor libri secundi Vitæ Sancti Bernardi in per- « vetusto Codice MS. Corbeiensi scribitur *Ernal-* « *dus*: quo nomine noster Arnoldus Abbas Car- « notensis ab Arnulfo Episcopo Lexoviensi, in « iis quas ad eum scripsit, Epistolis indigitatur. « Sed missa nominis controversia, certum est Li- « brum 2. Vitæ Sancti Bernardi, scriptum esse « *Godefrido adhuc Lingonensi Episcopo*, ita enim « legitur cap. 5. num. 29. *Godefridus Prior ejus-* « *dem loci, propinquus ejus in carne & Spiritu, qui* « *postea in Ecclesia Lingonensi factus Episcopus, usque* « *hodie ingrediens & egrediens laudabiliter perseve-* « *rat.* Scriptus est igitur ante annum 1161. «

quo

„quo Godefridus dimisso Episcopatu *Claram-„Vallem reversus est ad amplexum sua Rachelis*, ut „scribit Claravallensis Sironicon, ubi anno 1164. „sexto Idus Novembris mortuus legitur. At-„qui a fundatione BonæVallis Viennensis, Or-„dinis Cisterciensis anno 1117. usque ad an-„num 1180. nullus Abbas in ea *Arnoldi* vel *Ber-„nardi* nomen sortitus est. Primus enim præ-„fuit Sanctus Joannes ab anno 1118 ad an-„num 1138. quo in Episcopum Valentinum „assumptus, Gozevino secundo Abbati locum „cessit, qui Raynaldo Cysterciì Abbati suffectus „est anno 1151. Tertius Petrus in Bona Valle „successit, qui anno 1171. Sanctum Hugonem „antea Liuncelli Abbatem successorem habuit, „qui BonæValli Viennensi præfuit ad annum „1180. quo decessisse traditur in menologio „Cisterciensi. Vbi ergo *Arnoldus* vel *Bernardus* „BonæVallis Viennensis Abbas, qui ante an-„num 1164 quo denatus est Godefridus Lin-„gonensis, Librum secundum Vitæ Sancti Ber-„nardi scripserit? Hæc autem omnia ex Annali-„bus Manriquez, indictione constant. Vnus „igitur atque idem est author præfati libri, & „Sancti Bernardi amicus ille, ad quem morti „proximus hanc Epistolam scripsit, nimirum „noster Arnoldus sive Ernardus BonæVallis „Carnotensis Abbas, de quo hæc monuit vir „doctissimus R. P. Bertraudus Tissier, qui ea „qua pollet sinceritate & judicio, cum nostri Ar-„noldi Opera penes se haberet, sciretque non „posse ea Bibliothecæ Patrum Cisterciensium „accenseri, ad nostrum Dacherium transmisit „quam humanissime, aliquando Deo dante ex-„cudenda. Hæc inquam, de nostro Arnoldo „monuit. Hinc patet ex his Mabillonii verbis, perperam ab Joanne Merlone Horstio, hunc *secundum librum Vitæ Sancti Bernardi*, quem posuit in suis ad Opera Bernardi Prolegomenis, esse inscriptum, tanquam a *Bernardo Abbate* compositum: certoque spectare ad Arnaldum Abbatem BonæVallis Carnotensis Benedictinum, divique Bernardi dum viveret singularem amicum, qui manes amici sui scriptione propria honorare voluerit.

Commentarius in Psalmum 132. Ecce quam bonum & quam jocundum &c. habetur sub Arnaldi nomine cum aliis ejusdem Operibus indubiis, in MS. Codice optimæ notæ & Scriptori synchrono, in Bibliotheca Longipontis Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Suessionensis. Hunc anno 1676. cum varias Gallicani orbis Bibliothecas veteres excuterem, detexi: quem postea mihi ab ejusdem loci Monacho transcribendum curavi, qui & aliam hujus Operis copiam eodem anno ad Joannem Mabillonium Monachum Benedictinum misit, tunc temporis de omnibus Arnaldi operibus in unum colligendis atque edendis, meditantem. Editus autem est in 8. Lugduni Batavorum anno 1692. apud Petrum Vander Meerche, cum aliis aliorum Opusculis. Habet ingenium Arnaldi, nec imparem dictionis suavitatem, quam ubique spirat: ut nullus opinor futurus sit, qui lecto illo, in eandem nobiscum sententiam non veniat. Quamvis in Homilia IV. & V. derelicto textu, hic author argumentum aliud a proposito, aggressus videatur. Ernaldi autem pietatem, ubi etiam a textu & operis argumento aberrat, plurimam refert.

Opusculum de septem donis Spiritus Sancti, sub ejusdem Arnaldi nomine, in Bibliotheca Cisterciì Archimonasterii MS. extat, quod anno 1655. ad Lucam Dacherium a se accurate transcriptum, misit Jacobus de Launoy, hujus Cœnobii Monachus, homo juvandis litteratis natus. Codex optimæ notæ est, istudque Opusculum ob eam doctrinam quam complectitur, Arnaldo Abbate cujus & nomen præfert & pietatem redolet, dignissimum est. Negare tamen non possumus, ad eam elegantiam atque ornatum, quem in aliis suis Tractatibus Arnaldus præ se fert, dictionem istius haud semper accedere. Addo citationes Scripturarum in illo quoque frequentiores esse, quam in aliis Arnaldinis Opusculis: quamvis opus suo in genere magnæ industriæ sit, nec a soliditate Abbatis nostri abhorreat. Doctrina quam habet singularem cap. 8 *De lotione pedum*, doctrinæ Ernaldi, *De Operibus Christi cardinalibus* omnino conformis est, ut utrumque conferenti opusculum, patebit. Non eodem semper ornatu in Opusculis suis procedebant Veteres, sed remissius aliquando vel intensius, pro re nata vel argumento. Illud cum Opusculo superiore, anno 1692. Lugduni Batavorum impressum est curis meis.

Franciscus tandem Titelmannus, qui Opusculum Arnoldi *De septem verbis Domini in cruce* recensuit atque post Joannem Gagnejum edendum curavit, in prologo præmisso ad editionem suam, huic quoque *Librum de corpore & sanguine Domini* adscribit, his verbis: *Fertur idem author, præter duos hos tractatus*, nimirum de verbis Domini in cruce. & de laudibus Beatæ Mariæ Virginis, *alia quoque scripsisse Opuscula, de operibus sex dierum, deque corpore & sanguine Domini, quæ hactenus nobis invisa*. Sed fortasse Liber ille *De corpore & sanguine Domini*, ad Guillelmum Sancti Theodorici Abbatem, ejusdem olim instituti ac ejusdem temporis spectat: qui librum de hoc argumento scripsit, quem in Manuscriptis Codicibus, conjunctum sæpius & collectum cum Opusculis Arnaldi Abbatis vidimus: quam forsan ob causam, nonnulli ad Eroaldum spectare opinati sunt. Vel etiam liber ille *De corpore & Sanguine Domini*, opus aliud non est a Tractatu *De Cardinalibus Christi operibus*, in quo de Eucharistia etiam eximie tractat.

Hæc latissime de scriptis Ernaldi, cujus amplam mentionem faciunt, Carolus de Visch Prior beatæ Mariæ de Dunis in Flandria in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 25. multis etiam vanis contendens, spectare Ernaldum hunc

hunc ad Ordinem Cistercienſem. Cæſar Egaſſius Bullæus Seculo IV. *Hiſtoria univerſitatis Pariſienſis*, in Catalogo illuſtrium Academicorum iſtius ſeculi. Joannes Mabillonius præfatus in Notis ad Epiſtolam 310. divi Bernardi citatæ editionis, pag. 39. Ego ipſe in Supplemento Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, tum in *Cypriano* ad anoum 250. tum in *Arnaldo* ad annum 1160. quos videas. Philippus Labbeus, ibidem. Guillelmus Cavus in *Hiſtória Scriptorum Eccleſiæ*, ſeculo 12. ad annum 1162. pag. 680. cum multis aliis.

1150 JOANNES BVRGVNDIO CIVIS PISANVS, claruit ab anno circiter 1140. ad annum 1180. & ultra, qui cum Conſtantinopoli aliquandiu ob negotia manſiſſet, ibidem anno 1145. ioterfuit Colloquio celebri, quod habuit cum Græcis Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus, qui in opere ſuo Joannem Burgundionem ob linguæ Græcæ peritiam laudat. Convertit e Græco in Latinum ſermonem anno 1150. Opus Sancti Joannis Damaſceni *de fide Orthodoxa*, cujus initium translationis, *Deum nemo vidit nuquam* &c. Hanc vidi manuſcriptam mutuatam ex Bibliotheca Sorbonica, Codice MS. in 4. in manibus Jacobi Hommey Eremitæ Auguſtiniani, in ſuburbio Pariſienſi S. Germani. Extat quoque MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 3754. in folio, & Codicibus 3966. & 3967. Item MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonenſi, Cod. 109. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti, Cod. 135. atque in Bibliotheca Lambethana Cantuarienſis Archiepiſcopi. Imo io Catalogo MSS. Codicum Vniverſitatis Oxonienſis deſignatur Codice 607. in MSS. Codicibus Collegii Mertonenſis Codice 140. num. 5. Et ibidem Codice 612. in MSS. Codicibus Collegii Mertonenſis Codice 145. ubi Burgundionis ejusdem ſuot interpretis Tractatus quinque Sancti Joannis Damaſceni, *Et Libri IV. de Orthodoxa fide. Damaſceni Logica. Ejusdem Elementarium. Idem de duobus naturis & una hypoſtaſi. Ejusdem Triſagium.* Eademque Opuſcula Domaſceni ex verſione ejusdem Joannis Burgundionis, ioter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 3614. in MSS. Bodlejani Hyperoi Codice 148. num. 20. 21. 22. 23. Vbi ootatur: quod ab editis diſcrepent multum, quod Burgundio ſæpe liberiore ingenio in verſionibus uſus ſit. Et Ibidem Codice 1609. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti Codice 142. num. 1. Tranſtulit etiam in Latinum *Gregorii Emiſſeni* ſeu potius *Nemaſii de Philoſophia ſive de homine libros VIII.* tam ineleganter autem Beato Rhenano teſte, ut verſio iſta legi quidem poſſit, intelligi nequeat. Quæ tamen a Joanne Canone Norimbergenſi & a Rhenano, Barbarie incondita qua ſordebat repurgata, prodiit Argentorati anno 1512. & alibi ſæpius. Idem anno 1147. ut eſt in Boſtono Burienſi, *Homilias 90. Sancti Joannis Chryſoſtomi in Matthaeum*, Latino Sermone reddidit: cujus tranſlationis Hiſtoriam ex ipſius Burgundionis Prologo, adjicere operi ſuo, Boſtono Burienſi rectum viſum eſt. Incipit, *Cum beati Joannis Chryſoſtomi ſuper Evangelium Sancti Matthæi, duæ Expoſitiones imperfectæ ab eo conditæ proferantur &c. prædictum Opus integre de Græco in Latinum fideliter tranſtuli ſermonem* &c. Ab eodem quoque Joanne Burgundione anno 1181. *Homiliæ LXXXVIII. Sancti Joannis Chryſoſtomi in Evangelium Joannis*, in Latioum ſermonem translatæ ſunt: qua de re ita ſcribit anno 1181. in Appendice ad Sigeberti Chronicon, Robertus de Monte qui eodem tempore vixit: *Alexander Tertius Concilium Romæ tenuit* &c. "Tenuit aliud anno Incarnationis Dominicæ 1180. Ad hoc multæ convenerunt tam Eccleſiaſticæ quam ſeculares perſonæ, inter quas venit quidam civis Piſanus nomine Burgundio, peritus tam Græcæ quam Latinæ eloquentiæ. Hic attulit Evangelium Sancti Joannis, translatum ab ipſo de Græco in Latinum, quod Joannes Chryſoſtomus in Sermone homiletico expoſuerat. Hic etiam fatebatur magnam partem libri Geneſeos a ſe jam translatam. Dicit etiam, quod Joannes Chryſoſtomus totum Vetus & Novum Teſtamentum Græce expoſuit." Hæc Robertus de Monte pag. 670. ad annum 1181. in Appendice ſua ad Chronologiam Sigeberti, quam Joannes Piſtorius Niddanus inſeruit Tomo primo *Scriptorum Germanicorum* a pag. 615. ad 681. atque ab anno 1113. quo Sigebertus ſcribere deſiit, ad annum 1210. Hæc in editione Piſtoriaoa *Hiſtoricorum Germanicorum* 3. in folio voluminibus 1613. Francofurti ſumptibus Claudii Marnii. Quæ etiam refert Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Pariſienſis, in *Bibliotheca Sacra* Tomo 1. ſeu parte 1. cap. 4. Sectione 7. pag. 747. editionis 1709. Lipſiæ in 8. apud Joannem Ludovicum Gleditſch, & Mauritium Georgium Weidmann. Sed Excerpta tibi ex ipſo Burgundionis Prologo nondum (quod quidem ſciam) in lucem edito, Boſtonus Burienſis ſuppeditat. *Omnibus in Chriſto fidelibus Burgundio, Judex & civis Piſanus, in Domino ſalutem. Cum Conſtantinopolim pro negotiis publicis patriæ meæ a Civibus meis ad Imperatorem Manuelem miſſus eſſem &c. Explanationem Evangelii S. Joannis* &c. ut in Boſtono Burienſi osque ad illud, *Partitur autem hic S. Joannes Chryſoſtomus hunc librum in 88 homilias, quas in unaquaque Septimana duobus diebus ſabbato ſcilicet & Dominica, populo in Eccleſia coadunato confecit: in unaquaque fere homilia in initio Prologum, & in fine ex textu uniuscujusque homiliæ materia ſumpta, morale componens.* Extant homiliæ ejusmodi MSS. in Bibliotheca Sancti Benedicti, Cantabrigiæ Cod. 241. Interfuit hic Burgundio anno 1180. Concilio Romano, a quo in Orientem deſtinatus dicitur, mortuusque anno demum 1194. Cujus mentionem facit, qoem hic excerpſimus, Guillel-

mus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1148. pag. 670. & ad annum 398. in *Joanne Chrysostomo* pag. 270.

1150 TEULFUS MORIGNIACENSIS MONACHUS, Ordinis divi Benedicti, scripsit circa annum 1150. *Chronicon hujus Monasterii Morigniacensis* ab anno Christi 1008. ad annum 1147. Distinctum opus in tres libros, præmissa præfatione libris singulis, quorum duo posteriores ad nos usque pervenerunt, primus autem fere integer lapsu temporis excidit. Illud qualecunque opus videas, tomo quarto Collectionis *Historiam Franciæ* ab Andrea Duchesnio pag. 359. immissum cujus in *Catalogo* meminit.

1150 ACHARDUS ABRINCENSIS EPISCOPUS, natione Anglus, Bridlingtonensis juxta Gerardum Joannem Vossium Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 422. ultimæ editionis, Northumbrensis juxta Cæsarem Egassium du Boulay seculo 4. *Universitatis Parisiensis* in Catalogo pag. 715. Sed juxta Sanmarthanos fratres in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 925. in *Abbatibus Sancti Victoris Parisiensis*, Normannus origine nobilis e Comitatu Domnifrontis, de quo in Epistolis Arnulfi Lexoviensis. Hic vir vitæ integritate & erudirione multiplici mirifice florens, in humanioribus litteris adolescentiam, in Philosophia juventutem, in Theologia maturiorem ætatem ita collocavit, ut in singulis singulares progressus fecerit, quemadmodum Pitseus refert, ex Lelando & Bostono MSS. authoribus. Post longam litterarum professionem, terrenarum pertæsus inquietudinum, ad Canonicos Regulares Sancti Victoris se contulit, quorum successu temporum, post Gilduinum, quem Dominus sibi anno 1155. die 13. Calendas Aprilis adjunxit, Abbas secundus factus est. Misit ad illum Abbatem Adrianus IV. summus Pontifex plura diplomata, unum pro Ecclesiis Sancti Brixii & Villaris belli, itemque aliud quo laicis prohibetur usurpare & decimas ad Parochias Victorinas pertinentes, de quibus loquitur Joannes de Tholosa in amplissima sua *Historia MS. Abbatiæ Sancti Victoris*. Abbas autem factus post Gilduinum ut supra diximus, otio commissa sibi talenta neutiquam abscondens, Opuscula conscripsit quæ hominis gravitatem & probitatem simul probant. Horum unum inscribitur *de tentatione Christi*, MS. in celebri Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, cujus Abbas erat, Littera SS. 19. fol. 162. quod incipit, *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo &c. De serie lectionis Evangelicæ sufficit hucusque. In sermone præsenti non oportet peregrinari, sed etiam tantillum* &c. Item aliud Opusculum *de divisione animæ & spiritus* inscriptum, quod ibidem pariter habetur MS. Littera LL. 7. & II. 15. incipiens, *Substantia interior quæ una cum corpore constituit hominem* &c. Habetur etiam Cantabriga inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis Codice 1558. in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti Cod. 291. num. 9. cum expresso nomine *Magistri Achardi Tractatus de divisione animæ & Spiritus*. Ubi in MSS. Victorinis cum sola littera initiali A. legitur, unde ex conjecturis primus compositor Catalogi celebris hujus Bibliothecæ anno 1512. *Adamo de Sancto Victore* illum adscripserat. Extant in celebri Bibliotheca ClaræVallis *Sermones Magistri Achardi*, quos adhuc Achardum Victorinum qui doctissimus extitit & plura scripsit, spectare censeo. Florescens *Achardus* ob præclaras animi ac virtutis dotes, post longam in omni disciplinarum genere exercitationem, ex Canonico regulari Sancti Victoris & ejusdem Ecclesiæ Abbate, anno tandem 1162. ad Episcopatum Abrincensem in Normannia, Henrici Anglorum Regis ope assumitur & consecratur. Hæc promotio Ludovico Francorum Regi displicuit, qui continuo hominem amandavit, ac ne quid regiminis deinceps in eadem domo haberet, his litteris prohibuit.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, " Priori & universis fratribus Sancti Victoris salutem & dilectionem. Ecclesiæ ista & beneficio prædecessorum nostrorum & Ecclesiæ Parisiensis fundata est, unde & specialius eam diligimus. Vocatus est Abbas vester ad aliam Ecclesiam. Non volumus quod res Ecclesiæ, cujus cura ad nos specialiter spectat, in aliquo minorentur, sed crescant. Unde & Regia authoritate vobis præcipiuus, ut Abbas Achardus de cætero nullam alienandi vel accipiendi res Ecclesiæ istius habeat facultatem: neque eo præsente verbum aliquod de electione incipiatis." Valete.

Constitutus Abrincensis Episcopus, teste Gerardo Joanne Vossio Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 422. ultimæ editionis, reliquit posteritati *Vitam Sancti Gesrlini Monachi*, cujus tamen Balæus non meminit. *Vitam* autem hanc *S. Gesrlini Eremitæ*, quæ anno 1626. Duaci edita est, attribuit alteri *Achardo Claravallensi Monacho*, quem anno 1140. floruisse asserit, Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 79. ubi utriusque Achardi mentionem facit. Cum autem prudenter & sancte per decem annos Ecclesiam Abrincensem administrasset, multas circumjacentibus Abbatiis donationes, fecisset, atque potissimum Abbatiæ Sanctæ Trinitatis de Lucerna, Ordinis Præmonstratensis, quam frequenter adibat impenseque amabat, anno 1172. die 29. Martii obiit, sepultusque in dicta Abbatia ejusdem Diœcesis, cui Annualia vacantium Abrincensis Ecclesiæ præbendarum contulerat, ad instar Victorinorum in Ecclesiam Parisiensem Canonicorum. Ejus sepulchrum paret in ingressu Claustri, sub veteri fornice ac Lapideo, cum ista Epigraphe: *Hic jacet Achardus Episcopus, cujus*

jus caritate ditata est paupertas nostra. Altera inscriptio vetus metrica Achardi in MS. Codice Sancti Victoris, ita habet.

Hujus oliva domus, Anglorum gloria cleri,
Jam pridem dignus cœlesti luce foveri,
Felix Achardus florens ætate senili,
Præsul Abrincensis, ex hoc signatur ovili.

Illius mentionem faciunt Robertus de monte, continuator Chronici Sigebertini ad annum 1162. quo ad Episcopatum Abrincensem assumptus est. Beatus Rhenanus in Commentario suo ad Opera Tertulliani, ubi in Librum *de Trinitate* commentatur. Sammarthani fratres in *Gallia Christiana* tomo 2. verbo *Abrincenses Episcopi*, pag. 6. Et tomo 4. verbo *S. Victoris Canonicorum* pag. 925. Seculum 4. *Universitatis Parisiensis* in Historia pag. 300. & in Catalogo illustrium Academicorum pag. 725.

1150 ALEXIUS ARISTENUS, natione Græcus, Nomophylax dignitate, & Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomus, ab anno circiter 1130. celebris, anno 1166 Constantinopolitanæ Synodo præsens adfuit, qui inibi de Jure Canonico consultus, adversus Patriarcham Nicephorum Hierosolymitanum, Canonem Concilii Trullani XXXVII. protulit, Recte ergo circa annum 1140. vel 1150. *Collectionem Canonum quandam* composuit seu *Synopsim*, quam sub Aristeni nomine Græce & Latine ex fide Manuscripti Codicis 1929 Bibliothecæ Galliarum Regiæ, Christophorus Justellus edidit, in *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* tomo II. pag. 673. Eandem autem *Synopsim cum Scholiis*, quæ notis illustrata sunt, edidit Græce & Latine Guillelmus Beveregius Anglus, in *Pandect. Canonum*, Oxonii duobus in folio voluminibus anno 1672. impressa. Ibi arbitratur ille quidem *Synopsim Canonum istam*, esse Alexio Aristeno longe antiquiorem, *Scholia* autem in eandem Græca quæ ille produxit, ab Aristeno in eandem esse conscripta. Sed cum illa *Synopsis Canonum* in MSS. Regiis, disertis verbis Alexio Aristeno tribuatur, nullatenus ipso antiquior esse videtur: *Scholia* autem in eandem conscripta, recentioris alicujus auctoris sunt. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, Codice 221. *Alexii Aristeni Nomocanon, sive Commentarius in Canones & Epistolas Canonicas:* Et in nostra Lugduno-Batava non ignobili bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos Codice 29. *Nomocanones Alexii Aristeni.* Hanc *Synopsim Epistolarum Canonicarum Alexii Aristini* edidit Græce & Latine Oxonii in folio, Guillelmus Beveregius 1672. in *Pandectis Canonum Apostolicorum & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptarum*, Tomo 2. parte 1. pag. 189. & sequentibus. Non semel meminit Alexii Aristeni Theodorus Balsamon, quem ὑπέρτιμον ἐκεῖνον κῦρον vocat, *honore dignum illum dominum.* Guillelmus Cavus in *Historia scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1166. pag. 681. Justellus in Prolegomenis ad *Bibliothecam Juris Canonici*, ubi Collectionem hanc anno circiter 1130. tempore Joannis Comneni conscriptam affirmat, ex auctoritate Leonis Allatii in Libro *de Collatione Ordinum*, quem citat. Guillelmus Beveregius in *Prolegomenis* ad Pandectas Canonum Apostolicorum & Conciliorum ab Ecclesia Græca receptorum capp. 26. 27. 28. 29. & 30. Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, ex MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ Catalogo præsertim contexta, Parisiis anno 1653. apud Joannem Henault edita in 4. Illic parte 4. pag. 130. meminit *Synopseos sacrorum Canonum ab Aristino collectæ* ex Codice Regio 1929. Itemque in *Supplemento X.* pag 386. extare in MSS. Codicibus Bibliothecæ Hispaniæ S. Laurentii Scorialensis, *Alexii Aristini Expositiones Canonum* de quibus supra diximus, ex schedis Nicolai Rigaltii in supremo Mediomatricum Parlamento, seu Senatu Consiliarii.

DISSERTATIO
DE
ÆTATE ET SCRIPTIS SYMEONIS METAPHRASTÆ.

NUlli mirum videatur, quod argumentum istud jam compendio tractatum, latius ex Allatio ut plurimum tractandum resumamus, cum ex ejus *Diatriba* impressa, vel Symeonis Metaphrastæ maxime obscuræ fuerint, ipseque primus falso veram ejus ætatem se attigisse putaverit & gloriatus sit. Hujus unius occasione prolixæ *Diatribæ* laborem suscepit, ut ingenue testatur ille pag. 14. his verbis. „Sed jam me vocat ad se, cujus vel solius „gratia hæc nostra Diatriba instituta est, Sy„meon Metaphrastes, tum virtute, tum scriptis ultra humanum captum admirabilis, quo vel« solo fraudibus adversariorum corruentes Ec-« clesiæ structuræ solidentur & sustineantur.« Pietas tanti viri, scripta elegantissima, labores« ingeniosissimi, vigiliæ tam utiles, animus sin-« cerus, verax, mentiri nescius, stomachum« movit Hæreticis, qui non patiuntur tam pa-« tenter sua perstringi à tanto Scriptore menda-« cia. « Hæc magno zelo Allatius, sed non verò, qui in hac Diatriba, non minus se Græcum atque mendacem, quam Metaphrastem, probavit.

CAPUT PRIMUM.
DE
VITA ET SCRIPTIS SYMEONIS METAPHRASTÆ, SUMMATIM EX ALLATIO ET GUILLELMO CAVO, ATQUE FRANCISCO COMBEFISIO.

1150 Symeon Metaphrastes ita dictus apud Græcos, ab eo genere quo *Vitas Sanctorum* scribere aggressus est: quæ enim simplici utplurimum stylo ab antiquioribus & synchronis sæpe auctoribus scriptæ seu compositæ fuerant, paraphrasi quadam atque interdum adjectione nonnullarum à Symeone enarratæ sunt: unde modicam omnino fidem in enarrationibus suis, apud Bellarminum, aliosque etiam primæ notæ Pontificios. Symeon Metaphrastes ex sua hac agendi ratione obtinuit. Hunc Scriptorem olim ad Seculum XIV. inter annum 1314. & 1330. collocandum esse in *Supplemento* meo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* opinatus sum pag. 5 2. his verbis. *In Opusculo isto de Symeonibus excutit accuratissimè omnia, quæ spectant ad scripta atque ad ætatem nostri Symeonis Metaphrastæ, quem tandem certis argumentis alligat contra veterum omnium hujus seculi Scriptorum sententiam, ad annum Christi 1314. cujus sententiam ob momenta rationum quas affert, lubens amplector. Floruit itaque Metaphrastes ab anno circiter 1314. ad annum 1330.* Cujus meæ sententiæ fautorem falso & perperam allegavi Leonem Allatium in *Diatriba* illa *De Symeonum Scriptis*, cum illic contrarium doceat, eumque temporibus Leonis Sapientis ac Philophi dicti, & Constantini Porphyrogeniti Imperatorum constituat. Recte igitur correxit me acribus hac in parte verbis Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, Seculo X. ad annum DCCCCI. pag. 573. Legeram equidem Diatribam Leonis Allatii, cujus tamen sententia atque conclusio mentem meam effugerant, unde jure *negligentiam meam* atque oscitantiam & admiratur & corrigit Cavus. Juxta ergo Allatium.

Fuit Symeon Metaphrastes dictus, patria Constantinopolitanus, à Leone Imperatore Protosecretarius, Magnus Logotheta, seu ut vocant apud nos *Magnus Cancellarius*, denique *Magister Palatii*, quod quidem munus inter Summas Aulæ Constantinopolitanæ dignitates eminuit. Confuderunt illum nonnulli cum Symeone Juniore illo Theologo, quorum opinionem eximie Leo Allarius loco citato redarguit. Anno 904. Symeon ipse Metaphrastes Leonem Tripolitam Saracenorum Ducem, urbi Thessalonicensi à se recens expugnatæ excidium minantem, sapienti consilio emollivit, atque à proposito abduxit. Anno circiter 902. accinxit se colligendis Sanctorum hinc inde sparsis legendis, a S. Theoctistæ vita auspicatus: quas omnes olim varias pro vario cujusque Scriptoris ingenio & stylo, consimiles simili methodo atque uniformi reddere tentavit. Laudat eximie hoc Opus, Michael Psellus junior, Encomio suo in *S. Symeonem Metaphrastem* apud Leonem Allatium in Diatriba *De Symeonum Scriptis*. Ipse quoque Allatius, atque post Allatium Guillelmus Cavus loco citato, his verbis: „Tempus quod à nego« tiis publicis vacuum habuit Metaphrastes, lite« rarum studio impendit, præcipuè verò illu« strandis Ecclesiæ antiquitatibus incubuit. Ju« bente enim Constantino Augusto, *Vitas Sancto« rum* ante sua tempora scriptas undique conqui« sivit, conquisitas recensuit: elegantiores tan« quam lectorum conspectu dignas, calculo suo« approbavit, neque ullâ in re mutatas divulga« vit: minus elegantes verò, partim nitidiori« stylo vestitas, partim novâ formâ & methodo« dispositas, in ordinem redegit ac digessit: quas« dam etiam ex superiorum traditione acceptas,« proprio marte ipse condidit.« Aliud sanè aliorum de his Viris Metaphrasticis judicium, nullam fermè inveniri, quæ non vel mutilata à Symeone Metaphraste, vel aucta atque multis in locis interpolata sit: unde plerorumque recentiorum qui Vitas ejusmodi in publicam lucem edunt, hic jam labor potissimus est, ut Metaphraste neglecto, ad primigenias Vitas utpote sinceriores recurrant. Vel unus omnium instar, testis hujusce rei esse potest Petrus Lambecius, qui Commentariis suis in Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem assiduus & scrupulosus est, ut ex MSS. Codicibus Græcis *Legendarum* ejusmodi, distinguat quantum potest primigenias, ab Metaphrasticis illis interpolatis. In Bibliothecis inveniuntur plurima Volumina *Legendarum* non sub Symeonis Metaphrastæ nomine, sed Metaphrases simpliciter inscripta continentia teste Leone Allatio *DCLXI. Legendas* seu *Vitas Sanctorum & Encomia panegyrica*, ex quibus *Centum & viginti duæ* tantum attribuuntur Symeoni nostro, cæteris omnibus ab Allatio ut spuriis rejectis. Sed neque de his *Centum & viginti duabus* Metaphrastæ ab Allatio attributis, inter eruditos Criticos convenit: aliis hanc aut illam Vitam seu Legendam Symeonis nostri Metaphrastæ esse negantibus, quas illi asserere molitur Allatius. Modicam autem fidem vel nullam *Vitis Sanctorum Metaphrasticis* eruditi jam viri concedunt: tum quia Symeon ab his temporibus remotus, de quibus in Legendis anteriorum Scriptorum agebatur, imaginationi plurimum indulserit, miracula incredibilia ad augendam Sanctorum existimationem confinxerit, conversiones in numeras Gentilium & Tyrannorum enarraverit, quæ fidem omnem superant. Tum quia cum Symeon Metaphrastes, ut vult ipse Allatius, uxoratus esset ac prole gravatus: cum incredibilibus in aula Imperatoria negotiis secularibus ac militaribus, hominem etiam fortissimum opprimentibus, onustus esset: haud erat idoneus vacandi Ecclesiasticis Historiis, exami-

nan

nandi quæ dubia, emendandi quæ falsa, rectificandi quæ tortuosa & inflexa: quæ tamen hominem integrum & sui juris ac summi otii requirunt, qualis in hoc rerum statu Symeon Metaphrastes non fuit, nisi ad miraculum boni viri recurrant. Sane quin negligentet hac in parte se gesserit, neque Allatius ipse diffitebitur: qui multis in locis Diatribæ *De Symeonum Scriptis*, ait Symeonem Metaphrastem, reliquisse Synchronismum in iis, Vitis antiquorum, quas ipse paraphrastice ampliavit: unde vix cujusnam temporis fuerit, conjici possit. Quam quoque simplex Symeon Metaphrastes fuerit, abunde conjici potest ex illius Oratione *De planctu B. Mariæ, cum exanime Christi corpus amplexaretur:* producta Græce & Latine ab eodem Allatio ad calcem dictæ *Diatriba* pag. 245. Loquacis enim ista magis sunt & infantis, quam Oratoris. Non est ergò, unde cum tantis urgeat atque ornet laudibus in sua *Diatriba* Leo Allatius, atque post eum Guillelmus Cavus, nisi fabulas atque muliebres ejulatus impensè illi ament, quibus alii ad risum provocantur, & subsannationem.

Hæc quæ superius ab Allatio dicta sunt de laudibus immensis Symeonis Logothetæ & Metaphrastæ, absurda mihi videntur, quamvis à Guillelmo Cavo in *Historia rei literariæ* ad annum 901 pag 573. & 574. magno verborum ambitu producantur. Verum non minus mihi uterque erraste videtur, dum ita diserte & expresse Symeonem tot Legendarum aliorumque Opusculorum ex aliis consarcinatorem, anno 902. alligati, nam pag. 50. Diatribæ illius celeberrimæ „*De Symeonum Scriptis*, eum dum in Cretam anno „902. missus est, *mediam hominis ætatem decurrentem* scribit: & pag. 55. & 56. ubi de *Vita Sanctæ* „*Theoclistes*, illum annos circiter 35. vel 40 na„tum statuit. Hæc autem omnia sunt nugæ meræ, vel somnia tum Leonis Allatii, tum Guillelmi Cavi, qui illum cœco more in omnibus secutus est.

Franciscus Combefis ille ipse, qui Leonis Allatii Diatribam *De Symeonum Scriptis*, in 4. Parisiis anno 1664 edendam procuravit, hanc ætatem Symeonis Metaphrastæ ab Allatio assignatam plane destruere videtur. Narrat enim aut scribit in *Apparatu* ad Bibliothecam Sanctorum Patrum concionatoriam, anno 1662. 6. in folio tomis apud Antonium Berthier Parisiis editam, verbo *Symeon Metaphrastes*, asservatum esse apud se, *Chronicon ex diversis decem Historicis collectum*, sub titulo Symeonis Metaphrastæ, in quo postremo loco, post Leonem Grammaticum, habetur ipsa *Pselli Historia*, ex clarissimi viri Raphaelis du Fresne MS. Codice, qui ad Regiam Galliarum bibliothecam devenit. Ambigit equidem Combefisius, an Historia ista hujus sit Metaphrastæ de quo loquitur, an forte alterius, sive ejus qui *Orationes XXIV. ex Operibus Sancti Basilii* collegit, sive alterius tertii & junioris. *Quippe*, inquit, *Metaphrastes paulò ante Psellum in vivis esse desiit: nisi ipse Psellus, Symeonis illi Chronologia ex novem Historicis, se decimum adjunxit, sive alii addiderint.* *Chronologia* autem illa, ut recte notat Combefisius, incipit à Creatione mundi atque protenditur circiter usque ad Imperium Constantini Ducæ, qui Isaacio Comneno anno 1061. suffectus legitur. Composuit seu consarcinavit hoc *Collectaneum Historicum* Symeon Magister & Logotheta, ut habet inscriptio *ex variis Historicis* quos pro more suo transcribit, qui etiam in MS. Codice dicitur Μεταφραστής, ut positive observat Franciscus Combefisius in Præfatione ad hanc *Chronologiam*, quæ post ejus mortem, ex ejus tamen versione, Parisiis anno 1685. Græce & Latine in folio typis regiis excusa est. Consarcinatur autem illa verbotenus ex *Historicis decem*, quorum ultimus, *Michael Psellus* qui sub Constantino Duca floruit, circa annum 1050. ad quem hæc circiter excurrit. Non omne autem *Collectaneum Historicum* istud à Francisco Combefisio editum est, sed omissa illa pars, quæ à Creatione mundi ad annum 813. seu Imperium Leonis Armeni devenit. Itemque ultima pars, quæ ab Imperio Nicephori Phocæ usque ad Constantinum Ducam protenditur. Nec duo duntaxat MSS. Codices hujus Symeonis Metaphrastæ *Collectanei ex diversis historicis* in Regia Galliarum Bibliotheca, ut anteà diximus: sed alii quoque in Bibliothecis diversis ejusdem Operis reperiuntur. Nam Gerardus Joannes Vossius in Opere *De Historicis Græcis* editionis 1651. ultimæ Lugduni Batavorum in 4. libro 4. parte 3. quæ est *De Historicis quorum ætas est incognita vel sibi non occurrit* littera S. pag. 523. hæc habet.

Simeon Magister ac Rhetoricus Logothetes« *Opus chronicon ex variis contexuit chronicis atque*» *historiis*, quod inter MSS. Messanensis Biblio-« thecæ Codices, recensetur à Possevino in *Ap*-« *pendice Apparatus sacri*. Item Simeon Magister« (idem an alius non dixerim) scripsit de ædifi-« catione templi S. Sophiæ, quod est Constanti-« nopoli, quem in Corpore Byzantinæ. Histo-« riæ Georgio Codino subjunget, cum tralatione« sua ac notis, Petrus Lambecius. Etiam Si-« meonis Theologi historia ex diversis apud« Hispanos in Scoriacensi Bibliotheca esse di-« citur.«

Alium quoque MS. Codicem refert à se visum in Italia, Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, in *Diario Italico* anno 1702. Parisiis in 4. apud Joannem Anisson typographum Regium edito, cap. 28. pag. 435. ubi Julii Justiniani Procuratoris S. Marci Venetiis, Bibliothecam & MSS. Codices recenset, in quibus „ *Codex bombycinus XV. Seculi Simeonis Magistri Historia*« *ab Adamo, usque ad imperium Michaelis Duca, filii*« *Constantini. Hic jam sub prelo sudat à Combefisio*« *versus, curâ viri docti Michaelis Lequien Ordinis*« *Prædicatorum*.„ Cum autem *Historiam hanc Symeo-*

meonis Metaphrastæ, mutilam quodammodo ut supra diximus, seu initio & fine destitutam, sub Combefisii nomine anno 1685. typographus Parisiensis edidisset: ob hos editionis allatæ defectus, Chronologiam integram evulgare Mich. Lequien aggreditur, cujus & alterum MS. Codicem esse Venetiis testatur, loco citato Bernardus de Montfaucon. Denique Petrus Lambecius lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 7. pag. 588. testatur extare MS. Codicem Græcum *Chronici hactenus inediti Magistri Simeonis & Logothetæ*, cujus vetustus Codex MS. ab Augerin Busbeckio, olim Constantinopoli comparatus in Augustissima Cæsarea Bibliotheca habetur inter MSS. Codices Historicos Græcos XXVII. numera, unde & pauca quædam profert ibidem. Consulatur & Joannes Albertus Fabricius Lib. V. *Bibliothecæ Græcæ* Tomo VI. qui anno 1714. in 4. editus prostat cap. 5. à pag. 509. ubi *de Legendis & Encomiis Sanctorum* Græce ab ipso Scriptis, & ordine Alphabetico digestis à pag. 510. ad pag. 567. Item cap. 4. pag. 158. ubi de *Chronico Simeonis Magistri & Logothetæ, collecto ex variis Chronicis & Historiis, ab Adamo usque ad Constantinum Porphyrogenitum, ex Iambis operi præfixis*. Denique capite 5. pag. 352. ubi de *Collectaneo eodem* ex variis Scriptoribus quorum ultimus est Michael Psellus, ex MS. Codice Regiæ Bibliothecæ, quem huic dedit Raphael Trichetus du Fresne, velut opus plane eximium & singulare. Ut autem omittamus illos Auctores quos in unum collectos exscripsit, hic Græciæ consarcinator atque ab aliis expilator, Symeon Metaphrastes: hinc evidenter concludimus contra Leonem Allatium & Guillelmum Cavum, illum non floruisse anno 902. & 904. neque tunc temporis extitisse annorum 35. vel 40. ut vult Allatius. Nam tres auctores ultimi, ex quibus hoc *Collectaneum Historicum* expilat, ut mihi conferenti constitit, sunt *Anonymus quidam* qui ultimis *Constantini Porphyrogeniti temporibus & Romani Junioris ejus filii* scripsit, & usque ad annum 962, quem verbotenus transscribit. Qua ergò ratione juxta Allatium & Cavum, qui annu 902. erat 35. vel 40. annos natus, potuit transscribere *Anonymum* qui anno 960. vel 962. scribebat, nisi *Centenarius* mentem ad scribendum applicuisset Metaphrastes? Num *Centenarius* ad scribendum idoneus est, in quo nihil nisi delirium, aut pueritia cernitur? Denique sunt ἀσύςατα seu contradictoria quæ scribit Cavus in sua *Historia rei literariæ*. Nam *seculo obscuro* collocat anno 981. Symeonem Metaphrastæ pag. 573. & Seculo IV. ad annum 398. in Scriptoribus *Vita* Chrysostomi pag. 272. ex Savilio, anonymum hujus Vitæ Scriptorem facit posteriorem Constantino Porphyrogeneta, hoc est anno 959. quo mortuus est, atque etiam isto posteriorem Metaphrastem. Unde si anonymum hunc anno circiter 970. vel 980. collocemus, juxta Cavum ipse Symeon Metaphrastes circa annum 1000. collocandus fuerit, cum anonymo isto annis saltem 20. posterior censendus sit. Hæc ex Cavo ipso. Alter quoque, quem iste Symeon Magister & Logotheta, qui & *Metaphrastes* dicitur, transcribit: est *Leo Grammaticus* qui usque ad annum 1013. Chronologiam texuit, ut multis in locis annotavit Carolus du Fresne in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, & nos quoque cap. 13. hujus Dissertationis probabimus. Interrogo autem Allatium & Cavum, an qui an. 902. erat 35. vel 40. annos natus, potuerit transcribere & excerpere Leonem Grammaticum post annum 1013. scribentem? Nisi admittant vixisse Symeonem hunc Metaphrastem, annos centum & quinquaginta, vel circiter. Absurditas autem longe adhuc major est, si idem argumentum fiat, ratione Pselli, qui Historiam suam extendit usque ad Imperium Michaelis Ducæ, cujus præceptor in literis humanioribus extitit, quique ab anno MLXXI. ad MLXXVII. imperavit: quem Psellum ultimum ex decem Scriptoribus huic *Collectaneo* suo inseruit. Dicendum ergo est, *Symeonem* illum *Logothetam & Metaphrastem*, omnium *Collectaneorum* quæ ipsi attribuuntur, *ex aliis* collectorem, fuisse & Leone Grammatico & Michaele Psello, qui ab anno 1050. ad annum 1095. vixerit, ætate juniorem, quippe quos in *Collectaneum* suum comportaverit.

Neque dicas *Collectorem hujus Historiæ* esse alium à Symeone Metaphraste, qui *Vitas Sanctorum* scripsit, quemque Leo Allatius anno 902. & 910. assignat. Nam *primo* juxta MS. Codicem Regium, non tantum author hujus *Collectanei* dicitur *Symeon Magister & Logotheta*, scilicet paulo recentiori manu addatur, ἔτ⊙ ἐςὶν ὁ Μεταφραςής, *Hic est Metaphrastes*: hoc est, qui *Vitas Sanctorum atque Agones Martyrum metaphrasibus adornavit*, sic enim intelligendum est. *Secundò* Hippolytus Thebanus, quem Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* anno 933. pag. 580. alligat, huic Metaphrastæ hanc *Chronologicam Collectionem* tribuit positivè, ut habet Leo Allatius ipse in Diatriba *De Symeonibus* pag. 34. cujus verba referentur posteà cap. 7. hujus Dissertationis. Idem quoque fatetur Franciscus Combefisius, in præludiis ad editionem *Chronologiæ* istius, typis Galliarum regiis procuratam. *Denique* eadem scribendi ratio eundem Scriptorem arguit, nempe ex aliis colligendo & excerpendo, quam idem *Symeon Metaphrastes* in Collectionibus omnibus observavit: nimirum in Collectione Canonum, in Collectione Sermonum ex verbis Basilii, in Collectione Legendarum de Sanctis, atque in Collectione Historiæ ejusmodi ex diversis. Ut quod Vincentius Bellovacensis apud Latinos Scriptores est, hoc sit Symeon Magister & Logotheta & Metaphrastes, apud Græcos: uterque collector ex aliis atque consarcinator.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

VARIÆ SENTENTIÆ DE ÆTATE SYMEONIS METAPHRASTÆ.

NOn unam, imò plurimas fuisse Scriptorum de ætate Symeonis Metaphrastæ sententias, non negat, qui veram ætatem illius prodidisse credidit Leo Allatius, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 40. ita scribens. Alphonsus Villegas *De Vitis Sanctorum* in Symeone Metaphraste, hunc Metaphrastem circum circa Heraclii tempora anno scilicet 620. floruisse, ex *Vita Sancti Alypii* Cionitæ, quam esse scriptam à Symeone existimat, contendit. Id idem Petrus Ribadeneyra *De Vitis Sanctorum qua non sunt in Calendario*, dexterè agens contra Baronium ostendit: non alio argumento, quam ex eadem *Vita Alypii*, in qua se Symeon tradit esse illius discipulum. Et apud Surium de *Vita Sancti Alypii*, in margine legitur, *Symeon Metaphrastes discipulus ejus fuit*. Hinc plures nobis Pselli confingendi sunt, præter enim in Diatriba mea recensitos, jam erit alius omnium antiquissimus, qui non multum Heraclio posterior in Metaphrastem oravit: quando qui præ manibus est Psellus, in Metaphrastem referat, sese plura de illo ab hominibus, qui illum viderant ac noverant, audivisse. Veruntamen cum Vita illa Alypii Cionitæ, quam ipsi ad probandam Metaphrastæ ætatem adducunt, à Metaphraste conscripta non fuerit: quantum Alphonsus Villegas & Ribadeneyra à vero aberrent, alii judicent. Et ne argumentum ex Oratione Pselliana, quæ Heracleanis temporibus multo eum inferiorem facit, sæpius atque iterum repetam, ex hac eadem Vita Sancti Alypii, quisnam illius auctor fuerit, colligamus. Fuit ille patriâ Adrianopolita, civis & conterraneus Alypio. *Sic enim sit, quadam benignitate res nostras Deus administravit, ut qui ex ipsa Patria productus fuerat fructus, eum ipsi rursus patria lætitiam dederit salutarem.* Non tantum voto & desiderio discipulus, sed illius etiam instituti professor. Ecce verba, *Porro autem ego quoque, qui sum tua plantationis vilissima ô Pater & tarda propago, hanc funebrem Orationem ausus sum tibi dedicare.* Et, *Nequaquam obliviscaris ô Sancte, ovium tua Mandra! Sed etsi fueris gloria eorum, qui carent materia, circa Divinitatis versans pulchritudinem, nos adspice & nostri miserere, quos & congregasti & orphanos reliquisti, apertè dicens, Pacem Christi do vobis, valete & conservamini ô filii, & non formidet nec turbetur anima vestra.* Symeon verò noster & Constantinopolitanus, & Civilibus rebus addictissimus, albo Monachorum nunquam se adscripserat, quod ipse sciam. Non ergo ad Heraclii tempora Metaphrastes, Scriptoris Vitæ Alypianæ auctoritate, quæ per imperitiam eidem appingitur, errorque emendandus est qui paucorum animos occupavit.

Idem pag. 41. Minus consideratè locutus est Joannes Molanus in Martyrologio Usuardi ad 13. Maji, adnotans ex Tomo 6. Lipomani, Metaphrastem excerpsisse Historiam Vitæ Sancti Epiphanii Constantiæ Cypri Episcopi, ex voce & relatu Joannis ejus discipuli, qui Metaphraste teste, ipso etiam Heraclio antiquior est, vixitque circa annum Christi 430. vel paullò infrà. Sed Molani inconsiderantia, ex his quæ supra contra Villegam & Ribadeneyram attulimus, planè refellitur. Idque ut magis pateat, noto ex Vitis Sanctorum, quæ hodie partim studiosorum manibus feruntur, nullum certum desumi posse de ætate *Metaphrastæ* argumentum. Tum enim vel plures Metaphrastæ, vel ipsum Metaphrastem omnibus seculis vixisse, scripsisseque, asserere cogeremur, ut vidimus. Confirmoque exemplo. Sancti Sabæ Vita edita apud Surium, Symeoni Metaphrastæ vindicatur. Id si verum fuerit, jam aliam quoque ipsius Metaphrastæ ætatem sub Justiniano tenemus, cum illius Vitæ scriptor, iisdem cum Saba temporibus vixisse sese asserat. Vin alterum? Audi. Vita Sancti Autonomi Martyris apud Surium & alios, Metaphrastem auctorem agnoscit. Id si verum esset, aliam quoque Metaphrastæ ætatem haberemus. Narrat is auctor a Martyrio dicti Autonomi, ad sua usque tempora ducentis annis prætergressis, cadaver illius licet in sepulchro positum, integrum incorruptumque perdurasse. Ἐγὼ δὲ νικῶντα τὸν ἀθλητὴν ὁρῶν τὴν φύσιν καὶ μετὰ θάνατον, πρὸς δοξολογίαν Θεοῦ διανίσταμαι. ἐπιβαλὼν γάρ ποτε τὰς ὄψεις τῷ τάφῳ τοῦ Μάρτυρος, τὸ ἱερὸν αὐτοῦ σκῆνος ἐθεασάμην, καὶ ἀήττητον ὑπό γε τῆς ἰσχύος τοῦ θανάτου μεμενηκὸς κατενόησα. ὁ γὰρ πᾶσαν τοῦ ζώου τὴν σύμπηξιν τριημέρῳ διαστήματι λύειν αὐχῶν, ἔτεσιν ἤδη διακοσίοις τρίχα τοῦ γενναίου διαφθεῖραι οὐκ ἴσχυσεν. ἀλλ' ἥτε κόμη τῆς κεφαλῆς δαψιλὴς καὶ ἀλύμαντος, ὅτε τῆς μορφῆς χαρακτὴρ συνεστηκώς τε καὶ ἀλώβητος, ἥτε δορᾶς εὐτονία, μηδὲ τὰς ὑπήνης τρίχας ἀποβαλών. ἀνέῳγε δ' αὐτῷ καὶ ὁ τῶν ὀμμάτων κύκλος, δι' ὧν ἐμοὶ δοκεῖ καὶ θεώμενος, αἰδοῖ τοῦ νόμου τῆς τελευτῆς, τὴν σιωπὴν προτιμῶν. ἔστηκε δὲ καὶ ὁ πᾶς τοῦ σώματος τύπος, τὴν ἰδίαν συντηρῶν ἁρμονίαν, καὶ οὔτε τῆς κεφαλῆς οὐδ' ὅλως ἀπορραγείς, οὔτε τῶν λοιπῶν μορίων τὴν διάστασιν ὑπομείνας. οὕτω γὰρ ὁ μεγαλόδωρος κύριος δοξάζειν οἶδε τοὺς οἰκείοις αὐτῶν μέλεσι δοξάσαι προελομένους. *Ego autem videns athletam etiam post mortem vincentem naturam, exsurgo ad Deum glorificandum. Injiciens enim aliquando oculos in sepulchrum Martyris, aspexi sacras ejus reliquias, qua invicta manserant à mortis viribus. Qua enim universam animalis compositionem se trium dierum spatio gloriatur dissoluturam, jam ducentis annis non valuit proclari illius viri vel pilum corrumpere: Sed & coma capitis est densa & illæsa, & forma character consistit integer, pelle firma & intensa, ne amissis quidem pilis labri superioris.* Est an-

autem ei orbis quoque apertus oculorum, per quos intuenti mihi videbatur, quod legem tantum mortis ipsius veritus, silentium simularet. Stat autem universa quoque figura ejus corporis suam conservans compagem, & nec ejus capitis ruptum est aliquid, nec reliquarum partium facta est ulla à se invicem disjunctio. Sic enim munificus Dominus scit vicissim glorificare eos, qui suis membris voluerunt eum glorificare. Autonomus autem martyrium subiit sub Diocletiano circa annum Domini 303. quibus adde intacti a putredine corporis annos ducentos, erit annus Christi 503. quo Scriptor Vitæ Autonomi vivebat. Sed hic fuerit Anastasii Imperatoris decimus tertius, ergo tum quoque vivebat, scribebatque Metaphrastes. Rem planè ridiculam. Quare Vitæ editæ vel edendæ, accuratè considerandæ sunt, tum demum Metaphrastæ asserendæ. Discipuli enim omnes, sive Monachi, sive alia quacunque Ecclesiastica dignitate præcellentes, Metaphrastem abdicant: cum ille secularibus negotiis addictus, quamvis pietate & sanctitate insignis, in seculo vitam egerit. Illa quoque animo reputandum est, Vitas quas Metaphrastes concinnavit, plerasque ab aliis anteà fuisse descriptas. Cum tamen illi nec stylus satisfaceret, nec Historiæ series, veritatem rei ab aliis auctoribus edoctum, mutato stylo ac dicendi formâ, in meliorem formam dedisse, non ita tamen ut antiquiores obliterarentur. Quis enim tot voluminum struem sibi comparasset, & ex illis Vitas istas dempsisset? Ita factum est, ut utrisque permanentibus, non tantum recens scripta a Symeone, sed antiquior etiam, eum dicitur vitam illam a Symeone descriptam fuisse, Metaphrastæ ipsi assereretur. Hine plures Metaphrastæ ætates, & plura in eum a parum prudentibus congeruntur, quando aliorum vitia & falsas narrationes, Metaphrastæ a talibus criminibus vacuo integroque, referant. (*Ita noster Allatius ut Metaphrastem excuset, dealbat Æthiopem.*) Sit exempli causa. Scripsit Symeon Vitam Sancti Eustachii & filiorum, quæ ante eundem Metaphrastem concinnata ab aliis, etsi non ita eleganter in Ecclesia legebatur, laudatumque a Joanne Damasceno, & aliis. Eam si quis Metaphrastæ tribueret, jam alia ætas ante ipsum Damascenum, Metaphrastæ assurgeret, vitiaque similium Scriptorum in ipsum Metaphrastem refunderentur, quod absonum indignumque tanto viro fuerit. Ita etiam de Sanctæ Eupraxiæ, Danielis Abbatis, Joannis Chrysostomi, Euphemiæ Martyris, Procopii Martyris, Anastasii Persæ, Amphilochii Iconiensis Episcopi, aliorumque ne singulos recenseam, Vitis censendum est: Quas ubi primum genuinas Metaphrastæ a spuriis distinxeris, tum demum de ætate Symeonis, ejusque integritate, & in enarranda Historia veritate judicium feres: alias sententiam differas, atque a criminationibus abstineas, ne in immerentem nullam ob causam injurius audias. Risum mihi sæpe movere ii, qui quidquid habuerint de Vita Sanctorum, sine auctoris nomine, id totum sine alio examine, stultè nimis atque imprudenter Metaphrastæ tribuunt. Hæc Allatius a pag. 40. ad 43. in gratiam Symeonis Metaphrastæ, Græcus in gratiam fabularum quas ab antiquis acceptas corrigere debuerat Metaphrastes: quod quia non præstitit, ideo apud Pontificios etiam Scriptores multis vapulat.

Idem pag. 38. Eruditissimus Gerardus Vossius *De Historicis Græcis* lib. 2. cap. 26. sub Constantino Duca, vel saltem circa illa tempora, Symeonem Metaphrastem ponit, nam de ejus ætate adhuc sub judice lis est: vixit tamen ducentis annis posterius, quam existimarunt Baronius & Bellarminus. Probat ex ætate Pselli, qui sub iisdem Imperatoribus vitam agebat, & in laudem Symeonis *Orationem* habuerat. Ætas itaque Pselli, ut opinatur Vossius, ætatem Metaphrastæ indicat. Verum tamen eum Psello vixisse, ob Orationem in eum a Psello factam, nemo dicet; ex ea namque Oratione Symeon Psello antiquior, non illius æqualis evincitur. Ait se Psellus audisse ab iis, qui Metaphrastem agentem animam viderant: non ergo ipse viderat. Et qui viderant, multos ante annos vidisse, ut & sanè viderunt, fieri potuit. Et ego puer dum Paulæ in Calabria commorarer, audivi sæpius à quodam sene, annos plus centum & viginti nato, ob senium longum & cervinum, vivax tamen, omnibus venerando, multa de D. Francisco populari ac cive suo, quem ipse in familiaritate versatus, oculis usurpaverat, narrante ranquam teste oculato. Quæ si in scriptis referrem, dicerem ea, ab illis qui D. Franciscum viderant, audivisse: ideone D. Franciscus, qui ante me dum hæc scribo, annis centum quadraginta & unum mortuus est, mihi σύγχρονος à quopiam dictitaretur. Neque itaque Psellus, dum ab illis qui viderunt Symeonem audiit, Symeonis ætati æqualis dicendus est. Verum cum Gerardus Joannes Vossius, Diatribam Leonis Allatii *De Symeonum Scriptis* legisset, in ultima editione sui operis *De Historicis Græcis* Lib. 2. cap. 26. pag. mihi 295. opinionem suam correxit, sententiam ipsam Leonis Allatii & rationes amplexus, ubi ita inquit. „ Cum" Psellus sic scribat in laudem ejusce Symeonis," *Non enim eum veluti abscissum aut divisum fuisse,*" *dicunt ii qui viderunt: sed videbatur veluti à quo*" *dam vinculo liberari, & hilari nutu se extendere ad*" *ducentes Angelos, & quodammodo seipsum trudebat*" *illorum manibus, ut citò emigraret de corpore.*" Nempe existimarunt Baronius & alii, hoc Psellum dicere, se audisse de iis qui viderant Symeonis ad Deum transitum: unde colligunt" non ita multò post obiisse, antequam ista scriberet Psellus. Sed non, si ea acceperit Psellus" ex iis, qui adfuere morienti, eò illos viderit &" audierit: accepisse ex iis possit, quæ scriptis" consignassent. Quod omnino statuendum," quia inter Symeonem Metaphrastem & Mi"cha-

„chaelem hunc Psellum, ducentorum quasi an-„norum intervallum est. Prior enim vixit sub „Imp. Leone Philosopho, Basilii Macedonis fi-„lio, qui Imperii habenas anno 885. accepit. „Posterior autem imprimis sub Michaele Duca „claruit, qui anno 1059. imperare cœpit. At-„que huic Michaeli Ducæ, cujus studiis à paren-„te Constantino præfectus fuerat, σύνοψιν Le-„gum versibus panxit politicis seu popularibus. Amplectitur ergo sententiam Allatii Gerardus Vossius, neque pueriliter uti Leo Allatius recurrit ad Calabrum Senem & Franciscum de Paula, ut interpretetur verba quædam Pselli in Oratione, quæ ætati huic assignatæ contraire videbantur. Denique hoc idem argumentum juxta Allatii sententiam tractat diffuse admodum Lib. 2. cap. 25. pagg. 289. 290. 291. 292.

Idem pag. 48. Baronius in Annalibus ante annum 859. Metaphrastem vixisse, colligit ex ætate Michaëlis Pselli, qui eo anno vivebat, & Orationem in illum habuerat, qua asserit de ejus obitu audivisse eos, qui viderant felicem ipsius ad Deum transitum. Quare circa annum minimum 800. Metaphrastem floruisse necesse est, qui anno 859. jam pridem defunctus laudatur. Baronium secuti sunt plures alii, quos enumerare hic necesse non est. Sententiæ fundamentum nullum aliud erit, quam Psellus ipse Orationis auctor, qui idem ipse in ejusdem Metaphrastæ venerationem & cultum, Officium in Ecclesia concinendum composuit. Sed istud fundamentum nullum est, allataque Oratio spectat, non ad Michaelem Psellum seniorem qui anno 859. claruit, sed ad alterum juniorem anno circiter 1059. sub Michaele Duca celebrem, ut contendit Allatius. Alii aliis longèque posterioribus assignarunt temporibus, uti David Blondellus aliàs in Chronologia valde accuratus, homo navis emunctæ, in *Genealogia Francica pleniori assertione* pag. 126. Metaphrastem post annum 1080. obiisse putat. Gilbertus Genebrardus, in *Chronologia* lib. 4. pag. 631. illum ad annum 1200. refert, Raphael Volaterranus, *Anthropologia* lib. 19. pag. mihi 707. ad annum 1300. detrudit. Quod autem scribit Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 25. Gesnerum in Bibliotheca scribere, *Symeon Constantinopolitanus Ludimagister, circiter annos abhinc ducentos Græcè composuit Metaphrases, id est Vitas Sanctorum, quæ singulis mensibus propriè leguntur.* Hoc falsum est, testeque Gerardo Vossio Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 25. pag. mihi 290. Gesnerus nihil habet tale Tomo 3. Bibliothecæ verbo *Symeon:* sed istud in Bibliotheca Gesneri contracta & aucta, quæ Tiguri anno 1574. in fol. impressa, à Josia Simlero, ubi *Ludimagistrum* appellat, floruisseque vult errore enormi, Metaphrastem ante annos ducentos, hoc est, circa annum 1374. Rodulphus Hospinianus in Opere *De Templis* scribit post Simlerum, *Illum fuisse trivialem Constantinopoli ludimagistrum, mendaciorum Legendas scripsisse, nec amplius abhinc ducentis vigiti annis vixisse.* Ita libro 2. cap. 10. pag. 118. editionis novissimæ Genevensis anni 1672. in folio. Hunc errorem sic castigat Gerardus Vossius lib. 2. cap. 25. pag. 291. Quid jam dicam de Hospiniano, qui multo spis-„ siori errore censet, nonnisi ducentis viginti an-„ nis fuisse antequam ea scriberet, quod erat„ anno 1587. Quomodo fuerit Symeon, non„ multò ante annum 1366?„ Nullus itaque fermè Scriptor, qui non specialem ætatem Symeoni Metaphrastæ assignaverit, unde nihil mirum, quod ipse quoque olim in assignanda ipsi ætate erraverim.

CAPUT TERTIUM.

LEO ALLATIUS ÆTATEM SYMEONIS METAPHRASTÆ INQUIRIT, QUAM GERARDUS VON MASTRICHT ASSEQUITUR.

Contendit Allatius Symeonem Metaphrastem vixisse atque floruisse sub variis Imperatoribus, Leone illo Sapiente ac Philosopho Basilii Macedonis filio, Constantino Porphyrogenito Leonis filio ac Romano Constantini nepote & successore, ab anno nimirum 886. usque ad annum 957. vel 960. Sententiæ suæ nullum aliud fundamentum Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum scriptis* esse asserit, quam Psellum Metaphrastæ encomiastem. Ita ille pag. 48. Sententiæ fundamentum nullum aliud erit, quam Psellus ipse Orationis in Metaphrastem auctor, nam idem ipse in ejusdem Metaphrastæ venerationem ac cultum, Officium in Ecclesia concinendum composuit. Is in Canonis Ode 6. refert illum consilio atque monitu Pauli Anachoretæ munus aggressum scribendi, primum omnium colloquium illud scripsisse, & Theoctistæ Vitam graphice admodum celebrasse. Τὸ, πρῶτον σου σύγγραμμα ἐκ προνοίας θεϊκῆς, καὶ ὁμιλίας γέγονε τοῦ ἱεροῦ πρεσβύτου καὶ μοναστοῦ, Συμεὼν θεσπέσιε, ὃν ἐν Πάρῳ τῇ νήσῳ τεθεώρηκας. Et, Ἀξίως ἐξύμνησας τῆς Λεσβίας τὰ λαμπρὰ καὶ θεῖα ἀγωνίσματα, Θεοκτίστης τῆς ὄντως Ἀγγελικὸν μακροῦ καὶ ἀσωμάτου τελεσάσης πανσόφως τὸ πολίτευμα. *Prima tua Commentatio ex divina providentia, & colloquio facta est sacri senis & Anachoretæ, Symeon admirabilis, quem in Paro insula conspexisti.* Et, *Pro dignitate laudasti Lesbiæ illustria & divina certamina, vere Theoctista, a Deo fabricata, quæ Angelicam & tantum non incorpoream absolvit sapienter vita rationem.* Cum itaque certum sit, Vitam hanc Theoctistæ, quæ præ manibus omnium est, scriptam fuisse a Metaphraste, in eaque agatur de ætate Auctoris, certum quoque remanet tempus Symeonis Metaphrastæ. Quæcunque enim de se auctor, vel de Himerio contra Arabes in Cretam misso, narrat: ea evenere tempore Leonis Imperatoris, Basilii Ma-

cedonis filii, & Constantini Porphyrogennetæ patris, qui ob doctrinam & reliquas alias disciplinas quibus inclaruit, *Sapientis* sibi cognomentum accepit. Addesis Cedrenum, Zonaram, Curopalatem, reliquosque Ecclesiæ Græcæ scriptores. His Diatriba mea *de Psellis* conclusi, Symeonem Metaphrastem, Vitarum scriptorem sub Leone floruisse, muneribus ac dignitatibus auctum; sub eodem scriptionem exorsum esse, & sub Constantino Leonis filio, & nepote Romano, ætate etiam provectiorem, assiduis laboribus obsolvisse.

Hæc doctissimus Bollandus non usquequaque probavit. *Non erat tum admodum natu provectus Metaphrastes, ut qui Imperatoria virtutis tyrocinium ponere sub veterano Duce juberetur. Fuerit tum XX. aut XXII. annorum. Potuit igitur ad annum Christi CMLVII. vel CMLX. vitam deinde producere, atque ita sub Constantino Porphyrogenito Leonis filio, tum Theoctistes eam Vitam, tum alia Divorum acta elucubrasse certum videtur: non ut Allatius scribit, sub Leone & Constantino. Nam in hac Vita Leonem diserte* τὸν μακαρίτην, *felicis memoria appellat, qua ratione de mortuis loqui solemus. Si ea prima ejus Commentatio fuit, nihil igitur sub Leone scripsit, quod quidem ediderit in lucem. Neque Alexandro rerum potiente, ita laudare Himerium ausus esse, qui pracipue publicas res tractare sub Leone cœpit.* Alii etiam addunt, *valde adolescentulum in Cretam profectum fuisse.* Pendamus rem suo pondere, idque ut accuratius succedat, verba Symeonis recitemus ex Vita Sanctæ Theoctistes. Γενομένῳ μοί ποτε κατὰ τὴν Πάρον, γέγονε δέ. καὶ γὰρ ἐπὶ Κρήτην διέπλεον, ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Λέοντος ἐκεῖσε πεμφθείς. Λέοντος φημὶ τοῦ εὐτυχοῦς ὄντως βασιλέως, καὶ τὴν εὐτυχίαν Ῥωμαίων τῷ τάφῳ ἀναβάψαντος. ἐπεμπόμην δὲ συστρατευόμενος Ἡμερίῳ τῷ πάνυ, τῷ στρατηγικωτάτῳ δηλαδὴ καὶ ἄρχοντι τοῦ τε Δρόμου καὶ τοῦ στόλου παντός, ἢ τό γε ἀληθέστερον ποιήσαμενος &c. καὶ μικρὰ τούτου μνησθεὶς ἀτιμάσω τὸν ἄνδρα, ἐπὶ τὴν παροῦσαν τέως ὑπόθεσιν εἶμι, ἐκείνου κατὰ καιρὸν μνησθησόμενος. Ἐστελλόμην τοιγαροῦν τοῦτο μὲν ἐκείνῳ συστρατευόμενος, καὶ προβιβαζόμενος εἰς πεῖραν στρατηγικὴν, οἷα πῶλος μητρὶ πρὸς τὰ γενναιότατα τῶν στρατηγημάτων συσκαίρων. Οὕτω γὰρ ἦν ὁ τοῦ μακαρίτου μου βασιλέως σκοπός. τοῦτο δὲ πρεσβευόμενος πρὸς τοὺς τὴν Κρήτην ἔχοντας Ἄραβας. *Cum aliquando in Paro essem insula, fui autem. Nam in Cretam navigavi, a Leone beata memoria eo missus, Leone inquam illo vere fortunato Imperatore, qui ipsam Romanorum felicitatem secum intulisse in sepulchrum videtur. Mittebar autem una militans cum clarissimo illo Heinerio, utpote ducendi exercitus peritissimo, Dromi prafecto, qui & universa classi imperabat, aut ut verius dicam, ipsis animi perturbationibus. Sed ne multis efferendam laudibus, illius peritiam belli administrandi obiter attingens, levi ejus facta mentione, dedecus ei potius videar inussisse: ad propositam interea narrationem redeo, de eo opportunius dicturus alias. Mittebar igitur partim cum eo militans, & ad Imperatoria artis documentum aliquod promovendus, ut equulus matri, ad praclara ejus stratagemata assiliens, id enim pracipue Augustus spectabat: partim ut ad Arabas Cretam obtinentes legatione fungerer.*

Planum est, dum hæc Metaphrastes componeret, Leonem Imperatorem vita defunctum fuisse, non ex verbulo tantum τοῦ μακαρίτου: sed quod id apertissimis verbis enuntietur, Λέοντος φημὶ τοῦ εὐτυχοῦς ὄντως βασιλέως, καὶ τὴν εὐτυχίαν Ῥωμαίων τῷ τάφῳ ἀναβάψαντος, *Leone inquam illo vere fortunato Imperatore, qui ipsam Romanorum felicitatem secum videtur in sepulchrum intulisse.* Quod autem *tunc esset valde adolescentulus*, vel *non esset admodum natu provectus*, vel *fuerit tunc viginti aut viginti duorum annorum*, ut vult Bollandus: hoc vero non probatur. Quin imo si res, de qua agit, attentius consideretur: multo videtur natu grandior, & mediam hominis ætatem decurrens. Ait enim de se in Vita eadem, Ἐγὼ δὲ περιεργότερος ὢν, καὶ συνιέναι δεινὸς ἤθος ἀνδρός, *Ego cum essem curiosior, & satis solers ac sagax mores hominum percipiendi.* At solertiam sagacitatemque consimilem, & longo experimento, & ætate provecta consequimur. Quis prætera adolescentem cum tanto Duce simul militantem constituere voluisset? Quis imberbem Oratorem ad Reges, & potissimum ad Barbarum misisset, qui veneranda barbataque ut ita dicam forma magis flectuntur, in qua credunt sapientiam, prudentiam, fidemque inesse: quam imberbi ac depile facie, cujus in peragendis negotiis nullam rationem habent? Imo (inquit pag. 51) si verum est, quod nos conjectura non levi ducti asseruimus, neque illam improbavit Bollandus, Symeonem a Secretis sub hoc Leone, non alium fuisse, quam Symeonem hunc Metaphrastem: qui aurum à Rhodophillo relictum, Leoni Tripolitæ infami Apostatæ obtulit, ut eum ab excidio Thessalonicensi averteret, ideoque dignitatibus ab Imperatore auctum. Jam habemus certissime, Symeonem eo tempore quo Cretam adnavigabat, ætate plenum fuisse: tantum abest, ut valde adolescentulus esset, & infra viginti tres annos ætatem numeraret. Expeditio enim Himerii anno Christi 902. ponitur, imperii Leonis anno decimo septimo. Pacta autem Rhodophylli & Symeonis cum Leone Tripolita, anno Christi 904. a Joanne Caminiata illius ævi scriptore, & qui rebus aderat, recensentur in libro *De Excidio Thessalonicensi*, in quo Symeonem hunc ætate provectum vocat, Ἄνδρα φρονήσει βεβηκότα καὶ διὰ πείρας ὄντα πολλῶν πραγμάτων, *Virum prudentia provectum & multarum rerum experientia munitum.* Profert autem Leo Allatius, ex verbis Joannis Caminiatæ, auctoris non passim agniti, Legationem hanc Rhodophylli & Symeonis non ita obviam, & jejune admodum a Cedreno narratam,

In

in hac Diatriba *de Symeonum Scriptis* p. 51. & sequentibus, quam hic ob prolixitatem omittimus.

Idem pag. 55. Et ut magis urgeam, Symeon ipse suam eo tempore ætatem edisserit, qui in Vita Sanctæ Theoctistes rogatur a Symeone Anachoreta ne scribendi onus detrectet, causasque prætendat, quibus se a suscipiendo scribendi munere subtrahat. Causas quas afferre poterat Metaphrastes, præcipuæ esse poterant, λόγων ἀπορίαν, δουλείας, γυναῖκα καὶ τέκνα, οἴκοι φροντίδας: *Dicendi inopiam, servitiorum frequentiam, uxoris & filiorum molestiam, & domus proprias curas.* Neglectis reliquis, duas sed brevissime examinabo, nempe δουλείας: nam *servitia publica* illi fuisse ab Imperatore in variis negotiis Reipublicæ demandata, dubium non est. Ergo non tum primum Legati munere fungebatur, sed similibus assuetus atque exercitus, ut sine mendacio aliquid sibi imponendi ad exequendum laborem, denegandumque quod petebatur, satis essent. Altera est, uxor & filii Σὺ μὲν ἴσως προφασίσῃ περὶ ὧν ἀξιοῦν ἐθέλωσι τὴν ἀγάπην, ἀπορίαν λόγων, ἢ δουλειῶν ἀφορμάς, ἢ γυναικὸς καὶ τέκνων καὶ οἴκου φροντίδας, ἢ τινὰς ἄλλας αἰτίας: διακρουόμενος ἡμῶν τὴν ἀξίωσιν. Ἐγὼ δέ σοι καὶ εὐημερίαν καὶ εὐπορίαν πάντων ἐπαγγέλλομαι, καὶ πολλὴν εὐχερίαν εὑρεῖν. *Tu quidem forsasse ad te excusandum de non suscipiendo eo, de quo sum tuam rogaturus charitatem, in medium adduces sermonum inopiam, aut servitiorum occasiones, aut uxoris & liberorum & domus curam, aut aliquas alias causas, recusans id, de quo nos te rogamus. Ego autem tibi rerum prosperitatem, fertilitatem & abundantiam rerum omnium polliceor, & fore ut magnum, tibi suppetat otium.* Quomodo ergo qui majora in Republica opera sustinere & poterat & solebat, quique uxori adjunctus liberos ex illa plures susceperat; viginti duorum vel viginti & quatuor annorum erat, & nimis adolescentulus, & non potius quadraginta aut triginta quinque annos ad minimum natus? Ordo quoque ipse rerum gestarum id postulat, id exposcit, id stabilit. Antequam enim Metaphrastes munia publica, & legationes apud exteras nationes obiret, in aliis officiis quæ privatim & inter domesticos parietes exercentur, apud Imperatorem sui specimen dederat: atque eum in arcanis & secretis consiliis fides illius innotuit, tum sane Imperatorum mandato publicas curas suscepit. Sic enim Psellus diserte affirmat, Καὶ πρῶτα μὲν ταῖς μυστικωτέραις ἐφεστήκει τῶν πράξεων, καὶ τοῖς ἀπορρήτοις βουλεύμασι κοινωνὸς παρειστήκει τοῖς συμβουλεύουσιν. Ἐπεὶ δ' ἡ τοῦ τρόπου πίστις ἐν τούτοις τοῦτον ἐκήρυξε, μετὰ τῶν ἀδύτων, καὶ τὰς κοσμικὰς φροντίδας συνείληφεν, ὡς αὐτὸν γεγενῆσθαι εἰσαγγελέα τε τῷ κρατοῦντι τῶν ἔξωθεν, καὶ ἐξαγγελέα τῶν τοῦ κρατοῦντος τοῖς ἔξωθεν. *Et primum quidem præfuit rebus magis arcanis, & secretorum consiliorum fuit particeps cum consulentibus. Postquam autem ejus fides fuit in his rebus spectata & prædicata, simul cum arcanis publicas quoque curas suscepit: adeo ut Imperatori renuntiaret ea, quæ afferebant exteri, & rursus exteris, quæ jubebat Imperator.* Hæc Allatius contra Bollandum, qui Symeonem Metaphrastem sub imperio Leonis Sapientis adolescentem tantum aut juvenem volut, virum autem ætate maturum sub imperio Constantini Porphyrogeniti & Romani Nepotis. Quæ modici vel nullius momenti sunt. Inquisivit ætatem Symeonis Metaphrastæ Leo Allatius, quam dum invenisse se putavit, in errorem lapsus, alios in eundem post se adduxit. Solus ætatem veram hujus Symeonis assecutus est Gerardus von Mastricht in Duisburgensi Academia Juris & Historiæ Professor in *Historia Ecclesiastici juris & Pontificii,* num. 290. pag. 322. 223. 324. quem *Gratiano Decretorum Collectori* supparem facit, atque anno 1150. adscribit his verbis. *Hoc quoque tempore vixit Simeon Magister & Logotheta, seculo nimirum duodecimo medio, inter Collectores seu Epitomatores canonicos non prætereundus. Eum Aristino posteriorem Justellus facit. Dignitates ejus indicat, quod Magister dictus sit & Logotheta De priore* &c. Edita hæc Historia seu Tractatio, *De ortu, Progressu, incrementis, Collectionibus, Auctoribusque Juris Ecclesiastici & Pontificii,* anno 1686. Amstelodami in 8.

CAPUT QUARTUM.

SENTENTIA FRANCISCI SCORSI ET RATIONES, DE ÆTATE SYMEONIS METAPHRASTÆ, AB ALLATIO REFELLUNTUR.

Convellit sententiam Francisci Scorsi e Societate Jesu Theologi, Leo Allatius in Diatriba & quidem diffusissime ac doctissime omnium, a pag. 60. ad 67. quam confutationem prolixam licet, hic referre ob præstantiam, non gravabor. Sic igitur pag. 60. Quid vero Franciscus Scorsus ex eadem societate Bollando dixerit, inspiciamus. Optime potuisse Metaphrastem a Psello seniore laudari, antiquiorem a recentiore. Metaphrastæ enim meminit Theophanes Cerameus & Homilia de Lazaro suscitato, ὁ δὲ τῶν Μεταφράσεων γλυκὺς συγγραφεὺς παῤῥησίας εἶπε λόγον εἶναι δηλωτικόν, *Metaphraseon vero suavis scriptor, fidentem ac liberum animum a sermone indicari censet,* & in quarto Matutino. Ἀλλὰ περὶ τούτων ἄμεινον ἐμοῦ λέγει τῶν Μεταφράσεων ὁ γλυκὺς συγγραφεύς. *Sed de his melius, quam ego id faciam, scriptor ille dulcis Metaphraseon disserit.* Et in quinto. Καὶ ὡς ἂν μὴ καὶ ἡμεῖς δόξωμεν ἀπεοικότα μαντεύεσθαι, ἀξιόχρεων ἐνταῦθα παράγωμεν μάρτυρα Συμεώνην, τὸν τὰς Μεταφράσεις εὖ μάλα συνθέμενον. Ἀποχρῇ οὖν οὗτος ἐν τῷ εἰς τὸν ἱερὸν Λουκᾶν ὑπομνήματι τοῦτο ποιήσας. *Ac ne nos etiam sine probabili causa divinare velle videamur, fide dignum testem ad hanc rem producamus, Symeonem illum, qui Metaphrases præclare composuit. Satis igitur sit hic, qui in Sanctum*

tum Lucam Commentario existimavit. Meminit itaque Metaphrastæ Theophanes, sed Theophanes vivebat tempore Basilii Macedonis, & Leonis illius filii: ergo Metaphrastes antiquior Theophane, potuit a Psello seniore laudari, qui sub Michaele III. circa annum Domini 860. vivebat: eoque magis, quod de Metaphraste tanquam fatis functo, & plurimam apud omnes auctoritatem assecuto, quod in paucis annis non fit, sermo habeatur. Cadunt ergo tot Bollandi computi cap. sequenti exprimendi, exactæque temporum discussiones, dummodo verum sit, quod de ætate Theophanis tradit Scorsus. Constituit autem Scorsus duos annorum intercurrentium terminos, intra quos Theophanem vixisse, certum omnino censet. Primus est annus 862. argumento Jacobi Gretseri tom. 2. *de Cruce* in Notis ad duas Orationes Theophanis, qui putat eum floruisse, quo tempore Sicilia nondum tota a Saracenis esset subacta, quod est circa annum 900. Alter est annus, quo captum a Saracenis Tauromenium fuit, quod sub Leonis Basilii Macedonis filii imperio contigisse, tradunt Constantinus Porphyrogenneta Leonis filius Lib. 2. *Thematum Imperii Orientalis*, Joannes Curopalata, & alii recentiores, quem fuisse annum 893. pluribus antiquorum monumentorum testimoniis probar. Floruit itaque Tauromenii ab anno Basilii tertio, qui Christi 870. fuerit, usque ad Leonis annum decimum sextum, qui est 902. Idem probet aliis ejusdem Auctoris locis. In homilia *De parabola Cœna* vocat Agarenos ὁμόρους ὁποίους ὁρῶμεν, τοὺς ὁμόρους ἡμῖν ἀπογόνους τοῦ Ἰσμαὴλ: *Cujusmodi videmus hos finitimos Ismaëlis posteros.* Homilia *de Sanctis Apostolis Petro & Paulo*, magnifice oxornat templum conditum ab Imperatore Basilio in Palario Constantinopoli. Συνήδομαί σοι πόλις, καὶ σοὶ θεῖε τῶν ἀνακτόρων ναέ: *Gratulor tibi civitas, & tibi sacrum in Palatio templum erectum.* Concludit hoc palmari argumento, quo rem omnem evidenter evincere confidir. Nam idem Theophanes scribit ad amussim Imperatores, pro quibus in perorando Deum deprecatur homilia in *Festo Palmarum.* Ἐπευχόμενοι τὸ θεοφρούρητον κράτος τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως ἡμῶν, τοῖς ὑιοῖς αὐτοῦ διαμένειν ἀσάλευτον, ἐκτείνεσθαι καὶ κατευοδοῦσθαι, ὑπὸ θεοῦ τοῦ κοσμήσαντος τοῦτον σοφίᾳ καὶ ἀνδρείᾳ, καὶ βασιλικῷ διαδήματι. *Oremus etiam, ut pissimi Imperatoris nostri imperium divinitus custoditum filiis etiam ejus permaneat inconcussum, ut intendat, & prospere Dei ductu procedat, qui hunc sapientia, & fortitudine, & Imperatorio diademate exornavit.* Et Homila de Sanctis Apostolis, Ἀδιαλείπτως εὐχόμενοι ἐν πολλαῖς ἐτῶν περιόδοις τὸ κράτος διαφυλάττεσθαι τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως ἡμῶν, ὃς εὐσεβείᾳ τῆς ἀρχῆς ἰθύνει τοὺς οἴακας, καὶ λόγοις κοσμεῖ τὸ διάδημα, καὶ χρηστότητι τρόπων κοσμούμενος ἐξ ἀρετῆς γνήσιον ἔχει τὸν ἔπαινον. *Et sine intermissione Deum oremus, ut per multa annorum spatia, pio nostro Imperatori conservet potentiam, qui dum clavum Imperii per pietatem dirigit, & cum morum probitate ornatus ipse sit: tum etiam diadema doctrinis exornat, veram ingenuamque obtinet laudem.* Subdit Scorsus. *Quis autem est obsecro alius hic Imperator, qui sapientia ornatus, & diadema doctrina exornavit: nisi Leo Basilii Macedonis filius, qui sapiens, seu Philosophus ab omnibus scriptoribus cognominatur. Et rem insuper, mentio filiorum Imperatoris, qua fit a Theophane, valde corroborat: habuit enim Basilius quidem Leonem hunc atque Alexandrum.* Addere porerat, *Constantinum & Stephanum.* Proeterea id idem probar Epistola Photii Patriarchæ ad Theophanem Monachum missa, quam integram Græce simul & Latine descriptam edidir in Procemii Secundi §. 3. quem Theophanem esse Cerameum suadet, ur Scorsus conjectat, Sicilia ipsa cujus fit mentio in ipsa Epistola: eo quod cum aliis Epistolis una reperiatur, quæ & Gregorio Syracusano Episcopo, & Euthymio Catanæ Metropolitæ, & Marco Siculo scriptæ sunt, & temporis ratio, quam dicit se infra subtilius supputaturum. Theophanes igitur, qui eo tempore Monachus erat, postea ad Episcopi dignitarem evectus, Zachariæ successor fuir. Et hæc quidem Scorsus Bollando reponeret.

Quid Scorso Bollandus? Pauca, sed pro re. Metaphrastæ ætarem sub Leone ut Constantino ejus filio, certissimam ex Psello haberi, frustra aliam inquiri, huic conjecturas omnes ex ætate Theophanis nullas esse. Etenim si Theophanes Meraphraste recentior est, ut plane est, cum ipse Metaphrastæ tanquam antiquioris, & auctoritatis jam adultæ, meminerit: & Metaphrastes sub Leone & Constantino vixerit: necesse est Theophanem subsecutis temporibus ætatem egisse, rueręque omnia Scorsi, quibus ætatem Theophanis sub Basilio & Leone constabilit, & terminos illos annorum intercurrentium, inter quos Theophanem vixisse censet, leves esse, ne quid pejus dicam. At floruit ante Tauromenium a Saracenis captum, quod sub Leonis Basilii Macedonis filii imperio captum fuit, quia Tauromenii concionem habens, Saracenos ὁμόρους, *confines* vocar. Plura hic probanda fuerant, 1. concionem illam Tauromenii habitam esse. 2. cum concio illa habebatur, nondum Tauromenium a Saracenis subactum fuisse. 3. Tauromenium semel occupatum a Saracenis, nunquam a Christianis recuperatum: quæ nec probata sunt, nec unquam probari poterunt. Quare potuere esse Saraceni finitimi, sed non Tauromenio, at urbi in qua ipse perorabat: & perorasse Theophanem in aliis urbibus, non uno exemplo idem Scorsus probovit. Sic finitimos esse, non tantum urbi in qua sumus, proximos: sed eos etiam, qui provinciæ in qua sumus, & imperii limitibus adjacent. Ita Turcæ finitimi sunt Italiæ, & Siciliæ Africani, & Poloniæ Tartari. De Templo Sanctorum Apostolorum in Palatio,

nihil

nihil est, non unus Basilius id solum conatus est. Et πόλιν eo loco Byzantium quis dicit? Verumtamen palmare argumentum excutiamus. Bona precatur Imperatori & filiis, quem dicit & sapientia, & fortitudine, & diademate a Deo exornatum: & imperium per pietatem dirigere, cum morum probitate, tum etiam doctrinis præditum. Id ait, non nego. Leo Imperator fuit pietate & doctrina insignis, adeo ut Sapientis cognomentum sibi adsciverit. Verum est. Ergo de Leone Imperatore verba illa intelligenda sunt. Hoc vero nequaquam, nunquam id nisi dormiens affirmabo. Imperator qui filios habet, ille est, qui & virtutibus, & disciplinis pollet. Id si de Leone intelligas, falsum est: quamvis enim ille & pietate & doctrina excelluit, nunquam tamen filios habuisse dicendus est, qui unico tantum superstite, eoque puerulo adhuc Constantino, vitam finiit. An non insaniret Theophanes, probeque ab Imperatore, aliisque irrideretur, filium unicum in filios, eosque plures discerpens? Si de Basilio, falsum quoque est: quamvis enim ille filios habuerit, nunquam tamen eum & doctrina & disciplinis præstasse dices. Is arti militari deditus, & corporis viribus strenuus, non doctrina, aut sapientia innotuit. Et licet sub ejus nomine & Capita Parænetica ad Leonem filium, & nonnulla alia circumferantur: non propterea Sapientis, vel Philosophi sibi nomen, eorum auctor vindicabit. Quare certo certius concludendum, Theophanem non deprecari Deum, neque pro Basilio, qui disciplinis ornatus non fuit: neque pro Leone, qui filios non habuit. De Epistola Photii ad Theophanem, nihil est quod dicam, quomodo enim scribere potuit Photius sub Basilio Theophani Carameo, qui mentionem facit Metaphrastæ, sub Leone Basilii filio, & Constantino nepote vitam agentis, nisi rerum ordinem invertamus? Fuerit eo tempore & Marcus Siculus, & Euthymius Catanæ Metropolita, & Gregorius Syracusanus, ad quos scribit Photius, fuerit & iste Theophanes Monachus: ergone statim iste Theophanes erit Cerameus ille, cujus istæ Homiliæ leguntur, & quod magis est, Zachariæ successor?

CAPUT QUINTUM.

QUO TEMPORE VIXERIT THEOPHANES CERAMEUS?

PErgit idem pag. 63. Quonam ergo tempore vixit Theophanes, quærat cui placitum est. Satis sit nobis ostendisse, eum Basilii Macedonis, & Leonis illius filii ævum, posteriorem multo esse: & quam ipse se invenisse Scorsus profitetur, Metaphrastæ ætatem adeo antiquam, ut à Psello seniore laudari potuerit, fabulam esse. Sed ne in argumento tam serio jejuni esse videamur, non aliud in gratiam studiosorum afferemus, quam quod ipse Scorsus convellere conatur, & in aliam atque aliam sententiam traducere: In Homilia dicta die Dominico Palmarum, inscriptio illa, Ἐλέχθη δ' ἐνώπιον τῦ Ῥηγὸς Ῥογερίυ, *Dicta est præsente Rogerio*: quamvis à duobus Gallicanis Codicibus absit, ab innumeris tamen aliis manuscriptis recipitur, tanquam antiqua & genuina: licet in aliquibus ita descripta sit, ut nomen Rogerii per Compendium signet: nam quod exprimitur in linea ῥογ̃, supra lineolam expansam apertissimè υ agnoscitur. Quod indicat inter primas literas in linea, & alias supra in spatio medio aliquid deesse, ideoque facili negotio suppleri, si extentè Ῥογερίυ nomen proferas. Nam si ῥόγυ enuntias, miram Scriptoris inconsiderantiam, atque ineptiam deprehendes, qui nullo fructu ut ita dicam, literarum fœnore nomen illud ea ratione decurtavit, quod poterat facilius eadem lineâ integrum exprimere. Tum enim nomina ita decurtantur, ut literæ alias in lineà pari exprimendæ, quodammodo interceptæ, ex indice superioris lineæ & literarum, integræ habeantur. Quod fit à Scriptoribus vel cum inopia papyri urget, vel tempus breve moras sollicitat: sæpius etiam ad scripturæ concinnitatem & elegantiam, & potissimum Græcæ, quæ similibus literarum tractibus, & decurtatis syllabis venustatur. Jam Scorsi machinæ examinantur. Regis Rogerii tempore Tauromenitanum Episcopum floruisse, vel etiam fuisse in Sicilia, nemo dixerit vel lectum vel traditum, modò historiarum lectione, & præsertim Siciliensium rerum, paululum imbutus sit. Probat testimonio Gaufridi Maiaterra eorum temporum scriptoris, qui in sua Historia unius tantum Panormitani Archiepiscopatus restitutionem à Rogerio Comite, & Duce Roberto commemorat. *Qui sanè cum tam diligenter eorum temporum facta describat, si quis alius ab illa clade incolumis evasisset Episcopus, dicere certè non omisisset.* Siluerunt Thomas Fazellus & alii, quorum hoc ipsum fuit institutum, perscrutari & in lucem producere notitiam Episcoporum. Si aliquid de Tauromenitano Episcopo ad Rogerii Regis tempora superstite, alicubi scriptum esse reperissent, evulgassent. Et cum de aliis Episcopatibus restitutis sive erectis, tum a Rogerio, tum a sequentibus Regibus memoria habeatur: Si Tauromenitanus instauratus a Rogerio Rege fuisset, id aliquis Scriptor memoriæ prodidisset. Propterea inscriptio τῦ Ῥηγὸς cum iis non convenit, quæ in ipsa Homilia dicuntur, in qua βασιλεὺς appellatur, *Cujus præsentia, quam nunc timeo, & contremisco sudore aspersus, pavore occupatus, reverentia detentus, pavente anima, nutante mente, & subsultante corde, intercluso etiam vocis sono, quod βασιλικαῖς ἀκοαῖς, Imperatoris auribus sermonem, quasi salsugine amarum propino.* Tanta demissio, tantusque dicentis tremor, nonnisi ab Imperatoria majestate excitari posse videtur. Nomen βασιλέως convenire Rogerio non potuit, & so-

solum appellatos Imperatores a Michaelis Tertii temporibus usque ad Concilium Florentinum, trecentis post Rogerium annis celebratum, eumperitur. Hinc, nec non ex diademate, & consessu, adventuque Episcoporum, quæ non alibi quam in ipsa urbe Constantinopoli congruentius evenire posse videntur: & frequentia Ducum, & Magistratuum aulæ Constantinopolitanæ, illam Homiliam Constantinopoli habitam, & titulum corruptum, suspicatur Scorsus. Et cum eo die Imperatores olim ac Patriarchæ *ῥόγας*, hoc est, munera & dona distribuerent: emendat, & vestibus aliis circumvestit, reponens *ἐλέχθη δ' ἐν τῇ ῥόγᾳ*, vel fortassis *ἐνώπιον τῆς ῥόγας*, reipsa & distributione munerum, pro conventu consessuque sumpta. Quod ab ignorantibus, quid sibi velit *ἐν τῇ ῥόγᾳ* vel *ῥόγυ*, & hariolantibus nomen illud esse concise scriptum pro *Ῥογερίυ*, ad titulum ipsum addidisse *τῦ Ῥηγός*. Quæ ita velim a Lectoribus accepta, ut ex his illud se scire Scorsus profiteatur, non esse eam Homiliam ad Rogerii tempora referendam: cætera autem de Epigraphe ut excogitata a se & opinata, non explorata atq; comperta dici.

Subtilis est & acuta satis Rogerii in *ῥόγυ* vel *ῥόγας* immutatio, ut tantum antiquitatis Theophani servetur sub Basilio & Leone. Eam tamen nullam esse, cum ut opinor abunde supra demonstratum sit, nulla causa fuerit, ut vires ingenii ad tot comminiscenda exerceamus. *Rogerii avo nullus fuit Tauromenitanus Episcopus, comprobaturque silentio Scriptorum.* Argumentum ab auctoritate negativa, quantum valeat, doctissimi quique viri sciunt: cum omnia Scriptorum monumenta non sint ad manus. Et forte fuit qui illius meminerit, incuria tamen hominum vel injuria temporum cum deperditus sit Scriptor, non potuit nobis indicari. Id de Panurmitano etiam restituto contigisset, nisi superstes Gaufridus Malaterra memorasset. Et Rogerii tempore, plures in Sicilia Episcopos Græcos fuisse, probari potest ex Rogerii Ectypo, cujus Græcam inscriptionem nobis Scorsus ab aliis acceptam expressit. Qua enim causa Rogerius Græcis litteris nomen imprimi suum procurasset, si à nemine vel intelligeretur, vel legeretur, & præsertim eo tempore, quo barbaries ferè omnia occupaverat, extinctis literaturæ politioris luminibus? Et sanè nemini dubium esse debet, eo tempore Græcis Siciliam abundasse, nondum per Latinos Græcis Episcopis expulsis? vel summo etiam studio à Rogerio ipso, cui cum Romanis Pontificibus inimicitiæ fuere, & magnæ rei familiaris controversiæ, procuratis: ut medio schismate, vel eorum quoque auxiliaribus conatibus, se suis hostibus redderet formidabiliorem. Dicit Malaterra Rogerium & Robertum, adepto Panormo Ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ antiquitus Archiepiscopatus fuerat, violatam à Saracenis, reconciliata dote, & ornamentis Ecclesiasticis auxisse, renovantesque restituisse Archiepiscopum natione Græcum, qui in paupere Ecclesia Sanctæ Cyriacæ cultum Christianæ religionis pro posse exequebatur. Quidquid sit de Tauromenitano Episcopo, ex his Molaterræ verbis nihil de Latinis Episcopis elicitur.

Imò si verba illius attentius considerentur, Panormitanus Episcopus Græcus erat natione, in templo Sanctæ Cyriacæ commemorans, & fortè etiam Græco ritu ordinatus, Græcoque ritu cultum Christianæ religionis exercens, & hunc eundem non alium revocantes restituerunt. Solent id Græci, etiam sub tyrannide Barbarorum & Christianæ religionis hostium, Episcopos a se ordinatos mittere in eas urbes, in quibus antequam a Barbaris occuparentur, jus aliquod adepti fuerant. Imò hoc eodem tempore Rogerii, ferè per universam Siciliam & urbes illius præcipuas, Græcos Episcopos a Patriarcha Constantinopolitano ordinatos, jurisdictionem & potestatem in eos populos excrevisse, habeo ex auctore illius ævi Nilo Daxapatrio, qui *De quinque Thronis Patriarchalibus* rogatus ab eodem Rogerio, ad eundem Rogerium scripsit, & præfatur. *Σύγγραμμα γενόμενον παρὰ Νείλυ Ἀρχιμανδρίτυ τῦ Δοξοπατρὶ, κατὰ κέλευσιν τῦ εὐγενεστάτυ μεγάλυ ῥηγὸς Ῥογερίυ, περὶ τῶν πέντε Πατριαρχικῶν θρόνων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτὺς Ἀρχιεπισκόπων καὶ Μητροπόλεων, καὶ τῶν ὑπὸ τὰς Μητροπόλεις Ἐπισκόπων, καὶ τῶν ἐνοριῶν ἑκάστυ Πατριαρχικῦ θρόνυ, καὶ πῶς καὶ πότε συνέστη ἕκαστος Πατριαρχικὸς θρόνος, καὶ περὶ τῆς τάξεως αὐτῶν καὶ τῶν ἰδικῶν ἑκάστυ ὀνομάτων, καὶ πῦ λόγον ἐπέχυσι· συνεγράφη δ' ἔτει ςχνα. ἰνδικτιῶνος ς Πανευγενέστατε αὐθέντα μυ. περὶ ἧς μοι ἔγραψας ὑποθέσεως μέμνημαι. ὅτι ἐν τῷ καστελλίῳ Πανόρμου ὢν ἔγραψα πρὸς τὴν σὴν ἀντίληψιν πλὴν ὐχ ὕτω πλατύτερον, ὡς νῦν ἠρώτησας. νῦν δὲ πολλὰ εἰσι τὰ ἐρωτηθέντα καὶ χρεία λεπτοτέρας γραφῆς, καὶ διηγήσεως. Διὰ τῦτο καὶ παντὸς πόνυ καταφρονήσας, τῦτο γὰρ ἐκ χρέυς ἐστὶν ἀπαραιτήτυ ὀφειλόμενον, τὸ ὁλοψύχως ἐκπληρῶν τὸ παρὰ τῆς σῆς μεγαλυπερόχυ ὑπεροχῆς ἐπιτεταγμένόν μοι, μετὰ καὶ προτροπῆς τῦ ἁγίυ μυ πατρὸς, πειράσομαι διὰ βραχέων ὅσον τὸ κατὰ δύναμιν διὰ γραφῆς σαφῶς παραστῆσαι πάντα τὰ ἐπιτεταγμένα μοι. Commentarius concinnatus à Nilo Doxopatrio Archimandrita, jussu nobilissimi magni Regis Rogerii, de quinque Patriarchalibus Thronis, & illis subjectis Archiepiscopatibus, & Metropolitanibus, & qui Metropolitanibus subduntur, Episcopis, & Diœcesibus uniuscujusque sedis Patriarchalis. Et quomodo & quando, Patriarchici Throni instituti sunt, & de eorum ordine, & propriis nominibus, & cujus locum teneant. Concinnatus est anno 6651. Indictione duecentesima. Perquam illustrissime Domine mi, de eo quod ad me scripsisti argumento, recordor me cum in Castro Panormo essem, ad quæstionem tuam rescripsisse, non ita tamen diffuse, ut nunc postulasti.* Nunc

Nunc verò quæ à te poscuntur, pleraque sunt, indigenique scriptione & enarratione exactiore. Proptereà omni labore neglecto, hoc enim ex debito quod effugere nemo valet, sibi debetur: toto pectore & animo explere, quidquid à tua perexcelsa Eminentia mihi imponitur, & potissimum cum Sancti Patris mei imperium accedat, conabor breviter, uti potero, scriptione plana atque aperta commissa mihi omnia complanare. Si Rogerii tempore nulli erant Episcopi Græci in Sicilia, frustra de quinque istis Patriarchalibus thronis, & eorum subjectis Episcopis, Rogerius quæsivisset: frustra enim eorum, quæ ad nos non spectant, cognitio quæritur. Hic Nilus itaque cum de Episcopis Patriarchæ Constantinopolitano obnoxiis ageret, Syracusani in Sicilia meminit, cujus inter Episcopos viginti & unum subjectos, secundo locu Taurominitatum ponit. Illius verba in Syntagmate nostro *De Ecclesia Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione*, lib. 1. posuimus. Primum enim locum Catania, secundum Tauromenium, tertium Messana occupat. Et anteà dixerat, suo ævo Episcopatus a se numeratos, inter quos & Sicilienses fuere, quos ipse fuisse sub Patriarcha Constantinopolitano commemorat. Νῦν ἐν κατέχει ὁ θεοφρέρητος θρόνος Κωνσταντινουπόλεως, ὃν ὁ πρωτόκλητος Ἀνδρέας ἐνίδρυσεν, πρῶτος Ἐπίσκοπον ἐν αὐτῷ καταστήσας, τῆς πόλεως ἔτι Βυζαντίου οὔσης, μέρος οὐκ ὀλίγον τῆς Εὐρώπης, καὶ τῆς Ἀσίας, καθὼς ἑξῆς δηλώσομεν. *Nunc igitur possidet à Deo custoditus thronus Constantinopolitanus, in quo adhuc cum esset Byzantium, primum vocatus Andreas, primus instituit Episcopum, partem non parvam Europæ, Asiæque, ut infrà indicabimus.* Potuit ergò Theophanes Rogerii tempore, esse Episcopus Tauromenii, & coram Rogerio homiliam illam habere.

Quanam igitur ratione, voce βασιλέως, illiusque titulis Rogerium Regem præter Græcorum morem, insignivit? Tyrannis Rogerii, ambitio, fastus, tum Græcorum subditorum adulatio, qui de eo bene mereri cuperent, id fecit. Solemne id fuit Græcis proprios Dominos, non quibus illis debebantur titulis, sed multo amplioribus adornare, ut eos sibi simili titulorum liberalitate conciliarent. Et ne plura hìc aggeram ex eodem, ex quo Scorsus contrarium constabilire conatur, probatur à Niceta, & constantissimè Photius illis iisdem temporibus, quibus controversia hæc inter Orientales atque Occidentales agitabatur, pollicetur Imperatori Occidentali atque Imperatrici, si sibi morem gererent, eosdem se βασιλεῖς proclamaturum. Δώροις γὰρ λαμπροῖς ὅτι μάλιστα τὸν Ῥῆγα Φραγγίας Λοδόηκον, καὶ Ἡγγελβέργαν δὲ τὴν αὐτοῦ γαμετὴν, ὑποποιούμενος βασιλεῖς τούτους ἀνευφημεῖν ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπηγγέλλετο, εἴ γε συνεργήσειεν αὐτῷ πρὸς τὴν ἄτοπον ταύτην καὶ ἄθεσμον ἐπιθυμίαν, καὶ τὸν δίκαιον ἄνδρα τῆς κατ' αὐτὸν Ἐκκλησίας βιαίως ἐξωθήσειεν. *Magnis eorum muneribus præcipuè Regem Franciæ Lodoechum, & Engilbertham ejus uxorem sibi propitios reddens, eos Imperatores, Βασιλεῖς, in urbe Constantinopoli se proclamaturum pollicebatur: Si sibi opem ferrent in hac re adeò absurda, & injusta, ut Sanctum illum virum ab Ecclesia per vim ejicerent.* Si Patriarcha in urbe Byzantii, reluctante ac contendente Imperatore, nomen hoc exteris tribuisset: quanto magis minor Episcopus in propria Diœcesi, tyranno ac impio, & fontè etiam ambitiosè affectanti, extra urbem Constantinopolitanam? Ne quid de minoribus etiam Principibus dicam, qui hòc idem inter Græcos obtinuerunt. Etsi *Serenitatis* titulus Præfecto Vrbi tributus est, quare is non potuit & honestiori respectu, Rogerio tribui? Concludam argumentum, si altero ejusdem ævi scriptoris testimonio probavero, Rogerium honorum similium ac dignitatum perquam cupidum fuisse, nomenque Imperatoris summopere captasse. Is est Joannes Cinnamus *Historiæ* Lib. 3. Ῥογέριος δ' ἐπειδὴ τοῦ κατὰ σκοπὸν ἔτυχε, πρέσβεις ἐς βασιλέα Ἰωάννην ἔτι περιόντα πέμψας, ᾐτεῖτο κῆδος τοῦ ἐκ βασιλείων αἱμάτων ἐπὶ παιδὶ τεύξασθαι τῷ αὐτοῦ. ἀλλ' ἔπω ἔσχε τὰ τῆς πρεσβείας, καὶ Ἰωάννης τὸν βίον κατέλυσε. Μετὰ δὲ τινα χρόνον Μανουὴλ ἤδη τὴν αὐτοκρατορίαν διέποντος. ταῦτα καὶ πάλιν πέμψας ἠξίου. Ὅθεν καὶ Βασίλειός τις ἐπώνυμον Ξηρὸς εἰς Σικελίαν ἀφῖκτο, Ῥογερίῳ περὶ τούτου διαλεξόμενος. Ἀλλ' ἐκεῖνος χρυσίῳ κλαπεὶς παρ' αὐτοῦ, ἀλλόκοτά τινα ὡμολόγει, ὧν δὲ κεφάλαιον ἦν τὸ, ἐν ἴσῳ μεγάλοις βασιλεῦσι, τοῦ λοιποῦ καὶ Ῥογέριον ἔσεσθαι. ὅθεν δὲ καὶ τὰς μεγάλας αναῤῥαγῆναι ξυμβέβηκε μάχας. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ μὲν Ξηρὸς ἐς Βυζάντιον ἐπανιὼν τὸν βίον κατέστρεψε, δίκην ἔπω τῶν τετολμημένων δοὺς, βασιλεὺς ὅσα καὶ ἀθύρμασι ταῖς ἐκείνου πρεσβείαις προσεσχηκὼς, Ῥογέριον αὐτοῦ χαίρειν εἶα. *Rogerius verò quæ ipse cupiebat assecutus, ad Imperatorem Joannem adhuc superstitem Oratoribus missis, ex Imperatorio genere mulierem nuptum filio suo locare poscebat. Sed nondum legatio finem habuerat, & Joannes fato fungitur. Sed post aliquod tempus cum Manuel summam Imperii administraret, hæc eadem rursus legatis missis postulabat. Hinc Basilius quidam cognomento Xerus, venit Siciliam, de his cum Rogerio tractaturus. Sed auro à Rogerio seductus; absurda quædam ex se atque immania concedat, quorum caput erat, in pari dignitatis gradu imposterum cum Imperatore Rogerium futurum. Hinc ingentia bella exorta sunt. Cum enim Xerus Byzantium rediens mortem abiisset, pœnis quas ille meruerat ob ea, quæ deliquerat, nondum persolutis: Imperator illius legationibus veluti ludicris animum non advertens, res Rogerii minus, minusque impendio curavit.* Hinc quantum fieri debeat correctio illa de ῥόγου & ῥόγας, prudens judicet Lector. Et hæc quidem pro ætate Theophanis & Metaphrastæ, ad Scorsum.

CAPVT

CAPUT SEXTUM.

SENTENTIÆ BARONII ET BOLLANDI AB ALLATIO REFELLUNTUR.

IDem pag. 59. Testimonio Pselli innotuerat nobis Metaphrastæ ætas, postea cum Baronio, Bellarmino, aliisque laudationem illam Metaphrastæ, ad Seniorem Psellum Leonis Philosophi Magistrum retulisse visus sum, cum scripserim, *Juniori Psello adjudicari nullo prorsus argumento. Auctorem Orationis Psellum alterum esse, non Leonis Philosophi Magistrum, nunquam evicturos, qui contra sentiunt.* Audiamus Bollandum. *Leo Philosophus postquam Psello illi seniori in Andro insula dederat operam, cùm non quantum voluisset, eruditionis ab eo hausisset: monasteria varia obivit, repositosque in illis libros investigans studiose legit, atque excellentem est eruditionem adeptus, ut Curopalates tradit. Dein Constantinopolim reversus, privatim quosdam docuit. Horum quidam in prælio captus à Saracenis, ac Viro illustri in servitutem traditus, cum postmodum Geometriæ peritiam professus, Leonem à quo eam didicerat, privatum & inopem degere significasset: literis eum ad se amplissima proposita mercede, invitavit Barbarorum Rex. Has literas Leo Theoctisto Logothetæ, hic Theophilo Imperatori obtulit, qui eum summo favore complexus, amplis opibus ditavit, publicèque docere jussit, ac posteà Thessalonicensi Ecclesiæ præficiendum curavit. Verùm mortuo sub annum 841. Theophilo, redactus quoque in ordinem est Leo, quod hæresim sectatus esset Iconomachorum. Quæ si quis rectè omnia expendat, fatebitur sub Michaele Balbo qui anno 820. in Imperium venit, ac sub illius decessore Armeno, videri Leonem Psello dedisse operam, maturæ jam ætatis viro. Qui potuit igitur à Psello laudari Metaphrastes vita functus, qui centum post Psellum annis vixit? Neque de Psello Metaphrastæ laudatore repugnasset Baronius, si aliunde Metaphrastæ ætatem asserere posse existimasset. Ast hunc alii cum sub Constantino Porphyrogenito, qui septennis Alexandro patruo anno 912. extincto, regnare cœpit, vixisse fateantur: mirum non perspicere, à Psello qui centum ut minimum annis eum antecessit, laudari equidem Metaphrastem mortuum non potuisse.* Et hæc quidem Bollandus.

Idem pag. 67. Nunc ad Bollandum convertamus orationem, qui postremis suis verbis in me latenter stylum exacuit. Ignoscendum nempe esse Baronio, qui cum aliunde ætatem Metaphrastæ non haberet, laudationem illam in Metaphrastem Psello seniori adjudicavit: non item Allatio, qui cum eum posuerit sub Constantino Porphyrogenito, non perspexit Metaphrastem non potuisse laudari mortuum ab illo Psello, qui illum centum, ut minimum, annos antecesserat. Ita vapulor, quod rei partem ignoraverim: quod partem sciverim, aliisque indicaverim, nullus sum. Ætatem Metaphrastæ ignotam hactenus, & suspicionibus iisque levissimis nixam, certam atque indubiam ipse primus signavi: neque propterea nimis mihi arrogo, quamvis aliquid id quoque sit, & ad refellendos Hæreticos qui Vitis Sanctorum tantumdem detrahunt, atque pietatem quæ ex eorum lectione percipitur constabiliendam, admodum necessarium. Et miratur Bollandus, me tempora exactius non digessisse, & laudationem Metaphrastæ Psello seniori, qui centum annos antecesserat, attribuisse. Ipse scripseram sub Leone & Constantino Metaphrastem, non sub Constantino, excluso Leone, ut Bollandus, ætatem egisse, quod abundè suprà probandum existimo. Sed quis verè dicet, Psellum Metaphrastem præcessisse centum annos? Vixerit sub Theophilo Psellus, imò sub Leone Armeno, vivebat sub Leone Sapiente Metaphrastes, non adolescens, sed ætate maturà provectàque, & dubio procul medià. Numerant ab Armeno ad Sapientem annos 73. ab Theophilo annos 65. Si de defuncto Metaphraste sermo est, tum plane anni centum intercedant. Sed quis tam perspicax, diem obitus Metaphrastæ certè signaverit? Constantini enim Imperium longissimum fuit, & aliorum dominatione sæpius interruptum. Scribit Bollandus, me in Diatriba de Psellis censere, *Panegyrim illam in Metaphrastem juniori Psello adjudicari nullo prorsus argumento. Auctorem illius Orationis Psellum alterum esse, non Leonis Philosophi Magistrum, nunquam evicturos qui contra sentiunt.* Videamus quid ipse sentiam, cum de Baronio ad seniorem Psellum panegyrim referente tracto pag. 11. *Et nos ad quemnam Psellum Oratio illa referri debeat, certò affirmare non possumus. Conjectura tamen eaque levissima ducimur, hunc recentiorem esse illius Auctorem: quod & plura scripserit in omni disciplina, & Scriptorum omnium gloria celeberrimus fuerit. An verò Senior ille aliquid scripto tradiderit, certò non constat.* Qui negat omnia, negat quoque Panegyrim illam senioris Pselli fuisse. Et qui Orationis illius Auctorem in dubium incertumque revocat, nihil de eo certò statuit: & qui potius ad recentiorem refert, seniorem excludit. Imò infrà pag. 53. apertissimis verbis Psello juniori adscripsi.

Idem pag. 57. *Atque ita*, inquit Bollandus, *sub Constantino Porphyrogenito Leonis filio tum eam Theoctistæ Vitam, tum alia Divorum acta eum elucubrasse certum videtur: non ut Allatius scribit, sub Leone & Constantino.* Allatius Diatribà quam scripserat *De Psellis*, de ætate Metaphrastæ quærens, eum sub Leone & Constantino vixisse tradit. Si ante Leonis obitum annos ferè decem, Metaphrastes ejusdem Leonis mandato, Legati provinciam apud Arabes susceperat, filius auctus ac propè quadragenarius: malè ne scripsit Allatius, eum sub Leone, & Constantino vixisse? Sed scripsit eum scriptionem exorsum sub Leone, sub Constantino & Romano nepote, absolvisse.

Quid

Quid tum? An non potuit scribere quadragenarius? Sed non scripsit Theoctistes Vitam. Nec Allatius id dixit, nec cœcus id dixisset, cum aperte in ea Vita dicatur Leone mortuo Vitam scriptam fuisse. Dixit Allatius scriptionem exorsum. Probare debuit Bollandus, præter Vitas & Acta Sanctorum, nihil aliud scripsisse, Cum Anachoreta Metaphrastæ imponat, ne *ἀπειρίαν λόγων, Sermonum imperitiam* in medium afferat: plane jam certum relinquit, Metaphrastem in scribendo multum habuisse usum, in eoque multum se exercuisse. Quanam ergo ratione dicimus, Metaphrastem sub Leone non scripsisse?

CAPUT SEPTIMUM.

TESTIMONIA VETERUM DE SYMEONE METAPHRASTE, DISCUSSA.

Ut antiquitatem Legendarum S. Symeonis Metaphrastæ eumque sub Leone Sapiente seu Philosopho, & Constantino Porphyrogenito vixisse & floruisse, Allatius probet: congerit in Diatriba *De Symeonum scriptis*, multa Veterum testimonia, quibus probatur longe antea vixisse, quam arbitrati sint Volaterranus, Josias simlerus atque Hospinianus. Sed an evincaot, Metaphrastem seculo X. ineunte claruisse, ambiguum prorsus est, ut ex eorum examine cognoscetur. Itaque pag. 35. producit testimonium Theophanis Ceramei his verbis.

Theophanes Cerameus, Homilia de Lazaro suscitato. ὁ δὲ τῶν Μεταφράσεων γλυκὺς συγγραφεὺς, παῤῥησίας εἶπε τὸν λόγον εἶναι δηλωτικόν. *Metaphraseon vero suavis scriptor, libertatem dicendi sermonem indicare tradit.* In quarto Matutino. Ἀλλὰ περὶ τούτου ἄμεινον ἐμοῦ λέγει τῶν Μεταφράσεων ὁ γλυκὺς συγγραφεύς. *Sed de his melius quam ego id facerem, scriptor ille dulcis Metaphraseon disserit.* Et in quinto Matutino, Καὶ ὡς ἂν καὶ μὴ ἡμεῖς δόξαιμεν ἀπεικότα μαντεύεσθαι, ἀξιόχρεων ἐνταῦθα παράγωμεν μάρτυρα Συμεώνην, τὸν τὰς Μεταφράσεις ἐν μαλα συνθέμενον. ἀποχρῆ δὴν ἔτ☉ ἐν τῷ εἰς τὸν ἱερὸν Λουκᾶν ὑπομνήματι τοῦτο ποιήσας. *Ac ne nos etiam sine probabili causa divinare velle videamur, fide dignum testem ad hanc rem producimus, Symeonem illum, qui Metaphrases praclare composuit. Satis igitur sit hic, qui in Sanctum Lucam Commentario ita existimavit.* Cum juxta seorsum, quem refellit Allatius pag. 60. & sequentibus, ut capite 4 hujus Dissertationis probavimus, Theophanes Cerameus sub Basilio Macedone & Leone Philosopho, qui habenas Imperii anno 886. capessivit, floreret: hinc consequeretur cum Baronio, Metaphrastem qui Theophane Cerameo antiquior esse debet, floruisse circa annum 859. quod contra Allatium est, Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* seculo XI. Theophanem Cerameum pag. 602. ad annum 1040. alligat sed ex ejus Opere constat non esse eum antiquiorem anno circiter 1130. vel 1140. cum Rogerii Siciliæ Regis meminerit, qui Joanni Comneno ac Manueli ejus filio, Constantinopolitanis Imperatoribus sinchronus fuit, uti Joannes Cinnamus Lib. 3. *Historia* testatur. Ex hoc ergo probari aliud nihil potest, quam Symeonem Metaphrastem, vel paullo ante, vel circa annum 1130. vel 1140. extitisse, non autem anno 859. ut Baronius contendit, vel anno 912. vel 920. temporibus Leonis Philosophi ac Constantini Porphyrogeniti, ut Allatius putat.

Idem pag. 34. Hippolytus Thebanus in Chronico. Ἀριθμουμένων δὲ τῶν περιόδων ἐπληρώθη ἡ δεκάτη περίοδ☉ ἐν τῷ πεντακισχιλιοστῷ τριακοστῷ εἰκοστῷ ἔτει. Ἀρξαμένης δὲ τῆς ἑνδεκάτης περιόδου ρπς ἔτη παρῆλθον, καὶ ἐσαρκώθη ὁ κύρι☉ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας, καὶ τοῦ Μεταφραστοῦ περιέχει. *Enumerando igitur has periodos, decima completa est anno 5320. De incepta autem undecima periodo, anni 186. abierunt, & humanam naturam induit Dominus noster Jesus Christus, ut Liber Nicomediensis & Metaphrastes habent.* Et, Καὶ παθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, τῇ κγ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἐσταυρώθη, τῇ κδ ἐτάφη, καὶ τῇ κε ἀνέστη ἡμέρα πρώτῃ, τουτέστι Κυριακῇ, ὡς ὁ Μεταφραστὴς δηλοῖ, καὶ ἡ βίβλ☉ τοῦ Νικομηδείας. *Et propter nostram salutem mortem passus, 23. Martii fuit cruci affixus, die 24. sepultus, & 25. resurrexit die prima, nimirum Dominica, velut Metaphrastes & Nicomediensis declarant.* Et sententiam Metaphrastæ præfert aliis Patribus, quem non fine veneratione nominat. Ἐγὼ δὲ πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ Κυρίου Συμεὼν, *Equidem ipse fidem habeo sententia Domini Symeonis.* Erravit in hoc testimonio Allatius, nam *Chronicon* istud quod a Francisco Combefisio typis Regiis anno 1685. cum Continuatore Theophanis editum est, non spectat ad Symeonem Metaphrastem & Logothetam quem circa annum 920. collocat Allatius, atque ob hanc causam *Seniorem* dicimus: sed ad alterum *Symeonem Logothetam juniorem*, qui ipse *Metaphrastes* in MSS. Codicibus dicitur, quem Guillelmus Cavus ad annum 1170. pag. 683. *Historia rei literaria* collocat, nos autem in Commentario isto ad annum 1150. Constat enim Chronicon istud desumptum esse utplurimum ex *decem Scriptoribus*, quos sub initium Operis Metaphrastes ipse recenset, quorum *nonus* est *Leo Grammaticus*, cujus Chronologia edita Græce & Latine inter Historicos Byzantinos usque ad annum 1013. pertingit; *decimus* autem & *ultimus Michael Psellus*, qui ab anno 1043. floruit, & usque ad annum 1080. millesimum octogesimum vitam produxisse fertur: unde Chronicon illud ex *Scriptoribus decem* collectum verbotenus, ab ipso Metaphraste sub initium recensitis ac appellatis, nullo modo spectare potest ad Symeonem Logothetam & Metaphrastem Seniorem qui ab anno 886. ad annum 957. vel 960. utplurimum scripsisse potuit. Imo non absurde aliquis conclude-

cluderet, quod sicut Allarius erravit, attribuendo *Chronicon* Metaphrastæ Seniori, quod ad Juniorem alterum spectat: ita errare potuerit in Diatriba, attribuendo eidem Seniori ingens Opus *Legendarum*, quod convenientius forsitan Juniori circa annum 1150. florenti attribueretur. Hippolytus quoque Thebanus, qui hoc *Chronicon* allegat & laudat, circa annum 953. florere non potuit, ut temere scribit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* pag. 580. Vix enim ante annum 1170. collocandus venit, cum alleget & laudet *Chronicon* Symeonis Logothetæ Junioris, qui Metaphrastes etiam in MSS. Codicibus audit, atque ita a Combefisio vocatur, quem Cavus ipse ad annum 1170. loco citato assignat. Errarunt ergo absurde circa hoc testimonium, & Allatius & Cavus, cœcus cœcum imperite securus. Fuit ergo Symeon Metaphrastes, inter duos Psellos, ætate medius. Inter Michaelem Psellum quem appellant πολυγραφώτατον, qui anno 1043. floruit, atque etiam usque ad annum 1080. vixisse creditur, cujus Historiam adhuc in MSS. Codicibus extantem, inseruit ultimo loco ipse Metaphrastes in *Collectaneo Historico ex decem Scriptoribus collecto*, ut fidem facit Franciscus Combefis loco a nobis hujus *Dissertationis* cap. 1. allato, & inter Michaelem Psellum alterum ac juniorem, qui circa annum 1180. Eustathio Archiepiscopo Thessalonicensi synchronus, frequentes ad eum Epistolas misit, atque ab illo vicissim accepit: qui & ipse triginta circiter annis postea, *Vitam* ipsius Metaphrastæ, seu potius *Encomium* post mortem composuit, quam ab illis se didicisse fatetur, qui morienti adfuerant. Recte igitur Simeon noster Metaphrastes, ad annum MCL. assignatur a nobis, inter utrumque Psellum tempore medio. Atque hinc omnia quæ a Leone Allatio in Diatriba *De Symeone Metaphraste*, diffuse quidem & laboriose scripta sunt, fabulæ ac deliria hominis dormitantis sunt.

Idem pag 78. Sub Metaphrastæ nomine ceu genuinos fœtus laudat Vitas & Martyria Sanctorum, Suidas in ἄβραζω, Martyrium Sanctæ Theclæ. In ἀνάιμονες, Vitam Sancti Danielis Stylitæ. In ἐνδιμφθῶν, Vitam Sancti Euthymii, in ἄλκαλα, Vitam Sancti Marcelli. In ἐξαπάϑη, Sancti Calliceladi, In νοθεύει, Sancti Luciani. In καταπίλτης, Sancti Agathyrsi: In ὑπαγορεύσαι, Sancti Symeonis Stylitæ. Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus pro *Concilio Florentino*, cap. 1. allegat Vitam Sancti Dionysii Areopagitæ, cap. 4. Sancti Joannicii, cap. 50. Sancti Stephani Junioris, & Sancti Joannis Chrysostomi. Josephus Methonensis *Apologia pro Concilio Florentino contra Marcum Ephesinum* Vitam S. Diooysii Areopagytæ, quam eandem veluti Metaphrastæ, citat pro testimonio, Andreas Rhodi Præsul in Concilio Florentino, sess. 7. Porro ut habet Cavus in *Historia rei literaria* seculo X. pag. 587. Suidas arte Grammaticus circa annum 980. vixisse videtur, quippe qui in voce Ἀδὰμ diversas annorum æras recensens, computationem suam in obitu Joannis Zemiscis Imperatoris, qui veneno anno 976. sublatus est, terminet. Si quæ sint quæ sequiora sapiunt tempora, fortasse a recentiore manu addita sunt. Hæc ex Cavo. Verum ætas Suidæ incerta omnino est, quem post ultimam Lexici ipsius editionem, ad annum 1160. assignavimus, & quæ ex Metaphraste allegantur a Suida, ex iis fortasse sunt, quæ a recentiore manu addita sunt.

Idem pag. 33. Paucos ex quamplurimis referam, & ut prætercam quæ Psellus de eo effuse in illius *Encomio* prosequitur, afferam nonnulla ex eodem in *Tropariis*. Σοῦ τοῖς θείοις χείλεσι χάρις πολλὴ ἐξεχύθη, καὶ σοφίας ἔμψυχον τῆς ἀκτίστου γέγονας οἰκητήριον. ὡς πυρὸς γλῶσσαν διασωμωθεὶς, ἔσω, ἐν τοῖς λόγοις ὑπερήυγασας. Τῶν Ἀποστόλων τε καὶ τῶν Ἀθλοφόρων τὰ σκάμματα, καὶ βίον τὸν ἰσάγγελον Ἀσκητῶν ἑκάστου διεγράψας, καὶ νῦν συνοικήτωρ γενόμενος τοῖς ἐν οὐρανῷ, Τριάδος φῶς τὸ ἀνέσπερον βλέπεις ἀγαλλόμενος. *Ex tuis divinis labiis, gratia multa effusa est, & sapientia animatum increata factum est habitaculum. Veluti ignis lingua deductus, o Sancte in Sermonibus super abundeque resplenduisti, Apostolorum & Martyrum certamina, & vitam non dissimilem Angelis, Ascetarum uniuscujusque descripsisti: & nunc una cum illis habitans in cælis, Triadis lumen extinqui nescium conspicis gaudens.* Et, Ὀρθοδοξίας ὁδηγὲ, εὐσεβείας διδάσκαλε καὶ σεμνότητος, τῆς οἰκουμένης φωστὴρ, τῶν λογογράφων θεοπνεύστων ἐγκαλλώπισμα, λύρα τοῦ Πνεύματος, ταῖς διδαχαῖς σου πάντας φωτίσας, Συμεὼν πάτερ ἡμῶν πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. *Recta fidei dux, pietatis magister & verecundia, terrarum orbis lumen, scriptorum Deo inspiratorum ornamentum, lyra Spiritus, prædicationibus tuis omnes illustrans, Symeon Pater noster, precare Deum Christum, ut anima nostra salventur.* Et, Νοὸς ὀξύτητι καὶ καθαρότητι, καὶ λαμπρότητι βίου τὸ νοερόν σε φῶς καθωραΐσε, καὶ ταῖς τῶν λόγων καλλοναῖς ὁ Θεός σε ἐχαρίτωσεν. *Mentis acumine, & puritate & splendore vita, intellectuale lumen te exornavit, & sermonem venustatibus Deus te insignivit.* Et, Μελῳδικῶς πιστοὶ συνελθόντες εὐφημήσωμεν πάντες ἐπαξίοις ᾠδαῖς τὸν μέγαν Θεοῦ θεράποντα Συμεῶνα, τὸν ἅγιον λογοθέτην, ὃν ἡ Χριστοῦ Ἐκκλησία φωστῆρα πεπλούτηκεν, ἐπὶ γῆς τοῖς διδασκάλοις πατράσιν ἐκλάμψαντα σὺν τούτοις γὰρ ψάλλων ἀπαύστως Χριστῷ, φωτός τε ἀϊδίου πληρούμενος συγχαίρει πρεσβεύων ὑπὲρ πάντων ἡμῶν. *Dulci modulatione fideles convenientes, celebramus omnes dignis cantibus, magnum Dei servum Symeonem sanctum, Logothetam, quem Christi Ecclesia tanquam lumen possedit in terra, una cum aliis Patribus splendore suo illustrantem. Cum his enim psallens indesinenter Christo, & luminis sempiterni repletus congaudet, orans pro nobis omnibus.*

Et,

Et, Εὐγενῶς ἀνεβλάστησας ῥίζης ῥόδον κατάῤῥυθρον, βεβαμμένον χάρισι ταῖς τοῦ Πνεύματος, καὶ τοὺς πιστοὺς εὐωδίασας ὀσμαῖς συγγραμμάτων σοῦ Ἀποστόλων καὶ Ἀθλητῶν, καὶ ὁσίων τὰ σκάμματα συνταξάμενος, ὧν καὶ σύστοιχος ὤφθης, θεοφάντως Συμεὼν, τρυφῆς ἐν χλόῃ τῇ ἐνδρόσῳ σκηνώμενος. *Nobili radice prognatus es rosa rubicunda, gratiis Spiritus infecta, & fideles suavitate replens, odoribus suarum compositionum, Apostolorum, Martyrum & Confessorum certamina edisserens, quorum & consors factus es, rerum divinarum expositor Symeon, deliciarum in gramine, quod in rore est habitans.* Verum ex hac Oratione atque Officio Michaelis Pselli in Metaphrastem, magna & antiquitas & certa, Metaphrastæ certo comparari non potest. Constat enim tres fuisse Psellos, ambiguumque est utri trium, tam Oratio in Metaphrastem, quam Officium, attribui possit. Attribuit primum Allatius Psello Seniori, in Diatriba *De Psellis* pag. 11. & *De Symeonum Scriptis* pag. 68. qui vivebat ex Guillelmo Cavo pag. 558. circa annum 870. Idem postea Allatius dictam Orationem atque Officium, mutata sententia adscripsit inconstans, Michaeli Psello Juniori, tum in Opusculo *De Psellis* pag. 53. tum *De Symeonum scriptis* pag. 68. qui florebat juxta Guillelmum Cavum pag. 605. circa annum 1050. & sequentes. Sed extat quoque tertius Michael Psellus, quem ultimum dicimus, scriptor insignis, circa annum 1190. clarus, Eustathio Thessalonicensi Archiepiscopo synchronus, a nobis in hoc Commentario ad annum 1190. assignatus. Cui non immerito tam citata Oratio, quam officium, possint attribui, de quo iterum cap. 10. & ultimo hujus Dissertationis agemus. Cum ergo non constet cuinam ex his tribus tam Oratio quam Officium adscribantur, inde magna antiquitas Symeoni Metaphrastæ comparari non potest.

Idem pag. 34. Leo Centaripinus, Oratione in Magnum Apostolum Jacobum Zebedæi filium. Τέθηπα γὰρ ὑπονοπάσας, πῶς τοσοῦτοι λυκάβαντες σπηρωχήκασι, καὶ λογογράφοι καὶ ἵστορες, μάλιστα δ᾽ ὁ μέγας τῶν Μεταφράσεων συγγραφεὺς, ἀμνημόνευτον οὕτω παραλελοιπότες τὴν ἐν ὑπερώοις ἀϊδίοις τοὔνομα γεγραμμένον ἐς ἀδιάλειπτον ἔχοντα μνήμην. *Admiror namque, quomodo tot annis decursis, neque scriptores, neque Historici, & præcipue magnus ille Metaphraseon compactor, sic hunc in sempiternis cænaculis in delebili memoria descriptum, silentio prætereuntes, ullam illius memoriam posteris reliquerunt.* Sed cum nullam temporis ætatem certam Leo Centaripinus habeat, nullam quoque certæ antiquitatis notam Symeoni Metaphrastæ conferre potest. Sola ergo ex his omnibus, certa Theophanis Ceramei epocha, ut supra diximus. Sed jam ad auctores recentiores veniamus.

Idem pag. 35. Theodorus Balsamon in Canonem 63. Trullanum. Χάρις τοίνυν τῷ μακαρίτῃ Μεταφραστῇ, τῷ τὰ Μαρτυρικὰ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας σκάμματα πολλοῖς πόνοις καὶ ἱδρῶσι κατακαλλύναντι, εἰς ὕμνον θεοῦ καὶ δόξαν ἀενίζουσαν τῶν ἁγίων Μαρτύρων. *Magna itaque Beatæ memoriæ Metaphrastæ agenda est gratia, qui Martyrum pro veritate certamina, non sine multis laboribus & sudoribus, exornavit ad Dei laudem, & sanctorum Martyrum perennem gloriam.* Claruit autem ab anno 1180. ad 1203. quem Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* accenset ad annum 1180 pag 686. Nicephorus Callistus, quem idem, vel ejus Excerptor accenset anno 1333. pag. 29. Appendicis, *Historia Ecclesiastica* lib. 14. cap. 50. ἣν ὕστερα μετὰ τὸν πολὺν θεοδώρητον ὁ ὁμώνυμος αὐτοῦ Συμεὼν ὁ Μεταφραστὴς ἐπεξῆλθε, πᾶσι καινήν τινα καὶ ξένην πανδαισίαν τὰ ἐκείνου προθέμενος. *Quam* Historiam nempe de Vita & rebus gestis Symeonis Stylitæ Senioris, *post Magnum Theodoritum, optime cognominis ei Symeon Metaphrastes conscripsit, novum quoddam & admirandum in ea ex omnis generis cibariis convivium omnibus proponens.* Et Lib. 18. cap. 14. de Symeone Stylita Juniore, Πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα ἀριθμοῦ κρείττονα διεπράξατο, ἃ δὲ καὶ χρόνου πολλοῦ καὶ γλώσσης κεκομψευμένης, καὶ πραγματείας ἰδιαιτάτης, ἅπερ καὶ εἰς δεῦρο ταῖς ἁπάντων περιᾴδονται γλώσσαις, ὑπὸ Συμεὼν Μαγίστρῳ τοῦ ἐν ἰῷ συγγραφόντα: εἰ καὶ μὴ τοῦ μεγέθους, καὶ τῶν ἔργων ἀξίως. οἷς καὶ ἡμῖν ἐντυχεῖν ἐγένετο, τὸ περιὸν τοῦ τε πλήθους, καὶ τῆς δυνάμεως τῶν εἰργασμένων ἐκπεπληγμένοις. *Cæterum multa quoque alia numerum superantia Symeon egit, quæ sanè tempore longiore, & lingua politiore, tum autem opere peculiari indigent. Ea hucusque sermone omnium celebrantur à Symeone Magistro, quamvis non pro dignitate magnitudinis & operum conscripta. In quem librum, & nos abundantem copiam, & vim operum Sancti Viri cum stupore admirati, incidimus.* Denique Michael Glycas, (qui non anno 1120. floruit, ut falsò & absurdè scripsit Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* Seculo XII. ad annum 1120. pag. 654, Sed uti docet Allatius, temporibus Constantini Palæologi ultimi Græcorum Imperatoris, circa annum 1450. vel serius,) ubi de Maximiani & Diocletiani rebus in Christianos tractat, ita inquit: *Nam ut Symeon ille cognomento Metaphrastes ait, Imperatores hi magnoperè conati sunt, fidem Christianam expugnando quasi abolere, quam Christus ipse firmiùs perduraturam esse pronuntiavit, quam ipsas Orci portas.* Et Epistola 21. ad Esaïam Monachum, καὶ ταῦτα τὸν ἐν ἁγίοις Συμεὼν ὅρα τὸν Μεταφραστὴν, τὸ δόγμα τοῦτο συνιστῶντα πρὸ τῶν ἄλλων: ἐν γὰρ τῷ βίῳ τῆς μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας καὶ τάδε φησί. *Et inter alias Sanctum Symeonem Metaphrastem intuere dogma hoc constabilientem, nam in Vita magna Martyris Anastasiæ hæc dicit.* Hæc de testimoniis Veterum, quæ hinc inde summâ curâ Allatius congessit, quorum nullum est authoris, qui

qui certo annum 1140. vel circiter, prætergrediatur.

CAPVT OCTAVVM.

MVLTA OPERA SYMEONI METAPHRASTÆ, AB ALLATIO TRIBVTA.

Principale opus Symeonis Metaphrastæ, sunt *Vita Sanctorum*, quarum occasione Leo Allatius Diatribam *De Symeonum Scriptis* aggressus est, de quibus prolixissime differit in citata Diatriba à pag. 73. ad 130. Cum autem prolixitas tanta nostro instituto non conveniat, ex allatis ab Allatio pauca duntaxat libabimus, timentes ne lectori tædium pariamus.

Ita pag. 73. Scripsit Metaphrastes *Vitas Sanctorum.* Scriptiones sive ab ipso sive ab aliis, vocatæ sunt *Metaphrases.* Psellus in Acrostichide Canonis in eundem, Μέλπω σε τὸν γράψαντα τὰς Μεταφράσεις, *Cano te qui Metaphrases scripsisti.* Et Ode 4. Γραφαῖς ἐσχόλαζες θείαις ἔσω, καὶ ἁγίων τῶ βίω ἰχνηλατῶν, τέτων τὰ παθήματα, καὶ τὲς ἀγῶνας ἐξύμνεις ταῖς σοφαῖς σε Μεταφράσεσιν. *Scripturis incumbebas divinis Confessor, & Sanctorum Vitas vestigans, horum passiones & certamina laudabas sapientibus tuis Metaphrasibus.* Sic dictæ, quod ex una phrasi dicendique modo, in alium delatæ sint. Hinc ipse postea sub *Metaphrastæ* nomine posteris innotuit. Sic maxime fallitur Lipomanus scribens, Metaphrastem nostrum Vitas Sanctorum ex diversis Auctorum libris in unum volumen redigisse: quæ alicujus viri titulo erant inscriptæ, eas sub suo titulo reliquisse: rudi & inculto stylo descriptas, multis laboribus & sudoribus exornasse, & eruditione sua expolivisse: quæ à nemine scriptæ fuerant, sed quasi per manum & traditionem à Patribus acceptæ & pro veris habitæ, has ipsum eleganti stylo & condito descripsisse, & legendas Ecclesiæ proposuisse. Nam Symeon laborem omnem ad se assumpsit, & sive Vitæ illæ auctorem præferrent, sive rudi stylo congestæ Lectorem deterrerent, eas re semper immota manente, stylo suo circumvestivit, ut eodem omnes decore, unoque genio fideles ad sui lectionem allicerent.

Jam sibi absurde omnino contradicens Allatius pag. 75. hæc scribit. Non ita tamen adeò severe se gessit, ut omnes omnium Sanctorum Vitas & Laudes, ante se ab aliis probatissimis auctoribus scriptas rejecerit, & factis decretisque jugulaverit: sed falsas, aut nequiter compositas, veluti indignas quæ a piis legerentur, voluntariâ oblivione contrivit: ab aliis errata, aliorum Codicum vel Scriptorum fide correxit, suoque stylo exornatas edidit. Aliarum rem integram, nihil de sententia immutans, suo sermone exornatas digessit: quæ laudem erant optime scriptæ, nec sua ope indigebant, ita eas inter suas elucere, veluti sydera, lapidesque pretiosos reliquit: quibus & suæ celebriores fierent, & piis hominibus populoque acceptiores. Hinc frequenter inter ejus volumina occurrunt, Orationes & Encomia in varias Festivitates *aliorum*: inter quos præcipui habentur Athanasius Patriarcha Alexandrinus, Basilius Magnus Cæsariensis, Gregnrius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Basilius Seleucienfis, Amphilochius Iconiensis, Ephræm Syrus, Ephræm Chersonensis, Antipater Bostrorum Episcopus, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius Cypri, Joannes Damascenus, Georgius Nicomediensis, Pantaleo Diaconus & Chartophylax Magnæ Ecclesiæ, Theodorus Studites, Andreas Cretensis, Proclus Patriarcha Constantinopolitanus, Leontius Byzantius, Leontius Hierosolymitanus, Procopius Diaconus & Chartophylax, Gregorius Neocæsariensis, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Asterius Amasea Episcopus, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, Timotheus Hierosolymitanus, & alii. Sed quasnam Metaphrastes Vitas Sanctorum conscripsit? Hoc verò difficillimum est discernere, nec alius poterit, nisi qui similes Vitas Græce percurrerit, & orationem & lumina in dicendo Symeonis, optime callueri. Nam id ex Latinis expiscari stultissimum fuerit, quod continget difficilius, quod nondum capio qua causa id factum fit: cum in Orationibus & Vitis Sanctorum auctorum ut plurimum nomina præfigantur: in his quas Symeon descripsit, nunquam aut rarò prænotatum inveniatur. Hinc viri de antiquitate Ecclesiastica bene meriti, Vitas Sanctorum quæ auctorem sibi præscriptum non præferunt, omnes non fine erroris atque inscitiæ nota, Symeoni vindicarunt, quæ vere Symeonis non sunt. Vindicantur tamen Symeoni, & veluti Symeonis germanæ evulgantur a Surio & Lipomano & aliis, plurimæ Latine tantum, quas recenset Allatius p. 76. 77. & 78.

Idem pag. 78. velut dubitans scribit. Et hæc quidem sive ipsius Symeonis, sive alterius, Latine edita sunt. Græce verò, vel Græce & Latine, paucissima quæ ipse viderim. Namque Græce post Aretham in Apocalypsim, Vita Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ. Græce & Latine, Vita Dionysii Areopagitæ a Baltasare Corderio recensita, in Operibus S. Dionysii, Acta Sancti Demetrii Myroblytæ, Antverpiæ in 4. 1635. typis Joannis Meursii. Vita & Martyrium Sanctæ Theclæ, per Petrum Pantinum cum Basilii Seleuciensis operibus: item De Vita & Miraculis ejusdem Sanctæ Theclæ, Antverpiæ in 4. Vita Sancti Athanasii, cum ejusdem Athanasii operibus. Vita Joannis Chrysostomi cum ejusdem Chrysostomi operibus, Tomo VIII. editionis Savilii pag. 373. cum notis Savilii col. 967. & 968. Latine habetur Gentiano Herveto interprete cum reliquis Metaphrastæ Vitis, Tomo V. Aloysii Lipomanni, die 13. Novembris fol. 79. & Tomo I. Surii die 27. Janua-

nuarii pag. 634. Vita Sancti Amphilochii, inter ejusdem Sancti Orationes, edita est a Francisco Combefis. Eam porro Metaphrastæ non esse, stylus ipse & modus satis arguit. Metaphrastæ autem illud principium est, *Καὶ τί τῶν καλῶν ἔσαι τίς τῇ μνήμῃ παραδιδούς.* Martyrium Sancti Clementis Romani Episcopi, Græce & Latine col. 828. inter Opera Scriptorum qui temporibus Apostolicis vixerunt, ex editione Joannis Baptistæ Cotelerii, Parisiis 1672. in folio.

Spectant quoque ad Vitas Sanctorum, quæ habet Allatius pag. 135. Commentaria in Lucam scripsisse Metaphrastem, non nemo probare conabitur, testimonio Theophanis, Homilia in quintum Matutinum Evangelicum, sic enim ille. *Καὶ ὡς ἂν μὴ καὶ ἡμεῖς δόξωμεν ἀπεοικότα μαντεύεσθαι, ἀξιόχρεων ἐνταῦθα παράγωμεν μάρτυρα Συμεώνην τὸν τὰς Μεταφράσεις εὖ μάλα συνθέμενον. ἀποχρῇ οὖν τὸ εἰς τὸν ἱερὸν Λουκᾶν ὑπομνήματι τοῦτο ποιούμενος. Ac ne nos etiam sine probabili causa divinare velle videamur, fide dignum testem ad hanc rem producimus, Symeonem illum, qui Metaphrases praclarè composuit. Satis igitur sit hic, qui in Sanctum Lucam Commentario ita existimavit.* Qui id affirmaret deceptus ipse primum pravo verborum intellectu, alios postea si ipsi fiderent, deciperet. Verum siquidem est, quemadmodum in Prophetas, sanctosque alios Veteris Testamenti viros, nec non & Novi, quorum in sacris literis mentio extat, *Commentarios* scripsit: ita & in Lucam scripsisse, quis id negabit. Ergo & in *Evangelium Luca*, ne minimà quidem ex parte. Duplex genus Sanctorum invenio, quorum Vitas composuit Metaphrastes: alterum cujus in Scriptura memoria aliqua extat, alterum, cujus nulla. Cujus nulla est, ipse quæ ex aliorum Scriptis habuerat, narratione sua, temporis serie non turbata, digessit: & Vitas resque gestas, sive Martyria nuncupavit. Cujus memoria extabat, verba illa in quibus continebantur accipiens, & sua vel aliorum antiquorum interpretatione expoliens atque locupletans, res illius Sancti ita concinnabat, ut Commentarium potius scribere, quam res gestas illius narrare videretur: ideoq; non alio titulo quam Commentarii usus est. Hinc apud illum inter legendas, *ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην, Commentarius in Sanctum Evangelistam Joannem. ὑπόμνημα εἰς τὸν μέγαν Προφήτην Δανιήλ, Commentarius in magnum Prophetam Danielem. ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Ἀπόστολον καὶ Εὐαγγελιστὴν Ματθαῖον, Commentarius in S. Apostolum & Evangelistam Matthæum. ὑπόμνημα εἰς τὸν Προφήτην Ἀβδιόν, Commentarius in Prophetam Abdiam. ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Ἀπόστολον Φίλιππον, Commentarius in Sanctum Apostolum Philippum. ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Ἀπόστολον Ἀνδρέαν, Commentarius in Sanctum Apostolum Andream. ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Ἰάκωβον Ἀπόστολον, Commentarius in Sanctum Jacobum Apostolum. ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Ἀπόστολον τοῦ Χριστοῦ Θωμᾶν, Commentarius in Sanctum Apostolum Christi Thomam.* Parique ratione, *ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον Εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν, Commentarius in Sanctum Evangelistam Lucam.* Et incipit, *εἰ καὶ δικαίου μνήμη μετ' ἐγκωμίων τελεῖσθαι*: quod Leo Centaripinus *In Sanctum Jacobum Apostolum Zebedæi filium* expressius dixit, *λόγος καθ' ὑπόμνημα ἐν εἴδει πανηγυρικοῦ*, Oratio quæ vice Commentarii esse poterit in genere demonstrativo.

Idem pag. 130. Et hæc quidem pro Vitis Sanctorum satis sint. Verum Metaphrastem præter has Sanctorum Vitas, alia quoque scripsisse, præter quod id innuit Psellus in ejus Laudatione, *ὡς εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο τῷ ἀνδρὶ διεσπούδαστο, μηδ' ἀποχρῶντα τὰ ἄλλα σύμπαντα, καὶ καθέκαστον πρὸς ἀφορμὴν εὐφημίας ἀρκοῦντα. ἀλλὰ τό γε τοιοῦτον ἑλέσθαι σπούδασμα, καὶ οὕτως κατεπράξασθαί τε καὶ ἀκριβώσασθαι, αὐταρκὲς ἀντὶ πάντος ἄλλου πρὸς ἐγκώμιον τῷ ἀνδρί, Quocirca etiamsi nihil aliud viro illi fuisset elaboratum, ac non alia omnia, qua vel singula sufficiunt ad laudem conciliandam: opus tamen tale incepisse, & id tam praclarè effectum reddidisse, viro prorsus ad laudem suffecerit*, nulli dubium esse debet, cui Manuscripta Veterum evolvere aliquando licuit. Ex illius enim Orationibus, in alias quoque Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum festivitates adhuc supersunt, quas ipse viderim. 1. Oratio *εἰς τὸν θρῆνον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, ὅτε περιεπλάκη τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. In lugubrem lamentationem sanctissima Deipara, cum corpus Domini nostri Jesu Christi complexa est.* Principium, *Τοῦτο ἐκεῖνο γλυκύτατε Ἰησοῦ τὸ τοὺς ἐκ Περσίδος ἀφιγμένους εἰς Βηθλεέμ.* Oratio nimium tenera est, atque affectibus iisque divinis plena, quæ vel glacie ipsa frigidiorem & chalybe duriorem excalefecerit, atque emolliverit. Hanc Græce & Latine habes hujus Diatribæ *De Symeonum Scriptis* pag. 245. 2. *Περὶ τῆς ζωηφόρου τελευτῆς καὶ μεταστάσεως τῆς Θεοτόκου, De salutifero obitu & transitu Deipara.* Principium. *Τὸν καιρὸν τῆς Πεντηκοστῆς οἱ Ἀπόστολοι τῆς θείας.* 3. *Λόγος διαλαμβάνων τὰ ἀπὸ τῆς σεβασμίας γεννήσεως, καὶ ἀνατροφῆς τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου. τῆς Θεοπρεποῦς τε γεννήσεως Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ ὅσα μέχρι τῆς ζωηφόρου αὐτῆς συνέδραμε τελευτῆς. πρόσετι καὶ περὶ τῆς φανερώσεως τῆς τιμίας αὐτῆς ἐσθῆτος, καὶ ὅπως ὁ μέγας οὗτος θησαυρὸς χριστιανοῖς τεθησαύρισται. Oratio continens ea, qua à veneranda Nativitate, & educatione Sanctissima Domina nostra Deipara, necnon Christi Dei nostri divina Nativitate, usque ad finem vita Virginis contigerunt. Ad hac de revelatione pretiosa illius vestis, & quomodo magnus hic thesaurus Christianis conservatus est.* Principium, *Ἐχρῆν ἀληθῶς τὴν Παρθένον, ὥσπερ αὐτῇ Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιφοιτᾶν μέλλοντος.* Laudatur quoque a Michaele Glyca, Epistola 22. In indice Bibliothecæ Sfortianæ in classe Physicorum

rum 1. Cod. 28. inter alia recensentur, *Orationes Ecclesiastica Symeonis Metaphrasta*: quænam ipsæ fuerint, dicent alii, ego eas non vidi.

CAPUT NONUM.

ALIA OPERA EIDEM SYMEONI, AB EODEM ALLATIO TRIBUTA, ET LAMBECIO.

IDem pag. 131. Nec hisce contentus pleraque alia scripsit, quæ inter alias Ecclesiasticas cautiones, Christiani homines modularentur. Inter eas primum erit Troparium, cujus initium, *ἐξάρξασε κόραι παρθενικαί*. 2. *Ἕτερα Στιχηρὰ κατ᾽ ἀλφάβητον τοῦ μεγάλου κανόνος*. *Alia Stichera ordine Alphabeti composita, Magni Canonis.* 3. *Κανὼν εἰς τὴν ὁσίαν Μαρίαν τὴν Αἰγυπτίαν*, *Canon in Sanctam Mariam Ægyptiacam*, die 1. Aprilis. Principium, *Τῷ μακαρίῳ καὶ κράτῳ*. 4. *Κανὼν παρακλητικὸς εἰς τὴν ὑπεραγίαν Θεοτόκον. ψαλλόμενος τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ*. *Canon deprecatorius in sanctissimam Deiparam, qui canitur in magna Parasceve.* Principium, *Θέλων σου τὸ πλάσμα Χριστὲ με Ζωῶσαι*. In Bibliothecæ Collegii Græcorum, Romæ. Ad eundem quoque Symeonem Metaphrastem pertinere mihi videntur, quæ idem Allatius antiquitatis nimium amans, in eadem Diatriba adscripsit, Symeoni Stylitæ in Admirabili monte, pag. 21. Olent enim illa ingenium Symeonis Metaphrastæ, qui in Sanctum Demetrium devotissimus extitit. Itaque 5. Ejusdem *Τροπάρια εἰς τὸν ἅγιον μεγαλομάρτυρα Δημήτριον ἐν τῷ στίχῳ*, *Troparia in Sanctum Magnum Martyrem Demetrium in Sticho, 26. Octobris.* 6. Ejusdem *Εὐχὴ πρὸς τὸν Υἱὸν, ἰδίως πρὸς τοὺς παρενοχλοῦντας λογισμούς*. *Oratio ad Filium, peculiariter ad repellendas obturbantes tentationes.* Principium, *Δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, λόγε τοῦ Θεοῦ ἀθάνατε ὁ τῶν μεγίστων τουτωνὶ φύσεων τεχνίτης, καὶ κυβερνήτης*. Erat in Palatina, & penes me. 7. Ejusdem *Εὐχὴ λεγομένη μετὰ δακρύων, εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὅταν ἐπέρχονται οἱ λογισμοὶ πορνείας*. *Oratio recitanda cum lachrymis in Dominum nostrum Jesum Christum, cum insurgunt cogitationes fornicationis.* Principium, *Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, λόγε τοῦ Θεοῦ, λόγε ἀθάνατε. ὁ μὴ καταισχύνων τοὺς ἐπὶ σοὶ πεποιθότας*. In Vaticana Codice 758. 8. Ejusdem *Εὐχὴ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου εἰς πονηροὺς λογισμούς*. *Oratio in Sanctissimam Deiparam, pro pravis cogitationibus.* Principium, *Παναγία Θεοτόκε ἀποδίωξον τοὺς πονηροὺς καὶ ἀκαθάρτους λογισμούς*. Ibidem.

Plerasque etiam preces, quæ in Ecclesia Græcorum, non sine pietatis fructu recitari solent, ipse composuit, quarum nonnullæ inter Rituales Græcorum libros recensentur. 1. *Εὐχὴ πρὸ τῆς ἱερᾶς μεταλήψεως*, *Preces ante sanctam Communionem.* Principium, *ὁ μόνος καθαρὸς καὶ ἀκήρατος κύριε, ὁ δι᾽ οἶκτον φιλανθρωπίας*. 2. *Ἑτέρα εὐχὴ διὰ στίχων*, *Alia preces Carmine.* Principium, *Θεουργὸν αἷμα φρίξον ἄνθρωπε βλέπων*. 3. *Ἑτέρα διὰ στίχων*, *Alia carmine.* Principium, *Ἀλλ᾽ εἰ δὲ πρὸς μέθεξιν ἂν καιρὸς φέρει*. 4. *στίχοι μετὰ τὴν ἁγίαν μετάληψιν*, *Carmina post sanctam Communionem.* Principium, *Ἰδὲς ἄνθρωπε τῶν σπλάγχνων ἔνδον*. 5. *Εὐχαριστήριοι στίχοι εἰς τὸ αὐτό*, *Carmina in idem argumentum, quibus gratias agit.* Principium, *Κύριε ζωῆς εὐχαριστῶ σοι τρέμων*. 6. *Ἑτέρα εἰς τὸ αὐτὸ διὰ στίχων*, *Alia carmine in idem argumentum.* Principium, *ὁ δοὺς τροφὴν μοι σάρκα τὴν ἑκουσίως*. 7. *Εὐχὴ ἐξομολογητικὴ, ἣν ὀφείλεις καθ᾽ ἡμέραν ἀμεταθέτως λέγειν πρὸς τὴν ὑπεραγίαν θεοτόκον, ἐὰν ποθῇς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ ψυχορραγήματός σου ἰδέσθαι αὐτὴν, καὶ βοηθείας πολλῆς καὶ παρηγορίας τυχεῖν ἐξ αὐτῆς*. *Preces, in quibus delictorum confessio fit, singulis diebus sine ulla intermissione recitanda, si vis cum animam agis, sanctissimam Virginem Deiparam intueri, & subsidium multum, nec non & solamen ab eodem obtinere.* Principium, *Λέγω τοίνυν εὐμενεστάτη δέσποινα ἀγαθὴ τὴν οἰκτρὰν μου δέησιν*.

Congessit præterea, ex Operibus divi Basilii, Orationes viginti quatuor *De Moribus*: *Ἠθικοὶ λόγοι κδ. ἐκλεχθέντες διὰ Συμεῶνος τοῦ Μαγίστρου καὶ Λογοθέτου ἐκ πασῶν τῶν πραγματειῶν τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας*. *Orationes de Moribus viginti quatuor, collecta per Symeonem Magistrum & Logothetam ex omnibus Sancti Patris nostri Basilii, Cæsarea Cappadociæ Episcopi, operibus.* In aliis Manuscriptis Codicibus habetur, *Συμεῶνος Λογοθέτου τοῦ Δρόμου, τοῦ καὶ Μεταφραστοῦ*, *Symeonis Cursus Logotheta, qui & Metaphrastes.* Leguntur passim & fere ubique in Bibliothecis Italicis Manuscriptæ, editæ sunt autem Græce Parisiis 1556. apud Guilielmum Morelium in 8. & Latine cum aliis Basilii operibus, Parisiis apud Michaelem Sonnium 1603. in fol. Stanislao Florio interprete: & tandem Græce & Latine Francofurti, apud Nicolaum Bassæum, in 8. Hujus exemplo alius, quicunque ille fuerit, cum operi nomen non præfigatur, ex Operibus Chrysostomi similem laborem nec frustra suscepit. Illas quoque Orationes XXIV. *de moribus* ex Sancti Basilii scriptis decerptas verbotenus, ex Manuscripto Codice bibliothecæ Galliarum Regiæ, Græce & Latine factos per Simonem de Maille Turonensem Archiepiscopum, habes tomo 2. Operum Sancti Basilii editionis Parisiensis in folio anni 1618. 2. voluminibus: atque tomo 3. editionis ultimæ ibidem anni 1638. tribus voluminibus in folio. Sed ambiguum valde est, an Orationes istæ spectant ad Symeonem Logothetam & Metaphrastem, seniorem, qui anno 910. floruisse dicitur, de quo loquitur Allatius: an ad alterum Symeonem nostrum, *Magistrum & Logothetam* dictum, quem anno 1170. Cavus alligat in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum, nos autem anno 1150. assignamus. Modus

enim

enim ille concinnandi ex aliis, seculo XII. apprime convenit, non autem anno 910. Harum *Orationum XXIV. de moribus & virtutibus Christianis*, extat MS. exemplar Græcum in Bibliotheca Heidelbergensi cod. 377. sed absque nomine authoris, ut ex ejus Catalogo constat ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini.

Et ut magis ac magis pietatem & religionem Christianorum animis excitaret, Capita quædam perbrevia, sententiis non tam concinnis & venustis, quam gravibus & severis referta, tum ex suo, tum ex aliorum penu concinnavit, eaque elegantissima. E suo penu sunt, Γνωμικὰ κεφάλαια ρλά. *Sententiosa capita CXXXI.* Quorum illud est principium, ὁ γὰρ σύφων ἐν καιρῷ λόγος, τοῦ ἀπαλωτέρου βέλτιω κατὰ πολύ. Ex aliorum penu hæc quæ sequuntur. Κεφάλαια τοῦ ὁσίου καὶ θεοφόρου πατρὸς ἡμῶν Μακαρίου, τοῦ Αἰγυπτίου, ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων παραφρασθέντα, ὑπὸ τοῦ Λογοθέτου τοῦ Μεταφράστου ρν'. *Capita CL. Sancti ac Deiferi Patris nostri Macarii Ægyptii, ex illius sermonibus paraphrasi exposita a Logotheta Metaphraste.* Vide studium & conatus Symeonis. Principium, Χάριτι μὲν καὶ δωρεᾷ τοῦ Πνεύματος θεία ἕκαστος ἡμῶν τὴν σωτηρίαν πορίζεται, πίστει δὲ καὶ ἀγάπη, ἀγῶνί τε προαιρέσεως αὐτεξουσίου, τοῦ τελείου μέτρου τῆς πνευματικῆς ἡλικίας ἐφικέσθαι δύναται. Horum Capitum Macarii, a Metaphraste metaphrasi exornatorum, mentio fit in Eclogis testimoniorum Patrum adversus Barlaamum & Acindynum, & eorum hæreses. Subnectebantur in eodem Codice, Τοῦ αὐτοῦ ἁγίου Μακαρίου κεφάλαια ἕτερα, ὠφελείας πάσης πεπληρωμένα, μέ. *Ejusdem Sancti Macarii Capita alia perquam utilia, XLV.* Principium, Πᾶσα ἡ εὐαρέστησις τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ διακονία τῆς ψυχῆς ἐν τοῖς λογισμοῖς ἐστιν. Ab eodemne Metaphraste, paraphrasi & ipsa explicata, dubium: ego puto, alii certius determinent.

Scripsit item *Epistolas ad diversos*, ex quibus penes me sunt novem. Principium, ὦ εὐγέχιστε. Eæ sunt satis compositæ & accuratæ, publicabunturque a me, si Deus dederit, aliquando, una cum Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, Theodori Metropolitæ Nicæni, Photii Patriarchæ Constantinopolitani, Demetrii Cydonii, Nicetæ Magistri, Manuelis Palæologi, & aliorum Epistolis. Editæ autem sunt Græce & Latine, ad calcem Diatribæ *De Symeonum scriptis* pag. 254. cura & studio Francisci Combefis, qui *Diatribam* edendam curavit Parisiis anno 1664. in 4. apud Symeonem Piget.

Carminibus quoque operam impendit, Iambicis & Politicis potissimum, quibus mores hominum componebat, pietatemque adaugebat. Eorum specimen supra habes, ex iis quæ supra inter illius preces signavimus. Nunc nonnulla apponemus, tum ut hominis ingenium ferax, expertumque agnoscas, tum ut ab interitu similes antiquitatis opes, propter sui molem exiguam, interitui obnoxiæ, per me conserventur posteritati. Extant ergo Græce, ejusmodi Carmina IV. in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 132. 133. 134. 135. Atque hæc ex Allatio de scriptis Symeonis Metaphrastæ.

In Bibliotheca vero Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCX. ut habet Petrus Lambecius Libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 20. extat. Primo" & quidem a fol. 1. pag. 2. usque ad fol. 3. pag." 2. *Symeonis Metaphrastæ Synaxarium in crucifixionem Christi versibus politicis*, cujus titulus" & principium: Συναξάριον διὰ στίχων πολιτικῶν" παρὰ κυροῦ Συμεὼν τοῦ Λογοθέτου καὶ Μεταφραστοῦ. Δεῦτε βροτοὶ θεάσασθαι τῶν πάντων" βασιλέα, ἐπὶ σταυροῦ κρεμάμενον τὶς ἀκύων ὄν" φρίττει; ὃν μαθητὴς ὁ δόλιος παρέδωκεν εἰς" φόνον. Τὸν στερεώσαντα τὴν γῆν &c."

Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCXV. num. 3. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 44. his verbis. Tertio & quidem" fol. 160 pag. 2 *Symeonis Logothetæ & Magistri" cognomento Metaphrastæ, Versus compunctionis in" forma Confessionis, secundum ordinem alphabeticum.* Ipsa tituli Græci verba cum principio" Versuum hæc sunt: Τοῦ κυροῦ Συμεὼν τοῦ Λογοθέτου καὶ Μαγίστρου Στίχοι κατὰ στοιχεῖα κα" τανυκτικοὶ ἐν τάξει ἐξομολογήσεως. Ἀπὸ βλέφάρων δάκρυα &c. Illi autem pertingunt ibi" tantum usque ad literam B. ob defectum sequentium foliorum.

Quarto & quidem fol. 1. pag. 1. & 2. aliud" *ejusdem Symeonis Metaphrastæ Στιχηρὸν, sive Canticum sacrum ordine alphabetico*, sed maxima ex" parte mutilum usque ad litteram O. quæ incipit, ὅταν τὸ πλῆθος μου τῶν πταισμάτων &c. Idem autem Carmen extat sub nomine Symeonis Metaphrastæ integrum in ejusdem Augustissimæ Bibliothecæ Codice MS. Theologico LXXVI. & quidem a fol. 6. pag. 2. usque" ad fol. 8. pag. 2. ibique incipit ab his verbis:" Ἄνω τὸ ὄμμα τῆς διανοίας &c. Qua de re vide librum tertium Commentariorum ejusdem" Bibliothecæ pag. 149. Sed ibi versu 26. pro" Στιχηρὸν, mendose legitur Στιχηρὸν."

Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCXL. num. 5. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 101. his verbis: Quinto & quidem" a folio 53. pag. 2. usque ad fol. 84. pag. 1. *Sancti Macarii Ægyptii* sive *Scetensis, Capita ascetica" centum septuaginta, Metaphrasi illustrata a Symeone Logotheta*, quorum titulus & principium. Κεφάλαια τοῦ ἁγίου Μακαρίου μεταφρασθέντα" παρὰ Συμεὼν τοῦ Λογοθέτου. Κεφάλαιον α." Χάριτι μὲν καὶ δωρεᾷ τοῦ Πνεύματος θεία" ἕκαστος ἡμῶν τὴν σωτηρίαν πορίζεται &c. Eadem S. Macarii Capita extant etiam supra in" Codice CCXXXIV. sed absque mentione Symeonis Metaphrastæ.

Ejusdem Precatio ad beatissimam Virginem Mariam, quæ inscribitur Εὐχὴ εἰς ἐξομολόγησιν," ἣν ὀφείλεις καθ' ἡμέραν ἀμεταθέτως λέγειν &c." de qua in eadem Bibliotheca existente, loquitur

„tur Lambecius Lib. 3. Commentariorum hu„jus Bibliothecæ pag. 151. Cujus precationis „author est Symeon Metaphrastes, ut testatur Leo Allatius ante allatus in Diatriba *De Symeonum scriptis* pag. 131. ubi his verbis illius me„minit: „*Plerasque etiam preces, quæ in Ecclesia „Græcorum non sine pietatis fructu recitari solent, „Symeon Metaphrastes composuit, quarum nonnullæ „inter Rituales Græcorum Libros reponuntur. Hu„jusmodi est*, Εὐχὴ ἐξομολογητικὴ ἣν ὀφείλεις καθ' „ἡμέραν ἀνεπαύστως λέγειν πρὸς τὴν ὑπερα„γίαν Θεοτόκον, ἐὰν ποθῇς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ ψυχορ„ραγήματός σου ἰδέσθαι αὐτὴν, καὶ βοηθείας „πολλῆς καὶ παρηγορίας τυχεῖν ἐξ αὐτῆς. „Hoc est, *Preces, in quibus delictorum confessio est, „singulis diebus sine ulla remissione recitandæ, si vis, „dum animam agis, sanctissimam Virginem Deipa„ram intueri, & subsidium multum, nec non & sola„men ab illa obtinere.*„ Huc usque Allatius, quæ & similia istis, magnam S. Symeonis Metaphrastæ pietatem juxta Allatium ostendunt, juxta alios autem, illius magnam simplicitatem, devotionemque anilem, homine gravi prorsus indignam, ætatemque etiam valde recentem.

Extant quoque in Sfortiana Bibliotheca, in Classe Epistolarium & Poëtarum, num. XXIX. Libanii ad Basilium & Basilii ad eundem, & alios plerosque, Epistolæ 140. Photii Patriarchæ Constantinopolitani Epistolæ 47. Gregorii Theologi ad Basilium & alios complures, & Basilii ad eundem, Epistolæ 74. Theodori Archiepiscopi Cæsariensis, Epistolæ 5. *Symeonis Magistri*, *Epistola 19.* Nicolai Patriarchæ Constantinopolitani, Epistolæ 7. Synesii Epistolæ 14. Isidori Pelusiotæ Epistolæ 59. in membranis in folio. Videant autem quibus id concessum est, an *Epistola ista XIX Symeonis Magistri*, spectent ad Symeonem hunc Metaphrastem, an ad ejusdem nominis alium: atque utrum Epistolæ novem hujus Symeonis, quas Græce & Latine pag. 254. Dissertationis *De Symeonum scriptis* edidit Leo Allatius, ex hoc MS. codice desumptæ sint, vel inter illas supra dictas *novendecim* contineantur. Denique, annon pro novendecim, ut habet Possevinus ad calcem *Apparatus sacri*, ubi de MSS. Codicibus Sfortianæ bibliothecæ, *Novem* legendum sit, sintque Novem illæ Epistolæ hujus Codicis, quas in lucem produxit loco citato Leo Allatius? Hoc enim mihi valde probabili. Neque etiam plurimum publico contulit Leo Allatius, dum infantilem *Lamentationem* quandam Symeonis Metaphrastæ, Græce & Latine edidit in Diatriba sua *De Symeonibus* pag. 245. cujus initium illud est, Τοῦτο ἐκεῖνο, γλυκύτατε Ἰησοῦ, τὸ τῆς ἐκ Περσίδος ἀφιγμένης εἰς Βηθλεέμ &c.

Idem quoque Petrus Lambecius lib. 2. Commentariorum Bibliothecæ ejusdem cap. 5. pag. 588. meminit *Symeonis Magistri ac Logotheta* ubi ex illius *Chronico* adhuc inedito aliquid confirmat, cujus vetustus Codex MS. ab Augerio Busbeckio, Constantinopoli olim comparatus, extat in Augustissima bibliotheca Cæsarea, estque inter MSS. Codices Historicos Græcos, XXVII. Videtur autem fuisse inter libros Jacobi Marmoratæ, Patriarchæ Constantinopolitani, de quibus Verderius, & Possevinus, in Catalogis Manuscriptarum bibliothecarum, ad calcem *Apparatus sacri* loquitur.

CAPUT DECIMUM.

JUDICIA RECENTIORUM DE VITIS, SEU LEGENDIS SYMEONIS METAPHRASTÆ: ITEMQUE FALSA ET INCERTA DE DIGNITATIBUS, OFFICIIS ET SANCTITATE IPSI ADSCRIPTIS.

OPpositæ sunt sententiæ recentiorum circa Vitas Symeonis Metaphrastæ, paucis illas ex pietate nihil examinate laudantibus, multo pluribus rejicientibus ac contemnentibus.

Et inter alios eximie laudat Aloysius Lypomannus, Veronensis Episcopus in Prologo ad Vitas Sanctorum, quas Latine edidit. *Metaphrastes Vitas Sanctorum, eleganti stylo & condito descripsit, & legendas Ecclesiæ proposuit, tantaque auctoritate liber hic in lucem prodiit, ut apud Orientalem Ecclesiam, qui Sanctorum Vitas præter unum Metaphrastem scripserit, nec quæratur nec reportatur. Quin imo cum in suis Menæis, & sacras Sanctorum Vitas recitat, non alias quam ex istis desumptas legit: adeo pro certis, veris, authenticis ab omnibus, & omnium auctoritate confirmatis habentur. Imo nec Ecclesia Græca preces orationesque Metaphrastæ, post Basilii & Chrysostomi supplicationes statim locasset, si recensis temporis auctoris essent.* Et postea, *Metaphrastem scito virum fuisse sanctissimum, & apud Græcos Patres beatorum Catalogo adscriptum, siquidem ejus festum apud illos die 27. Novembris celebratur. Quare plenissima fides ejus scriptis adhiberi potest, prout decet gravissimorum pariter & doctissimorum Patrum testimonium habemus. Qui autem illi sint, ad tuam quoque fidem confirmandam, sicut & meam corroborant, eos hic subjicimus.* Vide item Gretserum *De Imaginibus a sancto Luca pictis* cap. 19.

Contra vero in Metaphrastæ dejectionem & contemptum, Rodulphus Hospinianus in Opere *de Templis* lib. 2. cap. 10. pag. mihi 138. editionis ultimæ Genevensis anni 1672. in folio scribit, *Metaphrastem illum fuisse trivialem Constantinopoli Ludimagistrum, mendaciorum Legendas scripsisse, nec amplius abhinc ducentis viginti annis vixisse.* Isaacus Casaubonus in Baronium Exercitatione 16. Num. 95. *Metaphrasta, qui vitam & res gestas Longini istius scripsit, tantum tribuimus nos, quantum ei debetur, qui diligentia summa, sed judicio nullo in ea Collectione versatus sit. Neque aliter Baronius judicat, quoties intendit animum, quod utinam semper fecisset: ne alia loca ejus proferam, in quibus Metaphrastem ut anilium sæpe fabularum hamaxarium severe castigat. In hac historia non constat ipse sibi.* Et Num. 96. *Primus enim,*

enim, quod quidem hodie sciatur, Metaphrastes, scriptor oppido recens, & persape vanissimus, magnusque fabularum anilium consarcinatur, ejus rei meminit. Et postea, *Vitas Sanctorum translatas, Latine apud Lipomanum & Surium habemus, sed plurima in iis fabulose scripta sunt: nempe Metaphrastes, ut Bellarminus verissime ait, multa addidit ex proprio ingenio, non ut res gesta fuerunt, sed ut geri potuerunt.*

Nec melius judicat Franciscus Goduinus *de Prasulibus Anglia* cap. 7. his verbis, *De Symeone Metaphraste, si non sufficit dixisse, quod de Sozomeno Melchior Canus, Gracus is fuit, & hac natio est, semperque fuit ad mentiendum promptulus. Quam dignus sit fide, judicet Baronius, cujus verba libenter usurpaverim, de eo hac in causa laturus sententiam, sic enim ille.* „Sicut in aliis multis „ibi a se positis errare Metaphrastem, certum „est: ita & in his illum hallucinatum esse con„stat. *Ac jure profecto tum demum poterat mendacissimi nebulonis stigmata inurere, quem ter, si non quater, mendacii ac falsitatis tum nuperrime arguisse deprehendes, quisquis paucula folia locum illum pracedentia evolverit.*

Nec felicius est erga Metaphrastem judicium Roberti Bellarmini in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 859. qui in eo obtrectando satis diffusus est. *Illud autem observandum, à Metaphraste scriptas fuisse historias de Vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gesta fuerant, sed ut geri potuerant. Addit enim Metaphrastes multa Colloquia, sive Dialogos Martyrum cum persecutoribus: aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique Miracula plurima, & maxime in eversione Templorum & Idolorum, quorum nulla est mentio apud Veteres Historicos.* Hæc ex Diatriba Leonis Allatii *de Symeonum scriptis* pag. 36. 25. 43. & 47. quæ modis omnibus convellere, sed frustra conatur dictus Allatius, dum immensis laudibus atque immeritis, ad cœlum usque passim, attollit Collectaneum istud Symeonis Metaphrastis.

Quandonam autem seu quo tempore hæ Μεταφράσεις (sic enim semper in MSS. Codicibus absque nomine ullius authoris inscribuntur) scriptæ fuerint: magna inter recentiores Scriptores qui de illis egerunt, est contentio. Leo Allatius in *Diatriba* passim contendit, Opus illud magnum sub Leone VI. qui Sapientis & Philosophi cognomentum sortitus est, elucubratum fuisse. „Anno circiter 902. accinxit „se Colligendis Sanctorum hinc inde sparsis Le„gendis, à S. Theoctistæ vita auspicatus: quas „omnes olim varias pro vario cujusque Scripto„ris ingenio & stylo, consimiles simili methodo „atque uniformi reddere tentavit.“ Rogatus autem fuit ad hanc Vitam scribendam, quando in Cretam insulam adversus Arabes cum Himerio expeditionem suscepit, quod anno 902. contigit, ut Allatius scribit in Diatriba pag. 51. anno Leonis Imperatoris XVII. Idemque tradit pag. 55. & 58. Contra Guillelmus Cavus in Historia Scriptorum Ecclesiæ Sæculo X. ad annum 901. pag. 573. scriptas fuisse sub Constantino Porphyrogenito his verbis testatur. „Tempus quod à negotiis publicis vacuum habuit“ Metaphrastes, literarum studio impendit, præ“cipuè verò illustrandis Ecclesiæ antiquitatibus“ incubuit. Jubente enim Constantino Augu“sto, *Vitas Sanctorum* ante sua tempora scriptas“ undique conquisivit, conquisitas recensuit:“ elegantiores tanquam lectorum conspectu di“gnas, calculo suo approbavit, neque ulla in re“ mutatas divulgavit: minus elegantes verò,“ partim nitidiori stylo vestitas, partim novâ for“ma & methodo dispositas, in ordinem redegit“ ac digessit: quasdam etiam ex superiorum tra“ditione acceptas, proprio marte ipse condidit.“ Bollandus quoque vir doctissimus, ut cap. 3. Dissertationis hujus probavimus, *Vitas Sanctorum* non esse scriptas anno 902. sub Leonis Sapientis imperio ut Allatius supra scripsit, probat: sed *circa annum 958. vel 960. vitam produxisse Metaphrastem, atque ita sub Constantino Porphyrogenito Leonis filio, tum Theoctistes eam vitam, tum alia Divorum acta elucubrasse certum videtur:* non ut Allatius *scribit*, sub Leone & Constantino. *Nam in hac vita Leonem disertè* τὸν μακαρίτην, *felicis memoria appellat, qua ratione de mortuis loqui solemus.* Verum & Leo Allatius & Guilielmus Cavus absurdè mihi errasse videntur: dum hic pag. 574. ita formaliter & positivè Symeonem Metaphrastem tot Legendarum, aliorumque Opusculorum ex aliis consarcinatorem, an. 902. allegat: quem Leo Allatius Diatribæ *De Symeonum Scriptis* pag. 50. dum in Cretam insulam anno 902. missus est, tunc temporis *mediam hominis atatem decurrentem* scribit: & pag. 55. & 56. ubi de *Vita Sancta Theoctistes*, illum annos circiter 35. vel 40. natum statuit. Hæc sollicitè notanda sunt, juxta Allatium loco allato, Symeonem Metaphrastem anno 902. fuisse annorum 35. vel 40. natum, ac *decurrisse mediam hominis atatem.* Magna autem inter Scriptores istos discordia est, dum Leo Allatius *Legendas Sanctorum* anno 902. sub Leone Imperatore scriptas esse vult: Bollandus autem atque Cavus sub Constantino Porphyrogenito, circa annum 957. vel 960.

At argumentis duobus mendax illa epocha Allatii confutari potest, ex ipsis Symeonis Metaphrastæ opusculis, quæ cum habeantur, vix locum relinquunt responsioni, & ad demonstrationem accedere videntur. Primum cap. quoque 12. Dissertationis hujus tractabitur, uti & secundum capite 1. ejusdem tractatum est. Inter Vitas à Symeone Metaphraste compositas, extat *Vita S. Joannis Chrysostomi*, cujus initium profert Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 126. Καὶ πάντων μὲν τῶν κατὰ Θεὸν πολιτευσαμένων ὁ βίος τοῖς εὐσέβεσιν ὠφελιμώτατος, quam ut genuinam agnoscit. Hanc Græcè edidit Henricus Savilius Tomo 8. editionis Græcæ Operum S. Joannis Chrysostomi pag. 3-3.

Latineque habetur Gentiano Herveto interprete, cum Vitis Metaphrastæ Tomo 5. Aloysii Lipomani die 13. Novembris fol. 79. & Tomo I. Surii die 27. Januarii pag. 634. Desumpta est Vita illa ex Anonymo, quem Græce habet idem Savilius loco citato pag. 193. cum Notis col. 963. atqoe omnino exprimere solet Metaphrastes, cujus sensus fere semper, verba etiam plerumque cum hoc Anonymo communia sunt, inquit Cavus in *Chrysostomo* pag. 272. At Anonymus ille Constantino Porphyrogenneta Imperatore, hoc est anno 959. posterior est, ut patet ex præfixo Auctorum indice pag. 293. Ille enim Anonymus ex 20. Scriptoribus Græcis seipso anterioribus Vitam S. Chrysostomi concinnavit, quorum XV. fuit Leo Imperator & Philosophus, XX. autem Constantinus Porphyrogenitus, ὁ Κωνςαντῖνος ὁ Πορφυρογεννήτης, qui τὸ ἐγκώμιον scripserat in Chrysostomum. Cum ergu adhuc post hunc Anonymum Metaphrastes scriberet, illo adhuc posterior extitit. Atque hoc posito, quod absurdissimum, Metaphrastes, vir *Centenarius* conscribendis Sanctorum Vitis incubuisset: nam ex Allatio in Diatriba pag. 51. & 56, anno 902. erat annos 35. vel 40. natus, dum in Cretam abiit: ergo anno 959. prope *Cntenarius* erat, ex Allatii calculo. Imò multis etiam post hunc Anonymum annis, Vita ista Chrysostomi à Metaphraste conscribi potuit. Hæc adversus deliria Leonis Allatii, qoæ Bollandus & Guilielmus Cavus hac in parte prudentet amplecti noluerunt.

Secundum Argumentum desumitur ex *Chronico Symeonis Metaphrasta*, quod anno 1685. ex typographia Regia Parisiis, Græce & Latine in folio editum est ex MSS. Codicibus Regiis. Argumentum istud latissime cap. 1. hujus Dissertationis tractatum est, atque non tantum sententiam Leonis Allatii demonstrative confundit, sed & sententiam Bollandi & Cavi, qui Vitas istas Sanctorum à Metaphraste susceptas esse seribendas sub Constantino Porphyrogenito scripserunt.

Chronicon autem istud, ut recte notat Franciscus Combefisius editor, incipit à Creatione mundi, atque protenditur circiter usque ad Imperium Michaelis Ducæ, cujus in humaniotibus literis præceptot fuit Michael Psellus & qui ab anno MLXXI. ad annum MLXXVII. imperium tenuit. Composuit seu potius hoc *Collectaneum Historicum* consarcinavit Symeon Metaphrastes & Logotheta, ut habet inscriptio *ex variis Historicis*, quos pro more suo transscribit, qui etiam in MS. Codice Μεταφραςής dicitur, ut idem Franciscus Combefisius positive observat in Præfatione ad hanc *Chronologiam*, quæ post ejus mortem ex ejus tamen vetsione, Parisiis anno 1685. Græce & Latine in solio typis Regiis edita est. Illa aotem consarcinatur verbotenus ex *Historicis decem*, quorum *Octavus* est anonymus quidam, qui ultimis Constantini Porphyrogeniti tempotibus & Romani Junioris ejus filii usque ad annum 962. scripsit, quem verbotenus Metaphrastes transscribit. *Nonus* autem quem transscribit, Leo Grammaticus est, qui usque ad annum 1013. Chronologiam contexuir, ut multis in locis annotavit Carolus du Fresne Dominus du Cange in Glossario mediæ & infimæ Græciratis, & nos iterum cap. 13. hujus Dissertationis probabimus. *Decimus & ultimus* Michael Psellus, qui Historiam suam extendit usque ad tempora Michaelis Ducæ, Constantini filii, qui ab Anno MLXXI. ad MLXXII. imperiom tenuit: atque hic Psellus usque ad annum 1080. vixisse legitut. Si ergo Symeon Metaphrastes ac Logotheta, juxta Leonem Allatium anno 902. Leone VI. Sapiente imperante, annos 35. vel 40. natus erat: vel si juxta Bollandi atque Cavi sententiam, anno 957. vel 958. Constantino Porphyrogenito imperante, ætatem eandem habens, *Legendas Sanctorum* scribere vel interpolare aggressus est: quomodo usque ad annum MLXXII. & ultra, Michaelem Psellum scribentem, Collectaneo suo inserere potoit, nisi annos centum & quinquaginta vixerit, quod absurdissimum est? Ex *Chronico* itaque *Metaphrasta* corruit sententia Bollandi & Guilielmi Cavi. Imò cum exscribat Michaelem Psellum qoi anno MLXXVII. floruit, & ad annum 1080. vixit, Epocha Symeonis Metaphrastæ vix ante annum 1140. vel 1150. constitui potest: non enim *Chronicon* nisi ex antiquioribus seipso Scriptoribus collegit. Vide quæ de hoc argumento Cap. 1. Dissertationis hujus dicta sunt.

Alia Leonis Allatii somnia de Symeone Me- « taphraste videamus. Fuit Symeon Μετα- « φραςὴς dictus patriâ Constantinopolitanus, à « Leone Imperatore *Proto-Secretarius* factos, *Ma-* « *gnus Logotheta*, seu ut apud nos vocant, *Magnus* « *Cancellarius*, denique *Magister Palatii*, quod qui- « dem munus inter summas Aulæ Constantino- « politanæ dignitates emicuit. « In *Diatriba* pag. 32. vult Metaphrastem fuisse *Logothetam cursus* τȣ̃ Δρόμȣ, tum altiori ordine Logothetam promotum, quem *Cancellarium* dicimus. Idem pag. 31. contendit fuisse *Magnum Logothetam*, cujus habitum depingit, pag. autem 32. officium & munus. Sed hæc omnia ipsi à Leooe Sapiente ac Philosopho attributa officia atque dignitates Imperii principales, somnia sunt Leonis Allatii, deliria & mendacia, quæ Græcum hunc mendacissimum hominem evincant. Argumentis duobus demonstrativis, falsitatem istarum omnium ipsi attributarum dignitatum ostendimus, ex Chronico ipsius Symeonis Metaphrastis edito, quod jam suprà allegatum est. Quamvis *Chronicon* istud initio ac fine mutilum editum a Combefisio sit, pars enim ptima à creatione mundi ad annum 813. seu ad imperium Leonis Armeni devenit, omissa est: Itemque ultima pars quæ ab imperio Nicephori Phocæ usque ad Constantinum Ducam protenditur. At quæ res gestas Leonis Imperatoris ac Philo-

so-

ſophi complectitur, illic nullam mentionem facit Symeon Metaphraſtes dignitatum atque officiorum illorum *Protoſecretarii, Magni Cancellarii, & Magiſtri Palatii ſeu Curopalata*, quibus à Leone VI. Imperatore, Sapiente dicto ac Philoſopho donatum illum fuiſſe ſcribit mendaciter loco citato Allatius. Fuiſſet ergo ingratiſſimus omnium hominum Symeon Metaphraſtes vel pecude pejor, qui omnia hæc conticuiſſet, ubi eorum ampliſſimam mentionem facere debuerat. Hinc rectè concludimus ex Simeonis Metaphraſtæ ſilentio in *Chronico*, nihil tale unquam ipſi contigiſſe beneficiorum à Leone VI. Imperatore, uti ſomniavit Leo Allatius. Nec ulli ſilentium iſtud admirationi eſſe debet, cum Symeon hic Metaphraſtes, Leoni Sapienti Imperatori ſuppar non eſſet, ſed ducentis annis poſterior & amplius, ſub Joanne & Manuele Comnenis, circa annos 1140. & 1150. vitam agens. Prætereà ſilentio hujus Chronici addimus Chronicon ipſum quod ab Adamo incipiens, ex antedictis Scriptoribus extenditur usque ad imperium Michaelis Ducæ Conſtantini filii, qui ab anno MLXXI. ad MLXXVII. imperavit. Fuit ergo poſterior anno MLXXI. vel MLXXVII. Symeon Metaphraſtes, qui Chronicon ſuum ad id temporis perduxit: quomodo ergo factus fuiſſet *Protoſecretarius* vel *Magnus Cancellarius* vel *Magiſter Palatii* à Leone Sapiente ſeu Philoſopho Imperatore, cujus ætate (juxta Allatium) anno 902. annos 35. vel 40. natus erat: niſi illum vixiſſe ducentos viginti & amplius annos aſſeramus. Ex hoc igitur Chronico revincuntur ſomnia, deliria, ac mendacia ſtupenda Leonis Allatii, qui phantaſiæ ſuæ indulgens, Diatribam illam *De Symeonum Scriptis* conſpurcavit incredibilibus falſitatibus ac mendaciis. Atque hæc ſufficiant ad demonſtrandum, omnes illas dignitates & officia Imperii Conſtantinopolitani à Leone Philoſopho attributa Symeoni Metaphraſtæ, fuiſſe imaginaria, à Leone Allatio inter dormiendum inventa.

Cum conſtet igitur evidenter ac meridianâ luce clarius ſit, Chronicon Symeonis Metaphraſtæ ex decem Scriptoribus ante ſe exiſtentibus & antiquioribus collectum eſſe, quorum duo ultimi, *nonus* nempe Leo Grammaticus Chronologiam ſuam usque ad annum MXIII. extenderit, *decimus* Michael Pſellus ſuum Chronicon ad tempora Michaelis Ducæ filii Conſtantini Ducæ, hoc eſt ad annum MLXXI. perduxerit: & qui ambo conſequenter multis etiam annis Symeone Metaphraſte forſitan antiquiores fuerint: hinc demonſtrativè infertur, nec Symeonem Metaphraſtem vel Leoni Philoſopho Imperatori, vel Conſtantino Porphyrogenito illius filio ſupparem aut Synchronum exiſtere potuiſſe. Nam Conſtantinus Porphyrogenitus adhuc puer imperium anno 911. habuit, quod anno 961. moriens dereliquit. Leo Imperator ſapiens dictus, Conſtantinum præceſſit, cujus anno 902. inſtantia juxta Allatium, Legendas Sanctorum tum colligendas tum emendandas atque ornandas aggreſſus eſt. Neque igitur à Leone Sapiente neque à Conſtantino Porphyrogenito, qui ducentis annis ipſum præcedebant, aſſequi ullas dignitates in Imperio Conſtantinupolitano potuit, nec ab ullo eorum factus fuit vel *Protoſecretarius*, vel *Magnus Cancellarius*, vel *Magiſter Palatii Conſtantinopolitani*, ut enormi mendacio ſcripſit Allatius. Neque ut Allatius idem habet in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 50 *mediam hominis ætatem decurrebat, dum in Cretam inſulam anno 902. miſſus eſt:* & pag. 55. & 56 dum de *Vita Sancta Theoctiſtes*. illum *anno 902. annos circiter 35. vel 40. natum ſtatuit*. Niſi Allatius velit, Symeonem Metaphraſtem annis ducentis & amplius vixiſſe, ab anno nimirum 902. quo quadragenarius juxta illum erat, ad annum MLXXI. quo Chronicon ſuum perduxit. Splendidis igitur Leonis Allatii mendaciis detectis, reſtat jam videndum, an & qualis Λογοθέτης vel Μάγιςρος fuerit.

Multa ac præclara de *Logothetis Aulæ Conſtantinopolitanæ* congerunt Carolus du Freſne, Dominus du Cange in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* coll. 821. 822. & 823 verbo Λογοθέτης, ac de *Magiſtro officiorum* verbo Μάγιςρος col. 843. Leo quoque Allatius, ſibi ſemper ſimilis, hoc eſt *ſemper mendax*, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 28. ut Symeonem Metaphraſtem altius elevaret atque miraculo hominem proximiorem faceret, vult fuiſſe *Logothetam non Eccleſiaſticum*, quod nihil moratur: ſed *Aulæ Conſtantinopolitanæ ſeu Palatinum*, cum tantum de *Palatino officio* ſermo ſit. Itaque paginis 28. 29. & 30. de variis Logothetarum Palatii ſpeciebus latiſſimè diſſerit, illorum habitus ſeu indumenta depingit, officia atque functiones exponit, ut inde dignitatem atque honores Symeonis Metaphraſtæ oſtendat, quem Palatii Conſtantinopolitani maximos gradus aſſecutum fuiſſe oſtendit. De *Logothetis* autem *Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* altum ipſi ſilentium eſt, *non moneor*, quia heroem ſuum Symeonem Metaphraſtem *Logothetis Palatinis* absque fundamento ullo accenſere vult, quem MSS Codices & Scriptores, nihil determinantes, Λογοθέτην ſimpliciter appellant. Contra Dominus du Cange in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo Λογοθέτης col. 823. *Eccleſiæ Magnæ Conſtantinopolitanæ Logothetas* his depingit.

Λογοθέτης dignitas Eccleſiaſtica ex ſecunda Pentade apud Codinum *De Officiis Aulæ & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* cap. 1. num. 9. ubi ejus munus ita deſcribitur. Ὁ Λογοθέτης εἰς τὸ λογογραφεῖν καὶ τοὺς δημοσιακοὺς καὶ ἀρχοντικοὺς ὑποθέσεις λογογραφεῖν. *Logotheta præeſt diſcutiendis & conſcribendis rationibus, tam quas reddunt qui ex plebe, quam qui ex ordine Eccleſiaſtico.* Aliud munus illi tribuunt Codices Regii. Ὁ λογοθέτης ποιῶν λόγους κατηχητικοὺς πρὸς τὸν λαὸν, δίκαιος τοῦ Πατριάρχου. *Logotheta habet inſtruendo populo Sermones & eſt Patriar-*

„*triarchæ vices gerens, id est Vicarius generalis.* Ali„ter alii Codices MSS. Regii Ὁ λογοθέτης εἰς τὸ „λογογραφεῖν τὰς ἑορτάς. *Logotheta ut Festivi„tates Sanctorum describat.* Denique Codex „Allatianus Ὁ λογοθέτης ὑπογραφῶν τὴν βοῦλ„λαν τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ εἴ τι ἂν γράφει ὁ Ἀρ„χιερεὺς, σφραγίζεται παρ᾽ αὐτοῦ: ὁμοίως καὶ „εἰς τὴν πᾶσαν εἴσοδον τῆς Ἐπισκοπῆς. ἔστι δὲ „καὶ εἰς τὰς κρίσεις, κρατεῖ καὶ τὸν δίσκον μετὰ τοῦ „ἁγίου Ἀντιδώρου ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ διδομένου, τοῦ κα„τακλάσου παρὰ τοῦ Ἀρχιερέως. *Logotheta su„stinet concessionis bullam Patriarchæ, & si quid uti„que Patriarcha scribendo concesserit, sigillum illi ap„ponit: Similiter & ad omnem librum Censuum „Episcopatus. Sedet autem in judiciis litium & te„net discum cum pane benedicto in Ecclesia, quoties„cunque ejus fragmenta à Pontifice distribuuntur.* „Multiplex igitur fuit Logothetæ Ecclesiastici „munus. Extat Parthenii Patriarchæ Con„stantinopolitani nuperi Diploma anni 1643. „apud Panagiotam in *Catechismo Russorum*, cui „subscribitur Lascaris Μέγας Λογοθέτης τῆς „μεγάλης Ἐκκλησίας, & Nicolaus ὁ Λογοθέτης „τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας." Erant igitur in Ecclesiis Græcorum seu Orientalibus tam quæ Patriarchales erant, quam quæ Metropolitanæ, Logothetæ honoribus insignes, Canonici earumdem sedium, quales sunt in Ecclesiis Metropolitanis & Cathedralibus Occidentis *Scholarcha* seu *Scholastici* quorum munus & officium est, ut Canonicos juniores informent computo Festorum mobilium ac diei Paschatis, rudimentis Theologiæ & arte concionandi in publico.

Porro ex solis & omnibus Symeonis Metaphrastæ operibus, constat illum fuisse *Logothetam Ecclesiasticum* seu *Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, ut ad id probandum, argumento alio opus non sit. Quamvis enim plurima scripserit, omnia universim evincunt fuisse hominem Ecclesiastici ordinis. Cum in judiciis assideret, hanc ob causam *Collectionem Canonum Ecclesiasticorum* sub Joanne Comneno composuit: cum velut Logotheta *conciones Catecheticas* facere teneretur, ideo *Collectionem Locorum communium* de diversis ac potissimis Christianæ fidei principiis theologicis ac moralibus, ex Divi Basilii operibus collectam atque optimè ordinatam composuit: cum officii illius esset, ut *Festivitates ac Sermones in Ecclesia per annum* ab Ecclesiasticis pronuntiandas ordinaret: ideò *Metaphrases suas* totius anni ex Scriptoribus collegit labore ingenti, ubi innumeræ leguntur *Homiliæ in Festivitates* præcipuas Domini nostri Jesu Christi, Beatissimæ Deiparæ, Festivitatum omnium ab Ecclesia Orientali institutarum, Apostolorum omnium, Martyrum, Confessorum, quas ex Patribus antiquioribus ad usum Ecclesiæ simul compegit. Hymnos etiam plures, Cantica Ecclesiastica composuit, quæ illum *Logothetam Constantinopolitanæ Ecclesiæ* fuisse ostendunt: unde miror admodum, quomodo in mentem Leonis Allatii & Gullielmi Cavi ingredi potuerit, Metaphrastem fuisse Leonis Sapientis seu Philosophi Imperatoris anno 902. *Protosecretarium*, Imperii Orientalis vastissimi ac bellis agitati *Magnum Cancellarium*, denique & *Magistrum Cursorum Palatii*: quorum trium vel unicum officium occupare diu noctuque robustissimum hominem poterat, atque impedire, quominus Homiliis conscribendis, Canonibus Synodorum Ecclesiasticarum colligendis, atque Legendis Sanctorum contrahendis & interpolandis, totus incumberet. Ostendere deberent vel unico exemplo, tale quid unquam ab aliquo secularibus negotiis occupato factum fuisse. Cum igitur in MSS. Codicibus Symeon Metaphrastes vel Λογοθέτης, vel Μάγιστρος dicitur, id dubio procul intelligendum venit, de *Logotheta & Magistro Ecclesiastico Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ.* Ita intellexit Gerardus Joannes Vossius Lib. 4. *De Historicis Græcis* parte 3. quæ de historicis incertæ ætatis, litera S. verbo *Symeon Magister & Rhetoricus Logotheta* p. 523.

Jam ad sanctitatem Symeoni Metaphrastæ attributam veniamus, quam Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus in Prologo ad Vitas Sanctorum a se editas pluribus extollit inquiens, *Metaphrastem scito fuisse virum Sanctissimum, & apud Græcos Patres Beatorum catalogo adscriptum, siquidem ejus Festum apud illos die 27. Novembris celebratur.* Ita hujus capitis initio diximus. Primus qui Symeonis Metaphrastis meminit circa annum 1150. Theophanes Cetameus Homilia de *Lazaro suscitato* illum tantum *suavem Scriptorem*, non *Sanctum* appellat. Hippolytus Thebanus circa annum 1170. clarus, tantum *Dominum Symeonem* vocat, Ἐγὼ δὲ πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ κυρίου Συμεὼν. Michael Psellus ultimus seu tertius, qui Eustathio Thessalonicensi Archiepiscopo commentatori Homeri Synchronus est, & circa annum 1170. in vivis erat, cujus Encomium in Symeonem Metaphrastem Leo Allatius *De Symeonum Scriptis* Græcè & Latinè habet pag. 221. ad 235. non *Sanctum*, sed *Dominum Symeonem* dicit. Τοῦ σοφωτάτου Ψελλοῦ ἐγκώμιον εἰς τὸν Μεταφραστὴν κύριον Συμεῶνα. *Sapientissimi Pselli Encomium in Metaphrastem Dominum Symeonem.* Ac sane tam parum noverat Metaphrastem cujus Encomium scribendum susceperit, ut nec quo tempore vixerit aut claruerit, nec quando vel ubi mortuus sit, nec vitæ illius circumstantiam ullam profert, sed vagas & vanas pro more Græcorum laudes habet, cum verbositate multa: unde facile a quovis colligi potest, hominem ipsi penitus incognitum fuisse. Theodorus Balsamon in Commentariis ad Canones Conciliorum, illius quoque meminit, sed non *Sanctum* appellat, tantum autem τὸν μακαρίτην *felicis memoriæ seu recordationis*, τὸν Συμεῶνα μεταφραστὴν *Symeonem Metaphrastem*, Συμεῶνα Μάγιστρον *Symeonem Magistrum.* Primus qui illum Sanctis accensuit, est Michael Psellus qui ejus officium composuisse di-

dicitur, quod Leo Allatius Græcè & Latinè refert in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 236. ad 244. his verbis.

Mensis Novembris die 28.

Commemoratio Sancti Patris nostri Symeonis Logothetæ Metaphrastæ. Officium a Psello compositum interprete Leone Allatio. Troparia in Psalmum, *Domine clamavi.* Echus obliquus secundus.

Μηνὶ Νοεμβρίῳ κή.

Μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν Λογοθέτου καὶ Μεταφράστου. Ἀκολουθία συντεθεῖσα ἀπὸ τοῦ Ψελλοῦ. Στιχηρὰ εἰς τό, Κύριε ἐκέκραξα ἦχος πλαγίου δευτέρου.

Cum autem Leo Allatius unde hoc Officium Symeonis Metaphrastæ habuerit, non dicat, ambigo non modicum an credere illi debeam: maximè cum in laude illius amplissimà, illum tantum Κύριον τὸν Συμεῶνα vocaverit, quem postea splendide in album *Sanctorum* cum Officio singulari refert, licet ut supra diximus, hominem nunquam vidisset vel intimius cognovisset. Hanc quoque *Sancti* appellationem Symeoni Metaphrastæ adscripsit Michael Glycas in Epistola 21. ad Esaiam Monachum, sed qui auctoritatis & antiquitatis nullius est, cum temporibus Constantini Palæologi ultimi Græcorum Imperatoris floreret tantum, circa annum 1430. vel etiam serius. Non video autem, cur in album *Sanctorum* Symeon Metaphrastes sub medium seculi XII. vivens, relatus sit: cum Vita ipsius etiam Michaeli Psello qui Encomium ejus vagum composuit, incognita fuerit: nisi quia mendacia multa officiola in laudem Sanctorum confinxit, *miracula, conversiones gentium, Sanationes*, atque alia ad Ecclesiæ militantis laudem & triumphantis gloriam: ob quæ *albo Sanctorum* a viris superstitiosis & aniles fabulas amantibus, inscriptus fuerit.

Cur autem Symeonem Metaphrastem anno 1320. in Supplemento De Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 592. assignaverim, atque ad opinionis patrocinium, Leonem Allatium allegaverim, paucis Lector audias. In MSS. Codicibus *Metaphraseon* rarissimè vel nunquam nomen *Symeonis Metaphrastæ* comparet, quæ semper anonymæ & Μεταφράσεις nude dictæ, Codicibus ut plurimum recentibus colliguntur. In his non tantum Scriptores Metaphraste superiores ætate, sed multi etiam inferiores habentur, qui vel Vitas vel Encomia Sanctorum scripserunt, de quibus eà occasione loquitur Leo Allatius in Catalogo de *Scriptoribus certis*, qui Vitas istas vel Encomia Sanctorum scripserunt. Cum autem ex iis inveniantur multi, quæ seculis XIII. & XIV. vixerunt, hinc opinatus sum, juxta etiam Leonem Allatium, extitisse Symeonem Metaphrastem circa annum 1320. vel 1330. seculi XIV. Ne tibi autem imponere videar, hæc habeas.

Inter Scriptores istos, de quibus loquitur Allatius, occasione *Metaphraseon* Symeonis Logothetæ sunt.

Callistus Patriarcha Constantinopolitanus in Exaltationem sanctæ Crucis p. 101.

Demetrius Cydonius in Pentecosten sive de Spiritu Sancto. 101.

Germanus Patriarcha & Archiepiscopus Constantinopolitanus qui anno 1220. floruit in Encænia Chalcopratæorum 84. in Annunciationem 92. In Sanctæ Mariæ ingressum in templum 96. Quando triennis oblata est 96 in dormitionem S. Mariæ 104. in exaltationem S Crucis 104. In Sanctum Michaelem 104. in depositionem zonæ S. Deiparæ 111. in adorationem vivificæ Crucis 113 in primam Dominicam jejuniorum 114.

Gregorius Cyprius Patriarcha Constantinopolitanus in Georgium Martyrem 87. in S. Euthymium Episcopum Madytorum Thaumaturgum 92. In S. Dionysium Areopagitam 95. in S. Martyrem Marinam 97.

Gregorius Palamas de ingressu S. Mariæ in templum 87. de eodem 92. De Dominica Incarnatione 103.

Joannes Calceus in exaltationem Sanctæ Crucis 87.

Josephus Briennius in Annuntiationem Deiparæ 88. in illud *stabant juxta crucem* 95. in Mariæ Annuntiationem 96. Gratiarum actio in sanctam Deiparam 96. in Magnam Parasceven 110.

Josephus Thessalonicensis Archiepiscopus, in exaltationem S. Crucis 109. in beatum Lazarum & Ramorum Festum 114.

Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus, in Christi nativitatem 85 in Sanctæ Mariæ dormitionem 87. in Annuntiationem 94. in Sancta Sanctorum 97. in Nativitatem S. Mariæ 100. in Festum luminum 100.

Et alii plures quos Leo Allatius refert in *Vitarum & Encomiorum de Sanctis*, certis auctoribus, Errorem autem meum agnovi, cum certo certius constet, Symeonem Metaphrastem sub Seculi XII. medium sub Imperatoribus Joanne & Manuele Comnenis floruisse, cujus ut Scriptoris novissimi mentionem faciunt, Theophanes Cerameus, Hippolytus Thebanus, Michael Psellus ultimus, Theodorus Balsamon, omnes Seculi ejusdem XII. Scriptores. Itaque istis *Metaphrasibus* Encomia ista ac Vitas a Scriptoribus recentioris ævi compositas, postea a librariis additas fuisse, dum *Metaphrases* istas ad usum suum transscriberent, quibus errori meo de ætate Symeonis Metaphrastis occasio data est. Cum igitur in *Metaphrasibus* istis Græcè MSS. reperirentur Opuscula plurima Scriptorum, qui Seculo XIV. ad ejus usque finem floruerint, hanc ob causam Rudolphus Hospinianus *De Origine templorum* Libro 2. cap. 10. pag. 138. editionis novissimæ Genevensis anni 1672. in folio, scripsit *Symeonem Metaphrastem* annis tantum ducentis & viginti superasse ætatem suam. Quia verò Opus istud anno 1587. 4. Kalendas Februarii

rii Friderico Comiti ad Rhenum Palatino dedicasset, hinc sequitur CC & XX. annis detractis, collocasse illum anno 1366. vel circiter. Itaque cum Leo Allatius tot *Scriptores Seculi XIV.* in Catalogo *Authorum certorum* qui in *Metaphrasibus* Symeonis Metaphrastis continentur exhibeat, jure meritò dixeram *Metaphrastem juxta Allatium Seculo duntaxat XIV. floruisse:* quem si Catalogum Cavus legisset, non ita præter rationem, me convitiis onerasset.

CAPUT UNDECIMUM.

ASSERTA A LEONE ALLATIO, DE ÆTATE SYMEONIS METAPHRASTÆ, INCERTA ESSE, IMO FALSA, ABSURDA, INCREDIBILIA.

„ITa vult positive Leo Allatius in Diatriba „pag 49 His Diatriba mea de Psellis, conclusi Symeonem Metaphrastem Vitarum scriptorem, sub Leone floruisse muneribus ac dignitatibus auctum, sub eodem scriptionem exorsum esse: & sub Constantino Leonis filio, & Romano nepote, ætate etiam provectiore, assiduis laboribus absolvisse.„ Idem Allatius pag. 51. dum Expeditionem Himerii ad Arabas anno Christi 902. Leonis imperii anno 17. ponit, & Pacta Rhodophylli & Symeonis cum Leone Tripolita anno Christi, 904. ex libro *de Excidio Thessalonicensi* Joannis Caminiatæ illius ævi scriptoris, qui rebus aderat: Symeonem tunc ætate provectum vocat, Ἀνδρα φρονήσει βεβηκότα καὶ διὰ πεῖρας ὄντα πολλῶν πραγμάτων: *Virum prudentia provectum, & multarum rerum experientia eruditum.* quem pag. præcedente ait, *viginti vel viginti duorum annorum multo natu grandiorem videri, & mediam hominis ætatem decurrentem.* Et pag. 56. illum *potius quadragenarium, aut triginta quinque annos ad minimum natum,* dum hac legatione fungeretur, Et pag. 68. *Vivebat sub Leone sapiente Metaphrastes, non adolescens, sed ætate matura provectaque, & dubio procul media.* Quare si ad annos imperii Romani accessit, atque sub ejus imperio scripsit, ut vult Allatius: oportet ut nonagenarius circiter sane aut centenarius, Collectaneo adhuc Vitarum conscribendo incumberet, quod absurdum & incredibile prorsus videtur. Imo sibi applaudit atque gloriatur Leo Allatius, quod certam Symeonis Metaphrastæ ætatem primus detexerit. Ita pag. 68 *Vapulo quod rei partem ignoraverim, quod partem sciverim, aliisque indicaverim, nullus sum. Metaphrastæ ætatem ignotam hactenus, & suspicionibus iisque levissimis nixam, certam atque indubiam ipse primus signavi, neque propterea nimis mihi arrogo. Quamvis aliquid id quoque sit, & ad refellendos Hæreticos qui Vitis Sanctorum tantumdem detrahunt, ad pietatemque quæ ex eorum lectione percipitur, constabiliendam, admodum necessarium.* :

Sententiæ suæ nullum aliud fundamentum affert Leo Allatius in Diatriba sua *de Symeonum scriptis*, quam auctoritatem Michaelis Pselli Junioris, quem putat scripsisse tum *Encomium* tum *Officium Ecclesiasticum* Symeonis Metaphrastæ, ex quibus ejus ætatem certam collegisse se arbitratur. "Ita ille disertis verbis dictæ Diatribæ pag. 48 *Sententiæ fundamentum nullum aliuderit, quam Psellus ipse Orationis auctor, nam idem ipse in ejusdem Metaphrastæ venerationem & cultum, Officium in Ecclesia concinendum composuit. Is in Canonis Ode 6. refert illum consilio atque monitu Parii Anachoretæ munus aggressum esse scribendi, primum omnium colloquium illud scripsisse, & Theoctistæ Vitam graphice admodum celebrasse.* Τὸ πρῶτον σου σύγγραμμα ἐκ προνοίας θεικῆς καὶ ὁμιλίας γέγονε τοῦ ἱεροῦ πρεσβύτου καὶ μοναστοῦ, Συμεὼν θεσπέσιε, ὃν ἐν Πάρῳ τῇ νήσῳ τεθεώρηκας. Prima tua Commentatio ex divina providentia & colloquio facta est sacri senis & Anachoretæ, Symeon admirabilis, quem in Paro insula conspexisti. Et ἀξίως ἐξύμνησας τῆς Λεσβίας τὰ λαμπρὰ καὶ θεῖα ἀγωνίσματα, θεοκτίστης, τῆς ὄντως ἀγγελικὸν μικροῦ καὶ ἀσώματον τελεσάσης πανσόφως τὸ πολίτευμα. Pro dignitate laudasti Lesbiæ illustria, & divina certamina, vere Theoclistæ, a Deo fabricatæ, quæ Angelicam & tantum non incorpoream absolvit sapienter vitæ rationem. *Cum itaque certum sit, Vitam Sanctæ Theoctistæ, quæ præ manibus omnium est, scriptam fuisse a Metaphraste: & in ea agatur de ætate Auctoris, certum quoque remanet tempus Symeonis Metaphrastæ. Quæcunque enim de se auctor, vel de Himerio contra Arabes Cretam misso narrat, ea evenere tempore Leonis Imperatoris Basilii Macedonis filii, & Constantini Porphyrogennetæ patris, qui ob doctrinam & reliquas alias disciplinas, quibus inclaruit, Sapientis sibi cognomen accepit. Addesis Cedrenum, Zonaram, Curopalatem, reliquosque Ecclesiæ Græcæ scriptores. His Diatriba mea de Psellis, conclusi Symeonem Metaphrastem, Vitarum scriptorem sub Leone floruisse, muneribus ac dignitatibus auctum: sub eodem scriptionem exorsum esse, & sub Constantino Leonis filio & nepote Romano, ætate etiam provectiore, assiduis laboribus absolvisse."*

Hæc tamen Diatriba *de Symeonum Scriptis* impressa Parisiis, cura Francisci Combefis cum *Manipulo Originum rerumque Constantinopolitanarum* anno 1664. in 4. apud Symeonem Piget, quam accurate legerat Carolus du Fresne, Dominus du Cange, vir in Græcis & impressis & manuscriptis versatissimus, ipsum non convicit de ætate Symeonis Metaphrastæ, ab Allatio asserta. Nam in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, quod Græce & Latine Lugduni in fol. anno 1688. impressum est, ad calcem Operis in Indice authorum Græcorum ineditorum & editorum, qui in hocce *Glossario* laudantur & illustrantur, inter Authores editos, pag. 61. hæc habet de Metaphraste. "Symeon Logotheta, vulgo Metaphrastes cognominatus, ob Vitas Sanctorum ab eo in meliorem formam redactas,

„ctas, multa ſcripſit, ac imprimis *Chronicon* a „Combefiſio typis Regiis editum, & *Epiſtolas* e„ditas ab eodem in *Manipulo*, hoc eſt, ſimul cum „*Manipulo*. De ejus ætate multa commenta„tur Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus*. Conſtat ergo ex mente Caroli du Freſne, unum eundemque eſſe Symeonem Logothetam & Metaphraſtem, qui & *Vitas Sanctorum* & *Chronicon* ſcripſerit: atqui conſtat ſcriptorem *Chronici* non eſſe Symeonem Metaphraſtem qui ab anno 902. vel 904. dignitate apud Leonem Imperatorem floruerit, ſed alterum temporibus longe inferiorem, quem Cavus circa annum 1170. collocat: ergo idem dicendum ex mente Caroli du Freſne, de eo qui *Vitas Sanctorum* conſcripſit, contra mentem Leonis Allatii ac finem Diatribæ ab eo conſcriptæ, quam non concludentem Carolus du Freſne arbitratus eſt. Maxime poſtquam Franciſcus Combefiſius edidit anno 1685. Pariſiis typis Regiis in folio *Continuatorem Theophanis* Græce & Latine, atque *Chronicon Symeonis Logothetæ Junioris*, quem & *Metaphraſtem* ex prætatis Vitis dictum eſſe ex Manuſcriptis Codicibus aſſerit. Hac enim ratione habemus duos *Symeones Logothetas & Metaphraſtas*, quorum Senior *Vitas Sanctorum* ſcripſiſſe ab Allatio creditur, Junior autem a Carolo du Freſne & *Vitas Sanctorum & hoc Chronicon* ſcripſiſſe dicitur. Certum enim eſt *Chronicon* illud ſpectare non poſſe niſi ad Metaphraſtem Juniorem, qui ex antiquiorum dictis multa concinnavit, atque hoc *Chronicon* ex variis Hiſtoricis ſe anterioribus, & maxime verbotenus ex Leone Grammatico, qui *Chronologiam* ab anno 813. quo Theophanes deſiit, ad annum 1013. ſcripſit, Græce & Latine editam Pariſiis in fol. 1655. typis Regiis, ac Franciſci Combefiſii Notis illuſtratam. Cum ergo hic Symeon Logotheta & Metaphraſtes, excerpat Leonem Grammaticum ad annum 1013. uſque ſcribentem, nullatenus ad Metaphraſtem Seniorem, qui ad hoc tempus pervenire non potuit, ſpectare poteſt: ſed ad Juniorem alterum, quem ex dicto *Chronico* neceſſario admittendum dicimus, atque etiam *Legendarum* auctorem vult Carolus du Freſne.

Innititur autem Allatii ſententia de ætate Symeonis Metaphraſtæ, duplici argumento. 1. Quod Symeon Logotheta & Metaphraſtes, quem unicum agnoſcit, ſit ſcriptor Vitæ Sanctæ Theoctiſtes Lesbiæ, unde ejus ætatem anno circiter 910. aſſignat. 2. Quod Michael Pſellus Junior, ſit ſcriptor indubius tam *Laudationis in Metaphraſtem* quam *Officii Eccleſiaſtici in ejus laudem*, unde ætatem Metaphraſtis præfatam infert. Verum utrumque argumentum incertum eſt, unde incerta quoque eſt Allatii ſententia, de ætate Symeonis Metaphraſtæ. Imo multo probabilius eſt, nec Symeonem Metaphraſtem Seniorem, eſſe auctorem Vitæ S. Theoctiſtes: nec Michaelem Pſellum Juniorem eſſe auctorem *Laudationis* & *Officii Eccleſiaſtici in Metaphraſtem*, ſed alterum tertium Pſellum quem *Ultimum* vocamus, Synchronum Euſtathio Theſſalonicenſi Archiepiſcopo, quem Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* anno 1170. pag. 683. alligat, nos autem in Commentario noſtro ad annum 1190. aſſignamus: quem Pſellum tertium & ultimum ſcriptis celebrem, detexit nobis Carolus du Freſne Dominus du Cange, ex MSS. Codd. bibliothecæ Galliarum Regiæ, ut ad annum 1190. probabimus.

Jam ergo hæc duo nobis probanda ſunt, ac 1. *Symeonem Logothetam & Metaphraſtem Seniorem, non eſſe ſcriptorem Vitæ S. Theoctiſtes Lesbiæ*, probabilius eſt.

Nam 1. Si Symeon Metaphraſtes Vitæ S. Theoctiſtæ Lesbiæ ſcriptor fuit, omnium hominum negligentiſſimus, etiam ex Leone Allatio, exiſtiſſe cenſendus eſt. Rogatus enim fuit ad hanc Vitam ſcribendam, quando in Cretam inſulam adverſus Arabes cum Himerio expeditionem ſuſcepit, quod contigit anno 902. ut Allatius tradit in Diatriba pag. 51. anno Leonis Imperatoris 17. Idemque ſcribit pag. 55. & 58. At utrecte apud Allatium pag 49. Bollandus aſſerit *Sub Conſtantino Porphyrogenito Leonis filio tum Theoctiſtes eam Vitam, tum alia Divorum acta cum elucubraſſe certum videtur, non ut Allatius ſcribit, ſub Leone & Conſtantino. Nam in hac Vita Leonem diſerte τὸν μακαρίτην, felicis memoriæ appellat, qua ratione loqui de mortuis ſolemus. Si ea prima ejus Commentatio fuit, nihil igitur ſub Leone ſcripſit, quod quidem ediderit in lucem. Neque Alexandro rerum potiente, ita laudare Himerium auſus eſſet, qui præcipue publicas res ſub Leone tractare cœpit.* Cum ergo obierit Leo Sapiens anno 911. die XI. Maji vel ut alii volunt, Julii, & cum uſque ad anoum circiter 918. res publicas Alexander patruus ſub nomine Conſtantini Porphyrogennetæ adminiſtraverit, nec niſi Alexandro mortuo Vita iſta ſcripta ſit, juxta Bollandum: hinc concluditur Vitam iſtam non ſcriptam fuiſſe, niſi poſt ſexdecim annos ab expeditione Himerii ad Cretam contra Arabes. Negligentiſſimus ergo fuit Symeon ille Metaphraſtes Allatianus, qui rogatus anno 902. ab Symeone Anachoreta ad ſcribendam S. Theoctiſtes Lesbiæ Vitam, diſtulit ſcriptionem ex Bollando uſque ad annum 918. vel ultra, unde vix contingere potuit ut recordaretur eorum, quæ ſibi ab Symeone Anachoreta enarrata per colloquium fuerant.

2. Cum hoc Opus poſt Alexandri mortem, Conſtantini Porphyrogeniti patrui, ex Bollando aggreſſus ſit, illud ante annum vitæ 60. aggredi non potuit. Idemque dicendum de imitenſo illo Collectaneo *de Vitis Sanctorum*, ex Bollando apud Allatium in Diatriba pag. 49. & 57. Cui conſentit Leo Allatius pag. 57. his verbis: *Inter Vitas itaque Sanctorum primum locum occupat Theoctiſta, cum ante alias illam ſcripſerit ita Pſello aſſerente, ante alias ſcriptiones non item.* Quis autem credat virum ſexagenarium,

pro-

prole gravatum multa, amplissimi Imperii regimine occupatum, tale opus suscepisse? Quis tam hebetem Imperatorem credat, ut homini seni, occupationibus publicis oppresso, injungat Collectionem & emendationem *Legendarum* Ecclesiæ? Hoc ex Leone Allatio constat, qui pag. 50. eum dum in Cretam anno 902. missus est, *mediam hominis ætatem decurrentem* scribit: & pag 55. & 56. ubi de Vita Sanctæ Theoctistes, illum annos circiter 35. vel 40. natum statuit. Anno igitur 920. quo Vitam S. Lesbiæ Theoctistes, atque omne Collectaneum *de Vitis Sanctorum* aggressus est, annos sexaginta vel circiter natus erat, gravatus multa prole, publicis negotiis oppressus, ac proinde scribendo plane impar & ineptus.

3. Quamvis Psellus dicat Symeonem Metaphrastem incepisse *Collectaneum Sanctorum* a Vita S. Theoctistes Lesbiæ, ut habet Allatius pag. 48. Hinc tamen non sequitur quod ipse illius auctor proprius sit, sed ab antiquiore Anonymo primum compositam illam, adoptare sibi absque ulla mutatione potuit: atque hac ratione Metaphrastem dictum esse a Psello incepisse Vitas Sanctorum; a Vita S. Theoctistes: nec ex hac Vita certo concludi posse certam ætatem Symeonis Metaphrastæ, magis quam ex aliis antiquiorum, quas intactas a se in *Collectaneo* reliquit. Sane cum Vitam illam ut genuinum Symeonis Metaphrastæ fœtum, & certam ejus ætatis notam producat Allatius in sua Diatriba pagg. 49. 55. & 57. cujus principium pag. 126. profert. Illam tamen Carolus du Fresne Dominus du Cange contra Leonem Allatium, ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* col. 42. collocat inter *Vitas, Acta & Martyria SS. quorum Authores incerti sunt*. Sic igitur ille inter authores incertos de Vitis Sanctorum, *Sanctæ Theoctistæ Lesbiæ Vita ex Codice Regio 2015.* Atque ita semper illam in *Glossario* citato, occasione data allegat: id quod non fecisset, si eam certo esse Symeonis Metaphrastæ credidisset.

4. Si admitteremus Symeonem Metaphrastem esse proprium & primarium authorem Vitæ S. Theoctistes Lesbiæ, alio sensu quam supra diximus, qui anno 902. expeditionem in Cretam contra Arabes cum Himerio suscepisset, & anno 904. de captivis redimendis cum Leone Tripolitano pactus fuisset, ut Allatius in Diatriba pag. 51. scribit: Non potuisset Psellus Junior qui Vitam Metaphrastæ juxta eundem Allatium composuit, *vidisse & audisse eos, qui morientem Metaphrastem viderant*, ut habet *Laudatio Pselli in Metaphrastem* Diatribæ pag. 235. *οὐ γὰρ ὥσπερ τετμῆσθαι αὐτὸν οἱ συνεωρακότες φασὶν, οὐδὲ διῃρῆσθαι· ἀλλ' ἐῴκει ὥσπερ τινὸς δεσμῆς ἐλευθερούμενος, καὶ ἱλαρῷ πρὸς τοὺς ἄγοντας Ἀγγέλους ἀνατεινόμενος νεύματι, καὶ πῶς ἐπιδιδοὺς ἑαυτὸν ταῖς ἐκείνων χερσὶν, ἵνα ταχὺ ἀνασταίη τοῦ σώματος. Non enim eum veluti abscissum aut divisum fuisse, dicunt ii qui viderunt: sed videbatur veluti a quodam vinculo liberari, & hilari vultu se extendere ad ducentes Angelos, & quodammodo se ipsum traderet illorum manibus, ut cito e corpore demigraret.* Hic locus Junioris Pselli omnem Diatribam Leonis Allatii subvertit. Absurdus autem plane est, qui ut indissolubilem hunc nodum solvat, pag. 39. *Diatriba* recurrit ad Calabrum quendam senem, a quo multa dum infans erat, de Francisco Paulano didicerat. Neque felicior Allatio Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. cap. 26. *de Historicis Græcis*, dum alia interpretatione adhuc magis violenta hunc Pselli locum solvere nititur. Non loquitur Psellus de uno quodam sene & Calabro, ut Allatius loco citato, sed de *Multis hominibus dicentibus qui Symeonem viderant*, a quibus acceperat quæ scribit. Hæc autem loquendi ratio, *οὐ γὰρ ὥσπερ τετμῆσθαι αὐτὸν οἱ συνεωρακότες φασὶν, Non enim eum veluti abscissum aut divisum fuisse, dicunt ii qui viderunt:* indicat multos adhuc viventes ac differentes, qui Symeoni Metaphrastæ morienti præsentes fuerant: nec majorem intercapedinem temporis inter Psellum illum scribentem & Metaphrastem mortuum indicat, quam 30. vel 40. annorum, ex usu communi loquendi. Ætas ergo Symeonis Metaphrastæ quam Allatius tanto conatu asserit, his verbis Pselli diruitur penitus, qui juxta Allatium circa annum 1060. scribebat. Hæc autem juxta meam sententiam optime quadrant, si dicamus Psellum illum Metaphrastæ laudatorem, esse *Tertium* illum, qui circa annum 1190. floruerit, ac *Metaphrastes* Symeoni alteri, Logothetæ & Metaphrastæ Juniori, circa annum 1150. claro, adscripserit.

CAPUT DUODECIMUM.

IDEM ARGUMENTUM CONTINUATUR.

5. NOn magis ex hac Vita S. Theoctistes Lesbiæ, elici potest certa ætas Symeonis Metaphrastæ, quam ex aliis. At ex aliis id fieri non posse fatetur Allatius, qui sic in Diatriba pag. 41. *Idque ut magis pateat, uoto ex Vitis Sanctorum, quæ hodie partim studiosorum manibus teruntur, nullum certum desumi posse de ætate Metaphrastæ argumentum; tum enim vel plures Metaphrastæ, vel ipsum Metaphrastem omnibus seculis vixisse scripsisseque, asserere cogeremur, ut vidimus.* p. 43. *Illud quoque animo reputandum est, Vitas quas Metaphrastes concinnavit, plerasque ab aliis antea fuisse descriptas, cum tamen illis nec stylus satisfaceret, nec Historiæ series: veritatem rei ab authoribus aliis edoctum, mutato stylo & forma dicendi, in meliorem prospectum dedisse: non ita tamen, ut antiquiores obliterarentur. Quis enim tot voluminum struem sibi comparasset, & ex illis Vitas dempsisset? Sic factum est, ut utrisque permanentibus, non tantum recens scripta a Symeone, sed antiquior etiam, cum diceretur Vitam illam a Symeone descriptam fuisse, Metaphrastæ ipsi offereretur. Hinc plures Metaphrastæ ætates, & plura in eum a parum prudentibus congeruntur, cum aliorum vitia & falsas narrationes, Metaphrastæ*

sta

ſe a talibus criminibus vacuo, integroque, reſerant. Idem pag. 75. *Non ita tamen adeo ſevere ſe geſſit, ut omnes omnium Sanctorum Vitas & Laudes, ante ſe ab aliis probatiſſimis auctoribus ſcriptas rejecerit, & facti decretique jugulaverit: ſed falſas aut nequiter compoſitas, vel indignas qua a piis legerentur, voluntaria oblivione contrivit. Ab aliis errata, aliorum Codicum vel Scriptorum fide correxit, ſuoque ſtylo exornatas edidit: aliorum rem integram, nihil de ſententia immutans, ſuo ſermone exornatas digeſſit: quæ tandem erant optime ſcripta, nec ope ſua indigebant, eas ita interſuas elaceret, velut ſydera lapideſque pretioſos reliquit, quibus & ſua celebriores fierent, & piis hominibus populoque acceptiores.* Cum igitur ex Allatio multas Vitas antiquiorum integras Metaphraſtes reliquerit, ex illis Vita S. Theoctiſtes Lesbiæ eſſe potuit, ex qua tamen *Magiſtraliter* ut ita loquar, ætatem Symeonis hujus Metaphraſtæ, concludit Allatius.

6. Inter Vitas a Symeone Metaphraſte compoſitas, extat *Vita S. Joannis Chryſoſtomi*, cujus initium profert Allatius in Diatriba *de Symeonum ſcriptis* pag. 126. Καὶ πάντων μὲν τῶν κατὰ θεὸν πολιτευσαμένων ὁ βίος τοῖς εὐσέβεσιν ἀξιομίμητος, quam ut genuinam agnoſcit. Hanc Græce edidit Henricus Savilius Tomo 8. editionis Operum S. Joannis Chryſoſtomi pag. 373. Latineque habetur Gentiano Herveto interprete, cum Vitis Metaphraſtæ Tomo 5. Aloyſii Lypomani die 13. Novembris fol. 79. & Tomo 1. Surii die 27. Januarii pag. 634. Deſumpta eſt Vita illa ex Anonymo, quem Græce habet idem Savilius loco citato pag. 293. cum Notis col. 963. atque omnino exprimere ſolet Metaphraſtes, cujus ſenſus fere ſemper, verba etiam plerumque cum hoc Anonymo communia ſunt, inquit Cavus in *Chryſoſtomo* pag. 272. At Anonymus ille poſterior eſt Conſtantino Porphyrogenneta Imperatore, hoc eſt anno 959. ut patet ex præfixo Auctorum indice pag. 293. Ille enim Anonymus ex 20. ſcriptoribus Græcis ſeipſo anterioribus Vitam S. Chryſoſtomi concinnavit, quorum XV. fuit Leo Imperator & Philoſophus, XX. autem Conſtantinus Porphyrogenitus, Κωνσταντῖνος βασιλεὺς ὁ Πορφυρογέννητος, qui τὸ ἐγκώμιον ſcripſerat. Cum ergo adhuc poſt Anonymum hunc Metaphraſtes ſcriberet, illo adhuc poſterior extitit. Verum hoc poſito, quod abſurdiſſimum, Metaphraſtes vir *Centenarius*, Vitis Sanctorum conſcribendis incubuiſſet: Nam ex Allatio in Diatriba pag. 51. & 56. anno 902. erat annos 35. vel 40. natus, dum in Cretam abiit: ergo anno 959. prope *Centenarius* erat, ex Allatii calculo. Imo multis etiam poſt hunc Anonymum annis, Vita iſta Chryſoſtomi a Metaphraſte conſcribi potuit.

Quis autem tot abſurditatibus obnoxiam credidiſſet unquam Leonis Allatii de ætate Symeonis Metaphraſtis ſententiam, ut nonniſi ſexagenarius Collectaneum iſtud aggreſſus ſit, nec Centenarius abſolverit? Num iſta fidei humanæ conſona ſunt, communique ſenſui concordant, imo annon omnimodo adverſantur? Hanc tamen ambabus ulnis, tum Guilielmus Cavus, tum Gerardus Johannes Voſſius, aliique plures, rem non diſcutientes, amplexi leguntur.

7. Idem Symeon Metaphraſtes in Operibus ſuis omnibus, aliud nihil agit, quam ut ex aliis compilaret & verbotenus excerperet. Hæc eſt ars quam omni vita ſcribendo exercuit. Pari itaque modo Hiſtoriam quoque ex decem Hiſtoricis anterioribus, verbotenus excerpſit atque compilavit, quorum ultimi duo Leo Grammaticus & Michael Pſellus, a Mundi creatione usque ad imperium Michaelis Ducæ qui Romano Diogeni ſucceſſit, ſeu ad annum Chriſti MLXXI. vel MLXXVII. hiſtoriam ſcripſerunt, quorum MSS. Codices multos in variis Bibliothecis extantes, hac Diſſertatione paſſim retlerimus. Atqui ex Collectaneo iſto Hiſtorico conſtat evidenter, *Symeonem Magiſtrum & Logothetam*, qui *Metaphraſtes* etiam dicitur, eſſe Michaele Pſello qui annis MLX. & MLXX. & ulterius floruit, quemque excerpit, multo recentiorem. Cum igitur æqualem ſibi ſeu ſupparem non exſcripſerit, id enim abſurdum nimis extitiſſet, vix a quoquam ante annum MCL. ætas Symeonis Metaphraſtæ aſſignari poteſt. Sed de argumento hoc late cap. 1. diſſertationis iſtius diſſeruimus, & capite iterum ſequenti diſſeremus.

8. Cum anno 1143. Joannes Comnenus Græcorum Imperator, eruditis Græcorum ſuæ ætatis viris, ut *Collectiones Canonum & Nomocanones* colligerent, injunxiſſet; tres illorum in dignitate Eccleſiaſtica Conſtantinopoli fulgentes tunc temporis, ſcriptores mandato huic obtemperarunt, *Nilus Doxapatrius* de cujus Collectione diximus, *Symeon Magiſter* qui & *Metaphraſtes*, & *Alexius Ariſtenus*, quorum Collectiones Canonum ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ tranſcriptas, inſeruit Henricus Juſtellus Tomo 1. *Bibliothecæ Juris Canonici Veteris*, quam Pariſiis anno 1661. in folio edendam curavit. Erant ergo iſti tres ejusdem ætatis, ac tempore Joannis Comneni Græcorum Imperatorum Conſtantinopoli florebant. Hæ tres enim Collectiones, ejusdem rationis & ejusdem ætatis ſunt. De hoc iterum cap. ſequenti.

Illud quoque 9. probari poſſe videtur, ex ipſis Epiſtolis ab Leone Allatio ſub *Symeonis Metaphraſtæ* nomine, Græce & Latine editis, in Diatriba *De Symeonum ſcriptis*, pag. 254. & ſequentibus. 1. Enim iſtæ Epiſtolæ non olent barbariem ſæculi decimi, cui male affigitur. *Symeon Metaphraſtes & Logotheta*, ſed elegantes plane ſunt & ornatæ, quali ſtylo gaudebat & florebat ſeculo XII. in ſcriptoribus ſuis Græcia, uti hoc videre licet in *Andronico Camatero, Joanne*

ne Cinnamo cognomento Grammatico, Eustathio Thessalonicensi Archiepiscopo, Michaele Psello tertio ipsius amico singulari: qui omnes speciali tunc in Historiis, Tractatibus & Epistolis linguæ Græcæ eloquentia & puritate gaudebant, qualem præ se fert Symeon Metaphrastes in Epistolis citatis. 2. Omnes hæ Epistolæ Symeonis Metaphrastis plenæ sunt atque exundant *officiosis verbis & affectata loquendi urbanitate*, quales vix similes scribendi Characteres alibi invenias, quam in Seculi XII. Scriptoribus, nimirum in Epistolis Theodori Prodromi, Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi, & Michaelis Pselli tertii ad eundem Eustathium & alios, quæ MSS plurimæ in Regia Galliarum bibliotheca, eandem scribendi rationem habent cum Epistolis illis impressis Symeonis Metaphrastis & Logothetæ, quem Alexio Aristino supparem fuisse credimus, eundemque cum illo quem anno 1170. Cavus assignat in *Historia rei literariæ* pag. 683. cui omnia ista Opera attribui debent, quæ a Guilielmo Cavo attribuuntur *Seniori* alteri ad annum 901. pag. 573. 3. Ex his Epistolis duæ 2. & 3. ad *Nicetam Smyrnensem Metropolitam* scriptæ sunt, qui ad hanc sedem circa annum 1130 assumptus est, quem idem Symeon *σοφώτατον τῷ ὄντι καὶ φιλοσοφώτατον ἱερέων, Sapientissimum & Philosophiæ addictissimum Sacerdotem* vocat. Ut vero Cavus ad annum 1120. pag. 655. habet, „Nicetas civitate Byzantinus, „vitæ instituto Philosophus, id est ni fallor, Mo„nachus, circa annum 1120. claruisse videtur. „Scripsit *Tractatum Apologeticum pro Synodo Chal„cedonensi adversus Armeniæ principem.* Extant „ejus fragmenta apud Leonem Allatium *De „Consensu utriusque Ecclesiæ* lib. 1. cap. 5. parag. „3. pag. 72. & libro *De purgatorio* pag. 4. *De li„bris Ecclesiasticis Græcorum* pag. 314. Integrum opus habetur Græce & Latine Tomo 1. *Græciæ Orthodoxæ* pag. 663. florebat ergo ætate eadem vel circiter, Symeon Metaphrastes & Logotheta, de quo agimus. 4. Extant simul in eodem MS. Codice Bibliothecæ Bodlejanæ num. 131. *Epistolæ Constantini Manassis, Theodori Prodromi, & Symeonis Logothetæ & Metaphrastis:* unde non immerito colligimus hos scriptores tres fuisse ejusdem temporis, hoc est circa medium seculi duodecimi. Codex MS. Baroccii 131. ineleganti admodum manu descriptus ubi pag. 172. Theodori Prodromi Epistolæ aliquot. Pag. 174. Τοῦ Μανασσῆ κυροῦ Κωνσταντίνου Ἐπιστολὴ τῷ Ἀστρογλήνῳ αὐτοῦ τεθνηκότι. Incipit. Ἐκείτό μοι καὶ σε κατιδεῖν Ἀστρόγληνε φίλτατε, καὶ τῶν τοῦ λόγου κρατήρων σπεῖσαι σοὶ κειμένῳ χέ. καὶ τὰ γλυκέρα σου ςωμύλματα: desinit folio 176. his verbis, καὶ γίνοιτο τὸ κράτος σου πολυχρόνιον. Sequitur Epistola Italici ad Theodorum Prodromum, & alia Prodromi ad Italicum. fol. 178. Τοῦ Λογοθέτου Κυροῦ Συμεὼν τοῦ Μεταφραστοῦ Incipit. Ἠλίθιος τῷ ὄντι καὶ εὐηθέστατος ἀναμέσον, ὃς οὐ τοῦτο πρὸ τῶν ἄλλων αἱρεῖται, καὶ περὶ πολλοῦ τίθεται συνεῖναι σοι διὰ παντὸς &c. quæ Epistolæ nondum impressæ in citata bibliotheca latent.

10. Extat inter Epistolas Symeonis Metaphrastæ editas, Epistola VI. pag. 260. ad Constantinum, quem Porphyrogenitum atque Imperatorem Leo Allatius arbitrari potuit, Leonis Sapientis filium, qui ab anno 911. quo puer proclamatus est, tum ab anno 919. cum Romano Diogene collega & socero, ad annum, 943. quo a filio in Monasterium detrusus est, solusque tandem abjecto socero, ad annum 961. per annos quinquaginta imperio potitus est. Quo tempore juxta Leonem Allatium Symeon Metaphrastes & Logotheta in vivis erat, & inter Scriptores illustres computabatur. Atqui suppositio hæc Leonis Allatii falsa est, nec ad Constantinum Porphyrogenitum Metaphrastes Epistolas scribere potuit, qui ducentis annis recentior illo fuit, atque sub Joanne & Manuele Comnenis circa annos 1140. & 1150. effloruit. In hac sane Epistola nec leve vestigium est, scriptam eam fuisse ad Constantinum aliquem Imperatorem, qui ætate Symeonis Metaphrastæ nullus hujus cognominis extiterit: imo longe verisimilius est, esse destinatam illam ad Constantinum Manassem Symeonis Logothetæ amicum atque supparem, qui eodem anno 1150. quo Metaphrastes floruit, ipseque inter præcipuos aulæ Constantinopolitanæ viros, insignis dotibus animi & eloquentia dicebatur. In hac Epistola conqueritur Metaphrastes de Constantino illo, quod ad alios scribens, ad se non scripserit: condonare tamen illi culpam, quod tandem postea brevibus licet Epistolis ad se scripsisset, atque ut id sæpius faciat, hortatur. Quæ sane Constantino Manassi conveniunt, quem Ῥωμαῖον id est *Constantinopolitanum* appellat, quod inde oriundus esset. Nihil mirum igitur, quod in MSS. Codicibus, Epistolæ Symeonis Metaphrastis aliquæ, Constantini Manassis & Theodori Ptochoprodromi simul inveniantur, cum omnes essent ejusdem temporis, atque amice simul agerent. Editæ igitur a Leone Allatio Epistolæ Symeonis nostri Metaphrastæ, causæ nostræ favent, apud viros præjudiciis non abreptos.

11. Cum innumera scripserit Symeon Metaphrastes ac Logotheta, ex aliis anterioribus authoribus verbotenus excerpta, ut Collectionem Canonum, Homiliarum ex Basilii Operibus excerptarum, Historiarum ex antecedentibus decem Historicis, itemque Encomiorum, Legendarum, Agonum SS. Martyrum: id sane non ignorantiam & Seculi X. obscuritatem atque segnitiem: sed abundantiam Seculi XII. atque facilitatem in dicendo scribendoque, præ se ferre eruditis omnibus videbitur, quidquid in contrarium Leo Allatius conjiciendo duntaxat, asseruerit.

12. Ex terminis quoque, quibus Scriptores de Symeone Metaphraste loquuntur, ipsum quoque nonnisi seculi XII. scriptorem esse concludi potest.

potest. Nam illum τὸν κύριον *Dominum Symeonem* appellant, qua voce Græci de scriptoribus agentes, sub finem tantum seculi XI. & seculum XII. integrum usi fuisse leguntur. Equidem Georgius Monachus Græcus circa annum 830. celebris, qui Chronicon ex variis & diversis Chronographis & Interpretibus sacræ scripturæ contextum scripsit, ab exordio Mundi usque ad Michaelem Theophili filium, hoc est ad annum 840 vel circiter, quando & ipse vitam agebat, seipsum non alio nomine, quam ἀπὸ τοῦ Γεωργίου ἁμαρτωλοῦ μοναχοῦ indigitat Basilius item Monachus Græcus, Orationum S. Gregorii Nazianzeni Commentator, circa annum 950. sub seculi X. medium, dejectione humili sui ipsius, se Βασίλειον τὸν ἐλάχιστον, *Basilium minimum* appellat. Sanctus quoque Petrus Damianus sub annum 1060. dotibus animi & sanctitate clarus, se *Peccatorem* semper in Epistolis suis inscribit. At sub hujus seculi XI. finem, seculoque duodecimo perstante, Scriptores Græciæ omnes, passim τοῦ Κυρίου *Domini* nomine appellati sunt; unde eorum ætatem vel seculi XI. desinentis, vel XII. tantum esse colligimus. Ita Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus circa annum 1080. & ultra, cujus Epistolæ in MS. Cod. Lugduno Batavo ex legato Scaligeriano, & aliis, inscribuntur Catalogi pag. 392 Codice 14. Τοῦ Κυρίου Θεοφυλάκτου Βουλγαρίας Ἐπισκόπου Ἐπιστολαί. Joannes Antiochenus Patriarcha ad annum 1099. eodem nomine insignitur, in MSS. Codicibus Græcis 277. & 2616. Regiæ Galliarum bibliothecæ, Τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου Πατριάρχου τῆς Ἀντιοχείας κυρίου Ἰωάννου τοῦ ἐν Ὀξείᾳ νήσῳ λόγος &c. *Sanctissimi ac beatissimi Patriarchæ Antiocheni, Domini Johannis, qui in insula Oxia monachus fuit, sermo* &c. Itemque in MS Codice Græco Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Theologico CCXLI ut habet Lambecius libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag 105. & 106. Johannes quoque Furneus Montis Gani Præpositus, qui sub initium seculi XII. claruit, in MSS. Codicibus appellatur nomine τοῦ μοναχοῦ κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Φουρνῆ, τοῦ ὄρους Γάνου: Idem quoque in Theodoro Prodromo, qui ab anno 1120. ad 1150. vel 1160. floruit, maximaque seculi XII. parte vixit, cernere est, quem MSS. Codices a me ex Bibliotheca Cæsarea producti, τὸν Φιλόσοφον κύριον τὸν Θεόδωρον Πρόδρομον appellant, Codice MS. Theologico Græco 283. num. 14. & Codice MS. Juridico Græco 7. num. 12. ut habet Petrus Lambecius libro 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 32. Idem de Constantino Manasse & Symeone Metaphraste & Logotheta, ex Epistolis illorum Græcis, quæ MSS. extant in Bodlejana bibliotheca, Codice Barocciano 131. pag. 174. his verbis: Τοῦ Μανασσῆ Κυροῦ Κωνσταντίνου Ἐπιστολὴ τῷ Ἀστρογλήνῳ. & pag. 178 Τοῦ Λογοθέτου Κυροῦ Συμεὼν, τοῦ Μεταφράστου Ἐπιστολή. Eandem quoque vocem τοῦ Κυρίου Domino Theodoro Balsamoni Canonum interpreti & Commentatori, sub seculi XII. finem celebri, attributum in MSS. Codicibus Græcis legimus ac vidimus. Sicut igitur hi quinque scriptores, qui *Domini* nomine insigniuntur, ad seculum 12. indubie pertinent, ita de Symeone Metaphraste idem quoque judicandum est.

Jam ad illud punctum contradictionis adversus Allatii Diatribam, procedendum est. *Nempe Michaelem Psellum Juniorem non esse scriptorem tam Laudationis in Metaphrastem, quàm Officii Ecclesiastici*, probabilius est. Hoc valde timuit Leo Allatius, quo sententiam suam de ætate Symeonis Metaphrastæ & Logothetæ corruentem vidit, sic enim in Diatriba pag. 71. *Quare non alius Psellus junior quærendus, qui Laudationem illam scripserit. Quid de Psello præfante in Dioptram Philippi sentiendum sit, abunde dixi in Diatriba mea De Psellis.* Alium autem Michaelem Psellum quem *Tertium & Vltimum* nominamus, reperit ex MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Carolus du Fresne Dominus du Cange, cujus amplam mentionem facit, in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo Μαΐστωρ τῶν Ῥητόρων col. 1295. ac Synchronum facit Eustathio Archiepiscopo Thessalonicensi, quem Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1170. pag. 683. collocat, nos in nostro hoc Commentario ad annum 1190. amandamus. Quæstio igitur est, an Michael Psellus Junior, quem Cavus anno 1050. & sequentibus collocat, sit certus author tam *Laudationis in Metaphrastem, quam Officii Ecclesiastici?* An hic *ultimus* seu *tertius* à Carolo du Fresne detectus, quem anno 1190. assignamus? Contendit multis Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*, Michaelem Psellum Juniorem, cujus multa circumferuntur in quocunque argumenti genere monumenta, sub Constantino Monomacho, disciplinis liberalibus & dicendi gloriâ illustrem, scripsisse tam *Laudationem in Metaphrastem*, quam *Officium ejus Ecclesiasticum* circa 1050. annum, quæ Græce & Latine ex MSS. Codicibus edidit Leo Allatius ad finem Diatribæ, pag. 221. & 236. Ita ille in Diatriba paginis 68. 69. & 70. Ego contendo tam *Laudationem hanc in Metaphrastem, quàm Officium Ecclesiasticum*, rectius tribuenda esse huic Michaeli Psello quem *Tertium & ultimum* dicimus, Synchronum Eustathio Thessalonicensi Archi-Episcopo, quem anno 1190. assignamus. Sanè quæ scribit author *Orationis in Metaphrastem* pag. 235. non conveniunt *Michaeli Psello Juniori* quem Leo Allatius authorem arbitratur, respectu Symeonis Logothetæ & Metaphrastis Senioris, qui ex ejusdem Allatii confessione pag. 50. 51. & 56. *Diatriba*, jam annos 35. vel 40. natus erat, quando anno 902. expeditionem in Cretam adversus Arabes suscepit. Nec Psellus Junior, qui circa annum 1060. illam *Laudationem* scripsisse dicitur, *videre & audire potuit plurimos*, qui Symeoni Logothetæ & Metaphrastæ morienti præsentes fuerant. Sic autem scribitur p. 235.

ut jam suprà retulimus. οὐ γὰρ ὥσπερ τετμῆσθαι αὐτὸν οἱ συνεωρακότες φασὶν, οὐδὲ διῃρῆσθαι, ἀλλ' ἐῴκει &c. *Non enim veluti abscissum aut divisum fuisse, dicunt ii qui viderunt: sed videbatur &c.* At hæc optime conveniunt tam Symeoni Logothetæ & Metaphrastæ Juniori, quam Michaeli Psello quem *Tertium & ultimum* dicimus. Cum enim nos Symeonem Logothetam & Metaphrastem, Seculi XII. Scriptorem circa annum 1140. vel 1150. celebrem statuerimus, cujus nullus ante hanc ætatem Authorum Ecclesiasticorum meminit: ita quoque hunc Michaelem Psellum *Tertium* nominis, arbitramur ob allata statim verba, esse Scriptorem *Laudationis in Metaphrastem* atque *Officii in ejus laudem compositi*, quæ Græcè & Latinè à Leone Allatio, ad calcem Diatribæ *De Symeonum Scriptis* pag. 221. & 236. edita sunt. Nam qui annis circiter 30. vel 40. Symeone isto posterior tantum extitit, facillimè vidisse aliquos & plures potuit, qui morti ejus adfuissent, illamque huic Psello enarrassent.

CAP. DECIMUM TERTIUM.

NOSTRA SENTENTIA DE SYMEONIS METAPHRASTÆ ÆTATE, LATIUS EXPLICATUR.

Symeon Junior, Magister & Logotheta & Metaphrastes, Alexio Aristino suppar fuit, juxta Henricum Justellum in Præfatione ad *Bibliothecam Juris Canonici Veteris*, ætateque Joannis & Manuelis Comnenorum Imperatorum, apud Græcos in pretio fuit. Multi confundunt hunc Symeonem Juniorem, Magistrum & Logothetam cum *Symeone Juniore Theologo*, qui factus Monasterii Sancti Mamantis in Xerocereo Præpositus seu Abbas doctrinâ floruit, atque ad quandam à Sancto Gregorio Nazianzeno, qui per excellentiam *Theologus* dictus est, distinctionem, *Junior Theologus* appellatus, quomodo in MSS. Codicibus sæpe indigitatur. Sed Symeon Junior Theologus, antiquior ætate videtur *Symeone Juniore Magistro & Logotheta*, qui sub imperio Manuelis Comneni ad annum MCL floruisse dicitur. Scripsit hic Symeon Junior Magister & Logotheta, seu potius pro Seculi XII. more, excerpsit ab aliis anterioribus, *Compendium Canonum*, ab alio Compendio quod Arsenii dicitur vix dissimile, nisi quantum ad dispositionem Canonum. Habetur hæc Epitome Canonum MS. in Bodlejana Bibliotheca Codice Barocciano 86. pag. 144. b. quæ impressa in *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* Tomo 2. pag. 710. ex editione Parisiensi 1661. duobus Tomis in folio, apud Ludovicum Billaine. Utraque autem Epitome tam Arsenii quam Symeonis, desumpta est ex MS. Codice Bibliothecæ Galliarum Regis, ubi extabant. Idem Symeon Logotheta & Magister collegit seu excerpsit *Orationes seu Conciones viginti quatuor de vita & morum Institutione*, ex Operibus Sancti Basilii Magni descriptas, quas ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Græcè & Latine factas per Simonem de Maillé Turonensem Archiepiscopum, Tomo 3. pag. 445. Operum divi Basilii ultimæ editionis Parisiensis anni 1638. in folio, impressas habes. Item *Symeonis Magistri & Logothetæ Chronicon ex variis collectum*, hactenus ineditum ex integro, cujus Codex MS. vetustus ab Augerio Busbechio olim Constantinopoli comparatus, extat in Augustissima Imperatoris Bibliotheca, inter MSS. Codices Historicos Græcos Num. XXVII, uc habet Petrus Lambecius Tomo 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 588. quem tamen libro 8. Commentariorum Codice XXVII. ipse non recensuit, ut promiserat. Idem *Opus in mundi opificium ex Genesi & Chronicis per formam collectum à Symeone Magistro & Logotheta*, MS. in Bibliotheca Messanensi in 4. ex diversis Chronicis & Historiis. Itemque nunc idem *Chronicon integrum* in Regia Galliarum Bibliotheca Codice MS. Græco 2561. qui olim apud Raphaelem Dufrenium Gallum nobilem extabat, quem ut opus singulare Regiæ gazæ obtulit. Joannes Baptista Cotelerius in Notis ad *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, sed maxime in Notis ad lib. 3. *Pastoris* Hermæ col. 77. litera E. similia istis habet. *Symeonis Magistri & Logothetæ Chronicon* MS. 2363. fol. 64. cujus excerpta profert notis in librum tertium *Constitutionum Apostolicarum* col. 202. littera B. 203. littera A. 219. littera E. Et notis ad librum VII. *Constitutionum Apostolicarum* col. 257. littera A. Hujus quoque *Symeonis Logothetæ & Metaphrastæ* qui *Junior* dicitur, esse creduntur *Legendæ & Vitæ Sanctorum* ex parte maxima, & alia Opuscula, quæ positive nimium Leo Allatius *Symeoni Logothetæ & Metaphrastæ Seniori* adscripsit in Diatriba sua *De Symeonum Scriptis*, ut nos passim in hac Dissertatione De vera ætate Symeonis Logothetæ & Metaphrastæ, probavimus.

Sed de Symeonis Magistri ac Logothetæ Junioris, qui seculo XII. floruit, Operibus differere latius, ex authoribus variis, non injucundum nec inutile prorsus fuerit. Quantum ad *Collectionem Canonum* tum Alexii Aristini, tum Symeonis Logothetæ Junioris, ita loquitur Christophorus Justellus in sua Præfatione ad Tomum II. *Juris Canonici Veteris*, quod Lutetiæ Parisiorum annu 1661. in folio editum est, „Alexius Aristinus Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ scri„ psit *Epitomen Canonum*, quam jussu Joannis Co„ mneni Imp. edidisse observavit doctissimus Al„ latius, Lib. *De collatione Ordinum* hoc est anno„ 1130. Continet Indicem seu Breviarium vete„ ris Codicis Canonum Ecclesiæ universæ, serva„ to tamen ordine priorum Conciliorum, Ni„ cæni videlicet, Ancyrani, Neocæsariensis,„ Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni, Con„ stantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis:„ omissa tamen serie seu consequentia numero„ rum,

„rum, & additis Canonibus Apostolicis, Sardi-„censibus,& Africanis XXII. & Trullensibus,tri-„busque Epistolis Canonicis Sancti Basilii. Sy-„meon Magister & Logotheta Aristino poste-„rior est, atque ejus *Epitome Canonum* ex eodem „Codice MS. Bibliothecæ Regiæ, eosdem „omnino Canones continet, sed alio ordine. „Quatuor enim priora Concilia œcumenica, „Nicænum,Constantinopolitanum, Ephesinum „& Chalcedonense, primum locum obtinent. „Sequuntur particulares seu topicæ Synodi eo „ordine,Ancyrana, Sardicensis, Neocæsariensis, „Gangrensis, Antiochena & Laodicensis: qui-„bus etiam addidit Canones Apostolicos, sed & „Africanos LXXXIV. & Trullenses, & prædi-„ctas tres Epistolas Canonicas Sancti Basilii. Hæc Justellus, qui circa annum 1140. vel 1150. posteriorem Aristino vel superparem nostrum Symeonem Magistrum & Logothetam consti-tuit, cujus *Epitome Canonum* extat Tomo 2. Juris Canonici Veteris pag. 710. sub hoc titulo, Συμεὼν μαγίςρυ καὶ Λογοθέτυ ἐπίτομὴ κανόνων, cum Alexio Aristino posterior sit, inde veram Metaphrastis ætatem habemus.

Quantum ad *Orationes XXIV. de Moribus & vita Christiana* ex Sancti Basilii Operibus excer-ptas, prodierunt seorsim Græce Parisiis 1556 in 8. & tam Græce quam Latine inter Opera S. Ba-silii editionis Parisiensis anni 1618. apud Mi-chaelem Sonnium, in Appendice Tomi II. pag. 1. & sequentibus, tum denique in editione anni 1638. Tomo 3. pag. 445. sub hoc titulo, ἠθικοὶ λόγοι κδ' ἐκλεχθέντες διὰ Συμεὼν τῦ μαγίςρυ καὶ Λογοθέτυ ἐκ πασῶν τῶν πραγματειῶν τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείυ Ἀρχιεπισκόπυ Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας. *Conciones XXIV. de vita & moribus, ex omnibus libris divi Basilii Ar-chiepiscopi Cæsarea in Cappadocia, selecta Symeonis Magistri & Logotheta industria, Latineque facta à Symone Mallé Archiepiscopo Turonensi.* Illas at-tribuit Allatius Symeoni Metaphrastæ Seniori ac Logothetæ, in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 131. quas & refert fuisse editas Latine cum aliis D. Basilii Operibus, Parisiis 1603. in fol. apud Michaelem Sonnium Stanislao Florio interpre-te,& tandem Græce & Latine Francofurti apud Nicolaum Basſæum in 8. At mihi videntur convenire magis Symeoni Magistro & Logo-thetæ Juniori, qui solebat pro more seculi duo-decimi excerpere ex aliis, ut patet ex *Collectione Canonum* allata, magisque adhuc patebit, ex *Chronico* quod ille excerpsit ex diversis autho-ribus.

De *Chronico* seu *Chronologia* ista, anceps est Leo Allatius in Diatriba *De Symeonum Scriptis*. Nam pag. 167. ubi agit de Operibus Symeonis Junioris Theologi atque Abbatis Sancti Maman-tis, hoc Chronicon ipsi adscribit his verbis, „*In Regia Sancti Laurentii, Symeonis Junioris Theo-„logi Historicum opus ex variis auctoribus collectum.* At incertus rerum quas affert, ubi pag. 181. agit de *Symeone Vosto* seu *Setho*, utroque enim cogno-mine insignitur, qui Magister Antiochenus, sub Imperatore Michaele Duca floruit, huic p. 184. *Chronicon* allatum his verbis attribuit: „ *Ejus-dem Historia Chronica vulgari lingua à creatione" mundi, usque ad Imperium Constantini Duca,"* apud Verderium in Catalogo librorum Jacobi" Marmoratæ,& Patriarchæ Constantinopolita-" ni. Alibi quoque legi, nempe in Catalogo" MSS. Codicum Bibliothecæ Messanensis, *In" mundi opificium ex Genesi & Chronicis per seriem" Opus collectum à Symeone Magistro & Rhetorico" Logotheta ex diversis Chronicis & Historiis in 4."* De hoc Chronico disserit Carolus du Fresne du Cange, in Catalogo Scriptorum & MSS. Codi-cum quem subjunxit *Glossario media & infima Græcitatis*, col. 31. his verbis. „ Symeonis Ma-gistri & Logothetæ Chronicon collectum ex" variis Chronicis & Historiis, ita præfert titulus," cui subnectuntur hi duo Iambi.

Ἀρχὴν μὲν Ἀδὰμ ἔχον βίβλ☉, καὶ τέ-" λ☉.

Τὸ πορφυρογέννητον εὐσεβὲς κράτος. "

Desinit hic Codex Regius in Leonem Armeni-" um cum Theophane, cui in multis consonat." Vide Præfationem Combefisii ad ejusdem Sy-" meonis Annales editos." Et ibidem pag. seu col. 61. adscribit hoc *Chronicon* seu *Annales* Sy-meoni Logothetæ seniori seu Metaphrastæ his verbis: Symeon Logotheta vulgo Metaphra-" stes cognominatus, ob vitas Sanctorum ab eo" in meliorem sermonem redactas, multa scripsit" ac imprimis Chronicon à Combefisio typis" Regiis editum,& Epistolas editas ab eodem in" *Manipulo*. De ejus ætate multa commentatur" Leo Allatius in Diatriba *De Symeonibus*." Illud tamen esse editum usque ad Constanti-num Porphyrogenitum, cujus citat num. 14. in Porphyrogenito, idem notat in hoc Glossario col. 149. verbo ἀτζιμος. Tandem prodiit ex typographia Regia in folio anno 1685. post Con-tinuatorem Theophanis à pag. 401. ad 499. Συμεὼν Μαγίςρυ καὶ Λογοθέτυ χρονογραφία ex duobus MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bi-bliothecæ, omissis quæ a creatione mundi usque ad Leonem Armenum habebantur, ut ab aliis jam sæpius relatis, *Symeonis Magistri & Logotheta Annales à Leone Armeno ad Nicephorum Phocam, seu annum 960.* Vt autem notat editor Combe-fisius ante editionem, adscriptum erat Majori Codici Regio, alia manu pauloque recentiori ὅτος ἐςὶ ὁ Μεταφραςής, *Hic est Metaphrastes.* Quod autem spectare non possit ad *Symeonem Logothetam & Metaphrastem* qui sub Constantino Porphyrogenito floruit, quamvis ultra annum 960. non procedat: inde patet, quod excerpse-rit sæpissime Leonem Grammaticum, ejusque verbis usus sit, qui scripsit *Chronographiam* ab an-no 813. quo Theophanes desiit, usque ad annum 1013. quam Græce & Latine idem Franciscus Combefisius Theophani subjectam edidit Pari-siis 1655. in fol. Restat ergo ut adscribatur *Sy-meoni Magistro & Logotheta Juniori*, quem anno

 1150.

1150. fiximus. Non tantum transscribit Theophanem, sed etiam Leonem Grammaticum, ut habet Carolus du Fresne in Glossario Græco col. 500. verbo ἐνθρονίζειν. „Leo Grammaticus in Basilio pag 472. & Symeon Logotheta num. 16. *Μαΐου δὲ πρώτῃ ἐνθρονίζεται καὶ ἐγκαινίζεται ἡ ἐκκλησία, ἣν ἔκτισεν ὁ βασιλεύς.* Et col. 621. verbo Κατηχούμενα, *Porticus Superiores.* Theophanes an 6. Constantini & Irenes, *ἤρξαντο τὰς ἁγίας γραφὰς ὑπαναγιγνώσκειν, καὶ ἀμφιβάλλειν πρὸς ἀλλήλους, τῶν βασιλέων ἐν τοῖς κατηχουμένοις ὁρώντων.* Ita Leo Grammaticus in Michaele Theophili filio pag. 465. & Symeon Logotheta in eodem Michaele num 40. Col. 1513. verbo Σωλέας, Σολέα. Pars templi quæ Bemati adversatur, & uno aut altero gradu ædis sacræ pavimento, eductior est. Leo Grammaticus in Leone Philosopho pag. 481. & Symeon Logotheta num. 11. *Τοῦ βασιλέως ἀπελθόντος εἰς τὸν ἅγιον Μώκιον καὶ εἰσοδεύοντος, ὅτε ἦλθεν πλήσιον τῆς σολέας, ἐξελθών τις ἐξ ἄμβωνος.* Item multis aliis locis ostendit Symeonem Magistrum & Logothetam ex Leone Grammatico sua accepisse, ut col. 1660. verbo Φακτιονάρης, *Factionarius.* Col. 1668. verbo Φατλίον, *Candela & Cereus.* Col. 1170. verbo Χρυσοπτερωτὸς, *Perficus color auro variegatus.* Et aliis multis. Vide quæ diximus de Chronico hoc ad annum 1060. in *Michaele Psello* supra.

CAP. DECIMVM QVARTVM.

STEPHANVS LE MOYNE PROXIME ACCESSIT VERÆ ÆTATI SYMEONIS METAPHRASTÆ, GVILLELMVS CAVUS LONGE AB EA RECESSIT IN HISTORIA REI LITERARIÆ, VBI INCONSTANS MAXIME APPARET.

PRoxime accessit veræ ætati Symeonis Metaphrastæ, Stephanus le Moine Professor Theologiæ in Academia Lugduno-batava in Notis eruditis ad *Varia sacra* Tomo 2. pag. 1080. ubi de ætate Hippolyti Thebani, & Simeonis Metaphrastæ, quem utrumque contortis argumentis Seculo XI. assignat his verbis. „Citat Hippolytus Thebanus Georgium Nicomediensem, qui Epiphanio & Hippolyto veteri, multo posterior est. Citat Georgium Chronologum, quem eundem existimo cum Georgio Syncello, Chronologo eximio, qui multa, imò fere omnia ex Julio Africano descripserat, & de quo plura apud Scaligerum videri possunt. Vivebat verò Georgius iste exeunte seculo octavo, Patriarchatum Constantinopolitanum administrante Tarasio, cujus forsan Syncellus erat. Deinde Simeonem Metaphrastem citat etiam Hippolytus Thebanus, qui Metaphrastes vixit, non tempore Theodosii, nec tempore Heraclii, nec seculo nono, sed demum seculo undecimo, utpote quem Oratione funebri prosecutus est Michael Psellus, auctor non ignobilis seculi undecimi. Quæ cum ita sint, quomodo potuisset esse Epiphanio Synchtonus, vel illum ætate superare, vel eundem esse Hippolytum, qui tempore Alexandri Severi vivebat. Thebani verò Hippolyti fragmentum ex Chronico, extat editum à Sambuco, & asservatur in Bibliotheca Cæsarea, sed brevissimum. Vide Lambecium Tomo 3. *Commentariorum* pag. 45. 88. de eodem Hippolyto Thebano. Vide & eundem Lambecium Tomo 4. p. 150. Tomo 5. p. 109. 110. Tomo 7. p. 341. Tomo 8. p. 35. In isto autem Canisii fragmento, hæc continentur, quibus supradictorum fides perspicue confirmatur. Pag. 46. Ἀρξαμένης δὲ τῆς ια΄ περιόδου ρπσ΄ ἔτη παρῆλθεν, καὶ ἐσαρκώθη ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας καὶ τοῦ Μεταφραστοῦ περιέχει. *De incæpta autem undecima periodo, anni 186. abierunt, & incarnatus est Jesus Christus Dominus noster, ut continetur in Libro Nicomediensis & Metaphrastæ.* Τῇ ἡμέρᾳ κε΄ ἀνέστη πρώτῃ, τουτέστι τῇ Κυριακῇ, ὡς Μεταφραστὴς δηλοῖ, καὶ ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας. *Die 25. resurrexit, id est prima seu die Dominica, ut Metaphrastes ostendit, & Liber Nicomediensis.* Εὐσέβιος, Εὐστάθιος, Γεώργιος Χρονόγραφοι ρπ΄ ἔτη μόνα λέγουσι. *Eusebius, Eustathius, Georgius Chronographi tantum annos 180. numerant*:. Ἐγὼ δὲ inquit Hippolytus, πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ Κυρίου Συμεών: *Ego vero acquiesco dictis Domini Simeonis*, id est, *Simeonis Metaphrastæ*, qui ut modò dicebat, vixit seculo undecimo. Nam quod vir disertissimus, ex voce Κυρίου, qua Simeonem Hippolytus prosequitur, colligit Simeonem jam diu obiisse, cum Κύριος sit vox venerationis, qua defuncti & jam inter Beatos relati, veluti cohonestari solent: est argumentum meo judicio straminеum, & quod nullo modo pungit. Imo potius inde colligerem ego, tunc vixisse Simeonem, cum scribebat Hippolytus. Nam nec Eustathium, nec Georgium, nec Eusebium, nec Basilium, nec Patres Nicænos, quos omnes citat, Κυρίους & *Dominos* vocat, sed solum Simeonem Metaphrastem, cujus nulla mihi ratio aptior reddi posse videtur, quam quia vivente adhuc Simeone scribebat, qui cum in Aula, gratiâ & dignitate floreret, & esset Magister & Logotheta, honorificâ ista Κυρίου *Domini* denominatione, insignire illum Hippolytus voluit. Quæ denominatio est inferiorum & sequiorum temporum, unde fluxit Κῦρ, Κῦρα, Κυρὶς, Κῦρος: quo recentiores Græci se mutuo compellabant, & amicos sibi Synchronos & nobiliores tanquam honorifico titulo designare solebant. Sic Κῦρ Θεόδωρος πρόδρομος, *Dominus Theodorus Prodromus*: quod quidam male vertunt, *Cyrus Theodorus Prodromus*. Sic Κῦρ Μανουὴλ, *Dominus Manuel.* Κῦρ Κωνσταντῖνος Παλαιολόγος, *Dominus Constantinus Palaiologos*, in libro Græco-

„corum qui vocatur Ἄνθος. Sic Codinus *De Officiis Aulæ Constantinopolitanæ* ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ Κυρίου Ἀνδρονίκου, *Regnante Domino Andronico*: „quod vir doctus male reddit *Cyro Andronico „imperante*. Quo patet Hippolytum Simeoni „fuisse vel ὁμόχρονον, vel saltem non fuisse superiorem seculo undecimo.« His autem doctissimi Stephani Moynii observationibus, hanc τοῦ κυρίου denominationem & appellationem Scriptoribus factam & Imperatoribus addo, fuisse seculi XII. propriam, uti patet ex allegatis ab eo de Theodoro Prodromo & Manuele Imperatore: atque hinc concludendum esse, fuisse ejusdem seculi XII. scriptorem Simeonem Metaphrastem, circa annos 1140. vel 1150. cui appellationem eandem Hippolytus Thebanus adscripserit.

Longe autem ab hac sententia recessit Guilielmus Cavus Tomo 1. seu parte 1. *Historiæ literariæ* ad annum 901. pag. 573. editionis Londinensis 1688. qui Allatium sequutus, Metaphrastem anno 901. diserte collocat, anno circiter 912. *ad Vitas Sanctorum literis consignandas se contulisse, à Theoctista anspicatum*: quo tempore Leo Allatius in Diatriba pag 55. & 56 ubi de *Vita Sanctæ Theoctistæ*, illum *annos circiter 35. vel 40. natum statuit*. Hæc somnia Leonis Allatii atque discipuli Guilelmi Cavi. Vitam porro Simeonis Metaphrastæ pag. 573. ita verbotenus contexit Cavus.

„Simeon Metaphrastes dictus, à scribendi quo „usus est genere, patria erat Constantinopolitanus, nobili atque illustri genere ortus, vir ad „bonas literas infelici seculo promovendas natus, ipse præstanti ingenio omnique politiori „literatura ornatus, unde summos Reipublicæ „honores facile consecutus est. Factus est „enim à Leone Imperatore Protosecretarius, „Patricius, Magnus ut videtur Logotheta, seu „Summus (ut apud nos vocant) Cancellarius: „certe Logotheta Dromi, denique Magister Palatii, quod quidem munus inter summas Aulæ „CP. dignitates eminuit, renuntiatus est. Claruit ineunte hoc seculo, circa annum 901. „De ætate quidem ejus mire eruditorum variant sententiæ, ab initio seculi tertii, usque ad „decimum quartum, diversis temporibus eum „reponentium &c. Et posteà, Hinc patet (ut „eos qui Metaphrastem seculo decimo antiquiorem faciunt) insignis illorum error, qui „ipsum cum Simeone Logotheta juniore circa „annum 1170. claro confundunt: quin & ipse „Blondellus, in Chronologicis satis accuratus, „non minus hallucinatur in *Genealogia Francicæ pleniori Assertione* pag. 126, qui eum post „annum 1080. obiisse putat.« Hic plaustra mendaciorum ab Allatio homine Græco & consequenter etiam mendace accepta, quæ Cavus hilari ac levi animo amplexus est. Claruit Simeon Metaphrastes Legendarum Græcarum, Martyriorum & Encomiorum collector ac per singulos anni menses comportator, seculo decimum XII. circa annos 1140. & 1150. sub Imperatoribus Joanne & Manuele Comnenis, ille ipse *Magister & Logotheta junior* quem Cavus anno 1170. assignat, & quem perperam à phantastico illo Seniore anni 901. distinguit, qui in rerum natura nunquam extitit, sed in cerebris duntaxat Leonis Allatii & Guilielmi Cavi. Cum eloquentia & scribendi arte polleret, factus fuit Canonicus Ecclesiæ Patriarchalis Constantinopolitanæ, tum etiam præfectus Scholæ Patriarchali, institutæ ad informationem Presbyterorum juniorum & Diaconorum numerosi hujus Collegii, quos Magister hujus Scholæ qui etiam Logotheta Ecclesiæ CP. vocabatur, informabat quoad Theologiæ principia Computum Ecclesiasticum, festa anni mobilia à Paschate dependentia, & artem concionandi in solemnioribus anni Festivitatibus. Quæcunque ergo scribuntur de Simeone Metaphraste, quod fuerit *Magister & Logotheta Dromi, quod fuerit Cancellarius totius Imperii Summus*, quæ Allatius ajorum munera sunt, mendacia sunt Leonis Allatii & Guillelmi Cavi, ficta in illorum cerebris. Non fuit Simeon Metaphrastes Laicus nec in ullo officio laico, sed Ecclesiasticus; non *Magister Palatii vel Cancellarius* vel *Logotheta Aulæ CP* sed *Magister & Logotheta Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, unde occasionem accepit conscribendi tot libros, omnes in usum Ecclesiæ, quod non potuisset facere, si Laicus ac nuptiis implicatus, Cancellariatum Imperii administrandum tempore difficillimo habuisset. Hæc deliria nullo nixa fundamento, sunt relinquenda Leoni Allatio & Guilielmo Cavo, qui ambo in contexenda Simeonis Metaphrastæ vita, Græcorum instar, mentiti leguntur. Synchroni autem fuerunt Simeoni Metaphrastæ Nilus Doxapatrius, Theophanes Cerameus, Constantinus Manasses, Alexius Aristinus, Hippolytus Thebanus, qui in Chronico de eo loquitur, uti de Scriptore Synchrono. Idemque est Simeon Metaphrastes cum *Simeone Magistro & Logotheta*, quem Cavus *juniorem* vocans, anno 1170. pag. 683. Tomo 1. *Historiæ literariæ* assignavit, quidquid contradicat ex conjecturis tallissimis. Atque hoc sufficiat ad errorem Cavi detegendum, quem ne ingenue agnosceret, maluit ex cerebro Scriptores duos ex uno facere, duos Simeones Magistros & Logothetas, unum anno 912. scribentem quem Metaphrastem vocat, alterum anno 1170. p. 683. quem juniorem atque à priore alterum absque ulla ratione dixit.

At ferax ille Simeonum πλάσεως miro antiquitatis exemplo ac rarissimo, tertium orbi literario *Simeonem Logothetam & Magistrum* effinxit Tomo 2. seu Parte 2. *Historiæ literariæ* seculo obscuro ad annum 967. his verbis, quæ referre ad inconstantiam ejus ostendendam placet. Simeon, Magister & Logotheta, claruit saltem« circa annum DCCCCLXVII. Condidit« *Chronographiam* sive *Annales* à Leone Armeno« usque ad Nicephorum Phocam, quos Græco«

La-

„latine extulit Combefisius inter *Scriptores post* „*Theophanem* Parisiis 1685. pag. 401. Hos Simeo„ni Metaphrastæ tribuit CL. Dufresnius *Indice* „*Auctorum Græcorum* pag. 61. Extat Græce MS. „in Codice Regio *ejusdem Simeonis Chronicon*, ex „variis Chronicis & historiis collectum, ab Orbe „condito ad Leonem Armenium, in quo opere „auctor Theophanis scrinia strenuè compilasse „videtur. Vide Dufresnium ibidem pag. 32. Co„dici MS. subjiciuntur hi duo Iambi.

Ἀρχὴν μὲν Ἀδὰμ ἔσχεν βίβλ(ος), κοσμεῖ τέλος
Τὸ πορφυρογέννητον ἐυσεβὲς κράτος.

„Certe dubitari nequit, quin utraque pars sit „ejusdem Simeonis opus. Vt verò Simeoni „Metaphrastæ adscribat, hic aquam mihi hærere „fateor, utque credam, ægrè à me impetrare „possum. Si enim Metaphrastes, nec tunc ad„modum juvenis, initio hujus seculi scribere in„cepit, quod certis fundamentis nititur: vix ad „Nicephorum Phocam, vitam produxisse cen„sendus erit. “ De quo penes eruditos judicium esto. Hæc loco citato Cavus, quoad Simeones Metaphrastes, Magistros & Logothetas, quo se vertat, nescius.

Non minus absurdus est Guillelmus Cavus Tomo I. seu Parte 1. *Historia literaria* seculo obscuro ad annum 901. pag. 575. dum velut Prophetæ aut à Deo inspirati hominis, judicium Leonis Allatii de *Vitis istis Sanctorum, Martyriis & Encomiis*, velut Scripturam sacram amplectitur, quamvis hic homo levioris judicii & mendacis ingenii fuisse ab eruditis omnibus asseratur, maximè in Romanæ Ecclesiæ gratiam, cujus, Orientali doctrinâ relicta, vile mancipium factum fuit. „ Vitas proximè „enumeratas CXXII. genuinos esse Simeonis „Metaphrastis fœtus, argumentis tam ex Stylo „quam inscriptione ductis judicat Leo Allatius, „easque tam editas quam ineditas, in Bibliothe„ca Vaticana extantes, atque alibi MSS. Græcè „prodit, allatis singularum initialibus sententiis, „*Diatriba de Simeonum Scriptis* pag. 24. Præter „istas alias XCV. *Vitas* quæ nomen Metaphra„stis in Codicibus MSS. falsò præ se ferunt, enu„merat appositis singularum initiis idem Alla„tius ibidem pag. 119. Harum autem veri Au„thores, nullâ diligentiâ investigari potuerunt. „Denique *alias Sanctorum Vitas & Encomia Pane*„*gyrica CCCCXLIV*, Metaphrastis nomen in „MSS. nonnullis Codicibus ementitas, appositis „ordine Alphabetico uniuscujusque initiis, enu„merat Allatius ibidem pag. 80. ac veros singu„larum Scriptores designat. Notandum verò „ex spuriis hisce Vitis DXXXIX, plurimas à Me„taphraste recenseri potuisse, forsan & aliquas „manum medicam expertas esse: non ideo ta„men ejus censeri posse, cum aut parum aut „nihil iis addiderit. Ex illis etiam quampluri„mæ, post Metaphrastæ mortem conscriptæ „sunt. “ Hæc omnia Cavus ad Leonis Allatii commendationem, quasi divinitus inspirati, ut Legendas istas authoribus suis attribueret, quem Critici sciunt hominem fuisse maximè varium, Romanæ Ecclesiæ ob stipendia obsequentem, cujus magnitudinem & tyrannidem pro viribus, contra Orientalem suam Ecclesiam defenderit. Ostendunt hæ laudes immeritæ quam parvi judicii Cavus Anglus fuerit, cum nullum sit opus in quo tantum mentitus sit Allatius, ac in hac Diatriba *De Simeonum Scriptis*, in qua ab eruditis omnibus exsibilatur, & qui nunquam quis esset *Metaphrastes* ille de quo agebat cognovit: quippe quem fecerit *Laicum* seu *secularem, publicis imperii rebus immixtum, Logothetam Dromi, Magnum Imperii Cancellarium*: quæ omnia mendacia & deliria Leonis Allatii, nullo fundamento nixa. Ac sane si personam *Metaphrastæ* cognoscere & ejus munera publica non potuit mendax Leo Allatius, quomodo inter sexcenta Opuscula varia quæ in Metaphrasibus continentur, distinguere potuit, quæ Metaphrastæ erant, quæ aliorum? Fides ista soli Cavo singularis erit, quæ aliis contemptum ac derisionem præbebit. Insanit itaque Cavus, dum Leoni Allatio homini mendacissimo, tantam fidem attribuit. Nec jactantia Allatio in hoc opere deest, qui pag. 116. hæc habet. *Tot ergo tantaque ex immenso illo Codicum numero, qui Metaphrastæ vel sunt vel esse existimantur, segetibus intervulsis & propriis parentibus restitutis, sane fertilis hic ager alienis herbis obductus, facilius pravidebitur & dijudicabitur &c.* Quibus subjungit à pag. 119. ad 130. *Tabellam secundam eorum quæ dissimilis omnio & stylus Metaphrastem parentem nolunt agnoscere.* Pag. autem 262. Certi Auctores Græci, Alla-“ tiano primo indiculo, alii à Metaphraste, qui“ Sanctorum Vitas & Encomia scripserunt.“ Quo In indiculo per Alphabetum digesto, extant Scriptores innumeri seculorum 11. 12. 13. & 14. usque ad tempora Nicolai Cabasilæ, cujus encomia varia in Metaphrasibus inferuntur, uti Maximi Planudis, Manuelis Caleæ, Germani II. Patriarchæ Constantinopolitani, Gregorii Palamæ, Demetrii Cydonii & aliorum, quorum Opuscula recenset in Diatriba *De Simeonum Scriptis* ab Alpha ad Omega, seu à pag. 80. ad 116. Denique pag. 270. *Vita Sanctorum seu Encomia* Priore Allatiano indiculo certis Auctoribus aliis à Metaphraste, ad pag. 274. Quibus omnibus, quam Allatio modicam debeamus fidem, lectoribus palam fit. Hæ porrò merces *Metaphrasion* Symeonis Metaphrastæ, non solum in magno numero extant MSS. in Bibliotheca Vaticana juxta Allatium loco citato, sed in Bibliotheca Colbertina ferè ad octoginta Codices MSS. ascendunt, teste Bernardo de Montfaucon *Palæographia* lib. 4. cap. 2. pag. 275. imò octogenarium numerum excedunt, juxta Michaelem Lequien in Prolegomenis, ad Operum S. Joannis Damasceni editionem Græco-Latinam novam. Ita malæ merces comparatu faci-

ciles sunt, omnia enim ista Græca Manuscripta volumina ab annis paucis à Joanne Baptista Colberto a Monachis Græcis vili pretio nostris diebus comparata sunt. Quod ergo nescivit Leo Allatius, ut jam antea dixi, fuit Symeon Metaphrastes *Magister & Logotheta Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, cujus officium erat informandi Presbyteros juniores atque Diaconos ejusdem Ecclesiæ Patriarchalis, de Theologiæ principiis, Computo Ecclesiastico festorum mobilium a die Paschatis dependentium, de ratione habendi conciones ad plebem statutis solemnitatum diebus, & aliis ejusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ muneribus. Fuit *Magister & Logotheta* non Palatii sed Ecclesiæ Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ ob meritum eruditionis qua cæteros inter excelluit. Fuit *Magister & Logotheta* non laicus sed Ecclesiasticus, in eo officio & schola præfectus, quæ Patriarchalis sedis Primaria & eminentissima erat: quem in aliis Metropolitanis & Episcopalibus Ecclesiis *Scholarcham, Scholasticum, Theologalem*, Gallicè *Escolatre* & *Theologal* appellamus. Qui aliam Laicam Simeoni Metaphrastæ occupationem finxit, qui *uxoratum & prole plurimâ gravatum* dixit Græcus Allatius, mendacia atrocissima homine Græco condigna effudit, quibus fidem omnem a se criminavit. Qui Simeonem Metaphrastem in talibus positum, nempe *Logothetam Dromi & Imperii Orientalis Cancellarium*, in statu rerum turbulentissimo constitutum, scribit *tempus & otium dedisse colligendis, corrigendis conscribendisque Sanctorum legendis*: ex Simeone Metaphraste, quem extollere hac occupatione vult, fatuum & insanum hominem facit, irrisioni hominum exponit. Atque hac scribendi ratione, ostendit Leo Allatius se hominem absurdum, mendacem, Græcum, qui innatâ Genti suæ mentiendi libidine, heroem suum insanum & fatuum ostenderit. Ostendat nobis Cancellarium aliquem Orientalis Imperii Laicum, & rebus publicis oppressum & prole plurima gravatum, qui *Colligendis & corrigendis Legendis vitam consumpserit*, & tunc Allatio loquendi fidem dabimus? Simeon itaque Metaphrastes, *Magister & Logotheta Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, totum se præbuit officio suo, plurima ad Ecclesiæ & Historiæ Ecclesiasticæ utilitatem composuit, Collectiones seu Compilationes Canonum ad Joannis Comneni instantiam & preces, Chronica & Compilationes ex diversis Chronologis temporum, Legendas Sanctorum huc illuc dispersas, ad se relatas in unum juxta rationem mensium comportavit, Divi Basilii doctrinam sub certis capitibus collectam, XXIV. homilias moralibus collegit: quæ omnia ostendunt clare & evidenter contra mendacem Allatium, fuisse Simeonem Metaphrastem, *Magistrum & Logothetam Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, Ecclesiastici ordinis, qui Ecclesiam tot laboribus illustravit: non verò *Laicum & secularem*, *neutiquam Logothetam Dromi vel Cancellarium Laicum Imperii Orientalis, prole nimia gravatum*: qualem illum scripsit ac finxit Leo Allatius.

Quoad sanctitatem ipsi a Laurentio Surio impactam, qui eum inter Probatas Sanctorum Vitas ad diem 27. Novembris retulit, dicere nihil possum, an albus, an ater moribus fuerit, probus an improbus: imò scio, Psellum qui in ejus laudem, Orationem omnino vagam & verbis solis constantem scripsit, quamvis paucis post illum annis floreret, hominem prorsus non cognovisse, ac fateri se pauca quæ de illo scribit, didicisse *ex illis qui morti ejus adfuerant*. Hæc enim verba ostendunt Psellum illum nunquam singularius hunc Metaphrasten cognovisse, cui Leo Allatius attribuit *Officium Ecclesiasticum* in laudem ejus compositum, qua de re plurimum ambigo, maxime cum sciam nunquam cultu publico illum honoratum apud Græcos. Quod autem Laurentius Surius & Petrus Ribadeneira albo Sanctorum in Occidentalibus addixerint Ecclesiis, id imputatur Carthusianæ ignorantiæ & Jesuiticæ audaciæ. Nisi crediderint ingentia mendacia quæ in Laudem Sanctorum & Ecclesiæ confinxit, fuisse idoneum medium ut albo Sanctorum adscriberetur, inter quos hanc ob rem singulari gloria potiretur.

CAP. DECIMUM QUINTUM.

QUID SENTIAT DE LEGENDIS ET ÆTATE SYMEONIS METAPHRASTÆ BERNARDUS DE MONTFAUCON, MONACHUS BENEDICTINUS, HEIC REFERTUR ET REFELLITUR.

EDidit anno 1708. Parisiis in folio Bernardus de Montfaucon Monachus Benedictinus ex Congregatione Sancti Mauri, Ordinis D. Benedicti, *Palæographiam Græcam* libris 7. comprehensam, in qua de Symeonis Metaphrastæ legendis atque ætate interdum differit, cum Pontificiis aliis partim conveniens, partim diffidens, quam hic verbotenus referre placet. Sic autem lib. 4. *Palæographiæ Græcæ* cap. 1. pag. 269. Tertium igitur specimen prodit ex Codice Colbertino Num. 340. complectente vitas *Sanctorum* mensium Maji, Junii, Julii & Aug. « non ut a Symeone Metaphraste editæ sunt, sed « quales erant antequam iis manum Metaphrastes admoveret: nugis scilicet, fabulis ac portentosis narrationibus refertæ. Symeon quippe easdem vitas elegantiorem in formam redegit, prodigia bene multa, quæ mendaces Græculi commenti fuerant, passim resecuit; ita tamen ut quantum satis superque erat, retineret. « Id ego expertus dico, collatis non semel iis, quæ « nono seculo conscriptæ fuerant, cum aliis inferioris ævi, quæ ex Metaphrastæ officina prodierant. « Cum ergo Pontificii alii mendacia omnia quæ in Legendis Sanctorum occurrunt, in Symeonem Metaphrastem rejiciant, hic è con-

contra fabulas illas ac portentosa ab antiquioribus conficta, a Metaphraste repurgata & sublata censet. Unde Colligit Legendas seculo IX. fuisse mendacissimas, qui melius dixisset, illas fere omnes quæ Seculis VII. VIII. IX. ac X. conscriptæ sunt, ejus farinæ extitisse, emanasse a viris nullius judicii, qui dum fidem Christianam falsis ejusmodi commentis efferre cœco zelo arbitrabantur, illam ludibriis ac derisioni exposuerunt. Est ergo Bernardi de Moorfaucon, ut contra Bellarminum, aliosque omnes Pontificios, Metaphrastem tueatur. Docere autem debet, qua inspiratione Metaphrastes ductus, *Vitas Sanctorum* ab antiquioribus & coævis compositas resecuerit, quomodo vera miracula ac prodigia a coævis conscripta, junior ipse atque a temporibus remotus, cognoverit, ut mendacia & fabulas expungeret. Lib. eodem cap. 2. pag. 273. „ Secundum specimen excerptum „est ex Codice nostro San-Germanensi &c. „Codex nono seculo vel ineunte decimo scri„ptus est, antequam Symeon Metaphrastes vitis „Sanctorum manum admovisset, ut opinamur, „redegissetque in elegantiorem formam: qui „quod pristinas illas alium in sermonem trans„tulerit, Metaphrastes dictus est. Id verò præ„stitisse dicitur ineunte decimo seculo, sub Leo„ne Philosopho. Antiquiores autem illæ San„ctorum vitæ multum discrepant ab editis a Sy„meone: portentosis quippe narrationibus & „fabulis refertæ sunt, utpote a Græculis consar„cinatæ, iis tamen exceptis, quæ ab æqualibus „aut discipulis Sanctorum, de quibus agitur, de„scriptæ sunt: ut V. G. SS. Pachomii, Euthy„mii, Sabæ & aliorum, in quibus deligendis judi„cio est opus. Nam secus quam multi æsti„mant, Symeon Metaphrastes multa nimium „τερατώδη resecuit, ut iis sublatis, credibiliora „quæ referebantur, essent. Exempli causa in „hoc, de quo agitur Codice, præter InventioS. Ste„phani initio mutila, ubi hæc leguntur, a Meta„phraste alio prorsus modo enarrata. Et ibi„dem pag. 275. Hujusmodi narrationes & por„tentorum historias Symeon Metaphrastes aut „resecuit, aut quibusdam demptis credibiliores „reddere studuit. Vitæ autem Sanctorum a „Symeone Metaphraste concinnatæ, statim ar„que ab auctore emissæ sunt, sexcenties exscri„ptæ, per totam Græcam Ecclesiam pervulga„tæ ac receptæ sunt. Nam Codices innumeri „hujusmodi habentur, quorum maxima pars „decimo & undecimo seculo exscripta fuit. In „una autem Bibliotheca Colbertina ad octogin„ta ferè numerentur. Inde est quod si qui ve„tustiores & ante Metaphrastem adornatas San„ctorum vitas complectantur, ii vel nono vel „ineunte decimo seculo ur plurimum exarati „sint. Metaphrastes autem ineunte decimo „seculo opus suum edidit, quo publicato, anti„quiores illæ Sanctorum vitæ obsoleverunt „apud Græcos. " Quæ scribit Bernardus de Montfaucon, *Symeonem Metaphrastem ineunte seculo decimo opus suum edidisse de Vitis Sanctorum*, juxta Allatii sententiam, falsum prorsus est, uti Cap. 1. 10. & 11. hujus Dissertationis probavimus. Qui enim *Collectaneum Historicum* scripsit ex historicis diversis & ipso antiquioribus, atque in iis complexus est *Leonem Grammaticum* Seculi XI. Scriptorem, & *Michaelem Psellum* qui anno 1060. floruit, & usque ad annum 1112. vixisse scribitur: is sane Scriptor Seculo X. ineunte multum posterior est. Ac talem fuisse Symeonem Metaphrastem supra probavimus, ut pluribus eo de argumento heic agere, prorsus superfluum sit, ne crambem recoquere videamur. Errorem ergo vulgarem, ab Allatio somniatum amplectitur. Bernardus de Montfaucon. Dum scribit autem Vitas Sanctorum a Symeone Metaphraste esse emendatas & correctas, Nugatur, ac se irridendum præbet: quo enim jure, qua revelatione, Scriptor seculi duodecimi corrigere potuit Legendas ab antiquioribus conscriptas? Nullus enim vel tantillum eruditus nescit, quam nullo vel modico judicio fuerint utplurimum, qui Legendas ejusmodi Sanctorum conscripserint.

Nec objiciat Codicem Colbertinum 25 *Palæographiæ Græca* lib. 1. cap. 6. pag. 57. quem scriptum esse anno 1112. ex fine Codicis constat. Codex enim ille Metaphrastæ nomen appictum non habet, & ex centum MSS. Codicibus Metaphrasæon ejusmodi, vix reperias paucissimos qui nomen Metaphrastæ habeant, nisi ævi recentissimi sint, ut ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ constat. Hunc Codicem anonymum anno 1112. scriptum ut paulo se antiquioris Collectoris, transscribere potuit, qui Psellum paullo se antiquiorem in *Collectaneo Historico* transscripsit & inseruit. Dicendum est idem de *Codice Procuratoris Justiniani Venetiis*, ubi *Georgii Oecumenii & Symeonis Magistri Historia*, qui scriptus anno 6626. Christi 1118, quamvis hoc jam tempore Symeon Metaphrastes scribere potuerit. Hæc ad *Palæographiam Græcam* Lib. 1. cap. 6. paginis 57. & 58.

CAPUT ULTIMUM VEL XVI.

QUID SENTIAT JOANNES ALBERTUS FABRICIUS DE SYMEONE METAPHRASTE, TOMO SEXTO BIBLIOTHECÆ GRÆCÆ VARIIS LOCIS, EDITIONIS 1714. HAMBURGI IN 4. ET QUOMODO VEL INVITUS IN SENTENTIAM NOSTRAM, TANDEM VENIAT.

Joannes Albertus Fabritius, post Leonem Allatium, errorem de ætate Symeonis Metaphrastæ communem cum plerisque aliis amplexus est, de cujus scriptis latissime disseruit Tomo VI. *Bibliotheca Græca* a pag. 509. ad pag. 566. „ Constantini Porphyrogeniti jussu etiam atque auspiciis (quod falsum est) *Martyria &* „ *Vitas Sanctorum, non Orientalium tantum*, ut Jo-„ anni Molane visum, *sed quorumvis quas nan-*„ *ci-*

„cisci potnit, conscripsit Symeon Magister & Logo-„theta, cognomento Metaphrastes. Ita enim ap-„pellatus est, quod plerasque Vitas non suopte „ipse ingenio composuit condiditque, sed ab „antiquioribus acceptas μετέφρασε, & paulo „alio habitu induit, omittendo alia in illis, alia „addendo vel mutando atque interpolando. „Vitas plerasque recensent Allatius libro *De* „*Symeonum scriptis* pag. 124. & sequentibus. „Hanckius Parte I. *De Scriptoribus Byzantinis* „cap. 24. pag 436 & seqq. & Cavus ad annum „Christi 901. sed ita ut difficillime possint evol-„vi &c. nam Allatius Vitas juxta ordinem *Sanctorum* Alphabeticum digessit, quod & præ-stat illic Fabricius a pag. 511. ad pag. 564. qua pagina sub finem *Alia Symeonis Metaphrastæ scri-pta* recenset paginis 565. & 566. Hæc cap. 5. de quibus antea quoque pag. 352. & cap. 4. p. 158. his verbis.

„Symeonis Magistri & Logothetæ Chroni-„con collectum ex variis Chronicis & Historiis, „ab Adamo usque ad Constantinum Porphy-„rogennetum, ut his etiam Jambis docetur.

Ἀρχὴν μὲν Ἀδὰμ ἔσχεν βίβλ☉, καὶ τελ☉
Τὸ Πορφυρογέννητον εὐσεβὲς κράτ☉.

„Codex MS. Regis Christianissimi, quo usus est „Ducangius in Glossario Græco, notisque ad „Zonaram & aliis in scriptis, desinit in Leone „Armeno cum Theophane, cui in multis con-„sonat. De Codice Messanensi & Scorialensi „mentionem facit Labbeus in *Protreptico Histo-„ria Byzantina* pag. 50. Hoc est quod ab aliqui-„bus *Symeoni Metaphrastæ* perperam tribuitur.

„Idem pag. 565. Ἠθικοὶ λόγοι, *Sermones XXIV.* „*de moribus ex Sancti Basilii Magni operibus selecti*, „Græce editi Parisiis 1556. in 8. a Guilielmo „Morello, & Latine ab Stanislao Ilovio (non „Flovio uti apud Allatium legitur) redditi, sæ-„pius lucem inter Basilii Magni opera viderunt. „Extant etiam cum Ilovii versione excusi sepa-„ratim Francofurti in 8. In Græcolatinis vero „Basilii editionibus, video junctam versionem „aliam, à Symeone de Maille Archiepiscopo „Turonensi compositam. Combefisius, Symeo-„nem hunc qui Basilii ethicos sermones selegit, „diversum facit à Symeone Metaphraste. Ac „sane fuit etiam quidam Symeon Magister & „Logotheta, longe junior, qui post Alexium „Aristinum sub Manuele Comneno circa an-„num Christi 1166. clarum, *Epitomen Canonum* „sive condidit, sive scholiis illustravit, Græce „& Latine extat in Bibliotheca Canonica Justel-„li & Voëlli Tomo II. pag. 710. ad 748. editio-„nis Parisiensis 1661. in folio.

Verum hæc omnia gratis ab Alberto Fabricio scribuntur, ac longe verius est & manuscriptis Codicibus conformius, Opuscula hæc omnia esse unius ejusdemque Symeonis, qui *Magister* dictus, *Logotheta* atque *Metaphrastes*, seculo XII. ab anno 1140. ad annum 1160. vel circiter, sub Imperatoribus Orientis, *Joanne & Manuele Comnenis* floruerit, esseque eundem illum, quem Fabricius anno 1166. floruisse atque scripsisse asserit. Annales autem illi sub *Symeonis Magistri & Logothetæ* nomine, qui in MS. Regio codice desinunt in Constantino Porphyrogenito Leonis VI. filio circa annum 910. in alio Regio codice sub ejusdem nomine excurrunt usque ad Nicephorum Phocam, seu ad annum 969. vel initium Joannis Zemiscis imperantis, quos Græce & Latine edendos voluit Franciscus Combefisius ex Regia typographia 1685. in fol. a pag. 401. ad 498. vel alter post ejus mortem.

* Quantum autem ad Franciscum Combefisium ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Congregationis S. Ludovici, ut vocant, hominem dum Parisiis mansi veneratus sum, ob pietatem ac simplicitatem monasticam, in Græcis callentissimum, sed ita credulum ut indiscriminatim omnia, quæ in MSS. occurrebant, absque judicio admitteret, nihilque tam fabulosum & absurdum esset, quod homuncioni scil. dicto & balbo, non placeret. Obscuritatem ejus in scribendo obstupui, in tantum ut ipsum etiam rogarem præsentem, ne tam obscura atque involuta latinitate scriberet. Optimum fuisse hominem testor & officiosum, at mihi postulanti scriptorem MS. ineditum, non denegaret. Obiit Parisiis anno 1679. die 23. Junii ætatis 74. de quo vide Ludovicum Elliam du Pin in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum tomo XVIII. pag. 99. *Annales istos usque ad Nicephorum Phocam* expressit ex duobus MSS. Codicibus, quorum minor fuit Raphaelis Tricheti du Fresne, ex cujus libris, illo defuncto in gazam Regis Christianissimi allatus est. At in Codice majori qui antiquior altero erat, ut ipse Fabricius Tomo 6. *Bibliothecæ Græcæ* pag. 352. testatur: *Adscriptum majori illi Codici Regio*, Combefisius inquit, *alia manu paulo recentiori:* Hic est Metaphrastes, cujus tanti visi sunt Annales & Chronica Hippolyto Thebano, ut ex omnibus anteponat. Atque hæc Hippolyti verba apud Allatium in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 34. Cum itaque Codex iste, ætatem seculi XII. quo Symeon Metaphrastes in vivis fuit, referat, atque unum eundemque hominem *Symeonem Logothetam & Metaphrastem* habeat, hujusce rei testem synchronum habemus, Regiæ Bibliothecæ Manuscriptum illum codicem. 2. Vt cap. 1. Dissertationis hujus scripsimus atque iterum repetimus, Franciscus idem Combefisius, ille ipse qui Leonis Allatii Diatribam " *De Symeonum scriptis*, anno" 1664. in 4. Parisiis edendam procuravit, hanc" ætatem Symeonis Metaphrastæ ab Allatio" assignatam plane destruere videtur. Scribit e-" nim in *Apparatu* ad Bibliothecam Sanctorum" Patrum Concionatorium anno 1662. sex in fo-" lio tomis apud Antonium Berthier Parisiis e-" ditam, verbo *Symeon Metaphrastes*, asservatum" esse apud se ex Bibliotheca Regia, *Collectane-*" *um Chronicon ex diversis* decem historicis colle-" ctum

„ctum, sub titulo *Symeonis Metaphrastis*, in quo „post Leonem Grammaticum postremo loco, „habetur ipsa *Pselli Historia*, ex clarissimi viri „Raphaelis Tricheti du Fresne MS. codice, qui „ad Regiam Galliarum Bibliothecam devenit. Fuit ergo Symeon Metaphrastes posterior Leone Grammatico, qui Historiam suam usque ad annum 1013. Græce & Latine editam habet inter Historiæ Constantinopolitanæ Scriptores, de quo Fabricius Tomo 6. pag. 380. qui anno 1655. in folio prodiit. Item posterior Michaele Psello, qui ab anno 1066. celebris, usque ad annum 1110. vel ultra superstes fuisse creditur, cujus Historiam suo Collectaneo Symeon Metaphrastes, decimo loco inseruit. Cum itaque nodum hunc Gordianum solvere non posset, contra Manuscriptum Codicem, quem præ manibus habebat Franciscus Combefisius, ex quo concludendum necessario erat, ætatem Symeonis Metaphrastæ ad Seculum Ecclesiæ XII. pertinere, ad nugas & insanias Combefius, quas etiam pag. 352. Albertus Fabricius non silet, nesciens quid dicat, convertitur. *Quid si ipse Psellus, Symeonis illi Chronologia ex novem Historicis, se decimum adjunxit, sive alii addidere: opus certe a Theophane ad explendam Historiam Byzantinam, summe necessarium.* Duo igitur MSS. illi Codices Regii, jugulum petunt illorum, qui falso hucusque post Leonem Allatium scripserunt, Symeonem Metaphrastem circa annum 910. floruisse atque legendis Sanctorum in unum comportandis incubuisse, id quod sub seculi duodecimi medium factum est. Cumque agnoscat istud loco allato Fabricius, vel invitus nostram sententiam de Symeonis Metaphrastæ ætate amplectitur. Suidas allegat & laudat Logothetam Metaphrastem, in Vitis Sanctorum, nempe in Vita Luciani in *Lexico* in voce νεῦσις ut habet Fabricius pag. 541. Item in Vita Marcelli Archimandritæ Mooasterii Accimetarum in voce Ἀλλαία pag. 541. In Vita Callicaladæ pag. 517. In Vita Tyrsi, Leucii &c. in voce καταπέλτης pag. 563.

Longe ergo probabilius est, *Metaphrases* illas, esse Symeonis Logothetæ & Metaphrastæ Junioris, seculo XII. scribentis, quem anno 1150. alligavimus, & anno 1170. Guilelmus Cavus in *Historia rei literariæ* pag. 683. idque ob varias rationes. 1. Quia ille Collectanea varia compilavit, mosque ille seculo XII. invaluit. 2. Quia nullus certus author harum Metaphraseon ante seculi XII. medium meminit, ut hujus Dissertationis cap. 7. diximus, licet multi postea mentionem earum faciant. 3. Quia Theophanes & Hyppolitus Thebaous, Seculi duntaxat XII. Scriptores, de illo tanquam authore recente & synchrono loqui videntur. Hæc nos prolixe admodum contra Leonem Allatium, solius veritatis causa, nullius fidei imporitare cupientes: oec enim nos Symeonem illum Logothetam & Metaphrastem Juniorem finximus, sed edidit Franciscus Combefisius, maximus Leonis Allatis amicus, qui Diatribam illius *De Symeonum scriptis*, anno 1664. Parisiis in 4. edendam curavir. Neque illum pariter Michaelem Psellum Tertium seu Vltimum, sed Carolus du Fresne, Dominus du Cange in *Glossario media & infima Græcitatis*, col. 1295. *Quousque vitam produxerit*, ioquit Cavus, *nondum didici, sub imperio tamen Constantini Porphyrogenneta provectionis jam facti, scripsisse constat.* Sed juxta opinionem meam longe remoti sunt a vera Symeonis Metaphrastæ ætate Leo Allatius & Guilielmus Cavus, quem circa annum MCL. sub Comnenis Imperatoribus floruisse arbitror. Agit plurimis & omnium instar de ætate Symeonis Metaphrastæ, Leo Allatius in illa prolixa Diatriba *De Symeonum scriptis*, quam in 4. Parisiis anno 1664. imprimendam curavit Franciscus Combefisius ejus amicus, apud Symeonem Piget sub signo Prudentiæ. Gerardus Johannes Vossius libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 25. pagina mihi 289. & 292. Joannes Dallæus *De Scriptis Dionysii & Ignatii* lib. 2. cap. 25. pag. 379. & 380. Stephanus le Moyne *Variorum Sacrorum* tomo 2. pag. 1082. Petrus Lambecius libro 5. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 20. 44. 101. & in Catalogo scriptorum hujus tomi pag. 255. & 365. libro actavo pag. 367. 368. 369. 370. & 371. Ego quoque supra ad annum 1060. in *Michaele Psello*, occasione Chronici Syntagmatis, quod in Galliarum Regia Bibliotheca asservatur, *Symeoni Magistro & Logotheta* adscriptum. Hæc Dissertatio *De ætate & scriptis Symeonis Metaphrasta*, iterum a me resumpta anno 1698. die ultima Octobris, ac tertio etiam, perducta tandem ad finem anno 1714. quæ ultimum Commentarii hujus Opusculum sejunctim elaboratum extitit.

BASILIUS ACHRIDENUS THESSALONIC. ARCHIEP. circa an. 1155. temporibus Adriani Papæ quarti claruit, magnæ tunc in Ecclesia Orientali authoritatis & nominis, quem nullus excepto Guillelmo Cavo, hucusque Scriptoribus Ecclesiasticis accensuit. Quanti ille esset meriti, utcunque resciri potest, ex MSS. Codicibus Theologicis Græcis augustissimæ illius Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis, quam Commentariis suis illustravit Petrus Lambecius Hamburgensis, hujus Musæi Bibliothecarius. Illic enim Codice MS. Theologico Græco CCXIII. num. 10. & quidem a folio 212. pag. 1. & seqq. extant *Epistola Adriani Papa IV.* tempore Imperatoris Constantinopolitani Manuelis Comneni, nempe ab anno Christi 1155. missa ad *Basilium Thessalonicensem Archiepiscopum de componenda inter Latinos & Græcos fidei discordia.* Tumque simul *Responsiva ejusdem Basilii* ad præfatum eundem Summum Pontificem. *Epistola Adriani Papa IV.* inscribitur, ibi atque hoc modo incipit: 1150

Ἐπι-

Ἐπιστολὴ τοῦ Πάπα Ῥώμης πρὸς Ἀρχιεπίσκοπον Θεσσαλονίκης Βασίλειον τὸν Ἀχριδηνόν. Ἀδριανὸς Ἐπίσκοπος, δοῦλος δούλων Θεοῦ τῷ σεβασμίῳ ἀδελφῷ τῶν Θεσσαλονικέων Ἀρχιεπισκόπῳ ἀσπασμὸν καὶ ἀποστολικὴν εὐλογίαν. Ἐξότε διὰ τοῦ ἀρχαίου πολεμίου &c. *Responsionis autem Basilii* principium tale est: Ἀνέγνωμέν σου τὴν ἐπιστολὴν ἁγιώτατε Πάπα &c. Extant quidem hæ duæ Epistolæ Græce & Latine tomo primo *Juris Græco-Romani* a Joanne Leunclavio collecti, & a Marquardo Frehero editi, pag. 305. & 307. quarum tamen Lambecius loco citato propter variantes lectiones, haud inutilem fore arbitratur collationem cum hoc MS. Cæsareo, utpote ubi utraque Epistola etiam in fine, aliquanto amplior est. Eædem Epistolæ extant quoque Græce MSS. inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ in MSS. Baroccianis Codice 71. pag. 124. & 126. Et Codice 111. pag. 195. & 196. sed Latine tantum apud Cardinalem Baronium, Tomo XII. *Annalium Ecclesiasticorum* ad annum 1155. num. 42. 43. 44. In eodem autem MS. Codice Cæsareo, num. XI. & quidem a fol. 215. pag. 2. usque ad fol. 220. pag. 2. extat *Disputatio Basilii Achrideni Archiepiscopi Thessalonicensis de controversiis fidei inter Latinos & Græcos habita Thessalonica cum Episcopo Beneventano*, dum Constantinopoli ab Imperatore Manuele Comneno hic Latinus revertere tur: conscripta autem instar Dialogi a Niceta Monacho ἐν τῇ τῶν ἀναπαυωτῶν μονῇ. Hujus initium tale est: Μανουὴλ τοῦ ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστοῦ βασιλεύοντος καὶ Αὐτοκράτορος Ῥωμαίων, τοῦ Κομνηνοῦ καὶ Πορφυρογεννήτου διάγοντος ἐν Κωνσταντινουπόλει, ἱκέτης ἀνὴρ ἐξ Ἰταλίας ἐπίσκοπος Βενεβέντου ἀρετῇ καὶ λόγῳ κεκοσμημένος &c. Meminit hujus Scriptoris, harumque duarum Epistolarum, Leo Allatius Lib. 2. *de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 11. parag. 4. col. 658 Idem ibidem Lib. 2. cap. 18. §. 18. col. 871. ait *Primam & secundam Congressionem cum Latinis de processione Spiritus Sancti, hujus Metropolitani Achrideni*, συνουσίαν extare in Bibliotheca Bavarica Codice MS. CXVI. Petrus Lambecius tomo seu libro V. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag 38. & in Catalogo pag 316. & 365. Cæsar Baronius & Joannes Leunclavius, locis citatis. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 1155. pag. 676.

1150 CONSTANTINUS MANASSES, natione Græcus, scripsit *Synopsim Historicam Versibus politicis*, quæ comprehendit Res gestas ab initio mundi, usque ad Nicephori Botoniatæ imperii finem, vel ad Imperii Alexii Comneni initium, quod in annum Christi millesimum octogesimum primum incidit. Vixit autem ut habet Vossius, octoginta circiter annis postea, nempe circa annum 1150. æræ Christianæ, temporibus Manuelis Comneni Imperatoris, cui diuturnum precatur imperium, ut ille habet in sua descriptione Theodosii secundi. Idemque, ex Lenimate Proœmii conjicimus, cum constet Opus suum Irenæ hujus Manuelis Fratriæ, Andronico nuptæ, nuncupasse. Hi *Annales breves Constantini Manassis*, ex Græcis Latini facti a Joanne Leunclavio, Latine primum prodierunt editi Basileæ apud Episcopium, anno 1573. in 8. Græce & Latine simul a Joanne Meursio, anno 1616 Lugduni Batavorum in 4. apud Pacium. Idem *Breviarium Historicum Constantini Manassis* cum Notis Joannis Leunclavii & Joannis Meursii, cum Lectionibus variis & Animadversionibus Allatii & Fabroti, Græce & Latine editum in folio Parisiis inter Scriptores Historiæ Byzantinæ ex typographia Regia anno 1655. nostris temporibus. Extant hujus Historiæ Codices Græci Manuscripti in variis Europæ Bibliothecis, in Messanensi Ciciliæ, Bavarica Serenissimi Ducis, Codicibus 51. 192. 193. Vaticana ex Codicibus Palatinis Heidelbergensibus, num. 124. & 397. In Anglia inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Græcis Codice 18. & Codice 25. pag. 159. ad 211. Codice 131. pag. 464. ad 492. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 3430. in MSS. Codicibus Norfolejanæ bibliothecæ Codice 531. Et ibidem num. 8554. in MSS. Græcis Jacubææ bibliothecæ Codice 832. & alibi. Denique inter MSS. Codices ejusdem Bodlejanæ bibliothecæ in MSS. Græcis Baroccianis Codice 131. post Theodori Prodromi Epistolas aliquot pag. 172. Extant *Constantini Manassis & Symeonis Metaphrastæ Epistolæ quædam*. In eodem Codice *Manassis de venatione Gruum* pag. 180. Ἱππηλασία δι' ἀέρα καὶ κυνηγεσία. *Ejusdem ad Manuelem Comnenum Epistola* pag. 182. Agunt de *Constantino Manasse* Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 387. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 27. pag. 304. ultimæ editionis.

WILLELMUS de Wycumba ex ordine Canonicorum Regularium Divi Augustini, primum Roberti Betun Herefordensis Episcopi Clericus familiaris, & postea Prior Lanthoniensis Cœnobii in Cambria, ordine quartus, circa annum 1140. extitit. Willelmus 1150
Miles Hugonis de Laci, & Ernisius Capellanus Mathildis Reginæ seculo relicto vitam Eremiticam simul apud Lanthoniam anno 1103. ducere ceperunt, & Ecclesiam ibi construxerunt, quæ in honore Sancti Johannis Baptistæ ab Vrbano Diocœsano Episcopo & Romelino Herefordensi anno 1108. dedicata est. Hujus Ecclesiæ Prior IV. factus Willelmus de Wycumba succedens Roberto de Braci, de quo ita Successio Priorum Lanthoniæ Tomo 1. *Anglia Sacra* pag. 322. ex Historia Lanthoniæ MS. in Bibliotheca Cottoniana *Julius D. II.* Roberto defuncto Willelmus de Wycumba, Roberti

 Epi-

„Epiſcopi Capellanus,canonica electione ſubſti-
„tutus eſt,qui poſt annos aliquot RagiroComiti
„Herefordiæ Cœnobii patrono, ob vellicatam
„peculiari ſcripto Milonis patris formam, &
„Monachis ſuis ob auſteritatem nimiam exoſus
„factus,Prioratu cedere compulſus eſt, & reſi-
„duum vitæ apud Fremam unici Canonici ſo-
„dalitio contentus exegit.“ Scripſit circa an-
num 1150. *Vitam Roberti Betun Herefordenſis Epi-
ſcopi libris II.* anno 1148. 16. Kalendas Maji de-
functi,& anno 1131. die 3. Kalendas Julii conſecra-
ti,cujus Sacellanus domeſticus fuerat, quem ex
MS. Cod. edidit Henricus Warthon Tomo 2.
Anglia Sacra pag 295. deſumptam ex Codice
Lambethano eximiæ elegantiæ & antiquitatis.
Aliud ejuſdem exemplar habet Bibliotheca
Cottoniana *Julius D. II.* ſed longè recentius.
Codex Lambethanus Epiſtolam nuncupato-
riam ad Henricum Wintonienſem Epiſcopum,
Cottonianus ad Reginaldum Priorem (Wen-
locenſem,de quo vide Vitam lib. 2. c. 25.) præ-
fert, in reliquis nulla inter Codices diſcordia.
Ætatem illius anno 1230. malè Baleus & Pitſius
collocarunt, quos ſecutus eſt Gerardus Joannes
Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 58. pag.
470. ultimæ editionis. Certiora dant Succes-
ſio Priorum Lanthoniæ apud *Angliam Sacram*,
tomo 2. pag. 322. Henricus Warthon, a quo
hæc habuimus,in Præfatione ad tomum dictum
num. 13. pag. 16.

1150. „ALANVS CLÆRÆVALLIS MONA-
„CHVS, inde Abbas Ripatorii, quod Hat-
„to Tricaſſinus Epiſcopus anno 1140. fundaret
„demum poſt Hugonem anno 1152. Epiſcopus
„Antiſſiodorenſis, quam ſarcinam ob ſolitudinis
„amorem anno 1167. Alexandro III. Summo
„Pontifice conſentiente abjecit. Scripſit hic
„Alanus compendio *Vitam Sancti Bernardi Clara-
„vallenſis Abbatis*, quam latius antea Guillelmus,
„Arnaldus & Gauſridus poſteà Clarævallis Ab-
„bas quartus degeſſerant, editam præmiſſam-
„que Operibus divi Bernardi, editionis anni 1667.
„Pariſienſis à Joanne Mabillon. Reverſus ad
„Claramvallem *Alanus* ceſſit rebus humanis an-
„no circiter 1184. die 11. Octobris. Pura da-
„bunt Scriptores omnes rerum Ciſtercienſium,
„& Fratres Sammarthani tomo 2. *Gallia Chri-
„ſtiana* in Epiſcopis Antiſſiodorenſibus. Et ad
„an. 1290. Alanus de Inſulis principali Flan-
„driæ Gallican. oppido oriundus, cum Eccle-
„ſiaſticæ Scholæ Pariſiis per annos plures præ-
„fuiſſet, ſeculi pertæſus, Ciſtercium ad conver-
„ſionem ſe contulit, ubi anno 1294. die 30. Ja-
„nuarii mortuus eſt. Scripſit multa, quæ dili-
„gentibus curis inquiſita Carolus de Viſch Cœ-
„nobii Dunenſis in Flandria Prior, collecta ſimul
„anno 1653. in fol. Antverpiæ evulgavit. Cui
„volumini Appendicem addidit ad quoſdam
„Alani libros in MSS. mutilos, ſub finem ſuæ
Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis, in edi-“
tione ſecunda quæ Coloniæ Agrippinæ anno“
1656. in 4. apud Joannem Buſæum procurata“
eſt. Præter impreſſa autem à Carolo de Viſch“
Alani Opera, extat ejus inſigne Opus ſeu Sum-“
ma *Quot modis* appellata: Sic enim in Codice“
manuſcripto & ab authore vocitata eſt, quæ“
juxta ordinem alphabeticum procedens, hoc“
ordine *Quot modis* unaquæque res in bonam vel“
malam partem in Scripturis ſacris accepta fue-“
rit,exponit: opus Concionatoribus idoneum.“
Habetur MS. in parvo 4. in Bibliothe-“
ca Regalis Montis Ordinis Ciſtercienſis, dedi-“
catum Hermengaldo Sancti Ægydii Abbati, cu-“
jus hoc initium: *Reverendiſſimo Patri ac Domino*“
Hermengaldo Dei gratia Sancti Egidii Abbati,“
Alanus dictus Magiſter, ſic in præſenti multi-“
plici inſigniri gratia, ut in futuro præmietur in glo-“
ria. Cum mundus diverſis olim &c. Agunt“
pluribus de Alano Inſulenſi Carolus de Viſch“
in ſua *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis.*“
Joannes Trithemius. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis.*“
Henricus Gandavenſis ibidem, cap. 21. Auber-“
tus Miræus in Scholio ad dictum caput 21. Hen-“
rici Gandavenſis, pag. 166. Antonius Poſſe-“
vinus in *Apparatu ſacro*, & alii.“ Hæc quidem“
ſcripſeram in Supplemento *De Scriptoribus Eccle-
ſiaſticis*, ad annos 1180. & 1290. foliis 455. & 564.
juxta communem ſententiam, quæ duos Alanos
de Inſulis ſtatuit, ambos doctiſſimos viros atque
inſtituti Ciſtercienſis, quibus tamen ſingulis va-
rias occupationes & tempora omnino diverſa
præſcribunt. De hac quæſtione ſpecialem
Diſſertationem inſtituit Carolus de Viſch,
quam editioni ſuæ Operum Magiſtri Alani
præmiſit, quæ anno 1654. Antverpiæ in folio
facta eſt apud Guillelmum Leſtenium & En-
gelbertum Gimnicum. Eandem habet ali-
quanto breviorem in ſua *Bibliotheca Scriptorum
Ordinis Ciſtercienſis* à fol. 12. ad fol. 17. ultimæ
editionis anni 1656. Coloniæ Agrippinæ apud
Joannem Buſæum. Vbi duos fuiſſe Alanos
probare contendit ſed cum aliquanta formidine,
diverſis omnino temporibus diſtantes, ac uno
ferè ſeculo alterum altero anteriorem, nempe
Converſo ſeu fratre Laico Epiſcopum. Deni-
que & aliam doctiſſimam de argumento eodem
Diſſertationem inſtituit Cæſar Egaſſius du Bou-
lay ſeculo 4. *Hiſtoria Vniverſitatis Pariſienſis* fol.
432. & ſequentibus multis, ubi duos quoque
fuiſſe Alanos aſſerit, quibus diverſum etiam
tempus aſſignat. Ita poſt ipſum ſenſeram, ſed
re maturius expenſa, omnibuſque vel autho-
rum de hoc argumento ſcribentium conjecturis
vel rationibus expenſis, ſolo veritatis intuitu
impellente, alteram adverſus meipſum ſenten-
tiam amplecti compellor: tantique ponderis
hoc Critices punctum mihi viſum eſt, ut ſpe-
cialem à me Diſſertationem hanc extorſerit.
Dicam igitur unum tantum fuiſſe *Alanum*,
qui totum ferme ſeculum XII. tenuerit, atque
ab

ab ejus Initio ad a. 1203. vixerit,nec ullam ab his omnibus Dissertationibus vel validam rationem haurire me potuisse, quâ Alanos duos statuere cogerer.

DISSERTATIO
DE
VNICO ALANO RIPATORII ABBATE, ANTISSIODORENSI EPISCOPO, AC TANDEM MONACHO ORDINIS CISTERCIENSIS, APVD CISTERCIVM ANNO M CC III. MORTVO.

CAPVT PRIMVM.

AGITVR ADVERSVS EPITAPHIVM, QVOD VNICVM EST ALANI DVPLICIS DISTINGVENDI FVNDAMENTVM.

Carolus de Visch in Historica Dissertatione *De vita & morte Alani Magni de Insulis, Doctoris Vniversalis*, paragr. 5. hæc verbotenus habet. Chrysostomus Henriquez loco citato, scribit illum supervixisse septuaginta novem annis post Concilium Lateranense memoratum, attigisse aureum annum ætatis 116. ac tandem obiisse cum magna Opinione Sanctitatis,cujus etiam intuitu, eundem Menologio suo Cisterciensi adscripsit, die 30. Januarii. „Quem etiam inter Beatos Ordinis nostri re„censet Joannes Cisterciensis in Catalogo San„ctorum ac Beatorum Ordinis Cisterciensis, „subjuncto veteribus Missalibus ejusdem Ordi„nis. Sed & *Beatum* vocant doctissimus Leo „Allatius Libro *De apibus urbanis*, & Reveren„dissimus Generalis noster modernus in Episto„la jam citata, & alii passim. Quoad annum „obitus,veritatem nobis adstruit antiquum Epi„taphium lapidi sepulchrali incisum,quod etiam „nunc perfectè legitur, hoc tenore.

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivir,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.
Labentis seculi contemptis rebus, egens fit.
Intus conversus, gregibus commissus alendis,
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus,mortales exuit artus.

„Obiit itaque Alanus anno Domini 1294. Hinc „corrige authores omnes,qui scribunt illum flo„ruisse anno 1300. Tumulus ejus marmoreus „conspicitur Cistercii in claustri parte Lævâ „templum ingredientibus : juxta quem in pa„riete duo alia appendent Epitaphia, quæ no„bis exhibet Gaspar Jongelinus in *Purpura San„cti Bernardi* suprà,prout ex originalibus tabellis ipsemet descripsit an. 1624. dum Cistercii esset,& & Beati viri sepulchrum visitaret.

I. Epitaphium.

Ce grand docte Alanus, qui fut tant admirable,
Rend ce lieu de Cisteaux, partout plus memorable.
Car il y fut convers, berger & Serviteur,
Encor y sert d'exemple de vertus & d'honneur.
Donc vous Religieux, Convers, & tous passants,
Imitéz ce Docteur, qui cybas est gisant.

II. Epitaphium.

Subjacet huic lapidi, toti venerabilis orbi,
Alanus Doctor,quem decet almus honor.
Theologis ac Philosophis meritò sociandus,
Vatibus antiquis nec minor ipse fuit.
Egregie scribens, planxit, docuit, reseravit,
Naturam,mores,mystica verba Dei.
Inclyta gesta Jesu cecinit,clarosque triumphos,
Artes depingens, militiamque poli.
Eloquii pictor,morum censor,Citharista
Pyeridum,fidei belligerator erat.
Hic mundum fugiens, sub Relligionis amictu
Vixit, adhuc manet hic: Intumulatus adest.

Nullus opinor inficiabitur,quin Epitaphium secundum & ultimum recentia satis sint, seculumque decimum sextum non oleant,quare illa nobis nihil officiant, nec quicquam de Alani ætate, sed opera tantum utcunque composita enuntient. Igitur de solo primo agitur, quod anno 1294. mortem Alani alligat, & hoc unicum distinguendi duos Alanos,est fundamentum. At illud etiam esse recens dico, atque innovatum & auctum,sub seculi XVI. initium vel medium. Nam antiquum Alani sepulchro insculptum Epitaphium,tres tantum versus continebat,qui an-

anno 1501. vix ob vetustatem ac Lituram legi poterant, quos refert seculum 4. *Historia Universitatis Parisiensis* fol. 437. in hunc modum.

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, totum sibi subdidit orbem,
Scite suum, mores dare, vel retinere nequivit.

Ita refertur ex Matthæi Bonhomme testimonio, qui *Commentarium in Parabolas Alani*, anno 1501. Lugduni impressum edidit, quibus *Compendium vita Alani*, & ejusdem in Cistercio Epitaphium sic præmisit. Ubi tunc tribus tantum versibus constabat, atque ita lituratum à calcantibus erat, ut legi non posset, nisi quemadmodum Matthæus Bonhomme legerat, cum tamen ita legendum esset;

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit,
Scire suum moriens, dare vel retinere nequivit.

Cum igitur ab anno hoc 1501. lituratum esset nimis Epitaphium, illud à fratribus renovatum, atque ad normam veterum Epitaphiorum factum & quatuor versibus auctum est, qui omnem præsenti disceptationi materiam subministrarunt. Addita enim est in quatuor versibus sequentibus, ac recenter additis falsa Chronologia, quod Monachis facillimum fuit, qui tempora atque epochas *Alani* non discusserant.

Labentis sæcli contemptis rebus, egens fit,
Intus Conversus, gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus, mortales exuit artus.

Atque hoc totum confirmatur ex allatis supra a Carolo Vischio, ubi quod anno 1501. vix legebatur, atque divinando nunc uno modo, nunc altero transscriptum fuerat: jam affirmat, *quod etiamnum perfectè legitur, hoc tenore &c.*

CAPUT SECUNDUM.

EPITAPHIUM ETIAM PRO ANTIQUO ET PRIMARIO ADMISSUM, NON VALERE CONTRA TESTIMONIA VETERUM.

Diximus itaque Epitaphium sepulchro *Magistri Alani* apud Cistercium insculptum, olim tribus tantum versibus constitisse, post annum verò 1501. septem versibus lectum fuisse, quod vetustum Matthæus Bonhomme ante suam editionem Parabolarum Alani, cum Elogio illius attulit. At longe isto Epitaphio potior est, qui antiquior, author Chronici Belgici, anno enim 1475. scribere desiit. Ait autem ille *Alanum* apud Cistercienses anno 1201. abiisse. *Anno 1202.* inquit, *Apud Cistercium mortuus est hoc anno Magister Alanus de Insulis, Doctor ille famosus, Scriptor Anticlaudiani, qui in Theologia fecit artem quandam prædicandi, & Contra Albigenses, Valdenses, Judæos & Saracenos libellum edidit succinctum, ad Willelmum Montis Pessulani Dominum.* Nihil succinctius, expressiusque dici poterat ab Scriptore, qui tempore & scriptione, quoad antiquitatem Epitaphium Cisterciense superat.

Sed demus (licet omnino gratis) tantam quantam Cistercienses Monachi optant, Epitaphio suo apud Cistercium ad *Alani* cineres posito vetustatem: illud sanè causam illorum parum juvabit, cum ante annum 1300. factum esse non possit. Agit enim de *Alano* anno 1294. (ut vult) mortuo, cui vix credibile est, ab ipso die quo humo contectus est, appositum fuisse istud Epitaphium. At authores isto Epitaphio antiquiores annis centum, ejusdem cum *Alano* temporis ejusdem Ordinis Cisterciensis, omnes in suis notis acceptissimi & observationibus, & contra quos nemo excipere queat, ante istud Epitaphium annis ad minus sexaginta viventes, asserunt mortuum esse *Alanum* anno 1203. Falsum ergo, *Alanoque* tarde suppositum, mendax istud Epitaphium Lectumne unquam, aut visum arterioribus Ecclesiæ seculis, ut Historici vel Chronologi, de rebus centum annis antequam contingerent, magico spiritu vel prophetico scripserint? Hoc argumenti genus ita demonstrativum, ut ab omnibus etiam acutissimis Criticis infirmari nullatenus possit. Horum Scriptorum primus est *Otho de Sancto Blasio* Abbas in Hercinia Silva, coætaneus authori, qui anno nempe 1190. florebat, quique Appendicem scripsit ad *Libros 8. Chronicorum Ottonis Frisingensis*, incipiens ab anno 1146. quo iste scribere desiit, usque ad annum 1210. Ille autem expressissime meminit *Alani* & *Anticlaudiani*, illum insuper constituens Synchronum atque socium duobus doctissimis Seculi XII. Theologis: *His temporibus Petrus Cantor Parisiensis & Alanus & Præpositivus Magistri claruerunt. Horum prior librum Distinctionum, librum Psalmorum, Evangeliumque unum ex quatuor per continuas glossas subtiliter compilavit, & præter hoc alia multa. Alter verò multa conscribens exposuit, inter alios librum, qui intitulatur Anticlaudianus, & Regulas cœlestis vitæ, & contra Hæreticos, & librum de vitiis & virtutibus & de arte prædicandi, librumque Sermonum suorum, & multa alia sana & Catholica conscripsit.* Florebat igitur annis centum ante allegatum Epitaphium, qui rectè ponitur medius inter *Petrum Cantorem & Præpositivum Cancellarium Parisiensem*, ambos anno 1190. florentes & vivos: quorum primus anno 1190. mortuus est, alter circa annum 1210. ut habet Cæsarius in suis Dialogorum libris, & alii. Alanus autem anno 1203. inter utrumque mortuus, rectè medius ab Othone de Sancto Blasio componitur. Alter te-

testis *Albericus* Monachus Trium fontium Ordinis Cisterciensis, author ut admittit Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* fol. 15. in *Alano* antiquus & gravis, qui in *Chronico* suo disertè scribit *Alanum* hunc obiisse anno 1203. his verbis: *Apud Cistercium mortuus est hoc anno Magister Alanus de Insulis, Doctor famosus, & Scriptor ille Anticlaudiani, qui in Theologia fecit Artem quandam prædicandi: & contra Albigenses, Waldenses, Judæos & Saracenos, libellum edidit succinctum, ad Guillelmum Montis Pessulani Dominum, & alia quædam ipsius habentur Opuscula.* Hucusque *Albericus*, qui Chronicon suum usque ad annum 1241. produxit. At quomodo qui anno 1241. scribebat, poterat per anticipationem scribere *Alanum* anno 1203. esse mortuum, si anno demum 1294 mortuus est? Solvant nodos istos, qui ista defendunt. Unde rectè ad hanc authoritatem Carolus Vischius fol. 16. *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* ita loquitur. „Hinc sequitur, vel erroneum „esse Epitaphium sepulchrale Alani, graviter„que errore Trithemium, aliosque omnes Do„ctores eidem consentientes, vel certè vitiatum „*Alberici Chronicon, & Commentaria in Merlinum* „memorata, alterius esse authoris. Id quod „etiam tanquam probabilius secuti fuimus in „Relatione Historicâ, quam Operibus *Alani* nu„per impressis præfiximus, eidem cætera omnia „conformiter applicantes. Quanquam etiam „in alia sententia dici posset, Concilium cui „*Alanus* legitur interfuisse Romæ (ubi & agni„tus fuit) fuisse Lateranense III. anno 1180. sub „Alexandro III. celebratum. De hac difficul„tate scripsi Cistercium, & ad alios diversos vi„ros doctos, sed resolutionem habere nequivi: „quare donec certius aliquid habuero, Epita„phio credendum censui.“ Hæc Vischius verbotenus in editione ultimâ suæ Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis, post Dissertationem à se factam *De Alano* ad Opera Magistri Alani à se edita: quibus innuit quantum dubitaret de *Cisterciensi Epitaphio*, ac consequenter de *Alani* morte per illud ad annum 1294. dilatâ. Addatur tandem & tertius contra istam Epitaphii assertionem testis idoneus & maximi meriti, quem Cæsar Egassius du Boulay Seculo 4. Historiæ Universitatis Parisiensis fol. 434. refert in Dissertatione Singulari, quam *De Alano Insulensi* scripsit, cum propriis Egassii verbis.

„Accedit Henricus Gandavensis, Doctor Pa„risiensis & Sorbonicæ domus (ut ajunt) alu„mnus, qui ante annum 1270. studebat Parisiis, „& obiit Tornaci, anno 1293. *Alanum* istum no„strum reponit in serie virorum illustrium, qui „hoc seculo floruerunt, ab anno scilicet 1110. ad „annum 1200. & de eo sic scribit in libro *De Scri„ptoribus Ecclesiasticis* cap. 21. *Alanus Insulis ori„undus liberalium artium peritus, Parisius Ecclesia„stica Scholæ præfuit, & ingenii sui monumenta relin„quens, scripsit Summam ad prædicationis officium utilem: & quia metrô multum claruit, scripsit me„tricè Poëticeu, excogitata materia de viro optimo & „in omnibus perfectissimo, quem librum vocavit, Anti„claudianum &c.*“ Quid contra horum virorum authoritatem afferri possit, non video. Quo pacto enim uterque, (nempe Otho de Sancto Blasio de quo supra, & Henricus Gandavensis) meminisse potuerunt *Alani* & *Anticlaudiani*, si utroque posterior centum annis, *Alanus* fuit? Quis credat Henricum Gandavensem, repositurum eum fuisse inter viros Seculi XII. illustres *Alanum*, si suo tempore florentem in Scholis Parisiensibus alumnum vidisset? Hinc patet autem, quam parum firmi in sententia suâ fuerint, qui Alanos duos admiserunt, anno 1182. alterum, alterum anno 1294. mortuum. Illi etiam qui singulares de hoc argumento Dissertationes scripserunt, ut Cæsar Egassius Bullæus & Carolus Vischius, de quibus supra. Pergit idem Bullæus: Unde Gaspar Barthius in Notis ad Guillelmum Britonem ad versum 546. *Ericio simile &c.* disertè agnoscit Alanum in authores„hujus seculi duodecimi, sic enim ille. *Compen„dio quadam scripta illius adjeci, præter propter tem„pora Britonis nostri, ab Alano Lib. 6. Commentario„rum in Prophetiam Merlini. Dixi avo hoc autho„rem illum scripsisse, cui qui contradicunt, eruunt: cùm „sub annum 1194. expressim eundem collocet Otho de „Sancto Blasio, additione ad Frisingensem cap. 40.“ etiam Anticlaudianum ejus commemorans. Opera„autem viri, qua editione digna sunt, mirum cur hacte„nus lateant, cum multo minoris frugis elatros per„rumpant. Non sunt autem tantum ea, qua à Cata„logorum Scriptoribus memorantur: sed ipsemet vidi„ingentem Commentarium de ratione metrorum & „syllaborum in Bibliotheca Basileensi, cum testimonio„authorum adscriptu, cujus nullum meminisse Nomen„clatorem memini.*“ Et ad versum 52. Libro 7. Latere plano &c. „*In casum negligit syllabam, ut„singulis paginis, sic sæpe alii: & in Anticlaudiano„opere circa eadem hac tempora scripto, Alanus Insu„larius, universalis Doctor dictus, quem apud Cister„cium anno 1202. mortuum adnotat author Chronici,„quod Magnum Belgicum indigitant.* Sufficiunt„ista, cum in ore duorum vel trium testium stet„omne verbum.“

CAPUT TERTIUM.

MULTA ALIA IN GRATIAM ALANI AB AUTORIBUS NUPERIS CONFICTA, QUÆ NULLO VERITATIS AUT VERISIMILITUDINIS FUNDAMENTO NITUNTUR.

Carolus Vischius in Relatione historicâ *De Vita Alani Magni*, habet tres paragraphos, in quibus multa stupenda & prodigiosa refert, queis *Alanum* commendet, quæ firmius ab ipso probari optassem. Ac paragraphus secundus inscribitur, *Qua occasione Magister Alanus relictâ Parisiensi Universitate, habitum Conversorum in Ci-*

Cistercio assumpserit. Narrat ibidem Miraculum, sed cujus nullum testem alium profert, quam Joannem Buzelinum Jesuitam in *Gallo-flandria* suâ tomo 2. lib. 7. ad annum 1294. Vult hanc eandem Historiam, sed simplici omnino stylo descriptam, penes se habuisse in Proœmio cujusdam *Commentarii in Parabolas Alani*, à centum & quinquaginta annis, Lugduni typis editam, ad initium Codicis anno scilicet 1501. sine nomine authoris, sed quem jam constat fuisse Matthæum Bonhomme. Quia tamen ex lectione ejus, ventrem sibi disrumpere præ risu Lectores poterant, ac irridere & fabulosum portentum & Vischium: rectè & prudenter primam hujus Operis omisit impressionem Vischius insulsam atque Barbaram, ut purissima Joannis Buzelini latinitas magis credibilem, minusque ridiculam fabulam redderet. Non ita tamen scrupulosus fuit Cæsar Egassius Bulæus, quæ Seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis* fol. 436. has historias propriis primi inventoris verbis adducit. Nec mirum, cum nullum inde ei damnum, commodumve imminere possit. Qui igitur has fabulas credibiles fore ex comptâ Joannis Buzelini latinitate opinatus est Vischius, has absurdas & fide & verbis ex relatu Matthæi Bonihominis Monachi Cisterciensis audiat, qui *Commentarium in Parabolas Alani* anno 1501. Lugduni impressum edidit, in cujus fronte *Quæ Caussa fuerint Alani ad Cistercienses conversi*, his verbis commemorat.

„Author hujus libri vocabatur Alanus, de „quo legitur, quod cum quadam die studeret „Parisius, sciens septem Artes liberales, nec-„non Leges atque Decreta, suam scientiam „proposuit exponere, & in aliquem fructum „redigere seu explicare. Et cum in crastinum „*De tota Trinitate* prædicare vellet, & scientiam „& notitiam veram de illa curtis audientibus „exhibere: ipso pergente ad spatium prope ri-„pariam riviere quandam, cogitans qualiter „onus propositum complere posset, quendam „puerum reperit, qui tenens unam cochlear in „manu, fecerat unam parvam foveam, modi-„cam procul ab aqua. Et hauriens aquam „cum suo cochleari, portabat ad foveam quam „fecerat: & instanter sicut puer apposuerat: „aquam in fovea, aqua in terram intrabat, quia „locus erat arenosus. Quod videns *Alanus*, „dixit puero: o puer, quid hic agis? Et puer „respondens dixit: *Totam istam ripariam in fo-„veam meam ponere proposui, nec cessabo quous-„que propositum meum implevero.* Cui Alanus, „*quando putas fecisse? Opus tuum licet sit puerile*, „*tamen est impossibile.* Cui puer, *Hoc citius fe-„cero, quam tu propositum tuum adimpleveris.* Et „Alanus respondens dixit, *Quid enim propo-„sui facere?* Et puer dixit, *Tu proposuisti eras de-„clarare totam Trinitatem, per tuam scientiam in „prædicatione, quod est magis impossibile tibi.* Quod „audiens Alanus, multum territus, reversus domum, & dicta pueri in se memorans, mul-„tumque dolens & tristis, suam præsumptio-„nem sive arrogantiam recognovit. Adveni-„ente vero die crastina & hora prædicationis, „ubi multitudo magna populi fuerat congre-„gata, Alanus adscendens cathedram dixit loco, „thematis, *Sufficiat vobis vidisse Alanum:* Vere-„cundia suffusus, pergere nolens Parisius, trans-„ivit in Burgundiam, & in quadam Abbatia „Cistercium nomine pastor, ovium fuit, & de-„inde conversus fuit ipsius Abbatiæ, ad modum „laici. Hæc est ratio & caussa conversionis. „Continuo autem idem Bonushomo seu Bonhomius commentator narrat, quomodo Romam profectus fuerit, Hæreticos confuderit, & pro *Alano* tandem recognitus fuerit. Ac-„cedit, quod Romæ quidam Hæretici advene-„rant, qui per sua argumenta falsasque syllogi-„zationes, totam fidem Catholicam subverte-„bant. Quapropter Papa mandavit omnes „Prælatos, Abbates, Doctores, & Clericos to-„tius Christianitatis Romam venire, quate-„nus dictos Hæreticos confunderent. Quod „Abbas magister *Alani* audiens, *Alano* relicto „in Abbatia, voluit Romam pergere. Tum „*Alanus* qui jam sensum recuperaverat, dixit „magistro suo, *O Domine, me tædet hic stare, &* „*diu est, quod Abbatiam non exivi: quapropter hu-„militer deprecor ut vobiscum pergam Romam, &* „*bene serviam vobis, optimeque pensabo pensor un*„*cheval de equis.* Tunc Abbas pergens Romam, „duxit secum *Alanum*. Adveniente autem die „disputationis, Abbas voluit intrare locum dis-„putationis, cum quo *Alanus* voluit intrare. „Cui Abbas dixit, *Vade ad hospitium & pensa de* „*equis, quia locum istum non posses intrare, propter* „*custodes & clientes hic existentes, qui non simul in-„trare nisi Prælatos & magnos Clericos, & posses ver-„berari.* Cui *Alanus* dixit, *Volo verberari ut in-„trem:* & supponens se clamidi seu cappæ sui „Magistri, intravit dictum locum, & ipse sedens „ad pedes sui Magistri, audivit disputationem. „Hæretici vero proponentes quæstiones, Chri-„stianos superaverunt & vicerunt. Quod vi-„dens *Alanus*, exivit latebras, dicens Magistro „suo, *Jube Domine benedicere:* & Abbas stupe-„factus dixit Alano, *Sile miser, quid vis facere?* „Tunc *Alanus* intravit dicens ut prius, *Jube Do-„mine benedicere*, usque ad tertiam vicem: quod „videns Papa permisit eum arguere. Et *Ala*„*nus* recitans quæstiones per dictos Hæreticos „motas, arguit & confudit illos. Quod videns „Hæreticus dixit confusus, *Tu es Diabolus aut* „*Alanus*. Cui *Alanus* respondit, *Non sum dia-„bolus sed Alanus.* Tunc Abbas Magister suus „voluit sibi suam dignitatem donare, quam *Ala*„*nus* suscipere noluit: sed per papam & Abba-„tem fuit sibi concessum, ut duos Clericos ha-„beret in dicta Abbatia, qui Clerici libros, quos „ipse dictaret, sub se scriberent. Ubi plures „libros fecit, inter quos fecit istum qui incipit, „*A phebo phebe* &c. *Alano* autem mortuo, fuit „sepul-

„sepultus in dicta Abbatia, super cujus tumu-„lo scribuntur isti versus.

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit,
Qui duo qui septem, totum sibi subdidit orbem,
Scire suum, mores dare vel retinere nequivit.

CAPUT QUARTUM.

PRÆDICTA COMMENTA UT NOVA CONFUTANTUR.

HÆc quidem inventa præclara sunt, plurimumque ad *Alani* commendationem facerent, si vera illa essent. Primus ista expressit Matthæus Bonihominis seu Bonhomius in Præludiis ad *Commentarium suum in Parabolas Alani* editum anno 1501. Lugduni in Gallia: qui quantæ fidei sit, ex ipsa rerum textura vel lectione narrationis, quisque judicio præditus agnoscet. Hunc erubuit inserere Dissertationi suæ *De vita & morte Magistri Alani Insulensis* Carolus Vischius paragraphu 2. qui Joannem Buzelinum grandiori latinitate has fabulas enarrantem exscripsit. *Hanc eandem historiam* (inquit) *sed simplici omnino stylo descriptam penes me habeo, in Procemio cujusdam Commentarii in librum Parabolarum Alani, a centum & quinquaginta annis, scilicet 1501. sine nomine authoris, Lugduni typis editi. Refert & eam Chrysostomus Henriquez in Menologio ad 30. Januarii, ubi dicti Commentarii authorem nominant Matthæum Bonhomium, unde tamen nomen hoc hauserit, non exprimit. Sed & Trithemium, Antonium du Verdier, & plures alios tam antiquos quam recentiores hanc legisse, satis colligitur ex testimoniis illorum, quæ supra posuimus. Denique Alanum fuisse Cistercii pastorem ovium & alia servilia Conversorum opera ibidem exercuisse, convincunt antiqua ejusdem Epitaphia, quæ infra referimus.* Hæc Vischius citatus. Hæc quidem præclara sunt, sed utinam vera essent. Nulli dubium, quin successu temporum multa a Monachis ac nebulonibus scriptoribus chartæ mandata sint, quæ puræ phantasiæ, fabulæ, aniles, & summa inertis capitis ipsissima sint: qualia sunt ea, quæ de *Alano* narrantur. Non attendunt ejusmodi impostores, quod dum stupenda ista absque legitimis testibus in gratiam Alani conversi in medium adducunt, stupidam Ecclesiæ ignorantiam adtribuunt, quæ in plenario atque (ut volunt) nobilissimo Lateranensi Concilio Romæ anno 1180. habito, dum coram insigni Antistitum ac Doctorum virorum multitudine ab Hæreticis vinceretur, ope atque scientia unius laici Ordinis Cisterciensis, ut orthodoxam fidem factam tectam servaret, indiguit. Quis tale unquam portentum audivit? Dum ejusmodi homines Commentis Alanum elevant, Ecclesiam & Concilium Universale deprimunt: dumque Conversi fratris atque ovium pastoris singularem prædicant scientiam, celeberrimam Synodum faciunt bardam ac stupidam. Porro qui primi has fabulas intulerunt, ad stabiliendam illarum fidem non sunt idonei, ob imberbe suum mentum, atque tempora sequiora. Unicum hoc vobis axioma seu pronuntiatum, gravibus viris firmiter infixum: *Quod de tam antiquis rebus dicitur, contemnitur, dum non probatur.* Appellamus autem *probare*, quando rem factam per idoneos testes, synchronos nimirum vel oculatos adstruimus, de quorum ingenio, judicio, gravitate, & probis moribus, constat. At in istorum in gratiam Alani somniorum allegatione, nihil ejusmodi. A Concilio Lateranensi III. celeberrimo, quod anno 1180. factum est, ad annum 1501. primus Matthæus Bonihominis ista scripsit, homo simplex ac credulus, ut ex ejus narratione constat, qua se vere & cognomine *Bonumhominem* ostendit. Nec Trithemius allegari potest, in gratiam fabularum istarum, nisi a malæ fidei hominibus. Nam in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem anno 1494. complevit, de *Alano Insulensi* loquens, se de illo *Miranda* supprimere ait, quibus fidem non adstruebat. Sic autem loquitur, *Miranda quædam de eo narrantur, quibus ego fidem nec adstruo, nec temere infringo:* neutiquam igitur his somniis favit. Joannes Bucelinus Jesuita, homo dictionis comptæ ac eloquentis, sed temporis recentioris, anno 1626. extinctus. Chrysostomus Henriquez, aliique Cistercienses alumni, absque negotio laudes *Alani* commonachi sui prompte amplexi sunt, uti commodas Ordinis sui encomio & elevationi, sed quid ad rei veritatem? Quod de tam antiquis rebus dicitur, contemnitur, dum non probatur. Denique ut fabulam hanc, ad *Alani* honorem atque ad opprobrium Ecclesiæ inventam, uno ictu persudiam atque enecem, nulla ab ullo authore antiquo illius mentio, nulla in Actis Concilii memoria. Si enim ulli Concilio, in quo Alanus Hæreticos confunderet, adfuit, vel Lateranensi III. Generali sub Alexandro III. anno 1180. quod verisimilius est, vel alteri Lateranensi IV. Generali sub Innocentio III. anno 1215. approbato. At utrumque & falsum absurdum est. Nam quoad ultimum Lateranense IV. anno 1215. habitum, tanti meriti tamque copiosi concursus fuit, ut mille ducenti octoginta vel Episcopi vel Abbates vel Doctissimi viri eo convenerint, moribus plerique insignes, illustres omnigena doctrina plures, cujus temporibus amplissima scriptorum phalanx. Sed nullus qui ex immensa hujus temporis scriptorum nube, de tanto *Alani conversi* prodigio loquatur, nec vel elementum de ista re in Actis Concilii: unde somnium istud Monasticum censendum est, quis enim tam portentosam miraculi ostensionem, in tam celebri Concilio factam, siluisset? Videant, qui vel tantillum judicio pollent. Idem de Lateranensi altero sub Alexandro III. anno 1180. censendum, quod Lateranense Generale III. dicitur, cui trecenti vel circiter Episcopi

piscopi doctissimi, innumera Scholasticorum totius Europæ præstantissimorum multitudo aderant. At nullus de tanto per *Alanum* accepto beneficio, seu de confusis ab ipso aut convictis Hæreticis loquitur. Denique quam Monachalis & absona ista narratio, *Et diu est quod Abbatiam non exivi, quapropter humiliter deprecor ut vobiscum pergam Romam, & bene serviam vobis, optimeque pensabo de equis?* Quasi vero, quod Laicus ab aliquanto tempore e Cœnobio non exiisset, inde Romam eundi facultatem recte peteret? Quid quæso sibi volunt ignaræ & Barbaræ istæ voces, *& optime pensabo de equis?* Quid absurdius autem & monachalius, quam *Alanum* ut in Concilii cœtum intraret, *abscondisse seipsum sub chlamyde Abbatis Cisterciensis?* Tales ne unquam in Historia Ecclesiastica auditæ nugarum tragœdiæ? Addamus & rideamus. Pergit, *Et ipse sedens ad pedes sui Magistri, audivit disputationem* &c. & continuo: *quod videns Alanus, exivit latebras, dicens Magistro suo, Jube Domine benedicere.* Qui *jam sedebat ad pedes Magistri sui*, absque dubio *exiverat latebras:* nisi tanta Abbatis Cisterciensis tunica fuisset, ut *Alanum* etiam ad pedes ejus sedentem obtegeret, unde repentino motu prodierit abditus, ut Hæreticos confunderet. Sed hoc contrarium atque adversum antiquis Cisterciensium moribus ac vestibus, quibus chlamydes seu tunicæ breves atque angustæ, vix operiendo corpori idoneæ, multo minus quæ Alanum subtus latentem occultarent. Jam quid sibi rustica ista alloquia volunt, *sile miser, quid vis facere?* Mitto innumeras hujus fabulæ absurditates, quæ illam omnino exsufflant, paucaque ista dixisse sufficiat.

Unum hic serio dicas, fabulas istas in Ecclesiasticis libris lectas, Ecclesiæ non minus quam hæreses nocere: dum enim Heterodoxi aliunde male affecti illas legunt, has crede ab omnibus Pontificiis opinantur, omnemque eorum Communionis fidem opinantur, esse quisquiliarum ejusmodi ac imaginationum phantasticarum. Unde honori Sanctæ conduceret Ecclesiæ, fabulas tales atrocibus etiam verbis obtundi, ac si fieri posset, omnimode supprimi. Annon ingens Synodo Lateranensi probrum ac dedecus, sive III. sive IV. sit, asserere tot Episcopos ac Theologos, subsidio fratris Laici Cisterciensis & opilionis indiguisse, ut Hæreticos confuderet.

CAPUT QUINTUM.
ALIÆ SENTENTIÆ DE VITA ET MORTE ALANI INSULENSIS EXPENDUNTUR.

Cum non concordent Historici, deque tempore quo vixit aut mortuus est *Alanus* quam maxime variaverint: alias duas præterea opiniones referre hic non pigebit, ad omnimodam præsentis rei discursionem. Tertia igitur fuit sententia Johannis Trithemii, qui in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ait eum *Alanum* floruisse sub Alberto Imperatore anno 1300. Secuti sunt Trithemium plurimi, Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*, Lilius Giraldus *Dialogo 5. de poetis*, ubi de Anticlaudiano, his verbis. "Est *Anticlaudianus* contra Claudiani" Rufinum liber ab *Alano* compositus, qui ob" multijugam quam in eo admirabantur Germa-" ni disciplinarum cognitionem, UNIVERSA-" LIS DOCTOR est cognominatus. Scripsit" hic & *De planeta natura*, & eruditionem qui-" dem præ se fert ubique, sed stylum habet in-" conditum, & inquinate loquitur. Fuit hic" Germanus ex Insulis, præsuitque aliquandiu" Lutetiæ, per tempora Adulphi, & mox Alber-" ti Imperatorum, anno circiter 1300. Videtur" hic author nihil unquam legisse de *Alano* nostro, quem dicit habere stylum inconditum, & inquinate loqui: cum certum sit paucos fuisse eo præstantiores, non modo temporibus iis quibus vixit, sed etiam consecutis. Hæc Egassius Bullæus. Antonius Possevinus Jesuita ex eodem fonte Trithemiano hauriens, veritatem non ultra scrutatus aut sollicitatus, ait scripsisse *Alanum in 4. libros Sententiarum M. Petri Lombardi, Oculum sacra scriptura, de doctrina &c. & tandem vixisse sub Alberto Imperatore circa annum 1300.* Joannes Gerardus Vossius idem sentit libro de Poetis Latinis, *Anno* inquit, *1300 sub Alberto Cæsare fuit Alanus de Insulis Teutonicus, conscriptor, operis contra Claudiani Rufinum, unde Anticlaudianus vocatur. Hic est ille qui vocatur DOCTOR UNIVERSALIS.* Idem fere scribit omnis recentiorum authorum turba. Verum hanc sententiam, unica hac conjectura seu ratione obtundere possum, quod Magister Willelmus Brito, qui sub Philippo Augusto floruit & scripsit, Gualteri & Ægidii insignium Poetarum meminerit, nullam vero usquam de *Alano* mentionem faciat: quem certe non præteriisset, si tunc inter Poetas celeberrimus & excellentissimus habitus fuisset.

Contra alii Alanum Insulanum seculo XII. floruisse & vixisse contendunt, sed quis ille fuerit, quodque vitæ genus amplexus fuerit, non consentiunt. Nonnulli eum fuisse Monachum Claravallensem scribunt, deinde Abbatem Ripatorii, Gallice *de la Rivour* in agro Trecensi, tum Antissiodorensem Episcopum, postremo ad Claram Vallem rediisse, ibique extremos vitæ dies egisse anno 1182. Cujus sententiæ est Aubertus Miræus in scholiis ad Henricum Gaudavensem in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 21. Alanus, inquit, Insulensis, Galloflan-" der ob multiplicem doctrinam nuncupatus" DOCTOR UNIVERSALIS, ex Theologo" Parisiensi Monachus Claravallensis, anno" 1139. constitutus est a Sancto Bernardo pri-" mus Abbes Ripatorii, in Diœcesi Trecensi." Exinde ob pietatem atque eruditionem anno" 1151. creatus est Episcopus Antissiodorensis," sed

„sed veteris solitudinis desiderio factus, anno „1167. permittente Alexandro Romano Pontifice, ad ClaramVallem rediit, ut Robertus „Chronographus Antissiodorensis narrat, & „ibidem sub annum 1182. obiit sepultus in eodem Monasterio, juxta Goffridum Episcopum „Lingonensem. Camuzatus in Notis marginalibus ad Chronicon Roberti Antissiodorensis dicit, hodieque in Ripatorio adservari testamentum Alani scriptum anno 1182. Idem ajunt fratres Sammarthani in *Gallia Christiana*, idemque Historia Cisterciensis. Camuzatus quidem hæc habet, ad marginem Chronici Antissiodorensis: *Ripatorium Larivour, Cœnobium est Ordinis Cisterciensis, duabus leucis ab Vrbe Tricassina distans, in quo hodieque asservatur testamentum Alani scriptum anno 1182. Cujus etiam sepulchrale monumentum adhuc visitur in Ecclesia Claravallensis Monasterii, ubi perperam in tabula juxta tumulum appensa, est notatum ipsum obiisse anno 1181.* Porro quantum ad Scriptores, qui volunt *Alanum* anno 1300. sub Alberto Imperatore floruisse, omnes recentes sunt: quorum primus est Trithemius, unde fidem non merentur, quippe qui facile potuerunt falli, contra Veterum fidem, qui *Alanum* hunc floruisse seculo XII. statuunt, ut supra diximus. Fatemur autem cum ultimis *Alanum* Doctorem Vniversalem dictum, seculo XII. floruisse, imo & esse eundem cum Episcopo Antissiodorensi, qui anno 1167. ut scribit Robertus Antissiodorensis in Chronico, ClaramVallem, resignato Episcopatu redit. Sed negamus mortuum esse an. 1181. ut scribit tabula appensa contictio ejus tumulo apud Claram Vallem, volumusque supervixisse usque ad annum 1203. quo veteres Scriptores omni fide majores *Alanum* mortuum tradunt. Imò tabella ista appensa jactato *Alani* tumulo nova est, ut ex compositione illius constat, quam refert Camuzatus in *Miscellaneis Historicis*: ac post ipsum Seculum 4. *Historia Vniversitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum fol. 719. Ibi autem nec Syllaba quidem una quæ notet Alanum anno 1181. mortuum, sed ubi tantum legitur, *Obiit pridie Idus Octobris.* De testamento *Alani* anno 1182. scripto, & apud Ripatorium asservato, quin illud suppositum instrumentum sit, nullus dubito. Quid enim juris Monacho humili qui amplissimum Episcopatum ut pauperrimus viveret, abjecerat, ad faciendum testamentum? Præterea cur condidit testamentum apud Ripatorium, qui pauper vel Cistercii vel Claræ Vallis Monachus fuit? Denique ex quo quis testamentum condidit, non confestim moritur: potuitque *Alanus* pauper Monachus factus, anno 1182. infirmitate aliqua apud Ripatorium pressus, testamentum condidisse: unde postea convalescens, annos vitæ usque ad annum 1203. quo ab antiquis mortuus dicitur, protraxerit. In his omnibus contradictorium nihil, imo omnia consonant, si senem Alanum statuamus, uti omnes censent.

CAPVT SEXTVM.

INSIGNIORES VITÆ ALANI INSVLENSIS EPOCHÆ ENVNCIANTVR.

NAtus itaque *Alanus* anno circiter Seculi duodecimi XIV. Insulis Vrbe primaria Flandriæ Gallicanæ. Ac primum ipsemet *Alanus* disertis verbis, se in Flandria apud Insulas natum declarat, sic enim ille Lib. 5. Commentariorum in Prophetias Ambrosii Merlini fol. 198. editionis recentioris Antverpiensis. *Vidi & ego in Flandria cum puerulus adhuc essem, apud Insulam unde natus sui, fœminam quandam maleficam, quæ in maleficio suo comprehensa &c. tempus illud fuit quo Comes Theodoricus ab Insulanis hominibus, Gaudensibus quoque atque Brugensibus advocatus erat è terra sua in Flandriam, tanquam legitimus Flandriæ hæres &c.* At Theodoricus ille cognomento *de Alsatia*, Filius Theodorici strenui Lotharingiæ Mosellanæ Ducis Filius, accersitus & electus est Comes Flandriæ anno 1128. ut in Annalibus Flandrensibus legitur, quo tempore *Alanus* adhuc erat puerulus. Vox tamen illa in rigore accipienda non est pro infante octenni vel decenni, sed per comparationem ad senilem ætatem, in qua *Alanus* hunc Commentarium scripsit. In provecta enim ætate scribens in Prophetias Ambrosii Merlini, potuit appellare se *puerulum* tempore illo quo Theodoricus Alsatus ad Comitatus Flandriæ regimen appellatus est, dum annos circiter quatuordecim vel sexdecim attingeret, anno 1114. vel circiter natus.

Anno circiter isto 1128. factus apud ClaramVallem sub disciplina Divi Bernardi Monachus, qui multos electioris præsertim ingenii & litteraturæ Flandros adolescentes ad se traxit: à quibus eximiè adjutus est in fundatione plurimarum Abbatiarum sui Ordinis. Huic autem *Alano* rectè tribuuntur *Commentaria hæc in Prophetias Merlini Angli*, sub cujus etiam nomine impressa fuerunt Francofurti anno 1608. typis Joannis Spiessii in 8. sub hoc titulo: *Prophetia Ambrosii Merlini &c. unà cum septem libris explanationum in eandem Prophetiam, excellentissimi sui temporis Oratoris, Polyhistoris & Theologi, Alani de Insulis, Germani, Doctoris universalis & Academiæ Parisiensis ante annos trecentos Rectoris amplissimi.* Nam in his Commentariis, *Alanus* de seipso loquens, se fuisse alicujus Ordinis alumnum fatetur, ex lib. 2. fol. 61. ubi dicit: *Abbas quidam de Ordine vir litteratus &c.* Deinde expressè dicit fol. 198. se oriundum fuisse Insulis in Flandria, his verbis: *Vidi & ego in Flandria cum puerulus adhuc essem &c.* ut supra retulimus.

Anno 1139. vel 1140. Riparorium in agro vel Dioecesi Tricassina Ordinis Cisterciensis, ab Hattone Episcopo fundatur die 9. Aprilis temporibus divi Bernardi Claræ Vallis Abbatis, qui illic *Alanum* in primum Abbatem, annos circiter 30. natum, constituit. Hæc constant ex tomo 4. *Galliæ Christianæ* Fratrum Sammarthanorum, fol. 790. verbo, *Ripatorium*. Ex Chronologia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, quam ad calcem suæ *Bibliothecæ Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, adjecit Carolus de Visch Prior Dunensis, atque ex *Bibliotheca* eadem verbo *Alanus Antissiodorensis Episcopus*, fol. 12.

Anno 1151. *Alanus* ex Abbate Ripatorii Episcopus Antissiodorensis instituitur, nam ita scribit Robertus Sancti Mariani Antissiodorensis Chronographus, qui eundem Alanum videre potuit: *Anno 1151. obiit Hugo Antissiodorensis Episcopus, vir moribus & scientia clarus, cui successit Alanus Ripatorii primus Abbas.* Quisquis autem plenius nosse voluerit præclara omnia quæ in Episcopatu gessit, legat *Galliam Christianam* Sammarthanorum Fratrum tomo 2. pag. 276. verbo *Antissiodorenses Episcopi*, ubi prolixe satis describuntur.

Anno 1167. ubi scribit Robertus Chronographus citatus ad dictum annum, *Alanus Episcopus dimisit Episcopatum suum, cui successit Willielmus Antissiodorensis Ecclesiæ Thesaurarius & Senonensis Archidiaconus, frater autem Hugonis ejusdem Ecclesiæ Archipræsulis.*

Anno 1180 Alanus qui apud Claram Vallem reversus, cum Petro Claræ Vallis Abbate Romam ad Lateranense Concilium III. proficiscitur, non eo insolenti modo atque absurdissimo quo supra dictum est, *ut pensaret de equis Abbatis Claræ Vallis*, quemadmodum insulse scribit Matthæus Bonihominis; Sed cum esset magni nominis Theologus, miræ virtutis Monachus, qui quantum in Ascetica vitâ posset, insignem Antissiodori Episcopatum ejurando, ut simplex Monachus viveret, ostenderat. Hunc igitur clarissimum virum, sibi in socium itineris, Petrus Abbas Claravallensis adjunxit, cujus societate non modicum apud venerandos hujus Concilii Patres ac Theologos splendorem ac famam habuit. Illic ut probabile fat est, à Summo Ecclesiæ Pontifice Alexandro III. scribendi contra Valdenses aliosque temporum istorum hæreticos, mandatum habuit. Alanus autem, circa idem tempus compendio scripsisse videtur *Vitam S. Bernardi Claræ Vallensis Abbatis*, post celeberrimos tres aut quatuor Scriptores, Guillelmum Abbatem S. Theodorici, Arnaldum Abbatem Bonæ Vallis, & Gaufridum Claræ Vallis Abbatem IV. omnes scriptis plurimis insignes viros. Factum Opus istud, Abbatique Petro Claræ Vallis dicatum, quem Abbatiam hanc ab anno 1179. ad 1186. tenuisse constat. Igitur Opusculum istud intra hoc tempus ab Alano compositum.

Ex Concilio Lateranensi ubi contra Waldenses & Albigenses aliosque hæreticos actum fuit, reversus: Scripsit *Summam libris IV. contra Waldenses, Albigenses, Judæos & Paganos*, quam male *super 4. Libros sententiarum* Opus quadripartitum appellat Thomas Waldensis tomo 2. *Doctrinalis fidei*, cap. penultimo. Latuit dudum Opus istud in tenebris, sed tandem è Bibliotheca Papirii Massonii primum in lucem prodiit Parisiis anno 1612. ac tandem in editione Operum omnium Alani anno 1654. Cum autem esset mutile productum, Carolus Vischius ex fide MS. Codicis Bibliothecæ Cisterciensis, ultimos duos libros *contra Paganos & Mahumetanos* edidit, ad calcem suæ *Bibliothecæ Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, ultimæ editionis anni 1656. Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Busæum Bibliopolam. In hujus Prologo sic Alanus habet, *Amantissimo Domino suo Willelmo Dei gratia Montis Pessulani Principi, quem non solum generosi generis titulus insignit, verum etiam generosior mentis generositas prainsignivit, Magister Alanus in omnibus & per omnia suus, Opus suum. Cum inter universos mundi principes, te videam specialiter indutum armis fidei Christianæ, nec naviculam Petri inter tot tumultuantes hujus seculi procellas deserere videaris, hoc Opus de fide Catholica conscriptum, tuæ discretioni devoveo consummatum.* Guillelmus autem ille Montis Pessulani Dominus, cognominatus *Sybilla* à matre sua Sybilla, adversatus est Comiti Tolosano, & anno 1158. cum Anglis Tholosani obsedit, Alexandrum III. anno 1162. excepit, & anno 1174. Mathildem Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris filiam duxit uxorem. Assertor fuit Catholicæ fidei contra Albigenses ut opinabatur hæreticos, ut legitur in Historiâ Auxitanâ, mortuus anno 1202. eodem quo Alanus mortuus dicitur. Illi ergo Guillelmo *Alanus* Opus suum contra Waldenses dedicavit, de quibus loquitur libro 2. his verbis: *Quomodo litteras noverunt Waldenses, qui non didicerunt? Videntur enim Sanctiores eis non prædicare, qui etiam intellectum habent sacræ Scripturæ, ut multos Cistercienses, qui missi non sunt.* Et alibi meminit Concilii Lateranensis III. in quo illi damnati sunt. *Isti*, inquit, *Waldenses qui sub pœna Excommunicationis & contra præceptum Domini Papæ, imo contra totam Ecclesiam prædicant, quibus injunctum est à Domino Papa non prædicare, sententiæ excommunicationis subjacent. In Concilio enim Lateranensi, in eos sententia excommunicationis lata est: unde nec etiam communicandum non est, cum sententia Apostolica ab Ecclesia præcisi sint.* Hinc patet *Alanum* libellos suos *contra Waldenses* post Concilii Lateranensis III. celebrationem, anno circiter 1183. vel 1184. ex mandato Romani Pontificis edidisse. Neque verò est, quod quis dicat Waldenses diu regnasse, atque ita *Alanum* licet hoc Seculo XII. non vixerit, contra eos tamen scribere potuisse: in Prologo enim ait novos hæreticos suo tempore fuisse exortos, *Nostris vero temporibus*, inquit, *novi heretici*. At tempore Alberti Imperatoris anno nempe 1300. Wal-

Waldenses jam sepulti oblivione erant, & Paterini, & alii hæretici, quos in suis libris Alanus confutat. Omnia igitur cum temporibus *Alani* & scriptis, planè consentire videntur. Nam hocce seculo orti Waldenses, & Albigenses, habitum contra eos Lateranense III. Concilium, in quo damnati sunt, ut supra diximus. Contra quos Alanum scripsisse, testis est Otho de Sancto Blasio, author coætaneus. Ex hoc itaque scripto *contra Waldenses*, quod post Concilium Lateranense scripsit atque ex Alexandri Papæ III. mandato, nata videtur in Ordine Cisterciensi de *Alano* fabula, qui in hoc Concilio hæreticos confuderit. Ex hoc Opere, contexta ampla illa tunica Cisterciensis vel Claravallensis Abbatis, quæ *Alanum* conversum contexit, ac subitò in eo Concilio disputaturum, erumpere in publicum facit. Hoc eodem tempore vel aliquanto post, Alanus suos septem libros, *Commentariorum in Prophetiam Ambrosii Merlini* scripsisse creditur, quos valde senex ex allegatis supra, composuisse videtur.

Anno denique 1203. ex authoritatibus superius allatis, mortuus est apud Cistercium, ætatis suæ juxta supputationem allatam anno 93. vel circiter, posito nempe quod circa annum 1114. natus sit.

CAPUT SEPTIMUM.

EXAMINANTUR OPERA ALANI INSULENSIS, TAM IMPRESSA QUAM MANUSCRIPTA.

Alani autem Magni Opera quotquot inveniri potuerunt, edita in folio Antverpiæ anno 1654. apud Guillelmum Lestenium & Engelbertum Gimnicum, operâ & studio Domini Caroli de Visch, Prioris beatæ Mariæ de Dunis, Ordinis Cisterciensis In Flandriâ, sub hoc titulo: *Alani Magni de Insulis sacra Theologia Doctoris, cognomento Universalis, ex glorioso Schola Ecclesiastica Parisiensis moderatore, humilis Cisterciensis Conversi, Opera Moralia, Parænetica, & Polemica, qua reperiri potuerunt.* Sunt autem.

Commentarius in Cantica Canticorum ad laudem beatissima Virginis Deipara, impressus olim Parisiis anno 1540.

Summa de arte prædicandi, nunc primum in lucem producta ex duobus MSS. Bibliothecæ Dunensis, quæ bis & ter MS. extat in Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, bis quoque in Bibliotheca Cluniacensi, Litteris AA. & HH. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, Cod. 128. & Pembrochiana Cod. 81.

Undecim Sermones integri de diversis materiis, antea nondum editi.

Dictorum memorabilium seu Sententiarum Magistri Alani liber, ex MS. Codice Bibliothecæ de Dunis.

De sex alis Cherubim Tractatus, ex MS. Codice Sancti Vedasti Attrebatensis, quem Franciscani *Sancto Bonaventura* perperam attribuunt, cujus inter Opuscula impressus est.

Pænitentiale seu *Liber Pænitentialis*, ex MSS. in lucem productus, pag. 181. Impressus ex duobus MSS. uno Bibliothecæ Dunensis Ordinis Cisterciensis, altero Bibliothecæ S. Gisleni in Hannonia. Habetur idem MS. in tribus Codicibus Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis sub nomine Alani, qui notantur MMM. 18. BB. 8. & PP. 14. fol. 144. Itemque in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis Cod. 557. optimæ notæ, sed sub Petri Cantoris nomine, contra impressorum & MSS. Victorinorum authoritatem. Sed aliud *Pænitentiale Alani*, de quo loquitur Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, quem ait continere *Libros quatuor ad Henricum Bituricensem Archiep.* ... *opusc*, quod extat MS. in Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis in 4. Littera A. 2.

Opus quadripartitum De fide Catholica contra Waldenses, Albigenses & alios hujus temporis Hæreticos, cujus *duo priores Libri* hic anno 1654. impressi, alii *duo posteriores* ad finem *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, fol. 410. secundæ editionis apud Joannem Busæum anno 1656. Coloniæ Agrippinæ, editi ex MS. Bibliothecæ Cistercii. Hoc ipsum opus est, quod male Joannes Trithemius appellat *in 4. Libros Sententiarum*: quia hæc Summa quatuor Libris distincta est, sed neutiquam *Commentarius in 4. Libros Magistri Sententiarum* est. Idem MS. in Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ 5513. fol 352. inscriptum *Summa Alani quadripartita contra Hæreticos Valdenses, Judæos & Paganos*, cujus Prologus ad Guillelmum Montis Pessulani Principem incipit, *Cùm inter universos &c*, ubi Codex scriptus dicitur pee Heruæum Confeel pro Domino Bernardo Archiepiscopo Tolosano, anno 1456. & apud Cluniacum Littera Q. 2. & Claram Vallem, in suis Bibliothecis. Idem MS. Oxonii in Bibliotheca Mertoniana Cod. 230.

Liber de planctu natura, de quo loquuntur Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 21. qui anno 1293. obiit. Robertus Holcot S. Theologiæ celeberrimus Doctor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, in caput I. Libri Sapientiæ Lectione 118. Littera A. qui anno 1349. floruit, teste Bellarmino in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. MS. quoque Oxonii in Bibliotheca Balliolana, Cod. 120.

Anticlaudianus sive *De officio viri in omnibus virtutibus perfecti, libri IX.* singulari festivitate, lepore, & elegantiâ conscripti, ex duobus MSS. Codicibus Collegii Lovaniensis Societatis Jesu, & tertio Bibliothecæ Sancti Bertini Audomarensis, Ordinis divi Benedicti. Ex 4. & 5. apud Balthasarem Motetum, clarissimum Antverpiæ typographum. Habetur etiam MS. in Biblioth. Galliarum Regis, num. 5640. atque Oxonii in Bibl. Balliolana, Codd. 120. & 122.

Rithmi

Rithmi duo elegantes, unus De Incarnatione Christi, alius De fluxa & caduca natura hominis.

Doctrinale minus, seu *Liber Parabolarum Magistri Alani de Insulis*, ex multis editionibus præcedentibus, anno 1492. Daventriæ, anno 1501. Lugduni cum eruditis Commentariis Latinis Matthæi Bonihominis. Anno 1516. Lipsiæ, & aliis in locis. Hæc omnia impressa sunt anno 1654. & 1656. ab Carolo Vischio Dunarum Priore, Ordinis Cisterciensis. Nunc omisso *Pœnitentiali* de quo jam supra egimus, de Manuscriptis adhuc nondum impressis agendum restat.

Attribuit illi Carolus Vischius in sua *Bibliothecâ Scriptorum Ordinis Cisterciensis* fol. 12. *super 4. libros sententiarum Opus quadripartitum*, ut illud indigitat Thomas Waldensis tomo 2. cap. penultimo, quod MS. extare apud fratres Prædicatores Parisiis ait. Verum malè Valdensem Trithemius intellexit, & hoc Opus nihil est aliud, quam *Summa quadripartita contra Hæreticos &c.*

Scripsit etiam seu in compendium redegit *Vitam Sancti Bernardi Abbatis*, quam ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis, edidit Dominus Johannes Mabillon in Præludiis ad *Opera Sancti Bernardi*, editionis Parisiensis anni 1667. apud Fredericum Leonardum viâ Jacobæa sub Scuto Veneto. Extat etiam MS. in Bibliotheca S. Vedasti Attrebatensis, Ordinis divi Benedicti, & Vallislucensis Ordinis Cisterciensis. De hac Vita agens Manriquez tomo 2. Annalium Ordinis Cisterciensis, ad annum 1153. asserit eam extare impressam in antiquissimis exemplaribus Operum divi Bernardi.

Scripsit etiam Summam *Quot modis* appellatam, sic enim in MS. Codice & ab authore vocitata est, quæ secundum ordinem alphabeticum procedit, hoc ordine deducens *Quot modis* unaquæque res bonam vel malam in partem in Scripturis sacris accepta fuerit, opus Concionatoribus idoneum. Habetur MS. in parvo 4. in Bibliotheca Regalis montis Ordinis Cisterciensis, dedicata Hermengaldo Dei gratiâ Sancti Ægidii Abbati, cujus hoc initium: *Reverendissimo Patri ac Domino Hermengaldo Dei gratia Sancti Ægydii Abbati, Alanus dictus Magister, sic in præsenti multiplici insignari gratia, ut in futuro præmietur in gloria. Cum diversis olim &c.* Item alius Prologus, *Quoniam juxta Apostolica authoritatis præconium, qui virtutis nominum fuit ignari &c.* Incipit per vocem, *Anima propriè Spiritus rationalis qui cum corpore venit in constitutionem hominis &c.* Habetur etiam in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 5513. illic inscripta, *Magistri Alani Tractatus De diversis vocabulorum significationibus secundum ordinem alphabeti.* Et in Bibliotheca Victorina Parisiensi, Littera PP. 12. cujus titulus, *Incipit liber Magistri Alani qui quot modis intitulatur, De diversis vocabulorum significationibus secundum ordinem Alphabeti.* Itemque apud Claram Vallem, & Vallem Lucensem, Abbatias Ordinis Cisterciensis, atque apud Sanctum Illidium Claromontanum, Ordinis divi Benedicti, in Arvernia. In aliis Manuscriptis appellatur *Oculus Sacræ Scripturæ*, sive *Oraculum Sacræ Scripturæ*, sive *Compendium utriusque Testamenti*, habeturque etiam MS. in Bibliotheca Dunensi in Flandria, Ordinis Cisterciensis.

De Maximis seu Axiomatibus Theologiæ Liber I. qui aliter dicitur *Doctrinale altum*, & incipit, *Omnis scientia suis utitur regulis &c.* quod juxta Carolum Vischium reperitur MS. in Bibliotheca Brugensi & Camberonæ, & apud Sanctum Martinum Tornacensem, denique Cantabrigiæ in Bibl. Pembrochiana, Cod. 81.

Idem scripsit *librum De naturis quorundam animalium*, ut testatur Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 21. ac post ipsum Joannes Trithemius, ibidem. Hoc opus anonymum ferè semper in Bibliothecis, est secundus Liber ex quatuor *De bestiis* qui habentur inter Opera Hugonis Victorini, incipiens *à Leone &c.* inscribiturque *Bestiarium*. Nam Tractatus seu liber I. *De foliis avibus*, spectat ad Hugonem de Folieto: 2. *De animalibus* ad Alanum Insulensem. 3. & 4. ad Guillelmum Peraldum Lugdunensem, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui *Libros duos de rerum proprietatibus* scripsit, quorum primus potissimum desumptus est ex Opere *De avibus*. Hugonis Foliotani & *De animalibus* Alani Insulensis, ut ex lectione constat.

Prophetia Ambrosii Merlini Angli &c. unà cum septem libris Explanationum in eandem Prophetiam, excellentissimi sui temporis Oratoris, Polyhistoris & Theologi, Alani de Insulis, Doctoris Universalis, & Academiæ Parisiensis ante annos 300. Rectoris amplissimi, impressa in 8. Francofurti anno 1608. typis Joannis Spiessii. *Alani* autem *Philosophi* dicta de Lapide Philosophico, edita extant à Justo Balbiano Lugduni Batavorum, anno 1600. typis Raphelengii, unà cum secreto Jodoci Greneri; quæ an ad hunc Alanum nostrum spectent, ignoro, cum non legerim.

Attribuitur eidem *Opus de pœnitentia*, quod in MSS. Codicibus dicitur *Corrector seu Medicus animarum*, quem Carolus Vischius vult esse à se editum, sed fallitur: nam Opus istud ab edito aliud est. Habetur Anonymum in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis ter, Littera KK. 17. fol. 106. inscriptum, *Pœnitentiale qui Corrector dicitur seu Medicus animarum.* Itemque Littera GG. 15. fol. 50. & Littera Q. 16 fol. 1. Et in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codice 795. optimæ notæ cujus hic titulus: *Incipit liber qui Corrector vocatur & Medicus, qui Correptiones & animarum medicinas pleniter continet, & docet unumquemque Sacerdotem etiam simplicem, quomodo vel qualiter unicuique succurrere valeat: ordinato vel sine ordine, pauperi, diviti, puero, juveni, seni, decrepito, sano, infirmo, in omni ætate, in utroque sexu. Quo tempore Presbyteri plebium, Canonica authori-*

ta-

tate, discordantes ad pacem, & delinquentes ad pœnitentiam compellere debeant. Ita titulus rubricis scriptus, Pœnitentiale autem incipit: *Hebdomada priore, ante initium Quadragesima, Presbyteri Plebium convocent ad se populum &c.*

Attribuit etiam illi Joannes Trithemius *Summam Vitiorum & Virtutum Lib. I.* atque post ipsum Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis.* Extat Manuscripta, inscripta *De conflictu vitiorum & virtutum* in celebri Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera LL. 14. fol. 166. post ejus *Summam de arte prædicandi* fol. 144. Et cum ab his incipiat verbis, *Apostolica vox clamat &c.* idem opus videtur cum libro ejusdem nominis, qui inter Spuria Divi Augustini Opera legitur, atque ad Ambrosium Autpertum, ut monuimus antea, pertinere videtur.

Denique *Epistola* sub nomine *Alani*, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti, Codice 216. sed an istius Alani Insulensis, an alterius Angli sint, plurimum dubito: Alanus enim natione Anglus, Sancti Augustini Cantuariensis Ecclesiæ prior, atque postea Teckesburiæ Abbas, scripsisse Epistolas multas legitur, de quo nos postea in subsequentibus agemus. Hæc de Scriptis Alani Insulensis, nec quæso nobis irascantur Cistercienses aliique Alanistæ, quod tot fabulas in Alani gratiam congestas riserimus ac proscripserimus simul: imò vel si ingenio ac judicio graves isti sunt, gratias solvant, quod tam plene de MSS. Operibus Alani disseruerimus: ut si cui unquam Cisterciensis ordinis in mentem veniat ea in unum colligere, omnia negotio nullo invenire in locis indicatis possit.

1150 GALFRIDUS ARTHURUS, ASAPHENSIS IN CAMBRIA EPISCOPUS, natione ut creditur Anglus, qui ex Monumetensis Ecclesiæ Archidiacono, anno 1151. Episcopus Asaphensis in Cambria constitutus est. Turbatis Walliæ rebus, ut habet Rogerius Horedenus Annalium *parte postrema* pag. 311. Godefridus Asaphensis Episcopus in Angliam secessit, ut rebus suis ac quieti prospiceret, ubi ab Henrico II. Angliæ Rege qui Regnum anno 1154. iniit & anno 1189. obiit, benigne susceptus, cui Abbatiam Abendoniensem Abbate tunc destitutam ad regimen commisit & administrationem, quam lubens suscepit. Unde anno 1175. habita Londini Synodo, Capitulum Asaphensis Ecclesiæ ab Archiepiscopo Cantuariensi petiit, ut vel Godefridus Ecclesiæ suæ redderetur, vel alius in ejus locum & sedem subrogeretur, ob perpetuam absentiam. Cum ita urgeretur ad residentiam Ecclesiæ suæ Galfridus Asaphensis Episcopus, Monasterii Abendoniensis Præfecturam Episcopatui prætulit, quem sponsè resignavit, sperans se Monasterii sui regimen retenturum: sed utroque excidit. Sedem enim Asaphensem Magister Adam accepit, Abbatia Abendonensis Monacho cuidam concessa est. Scripsit ad Robertum Glocestriæ Ducem, seu potius ex Britannico in Latinum transtulit *Historiam de rebus Britannicis Libris 12. comprehensam*, quæ ineptas de Merlino, Arthuro, & aliis rebus admixtas fabulas continet. Illud MS. in Codicibus optimæ notæ apud Regiam Galliarum Bibliothecam, Cod. 4176. folio 4. *Cum mecum &c.* & 4917. & in Bibliotheca S. Germani Parisiensis, Codice 768. optimæ notæ cum Historia Anglicana Bedæ conspicitur. Iniquior in eum fuisse videtur Guillelmus Neubrigensis, ingratus autem Polydorus Virgilius, utpote qui Historiam suam compilando, plurimum Galfredi testimonio utatur, authore etiam innominato. Scripsisse videtur circa annum 1158. librique impressi primum Parisiis in 4. anno 1517. apud Judocum Badium Ascensium, & in Germania inter *Scriptores Britanniæ minores*, Heidelbergæ in folio anno 1587. apud Commelinum, qui eodem anno venales prostabat ex eodem typo Lugduni apud Renatum Potelerium. Hæc autem Historia Galfridi Monumetensis extat pag 1. quam sequitur pag. 93. *Compendium ejusdem Galfridi Historiæ*, à Pontico Virunnio Italo, factum *sex libris*, circa annum 1490. in gratiam Badoeræ clarissimæ Venetorum familiæ, de qua rectè Henricus Warthon in Exceptione Historiæ rei Literariæ Guillelmi Cavi, ad annum 1490. pag. 179. Hanc sequitur *Epistola Gildæ Sapientis De excidio Britanniæ* pag. 113. *Historia Ecclesiastica Bedæ Anglo-Saxonis* pag. 147. *Libris quinque.* Hinc pag. 281. Auctoris anonymi ubi Beda desiit, Libri 3. *De gestis Anglorum* ad annum 1100. seu ad initium regni Henrici I. quem anno 1090. supra diximus esse *Sulcardum* Westmonasteriensem Monachum, qui ea tempestate claruit atque *Anglorum Chronicon* scripsit. Sequuntur *Rerum Anglicarum Guillelmi Neubrigensis* pag. 353. *Libri V.* Denique *Epitome Historiarum Joannis Froissarti*, Lib. IV. pag. 497. ad finem voluminis, ab J. S. collecta & Latinitate donata. Multum quidem ego semper duxi Anglos Historiarum Scriptores, quos & dictione nitidos & judicio graves expertus sum: Sed tantum abest ut Historia Galfridi Monumetensis, ad solidum decorumque Historiæ Anglicanæ aliquid contulerit, ut ex *Gaufridi* Fabularum insulsarum atque anilium editione, magnum honoris detrimentum & gravitatis periculum passa sit. Miror quomodo quisquilias istas Angli graves & docti, intra tenebras atque averni oblivionem non continuerint. Ingenium itaque Galfridi puerile, abjectum, anile, atque ut opinor ad resuscitandas vel ineptissimas fabulas natum, quas impensè amasse, imò cœco modo credidisse, ex evulgatis illius Operibus colligere pronum est. Idem author transtulit ex Anglico in Latinum, aliud paris nugacitatis opus, *Prophetias Ambrosii Merlini Angli:* hoc ipso tempore quo Historiam hanc suam Anglicanam Latinè scribebat, *Alexandro* nuncupatas *Lincolniensi Episcopo;* quas habes

bes MSS, Codice 5695, folio 163. Bibliothecæ Galliarum Regiæ, sub hoc titulo, *Prologus Gualfridi Monumetensis in Prophetiam Merlini*. Prologus incipit, *Cogit me, Alexander Lincolniensis Præsul, nobilitatis dilectio, Prophetias Merlini de Britannico in Latinum transferre, antequam Historiam perfecerim &c.* Incipit Vaticinium, *Sedente itaque Vortigerno Rege Britonum super ripam exhausti stagni &c.* Idemque Opus MS. in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera BB. 14. In tantum autem anilem suam hanc opellam Galfridus fabularum avidus dilexit, ut vel integram vel magna ex parte monstrum istud verbotenus in libros suos *Historiæ Anglicanæ Mytologicæ* transcripserit: ingens anilis ingenii argumentum. Ejusdem *Galfridi Epistola ad Alexandrum Lincolniensem Præsulem, super Prophetiis Merlini, habetur MS. in Bibliotheca Cottoniana* sub *Cleopatra* C. 10. n. 2. *Vita Merlini ad Robertum Lincolniensem Episcopum*, versu heroico non invenusto, ibidem MS. sub *Vespasiano* E. 4. n. 5. Verum Epistola ista aliud Opus non videtur, à Prologo in Prophetias Merlini, de quo supra locuti sumus, qui cum ipsis Prophetiis in Bibliotheca Gallarum Regiâ. Multa alia Scripta *Galfrido Monumetensis Archidiacono* Balæus, Pitseus & alii Nomenclatores affingunt, quos Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo I. pag. 614. secutus est, nempe.

In fragmentum Gildæ De Historia Britannica Lib. 1.

Commentarios in Ambrosii Merlini Calcedonii prædictiones.

De vita Ambrosii Merlini Lib. 1.

Gesta Regis Arthuri Lib. 1.

Ad Gualterum Oxoniensem, Historiam Anglicanam.

De Ecclesiasticorum exilio Lib. 1.

Diversi Carminum generis Lib. 1.

De corpore & sanguine Domini Lib. 1. Sed hæc omnia inanes tituli, qui libros implent, nihilque aliud sunt quam libelli singulares qui fabulosam ejus *Rerum Anglicarum historiam* componunt: quæ & *ad Gualterum Oxoniensem* scripta est, quæ agit *de vita & prædictionibus Ambrosii Merlini, de exilio Ecclesiasticorum & de rebus gestis Arthuri Regis*, quæ fragmentum *de historia Britannica ex Gilda* inserit. Quantum autem ad librum *de corpore & sanguine Domini*, ad *Guilelmum Abbatem Sancti Theodori juxta Remos*, ille pertinere cognoscitur. Non alienum fuerit hic congerere, quæ habet Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Histor. Latinis* cap. 52. pag. 419. „Fides Gaufridi Monumetensis a „multis damnatur, cosque inter a Polydoro „Virgilio, qui tamen crebro ejus authoritatem in sua Historia advocat. Itemque Alano „Capo, Joanne Molano, Baronio *Annalium* Tomo 4. ad annum 385. & in Notis ad Martyrologium Romanum: a Possevino in *Apparatu sacro*. Imo jam olim Guilielmus Neubrigensis, qui paulo post Gaufridum vixit, hunc „in modum de eo disserit in Præfatione Historiæ rerum Anglicarum.' *At contra quidam nostris temporibus, pro expiandis Britonum maculis, scriptor emersit, ridicula de iisdem figmenta contingens: eosque longe supra virtutem Macedonum & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus est, agnomen habens Arthuri, pro eo quod fabulas de Arthuro, ex priscis Britonum figmentis sumptas, & ex proprio auctas, per superductum Latini sermonis colorem, honesto Historiæ nomine palliavit. Qui etiam majori ausu, cujusdam Merlini divinationes fallacissimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam authenticas & immobili veritati subnixas prophetias vulgavit.* Plura ibidem de eo legas. Sed melius de Gaulfrido sensit Ponticus Virunnius, vir eruditissimus, qui ante annos CXXX. vixit, ac Gaulfridi libros prætermissis fabulis, in epitomen redegit, eumque elogio istiusmodi ornavit. *Galfridus historicus egregius & Cardinalis, magna vir authoritatis apud Robertum Claudiocestriæ ducem, Henrici Regis filium, ac patria sua curiosissimus fautor, ex summa Philosophia atque archivis, historiam antiquissimam continua ferie ab ipsis Trojanis, collectam transtulit. Verissimas esse Britannorum historias, arguit Regum Occidentalium consuetudo, qua erat, secum semper habere eos, qui veritate præcipua eorum gesta notarent.* Joannes etiam Lelandus, adversus Guiliel„mum Neubrigensem, & Polydorum Virgilium tuetur, ut in Neubrigensi postea dicemus. Et sane multa quidem fabulosa in eo reperias, sed non tanta hic Galfridi culpa est, quantam arbitrantur. Nec enim ipse ea confinxit, sed ab aliis conficta, ex adversariis quæ a Gualthero Archidiacono Oxenofordiensi, hoc est, Oxoniensi, acceperat: *de Britannica sermone Latine fecit*, ut ipse in extremo operis sui refert. Eaque in re fuit *interpres fidus*, ut vocatur a Matthæo Parisio ad annum CIↃCLI. Hujus Galfredi pleraque MSS. supersunt in Anglia, uti Cantabrigiæ in bibliotheca publica, & in Collegio S. Benedicti, & in privata bibliotheca Gualteri Copi. Cæterum ab iis, quæ diximus, nonnihil abeunt, quæ a recentiore quodam adscripta sunt Gaufridi Monemuthensis Codici MS. 225. quem in Cantabrigiensis Academiæ bibliotheca publica adservari dicebamus. Verba ea istiusmodi sunt. *Ponticus Virunnius Italus hanc historiam Britannicam in epitomen redegit, quam Gualfridus Arthurus Monumethensis Archidiaconus, primo simplicissime transtulit e sermone Britonum, cum argumentis fusioribus nominum & capitum: & sunt quatuor libri ejusdem Historiæ, ut hic habetur, & hic liber impressus non est. Postea Gualterus Oxoniensis Archidiaconus, & synchronus ejus fortassis, hanc historiam sic translatam edidit ampliorem, & ornatiorem: & hic liber communiter & vulgo in manibus hominum habetur, & est impressus per Badium Ascensium.* Titulus MS. operis, cui annotantur hæc, talis est, *Chronici* vel *Historiæ Bri-*

„*Britonum.* Præfatio incipit, *Descriptio quanti-* „*tatis* &c. Annotator hic dubitare videtur, u- „trum Gualfridus Monumethensis & Gualte- „rus Oxoniensis Archidiaconus fuerint σύγ- „χρονοι: sed scrupulum tollit, Opus a Gual- „frido Monumethensi, ad Gualterum Oxoni- „ensem scriptum. Hæc Vossius erudita, ad „correctionem aliorum.

Sed in alios errores, eosque plane absurdos, ipse Vossius incidit. Qui enim lib. 2. cap. 52. pag. mihi 419. scribit, *Regnante Henrico II. vixisse Galfridum seu Galfridum Monemutensem Archidiaconum, ac post Asaphensem Episcopum:* hic lib. 2. cap. 48. paginis 393. & 401. assignat ipsi duos Historiæ *continuatores*, qui sub Henrico I. Rege vixerint, atque multis annis ipsum Galfridum Monumethensem præcesserint, quo nihil absurdius scribi a Vossio potuit. „Primus „est *Alphredus Beverlacensis*, de quo ita scribit „pag. 393. Tum quoque sub Henrico I. Anglo- „rum Rege, claruit *Aphredus* Anglus, Beverla- „censi in urbe, ubi & obiit Sacerdos, ac Collegii, „ut unum loquimur, thesaurarius. Reliquit „*Deflorationes Gualfridi libris V. de gestis Regum* „*Britanniæ lib. 1. Historiam ampliorem lib. 1. Vitam* „*S. Johannis Beverlacensis Archiepiscopi.* Obiit „Alphedus anno 1126. quo & Annales suos fi- „niit. Meminit præter alios *Johannes Wetham-* „*sted*, sive *de loco frumenti*, qui & unde Anna- „les seu Chronicon suum ordiatur exponit, & „quæ potissimum, ac quo usque persequatur. „Nam ait, *Chronicon a Bruto ad tempora Norman-* „*norum scripsisse, tractasse quoque de civitatum no-* „*minibus huic inde forsan in hoc regno fundatis, ac* „*retulisse quibus nominibus civitas Londinensis,* „*Cantuariensis, Eboracensis, aliæque urbes varia vo-* „*catæ fuerint illis temporibus, quibus Britannica* „*gesserunt vocabula, per Britonesque inhabitata e-* „*rant.* Secundus est *Gualterus Galenius* pag. 401 qui eidem Galfrido author fuit & monumenta Anglica suppeditavit, ut Historiam suam conscriberet, cui etiam *auctarium annorum amplius quadringentorum adjecisse*, immani parachronismo Vossius scribit his verbis. „Gual- „terus Calenius, Britannus e Cambria, Archi- „diaconus Oxoniensis, & juxta nonnullos tan- „dem Oxoniensis Episcopus, floruit tempore „Henrici I. Anglorum Regis anno 1120. Hic „Britannicæ Historiæ ab Galfrido Monemu- „thensi ex Britannica Lingua in Latinam trans- „latæ, auctarium ad sua usque tempora edidit. „Est id auctarium annorum amplius quadrin- „gentorum, atque ut Radulphus censet, ser- „mone non ineleganti scriptum est. Histo- „riam ejus in compendium redegit Ponticus „Virunnius Italus, de quo idem Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 8. pag. mihi 619. Opinor autem Vossium accepisse *Gualterum Calenum Oxoniensem Archidiaconum* ipsi Galfrido Monumethensi synchronum, pro *Gualtero Coventriensi*, qui multa in Historicis conscripsit, in quibus præcipue Galfridum Monemutensem sequitur, de quo idem Vossius Libro 2. cap. 58. pag 470. qui auctarium, de quo supra dictum est, illi addere plurium annorum potuit.

Nullum autem opus in Anglicis bibliothecis, tanta manuscriptorum multitudine abundat, atque Historia ista Galfridi Monumethensis fabulosa, quos hic enumerare juvat ex Catalogis impressis MSS. Codicum Angliæ, ut hinc agnoscamus, quantum homines sint fabularum amantes. Extant igitur Historiæ Galfridi Monumetensis MSS. in Catalogo MSS. Codicum bibliothecæ Bodlejanæ num. 1048. & 1062. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, litera F. Codice 11. & 25. Num. 1496. in ejusdem MSS. Codicibus litera I. Codice 70. Num. 2156. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, litera D. I. Codice 21. num. 6. Num. 2184. in MSS. ejusdem Codicibus litera D. 3. Codice 7. Num. 2188. ibidem Codice 11. Num. 3908. in Hyperuo Bodlejano, in Codicibus MSS. ex dono Domini Thomæ Fairfax baronis Cameronii, Codice 28.

Inter Manuscriptos Codices Universitatis Oxoniensis num. 868. in MSS. Collegii Orielensis Codice 16. Num. 1545. in Collegio Corporis Christi Codice 78. Num. 2027. in MSS. Collegii Jesu Codice 8. Num. 2093. in MSS. ejusdem Collegii Jesu Codice 74. Num. 2311. & 2312. in MSS. Codicibus Collegii S. Mariæ Magdalenæ, Codicibus 170. & 171.

Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigiensis num. 366. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis, in parte Bibliothecæ Australi, classe 23. Serie Media Codice 1. Num. 445. in MSS. Codicibus ejusdem bibliothecæ, classe 24. Serie 2. Codice 4. Num. 738. in MSS. Codicibus Collegii Sydnei-Sussex K. IV. Codice XI. num. 12. Num. 940. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli, inter Historicos Codice 6. Num. 1069. in MSS. Codicibus ex donatione Magistri Move, quondam Socii hujus Collegii, Classe A. notatur E. 21. Num. 1174. in MSS. iisdem Classe D. Codice 110. Num. 1314. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 38. Num. 1504. in MSS. ejusdem Collegii Codice 237. num. 8. Num. 2304. in MSS. Codicibus bibliothecæ Publicæ Codice 124. cujus in fine hæc habentur.

Reges vero Saxonum Guil. Malmesburiensi & Henrico Huntingdoniensi permitto, quos de Regibus Britonum tacere jubeo, cum non habeant librum illius Britannici sermonis, quem Walterus Oxenfordensis Archidiaconus ex Britannia advexit: quem de historia eorum veraciter editum, in honorem prædictorum Principum hoc modo in Latinum transferre curavi." Num. 2355. in MSS. etiam Codicibus ejusdem Publicæ bibliothecæ Codice 175. Num. 2405. ejusdem Bibliothecæ Codice 125. de quo antea diximus.

Inter MSS. Dodices Ecclesiarum Angliæ Cathe-

thedralium & celebrium aliarum bibliothecarum, num. 1008. in MSS. Codd. Ecclesiæ Cathedralis Sarisburiensis, litera G. Codice 82. Num. 1239. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Westmonasteriensis Codice 149. Num. 2909. in MSS. Codd. bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum, Codice 10. Etibidem num. 3128. in iisdem Codice 229. Num. 3615. in MSS. Codicibus Francisci Bernardi Collegii Medicorum Londiniensis Socii, Codice 46. Num. 5514. in MSS. Codicibus Collegii Armorum apud Londinum Codice 89. Num. 6180. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 346. Num. 6606. in MSS. Codicibus Caroli Theyere Codice 236. Num. 6986. in MSS. Codicibus Henrici Langley Equitis Codice 33 Num. 8315. & 8316. in MSS. Codicibus bibliothecæ Jacobææ Codicibus 593. & 594. In MSS. Codicibus Joannis Mori Norwicensis Episcopi, Codicibus 8. 91. num. 3. 131. num. 2. 289. 674. Denique num. 10030. in MSS. Codicibus Symeonis D. Ewes Baronetti Codice 70.

Inter MSS. Codices bibliothecæ S. Trinitatis Dublinensis, litera E. Codice 267. num. 3. litera G. Codice 312. 313. 314. litera H. Codice 349. num. 2. In bibliotheca Cottoniana sub effigie Neronis litera D. Codice 8. Sub effigie Galbæ litera E. Codice 11. Sub effigie Vespasiani litera A. Codice 23. litera E. Codice 10. num. 11. Sub effigie Titi litera A. Codice 18. num. 5. & Codice 19. num. 18. Ibidem litera C. Codice 17. Sub effigie Cleopatræ litera C. Codice 10. num. 2. litera D. Codice 8. num. 4. Mentionem faciunt *Gualfridi Monumetensis* Archidiaconi & Asaphensis Episcopi, de cujus certo mortis tempore non constat, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 614. & alii locis citatis, & Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 419.

1150 GVALTERVS CALENIVS OXONIENSIS ARCHIDIACONVS, Britannus e Cambria oriundus, claruit non ætate Henrici primi Anglorum Regis, ut male scripsit Gerardus Joannes Vossius, sed circa annum 1150. tempore Stephani & Galfridi ipsius Monumethensis, qui sua ab illo accepit, imo illius Chronicon Anglicum in Latinam linguam se transtulisse fatetur. Nam Galfridus non ea confinxit quæ scripsit, sed ab aliis conficta & conscripta, ex adversariis quæ a *Gualtero Archidiacono Oxenofordiensi*, hoc est, *Oxoniensi acceperat, de Britannico sermone Latine versis*, ut ipse in extremo operis sui refert: qua in re fuit *interpres fidus*, ut a Matthæo Parisiensi ad annum MCLI. vocatur. Quod autem Gualterus Galfrido synchronus sit, dubium omne tollit, opus a Galfrido Monumetensi, ad Gualterum Oxoniensem scriptum, unde Gualterum merito Oxoniensem cum Galfrido conjungimus. Versio autem Historiæ Gualteri Oxoniensis in Latinum sermonem a Galfrido facta, ejus pene laborem suppressit, exrat enim unicum illius ut puto exemplar in Catalogo MSS. Codicum Vniversitatis Oxoniensis num. 2093. in MSS. Collegii Jesu Codice 74. inscriptum *Gualteri Archidiaconi Oxoniensis Historia Bruti & Regum Britanniæ, Britannice.* Cui nota adjicitur, *Ex hoc libro Commentarios suos traduxisse se asserit Galfridus Monumethensis, nec quidem aliter, utramque Historiam conferentibus, videbitur.* Meminit hujus scriptoris Galfridus Monumethensis loco citato, & Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 48. pag. 401. qui turpiter errat, dum scribit illum addidisse *auctarium*, ad Historiam Galfridi Monumetensis ad sua usque tempora, cum Galfridus acceperit Historiam suam ex Anglicis Gualteri Oxoniensis Archidiaconi, qui ante illum scripserat.

CARADOCVS LANCARVANENSIS, oriundus ex Cambria sub Stephano & Henrico II. Anglorum Regibus floruit anno 1150. & sequentibus, scripsitque *Res Gestas* aliud autem Latinum in MSS. Collegii Armorum Londini, Codice 109. Idem scribit & observat Petrus Lambecius Tomo 2. seu libro 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* cap. 8. pag. 705. ubi de *Arthuro Rege Britanniæ*, cujus mentionem injiciunt præter antiquos Auctores, *Galfridum Monumetensem* Historiæ Regum Britanniæ lib. 11. cap. 2. & *Matthæum Westmonasteriensem* in Chronico *Flores Historiarum* inscripto, etiam *Hector Poethius* Historiæ Scotorum libro IX. & *Georgius Buchananus* Rerum Scoticarum libro quinto. Meminit ejusdem *Arthur*, *Guilielmus* quoque *Malmesburiensis* libro primo *Historiæ Anglicanæ*, quam usque ad suam ætatem sive annum Christi 1142. perduxit his verbis. *Hic est bellicosus ille Arthurus, de quo Britonum nugæ hodieque delirant, dignus plane, quem non fallaces somniarent fabulæ, sed veraces prædicarent historiæ: quippe qui labantem patriam diu sustinuerit, infractasque civium mentes ad bellum acuerit.* Hæc *Guilielmus Malmesburiensis*. Quamvis autem *delirantes ista nugæ & fabulæ fallaces*, quibus is veram rerum gestarum *Regis Arthuri* Historiam contaminatam esse conqueritur, etiam nunc extent in supra citati *Galfridi* sive *Gaufridi Monumetensis* Historia Regum Britanniæ a capite 19. libri octavi, ubi de ejus nativitate agitur, usque ad libri undecimi caput secundum, quod ejusdem morte clauditur: ipse tamen *Galfridus* non finxit eas primus, sed ut ipse libri primi capite primo testatur, transtulit tantum *in linguam Latinam ex vetustissimo quodam Britannici sermonis libro, quem a Waltero Oxinfordensi Archidiacono acceperat.* Suas ergo nugas Historicas acceperat *Galfridus Monumetensis*, à *Gualtero Oxoniensi Archidiacono* qui ipsi synchronus fuit. Hoc Gerardum Joannem Vossium latuit. *Britonum* qui Saxonibus cætera occupantibus, Cambriam & Cornubiam, loca montana, & Saxo-

Saxonibus minus adita facilia, obtinebant. Operi huic *Britannorum successiones* nomen indidit, quod MS. asservatur in Collegio S. Benedicti Cantabrigiæ, Codice 365. Inscriptus *Historia Britonum* cujus author putatur Caradocus. Hinc Versus veteres:

Historiam Britonum doctus scripsit Caradocus,
Post Cadwalladrum regia sceptra notans.

Præterea edidit librum *De vita Gilda Albani & Commentarios in Merlinum.* Extat Caradocus Lancarvaniensis *de vita Gilda*, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 6117. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 283. in MSS. Codicibus Henrici Comitis Clarentonii Codice 28. Vitam hujus Caradoci consignasse fertur Sylvester Giraldus. Meminit & Caradoci hujus Gualfridus Monumethensis in extremo Operis, ubi eum *Caradocum Lancarvanensem contemporaneum suum* vocat, quem cum Guilielmo Malmesburiensi & Henrico Huntingdoniensi proxime ante memoratis conjungit. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 116. pag 157. cui promittit daturum se operam, ut si uspiam extet, in lucem prodeat. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2 *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 416. quem hic paucis adjectis exscribimus.

1150 ROBERTUS DE DUNSTABLE VEL DUNSTAPLE, Monachus S. Albani, hoc eodem tempore clarus, cujus extat *Vita B. Albani Martyris* anno Christi 1150. versibus elegiacis decantata, cum ejusdem versibus *De creatione hominis, de paradiso, aliisque sacris argumentis* MS. in bibliotheca Cottoniana sub effigie Julii litera D. Codice 3. num. 2. & 3. num. 4. *De motu peccandi, de miseria hominis, de mensibus, anni, de virtutibus imitandis, earumque distinctionibus.* Idem vocatur Radulphus de Dunstaplia, idemque Opus MS. extat in Cottoniana bibliotheca sub effigie Claudii litera E. Codice 4. num. 3. his verbis: *Sanctorum Albani & Amphibali & sociorum Vita & Passio per Radulphum de Dunstaplia, versibus elegiacis.* Meminit illius Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. 414. ubi vocatur Radulphus desto Albano & Abbas S. Albani in Anglia, cui præterea adscribit, *Historiam Alexandri Magni lib. V.* ex antiquis concinnatam, quæ extat inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 3832. in MSS. Codd. Hyperoi Bodlejani Codice 60. inscripta, Radulphi Monachi de Sancto Albano Historia de gestis Alexandri Magni lingua Scotica. An unus idemque author sit Robertus & Radulphus, angli ipsi examinent.

1150 OGERIUS ABBAS DE LUCEDIO, Ordinis Cisterciensis in Sabaudia, circa hoc tempus clarus, scripsit *Opus insigne sermonum XV. de cœna Domini*, quod inter Opera divi Bernardi anonymum hucusq; impressum est, cujus Prologus incipit, *Paschalibus dapibus satiati* &c. Ita annotatum est in ultima editione Operum divi Bernardi Claræ Vallis Abbatis, a Johanne Merlone Horstio: & in altera adhuc recentiore, quam procuravit Parisiis anno 1667. Joannes Mabillon Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, tomis in folio duobus apud Fridericum Leonardum via Jacobæa sub scuto Veneto. Hoc autem probatur ex MS. Codice vetustissimo Bibliothecæ Serenissimi Ducis Sabaudiæ, ubi sub Ogerii nomine reperitur cum ejusdem Ogerii tractatu *De Laudibus Deipara.* Notavit Codicem hunc Joannes Bona, vir doctus & ingenio acer, prudensque genuinorum Sancti Bernardi Operum a Spuriis discretor, cui ob istam furfuris in puram Sancti Bernardi farinam oscitanter antehac immissi cribrationem, illi qui vere Bernardum æstimant, obstrictos se & obæratos agnoscent. Ita Theophylus Rainaudus, in libro illo a se studiose collecto *De bonis & malis libris*, parte 1. Erotemate 10. Litera O. Agunt de *Ogerio* Joannes Merlo Horstius & Joannes Mabillon, in ultimis suis editionibus *Operum divi Bernardi.* Carolus Vischius in *Appendice* ad suam Bibliothecam Scriptorum Ordinis Cisterciensis, in qua eum vocat *Ogleruм ac Abbatem Locedii* in Vercellensi Diœcesi, ac Sanctis sui ordinis adscriptum legi in *Menologio* Henriquez, die 10. Decembris.

GUIDO CARILOCI ABBAS, Ordinis Cisterciensis in Burgundia Sequana, ad quem duas Epistolas Sanctus Bernardus Claræ Vallis Abbas conscripsit, circa hoc idem tempus, id est annum 1150. composuit *Tractatum de correctione Cantus Ordinis Cisterciensis*, quem sub Sancti Bernardi nomine, ob Joannis Bona S. R. E. Cardinalis & eruditissimi hominis authoritatem, edidit Joannes Mabillon, in editione sua *Operum divi Bernardi.* Fefellit Joannem Bonam Codex manuscriptus, quo utebatur, quem opinatus est esse *Tractatum divi Bernardi*, quia præmissam dicto Tractatui, Divi Bernardi Epistolam vidit. At MS. Codex, quem hic Buciliaci habeo, varios tractatus ad musicam & cantum Ecclesiasticum pertinentes continens, habet in fronte Operis, nomen *Guidonis Cariloci Abbatis*, & extranea ista Divi Bernardi Epistola caret, quæ Cardinali persuaserat hunc Tractatum *Bernardo* attribuendum, qui Guidonis Abbatis certo est. Vult tamen Joannes Mabillon, suam etiam operam huic cantus reformationi, a divo Bernardo certis argumentis esse præstitam. Nullus quem noverim, hujus scriptoris unquam meminit. 1150

ODO MORIMUNDI ORDINIS CISTERCIENSIS ABBAS, Juxta Balæum Anglus, vir doctus & tempore suo clarus, qui meritis scientiæ atque probitatis præ 1150

currentibus, factus primum Morimundi Cœnobii sui prior in Episcopatu Lingonensi, tum postea Abbas Bellipradi ordinis ejusdem in Episcopatu Bellovacensi, ac tandem dicti Morimundi cujus antea Prior claustralis fuerat. Ætate divi Bernardi claruit ante ac post annum 1150. celeberrimus inter suos Ordinis Cisterciensis Monachos, cujus discipuli doctrinam collegerunt, ut patet ex Prologis MSS. Operum sub nomine ipsius. Vidi ac tenui volumen, MS. in folio in Bibliotheca Bonifontis Ordinis Cisterciensis in Thierascia, eo allatum ex Bibliotheca Fusniacensi ejusdem Ordinis, continens *Commentarios in certos quosdam locos Veteris ac Novi Testamenti*, qui ab his verbis ordiuntur, *Ut in novo Opere veteris recordemur Testamenti* &c. Idem autem Opus MS. in Abbatia Morimundi ubi Odo Abbas fuit, ut ex Catalogo Bibliothecæ illius a me lecto & possesso constat. Vidi etiam *Sermones sub ejusdem nomine* ornatos atque mellifluos in duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Longipontis Cisterciensis Ordinis, Episcopatus Suessionensis: quorum *prima pars* in fol. post Opus Sancti Augustini contra Cresconium, *secunda pars* in Codice MS. intitulato, *Augustinus De mendacio, & Sermones Domini Odonis Abbatis Morimundi.* Horum sermonum plurimos edendos procuravit Franciscus Combefis sub nomine Odonis Morimundi Abbatis, in sua *Bibliotheca Concionatorum* quam sex in fol. voluminibus anno 1662. apud Antonium Berthier eleganter Parisiis edendam procuravit. Sed si prologum volvisset, opus istud ex doctrina quidem Odonis Abbatis Morimundi collectum a quodam Odonis discipulo, non autem proprie ab ipso compositum cognovisset. Tamenim ex prologo *Sermonum* qui extat in Codice MS. Longipontis citato, quam *Commentariorum in Scripturam*, quem utrumque legi, excusat se collector quod non ad eum nitorem eamque eloquentiam assurgat, quem præ se tulisset ipse Odo, si hos sermones proprio calamo scripsisset vel ore dictavisset: quibus plane verbis constat hæc omnia nomen quanquam Odonis Morimundi Abbatis præferentia, ab aliquo ejus discipulo ex doctrinæ Magistri viva voce collecta esse, non autem ipsum Odonis opus censendum. Forsitan Opera ista sub Odonis Abbatis Morimundensis nomine, ipso mortuo collegisse videtur, Wilhelmus Albæripæ Abbas ejusdem Ordinis Cisterciensis, ac olim illius discipulus, sub cujus & nomine in MSS. Codicibus multis leguntur. Plura de illo Carolus de Wisch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 253. & 254 ubi semel atque iterum peccat. *Primo* dum post Balæum scriptorem haud accuratam attribuit *Odoni Abbati Morimundensi* Chronicon, quod ad *Othonem Frisingensem Episcopum*, olim etiam Morimundi hujus Abbatem spectare cognoscitur, ut omnes eruditi sciunt. *Secundo* quod ex uno Odone duos faciat, alterum Abbatem *Morimundi Francici* in Episcopatu Lingonensi, alterum Abbatem *Morimundi Italici* in Lombardia Archiepiscopatus Mediolanensis, quem scripsisse dicit *Sermones LVI.* adeo mellitos, tantaque dulcedine plenos: ut legentibus mox appareat, authorem Sanctissimi Bernardi Spiritu donatum fuisse, dum eos dictaret. Recte quidem, sed hi sermones quos olim habui ad me transmissos a Francisco Combefis viro doctissimo Ordinis fratrum Prædicatorum, transcriptosque ex Bibliotheca Patrum Carmelitarum Discalceatorum Claromontensium in Arvernia, quorum multos (ut dixi) *Bibliotheca sua Concionatoria* pro locis & argumentorum opportunitate inseruit: sunt tantum prima pars Sermonum hujus Odonis Abbatis Morimundensis in Diœcesi Lingonensi, ut ex illorum collatione cum MS. Codice Bibliothecæ Longipontis, quem apud me habui, mihi constitit. In MS. autem Codice Carmelitarum Claromontensium deerat Prologus qui apud Longumpontem extat, ex quo demonstrative concluditur, sermones istos desumptos esse ex doctrina quidem Odonis jam demortui, non autem ab Odone compositos. Ejusdem Tractatus insignis *De tribus gradibus quibus pervenitur ad hæreditatem Salutis, & ad eam tres hierarchias cælestium Spirituum distincte operari*, MS. in Bibliotheca Morimundi, in quo Opere eximio, de Novem ordinibus Angelorum doctissime disserit. Denique spectat ad eundem Abbatem Odonem, Opus inscriptum *Analytica Numerorum*, distinctionibus seu libris multis constans, quod ille circa annum 1148. vel 1150. composuit. Nam in eo mentionem facit susceptæ expeditionis Ludovici Junioris Francorum Regis contra infideles ad recuperationem terræ sanctæ: unde ut opinor Morimundi tunc Prior extitit, dum Opus istud conscribendum suscepit. Complectitur varios libros seu tractatus, nempe *De institutione totius operis librum præliminarem.*

De significationibus Numerorum librum 1.

De figuris Numerorum lib. 1.

De liberis appellationibus lib. 1.

De mysteriis figurarum lib. 1.

De regulis generationum lib. 1.

De cognitionibus & interpretationibus numerorum lib. 1.

De relationibus & earum mysteriis lib. 1.

De significationibus unitatis lib. 1.

De significationibus dualitatis lib. 1.

Incipit hujus Operis prologus, *Velle adjacet mihi numerorum & rerum figurationes analyticas reverenter in omni Theologia disquirere &c.* Liber I. incipit, *Nos autem ad copiam & distinctionem proposita eruditionis* &c. habet quidem eruditionem multam, sed obscurum opus utcunque in suis expressionibus & allegationibus mihi apparet. Habetur MS. in insignibus Codicibus Bibliothecæ Galliarum Regiæ, num. 3911. Colbertinæ 1720. qui fuit olim ipsius Abbatiæ Morimundi, ut ad finem Codicis annotatur. Et in

altero

altero Colbertinæ ejusdem Bibliothecæ 2167. qui ejusdem antiquitatis & pretii est. Idem in MS. Codice Bibliothecæ Caroliloci Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Silvanectensi, idemque vidimus olim MS. Brugis in Flandria apud Cistercienses Dunenses: ut testatur Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, sed inscriptum sub nomine *Willelmi Abbatis Albaripæ*, ut idem habet in *Bibliotheca eadem* pag. 325. verbo *Willelmus Albaripa Abbas*. Atque sub eodem Guillelmi nomine, habetur in MSS. Codicibus insignis Colbertinæ Bibliothecæ n. 4330. & 6566. & in Bibliotheca *Aureæ Vallis* Ordinis Cisterciensis Ducatus Luxemburgensis Cod. 90. Unde hoc Opus passim his duobus attribuitur. Denique MS. in celebri etiam Bibliotheca Canonicorum Regularium divi Augustini, Sancti Victoris Parisiensis, Littera GGG. 12. Codice tantum chartaceo, qui 200. annorum est. Verum hæc *Analytica Numerorum* extant sub nomine expresso *Odonis Morimundi Abbatis*, MSS. in Bibliotheca Claravallis Ordinis Cisterciensis, imo & ibidem *Sermones ejusdem Odonis Morimundi Abbatis*. MSS. inveniuntur, uti apud Longum pontem supra. *Ejusdem Odonis Morimundi Abbatis Opusculum de transitu Sancti Bernardi Abbatis Claravallis*, MS. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum anno 1686. Lipsiæ impresso, pag. 160. num 42. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, parte quarta quæ est, *De Historicis prætermissis* cap. 7. p. 782. inter Historicos recenset *Odonem Muremundensem*, quem Britannum vocat & Mathematicum egregium, atque hoc nomine etiam Jacobo Fabro Stapulensi laudatum præfatione in Euclydem, & a Balæo refertur inter scriptores, qui anno 1180. in pretio fuerunt, ac præter alia etiam *Chronicon* condidit. Sed falluntur Vossius & Balæus, qui Odonem Morimundensem cum Othone Morimundensi Abbate & postmodum Episcopo Frisingensi confuderunt, qui ultimus Chronicon conscripsit, sed Germanus fuit, non Anglus: de quo differit Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 1144. pagina 668. Mortuus est Odo Abbas Morimundi an. 1161. sexto Nonas Maji, de quo Sammarthani fratres tomo IV. *Galliæ Christianæ* in Abbatibus Morimundensibus. Franciscus Combefisius in *Apparatu Scriptorum*, ad Bibliothecam Concionatoriam. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 253. & 254.

1150 ALEXANDER CELESINI MONASTERII ABBAS, seu Vallis Celesinæ, Ordinis Sancti Benedicti, tradidit *Sex libris res gestas Rogerii Siciliæ Regis*, qui hujus insulæ principatum anno Christi 1102. assecutus est, qui cum postea Apuliæ & Calabriæ provinciis auctus esset, Rex tandem Italiæ atque Siciliæ anno 1129. salutatus ac declaratus, anno tandem 1154. debitum humanæ compagini finem sortitus est. Cum Alexander Celesinus huic æqualis extiterit, atque ipsius defuncti Regis res gestas conscripserit, ætatem authoris ignorare non possumus, qui circa hoc tempus floruit. Teste autem Vossio, negligentior prorsus est in temporum ratione, quippe quorum seriem turbat, atque eo gravioris Alexandrum culpæ reum facit: quod res narret non longe a temporibus suis remotas, imo suæ ætatis, quibus arbiter ipse interfuit. Quare hoc nomine jure notari meruit a Dominico de Purtonariis ab Ursinis, qui scriptorem istum una cum *Gaufredo Monacho de rebus Rogerii Comitis*, primus e tenebris eruit, lucique donavit: quem reperies tomo 3. *Hispaniæ illustratæ* quæ celebrioribus in Bibliothecis non deest. Hæc Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 53. pag 430. editionis secundæ, quem a Guillelmo Cavo omissum miror.

JOANNES MAJORIS MONASTERII MONACHUS, Ordinis divi Benedicti, juxta Urbem Turonensem, anno 1154. florebat, quo Gaufridus Comes Andegavensium & Dux Normannorum, uxoris suæ Mathildis Anglicæ causa, quæ Henrici primi Anglorum Regis unica filia, fuit, ad diem septimam Septembris mortuus est. Scripsit Johannes hujus *Acta Gaufridi Andegavensium Comitis, & Normanniæ Ducis, Plantagenista cognominati:* quæ ex MS. Codice Parisiis edidit Laurentius Bouchel caussarum in Parlamento Parisiensi patronus, anno 1610. in 8. apud Petrum Chevallier. Non item impressa uti debuerant, inter authores *Historiæ Normannicæ* in folio ab Andrea Duchesnio collectos & impressos anno 1619. apud Sebastianum Cramoisy via Jacobæa sub ciconiis. Meminit hujus Scriptoris Carolus Dufrenius Dominus du Cange in *Indice Scriptorum* quibus usus est in *Glossario Mediæ & Infimæ Latinitatis*, columna 123. Ad eundem hunc Johannem Majoris Monasterii Monachum spectant dubio procul *Gesta Consulum Andegavensium* auctore Monacho Benedictino Majoris monasterii quæ edita sunt ab Luca de Acherio Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri in Gallia, anno 1671. Parisiis in 4. Tomo X. *Spicilegii* p. 399. & sequentibus ad pag. 509. Dedicata enim sunt *Domino Henrico II. Regi Anglorum Duci Normannorum, Comiti Andegavorum, Turonorum & Cenomannorum* &c. qui ab anno 1154. in Anglia regnare cœpit, illaque ad ætatem hanc diserte pertingunt. Pagina 508. cum loquatur de morte Henrici I. Angliæ Regis quæ an. 1137. juxta Rotomagum in loco qui Leons dicitur, ante Natale Domini contigit, cujus corpus in Angliam delatum & sepultum est: itemque de Stephano Comite qui ipsi in Angliæ regno successerit: hinc aperte sequitur opus istud esse dicatum Henrico II. Stephani successori, uti Gerardus Joannes Vossius in Opere *De Historicis Latinis* recte observat: non autem uti perperam scripsit 1150

scripsit Acherius & turpiter hallucinatus est, in Prologo hujus Tomi ad Lectorem Paragrapho VIII. pag. 20. scribens, *Tempus quo scripserit Auctor demonstratur in Epistola ad Henricum II. Regem Anglorum, tunc Andegavorum Comitem, cui suum consecrat opus de Consulibus Andegavensibus, nempe anno 1240.* Non enim Heorico II. sed Henrico II. *Stephani*, in quo definit successori, opus dedicatur. Idem Acherius in Prologo hujus Tomi Paragr. IX. pag. 21. & sequentibus dubitat, an non hic Johannes sit etiam scriptor Libri *De compositione Castri Ambasiæ & ipsius Dominorum gestis*, qui ibidem editus p. 511. & sequentibus, ex MS. Codice Ecclesiæ Andegavensis Canonicorum Sancti Laudi, & ex alio Domini de Launay Parisiensis Senatus Advocati. *Uter vero germanus sit auctor Historiæ Consulum Andegavensium, Monachus ne Majoris Monasterii, an Ambaziaunus scriptor, facile non est, opinor, dijudicare: quandoquidem uterque non abnuit, imo pa'am profitetur se narrationes suæ materiam hausisse ab aliis. Sed si conjectura indulgendum, potius Ambazianum quippe qui posterior scripserit, ut quidem sentimus, a Monacho Gesta Consulum accepisse existimamus. Penes lectorem esto judicium.* Hæc Acherius ad Lectorem, Paragrapho IX. pag. 22. *Gesta Consulum Andegavensium* pag. 399. ejusdem temporis atque scriptoris esse mihi videntur, cum Libro *De Castro Ambasiæ & ipsius Dominorum gestis* pag. 511. Nam Gesta Consulum Andegavensium pag. 399. dedicantur Domino Henrico II. Anglorum Regi, Duci Normannorum, Comiti Andegavorum, Turonorum & Cenomanorum, qui anno 1154. Angliæ regnum obtinuit, post Regis Stephani mortem. Eadem autem Acta cap. 14. pag. 508. finiunt in morte Henrici primi anno 1137. & electione Stephani Comitis Andegavensis, qui frater fuit Theobaldi Campaniæ Comitis & Henrici præfati nepos. Eodem etiam tempore floruit author libri *De compositione castri Ambasiæ & ipsius Dominorum gestis*, qui tamen cap. 7. pag. 535. *Gesta Consulum Andegavensium*, quæ habentur pag. 408. ad finem operis pag. 509. Operi suo inseruit. *Gesta* autem *Ambasiensium Dominorum* pag. 536. ut in Prologo testatur, usque ad mortem Sulpicii, qui insidiis Theobaldi Comitis Campaniæ & Blesensis, circa annum 1150. occisus est, in cujus infelicitate multis enarranda *Historiam* hanc pag. 584. concludit: id quod tempore Henrici II. Anglorum Regis contigit, ut ex pagina 583. constat. Igitur vel unus idemque scriptor Operis utriusque: vel si scriptores duo, ambo ejusdem ætatis esse probantur. Mihi utriusque Operis unus idemque scriptor est Joannes Majoris Monasterii Monachus, qui sub Henrico II. Anglorum Rege claruit. Nam scriptor *De gestis Consulum Andegavensium Spicilegii* Tomo X. pagina 399. post prologum, pag. 401. summatim ac breviter Consules XIV. recenset vel XV. ad pag. 407. tum eosdem latius & diffusius a pag. 408. ad 510. Scriptor *De Compositione castri Ambasiæ* pag. 511. cap. 6. pag. 534. hoc opus ut suum agnoscit, ergo unus idemque utriusque Operis scriptor est.

WOLBERO SANCTI PANTALEONIS COLONIENSIS MONACHUS ET ABBAS, Ordinis divi Benedicti, scripsit circa annum 1150. *Commentarium in Cantica Canticorum libris IV.* quos Henricus Gravius Ordinis ejusdem divi Benedicti Monachus, Coloniæ anno 1650. in 4. imprimendos curavit. Obiisse dicitur anno 1167. Wolbero, de quo in præludiis editionis suæ mentionem facit idem Henricus Gravius. Ex antiquissima tabula, quæ asservatur manuscripta in Cœnobio Sancti Pantaleonis intra Coloniam, ejusmodi verbis: "Vita Wolberonis Abbatis exprimitur Wolbero" duodecimus Monasterii Sancti Pantaleonis" Abbas eligitur anno 1147. postquam R. P. Ger-" hardus senio confectus baculum Pastoralem in" præsentia R. Domini Arnoldi ejusdem nomi-" nis I. Archiepiscopi, ac Priorum Monasterii" resignasset. Hic ingenio & eloquio clarus" fuit, utpote vir in divinis Scripturis studiosis-" simus, & in secularibus literis suo tempore" doctissimus. Scripsit sacris Virginibus Bene-" dictinæ institutionis in Insula Rheni Deo & B." Mariæ militantibus *Libros quatuor in Cantica" Canticorum*, quibus nominis sui memoriam po-" steris reliquit. Obiit anno 1167. quinto Idus" Aprilis sub Alexandro ejusdem nominis III." Romano Pontifice, Reinoldo Archiepiscopo" Coloniensi & Friderico I. Imperatore, cum" annis XXI. præfuisset, sepultus sub ædicula" Divæ Margaretæ Virginis & Martyris, hoc" Epitaphio teste" 1150

Corporis exuvias heic deposui tumulandas,
Præsidiumque piæ sub tegmine spero Mariæ,
Cujus ad ædiculam construxi culmina saeram:

Sit requies animæ, sit plena solutio culpæ.
Hæc suggessit Henricus Ersiners Graviensis, & Ordinis Sancti Benedicti apud S. Pantaleonem Monachus, in suæ editionis præludiis.

ROGERIUS seu RUGGERUS FULDENSIS MONACHUS circa annum 1156. Colligendis Sanctorum Ecclesiæ Latinæ vitis ac martyriis hinc inde dispersis animum apposuit, illaque in sex volumina, quæ multis in Bibliothecis Galliarum, Ordinis potissimum Cisterciensis, MSS. Codices multos ut plurimum habentibus, inveniuntur. Apponam hac de re verba Georgii Vicelii viri doctissimi in *Hagiologii* Præfatione quod anno 1541. Alberto Cardinali Brandeburgico & Electori Moguntino dedicavit. "*Extra hac, quod ego sciam esse vetustum" in hoc argumenti genere, Codices illi Fuldensis bi-" bliotheca sunt, e quibus sex ingentia volumina com-" posuit* (dic collegit & descripsit) *Ruggerus, pie-" tate atque doctrina præstantissimus, Monachus mon-" tis* 1150

„tis S. Mariæ sub Abbate Marquardo, anno humanæ „salutis restituta MCLVI. Suppar huic *Arnoldus* item auctor, seu collector *De sanctis*, qui „in Eigelstein adservantur. „ De utroque hoc scriptore ista continuat Wicelius subjungit. „*Ante Ruggerum hunc, diligentissimum scriptorem*, „*sudarat in eodem lucubrandi studio Arnoldus*, „*cœnobita facundissimus. Iisdem ferme temporibus*, „*aut non ita multo post, existimo scripta fuisse* De „sanctis *duo illa volumina*, *Moguntiæ in monte S.* „*Jacobi*, *qui mons olim* Speciosus *est appellatus*, „*haud procul a vetustissima atque famosissima pyramide*, *vulgo dicta* Eugelstein: *idque non a glande*, *sed ab Eigil principe gentili*, *cujus combusti cineres in hac columna asservantur*. Vt quæ vidimus attestemur, sex illa collecta *De vitis Sanctorum* volumina in Gallicanis bibliothecis frequentissima in MSS. Codd. sunt, quæ olim vidi ac tenui in Bibliothecis Fulcardi Montis Rotomagensis diœcesis, Longi pontis diœcesis Suessionensis, Signiaci & Igniaci Remensis diœcesis, Cisterciensis Ordinis. Vidi quoque Collectionem hanc *De Vitis Sanctorum* anno 1156. factam, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bellævallis Ordinis Præmonstratensis diœcesis Remensis, in qua dum manerem Diaconus & Presbyter ab Andrea du Saussay Tullensi Episcopo factus sunt. Certusque sum plurimas ejusmodi de *Sanctis* collectiones reperiri in aliis Bibliothecis Gallicis Ordinis Cisterciensis, quippe quas in refectoriis inter prandendum cantando pro veteri more legerent, antequam impressi libri in usu fuissent. De his igitur Collectionibus quæ a Latinis ad imitationem Græcorum, quorum princeps Simeon *Metaphrastes* ob hanc rem dictus, factæ sunt: agunt Georgius Wicelius qui illos eosdem imitatus fuit, *ex præfatione* Hagiologii, verbis supra allatis. Et Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 431. editionis ultimæ 1651. in 4. Lugduni Batavorum, apud Joannem Maire.

1150 JOANNES DE HEXAM, PRIOR HAGULSTADENSIS, quem Britannum & Ordinis divi Augustini Canonicum Regularem efferunt obvii nomenclatores *Scriptorum Angliæ* Joannes Balæus Centuria 3. scriptore 31. & Joannes Pitseus ætate 12. scriptore 261. de quo non est ut plura dicamus, quam quod Historiam Simeonis Dunelmensis seu Annales De gestis Regum Anglorum, *per annos viginti quinque* continuavit, eumque rebus fuisse satis coævum & vicinum, ideoque testem earundem esse perquam idoneum. Floruit sub Henrico secundo Rege, atque, ut volunt, sub Richardo primo. Sed interea mirum est, viro longe præstantissimo aliasque diligentissimo Gerardo Joanni Vossio in Opere *De Historicis Latinis* Lib. 3. parte altera pag. 709. excidisse ut scriberet, Joannem hunc a Balæo & Pitseo esse præteritum, cum uterque eorum vitam ejus inter alios scriptores exhibeat. Et Balæus in editione utraque, & in priori quidem fol. 94 atque etiam Vossius in editione prima Lib. 2. cap. 52. p. 421. inter Anglicanos scriptores cum ejusque opera memorans, expressim ipse dixerat: *alia quoque edidisse ex Balæo cognosces.* Imo quod magis mirum est, idem Vossius in ipsius editionis secundæ libro & capite hic annotatis, pag. 412. eadem ipsa vocabula *sed ut debuere* &c. retinuit: licet alio ibidem loco, legamus eum esse a Balæo prætereitum. Hallucinatus est autem Conradus Gesnerus, a quo dicitur *scripsisse rerum in Anglia gestarum historias a nono anno Henrici secundi usque ad Richardum primum*: cum scilicet haud ultra Stephanum Regem scripsisse eum palam fit. Addidit ergo *annos XXV ad Historiam Simeonis Dunelmensis de rebus gestis Regum Anglorum*, nimirum ab anno 1129 ad annum 1154. quo floruit & scripsit. De quo ad annum quoque 1129. in *Simeone Dunelmensi* jam antea egimus. Habetur hæc Historia MS. Cantabrigiæ in Collegio S Benedicti Cod. 64. cum Historia Simeonis Dunelmensis, & cum Historia Richardi Prioris item Hagulstadensis *de Gestis Stephani Regis & de bello Standardi*. Istud autem Supplementum cuius Johannis Seldeni impressum fol. 257. inter *Decem Scriptores Veteres Historiæ Anglicanæ*, tomis 2. in folio Londini anno 1652. typis Jacobi Flesheri. Agunt igitur de *Joanne Hagulstadensi* Balæus, Pitseus, Vossius, locis citatis. Joannes Sheldenus in Prolegomenis ad suam editionem pag. 26.

HVGO PICTAVINVS, VEZELIACENSIS MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, Guillelmi Vezeliacensis Abbatis Notarius seu Secretarius, *Historiam Monsterii sui Vezeliacensis*, jussu Pontii Abbatis anno 1156. scribere aggressus est, quam libris quatuor comprehensam, anno 1167. sub ipso Guillelmo Abbate cui ab Episcopis & secretis erat, tunc absolvit: quos in publicam lucem protulit Lucas Dacherius tomo 3. *Spicilegii* Operis celeberrimi, pag. 468. Agunt *de Hugone Pictaviensi seu Pictavino* isto, Lucas Dacherius in *Præludiis* ad hunc Spicilegii tomum. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice authorum*, ex quibus composuit *Glossarium suum* ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, columna 115. 1150

JOANNES SERLO, pro more temporum quibus ille floruit, *Magister Serlo* atque *Grammaticus* cognominatus, natione Anglus, fratrem quendam habuit Radulphum nomine, Abbatem Parcoludensem. Ipse in juventute, pro ratione seculi hujus Poeta elegans fuit, & Rhetor disertus, qui Grammaticis studiis nimium addictus, in aliis minus excelluit. Factus Postea Eboracensis Ecclesiæ Canonicus, ex Canonico Monachus Ordinis Cisterciensis, & postea Abbas in Fontanensi Cœnobio. Claruit ab anno 1150. 1150

1150. & sequentibus annis. Hugo Kirkestallensis Monachus & discipulus Serlonis, ex hujus notis multa decerpsit, *de rebus in Fontanensi Cœnobio gestis*, itemque *de initio & incremento Ordinis Cisterciensis in Anglia*, ubi claruit anno 1160. & sequentibus; De Sermone hoc Bostonus Buriensis MS. apud Jacobum Vsserium Armachanum, *Serlo scripsit de Oratione Dominica, de dictionibus dissyllabis*. Lelandus MS. in Bibliotheca Publica Oxoniensi, a quo *quatuor Serlones* inter Scriptores Angliæ commemorantur, hunc facit quartum, inquiens: *Serlo denique quartus, ex Canonico Eboracensi factus Monachus Fontanus seu Cœnobii beatæ Mariæ de Fontibus, deinde & Kirchstallensis, quo dictante Hugo Kirstallensis perscripsit res gestas Fontani Monasterii, ac originem una cum incremento Bernardinæ in Anglia sectæ*. Item Balæus *de Scriptoribus Britanniæ* agens de hoc Joanne sub nomine *Serlonis*, affirmat Hugonem Kirchestedum Libros jam recensitos scripsisse dictante Serlone: sed & posteritati reliquisse ut scribunt Bostonus & Lelandus apud Pitseum De Scriptoribus Angliæ, *De bello inter Regem Scotiæ & Barones Angliæ Rithmis Latinis Librum I.* qui sic incipit, *David ille manu fortis &c. de morte Simerledi Regis Manniæ Librum I. David Rege mortis lege clauso* &c. MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 64. *de differentiis verborum* opus MS. Cantabrigiæ in bibliotheca domus Sancti Petri, Codice 5 cujus diversi libri sunt. Nempe *de dictionibus dissyllabis* lib. 1. qui incipit, *Dactile convenient dignis* &c. *de dictionibus æquivocis* Lib. 1. incipiens, *Est vates arator cultro telluris* &c. *de dictionis univocis* Liber 1. Illi etiam attribuit Carolus Vischius *Commentarium in Orationem Dominicam* incipientem, *Protector noster Dominus Jesus* &c. MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Bendicti. At ille pro certo spectat ad Serlonem non Anglum, sed Gallum: non Grammaticum, sed Theologum, ut in *Serlone Savigniacensi Abbate* statim dicemus. Agunt *de Serlone Grammatico &* Fontanensi in Anglia Monacho, Mauriquez tomo 2. *Annalium Cisterciensium* ad annum 1160. cap. 6. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 230. post Pitseum & alios Angliæ nomenclatores. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *de Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 422.

1150 SERLO SAVIGNIACENSIS ABBAS, Ordinis Cisterciensis, de Valle-badoni juxta Bajocas in Normannia oriundus, Monachum induit in Cœnobio Cerasiensi Ordinis divi Benedicti, qui deinde Savigniaci electus Abbas, quod in Diœcesi Abrincensi positum est, anno 1148. istud Cœnobium à Beato Vitali ante triginta sex annos conditum, cum aliis triginta filiabus Abbatiis quæ ipsi velut Ordinis seu Congregationis capiti obtemperabant, Cisterciensi Instituto tradidit, sanctoque Bernardo ac Claræ Vallis Abbatiæ addixit. Scripsit *Sermones* quos edidit Bertrandus Tissier anno 1664. Tomo VI. pag. 107. *Bibliotheca Veterum Patrum Cisterciensis Ordinis*, quos etiam vidi manuscriptos in Bibliothecis Vrsicampi Cisterciensis Ordinis in Tractu Noviomensi, & Claræ Vallis in tractu Lingonensi. In Bibliothecâ quoque Alnensis Cœnobii ejusdem Ordinis in tractu Leodiensi extare dicuntur, ut narrat Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 298. *Ejusdem Serlonis Opusculum in Orationem Dominicam*, MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 5207. quod legimus & optimæ notæ advertimus. Incipit, *Protector noster Dominus Jesus &c.* Idem MS. in Cœnobio Alnensi Ordinis Cisterciensis supra citato, & Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti. Serlo, ut ait Savigniaci Chronicon, vir vitâ & sermone atque Scripturarum scientiâ conspicuus, regimine tandem Savigniaci abdicato, Claram Vallem post Sancti Bernardi obitum secessit, qui vivens ut officio nuntium remitteret permittere noluerat, ubi tandem obiit anno 1158. quinto idus Septembris. Plura Scriptores omnes *Rerum Cisterciensis Ordinis*, Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. in Abbatibus Savigniacensibus. Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag 298. Bertrandus Tissier tomo VI. *Bibliotheca Veterum Patrum ejusdem Ordinis*. Hunc *Commentarium* porrò *in Orationem Dominicam* attribuit *Serloni Abbati de Eleemosyna*, Ordinis Cisterciensis in Brabantia, Carolus Dufresnius du Cange, allegatque MS. Codicem 563. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis, in *Indice authorum* ex quibus composuit suum *Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis*, pagina seu Columna 147.

GEROCHVS SEU GEROHVS REICHERSPERGENSIS, natione Germanus, alumnus primum Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini apud Reicherspergensem, elegans ad ripam Œni supra Passavium Cœnobium, tum ejusdem Ecclesiæ in ditione Bavarica Abbas, anno 1150. florebat. Hic scripsit *Syntagma de Henrico IV. & V. Imperatoribus, & Gregorio VII. Romano Pontifice*, diversis constans Opusculis quod cum *Refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ* in Alexiade, edendum curavit Jacobus Gretserus Soc. Jesu Theologus, Ingolstadii in 4. anno 1611. apud Angermariam. Idem scripsisse dicitur *Chronicon Monasterii sui Reicherspergensis* usque ad annum 1178. editum Monachii anno 1606. in 4. cura & studio Christophori Gewoldi, Maximiliano Bavariæ Duci à Consiliis & Secretis: quamvis alii adscribant *Magno Richobergensi Norico*, qui temporibus Henrici VI. extitit, sed non Gerochus de quo loquimur. Ejusdem *Gerhohi Reicherspergensis Commentarius in Psalmum LXIV.* sive *De corrupto Ecclesiæ statu*, prælo dignus MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 4841. Inscribitur, *Tractatus de negotiis Ecclesiasticis*. Incipit, *Psalmo 64. de duabus Civitatibus inter se contrariis, Jerusalem videlicet & Babylonia &c.* 1150

&c. edidit hoc Opusculum anno 1700. Parisiis in 8. Stephanus Baluzius apud Franciscum Muguet Libro V. *Miscellaneorum* à pag. 63. ad 237. in quo ut præfatur Baluzius *multa scitu dignissima continentur*, inter cætera verò etiam illud quod ex eo discimus, quo primum tempore *curia Romana nomen* auditum sit. Quod optimè congruit cum iis quæ leguntur apud auctorem Geroho coævum Abbatem Cluniacensem Petrum Venerabilem lib. 2. *Miraculorum* cap. 23. *Romana Ecclesia vel curia plenitudo.* De Gerhoho porro vide quæ à Jacobo Gretsero in *Prolegomenis* ad Syntagma ejusdem Gerohi De Statu Ecclesiæ sub Gregorio VII. nonnullisque Romanis Pontificibus consequentibus, dicta sunt. Vnum dicam obiisse illum anno MCLXIX. V. Kalendas Julii. Hæc Baluzius, unde liquet ipsum non esse auctorem *Chronici Reicherspergensis*, de quo supra diximus, quippe cum ad annum 1178. pertingat, quem Gerohus non attigit. Memoratur autem Aventino libro VII. Annalium Bojorum, nam locutus de dissentione inter Henricum IV. Imperat. & Alexandrum II. Papam, hæc subjungit: *Geroehus Reicherspergensis Præsul, de hoc dissidio plura scripsit, quibus titulum* De Antichristo *dedit.* Non dubium igitur quin historia illius temporis ab eo prodita sit, sed ex titulo *De Antichristo* quem operi suo fecerat, suspicio mihi oboritur (inquit Vossius,) non tamen more historico id egisse, quam instar Gildæ excidium Britanniæ describentis, vel potius deplorantis: nempe Gerochus mores sui seculi describere voluit, qui Spiritum Antichristi planè spirabant. Hæc Vossius. Nullus quem cognoscam Nomenclatorum, illius Gerhohi meminit, præter Carolum Dufrenium du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 102. Et Gerardum Joannem Vossium Lib. 3. *De Historicis Latinis*, parte 4. cap. 6. pag. 769. ultimæ editionis, quem tamen malè ad annum 1080. assignat.

1150 ANSELMUS HAVELBERGENSIS IN MARCHIONATU BRANDEBURGENSI EPISCOPUS, doctrina & rebus gestis clarus eodem tempore floruit, qui *Opus contra Græcos* eruditum scripsit, quod ex MS. Codice Monasterii Cistercii edidit Lucas Dacherius tomo XIII. *Spicilegii* sui, ubi in præliminaribus de *Ansel. mo Havelbergensi Episcopo* loquitur. Est autem Havelburgum urbs Germaniæ, & olim Episcopatus sub Magdeburgensi Archiepiscopo in Marchia Brandeburgensi, ut testatur Philippus Ferrarius in *Lexico Geographico*. Illo in loco Anselmus claruit anno 1150. atque anteà quidem, omni genere Litteraturæ tum divinæ; tum humanæ, atque Sanctorum Patrum scriptis non mediocriter imbutus, à tempore Lotharii II. Imperatoris, cujus apocrisiarius extitit, ac legatus Constantinopolim missus ad Græcorum Imperatorem. Missus quoque Anselmus fuit ab Eugenio III. Papa ad Conradum Romanorum Regem, tunc temporis in Longobardia degentem, ut ex Litteris Eugenii Papæ constat his verbis: *Quosdam de Fratribus nostris postquam te ad Longobardiæ partes incolumem pervenisse accepimus, sicut per venerabiles fratres nostros Hartwicum Bremensem Archiepiscopum & Anselmum Havelburgensem Episcopum tibi significavimus, ad tuam Serenitatem duximus destinandos, ut affectum & benevolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent &c.* Litteras Eugenii refert Orto Frisingensis Lib. I. *De rebus gestis Frid rici* cap. 61. Item lib. 2. cap. 4. conventioni inter Fridericum Imperatorem & Papam Eugenium, subscripsit Anselmus cum pluribus Episcopis. Missus autem Constantinopolim, ibi à Sapientioribus Episcopis Græcis provocatus, celebrem conventum seu colloquium iniit, in qua de controversiis inter Græcos & Latinos, acriter, summa tamen cum modestia, ultro citròque disputatum est: quod Eugenio III. Papæ narrat ipsemet Anselmus Havelbergensis Episcopus, his verbis: *Ego aliquando magni Lotharii Romanorum Imperatoris Augusti Legatus fui in Constantinopolim, & ibidem aliquam moram faciens, multas super hujusmodi doctrina & ritu collationes & quæstiones, modò in privatis, modo in publicis tam Latinorum quàm Græcorum conventibus habui: placuit sanctitati vestræ & præcipiendo rogare, & rogando præcipere, quatenus ea quæ vel ego tibi dixerim, vel ab illis dicta audierim & exceperim, in unum colligerem; & quasi* Anticimenon, *id est, librum Contrapositorum sub Dialogo conscriberem.* Et paucis interjectis, *Conservavi antem quantum memoria subministrabat, tenorem Dialogi quem cum venerabili ac doctissimo Archiepiscopo Nicomediæ Nechite, in publico conventu apud urbem Constantinopolitanam habui. Fuit autem idem Archiepiscopus Nechites, præcipuus inter duodecim Didascalos &c. Præmisi autem librum de una forma credendi & multiformitate vivendi, à tempore Abel justi usque ad novissimum Electum, multis quorundam fratrum precibus coactus &c.* Quam autem submisse de se ipse senserit, argumento sunt verba, hæc quæ subjicit: *Sane quicunque hæc legerit, sciat me ea scripsisse, non tam ut quemquam docerem, aut quid ego didicerim ut ostentarem: quam ut Apostolicæ beatitudinis sancto mandato obedirem &c. Si quid imperitia scribendo peccat, id injuncta & humiliter impleta obedientia excusat.*

Deinde in secundo Dialogi libro agit De processione Sancti Spiritus à Patre simul & filio, quod negant Græci. Quomodo vero incepta sit Disputatio ostendit, & præsentes qui aderant viros tam Latinos quam Græcos, initio Libri 2. cap. 1. commemorat ad hunc modum. *Cum essem constitutus in urbe Regia, & crebro varias à Græcis quæstiones suscipierem, & ibidem alias illis proponerem, placuit Imperatori Karlojoanni, placuit etiam Patriarchæ Civitatis N. religioso viro, ut publicus conventus fieret: & statuta est dies, ut in audientia omnium ea sonarent, quæ hinc & inde dicerentur. Convenientibus itaque quamplurimis sapientibus in Vico qui dicitur Pisanorum, juxta Ecclesiam Hagia* Ire-

Irena, qua Lingua Latina Sancta pacis nuncupatur, mense Aprili &c. Positisque silentiariis, qui omnia, qua hinc inde dicerentur, fideliter exciperent, & scripto mandarent: universa multitudo qua ad audiendum avida convenerat, conticuit. Aderant quoque non pauci Latini, inter quos fuerunt tres viri sapientes, in utraque lingua periti, & litterarum doctissimi, Jacobus nomine, Veneticus natione: Burgundio nomine, Pisanus natione: tertius inter alios pracipuus, Gracarum & Latinarum Litterarum doctrina apud utramque gentem clarissimus, Moyses nomine, Italus natione, ex Civitate Pergamo. Iste ab universis electus est, ut utrinque fides interpres esset. Cunctis itaq; ordinatis &c.

In libro tertio tractat de diverso Eucharistiæ ritu Græcorum & Latinorum, Azimo nempe & fermentato, deque Romanæ Ecclesiæ authoritate & prærogativa: & hæc ultima disceptatio in sanctæ Sophiæ Basilica habita est in præsentia sapientum Græcorum, uti refert Anselmus hujus libri 3. cap. 1. qui eruditis responsionibus ac vi rationum, Græcorum objectiones diluit, atque Latinam fortiter propugnavit Ecclesiam, ac demum ita eos devicit & exarmavit, ut adduxerit Nicomediensem Archiepiscopum ad petendum generale Concilium, quo schisma aboleretur, & utraque Ecclesia conciliaretur. Sic habet Havelbergensis Episcopus cap. ultimo, cujus verba Lectori haud injucunda erant, ut opinor. Nechites loquitur: *Summo studio, sicut supra dixi, laborandum esset, ut Generale Concilium congruo loco & tempore fieret, ubi universa qua nos & vos ab eodem ritu dissociant, in unam redacta concordiam firmarentur: & tam Graci quam Latini, unus populus sub uno Domino Jesu Christo, in uno fide, in uno Sacramentorum ritu efficeretur.* Postremo Anselmus Havelbergensis totam disceptationem, omniaque colloquia finivit Nechitæ respondens: *Tu qui Generale Concilium desideras, videtur quod id, quod Catholicum est, intendas: ideoque & ego Concilium Universale futurum exopto, ubi tua sapientia, tua maturitas, tua discretio &c. in facie totius Ecclesia ad salutem & doctrinam omnium possit elucescere &c.* Universi clamantes dixerunt, *doxasi to theo*, quod est, *Gloria sit Deo &c. Calos Dialogos*, quod est, *bonus duorum sermo. Holographis, Holographi:* quod est, *totum scribatur, totum scribatur.* Opus illud extat quoque MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo MSS. Codicum hujus Bibliothecæ, anno 1686. Lipsiæ impresso, cura & studio Joachimi Felleri Bibliothecarii, pag. 412. Agunt de *Anselmo Havelbergensi Episcopo*, Lucas Dacherius in Præludiis ad tomum XIII. *Spicilegii* sui. Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus*, ubi de Scriptoribus Seculi XII. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1149. pag. 670.

1150 HENRICUS HUNTINGTONIENSIS ARCHIDIACONUS, anno circiter 1150. claruit, natione Anglus, qui primum Lincolniensis Ecclesiæ Canonicus, ac demum ab Alexandro Lincolniensi Episcopo, quem Romam usque comitatus fuerat, Archidiaconatu Huntingtoniensi donatus est. Poeta, Orator, Historicus à Polydoro Virgilio, & Joanne Lelando, ea tempestate floruit, qua Stephanus Angliæ Rex mortuus est, anno nimirum 1154. scripsitque *Historiam Anglorum* Libris X. ad Alexandrum Lincolniensem Episcopum, suum patronum & mæcenatem, ab Anglorum & Saxonum in Britanniam transitu usque ad annum 1154. Extant libri IX. cum aliis Anglicanarum rerum Scriptoribus Londini in fol. anno 1596. per Henricum Savillium publicatis, & anno 1601. Francofurti in Germania. Ex libris porrò decem Henrici Huntingtonensis, *nonus* omissus est in Collectione veteri, quem invenire licet in MS. Codice optimæ Notæ Bibliothecæ Thuaneæ, quam jam Colbertus comparavit, suæque adjunxit. Ejusdem *Epistolam* seu *libellum de contemptu mundi*, edidit Lucas Dacherius, tomo VIII. *Spicilegii* pag. 178. ex MS. Codice Gemmeticensi. Idem Opus inscriptum *Imago mundi* MS. Oxonii in Bibliotheca S. Trinitatis, Codice 7. in Magdalenensi Cod. 17. Cantabrigiæ, in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti Cod. 367. quod non observavit Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1150. pag. 671. ubi de his tanquam de Opusculis distinctis loquitur. Scripsit item *Epistolam de Regibus Britonum*, & *Opusculum de provinciis Anglia*, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica Codice 251. num. 9. & 10. *De Sanctis Anglia librum 1.* qui MS. extat Antverpiæ in Collegio Societatis Jesu, uti litteris ad Piseum datis testatus est Heribertus Rosweidus. Denique Henricus Warthon Tomo 2. *Anglia Sacra* pag. 694. edidit ex MS. Codice *Henrici Archidiaconi Huntindoniensis* Epistolam ad Walterum *De Episcopis & viris illustribus sui temporis*, de qua sic ille in Præfatione ad dictum Tomum num. 24. pag. XXIX. „Ea anno 1145. scripta est, & in Libro decimo Historiæ Anglorum ab Henrico compositæ locum habet, integram enim Historiam Henricus Libris XII. absolvit. Octo Priores Regum Anglorum Historiam usque ad annum 1154. perpetuâ serie deducunt, quos Vir Cl. Henricus Savilius typis exprimi curavit Londini 1596. in fol. Posteriores quatuor manent ineditі in binis Bibliothecæ Lambethanæ perpulchris Codicibus. In his Liber nonus agit *De Sanctis Anglia & miraculis eorum*. Liber decimus *De Summitatibus rerum* titulum habet. In Præfatione, quam anno 1135. scripsit, de *fine mundi* disserit, succedit autem præfationi Epistola ad Henricum Regem *De serie Regum & Imperatorum Judaorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum & Romanorum* usque ad sua tempora. Dein alia ad Warinnum Britonem Epistola *De origine Regum Britannorum à Bruto ad Cadwalladrum*, quos in Historia sua prætermiserat, posteà autem in Galfridi Arthuri

„ri libro apud Beccum invenerat. Huic succedit tertia ad Walterum Epistola *De contemptu mundi*, seu, ut alius Codex habet, *De mundi appetitu*. Hanc ex utroque Codice Lambethano exhibui, variantibus alterius lectionibus „ad marginem appositis, quam antea Dacherius „evulgaverat in Spicilegio suu Tomo 8. pag. 178. „Cæterum ut reliquorum Henrici Hutingtonensis Librorum argumenta prosequamur, Liber undecimus *Satiras & Epigrammata* complectitur, Liber duodecimus *Hymnos sacros, lusus amatorios & Carmina diversi generis* habet. Ex „unico hoc Historiarum opere Baléus Centuriâ „2. cap. 82. & Pitseus cap. 204. plusquam viginti libros procuderunt, singulas fere Epistolas, & Carmina pluribus subiode titulis pro arbitrio effictis insignia, sæpius recensentes. Ita „præclare Warthon loco citato, quem transcribere non piguit. De illo Bellarminus & Labbeus, in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Aubertus Miræus in Auctario suo *De iisdem* cap. 374. pag 252. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. mihi 415. Guillelmus Cavus in *Historia rei Literaria* ad annum 1150. pag. 671.

1150 REGINALDUS DUNELMENSIS MONACHUS circa annum 1150. floruit, Ethelredo seu Ailredo Abbati Rievallensi Ordinis Cisterciensis synchronus atque amicus ex intimis. Scripsit Opuscula quædam MSS. adhuc in Anglicanis Bibliothecis, extantia quibus nomen suum ab oblivione futuri temporis exemit. Nam inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 3886. extat in MSS. Codicibus huic Bibliothecæ factis ex dono Illustrissimi Domini Thomæ Fairfax Cameronii Baronis Codice 6. Num. 2. *Reginaldi Monachi Dunelmensis Epistola ad Ethelredum Abbatem Ecclesia Rievallensis* pag. 43. b. ad 136. Num. 7. *De vita & Miraculis S. Edda Virginis, per Reginaldum Dunelmensem Monachum* pag. 164. ad 178. Ejusdem quoque creditur esse num. 1. *De Nativitate, infantia, Vita, & Miraculis S. Cuthberti* pag. 1. ad 43. licet id quidem affirmare nolim. Item in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, sub effigie Claudii, litera D. Codice 4. Num. 2. *Reginaldus Monachus Dunelmensis, De Virtutibus & Miraculis gloriosi Pontificis Cuthberti*, qoam cum anteriore allata Angli facile conferre possunt, an unum idemque opus sit. Agunt de Scriptore isto Thomas Smithus Ecclesiæ Anglicanæ Presbyter, in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ Bibliothecæ, anno 1696, in folio Oxonii ex theatro Sheldoniano edito, pag. 43. columna 2. Editores Catalogi Manuscriptorum Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ, ibidem in folio anno 1698. impressi, ad Codicem 3886. pag. 180. col. 1.

1150 AMEDEUS LAUSANENSIS EPISCOPUS, ex Abbate Altæcombæ Ordinis Cisterciensis, ab anno 1144. quo ordinatus est ad annum 1159. quo mortuus dicitur die 27. mensis Septembris. Hic ex Castro quod dicitur *Costa* prope *Sanctum Antoninum* in agro Viennensi, in Allobrogibus nobili genere oriundus, factus est Ordinis Cisterciensis Monachus, ac Sancti Bernardi apud Claram Vallem discipulus. Unde Abbas primus AltæCombæ io Diœcesi Gebennensi, quod cænobium anno 1135. 18. Calendas Februarii ab Humberto Sabaudiæ Comite latè dotatum, fundatumque est. Ipse demum factus anno 1144. Lausanensis Episcopus, & die Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris anno Christi 1145. consecratus. Quinetiam & Cancellarius *Friderici I. Imperatoris* fuisse dicitur, quo de tamen plurimum dubito. Hujus cum laude meminerunt authores seculi sui non ignobiles. Nicolaus Claravallensis Monachus Epistola XXXIV, ad ipsum data, his eum præconiis exornat. „Non amo Pontificem, sed hominem qui zelum legis cathedræ contulit, „ non à cathedra suscepit. Quis ille, a-„ junt, vigor, quæ solertia Spiritus, quæ „ saltu suæ subtilitatis obstantia quæque per-„ rumpit: & quæ possit de singulis artibus etiam „ cum singulis artificibus philosophari? Pro-„ pterea supereminet illa mortalitatis tuæ libera-„ litas, quæ se præbet blandam pueris, juvenibus „ comem, gravem senibus, confortans omnes, „ omnibus se conformans, in sermone commu-„ nis, in contubernio æqualis, in conciliis præ-„ cellens, & multum ambienda, quia minime ambitiosa. Vidi enim te sine superbia nobilem, „ sine invidia potentem, sine superstitione religiosum, sine jactantiâ litteratum, sine ineptiâ „ gravem, sine studio facetum, sine asperitate „ constantem, sine pluralitate communem: illud „ admirans, quod eminenti sententiæ conscientiam habes superiorem. „ Ipsius pariter cum laude meminerunt, Alanus Antissiodorensis Episcopus in *Vita Sancti Bernardi* cap. 20. & Arnaldus Bonæ Vallis Carnotensis Abbas in *Vita ejusdem Bernardi* cap. 8. cujus memoria in Menologio Cisterciensi ad diem VII. Januarii celebratur. Scripsit *Homilias aliquot in laudem Beata Maria Virginis*, quæ ejus eruditionem cum pietate eximia conjunctam testantur: atque illas sæpius impressas in Gallia cum Sermonibus sanctorum Leonis Papæ I. Maximi, Chrysologi, Fulgentii, & aliorum. Hæ *Homilia VIII. De laudibus Deipara Virginis* cum elogio authoris præfixo à Gervasio Sopheno Brisacensi, Germano, editæ primum Basileæ anno 1517. in 8. apud Adamum Petri. Mirum est quam sibi immeritò hunc arrogent, Mendicantes Ordines? Nam Franciscani plures hunc Amedeum Ordini suo Franciscano adjunxerunt, funeque Seculi XIII. eum cinxerunt. Ita inter cæteros Lucas Vadiogus Ordinis Fratrum Minorum in Opere suo *De Scriptoribus Ordinis Franciscani*, verbo *Amedeus*. Sed videant imprudentes isti temporum arbitri & calculatores, quomodo Amedeus sub Sancto Bernardo adhuc juvene Abbate apud Cla-

Claram Vallem novitius, & anno 1135. in fundatione Abbatiæ Altæ Combæ primus Abbas factus, ac tandem Episcopus Lausanensis, anno 1159. die 27. Septembris mortuus, fune Franciscano qui nondum glomeratus erat, cingi potuerit? Sunt hæc quidem præclara zeli in Franciscanum Ordinem indicia, sed quæ veritatem vel tantisper ne attingunt quidem. Mirumque quam excudant, qui nihil, nisi per capucii sui aperturam inspiciunt. Plura de eo dabunt post Scriptores Cisterciensium rerum, Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 384. pag. 255. Bibliothecæ suæ Ecclesiasticæ. Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, fol. 19. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana*, dum de Episcopis Lausannensibus. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* Seculo XII. parte 1. cap. 6. art. 13. p. 540.

1150. BALDEWINUS MONACHUS SANCTI REMIGII REMENSIS, circa annum 1150. clarus, reliquit posteris *libros tres de miraculis Sancti Gibriani Presbyteri*, post translationem corporis in arcam novam anno MCXLV. patratis, quibus plerisque præsens fuisse dicitur. Indicat seipsum Auctor lib. 2. num. 8. scribens, quod fuerit *unus de custodibus sacri pignoris Baldewinus nomine, cui hoc officium præcipuè ab Abbate suo injunctum fuerit, ante Sanctum Dei sedulò morari & vigilare, & miracula ibi cælitus die ac nocte ostensa scribere, diligenterque memoriæ commendare.* Illos libros ex MS. Codice Abbatiæ S. Remigii qui ad Confraternitatem Sancti Gibriani spectabant, ad se missos edidit anno 1688. in Appendice ad diem 8. Maji, tomo VII. pag. 619. & sequentibus, Daniel Papebrochius, quibus monitum & admonitionem, notulasque adjecit.

1150. GUILLELMUS SANCTI THEODORICI REMENSIS ABBAS, seu prope Remos, Ordinis divi Benedicti, Monasticen primum professus in Abbatia Sancti Nicasii Remensis, cujus postmodum Prior claustralis factus est, circa annum 1112. tum ut omnes scribunt ab anno circiter 1120. ad annum 1137. Abbas institutus Sancti Theodorici in Monte Aureo prope Remos, ejusdem Ordinis. Hic eodem anno 1137. ob amorem, singularemque in Bernardum Claræ-Vallis Abbatem clarissimum dilectionem, Abbatiali munere Montis Aurei relicto, Ordinem Cisterciensem in Cœnobio Signiacensi fama tunc temporis celeberrimo, professus est. De illo ita Seculum IV. Historiæ Universitatis Parisiensis pag. 199. „ Guillelmus iste Abbas fuerat „Monasterii Sancti Theodorici, vulgo du Mont „d'Or, prope Remos, quod à Sancto Theodorico Beati Remigii discipulo institutum „fuisse legitur: deinde vastatum à Normannis „regimini Canonicorum subjacuit, postremò ab „Adalberone Archiepiscopo Rhemensi & Lotharii Cancellario suffecti sunt in locum Clericorum Secularium Monachi Benedictini, pri- „musque eis Abbas præfectus Airardus anno „977. ex Monacho Sancti Remigii Remensis. „Atque ex Schedis Guillelmi Marloti, Guillelmus Theologus inter Abbates ordine septimus „collocatur, ab anno scilicet 1120. usque ad an- „num 1137. quo Abbatiam ejuravit. Helluinus „seu Illinus ejus Successor subscripsit fundationi „Carthusiensium de Monte Dei prope Seda- „num, ab Odone S. Remigii Remensis Abbate „factæ, ut pater authographo è Monasterii ta- „bulario exscripto, qui annus erat XII. regimi- „nis Rainaldi Archiepiscopi. „ Extant ad Guillelmum plurimæ Bernardi Claravallensis Abbatis Epistolæ, ex quibus intelligitur, quanta inter eos amicitiæ necessitudo intercesserit: adeò ut Bernardus sua illi scripta corrigenda transmitteret, *ut quid*, inquit Epist. 86. *Libellus meus oculos ejus formidaret, cui se videndum animus quoque meus totus si posset, expanderet?* Quanti enim eum divus Bernardus faceret, apertè constat, dum ei dedicat duo potissima ex Opusculis suis, nimirum *Apologiam de vita & moribus Religiosorum* contra Cluniacenses pag. 33. tomo 4. editionis Merlonis Horstii, & *Tractatum de gratia & libero arbitrio*, ibidem pag. 63. Ille vicissim adeo Bernardum diligebat, ut pinguem nobilemque Abbatiam ejurans, privatus sub eo Monachus vivere optaverit. Amplexus institutum Cisterciense apud Signiacum, eidem contra Petrum Abaëlardum adhæsit, quem cum audivisset *Apologeticum* ad innocentiæ suæ manifestationem scripsisse: *Cantici Canticorum Expositionem* à se inceptam reliquit, ut adversus eum Styli acumen dirigeret, sicut declarat in *Epistola ad Fratres de Monte Dei*, in qua & Operum à se compositorum hucusque, amplam mentionem facit. Sunt præterea & alia Opuscula nostra. Libellus de Sacramento Altaris. „ Meditationes noviciis ad orandum formandis Spiritibus „non usquequaque inutiles: & super Cantica „Canticorum ad illum locum, *Paululum cum pertransissem eum, inveni quem diligit anima mea.* „Nam contra Petrum Abaëlardum, qui prædictum opus ne perficerem effecit, neque enim „mihi integrum fore arbitrabar, tam delicato „vacare otio, ipso foris fines fidei nostræ, nudo „ut dicitur gladio, tam crudeliter depopulante. „Contra ipsum ergo quod scripsi, quia de fontibus sanctorum Patrum hausi, melius est si ita „vobis placuerit, ut suppresso nomine meo inter „anonyma relinquatur. „

2. Composuit autem libros tres sub hoc titulo, *Disputatio Catholicorum Patrum contra dogmata Petri Abaëlardi:* quos ille Hugoni Rothomagensi Archiepiscopo dedicavit. Illius procul dubio sunt *Libelli tres*, de quibus Gaufridus Monachus Claræ Vallis in Epistola ad Henricum Cardinalem Albanensem, his verbis. *Audivi etiam*, inquit, *quod super damnatione Petri Abaëlardi diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cujus libellos pia memoria Dominus In-*

Innocentius Papa II. in urbe Roma & in Ecclesia B. Petri incendio celebri condemnavit, Apostolica auctoritate haereticum illum denuntians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanae Ecclesiae, Cono nomine, Regularis quondam Canonicus Sancti Nicolai de Arausia, ejus Theologiam Suessione Concilium celebrans similiter concremaverat, ipsum Petrum praesentem arguens, & convicium de haeretica pravitate condemnans. Unde vestro si placuerit desiderio, per libellum De vita Sancti Bernardi, & per ejus Epistolas missas ad curiam, satisfeci. Inveni tamen in Claravalle libellum cujusdam Abbatis nigrorum Monachorum, (nempe Guillelmi) *quo errores ejusdem Petri notantur, quem & olim me vidisse recordor. Sed à multis annis ut custodes librorum asserunt, studiose quaesitus primus quaternio non potuit inveniri: quapropter praepositi nostri est in Franciam destinare ad Monasterium cujus Abbas extitit, qui eundem librum composuit: & si recuperare potero, transscribi facere Codicem istum totum, & mittere vobis.* Hujus porro Libri exemplar se habuisse scribit Andreas Duchesnius in Notis ad Abaelardum, ex dono Nicolai Camuzati Trecensis Canonici & viri antiquarii, in cujus capite sic erat scriptum: *Deest unus quaternus, qui continuerit obedientiam Scriptorum illum requirat* Impressi tandem sunt cum hoc defectu inter alia Opera Guillelmi Abbatis Sancti Theodorici, Tomo IV. *Bibliotheca veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*, à Bertrando Tissier Priore Bonifontis in Thierascia.

3. Idem noster Guillelmus multa scripsit in ea solitudine, quae ob praestantiam suam Bernardo ejus amico attributa olim, & inter ejus Opera impressa sunt, parem habentia suavitatis stylum, pietatis ac mellifluae devotionis speciem. Horum Catalogum ipse contexuit in Praefatione ad *librum De vita solitaria*, quem Guillelmus noster, non ipse Bernardus, ut omnes olim arbitrati sunt, composuit ad *Fratres de Monte Dei*, Gaufridum hujus loci Priorem & alios Carthusianos. Illa autem sic recensentur, *Speculum fidei. Aenigma fidei. Meditationum Liber I. De contemplando Deo Liber I. De natura & dignitate amoris Divini Lib. I. De natura corporis & animae Libri 2. Disputatio contra Petrum Abaelardum. Libri tres alii contra eundem Abaelardum:* de quibus eruditè loquitur Caesar Egassius Bullaeus Seculo IV. Historiae Universitatis Parisiensis pag. 743. in Catalogo illustrium Academicorum, quae nos ratione compendii olim hic omissa, postmodum adjiciemus. Item *De erroribus Guillelmi de Conchis Liber I. Tractatus de Sacramento Altaris. Expositio in Cantica Canticorum* usque ad haec verba, *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Denique *Commentarius in Epistolam ad Romanos* utcunque prolixus: quae omnia impressa continentur tomo 4. Bibliothecae Patrum Ordinis Cisterciensis, impressae anno 1662. apud Bonumfontem ejusdem Instituti Coenobium, in folio. Scripsit etiam *Librum unum de Vita Sancti Bernardi*, qui cum Operibus docti ejusdem Abbatis saepissimè impressus legitur.

4. Tandem in ultima editione Operum Divi Bernardi quam accuravit Johannes Mabillon tomis 2. in folio Parisiis anno 1667. apud Fredericum Leonard, idem Mabillonius sub nomine S. Bernardi edidit *Commentarium in priora duo capita Cantici Canticorum*, quem meo quidem judicio, reddendum esse censeo atque adscribendum nostro huic *Guillelmo S. Theodorici Abbati*. Nam *primò* Guillelmus ipse in Vita clarissimi Abbatis capite 12. ita de hoc Commentario loquitur, quasi illum ex ore sancti Abbatis excerptum, ipse dum apud Claram Vallem aegrotaret, conscripserit, „Itaque tunc disseruit mihi de Cantico „ Canticorum, quantum tempus illud infirmita- „ tis meae permisit, moraliter tantum intermissis „ mysteriis Scripturae illius, quia sic volebam, & „ sic petieram ab eo. Singulisque diebus quae- „ cunque super hoc audiebam, ne mihi effuge- „ rent, scripto alligabam: in quantum mihi „ Deus donabat, & memoria adjuvabat. „ Is igitur *Commentarius* inscribendus esset, *Guillelmi Sancti Theodorici Abbatis vel Monachi Signiacensis, ab ore Sancti Bernardi illum excipientis.* Praetereà inventus est à Domino Carolo de Visch in MS. Codice veteri Bibliothecae Dunensis in Flandria, cum aliis duobus tractatibus ejusdem Guillelmi indubiis: quorum unus *De contemplando Deo*, alter *De natura & dignitate amoris divini*, ambo tamen sub Divi Bernardi nomine, licet perperam habebantur: unde idem pariter de hoc opere ac de aliis ad Guillelmum absque dubio spectantibus, judicandum est. *Tertiò* quamvis Guillelmus ex ore Divi Bernardi hunc Commentarium exceperit, quia tamen fallit saepè memoria, ac per otium plura scribuntur, quam quae furtim ab ore excipiuntur: inde potius Guillelmo exceptori, quam Bernardo dictanti, ex communi hominum sensu, tribuendus esset.

5. Praeter haec impressa, insigne extat Collectaneorum Opus ipsius Guillelmi, in Abbatia Signiacensi, in qua Monasticen professus est, propria (ut dicitur) Guillelmi scriptum manu. In eo continetur insignis *Commentarius & prolixus in Cantica Canticorum ex verbis Divi Ambrosii:* quem quia olim ab Antonio Demochare ex aliquo MS. Codice transscriptus est, sub nomine Antonii Democharis habes ad calcem tomi V. Operum Sancti Ambrosii. Hic Commentarius qui sub nomine Democharis legitur, adeò mendosus, ut ab Autographo prorsus alienus sit. Initio fineque caret, locisque multis hic ita per adjectiones detractionesque interpolatus est, ut meritò alius à genuino censeri debeat. Sed correctum & emendatum à me ad MS. Signiacense Exemplar, seu Autographum à me transscriptum & traditum, ediderunt anno 1686. Benedictini Galli in novissima editione Operum Sancti Ambrosii, ad finem primi voluminis columna 1546. Incipit: *Osculetur me osculo oris sui. Non hic foeditatis in-*

cen-

centiva, sed castitatis celebrantur mysteria &c. Incipit Textus, *Ante vita, quam doctrina quærenda est &c.* In eodem Codice MS. Collectaneorum *Guillelmi*, extat quoque *Commentarius in Cantica Canticorum ex verbis S. Gregorii Papæ*, quem hic damus. Iidem ambo Commentarii MSS. in Codice citato cum *Sententiis de fide ex verbis divi Augustini*, de quibus singulis tanquam suis, Guillelmus ipse in Prologo libri *De vita solitaria ad Fratres de Monte Dei*, his verbis loquitur: *Excerpsi enim ex libris Sancti Ambrosii, quidquid in eis disseruit super Cantica Canticorum, opus grande & inclytum. Similiter & ex beati Gregorii, sed diffusius quam Beda fecerit: nam idem Beda, ut nostis, ultimum in cæteris libris suis, hanc ipsam Excerptionem constituit.* Jam ergo restabat hoc unicum haud impressum Opusculum Guillelmi Abbatis olim Sancti Theodorici, *Commentarius in Cantica Canticorum ex verbis divi Gregorii, sed diffusior quam Beda fecerit:* non ita prolixus tamen, ut mole sua lectori stomachum moveat, seu aquæ menti tædium afferat: qui à me tandem cum aliis Opusculis Veterum in 8. editus est Lugduni Batavorum anno 1692. apud Petrum van der Meerche.

6. Opusculum quoque *Sententiarum de fide* ex divi Augustini Operibus, transscriptum a me ex Autographo, traditumque Thomæ Blancpain Monacho Benedictino, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, qui Collectionem hanc sub authoris proprii nomine edere promisit, ad calcem ultimi voluminis Operum divi Augustini, quæ multu & incredibili ille successu, novâ editione Parisiensi digessit. Hujus quoque Operis Guillelmus meminit in Prologo Epistolæ *De vita solitaria ad fratres de Monte Dei*, his verbis: *Sententias de fide quas de beati maximè Augustini libris extraxi, si vultis transscribere, fortes nimirum & graves sunt; cum supradicto opusculo quod Ænigma fidei intitulari placuit, magis congruunt.* Cæsar Egassius du Boulay author *Historia Vniversitatis Parisiensis* Seculo IV. pag. 162. ad annum 1140. attribuit illi Opus quoddam Sententiarum Scholasticarum, quasi Guillelmus iste primus harum Sententiarum Scholasticarum inventor fuerit, his verbis: „Eodem anno Magister Guillelmus Abbas olim Sancti „Theodorici, dicitur librum unum Sententiarum edidisse, hincque Sententiarum nomen in„valuisse ferunt, & Sententiarios Theologos dici „cœpisse: inter quos Petrus Lombardus, qui „circa ea tempora Lutetiam venit, facile princi„patum tenuit. Sunt tamen qui Sententiarum „inventionem Magistro Hugoni de Sancto Vi„ctore adscribant, qua de re nos supra ad an„num 1120. Item ante hæc quoque tempora „Petrus Abaëlardus dicitur Sententiarum li„brum edidisse, ex quo Bernardus Claræ Vallen„sis nonnullos errores extraxit hæc ille. Sed si Egassius vidisset istud Opus, aliter sensisset. Habetur MS. in Bibliotheca Signiaci Ordinis Cisterciensis, ex autographo Guillelmi cujus exemplar olim habui, inscriptum. *Sententia de fide, potissimum ex Sancto Augustino & aliis sanctis Patribus.* Incipit Liber, *Essentia est res quæ est, ex quibus est, & quæ in eo, quod manet, subsistit &c.* Agit toto illo tractatu, fermè semper ex verbis divi Augustini & Boetii, *De essentia & aliis attributis divinis, De Trinitate & unitate Personarum*, cum paucis ad calcem Operis, *De creatione, de Angelis, & homine &c.* At longe istud Collectaneum distat à methodo Scholasticorum & Sententianorum, de quibus loquitur Egassius Bullæus.

7. Porro circa annum 1150. vel paullò serius, Magister *Gualterus de Mauritania*, Decanus tunc Beatæ Mariæ Laudunensis, videtur scripsisse contra Magistrum hunc *Guillelmum Monachum*, qui singularem quandam de baptismo parvulorum ab Hæreticis collato habebat opinionem & tuebatur, ostendens effectum Baptismi non pendere ab inæqualitate meritorum ministri. Opinabatur autem Guillelmus, peccatorum remissionem non conferri parvulis ante tempus discretionis, ubi ab Hæretico, Christi baptismo baptizarentur. Contra hanc Opinionem novam scripsit *Gualterus de Mauritania* Epistulam, quam habet Lucas Dacherius in *Spicilegio* ut suprà diximus, & Seculum IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* pag. 74. Subdubitat autem & meritò Egassius Bullæus quis fuerit iste *Magister Guillelmus*, cum hoc seculo Guillelmi Professores multi fuerint. Nec constat a vis cognomento, an professione Monachus diceretur, inquiens: *Fortè is est Magister Guillelmus Sancti Theodorici Abbas, qui cum Bernardo Claravallensi Abaëlardum diu & vehementer oppugnavit.* Vixit usque ad annum 1160. Guillelmus, cujus mortis annus incertus est, in claustro Signiacensi honorifice conditus. Agunt de illo Henricus Gandavensis in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 10. Aubertus Miræus in *Scholio* ad dictum caput. Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 137. & quidem multis. Bertrandus Tisserius seu Textor in Præludiis suis ad tomum IV. *Bibliotheca Veterum Patrum ejusdem Ordinis*, de quâ suprà. Guillelmus Marlot, Prior Sancti Nicasii in *Historia Metropoleos Rhemensis.* Cæsar Egassius du Boulay Seculo IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis*, tum in Historia paginis 74. 162. & 199. tum in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 743. cum aliis multis. Ego quoque in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Ecclesiasticis* Seculo XII. ad annum 1150. pag. 426. unde hæc paullò fusius expressa sunt.

NICOLAVS CLARÆVALLIS MONA- 1150
CHVS, professus primum vitam Monasticam in Monasterio Arremarensi Ordinis Divi Benedicti, qui tum postea ex motivo observantiæ rigidioris Claram Vallem accessit, in qua tandem Divi Bernardi Notarius seu ab Epistolis fuit. Claruit anno circiter 1150. ob doctrinam

nam & ſcribendi nitidum characterem, *Librumque Epiſtolarum* ſcripſit, quem habet Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. Seculo XII. & Lugdunenſis anni 1677. Tomo XXI. pag. 517. Alias ejus duas Epiſtolas anteà ineditas, edidit Stephanus Baluzius tomo 2. *Miſcellaneorum* pag. 234. Idem ſcripſit *Librum ſermonum Henrico Campaniæ Comiti nuncupatum*, quem habet Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Ciſtercienſis, tomo 3. pag. 193. & ſequentibus. Ob peſſimam tandem in officio ſuo rationem, ob Sigillorum & Scripturarum adulterinam corruptionem, quarum convictus fuit, in Italiam profugus, Abbatis Bernardi inimicus evaſit, qui vagus usque ad annum 1171. & ulterius adhuc vixiſſe creditur. Nec enim de anno vel genere mortis illius conſtat. Plura Carolus de Viſch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis*, pag. 249. Angelus Mauriquez tomo 2. *Annalium Ciſtercienſium* ad annos 1145. cap. 9. 1146. & 1148. cap. 5. 1151. cap. 9. & 1171. cap. 6.

1150 HENRICVS SALTARIENSIS COENOBII MONACHVS, Ordinis Ciſtercienſis, natione Anglus vel Hibernus, à Florentiano Hibernorum Epiſcopo partim, partimque à Gilberto de Luda Monachorum Ciſtercienſium Abbate educatus, iis poſteà ſeipſum in Monaſterio Saltarienſi ſe obtulit, quod anno 1147. fundatum eſt, ut habet Mauriquez. Joannes Pitſeus *De illuſtribus Britanniæ Scriptoribus*, vult illum floruiſſe anno 1140. Stephano cum Mathilde de Summà rerum, in Angliâ hoſtiliter contendente. Rectius tamen Mauriquez ad annum 1147. tunc fundatum cenſet Saltarienſe Monaſterium, ideoque Henricum claruiſſe poſt annum 1150. Hic ingenio ut opinor ſimplex, fide promptus ac facilis, modicusque judicio mihi viſus eſt, in eo libro quem ad *Henricum Abbatem de Sartis* ſcripſit *De pœnis purgatorii* ſeu *De purgatorio Sancti Patricii*, Opus quod in MSS. Bibliothecis Abbatiarum Ciſtercienſis Ordinis frequentiſſimum eſt. Incipit Prologus cum titulo, *Patri ſuo in Chriſto &c. Juſſiſti Pater venerande &c.* quod in potiſſimis quoque Pariſienſibus Bibliothecis habetur. Prologum hujus Operis integrum & libri plura fragmenta hoc noſtro ſeculo edidit in Florigerio ſuo Hiberniæ Sanctorum, Thomas Meslinghamus Hibernus, ſed integrum tandem Opus ad multos Codices MSS. collatum, evulgatum eſt ut tradunt Bollandiſtæ in Sancto *Patricio*, ubi de *Purgatorio Sancti Patricii* in Hibernia ſermonem inſtituunt. Nec tractatus iſte miſerrimus merebatur, ut ad tot MSS. Codices evulgandus conferretur, ob authoris ſimplicitatem & abſurditatem operis. Vixiſſe creditur Henricus Saltarienſis, usque ad annum 1180. de quo Carolus Viſchius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis*, pag. 145. cum aliis.

RADVLPHVS FLAVIACENSIS, natione Gallus, ita dictus ex Cœnobio Flaviacenſi ſeu Sancti Geremari, Ordinis divi Benedicti in Epiſcopatu Bellovacenſi, ubi monaſticen profeſſus fuerat, non Seculo X. uti hactenus creditum eſt, claruit: Sed Seculo XII. ad annum 1157. uti Philippus Labbeus eximie probat in Diſſertatione Hiſtorica *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Robertus Bellarminus recenſuit, Tom. 2. verbo *Radulphus Flaviacenſis* pag. 273. & in *Addendis & corrigendis* pag. 799. ex authoritate Alberici Monachi Trium Fontium in Diœceſi Catalaunenſi, in *Chronico* MS. ſed nunc Hanoveræ in 4. anno 1698. impreſſo, ad annum 1157. ubi in Gallia tunc temporis claruiſſe viros duos celebres ſcribit, *Radulphum Monachum Flaviacenſem* Ord. Divi Benedicti, qui in Leviticum commentatus eſt, Et *Zachariam Chryſopolitanum Canonicum Ordinis Præmonſtratenſis apud S. Martinum Laudunenſem*, qui in Ammonii Alexandrini *Μονοτέσσαρον ſive Concordiam Evangelicam* libros IV. compoſuit, Coloniæ anno 1535. in folio primum editos. Extant hujus Commentarii Radulphi Flaviacenſis in *Leviticum* MSS. Codices in Gallicanis bibliothecis frequentiſſimi, qui nec deſunt in Anglicanis, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2127. in MSS. Codicibus ipſius Thomæ Bodleji litera C. 7. Codice 4. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1413. in MSS. Codicibus Collegii Omnium animarum Codice 12. Ibidem Codice 1954. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis in Oxonia, Codice 17. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis, Codice 285. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, in adverſo latere Claſſis dextræ, ſerie ſuprema Codice 30. & in parte Bibliothecæ Auſtrali, ſerie media Codice 24. Ibidem Codice 1427. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 147. Ibidem Codice 2206. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Publicæ Cantabrigienſis Codice 26. num. 1. Et inter MSS. Codices Bibliothecarum Angliæ inſignium Codice 1908. in MSS. Codicibus Collegii Etonenſis ſub arce Windeſorja Codice 110. Ibidem Codice 7970. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobeæ, Codice 148. Commentarius hic ſæpe impreſſus eſt multis in locis. At ejusdem authoris opus aliud non editum nec cognitum, inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 2011. in MSS. Codicibus Aulæ Pembrochianæ Codice 83. ſub hoc titulo: *Radulphus Flaviacenſis ſuper Parabolas Salomonis.* "Ex notatione cujusdam Veteris in hunc librum, conſtat eum ſcripſiſſe ferè in omnes libros veteris & novi Teſtamenti. Item *Cenſura de duobus Radulphis*. Radulphus Flaviacenſis non ſcripſit *De re militari*, ſed alius Radulphus cognomine Niger." Hæc contra Guillielmum Cavum in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo 12. ad annum 1157. pag. 676. qui utrumque confudit, ac Radulphum Flaviacenſem fuiſſe cognomina-

tum *Nigrum* perperam existimavit & scripsit. Nam Radulphus Flaviacensis Gallus fuit, Radulphus Niger Anglus: primus anno 1157. ex Chronico Alberici floruit & scripsit, secundus circa annos 1190. vel 1200, nec eodem tempore vixisse creduntur. Errat autem absurde admodum ibidem Cavus, dum adscribit Radulpho Flaviacensi *Commentaria in Cantica Canticorum* Divo Gregorio perperam inscripta, quæ Radulpho postliminio restituisse & sub istius nomine edidisse dicitur Jacobus Hommey in *Supplemento Patrum* Parisiis 1684. in 8. pag. 276. Jacobus Hommey edidit illa sub nomine *Sancti Radulphi Fontanellensis Abbatis*, qui alius homo est ab Radulpho Flaviacensi Monacho. Hæc Commentaria dubio procul spectant ad Robertum Sancti Vigoris Bajocensis Abbatem, quæ *Prologus integer* tomo 1. *Analectorum* Joannis Mabillon pag. 125. disertè *Roberto* Sancti Vigoris Bajocensis Abbati attribuit: idque post Ordericum Vitalem, contemporaneum ac oculatum testem, ejusdem regionis, temporis & ordinis alumnum, libro 8. *Historia Ecclesiastica* ad annum 1094. Quid ergo adversus tantam authoritatem Cavus & Hommey nugantur? Quid contra testem ejusdem temporis? Agunt de Radulpho Flaviacensi Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus attigit, locis supra citatis. Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ*, seculo 12. ad annum 1157. pag. 676.

1150 ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS sive GOLDSBOROUGH, ex Ordine Canonicorum Præmonstratensium in Abbatia Sancti Martini Laudunensis, claruit eodem anno 1157. cum Radulpho Flaviacensi, ut testatur Chronicon jam editum Alberici Monachi ad annum citatum. Perfecit hoc anno *Commentarium in Concordiam Evangelicam Ammonii Alexandrini* Libris IV. qui Coloniæ Agrippinæ anno 1535. in folio editi sunt, ac sæpius in Bibliotheca Veterum Patrum. Extant hujus Operis exemplaria plurima MSS. in Anglicis Bibliothecis, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 2035. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 6. Codice 3. num. 1. *Zachariæ Chrysopolitani, sive Goldsborough Explanationes in unum ex quatuor*, seu *Concordia Evangelistarum, unà cum interpretationibus nominum in Evangelio.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, Codice 1132. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Cathedralis Wintoniensis Codice 12. Ibidem Codice 5893. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 59. Ibidem Codice 7627. in MSS. Codicibus Roberti Burscough Codice 8. Ibidem Codicibus MSS. 7944. 7948. 7983. in MSS. Codicibus Jacobeæ bibliothecæ Codicibus 222. 226. 261. Agunt de hoc Scriptore Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis* quos attigit Bellarminus Tomo 2. verbo *Zacharias Chrysopolitanus*. Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* seculo 12. ad annum 1157. p. 676.

ODO DE DIOGILO ABBAS SANCTI DIONYSII IN FRANCIA, vulgo dictus Odo de Deijil, qui Abbas primum & primus quidem Sancti Cornelii Compendiensis, ad quem Sanctus Bernardus Epistolam 285. direxit. Cum autem moribus ac prudentiâ rerum agendarum floreret, Abbas Sancti Dionysii in Franciâ post mortem Sugerii clarissimi viri, anno 1153. electus est. Huic Ludovicus Castrum novum in terra Martyris Dionysii, ante Sanctum Clarum in Vulcassino, diplomate anni 1153. concessit. Scripsit vir doctus nobile Opus *De profectione Ludovici Septimi Regis Francorum in Orientem*, quod edidit ex MS. Codice Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu, Divione in 4. anno 1660. apud Viduam Philiberti Chavaneo in Opere suo inscripto, *Sancti Bernardi Claravallensis Abbatis genus illustre assertum*: ubi etiam leguntur, *Joannis Eremitæ Libri duo de Vita Sancti Bernardi* pag. 97. scripti anno 1180. ut in præfatione probatur. Itemque *Libri tres De Miraculis Divi Bernardi* pag. 161. scripti anno 1178. ab Herberto Abbate primum de Moris, tum posteà Amanuensi seu Capellano Henrici Claravallensis Abbatis, denique Archiepiscopo Turrium in Sardinia. *Odonis de Diogilo descriptio itineris transmarini Ludovici Regis*, extat MS in Bibliotheca Pontigniacensi Ordinis Cisterciensis, unde à Chiffletio eruta prodiit. Vixit Odo usque ad annum circiter 1168. de quo Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Christiana* in Abbatibus Sancti Dionysii, Agri Parisiensis. 1150

PHILIPPUS DE HARVENG, BONÆSPEI ABBAS, Ordinis Præmonstratensis in Hannoniâ, floruit anno 1160. & sequentibus, qui multas antea cum Sancto Bernardo Claræ Vallis Abbate altercationes, gravesque discordias habuit, de quibus acriter conqueritur Philippus in suis Epistolis. Hic primum Parisiis studuit, unde Laudunum ad Magistrum Anselmum profectus est, de quo sic loquitur Epistola 7. ad Joannem. „ Nec juxta quorundam præsumptionem ipse me docui, sed à Magistro Ansello didici: quod non dico ut me commendem, sed ut vos tanquam &c. Et paullò post. Vos indignamini, quia dixi vos in claustro sacras litteras didicisse, tanquam per hoc videar vobis contumeliam intulisse, & commendabilius existimatis, quod Laudunum discendi causâ requisistis, & in Magistri Anselli celebri auditorio resedistis. Sed beatus homo, qui non Laudunum vel Parisius requisivit; sed *Beatus* inquam *homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Quantum recolo, cum scholas discendi gratiâ frequentarem, & vel conferri vel præferri quibusque melioribus præsumptivo more scholarium præoptarem, ab his tamen qui 1160

„qui vel ætate vel gradu quolibet inferiores se „eredebant, non contempsi & audire & „discere quæ sciebant: nec adeò tumui su„perbiâ, ut attenderem quis cui loqueretur, „dum tantum quod audirem, commendabile „videretur." Scripsit plures Epistolas ad quosdam Magistros Parisienses ad Wedericum, ad Heroaldum 2. & 3. In secunda quidem cum eo agit, de quadam quæstione tunc temporis celebri, quomodo Caro Christi fuisset à peccato immunis facta? In tertia mirificè laudat Universitatem Parisiensem, & in quarta quoque ad Engelbertum tunc Lutetiæ litteris operam dantem, cui Veterum exemplis probat multo labore, sudore, curâ opus esse, multiplicem ferendam esse penuriam in acquirendis scientiis. „Deinde subjungit, cum hos & hujusmodi viros „non fregit laboris asperitas, non provectæ re„vocavit ætatis Longævitas, quin studio lit„terali tantam diligentiam impertirent, ut amo„re sciendi occurrentia quævis incommoda non „sentirent: non est consilii, ut propter ingru„entem febriculam tua strenuitas emarcescat, & „infirmato corpore virilis pariter animus elan„guescat. Non enim Parisius fuisse, sed Parisius „honestam scientiam acquisisse, honestum est. „Non itaque tibi sufficiat, si Musas, si fontem He„liconium vidisti, si de illius rivulo guttam mo„dicam tu hausisti: si videas illius rore tenuissi„mo te perfundi, ejus autem affluentiam tibi ple„nius non infundi. Denique ipsa Philosophia „quæ proponit studentibus fontem lucidum „Heliconis, non satis esse indicat, solum hujus „beneficium visionis. Et cui acre & acutum „ingenium dat Platonis, cui flores & ornatam „eloquentiam Ciceronis, cui largitur illius tui „Socratis documenta, cui Aristotelis revelat „manifestius argumenta: eum profectò vult „guttâ vel rore modico non aspergi, sed ejus „fonti vivido diutius incumbere & immergi. „Quæ autem vel divitiæ temporales, vel delitiæ „corporales, possunt cum hac scientiâ compa„rari? Cum quivis stultus & illis affluere „nonnunquam videatur, & hanc sibi acquirere „nullatenus mereatur.

Graves cum Sancto Bernardo contentiones Philippus tunc Bonæspei Prior exercuit, propterea quod Bernardus aliquos è Canonicis Regularibus Ordinis Præmonstratensis retinuisset, eisque furtim Monasticum habitum petentibus, impertivisset. Itaque Epistola 10. graviter cum eo expostulat, & Epistola etiam 12. ea de re ad Eugenium III. questus est. Tantus tunc temporis erat authoritate Bernardus, ut qui se a calore ejus absconderet nullus esset, vel qui se ab ejus indignatione illæsum contegeret. Nec dublum quin potentiam ejus ac gratiam sibi adversas lensisset Philippus, nisi contentionem jam ardentem nimiumque Bernardi zelum mors extinxisset. Factus Abbas Bonæspei Odone circa annum 1162. Abbatialibus cedente, quam Ecclesiam sanctè & prudenter per annos plures administravit.

Scripsit autem multa, quæ ex MSS. ejusdem Ecclesiæ quæ vidimus, evulgavit Nicolaus Chamart ejusdem Cœnobii Abbas, in folio Duaci anno 1621. apud Balthasarem Bellerum. Sunt autem *Epistolæ XXI.* eloquentes pag. 1. & sequentibus, quarum *Decima* Bernardum Claræ Vallis Abbatem graviter objurgat, multis sese immiscentem, quibus nullo negotio ad se non spectantibus, abstinere vir minus audens poterat.

Ejusdem *Commentarius Mysticus in Cantica Canticorum*, pag. 101.

Moralitates in eadem Cantica. pag. 186.

De Somnio Nabuchodonozoris. pag. 340.

Tractatus de salute primi hominis. pag. 344.

Tractatus De damnatione Salomonis. pag. 361.

Tractatus sex De institutione Clericorum, primus nempe *De dignitate Clericorum*, secundus *De scientia*, tertius *De justitia*, quartus *De continentia*, quintus *De obedientia*, sextus *De silentio.* Attendere deberent ad sextum hunc Tractatum Clerici Ordinis Præmonstratensis, & ad quintum, qui nuperrimè & silentium & continentiam abjecerunt, sub Michaelis Colberti, veri hujus Ordinis Colubri, quem veneno fœdissimæ suæ ac scandalosæ vitæ totum infecit, regimine: quasi utraque ista observantia, Monachatus propria quædam praxis esset, nullaque ad continentiam lege Canonici etiam Regulares adstringerentur. Hæc ubi pleni vanitatis Præmonstratenses Colberti vel Colubri sui sequaces vendirant, & capitis sui levitatem & propriæ cervicis inane produnt, & Instituti sui ignorantiam. Gloriantur hodie plerique homines de vano ac resonante *Canonici Regularis* nomine, illud affectant ac sæpius etiam jure nullo usurpant, in quamcunque colloquii sui familiaris periodum importuni obtrudunt: rem tamen nomine expressam ac designatam spernunt, exsufflant, irrident, *Canonicorum irregularium* nomine & appellatione dignissimi. Procul hinc petulcum ejusmodi hominum genus, quocum utinam tamdiu non mansissem!

Vita Sancti Augustini Hipponensis Episcopi. pag. 691.

Vita Sancti Amandi Abbatis. pag. 707.

Passio Sanctorum Cyrici & Julittæ p. 745.

Passio Sancti Salvii Martyris. p. 752.

Vita Sancti Foillani. p. 759.

Vita Sancti Gisleni Confessoris & Abbatis. pag. 767.

Vita Sancti Laudelini Abbatis. p. 773.

Vita Sanctæ Odæ Virginis. p. 779.

Vita Sanctæ Waldetrudis Virginis. p. 788.

Passio Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris, Carmine elegiaco. p. 796.

Varia Carmina, Epitaphia, & Logogryphi. pag. 798.

Obiisse ipsum post annum 1158. vel circiter censeo, eumque plusquam octogenarium vel nonagenarium, siquidem antea Anselmi Laudunensi, qui anno 1117. mortuus legitur, discipulus fuisse perhibetur. Epitaphia in laudem amicorum variorum defunctorum scripsit, ac nonnullorum etiam quos sola fama notos habebat, *Ivonis Carnotensis Episcopi, Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, Magistri Petri Abaelardi, Gulielmi de Conchis, Bernardi ClaraVallis Abbatis*, quem mortuum amplius quam viventem loquentemque dilexit: *Vrbani* denique *III. Summi Pontificis*, quem anno 1185. ad Petri cathedram elevatum, mors anno 1187. abstulit. Vnde colligimus recte *Philippum Bonaspei Abbatem* vixisse usque ad annum 1188. valde senem. Plura de illo Joannes le Paige in *Bibliotheca* Præmonstratensi. Aubertus Miræus in *Brevi Chronico ejusdem Ordinis*. Seculum IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum pag. 768. unde pleraque hausimus. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Philippus ab Eleemosyna* pag. 772. editionis 1643 Lovanii in 4.

1160 METELLVS, TEGERSEENSIS IN GERMANIA MONACHVS, ex Ordine divi Benedicti, non claruit anno 1060. ut male scripseram in Supplemento *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1060. pag. 334. atque mecum etiam Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1060. pag. 614. sed anno 1160. sub Frederico Barbarossa imperante, qui *Vitam ac laudes S. Quirini Martyris* carmine Lyrico non spernendo celebravit, atque alias *Eclogas decem*, quæ extant ab Henrico Canisio edita in *Appendice* Tomi 1. pag. 37. De hoc Poeta, sic Gaspar Bruschius Libro 1. *de Patavio Germanico*. „Habetur hodie adhuc in ornatissi„mi ejus Tigurini Cœnobii Bibliotheca Metel„lus author, qui Tegorinus Monachus anno „Christi MCLX. floruit, ac lyricis carminibus „non invenustus totam fere hujus Divi vitam „elegantissime descripsit, secutus per omnia or„dinem Horatii Poetæ Venusini, in Odis. Hunc „librum *Quirinalia* inscripsit, quod de Sancti „Quirini laudibus tantum proposuerit dicere: „etsi interim de Claudio, Decio ac Philippo „Imperatoribus, plurima immisceat. Ita me docuit Gerardus Joannes Vossius Libro tertio *de Historicis Latinis* parte quarta cap. 7. pag. mihi 713. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit Glossario suo mediæ & infimæ Latinitatis, columna 131. ubi advertit quoque ista *Metelli Tegerseensis Quirinalia* edita etiam esse a Joanne Mabillonio Tomo 3. *Sanctorum ordinis divi Benedicti* pag. 663. Hujus pariter mentionem facit Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 105. & Canisius in præludiis ad Quirinalia a se evulgata appositis. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *de Historicis Latinis* cap. 7. pag. mihi 780. ultimæ editionis.

MICROLOGVS nomen authoris non est, 1160 sed operis quod *Micrologus de ritibus Ecclesiasticis* inscriptum est. Hujus quisquis author fuit non anno 1085. vixit, ut Bellarmino & Labbeo in opere suo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* visum est: sed anno circiter 1160 ætate Friderici primi Imperatoris, cognomento Ænobarbi, seu Barbarossæ. Constat enim eundem esse authorem hujus *Micrologi* & Librorum trium *Vita Caroli Magni Imperatoris & Francorum Regis*, qui manuscripti in Bibliothecis multis inveniuntur, cum author istorum Librorum in Prologo quem edidit Joannes Bollandus ad diem 28. Januarii, se *Micrologum* scripsisse fateatur. Atqui ad instantiam Friderici I. Imperatoris circa annum 1165. conscripti censentur, unde de *Micrologo* idem statuendum, annotandumque est. Hæc Vita Caroli Magni libris 3. extat manuscripta in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi inter MSS. Codices Historicos Latinos, num. 149. cujus meminit Petrus Lambecius Lib. 2. Commentariorum hujus Bibliothecæ cap. 5. p. 329. ac Prologum 3. librorum cum Distinctionibus capitum & Epilogum operis, ibidem refert. Item ibidem in Codice MS. Historico Latino 202. cujus idem meminit ibidem pag. 358. Joannes Bollandus ad diem 28. Januarii Tomo 2. p. 875. in Præludiis ad Vitam Caroli Magni paragr. 2. inquit, "Vidimus in MS. Codice Mona„sterii Corsendoneani Canonicorum Regula„rium *Vitam S. Caroli Magni*, tempore Frede„rici Ænobarbi Imperatoris post annum 1165.„ scriptam ab auctore anonymo, partitamque„ in tres Distinctiones. Ætatem suam author„ indicat his verbis:„ *Intendimus igitur succincte quadam insignia virtutum, & celebrem gloriosamque miraculorum seriem, in laudem Dei & præfati piissimi Imperatoris contexere: quatenus verus ille Christi cultor Fredericus Romanorum Imperator vere Augustus, certior de sanctitate morum & vita beatissimi Caroli Magni, eo amplius & perfectius gaudeat, se solem illum trecentis annis & quinquaginta uno occultatum, in lucem gentium divina cooperante gratia, perduxisse.* Tum Bollandus subjicit Prologum & capita trium librorum seu Distinctionum. Opus autem *Micrologi* editum multis in Collectaneis hoc seculo & superiori, in lucem primum emissum studio Jacobi Pamelii Brugensis, circa annum 1560. Antverpiæ apud Plantinum in 8. collatum ad MSS. Codices, recusum postea Venetiis 1572. in 8. Immisit *Micrologum* inter Scriptes *de Divinis officiis* a se Collectaneo singulari comprehensos, Michael Hilsorpius Germanus Theologus, quod evulgatum Coloniæ 1568. & Parisiis 1610. in fol. pag. 367. Denique Margarinus Bignæus in *Bibliothecas Sanctorum Patrum* editionis Parisiensis 1575. Tomo 4. col. 593. Anni 1589. Tomo 6. col. 729. Editionis Coloniensis anni 1618. Tomo seu seculo XI. pag. 367. Item annorum 1610. & 1624. Parisiensis editionis, Tomo 10. col. seu pag. 726. Denique editionis Lugdunensis anni

ni 1677. Tomo XVIII. pag. 469. Observat autem Joannes Mabillonius, Commentario in „Ordinem Romanum cap. 1. pag. 5. *In quibusdam exemplaribus hic liber* Micrologus Johannis, *in aliis* Johannis Episcopi *inscriptus legitur, „sed quis sit iste Johannes, incertum. Fuisse Gallum „conjectura est ex cap. XI. in quo quandam orationem* juxta Gallicanum Ordinem *refert. Sane „eum Germanum non fuisse inde colligitur, quod Concilii Moguntiacensis decretum de jejunio quatuor „temporum designando, parvi pendat*, Eundem „*Micrologi* titulum Operi suo *de Musica* imposuit Guido Aretinus, sed alius sine dubio est, „quisquis Micrologus hic sit, quem tempore „Gregorii VII. & Anselmi Lucensis Episcopi „vixisse, intelligitur ex capitibus 14. & 17. qui „Ordinem Romanum laudat, multisque in locis interpretatur, ut in capp. 9. 10. 11. 17. & „aliis. De *Micrologo* loquitur Carolus Dufrenius du Cange tomo 2. *Glossarii mediæ & infimæ Latinitatis* verbo *Micrologus* colum 530. his verbis: „Ita porro etiam proprie appellant *Librum de Ritibus Ecclesiasticis* editum cum aliis similibus, cujus author vixisse dicitur sub finem „seculi XI. ut est apud Cardinalem Bonam Libro 2. *Rerum Liturgicarum* cap. 20. art seu pa„ragr 4. alii sub Friderico primo Imperatore scri„psisse volunt. Alii Bernonem Abbatem Augiensem, hujus Opusculi authorem, alii Guidonem Aretinum Sanctæ Crucis Avellanæ Abbatem, fuisse volunt, sed omnes perperam. Alia de *Micrologo* Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 91. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Micrologus* pag. 116. ubi tamen de *Micrologo Musices*, qui spectat ad Guidonem Aretinum, loquitur: non de *Micrologo Rituum Ecclesiasticorum*, de quo hic agimus. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1080. pag. 621.

1160 GIRARDVS SEV GIRAVDVS PVELLA, SEV PVCELLA, CONVENTRIENSIS EPISCOPVS, quem alii Nortmannum, Anglum alii fuisse dicunt, in Academia Parisiensi circa annum 1160. & ultra florebat, diuque in ea scholas aperuit, vir magnæ litteraturæ & honestatis, quem Petrus Cardinalis Sancti Chrysogoni, cum quibusdam aliis Alexandro III. summo Pontifici commendavit, ad officia & honores Romanæ curia obtinendos, Epistola sequenti.

„Sanctissimo Patri & Domino Alexandro „Dei gratia summo Pontifici, Petrus sola digna„tione divina tituli Sancti Chrysogoni Presby„ter Cardinalis, salutem & obedientiam tam de„votam, quam debitam. Jam pridem litteras „Beatitudinis vestræ recepimus continentes, ut „inquirere deberemus, quæ personæ de regno „Francorum aut de partibus illis possent in Ro„manam Ecclesiam promoveri. Sane cum pro„posuissemus ad pedes sanctitatis vestræ redire, nomina illorum quos ad hoc dignos & idoneos credimus, viva voce potius circumspectioni vestræ volebamus exprimere, quam Litterarum commendare figuris. Cæterum cum quod sine dolore dicere non possumus, multos patrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium ad se revocaverit Dominus & Ecclesia remanserit ipsorum solatio destituta: & nos juxta mandatum vestrum pro pace inter illustres Francorum & Anglorum Reges confirmanda, & Hæreticorum extirpatione in partibus illis aliquantulum moram facere debeamus, ut Ecclesia Dei sub Sancto Apostolatu vestro, & merito & numero posset augeri: Sanctitati vestræ duximus significandum, quod *Abbas Claræ-Vallensis Henricus de Castro Marciaco* & *Prior de Monte Dei* ex Ordine Carthusiensi, & litterati sunt & honestate & religione prædicantur insignes. Et nos tantum de vita & conversatione eorum cognovimus, quod in puritate conscientiæ & sine scrupulo alicujus dubitationis audeamus consulere, ut ipsi a vobis debeant promoveri. *Magister autem Balduinus Abbas Fordanus*, quamvis eum non viderimus, a toto Ordine Cisterciensi, de multimoda litteratura, honestate & religione potissimum commendatur. Licet autem Venerabilis *Petrus Igniacensis Abbas* non sit adeo litteratus, cum tamen Dominus frequenter per eum miracula operari dignetur, de sanctitate ipsius non est quomodolibet dubitandum. Porro *Beati Remigii Rhemensis* (Petrus) *& Sancti Crispini Suessionensis* (Bernardus) *Abbates*, litterati & discreti existunt, & inter alios terræ & Ordinis illius Abbates, non dubitantur honestate & religione longius præminere. Litteraturam & honestatem *Magistri Petri Manducatoris Decani Trecensis*, credimus vos non ignorare. *Magister autem Bernardus quondam Præpositus ejus*, tantæ litteraturæ est, & ita honeste & laudabiliter est semper in illis partibus conversatus, quod ei ab omnibus sufficiens testimonium perhibetur, & maximis honoribus dignissimus reputatur. Præterea *Magister Girardus Puella*, disertus & litteratus existit, & de omnimoda ejus honestate ab omnibus qui eum noverunt, testimonium prohibetur, sicut Apostolica circumspectio videre potuit & audire. *Ivo quoque Rothamagensis Ecclesiæ Archidiaconus & Magister Herbertus Medicus*, non minori inter alios creduntur probitate lucere, cum & eorum suppetat scientia litterarum, & ad perfectioris vitæ meritum, multarum sibi adesse confidamus ornamentum virtutum."

Ipse quoque Pontifex Alexandro III. eidem Magistro Girardo Puellæ, in professione litterarum occupato, indulsit ut quandiu doceret, beneficiorum suorum reditus perciperet: nec ei noceret, quod eos quos habuerat in regno Teutonico inter Schismaticos, & aliquandiu perceperat, percipere postea destitisset.

„Alexander Episcopus servus servorum Dei, „dilecto filio Magistro Girardo Puellæ salutem „& Apostolicam benedictionem. Litteratura „tua & probitas, ac morum honestas nos mo„vent propensius & exhortantur, ut te sicut „probum, honestum & litteratum virum sin„cero diligamus charitatis affectu, & speciali „prærogativa amoris & gratiæ foveamus. Hac „igitur consideratione inducti, & personam „tuam volentes speciali dilectionis nostræ pri„vilegio decorare, tibi redditus quos in regno „Teutonico in fervore schismatis nullo cogen„te spontanee dimisisti, de consulta clementia „& benignitate sedis Apostolicæ, interventu „quoque venerabilis fratris nostri Moguntini „Archiepiscopi restitulmus: statuentes ut non „obsit tibi ad diminutionem vel maculam famæ „tuæ, nec circa promotionem tuam tibi præju„dicium valeat imposterum generare, quod „aliquandiu reditus inter schismaticos nosceris „tenuisse. Datum Laterani, Idibus Maji.

Extat ejusdem Pontificis ad eundem Magistrum alia Epistola, qua vult ut reditus quos illc habebat in Anglia, percipiat, quandiu scholas reget seu aperiet, in Gallia nimirum.

„Alexander Episcopus servus &c. attenden„tes litteraturam tuam & scientiam, & quomo„do compositione morum & honestate sis præ„ditus, nihilominus cogitantes: cogimur com„muni & speciali debito tuis profectibus & in„crementis intendere, & multa tibi benignita„te deferre. Eapropter dilecte in Domino fili, „cum sub magisterio tuo multi per Dei gra„tiam, proficiant in scientia litterarum, autho„ritate Apostolica tibi duximus indulgendum, ut „usque ad quadriennium si scholas rexeris, redi„tus tui quos habes in Anglia, nullius contra„dictione vel appellatione obstante, libere tibi „& sine diminutione qualibet, reddantur in „scholis: ita quidem ut nulli fas sit, tibi quic„quam de illis reditibus diminuere vel subtra„here, aut circa res tuas indebitam molestiam „vel gravamen inferre; nec cogaris intra ter„minum ipsum scholas dimittere, nisi alicui Ec„clesiæ in qua personatum vel magnum bene„ficium habeas, ea necessitas imminuerit, quod „merito tuam sibi debeas præsentiam & patro„cinium exhibere. Datum Anagniæ, septimo „Idus Februarii.

Extat in Bibliotheca celebri Cluniacensi Littera O. I. MS. *Vita prolixa Sancti Joannis Valentini Episcopi & Abbatis antea BonaVallis Ordinis Cisterciensis per Magistrum Giraudum*, quæ ad Gerardum istum coævum scriptorem spectare videtur, nisi quis alium hac ætate in Galliis florentem designaverit. Ad eundem Girardum extant plurimæ quoque Joannis Sarisberiensis Epistolæ, quibus eum rogat ut Thomæ Cantuariensi oppresso & afflicto adsit, atque ut qua valet apud Henricum II. authoritate utatur, neque Episcopatum si forte offeratur ad prævaricationem, præferat honestati &c. Erat autem vir potens opere & sermone, & utriusque juris gnarus, Evangelii quoque concionator egregius. Relictis tandem scholis, adhæsit Richardo Cantuariensi Archiepiscopo cum Magistro Petro Blesensi, amboque ab eo ad Alexandrum Papam circa annum 1177. missi contra Rogerum S. Augustini Cantuariensis Abbatem electum, qui debitam Præsuli Professionem facere detrectabat, ut scribit Gervasius in *Richardo*. Anno demum 1182. vel 1183. electus est in Episcopum Conventriensem, qui acerba paullo post ægritudine tactus, lecto decubuit, obiitque mense quarto ordinationis suæ Idibus Januariis: quem venenn interiisse rumor sparsus est, quod & manifestis secundum Physicos indiciis claruit, ut Gervasius citatus notat. De illo ita Robertus Montensis in Appendice ad Sigebertum an. 1182. *Magister Gerardus cognomento Puella, vir magna litteratura & honestatis, electus est anno Domini 1182. in Episcopatum in Anglia Cestriensem, qui Episcopatus tres habet Episcopales sedes, Cestriensem, Coventriensem & Lichfeldendem obiit anno 1183. die 12. Januarii & Coventria jacet sepultus.* De illo Godwinus *de Episcopis Angliæ* pag. 368. & alii Scriptores Rerum Anglicarum. Fallitur suo more Godwuinus, dum anno 1184. mortuum ait, nam an. 1183. mortuum esse habet Robertus de Monte in *Appendice* citata ad dictum annum his verbis: *Obiit etiam Girardus magna religionis & Litteratura vir, Cestrensis Episcopus.* Hæc nos ex seculo IV. *Historia Universitatis* Parisiensis, ad annum 1169. fol. 369. & in Catalogo illustrium Academicorum pag. 734.

ROBERTUS DE MELIDUNO, cognomento *FOLIOTUS*, HEREFORDENSIS EPISCOPUS, natione Anglus, Lutetiæ primum, deinde Meliduni artium liberalium professionem exercuit, unde *Meldunensis* vocatus: nam, ut inquit Sarisberiensis, *Hoc cognomen in scholarum regimine, Angligena enim erat.* Vult tamen Stephanus Baluzius appellatum illum *Meldunensem* à *Mildunа* seu *Meliduno* Angliæ oppido, unde oriundus erat, contra Cæsarem Egassium du Boulay. Illius discipulus aliquando fuit Joannes Sarisberiensis, itemque S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & inter Pontificios Martyr, tumque antea regni Anglicani Cancellarius. Nec virtus eximiaque doctrina Roberti de Meliduno, absque honore ac dignitate fuerunt. Nam anno 1163. ut Gervasius scribit, *Magister Robertus de Meliduno Thoma olim in Francia Magister electus est ad regimen Herefordensis Ecclesiæ*, translato nimirum ab ea fede ad Londinensem Gilberto Faliotho, quem consecravit Thomas Archiepiscopus in Ecclesia Cantuariensi 12. Calendas Januarii, accepta prius ab eodem professione, de Canonica subjectione. Utriusque meminit Robertus de Monte, *Anno*, inquit, *1163. Gilbertus Episcopus Herefordi mortuo Richardo Londoniensi Episcopo translatus* 1160

latus est ad eandem sedem, & Magister Robertus de Meliduno genere Anglicus & grandævus, factus est Episcopus Herefordi. Hujus honorifice meminit Joannes Coroubiensis in *Eulogio* quod Alexandro Papæ III. dedicavit. Ait enim suo tempore floruisse duos insignes Theologos Parisiis *Robertum* scilicet *Melidunensem & Mauricium Episcopum Parisiensem, qui nihil unquam fidei orthodoxæ contrarium docuissent.* Et Sarisberiensis eundem Epistola 177. vocat *Veterem scholasticum*, quod nomen tribui cœperat iis, qui Theologiam altercatricem more Philosophorum in scholis tradebant. Ac revera Robertus eam quam *Scholasticam* vocant professus, Aristotelis regulis & axiomatibus modeste & sobrie usus dicitur. Edidit itaque *Tractatum Theologicum* seu *Summam Sententiarum*, quam habet MS. Bibliotheca celeberrima S. Victoris Parisiensis, regularium divi Augustini Canonicorum, in duobus MSS. Codicibus optimæ notæ & antiquitatis, litteris N N N. 13. & K. 13. Inscribitur, *Magistri Roberti de Meliduno de quinque studiis cognoscenda veritatis.* Prologus autem, *Quemadmodum proprium est oculorum claritatem luminis appetere, qua res visibiles discerni possint ab invicem: ita rationali animæ naturale est, ad cognitionem veritatis rerum tendere* &c. Ejusdem autem Operis, quod ob dictionis nitorem & dicendorum ordinem, prælo dignissimum mihi visum est, alia duo MSS. exemplaria extant, unum in celebri Bibliotheca Colbertina, Cod. 4321. inscriptum, *Magistri Roberti de Meliduno Quæstiones de Divinis paginis:* alterum autem in Anglia apud Baronem Lumlejum, Cod. 238. inscriptum, *Robertus Melodunensis de sacramentis veteris & novæ Legis.* Olim summam istam editioni proxime præparaverat Jacobus Boet Canonicus Regularis Victorinus ac Abbatiæ hujus Bibliothecarius, homo recta librorum censura, ac bonorum discretione commendandus, quam mecum sæpe tractavi, in libros quinque seu Tractatus distinctam: quorum primus *de variis quæstionibus est ad sacram Scripturam spectantibus*, vel Theologicam doctrinam utcunque affingentibus. Secuodus *de Deo uno ac trino*, tertius *De Angelis seu Intelligentiis*, quartus *de homine*, quintus *de sacramento incarnationis* inscribitur. Ibi paucis ut ipse inquit. De sacramentis Ecclesiæ disputat, *Tractatum de Sacramentis Ecclesiæ seu novi Testamenti, quia brevitate gaudent homines, breviter transcursurus* &c. Hujus ideam Operis prolixe refert seculum IV. *Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum p. 772. & 773. imo ingentia hujus Operis fragmenta ad nauseam usque in *Historia* sua profert a pag. 585. ad 629. de qua judicium Cæsaris Egassii du Boulay audiamus in Historia seculi IV. Universitatis præfatæ, ad annum 1152. p. 264. ita igitur ille verbotenus.

„In professione vero Theologica præcellebat adhuc Magister Robertus de Meliduno Angligena, prædicti Thomæ Magister, hoc cognomine appellatus, *quod meruit scholarum regimine*, inquit Saresberiensis, ejus quondam in Philosophicis discipulus: nempe ab urbe *Meliduno* ubi post Abaëlardum, & alios Magistros diu docuit. Cum enim non posseot omnes, qui ad regendum admissi fuerant, Lutetiæ commode docere, in locis circumvicinis annuente Universitate scholas suas aperiebant. Ille ergo postea ad Theologiæ professionem se contulit, in qua non minus quam in Philosophica excelluit: ut idem Sarisberiensis docet Lib. 2. *Metalogici* cap. 10. sic de eo scribens: *Alter in Divinis proficiens litteris, etiam eminentioris Philosophiæ & celebrioris nominis assecutus est gloriam.* Edidit *Summam Theologicam*, quæ nondum typis excusa est, servaturque in Bibliotheca San Victorina, cui præmittit explicationes diversorum nominum, vocum & appellationum ad Tractatum Theologicum pertinentium. Deinde varias quæstiones de Deo uno & trino proponit, tum de Angelis, de homine, postremo de Incarnatione. Et quanquam ille peripateticus esset & sectator Aristotelis, varias tamen & inutiles quæstiones, quas nonnulli, ingenii subtilioris laudem affectantes agitabant, contemnens: quascunque agitat, solidis dum opus est Philosophiæ fundamentis stabilit tam prudeoter tamque fortiter, ut nemo melius: tam modeste vero curiosorum illorum sententias & argumeota confutat, ut nemo solidius & modestius possit. De eo referemus in synopsi hujus seculi, nonoullas quæstiones in scholis tunc discuti & examinari consuetas: interim ut ex ungue Leonem discat Lector, hæc accipiat, quibus ipse tractatum suum auspicatur sub hoc titulo: „ *De quinque studiis cognoscendæ veritatis. Quemadmodum*, inquit, *proprium est oculorum, claritatem luminis appetere, qua res visibiles discerni possint ab invicem: ita rationali animæ rationale est, ad cognitionem veritatis rerum tendere. Verum in hoc diversis agitur studiis. Est enim quoddam veritatis cognoscendæ studium, in quo novorum inquisitores discurrunt, quod merito curiositas vana ac vaga nuncupatur. Est & aliud, in quo cruciantur avari, quod cupiditas appellatur. Tertium vero illis competit, qui propter hoc veritatem inquirunt, ut noceant proximo, quod hac de causa studium iniquitatis dici potest. Est aliud diversum ab his studium, in quo pro veritatis cognitione non inutiliter exercemur, artiumque præceptis erudimur, quod studium eruditionis nuncupatur. Ultimum ac supremum est, in quo nos consummari oportet, & eo, quod per ipsum a fine ad finem pervenitur, quod idcirco studium consummationis nominamus: quia in illo ipso veritas invenitur, quæ via est & vita, ad quam cognoscendam & amandam sacra nos informat Scriptura.* Porro vir iste tam Latine, tam terse & nitide exprimit omnes quæstiones, quas proponit & agitat, ut non possit non probro verti posteris, qui tanti nitoris & elegantiæ præ oculis habentes exemplar, tantam in res Philoso-

losophicas & Theologicas barbariem invexerunt, ut patebit in sequentibus seculis. Hæc Egassius Bullajus in commendationem Theologiæ Roberti Melidunensis, & apposite. Obiisse videtur anno 1173. cum eo legamus anno *Robertum Foliotum* Oxoniensem Archidiaconum, ad Ecclesiam Herefordensem electum fuisse. Idque testatur Radulphus de Diceto synchronus scriptor, unde Robertus iste posterior male a nonnullis, cum Roberto Melidunensi ejus prædecessore confunditur. Vult tamen Godwinus in *Episcopis Herefordensibus*, illum obiisse anno 1167. die 28. Februarii, atque tumulatum esse in australi muro Ecclesiæ juxta Robertum de Bethunia Gilberti antecessorem: unde ex consequenti ait, vacasse Ecclesiam Herefordensem per sex annos, usque ad electionem Roberti Folioth, quæ anno 1174. impetrata tandem a Rege eligendi licentia, facta est. Talem tamen Ecclesiam tandiu vacasse, vix ego crediderim. Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 423. editionis ultimæ, ubi vult edidisse *Librum Excerptorum de Chronicis Mariani Scoti*, qui MS. extat in Bibliotheca Gualteri Copi. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 2148. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera D. 1. Codice 13. num. 1. *Roberti Herefordensis, Episcopi Libellus, de Annis Domini, seu de Chronica Mariani*. Et ibidem num. 2372. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 3. Codice 5. n. 13. *Roberti Herefordensis Episcopi Excerptio de Chronica Mariani Scoti*, uti vulgo vocatur, pag. 134. ad 148 Sed perperam Vossius & jam errore addit *Conciones ejus MSS. de Sacramentis superesse in Bibliotheca Baronis de Lumlejo*, Conciones enim hæ fictitiæ sunt ipsissima ejus Summa Theologica *de Sacramentis* inscripta. Illum Vossius ibi circa annum 1170. collocat, quem antea immemor sui ipsius, Lib. 2. cap. 47. pag. 385. Mariano Scoto synchronum fecerit circa annum 1083. Plura seculum IV. *Universitatis Parisiensis*, tam in Historia, ad annum 1152. pag. 264. quam ad annum 1163. pag. 324. & p. 585. & sequentibus. Itemque in Catalogo illustrium Academicorum, pagg. 772. & 773.

1160 SVIDAS LEXICOGRAPHUS, vir magni nominis, pensatis omnibus quæ ab editore ejus ultimo Ludolpho Kustero, vix ante annum 1150. vel 1160. collocandus videtur, quidquid alii aliter de ejus ætate scripserint, de qua diversæ sunt doctorum virorum sententiæ. Atque hæc omnia verbotenus accipiam ex Præfatione ad lectorem valde erudita, quam dictus Kusterus, Professor humaniorum literarum in Gymnasio Regio Berolinensi, tribus in folio tomis, Suidæ cum observationibus & Notis, Græce & Latine Cantabrigiæ typis Academicis anno 1705. editioni a se adornatæ præmisit.

Quantum ad Suidæ ætatem, Hugo Grotius in Epistola CX. ad Gallos, Suidam paulo post Constantinum Leonis filium, qui A. C. 912. imperare cœpit, vixisse arbitratur, hac addita ratione, quod, quantum ipse meminerit, hic Imperatorum postremus sit, quem in libro suo nominet. Sed virum doctissimum memoria fefellit. Nam in verbo Ἀδάμ mentio fit Imperatoris Joannis Zimiscæ, & in verbo Κωνσταντινούπολις, Basilii & Constanrini fratrum, qui omnes Constantino Leonis filio posteriores fuerunt. Hieronymus Wolfius Suidam multo recentiorem facit, quem hac inductus ratione ad seculum XIV. refert, quod *Metochitam Logothetam* citet, qui sub Palæologis vixerit. Verba ejus in Præfatione ad Suidam hæc sunt, *Atque adeo cum Metochitam Logothetam citet, qui sub Palaologis vixit, apparet, eum vix annis abhinc 300. Lexicon hoc composuisse.* Scribebat autem ista Wolfius A. D. 1564. ubi Suidam Latinum ederet. Sed Logotheta quem Suidas diversis in locis laudat, non est Metochita Logotheta, quem ineunte seculo XIV. vixisse constat: sed Symeon Metaphrastes Logotheta, qui initio seculi X. juxta multorum sententiam floruit, ut & ante nos observavit vir magni inter eruditos nominis Richardus Bentlejus in Dissertatione *De Phalaridis Epistolis* præclara pag. 23. Sententia igitur Wolfii hoc subducto tibicine, sponte corruit. Alii, inter quos est vir doctissimus Guilielmus Cave, Suidam vergente jam seculo X. sub Basilio & Constantino fratribus vixisse consent. Cui opinioni favere videtur, quod Suidas in verbo Ἀδάμ, ubi diversas annorum Æras sive Epochas recenset, Chronologiam usque ad obitum Joannis Zimiscæ, cui anno C. 975. præfecti Basilius & Constantinus fratres in Imperio successerunt, perducat. Huc accedit, quod Suidas in verbo, Κωνσταντινούπολις, annos a condita Constantinopoli computans, eorum Epocham in regno Basilii & Constantini Porphyrogennetorum terminet, ut illo tempore, quo ea scribebat, adhuc imperantium. Hæc sane speciosa sunt, & veram Suidæ ætatem indicare videntur. Sed si ex Notis istis temporum, quæ hodie in Suidæ Lexico occurrunt, de ejus ætate judicandum est, illum utique recentiorem esse oportet: utpote qui exeunte seculo XI. vel ineunte XII. sub Alexio Comneno vixerit. Nam quod a nemine adhuc observatum esse video, in verbo Γνώμας, V. Διέγερη, V. Ἡγήτορες, loca quædam ex Michaele Psello adducuntur, qui sub Alexio Comneno floruit, vitamque usque ad seculi XII. initium produxit. Si igitur ipse Suidas loca illa Pselli Lexico suo inseruit, post Psellum utique vixisse illum oportet: sed ante Eustathium, quippe qui primus in Commentario ad Homerum Suidæ nostri meminerit. Vixit autem Eustathius exiguo post Psellum intervallo, sub finem nimirum seculi duodecimi, & initium decimi tertii. Sed quod ad loca illa Pselli attinet, dubium non est, juxta Ludolphum Kusterum, quin a recentioribus Lexico Suidæ addita sint; idque de loco primo, qui adducitur verbo Γνώμας audacter affirmare ausim, quippe quem MSS. Parisienses non agnoscunt

ſcunt. Si igitur nec ex hac nota temporis, ætas Suidæ colligi puteſt; quid tandem hac de re ſtatuendum ſit, quæret Lector. Equidem nos ita cenſemus, incertum quidem eſſe, quo tempore verus Suidas, ſive primus Lexici hujus auctor vixerit. Antiquiorem tamen dubio procul eſſe, quam vulgo credatur, cum perſuaſum nobis ſit, plurima loca quæ recentiorem ætatem ſapiunt, ab aliis poſtea Lexico huic addita eſſe. Patet hoc vel ex MS. Cod. Pariſienſi A. qui trium Codicum MSS. Suidæ, qui in Bibliotheca Regia Pariſienſi adſervantur, optimus & vetuſtiſſimus eſt. In eo enim multa loca, quæ in MSS. recentioribus, omnibusque editionibus hodiernis reperiuntur, vel omnino deſunt, vel recentiore interdum manu ad marginem ſcripta ſunt: veluti verſus Onirocritici, qui ex Aſtrampſycho vel Nicephoro, in Lexicon hoc tranſlati ſunt; itemque loca ex Paulo Ægineta excerpta, & alia, de quibus in Notis noſtris Lectorem monemus. Hæc Ludolphus Kuſterus de Suidæ ætate. Cum autem hic paſſim loca quædam ex Michaele Pſello adducat, qui ſub Alexio Comneno floruit, vitamque usque ad initia ſeculi XII. produxit; item cum diverſis in locis *Logothetam* laudet *Symeonem Metaphraſtem*, quem ſub medium ſeculi XII. floruiſſe *Diſſertatione ſingulari* ſupra diximus: vix *Suidam Lexicographum* ob allatas iſtas a Kuſtero auctoritates ante annum MCLX. aſſignare poſſumus, maxime cum eodem teſte, *primus qui in Commentario ad Homerum Suidæ noſtri meminit, Euſtathius Archiepiſcopus Theſſalonicenſis ſit, qui exiguo poſt Pſellum intervallo, ſub finem nimirum ſeculi duodecimi & initium ſeculi decimi tertii vixerit.* Addo Suidam potuiſſe *Lexicon* a ſe factum iteratis laboribus auxiſſe, unde in MSS. Codicibus nonnulla deſint, quæ ex ſecundis curis & tertiis reperiantur in MSS. Codd. qualia eſſe poſſunt illa, quæ ex Pſello & Symeone Logotheta afferuntur. Hæc ex Kuſtero in Præfatione ad Suidæ editionem prævia. Prodierunt autem hæc Collectanea Suidæ primo Mediolani A. C. 1498. apud Demetrium Chalcondylum Græce tantum, in qua editione nonnulla loca deſunt, quæ in reliquis editionibus reperiuntur. Eam ſecuta eſt editio Veneta ſive Aldina anni 1514. Græca tantum quæ a Mediolanenſi nonnunquam diſcrepat, unde eam ex alio MS. Codice expreſſam eſſe apparet. Tertia Suidæ editio itidem Græce tantum, facta eſt Baſileæ anno 1544. apud Frobenium. Hæc editio haud fere ab Aldina diſcrepat, niſi ubi vel Sphalmata typographica habet, vel ab editoribus Baſileenſibus interpolata eſt. Anno 1564. Hieronymus Wolfius Suidam (omiſſis notis mere Grammaticis, & fragmentis brevioribus) Latine a ſe verſum, absque textu Græco Baſileæ edidit. Hæc Suidæ verſio, ab ipſo Wolfio recognita, poſtea recuſa eſt Baſileæ anno 1581. Mirum autem non eſt, Wolfio remminus feliciter ſucceſſiſſe, cum nullis Codicibus MSS. inſtructus, Suidæ textum, uti tunc erat, corruptum in verſione ſua ſecutus ſit. Æmilius quoque Portus, Franciſci filius, Græcæ linguæ in Academia quondam Heidelbergenſi Profeſſor, Suidam cum nova verſione Latina, ſeu paraphraſi potius & Notis, Genevæ anno 1619. Græce & Latine duobus in folio voluminibus apud Petrum Jacobum Chouet, edendum curavit. De hujus editionis uti ultimæ tum prærogativis ad editiones anteriores, tum defectibus & mendis, diffuſe loquitur Ludolphus Kuſterus in Præfatione ad editionem ſuam: de quibus ſilemus, utpote inſtituto noſtro non convenientibus. Tandem *Suidæ Lexicon Græce & Latine*, cujus *Textum Græcum* cum MSS. Codicibus collatum a quamplurimis mendis purgavit, Notisque perpetuis illuſtravit, Verſionem Æmilii Porti Latinam innumeris in locis correxit, Indicesque Auctorum & rerum adjecit, Ludolphus Kuſterus Profeſſor humaniorum literarum in Gymnaſio Regio Berolinenſi, 3. in folio tomis Cantabrigiæ typis edidit Academicis an. 1705. Quid autem a Kuſtero in editione præſtitum ſit, paucis ipſe Lectorem docet. Primum Textum Græcum cum tribus MSS. Codicibus Regiæ bibliothecæ Pariſienſis contulit, quorum unus optimus fuit, & quingentorum annorum vetuſtatem habuit, unde ingentem mendorum numerum ſuſtulit. Uſus præterea eſt variantibus lectionibus MS. Vaticani, quas Joannes Pearſonius Ceſtrienſis Epiſcopus ad marginem Suidæ ſui annotaverat, quem reliquit Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Trinitatis adſervatum. Ad hæc, ſpecimina quædam variantium Lectionum opera amicorum natus eſt, ex Codice MS. Colbertino, qui in bibliotheca Colbertina Pariſienſi extat, ex Codice Voſſiano qui nunc Lugduni-Batavorum, & ex Antverpiano Jeſuitarum. His adminiculis adjutus Ludolphus Kuſterus, per quadriennium & eo amplius in Academia Cantabrigienſi permanſit, ut Suidæ ſui inſtitutum proſequeretur. Mentionem faciunt *Suidæ Lexicographi* Gerardus Joannes Voſſius Libro 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 26. pag. mihi 302. Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 980. pag. 587. Acta Eruditorum Lipſiæ anno 1706. publicata, Kalendis Januarii pag. 1. & ſeqq. ubi ſententiam noſtram de Suidæ ætate amplecti, vel parum ab illa diſcedere videntur. Angelus Politianus Suidam nullum extitiſſe, temere nimirum affirmavit: cum Codices MSS. Lexici omnes, quorum aliqui annos antiquitatis quingentos habent, non tantum illius in inſcriptione Operis mentionem faciant, ſed etiam Euſtathius Theſſalonicenſis Archiepiſcopus difertis verbis, in Commentariis ad Homerum, tempori illius vel ſuppar vel proximus.

THEOCTISTUS, cujus mentionem facit Guilielmus Cavus Tomo 2. ſeu parte 2. *Hiſtoria* 1160

Historia literaria, cui ortus seu natales incerti, sed quem ut ita loquar, insaniente antiquitatis indebitæ prurigine, ad annum 472. pessime assignat, faciens hominem sibi ignotum, familiarissimum Sancti Euthymii Archimandritæ discipulum ac socium, licet ad erroris excusationem, tradat hæc ex conjectura Petri Lambecii. Scimus equidem fuisse hujus nominis hominem S. Euthymio præfato carissimum, cujus mentio facta in Vita *S. Euthymii* capp. 3. & 6. apud Bollandum Tomo 2. ad diem XX. Januarii. Sed is, de quo agitur multis seculis integris, ab ætate & tempore Sancti Euthymii Archimandritæ distat, qui anno 472. obiit, cujus Vita scripta extat a Cyrillo gente Palæstino, urbe Scythopolitano, quæ apud Symeonem Metaphrastem interpolata quidem extat, sed Græce & Latine apud Johannem Baptistam Cotelerium Tomo 2. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. seu col. 220. & Latine apud Surium ad diem 20. Januarii mensis. Hujus alterius qui seculis integris ac pluribus anno CCCCLXXII. recentior fuisse probabitur, extant Græce MSS. Tomo VIII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codice Historico Græco XII. *Canones* sive *Cantica sacra in Sanctos totius mensis Aprilis*, opus vastum juxta Lambecium, Libro VIII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 48. & 49. quodque folia ducenta & unum continet. Sub finem Auctor nota hac miniata se prodit.

Θεῦ τὸ δῶρον, καὶ Θεοκτίστου πόνος,
Κἀνταῦθα δόξα τῇ σεβαστῇ Τριάδι.
Dei hoc donum & Theoctisti labor.
Hic quoque Gloria venerandæ Trinitati.

Certum est Opus istud esse scriptum, postquam *Vita Sanctorum*, *Certamina Martyrum & Encomia Panegyrica* in unum collecta sunt, ac simul comportata per menses anni duodecim digesta: id quod debetur labori & industriæ Magistri Symeonis Constantinopolitanæ Ecclesiæ Presbyteri & dignitate Logothetæ in eadem Constantinopolitana Ecclesia, qui ob eminentiam dignitatis colligere hæc omnia ubique dispersa potuit, unde nomen ei a scriptoribus sequentibus, *Magistri Symeonis Mephrastæ & Logothetæ* adscriptum fuit. In labore tanta fieri non potuit, cum omni etiam diligentia, quin bona malis, spuria sinceris, falsa veris admiscerentur: uti remingenue fatetur Leo Allatius, qui ob istam simul comportationem promiscuarum mercium, Dissertationem suam *De Symeonum scriptis*, anno 1664. imprimendam curavit studio & sollicitudine Francisci Combefisii, ad quem Allatius *Autographum* suum miserat. Non floruit autem Symeon Metaphrastes anno 901. ut imperite & oscitanter arbitrati sunt tum Allatius in Diatriba *de Symeonum scriptis*, ac post cum Guillelmus Cavus Tomo I. *Historia sua literaria:* sed integris seculis serius, temporibus *Joannis & Manuelis Comnenorum* Orientis Imperatorum, ut Dissertatione singulari *de vera ætate Symeonis Magistri, Metaphrastæ & Logothetæ* probavimus. Non igitur assignari potest ante annos 1140. vel 1150. quibus sub his Imperatoribus in Ecclesia Constantinopolitana vixit, Ubi officium Logothetæ seu Magistri Scholæ Patriarchalis agebat, quæ pro more aliarum Ecclesiarum illustriorum instituta erat, ad informationem Diaconorum & juniorum Presbyterorum quoad principia Theologiæ, Computum Ecclesiasticum, artem concionandi statutis anni diebus atque solemnitatibus: quæ erant officia Logothetæ qui Scholæ Patriarchali Constantinopolitanæ præficiebatur, & unde nomen *Magistri* ob dignitatis eminentiam ipsi adhærebat. Hæ occupationes Symeonis Magistri & Logothetæ, quæ ipsi occasionem dederunt scribendi tot varias Collectiones, Chronica, ac colligendi undique Orientalium partium *Vitas, Martyria & Encomia Sanctorum*, quibus *Metaphrastis* nomen apud posteros meruit, atque ab interitu famam vindicavit. Hæc præmissa velut necessaria, & certam notionem ætatis, qua Theoctistus iste scripsit.

Opus igitur istud *Canones* sive *Cantica Sacra in Sanctos totius mensis Aprilis*, opus vastum, absque dubio scriptum a Theoctisto, postquam Symeon Metaphrastes *Legendas Agones & Encomia Sanctorum* per menses comportaverat & convasaverat: qua enim ratione *in Sanctos totius mensis Aprilis Canones & Cantica sacra* scribere potuisset, nisi collecta illa a Symeone Metaphraste & Logotheta habuisset? Scripsit itaque post Symeonem Metaphrasten, anno circiter 1160. quo illum adjunxi, ob titulum operis. Item Tomo VII. Codice MS. Philosophico Græco idem Lambecius, Codice LXXXI. num. 2. hæc habet. "*Secundo* & quidem a folio 196. pag. 1. Theoctisti sententiæ parænetícæ ordine Alphabetico digestæ, quarum titulus & principium Γνῶμαι Θεοκτίστου πρὸς τοὺς μαλακῶς καὶ ὑπτιωτέρως διακειμένους μάλιστα τὴν ὠφέλειαν παρέχουσαι. Ἀγαθὸν μὲν &c. quæ editionibus *Anthologii Stobæani*, tum Venetæ tum Tigurinæ. Græce & Latine in folio factis, subjunctæ sunt." Hæc Petrus Lambecius Tomo seu libro VII. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 143. & Libro VIII. pagina 48. & 49. qui tamen dubium relinquit, utrum Nota suprascripta Auctorem, collectorem, vel potius descriptorem denotet.

WILHELMUS SEU GUILLELMUS ALBÆ RIPÆ ABBAS, tertius, Ordinis 1160
Cisterciensis in Diœcesi Lingonensi, post Rainerium decessorem, qui anno 1164. vel circiter oneri cesserat regiminis, insigni scientia atque morum probitate excelluit. Anno 1165. nominatur testis in quadam Charta confirmationis, quæ data est a Gualtero Lingonensi Episcopo, pro Abbatia de Moris. Scripsit *librum Epistolarum ad diversos, nonnullos sacræ scripturæ locos explicantium*, inter quas Epistolas quatuor datæ sunt ad *Natalem Abbatem Theolocensem*, cujus

cujus extant Epiſtolæ aliquot interrogatoriæ ad Wilhelmum, ſingulatim *De noviſſima tuba* ſeu *de ultimo judicio*. Hoc totum Epiſtolarum opus MS. aſſervatur Romæ, in Bibliotheca Sanctæ Crucis in Hieruſalem. Illud etiam olim apud Vghellum, qui illud publici juris ſe facturum promiſerat, quod an præſtiterit, ignoro. Wilhelmus præter has Epiſtolas ad Natalem Theolocenſem directas, transmiſit etiam duas *Henrico Abbati Claravallenſi*, poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinali, ejus correctioni contenta in eis ſubjiciens, de quibus etiam Herberti Abbatis de Moris judicium expetit. Vnam harum Epiſtolarum ad Henricum Claravallenſem Abbatem, exhibet nobis Ferdinandus Vghellus tomo I. *Italia ſacra* fol. ſeu col. 295. Huic attribuitur etiam *Tractatus de numeris*, ſeu *Analytica numerorum*, in bibliotheca Dunenſi Ciſtercienſis Ordinis apud Brugas in Flandria, in MS Codice quem vidimus. Verum Opus iſtud ex pluribus aliis Codicibus manoſcriptis, ad Odonem Morimundi Abbatem, ejusdem Ordinis & ætatis ſcriptorem ſpectare potius videtur, de quo ſuperius egimus ad annum 1153. verbo *Odo Morimundi Abbas*. Quantum autem ad Librum *de ſacramentis minorum*, qui extabat apud Philippum Labbeum Soc. Jeſu, deſcriptus ad Codicem Thuaneum, ſub nomine *Guillelmi Abbatis Albaripa*: de eodem loquitur Carolus Viſchius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis* p. 326. Sed reſpondeo hodie Codicem haberi in Bibliotheca Colbertina, ac præferre Odonem Abbatem operis authorem: deinde non inſcribi *de ſacramentis minorum*, quod abſurdum eſt: ſed *de ſacramentis numerorum*, de quo in *Odone Morimundenſi Abbate* ſupra diximus. Guillelmus porto poſtquam Albam ripam prudenter per annos quindecim rexiſſet, anno 1180. ibidem obiit, de quo Carolus Viſchius loco citato. Gallia Chriſtiana fratrum Sammarthanorum, tomo 4 pag. 22. in Abbatibus *Albæ Ripa*. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis præmiſſo, col. 106. ubi eandem cum Labbeo oſcitantiam admiſit: niſi in utroque typographiæ mendum ſit, quod veriſimile ſatis eſt.

1160 S. WILHELMVS ROSCHILDENSIS IN DANIA ABBAS, ex nobili inter Gallos proſapia ortus, venerabili Hugoni Sancti Germani de Pratis apud Lutetium Pariſiorum, a parentibus traditus eſt, recte ac pie inſtituendus. Benigne ab illo acceptus, cujus nepos erat, ubi liberalibus ſtudiis accurate imbutus eſt. Nepotis præbitate & profectu lætabatur Abbas Hugo, quem ita inſtituit, ut ſubdiaconus ordinaretur, præbendamque (ut vocant) Pariſiis obtineret, in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac Sanctæ Genovefæ, in qua tunc Canonici ſeculares erant. Adveniente Eugenio III. anno 1147. in Gallias & inſtituente Canonicos regulares in Eccleſia Genovefana ex Abbatia Sancti Victoris aſſumptos, Wilhelmus ſub Odone Abbate factus eſt Canonicus regularis. Illic interceſſione beatæ Virginis & patronæ Genovefæ a morbo curatus, antequam in Daniam proficiſcatur, ſcribit anno 1161. *Opuſculum de Genovefa miraculis*, quod MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Codice 4152. optimæ notæ fol. 119. inſcribitur, *De revelatione capitis Sanctæ Genovefa*, *Tractatus Sancti Guillermi Abbatis*. Prologus incipit, *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MCLXI regente piiſſimo Rege Ludovico Regis illuſtris Francorum Ludovici filio, regale per univerſam Galliam proceſſit edictum* &c. & pag. 121. titulus operis, *Miracula Beatæ Genovefæ quæ ipſi præſentes vidimus, quæ poſſunt legi ad menſam, quando deportatur*. Incipit liber, *Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, qui in abundantia debitorum gratia ſua oſtendit abundantiam* &c. Deinde pag. 129 ſequitur *Hiſtoria tranſlationis beatæ Genovefæ*, authore Jacobo de Dignault, *Tranſlationem* &c. Anno autem 1162. Wilhelmus in Daniam appellatus ab Abſalone Roſchildenſi Epiſcopo ad regendam Roſchildenſem Abbatiam, quam feliciter adminiſtravit usque ad annum 1202. quo ſpiritum emiſit 8. Idus Aprilis, ætatis ſuæ 98. a ſuſcepto Abbatis officio 40. De illo anonymus vitæ ſcriptor, apud Surium ad diem 6. Aprilis, pag. mihi 606.

MANVEL COMNENVS Orientis ab anno 1160
1143. ad 1180. Imperator, hoc tempore claruit, qui Latinis ob doctrinam infenſus fuiſſe non videtur, nempe qui ab Alexandro III. Papa legatione miſſa impetravit, ut Joannes S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus mitteretur Conſtantinopolim, impuleritque Hugonem Ætherianum Etruſcum, Leonis apud eundem interpretis fratrem, ut *Commentarium adverſus Græcos de proceſſione Spiritus Sancti* ſcriberet; quo argumenta a Græcis tum antiquioribus tum recentioribus adverſus Latinos allata confutaret. Opus Baſileæ editum eſt & in Tomo IX. *Bibliotheca Patrum*, ac Græcis ipſis non ingratum fuiſſe colligit Allatius, quod illud in Græcam linguam nec ineleganter tranſtulerint, cujus ipſe laudabilis operis fruſtra, eaque ſatis prolixa legit, quibus Methonenſis rationes refellit. Scripſit quoque Manuel Imperator *Epiſtolam ad Conradum* Imperatorem, cujus verba ſunt apud Cinnamum Lib. 2. ubi idem Græcos ac Latinos *ὁμοθρήσκους ejuſdem ſcilicet religionis & fidei* nuncupat, id quod de Hæreticis dici nefas eſt. Agnoſcebat ergo hic Imperator quæſtiones inter utramque Eccleſiam motas, ut nugas infantium, ad fidei ſubſtantiam nihil ſpectantes, indices magis ſuperbiæ quam rectæ fidei, concordiæ deſtructivas magis quam Eccleſiæ ædificativas. Recte quidem, cum verborum potius, quam rerum contentiones, eſſent. Habentur ejusdem *Manuelis Comneni Imperatoris Novella* in Jure Græco Romano Leunclavii, Tomo 1. pag. 149. Tomo 2. pag. 186. & apud

apud Carolum Labbeum post *Synopsim Basilicorum*. Non immerito itaque scriptoribus Ecclesiasticis accenseri debuit, qui utriusque Ecclesiæ Latinæ & Græcæ veteres contentiones & rixas extinguere conatus est. Eandem Imperatoris hujus sollicitudinem circa pacem & concordiam inter Christianos reformandam testatur *Legatio ad Armenios* seu *Theoriani cum Armeniorum Catholico seu Patriarcha Disputatio de Religione & recta fide*, quam Græce & Latine ex MS. Codice Sambuci primus Joannes Leunclavius Basileæ anno 1578. in 8. edendam curavit. Habetur quoque Latine in multis Bibliothecæ Patrum editionibus Parisiensibus sub hoc titulo, *Theorianus Orthodoxus*, seu *Colloquium Theoriani cum Catholico Armeniorum de recta fide*. Ita in editionibus dictis Parisiensibus annorum 1575. tomo 5. col. 1807. 1589. tom. 6. col. 929. 1610. tom. 5. col. 843. Et Græcolatine etiam in Supplemento ad Bibliothecam Græcorum Patrum anni 1624. quod Fronto Ducæus Burdegalensis Soc. Jesu theologus, Parisiis, duobus in folio tomis Græce & Latine edidit, Tomo 1. pag. 439. At longe magis se amantem esse Christi Ecclesiæ prodidit, *Novellis variis*, quas in Ecclesiæ gratiam & ad Ecclesiarum jura & possessiones integras servandas emisit. Extant *Juris Græco-Romani tam Canonici quam Civilis tomi duo*, ex diversis Europæ Asiæque bibliothecis collecti, Latineque redditi, studio Joannis Leunclavii Amelbumi, editi Francofurti 1596. in folio, impensis hæredum Petri Fischeri. Illic Tomo 1. Libro 2. pag. 149 ad 160. *Aurea Bulla Imperatoris nostri Manuelis Comneni*, mense Februario, Indictione XI. anno VI CIↃ. VI C. LVI. hoc est anno Christi 1148. quæ & dicitur *Medicatrix*, utpote quæ medeatur titulis & juribus omnium Ecclesiarum quæ laborant, Episcopatuum, Metropoleon, ipsius Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ ac Monasteriorum ipsi subjectorum, titulis quatuor comprehensa. Item *Novella altera* ibidem 160. *de feriis a tribunalibus, per anni menses vacantibus*, facta anno Mundi juxta Græcorum Supputationem VI M. VI C. LXXIV. Indictione 14. hoc est anno Christi 1166. mense Martio. *Tertia* ibidem pag. 163. quæ *de voluntariis homicidiis* est, edita anno Mundi VI M. VI C. LXXIV, hoc est Christi 1166. Indictione 14. mense Aprili. *Quarta* ibidem pag. 165. Edictum Imperatorium datum eodem anno Mundi 6674. hoc est Christi 1166. Indictione 14. mense Aprili, *quod dissolvit & rescindit matrimonium contractum ex septimi gradus cognatione, etsi factum non est, fieri prohibet*. Ibidem Tomo 2. pag. 186. ad 192. *Quinta* de diversis causis, *de Judicibus & advocatis, aliisque ad judicia fori spectantibus*, facta anno Mundi VI CIↃ. VI C. LXXIV. mense Martio, Indictione 14. hoc est Christi 1166. ut supra aliæ, juxta nostram supputationem. Denique in MS. Codice Græco 2813. Regiæ Galliarum bibliothecæ inter Epistolas quæ Joanni Zonaræ tribuuntur, sed qui recenter scriptus est, anno nimirum mundi VI M. IX C LXXXXVI. hoc est Christi 1488. habetur Græce Ἀνταπολογητικὸν ἐκ μέρους πρὸς τὴν ἐγχαιρησθεῖσαν αὐτῷ γραφὴν τοῦ κραταιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν βασιλέως κυροῦ Μανουὴλ τοῦ Κομνηνοῦ, τὴν ἀπολυθεῖσαν πρός τινα μοναχὸν ἐπιμεμψάμενον οὐ μικρῶς αὐτῷ, διάγει τὸ τῆς ἀστρολογίας μάθημα, καὶ φιλονεικοῦσαν τὸ τοιοῦτον συστήσασθαι μάθημα φυσικοῖς καὶ γραφικοῖς ἀποδείξεσι. Incipit, Τολμῶν ὑπομιμνήσκω τὸ προγεγονὸς γράμμα τῆς βασιλείας σου, καὶ εἰς ἡμᾶς ἤδη χεῖρας ἐλήλυθεν. *Apologeticum ex parte ad acceptum ibi scriptum fortis & sancti nostri Imperatoris, Domini Manuelis Comneni, quod misit ad quendam monachum, qui acriter ipsum insectaretur, ob Astrologiæ studium, & quo intendit hoc studium commendare demonstrationibus natura & scriptura*. Latissime de hoc Opusculo hujus Comneni loquitur Carolus Dufrenius Dominus du Cange, in Præfatione ad Editionem Græco-Latinam Historiæ Joannis Zonaræ, quam duobus in folio tomis typographiæ Regiæ, anno 1686. Parisiis in lucem emisit. Sed latius quoque Petrus Lambecius Tomo IV. & V. suorum Commentariorum in *Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem*, ad Codices MSS. Theologicos Græcos Epistolarum Michaelis Glycæ 159. 160. 232. 233. ubi reperitur num. 39. post Michaelis Glycæ Epistolam 38. de qua tomo IV. citato pag. 156. diserte disserit. Hæc nobis suppeditarunt Leo Allatius Lib. 2. *De Consensu Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 11. §. 3. col. 654. & 655. Carolus du Fresne Dominus du Cange, in Catalogo Scriptorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo *Manuel Comnenus*, col. 54.

ANDRONICVS CAMATERVS sub imperio Manuelis Comneni floruit, sub quo tamen non defuerunt qui sententiam Ecclesiæ Græcæ *De processione Spiritus Sancti ex solo Patre*, tutarentur & scripto defenderent. Inter eos non infimus fuit Andronicus Camaterus, homo non elinguis, sed ingenio satis potens, & in oratoriis studiis exercitatissimus, dignitate Drungarius, Imperatori tum ob alia, tum ob verum usum summopere carus. Andronicum præterea Vrbi Præfectum fuisse & Imperatoris affinem, refert Joannes Cinnamus Lib. V. ἐν οἷς καὶ Ἀνδρόνικος ἦν ὁ Καματηρὸς, ὃς τὴν ἐπάρχου τότε διεῖπον ἀρχὴν, ἀνὴρ σεβαστότητι μὲν ἀξιωθεὶς, συγγενὴς δὲ βασιλεῖ καὶ αὐτὸς ὤν. *Inter eos erat & Andronicus Camaterus, qui tunc Præfecti, Vrbis provincia fungebatur, vir qui Sebasti etiam dignitatem assecutus fuerat, & affinis Imperatori existens*. Meminit quoque illius Josephus Methonensis *contra Epistolam Marci Ephesii*. Hic ergo Andronicus Camaterus scripsit *Dialogum adversus Latinos de processione Spiritus Sancti*, & *Disputationem Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro de duabus in Christo natu-* 1160

ris

ris & aliis capitibus, quæ Opuſcula male adſcripſeram *Andronico Sebaſto Conſtantinopolitano Palæologo Juniori* in Supplemento Bellarmini *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 1330. p. 600. Hunc meum errorem recte correxit Guillelmul Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 1156. pag. 676. quem lubens agnoſco. Extant hæc Opuſcula MSS. in Bibliotheca Bavarica Codice 120. ut habet Poſſevinus ad calcem Apparatus ſacri, pag. 62. Mirum autem, quod hunc errorem non correxerit Henricus Warthon ipſe Cavi continuator, ad annum 1327. pag. 24. Edocuit porro me atque Cavum, Leo Allatius Lib. 2. *De conſenſu utriusque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis* cap. XI. §. 5. col. 660. quem hic transſcribendum ſuſcepi. Andronicus hic perſonam Imperatoris induens, variaque de eo argumento diſputans, omnes in univerſum Divinæ Scripturæ & Patrum auctoritates *De proceſſione Spiritus Sancti* agentes, in unum collectas, ſumma animi contentione, additis ſuis Animadverſionibus, quas ipſe *ἐπιςασίας* vocat, Spiritum ex ſolo Patre procedere, conſtabilire conatur. Joannes Veccus Reſponſione ad ipſas, Ἔδοξε δὲ τοῦτο ποιῆσαι ἡμᾶς ἄλλην τινὰ καινοτέραν μετελθόντας ὁδὸν, δι' ἧς ἂν τὸ τῶν ἐλέγχων κράτος ἐκδηλότερον καταςαίη τοῖς ἀπροσπαθῶς διαγινώσκειν ἐθέλουσι, καὶ ἡ ὁδὸς τὴν βίβλον μετὰ χεῖρας λαβεῖν, ἣν ἐν ταῖς αὐτοκρατορίαις ἡμέραις Μανουὴλ τοῦ ἀοιδίμου ἐν βασιλεῦσι καὶ αὐτοκράτορσιν, ὡς ἐκ προσώπου ἐκείνου Ἀνδρόνικος ὁ τὴν τοῦ Δρουγγαρίου τῆς βίγλας ἀνεζωσμένος τότε ἀρχὴν Καματηρὸς τὴν κλῆσιν, ἀνὴρ τὴν σοφίαν οὐκ ἀγεννὴς συνεγράψατο. καὶ τὸ μὲν ἐπὶ κάλλει λόγου καὶ φράσει ταύτης θαυμάσιον ἐπαινέσαι, καὶ ἀποδέξασθαι· πρὸς ἓν δὲ μόνον μέρος ἀπαντῆσαι αὐτῆς, πρὸς ὅπερ οὐ καλῶς ὁ σοφὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ ἠγωνίσατο, οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἀξίως διὰ τὸ τοῦ θελήματος ἰδιόῤῥυθμον, ἢ τὴν προσαγὴν τοῦ κρατοῦντος, ἢ τὴν ῥοπὴν τοῦ καιροῦ, ἢ οὐκ οἶδ' ὅτι ἂν καὶ εἴποιμι ἕτερον· οὐ γὰρ ἀγνοεῖν ἐκεῖνον τὸ ἀληθὲς πείθομαι, καὶ ἀπαντῆσαι οὐκ ἐν σοφιςείᾳ λόγου εἰς πλάτος ῥητορευομένου, καὶ ἐπεκταθὲν, ἀλλ' ἐν γυμναῖς παντὸς τοῦ ἐν λογογραφίᾳ κάλλους τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίαις. καὶ οὕτω ἐπὶ πλέον κρατῦναι τῶν ἀντιλεγόντων τὸν ἔλεγχον, διὰ τὸ κατὰ τὴν ἐντεῦθεν ἐπινενοημένην μέθοδον τοῦ ψεύδους εὐέλεγκτον. τί δὲ τὸ τῆς βίβλου μέρος, πρὸς ὃ καὶ ἀπαντῆσαι διέγνωμεν; ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου σπουδὴ, ἣν ὅτι πολλὴν ποιήσας φαίνεται ἀποδεῖξαι, μὴ ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ὑπάρχειν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· τίς δ' ὁ τῆς ἀπαντήσεως τρόπος, καὶ τίς ἡ δυναμένη τὸν σαφῆ τοῦ ψεύδους ἔλεγχον; μέθοδον ἐροῦμεν ἤδη σαφῶς. ὁ τὴν ῥηθεῖσαν βίβλον ἐκθέμενος, θαυμαςὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ ἰσχὺν περιβεβλημένος λόγων οὐκ μικρὰν, πᾶσαν μὲν γραφικὴν ῥῆσιν, ἐξ ἧς τὸ πνεῦμα ὑπάρχον ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἀναφαίνεται συνελέξατο, καὶ κατὰ τὴν τάξιν συνέθετο, ἑκάςῃ δὲ τῶν ῥήσεων τὴν ἑαυτοῦ προσάπτων ἐπιςασίαν, ταύτην ἀεὶ διηνθέτει, εἰς αὐτὰς νοήμασιν ἐνησμένιζε, καὶ πρὸς τὰ δοκοῦντα οἱ τὴν ἀνάπτυξιν τῶν λόγων παρεβιάζετο. ἡμεῖς δὲ νῦν πρὸς τὸ ἐλέγχειν γενόμενοι, τὸ τῶν ἐπιςασιῶν τούτων βεβηλόμενον οὐκ ἴδιον μέρος, ὥσπερ μοι καὶ προείρηται λογοειδοῦς γραφῆς ἐκθήσομεν εἰς ἀντίῤῥησιν ταύτην λογογραφήσαμεν ἀλλ' ἑκάςην περικοπὴν γραφικῆς ῥήσεως, ὡς αὐτὸς ἐκεῖνος ἐξέθετο ἐκτιθέμενοι. ἔςι δ' ὅπου διὰ βραχυλογίαν, καὶ τῶν περικοπῶν τινας ἐπιτεμόντες, ἐν οἷς δηλονότι μέρεσιν αὗται περιέχουσί τι μέτρον τῆς προκειμένης ἡμῖν σπουδῆς κοινοῦ. καὶ τὰς ἐφ' ἑκάςῃ αὐτῶν ἐπιςασίας, ὡς αὐτὰς ἐκεῖνος αὐταῖς προσῆψε, ταύτας προσάπτοντες ταῖς ἐφ' ἑκάςῃ τῶν ἐπιςασιῶν ἀνθ' ἃς ἀντιῤῥήσεις ἡμῶν ἀντιπαραθήσομεν, ὡς ἂν τοῖς ἐντυγχάνουσι καθαρὰ, καὶ ἀνεπιβούλευτα ἐντεῦθεν ἐκγίνοιντο τὰ τῆς διαγνώσεως. ὡς γὰρ ἐπὶ τῶν ἀντιςρατευομένων ἀλλήλοις σωματικῶς, ἡ ἐν ςενῷ τῶν ἀμφοτέρων περιοχὴ τῷ ἑνὶ κράτος ἐπιτυγχάνει, οὕτω καὶ ἐν ἐφ' ἑκάςῃ ἐπιςασίᾳ τοῦ σοφοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου ἡμετέρα ἀντίῤῥησις, ἁπλῆ καὶ ἀμέθοδος προϊοῦσα, καὶ γυμναῖς μόναις γραφικαῖς μαρτυρίαις συγκροτουμένη, ῥᾷον τὸ τῆς διαγνώσεως ἀκριβὲς ἐμποιήσει τοῖς ἐντυγχάνουσι. καὶ τοῦτο ἐςὶν, ἣν εἰρήκαμεν ἐπινοήσασθαι μέθοδον πρὸς τὸ ψεῦδος εὐέλεγκτον. « Viſum eſt autem nobis id facere, nova quædam via pertentanda, per quam refutationum vis patentior eſſet illis, qui eas ſine ullo affectu dignoſcere cupiunt. Viaque eſt, Liber præ manibus accipiendus, quem ſub Imperio Manuelis Regis Imperatoriſque celeberrimi, Andronicus Manuelis perſonam induens, Drungarii Viglæ tunc temporis munere fungens, cognomento Camaterus, vir ſapientia non ignobilis, composuit. Et illius quidem ſermonis dictioniſque præſtantiam admirandam laudare probareque, uni vero illius parti occurrere, in qua catus ille vir non prudenter certamen iniit, neque pro ſuæ ſapientiæ dignitate: quod vel proprium ſit ſecutus arbitrium, vel dominantis juſſa, vel temporis opportunitatem, vel aliquid aliud, quod mihi nundum liquet. Neque enim perſuaderi poſſum, illum veritatem ignoraſſe; & occurrere quidem non in ſapientia ſermonis, res diffuſe & per extenſum pertractantis, ſed in nudis ab omni Rhetorico ſplendore, Divinarum Scripturarum teſtimoniis: & ita magis contradicentium refutationem corroborare, quod facilius hac ratione mendacium deprehendatur. Quænam autem pars Libri fuerit, cui occurrere conſtituimus? Viri illius conatus, quem ille ſumma contentione arripuit ad demonſtrandum, *non ex Patre & Filio eſſe Spiritum Sanctum.* Quis etiam fuerit Reſponſionis modus, & quæ methodus, apertam mendacii refutationem convellere valens, jam plane dicemus. Illius Libri author, admirandus ſane vir, robore ſermonum nec invalido conſtipatus, omnia Scripturæ dicta, quibus eſſe ex Patre & Filio videtur innui, collegit, eo ordine diſpoſuit, & ſingulis dictis ſuam *Animadver-*

„*fionem* annectens, sententiis quibus ipse acquie„scebat, & ad eam quæ sibi videbatur dictorum „expositionem, per vim etiam trahebat. Nos „porro, qui nunc ad illa refutanda accessimus, „harum Animadversionum cloacam, non pro„priam partem, ut jam prædiximus, scriptionis „oratoriæ esse censentes, præteribimus: & „unamquamque partem ex Scriptura desum„ptæ sententiæ, ut ille exposuit, digeremus; „aliquando brevitatis causa, aliquas sententia„rum abscindentes, eas scilicet quæ nihil ad hos „nostros conatus accommodatum continent. „Et ipsius ad singula dicta *Animadversiones*, ut ipse „illas dictis appendit, nos quoque appendentes, „nostras unicuique *Animadversioni* contradictio„nes contra apponemus, ut Lectoribus pura „claraque accedant nostra judicia. Quemadmo„dum enim corpore mutuò decertantium, in an„gusto amborum conclusio victoriam uni præ„stat, sic & in unaquaque *Animadversione* docti illi„us viri, nostra contradictio pura, & absque me„thodo procedens, & nudis solummodo Scriptu„ræ testimoniis instructa, commodiorem sen„tentiæ discussionem Lectoribus ingeret. Et „hæc est, quam nos diximus methodum „invenisse ad refellendam facilius falsitatem. Et infra &c. Ἐπεὶ δὲ πρὸ τῆς τῶν γραφικῶν ἐκθέσεων ῥήσεων, καὶ τῶν ἐπ' αὐταῖς ἐπισασιῶν, ὁ τῆς βίβλε πατὴρ Καματηρὸς, τὸ τῦ αὐτοκράτορος ὑποδυσάμενος πρόσωπον, διάλεξιν ὡς μέσον δῆθεν προβᾶσαν αὐτῦ τε ἐκείνε τῦ αὐτοκράτορος, καὶ τῦ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης ἐπιδομένον τότε τῦ Κωνςαντίνε Καρδηναλίων. ἐπλάσατο: παραιτητέον καὶ ταύτην ἡμᾶς, ἀρχῦντα οἱ τῦ ψεύδους κρίνοντας ἔλεγχον, τὸ τὰς ἐπὶ ταῖς γραφικαῖς ῥήσεσιν ἐπισασίας αὐτῦ, πρὸς μηδὲν διενηνεγμένας καίριον ἀποδεῖξαι. „Cum vero ante „scripturalium dictorum expositiones, & de iis „*Animadversiones*, Libri parens *Camaterus*, perso„nam Imperatoris induens, colloquium inter „eundem constituit, & ob Ecclesiasticam pacem „tunc Constantinopoli commorantes Cardina„les: negligendum est & illud à nobis, satis „mendacii refutationem ratis, si ejusdem ad „scriptura dicta *Animadversiones*, nihil oppor„tunum in se continere demonstraverimus. Ita Leo Allatius in Opere *De consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis*, Lib. 2. cap. 11. §. 5. col. 660. 661. 662.

1160 **HUGO PICTAVINUS** Monachus Abbatiæ Vezeliacensis, post annum 1160. claruit, scribens Historiam Cœnobii ubi professionem amplexus fuerat monasticam. Inscribitur autem *Historia Vizeliacensis Monasterii auctore Hugone Pictavino Notario* (seu Amanuensi) *Guillelmi Abbatis Vizeliacensis, qui eam jussu Pontii Abbatis anno MCLVI. scribere aggressus est, & sub ipso Guillelmo anno MCLXVII.* absolvit. Constat libris IV. quos edendos curavit Parisiis in 4. anno 1659. Lucas Dacherius *Spicilegii* Tomo 3. à pag. 446. ad 645. Integra tamen non prodiit, nam in MS. Codice Lacunæ duæ extabant, una in editis pag. 554. ubi notantur folia 28. in MS. Codice infeliciter excisa, altera pag. 641. ubi sex folia excisa desunt. Se autem fuisse Notarium Guillelmi Abbatis in quo *Chronicon* suum conclusit, disertè habet pag. 610. ubi narrat Abbatem suum venisse Montempessulanum, *habentem in Comitatu Gaufredum Angligenam Suppriorem, Vincentium Decanum, Franconem Capellanum suum, Hugonem Pictavinum Notarium suum, hujus Operis Auctorem.* Subministravit hoc *Chronicon* Lucæ Dacherio Franciscus Duchesne vir doctissimus, cum duobus aliis propria manu Andreæ Duchesne patris sui, orbis Gallici syderis olim splendidissimi descriptis, quibus Tomum suum Dacherius ornavit. Primum *Chronicon Fontanellense* pag. 185. & 247. & annum 834. ab Anonymo conscriptum. Secundum *Chronicon* Senoniense à Richerio post annum 1260. conscriptum pag. 271. ad 445. de quo ad annum M CC LX. loquemur pluribus. Tertium *Chronicon Vezelianense* pag. 446. ad Tomi finem, cujus præter Dacherium in Præludiis ad hunc Tomum pag. 16. & 17. nullus quem noverim, mentionem facit. Portò Vizeliacenses olim Monachi Ordinis divi Benedicti, abjecto Monachorum cucullo, vestem Canonicorum secularium jamdudum assumpserunt, de qua re vide Observationes Lucæ Dacherii ad Opera *Guiberti de Novigento* p. 658.

JOANNES TZETZES, ISAACI TZETZÆ 1160 ejus qui in Lycophronem scripsit frater, circa annum 1160. floruit, usque ad finem Seculi XII. ut vult Joannes Sheldenus in Præludiis ad *Scriptores decem Historiæ Anglicanæ*, quos anno 1652. in folio Londini evulgavit. *Alexandra* autem *Lycophronis Chalcidensis* cum Commentariis, variis Lectionibus & emendationibus Isaaci Tzetzæ, edita Græce & Latine Oxonii, e Theatro Sheldeniano 1702. in folio. Ipse Joannes in Hesiodum Chiliade XI. Historia CLXXXV. pag. 218. se vivere dicit annis centum post Michaelem Psellum, qui Pulicis encomium scripsit. Vixerit igitur circa annum 1160. vel etiam 1180. Si verba Tzetzæ volueris, ea sic habent.

Ὁ Μιχαὴλ μὲν ὁ ψελλὸς ψύλλας ἐγκωμιάζει,
Ἡμῶν πρὸ χρόνων ἑκατὸν ἀκμάζων ἐν τῷ βίῳ.

Michael quidem Psellus pulices laudat,
Annis ante nos centum florens in Vita.

Hic scripsit *Historiam variam versibus Politicis*, non autem *Iambicis* ut Conradus Gesnerus putavit. Politici porrò versus apud Græcos sic dicti, quasi civiles & populares Rithmi, qui quindecim syllabis singuli constant: Sic tamen ut cujusque versus pars prior integra dictione octavam syllabam absolvat, more Jambici dimetri. Hoc versuum genere & Michael Psellus *Cantica Cantico-*

ticorum explanavit, & Constantinus Manasses *Annales Byzantinos* suos, & alii alia scripserunt. *Liber variarum Historiarum Joannis Tzetzæ* versibus Politicis Græcis cum Latinâ interpretatione Pauli Lacizii & præfatione Nicolai Gerbelii, editus in folio Basileæ anno 1546. Item *Allegoriæ Mythologicæ, Physicæ & Morales Joannis Tzetzæ* carminibus, Græce & Latine editæ a Frederico Morello Parisiis anno 1616. in 8. Scripsit pariter *Commentaria in Hesiodum*. Opera autem Hesiodi Græco-Latina cum Scholiis Græcis Procli, Moschopuli, Tzetzæ, Joannis Diaconi &c. impressa & edita a Daniele Heinsio cum ejusdem versione & Notis, Amstelodami anno 1603. in 4. apud Raphelengium. Ejusdem *Joannis Tzetzæ Epistola Græcè Manuscripta* extant in Regia Galliarum Bibliotheca Codice 2565. ut testatur Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Authorum*, quem subjunxit calci *Glossarii sui ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis*, columna 28. Incubuit autem maxime Joannes Tzetzes cum fratre authoribus Grammaticis ac classicis illustrandis, cujus extant multi MSS. Codices in Anglicanis bibliothecis.

Inter MSS. Codices Græcos Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 24 in MSS. Baroccianis extat Joannis Tzetzis Metaphrasis Allegorica Iliadum Homeri versibus Politicis cum præfatione ad Irenen Imperatricem ex Alemania oriundam. Et ibidem Codice 131. & Codice 194. Joannis Tzetzis Chiliades seu Farrago Historiarum CXL. versibus Κρεῖσσον ὁ Ἀλυάττεω. Ejusdem Epistolæ duæ pag. 76. Ζαχαρείῳ τῷ λαχανᾷ τέτοις. Ejusdem Expositio historiarum & vocum quarundam pag 78. Ἐπιφυλλὶς, σμικρότερον βοτρυδίου ὑπάρχει. Joannes Tzetzes de diversis generibus Poetarum pag. 85. Ποιητικῶν μέλλουσιν ἄρχεσθαι λόγων. Idem de Metris pag. 86. Τὸν περὶ μέτρων ἀκριβῶς βουλόμενον. Homerus Allegorizatus ad Imperatricem Irenen ortu Alamannicam, pag. 91. Ἐπὶ φαιδρὰ πανσέληνε σεληνὴ σελασφόρε.

Ibidem Codice 60. Hesiodi opera & dies cum Scholiis Tzetzæ. Ejusdem Theogonia cum Scholiis marginalibus. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum num. 5963. in MSS. Thomæ Galei Codice 129. Joannis Tzetzis Grammatici Commentarius in Hesiodum, in membranis, collatus cum aliis Manuscriptis.

In MSS. Codicibus Bibliothecæ Lugdunobatavæ ex MSS. Codicibus Isaaci Vossii ab ejus hæredibus emptis, Codice 70. Joannis Tzetzis Rhetorica contra Hermogenem, & Codice 125. Joannis Tzetzæ Lexicon vocum variarum. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum, num. 3447. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ Codice 548. Hermogenes De inventione cum Scholiis Tzetzis.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Græcis, Codice 153. Lycophrontis Cassandra cum Scholiis Isaaci Tzetzis, cui Carmen Tzetzis præfigitur. Βίβλον μὲν τελέθουσα Λυκόφρονος αἱματοκόμπου. Et ibidem num. 3406. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni qui in Pluteis superioribus reconduntur, Codice 18. num. 2. Lycophrontis Alexandra seu Cassandra, cum Isaaci Tzetzis Commentariis, Græce. Scribit autem uterque Tzetzes tam Joannes quam Isaacus, *Elysios Campos seu Paradisum* haberi in insulis Britannicis, quas ob hanc causam *fortunatas insulas* appellari volunt. Ita ille in Hesiodum Ἔργ. κ'. ἡμέρ. de insulis Britannicis, *Illuc ajunt etiam mortuorum animas transvehi, ad hunc modum scribentes*: tum subjungit eadem quæ de Britannia ex Isaaco Tzetze in Lycophronem affert: *Fertur autem mortuorum animas illuc transvehi, nam juxta Littus Oceani Brettaniam illam alluentis, homines degunt piscatui assueti, qui Francis quidem subditi sunt. Tributum autem eis non pendunt, ideò quod transmittunt mortuorum animas, ut ferunt. Hi enim à piscatu redeuntes, sub vesperam in domicilio suis dormiunt, & paulò post fores pulsari sentiunt, & vocem audiunt eos ad opus invitantem. Surgentes verò ad littus se conferunt, nescientes qualisnam eos urgeat necessitas. Ibi vident naves instructas, sed non suas, hominibusque vacuas, in quas ingressi remigant, & sentiunt gravitatem navigiorum, perinde ac si ea esset ex vectoribus: sed neminem interim vident. Vocem autem audiunt, familiariter eorum vectores excipientium, qui enumerant ipsos & patres eorum & matres & dignitates & artes, & nominatim singulos indicant. Illi autem inde eis exonerati, levioribus navigiis, unico ibidem impetu, ad propria redeunt. Hinc est quod compluribus sit existimatum, ibi haberi Beatorum insulas, atque illuc homines, cum vitam hanc exeunt, sic transvehi.* Ita incolas maritimos seu piscatores Britanniæ magnæ oppositos, Charontis officium mortuis universis præstare nugatur prodigiosa hæc narratio, haud paucis etiam Græcorum credita. Atque inde *fortunatarum insularum* nomen Britannicis, ab illis tributum est. Atque huc spectare videtur illud Claudiani in Rufinum lib. 1.

> Est locus extremum pandit qua Gallia littus,
> Oceani prætentus aquis, quo fertur Vlysses
> Sanguine libato, populum movisse silentum.
> Illic umbrarum, tenui stridore volantum
> Flebilis auditur questus &c.

Et Natalis Comes *Mythologiæ* lib. 3. cap. 19. "Cum fortunatæ insulæ, campique Elisii in ea parte Britanniæ, de communi omnium propè præstantiorum scriptorum sententia, quæ est inter Occidentem Britanniam & Thulem, ad ortum solis dicerentur: piscatores quidam fuis-

„fuisse in littore maris Oceani narrantur, juxta „hanc Britanniam insulam &c.“ Reliqua quæ illic adjicit, uti etiam quæ habet hac de re Antonius Muretus *Variarum Lectionum* Libro 5. cap. 1. ex Joanne Tzetze in *Hesiodum* sumpta sunt. Hæc de fabulosa utriusque Tzetzæ sententiâ. Omisit Scriptorem hunc Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, cujus meminit Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 348. pag. 244. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Græcis* cap. 27. pag. 305. ultimæ editionis, Joannes Seldenus in *Præludiis* ad Decem Scriptores Historiæ Anglicanæ à se editos, p. 30. 31. & 32. à quibus hæc accepimus.

1160 IOANNES CIRITTA THAROVCANVS ABBAS, Ordinis Cisterciensis, natione Hispanus, scripsit anno 1162. Regulam militibus Ordinis Avisii apud Lusitanos clarissimi, inductus nimirum exemplo S. Bernardi Claræ Vallis Abbatis, qui hortatu Balduini Regis Hierosolymitani & Præsulum Concilii Trecensis, *Regulam Templariorum militum* sive *Pauperum Commilitonum Christi, Templique Hierosolymitani* anno 1128. conscripsit. Alfonsus item I. Lusitanorum Rex: anno 1166. *Constitutiones Militum Sancti Michaelis sive de Ala* publicavit. Item Guido Abbas Cisterciensis, postea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, anno 1187. *Constitutiones Militum Calatravæ* in publicam lucem edidit. Denique Alvarus de Lucia & Mendoza, miles Calatravensis, *Constitutiones Militum Montesiæ*, Jacobo II. Aragoniæ & Valentiæ Rege jubente, literis consignavit. Quæ habentur omnia, in *Privilegiis Ordinis Cisterciensis* anno 1630. Antverpiæ apud Balthazarem Moretum excusis. Plura de *Joanne Ciritta* Aubertus Miræus in auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Henriquez in *Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis* Lib. I. Distinct. XIX. ubi Vitam beati Joannis Cirittæ describit. Et in *Menologio* die 23. Decembris. Carolus de Wisch in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensis Ordinis*, pag. 203. & alii Scriptores *Cisterciensium rerum*.

1160 HVGO ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPVS, patriâ Ambianensis, ex Abbate Radinghensi in Anglia, anno 1130. Rothomagensis factus Archiepiscopus, usque ad annum 1164. quo die 10. Decembris obiit. Hæc ita breviter in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quæ nunc pluribus exhibemus. Hic igitur Hugo Ambiani in Picardia natus, emensis studiis Monachus apud Cluniacum factus est. Huic Sacerdotio comparato, missus in Angliam, factus est Prior S. Pancratii de Leuvis in Anglia, inde anno 1123. Radinghensis Abbas, tandemque anno 1128. Rothomagensis Archiepiscopus creatus, teste Alberico in *Chronico*: rectius autem anno 1130. ut Ordericus habet in Historia Ecclesiastica Libro 12. quo anno ordinatum fuisse asserit *Appendix* Roberti de Monte Sancti Michaelis, inquiens: *Rex Angliæ Henricus ad Nativitatem S. Mariæ fuit Becci, & adduxit, secum Hugonem noviter electum Rothomagensem, qui fuerat Abbas Rhadingi, qui etiam sacratus est in Festo exaltationis Sanctæ Crucis die Dominica, quem consecravit Richardus Bajocensis cum Coepiscopis suis in Ecclesia Sancti Audoeni.* Ad ipsum recens inauguratum Epistolam XXV. scripsit S. Bernardus, quâ ipsum hortatus est, ut apud suos Rothomagenses, patiens simul & pacificus esse studeret, zelumque prudentia moderaretur. „*Sufficiebat tibi apud Cluniacenses custodire innocentiam, porro apud Rotho-*“ *magenses opus est patientia &c. Esto ergo patiens,*“ *quia es cum malis: esto pacificus, quia praees malis.*“ *Habeat caritas zelum, sed adhibeat pro tempore mo-*“ *dum severitas. Censura quidem nunquam remissa,*“ *intermissa tamen plerumque plus proficit. Vigor*“ *justitiæ semper fervidus, sed nunquam præceps.*“ Commendat fidei & disciplinæ zelum in *Hugone* Innocentius II. in Epistolâ ad ipsum data. *Fervorem*, inquit, *tuæ dilectionis & constantiam fidei, quæ in persona tua hactenus claruerunt, tam apud Ecclesiasticas, quam apud seculares personas, ipsis Operum fructibus sancta Dei Ecclesia comprobavit. Unde & in specula domus Domini divina providentia constitutus, super commissum gregem more boni pastoris diligenter invigilas, & te severum in corrigendis vitiis exhibendo, Episcopale officium verbis & exemplis adimplere contendis.* Innocentium II. Papam adversus Petrum Leonis egregie adjuvit, cujus curis hic Summus Pontifex Rothomagi ab Henrico I. Angliæ Rege anno 1131. excipitur, quo eodem anno Rothomagensis Ecclesiæ jura in gratiam Hugonis Archiepiscopi confirmat pridie Nonas Octobris. Adstitit Hugo morienti Henrico Angliæ Regi & Normanniæ Duci anno 1135. Calendis Decembris, quo etiam anno Richardum Glocestriæ Comitis filium, Episcopum Bajocensem inauguravit: & Sancti Romani Oratorium in Beati Dionysii Basilica, instante Sugerio Abbate sacravit. Idem Hugo memoratur a Guillelmo Malmesburiensi Anglo Libro 2. *Historia novella*, cum describit Concilium Vintoniense I. anno 1139. pro immunitate Ecclesiastica celebratum, contra Stephanum Angliæ Regem, qui Castella Ecclesiæ invaserat, & Episcopos nonnullos carceri manciparat: cujus se fautorem libertatis idem Archipræsul quanta potuit facundiâ, adversus Henricum Vintoniensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum, Regis fratrem, præstitit. Approbavit anno 1143. privilegia Comitum Augensium in gratiam Abbatiæ Fulcardi Montis, testisque recensetur in instrumento Societatis Priorum de Falezia & Sancti Laudi. Anno verò 1144. Letaldo Abbati Beccensi immunitatem telonei concessit, unà cum Valeranno Decano, Fraterno Abbate Sancti Audoëni, & Gualtero S. Vandregisili, de quâ Beccense tabularium. In Chronico etiam Beccensi, idem Hugo notatur consecrasse 1137. Theobaldum & anno 1149. Ro-

ge-

gerium, ejusdem Monasterii Abbates. Adfuit Hugo anno 1147. Concilio Parisiensi, ubi actum de Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi doctrinâ, quam impugnavit, reste Ottone Frisingensi Episcopo Lib. I. *De gestis Friderici Imperatoris* cap. 50. Interest posteà anno 1151. Concilio Balgenciacensi cum Burdigalensi Archiepiscopo, ob dissolutionem matrimonii Ludovici VII. Francorum Regis, cum Eleonora Aquitanica, ut apud Sugerium legitur. Idem adfuit coronationi Henrici II. Angliæ Regis anno 1155. apud Westmonasterium XIII. Calendas Januarii à Theobaldo Cantuariensi Antistite peractæ. Celebrat quoque translationem S. Guillelmi Firmati apud Moretonium anno 1156. in octavis Pentecostes, eodemque anno confirmat Abbatiæ S. Dionysii, omnes illius Ecclesias, quæ erant in sua Diœcesi. At ejusdem Hugonis Epistolam ex pervetusta membrana exscriptam, non abs re fuerit hic attexere.

„Hugo Dei gratiâ Rothomagensis Archiepi-„scopus, sedis Apostolicæ Legatus, A. nobilissi-„mo Comiti Tholosæ, Duci Narbonæ, Marchio-„ni Provinciæ, quidquid boni tibi mandare pos-„sumus & debemus. Quia Dominus tam ho-„nore quam probitate personam tuam egre-„giam & sublimem constituit, decet omnimodis, „ut bene facias ejus, cujus manu honor & probi-„tas tua consistit. Scripsit namque nobis tua „liberalitas, quatenus aut Lugduni aut Viennæ „aut Valentiæ tibi occurramus: sed pro tuâ re-„verentia magis apud Valentiam tibi obviam „veniemus, Nonis Maji Domino ducente, pro „tua petitione erimus Valentiæ. Speramus te „plena fide sic velle prosequi, sicut Venerabili „Fratri nostro Tricassino Episcopo promisisti, & „nobis per litteras tuas idipsum promittendo si-„gnificari. Festina reconciliari tuæ Ecclesiæ, & „semper in honore, egregiè Princeps & Domine. Aroulphus Lexoviensis Episcopus Hugoni Epistolam XV. scribit. S. Bernardus Epistolam XXV. Sugerius Abbas S. Dionysii, 101. Stephanus Anglorum Rex, diploma ad eum dirigit pro his qui treviam Dei infringunt. Tandemque Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis Lib. 1. Epist. 4. & Lib. 6. Epist. 32. cujus hic fragmentum describere, supervacaneum non videtur. „*Quid magis*, inquit, rapere cor „meum ad ornandum poterat, quam tam „sancta, tam benigna, tam longæva in sancto „proposito à primis ferè adolescentiæ annis us-„que ad senilem, magis labore divino quam an-„norum numero fractam ætatem, perseverantia „vestra? Quid magis movere poterat, quam „illa jam antiqua, cujus vos non immemorem „esse credo, mihi & vobis, paucisque aliis nota „rerum Cluniacensium recordatio? Non exci-„dit mente, qualiter prioio juventutis vestræ „tempore, inter antiquos illos Reipublicæ no-„stræ Senatores, vos insignem viderim. Non „excidit, quantum eruditio & religio vestra, sa-„crum illum ac magnum Cluniacensium ovium gregem decoraverit: quam splendidè præ„cunctis penè aliis in Ordinis commissi custodia„effulserit? Taceo nec vivens oblivisci pote-„ro, quòd à cœpto sanctæ religionis proposito, in„diversis Ecclesiasticorum honorum gradibus,„vultus vestri non sunt in diversa mutati: sed„tam apud nos, quam semotus a nobis, Prior,„Abbas, summusque tandem Pontifex Dei, me-„rito virtutis ac scientiæ, bonus semper juxta„Apostolum, odor Christi in omni loco fuistis.„Non estis reveritus in caussa Dei potentes ty-„rannos, nec ipsos magnos magnique nominis„Reges: sed quantum fuit in vobis, Ecclesiam„Dei super gentes & regna constitutam, cuiliber„murtalium indecenter ancillari æquo animo„nunquam tulistis. Prærer hæc teneo & illud,„quod nulla cura, nulla magnarum rerum di-„stentio, memoriam nostri, amorem vestræ„Cluniacensis Ecclesiæ, aliquo tempore à cor-„de vestro avellere potuit. Valeat sancta &„tota jam cœlestis, frater carissime, beatitudo„tua. „ Scripsit Opus *De officiis & ministris Ecclesiæ Libellis tribus*, ex MS. Codice evulgatum post Opera Guiberti Abbatis de Novigento, cura & studio Domini Lucæ Dacherii, de quo vide quæ diximus suprà ad annum 1120. in *Guiberto* Abbate. Opus autem istud scriptum *contra Hereticos sui temporis*, destinatum ad Albericum Ostiensem Episcopum, sedis Apostolicæ legatum. Inter multa quæ reliquit Hugo Rothomagensis Archiepiscopus suæ eruditionis documenta, unus quoque fuit elegans *Liber de diversis quæstionibus ad Matthæum Albanensem Episcopum*, quem intercidisse lapsu temporum opinor. Vivere desiit anno 1164. quarto Idus Novembris ex Necrologio Rothomagensi & ejus Epitaphio, quod extat inter Epistolas & Carmina Arnulphi Lexoviensis Episcopi.

Inter Pontifices speciali dignus honore,
Hic nostræ carnis Hugo *resignat onus.*
Consignata brevi clauduntur membra sepulchro,
Non tamen acta viri, claudit uterque polus.
Quidquid dispensat & compartitur in omnes,
Gratia contulerat, profiteturq; viro.
Facundos igitur virtutum copia fructus
Fecit, & ultrà hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ,
Sustulit emeritum flebilis hora senem.
Par Martine tibi, consorsque futurus, eandem.
Sortitus tecum est, commoriendo, diem.

Videas Guiberti Novigentini Opera, de quibus suprà ad annum 1120. egimus, ad quorum calcem Opus Hugonis Archiepiscopi Rothomagensis adjectum est: ubi plura præmittit Lucas Dacherius ante editionem hujus Operis, quæ Hugonem commendant, & illustrem ætate sua produnt. Item multa Sammarthani fra-

tres tomo 1. *Gall. Christiana* pag. 578. in Archiepiscopis Rothomagensibus. Omisit hunc Guillelmus Cavus.

1160 RODULPHUS TORTARIUS, FLORIACENSIS MONACHUS, Ordinis Divi Benedicti, scripsit circa hoc tempus *Librum De miraculis Sancti Patris Benedicti*, quem evulgavit Dominus Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* tomo seu parte 2. pag. 390. & sequentibus, post alios duos *Libros Miraculorum ejusdem Sancti Patris* ab Aimoino Floriacensi Monacho Seculi XI. qui ibidem p. 356. & ante *libros tres ejusd. m argumenti* à Desidetio Cassinensi Abbate compositos, qui Victor Papa tertius dictus est, ibidem subjunctos pag. 425. & sequentibus. Omisit hunc Rodulphum Tortarium Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, sed non Bollandus qui librum ejus *Miraculorum de Sancto Benedicto* refert ad diem 21. Martii mensis, tomo 3. pag. 336. Scripsit quoque Rodulphus Tortarius carmine *Passionem ac translationem sancti Mauri Martyris Africani*, cujus corpus olim in Monasterium Floriacense translatum fuit. Initium Poëmatis Tortarii *De Passione sancti Mauri Afri Martyris* oritur, *Gloria, splendor &c.* Initium autem Poëmatis, *De translatione ejusdem* incipit, *Adsurant Romæ &c.* Cujus utriusque meotionem faciunt, Carolus Saussajus in *Annalibus Aurelianensibus* Lib. 4. cap. 10. Gerardus Joannes Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis*, parte 4. cap. 11. pag. 747.

1160 ADELBERTUS HEIDENHEIMENSIS ABBAS, ex Ordine divi Benedicti anno 1164. floruit, qui *Relationem Historicam* hoc tempore scripsit *de restitutione sui Monasterii Benedictinis facta sub Eugenio Papa tertio*, quam Gretserus adjecit ad calcem *Commentarii Philippi Eistetensis Episcopi De Episcopis Eistetensibus* ab anno 1306. ad 1322. pagina 318. Opus verò inscriptum, *Commentarius De Sanctis Eistetensis Ecclesiæ tutelaribus, S. Richardo, S. Willibaldo, S. Vunibaldo, S. Valpurgo &c.* edendum curavit Jacobus Gretserus Soc. Jesu Theologus, Ingolstadii apud Elisabetham Angermariam anno 1617. in 4. Hujus Scriptoris mentionem facit Carolus Dufrenius Dominus du Cange, in *Indice Auctorum* quem præmisit amplissimum suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 80.

1160 S. THOMAS cognomento BECKET, CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS, anteà Cancellarius Regis Angliæ. Hoc autem sub finem anni 1162. factum est, quam ob causam celebratum Londini Concilium Generale omnium insulæ Episcoporum, cui Rex etiam interfuit, ad subrogandum in locum Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi defuncti, Metropolitanum. Electus est voris omnium Thomas Regis & regni Cancellarius, ex Actis vitæ ejusdem Sancti Thomæ Archipræsulis ab *Eduardo* ejus æquali prolixe satis conscriptis, quæ ab aliquo postmodum in compendium redacta, apud Surium ad diem 29. Decembris extant. Illum autem magnopere refragatum esse, ne Archiepiscopus fieret, scribit Herbertus de Boseham, objectumque esse ab eo Regi ne eligeretur, aliàs se fore ei adversarium propter Ecclesiasticam libertatem tuendam. Sed subjicit Sarisberiensis, eum tandem acquievisse, Henrico Pisano urgente, Presbytero Cardinali Sanctorum Nerei & Alhittei, Alexadri Papæ legato: moxque missis nuntiis ad Alexandrum pro pallio, qui tunc erat apud Montem Pessulanum, eum ob tanti viri reverentiam, illud ipsi concessisse absenti. Consecratus porrò Archiepiscopus, habitum dicitur induisse Monasticum, ea de caussa, quod exempla multa præcessissent eorum, qui Monachi non facti cum cathedram illam conscendissent, à Deo malè mulctati fuissent ac puniti. Anno 1163. mense Majo, cum Alexander Papa Turone in Ecclesia S. Martini Concilium celebraret, adsuerunt cum eo huic conventui Cardinales septemdecim, Episcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti quatuordecim, & Clericorum aliorum innumera multitudo, quæ ad spectaculum convenerat. Inter insignes alios Præsules, Thomas Canruariensis interfuit, quem præter morem Alexander Papa III. ea excepit honorificentia, ut (quod traduot Vitæ ejus Scriptores) omnes Cardinales in ejus occursum extra Vrbem miserit, præter duos qui ipsi Pontifici semper assistere solerent. Hoc autem anno eodem 1163. idem Thomas in Regis Angliæ indignationem incidit, non tantum quod vir Sanctus Regem contra duos Clericos facinorosos agere non permisisset, ut Guillelmus Neubrigensis Lib. 2. cap. 16. scribit: sed etiam ut authores alii referunt, quod Ecclesiæ prædia à Laicis usurpata, malè verò à prædecessoribus alienata recuperare conniteretur: quodque pravam consuetudinem abolere satageret, quæ in Anglia invaluerat, nimirum ut fructus vacantium Ecclesiarum fiscus Regius sibi vindicaret, unde contingebat ut Ecclesiæ diu satis vacarent, ut eò plura fisco regio inferrentur bona. Itemque quod Archiepiscopus creatus, seipsum munere Cancellariæ abdicasset, nempe juxta consilium Apostoli volentis, ut *nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus*: quem tamen Rex sibi retinere ministrum utpote utilem optabat. Denique quod injustam tributi prohibuisset exactionem, & homicidam Presbyterum condemnatum, brachio seculari minimè tradidisset, sed munere ecclesiastico exutum juxta Canones Monasterio inclusisset: aliumque pariter quendam Canonicum facinorosum, non sicut Rex cupierat, pœnas dare compulisset, sed censuris tantum Ecclesiasticis cohibuisset. Anno 1164. facto in Anglia apud Clarendunam conventu celebri, incipiunt inter se altercari Rex atque Ar-

Archiepiscopus Cantuariensis Thomas de Subscriptione & observatione *Regiarum consuetudinum* : ubi post multas inter Archiepiscopum & Episcopos contentiones, S. Thomas tandem, importunis imbecillium Episcoporum sollicitationibus atque instantiis actus, pollicetur se *Regias consuetudines, BONA FIDE* observaturum, cum anteà tantum observationem illarum Episcopi *salvo ordine suo* promitterent. Aliquantò post, facti sui ac promissi Thomam pœnituit, unde cum Regi innotuisset renuere S. Thomam, sicut condictum erat, proposita Clarendunæ *Consuetudinum* capita suo sigillo corroborare, quin etiam a verbali promissione de ipsarum observatione resilire velle, quòd eæ maxime in Ecclesiæ perniciem verterent: in maximas contra Archiepiscopum constantem iras exarsit, mirisque eum modis usque ad mortem, ubique terrarum persecutus est. Episcopis fermè omnibus Regiæ voluntati cœco modo obedientibus, atque de pertinacia Archiepiscopi sui obstupescentibus, quam alii proterviam, alii superbiam, alii atrociori adhuc nomine rebellionis appellabant: ipse Thomas contumeliis & conviciis curialium proscissus, paullò post transfretans in Belgium, derelictus ab omnibus, in Monasterio S. Bertini constitit. Hinc ad Alexandrum Papam III. in Galliis tunc agentem, ad quem ipse appellaverat, a suffraganeis suis injustissimè atque iniquissime damnatus pergit. Redarguitur ab Alexandro, ob consensum aliquando impiis consuetudinibus ac libertati Ecclesiasticæ præstitum: unde facti pœnitens, abdicat se Archiepiscopatu, quem de manu regia suscepisset, sed a Summo Pontifice mox restituitur. Commendatus ab illo, Abbati Pontigniacensi Ordinis Cisterciensis, ubi Monasticè ibidem inter Monachos vivit, non tamen Monachus ibidem factus, ut Scriptores Cisterciensium rerum recentes somniarunt, cum nullus Veterum quem sciam, hoc attestetur. Interim in tantas accenditur iras Rex Angliæ, ut qui in Thomam animadvertere ipse non poterat, acerbius in omnem ejus familiam deseriat, omnibus ei cognatione vel familiaritate conjunctis, viris ac mulieribus, feminibus ac parvulis usque ad vagientes, ex Anglia pulsis. Creatus anno 1167. ab Alexandro III. Legatus Apostolicus ad res Anglicas disponendas, damnat Consuetudines & Episcopos, Regemque munet resipiscere, comminatione excommunicationis facta. Vnde Rege irato, molitionibus minisque ejus Pontiniaco egressus, a Rege Francorum benignè excipitur, largisque alimentis fovetur. Anno 1168. multis deprimitur mendaciis, atque imposturis apud Alexandrum Pontificem, tam Henrici Anglorum Regis dolis, quam affectata Legati a Papa missi iniquitate, Henrico clanculum adhærentis. In congressu cum Regibus Francorum & Anglorum, conviciis agitatur: a Rege etiam Francorum repulsam passus, sed quam statim pœnitentem ad pedes suos pervolutum vidit. Rursum variè anno 1169. ejusdem caussa agitatur. Anno demum 1170. ab Anglorum Rege recipitur, & ad Ecclesiam suam revertitur, sed accusatus denuo à cæteris Episcopis apud Regem, tandem à quatuor Nobilibus gratum se Regi facturos existimantibus, intra Ecclesiam suam crudeliter occiditur, diffecto variis gladii ictibus cerebro, die 29. Decembris. Hujus ultimi dissidii incentores potissimi fuerant, Archiepiscopus Eboraci cum Episcopis Londoniensi & Saresberiensi, aliisque complicibus. Intra longum istud dissidium, frequentes discordias & contentiones, diuturnum exilium, nulli dubium esse debet, quin Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, vir magni ingenii, linguæque politioris, *Epistolas multas* scripserit ad sui defensionem & ad Ecclesiasticam libertatem vindicandam, quas *in quinque libros distinctas*, ex MS. Codice Vaticano erutas evulgavit Christianus Lupus ex Ordine Eremitarum divi Augustini, anno 1682. tomis in 4. duobus, Bruxellis apud Henricum Frick, cum Libris quatuor aut quinque de Vita ejusdem Sancti Martyris, qui *Quadrilogus* inscribuntur, quia ex quatuor authoribus collectore Anonymo, excerpti sunt, Herberto de Boscham ejus Clerico, Wilhelmo Cantuariensi, Alano Abbate Teckesburiæ, atque Joanne Sarisberiensi posteà Carnotensi in Gallia Episcopo. Habentur eædem Epistolæ Sancti Thomæ Libris V. collectæ, Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti, Codice XI. Obiit Martyr anno 1170. die 29. Decembris, jussu Regio ab impiis in Ecclesia Cantuariensi excerebratus. Jam si quæras, qui collegerit Epistolas istas omnes: Respondeo collectas fuisse aliquanto post mortem Sancti Archiepiscopi, ab Alano Priore Monachorum Ecclesiæ Cantuariensis, Ordinis divi Benedicti: quemadmodum narrat Herbertus de Boscham in ingenti suo Opere *libris septem* conscripto *De Vita Sancti Thomæ Martyris & Cantuariensis Archiepiscopi* : quam dudum apud me habui repositam, vidique MS. in Bibliothecis Alnensi, Signiacensi & Igniacensi, Ordinis Cisterciensis omnibus, in Episcopatibus Leodiensi & Remensi. Vnde cum opus suum scripserit Herbertus anno 1184. ut ipse ait, citetque collectionem hanc Epistolarum ab *Alano* factam, necessum est illam ante annum 1184. confectam esse, atque ex consequenti non multo post mortem Sancti Martyris. Hic autem *Alanus*, postmodum Abbas Teukesburiæ in Anglia factus est, Congregationis Cluniacensis, qui usque ad annum 1200. & ultra vixisse creditur: de quo Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 21. ubi affirmat scripsisse *Vitam Sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris* : quod de his Epistolis intelligi utcunque posset, quibus ab ipso in unum collectis, rectè Vitam Sancti Thomæ in iis expressisse intelligendus est.

Etsi pauci hodiernis temporibus sint, qui Sancti Martyris firmitatem zelumque, ad defendenda libertatis Ecclesiasticæ jura imitentur: multi ta-

tamen sunt, qui eum eximiè laudant, imò nullus ferè Ordinum veterum Regularium si Præmonstratenses excipias, qui Sanctum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum suis alumnis non adnumeret. Hunc faciunt Canonicum Regularem Augustianum, Canonici Regulares: suis Benedictini Monachis accensent, dum legunt *Canonicam illum professionem emisisse*, id quod de Regula Divi Benedicti quam profitebatur olim Cantuariensis Ecclesia, interpretantur. Radulfus de Diceto in *Imaginibus Historiarum* ad annum 1171. eum fuisse Monachum expresse habet his verbis: *Licet enim Archiepiscopus habitum Monachalem quem à tempore multo satis occultè susceperat, Canonicali habitu suppressisset, carnem attritam cilicio, femoralibus cilicinis edomare curabat.* Idem Gervasius Dorobernensis in Chronicis ad annum 1163. *Induit igitur ad carnem cilicium, induit desuper Monachi habitum.* *In exterioribus Canonicus apparebat, eupiens in trina veste, rium Magnatum existere sedulus imitator. In cilicio extitit imitator Joannis Baptistæ, qui non mollibus, sed pilis camelorum induebatur: in cuculla secutus est Sanctum Benedictum, in veste Canonica magnum Augustinum.* Quod ergo Archiepiscopus Cantuariensis Monasticum habitum portaverit, ac professionem Monasticam emiserit, hoc certè per idoneos testes & synchronos probatum manet, quibus refragari nullus audeat. Vix tamen tot tamque variis indutum fuisse coloribus credo, *S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum:* quem lego apud Odonem, qui *libros quinque amplissimos de Miraculis ejus* scripsit stylo elegantissimo, quorum plurimorum testis oculatus fuit, dum in Ecclesia Cantuariensi maneret & sacrista esset: crediturn quidem fuisse ac gestasse habitum Canonici Regularis, sed quod cum quadam formidine affirmare videtur Odo, positivè asserit Edwardus in ejus Vita cap. 4. apud Surium. Extat MS. illud Odonis in tribus Bibliothecis Abbatiarum Cisterciensis Ordinis, Fusniaci, Signiaci & Igniaci, Episcopatuum Laudunensis ac Remensis, ingens *Opus Odonis Cantuariensis Monachi & Sacristæ, De miraculis S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, quod à me olim transscriptum, Danieli Papebrochio Presbytero Societatis Jesu, per Epistolam exposcenti, Antverbiam missum est. Denique & Cistercienses altè clamant, illum apud Pontigniacum exulem, illic Monasticum Cisterciensis instituti habitum accepisse: ut constat ex Carolo de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 309. & ex omnibus rerum Cisterciensium Scriptoribus. Sed qui probaverit tam singulare factum, neminem illorum hactenus vidi. Agunt de *Sancto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo*, Scriptores innumeri, quos recensere tædiosum esset. De Scriptis ejus Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1162. pag. 680. ubi fallitur quando post Baronium, Joanni Sarisberiensi attribuit *Collectionem Epistolarum Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, quæ Alano Cantuariensis Ecclesiæ Priori, ac postmodum Abbati Teckesburiensi debetur. Consulantur *Acta Eruditorum Lipsiæ* mense Septembri, anno 1683. pagg. 383. & 384.

ELISABETHA VIRGO ET SCHONAUGIÆ ABBATISSA, Ordinis divi Benedicti, in Archiepiscopatu Trevirensi, claruit ab anno 1154. observantia regulari, atque ut volunt Divinis revelationibus, quibus facilem non præbeo fidem. Scripsit ergo hæc Abbatissa seu Prophetissa, *Visionum seu Revelationum Libros tres & Epistolarum librum unum*, qui Coloniæ anno 1628. in folio typis editi sunt unà cum Libro Ecberti Abbatis Schonaugiensis, quem *De transitu seu obitu Sanctæ Elisabethæ sororis suæ germanæ* composuit. Eruditi homines volunt hos *Revelationum sive Visionum libros tres*, unà Egberti manu, cum *libro Epistolarum* compositos fuisse, quos sub nomine Elisabethæ sororis suæ germanæ, evulgaverit post mortem, ut famam Sanctitatis ejus majorem apud posteros redderet. Solebant enim Monachi piis ejusmodi fraudibus, imponere posteritati. Istud eo facilius fieri potuit, quod Elisabetha atque Egbertus tam proximi manserint, ut perpetuò simul essent, ac in duobus cœnobiis unum velut cœnobium constituerent. Obiit ipsa anno Christi 1165. ætatis 36. die 18. Junii, cujus Sanctitatem multis Ecbertus celebrat. Notet autem Lector tria olim Monasteria apud Germanos *Schonaugia* nomine clara extitisse. Primum fuit Monachorum Ordinis Sancti Benedicti in sylva Hercinia, sub ditione Comitum Nassaviorum, in finibus Diœceseos Treverensis situm, quod alio nomine *Monasterium Sancti Florini* nuncupatur, atque etiamnum floret. Hujus loci Abbas secundus Eckbertus fuit, sanctæ Elisabethæ jam laudatæ frater, anteà Bonnensis Presbyter & Canonicus. Secunda Schonaugia Monialium Benedictinarum fuit, Cœnobio Sancti Florini modo dicto olim proxima, quæ circa annum 1590. vel 1600. ob scandalum extirpata fuit, fundo ac possessionibus in usum Monachorum Sancti Florini translatis, cujus Schonaugiæ secundæ Sancta Elisabetha Abbatissa fuit, hæc ipsa Abbatis Eckberti soror. Tertia autem Schonaugia, quæ Monachorum Ordinis Cisterciensis est, in Diœcesi Vormatiensi, altero lapide ab Heidelbergâ Rhenani Palatinatus Urbe primariâ, in loco amœno visitur: in quo *Hildegundis Virgo* virili veste sexum mentita, Josephique nomine assumpto, usque ad obitum vixit. Hæc visum fuit monere, desumpta ex Auberto Miræo, in Auctario suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 379. pag. 254. Ne quis in errorem trahatur à Scriptoribus Cisterciensibus, aut aliis hæc tria Monasteria confundentibus. Hunc admisit Henriquez in suo *Menologio* ad diem 18. Junii, sed correxit Carolus de Visch in sua *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, verbo 1160

S.

S. Elisabeth, pag. 101. Et verbo *Schonaugia* p. 295. quem videas.

1160 GILBERTUS FOLIOT, LONDINENSIS EPISCOPUS, Leiceftrenfis primum Cœnobii Canonicorum Regularium Abbas fuit, deinde Epifcopus Herefordenfis, poftea Londinenfis. Hic ut habet Matthæus Weftmonafterienfis, Abbas primum fuit Glocestriæ, fed juxta Balæum & rectius, Leiceftriæ. Tefte Godwino in *Epifcopis Herefordenfibus & Londinenfibus*, anno 1149. electus & confecratus eft in Epifcopum Herefordenfem, ubi fallitur. Anno enim faltem medio 1147. factus eft Herefordiæ Epifcopus, nam tefte Gervafio Dorobernenfi in *Chronicis Regum Angliæ*, eodem anno 1147. quarto decimo Kalendas Januarii Theobaldus Cantuarienfis Archiepifcopus facravit Robertum Lincolnienfis Ecclefiæ electum, & Davidem Menevenfem ad altare Chrifti *Cantuariæ*, adftantibus & cooperantibus Hilario Ciceftrenfi, Gilleberto Herefordienfi, Walterio Roffenfi, & Patricio Lunicenfi de Hibernia. Idem anno 1162. ut Epifcopus Herefordenfis adfuit conventioni, quâ fopita eft difcordia & amicabili fine terminata, inter Ecclefiam Sancti Albani & Ecclefiam Lincolnienfem, in præfentia Henrici II. filii Mathildis Imperatricis & Angliæ Regis, Archiepifcoporum Thomæ Cantuarienfis & Rogeri Eboracenfis, & multorum aliorum, quos prolixè fatis recenfet Radulfus de Diceto in *Imaginibus Hiftoriarum* ad annum 1162 Vacante autem fub anni finem Londinenfi Ecclefiâ, anno 1163. Gilbertus Herefordenfis in Londinenfem Ecclefiam 4. Calendas Maji translatus eft, atque in fedem fuam Londonienfem juxta totius populi defiderium folemniter introductus, annuente Alexandro III. Romano Pontifice Litteris fequentibus.

„ Ex litteris cariffimi in Chrifto filii noftri Henrici, illuftris Anglorum Regis, & Venerabilis fratris noftri Thomæ Cantuarienfis Archiepifcopi, atque ex relatione dilecti filii noftri Radulfi Ecclefiæ veftræ Archidiaconi accepimus, quòd idem Rex defiderat plurimum & requirit, quod Venerabilis frater nofter Herefordenfis Epifcopus ad veftram Ecclefiam transferatur, ut in eadem Ecclefia curam gerat & follicitudinem paftoralem. Hac utique causâ & neceffitate nobis ab eodem Rege propofitâ, quod Londonienfis Civitas Regalis fedes fit, & ipfe Rex diuturniorem ibi confuevérit & longiorem moram habere, & ibi frequentes Baronum ac Procerum de toto regno, folleant effe Conventus. Quanto autem prædicta Regia Civitas inter alias regni Civitates magis eft nobilis & famofa, tanto Ecclefiam ipfam ab honeftiori, & tam in divino quam in humano jure prudentiori, præfatus Rex regi defiderat, & poftulat gubernari. Nam cum ipfe memorato fratri noftro confilium de animæ fuæ falute commiferit, eum cum fibi neceffe eft, defiderat habere præfentem. Unde nos ei tanquam cariffimo filio noftro per omnia & in omnibus, in quibus fecundum Deum poffumus, deferre volentes: & ejusdem fratris noftri Epifcopi religionem, honeftatem & litteraturam diligentius attendentes, voto & propofito ipfius Regis in hac parte, fi tamen vos eundem Epifcopum unanimiter poftulaveritis, duximus annuendum. « Hæc Radulfus de Diceto ad annum 1163. cui confentit Gervafius Dorobernenfis in *Chronicis Regum Angliæ* in Henrico II. ad annum 1163. his verbis: *Menfe Januario translatus eft Gilebertus cognomento Foliot Epifcopus Herefordenfis ad Epifcopatum Ecclefiæ Londonienfis. Egerat enim Thomas Cantuarienfis Archiepifcopus apud Dominum Papam Alexandrum & Regem Angliæ, ut ab Herefordenfi Epifcopatu ad fublimiorem Ecclefiam transferretur, eo quod effet facris litteris apprimè eruditus, & in religione Monafticâ probatus, fpem non modicam Ecclefiæ præferebat.*

Vix aulicus ille Gilebertus ad cathedram Londonienfem, inftante Thoma Cantuarienfi Archiepifcopo translatus fuerat, cum ftatim ob gratiam Regis, jurium ampliandorum vexandæque Ecclefiæ ardentiffimi, fe affentatorem ac Metropolitani fui deriforem & infidiatorem oftendit. Nam in Conventu Clarendonienfi qui anno 1164. convocatus eft, Sancto Thoma pro libertatibus Ecclefiafticis ftante, *Gilbertus Epifcopus Londonienfis & Cantuarienfis Ecclefiæ Decanus* (tefte Gervafio in Chronicis) *quantum perverfus, tantum perverfa locutus, hujusmodi fertur dediffe refponfum.* „Si pater, inquit, recolis, unde te Dominus Rex fuftulit, quid tibi contulit confiderata temporum malitiâ, quam ruinam Catholicæ Ecclefiæ & nobis omnibus paraveris, fi in his omnibus Regi refiftere volueris: non folum Archiepifcopatui Cantuariæ, fed in decuplo fi tanti fuerit, cedere deberes. Et forfitan fi hanc in te viderit humilitatem, te reftituet in univerfum. « Hic præcipuus fuit tefte Gervafio eodem, qui in ipfo Conventu Sanctum Thomam deferuit, cum multis aliis Epifcopis. Hic præcipuus fuit ex his, quos Rex Angliæ Henricus II. ad Alexandrum Papam III. anno 1164. eodem in Gallia Senonis agentem direxit, contra fuum Archiepifcopum Thomam. Hic tantæ fuit temeritatis atque audaciæ, ut quemadmodum Paulus omnium Stephani lapidatorum veftimenta fervans, tefte Auguftino, omnium manibus illum lapidabat: ita ille infolenter ac mendaciffimè pro omnibus Collegis in gratiam Regis collocutus ac perorans, omnium linguis eum profciderit, ac libertatem Ecclefiafticam obvius mercator vendere conatus fit. Unde cum oratoris infolentiam ferre non poffet Summus Pontifex Alexander, tefte Gervafio, dixit Dominus Papa, *Parce*, inquit, *frater*. „Et Londonienfis, *Domine parcam ei*: & Dominus Papa, *Non dico frater quod ei parcas, fed tibi.* Ad hanc igitur Apoftolicam vo-

„cem & tubam, ſenſus *Londonienſis* eſt infatuatus „à Domino, ita demum quod non potuit am„plius mutire. Excepit proinde ſermonem ſa„cundus *Hilarius Ciceſtrenſis Epiſcopus*, magis de „ſuâ confidens eloquentiâ, quàm de juſtitiâ & „veritate, quod innotuit ex poſtſacto. “ Reverſus in Angliam Gilbertus, toto illo ſexennii tempore quo Thomas Archiepiſcopus in Francia exul variis in locis manſit, fidelem ſe Regii furoris adminiſtrum præbuit, prædia Archiepiſcopii Cantuarienſis Regio fiſco ſuiſque privatis commodis addixit. De quibus iniquiſſimis facinoribus ſæpe admonitus Gilbertus dum omnia parum curat, anno tandem 1169. ob inſigni Archiepiſcopo exule, apud Claram Vallem ipſo die Palmarum ſolemniter excommunicatus eſt, miſſa ad ipſum per certos nuntios excommunicationis ſententia, cum litteris aliis ejusdem Thomæ ad Decanum, Archidiaconum & Londonienſis Eccleſiæ Clerum, quibus Epiſcopus eorum denuntiebatur excommunicatus, ac velut ulceratum Eccleſiæ membrum, ab omnibus evitandus. Hæc pluribus narrat in *Imaginibus Hiſtoriarum* ad annum 1169. Radulfus de Diceto. Ab hac excommunicatione anno 1170. abſolutus eſt, Alexandro III. Summo Pontifice, hoc dante in mandatis Archiepiſcopo Rothomagenſi & Ambianenſi Epiſcopo, quod eodem anno in die ſancto Paſchæ apud Rothomagum factum eſt. At indignatione Regia ſemper in pejus ſæviente, Conſiliariiſque ipſius ſemper ad iniquiora animum iratum exſtimulantibus, iterum Gilbertus Londonienſis Epiſcopus cum Salesburienſi ab Alexandro III. excommunicatus eſt: quod Thoma Cantuarienſi Exilium ſuſtinente, ipſi potiſſimum inſtigantes ſollicitarent ab Henrico Rege cujus mentem omnimode occupaverant, ut filium ſuum coronari in Regem, ab Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo, contra jura Cantuarienſis Eccleſiæ & Angliæ primatis poſſeſſionem curaret. Recrudeſcente itaque Henrici Regis & Conſiliariorum ejus inimicitia, atque ad ulteriores vindictas adſpirante, ſancto exule Thoma ad eundem annum 1170. in Eccleſiam ſuam redeunte, novæ ipſi ſollicitante potiſſimum Gilberto Londonienſi Epiſcopo, ſtruuntur inſidiæ: cui potius quam Henrico II. Regi mortem Sancti Thomæ Archiepiſcopi adſcripſerim, licet nec iſtum innocentem affirmare velim. Sic autem iſtam Lanienam depingit Radulfus de Diceto. „Quinta die Natalis Domini circiter horam „veſpertinam, dum Archiepiſcopus cum Cle„ricis ſuis reſideret in thalamo, Willelmus de „Traci, Reginaldus filius Vrſi, Hugo de More„villa, Richardus Brito, de Normannia venien„tes, tanquam furia invecti, ſubito thalamum ir„rumpunt, denunciantes ex parte Regis in Nor„mannia ſacientis, *ut Epiſcopos Angliæ ſuſpenſos of„ficio reſtitueret, excommunicatos abſolveret.* Qui„bus reſpondit, *Non eſt judicis interioris & ſupe„rioris ſententiam ſolvat: & quod nulli hominem liceat infirmare, quod Apoſtolica Sedes decreverit.“ Attamen ſi Londonienſis & Salesburienſis Epiſcopi“ ſuo mandato ſe parituros juramento firmarent, eos“ pro pace Eccleſiæ & reverentia Domini Regis abſol-“ veret.* “ Hæc Radulfus de Diceto. Vnde Sicarii iſti irâ incandeſcentes, & ſcelus nefarium quod mente conceperant, ad effectum perducere properantes: cum attoniti ad hanc reſponſionem eſſent, recedunt & reſciant, quid ſuper Archiepiſcopi reſponſione, facto opus eſſet. Sed illi iterum poſt habitam deliberationem, an conditiones iſtas vellent admittere Gilbertus Londonienſis Epiſcopus & Saresberienſis, revertentes ad præconceptum ſcelus, illud aliquanto poſt eum immanitate omni conſummarunt. Hanc ob rem, meritò cædis Thomæ Archiepiſcopi accuſatus Gilbertus Londinenſis Epiſcopus. Qui autem horribile parricidium procuraverat, falſo tandem juramento innocentiam atque in omnia jura reſtitutionem omnimodam aſſecutus eſt, de qua ſic Radulfus de Diceto citatus, in *Imaginibus Hiſtoriarum*, ad annum 1172. „Rotro Rothomagenſis Archiepiſco-“ pus & Epiſcopus Ambianenſis in mandatis ſu-“ ſceperant à Domino Papa, quatenus congruo“ loco & tempore, *Londonienſis Epiſcopi purgatio-“ nem ſuſciperent.* Ab ipſis igitur Londonienſis“ Epiſcopus evocatus, viris religioſis pluribus ſe-“ cum adductis, juravit quòd mortem glorioſi“ Thomæ Martyris, neque facto, neque verbo,“ neque ſcripto procuravit ſcienter. Suo itaq;“ reſtitutus officio apud *Albemarle* Kalendis Maji,“ ad ſuam cum gaudio remeavit Eccleſiam.“ Ex quo autem Londinenſis Epiſcopus factus, ſcripſit *Expoſitionem in Cantica Canticorum*, quæ ad Robertum de Meliduno ſuum in Epiſcopatu Herefordenſi ſucceſſorem nuncupata eſt, quam cum *Compendio Alchuini in eadem Cantica* edidit Patricius Junius, Londini anno 1638. in 4. Vixit in Epiſcopatu Herefordenſi annis XVI. & non XII. ut ſcribit Godwinus: in Londinenſi atque in negotio potiſſimarum totius Angliæ rerum, annis XXIII. obiitque anno Virginei partus 1187. infenſus Sancto Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo, usque ad mortem ipſi procuratam, ut ſupra diximus. Plurima paſſim de illo atque peſſima loquuntur Radulfus de Diceto & Gervaſius Dorobernenſis Monachus in *Hiſtoriis* ſuis: quam conatur excuſare Godwinus in *Epiſcopis Londinenſibus*, ſed æthiopem lavat, qui Scriptores antiquos ſibi eſſe adverſos bonâ fide fateri compellitur.

GILBERTVS DE OILANDIA SEU 1160
GSVINSHETENSIS ABBAS, Ordinis Ciſtercienſis in Anglia & agro Lincolnienſi, circa annum 1165. floruit, excepitque *Commentarium Divi Bernardi Claræ Vallis in Cantica Canticorum*, *Sermonibus XL.* eadem ſaltem methodo, ſi non eadem eloquentia ac dulcedine. De Gilberto iſtu Henricus Gandavenſis in libro *De Viris illuſtribus* cap. 12. his verbis. „Gillebertus Abbas“ Or-

„Ordinis Cisterciensis, imitatus beatum Bernar-„dum in quantum potuit. Sermones composuit „in quibusdam capitulis Cantici Canticorum, ab „illo scilicet loco, *In lectulo meo per noctes &c.* „subtiles quidem & valde spirituales, sed revera „beati Bernardi eloquentiæ & sensibus impares. Hæc Gandavensis. Hic autem *Commentarius Gilberti Abbatis per Sermones in Cantica Canticorum*, editus cum aliquibus *ejusdem Dissertationibus atque Epistolis*, in editione Operum divi Bernardi curis & studio Joannis Mabillon, post Joannem Merlonem Horstium, Parisiis anno 1667. apud Fredericum Leonard, via Jacobæa sub scuto Veneto. Extat autem Opus istud Gilberti Abbatis in Cantica Canticorum, MS. in Bibliotheca Galliarum Regia, Cod. 3825. & Cod. 4178. fol. 188. cum Sermonibus Guertici Abbatis Igniacensis. In Victorina Parisiensi, Littera JJ. 16. Vallis Claræ & Signiaci, Ordinis Cisterciensis, & alibi. Idem Gilbertus scripsit *Varias Epistolas ac Dissertationes in forma Epistolarum*, quas habes ibidem impressas. Agunt de *Gilberto Swinsbeensi Abbate*, Anglo Ordinis Cisterciensis, Joannes Balæus in libro *De Scriptoribus Angliæ illustribus*, ubi vult eum esse anno 1180. mortuum, sed perperam. Joannes Lelandus in Opere suo MS. *De Scriptoribus Britanniæ*, quem anno 1200. floruisse ait. Joannes Pitseus, ibidem: & post illum Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 126. de quo plura verba, sed non plura detegit Opera. Nam *Commentarii in Psalterium & in quatuordecim Epistolas divi Pauli Apostoli*, quos huic Gilberto attribuit, spectant dubio procul ad *Gilbertum Porretanum Episcopum Pictaviensem*, sub cujus nomine in multis Bibliothecis extant, de quo suprà diximus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 419. illi attribuit *Vitam Sancti Bernardi Abbatis*, sub quo Monachus fuerat, ex Catalogo MS. Bostoni Buriensis. Sed Gilbertum sanè pro Gaufrido Claravallis Monacho intelligere voluit Bostonus, vel ex MSS. Codd. deceptus est.

1160 HUGO III. CLUNIACENSIS ABBAS & MONACHUS, claruit circa an. 1160. qui scripsit *Epistolam* multa de virtutibus *Sancti Hugonis I. Abbatis Cluniacensis* continentem, qui anno 1109. vel 1108. 3. Calendas Maji, ætatis suæ 85. mortuus est. Idem posteà instantibus Cluniacensibus suis fratribus composuit *Vitam integram hujus Sanctissimi Abbatis*, quam habes cum *Epistola citata* in Opere inscripto *Bibliotheca Cluniacensis*, itemque in editione ultima Legendarum Surii, ad diem 29. Aprilis, atque apud Bollandi successores in *Actis Sanctorum*, ad eandem Aprilis diem 29. Agit de hoc *Hugone* Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario suo mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu columna 115. Cujus extant nonnulla tomo 2. *Spicilegii Dacheriani* pag. 400. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. pag. 355. ubi male illum cum Surio, ætate Alexandri II. Romani Pontificis & Henrici IV. Imperatoris, circa annum 1064. collocat.

ISAAC STELLÆ ORDINIS CISTERCIENSIS ABBAS, in Diœcesi Pictaviensi, ordine tertius, anno 1147. post Bernardum ejusdem Ecclesiæ secundum Abbatem mortuum electus, clarus scientia ac pietate, hac tempestate extitit. Rexit Abbatiam istam prudenter per annos XXV. cujus temporibus, anno nimirum 1152. Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus litem composuit inter Abbatem & Monachos Stellenses & Petrum Heliam, motam super quadam sylva, testibus & præsentibus Fulcone Abbate Bonævallis & Joanne Abbate de *Trisagio*. Cum item Abbati Stellæ Isaaco dedit quartam partem sylvæ Guillelmus de Chauviguy, consentientibus uxore Lucia, & Godefrido filio: & multi alia multa, ad Ecclesiæ Stellensis incrementum & utilitatem. Intra hoc tempus quo præfuit, plurima scripsit *de variis argumentis*, servabaturque in Bibliotheca istius Monasterii amplum volumen MS. in folio, in quo continebantur *Varii Sermones & diversi alii Tractatus*, iique præclari ab hoc venerabili Abbate compositi, de quibus loquitur Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*. Habuit etiam hos Sermones, aut alios ejusdem authoris Tractatus, Godefridus Tilmannus Parisiensis Carthusianus, cum Allegorias suas morales in utrumque Testamentum ex triginta præclaris & religione & doctrina viris concinnabat, inter quos invenitur iste Isaac, ex cujus Homiliis quædam selegit, quibus aliquos Evangelii locos illustravit. Sed iste MS. Codex casu nescio quo, extat nunc in Regia Galliarum Bibliotheca, num. 4595. qui, 400. annorum est, in quo extant ejusdem *Isaac Abbatis de Stella* Tractatus de Sacramento Altaris *ad Joannem Pictaviensem Episcopum* fol. 1. *Ejusdem De anima ad Alcherum* fol. 5. Item Expositio in Cantica Canticorum, *Duo sunt labia sponsi &c.* fol. 13. *Sermones in varia Scripturæ loca, & in multis festivitatibus Sanctorum*, fol. 46. ad finem usque. Ejusdem *Tractatus de Sacramento Altaris*, MS. ibidem Cod. 3829. fol. 358. sub finem Codicis. Huic etiam attribuitur *Tractatus de Spiritu & anima*, qui legitur inter Opera Sancti Augustini supposititia, & quem vulgò omnes *Hugoni Victorino* attribuunt, inter cujus Scripta extat tomo secundo pag. 145. ubi secundus *De anima* est, etsi hic non procedat ultra caput quinquagesimum ejus Operis, qui legitur tomo tertio pag. 394. Operum divi Augustini. Spectare autem ad Isaacum hunc nostrum, constat ex MS. Codice Regio 4595. anteà citato. Idem verò Isaac legitur in ejusdem Abbatiæ de Stella archivis, ad annum 1165. quem consequenter malè in editione Supplementi *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 456. post annum 1188. conjeceram,

ram, cum constet illum anno 1169. esse mortuum. *Epistola de Canone Missæ*, quæ à Luca Dacherio *Spicilegii* tomo 1. pag. 345. Isaaco Lingonensi Episcopo seculi IX. Scriptori tribuitur, non illius est, sed hujus Isaaci Stellæ Abbatis, cui Opusculum istud adjudicatur in duobus antiquis Codicibus MSS. Bibliothecæ Regiæ, & à Bertrando Tissier sub ejus nomine editum est tomo VI. pag. 104. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*. In uno Codice Regio hunc præ se fert titulum, *Domino Patri ac venerabili Pictavorum Episcopo Isaac dictus Abbas Stellæ, obedientiam in Christo & reverentiam. Ecce quod diu multumque postulasti &c.* In alio autem Codice sic legitur, *Isaac Abbas Joanni Pictaviensi Episcopo, T. A. salutem, obsequium & obedientiam. Ecce quod diu multumque postulasti &c.* His adde, nullum fuisse Pictaviensem Episcopum nomine Joannem, tempore Isaaci Lingonensis Episcopi. Hæc contra Guillelmum Cavum *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiæ*, seculo IX. ad annum 859. pag. 555. qui in alios errores multos impegit, nihil à seipso examinans. Imperitè agit Carolus Vischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* fol. 235. dum ex unico duos facit Abbates Isaacos Ordinis Cisterciensis, unum in Italia, cui malè attribuunt Opusculum quoddam *De anima ad Alcherum* Claræ Vallis Monachum. Alterum Abbatem de Stella Diœcesis Pictaviensis in Gallia, ad quem ex fide MSS Codicum spectat dictum Opusculum. Sed Opus istud spectare ad *Alcherum ipsum* rectè probant illustratores Benedictini nuperi Operum Divi Augustini, tomo 6. in *Operibus suppositis* fol. 34. in admonitione prævia doctissima ad dictum Opus. Aguntde *Isaaco* isto Carolus Vischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, p. 235. Fratres Sammarthani tomo 4. *Galliæ Christianæ* pag. 842. in Abbatibus Stellensibus, quem tamen Guillelmus Cavus *in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* prætermisit. De quo etiam Lucas Dacherius tomo 1. *Spicilegii* pag. 345. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* præmisso *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 126. cum aliis. Matthæus Larrocanus Lib. 2. *Adversariorum sacrorum* cap. XI. pag. 276. Stephanus Baluzius tomo 2. *Capitularium Regum Francorum*, pag. seu col. 1157.

1160 ADAMUS DE SANCTO VICTORE, Canonicus regularis Ordinis Divi Augustini, in Abbatia S. Victoris Parisiensis, floruit post annom 1160. & sequentes, atque *Dialogum De instructione Novitiorum composuit & paucas* ut vocant *Consequentias*, seu *Prosas*: quem aliquando Dialogum allegat Joannes Picardus hujus Cœnobii Canonicus in Notis suis ad Epistolas Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi pag. 555. novissimæ editionis Parisiensis, quas consule. Hæc pauca extant MSS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, nec scio an aliquid *Adami Victorini* impressum sit. Mortuus legitur anno 1177. die 8. Julii in eadem Abbatia, ut habet Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 80. post Joannem de Tolosa in Historia MS. Abbatiæ Sancti Victoris.

ÆLREDUS SEU EALREDUS RIEVALLENSIS ABBAS, Ordinis Cisterciensis, floruit hac tempestate, ab anno 1146. & sequentibus temporibus. Cœnobium istud intelligitur esse in agro Lincolniensi *Revesbi* anglicè dictum, à Guillelmo de Romara Lincolniæ olim Comite Monachis Cisterciensibus fundatum, ut videre potes in Rota Patentium 9. Edwardi 2. parte 1. membr. 5. & in Rota Patentium 24. Henrici 6. parte 2. Membrana 21. &c. Illic igitur Ealredus Monachus factus est, cujus Vitam scripsit Lelandus MS. in Bibliotheca publica Oxoniensi, his verbis. *Ealredus* (sic enim nomen illi & bene exaratur) *Monachus Rhevesbiensis in Provincia Lindiorum* (hoc est Lincolniensi) *educatus fuit nescio certè quo casu, in Scotia cum Henrico Davidis Scotorum Regis filio, usque ad ipsos adolescentiæ annos, quo tempore ad suos in Angliam reversus, divertebat ad Rhevesbienses Monachos Cisterciensis Ordinis, ubi cœlestis vitæ ardore totus inflammatus, novæ religionis jugo sponte collum subdebat: in qua talis tantusque evasit, ut brevi socios ejusdem professionis omnes, omnibus vitæ ornamentis superaret. Accessit ad hæc litterarum cognitio, quam una cum Henrico Davidis Scoti filio imbiberat. Quæ res tanto illi posteà ad omne genus doctrinæ incitamento fuit, ut nullum scientiæ genus intactum relinqueret. Jamque Abbas solo virtutis nomine factus, tanquam clarissimum suæ religionis Sydus inter minora lumina emicuit, Monachos exemplo docens, litteris purioribus informans: quo factum est ut Regni nobilibus non minus quam suis charus esset, & Abbas secundus Rievallensis designaretur. Atque ne suos tandem abiens desereret, egregia apud illos eruditionis monumenta reliquit: in quibus scribendis, præcipua usus est opera Gualteri Danielis Diaconi* (de quo vide Balæum Centuria 3. cap. seu Scriptore 3. & Pitseum ætate 12. Scriptore 233.) *ejusdem Collegii Monachi, de quo mox plura dicemus, interim nominaturi libros quot scripsit.* Adjecta deinde librorum ejus recensione, quæ & Balæana *Centuria 2.* Scriptore 99. & Pitseana Ætate 12. Scriptore 227. amplior est, Lelandus pergit: *Fuit in maximo pretio regnantibus Stephano & Henrico secundo Regibus, claruitque post obitum miraculis, & in Sanctorum catalogum relatus est. Sepulchrum ejus vidi in Ecclesia Rhievallensis Cœnobii, auro & argento exornatum. Cùm hæc scripsissem, incidit mihi suspicio Ealredum in Scotia fuisse natum, ac deinde in Angliam pervenisse. At interim nihil temerè affirmo, veritate nondum excussa.* De eo quod est, utrum Scotus fuerit an Anglus, consulas Thomam Dempsterum in Apparatu ad Historiam Scoticam, in *Menologio* die 5. Januarii. Et in *Historia* 1160

Ec-

Ecclesiastica Lib. 5. cap. 457. Vt sancti Alredi nomine, Vita ejus habetur in Legenda Sanctorum Anglicanorum Capgravii. Cujus etiam meminit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. Illamque Joannes Bollandus edidit, mense Januario, ad diem 12. in fastis Sanctorum quos collegit. Et in aliquot *Menologiis*, dies ei assignatur 12. Januarii. Videas de eo etiam Chrysostomum Henriquez in *Phœnice reviviscente* cap. 7. in quo laudibus perquam eximiis affertur, adjectoetiam ex Nicolao Rhievallensi Monacho, qui sub annum 1220. fuit seculi Poëta fuit, veteri encomio ejusdem Rithmico, quod habetur MS. Parisiis in Biblioth. S. Victoris.

Inclitus Ælredus conditus aromate moruin,
Et mellis favus & dulcedo fuit Monachorum.
Flore juventutis hunc Scotica regia fovit,
Quæque nociva procul, animoque, manuq; removit &c.

Hæc & reliqua ejusmodi de illo præclara ibi occurrentia, ante etiam evulgaverat Joannes Picardus in Notis ad Guillelmum Neubrigensem *De rebus Anglicis* Scriptorem, mutuata ex jam dicto Nicolao Rhievallensi, cum aliis aliquot ejusdem de Ealredo. Guillelmus ille Ealredo coævus Epistolam præfigit ad E. Abbatem Rhievallis, qui hic ipse est Ealredus, de quo agimus. Claruit multis Scriptis, quæ ex MSS. Codicibus evulgavit in 4. Duaci anno 1631. Richardus Gibbonus, Soc. Jesu atque iterum post ipsum Bertrandus Tissier Prior Abbatiæ Bonifontis Ordinis Cisterciensis in Archiepiscopatu Rhemensi, *in Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*, tomo V. pag. 16. & sequentibus. Sunt autem *Sermones de Tempore & de Sanctis. Sermones XXXI. in Isaiam Prophetam. Speculum charitatis tribus libris, cum Compendio ejusdem Speculi. De Spirituali amicitia, libri tres. Tractatus De puero Jesu Duodenni.* Extant autem *Sermones Domini Alredi Abbatis Rievallis in Anglia*, MSS. in Bibliotheca Claræ Vallis, ut Catalogus recens hujus Bibliothecæ, quem præ manibus habeo, testatur. Item *Regula ad inclusas Ælredi Abbatis*, impressa olim inter Opera Sancti Augustini, quam sub nomine authoris proprii Ælredi, habet Lucas Holstenius in Collectione Regularum parte 3. pag. 109. Idem Alredus alia etiam scripsit Opuscula Historica, quæ habentur in nova Collectione *Historicorum Angliæ*, 2. in folio tomis impressa Londini anno 1652. curis & studio Joannis Sheldeni. Sunt autem Ailredi Historica, *Descriptio Belli Standardii tempore Stephani Regis*, anno 1138. pag. 337. *Genealogia Regum Anglorum* pag. 347. *Historia de vita & miraculis S. Eduardi Regis & Confessoris* pag. 369. *Historia de Sanctimoniali de Watthun*, ibidem pag. 415. Obiit cum odore sanctitatis anno 1166. die 12. mensis Januarii, cujus Vita apud Joannem Bollandum. Et sane *Vita quædam S. Edwardi Confessoris* authore Ealredo Monacho Anglo & Abbate in Rhievalle, qui ipse hic noster est, habetur apud Capgravium & Surium ad diem 5. Januarii: sed quæ in principio & in fine, tum sæpius in medio, adeo illa decurtata & mutila est, ut hæc quæ jam prodit à Sheldeno *in Collectione Decem Scriptorum Historiæ Anglicæ*, sola nomen mereatur primæ illius Confessoris vitæ, ab Elredo conscriptæ. Habetur etiam MS. composita ab eo *Vita Sancti Edwardi Regis carmine Elegiaco*, ad Laurentium Abbatem Westmonasteriensem, Cantabrigiæ in 4. in Collegio Gonvilli & Caji, Classe B. Codice 52. Incipit, *Cùm tibi Laurenti, cogar parere jubenti &c.* Item scripsit *Vitam S. Margaretæ Reginæ Scotiæ*, cujus compendium stylo mutato exhibet Surius tomo 3. ad diem X. Junii. Idem posteris reliquit *Libros duos de Vita Davidis Scotorum Regis*, cui in adolescentia familiarissimus fuerat: qui prætereà descripsit *Vitam Sancti Niniani Episcopi*.

Sunt autem plurimi MSS. Codices Operum Ælredi Abbatis Rhievallensis, in Anglicis Bibliothecis, ut ex earum Catalogis hoc anno 1698. 2. in fol. tomis Oxonii è theatro Sheldoniano impressis constat, ex quibus opuscula etiam nondum edita quædam esse constat, quæ tibi ordine isto repræsentamus.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 2038. in MSS. Codicibus Collegii Jesu Codice 19. Ælredi Abbatis Rhievallis Sermones. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, num. 2946. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum, Cod. 47. Ailvredi Abbatis Rhievallensis Tractatus morales.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ n. 766. in MSS. Codd. Guillelmi Laudi litera C. Codice 124. Ælredus Rhievallensis de XI. oneribus Isaiæ, Sermonibus XXXI. Latine in folio. Ibidem num. 1909. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, litera A. 5. Codice 3. Æthelredus sive Ælredus Rhievallensis super onus Babylonis Isaiæ. Et ibidem num. 1906. in MSS. Codicibus ejusdem litera A. 4. Codice 14. Ethelredus vel Alredus Rhievallensis de undecim Oneribus Isaiæ, Sermonibus 31. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 6533. in MSS. Codicibus Caroli Theyere, Codice 163. Alvredus Rhievallensis de Oneribus Esaiæ. Ibidem num. 7916. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobeæ Codice 194. *De undecim oneribus Ælredi Abbatis.*

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 1819. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 218. num. 4. *Aldredus Abbas de vinculo perfectionis.* Ibidem num. 8221. in MSS. Ashmoleanis *Ailredi Abbatis de Speculo Charitatis libri 3.* membrana in 4. 1285. Num. 8616. in MSS. Codicibus Antonii Wood Cod. 3. num. 5. *Ealredus Rhievallensis de vinculo perfectionis* pag. 435. in 4. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedra-

dralium, & aliarum illustrium Bibliothecarum num. 7915. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobeæ Codice 193. Ælredi *Speculum Charitatis.*

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 1791. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi, Codice 190. *Alfredus Abbas de Spirituali amicitia.* Ibidem num. 1909. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji A. 5. Codice 3. *Ejusdem de Spirituali amicitia libri 3.* sed initium primi desideratur.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium, num. 7914. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobeæ Codice 192. *Ælredus Abbas de Spirituali amicitia.* Ibidem num. 9312. in MSS. Codicibus Joannis Mori Nordvicensis Episcopi Codice 126. num. 4. *Alvredus de vera amicitia.*

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum potissimarum, num. 6521. in MSS. Codicibus Caroli Theyere Codice 151. num. 7. *Alvredus super Evangelium*, cum factus esset Jesus annorum duodecim.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 1888. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji A. 3. Codice 16. num. 10. *Meditatio Elredi Abbatis ad sororem inclusam.* Ibidem num. 4048. in MSS. Codicibus ejusdem CXII. ex Hattonianis, Codice 23. num. 8. *Meditationes Elredi Abbatis ad sororem suam*, pag. 412. In Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii litera E. Codice 7. num. 4. *Regula D. Ailredi Abbatis de institutione inclusarum.*

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1341. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Codice 64. num. 10. *Descriptio S. Athelredi Abbatis Rhievallensis de Bello Standardi.* Num. 11. *Chronica Angliæ dicti Athelredi.* Num. 12. *miraculum descriptum ab eodem.*

Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 44. *Alvredus Rhievallensis de regibus Angliæ* in 4.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 3057. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ Codice 158. num. 3. Ealredus sive Alredus Rhievallensis De regibus Anglorum & eorum gestis. Titulus, *Illustrissimo Domino Normannorum Duci &c.* Incipit, *Excellentissime & illustrissime Domine &c.* Ibidem num. 8311. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Jacobeæ Codice 587. Ailredi Abbatis Rhievallensis Genealogia Regum Angliæ.

In MSS. Codicibus Bibliothecæ Cottonianæ sub Julio A. Codice XI. num. 1. Historia Ailredi Rhievallensis inscripta Henrico Regi II. in qua continetur de Davidis Scotorum Regis pietate & virtute oratio quasi funebris & laudatoria, deinde Genealogia ejusdem Regis à Regibus Saxonicis & Normannicis hic in Anglia regnantibus deducitur, quorum gesta recensuit author. Ibidem sub Othone litera D. Codice 7. num. 8. Epistola Abbatis Rhievallensis ad illustrem Normannorum Ducem Henricum II. postmodum Anglorum Regem, de Genealogia ipsius, ubi multa præclara de Regibus Saxonicis, de Malcolmo Rege, de Regina Mathilde, quorum vitæ & gesta compendio enarrantur. Ibidem sub Cleopatra litera B. Codice 3. num. 1. Ailredi Rhievallensis Historia Angliæ, ad R. Henricum secundum.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 1051. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi litera F. Codice 15. num. 1. Ælredus Rhievallensis de Vita S. Edwardi Regis & Confessoris. Ibidem 1660. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 59. num. 3. Alvredus Rhievallensis de Vita S. Edwardi Regis & Confessoris. Ibidem num. 2430. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 7. Codice 12. num. 7. Ælredi Abbatis Vita Sancti Edwardi Regis.

Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num 1116. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli litera B. Codice 52. *Vita Sancti Eduardi Regis per Alvredum Rhievallensem carmine.*

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, num. 2962. in MSS. Codicibus Norfolcianæ Codice 63. Ealredi Rhievallensis Vita Regis Edwardi dicti Confessoris. Principium, *Multis Veterum studiis &c.* In Bibliotheca Cottoniana sub Othone A. Codice 6. num. 4. Vita S. Regis Edwardi per Ailredum Abbatem Rievallis. Ibidem sub Vitellio B. Codice 12. num. 7. Vita Sanctissimi Edwardi Regis Anglorum, & Confessoris à venerabili Ailredo Abbate Rievallis. Ibidem litera F. Codice 3. num. 1. *Vita & miracula S. Edwardi Regis per Ailredum Abbatem Rhievallis ad Laurentium Westmonasterii Abbatem, carmine.* Eadem inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1116. in MSS. Codicibus Collegii Caji & Gonvilli, litera B. Cod. 52. *Vita S. Edwardi Regis per Alvredum Rhievallem, Carmine.* C. 29. Hæc quidem Elredi Abbatis omnia impressa extant, excepta *Vita metrica S. Edwardi Regis ad Laurentium Westmonasterii Abbatem.*

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 3542. in MSS. Codicibus Hyperoi Bodlejani Cod. 52. Ailredi Rhievallensis Dialogus *de anima.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 72. in MSS. Codicibus Ecclesiæ Dunelmensis Cod. 7. Ailredi Abbatis Rievallensis *Dialogus de anima* in 4.

In Bibliotheca Cottoniana Tiberio D. Cod. 3. num. 46. Vita S. Niniani Episcopi & Confessoris ab Aelredo Rhievallensi Abbate de Anglico in Latinum translata.

Ibidem sub Vespasiano A. Cod. 18. n. 4. Alvredi Rievallensis Historia de vita, moribus & morte Davidis Regis Scotiæ, præmissa ejusdem ad Regem Henricum 2. super lamentatione Davidis Epistola, deinde de genealogia Henrici Regis & de Regibus Saxonum & Normannorum. Idem opus ibidem litera B. Cod. XI. n. 6.

Ibi-

Ibidem sub Cleopatra litera B. Codice 6. num. 6. Ailredus Rievallensis de XII. abusibus Claustralium. Hic autem Alredus seu Ælredus-Abbas Rhievallensis, sub Henrico II. seu anno 1166. die 12. Januarii mortuus est, de quo Chrysostomus Henriquez in *Menologio Cisterciensium* die 12. Januarii his verbis. *In Anglia Sanctus Aelredus Rievallis Abbas, qui postquam dignitates sibi oblatas humiliter contempsisset, omnium virtutum genere decoratus, migravit a seculo, Sanctorum numero postmodum adscriptus.* Memoratur etiam Molano in *Annotationibus* ad Usuardum, Arnoldo Wion in *Ligno Vitæ* Lib. 2. cap. 48. & ab aliis. Ibi autem bene notat Chrysostomus citatus, confundi illum a nonnullis cum Ethelredo Abbate itidem Cisterciensi Cœnobii Wardensis seu Fordensis in agro Bedfordiensi, de quo Balæus in *Scriptoribus Britanniæ* Centuria 3. Scriptore 80. & Pitseus ætate 13. scriptore 318. quod ex nominis & seculorum utriusque vicinitate evenit. Nec Adilredus Trithemio in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ac Sixto Senensi in Libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ* littera A. memoratus, alius est a Fordensi seu Wardensi illo, qui sub Henrico 3. seu anno 1220. floruit: hic autem Aelredus Rievallensis sub Henrico 2. seu anno 1166. quo mortuus est. Qui ampliora de Aelredo cupit, legat Carolum de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 9. Richardum Gibbonum & Joannem Seldenum in *Præludiis suis* ad Opera Ælredi a se edita. Joannem Bollandum ad diem 12. mensis Januarii, ubi Vitam illius ab anonymo conscriptam exhibet, multaque ad notitiam *Elredi* spectantia refert.

1160 LAURENTIUS SANCTI LAURENTII LEODIENSIS MONACHUS, ex ordine divi Benedicti, qui inde ad litteras restaurandas in Cœnobio Sancti Vitoni ejusdem Regulæ & observantiæ, Virdunum missus, anno 1160. & sequentibus floruit. Scripsit autem tempore Alberonis ejusdem Virduni Episcopi, *Opusculum de Virdunensibus Episcopis* usque ad annum 1148. quo fortasse jam anno scribebat. Opus istud, quod orditur a Theodorico XL. Episcopo usque ad Alberonem de Chisneio, impressum cum Opusculis ejusdem argumenti *De Episcopis Virdunensibus* a Berthario Presbytero & Anonymo compositis, Tomo XII. *Spicilegii* p. 274. quod edidit Dominus Lucas Dacherius. Vixisse creditur usque ad annum 1179. vel 1180. cujus mentionem facit Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 127. Richardus Vasburgius in *Historia Episcoporum Virdunensium*. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 621. editionis 1643. Lovanii in 4.

1160 HELMOLDUS BOZOVIENSIS PRESBYTER, rectius BOSOVIENSIS: Nam Parochus in Ecclesia Wagriæ rurali Bosoviensi ad lacum Ploenensem sacro ibidem officio addictus, prope Lubecam, circa annum 1160. clarus, nomen suum posteritati commisit scribendo *Chronicon Sclavorum*. Composuit illud temporibus Friderici Barbarossi Imperatoris sub quo vixit, uti ostendunt illa verba præfationis, *Nec ad hoc opus temeritas impulsat, sed preceptoris mei venerabilis Geroldi Episcopi, adduxit persuasio: qui primus Lubecensem Ecclesiam fecit insignem, cathedra simul & Clero.* At anno 1163. contigit, ut Episcopatus Aldemburgensis, consentiente Duce Henrico Leone Lubecam transferretur, primusque Episcopus Geroldus crearetur, quem suum Magistrum fuisse Helmoldus testatur. Orditur *Chronicon*, suum a Carolo Magno atque Saxonum & vicinarum Gentium per eum conversione, quod perducit usque ad annum 1168. quo & illuxit. Inde vero incipit Arnoldus Hildeshemii Præpositus & Abbas Lubecensis, quod postea continuavit usque ad annum Christi 1212. Primus illud in lucem emisit præmissa Malanchthonis Epistola Sigismundus Schorckælius Francofurti, anno 1556. in 4. Deinde Reinerus Reineccius cum Notis, ibidem anno 1581. Denique cum Notis & observationibus atque *Supplemento* Arnoldi Sancti Johannis apud Lubecam Abbatis, ad MSS. Codices multos & antiquas editiones duas collatum Henricus Bangertus Lubecensis Gymnasii Rector, Lubecæ anno 1659. in 4. sumptibus Statii Wesselii. Obiisse dicitur Helmoldus anno 1170. cujus mentionem faciunt Bellarminus & Labbeus in Opere *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, & alii. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. p.m. 407. Guillelmus Cavus in *Historia Ecclesiasticorum Scriptorum* ad annum 1165. p. 681. Jo. Mollerus Flensburgensis, scholæ patriæ Rector, qui Dissertationem Historico-Criticam *De Helmoldo Presbytero in Wagria Bosoviensi & hujus Continuatoribus atque editoribus* scripsit, Lubecæ anno 1702. in 4. impressum apud Petrum Bochmannum. Post hos omnes viros doctissimos, Godefridus Guilielmus Leibnitius, edidit anno MDCCX. Hanoveræ in folio Tomum II. *Scriptorum Brunswicensia illustrantium* apud Nicolaum Foersterum, atque illic Num. XLV. edenda procuravit *Chronica Slavorum Helmoldi & Arnoldi:* atque Helmoldi quidem pag. 537. libris duobus, Arnoldi autem pag. 629. sub hoc titulo *Derelictorum Helmoldi supplementum, Auctore Arnoldo Abbate Lubecensi.* Domino & Patri Philippo Raceburgensis Ecclesiæ antistiti & universis ibidem fratribus, Arnoldus Servorum Dei ultimus, debitam in Christo obedientiam. *Quia bona memoria Helmoldus Sacerdos historias* &c. Item N. XLVI. *Loca in Hermanni Corneri Chronico MS. & inedito ex Helmoldo atque Arnoldo citata, quæ tamen apud eosdem quales extant, vel plane non, vel aliter leguntur pag. 743. ad 751.*

1170 GAVFRIDVS CLARÆVALLIS IV. ABBAS, ex ordine Cisterciensi, natione Gallus, patria Antissiodorensis, Petri Abaëlardi quondam discipulus, quo relicto adhuc juvenis ad Magisterium divi Bernardi se contulit. Inde enitcantibus disciplinæ eruditionisque dotibus, successive Abbas factus est Igniaci in Tractu Remensi, Altæcombæ in Sabaudia, Fossæ novæ ibidem, tandemque & Claræ Vallis quartus ordine seu serie: unde tamen, quam ob causam nescio, cedere coactus est. Sub finem Vitæ divi Bernardi, amanuensis illius constitutus Nicolao in Italiam fugiente, absque dubio ad doctrinam & scribendi nitorem: quod primum Gaufridi post Monasticum schema susceptum, officium fuit. Hæc quidem ego breviter in editione Supplementi *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ac tumultuarie, quæ explicari verbis amplioribus convenit. Cum enim multi in rebus *Gaufridi Abbatis* scribentes erraverint, vel ex uno plurimos fecerint, operæ pretium duxi, vitam ejus atque ancipitem fortunam latius notitiæ posterorum exponere, ex schedis potissimum Bertrandi Tissier Prioris Bonifontis, qui *Gaufridi* Opera omnia editioni præparaverat, paulo antequam moreretur. *Gaufridus* itaque ortu Antissiodorensis fuit, Petri Abaëlardi quondam discipulus, qui cum fortunam Magistro Petro iratam atque novercam intueretur, ne vel infortunii magis quam erroris hæres fieret, ad Cistercienses Abaëlardi infestos hostes se contulit. Videtur autem circa annum 1140. doctrinam mutasse, dum male Abaëlardo fortuna abblandiebatur. Ait enim in Prologo ad *Libros tres de vita Divi Bernardi* quos conscripsit, mortem improbam *illum sibi post annos 13. suæ educationis in ClaraValle abstulisse*. Vnde inferimus cum anno 1140. esse conversum ad hunc Ordinem, quo tempore Petrus Abaëlardus iterum in Concilio Senonensi urgente D. Bernardo damnatus, contra fortunam iratam præsertim luctabatur, cujus partes ut infirmiores Gaufridus deseruit. Nicolao autem S. Bernardi, Notario in Italiam profugo qui stylo plurimum valebat, *Gaufridus* in ejus locum circa annum 1148. successit, de quo Nicolao plura Angelus Manriquez tomo 2. *Annalium Cisterciensium* ad annos 1145. cap. 9. 1146. & 1148. cap. 5. 1151. cap. 9. & 1171. cap. 6. De Gaufrido ita scribit apud Vincentium Bellovacensem Helinandus Monachus Frigidi Montis. „Hujus Petri Abaëlardi aliquando fuerat discipulus Gaufredus Antissiodorensis, qui multo tempore fuit notarius Sancti Bernardi, qui inter cætera de eodem Petro dixit: Ego mihi „aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui „pretium Redemptionis nostræ evacuans, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum & amoris „incentivum. Quod enim scripturæ perhibent de potestate diaboli pretioso illo sanguine genus humanum esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis" exhibitum est usque ad mortem pro veritate" & justitia certandi: & adhibitum est velut" quoddam incentivum amoris, cum ex impenso amore data est occasio redamandi. Et quidem magna sunt hæc & vera, sed non sola." Benedictus Deus, qui mihi simul & vobis Magistrum dedit postea meliorem, per quem" prioris redearguit ignorantiam & insolentiam" confutavit: secundum quem tria Specialia in" Passione sua Christus nobis exhibuit, Exemplum virtutis, Incentivum amoris & sacrificium Redemptionis: quod tertium evacuanti" hæretico, nihil prodesse tria cætera potuerunt." Hæc & alia multa Gaufredus vir doctus contra Petrum Magistrum suum fortiter scripsit. Interfuit autem cum Abbate suo Bernardo, Concilio Rhemensi contra Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum, hujusque Concilii anno 1148. habiti Acta pro zelo suo descripsit, quemadmodum illa refert seculum IV. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis* pag. 233. Verum quæ mens fuerit Abaëlardi *De sacramento Altaris*, habemus ex ejus Libro *De Hæresibus* cap. 11. ubi Hæreticorum prave de eo sentientium argumenta confutat, orthodoxamque seotentiam asserit. Quod igitur Petrus Abaëlardus dicatur a *Gaufrido* male sensisse *De sacramento Altaris*, pura Monachalis calumnia est, quales nec dubito plures inventas esse, atque evulgatas invaluisse apud Monachos Cistercienses: qui omnes noverant, infensum fuisse ab annis multis Abaëlardo Bernardum, & Bernardo Abaëlardum. Adhæsit autem Sancto Bernardo Abbati Gaufridus, usque ad illius mortem, quæ anno 1153. die 30. Augusti contigit. Bernardo vero mortuo, Gaufridus aliquanto post, Abbas Beatæ Mariæ de Igniaco in Diœcesi Rhemensi factus est, quam Ecclesiam usque ad annum circiter 1162. administravit. Nam Fastradu seu Fastredo e Claravalle ad regimen Cistercii translato, in abeuntis locum circa annum 1162. electione fratrum seu quavis alia ratione, successit Gaufridus in Abbatia Claræ-vallis. Sed fato nescio quo, quamve ob causam, Claravallensibus Monachis in Gaufridum Abbatem insurgentibus, qui destinatus antea pro Alexandro Cistercii Abbate ad Imperatorem Fridericum anno 1166. fauste legationem suam obierat, circa annum 1167. ob simultates & fratrum clamitationes, haud dubie contra electionis validitatem murmurantium, honori simul atque oneri Abbatiæ Claræ Vallis, post quatuor regiminis annos, cedit. Nec diu tamen privatus mansit, quem doctrina atque in agendis magni momenti rebus solertia, clarum inter suos etiam æmulos reddiderant. Anno enim 1172 cum Gerardus patria Lombardus, ex Abbate Fossæ novæ ad Cœnobium Claræ vallis sublectus esset, procuranti haud dubium Gerardo *Gaufridus* ad Abbatiam Fossæ novæ transmissus est: quam cum aliquandiu rexil-

rexisset, anno tandem 1180. vel circiter, ab ea ad Abbatiam Altæcombæ in Diœcesi Gebennensi regendam transiit. Cum autem Abbatiarum quatuor successive regimen habuisset, præfecturæ pertæsus, iterato in ventrem matris suæ, senex nimirum ad Claramvallem rediit, ubi usque ad ætatem decrepitam Monachus vixit. Nam & ex ejus sermonibus quo S. Tisserius collegit, a me lectis, prætergressum esse annum 1200. vel 1210. colligitur, cum in iis de doctrina Abbatis Joachimi perversa & damnata loquatur: quod tamen in Concilio Lateranensi IV. anno tantum 1215. ab Innocentio III. summo Pontifice factum esse constat. Hæc series vitæ ac prælaturarum Gaufridi Claravallensis acceptarum ac tandem derelictarum, quem fortuna inconstans honoribus variis atque dejectionibus ad arbitrium pulsavit.

Scripsit nobilem & prolixum *Commentarium in Cantica Canticorum sex libris, & alium in Apocalypsim magnis XIX. sermonibus*, quos vidi MSS. in folio in Bibliotheca Fulcardi Montis, Ordinis Cisterciensis, Rothomagensis Diœcesis, qui cum aliis ejusdem MSS. Codicibus jam in Colbertinam Bibliothecam transierunt. Quantum autem ad *Commentariorum libros sex in Cantica Canticorum*, opus istud vastissimum est, cujus præfatio ita incipit, *Plurima quidem audivimus, plures ex nobis* &c. Operis autem initium est, *Ad singulos profectus virtutum, canenda sunt Cantica graduum* &c. Exponit autem illic *Gaufridus* Cantica moraliter ad Sancti Bernardi imitationem, licet longe infra stylum & spiritum sui Magistri. Cum autem tæderet Gaufridum suscepti operis, post partem Canticorum verbatim expositam, alteram altera methodo commentatus est & exposuit, adaptans plures integros sermones in præcipuis quibuscumque anni festivitatibus habitos, ad complendum hoc opus inceptum. Habetur opus istud MS. in Villario Brabantiæ, & in Sancti Martini Tornacensis Bibliotheca, ut testatur Catalogus dictarum Bibliothecarum apud Sauderum in *Bibliotheca MS. Belgica*. Atque ut habet Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 120. habuit apud se longo tempore, Villariensem Codicem, qui liber est in folio, nitidissimo charactere in pergameno conscriptus. Vidi ego alterum MS. Codicem hujus operis in Bibliotheca Bonifontis Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Rhemensi, & tertium in Bibliotheca Igniacensi ejusdem Ordinis & Episcopatus, & quartum anonymum apud Auream Vallem ejusdem Ordinis in Ducatu Luxemburgensi, ac quatuor alios in Bibliotheca Colbertina Parisiensi ditissima, Codicibus seu numeris 1794. 1439. 4778. & 2648. quo in ultimo Codice dictus *Commentarius in Cantica* jungitur ejusdem *Commentario in Apocalypsim*, qui incipit: *Liber Apocalypsis ut comperit vestra fraternitas, per Ecclesias Christi ex more legitur his diebus, de cujus initio, exhibendum vobis duximus Domino annuente sermonem* &c. Complectitur sermones XIX. olimque ad Abbatiam Fulcardi Montis codex pertinuit. Ejusdem *Commentarius in Apocalypsim*, extat etiam MS. in Bibliotheca Claræ Vallis, ut ex Catalogo MSS. Codicum apud me dudum asservato liquet.

Item scripsit in otio variis temporibus magnum opus *Sermonum* duobus tomis in folio MS. in Bibliotheca Claræ Vallis, quod huic adductum, a me visum est in manibus Bertrandi Tissier apud Abbatiam Bonifontis, dum parabat se speciali editioni Operum dicti Gaufridi, quod optimi senis propositum mors interrupit. Idem scripsit *Librum de contemptu mundi*, in illud, *Ecce nos reliquimus omnia* &c. olim sub divi Bernardi nomine inter ejus Opera impressum. sed in editione Joannis Mabillon authori suo legitimo restitutum. Item *Libros tres de vita Sancti Bernardi Abbatis Claræ Vallis*, sæpe cum Operibus Sancti Patris impressos. Item *Librum unum de miraculis ejusdem Abbatis*, qui legitur tomo I. pag. 255. *Bibliotheca Veterum Patrum Cisterciensis Ordinis*, cum *Epistola ejusdem authoris* ad finem libri. Idem *liber de miraculis Sancti Bernardi*, impressus in editione Operum divi Bernardi Horstiana, in præludiis pag. 63. cum *Sermone insigni ejusdem Gaufridi* in anniversario die Sancti Bernardi, ibidem pag. seu fol. 86. Eademque Opuscula ad calcem tomi 6. editionis Mabillonianæ, pagg. 50. & 80. Hic autem *Sermo in anniversaria depositionis Sancti Bernardi die*, extat MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 1073. Idem etiam composuit *Vitam Sancti Petri Tarantasiensis Archiepiscopi*, quam Lucius tertius summus Pontifex circa annum 1182. ipsi scribendam injunxit, & quam habes apud Laurentium Surium, & Bollandi successores in Actis Sanctorum, ad diem 8. Maji. Extat & alia elegans & docta *Epistola ejusdem Gaufridi* apud Baronium ad annum 1188 *de transsubstantiatione aquæ mixtæ vino in sanguinem Christi*, ad Henricum Cardinalem Albanensem, ad quem eundem anno 1148. jam scripserat *Epistolam Historicam de rebus gestis in Concilio Remensi*, ab Eugenio III. in Caussa Gilleberti Porretani celebrato, quæ extat quoque apud Baronium eundem tomo XII. *Annalium* ad annum 1148. Idem scripsit *Epistolam de morte Sancti Bernardi: Abbatis Clarevallensis* ad Eskilum Archiepiscopum Lundensem, quam edidit Stephanus Baluzius anno 1700. lib. V. *Miscellaneorum* pag. 453 Item scripsit *Librum contra Petrum Abaëlardum*, quem vidi MS. & editioni paratum in manibus Bertrandi Tissier, Prioris Bonifontis in Tierascia, cum altero ejusdem Gaufridi Opusculo *de vestibus sacris seu sacerdotalibus*. Ejusdem Notulæ *in Orationem Dominicam*, MSS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 1439. quæ mihi videntur impressæ, in editione Mabillonianæ Operum divo Bernardo suppositorum. Ejusdem Sermo in illud Ecclesiastæ, *Memento Creatoris tui*, ibidem MS. in Bibliotheca, Codice

4778.

4778. Item elegans illius *Homilia in Cantica Canticorum* MS. in Bibliotheca Floriacensi, Littera A. 14. quæ incipit, *Vobis fratres alia quam aliis de seculo, aut certe aliter dicenda sunt* &c. Huic etiam attribuitur *Liber de personis illustribus in Claravalle sepultis*, quod opus inscribi solet *Liber sepulchrorum Claravallis*, quem sæpius citat Henriquez in *Menologio*, extatque MS. apud ClaramVallem. Denique Carolus Vischius in Bibliotheca citata pag. 120. cum Joanne Bunderio in Indice MSS. librorum, volunt hunc etiam scripsisse *Parabolarium* seu *librum proverbiorum & parabolarum*, qui extare solebat Dunis, in Eresham & apud Prædicatores Andomarenses. Sed hoc ipsum opus quod anonymum est, idem Vischius immemor sui, pag. 133. *Bibliotheca sua*, attribuit Guidoni cuidam Monacho, Filiationis Claravallensis, quod ait esse Opus scriptum in parvo 4. Dunis, morale & luce dignum. Hujus initium, *Suadente mihi quodam amico* &c. Titulus autem, *Parabola ad sanctum Bernardum:* quia nimirum author opus suum dedicavit Sancto Bernardo, qui tunc adhuc fuisse in vivis videtur. Porro in Epistola dedicatoria author expresse asserit, se esse Monachum cujusdam Monasterii Filiationis Claravallensis, & Abbatem suum vocari *Julianum vel Jordanum*, nec enim distincte legi potest. At ex hoc manifeste constat, opus istud ad *Gaufridum ClaraVallis Monachum* spectare non posse, qui nunquam simplex Monachus fuit in aliqua Abbatia quæ Claræ Vallis esset filia; sed apud ipsam matrem illam Ecclesiam professus est, in qua nullus seculo XII. Abbas fuit, qui vel *Julianus vel Jordanus* vocaretur. Imo idem Vischius ejusdem suæ Bibliothecæ pag. 252. hoc *Parabolarium* attribuit *Odoni Shirtonensi* seu *de Sheritona* Anglo, Monacho Cisterciensi, qui tentasse simile aliquid, apud Balæum & Pitseum legitur. Vixit valde senex usque ad annum 1210. & ultra, ut ex certis ejus sermonibus in quibus errores Abbatis Joachimi arguit, constat. Collegerat atque editioni paraverat quæ plura sunt, justoque in fol. volumini sufficientia hujus *Gaufridi* Opera Bertrandus Tissier Bonifontis Prior: quæ tandem morte laboriosi senis interveniente, neglecta illic & collecta tenuimus, solis nuribus illa corrodentibus utilia atque grata, magno Monachorum istorum opprobrio. Cæterum Gaufridus iste Sancti Ordinis Cisterciensis adscriptus legitur, in *Menologio* ad diem 8. Novembris, de quo sequentes in ClaraValle leguntur versus.

Igniaci pastor, Gaufredus legis amator,
  Quatuor hic annis, claruit atque fuit.
Præsul is electus, virtutum nomine clarus,
  Noluit hoc fieri, dignus amore Dei.

Valde tamen dubito, an Gaufridus Abbatiam Claravallensem recusaverit, ut mendax hoc carmen loquitur, cum alias duas postea & lætus acceptaverit. Stupendum prorsus est, quomodo circa Gaufridum hunc, Carolus Vischius in *Bibliotheca sua Scriptorum Ordinis Cisterciensis* hallucinatus sit, & quam peregrinus atque hospes in Historia ista Gaufridi fuerit: nam vel unum *Gaufridum* in quatuor partes crudelis dissecat: vel quod prodigiosum, ex uno homine Gaufridos quatuor facit, multiplicatione fæcunda, sed imaginaria. Itaque pag. 119. ponitur *Gaufridus* unus Abbas *Altacomba*, cui attribuit *Commentarium in Cantica Canticorum & Parabolarium*, de quibus supra. Pagina 120. alter *Gaufridus Antissiodorensis*, olim Petri Abaëlardi discipulus, qui ne imitator etiam erroris fieret, ad magisterium Sancti Bernardi Abbatis se contulit, cui dicavit *Contra Petrum Abaëlardum* lib. 1. *In Apocalypsim* lib. 1. *Epistolas ad diversos* lib. 1. Tertius pag. 121. ex Monacho Claravallis & Sancti Bernardi Notario, primum Igniaci ac postea Claræ Vallis Abbas quartus, cui attribuit *Libros tres ultimos de vita Sancti Bernardi*, librum unum *De transitu S. Bernardi*, ad Eskilum Lundensem Archiepiscopum, & alia multa. Quartus pag. 122 *Gaufridus Claravallensis*, cui ut & duobus præcedentibus *Commentarium in Cantica Canticorum* attribuit, de quo jam supra locuti sumus. Hæc de Gaufrido latius disseruimus, quam tam parce attigerat Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo XII. ad annum 1148. pag. 670.

PETRUS PICTAVIENSIS, EBREDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS, Petri Lombardi 1170 sententiarum Magistri fidelis discipulus, postea celeberrimus in Academia Parisiensi Theologiæ Magister, ejusdemque Academiæ Cancellarius, claruit vitæ meritis & doctrina ab anno 1160. quam posteris exhibuit variis voluminibus. Distinguitur ab altero ejusdem ætatis, qui S. Petri Cluniacensis Abbatis discipulus fuit, de quo antea ad annum 1160. loquuti sumus. Scripsit autem iste *Sententias libris quinque* eruditas, atque ex Sanctorum Patrum Operis delibatas; quas postea dente satis maligno arrodere ausus est, Gualterus Prior Sancti Victoris Parisiensis, in eo opere quod inscripsit *Contra quatuor Galliæ Labyrinthos, Petrum Abaëlardum Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, ipsumque Petrum Pictaviensem*. Opus istud vetustis, ipsique authori coævis exaratur, characteribus, Nicolaus Camusat Trecensis Canonicus, eruditorum omnium propriaque fama dignissimus, haud diu ante obitum, transmisit ad Dominum Lucam Dacherium, in mutui amoris tesseram unde transcriptum, procuravit edendum Hugo Mathoud Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, Parisiis in fol. anno 1655. apud Symeonem Piget via Jacobæa sub ligno prudentiæ, inscriptum: *Petri Pictaviensis in Academia Parisiensi Professoris & Cancellarii, Distinctiones seu Libri sententiarum quinque.* Epistola ejusdem ad Dominum Guillelmum Senonensem Archiepiscopum, incipit:

In

In deserto manna colligentes, alius integrum gomor, alius plus, alius minus, pro sua quisque aviditate colligebat &c. Distinctionis 1. Caput 1. Quod Deus sit & unus. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intelligibilia conspiciuntur. Creatura mundi homo dicitur, propter excellentiam quam habet ad creaturas, & convenientiam quam habet cum eis.* &c. Quo Petrus se subtraheret scholasticorum æmulorum dicteriis, hanc *Summam Theologiæ* suæ, *Guillelmo Archiepiscopo Senonensi* & postea Remensi nuncupavit, uti Historiam Ecclesiasticam eidem Petrus Comestor nuncupaverat, idque an. 1170. vel circum circa. Erat autem eo tempore Cancellarius Academiæ Parisiensis, in qua per triginta & octo annos Theol. publicus postea professor extitit, ut patet ex elogiis ipsi scriptis a Claudio Hemeræo Doctore socioque Sorbonico, in libro *De Academia Parisiensi* pag. 40. ex Chronico MS. Alberici ad annum 1169. *Parisiis post Magistrum Petrum Manducatorem, Magister Petrus Pictavinus cathedram habuit Theologiam.* Composuit autem has Sententias, *Guillelmo Senonensi Archiepiscopo* aote annum 1175. dicatas, cujus sub anni finem a sede Senonensi ad Rhemensem translatus est. Et Hemeræus citatus pag. 115. „Magister Petrus Pictavinus, qui annos „duodequadraginta Theologiam Parisiis legit, „ut supra retulimus ex Chronico. Ad eum „missa est Epistola Innocentii III. de querela „Comitissæ Blesensis & Capituli Carnotensis, „quæ citatur Cap. *ex parte* De verborum significatione, una cum Decano Parisiensi, & Joanne Abbate sanctæ Genovefæ, qui fuit successor Stephani Tornacensis. Extat ejus mentio in quadam littera Mauritii Episcopi tradita „Canonicis Victorinis, pro terminis annualium „recipiendorum ex præbendis Ecclesiæ Parisiensis, sub dato 1196. Celestinus Papa constituit *Petrum* cum Hugone Clementis Decano „Parisiensi, pacificatorem ejus litis quæ vertebatur inter Monachos S. Eligii in insula Pariensiorum, & Canonicos Sancti Victoris, de decimis vini & grani apud Vitriacum: & de instrumento ea de re exarato, pendet adhuc illæsum sigillum *Pictavini*, cum hac perigrapha, „*Sigillum Petri Pictavini Cancellarii Parisiensis.* „Asservantur in Bibliotheca Sorbonæ, *Sermones* „*ejus & Allegoria ordinaria super tres Libros legis* „*Mosaicæ Exodum, Leviticum & Numeros* &c. de „quibus supra. Hucusque Hemeræus.„ Idem de illo Chronicon MS. Alberici ad annum 1205. *Obiit Magister Petrus Pictavinus, Cancellarius Parisiensis, qui per annos duodequadraginta Theologiam legerat Parisiis &c. prædictus vero Pictavinus fecit librum de Theologicis Sententiis ad eundem Archiepiscopum Guillelmum, cujus etiam habentur sermones, Distinctiones & Postilla: & qui pauperibus consulens Clericis, excogitavit arbores Historiarum veteris Testamenti in pellibus depingere, & de vitiis & virtutibus similiter disponere.* Extat etiam quoddam Opus ejus in Bibliotheca Victorina Littera D. 1. continens in Codice optimæ notæ, scilicet *Distinctiones Psalterii secundum Magistrum Petrum Pictaviensem*, quarum prologus incipit, *Facies mihi tentorium in introitu tabernaculi, pretiosis coribus contextum. Tabernaculum, quo Deus in nobis habitat* &c. Ibidem insignis *Commentarius Petri Pictaviensis* ac primus forsitan qui unquam in *Magistrum Sententiarum* factus sit, aliud Opus ab ipsis Sententiis Petri Pictaviensis. Incipit prologus, *Summa Divina pagina in considerandis consistit & agendis, id est, in fidei assertione & morum conformatione* &c. Cupientes &c. ut apud Magistrum sententiatum. *More scribentium præmittit Magister Proœmium, & hæc est continentia proœmii* &c. quamvis Hugo Mathoud Benedictinus Monachus, hoc Opus unum atque idem cum *Sententiis ejusdem Petri* quas edidit, asseruerit, dicens: "quod tantum in paucis va-« riat ille Codex MS. Victorinus ab allegato Tre-« censi edito, hoc excepto quod Victorinus« nonnunquam mutilus est, ac in eo deficit Epi-« stola præliminaris ad Guillelmum Senonen-« sem Archiepiscopum, aut saltem fugit oculos« satis tumultuarie legentium.« Opus autem *Sententiarum Magistri Petri Pictaviensis*, incipiens *In Deserto manna colligentes* &c. anonymum etiam MS. est in Bibliotheca S. Ebrulphi, Ordinis divi Benedicti, Littera T. 9. Denique omnia fere vel pleraque Opera *Petri Pictavini* extant MSS. in Bibliotheca Claræ Vallis, nempe *Sententiæ Magistri Petri Pictavini, Distinctiones Petri Pictavini in Psalterium, & Allegoria super Vetus & Novum Testamentum*: ut ex accurato illius Catalogo anno 1664. confecto, quem apud me habeo, intellexi. *Allegoria Petri Pictavini super Tabernaculum Moysis*, MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Pembrochiana, Cod. 75. Ejusdem *Allegoria super Biblia*, MSS. privatim in Bibliotheca Baronis Lumleji, Cod. 231. Porro Biblioca eadem S. Victoris Parisiensis Littera SS. 18. a fol. 85. usque ad 180. *Summa Petri Pictaviensis de Mysteriis Incarnationis Christi* &c. incipiens, *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Ideo ut nos in futuro metamus, seminarium verbi Dei proponimus* &c. Sed tractatus hic qui 400. annorum, ob anonymitatem incertus est, cujus nomen authoris recentiore manu adjectum est. In eadem Bibliotheca Sancti Victoris *Sermones Magistri Petri Pictaviensis*, MSS. littera Q Q. 20. Codice optimæ notæ, ubi sub initium Codicis charactere antiquo, *Sermones per anni circulum cum Exceptionibus Magistri Petri Pictaviensis.* Tum sub Codicis medium, Syllabus seu Index sermonum ejusmodi, numero LXVIII. post quem sequitur: *In hac medietate libri continentur sermones quidam per anni circulum, & notula excepta de Sermonibus Magistri Petri Pictaviensis Cancellarii Parisiensis, & Magistri Stephani Præsulis Cantuariensis, & de aliorum tractatibus, quæ omnia circa curam animarum sunt necessaria, sicut inferius patebit.* Deinde sequitur, *Incipiunt sermones quidam per anni circulum & quadam notula excerpta de sermonibus Magistri Petri Pictaviensis, Cancellarii.* Corpora sanctorum

rum in pace sepulta sunt. *Si unius sanctorum praeminentiam & laudes, & ingenium exercitatum & lingua erudita sufficienter explicare non potest* &c. Ejusdem aliud Opus in eodem Codice sub finem, litteris rubricatis, bonæ notæ. *Incipiunt sermones Magistri Petri Pictaviensis. Primus est in festivitate omnium sanctorum.* Sancti per fidem vicerant regna &c. *Certo certius est, quod Sancti omnia regna mundi vicerunt, & præcipue illi duodecim duces* &c. Cum vero Theologiam per annos triginta octo hic docuerit, nulli dubium esse debet, quin senex vixerit. Subscripsit cuidam instrumento seu Chartæ Mauricii Parisiensis Episcopi anno 1184. hoc modo: *adstantibus Mauricio Parisiensi Episcopo, Archidiacono &c. Petro Pictaviensi.* Scripsit anno 1196. ut Cancellarius, quoddam instrumentum domus construendæ parvo ponti adhærentis, quo tempore Hugo Clemens ejusdem Ecclesiæ Parisiensis Decanus erat. Senio tamen confectus, ad Metropolitanam sedem Ebredunensem post annum 1200. illatus est, ubi obiit anno 1205. de quo Albericus in Chronico MS. citatus antea, & scriptor *Historiæ Universitatis Parisiensis* seculo XII. Fratres Sammarthani tomo 1. *Galliæ Christianæ* in Archiepiscopis Ebredunensibus. Cæterum ut aliorum ex lapsu, sibi caveat Lector, notandum duxerim, fuisse alios duos Petros Pictavinos seu Pictavienses, præter istum Academiæ Parisiensis Cancellarium, ab ejus ætate non multum discrepantes. Primus horum discipulus Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis, cujus Opusculum quoddam habes in *Bibliotheca Cluniacensi*, de quo nos antea diximus. Alter Sancti Victoris ad Muros Parisienses, Canonicus Regularis divi Augustini, cujus Opus *de pœnitentia seu Confessione* ibidem asservatur. Hoc *Pœnitentiale* ibidem cum expresso nomine authoris in Codice optimæ notæ, Littera II. 13. inscriptum, *Pœnitentialis F. Petri Pictaviensis Canonici Sancti Victoris.* Item Littera Q Q. 12. cujus hic titulus a me excussus, litteris rubricatis 400. annorum antiquis: *Compilatio præsens materiam habet Confessionem, nullum materiæ præstetur authorem: sed tot habet authores, quot habet authoritates.* Incipit autem, *Hunc modum & curam hujusmodi habent quidam Confessores* &c. nec magnæ prolixitatis est. At manu prorsus tecenti quæ vix 20. annorum est, sub Codicis initium *Petro Pictaviensi Canonico Sancti Victoris*, ex fide alterius MS. Codicis antiqui attribuitur, qui fuit olim Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis, de quo sic loquitur Jacobus Petit in *Theodoro Cantuariensi* tomo 1. pag. 341. Qui in MS. Codice V. el. D. Alexandri Petavii, vocatur *Petrus de Sancto Victore*, hoc enim habetur in fine Codicis: *Explicit Pœnitentiale Magistri Petri de Sancto Victore, emendatum a Magistro Jacobo ejusdem Sancti Victoris Canonico.* Hic Petro Pictaviensi nostro, qui anno 1205. obiit, posterior ætate extitit: quippe qui scripsit post Præpositivum & Joannem Beleth quos citat, imo post Petrum Cantorem, quem in suo *Pœnitentiali* imitatur, in multis tam verbis quam sententiis & similitudinibus: quod adnorasse sufficiat. Philippus Labbeus erudite agit de duobus istis Petris, qui Pictavienses dicuntur, in *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Latinorum, Græcorum & Gallicorum, seu specimine lectionum Antiquarum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex MSS. potissimum Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ anno 1653. in 4. Parisiis edendam curavit apud Johannem Henault, parte 2. pag. 25. hujus Bibliothecæ, his verbis. "Magistri Petri Pictavini, Parisiensis Academiæ Cancellarii Glossæ super sententias M. Petri Lombardi præceptoris sui ex Codice Victorino D. 1." in quo ejusdem *Distinctiones in Psalterium.* Illi ferme suppar extitit Frater Petrus Pictaviensis, Abbatiæ Sancti Victoris Canonicus, cujus *Pœnitentialis liber* MS. invenitur in eadem instructissima Bibliotheca, una cum altero *Pœnitentiali* Magistri Petri de Flamesburgo, ejusdem Cœnobii Canonici." Hæc loco citato Labbeus. Agit autem *De tribus istis Petris Pictaviensibus*, paucis quidem sed erudite ac distincte, Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 138.

NICOLAUS DUNELMENSIS MONACHUS, circa idem tempus edidit *Vitam Sancti Godrici Eremitæ* familiaris sui, quam ipsi dictarat Godricus, cujus meminit Arnoldus Wion in *Ligno Vitæ*. Florebat autem circa annum 1170. Sanctus Godricus, qui nec in gloriam nomen inter Anglos eremitas adquisiverat, ut librum etiam *De Vita & Visione Orni* componeret, de quo vide Matthæum Parisiensem & alterum Matthæum Westmonasteriensem in Historiis. Ambiguum an *Vita ista Godrici* sit Nicolao Dunelmensi tribuenda qui scripsit, an Godrico qui dictavit. Extat in Cottoniana bibliotheca sub effigie Galbæ litera A. Codice 17. num. 1. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium num. 1337. in MSS. Codicibus Ecclesiæ S. Swithini apud Wintoniam Codice 17. Ibidem num. 8067. in MSS. Codicibus bibliothecæ Jacobeæ Cod. 345. Ibidem n. 9924. in MSS. Codicibus Simonis D. Ewes Baronetti Codice 64. Meminit hujus scriptoris inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ n. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 112. pag. 146. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 423. editionis ultimæ. 1170

JOANNES SARISBERIENSIS, CARNOTENSIS EPISCOPUS, natione Anglus, Sancti Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris discipulus, in suis peregrinationibus atque exiliis comes individuus, anno 1170. florebat atque sequentibus. Hic vulgo cognomina- 1170

minatus *Sarisberiensis* a patria, Adriano IV. Papæ teste Helinaudo familiaris, ac Petri Abbatis Cellensis quondam Clericus, electus tandem est anno 1172. Carnotensis in Gallia Episcopus. Dixi fuisse anno 1172. electum vel à Guillelmo Senonensi Archiepiscopo & Carnotensi simul Episcopo, nominatum ad cathedram Carnotonam. Anno enim 1169. extremum obiit diem Hugo Senonensis Archiepiscopus tertio Nonas Februarii, ut notat Martyrologium Sancti Petri vivi, ubi sepultus in Choro jacet: quamvis Necrologium Sancti Stephani, defunctum prodat quinto Calendas Aprilis. In ejus locum Guillelmus de Campania suffectus est eodem anno sub finem, anno nimirum 1169. undecimo Kalendas Januarii, tum sub initium anni 1170. consecratus Senonis a Mauricio Parisiensi Episcopo atque suffraganeis aliis, ut observat Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali*. Porro ut testis est Robertus de Monte in Supplemento Sigeberti ad annum 1168. *Archiepiscopo Senonensi in fata recedente, Willelmus electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei Episcopatu Carnotensi per biennium a Papa Alexandro*. Vnde sequitur ante annum 1172. Joannem Sarisberiensem non suscepisse regendam Carnotensem Ecclesiam. De suscepta illa cathedra administranda, sic idem Robertus de Monte in *Supplemento* Sigeberti. *Successit in Carnotensi Vrbe Joannes Sarisberiensis, vir honestus & sapiens, qui prius fuerat Clericus Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi, & postea Sancti Thomæ Martyris, successoris ejusdem Theobaldi*. Episcopatu donatus non electione, sed nominatione seu cessione Guillelmi decessoris, ut intelligitur ex Epistola Petri Abbatis Cellensis Lib. 7. *Epistola* 8. ad eundem Senonensem & Remensem Archiepiscopum, cujus hæc verba mirum in modum Joanem Sarisberiensem commendant, unde ea subticuisse nefas omnino est. „In insigni electione Carnotensi de *Magistro Joanne*, stellam matutinam produxit Deus „de thesauris suis. Affuit, huic prædestinatio„nis Dei partui, vigilantissima sagacitas Domini „mei, & manum obstetricem supposuit, ne a„bortum pateretur incommutabilis Dei præ„lectio. Deus, tibi laus, tibi gratiarum actio: „Archiepiscope tibi merces, tibi æterna remu„neratio. Hoc opus de raritate admirabile, „de singularitate incomparabile, de puritate „commendabile, de bonitate speciali omnibus „imitabile. Quando & ubi simile factum est in „regno Franciæ, ut remotis omnibus simoniæ „speciebus, nullis munerum suffragiis incum„bentibus nullis clientum vellicationibus pru„ritum aurium excitantibus, solus Dei honor „& populi salus in Episcopali electione quære„retur? Certe hoc in Rationali & Superhume„rali tuo, Pater amantissime stylo ferreo, un„gue adamantino scribetur, quod in vicariis Pe„tri eligendis nulla te movet humana gratia, „nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia. Trecensem Episcopum, vi„rum qui ministerium suum honorificat, elegisti„ & consecrasti. Meldensi Ecclesiæ tres viros„ honorificentissimos, Dominum scilicet Cardi„nalem, Magistrum Petrum, & Symonem„ Archidiaconum vicissim assignasti: sed nunc„ superlative, hominem de alia gente, amore„ Dei tantummodo ductus, in Ecclesia Carno„tensi substituisti. Vbicunque hoc Evangeli„um prædicabitur, dicetur quod sis amicus Sponsi, cum tam verax sis & fidelis, non jam in quæ„renda uxore Isaac, sed in inveniendo Joseph„ virum Mariæ. Vere Maria veneratur in Car„notensi Ecclesia. Vere vir iste Joannes, pre„tioso sanguine Beati Thomæ Pontificis &„ Martyris intinctus, lege divina ad plenum in„structus, bonis moribus & piis actibus ornatus,„ Apostolico ad Timotheum catalogo virtutum„ bene depictus, ad Dei honorem & ad vestram„ perpetuam laudem, columna factus est in Ec„clesia Dei. Reviruit in vobis antiquus Apo„stolicæ ordinationis ramusculus, cum pro Pa„tribus filii ungebantur, imo pro panibus omni„ sabbatho calidi cum thure substituebantur pa„nes.„ Idem Epistola 6. ad Lugdunensem Archiepiscopum Joannis Sarisberiensis nominationem significat, cum ait: *Senonensis Archiepiscopus factus est Remensis, Magister Joannes Sarisberiensis, quondam Clericus noster, factus est Episcopus Carnotensis*. Idem vocat *Alcuinum* Joannem præfatum Lib. 7. Epistola 20. & 21. loquens item de ejus electione ad Cantuariensem Archipræsulem, inquit: *Sanctissimæ memoriæ prædecessor vester Archiepiscopus Theobaldus, de gremio & sinu nostro Magistrum Joannem Carnotensem Episcopum inopem & pauperem suscepit, sed Deo juvante usque ad nomen magnorum, qui sunt in terra, fomentis suis provexit*. Apud eundem Cellensem leguntur & septem Epistolæ Sarisberiensi nondum Episcopo scriptæ, & aliæ complures, ex quibus arcta cum ipso amicitiæ necessitudine conjunctum fuisse innotescit: a quo exul olim in Abbatiam benigne exceptus, multisque postea beneficiis donatus fuit, quibus obnoxium se ipse Joannes Sarisberiensis erga Petrum Cellensem Abbatem profitetur. " Imprimis vero Epistola 85. cu„jus exordium est. Non est novum, quod mihi„ vestra benignitas alimentorum subsidia procu„ravit, quæ sic meam in terra aliena paupertа„tem excepit, ut nec patris munus, nec mater„nus mihi deesse videretur affectus. Magnum„ quidem erat sic exuli providere, ut apud ex„teras nationes Civium commoditatibus frue„rer: sed multo majus est quod mihi diligentia„ vestra prospexit, ne a natalis soli dulcedine, qua totius humani generis universitas capitur,„ perpetuo exularem. Vestrum namque mu„nus est, quod reversus sum in terram nativi„tatis meæ: vestrum munus est, quod florere„ in patria videor, & authore Domino multis„ præferri concivibus & coætaneis meis. Sed„ quid est quod libertatis & munificentiæ vestræ„ titu-

„titulos membratim exequor, cum illorum nu-„merus & immensitas sic totum animum im-„pleant, ut effluant & totius mentis capacita-„tem exsuperent? A Domino quidem, ut & il-„la sola, quæ non sufficio recordari, debeam „meruisse quidquid sum & possum. Obligatus „itaque sum, ut nulla gratiarum octione va-„leam liberari, cum merita vestra omnes cona-„tus meos absorbeant, præsertim cum devotio „vestra me sibi continuis obliget beneficiis. Interfuit Sarisberiensis Concilio Generali Lateranensi anno 1179. vel 1181. juxta Robertum de Monte in Appendice Sigeberti, tandemque anno 1182. mortalitate deposita, sepulturam corpus in Josaphaten si Abbatia accepit.

Quoad vitam & apocham Episcopatus Johannis Sarisburiensis, nonnulla habet a nobis discrepantia Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ sacra* num. 9. pag. XL qui & ejusdem Johannis Opusculum *De Vita S. Anselmi Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopi* ibidem pag. 153. edidit, quem hic verbotenus transcribam, cum singularia illa sint & paucis nota quæ profert. „Johannes de Saresburia seculo „duodecimo haud vulgari eruditionis „fama enituit. Supersunt ab illo scripta „*Polycraticon* seu de *nugis Curialium*, & „*Vita Thomæ Becket Archiepiscopi*, & inter ejus „Epistolas *Epistolæ quamplures*. Multa alia ab „illo conscripta Baleus Cent. 3. cap. 1. recen-„set, & in his *Vitam Anselmi Archiepiscopi*. Au-„thore Gervasio in *Chronico* p. 1434. *Erat hic Jo-„hannes a juventute sua Cantuariensis Ecclesiæ Cleri-„cus, primo Theobaldo Archiepiscopo, postea S. Tho-„mæ etiam in exilio fideliter adhærens.* Postremum „in Richardi Archiepiscopi famulitium transiit. „Antiquitus enim Clerici literati pluribus ordi-„ne Archiepiscopis Cantuariensibus adhærere, „& sub ipsorum auspiciis negotia Ecclesiastica „exequi solebant. Quæ enim nunc Archiepi-„scopi Cancellariis, Vicariis, atque aliis Officia-„libus laicis exequenda committunt: olim ipsi, „adhibita Clericorum domesticorum opera, „executi sunt. Sic Johannes tribus ordine Ar-„chiepiscopis, sic Gerardus la Pucelle Thomæ „& Richardo obsequium domesticum præstite-„runt. Johannem Theobaldus Archiepisco-„pus, testamenti sui supremi curatorem consti-„tuit. Testamentum in Archivis Ecclesiæ „Cantuariensis breve admodum extat, sed pi-„um & tanto Præsule non indignum. Id anti-„quitatis causa subnectendum duximus.

„Theobaldus Dei Gratia Cœnt Ecclesiæ mini-„ster humilis, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fi-„liis & fidelibus salutem & benedictionem supre-„mis deficientium voluntatibus suum accom-„modant jura favorem, & in se velut inhuma-„nus provocat iram Dei, qui piis eorum desíde-„riis obvius contradicit. Nostra quidem vo-„luntas est, quæ Deo auctore nunquam immu-„tabitur, ut residuum bonorum nostrorum mo-„bilium, quæ propter necessitates domesticas & diuturnitatem languoris, usque ad exitum vi-„tæ duximus retinenda, in usus pauperum o-„mnino cedat: secundum quod Dominus nobis„ inspiravit, & sicut dedimus in mandatis venerabili fratri nostro Gauterio Roffensi Episcopo, & fidelibus nostris Philippo Cancellario no-„stro, M. Radulfo Lexoviensi, & Johanni de Sa-„resbiria, quos eleemosynæ nostræ dispensan-„dæ præfecimus, „

Quæ Johannes in famulatu Thomæ Ar-„chiepiscopi positus præstiterit, Quadrilogii„ Authores & Thomæ Epistolæ abunde docent.„ Quod autem ad argumentum præsens attinet,„ constat ex Epistola Alexandri Papæ libro Jo-„hannis *De vita Anselmi* subjecta, Thomam Pa-„pæ in Concilio Turonensi anno 1163. obtulis-„se librum *De vita & Miraculis Anselmi*, eo usum„ consilio, ut Anselmum albo sanctorum inscribi„ obtineret. Johannes librum Thoma jubente„ conscripsit, qui fere integrum ex Eadmeri Li-„bris *De Vita Anselmi & Miraculis ejusdem* con-„farcinavit, iisdem etiam verbis plerunque„ usus. Johannis Librum dedit Codex Lambe-„thanus supra laudatus, qui notam hanc in e-„jusdem calce appositam habet: *Scriptum per„ me fratrem & Commonachum Ecclesiæ Christi Can-„tuariensis Dempnum Richardum Stone, qui anno„ 1507. perfecit hoc opus die 12. Decembris.* Orto„ brevi post Concilium Turonense inter Regem„ & Thomam dissidio, Anselmi canonizatio in„ medio relicta est. Eam demum perfecit A-„lexander VI. Papa, bulla ad Johannem Archie-„piscopum Cantuariensem anno 1494. data,„ quæ in Conciliorum Anglicorum tomo 2. p.„ 721. & exinde in Conciliis Labbei tom. 13. p.„ 1476. reperitur. Dum Richardo Archiepi-„scopo Johannes famulitium suum præstaret,„ Decanus, Cantor, Clericique plures Carno-„tensis Ecclesiæ Cantuariam advenientes, ipsum„ in Episcopum Carnotensem elegerunt 1176. 22.„ Julii, et apud Senonas a Mauritio Parisiensi Epi-„scopo 1176. 8. Augusti.„ Obiit 1181. vel 1182. die 24. Octobris, teste Obituario Cantuariensi. Extat quoque MS. in bibliotheca Cottoniana sub effigie Wespasiani, litera E. Cod. 12. num. 3. *Speculum Stultorum*, libellus compositus a Joanne Sarisberiensi, S. Theologiæ Doctore eximio, *ad Willelmum Nigellum*, cum præfatione De ratione & vindicatione tituli, qui quibusdam ridiculus esse videbatur. Ita Catalogus impressus anno 1696. Oxonii in fol. Manuscriptorum Codicum Bibliothecæ Cottonianæ p. 118. col. 2. Verum in aliis plerisque Anglicanis MSS. Codicibus, hoc opus attribuitur Guillelmo Nigello, quod *Burnellus* dicitur. Constare hoc potest ex Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum insignium, num. 2922. in MSS. Codicibus bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Codice 23. ubi Guillelmi Nigelli liber *Burnellus* dictus, sive *Specu-*

Speculum Stultorum carmine conscriptum. Et num. 3601. in MSS. Codicibus Francisci Bernardi Collegii Medicorum Londiniensis Socii, Codice 32. *Brunelli Poema.* Dicebatur autem Anglice Guillelmus Nigellus seu Wirecher. Et inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ n. 1628. in MSS. Codicibus Kinelmi Digbæi Codice 27. Burnellus azinus sive *Speculum Stultorum* de azino qui volebat caudam auferri & novam creari, per Nigellum Wirecher, Monachum Cantuariensem, tempore Richardi I. Regis Angliæ. Et num. 2159. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera D. 2. Codice 1. num 6. *Ng lli Wirikere Speculum Stultorum* vel *Burnellus* pag. 146. Ibidem num. 2535. in MSS. Codicibus ejusdem litera F. 11. Codice 40. num. 21 *Willelmi Nigelli alias Burnelli Speculum Stultorum* pag. 150. Ibidem num. 2583. in MSS. Codicibus ejusdem, litera eadem Codice 88. *Burnelli Speculum Stultorum per Will Nig llum Wircker.* Tituli & libri sui rationem explicat auctor in Prologo, cui Distichon hoc immediate subdit

Burnelli speculum merito liber iste vocatur,
Cujus sub Specie Stultorum vita notatur.

Ibidem num. 3041. in MSS. Codicibus ejusdem Bodleji, qui in Rotulis in Archivo, Codice 52. num. 10 *Willelmi Burnelli seu Nigelli Stultorum Speculum* pag. 97 b. cum in ordinitate quæ vocatur pag. 114. Ibidem num 3852. in Hyperoo Bodlejano, inter Manuscriptos Codices Richardi Jamesii S. Theologiæ Doctoris Codice 15. *Nigelli liber ad Willelmum* qui dicitur *Speculum Burnelli seu Speculum Stultorum carmine Latino.* Denique in Cottoniana bibliotheca sub effigie Titi litera A. Codice 20. num. 1. *Nigelli Speculum Stultorum.* Extat quoque in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ, Classe a Sinistra, Serie Media, Cod. 2. *Historia Scholastica Petri Comestoris cum Nigelli Commentariis.*

Agunt Bellarminus & Labbeus de illius *Epistolis* editis, quibus addo scripsisse illum *Polycraticum* sive *De nugis Curialium & vestigiis Philosophorum libros VIII ad Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum*, cujus tunc temporis Clericus erat, opus insigne ac multa eruditione refertum, quod cum *Entbetico Metrico* ad frontem Operis, impressum Parisiis anno 1513. in 4. & ibidem anno 1610. in 8. Itemque Lugduni Batavorum annis 1595. & 1639. in 8.

Opus *Metalogicum libris IV.* in quibus de omni re Logica & Philologica, quin etiam Philosophica erudite & acute disserit, qui prodierunt cum Polycratico, Parisiis anno 1610. in 8. & Lugduni Batavorum anno 1639. in 8.

Idem effudit ex ingenio suo abundanti *Commentationes in Epistolas Sancti Pauli Apostoli*, impressas Amstelodami anno 1646. in 4. *Epistolas* quoque *ad diversos* CCCIII. quæ sæpius impressæ leguntur in Bibliotheca sanctorum Patrum editionum Parisiensium, & aliarum. Idem *Epistolas plurimas* ab anno 1154 quo clarere cœpit, ad 1180. quæ seorsim Parisiis impressæ, anno 1611, in 4. de quibus solis Bellarminus agit. Item *Ejusdem Epistolas septem historicas* edidit Andreas Duchesnius tumo 4. Collectanei sui *Scriptorum Historiæ Francicæ coætaneorum* pag. 465. quod in fol. Parisiis anno 1641. & seqq. impressum. Aliæ etiam plures leguntur sub nomine ipsius in Collectione *Epistolarum Sancti Thomæ Cantuariensis Episcopi*, impressa Bruxellis tomis in 4. duobus anno 1682. apud Henricum Frick, opera Christiani Lupi Doctoris Theologi & Antiquarii, ex Ordine Eremitarum divi Augustini. In hoc Collectaneo extant *Epistolæ XCIII.* sub nomine Joannis Sarisberiensis, quæ an diversæ omnino vel ex parte sint, ab aliis Sarisberiensis Epistolis, iis quibus eas conferendi otium suppetit, examinandum relinquimus.

Idem denique scripsit *Vitam atque Passionem Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, sed brevissime nec ex variis authoribus per modum Dialogi vel Quadrilogi, quam vidi MS. in fol. in Bibliotheca Regalis montis Ordinis Cisterciensis, cujus prologus incipit: *Sacrosanctam Ecclesiam jugiter impugnat hostis antiquus &c.* Vita autem, *Prædictus igitur Beatissimus Thomas, Londoniensis indigena &c.* quam refert integram prodiisse cum Epistolis Joannis Sarisberiensis anno 1611. Parisiis in 4. Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1172. pag. 685. Est quidem impressus nuperrime Bruxellis cum *Epistolis S Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, anno 1682. ab eodem viro Christiano Lupo *Quadrilogus de vita & morte Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris*, qui appellatus *Quadrilogus*, quia ex quatuor author bus exceptus ac desumptus est. Sed ad Joannem Sarisberiensem ut arbitrati nonnulli sunt, non spectat, cujus opus ita prolixum non est, ut videri potest in eodem MS. Regalismontis & Vaticano, ubi testante eodem Lupo legitur, qui ab ejus editione, heic ob modicitatem operis se abstinuit. Eadem verò MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Claudii litera B. Codice 2. num. 1. inscripta *Vita B. Martyris Thomæ secundum Joannem de Saresbiria.* Magnus autem ille *Quadrilogus* quem à se primum evulgari Lupus opinabatur, jam Parisiis anno 1495. in quarto impressus fuit, ita inscriptus, in ista antiqua editione: *Vita & Passio Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, & processus super libertate Ecclesiastica, per Herbertum de Bosham, Joannem Carnotensem*, id est *Sarisburiensem* jam Carnotensem Episcopum: *Guilhelmum Cantuariensem, & Alanum Teukesburiensem, ideoque Quadrilogus dicitur.* Contendit quoque Guillelmus Cavus loco citato, ad annum 1162. pag. 681. Joannem Sarisberiensem *Epistolas Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris in 6. Libros collegisse ac digessisse*, admixtis etiam quampluribus aliorum ad Thomam vel de eo Epistolis, secutus in hac sua sententia Cæsarem Baronium *in Annalibus Ecclesiasticis*: sed uterque fallitur, ut ostendemus posteà, ubi *de Alano Abbate Teukesburiæ* loquemur, cui

cui hunc laborem debemus. Imò nec probè hoc ab alio quàm ab Anglo, vel in Anglicis saltem insulis degente, fieri potuit: cum è contra constet, Joannem Sarisberiensem statim à morte Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, Gallias adventantem, in Angliam nunquam reversum esse, Carnotensem institutum Episcopum. Occupavit dignissimè sedem hanc ad annum 1182. quo mortuus est, sepultus in Abbatia S. Mariæ de Josaphat, quæ Monachorum Benedictinorum est. De quo Aubertus Miræus in suo Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 369. pag. 251. Fratres Sammarthani tomo 2. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Carnotensibus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 421. Seculum IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 750.

1170 EDMUNDUS GRIME, qui quondam Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi domesticus & omnes assiduus, ac crucifer illius fuerat, eodem tempore Scriptis mandavit *Vitam Magistri sui Thomæ* ob Ecclesiasticam libertatem interempti. Extat illa inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum Bibliothecarum insignium num. 2926. in MSS. Codicibus Bibliothecæ Norfolcianæ in Collegio Greshamensi apud Londinum Codice 27. Et inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ pag. 258. col. 2. in Collectaneis Richardi Jamesii S. Theologiæ Doctoris *Collectaneo 2.* num. 2. pag. 8. ad 21. Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. p. 424. ultimæ editionis.

1170 ODO ABBAS SANCTI MARTINI DE BELLO IN ANGLIA, oatione Anglus vel Normanous fuit, Monachus primum Ordinis Divi Benedicti & Cantuariensis Ecclesiæ Prior. Habuit ille Fratrem in Galliis Adamum nomine, Monachum Abbatiæ Igniacensis, Ordinis Cistercensis in tractu Remensi, ad quem crebras ex Anglia scripsit Epistolas, quarum unam edidit Joannes Mabillon tomo 1. *Analectorum* pag. 349. in qua absurda quædam habet de Sancto Benedicto ejusque Instituto, cui ille tribuit quæ de Christo in Scriptura propriè dicuntur. Alteram etiam vidi, qua ad eundem Adamum mittebat *libros Miraculorum S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris* à se compositos, ipsis Miraculorum MSS. libris præfixam, in variis Cistercensium Gallorum Bibliothecis. Erat porrò Cantuariensis Ecclesiæ Metropolitanæ Prior anno 1170. Odo, dum Sanctus Thomas Martyrio vitam finiit, narratque mortuum corpus à se visum, proprio sanguine tinctum. Is absente S. Thoma atque exule, Monachos in observantiis regularibus suos continuit, suoque exemplo studiis sacræ Scripturæ assiduos reddidit. Quo mortuo, haudquaquam ob iniquitatem hanc perpetratam animo cecidit, sed firmus constansque in defendendis Ecclesiæ suæ fratrumque Monachorum quoad futuram Archiepiscopi electionem, juribus extitit. Atque ut omnem ejus seriem rei ab oculato vel contemporaneo teste audiamus, Gervasium Cantuariensem in *Chronico* ad annum 1172. narrantem proferimus. „Dum hæc itaque agerentur in" Normannia, juvenis Rex ex consilio tutorum" suorum mandavit Odonem Priorem & Mona-" chos Ecclesiæ Cantuariensis, ut ad eum quan-" tocius venirent, & Archiepiscopum sibi & suæ" Ecclesiæ eligerent. Accessit itaque Prior" Odo cum Monachis suis ad curiam, & conserto" sermone de Pontifice eligendo, Prior de more," liberam Ecclesiæ petivit electionem. Quæ" cum ab aulicis Priori penitus denegata, vel ut" mitius dicam, dilata fuisset: quasi sub specie" pietatis monuerunt, ut Cantuariam rediret, &" post tres hebdomadas consiliis & orationibus" instructior atque paratior, ad Regis præsentiam" denuo veniret. Prior igitur Cantuariam re-" dit, & confratrum suorum fultus orationibus," circa Festum S. Michaëlis, Regem & Regios" magistros magis quam ministros adiit, & in pe-" titione liberæ electionis constanter perseveravit." Abnegant aulici denuò quod petitum" est, præcipientes severius ut Regem patrem in" partibus transmarinis degentem adiret, ipsius" auditurus voluntatem. Prior igitur Odo" Cantuariam rediens in proximo transfretavit," Regem in Normannia degentem adiit, eumque" magis supplicantem, quam imperantem repe-" rit. Veritus est enim Odonis constantiam, ne" severum quempiam hominem in Archiepisco-" pum eligeret, qui beati Thomæ Martyris in" negotiis Ecclesiasticis esset imitator. Hac de" caussa Rex Odoni Priori plurimum supplicans," manibus protensis & semiflexis genibus roga-" bat, ut sui misereretur, ne malefactis suis aliquid" deterius superaddere cogeretur. Volebat" enim Rex & Priorem exorabat, ut Episcopus" Bajocensis eligeretur. Erat enim vir ille ni-" miæ simplicitatis, qui de facili ab intentione" sua aliàs quolibet valeret avelli. Sed Prior" Odo regiæ petitioni respondit, se scilicet præ-" dictum Episcopum, nec alium quemlibet sine" Conventus consensu non posse suscipere, nec" se propterea transfretasse. Rex igitur Odo-" nem cum suis litteris remisit in Angliam, ro-" gans attentius, quatenus Conventum Ecclesiæ" Christi, ad consentiendum induceret. Priore" itaque Cantuariam reverso, convocati sunt" Episcopi & Clerus Angliæ apud Londoniam," ibidemque cum cæteris adsuit Odo Prior." Multis autem de electione facienda hinc inde" consertis Sermonibus, multâque electionis li-" bertate tradita, spe fraudati quique redierunt" ad propria, & Prior Cantuariam reversus est." Idem *ad annum 1173.* Interim convocati sunt" Episcopi & Clerus Angliæ ad Londoniam, circa" finem mensis Aprilis. Omissâ igitur electione" posteris Cantuariensis Ecclesiæ, electi sunt ad" li-

„libitum Regis & Curialium, Episcopi sex, videlicet Richardus Wintoniensis, Gaufridus Heliensis, Richardus Herefordensis, Reginaldus „Bathoniensis, Lincolniensis, Cicestrensis. Novissimè de electione Cantuariensis Ecclesiæ „conseritur sermo, sic erunt novissimi primi, & „primi novissimi. Prior igitur Odo in medium „vocatus, a primâ petitiune liberæ electionis „non avellitur, sed obsecrat ut Cantuariensis „electus, de suâ id est de Cantuariensi Ecclesiâ „sumatur. Consenserunt utrumque Episcopi, „sed quia de Regis beneplacito dubitabant, decreverunt Scriptis suis cum Prioris nuntiis, Regium animum præteutare. Prior his libens „annuit, sed subitò Episcopi legationem hanc „suspectam habentes, quod prius petierant, refutare cœperunt. Prior autem Episcoporum „mentes ad plenum nosse desiderans, dixit Abbatem de Cerasis virum esse commendabilem, & „Regis non modicâ gratiâ pollere. Audientes „Episcopi, prædictum Abbatem utpote ignotum „& alterius regni personam refutaverunt, sed „subitò redeuntes ad cor, consenserunt: conditionem hanc interponentes, ut scilicet eorum „esset electiu, & Episcopi Londoniensis vox prima. Contradicente Priore, institerunt ut „electio scriberetur in schedula, & sic ab utroque, Priore scilicet & Episcopo Londoniensi in „audientia legeretur: sed & hoc Prior ut frivolum refutavit. Petierunt igitur ut Prior „privatim inter eos electionem faceret, & Episcopus Londoniensis in audientia omnium „eandem referret. Non consentiente Priore, „primum resumpserunt consilium, scilicet ut „Regis assertio super electione faciendâ per fideles nuntios inquireretur. Missi sunt itaque ad Regem in Normannia Monachi duo, „Richardus Prior Dovoriæ & alius, qui Regem „satis gratiosum repperientes, sed nullam suæ „voluntatis certitudinem reportantes, ex præcepto Regis citissimè in Angliam reversi sunt. „Rex verò per privatos nuntios suos Richardo „de Luci & avunculo suo Comiti Cornubiæ, suæ „voluntatis revelavit arcanum. Coacto igitur Consilio apud Londoniam in initio mensis „Junii, cum Prior Odo a petitione liberæ electionis, minis & blanditiis non valeret avelli, „esti tardè tamen, obtinuit quod petivit. Multis itaque hinc inde sermonibus prolatis, tandem Richardus Prior Dovoriæ Dominicâ Octavarum Pentecostes, tertio Nonas Junii apud „Westmonasterium electus est. Sequenti die „Sabbathi ab Episcopis & Electis Angliæ, Clero „& populo Cantuariensis Ecclesiæ honorificè „susceptus est, in crastino (ut dicebatur) consecrandus. Sed cum omnia tantæ consecrationi necessaria præparata fuissent, ecce litteræ „novi Regis Henrici ex adversâ parte in medium „allatæ sunt, quarum iste est textus.

Henricus Dei gratia Rex Angliæ & Dux Normanniæ, & Comes Andegaviæ, Regis Henrici filius, charo & fideli suo Odoni, Priori Cantuariensis Ecclesiæ, & universo Conventui, salutem & dilectionem. Ex certâ quorundam relatione recepimus, quod in Ecclesia vestra & etiam in provincialibus Ecclesiis personas quasdam minus congruas, Pater meus instituere attentet. Et quoniam absque assensu nostro id nequaquam fieri debet, qui ratione Regiæ unctionis, Regnum & totius Regni curam suscepimus: super hoc Romanam sedem in multorum præsentia appellavimus, & appellationem factam Venerabilibus Patribus nostris & amicis Alberto & Theodino Cardinalibus Apostolicæ sedis Legatis scripto & nuntio nostro denunciavimus, qui sicut viri prudentes, appellationi detulerunt. Hanc etiam ipsam appellationem fidelibus nostris Londoniensi Exoniensi & Vigorniensi Episcopis, Scripto nostro denuntiavimus, & quemadmodum appellavimus, iterato sub testimonio vestro appellamus. Dubitantibus igitur Episcopis & conferentibus quid facto opus esset, cum„ quidam consecrationi consentirent quidam appellationi deferrent, tandem assensu omnium„ consecratio illa dilata est. Misit igitur Cantuariensis Electos nuntios & litteras, tum suas„ quam omnium Episcoporum & Electorum Angliæ, & Conventus Ecclesiæ Christi, ad Domi„ num Papam, & ipse post modicum in propriâ„ persona subsecutus est. „ Hæc prolixa quidem, sed demonstrantia, quanto zelo, quantaque animi constantia, Odo Prior Ecclesiæ Cantuariensis Christi, post S. Thomæ Archiepiscopi & Martyris mortem, Liberam eligendi à suis Commonachis Archiepiscopi consuetudinem ac jus defenderit, tandemque assecutus sit. Variis etiam hic insignis Odo juxta Thomam Jamesium, *Commentariis* Ecclesiam ditavit. Scripsit enim *super quinque Libros Mosis Commentarium* MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Sancti Benedicti, Cod. 149. *Moralia super Psalmos*, MSS Oxonii in Bibliotheca Balliolensi, Codice 36. Item *super Evangelia*, MS ibidem in Bibliotheca Balliolensi, Cod. 37. Huic etiam Thomas James in *Eclogâ Oxonio Cantabrigiensi* in Indice Librorum MSS. Theologicorum fol. 48. attribuit *Libros duos Parabolarum* in laudem ejus, qui est A & Ω seu Alpha & Omega, MSS. Cantabrigiæ, in Collegio S. Benedicti Cod. 122. Sed illi indubiè spectant ad *Odonem de Sheritona seu Shirtona*, quem de hoc argumento scripsisse, ex aliis aliarum Bibliothecarum MSS. Codicibus constat: de quibus jam diximus in *Ganfrido IV. Abbate Claravalla*, ac postea etiam in *Odone de Sheritona* dicemus. In hujus autem Operis ab Odone Cantoariensi Priore erepti compensationem, Vidimus *Libros quinque miraculorum Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris ab Odone Priore compositos, atque ad Adamum fratrem suum Ignoti Monachum* directos, quorum ipse Odo plurimorum se testem oculatum profitetur, quos confestim post Thomæ mortem conscripsit, ab anno nimirum 1171. ad annum 1175. quo Abbas de Bello in Anglia electus est. In his miraculis elegans, devotus, ut vix in hoc argumento quod fragile admodum est, aliquid unquam

quam gravius & sincerius legerim, quæ fermé ad quadringenta (quod stupendum) excurrunt: ut si hæc vera sint, verus thavmaturgus Thomas Cantuariensis extiterit. Habetur hoc grande opus MS. in Bibliotheca Fusniacensi Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Laudunensi, unde transcriptum ad Danielem Papebrochium, olim à me missum est Antverpiam. Idem quoque opus vidi MS. in duabus aliis Bibliothecis Cisterciensis Ordinis, nempe in Alnensi Diœcesis Leodiensis, & in Igniacensi Archiepiscopatus Rhemensis. Inter MSS. Codices etiam Bibliothecæ Bodlejanæ num. 2319. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji E. 5. Codice 13. num. 3. *Magistri Odonis de Cantuaria Sermones super Evangelia Dominicalia, & aliorum Sanctorum.* Attribuit quoque huic Odoni Guilielmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo XII. ad annum 1160. pag. 677. *Epistolas quasdam* quæ habentur apud Dacherium in *Spicilegio* tomo 2. pag. 113. sed apertè & ad oculum fallitur Cavus, qui si res leviter ad easdem inspiciendas accessisset, illas Odonis cujusdam Regularis Canonici & Sanctæ Genovefæ postmodum Abbatis agnovisset, ut nos jam suprà diximus in *Odone Abbate S. Genovefæ Parisiensis*. Idem mecum censet Car. Dufresnius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 134. de quo nos ad annum 1160. Ipsi etiam *Librum unum de inventione S. Milburgæ*, de quo nihil à me visum, attribuit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 421. Tandem Odo Abbas Sancti Martini de Bello, anno 1175. factus est, ut habent idem Gervasius in *Chronico* ad eundem annum, column. 1432. & Radulfus de Diceto in *Imaginibus Historiarum*, ad dictum annum column. 588. Quandonam autem Odo Abbas Sancti Martini de Bello, mortuus sit, mihi non liquet. Hujus *Odonis* mentionem facit Joannes Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. num. 131. pag. 172. ubi inquit: *De Ottone Priore Cœnobii Sancti Salvatoris Cantuariæ, deinde Abbate de Bello, Stechelayus Episcopus Londinensis nuper excutiens omnes Bibliothecæ Coggeshalensis forulos, ita laudavit Odonis in Pentateuchum Commentarios, ut illos cum veterum theologorum monumentis fere pares fecerit.* Et *Ecloga Oxonio-Cantabrigia* Thomæ Jamesii in Indice Librorum Theologicorum pag. 48. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. p. 421. ultimæ editionis. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 134. ubi tamen male ipsum anno 1160. mortuum refert, qui adhuc in vivis erat anno 1180. & ultra.

1170 BENEDICTUS PETROBURGENSIS ABBAS, Ordinis Divi Benedicti, Monachus primum in Ecclesia Christi seu Salvatoris Cantuariensis, doctrina ibidem moribusque fulsit circa annum 1170. quo cæde S. Thomæ Archiepiscopi & Martyris Ecclesia ista afflicta est. Richardus autem ad Archiepiscopatum Cantuariensem anno 1173. electus, juxta Gervasii Chronicon columna 1425. ad dictum annum, elegit sibi hunc Benedictum in Cancellarium seu Secretarium, qui & anno 1175. Odone Cantuariensi Priore *ad Abbatiam Sancti Martini de Bello* assumpto, ipse in Priorem Ecclesiæ Christi Cantuariensis assumptus, teste Gervasio Dorobernensi in *Chronico* citato ad annum 1175. col. 1432. his verbis: *Benedictus verò Domini Cantuariensis Cancellarius, Prioratum Cantuariensis Ecclesiæ fortitus est.* Illic positus scripsit *Commentarium De Vita S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris, de morte & miraculis post mortem*, quem quidem ego non vidi: sed teste Baronio, MS. superest in Bibliotheca Vaticana, ut habet tomo 12. *Annalium* ad annum 1162. Hujus autem Operis copiam habet Joannes Mabillonius vel socii ejus in Abbatia Sancti Germani Parisiensis, ut mihi ipse retulit, unde illustrabit seculum Ecclesiæ XII. dum aget de *Sanctis Ordinis sui*, ad hoc seculum spectantibus. Memini autem me legisse dum transcriberem *Libros Miraculorum S. Thomæ Cantuariensis* ab Odone compositos, hunc Benedictum ab ipso allegari, unde conjicio ipsum scripsisse de hoc argumento ante Odonem citatum. Ex priore seu Cœnobiarcha Cantuariensi, factus postea a. 1177. Benedict. Abbas Petroburgensis. Ita Chronicon Jorvallense s. Jo. Brompton Jorvallensis Abbatis ad a. 1177. col. 1120. his verbis: *Eodem etiam anno Rex concessit Benedicto Priori S. Trinitatis Cantuariæ, Abbatiam de Burgo, Willelmo de Waterville Abbate ejusdem, per Richardum Cantuariensem Archiepiscopum deposito.* Idem scripsit *Chronicon* ab anno 1170. ad mortem Regis Richardi I. quod non spectat ad Symeonem Dunelmensem, ut scribit Richardus James, nam Symeon sub Rege Henrico 2 mortuus est: Sed ad Benedictum Petroburgensem, uti observat Thomas Galæus. Extat in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Julii, litera A. Codice XI. num. 4. ex quo multa Joannes Bromptonus & Rogerus Hovedenus excripserunt. Item ibidem sub effigie Vitellii, Litera E. Codice 17. num. 3. ex dono Domini Willelmi Camdeni, ut Robertus Cottonus scribit. Scriptoris hujus ut notat Vossius, meminit duplici in loco Possevinus in *Apparatu sacro*: nempe inter Benedictum Bovium & Benedictum Canophilum, ubi nominatur *Benedictus è Burgo Petri*, refertturque ad annum 1200. Iterum inter Benedictum de Accoltis & Benedictum Arjam Montanum, ubi vocatur *Benedictus Anglus*, annoque 1090. claruisse dicitur. Vtrobique autem & Abbas in Petri Burgo fuisse, & scriptis *Vitam Sancti Thomæ Cantuariensis* mandasse dicitur. Vnde anno 1090. vixisse nequaquam potest, cum Thomas ipse cujus vitam scripsit, anno tantum 1170. interfectus sit: sed fortè librarii culpâ, unus centenarius è numero excidit. Nam eum qui anno 1177. Abbas creatus est, anno 1190. vel etiam anno 1200. adhuc superstitem vivere, à vero non abhorret. Addantur Inter MSS. Codices Bi-

Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 139. pag. 176. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pagg. 207. & 208. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. p. 424. ultimæ editionis, quem hic ex parte retulimus. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pag. seu col. 88.

1170 HERIBERTVS DE BOSHAM VEL DE BOSEHAM, quem alii malè de Hocsam vocitant, natione Anglus fuit, qui circa annum 1170. vel 1180. claruit. Hic primum ab Epistolis fuit Thomæ Becketo Regni Anglicani Cancellario, seu, ut alii loquuntur, Archigrammateo. Ipso autem posteà facto Cantuariensi Archiepiscopo, Heribertus Magistrum secutus est, non velut mercenarius, dum ipsi fortuna arrideret, Regique Henrico carissimus esset: sed individuus comes ipsi exuli adhæsit, illumque etiam non deserens, dum in patriam revocatur, usquedum interimitur ab iis qui rem se gratam Regi facturos opinabantur, quod ille nimio zelo libertatem Ecclesiasticam adversus Henricum Regem tueretur. Hic unus fuit ex potissimis & doctissimis viris, quos ad Consilium suum domesticum Thomas Archiepiscopus adlegerat, ut ipse Herbertus testatur: qui quantum & quam intimè Archiepiscopum diligeret & veneraretur, hoc testatus est, dum ingenti volumine septem libris comprehenso, eximiam *S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi atque Martyris vitam ac mortem* describere dignatus est. Id opus MS. est in Bibliotheca Vaticana, ut testatur Cæsar Baronius tomo XII. *Annalium Ecclesiasticorum*, ad annum 1162. Vidi etiam illud MS. in Bibliotheca Signiacensi Cisterciensis Ordinis in tractu Rhemensi, multoque labore hoc opus immensum transscripsi, quod Antverpiam ad Danielem Papebroch, à me missum est, ut inde suo tempore Legendas Sanctorum suas augerent. Illud quoque opus MS. vidi in aliis duabus mihi conterminis Cisterciensium antiquis Bibliothecis, alterâ Alnensi juxta Thuinum Dioecesis Leodiensis, alterâ Igniacensi Archiepiscopatus Remensis. In MS. autem Vaticano, de quo loquitur Baronius, extant tres alii simul cum Herberto, qui Vitam atque Agonem Sancti Thomæ Cantuariensis conscripserunt, *Benedictus Petroburgensis, Joannes Saresberiensis, & Alanus Tekesburiensis.* De Benedicto Petroburgensi Abbate, & Joanne Saresberiensi posteà Carnotensi Episcopo, jam suprà egimus. De Alano Tekesburiensi Abbate, posteà agemus. Extat etiam Oxonii in Bibliotheca Collegii Corporis Christi Cod. 146. in 4. Et in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Neronis litera A. Codice 5. num. 3. *Vita S. Thomæ Cantuariensis per Herebertum de Bosham, ejus discipulum.* Scribunt autem nonnulli, ut Gerardus Joannes Vossius, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 424. editionis secundæ, *Hunc tandem Herebertum factum esse Cardinalem*, id quod omnino me latet: atque etiam alii, *factum esse Archiepiscopum Beneventanum*, quod falsum omnino est, cum Heribertus hic noster alius sit ab isto Beneventano Archiepiscopo. Scripsit opus istud amplissimum anno 1184. vel 1185. quatuordecim annis post S. Thomæ Martyris mortem, ut ipse testatur in Opere suo, quod ego transscripsi. At hoc ipso anno, quo Herbertus hic scribebat Vitam S. Thomæ Archiepiscopi & Martyris: eodem alter Herbertus, Anglus & ipse, & huic Heriberto de quo diximus æqualis, sed Archiepiscopus Beneventanus, cum familia & Clero, Civiumque multis, terræ motu absorptus est, ut referunt Nicolaus Triretus in *Chronicis* ad annum 1185. & Radulfus de Diceto *in Imaginibus Historiarum*, ad eundem annum, columna 628. quibus apertè, ambos istos Herbertos esse distinguendos constat. Idem Heribertus de Bosham scripsit etiam multas Glossas in Scripturæ libros, quæ pleræque extant in Bibliotheca Collegii Sanctæ Trinitatis Cantabrigiæ, in parte sinistra Serie infima Cod. 3. *Psalmi usque ad 74. Glossati per eundem.* Ibidem Codice 4. *Evangelia Glossata per eundem.* Ibidem Codicibus 2. & 5. *Epistolæ Sancti Pauli Glossata ab Hereberto de Boscham.* Quæ autem desunt ex Psalmis illis Glossatis in Codice Sanctæ Trinitatis Cantabrigiæ, habentur inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 2051. in Codicibus manuscriptis Thomæ Bodleji Litera B. 7. Codice 5. *Psalterii pars 2 à Psalmo 74. ad 100. inclusivè, & 3. pars à 100. ad finem, cum Glossa Magistri Hereberti de Bosham.* Mentionem facit istius, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 138. pag. 176. itemque Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 735. his verbis: *Herbertus de Hocsam Anglus, scripsit Gesta beati Becketi, quem pro Sancto habuit Stephanus Langthon Cardinalis Sancti Chrysogoni. Vivebat anno 1183.* Rectè quidem Gerardus Joannes Vossius, loco citato. Carolus Dufrenius du Cange, qui eum an. 1181. assignat in *Indice Authorum* quem præmisit suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 113. Vbi rectè quoque illum distinguit, ab Herberto altero Abbate primum de Motis Ordinis Cisterciensis in Gallia, qui scripsit *De miraculis Sancti Bernardi Abbatis Libros tres*, tum denique Turrium apud Sardiniam Archiepiscopo, quem anno 1178. attigit, de quo jam anteà diximus *in Odone de Diogilo* ad annum 1150.

GVILLELMVS STEPHANIDES, natione 1170
Anglus, dictus *Stephanides* quod Stephani cujusdam esset filius, professione Monachus Sancti Salvaturis seu Christi Cantuariensis, Ordinis divi Benedicti, Congregationis olim Cluniacensis, ab ipsis Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris temporibus floruit, usque ad Richardum Angliæ Regem anno 1190. atque sequentibus. Inter ingenii sui monumenta,

ta, posteritati reliquit Opus quoddam *De vita & morte Sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, itemque aliud *De miraculis ejusdem & de visionibus post ejus mortem*. Teste autem Baronio, tomo 12. *Annalium Ecclesiæ* ad annum 1152. utrumque Opus MS. superest in Bibliotheca Vaticana, cujus copiam seu transsumptum habet Joannes Mabillon vel Socii ejus, in Monasterio Sancti Germani Parisiensis, ut narratum mihi est: unde seculum Ecclesiæ XII. illustraturi sunt, dum *de Sanctis sui Ordinis* ad hoc seculum spectantibus, different. Extat etiam MS. in Cottoniana Bibliotheca sub effigie Julii litera A. Codice XI. n. 7. Loquitur de *Guillelmo isto Stephanide* Antonius Possevinus tribus locis, ex unico tres homines pro more sibi nimium consueto, faciens. Vocatur à Ranulpho Higdeno *Polychronici* cap. 25. *Stephanus qui Stephani erat filius*, ex quo decerpsit, quæ de Henrico Rege tradit. Conradus Gesnerus vel ejus epitomator, bis de illo in *Bibliotheca*, pag. 309. verbo *Guillelmus Cantuariensis*: & pag. 314. Verbo *Guillelmus Stephanides*. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* ter, verbo *Guillelmus Anglus*, pag. 698. Verbo *Guillelmus Cantuariensis*, pag. 700. Verbo *Guillelmus Stephanides*, pag. 712. Gerardus Joannes Vossius Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. p. m. 425. quem hic excerpsimus.

1170 ALANUS TEUKESBURIENSIS ABBAS, in Anglia Ordinis Divi Benedicti, ad confluentiam Avonæ & Sabrinæ, vir eruditus, quem Chronica Gervasii Cantuariensis ideo *Magistrum* appellant, quod ista tunc temporis viri scientia illustres litterarum vocitarentur. Hic natione Anglicus, atque in Italiam penetrans, ob famam doctrinæ non vulgaris circa annum 1170. Canonicus Ecclesiæ Beneventanæ factus est. Inde secularium pertæsus rerum, atque in Angliam natale solum reversus, anno 1174. Monachus Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis Cantuariensis, Ordinis divi Benedicti acceptus est. Anno autem 1179. Herlewino Priore ob caligantes oculos resignante, ejusdem loci Prior seu Cœnobiarcha electus est. Constant hæc omnia ex oculato teste Gervasio in *Chronico* ad annum 1179. columna 1456. his verbis. *Octavo Idus Augusti Herlewinus Prior Cantuariensis Ecclesiæ resignavit Prioratum, anno tertio sui Prioratus. Senuit enim & caligaverunt oculi ejus, & videre non potent. Cui successit eadem die Magister Alanus, ante paucos annos Beneventanæ Ecclesiæ Canonicus, sed natione Anglus, & Cantuariensis Ecclesiæ quinquennio ferè novitius. De quo tantæ spes probitatis & conversationis honestæ habita est, ut ex consilio & consensu totius ferè conventus, Richardo Archiepiscopo vix inferretur, ut eum in Priorem promoveret.* Cum itaque divi Benedicti Institutum Cantuariæ anno 1174. paucis post mortem S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi annis amplexus esset: ubi hoc sodalitium ingressus fuit, conatu atque ardore ingenti suam quoque symbolam in eundem Martyrem contulit, colligens *Omnes Epistolas tam S. Thomæ Martyris* ab eo in exilio & alibi conscriptas, quam *aliorum ad ipsum*, vel quæ ad caussam ejus spectabant. Istud *Opus egregium* atque admirabile ad illustrationem Ecclesiasticæ seculi XII. Historiæ, *in quinque libros distinctum*, ex MS. Codd. Vaticano erutum, publicæ Luci exposuit Christianus Lupus, Ordinis Eremitarum Divi Augustini, an. 1682. tomis in 4 duobus impressum Bruxellis apud Henricum Frick. Nonnulli viri doctrina eximii, hanc Collectionem Epistolarum adscribunt Joanni Sarisberiensi ab anno 1172. ad 1182. Episcopo, ut Baronius tomo XII. *Annalium* ad annum 1162. atque post ipsum abbreviator Spondanus seculo XII. ad annum eundem 1162. num. 6. quos secutus est Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1162. verbo *Thomas Becket* pag. 681. Salva tamen quam debemus eruditis viris reverentia, verum istud non est. Nam mortuo sancto Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, Joannes Sarisberiensis confestim, seu anno nondum à morte completo, Gallias veniens, huic Collectaneo haudquaquam incumbere potuit, in remotis positus. Nec unquam legitur postea in Angliam rediisse, factus anno 1172. Carnotensis Episcopus, cui muneri ab ipsa Thomæ morte à Guillelmo prædecessore designatus fuit, ubi anno tandem 1182. mortuus est. Præterea in insigni illo opere quod *De vita & morte Sancti Thomæ Cantuariensis*, ab Hereberto de Boscham anno 1184. scriptum est, quodque olim transscripsimus, disertis verbis ab oculato teste habemus *Epistolas istas* ab Alano Priore esse collectas: quo certius nullum testimonium haberi unquam potest: cum ambo eodem circiter tempore scriberent, ambo seipsos cognoscerent, in eodem Cœnobio existentes. Extat in Bibl. Cottoniana sub effigie Claudii lit. B. Codice 2. n. 3. *Collectio Epistolarum Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & aliorum, lib. V. in quibus Historia rerum gestarum ab exilio ejus ad mortem continetur.* Inter Codices MSS. Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ Cod. 216. Epistolæ Alani Prioris Cantuariensis ad Regem Henricum & alios. Ejusdem Sermones duo inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 2330. in MSS. Thomæ Bodleji, littera E. 6. Codice XI. pagg. 190. & 191. Idem autem Alanus Cantuariæ Prior ad majorem suam erga novum Martyrem Thomam Cantuariensem Episcopum devotionem ostendendam, insignes quoque scripsit *Commentarios De vita illius & exilio*, opus tribus libris distinctam, quod MS. superest in Bibliotheca Vaticana, teste Baronio tomo XII. *Annalium* ad annum 1162. n. 6. atque Spondano ad eundem annum 1162. n. 6. Hujus Operis copiam habet Joannes Mabillonius, ut ipse mihi retulit, in monumentis litterariis Sancti Germani Parisiensis repositam, ad Sanctos Ordinis divi Benedicti, qui seculo Ecclesiæ XII. floruerunt, illustrandos. An alia scripserit Alanus Cantuariensis Prior, haud scio.

Trans-

Transtulit autem anno 1180. nocte præcedente feriam quintam ante sanctum Pascha, videlicet decimo sexto Calendas Maji, corpora *Sanctorum Dunstanni & Elphegi* Cantuariensium Archiepiscoporum, noctu & absque solemnitate in novum reædificatæ Ecclesiæ Chorum, adjunctis tantum secum novem ejusdem Ecclesiæ fratribus, quorum fidei secretum hoc tuto committi poterat. De qua re plenissimè Gervasius Dorabernensis in Opusculo *De combustione & reparatione Cantuariensis Ecclesiæ*, col. 1300. Anno 1184. Alanus Cantuariæ Prior se firmissimum ostendit atque intrepidum jurium Lectionis Ecclesiæ suæ defensorem, ut similem ei vix unquam Historiæ sequentes ostendent. Enituit autem robur & fortitudo animi in Alano, adversus Anglicanos Episcopos & Regem ipsum, ad eligendum per suos Monachos Balduinum Vigorniensem Episcopum in Archiepiscopum Cantuariensem. De re ipsa Radulfus de Diceto in *Imaginibus Historiarum* ad annum 1184. col. 620. Sed plenissimè *Chronicon Gervasii Cantuariensis* ad annum 1184 columnis 1465. 1467. usque ad colum. 1474. quod omittimus. Anno 1185. nulla ratione habita ad Balduini Cantuariensis Archiepiscopi accommodatum facileque omnibus ingenium, compulit Roffensem Episcopum, ad accipiendum de manu Balduini Archiepiscopi baculum pastoralem, in Altari Christi Cantuariæ positum: qua de re Gervasius ad annum 1185. colum. 1475. 1476. 1477. Alanus denique ob animi firmitatem & constantiam multis invisus, anno 1186. Abbas Theokesberiæ factus est, quam electionem Gervasius his verbis exprimit, columna 1480. *Anno 1186. Prior Cantuariensis Alanus electus est Abbas Theokesberiæ, quasi in pœnam suæ constantiæ, & Prior Rofensis Abendoniæ. Robertus de Hastinges Cantuariensis cucullatus, Abbas Cestriæ ob meritum suæ perfidiæ, qui pro Baldwino Archiepiscopo suo, defuit Conventui in die necessitatis. Ne igitur intentio Archiepiscopi qualibet impediretur occasione, Cantuariam advolans, benedixit Priorem Alanum jam electum Abbatem Theokesberiæ, XVII. Calendas Junii. Prædictum quoque Robertum benedixit in Abbatem Cœnobii Cestriæ, tertio Idus Julii: eademque die ex assensu & petitione Conventus, suum quondam Capellanum Honorium, prius celerarium, substituit in Prioratum.* Agunt de Alano Theokesburiensi Abbate Conradus Gesnerus in *Epitome Bibliothecæ Scriptorum* pag. 17. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 139. pag. 176. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 1. pag. 21. Gerardus Joannes Vossius Libro 6. *De Historicis Latinis* cap. 56. p. 454. editionis secundæ.

1170 EDVARDVS PRESBYTER CANTVARIENSIS, natione Anglus, scripsit etiam circa annum 1172. librum unum satis prolixum *De vita & morte S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, cujus Opus se redegisse in compendium tefert Laurentius Surius tomo 6. *De vitis Sanctorum probatis*, ad diem 29. Decembris. Miror autem Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 424. editionis ultimæ, hunc Eduardum dicere *Monachum Benedictinum, Sancti Thomæ familiarem*: cujus quidem ex Scriptis fuisse *Sancto Archiepiscopo familiarem* constat, quem venerat invisurus ac salutaturus, dum Martyrium ipsi contigit: non constat autem fuisse *Monachum Benedictinum*. Imò cap. 23. aperte seipsum distinguit a Clericis & Monachis Ecclesiæ Cantuariensis. Extat autem Opusculum Eduardi MS. in Bibliotheca Cottoniana, sub effigie Vespasiani litera E. Codice 10. n. 11. De *Eduardo* Laurentius Surius, ad diem 29. Decembris. Gerardus Joannes Vossius loco citato. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 96.

RICHARDVS ABBAS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS in Anglia, juxta Balæum natione Anglicus fuit, annoque circiter 1170. ad 1200. floruit, de quo sic ille in Catalogo *Scriptorum Britanniæ*. „ Richardus Præmonstratensium Canonicorum Abbas Anglus, scripsit De Canone Missæ Lib. 1. De computo Ecclesiastico Lib. 1. De mysteriis sacrorum Lib. 1. Vitam divæ Vrsulæ Lib. 1. Vixit anno 1100. Hæc Balæus, ubi legendum est, *Vixit anno 1200.* Nam anno 1100. nondum erat Ordo Præmonstratensium institutus, qui anno tantum 1120. incepit, & anno 1148. demum in Angliam penetravit. Ex istis Operibus quæ ipsi attribuit Balæus, *Quæstiones De Sacramento Altaris & Commentarius in Canonem Missæ*, & De Oratione Dominica, extant MSS. Cantabrigiæ in Collegio divi Benedicti, Codice 122. In MSS. Codicibus Collegii Vniversitatis Oxoniensis num. 45. litera C. Codice 16. num. 6. *Richardi Pramonstratensis Carmina in Missam & Orationem Dominicam.* Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 1992. litera B. 3. Codice 7. num. 11. *Richardi albæ Ecclesiæ Præmonstrati Tractatus de Officiis Missæ:* seu De Missæ differentiis in Canone, in Crucibus faciendis &c. pag. 265. Opusculum *De vita beatæ Vrsulæ* extar editum olim in Legenda Angliæ, quod fabulis scatet innumeris, absurdamque tefert Historiam. *Narrationem hanc de passione sanctarum undecim millium Virginum* scripsit Richardus Præmonstratensis dum Anglia relicta in agrum Coloniensem, abjecto onere Abbatiali secessit in Abbatiam Arnsbergensem circa a. 1180. quam Joannes Crombach Societatis Jesu edendam curavit Coloniæ Agrippinæ 1667. 2. vol. in folio sumptibus Hermanni Mylii Bitchmanni in opere inscripto, *Vita & Martyrium Vrsulæ & Sociarum undecim millium Virginum* Illic tomo 2. libro 7. pag. 513. ad 644. libris duobus, quorum primus capp. 25, secundus capp. 29. continet *Passio sive Historia Vndecim millium Virginum*, Vniversis Christi Virginibus, sanctæ Ecclesiis pius filia-

filiabus dicata, quæ in *proœmio* anno 1183. scripta dicitur, quo tempore Richardus Præmonstratensis in agro Coloniensi morabatur. Author inquit Beatam Virginem se jussisse ut hanc Historiam fratribus Præmonstratensis Ordinis dedicaret, dicens, *illos amatores undecim millium Virginum & veneratores esse præcipuos.* Sciptor hujus Mythologiæ ita depingit genus Sanctæ Vrsulæ, genealogiam atque nobilitatem cum illius tum cæterarum sociarum, ut ævo ipsarum vixisse & cum illis integrum fatis modium consumpsisse videatur, unde modicum Richardi judicium arguas. Hoc autem Opus accepit Crombacius ex *Legenda Sanctorum Angliæ*, olim Londini anno 1516. in folio impressa, quam compilavit circa annum 1460. Joannes Capgravius Anglus, Ordinis Eremitarum divi Augustini Monachus, de quo posteà ad annum 1450. loquemur. Author *Bibliotheca Præmonstratensis*, Lib. 2. fol. 514. „narrat hunc Richardum ab onere (absque du- „bio) Abbatiali depositum, in Monasterio Arns- „bergensi, in Germania Coloniensis Diœcesis „quod ab Henrico Comite Arnsbergensi a. 1157. „in Westphalia fundatum fuerat, floruisse circa „annum Domini 1190. In quo cum vir erudi- „tus complura volumina in eodem Cœnobio „propriâ manu conscripsisset, in hujus Operis „mercedem, ingenti miraculo, à Deo honoratus „est. Manus enim illius dextra, vigesimo à „morte & sepultura illius anno, tam vivida & „illæsa reperta est, ac si recens ex animato cor- „pore præcisa fuisset, reliquo tamen corpore „corrupto, exeso atque corroso, & in favillam „redacto. Erat profectò divinæ clementiæ il- „lam manum servare à putredine, quæ ad salu- „tem fidelium atque in divinis laudibus operosa „semper extiterat. Ex quo satis superque con- „stat, quanta fuerit merces ejus laboris in cœlo. „Fuit autem hæc manus in testimonium tanti „miraculi, piè recondita, religiosè venerata, stu- „diosè fideliterque usque ad annum Domini cir- „citer 1583. asservata. Quo tempore Gebhar- „dus Truchses Coloniensis Archiepiscopus im- „proviso impetu in Arsbergense Cœnobium de- „sæviit, & quæ vis pia monumenta absentibus & „in fugam conversis fratribus disjecit, combus- „sit, abstulit: Sic ut agnosci vel reperiri amplius „non potuerit." Hæc nugamenta Joannes le Paige *in Bibliotheca Præmonstratensi.* Omnis autem hujus Miraculi authoritas, ex Cæsarii Monachi Hesterbacensis constat, qui illud refert libro 12. *Exemplorum* cap. 47. Illa autem quanta sit viris gravibus, norunt eruditi omnes. Agunt de *Richardo isto*, Cæsarius loco citato. Richardus Palsædius Distinctione 6. Exemplo 100. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 726. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. pag. 325. Thomas James *in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi*, in Indice Theologorum pag. 51. Aubertus Miræus *in Brevi Chronico Ordinis Præmonstratensis.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 426. editionis secundæ. Joannes le Paige *in Bibliotheca Præmonstratensi* Lib. 1. cap. 17. p. 305. & Lib. 2. p. 514. editionis Parisiensis a. 1633. apud Adrianum Taupinart in fol.

CLEMENS LANGTHON, Presbyter & „Canonicus Regularis, natione Anglus, an- „no Domini 1170. clarus, teste Balæo scripsit „Concordiam Evangelistarum libris 12. Com- „mentarios in Evangelia lib. 4. De alis Cheru- „bim lib. 1. In Canonicam Jacobi lib. 1. In Ca- „nonicas Petri lib. 2. In Canonicas Joannis lib. „3. In Canonicam Judæ lib. 1. Sermones eru- „ditos lib. 1. Epistolas ad diversos lib. 1. Lectu- „ras Scholasticas lib. 1. De orbibus Astrologicis „lib. 1. atque alia nonnulla. Claruit anno Do- „mini 1170." Hæc Balæus pro more suo. Nos autem his Catalogis vagis parum fidei adhibentes, ex his omnibus à Joanne Balæo appellatis, advertimus extare *Concordiam quatuor Evangelistarum Clementis Langthoni* MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Orientalis Cod. 17. & Cantabrigiæ in Collegio Pembrochiano Cod. 43. Item in Jacobæa Bibliotheca Codice 523. Clemens Lanthoniensis presbyter *De concordia quatuor Evangelistarum.* Et Codice 524 Idem *in Acta Apostolorum.* Item in MSS. Codicibus Collegii beatæ Mariæ prope Wintoniam, Codice 3. *Clementis Lanthonensis presbyteri Commentarii extant in 4. Evangelia.* Ejusdem *Glossa in Psalterium* MS. Oxonii in Bibliotheca S. Trinitatis, Cod. 10. Ejusdem Opusculum *De arte fidei Catholicæ* MS. Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 230. Denique *Commentarius prolixus in Epistolas septem Canonicas*, MS. in Bibliotheca Cantuariensis Archiepiscopi Lambethana, ut refert Henricus Wharton in Supplemento *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* Guillelmi Cavi, verbo Joannes Wiclefius ad annum 1360. pag. 54. ubi etiam habet *Harmoniam Evangelicam* à Clemente Presbytero Lanthoniensi Latino sermone contextam, à Joanne Wiclefo Anglice conversam, MS. extare in 4. penes Richardum Chiswell Bibliopolam Londinensem. Agunt de *Clemente Langthoniensi* Epitomator Gesneri *in Bibliotheca Scriptorum* pag. 157. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri* pag. 363. Thomas Jamesius *in Ecloga Oxonio Cantabrigia*, in Catalogo Librorum Theologicorum, pag. 43. Henricus Wharton loco citato, *Clementem Claudiocestrensem, Langthoniensem Canonicum Regularem* vocat, Carolus Dufresnius du Cange refert quoque *in Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 92. 1170

S. GILBERTUS DE SEMPRINGHAM, natione Anglus, circa hunc annum 1170. claruit, imò multò antè, atque aliquantò post, quippe qui longævam vitam duxerit. Fundator autem Ordinis Canonicorum Regularium Gilbertinorum in Anglia, qui diu satis sanctitate & regularibus floruerunt observantiis. Scripsit 1170

au-

autem *Constitutionum sui Ordinis libros duos*, quos habes *in Monastico Anglicano* nobili hujus temporis Collectaneo, cum Vita hujus Gilberti prolixa atque adeò insigniter scripta ab anonymo ejus discipulo. Hæc omnia tomo 2. ex tribus editis in folio Londini annis 1661. & 1673. apud Aliciam Varren. Mortuus est anno 1189. de quo plura apud Guillelmum Neubrigensem Lib. I. *Historia* cap. 16. Henricum Harpsfeldium, Centuria 12. cap. 37. Carolum Vischium *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 124. quem perperam suis Cisterciensibus accenset, uti posteà ingenuè fassus est. Seculum IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, pag. 737 in Catalogo illustrium Academicorum. Carolum Dufresnium du Cange, *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 102.

1170 BENJAMIN natione quidem Judæus, patriâ Navarrenus, Jonæ Tutelensis filius, quamvis nec Christianus nec Scriptor Ecclesiasticus fuerit, hic tamen à me recensetur, quod *in Itinerario* suo, qualis esset Status Judæorum inter Europæ Christianos hoc XII. seculo recenseat: quis eorum numerus in præcipuis Christianorum tunc temporis civitatibus esset: id quod ad hujus ætatis Ecclesiasticam historiam multum conferre potest. Claruit an. 1170. qui continuis itineribus plurimas regiones remotissimasque lustravit, sicut verbis ipsius sequentibus exponatur: & quocunque locorum perveniret, describebat quodcunque vel videret, vel à viris fide dignis audiret, quorum fama ad ipsas pervenisset Hispanias. Similiter multorum Magnatum, Principumque meminit, qui diversis locis degebant. Reversus autem hæc omnia secum in Castiliam detulit anno 933. id est Christi Servatoris 1173. Cæterum hic jam memoratus Doctor Benjamin perspicax fuit ac intelligens, legumque sacrarum peritus. Quacunque etiam in re eundem exactè explorarunt, qui post ipsum rem investigarunt, in ejus ore verba composita veraque fuisse deprehenderunt, fuit enim veritatis Sectator. Constantinus L'Empereur illius editor, hæc habet in Dissertatione ad Lectorem, editioni prævia, ad Authoris commendationem.

„Benevole Lector, cujus tibi Opusculum exhibeo, est BENJAMIN, de quo hæc invenio in „Jouchasin sive Chronico Abrahami Jaconthi, „fol. editionis Cracoviensis 131. *Rabbi Benjamin qui multum peregrinatus est obiit anno 933. sive à nato Christo 1173. Magnum illud luminare, cujus sol toti Israeli exortus est.* Vnde colligere promptum est, non diu post suum ex itinere reditum „super vixisse: siquidem eodem isto anno rediisse legitur, quemadmodum paginâ secundâ sequentis hujus Opusculi testatur. Plenius de „hoc viro in Tsemah David, sive Chronico Davidis Gans, partis prioris folio 55. *Benjamin filius Jonæ Tudelensis, qui multum peregrinatus est, profectus è regione Navarrena, continuo itinere peragravit omnes tres mundi partes, Europam, Africam & Asiam: & quocunque pervenisset, omnia perscribebat: quæ vel viderat vel ex fide dignis hominibus audiverat: eaque scripto consignans, commemorabat etiam nonnullos Magnates, & Judæorum in plerisque locis numerum. Quemadmodum omnia ista quæ memoravi, eo libro invenies excusa, cui titulus, Liber itinerum Benjaminis. Cæterum vir iste peritorum erat sapientissimus & rerum intelligens. Postquam autem ex itinere reversus esset, anno 833. sive Jesu Christi 1173. mortem obiit.* Hic nulla operis plenioris mentio, sed auctor tantum excusi itineris meminit: alterum illud opus quod nonnulli extare putant, alto silentio præteriens: quod tamen non fecisset, si Judæi illud alicubi extare, vel unquam extitisse credidissent. Ejus etiam inter alios mentionem facit Rabbi Isaac filius Aramæ *Commentariis in Genesim*, qui inter Judæos plurimi fiunt. Ita enim fol. 92. *Olim commemoravit Doctor Benjamin, Auctor Itinerarii, se propriis oculis vidisse, in urbe Bagdad, civitate maxima & amplissima, Israëlitarum multa millia, atque etiam dominatum ibi fuisse: quo verò die illorum Regis natalitia aguntur, principem è prosapia Davidis apud illum in secundo ipsius curru vehi, & cum magna gloria coram acclamari*, Parate viam filio Davidis. Verum non dicit *multa millia*, sed *mille*: nam pag. 70. hæc verba leguntur, *Illic Bagdadi mille ferme Judæi degunt.* Nec dicit Benjamin, quo die Muhammedanorum Caliphæ natalitia aguntur, Judæorum principem apud illum curru vehi, quasi ipsi similis esset: Sed quo die ipsum Exulum caput creatur à Calipha, ipsum curru secundario domum deduci, quemadmodum pag. 74. narratur. Deinde Benjamin pag. 72. ipsi acclamari dicit, cum Caliphum salutatum pergit: non verò cum Caliphæ natalitia aguntur, quasi tunc de ipso magis quam de Calipha, in acclamatione sua homines istius regionis solliciti essent. Nec omnia ista se vidisse Benjamin testatur, sed multa refert ex auditu ab aliis, quæ falsa licet fuerint, a Judæis posterioribus immensè amplificantur & adaugentur. «

Hujus excusi *Itinerarii* duæ sunt editiones, una Constantinopolitana, quam mihi suppeditavit pro suo singulari in me affectu, æternum Belgii decus, magnus ille Heinsius: altera est Brisgoiensis, quam incomparabilis vir Joannes Buxtorfius olim ad magnum Scaligerum transmiserat, Liber rarissimus, quem tamen Hebræorum magistris satis notum fuisse, docent tum præcedentium testimonia, tum etiam aliorum.« Hæc Constantinus L'Empereur de Hebræis editionibus *Itinerarii Benjaminis*. Hoc autem Opus ex Hebræo Latinum fecit Benedictus Arias Montanus, ac Antverpiæ apud Christophorum Plantonum anno M D LXXV. in 8. edendum procuravit. Denique Constantinus L'Empereur Sacræ Theologiæ Doctor & Ecclesiæ Lugduno-Batavæ Vallonicæ Minister divini ver-

verbi, itemque in Academia Lugduno-Batava Sanctæ Linguæ Professor, istud *Itinerarium Benjamini* Hebraice & Latine a se versum, anno 1633. apud Elzevirium in 8. edere fategit, cum Dissertatione prævia ad Lectorem, notisque ad librum amplissimis.

1170 PETRUS COMESTOR, CANONICUS AC DECANUS BEATÆ MARIÆ TRECENSIS, hac quoque ætate illuxit, qui perperam a quibusdam dicitur fuisse frater Petri Lombardi Parisiensis Episcopi Sententiarum Magistri, & Gratiani (ut vocant) Canonistarum Principis, utriusque Itali. Gratianus enim Etruscus ex oppido Clusio, Petrus Lombardus Insuber fuit, patria Novariensis: Gallus verò Petrus Comestor: qui tamen, ubi Galliarum natus fuerit, incertum manet. Scribunt enim aliqui fuisse illum Parisiensem, qui authoritate Ægidii in *Carolino* se tuentur, ubi sic habet.

Illum etiam è medio raptum proponere
possem,
Cujus nunc titulos Successor honore secundo
Pictaviensis habet &c.

Vbi loquitur Ægidius de Petro Pictaviensi, qui successit Hilduino Comestoris Successori, in Cancellariatu Parisiensi & Theologica Cathedra, quem *Comestorem* inter Parisienses accenset. Contra Henricus Gaudavensis Trecensem vocat. *Petrus*, inquit, *dictus Manducator, Trecis oriundus, studens utilitati in Theologia studentium, omnes Historias Veteris & Novi Testamenti breviavit, in unam Historiam quam vocant scholasticam.* Nec tantum id nominis ei datum est, propterea quod Decanus esset Trecensis, sed quod etiam ex urbe ipsa oriundus erat. Vtut sit, vir fuit in rebus præsertim Theologicis magni nominis, eumque inter præcipuos commendavit Petrus Cardinalis S. Chrysogoni Alexandro III. his verbis: *Litteraturam & honestatem Magistri Petri Manducatoris Decani Trecensis, vos non credimus ignorare.* Similiter Vincentius Bellovacensis „ad annum 1151. tanquam illustres commemorat „Magistros Petrum Lombardum & Comestorem, deque ultimo sic præsertim ille. Circa „idem tempus æstimo floruisse M. Petrum Comestorem, qui Scholasticam Historiam composuit, scilicet Historiam Sacræ Scripturæ breviter, & utiliter persequens, & difficultates in „plerisque locis prudenter exponens. Insuper & quædam incidentia ex Historia Josephi, „Judæi, & quorundam gentilium locis congruis „inserens. Nonnulla etiam alia Opuscula edidit, & hos sequentes versus in laudem B. Virginis eleganter composuit.

Si fieri posset, quod arenæ pulvis, & undæ,
Vndarum guttæ, ros, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, cœlicolæ, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Sylvarum rami, fraudes, aviumque plumæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces, angues & stæ,
Et lapides, montes, coovalles, [illegible]
cooes
Lingua cuncta forent, minime depromere
possent.

Hæc Vincentius, quæ præclara duxit, de Comestore, qui Cancellarius fuit Parisiensis Academiæ, ab anno 1164. usque ad suam mortem. Scripsit *Libros 4. Historiæ Ecclesiasticæ. Opus sermonum sermonum de Solemnitatibus festorum per anni circulum.* Obtulit *Historiam scholasticam* liberalissimo omnium litteratorum mœcenati Guillelmo ad albas manus dicto, Senonensi Archiepiscopo, qui postea Cardinalis, Remensisque Archiepiscopus fuit. De ejus Operibus sic Otho de Sancto Blasio Scriptor synchronus, „Librum scholasticæ Historiæ utilissimum confecit, a principio Geneseos incipiens, „Pentateuchum, librum Josue, Judicumque & „Ruth continuavit, libroque Regum Paralipomenon includens, cum ultimis Esaiæ Tobiam complectitur. Transmigratione cum morte Godoliæ & visionibus Danielis descripta, „Esdram, Esther, Judith, librumque Machabæorum diligenter persequitur. Exinde Josephum secutus, a Joanne Hircano usque ad „regnum Herodis, Nativitatemque Christi Historiam deduxit, Evangelioque complexo, in „Actibus Apostolorum totum concludit. Obscura quæque dilucidans, ambigua certa faciens, Ecclesiasticarum traditionum diversas „species inducit. Præter hæc librum sermonum mira subtilitate composuit, in quo præter alia utilia, moralitatem mentibus mortalium miro modo inculcavit.„ De sermonibus ejus amplissime loquitur seculum IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis*, pag. 374. quorum multos habuisse vult in publicis Parisiorum scholis, pro more istorum temporum. Qui sermones neutiquam eo ordine, quo conscribuntur hodie, sed tumultuario & confuso habentur, prout e suggestu diversis temporibus emanarunt. Addo hujus *Petri sermones numero CXIV.* MSS. inveniri in folio in Bibliotheca Longipontis, Ordinis Cisterciensis, in Episcopatu Suessionensi. Incipiunt ab his verbis, *Audi filia & vide & inclina aurem tuam &c. Tres legimus cælestis verbi auditores* &c. Advertendum autem est, sermones quos edidit Joannes Busæus societatis Jesu, sub nomine *Petri Blesensis*, & qui habentur in Bibliotheca sanctorum Patrum Coloniensis editionis, seculo XII. parte seu tomo 2. pag. 837. non esse vere *Petri Blesensis*, sed *Petri Comestoris*, ut recte annotavit Petrus de Gussanvilla, qui ultimo in Galliis, Opera Petri Blesensis edidit. Vnde etiam illos sermones missos fecit in editione illa *Petri Blesensis*, illos hoc modo

do authori legitimo testituens. Sermones *Petri Comestoris* in MSS. Codicibus aliquando plures, aliquando pauciores, nec eodem modo incipiunt, nec ordine eodem procedunt. Habentur nonnulli in MS. Codice Bibliothecæ S. Germani de Pratis, Cod. 381. qui incipiunt, *Erudimini qui judicatis terram. Nolite arbitrari, quod alienum a vobis sumpser m exordium, si enim dissimulare non vultis, vos estis qui judicatis terram* &c. & habentur inter impressos in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Coloniensis, sub falso nomine Petri Blesensis. Alii in Bibliotheca Sancti Victoris Canonicorum Regularium divi Augustini Littera Q Q. 19. Codice optimæ notæ. Inscribuntur *Sermones Magistri Petri Comestoris*, incipiuntque *Hodie Carissimi Adventus Domini sempus ingreditur, ex cujus sanctitate temporis* &c. Item alii ibidem, Littera Q Q. 22. *Sermones Magistri Petri Comestoris.* Incipiunt, *Sermo primus in Purificatione Beatæ Virginis, Adorno thalamum tuum Sion &c. Legimus ubi majus donum scientia, ibi gravius periculum culpa* &c. Nam ut videre est, alio atque alio modo procedunt in diversis MSS. Codicibus, ut Cantabrigiæ in aula Pembrochiana, Codd. 48. n. 1. & 3. 76. num. 1. Ibidem sermones habentur in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 4389. 4390. 4391. In Colbertina Parisiensi, Codicibus 3690. 4025. 4128. atque alibi, ut in Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis ter, Codicibus D. 2. D. 3. D. 4. in Bibliotheca Conchensi, Littera M. 1. & in Bibliotheca Monasterii AureæVallis Ordinis Cistercieniss in Ducatu Luxemburgensi, Cod. 69. Habent autem hanc specialem finiendi formulam *sermones Petri Comestoris*, qua facile ab omnibus aliis distigui possunt, nempe quod semper finiant per hæc vel æquipollentia verba, ex speciali affectatione sui authoris, *Præstante Jesu Christo Domino nostro, Rege nostro, Judice nostro, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem:* vel alias, *Quod ipse præstare dignetur Jesus Christus, Dominus noster, Rex noster, Judex noster, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem.* Possunt qui voluerint exprimi an verum dixerim, in sermonibus qui habentur sub nomine *Petri Blesensis* seculo XII. parte 2. *Bibliotheca Veterum Patrum* editionis Coloniensis anni 1618. & qui vere ad *Petrum Comestorem* spectant. Nam ex quinquaginta & uno, qui illic leguntur, unicus solus hoc *Comestoris* modo non finitur, atque haud dubium ex errore transscribentis. De anno autem, quo mortuus est *Comestor*, controvertitur maxime. Vult enim ac scribit Vincentius Bellovacensis cum aliis, illum obiisse anno 1160. quod falsum omnino est. Narrat autem Robertus Antissiodorensis in Chronico, *anno 1178. obiisse Magistrum Petrum Comestorem*, reclamantibus tamen nonnullis, qui eum volunt vitam traduxisse usque ad annum 1198. Hæ volunt Regulares Canonici Sancti Victoris ad muros Parisienses apud quos sepultus est, ex Commentariis suis domesticis, sed recentibus & mendosis: quibus accedit & Labbeus Jesuita recens, in Dissertatione historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Verum ut recte observat Cæsar Egassius Bullæus in Historia seculi quarti *Universitatis Parisiensis* fol. 443. quis credat Robertum, fere viginti annorum numero lapsum? Præsertim cum & Petrum Comestorem nosset saltem de fama, si non de facie, & iisdem temporibus floreret. Addas *Petrum Comestorem* Cancellarium Universitatis Parisiensis in Cancellariatu mortuum, ergo ante annum 1198. cum anno 1196. Petrus Pictaviensis, ejus post Hilduinum in Cancellariatu successor, subscripserit cuidam Instrumento, ut habet seculum IV. *Historiæ dictæ Universitatis* pag. 767. in Catalogo illustrium Academicorum. Denique inter *Petrum Comestorem* & *Petrum Pictavinum*, medius *Hilduinus* collocandus est: ex qua conficitur recte ab Roberto Canonico S. Mariani Antissiodorensis, ad annum 1178. referri mortem *Petri Comestoris*. Sed utcunque sit, de eo sic habet Robertus ad annum præfatum: *Petrus Comestor famosissimus Doctor obiit, qui testamento sapienter disposito, cuncta quæ habuit, pauperibus & Ecclesiis prorsus distribuit.* Hujus sepulchro hoc Epitaphium apud Victorinos habetur insculptum.

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor, vivus docui, nec cesso docere,
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum;
Quod sumus, iste fuit: erimus quandoque quod hic est.

Loquuntur de *Petro Comestore* plurimi, Henricus Gandavensis in libro suo *De viris illustribus*, & Aubertus Miræus in scholiis suis ad hunc librum, in Bibliotheca Ecclesiastica. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in Opere suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, quibus hic multa addimus. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tomo 2. pag. 247. verbo *Petrus Comestor*, quem anno 1160. floruisse ait, & recte ad nostram Chronologiam hoc loco stabilitam, revocantes quæ de eo scripsimus in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* pag 462. ubi eum ad annum 1190. collocaveramus. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. seculum 4. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1151. pag. 261. & ad annum 1169. pag. 374. denique anno 1178. pag. 443. quo eum mortuum esse censet, sicut & in Catalogo illustrium Academicorum pag. 764. Guillelmus Cavus in *Historia literaria scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1170. pag. 682. ubi cum errore vulgavi, illum anno 1198. mortuum putat.

JOANNES CORNUBIENSIS, natione Anglus, ex primis & celeberrimis seculi XII. 1170

Theologis, floruit anno 1170. vel circiter, ut testatur seculum 4. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis* pag. 750. in Catalogo illustrium Academicorum hujus scholæ, in qua studuit olim prætextu Cornubiensis. Scripsit Opuscula seu Opera duo, unum inscriptum *Eulogium ad Alexandrum Papam III.* Oxonii MS. in Bibliotheca Balliolana, Cod. 58. quod habetur etiam in celebri Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Parisiensis, Ordinis divi Augustini, Littera N. 18. fol. 65. cujus titulus rubricatis literis, *Eulogium Joannis Cornubiensis ad Alexandrum Papam III.* Prologus incipit, *Cum in prima Eulogii editione, propter Romanum quod tunc temporis imminebat Concilium, brevi nimis & sterili stylo functus* &c. Incipit Liber, *In Concilio Turonensi, quod dudum convocatis plerisque omnibus tam Anglicanæ quam Gallicanæ prælatis Ecclesiæ* &c. Vnde constat semel atque iterum circa Opusculum istud desudasse Joannem Cornubiensem anno circiter 1180. secundamque editionem Manuscripto Codice Victorino contineri. Nam ipso teste scripsit *unum* ex his Opusculis *De Christo homine* seu *De humanitate Christi*, instante Concilio Lateranensi anno 1179. ab Alexandro III. Romæ habito, atque *aliud* longe post Concilium, ut ipse præfatur: *unum* brevi stylo, *aliud* cultius & majus opinor, nempe uti ex otio compositum. Ac primum quidem ex his duobus Opusculis, creditur impressum inter Opera Hugonis Victorini, inscriptum *Apologia de Verbi incarnatione, quod Christus sit aliquis homo* &c. Abhorret quidem ab ornatu & methodo Hugonis Victorini minus scholastica, usque ad annum 1140. Sed argumentum Operis atque sterilis stylus, de quibus in editione sua secunda *Joannes Cornubiensis* se excusat, legitimas dant conjecturas Opusculum istud spectare ad *Cornubiensem*, qui idipsum argumentum bis agitasse ipso fatente legitur. Plura nos de isto Opere supra in *Hugone Victorino* diximus. Joannes autem iste Lombardi discipulus, in *Eulogio* quod Alexandro III. nuncupavit, testatur Lombardum in scriptis suis tradidisse multa, quæ in Tractatu Theologico Petri Abaëlardi continebantur, eumque sæpe in manibus habuisse. *Quod vero*, inquit, *a Magistro Petro Abaëlardo hanc opinionem suam Magister Petrus Lombardus acceperit, eo magis suspicatus sum, quia librum illum frequenter præ manibus habebat: & forte minus diligenter singula perscrutatus, ut qui ex usu magis quam ex arte disputandi peritiam haberet, falli poterat.* Laudat vero præsertim duos Theologos insignes, *Robertum de Meliduno & Mauricium tunc Parisiensem Episcopum*, quod nihil unquam docuissent Orthodoxæ fidei contrarium. Floruit igitur Joannes Cornubiensis ab anno circiter 1170. ad 1190. & ulterius. Idem hoc Opusculum secundum MS. cum Sermonibus Magistri Petri Maudmatoris, in Bibliotheca Conchensi Ordinis divi Benedicti, Littera M. 1. de quo Codice jam supra in *Petro Comestore* dictum est. Hujus Operis titulus, *Joannis Cornubiensis ad Alexandrum III. Papam Eulogium, seu Disputatio circa quæstionem in Concilio Turonensi coram illo ventilatam, quod Deus sit aliquis homo, & aliquid secundum humanitatem.* Ad eundem spectat aliud Opusculum, *Quomodo fiat sacramentum Altaris per virtutem sanctæ Crucis, & de septem ordinibus Missæ*, MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 178. Illud primo quidem impressum fuit anonymum cum Libris tribus *De ceremoniis, sacramentis, officiis & observationibus Ecclesiasticis*, sub nomine Hugonis Victorini, deinde postea immissum in Bibliothecam sanctorum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. Tandemque postea ad hallucinationis complementum, inter Opera Hugonis Victorini anno 1648. editionis ultimæ Rotomagensis, tomo 3. pag. 399. & sequentibus, quamvis reclamet specialis titulus MS. Anglicani. Quod placuit ultimo Victorinorum Operum procuratori, hoc placuit idem Bertrando Tissier viro seni quem novimus, qui Opusculum *Joannis Cornubiensis* excudendum curavit inter Opera *Guillelmi olim Abbatis Sancti Theoderici* ac postea Signiacensis Monachi: ex hoc solum, quod illud anonymum invenisset MS. inter alia ejusdem *Guillelmi* Opuscula. Augustinianis autem Canonicis atque Cisterciensibus Monachis, sibi mutuo Opusculum istud Anglicanum arrogantibus, accesserunt & Dominicani fratres, qui pro ea quam habent, facultate attribuendi sibi ac Sancto Thomæ, quidquid in Bibliothecis MS. anonymum inveniunt, Opus etiam istud inter Opuscula S. Thomæ Aquinatis, Angelici Doctoris ediderunt, ut legere est. Videant itaque tres isti Regularium Ordines, quis potiori vire, Joannem Cornubiensem Opuscula spoliaverit? Cujus mentionem faciunt Thomas Joannes in *Elloga Oxonio Cantabrigiensi*. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, pag. 862. Balæus, Pitseus, aliique Nomenclatores Angli. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Authorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 120.

MICHAEL ANCHIALUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, 1170 sedem hanc ab anno circiter 1164. vel 1165. tenuit, vir doctus, & Balsamone judice *Philosophorum summus*, teste tamen Allatio, *hostis Latinorum infensissimus.* Cum enim Imperator Manuel Comnenus videret augeri in dies schismaticorum procacitatem & contra Latinos insolentiam, indixit Constantinopoli anno 1166. Concilium, ut querelis sopitis modus inveniretur ad pacem cum Latinis conciliandam, & propulsarentur damna quæ illius Imperio ex dissidiis doctrinæ inferebantur. Sed ut inquit Allatius, *Michael Anchiali Patriarcha nefarius homo, Imperatorem a proposito specie pietatis avertit, quare nihil in ea Synodo conclusum est.* Colligitur ex Dialo-

Dialogo quem ipſe Patriarcha conſcripſit, in quo introducit Imperatorem, anxie pacem peroptantem, ſummis conaribus ad eam aſſequendam contendentem, ſeipſum vero ab ea dehortantem, & Latinos modis omnibus expoſtulantem. Summa Dialogi eſt, Ἐκ τοῦ Διαλόγου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ σοφωτάτου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως κυροῦ Μιχαὴλ τοῦ Ἀγχιάλου, πρὸς τὸν πορφυρογέννητον βασιλέα κύριον Μανουὴλ τὸν Κομνηνόν, ὅτε πολλοὶ τῶν Ἀρχιερέων ὑπὸ τὸν Πάπαν, καὶ Ἐπισκόπων καὶ Φρερίων εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατέλαβον, τῶν Ἐκκλησιῶν ζητοῦντες τὴν ἕνωσιν, καὶ μηδὲν ἕτερον τι ἀπὸ τῶν Γραικῶν ἀπαιτοῦντες, ἢ παραχωρῆσαι τῷ Πάπᾳ τῶν πρωτείων, καὶ τῆς ἐκκλήτου, δοῦναι δὲ τούτῳ καὶ τὸ μνημόσυνον. Principium, Πατριάρχης. Τίνα ταῦτα θειότατε βασιλεῦ. *Ex Dialogo ſanctiſſimi & ſapientiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, Domini Michaelis Anchiali ad Porphyrogennetam Imperatorem, Dominum Michaelem Comnenum, cum multi Antiſtites qui Papæ ſuberant, & Epiſcopi & Fratres Conſtantinopolim pervenerunt, Eccleſiarum unionem procurantes, nihil aliud a Græcis expoſcentes, quam ceſſionem Primatus ipſi Papæ, Appellationem, & illius Commemorationem fieri* &c. Ex his conſtat tria tantum in illa Synodo Romanos ſeu Occidentales petiiſſe, ex ipſa Dialogi epigrapho quam ſupra adduximus, & cui fides adhibenda eſt, diſcimus, πρωτεῖον, ἔκκλητον καὶ μνημόσυνον, *Primatum, Appellationem, & Commemorationem.* Sed quæ allegat Leo Allatius ad condemnationem Græcorum, faciunt illa ad Latinorum probrum ac dedecus, oſtenduntque illos contendiſſe, non *Orthodoxiæ* cauſa, ſed *ſuperbiæ:* cum *Primatus Appellatio & Commemoratio* a Græcis denegatæ, eſſent origines contentionum ac querelarum. Narrat idem Allatius ibidem circumferri *Epiſtolam* ejusdem Anchiali, *calumniis & conviciis plenam in Romanam Eccleſiam*, cujus rei fides apud Allatium ſit. Vide etiam quæ diximus ſupra in *Michaele Cerulario*, ad annum 1040. Extant quoque *Anchiali Decreta Synodalia V.* nimirum *Ne Lectores mundana officia ſuſcipiant, ne Clerici ex aliena Diœceſi ordinentur* &c. Græc. & Lat. in Jure Græco-Romano Lib. 3. p. 227. quæ probant Anchialum fuiſſe obſervantiæ Eccleſiaſticæ tenacem virum, neque tam improbum, quam Allatius nobis repræſentat, quod Latinos non ſaperet ſenſus & mores. Profert autem nobis fragmenta quædam ex hoc *Dialogo* Lib. 2. *De Conſenſu utriusque Eccleſiæ* cap. 3. §. 2. col. 526. cap. 5. §. 2. col. 555. cap 9. §. 3. col. 617. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 131. in MSS. Baroccianis pag. 186. Michaelis Anchiali Oratio in Imperatorem Manuelem Comnenum, Εἶτα ὁ μὲν ὄρνις ὁ ἀετὸς &c. Dicitur tenuiſſe ſedem Patriarchalem octo annos, ſeu usque ad annum 1172. vel 1173. quo mortuus eſt.

1170 HIPPOLYTUS THEBANUS circa annum 1170. claruiſſe mihi videtur, etſi ætatem ejus determinate non habeam. Recte irridet illos Allatius, qui cum S. Epiphanio antiquiorem ſentiebant, in Opuſculo *De Symeonum ſcriptis* pag. 38. his verbis. “*Cum itaque Symeonis ætas, ſi bene ſapimus, non ita antiqua ſit, concludamus Novatorum de Hippolyto ſuſpicionem levem ac futilem eſſe, etſi places, deliram. Nec plus vidit Franciſcus Bivarius Commentario in* Flavium Dextrum *anno 3. qui hunc Hippolytum, quem Thebanum appellat, ante Epiphanium ſcripſiſſe, parum caute faſſus eſt, quem nec legit quidem. Quomodo enim, qui Georgii Nicomedienſis, Symeonis Metaphraſtæ, & Georgii Chronographi multo Epiphanio recentiorum teſtimonio utitur, Bivario non dormienti, antiquior Epiphanio videri potuit?*” Ex verbis autem quibus utitur, dum citat Metaphraſtem, quem circa annum 1150. vixiſſe credimus, *Hippolytum* hunc *Thebanum*, bina circiter annorum decade poſteriorem credentes, anno 1170. aſſignamus, donec certiora quis indicia ætatis illius inveniat. Extant hæc *Hippolyti* verba apud Allatium in Diatriba *De Symeonum ſcriptis* pag. 33. Hippolytus Thebanus in *Chronico*. “Ἀριθμουμένων δὲ τῶν περιόδων ἐπληρώθη ἡ δεκάτη περίοδος ἐν τῷ πεντακισχιλιοστῷ τριακοστῷ εἰκοστῷ ἔτει. Ἀπὸ ξαμένης δὲ τῆς ἑνδεκάτης περιόδου ρπϛ ἔτη παρῆλθον, καὶ ἐσαρκώθη ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, ὡς ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας, καὶ τοῦ Μεταφραστοῦ περιέχει. καὶ παθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, τῇ κγʹ τοῦ Μαρτίου μηνὸς ἐσταυρώθη, τῇ κδʹ ἐτάφη, καὶ τῇ κεʹ ἀνέστη ἡμέρᾳ πρώτῃ, τουτέστι Κυριακῇ, ὡς ὁ Μεταφραστὴς δηλοῖ, καὶ ἡ βίβλος τοῦ Νικομηδείας. Ἐγὼ δὲ πείθομαι τοῖς λόγοις τοῦ Κυρίου Συμεών. *Enumerando igitur has periodos, decima completa eſt anno 5320. De incepta autem undecima periodo anni 186 abierunt, & humanam naturam induit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut liber Nicomedienſis & Metaphraſtes habent. Et propter noſtram ſalutem mortem paſſus, 23. Martii cruci affixus fuit, die 24. ſepultus, & 25. reſurrexit die prima, nimirum Dominica, velut Metaphraſtes & Nicomedienſis declarant. Ego autem fidem habeo ſententiæ Domini Symeonis.*” Quibus vocibus ſe non multum ab ætate hujus Symeonis Metaphraſtæ teſtatur, quem utpote recentis notæ hominem, *Dominum Symeonem* vocat. Sed cum expilaſſe videatur *Chronicon Symeonis Logothetæ Junioris*, quem anno 1150. collocavimus, hinc nos illum anno 1170. aſſignavimus, contra Cavum qui anno 933. affigit. Nullus autem qui pluribus loquatur de *Chronico Hippolyti Thebani*, quam Joannes Baptiſta Cotelerius in Notis ad Opera SS. Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, impreſſa in fol. Græce & Latine Pariſiis anno 1672. apud Petrum le Petit. Illic ergo ad calcem, Tomi 2. in Notis ad Librum 3. *Paſtoris Hermæ* col. 77. ſic loquitur. “Quibus ſimilia in Symeonis Logothetæ Chronico MS 2563. fol. 64. Codice vero 2004. hæc Hippolyto Thebano tribuuntur. ἡ πανάγιος Θεοτόκος ἐβαπτίσθη παρὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννου τῶν Ἀποστόλων,

αὐτοὺς

„αὐτοὺς δὲ τούτους ἐβάπτισεν ὁ Χριστός. *Sanctissima Dei genitrix a Petro & Joanne baptizata fuit, hos autem ipsos baptizavit Christus.* Quæ etiam citat Michael Glycas Libro posteriore Operis εἰς τὰ ἄπορα τῆς γραφῆς cap. 32. Extat id Opus MS. in Bibliotheca Thuana, compositumque est ex *Orthodoxa fide* S. Johannis Damasceni, adjectis nonnullis aliorum Patrum. Et in Notis ad Librum 3. Constitutionum Apostolicarum col. 199. Quod annotavi, tum propter Hippolyti Thebani Chronicon, Josepho tribuens filias, τοῦτο Ἐσθὴρ καὶ τὴν Μάρθαν, in impressis saltem libris Tomo 3. Antiquæ Lectionis Henrici Canisii, & in Bibliothecæ Regiæ MSS. 1026. 2442. Nam in ejusdem Bibliothecæ Codicibus 750. 2374. 2004. nec non in illo Thuanæ, cujus memini ad Lib. 3. *Pastoris*, Sim. 9. cap. 16. pro Μάρθαν legitur Θάμαρ, quemadmodum in Pseudo-Hippolyto Portuensi apud Nicephorum *Hist. Ecclesiastica* lib. 2. cap. 3. Et ibidem col. 201. Ita præter interpretem Joannis mox citandum, Hippolytus Thebanus in *Chronico Opere*, lib. Regio 1296. Μαρία δὲ ἡ τοῦ Κλωπᾶ, ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς τοῦ κυρίου προσαγορευομένη εὑρίσκεται ἐν τοῖς ἀντιγράφοις τῶν ἑρμηνευσάντων μακαρίων καὶ ὀρθοδόξων ἁγίων πατέρων καὶ διδασκάλων οὕτως, ὅτι ὁ Κλωπᾶς καὶ ὁ δίκαιος Ἰωακεὶμ ἀδελφοὶ ὑπῆρχον γνήσιοι. τοῦ Κλωπᾶ οὖν γεγαμηκότος καὶ ἀτέκνου τελευτήσαντος, ὁ Ἰωακεὶμ κατὰ τῶν Ἑβραίων ἔθος συνουσιάσας μετὰ τῆς τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ γυναικὸς, ἐγέννησε τὴν Μαρίαν. ἔκτοτε οὖν καταλιπὼν αὐτὴν, ἐμνηστεύσατο Ἄνναν τὴν θυγατέρα Ματθὰν τοῦ ἱερέως, ἐξ ἧς ἐγέννησε τὴν παναγίαν Θεοτόκον. καλεῖται οὖν ἡ Μαρία τοῦ Κλωπᾶ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς τοῦ Κυρίου, ὡς κατὰ φύσιν μὲν ἐξ Ἰωακεὶμ γεννηθεῖσα, κατὰ χάριν δὲ τοῦ Κλωπᾶ θυγάτηρ ἀκούουσα. Maria autem Cleopæ, soror matris Domini appellata. Sic invenitur in Exemplaribus beatorum Orthodoxorumque sanctorum Patrum & Doctorum, qui sacras scriptutas interpretati sunt, quod Cleopas & justus Joachim germani fratres fuerint. Cum autem Cleopas uxorem duxisset, ac sine prole mortuus esset, Joachim Hebræo more cum uxore fratris sui congressus, genuit Mariam. Ex quo tempore illa relicta, in sponsam accepit Annam filiam Matthanis sacerdotis, de qua suscepit sanctissimam Deiparam. Vocatur itaque Maria Cleophæ, soror matris Domini: utpote secundum naturam quidem ptognata Joachimo, secundum vero Legis gratiam audiens filia Cleophæ. Idem quoque in *Addendis* col. 494. litera D. Hæc quoque ex Chronico Opere Hippolyti Thebani excerpuntur MS. Regio 1296. Ἐγκωμιάζων δὲ τὸν Εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἱεροσολύμων ὁ μέγας Σωφρόνιος, διδάσκει τὴν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαν, ὅτι πατὴρ τοῦ Θεολόγου ὁ Ζεβεδαῖος ἦν, Σαλώμη δὲ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, θυγάτηρ οὖσα αὐτὴ τοῦ Ἰωσὴφ, ὃς τέσσαρας υἱοὺς εἶχε, καὶ θυγατέρας τρεῖς. υἱοὺς μὲν Ἰάκωβον, Σίμωνα, Ἰούδαν, καὶ Ἰωσήφ, θυγατέρας δὲ τὴν Ἐσθὴρ, τὴν Μάρθαν, καὶ τὴν Σαλώμην, ἥτις ἦν γυνὴ μὲν Ζεβεδαίου, μήτηρ δὲ Ἰωάννου. ἐντεῦθεν ὁ Σωτὴρ, θεῖος ἦν Ἰωάννου, ὡς ἀδελφὸς τῆς Σαλώμης τῆς θυγατρὸς Ἰωσήφ. Sanctissimus autem Patriarcha Hierosolymorum magnus Sophronius, Encomio celebrans Johannem Evangelistam, docet Ecclesiam Dei, quod pater Theologi extitit Zebedæus, mater vero illius Salome, ipsa filia Josephi, qui Josephus quatuor habuit filios & filias tres. Filios quidem, Jacobum, Simeonem, Judam & Josephum; filias vero Esther, Martham & Salomen, quæ fuit uxor Zebedæi, mater autem Joannis. Hinc Salvator erat Joannis avunculus, utpote frater Salomes filiæ Josephi."

Primus meo judicio qui mentionem facit *Chronici Hippolyti*, Nicephorus Callistus Xanthopuli filius, quem Continuator *Historia literaria* Guilelmi Cavi anno 1333. pag. 29. assignat: Sed sub nomine *Hippolyti Portuensis* Lib. 2. *Historia Ecclesiastica* cap. 3. cujus laudes & scripta Lib. 4. cap. 31. recenset, non autem sub nomine *Hippolyti Thebani*, unde conjicimus variasse Codices MSS. hujus *Chronici*. Secundus Michael Glyces 3. parte *Annalium* pag. mihi 227. loquitur de *Chronico* Hippolyti Thebani diserte, sed sctiptor hic recentissimus est, neque floruit anno 1120. ut male Guillelmus Cavus *Historia literaria* pag. 654. asserit: sed post annum 1430. ut constat ex Epistolis quas scripsit ad Constantinum Palæologum ultimum Imperatorum Constantinopolitanorum, qui anno 1453. in obsidione & strage hujus Regiæ urbis occubuit. Tertius Anonymus scriptor, cujus *Breves Demonstrationes Chronologicas*, vel potius *Farragines*, evulgavit Græce & Latine ex MSS. Codicibus Gallicanis, Franciscus Combefis Ord. fratrum Prædicatorum, in *Manipulo Rerum Constantinopolitanarum* pag. 1. editionis Parisiensis anni 1663. in 4. Hic recentissimus quoque scriptor pag. 3. & 4. de *Chronico Hippolyti Thebani* loquitur, occasione cujusdam statuæ incantatæ flammis intactæ, ac statuæ Crispi Constantini filii, quem Pater filio cum hac inscriptione posuisse dicitur, ὁ ἠδικημένος υἱός μου, *Filius meus injuria affectus.* Scripsisse mihi hic Anonymus videtur post artem typographicam inventam, cum dicat, καθὼς ὁ παραδείσιος διοικητὴς ἐκεῖσε κρατηθεὶς καὶ ἐκφυγὼν, δῆλα πεποίηκεν ἐν τῷ χρονικῷ Ἱππολύτου, τὸ τρίτον δημοσιευόμενον. ζήτει ἱστορίαν ἐξαίσιον. *Sicut vivarii Præfectus illic captus, ac fuga lapsus declaravit, in Hippolyti Chronico, quod tertio vulgatum est. Quære narrationem eximiam.* Istud enim verbum δημοσιευόμενον, indicat Chronicon istud *lucem publicam* ter habuisse juxta sctiptorem hunc, quamvis impressum nusquam legerim. Ex recentioribus mentionem faciunt *Hippolyti Thebani* Henricus Canisius Tomo 3. *Antiquæ Lectionis* pag. 35. Jacobus Sirmondus in Notis ad Sidonium Apollina-

linarem pag. 57. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* cap. 25. pag. mihi 293. ubi prudenter ætatem quæ floruit non designat, ipsum duntaxat Metaphraste quem citat, posteriorem affirmans. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* pag. 580. Et parte 2. ejusdem Historiæ ad eundem annum, qui ut assignatam a se Metaphrastæ ætatem stabiliret, hunc Hippolitum Thebanum absque ratione & authoritate, anno 933. affixit. Cum autem hujus *Chronici* Codices MSS. plures in Regia Galliarum Bibliotheca reperiantur, nec hucusque inventus ullus sit qui *Chronico* huic evulgando operam suam contulerit: colligo hinc Opus istud esse vel modicissimi vel nullius meriti, quod in tenebris alias tandiu non mansisset, si famam aliquam vel nomen evulganti conferre potuisset.

1170 MICHAEL ATHENIENSIS METROPOLITA, ejusdem ætatis mihi fuisse videtur, cum Constantino Manasse & Symeone Metaphraste quos anno 1150. assignavimus, Joanne & Isaaco Tzetzibus, quos an. 1160. cum Michaele Anchialo & Eustathio Thessalonicensi Archiepiscopo, quos hic adfiximus, cum Niceta & Michaele Choniatis, de quibus postea. Extant illius Opuscula, cum Opusculis istorum permixta inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia bibliothecæ, ex Codice Barocciano 131. ubi pag. 106. *Michaelis Metropolita Atheniensis Protheoria* Φιλολόγος ὁ τοῦ βιβλίου. *Ejusdem Epistola quinque.* Pag. 109. *Contra reprehendentes, quod agre adduceretur ad specimen ingenii sui edendum.* Pag. 113. *Encomium Niceta Choniata* Κωφὸς μὲν ἀνήρ. *Ejusdem Michaelis Oratio habita Athenis* pag. 136 Τὸν μὲν δὲ προσήκοντα. *Ejusdem Catechesis prima* pag 141. Τοὺς τοῦ. Pag. 147 *Sermo in Media Quadragesima* Καὶ ὁδοιπόρος ὀρθίαν. Pag. 148. *Sermo in festo Palmarum* Ὁ μὲν προφηλικωτατος ἐν βασιλεῦσι. Pag. 150. *Alloquium Nicephori Prætoris*, Τίς λαλήσει τὰς δυναστείας. Pag. 152 *Sermo cum primum inviseret Euripum Euboicum*, οἱ μὲν πολλοί. Pag. 154. *Ejusdem Epistolæ aliquot. Homilia de creatione hominis*, ἀσπάζομαί σε. *Sequuntur varia ejusdem Epistolæ* a fol. 158. ad fol. 170. *Michaelis Metropolita Atheniensis, lamentatio (ut videtur ex mentione Adyephi, cujus in Epistolis superioribus meminerat) demortui Atyphi fratris* ἀκέφαλος pag. 179. Meminit hujus Scriptoris Catalogus Manuscriptorum Codicum Bodlejanæ bibliothecæ, Codice Barocciano 131. pag. 15. columna 1.

1170 GEORGIUS METROPOLITA CORCYRENSIS, senior dictus ad distinctionem ab altero ejusdem nominis & sedis Episcopo, qui circa annum 1236. cum Fratribus Minoribus Disputationes habuit ad fidei Græcæ commendationem & doctrinam, quos Leo Allatius & Guillelmus Cavus imprudenter simul confuderunt. Hic Senior inquam anno 1170. claruit sub Manuelis Comneni imperio, de quo pluribus Leo Allatius in Diatriba *De Georgiis & eorum scriptis* pag. 339. quem paucis contrahit Guillelmus Cavus ad annum 1136. pag. 663. Nos autem hic Allatium verbotenus non pigebit exprimere, maxime cum Cavus annis XL. antiquiorem hunc Scriptorem faciat, quam revera fuerit, 'nc itaque Allatius. «Georgius Corcyrensis Metropolita sub Frederico & Manuele Imperatoribus, doctrina eruditioneque clarus innotuit, Romam ab Imperatore ad Concilium, post etiam si facultas data fuisset, ad Imperatorem Fredericum transmittitur. Sed dum ille infirmitate Brundusii Hydruntique per sex menses retardatur, Concilio Romano finis imponitur, ad quod loco illius Nectarius Abbas Monasterii Casulorum in Magna Græcia convenit, vir & dicacitate & pertinacia, & propugnando schismati Græcorum & erroribus, impudentia longe post natos homines improbissimus. Ex Brundusio scripsit Patriarchæ Antiocheno Symeoni, ut habet Baronius Tomo XII. anno 1178. Hinc Georgius ab Imperatore revocatur, primum ut suæ provideret Ecclesiæ, postmodum ut Synodo Constantinopolim a Patriarcha indictæ adesset. Scripsit *Epistolas plures ad diversos*, quas Federicus Mutius Termularum Episcopus, & Collegii Græcorum alumnus, ex MS. Codice hujus Collegii Romani, latinitate donatus, Cæsari Baronio Cardinali dederat, qui ex illis aliquas Tomo XII. *Annalium suorum* latinas inseruit, annis viz 1176. 1178. 1179. 1180. 1188. suppressis quamplurimis, quæ dubio procul historiam hujus seculi non parum illustrarent. Earum lectione plurimum delectabatur Mutius *delectat quippe*, inquit, *audire Græcum antiquitatis quidpiam redolentem, utinam & pietatis! Namque ipse Georgius erat Schismaticorum fuligine tinctus, & morbo affectus.* Scripserat præterea *Monodiam* de Nectario jam dicto per modum Epistolæ ad Nicolaum Hydruntis judicam, quam Latinè habet Baronius ad annum 1180. Maxima visitandi Hierusalem cupiditate exæstuasse, ex ejusdem ad Athanasium Patriarcham Hierosolymitanum, & Patriarchæ ad eundem litteris datis, editisque a Baronio, apparet.» Hæc verissima sunt, quæ hucusque de Georgio Metropolita Corcyrensi Seniore, Leo Allatius scripsit, sed obsurde fallitur, dum illi attribuit *Disputationes duas cum Fratribus Minoribus* ex MS. Codice Barberinæ bibliothecæ, quæ non anno 1136. factæ sunt, ut Allatius scribit: sed anno 1236. annis centum postea, ac annis circiter quinquaginta postquam hic Georgius floruit: qui cum annis circiter totidem Fratres Minores præcesserit, ad Georgium alium ejusdem nominis & sedis Episcopum, necessario ob magnam temporis medii intercapedinem pertinere debent. Hujus tamen Allatii, quem Cavus errantem sequutus est, verba

verba propria, errore detecto, referam. „Legi ipse ejusdem nonnulla adversus Latinos Opuscula in Bibliotheca Barbarina, inter quæ præcipua sunt: Ἀρχὴ ἐπισημειώσεων πρὸς ἅπερ ἠρωτήθημεν κατακείμενοι ἀσθενῶς ἐν τῇ ἁγίᾳ μονῇ τῶν Κασούλων παρὰ τῶν λεγομένων Φραρομινορίων, οἵτινες παραδιδάσκουσι καὶ παραδειγματίζουσιν εἶναί τι πῦρ καθαρτήριον ἐν ᾧ οἱ τελευτῶντες ἐν ἐξαγορεύσει μήπω δὲ φθάσαντες ἀποκλύσασθαι τὰ οἰκεῖα πλημμελήματα ἀπάγονται, καὶ καθαίρονται πρὸ τῆς τελευταίας κρίσεως. ἅμα προϊστῶντες σύμμαχον τοῦ τοιαύτου λόγου, καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Γρηγόριον τὸν Διάλογον. Καὶ ἡ μὲν πεῦσις τοῦ Λατίνου, ἐκαλεῖτο δ' οὗτος Βαρθολομαῖος, τοιάδε τις ἦν, θέλω μαθεῖν ἀφ' ὑμῶν τῶν Γραικῶν. *Initium Considerationum eorum, de quibus in Sancto Casulorum Monasterio male affecti, a Fratribus Minoribus interrogati sumus, qui perversa docent, & male adstruunt, esse quendam ignem purgatorium, in quem dum confessi moriuntur, nec propria crimina deplorarunt, exportantur ac repurgantur ante finale judicium, tandem aliquando pœna finem ante dictum judicium adipiscentes. Et hujusce dicti advocatum afferunt Sanctum Gregorium cognomento Dialogum. Interrogatio porro Latini, cui nomen erat Bartholomæus, hæc fuit: Cupio a vobis Græcis perdiscere.* Τοῦ αὐτοῦ δεύτερον σύνταγμα περὶ θείας κοινωνίας, ἐν ᾧ καὶ ἀπόδειξις ἁπλῶς ἐκ τῶν θείων γραφῶν, ὅτι ἔνζυμος ἄρτος τῇ ἐκκλησίᾳ παρεδόθη παρὰ τῶν Ἀποστόλων προσφέρεσθαι, ὃς καὶ μέχρι τοῦ ἁγίου Γρηγορίου τοῦ Διαλόγου τῇ Ῥώμης προσεφέρετο ἐκκλησίᾳ. Γράφει δὲ καὶ τὴν περὶ τούτου ἐν Κωνσταντινουπόλει γενομένην διάλεξιν, καὶ πῶς ἀντειπεῖν οὐκ ἠβουλήθησαν οἱ Λατῖνοι, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπῄνεσαν τὸν θεῖον ἄρτον τὸν ἔνζυμον. καὶ ὅτι εὑρεθείσης καὶ μερίδος ἐκείνου τοῦ ἄρτου, ὃν ὁ Χριστὸς ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ δείπνῳ ἐν τῷ τοῦ μεγάλου παλατίου σκευοφυλακείῳ, πᾶσα πρόφασις ἤρθη ἐκ μέσου. *Ejusdem secundus Commentarius de sancta communione, in quo ex ipsis sacris scripturis sincera demonstratio, Panem fermentatum Ecclesiæ traditum fuisse ab Apostolis ad oblationem, quemadmodum ad tempora Sancti Gregorii cognomento Dialogi, in Romana Ecclesia offerebatur. Prosequitur præterea Disputationem hac de re Byzantii habitam, & quomodo illi Latini contradicere noluerint, sed potius sanctum panem fermentatum laudarint. Et cum illius panis, quem Christus in cœna Discipulis tradidit, particula in Magni Palatii Sceuophylacio inventa esset, omnis contradictio de medio sublata sit.* Initium, Κοινωνικὸν μὲν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ τῆς ἰδίας φύσεως ἀδιάψευστος πέφυκεν ἐραστής. Liber erat satis antiquus in pergameno, lacerus, male compaginatus, & erroribus plenus, ab Joanne Nereteno anno Domini MCCXXXVI exscriptus, ut ex male conflatis in fine libri carminibus elicitur, quæ sunt,

Σοὶ Χριστὲ χάρις τῷ χαρίσαντι νόμον,
Πρὸς ἀχάριστον Ἰωάννην σὸν λάτριν,
ὑγιεῖ ὃν φύλαττε, καὶ πάσης βλάβης,
ψυχοφθόρου ῥύσαιο, τῇ σῇ δυνάμει.

Ἐγράφη τὸ παρὸν βιβλίον διὰ χειρὸς Ἰωάννου Νερετηνοῦ μηνὶ Ἰουνίῳ εἰς τὰς ιγʹ. ἡμέρᾳ παρασκευῇ ὥρᾳ θʹ ἔτει ͵ϛψμδ. τῆς ἰνδικτιῶνος θ. *Tibi Christe gratia, qui dedisti legem ingrato Joanni servo tuo, quem sanum conserva, & ab omni noxa animi corruptiva libera, tua potentia & virtute. Scriptus est hic liber manu Joannis Nereteni, die decimo tertio Junii mensis, Parasceve hora nona, anno VI. millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Indictione nona.* Ab his si demas annos V. MDCVIII. qui remanent, erunt anni MCCXXXVI. Christi, quod confirmatur ex Indictione VIIII. quæ anno præfato 1236. convenit.„ Si autem legeretur ut Allatius legit ͵ϛχμδ seu 6644. scriptus esset liber anno Christi 1136. uti post Allatium Cavus ad annum 1136. pag. 663. scripsit, sed Indictio designata tunc falsa esset, cum a. 1136. Indictio decima quarta concurreret. Itaq; certo ex Indictione IX. notata, legendum fuit, (ἔτει ͵ϛψμδ) non autem ͵ϛχμδ, uti male legerunt: hoc est anno Mundi 6744. qui cum Indictione IX. concurrit, non 6644. Quod autem scribit Guillelmus Cavus loco citato, Georgium Correyræ Episcopum scripsisse *syntagma contra Lationes de purgatorio igne*, cujus fragmentum ab eodem Allatio adducitur in Opere *De libris Ecclesiasticis Græcorum* Dissert II. pag. 134. opusculúm idem videtur, quod primo allegatum est, quodque *De purgatario igne* contra Latinos disputat. Hæc nos ex Leone Allatio verbotenus in Diatriba *De Georgiis & illorum scriptis* pag. 339. & Libro 2. *De Consensu utriusque Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis* cap. 11. §. 6. col. 662. sed erroribus correctis.

EUSTATHIUS THESSALONICENSIS ARCHIEPISCOPUS, natione Græcus, claruit circa annos 1170. 1180. & sequentes, sub Comnenis Imperatoribus, Manuele Comneno, Alexio Comneno filio, & Andronico Comneno Alexii Patruele. Vnde juxta Gerardum Joannem Vossium Lib. 4. *De Historicis Græcis* cap. 19. pag. mihi 491. spissus ille Marquardi Freheri ille error est, quando in Chronologiâ Juri Orientali præmissa, ait Eustathium hunc anno 1017. vixisse, atque ex Archipresbytero magnæ Ecclesiæ factum esse Patrarcham Constantinopolitanum ordine LXXIV. Doctrina rerum sacrarum & prophanarum celeberrimus extitit, cujus occasione Scriptoris corrigendus error Antonii Possevini, qui *in Apparatu sacro* Littera E. pag. 474. editionis Venetæ anni 1603. in folio, post diversos *Eustathios* Scriptis Ecclesiasticis celebres, *Eustathii quoque Thessalonicensis Archiepiscopi* meminit, sed tanquam ex numero Scriptorum Ecclesiasticorum excludendis, his verbis: *Eustathius Thessalonicensis Archiepiscopus non est aliquis suprà Scriptorum Eustathiorum, neque verè scriptum ullum, quod sciam, Ecclesiasticum edidit, ne ad hunc Apparatum sacrum pertineat: in libros enim Ho-* 1170

Homeri & Dionysii Poëma De Situ Orbis Græcos Commentarios reliquit. Hæc Possevinus, qui si scivisset *Expositionem* amplissimam *hujus Eustathii in Canonem Ecclesiasticum Sancti Joannis Damasceni*, latitare in augustissimâ Bibliothecâ Cæsarea, absque dubio etiam hunc Eustathium retulisset inter Scriptores Ecclesiasticos, non tantum velut *Homeri & Dionysii Alexandrini*, verum etiam ut *Sancti Joannis Damasceni explanatorem & interpretem.* Itaque inter manuscriptos Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, extat Codex chartaceus 298. in 4. utcunque antiquus & bonæ notæ, ab Augerio Busbeckio, ut ipse solita propriæ manus inscriptione testatur, Constantinopoli olim comparatus, in quo *Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi Expositio in Sancti Joannis Damasceni Canonem sive Canticum Jambicum Pentecosticum de Spiritu Sancto*, doctissima & amplissima, cujus Procemium inscribitur atque incipit hoc modo: Τῦ ἁγιωτάτε Μητροπολίτε Θεσσαλονίκης κυρίε Εὐςαθίε, τῦ τὸν ἐν Ποιηταῖς περιώνυμον Ὅμηρον ἐξηγήσαντ☉, Προοίμιον εἰς τὸν ἐξηγηθησόμενον Ἰαμβικὸν Κανόνα Ου Προοιμίε πρὸς τῷ τέλει κεῖται καὶ ἡ κατ᾽ ἐκεῖνον ἀκροςιχίς. Ἔοικας ὦ ἀδελφὲ, ἣν πρὸ μικρῦ διέτριβες πνευματικὴν ἀξίωσιν τριψημερῶν καὶ λαλῶν προμηθέςερον μὲν, ἡμέρα δὲ κατ᾽ ἐνενεγκεῖν, καὶ σπυδὴν ποιήσασθαι ἀγαγεῖν αὐτὴν εἰς ἐυτέλειαν. διὸ τὴν τοιαύτην γνώμην ὑπὸ σεαυτῷ Ἴλλων καθάπτις ἔφη, καὶ ὡς οἷον παραλαλῶν λεπβαλέη Φωνῇ· σήμερον ἐξελράνωσας, καὶ ἠθέλησας εἰς πρᾶγμα δλσεργον ἐμὲ προκαλέσασθαι, ὅπερ ἐςιν ἐξήγησις, εἴτυν διευκρίνησις ὕμνυ μελωδικῦ τῦ σήμερον ᾀδομένυ τῷ ἁγίῳ πνεύματι &c. Hoc Procemio decem foliorum finito, sequitur Acrostichis jam memorati Canonis, Θεογενὲς Λόγε, Πνεῦμα παράκλητον πάλιν ἄλλον &c. cum explanatione subjunctâ, cujus titulus & initium, Ἔννοια τῆς ἀκροςιχίδ☉. Τύτων δὲ τῶν τεσσάρων ἐπῶν, τὸ μὲν πρῶτον &c. Huic autem subjungitur ipse Canon cum Expositione hoc modo: Θείῳ καλυφθεὶς ὁ βραδύγλωσσ☉ γνόφῳ &c. Ἑρμηνεία. Κανονικῶς ὡς εἰπεῖν μεθοδεύσας τὸν παρόντα εἱρμὸν τῆς πρώτης ᾠδῆς ὁ σοφὸς ποιητὴς Ἰωάννης &c. Extat quidem iste Canon Græcè & Latinè in editione Operum S. Joannis Damasceni Billiana anni 1619. Parisiensi in folio, sed Commentarius iste Eustathianus amplissimus ibi deest, solumque manuscriptus in Bibliothecis paucis latitat. Duo etiam alia ejusdem Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi Opuscula Theologica, nimirum *Oratio ad eos qui erant in templo Sancti Demetrii cognomine Myroblyta in principio Indictionis, anno mundi 6702.* Et *Oratio ad Michaelem Stathmitem, Saccularium & Chartophylacem, quod sæpe cum melodiis celebrare debeant memoriam Sancti Martyris Demetrii*, recensentur ab Alexandro Barvoëtio Soc. Jesu, in Catalogo præcipuorum authorum ineditorum, qui Græcè manuscripti extant in Scorialensi Regis Catholici Bibliotheca. Editus autem hic Barvoëtii Catalogus, cum Homiliis novendecim Sancti Cyrilli Archiepiscopi Alexandrini, Græcolatinis in Hieremiam Prophetam, anno 1648. in 8. Antverpiæ, Plantinianis typis, ubi illa pagg. 32. 34. & 35. Item inter MSS. Codices chartaceos Basileensis Bibliothecæ *S. P. Eustathii Metropolitæ Thessalonicensis Homiliæ* in 4. Græcè, eleganter. Idem quoque Philippus Labbeus *in Specimine novæ Bibliothecæ Manuscriptorum librorum* pag. 184. & 186. edito Parisiis anno 1653. in 4. apud Joannem Henault. In hac *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum ac Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectam, idem Labbeus edendam curavit anno 1653. Parisiis in 4. apud dictum Henault, testatur Alexandrum Barvoëtium in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Hispanoregiæ S. Laurentii Scorialensis, parum æquam habuisse opinionem de Operibus Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi, qui seculi tamen XII. ornamentum magnum fuit. Hujus *Nova Bibliotheca* Supplementum III, pag. 175. posuit Catalogum a Barvoëtio Bibliothecæ Scorialensis editum, cujus Barvoëtii verba sequentia pag. 184. refert. *Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi Oratio ad eos, qui in templo erant Sancti Myroblytæ, id est, Demetrii, in principio Indictionis, anno mundi 6702.* (hoc est Christi 1194.) *aliaque plurima ejusdem ac aliorum quinquaginta ferè Scriptorum, sed ejusdem penè omnes ætatis ac farinæ, id est, Græciæ deficientis misera reliquia, quorum nomina utpote barbara mihi non omnia occurrunt, nec verò nosse vel apponere, opera pretium est.* Ibidem pag. 186. *Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi Oratio ad Michaelem Stathmitem Saccularium & Chartophylacem, quod sæpè cum melodiis memoriam Martyris S. Demetrii celebrare debeant.* 2. II. 9 pag. 17. Dum enim Barvoëtius Eustathium hunc Thessalonicensem Archiepiscopum *deficientis Græciæ miseris reliquiis* accenset, eruditioni ipsius celeberrimæ atque eloquentiæ injuriam enormem facit, quem Carolus du Fresne Dominus du Cange infra producendus, jure meritissimo Μαΐςωρα τῶν Ῥητόρων appellat. Extat etiam inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Oxonii in Anglia, in MSS. Baroccianis Codice 131. pag. 190. Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis Oratio in Imperatorem Manuelem Comnenum. Et pag. 195. Ejusdem Supplicatio, ut videtur, ad eundem Imperat. nomine Civitatis, cum siccitate laboravit. Incipit, Τολμηρὰ μὲν. Pag. 209. Eustathii, ut conjicere licet, lamentatio in obitu Fratris sui, ὦ πονηρᾶς &c. Ibidem pag. 504. *Eustathius De Ismenes amoribus.* Πόλις ἐυρυκάμης. Edidit quoque amplissima Commentaria in Homerum, quæ hic omittenda non sunt, prodieruntque Græcè 4. voluminibus in folio Romæ anno 1542. & 1550.

& Basileæ 3. vol. 1562 in folio & anno 1570. eadem forma. Romæ iterum 1576. 3. vol. in folio. *Commentaria in Dionysii Periegesin, seu Orbis descriptionem*, quæ prodierunt Græcè Parisiis anno 1547. in 4. apud Robertum Stephanum ex Bibliotheca Regia, & iterum ibidem in folio, anno 1577. Eidem quoque Eustathio à nonnullis attribuuntur *De Ismenia & Ismenis amoribus libri sex*, qui Græcè & Latinè cum notis Gaulmini prodierunt Parisiis, anno 1647. in 8. quamvis in Codice MS. Mediolanensi juxta Gerardum Joannem Vossium author horum librorum Eumathius Macrembolita Protonobilissarius nuncupetur. Cæterum Carolus du Fresne in Glossario Græco mediæ & infimæ Græcitatis col. 1295. tomo 2. illum fuisse *Magistrum Rhetorum* inquit verbo Μαΐςωρ τῶν Ῥητόρων, his vocibus, ubi & ejusdem Epistolas extare in Codice MS. Græco Bibliothecæ Regiæ Galliarum, Cod. 1837. fol. 239. recenset. Ita autem eo loci. „Μαΐςωρ τῶν Ῥητόρων, dignitas Ecclesiastica, „quâ donatus legitur Eustathius postmodum „Thessalonicensis Archiepiscopus, author Com„mentarii in Homerum, ita enim habet inscri„ptio Epistolæ ad Joannem Ducam Andronici „Camateri filium, Commentariis in Dionysii „Periegesim præfixæ. Ἐυςαθίȣ Διακόνȣ ἐπὶ „τῶν δεήσεων, καὶ Μαΐςωρος τῶν Ῥητόρων, τȣ͂ „καὶ ὕςερον γεγονότος Ἀρχιεπισκόπȣ Θεσσαλο„νίκης. Joannem verò Ducam filium fuisse An„dronici Camateri, qui Manuele Comneno Im„perante vixit, docuimus in Notis ad Cinnamum „p. 467. & 468. Ut & sub eodem Augusto & „Andronico tyranno floruisse Eustathium, „quod præterea innuit Demetrius Chomatenus „in Responsionibus ad Constantinum Cabasilam „Bulgariæ Archiepiscopum Lib. 5. & 6. Juris „Græco-Romani pag. 317. scribens, Manuele „Comneno imperante sapientissimum illum „Eustathium, qui Diaconus fuerat in æde S. Flo„ri, de quo egimus in nostra Constantinopoli „(ita enim hæc verba interpretor τȣ͂ κατὰ Φλῶ„ρον διακόνȣ ὄντος) deinde Magister Rhetorum „in Magna Ecclesia, electum fuisse Myreorum in „Lycia Episcopum, ac priusquam ordinaretur, „Imperatoris decreto in Thessalonicensem Me„tropolim tunc vacantem translatum fuisse. „In Codice Regio 1837 in quo plura continen„tur Michaelis Pselli Opuscula, atque in iis il„lius Epistolæ, harum altera quæ est 115. „inscribitur, τῷ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης, τῷ „γεγονότι Μαΐςωρι τῶν Ῥητόρων: in qua Eusta„thium laudat Psellus propter eruditionis præ„stantiam, hisce nimirum verbis, ἤκȣσα τῆς ἐν„νοίας ἡ χάρις, τῆς λέξεως τὸ γλυκὺ τῆς ἡδονῆς, „ἡ Φιλόσοφος Καλλιόπη. ἡ ἀμετάβλητος Φύσις, „ὁ αὐτὸς γὰρ ἐν Βυζαντίῳ, ἐν Θεσσαλίᾳ, πόῤῥωθεν „Ἀθηνῶν, πρὸς αὐτῇ τῇ Ἑλλάδι, ἐν γηλόφοις, ἐν „γηπέδοις, ἐν τεῤῥώσαις χώραις, ἐν αὐχμηρᾷ „γῇ, ἐ μεταβάλλων, ἐ μετατιθέμενος. Ex qui„bus eâ qua scribebat Psellus tempestate, in „Thessalia vixisse Eustathium colligitur: sed etiam ex his quæ sequuntur. Πάλαι μὲν ἐν„καθ' ἱςορίας, τῆς τȣ͂ μύρȣ ἐκδόσεως ἀπανταχόθεν„τῆς οἰκȣμένης πρὸς τὴν Θετταλίαν οἱ πλεῖς ἐ„φοίτων, νῦν δὲ πλέον, οἶμαι, αὐτόθι βαδιεῖσθαι„κατὰ κλέος τῆς τȣ͂ σȣ͂ λόγȣ ςαγόνος. Sed„& hic variis in locis illius eloquentiam prædi„cat: ἄμφω (Thessalonicenses & Eustathium)„μακαρίζω τῆς ἐυτυχίας, σὲ μὲν ὅτι ἔχεις ἐφ' οἷς„ἂν τὴν δύναμιν ἐνδείξῃ τȣ͂ λόγȣ. ἐκείνȣς δ' ὅτι„τοιέτȣ τετυχήκασι ἱερέως καὶ Ῥήτορος. Simi„lia ferè habet in Epistola 116. & 60. de Eustathii„præclare eruditione, cujus nomen diserte scri„bitur in Epistolis ejusdem Eustathii ad Psellum,„quæ in eodem Codice describuntur fol. 239.„hisce verbis, τȣ͂ πανιερωτάτȣ Μητροπολίτȣ„τῆς Θεσσαλονίκης κυρίȣ Ἐυςαθίȣ ἐπιςολαί.„ Extant quoque in Bibliotheca nostra Lugdunobatava *Commentarii Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis in Homeri Iliadem* libris tribus manuscripti, manu Adriani Junii descripti quos editioni paratos habebat. Sed cum illi venissent in possessionem Josephi Scaligeri, ex ejus dono ad Bibliothecam publicam pervenerunt, ex Catalogo MSS. Codicum impresso, pag. 392. num. 13. Cæterum fuisse plane seculo 12. insignem virum, atque post mortem ab Græcia omni desideratum Eustathium Thessalonicensem Archiepiscopum, constat ex duabus Monodiis Græce Manuscriptis, quæ extant inter MSS. Codices Bodlejanæ supra allatæ bibliothecæ, in Codicibus Baroccianis Codice 131. ubi pag 333. b. *Euthymii Monodia in sepulturam Eustathii Thessalonicensis* Ἐμὲ δὲ καὶ &c. quem Euthymium Zigabenum suspicari non absurdum est. Et pag. 382. *Monodia ad Eustathium Thessalonicensem* Anonymi Scriptoris, ὦ ςυγνὸς αἰών. Observandum est autem, editionem ultimam *Periegeseos Dionysii* cum *Commentariis Eustathii*, factam Londini a Guillelmo Hillo 1688. in 8. lacunam verò ingentem pag. 168. quæ in universis *Scholiorum Eustathii* editionibus occurrit ad versum Dionysii 889. & proximos 26. cujus Supplementum profert Joh. Albertus Fabricius *in Bibliotheca Latina* Hamburgi 1697. in 8 edita pag. 180. & seqq. depromptum ex Codice Bibliothecæ Claromontanæ MS. cujus apographum communicavit Sebastianus Gotfridus Starkius, vir eruditus. Quisquis de *Eustathii* ejusdem ætate, vita & Scriptis, plura scire desiderat, consulat is Nicolai Majorani *Præfationem* ad Julium III. Romanum Pontificem, atque Indicem Commentariorum Eustathii in Homerum, editioni Græcæ Romanæ anni 1550. in folio præfixum, denique & Gerardi Joannis Vossii Opus *De Historicis Græcis* Lib. 4. cap. 19. Sed maxime Lib. 2. cap. 3. ubi de Dionysii Periegesi diffuse agit, pagg. 171. 172. 173. 174. Hæc nos ordine tantum mutato verbotenus ex tomo seu lib. 5. *Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis*, quos Lambecius scripsit, pag. 264. qui & illius meminit in Catalogo pag. 324. & 365. post alios, de quibus egimus.

ADA-

1170 ADAMUS CANONICUS REGULARIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS, natione Scotus anno 1172. flurebat, & sequentibus usque ad annum 1180. Habet plurima de illo Godefridus Ghiselbertus, Furnensis Abbatiæ Ordinis nostri Canonicus, qui hujus Adami Opera ultimo edenda Antverpiæ euravit. Præcedunt enim Prolegomena capitibus XVII. prolixa, ubi nonnulla quidem de Adamo isto ex conjecturis tantum infirmissimis. Cætera pene omnia Ordinem Præmonstratensem in genere spectantia, quæ Flandrum hunc editorem produnt, impressionem hanc multis superfluis onerasse, ad propositum argumentum nihil conducentibus: unde artem canendi extra Chorum, apprime novisse censendus sit. Abbatem atque Episcopum Candidæ Casæ seu Withernæ in Gallovidia Adamum Præmonstratensem nullo teste facit, quem credant alii, credam ego fuisse talem, ubi vel Synchronum testem vel institutionis ejus aut electionis authenticum instrumentum produxerit. Quod enim de tam antiquis rebus dicitur, contemnitur dum non probatur, uti Ghiselberto contigit. Sane aliam Ecclesiam vel Abbatialem vel Episcopalem in Scotia regendam habuisse, conjecerim ego facilius atque felicius quam Ghiselbertus, ex allegando infra prologo ad Gualterum Sancti Andreæ in Scotia Priorem. Olim utebantur Celestini Galli antiquiores Opusculis Adæ Præmonstratensis ad informationem novitiorum suorum, quibus legenda & inculcanda proponebantur, unde factum ut illa sedulò requisiverint, interdum etiam transscribenda novitiis mandaverint, & hoc pacto posteris transmiserint, ob pietatem eorumdem singularem, quam ubique spirant: vix enim apud alios quam Celestinos Gallos, Opuscula ista manuscripta reperire contingat, quorum in Ordinis ipsius Præmonstratensis bibliothecis nullum vestigium est. Extat inter MSS. Codices Cuissiacensis Abbatiæ, Ordinis Præmonstratensis in Laudunensi agro, Codex MS. in folio circa annum 1200. in membrana, eleganter & nitide scriptus, quem anno 1663. dum illic junior Theologiæ incumberem ac otio dato bibliothecam excuterem, frequenter in manibus habui. Complectitur Sermones CXIV. vel circiter, omnes ferme ad Præmonstratensem ordinem spectantes, quorum alii in Dominicis, alii in Festis, alii in Capitulo Generali Ordinis Præmonstratensis, alii in Electione Abbatis, vel in Visitatione Abbatiarum Ordinis, facti leguntur. Hos ex conjectura Adæ Præmonstratensi adscribo, ob similitudinem argumenti cum sequentibus allegandis. Nec dubium quin nomen authoris fronti Operis appictum esset, sed nefaria manus alicujus ex ignaris Cuissiacensibus duos primos quaterniones abscidit, cujus primæ paginæ nonnulla manu meâ ad marginem notata reperiuntur. Scripsit *Commentarium in Regulam divi Augustini. Librum seu Tractatum De triplici tabernaculo. Alium De triplici genere contemplationis. Sermones varios per anni circuitum:* quæ omnia impressa in fol. Antverpiæ anno 1659. apud Petrum Bellerum. Dictio Adami hujus ornata satis est, nec periodi eloquentiâ cavent, nec doctrinâ Conciones. Scripserat Adamus, ut testatur in Prologo *Sermones centum* quorum XLVII. tantum impressi extant, cæterus autem LIII. vel circiter in manibus D. Hermanni à Porta Abbatis S. Michaelis Antverpiensis cum *Soliloquio ejusdem Adami de anima*, quæ editioni quam promptam optamus, ad Scriptoris hujus gloriam, parata sunt, ex duobus MSS. Gallicis. Habentur autem MSS. hæc Opera apud Celestinos Meduntanos, Codd. 618. & 619. ut nuperrime ab oculatis testibus ego didici: non quidem omnia quæ editioni Antverpiensi desunt, sed ex parte tantum, ut mihi Bibliothecam lustranti constitit. Nam in angulo secretiori MSS. Codicum, Codice notato 618. habetur hujus libellus. *Libellus Adam Præmonstratensis Ordinis, natione Anglici De instructione animæ*, fol. 63. Inscribitur autem, *Dominis suis Reverendis & amicis in Christi visceribus dilecta, viro illustri Domino Gualtero Priori & universis fratribus in Ecclesia Sancti Andreæ in Christi Servitio mancipatis, Frater Adam Dei & servorum Dei servus &c.* Liber incipit. *Soliloquium de instructione animæ intitulatum, quod nuper non quidem ut debui, sed prout in tot, tantisque occupationibus potui, ed. di vobis &c.*

Item in MS. Codice notato 619. Sermo fratris Adæ Præmonstratensis 4. feria in die Cin.

Quadragesimalis fratres carissimi jejunii hodie observationem inchoamus, quod nobis devotè accipiendum & Lege authoritas & Propheta maturitas, & ipsius Evangelii perfectio commendat &c.

Sermo ejusdem in Ramis palmarum

Redemptor noster fratres carissimi Dominus Jesus, quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum &c.

Sermo ejusdem in Cœna Domini.

Scitis carissimi & sine ulla interpretatione, in dulci & jocunda apud vos in ipsis mentis arcanis recordatione revolvitis &c.

Sermo Fratris Adæ Feria 2. in octavis Paschæ.

Sublimitas Dilectissimi, sancta hujus exigit solemnitatis, ut devotis &c.

Sequitur secundus in eadem die.

De duobus illis discipulis, qui ipso die sacrosancta Dominica Resurrectionis ibant in Castellum Emmaus &c.

Sermo ejusdem in Octavis Paschæ.

Omnia Carissimi quæ in carne, Dei filius operatus est, occasionem ut ipsi scitis & caussam salutis esse voluit &c.

Sermo ejusdem in die Ascensionis Domini.

Gaudeamus in Domino universi, quicunque nos credimus esse per fidem, quæ ex dilectione operatur, Dei hæredes &c.

 Ser-

Sermo ejusdem in die Pentecostes.

Cum certum sit Dilectissimi, auxilio nos indigere Spiritus S. &c.

Sermo Fratris Adæ in Festo Sanctæ Trinitatis.

Rerum omnium Conditorem, omnipotentem Deum nostrum, Trinum confitemur & unum &c.

Alius Sermo ejusdem in electione Abbatis.

Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium &c.

Sermo Fratris Adæ, De Sapidis sacræ Scripturæ deliciis, & de tribus ordinibus Ecclesiæ, & quibusdam quæ ad Marthæ spiritualis ministerium spectant.

Legimus fratres non solum in Scriptura sacra, sed in ipsa jugi experientia nostra &c.

Sermo Secundus, De his, quæ ad Marthæ ministerium pertinent, & qualiter dimisso ministerio suo, eadem se debeat Martha habere.

Oculorum Carissimi dia ut ipsi scitis claritatem conservare integram non valet, qui eos &c.

Sermo Tertius, De æterna prædestinatione electorum, & de eo quod eidem prædestinationi non præjodicent temporales culpæ eorum.

Terrorem Deus peccantibus districtius intentat, spem verò pœnitentibus propitius inspirat &c.

Sermo Quartus, De donis divinæ misericordiæ, & de diebus quatuor quos habuit Lazarus in monumento. De resuscitatione ejus, & de eo qood cum Donino in Bethania discumbit, quæ omnia ad Novitios spectant.

Encenia Fratres ut scitis, & dona solet multotiens sponsus cum absens est, transmittere sponsa &c.

Sermo Quintus, De conversatione virorum religioforum, qui in claustro commorantur.

Zelo prævalido Carissimi afficitur Christus circa animam, quam sibi in sponsam assumpsit &c.

Sermo Sextus, De perfecta quam habet anima fidelis erga Deum dilectione, & de septem generibus beneficiorum, quæ ei Deus conferre dignatur.

Isaias Propheta illo plenus Spiritu, quem Scriptura sacra unicum vocat & multiplicem &c.

Sermo Septimus, Alius de perfecta Claustralium conversatione, & de sanctitatis quam ad eos qui prope; & qui longe sunt, emittunt, odore.

Calendas vestras & sollemnitates vestras odit anima mea, dicit de impiis per Esaiam Deus &c.

Expliciunt Sermones Fratris Adæ, de Martha, Maria, & Lazaro.

Hi Sermones apud Celestinos Meduntanos, qui excerpti sunt ex secunda parte Sermonum Magistri hujus Adami, quæ ut jam dixi Sermones LIII. *De festis & variis argumentis* complectebatur: quorum transscriptum Antverpiæ vidimus, ut audimus desumptum ex MS. Codice Celestinorum Parisiensium seu Suessionensium, vel ut alii dicunt, Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis, ubi anonymi latere dicuntur. Hujus Scriptoris meminit Aubertus Miræus *in Chronico Ordinis Præmonstratensis*: Joannes le Paige *in Bibliotheca Præmonstratensi*, dom agit *De Scriptoribus* hujus Ordinis, libro 1. cap. 17. columnâ 1. editionis Parisiensis a. 1633. apud Adrianum Taupinart in folio. Antonius Possevinus, paucis quidem *in Apparatu sacro*: Guillelmus Cavus *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1160. pag. 679. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 80.

ALEXANDER PAPA III. anteà dictus 1170
Rolandus, Senis in Tuscia oriundus, quem vult Onuphrius cognominatum esse *Paparonem*, & Ciaconius *de Bandinellis*, factus primum Ecclesiæ Pisanæ Canonicus, quem ob insignem nominis famam acquisitam Eugenius tertius Summus Pontifex, anno 1145. Diaconum Cardinalem tituli Sanctorum Cosmæ & Damiani creavit, tum tituli Sancti Marci Cardinalem Presbyterum, quem denique idem Pontifex uti ob virtutis & doctrinæ merita, majorem omnibus officiis Ecclesiasticis Rolandum, sanctæ sedis Apostolicæ Cancellarium instituit. Legatione duplici sub Adriani IV. Pontificatu functus est, una ad Guillelmum Siciliæ Regem, ad Fridericum Imperatorem alterâ, de quibus abunde Baronius, cæterique *in Annalibus Ecclesiasticis*. Adriano tandem fatis functo, Alexander Papa III. invitus in sedem Sancti Petri infertur, quam electionem Prophetiæ seu prædictiones (ut dicitur) præcesserant. Evecto adversus eum Octaviano à tribus duntaxat Cardinalibus electo, ipse Alexander custodiâ includitur: sed ereptus à populo, eodem anno extra Vrbem solemni cœtu & ritu consecretur, qui confestim Octavianum antipapam ejusque sequaces ut Schismatis fautores, sententia excommunicationis fecit. *Exstabant* (inquiunt *Spondanus & Baronius*) *totidem libri Epistolarum ejus, quot numerati sunt anni Pontificatus. Cinalos enim invenimus in Collectionibus Decretorum, Librum decimum tertium & decimum quartum, sed omnes periisse dolemus: Licet sive in Collectionibus Decretorum, sive in aliis voluminibus diversorum authorum, multa sint reperire ejusdem Pontificis monimenta.* Testatur Henricus Gandavensis in libro *De viris illustribus*, ipsum Alexandum collegisse seorsim in volumen unum suas à se datas Epistolas Decretales, quas *Consulta Alexandri* voluit nominari, quod opus nunc non reperitur. Reperiuntur tamen passim plures *Decretales Epistolæ Alexandri Papæ III.* in MSS. Codicibus Bibliothecarum, ex quibus *Trecentæ quadraginta* & amplius impressæ extant in Collectione ultimâ Conciliorum omnium editionis ultimæ Parisiensis Labbeanæ, tomo X. ad annum seculi XII. 1159. & sequentibus, colum. 1188. & col. 1854. atque aliæ alibi. Nec dubium quin plures adhuc

huc successu temporum inveniantur, quæ prelo committantur. Hic anno 1181. sexto Calendas Septembris, sive ut alii volunt, duodecimo Calendas Octobris mortuus est, post sui Pontificatus dignissimam functionem, cum sedisset annis viginti duobus, diebus decem exceptis. Quisquis plura de hoc Pontifice voluerit, volvat *Annales Ecclesiasticos* Cæsaris Baronii ab anno 1159. ad 1181. quibus sedi Romanæ Alexander cum laude & fructu universalis Ecclesiæ præsedit.

1170 IOANNES DIACONVS LATERANENSIS ECCLESIÆ, claruit temporibus Anastasii IV. Adriani V. & Alexandri III. Romanorum Pontificum, scripsit librum *De Ecclesia Lateranensi* dedicatum huic Alexandro III. cujus in præfatione testatur, se nihil scripsisse, nisi quod librum *De sanctis Sanctorum ex archivo renovatum* produxisset, *nec ullatenus superstitionis causa aliquas novitate præsumptionis inserere: sed simpliciter antiquam seriem scribendo conservans, si qua alia superaddit, illa sunt dubio procul, quæ vel ipse jam per quinque lustrorum spatia, in hac sacrosancta basilica, in Canonicali proposito vivens, oculis propriis vidit.* Scriptum igitur hoc opus post annum 1170. vel circiter, quod ex MS. Codice edidit Joannes Mabillon Parisiis 1689. in 4. Tomo 2. *Musæi Italici*, in Appendice Ordinis Romani pag. 560. & sequentibus. Testatur autem se fuisse coævum Anastasio IV. Romano Pontifici, qui anno 1153. die 9. Julii electus, anno 1154. die 2. Decembris mortuus fuit. Ille cap. 12. p. 571. testatur adfuisse Anastasio citato, *dum corpora sanctorum Cypriani & Justinæ recondidit in altari suprà dictarum Virginum Rufinæ & Secundæ, dum pro inveniendis corporibus earum, quærere & fodere ipsis præcepisset.* Hinc colligitur in hoc libro interpolamentum adjectum duobus capitibus, cap. 1. ubi de Alexandro Papa IV. an. M CC LX. agitur pag. 564. & cap. 11. ubi de Bonifacio Papa VIII. anno M CC XCVII. mense Februario, pag. 570. Simplicis fuisse hominem fidei, patet ex enumeratione Reliquiarum, capp. 14. & 15. cujus meminit citatus Mabillon, Commentario in Ordinem Romanum cap. 2. pag. 9. nec alius quem noverim.

1170 ECBERTVS SCHONAVGIÆ ptimum Monachus, Patria Trevirensis, qui ei posteà Abbas Sancti Flotini in eodem Episcopatu Trevirensi extitit, post annum 1170. clarus, nomen suum posteris commendavit, librum dum scripsit *De transitu seu obitu sanctæ Elisabeth sororis suæ germanæ*, anno 1628. Coloniæ editum, quæ anno 1165. ætatis suæ 36. die 18. Julii mortua legitur. Opus hoc Ecberti junctum cum *Libris Visionum & Revelationum S. Elisabeth*, de qua nos ad annum 1160. supra diximus. Anteà etiam hic Egberti liber editus fuerat Parisiis, cum *Revelationibus Sanctæ Elisabethæ* quibus subjunctus fuit anno MD, ab Henrico Stephano Roberti Parente, litteris clarissimo. Vir clarissimus pariter Godefridus Guilielmus Leibnizius, edidit anno 1707. Hanoveræ in folio apud Nicolaum Fœrsterum *Scriptores rerum Brunswicensium illustrationi inservientes*, inter quos *Vita Beati Heimeradi Presbyteri & Confessoris auctore Egberto* pag. 565. & 576. Agunt & de Egberto seu Echeberto hoc Jacobus Philippus Bergomas in *Chronico* ad annum MCLVII. Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag 430. ultimæ editionis anni 1651. Denique Guilielmus Leibnitius citatus, *in Introductione prævia* ad Scriptores à se productos, §. seu c. 37.

IOANNES BERARDVS, Monachus Ord. 1170
divi Benedicti in Abbatia S. Clementis Piscariensis, claruit ab anno 1163. & seqq. qui anno Christi 1170. scripsit *Chronicon S. Clementis Casauriensis sive Piscariensis Abbatiæ.* Est autem *Piscaria insula*, quæ vulgò Pesquaire vocitatur, in Aprutia ulteriori ad mare Adriaticum sita, ubi Abbatia S. Clementis, suis etiamnum decorata privilegiis, sed quæ amandis hinc Monachis omnibus, qui juxta fundatoris piam voluntatem, illic Deo laudes diu noctuque persolvebant, uni Commendatorio Abbati subest, reditus cunctos sibi nunc vindicanti. *Chronicon* istud *Casauriensis sive Piscariensis Monasterii* Ordinis divi Benedicti à Ludovico II. Imperatore anno Domini 854. conditi, auctore Johanne Berardi ejusdem Abbatiæ Monacho, ad annum 1182. ex Chartis potissime collectum tribus libris protenditur. Edidit Lucas Dacherius Parisiis 1661. Tomo V. *Spicilegii* à pag. 361. ad 531. Nullus de auctore ambigendi locus, qui seipsum multis locis prodit. Anno enim 1163. *Chronici* pag. 510. inquit *Alexandrum 3. Romanum Pontificem è Francia Romam reversum, ad quem Dominus Leonas Abbas quemdam fratrem Johannem, Berardi cognomine, in ipso Cœnobio à pueritia nutritum, & regularibus disciplinis instructum, visitandi gratiâ direxisse, per quem impetravit privilegium tutelæ & defensionis contra eos, qui Piscariense Monasterium ostendunt atque molestant, ad instar prædecessorum suorum, qui eidem Monasterio privilegia indulserant.* Anno 1170. Chronici pag. 517. *Ipse idem Abbas instituit ut Festum Inventionis S. Clementis Martyris tertio Kalendas Januarii recolendum, supra scripto fratre Joanne Berardi suggerente atque rogante. Similiter fecit de festo Cathedræ ejusdem gloriosi Pontificis, ut decimo Kalendas Februarii celebretur.* Eodem anno 1170. testatur se aggressum esse jussu Leonatis Abbatis ordinare *Chronicon ejusdem* S. Clementis Martyris Abbatiæ, Ita pag. 529. *Hunc quoque librum Instrumentorum seu Chronicorum, quem ego Frater Joannes composui & ordinavi, & Magister Rusticus scripsit, ipso permittente, imò jubente ac adminiculante perfecimus.* Hic annus ergo 1170. quo Chronicon complevit, licet ad annum 1182. seu mortem Leonatis Abbatis, paucis lineis protendatur. *Chronicon Sancti Clementis Casauriensis sive Piscariensis Abbatiæ* con-

contulit Lucæ Dacherio ad editionem Antonius Vion Dominus d'Herouval, vir in discutiendis ævi anterioris scriptis versatissimus, qui aliis prodesse magis quàm laudem sibi conciliare continuò satagit, quippe omni ipse laude superior. Illud ex ingenti volumine elegantissimis characteribus ante annos D. exarato, quod omnes Monasterii complectebatur chartas, excerptum est. Auctor siquidem Johannes Berardus, ejusdem Monasterii Monachus Benedictinus, summatim ordine chronologico, quæ prolixius referunt Chartæ, marginibus ascripsit, historiamque contexuit: sed præter ea quæ Piscariam spectant, additis serie Imperatorum, Regum ac Principum, bellis quoque & cladibus ac depopulationibus locorum, variisque eventibus. Præcipua diplomata, nempe Regia, & Pontificia Privilegia, rati nec injucunda nec inutilia Lectori fore, inseruimus. Ac fane Author ipse opus suum *Librum Instrumentorum seu Chronicorum* vocat, nimirum quod ex *Instrumentis Authenticis* ad Abbatiam Piscariensem pertinentibus *Chronicon* suum Johannes Berardus composuerit. Allatam suprà *Historiam de fundatione Casauriensis Monasterii* edidit primum in Gallia Franciscus Duchenius Tomo III. *Scriptorum Historiæ Francicæ Coætaneorum* duobus libris p. 544. & 549. tum post illum Ferdinandus Vghellius *Italiæ sacræ* tomo VI. pag. 1291. & seqq. sed uterque sub Anonymi nomine, eo quod Duchesnium & Vghellum, viros alioquin eruditos, *Berardum* Historiæ hujusce auctorem fuisse latuerit. Erat ipsa in eo volumine MS. cujus suprà memini, post Prologum sub hoc titulo, *Pars prima & secunda Chronici Piscariensis.* Hos autem libros seu partes hac de re prætermisimus, quod illæ jam impressæ sint: unde post Prologum Lucas Dacherius *Partem tertiam* operis in tres libros distinctam tantum edidit Tomo V. Spicilegii pag. 364. ad 531. cum alias duas jam alibi editas habeant eruditi. Agit pluribus *de Johanne Berardo* Lucas Dacherius in Præfatione ad Tomum V. *Spicilegii* Num. XI. à pag. 20. ad 29. quò Lectorem remittimus.

1170 ROMVALDVS SALERNITANVS ARCHIEPISCOPVS scripsit *Chronicon* adductum usque ad annum 1177. quod nullibi ut opinor impressum est: quia à nobis ubique gentium post inquisitionem plurimam factam, inveniri non potuit. Quando autem claruerit Romualdus, ex eo apertum est, quod unus fuerit ex Legatis Guillelmi Siciliæ Regis ad Venetos missis, ut inter Fridericum Barbarossam & Alexandrum Papam tertium, transigeretur. Adducit ex eo quædam Baronius in Annalibus ad annum 1084. ut & ad annum 1177. quo ea legatio contigit, ita ut illis quæ hac de re scribit, præsens interfuerit. Vbi se gemino hujus Scriptoris Codice MS. usum esse ait, Salernitano uno, altero Bibliothecæ Vaticanæ. Illud quoque Chronicon citatur aliquando in observationibus ad Concilia ultimæ editionis, seculo præsertim XII. de quo vide Gerardum Joannem Vossium lib. 3. *De Historicis Latinis* parte ultima cap. 7. pag. mihi 781. Extare quoque MS. hoc *Chronicon Romualdi* in Bibliotheca Galliarum Regia, testatur Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 145.

PETRVS DE RIGA, Canonicus & Cantor 1170 primum Beatæ Mariæ Rhemensis, deinde Canonicus Regularis Ord. divi Augustini in Abbatia Sancti Dionysii Remensis, natione Gallus, patriâ Vindocinensis, florebat ut vult Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Autborum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 138. ab anno 1160. Anno autem 1170. ut vult Guillelmus Cavus *in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad 1170. pag. 682. quam inter Doctores sui temporis doctissimum vocat Joannes Trithemius. Cum floreret ille eodem tempore quo Petrus Canonicus & Cantor beatæ Mariæ Parisiensis, inde factum est, ut sæpe confundantur tam in titulis MSS. Codicum, quam etiam in assignandis operibus. Scripsit Carmine vario *Auroram* vel *Bibliothecam* inscriptum Opus, quo plurimos Sacræ Scripturæ libros exponit carmine prorsus pro seculo insigni, quod MS. in multis Galliarum, Angliæ atque Germaniæ Bibliothecis reperitur. Hujus quindecim MSS. Codd. in Bibliotheca Galliarum Regia, nempe 4139. 4140. 4141. 4142. 4143. 4144. 4145. 4146. 4392. 4393. 4394. 4395. 4396. 4397. 4398. Duo MSS. Codices in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Ordinis divi Benedicti. Plures in Colbertina & Victorina. Idem MS. in Bibliothecis Præmonstrati, Bonifontis Cisterciensis, & Bellævallis Præmonstratensi Ordinis bis, in Episcopatu Remensi. In Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Lugdunensium. Ac nullus authorum, qui tantum & tam frequenter transcriptus sit, quamvis Opus verè egregium impressum non sit. Ecloga Thomæ James quam Oxonio-Cantabrigiensem appellat, recenset exemplaria quatuor hujus *Auroræ* MSS. Libro 2. pag. 53. Oxonii in Bibliotheca Magdalenæ Cod. 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii Sancti Benedicti, Codd. 43. 371. & 395. Hujus Petri *Auroram* ad varios MSS. Codices collatam, olim editioni paratam habui. Nullus sanè, qui tanto successu, *Scripturam* Carmine reddiderit. Ejusdem *Tropi & phrases Scripturæ* MSS. in citato Collegio S. Benedicti Cantabrigiensis, Cod. 395. Idem inscriptum *De Tropis Theologicis*, MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Littera GG. 13. & Littera E. 17. Item inscriptum *Summa De tropis coquendi*, MS. ibidem, Littera PP. 10. & B. 6. Incipit, *Videmus nunc per speculum & in ænigmate &c.* Sed spectat hoc Opus ad Petrum Cantorem Parisiensem, ut infrà dicemus, Librariis & exscriptoribus sæpe Petrum Cantorem Parisiensem cum Petro

de

de Riga Cantore Rhemensis Ecclesiæ, perperam confundentibus. Ambrosius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana* ad annum 1263. pag. 19. hunc Petrum Remensem absque authoritate & ratione suis Ordinis Prædicatorum fratribus assignavit, eam forsitan ob causam quod MS. *Auroræ* hujus Petri in Bibliothecis quibusdam fratrum Prædicatorum Conventualibus inveniatur. At mortuus erat Petrus de Riga ante Ordinem Dominicanorum natum, quem alii ferè omnes claruisse circa annum 1160. alii circa 1170. ut Cavus asserunt, qui parcè admodum ac disjectè de Petro Rigano locutus est. Hæc ego tantum in primo hujus Operis molimine, sed latius *de Aurora Petri Riga* loqui, opeⷬ pretium duximus, editione ista altera, quæ ad compendium non cogit. Auroræ totius Carmine expressæ vario, Prologus prosaicus incipit, *Frequens sodalium meorum petitio, cum quibus conversando flores meæ infantiæ exegi, ut Librum &c.* Ordo *Auroræ* talis est qualem depingit Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. fol. 265. verbo *Petrus Riga*.

In Genesim incipiunt carmina

Primo facta die, duo, cœlum, terra leguntur:

Et firmamenti Sphæra sequente die &c.

Incipit Exodus.

Hæc duodena Patrum sunt nomina, qui quasi plebis

Semina Judaicæ, tot tribuere tribus &c.

Incipit Leviticus.

Vox autem Domini Moysen vocat, imperat illi

Ut sua verba ferens, plebis in aure serat &c.

Incipiunt Numeri, seu Liber Numerorum.

Alloquitur Moysen Deus, & jubet ut numeretur,

Omnibus ex tribubus, fortis ad arma cohors &c.

Incipit Deoteronomium.

Hæc sunt verba quibus Moyses instruxit Hebræos,

Et velut altera lex, dicitur illud opus &c.

Incipit Liber Josue.

Post Moysen Josuë populo dominatur Hebræo:

Terram quam Moyses non dedit, ille dedit &c.

Incipit Liber Judicum.

Post Josuë de Judicibus narratio fiat,

De quibus auxilium sumpsit Hebræa tribus &c.

Incipit Liber Ruth.

Ad Ruth festinat Petri stylus, hujus ut actus

Depingat tenui carmine, sermo brevis &c.

Incipit in Libros Regum.

Post Librum de Judicibus, sacra lectio tractans

De Regum titulis, nobile ponit opus &c.

Incipit in Canticum Canticorum.

Solus Origenes cum doctos vinceret omnes

In libris aliis, tamen in libro Salomonis &c.

Incipit in Librum Thobiæ.

Qui legis Historiam Thobiæ, discute sensum

Qui latet, ex petrâ longa fluenta bibes &c.

Incipit in Librum Danielis.

Postquam subjectos sibi Rex Babylonis Hebræos

Vicit & afflixit, ense, dolore, fame &c.

Incipit Liber Judith.

Eustochio, Paulæque favens Hieronymus, actus

Transtulit insignes, historiamque Judith &c.

Incipit Liber Esther.

Donec ad Æthiopum terras veniatur ab Indis,

Rege sub Assuero subdita terra fuit &c.

Incipit Prologus Machabæorum.

Magnus Alexander quo primum Græcia Rege

Floruit, è terris magna trophæa tulit &c.

Incipiunt Recapitulationes Veteris Testamenti. Et primo agitur per versus sine A.

Principio rerum post quinque dies, homo primus,

Conditus in sexto creditur esse die &c.

tum sequuntur aliæ sine Littera B, aliæ sine C. aliæ sine D. & sic consequenter cum exclusione omnium litterarum Alphabeti. Opus quidem ingeniosum & laboriosissimum, sed cujus carmen haud ita purum, tersumque esse potuit.

Incipit Prologus in Novum Testamentum.

Post legem veterem respira Petre, refulget

Lex nova, fac versus de novitate novos &c.

Incipit Prologus super actus Apostolorum.

Dixi me finisse librum, sed rursus in Actus

Poscor Apostolicos, continuare stylum &c.

Incipiunt Actus Apostolorum versibus Leoninis Hexametris.

Tiberii nono decimo regnantis in anno,

Dum serviret adhuc diro Judæa Tyranno &c.

Hæc autem duo ultima Poëmata *in Actus Apostolorum* falsò Lucas Wadingus Alexandro de Villa Dei Minoritæ attribuit, cum illa sint pars hujus *Auroræ* Petri de Riga, qui multis annis Alexandrum de Villa Dei præcedit.

Author Magni Chronici Belgici, ait eum obiisse Remis anno 1209. atque fuisse Canonicum Regularem Ordinis Divi Augustini in Ab-

Abbatia Sancti Dionysii Remensis, & *Bibliothecam* cognominatum. Vulgò tamen in MSS. Codicibus Clericus aut Cantor aut Presbyter Remensis appellatur, qui patriâ Vindocinensis erat. Ita hic author, sed fuisse illum *Canonicum Regularem*, argumentum decretarum est auctoritas Ægidii Parisiensis Poëtæ, qui aliquanto post mortem *Petri de Riga*, correxit *Auroram* ejus, cui contemporaneum illum fuisse, eumque olim familiarem habuisse & amicum, satis probabile est. Hic itaque Ægidius qui circa annum 1210. vel 1220. imò & an. 1100. ut posteà dicemus, scribebat, in Prologo quem ad *Auroram* à se correctam præmisit, incipiente *fraterna charitatis quasi quandam sapie dulcedinem &c.* expressè Petrum de Riga fuisse Canonicum Regularem S. Dionysii Remensis, his verbis ait: *Dicimus imprimis quod quidam Canonicus Regularis Sancti Dionysii Remensis, Petrus nomine, Riga cognomine, juxta illud,*

Petrus Riga vocor, cui Christi petra vigat cor &c.

Hæc nos ex MS. Codice Sancti Victoris Parisiensis, Littera KKK. 27. fol. 62. ubi dicta *Aurora* Petri Rigæ cum Commentariis & correctionibus Ægidii Parisiensis. Initio autem Operis hujus præmittitur hic in fronte versiculus.

Incipit hic Riga Bibliotheca Petri.

Opus verò istud utpote sacrum, proponit legendum Scholaribus, in locum prophanorum authorum.

Ergo Poetarum potius quam dicta canora,
Hæc cibi proponi, turba Scholaris ama.

Et in fine Operis, rogat corrector Operis Magistros Parisienses & Aurelianenses, ut illud suis discipulis prælegant.

Quæ tibi dat tellus metra Vindocinensis alumna,
Prælege Parisius, Aurelianis habe.

Et paullò ante ad librum & ad versus suos sic ait.

Vobis Hexametris absit Gualteridos uti
Pentametris elegis Vindocinensis amat.
Vos elegi magis elegi, quia legis amicos
Vos metricè metricâ censeo lege legi.

Viderat Cæsar Egassius Bullæus ut refert seculo 4. *Historia Universitatis Parisiensis* fol. 768. in Catalogo illustrium Academicorum, MSS. Codices duos hujus authoris apud M. Jacobum Mentellum Doctorem Medicum, manu alicujus Magistri glossis & scholiis illustratos: sicut & vidimus unum suprà dictum in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, alterum in Bibliotheca Præmonstrati, & apud Bellam Vallem alios duos, quæ in Archiepiscopatu Remensi est. At opinor hos versus *Auroram* in Scholis commendantes, non spectare ad *Petrum de Riga*, sed ad Commentatores, eo quod in pluribus *Aurora* MSS. Codicibus & antiquioribus non compareant, ut ipsi vidimus. In MS. Bellæ Vallis post *Auroram* subjiciuntur sequentia, quæ desunt in antiquiori MS. Bonifontis Ordinis Cisterciensis in Thierascia.

Oratio Petri Rigæ, qui Librum composuit.

His te Petre tui merito mediante laboris
Consociet Christus, communeretq; bonis.
Ut cum te luteo solvet de carcere, regni
Consortem faciat, participemq; sui.
Quæ ne fraudari possit mercede, beatè
Vivere te faciat, & sine labe mori.
Amen.

Item Oratio cujusdam, qui diruta redintegravit.

Me simul in serie qui libri rupta redegi,
Nec comes, at servus hic tibi Petre fui.
Si quis sum taceo, volo namq; tacere, minusq;
Mundi, plus oculis cognitus esse Dei.
Novit autem Dominus ob publica commoda fratrum,
Quis super hoc motus, qualia vota tuli.
Cumque sit illud opus, quod nonnisi cælitus hausit
Mens tua, divinum turba beata canet.
Fratribus hoc factum pro commoditate legendi,
Si qua tua est merces, in regione poli:
Me quoque munificet propter suppleta libelli,
Portio perpetui, quantulacunq; boni.
Et tu Lector habe partem precis hujus, utriq;
Si nostrûm cupias, idque preceris agi.
Dicito, fiat: ego respondeo sic cupientem
Te quoque contingat, hac prece posse frui.
Amen.

MARTINUS DE LAUDUNO, VALLIS SANCTI PETRI PRIOR, Monachus primum Ordinis Carthusiani tum Prior hujus Carthusiæ Vallis Sancti Petri, in Episcopatu Laudunensi Galliæ, ex ipsa urbe Lauduno oriundus unde cognomen habuit, vir in Divinis Lectionibus mirum in modum exercitatus, tum vitæ quoque conversatione eximiè pius, circa annum 1170. claruit, ad 1180. & ultrà. Cujus insignem & prolixam *Epistolam Paraneticam* edidit in lucem Theodorus Petrejus Coloniensis Carthusianus, ex meris nimirum Sacræ Scripturæ verbis & sententiis sibi invicem mirabili studio artificioque connexis decerptam ac cuidam novello Carthusiensis Ordinis tyroni dicatam, in qua illum hortatur ad perseverantiam. Prodiit primum Coloniæ apud Antonium Hierat anno 1607. estque paucorum quaternionum, unde postea transiit illa in editionem ultimam & amplissimam *Magnæ Bibliotheca Veterum Patrum* editionis Anissonianæ Lugdunensis anni 1677. in Supplemento seu tomo XXVII. Collocandus seculo XII. quo floruit, ut in Indice notatur. Cujus Opusculum hocce Carmine nonnemo commendavit. 1170

Si

Si quis Epiſtolium leget hoc mirabile, diſcet
Quanta bonis caſti cura ſit eloquii.
Nota magis nulli domus eſt ſua, quam venerando
Illius authori, pagina ſacra fuit.
Nullum etenim ſenſum aut dictum, vix denique verbum
Quod non contineant Biblia ſacra, tenet.
Multa tamen divo tenet admiranda Platoni,
Quæ meritò ſtupeat, doctus Ariſtoteles.
Multaque Sanctorum decretis conſona Patrum,
Tradidit è ſacris ſumpta voluminibus.
Multa quidem divus Bernardus dogmata fudit,
Codice divino, Canonicisque libris.
Doctoresque alii præclara volumina paſſim
Munivere ſacris viribus eloquii.
At nullum legi qui ſenſa tot accumulavit
E ſacris verbis, author ut iſte, maris.
Hoc igitur proprie meruit Carthuſia laudis,
Novit ut e ſacro Codice ſola loqui.
Sed quidquid meruit, petit ut referatur ad illum
Vnde datum plenum manat, & omne bonum.

Cæterum de *Martino Laudunenſi* ita Poſſevinus tomo 2. Apparatus ſacri: *Martinus Laudunenſis, Vallis Sancti Petri Carthuſianus ob ſanctitatem celebris, hortatoriam Epiſtolam, ſive libellum ſcripſit, quo Novitium increpat, cogitantem priſtinum Ordinem laxiorem repetere, è quo ad Carthuſianos venerat.* De illo quoque Theodorus Petrejus in ſua *Bibliotheca Carthuſiana* verbo *Martinus de Lauduno* pag. 238. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Authorum*, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 130.

1170 PETRVS CELLENSIS, CARNOTENSIS EPISCOPVS, clarus fuit ab anno circiter 1154. quo Abbas primum Cellenſis ad muros Vrbis Trecenſis, poſtea Remis apud Sanctum Remigium anno 1162. Hugone mortuo, electus eſt. Porro cum prudenter per annos circiter novendecim Abbatiam Sancti Remigii Remenſis, & per annos octo Cellenſem in Suburbio Trecenſi adminiſtraſſet, anno 1182. Joanni Sarisberienſi in Epiſcopatu Carnotenſi ſucceſſit, id quod commendatione Guillelmi Cardinalis & Remenſis Archiepiſcopi qui Petrum intime noverat, factum eſt. Illum adhuc Abbatem Cellenſem Nicolaus Claravallenſis Monachus Epiſtola XXV. ſic commendat. *Abbas Cellenſis, vir religioſus ac timens Deum, homo bonus & teſtimonium bonum habens a bonis, vita & litteratura conſpicuus, nobis quoque ſancta familiaritate devinctus, ut non ſit unus de cæteris, ſed præ cæteris unus.* Poſt exceſſum Hugonis, Abbas Sancti Remigii Remenſis anno 1162. renuntiatus, adduxit ſecum aliquot inſigniores ex Monachis ſuis ad Abbatiam novam novis columnis inſtituendam & ſuſtultiendam, qui tyrocinium ſub eo expleverant. Inter quos inſignis quidam Fulco memoratur, quem Dania in Archiepiſcopum Lundenſem expetitum obtinuit. Extitit autem Abbatia S. Remigii ſub ipſo Abbate, doctiſſimum hominum domicilium, in quo ob inſtructiſſimam tunc temporis bibliothecam inſigniora ingenia ſeculi hujus præter literarum ſtudia jucundiſſima otio plerumque oblectabantur. Vnde idem Petrus ad Hilarium Epiſcopum Exceſtrienſem ſcribens, cum ingraveſceret in S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum perſecutio Henrici Angliæ Regis, Lib. 5. Epiſtola 4. hæc ait: *Si magna illa bellua evomuerit vos de terra veſtra, eſt apud nos domus nova vobis parata, cum omni ſumptu, ſine auro & argento, ubi & copiam librorum & ſtudendi etiam pro libitu invenietis.* At aliter accidit. Tantum enim abeſt, ut Hilarius ille S. Thomam exulem ſecutus ſit, quin Metropolitanum e contra impugnaverit anno 1164. in Conventu Clarendonienſi, atque adverſus eum Orator miſſus ſit ad Alexandrum III. ſummum Pontificem, tunc Senonis in Gallia agentem. Idem quoque Petrus fovit alimentis, multisque ſibi beneficiis devinxit Joannem Sarisberienſem poſtea Carnotenſem Epiſcopum, ut ex Joannis Sarisberienſis Epiſtola 85. conſtare poteſt, quem etiam idem Petrus Cellenſis Lib. 7. Epiſtola 6. ad Lundenſem Archiepiſcopum, appellat *Clericum ſuum*. De quo plura nus ſupra diximus in *Joanne Sarisberienſi Epiſcopo*. Tanti Petrum Abbatem faciebat Henricus a Campania Remenſis & antea Senonenſis Archiepiſcopus, ut cum Romam Alexandrum Papam III. comitaturus anno 1164. pergeret, officium ſuum ſeu vicariam omnem ei per abſentiam commiſerit, ad regendum omnimode Remenſem Archiepiſcopatum, ut patet ex lib. 6. Epiſtola 9. Hoc conſtat etiam ex Epiſtola 8 libri 1. qua noſter Petrus Regi Suecorum, Ducibus quoque ac Principibus ſe excuſat, quod Fulconem Epiſcopum, Monachum quondam ſuum, ac in clauſtrali religione ab eo enutritum, apud ſe per aliquod tempus detinuerit, ob eam potiſſimum cauſſam, quod cum Domino Archiepiſcopo Remenſi Romam pergens, ipſi Petrus Abbas officium ſuum ſupplere commiſerit. Cum autem in dedicatione Eccleſiarum, vel in ordinatione Clericorum, aut in Confirmatione Chriſtianorum, Abbatis non aſſurgat dignitas, implevit per Fulconem Archiepiſcopum, quod per ſe non poterat. Hinc ad ſuos Fulco Eſtonum Epiſco-

piscopus rediit, qui Sueciæ tunc regno adhærebant: Inde patet quam insignis schola fuerit, Abbatia S. Remigii, sub Abbate Petro. Idem doctrina & pietate insignis, memoriam S. Bernardi Claræ Vallis Abbatis adversus Nicolai cujusdam S. Albani in Anglia Monachi insultus, errorem Sancto Abbati circa immaculatam Beatæ Mariæ Virginis conceptionem impingentis, strenue propugnavit: ut in illius Epistolis legere licet, lib. 6. Epist. 4. & 23. & lib. 9. Epist. 9. a Sirmondo in lucem editis: inter quas tamen, nisi fallor, desideratur illa, quæ huic contentioni occasionem præbuit. Monachum, de quo hic quæstio, Adamum fuisse patet ex duabus Nicolai Clarevallensis Epistolis, ad Petrum Cellensem Adami nomine scriptis, quas exhibet tomus XII. Bibliothecæ SS. Patrum editionis Coloniensis, ordine 19. & 20. inter præfati Nicolai Epistolas. Amabat itaque impense viros eruditos Petrus Cellensis, contra calumniatores & hostes protegebat, litteris etiam ipse ac concionibus incumbebat: unde Theobaldus Parisiensis, manu ejus & ingenio usus est ad conciones texendas, ut olim quidam alii Episcopi Salviano apud Gennadium. Cum frons & chorus Ecclesiæ Remigianæ suæ ea structura non esset, quæ eximium Francorum hunc Apostolum decerent, eas partes magnificentius construere statuit, ex Epistola 4. libri 9. & Epist. 22. lib. 8. *Nobilem Ecclesiam nostram tam in fronte, quam in ventre, cui caput secundum se deerat, fabricandam suscepimus.* Nec minus fallicitus fuit de publicis rebus. Episcopus Carnotensis factus: extat enim hujus Epitaphium in Abbatia de Josaphat, ubi anno 1187. die undecimo Calendas Martii humatus jacet.

Mœnibus & plateis Vrbem insignivit & auxit,
Et variis Præsul, tecta superba locis.
Hunc pia plebs habuit tanti, pietatis amore,
Oscula mille suis ut dederit pedibus.

Vnde Calendarium Carnotense 9. Kalendas Martii, *Obiit pia recordationis Dominus Petrus Carnotensis Episcopus, qui prius fuerat Abbas Sancti Remigii Remensis, qui antequam banni consuetudinem Theobaldo Comite assentiente, reformavit.* Hic igitur ille Petrus, qui Carnuti plateas ac muros maxima ex parte cum publicis ædificiis, sumptibus suis extruxit." Sed quod illi quoque decus immortale parit, eximia sunt ejus Opera quæ adhuc extant, & nuperrime simul collecta sunt in 4. Parisiis, studio Domini Ambrosii Janvier seu Janvarii, Monachi Congregationis Sancti Mauri in Gallia, studiis antiquitatis & Veterum Patrum editionibus recentibus & accuratis clarissimæ. Scripsit *De panibus, de Tabernaculo & de Conscientia*, quæ Opuscula tria Parisiis anno 1600. in 8 ex Bibliotheca Nicolai Fabri Parisiensis primum prodierunt. Ejusdem *Libros novem Epistolarum* postea Jacobus Sirmondus Lutetiæ edidit, Notis adjunctis, anno 1613. in 8. apud Sebastianum Cramoisis, cum *Alexandri Papæ III. Epistolis octo & viginti.* Extant hæc omnia tomo XII. Bibliothecæ Veterum Patrum, a Coloniensibus anno 1618. apud Antonium Hieratum editæ. Denique scripsit *Librum de disciplina claustrali ad Henricum Campaniæ Comitem, sermonesque plurimos & graves de tempore & de Sanctorum festivitatibus:* quæ tandem omnia Petri Opera novissime impressa sunt, Parisiis anno 1671. apud Ludovicum Billaine in Aula Palatii, studio & curis Ambrosii Janvarii Monachi Benedictini, Congregationis Sancti Mauri. Huic *Petro Abbati de Cella* Bernardus Epistola 293. Saresberiensis Epistola 75. & 76. Nicolaus Claræ Vallensis Epistolis 20. 24. & 28 scribunt. Vocatur ab eodem Saresberiensi in Epistola ad Henricum Comitem 172. *fidelissimus ac devotissimus Abbas.* Eidemque ut Abbati Sancti Remigii, idem Sarisberiensis, Epistola 280. Et Alexander Papa III. passim. Stephanus Tornacensis, ejusdem ut Episcopi Carnotensis, meminit Epistola 136. Obiit tandem Petrus anno 1187. undecimo Kalendas Martii, ex Necrologio B. Mariæ Carnotensis, sepultus in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Josaphat, Ordinis divi Benedicti. De quo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 370. pag. mihi 252. Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tomo 2. in Episcopis Carnotensibus. Et tomo 4. in Abbatibus Cellensibus & Sancti Remigii Remensis. Guillelmus Marlot Sancti Nicasii Remensis Prior, tomo 2. *Metropolis Remensis* Lib. 3. cap. 2. pag. 390. & cap. 18. pag. 456.

HENRICUS DE CASTRO MARCIANO 1170
ALBANENSIS EPISCOPUS, natione Gallus, quamvis illum patria fuisse Lombardum quibusdam placeat, cum ab adolescentia in Claravallensi Monasterio sub Bernardi Abbatis disciplina vixisset, ipso (ut opinor) vivente Abbas Altæcumbæ in Sabaudia ordinatus est. Hic autem Henricus anno 1161. testis cum Rodulfo Agauni Abbate reperitur, in instrumento seu charta qua Abbates Abundantiæ & Sixti, declarantur subjecti Ardutio Gebennensi Episcopo. Huic post Gerardi Abbatis obitum seu interitum, qui anno 1177. contigit, ad Claræ-Vallis Abbatiæ administrationem evocatur. Quin etiam apud Alexandrum III. summum Pontificem, litteratorum & proborum promotorem, tantam promeritus est gratiam, ut non ita multo post, purpura donatus, Episcopus Cardinalis Albanensis consecraretur. Vnde cum Petro Sancti Chrysogoni Cardinale & Episcopis quibusdam in Gallia agentibus, anno 1178. Tholosam adversus Albigenses legatus est: quo in munere, quæ ad divinum cultum spectabant, sedulo restauravit, & Hæreticorum arces summa animi fortitudine expugnasse dicitur: qui neque quamdiu in claustro fuit, otium & inertiam passus est. Scripsit insignem *Commentarium de peregrinante civitate Dei* inscriptum,

ptum, quem edidit multis iisque eloquentibus concionibus constantem, Bertrandus Tissier Prior Bonifontis in Thierascia, Tomo 3. pag. 1. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis.* Itemque *Varias ejusdem Epistolas ad diversos*, ibidem pag. 252. cum aliis Epistolis Monachorum quorundam & Abbatum Claræ Vallis, a p. 257. ad 264. Idem adhuc Abbas *contra Sectarios Albigensem declamationem* composuit, quam Baronius tomo XII. Annalium, ad annum 1178. refert. Et Henriquez Lib. 2. *Fasciculi Sanctorum Ordinis Cisterciensis*, Distinct. XXV. tandemque Bertrandus Tissier, Bibliothecæ allegatæ tomo citato, post tractatum *De peregrinante Civitate Dei*. Factus Cardinalis anno 1179. habuit successorem in Clara Valle, Petrum antea Igniaci Abbatem, de quo postea. Interfuit porro Veronæ, Lucio Pontifici ex vivis abeunti: tum Ferrariæ Vrbano III. in extremis agenti, ultimum pietatis officium exhibuit. Sed quod raro quidem hactenus inter purpuratos contigerat, Apostolicum thronum ascendere detrectavit, & Gregorium VIII. suffragiis ad Apostolicum culmen merito assumendum curavit. A quo legatus ad Christianos Principes cum amplissima authoritate nominatus, Fredericum I. cum Romana sede reconciliatum, & alios Principes bello claros, militari cruce ad transmarinam expeditionem consignavit. Hisce sacris muneribus peregregie testatus est, se non minus rerum Ecclesiasticarum peritum, quam eruditione præstantem. Nec minus humilitate, quam animi celsitudine præfulsit, vocatus enim ad Synodum Lateranensem, & electus inrerea in Episcopum Tholosanum, non consensit. Vnde vir egregius inter insignes Ecclesiæ Christi columnas, appellatur a Gaufrido in Vita Sancti Petri Tarantasiensis, cap. 34. fuisse autem fuæ Claræ-Vallis memorem liquet, quod sumptibus Regis Angliæ, Basilicam ejus texit ex plumbo: multaque alia Ordinum aliorum Cœnobia cum effectu reformavit. Postremo sub Clemente III. in Belgio legationem obiens, dissensione Flandrensis Comitis cum Attrebatensi Ecclesia, summa prudentia composita, in reditu Atrebati morbo exitiali correptus, ante aram beati Andreæ in Cathedralem Ecclesiam deferri se jussit, & sacramentis probe munitus, inter Sacerdotum preces, spiritum Domino reddidit an. 1188. die 4. Julii. Cujus præscripto corpus apud Claram Vallem defertur, tumulandum a Lingonensi Episcopo, juxta S. Bernardum cujus discipulus olim fuerat, & S. Malachiam, cum hac brevi Epigraphe.

Subjacet huic Lapidi, quondam notissimus orbi,
- Abbas Henricus, Romano Cardine dignus:
- Lubrica qui vani contemnens gaudia mundi,
Terræ membra dedit, cœlis animamque remisit.

Hujus Abbatis gesta Cæsarius coætaneus author in *Libris miraculorum* refert, cujus & meminere magnum Exordium Ordinis Cisterciensis Lib. 2. cap. 3. & 21. Vincentius Bellovacensis Lib. 30. cap. 31. Calendarium Claræ Vallis Baronius in Annalibus. Sirmondus in Notis ad Petrum Cellensem. Chrysostomus Henriquez in *Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis* & in *Menologio* ad diem 14. mensis Julii. Gaspar Jongelinus in *Notitia Abbatiarum* & in *Chronico Cisterciensi*. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, fol. 143. & 144. quem ubi semel atque iterum refert, Henricos duos ex uno facere videtur, quamvis in utroque loco eadem, fere exprimere videatur. Ferdinandus Vghellus prolixe etiam plura de *Henrico* observat in *Italia sacra*, ubi de Episcopis Albanensibus. Denique Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tomo 4 in *Abbatibus Claravallensibus*, pag. 256. & in Abbacibus Altæcombæ, pag. 31. unde pleraque ob elogii ejus præstantiam huc adduximus.

PETRVS CLARÆVALLIS ABBAS OCTAVVS, natione Gallus, stirpe nobilis, factus primum Monachus Claræ Vallis, atque inde postquam Gaufridus per electionem ab Ecclesia Igniacensi ad regimen Claræ Vallis transiit, anno 1162. in Gaufridi locum apud Igniacum Abbas electus fuit. Cui præfuit Ecclesiæ ad annum usque 1179. quo ex Abbate Igniaci, invitus ad matris Ecclesiæ Claravallensis clarum administrandum admovetur. Scripsit elegantes *Epistolas de diversis argumentis*, quas MSS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis a Monacho Transmundo collectas vidi, impressasque habet Bertrandus Tissier tomo 3. pag. 264. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis*. Hic Judex Apostolicus una cum Abbate Cistercii inter Grandimontenses dissidentes mittitur, quorum Clericos seu Sacerdotes ex propriis domibus ab insolentibus Laicis fratribus pulsos, apud Claram Vallem gratanter accepit. Functus item legatione ad Henricum Imperatorem. Tandem cum ex officio Ecclesias Ordinis sui visitaret, Fusniaci extremum spiritum exhalat, quarto Calendas Decembri, anno 1186. quem sanctitatis opinione celebrem emigrasse, tradit Chronicon Antissiodonense. Delatus ad Claram Vallem in primo Sancti Bernardi conditorio seu loculo, inter Gerardum communi cœnotaphio ita inscripto reconditur: *Sub hac cellula Lapidea jacent Dominus Gerardus Martyr egregius, sextus Claræ Vallis Abbas: Et Dominus Petrus Octavus, miraculis clarus, cujus Vita in volumine beati Bernardi habetur*. Agunt de *Petro Claræ Vallis Abbate* Cæsarius in Opere *De miraculis sui temporis*: & Abbas Conradus in *Exordio Magno Cisterciensi*, quos adeas si plura cupis. Hæc Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 256. in Abbatis Claravallensibus. 1170

1170 GVALTERVS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS PRIOR, insignis hoc tempore Theologus claruit, qui mortuo Richardo ejusdem Victorini Cœnobii Priore anno 1173. ad diem 10. Martii, in ejus locum suffectus est. Hic infensus clarioribus sui temporis Theologis, Petro Lombardo, Petro Abaëlardo, Gilberto Porretano & Petro Pictaviensi, scripsit Opus multâ bile refertum contra istos quatuor Theologos, ubi sæpius sensum illorum in pravitatem detorquens, multa eis Hæretica & insana imponit, de quibus ne vel unquam somniasse probabile est. Habetur opus istud Manuscriptum in celebri Bibliotheca Sancti Victoris, Littera II 11. fol. 39. in Codice optimæ notæ, qui 500. annorum est, Gualteri forsitan autographus. Primus titulus minio scriptus uti & Prologus, ita incipit. *Quisquis hæc legerit, non dubitabit quatuor labyrinthos Franciæ, id est Petrum Abaëlardum & alium Lombardum, Petrum Pictavinum & Gilbertum Porretanum, non Spiritu Aristotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis Scholastica levitate tractarent, multas hæreses olim evomuisse, & adhuc errores pullulare &c.* Tum litteris etiam rubricatis, *Incipit liber Magistri Walteri Prioris Sancti Victoris Parisius, contra manifestas & damnatas etiam in Conciliis hæreses, quas prædicti Sophistæ libris Sententiarum suarum reponunt, acuunt, limant, roborant &c.* Opus distinctum est in quatuor libros contra celeberrimos quatuor seculi sui Magistros, quos *quatuor Franciæ Labyrinthos & novos Hæreticos*, odiosa prorsus nuncupatione odiosos facit: quo ex Gualteri Opere facile intelligere licet, quam parvi pendere debeamus injurias, scommata, censuras, infamias, variaque id genus alia, quibus æmulos suos notant Scriptores plurimi, a seculo hoc XII. potissimum orti. Scribebat autem circa annum 1174. vel 1176. quo tempore unus ex quatuor in vivis superat Petrus Pictavinus Lombardi discipulus, idemque Scholarum Parisiensium Præpositus, quem quia Theologiam illam Scholasticam subtilius & curiosius quam cæteri, tractabat: Gualterus sibi potissimum assumit lib. 4. debellandum, uti Petros Abaëlardum & Lombardum doctrinæ istius principes & coriphæos, acerbe in aliis libris insectatur. Sunt autem Libri primi capita XVIII. Libri secundi capita VIII. Tertii capita XV. Quarti autem XVIII. vel potius XXVI. quorum omnium compendium exhibet Seculum IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* fol. 629. ad nauseam usque per paginas plures, nimirum usque ad pag. 670. Tantas sane symbolas boni ac modesti Operis non obtulisset nobis author Historiæ citatæ, quantas iratæ hujus ac biliosæ compositionis: cujus sæpe mentionem facit loco citato, nempe ad annum 1140. pag. 200. ad annum 1173. pag. 402. *in Idea Theologiæ Pseudo-Scholasticæ*, pag. 629. & in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 741. Aguntabunde *de Gualtero Sancti Victoris Priore* Cæsar Egassius Bullæus Seculo IV. Historiæ citatæ. Joannes de Tolosa, ejusdem Ecclesiæ Sancti Victoris Parisiensis Canonicus, in prolixa *Historia MS. hujus insignis Abbatiæ*. Carolus Dufresnius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præposuit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 105. ubi eum anno 1180. vixisse affirmat, quod Chronologiæ nostræ convenit.

HILDVINVS ACADEMIÆ SEV VNIVERSITATIS PARISIENSIS CANCELLARIVS, Theologus & concionator eximius, 1170 aliquanto post seculi duodecimi medium floruit, qui ob vulgatam doctrinæ eminentioris famam, Petro Comestore Parisiensis Vniversitatis Cancellario anno 1178. defuncto, ut tradit Robertus Canonicus Sancti Mariani Antissiodorensis in *Chronico*, suffectus est in demortui locum, Cancellariique munus ab anno 1178. usque ad annum circiter 1186. vel 1190. exercuit. Nec enim tempus præcise assignare ullis ex monumentis datum est. Hunc autem Cancellarium fuisse post Comestorem, agnoscit Cæsar Egassius Bullæus in *Historia Vniversitatis Parisiensis* seculo IV. fol. 404. dum loquitur de Petro Pictaviensi his verbis: *fuit autem iste Petrus post Comestorem & Hilduinum, Cancellarius Parisiensis sub finem hujus seculi, & duodequadraginta annis Theologicam cathedram rexit in scholis atriensibus.* Et in Catalogo illustrium Academicorum fol. 764. in Petro Comestore: *Nam Petrus Pictavinus successit Hilduino, Comestoris successori in Cancellariatu Parisiensi & Theologica cathedra.* Extant in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, MS. Codice signato GG. 12. folio 168. illius *Sermones*, quorum hic minio scriptus titulus. *Incipiunt sermones secundum Magistrum Hilduinum Cancellarium Parisiensem.* Sermo in cœna Domini. *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti? Si caput pro corpore patiatur, impossibile est, quin corpus capiti compatiatur* &c. Et apud Anglos Cantabrigiæ, in Bibliotheca publica Cod. 128. *Sermones Magistri Hildewini.* Alius fuit Hilduinus Abbas Sancti Dionisii in Francia, qui seculo nono floruit, cujus *Areopagitica* MSS. extant in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 600. annorum, num. 4172. & quæ etiam apud Laurentium Surium ad diem 11. Octobris, & alibi impressa sunt. Hic Hilduinus Archicapellanus etiam & Abbas Sancti Germani Parisiensis, & Sancti Medardi Suessionensis tum Sancti Dionysii, anno 826. legatos Romam ad Eugenium II. Papam dirigit, ad impetrandas reliquias Sancti Sebastiani, ut notat Eginhartus in *Annalibus*: qui etiam a Thegano inter Magnates Imperatoris cum Jesse Ambianensi Episcopo recensetur. Sub ejus moderamine Ludovicus Pius, ordinem Monasticum in Abbatia Sancti Dionysii renovari constituit per Gallicanos Episcopos, prout in Diplomate suo Ludovicus edisserit: "Inter cætera visum est illis, ut" Monasterium præclarissimi & eximii Christi"

Mar-

„Martyris Beati Dionyſii, ſociorumque ejus,
„quod conſtat tantorum Martyrum nomine
„dedicatum, & a Regibus Francorum, progeni-
„toribusque gloriæ noſtræ ampliſſimis rebus di-
„tatum, quo in eo Monaſticus ordo religioſe
„Deo deſerviret, magna emendatione & cor-
„rectione opus haberet. Quam cauſſam tam
„per ſe, quamque & per venerabilem pruden-
„temque virum Hilduinum, memorati Mona-
„ſterii religioſum Abbatem, noſtræ ſerenitatis
„auribus intimaverunt, uti noſtra piiſſima Im-
„periali poteſtate, per eorum authoritatem
„corrigeretur. Data ſeptimo Kalendas De-
„cembris anno Chriſto propitio XIX. Imperii
„Ludovici ſereniſſimi Imperatoris. Indictione
„X. Ejusdem Principis per Epiſtolam mandato, *Vitam Sancti Dionyſii* componere juſſus eſt, *Areopagiticis* ejus Ludovico oblatis præfixam: ita enim nominat lucubrationes, quas *De geſtis Beati Dionyſii* contexuit. Intereſt autem an. 838. benedictioni Hirſangienſis Cœnobii, cum Rhabano Abbate Fuldenſi, qui Commentarios in libros Regum eidem nuncupat. Hoc anno ut Nithardus Libro 1. Hiſtoriæ author eſt, cum Gerardo Comite Civitatis Pariſinæ, fidem ſuam Carolo ſacramento firmavit. Lupus Ferrarienſis Abbas eum Epiſtola 110. vocat, *nobilitatis, dignitatis & moderationis apice conſpicuum, Eccleſiaſticorum Magiſtrum.* Et in Carminibus Valafridi ad eum ſcriptis, tomo 6. *Antiquarum lectionum* Henrici Caniſii, dicitur *Magnus Aaron, cujus nitor morum, cum ſenſus probitate commendatur.* Deceſſit Octobris die 30. anno 842. conditus apud ſanctum Medardum Sueſſionenſem. De quo plura Sigebertus, Trithemius, Bellarminus, Labbeus ac Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, cum aliis. Fuit & tertius *Hilduinus* ſeu Hildewinus Taſſo, Flauder, Monachus primum Ordinis divi Benedicti in Cœnobio Laubienſi, juxta Thuinum in Belgio, qui factus illic Abbas ſub initium ſeculi X. floruit, clarus ob ſcientias illis temporibus languentes vel extinctas. Itaque ob ingenii felicitatem & verborum elegantiam atque in agendis rebus induſtriam, Henrico Germaniæ Regi cognitus atque cariſſimus fuit, cujus partes pro viribus adverſus Carolum Simplicem Franciæ Regem ſervide amplexus eſt. Nec deſuit obſequio ac devotioni merces atque promotio ad altiora. Hilduinus enim Eccleſiæ Leodienſis illum ditiſſimum ac nobiliſſimum Epiſcopatum ab *Henrico* Germaniæ Rege, bellum adverſus Carolum III. Francorum Regem, *ſimplicem* nuncupatum agente, impetravit: qui ſe conſecrari ab *Herimanno* Colonienſi Archiepiſcopo per vim & metum compulſo, per *Giſlibertum* obtinuit. Vacanti ſedi *Carolus* præficiendum deſignaverat *Richarium* antea Abbatem Stabulenſem & Prumienſem *Hilduini* adverſarium, qui pronuntiante adverſus Hilduinum Romano Pontifice, ſedem Leodienſem obtinuit. De his ita ſcribit Flodoardus ad annum 920. quo diſcordia hæc & vacantia Eccleſiæ Leodienſis contigit. *Hoc anno, ſequenti quoque agitatur inter Hilduinum Epiſcopum & Richarium Abbatem de Epiſcopatu Tungrenſi contentio. Siquidem Rex illud Epiſcopium Richario, quia Hilduinus a ſe deſivit, cui prius ipſum conceſſerat, dedit. Hermannus vero Archiepiſcopus Hilduinum ibi Epiſcopum, eligente Clero ac populo ſavente, nec non Giſleberto, quem plurimi Lotharienſes Principem relicto Carolo Rege delegerant, ordinavit. Carolus vero reverſis ad ſe Lothariensibus, & ipſo Giſleberto, Richario Abbati, non Hilduino ipſum Epiſcopatum conceſſit.* Et ad annum 922. *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Epiſcopium Tungrenſe, reverſus eſt, ordinatus a Joanne Papa Epiſcopus, Hilduino ab ipſo Papa excommunicato, qui etiam illo abierat Epiſcopus.* Nec diu abſque honore fuit *Hilduinus Taſſo*, neque quam a Summo Eccleſiæ Præſule ſententiam excommunicationis acceperat, multum adverſam pertulit: quæ nec eum impedivit, quo minus Henrico Germaniæ Rege agente ac ſavente, ad Eccleſiaſticas Prælaturas, easque plures & inſignes promoveretur. Vrgente itaque Henrico, factus aliquanto poſt Veronenſis in Italia Epiſcopus, quam ubi cum aliquandiu laudabiliter rexiſſet, anno 935. ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem promotus fuit. Huic Eccleſiæ per ſexennium præfuit, Hugonem Italiæ Regem in Baſilica Ambroſiana Mediolani coronavit, tandemque ibidem an 941. ipſis Auguſti Kalendis obiit. «Hæc ſeries vitæ *Hilduini Taſſonis ſeu Taſſonii*, qui ſcripſit *De geſtis Abbatum Laubienſium Lib. 1. Sermonum Libros 2.* Ita quidem Arnoldus Wion quem ali« quoties citamus, licet Trithemius hunc *Hilduinum* aſſerat ex Abbate Labienſi factum Epi« ſcopum *Laudocienſem*, ſimili fortaſſis nomine« falſus.« Hæc Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* tomo 1. Verbo *Hilduinus Taſſo* pag. 761. Atque iſta nos de *Hilduinis* tribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, ne ſimul ex ignorantia confundantur: vel quod unius eſt, alteri adſcribatur. Olim enim opinabar ſermones illos, de quibus in *Hilduino primo Pariſienſi Cancellario* locutus ſum, ad *Hilduinum tertium ſeu Taſſonium* ſpectare poſſe, quem ſcripſiſſe *Sermones* citatus Poſſevinus narrat, ſed quos *Cancellarii Pariſienſis* titulus primo adſtruit. Agunt de duobus ultimis Hilduinis Poſſevinus loco citato, & Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum*, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, colum. 114. ſolus quem ſciam, de primo Cæſar Egaſſius du Bonlay, ſeculo 4. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, pag. 404. Et in Catalogo illuſtrium Academicorum, pag. 764. ut ſupra diximus.

GVARINVS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS ABBAS, liberalibus diſciplinis eruditus, multisque virtutibus clarus, an. 1170. 1170
electus eſt a Fratribus Sancti Victoris Pariſienſis in Abbatem, depoſito Erniſio ob peſſimam rerum temporalium adminiſtrationem, de qua pluribus conqueritur Epiſtolis ſuis, Alexander

der III. Summus Pontifex. Hanc vero & Ernifii depositionem & Guarini subrogationem multis exponit Cæsar Egassius Bullæus seculo 4. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis*, scriptasque eam ob rem diversas profert Epistolas fol. 381. & sequentibus. Electio *Guarini* in Abbatem Victorinum ab Alexandro III. confirmata, datis ad eum & Canonicos Sancti Victoris litteris. Itaque resarcivit novus Abbas illata Cœnobio damna, per anterioris incuriam, primusque literis, ut exemplo suo cæteros ad idem opus impelleret, mentem apposuit: sacræ potissimum divini verbi prædicationi, quam in præcipuis festivitatibus coram fratribus suis in Capitulo collectis, habuit. Extant *Sermones Guarini Abbatis*, MSS. in insigni Codice Bibliothecæ Sancti Victoris Littera II. 14. fol. 164. post Sermones Domini Gilberti Abbatis in Cantica Canticorum. Incipiunt, *Sermo in Annuntiatione*. Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Hodie fratres legatio de cælis ad terras olim missa recolitur, ut exules paradisi revocaret ad cœlum* &c. Sunt autem sermones tredecim de tribus festis, Annuntiatione, Nativitate, & Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, de Sancto Augustino, & festo Omnium Sanctorum, usque ad finem Codicis. Ipso autem Abbatiani regente, excesserunt e vivis viri isti insignes, Richardus ejusdem Ecclesiæ Prior, scriptis clarissimus, anno 1173. sexto Idus Martii. Adamus de Sancto Victore, an. 1177. octavo Idus Martii. Petrus Comestor anno 1178. & Arnulphus Lexoviensis anno 1182. Decessit ipse tandem Guarinus die 19. Novembris an. 1194. jacetque in Choro ad dextram Gilduini Abbatis cum hoc Epitaphio.

Guarinus Abbas, Romani lucifer orbis,
Syderea fulget vivus in Vrbe lapis.

Plura de illo habent Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 4. fol. 926. in Abbatibus Sancti Victoris Parisiensis. Seculum 4. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis*, fol. 383. ubi refert congratulatorias Epistolas Guillelmi Archiepiscopi Senonensis & Alexandri III. Summi Pontificis *de Electione Guarini* in Abbatem: quibus indicatur quanti meriti & eruditionis fuerit. Et in *Catalogo illustrium Academicorum*, pag. 742. Historia denique MS. *Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis*, quam volumine grandi & spisso Joannes de Tolosa, ejusdem Ecclesiæ Canonicus & Presbyter composuit.

1170 GODEFRIDVS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS SVPPRIOR, natione Gallus, sacrarum litterarum in Academia Parisiensi Magister, sanctioris vitæ & secretioris secessus desiderio ductus, ante annum 1170. sub Abbate Ernisio inter alumnos Sancti Victoris admittitur. Non multo post, anno nimirum 1174. sub Gualtero Priore, conversionem ejus & alteram ex novo instituto professo conversationem, multi seculo addicti ejusque æquales ac suppares sugillarunt, cavillantes hominem multis utilem, literatura insignem, conversatione honestum, ad inertem & otiosam transiisse vitam. Horum nugacibus dictis satisfacere, & os obloquentium obstruere contendens, scripsit egregios tres libros *De microcosmo*, habita ratione hominis rationalis, animæ præsidiis insigniti, in quorum prologo instituti sui copiosam rationem reddit. Hoc Opus MS. in Bibliotheca Sancti Victoris Littera II. 14. fol. 1. ad folium 107. Inscribitur rubris litteris, *Microcosmus Godefridi Canonici Sancti Victoris Parisiensis*. Incipit Prologus, *Arbitratus sum tam mihi quam cunctis hujus libelli lectoribus expedibile fore, si causam hujus Operis in fronte ejusdem pranotavero* &c. Primus liber incipit, *Mundi nomine plerumque hominem appellari tam Philosophus quam Theologus testatur* &c. Prosequitur autem Opus istud tripartitum secundum dotes animæ vel naturalis, ut artes & scientiæ: vel lethalis, ut vitia quæ ei edomanda adveniunt: vel spiritualis, ut virtutes quæ in dies illi sunt comparandæ, beneficio charitatis earum principis. Occupatur autem labor ipsius in discussione Operis sex dierum creati orbis, sub quorum tribus primis diebus artes mechanicas & naturales dilucide exponit, sicque libro primo finem imponit. Libro autem secundo &c. In eodem MS. Codice fol. 107. *Ejusdem Godefridi Sermones numero XIV. de diversis argumentis*, quorum primus de Adventu incipit: *Aspiciens a longe ecce video potentiam Dei venientem, & nebulam totam terram legentem. Hac vox prima Fratres carissimi, prima lectioni primi nocturni officii hujus diei responsaria est.* Idem *Microcosmus Godefridi Libris tribus*, MS. in eadem Bibliotheca Littera NNN. 19. fol. 1. & ejusdem *Sermones XIV. de variis argumentis*, ibidem fol. 104. quorum primus, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis &c. Nobilis aquila sublimius evolaverat & in excelsi montis vertice consederat* &c. Vnde vel alii a superioribus sermones sunt, vel alio ordine, quod excutere mihi per otium non licuit. Aliud præterea Opus contexuit, Stephano tunc Sanctæ Genovefæ Parisiensis Abbati nuncupatum, cui titulus est *Fons Philosophiæ*, quatuor libris distinctum, rithmis quibusdam, & in unam eandemque syllabam ultimam quaterne convenientibus ac desinentibus, versibus hoc seculo usitatissimis, quibus veram esse Philosophiam illam docet: quæ non speculationi, nec argumentorum ac rationum velitationi incumbit: sed quæ vitiis evellendis, inserendisque virtutibus occupatur. Opus MS. in eadem Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, Littera II. 15. cujus hæc inscriptio rubris litteris: *Liber Dictus, Fons Philosophia, Libris 4. Metricis. Epistola Godefridi ad Stephanum Abbatem Sancta Genovefa de Monte, qua & ipsa prologus sequentis Operis est. Domino Stephano Montis Sancta Genovefa Abbati, viro totius, virtutis & scientia gratiis insigni, G. quidam pauper Christi, suum bonum.* Calicem plenum mixto, *vestra destinavi*

stinavi Pater eruditionis examinandum judicio &c. fol. 145. Tum rubris characteribus, *Fons Philosophia*. Incipit. *Noctis erat terminus & soporis mei, & fugabat tenebras nuntius diei: expergiscor nescius affutura rei, sacris ductus monitis & instinctu Dei* &c. Ad calcem Operis fol. 221. *Praeconium metricum divi Augustini*, quod ita incipit: *Augustini gloria meritis praeclara, laudes quantum dabitur, Rithmo cumulare* &c. cum Cantico quodam B. Mariae Virginis & planctu ab eodem notis musicis illustrato. At ad frontem hujus Codicis, extant *ejusdem Godefridi Sermones numero XIX.* qui incipiunt ut supra Littera II. 14. & solo numero differunt, cum sint novendecim. Horum primus, *Aspiciens a longe, ecce video &c. Hac vox prima Fratres carissimi* &c. ita autem persequitur Historiographus: MS. Sancti Victoris Parisiensis, pag. 102. *Historia sua*. „Habentur „etiam de eo alia Opuscula rithmicis iisdem „versibus edita, & quidem *Canticum ad Deiparam Virginem, Planctus Beatae Mariae Virginis, & Praeconium de Sancto Augustino Episcopo & Ecclesiae Doctore*. Itemq; *Sermones triginta & unus in „variis anni solemnitatibus apud nos habiti*: quae „omnia MSS. servat Bibliotheca nostra. In „archivis Ecclesiae nostrae anno 1194. *Godefridus* Sacrista cum Roberto Abbate, Anselmo „Priore & Guillelmo Suppriore subscriptus le„gitur, nec alius apud nos ejusdem nominis ea „aetate reperitur: quo pateat eum officio Sup„prioris cessisse anno 1186. ut in *Annalibus* no„stris observavimus, & supremum diem clau„sisse post annum praefatum 1194. idque unde„cimo Calendas Decembris, uti in Necrologio „Victorino commendatur his verbis: *Obiit Godefridus Sacerdos Canonicus noster professus*. Haec nos ferme verbotenus ex MS. *Historia Abbatia Regalis Sancti Victoris Parisiensis*, quam scripsit Joannes de Tolusa ejusdem Ecclesiae Canonicus.

1170 GVARNERVS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS CANONICVS & SVPPRIOR, floruit sub Gilduino vel Hilduino Abbate circa annum 1140 juxta Petrum de Gussanvilla in *Vindiciis Dialogorum Sancti Gregorii Papa* col. 339. qui juxta Historiam MS. ejusdem Abbatiae vixit ad hunc annum 1170. & ultra etiam. Hic Curas suas atque otium evolvendis Sancti Gregorii Magni Operibus dicavit, quod olim a pluribus factum est. Itaque ex suis Lectionibus, collegit *Opus Gregorianum* inscriptum, seu *Allegoricas explicationes rerum Biblicarum ex libris & verbis divi Gregorii Papa*, quod Parisiis anno 1608. in 8. editum, cura & studio Joannis Picardi Canonici Sancti Victoris. Extat MS. in Bibliotheca Sancti Victoris, Codice II. 8. fol. 1. quingentorum annorum, optimae antiquitatis & notae, sub expresso nomine *Guarneri Supprioris Sancti Victoris*. Plura quae de *Guarnero* scribuntur non suppetunt, quem pluribus tamen commendant ex domesticis suis instrumentis, Canonici Regulares Sancti Victoris Parisiensis, atque inter alios Joannes de Tolosa ejusdem loci Canonicus, in Historia MS. ejusdem Abbatiae.

GILBERTVS ECCLESIAE S. WALDETRVDIS PRAEPOSITVS, in Vrbe Monte Hannoniae, atque Balduini dicti Magnanimi Flandriae & Hannoniae Comitis an. 1170. defuncti Cancellarius, scripsit *Historiam a creatione mundi ad sua usque tempora*, quae Manuscripta extare dicitur in Archivis nobilium Virginum Canonicarum de Montibus. Citat illam frequenter Jacobus Guisius in suis *Annalibus Hannonia*, quorum Autographum, in Bibliotheca Franciscanorum Montensium Aubertus Miraeus vidit. Meminit hujus scriptoris Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte ultima cap. 11. *De Scriptoribus incerta aetatis*, ubi ait allegatum a Meiero in *Annalibus Flandriae*, ad annum 1071. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem praemisit *Glossario media & infima Latinitatis*, colum 102. illum anno 1170. assignans, inter Historicos enumerat. 1170

ROBERTVS PAVLVLVS PRESBYTER & EPISOPI AMBIANENSIS DOMESTICVS, scripsit circa annum 1178. *Libros tres de Officiis Ecclesiasticis*, quos habet Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis celeberrima, MSS. in Codice 658. optimae notae, ex Corbeiensis bibliotheca acceptos. Verum illi tam separatim impressi sunt, quam cum Operibus Hugonis Victorini in editone Rotomagensi ultima anni 1648. cui alii quoque tractatus plures perperam in editionibus attribuuntur nuperis, qui in vetustioribus non comparent. Ad Joannem Cornubiensem Anglum, spectat Opusculum inscriptum, *Canon Mystici Libaminis*, quod etiam inter Opera ejusdem Hugonis Victorini habetur. Subscripsit Robertus Paululus instrumentis variis seu Chartis in tabulario Corbeiensi, annis 1174. 1179. & 1184. ut indicat Joannes Mabillon in Praefatione ad tomum primum *Seculi III. Benedictini* pag. 55. unde haec habuimus. Meminit *Roberti Pauluh* inter Scriptores Ecclesiasticos, Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem praefixit *Glossario media & infima Latinitatis*, pag. seu col. 144. 1170

BARTHOLOMAEVS ISCANVS, seu EXCESTRIENSIS dictus, OXONIENSIS EPISCOPVS, natione Anglus, ex primis Theologiae Scholasticae alumnis, insignem Oxoniensem Academiam curis suis excitasse dicitur, unde meritis doctrinae & probitatis hominem ultra communem sortem promoventibus, ad Episcopales Oxoniae infulas sublimatus, quas omni virtutum ornamento tulit. Hic cognominatus *Iscanus* vel *Exoniensis*, quod Excestriae editus in lu- 1170

lucem esset, quæ civitas antiquitus *Isca* appellata est. Vir in utraque Philosophia, tam humanâ scilicet quàm divinâ non mediocriter eruditus in Gallicis Scholis Parisiensibus, unde reversus posteà in Angliam, actus æmulatione literariâ, omnem lapidem movit circa annum 1140. vel 1150. ut Oxonium patria, academiam haberet, illamque florentem eruditione ac scholasticis frequentatam. Electus autem est an. 1160. in Episcopum Oxoniensem, ejusque consecratio in modicum tempus dilata fuit, quousque Regi Angliæ, qui in partibus degebat transmarinis, homagium fecisset. Transfretavit itaque Bartholomæus electus, & homagio anno 1161. facto, illum sacravit Walterus Roffensis Episcopus, Cantuariæ ad altare Christi, data professione canonicæ subjectionis, Cantuariensi Ecclesiæ & Archiepiscopo futuro exhibendâ. Hic in Conventu Clarendunensi cum Episcopis aliis anno 1163. suffragium suum dixit in hunc modum, ut in *Chronicis* refert Gervasius Dorobernensis: quod adversus Sanctum Cantuariensem Archiepiscopum utcunque fuit: *Palam est, quoniam dies mali sunt: etsi possumus sub dissimulationis umbra hujus tempestatis impetum pertransire illæsi, id præcipuè procurandum: nec ad id de facili perveniendum nisi subtrahatur plurimum severitati. Temporis instantia id requirit, maximè cùm non sit generalis, sed personalis hæc persecutio. Satius est igitur unum caput in parte periclitari, quam totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili exponere discrimini.* Hic etiam unus fuit ex iis qui missi sunt ex parte Regis & Episcoporum Angliæ, ad Alexandrum Summum Pontificem, in Galliis agentem, ubi postquam S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus fuisset locutus, Bartholomæus Oxoniensis subjunxit: *Pater sancte, non oportet multum in his immorari, caussa ista in Cantuariensis absentia non habet terminari. Petimus igitur Legatos, qui inter Dominum Regem & Cantuariensem, caussam istam possint audire, & auditam decidere.* Et subticuit. Anno 1171. ad vocationem matricis Angliarum Ecclesiæ Cantuariensis, convenerunt suffraganei Episcopi in Festo Beati Thomæ Apostoli, ut Cantuariensem Ecclesiam longâ suspensione consternatam, juxta mandatum Summi Pontificis, in statum pristinum reformarent. Bartholomæus Oxoniensis Episcopus juxta petitionem Cantuariensium, Missam solemnem celebraturus, & sermonem habiturus ad populum, ut diebus in doloribus exactis, solamen lætitiæ celebris apponeret, sic exorsus est: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tua lætificaverunt animam meam.* Interfuit variis Conciliis hoc seculo XII. annis nempe 1164. 1175. 1177. ut in tomis Conciliorum ultimæ editionis videre licet. Scripsit *Pœnitentiale omnibus Sacerdotibus necessarium*, ex Sanctis Patribus desumptum, multis capitibus compositum, quod MS. asservari dicitur in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis. Extat autem inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis num. 1835. & 1842. in Manuscriptis Codicibus Collegii S. Joannis Baptistæ in Abaco tertio, Codice 4. num. 4. *Bartholomæi Pœnitentiale*, & Codice 10. num. 2. *Bartholomæi Exoniensis Episcopi Pœnitentiale.* Item in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Faustinæ Litera A. Codice 8. num. 1. *Liber Pœnitentialis, constans ex duabus partibus, quarum prior breviter agit de pœnis temporalibus & satisfactionibus. Secunda de pœnitentia injungenda, per Magistrum Bartholomæum, Exoniensem Episcopum, collectus ex Patribus, Epistolis & Decretis Pontificum, Canonibus Conciliorum, ex Pœnitentiali Romano, & ex Pœnitentiali Bedæ.* Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Cod. 2046. in MSS. Codicibus ipsius Thomæ Bodleji, litera B. 6. Codice 14. *Bartholomæi Episcopi Exoniensis Dialogus contra Judæos.* Videndum an non idem opus quod Gilberto Westmonasteriensi Abbati anno 1100. tributum extat, & ab indocto aliquo Bartholomæo inscriptum sit. Jacobus Petit *in Pœnitentiali Sancti Theodori Cantuariensis Archiepiscopi*, quod Parisiis editum est anno 1677. apud Viduam Joannis du Puis viâ Jacobæa sub signo Coronæ aureæ, tomo 1. p. 331. allegat Excerpta quædam *ex Pœnitentiali Bartholomæi Oxoniensis Episcopi*, quasi illud in Bibliotheca Victorina MS. extet. Verum à nobis & à Bibliothecario hujus loci diligentissime inquisitum, inveniri nunquam potuit, quod à se nunquam visum ibi fassus est, licet ab annis multis omnes Manuscriptos Codices Bibliothecæ sæpius volverit. Sed ex accurato & recenti Catalogo MSS. Codicum Abbatiæ Longipontis, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Suessionensi, extat ibi MS. cum *Consiliario Petri Cantoris*, & libro *Pœnitentialis Magistri Roberti de Flamesburia Canonici Sancti Victoris*, ut adhuc postea ad annum 1190. *in Roberto de Flamesburia* dicemus. Vixit usque ad annum 1180. & ultrà, mortuusque est anno 1185. Oxoniæ. Plura de illo Radulfus de Diceto & Gervasius Dorobernensis, ambo Angli in suis *Chronicis*. Godwinus in Episcopis Oxoniensibus, qui malè eum annos tantum XIV. sedisse ait, cùm ab anno 1160. ex Radulfo Dicetano supradicto electus esset, nisi typographi errore, unius denarii numerus ablatus sit: Annos igitur XXIV. Oxoniensi Ecclesiæ præfuisse legitur. Hujus ut Scriptoris Ecclesiastici meminit inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. seu cap. 144. pag. 181. Jacobus Petitus, tomo 1. pag. 331. *Pœnitentialis Sancti Theodori Cantuariensis Archiepiscopi*, de quo superius. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 87. ubi eum a. 1184. mortuum scribit.

HILDEGARDIS SANCTI RUPERTI IN 1170
MONTE ABBATISSA, Ordinis divi Benedicti, prope Bingam & Naham fluvium, natione Germana, patriâ Spanheimensis, Hildeberti at-

atque Mecthildæ filia, anno 1098. ex alvo matris educta est, unde octennis tantum sub Julsa Abbatissa, Magenhardi Comitis Spanheimensis sorore, monasticam vestem induit. Sed juxta Guillelmum Cavum *in Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1170. pag. 684. *claruit anno 1170.* quin & ab anno 1148. *raris animi dotibus prædita, & egregia erga Deum pietate, erga religionem zelo insignis, visionibus divinitus concessis & prophetiis inclarescere quadragenaria jam cœpit. Cujus rei famæ exciti Eugenius III. Papa, & primores Galliæ Germaniæque Episcopi ac Abbates, & in his S. Bernardus, visiones illius Propheticas anno 1148. acriori examini subjecerunt, & infucatas deprehenderunt, & in Concilio Trevirensi confirmaverunt. Eandem postea sententiam ratam habuerunt Anastasius IV. & Adrianus IV. Pontifices, qui datis ad illam literis & seipsos & Ecclesiam Romanam precibus ejus commendarunt. Hæc Cavus.* Claruit igitur *multis*, ut volunt *Revelationibus*, quæ apud amantes mysticarum visionum, devotosque simplices, plurimi æstimantur: sed apud graves atque à muliebri simplicitate alienos viros, modici admodum ponderis sunt, nullius meriti, purissimæ vacui cerebri illusiones nocturnæ, qui idem omnino ac merito sentiunt de aliis omnibus Mulierum ejusmodi visionibus, sexum muliebrem præsertim, utpote infirmiorem afficientibus. Multa scripsit, quæ ex MSS Codicibus eruta, anno 1566. Coloniæ primum evulgata sunt: indeque transierunt in Bibliothecam Veterum Patrum editionis Coloniensis anno 1618. & editionis ultimæ Lugdunensis apud Anissonios, anno 1677. tomo XXIII. pag. 535. non omnia tamen. Sunt autem sub nomine Sanctæ Hildegardis, *Physicorum seu De rerum naturis Libri IV.* Argentinæ primum anno 1544. impressi, qui habentur quoque MSS. *in Bibliotheca Galliarum Regia*, Codice 5403. fol. 156. sub hoc titulo, *Beata Hildegardis De naturis diversarum rerum Libri VII.* qui incipiunt, *In creatione hominis &c.* Ejusdem *Visionum sive Revelationum libri tres*, quos *Scivias* appellavit, impressi primum Parisiis anno 1513. apud Henricum Stephanum in folio, cum aliis ejusdem meriti somniis ac revelationibus hinc inde collectis. Impressæ quoque seorsim Revelationes eædem cum Elisabethæ Abbatissæ Schonaugiensis Revelationibus, in folio, Coloniæ, anno 1628. *Eædem Revelationes, Vita Sancti Roberti Confessoris, Bingiorum Ducis. Epistolæ variæ de diversis argumentis, numero XXXVIII. Quæstiones variæ. Expositio Regulæ Sancti Benedicti*, cum *Vita Sanctæ Hildegardis III. Libris*: hæc omnia habentur in Bibliotheca Sanctorum Patrum editionis Coloniensis 1618. seculo XII. pag. 612. Extant autem *Revelationes S. Hildegardis*, MSS. in Bibliotheca Galliæ Regia, Cod. 5695. fol. 253. & apud Anglos Oxonii in Bibliotheca Mertonensi, Cod. 160. Ejusdem *Prophetia* MSS. Cantabrigiæ, in Bibliotheca Collegii S. Benedicti, Codd. 71. & 216. Et in Bibliotheca publica Cod. 147. num. 2. Obiit anno 1180. die 17. Septembris, cujus meminit Albericus *in Chronico* MS. ad annos 1140. 1153. 1169. 1170. Ex recentioribus, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* ample admodum tomo I. verbo *Sancta Hildegardis* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ infimæ Latinitatis*, columna 114. Cæterum Guillelmus Cavus *in Historia rei literaria* ad annum 1170. verbo *Hildegardis* pag. 685 fallitur eximiè, dum putat *Physicorum* seu *De rerum natura libros IV.* Hildegardi nostræ malè à nonnullis tribui, quos *Hildegardis de Pinguia* opus esse nos docet Josias Simlerus *in Bibliotheca Gesneri contracta & aucta* pag. 301. prodiitque Argentinæ anno 1533. Si legisset attente Antonium Possevinum loco citato, invenisset eundem arbitratum fuisse Hildegardem de Pinguia esse unam & eandem cum Hildegarde Abbatissa Sancti Ruperti prope Binguiam vel Bingam, quæ nuncupari potuit de Pinguia: atque MSS. Codices asserere hos libros huic Abbatissæ quæ seculo XII. doctissima extitit ac clara ob eruditionem. Verum probabilius est fuisse errorem typographiæ in editione vetusta apud Josiam Simlerum, atque legendum esse non *Hildegardem de Pingnia*, sed potius *Hildegardem de Binguia*, quod nimirum ex urbe Binguià orta esset, vel Abbatiæ quæ prope urbiculum Binguiam præficeretur, unde cognomentum illi datum sit. Ex hoc autem typographiæ errore, occasio Simlero data, ut Hildegardes duas distingueret, quem incautè errantem, Guillelmus Cavus quoque secutus est. Hi quoque *Libri IV. Physicorum* seu *De natura rerum* non prodierunt Argentorati an. 1533. ut Josias Simlerus ac post ipsum Guillelmus Cavus scribunt, sed an. 1544. ibidem ap. Jo. Scotum, ut scribit Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri*, quem sequimur. Inter Prophetias Hildegardis, præstantissima illa est, quam necdum impressam vidi, nempe *Revelatio Hildegardis de fratribus quatuor Mendicantium Ordinum.*

Extat illa inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ, num. 1997. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 3. Codice 12. num. 7. Et num. 2171. in MSS. Codicibus Bodleji ejusdem litera D. 2. Codice 13. num. 1. *Revelatio quam prophetavit Hildegardis de inceptione quatuor Ordinum Mendicantium.* Et inter MSS. Codices Hiberniæ potissimarum bibliothecarum Cod. 428. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Dublinensis Codice 288. num. 4. *Prophetia S. Hildegardis Abbatissæ, ferè 60. annis ante Ordinum Mendicantium institutionem.* Et ibidem Cod. 664. in MSS. iisdem Codice 524. num. 26. *Hildegardis contra Fratres* pag. 39. Quam ab aliquo Cisterciensi concessam mihi aliquando, ex MS. Codice transscriptam, admiratus sum ita claré depingentem Ordines quatuor Mendicantes, cum Jesuitis etiam longo post tempore ipsis succedentibus. Edidit hanc *Prophetiam* Johannes Wolphius tomo

mo I. *Lectionum memorabilium*, Centuria 12. ad annum 1180. pag. 400. editionis Lavinganæ 1600. duobus tomis in folio apud Leonardum Reinmiches. Rodolphus Hospinianus lib. 6. *De Origine Monachatus* cap. 17. unà cum *Prophetia Cyrilli Montis Carmeli Monachi Latini* quam Scholiis brevibus Joachimus Abbas Florensis explicuit, utpote obscuram valde atque ænigmaticam, à p. 465. ad 466. editionis Genevensis 1669. in fol. cum aliis.

1170 FRIDERICUS PRIMUS IMPERATOR, dictus Ænobarbus, eo quod rufus esset, atque ænei seu ærei coloris barbam aleret, floruit in Imperio ab anno 1152. ad 1190. quo extinctus est, vel aquis suffocatus. De hujus rebus præclarè gestis authores varii Basileæ in folio a. 1569. impressi. Expeditio ipsius Asiatica in qua periit, a Scriptore æquali seu suppare conscripta, ut credimus a Christiano de Buck Moguntino Archiepiscopo, atque impressa Ingolstadii an. 1604. in 4. tomo 5. *Antiquæ Lectionis* Henrici Canisii. Plures ejus *Epistolæ* apud Melchiorem Goldastum in Collectione Constitutionum Imperialium, & alibi in aliis Collectaneis operibus dicti Goldasti. Item aliæ paucæ in *Spicilegio* Lucæ Dacherii, & in *Miscellaneis* Stephani Baluzii, aliisque Collectionibus Veterum Scriptorum hujus seculi. Loquuntur pluribus de *Friderico I. Imperatore* Scriptores omnes *Annalium Ecclesiasticorum & Civilium*, seculo XII. quos recensere supersedebimus.

1180 THOMAS CISTERCIENSIS ABBATIÆ MONACHUS, circa annum 1180. clarus non tantum in hoc Archicoenobio, sed etiam in Ordine omni Cisterciensi extitit. Vir doctus, atque Scripturis volvendis assiduus, quas in manibus perpetuò habebat, menteque jugiter meditabatur, scripsit cum multo labore ad Pontium Claromontanum Episcopum insignem & prolixum simul *Commentarium Libris XII. in Cantica Canticorum*, cujus Epistola dedicatoria incipit, *Vehementer obstupesco, & ultra quàm dici possit, admirari non desino &c.* Prologus incipit, *Tria sunt Epithalamia, primum historicum &c.* Liber primus incipit, *Osculetur me osculo oris sui. Hæc est vox Synagogæ &c.* quem vidi MS. in multis Bibliothecis Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, imò & impressum Parisiis a. 1521. typis Jodoci Badii Ascentii, & Lugduni iterum a. 1571. & alibi. Tempus quo hunc Commentarium scripsit Thomas Cisterciensis, conjicere licet ex Præfatione ad *Pontium Claromontanum Episcopum*. At certum omnino est *ex Gallia Christiana* tomo 2. pag. 528. *in Claromontanis Episcopis*: hunc Pontium ex Abbate Grandisilvæ & Claræ-Vallis, esse a. 1170. creatum Episcopum Claromontanum, quam sedem tenuit usque ad a. 1189. quo moritur die 2. Aprilis. Unde Claromontanus Episcopus nominatur a. 1173. in instrumento Silviniacensis Abbatiæ. Anno 1174. in Charta S. Martini Turonensis, & a. 1175. cum Ainardo Sancti Illidii Abbate, cujus Successori Pontio confirmat donum Ecclesiæ de Valbellez. Extat Epistola illius ad Mauritium Parisiensem Episcopum & Stephanum S. Evurtii Abbatem, quæ est tertia apud Stephanum Tornacensem, quem editiones malè *Petrum* pro *Pontio* appellarunt. Scripsit ergo hoc Opus Thomas, inter annum 1173. quo electus est in Episcopum Claromontanum Pontius, & annum 1189. quo mortuus legitur die 2. Aprilis. Hunc serius quam par est, collocasse videtur Guillelmus Cavus ad annum 1201. *in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 701. quo tempore jam mortuus fuisse videtur, quippe qui jam ab anno 1160. florebat. Dicitur vixisse usque ad annum 1190. imò usque ad 1200. Scripserunt multi de authore *Commentarii* præfati, qui ferè omnes sunt decepti. Primus omnium Carolus de Visch in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, impressa Coloniæ Agrippinæ anno 1654. in 4. apud Joannem Buseum. Et Duaci anno 1649. in 4. apud Joannem Serruvier, authores hujus *Commentarii* facit tres Thomas diversis locis, paginis nimirum 310. & 312. suæ Bibliothecæ, unum Cistercii Monachum, alterum Persennæ, ac tertium De Valcellis in Dioecesi Cameracensi, illosque omnes hujus Operis auctores. Deceptus fuit Vischius ex inscriptione MSS. Codicum hujus *Commentarii in Cantica*, qui sæpissime inveniuntur sub nomine Thomæ Valcellensis, ut in Bibliotheca Colbertina Cod. 2783. in Victorina Parisiensi, Littera F. 18. Secundus Joannes le Paige author *Bibliothecæ Præmonstratensis* Lib. I. cap. 17. pag. 307. quæ Parisiis in fol. anno 1633. prodiit apud Ædrianum Taupinard. Hic ex affectatione aut fide alienâ hunc Commentarium *Thomæ cuidam Canonico Viconiensis Ecclesiæ* attribuit, ut absque dubio Ordinem suum Scriptore extraneo ditaret. Cum itaque a. 1680. Viconiæ haud parum temporis hærerem, omnesque insignis olim hujus Bibliothecæ Manuscriptos Codices excuterem, hunc Commentarium tenui, volvi, legi: quem anonymum, si solum Thomæ nomen ei appictum excipias, inveni, nec ullam illic literulam reperi, qua Viconiensi Canonico alicui adtribueretur. Cum verò in multis jam aliorum Ordinum Bibliothecis eundem Commentarium reperissem, sæpius anonymum, aliquando cum *Thoma istius Cisterciensis* expresso nomine, & *Epistolâ pravia ad Pontium Claromontanum Episcopum*: imò & primas tam Epistolæ, quam Præfationis ac libri primi Symbolas memoriter possiderem: intellexi statim esse ipsum opus *Thomæ Monachi Cisterciensis*, tam sæpe à me visum in Bibliothecis aliis: Itaque vel bonus Joannes le Paige opinatus est, quidquid anonymum in MSS. inveniebatur Viconiensibus, spectare ad fratres Viconienses: vel alius quis forsitan ex Canonicis Viconiensibus satis in sui gratiam credulis ipsum fefellit, quod de Belgis omnibus Franciæ vel Hispani-

cæ dominationis, absque diſſimulatione vel invidia, affirmare licet. Tertius aperto marte collatisque ſignis, Commentarium hunc authori Franciſcani Ordinis vindicare, imò ſurari omnigenis cavillationibus conatus eſt. Hic Paulus Reatinus Minorita Obſervantinus, qui zelo in Joannem Scotum ſuum præpoſtero, ut Franciſcanum huncquem *Doctorem ſubtilem* appellant, ſuffuratis adhuc ſcriptis clariorem cæteris, carioremque fratribus Minoribus redderet, auſu temerario ſed irrito tandem conatu, evulgare hunc Commentarium aggreſſus eſt Romæ anno 1653. in folio ex typographia Stephani Caballi, ſub ſalſo ac ficto nomine *Joannis Duns Scoti, Doctoris ſubtilis ſuper Canticum Canticorum Salomonis.* Quod cum reſcivisset Joannes Malgorius Bonæ Combæ Monachus & Proviſor Generalis Ordinis Ciſtercienſis in Curia Romana, nefariis Pauli Reatini conatibus pro parte Ordinis ſui ſe oppoſuit, impreſſionemque jam factam ſub Joannis Scoti nomine, diſtribuendam prohibuit. Intereà nec ab incepto Paulus Reatinus deſtitit, qui ſuam audaciam titulum ſibi juſtum reputans, Malgorium Ciſtercienſem, reum ſimul & inſontem, in cauſam traxit. Intentata lite, rationibus hinc atque inde prolatis, Chartis atque probationibus, ex MSS. Codicibus ac vetuſtis editionibus in medium productis, Joannes Duns Scotus hoc *Commentario in Cantica Canticorum* deſtitutus abiit, ac Paul. Reatinus Minorita Obſervantinus confuſus, ſi tamen confuſionis aut pudoris admittendi idoneus fuit, temeritatis & audaciæ intolerabilis convictus. *Sententia definitiva in forma publica Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici*, prolata a. MDCLV. Indictione VIII die verò decima quinta Martii, qua definitivè pronuntiavit, *Librum ſuper Cantica Canticorum, fuiſſe & eſſe compoſitum, confectum & editum à R. P. Thoma Ciſtercienſe: & erroneè ac perperam per Reverendum Patrem Paulum Reatinum Minoritam, & alios litis conſortes, prætentum fuiſſe & eſſe, imprimi & publicari ſub nomine Joannis Duns Scoti, Doctoris ſubtilis: cum inhibitione ne ſub nomine Scoti imprimatur, vendatur, & uſu recipiatur, ſed ſub ſolo nomine Thomæ Ciſtercienſis.* Sic ſubſignatum. *Ita pronuntiavi ego Fr. Raymondus Capiſuccus, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici palatii Magiſter. D. Joannes Garzias Valentinus, Notarius.* Vidi unum ex iſtis Romanæ impreſſionis exemplaribus in folio, in Bibliotheca Benedictinorum ſancti Germani Pariſienſis, ubi à pagina prima ad paginam 403 & ultimam, inſcribitur, *JOANNIS DVNS SCOTI IN CANTICA &c.* juxta citatam Pauli Reatini Minoritæ editionem. Sed Frontiſpicium ac primæ paginæ adjunctus titulus, *THOMAS CISTERCIENSIS IN CANTICA CANTICORVM. Opus concionatoribus utiliſſimum, ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Principem, Jacobum S. R. E. Cardinalem Nimum, Sacri Palatii Apoſtolici Præfectum, & Sacri Ordinis Ciſtercienſis Protectorem clementiſſimum.* Doluit procul dubio Paulus Reatinus, quod Joannem Scotum Sancto Thomæ Aquinati ſimilem, per furtivam Commentarii hujus in Cantica Canticorum ſubſtitutionem, facere non potuit. Atque utinam auſus ſimiles cenſura ſimili comprimerentur, neque tot pro lubitu partiumque ſtudio Scriptorum anonymorum parentes invenirentur. Multa hæc quidem, nec brevioribus tamen litem hanc mihi depingere licuit: de quo nos iterum paucis poſtea ad annum 1230. ubi de Joannis de Abbatisvilla ſcriptis diſſeremus. Vt autem ſuppoſitionem ſuam impune & impudenter Paulus Reatinus faceret, Præfationem operis Pontio Claromontano Epiſcopo factam abſtulerat, & nomen Joannis Scoti, qui necdum natus erat tempore hujus Epiſcopi, quo centum & quadraginta circiter annis poſterior eſt, autoritate propriâ appoſuerat. Agunt de *Thoma Ciſtercienſi* Carolus Viſchius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis* p. 310. Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro.* Guillelmus Cavus *in Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 1201. p. 706. male ut ſuprà diximus.

JOANNES BERARDVS, Caſaurienſis Mo- 1180
nachus poſt annum 1180. claruit, nominis famam conſecutus *Chronico Abbatiæ Sancti Clementis Caſaurienſis ſive Piſcarienſis*, quod D. Lucæ Dacherio Monacho Benedictino ultro contulit Antonius Vion Dominus d'Herouval, vir in diſcutiendis anterioris ævi ſcriptis perſpicaciſſimus. Illud autem ex ingenti volumine elegantiſſimis characteribus ante annos D. exarato, quod omnes Monaſterii chartas complectebatur, Dacherius excerpſit, atque an. 1661. Tomo V. *Spicilegii* pag. 361. edendum in 4. Pariſiis curavit. Auctor ſiquidem Johannes Berardus, ejuſdem Monaſterii Monachus Benedictinus, ſummatim ordine chronologico quæ prolixius referunt Chartæ, marginibus adſcripſit, hiſtoriamque contexuit, additis præter ea quæ Piſcariam, vulgo Peſquaire vocitatam ſpectant, ſerie Imperatorum, Regum, ac Principum, bellis quoque & cladibus, ac depopulationibus, variisque eventibus. Præcipua diplomata, nempe Regia & Pontificia, privilegia, rati nec injucunda Lectori nec inutilia fore, inſeruimus, inquit Dacherius, in Præfatione ad dictum Tomum §. XI. pag. 20. Claruit Joannes Berardus ſub Abbate Leonate Piſcarienſi, ut teſtatur lib. 3. ejuſdem Chronici pag. 529. quod usque ad annum 1182. perduxit. Idem Dacherius in Præfatione pag. 29. « Hiſtoriam de fundatione Caſaurienſis Monaſterii ſupra citatam edidit primum V. C. Franciſcus Ducheſnius anno 1641. Tomo III. *Hiſtoricorum Franciæ Scriptorum* pag. 544. ac poſtmodum ſæpius à me laudatus Ferdinandus Vghellus Tomo VI. *Italiæ ſacræ* pag. 1291. Et miror vehementer qui Ducheſnium & Vghellum, viros alioqui diligentiſſimos, Berardum hiſtoriæ hujuſce auctorem fuiſſe latuerit. Erat ipſa in

„co volumine MS. cujus initio memini, post „Prologum sub hoc titulo, *Pars Prima & Secunda Chronici Parisiensis*. Eos autem libros prætermisimus hac de re, ne veluti crambe bis terque recocta, Lectori Stomachum permoverent. Præterea compendio eadem plane „Berardus repetit in subsequenti libro, quem „primum fecimus: imo & Ludovici Imperatoris diplomatibus confirmat, quæ in duobus „illis conscripserat. Ecquid itaque emolumenti eruditis contulissem, si denuo eos prælo „commisissem? „ Hæc, Dacherius Locis citatis.

1180 ROBERTUS COGNOMENTO SCRIBA, natione Anglus, & Canonicus regularis Ordinis divi Augustini in Cœnobio Bridlingtonensi, ubi successu temporis ob intuitum doctrinæ & prudentiæ singularis, hujus Ecclesiæ Prior ordine quartus institutus fuit. Claruit hac eadem ætate qua Bravonius, nempe 1180. non minimum Oxoniensis Academiæ decus. *Scriba* cognomine dicitur, quia antiquiorum Ecclesiæ scriptorum Opera describere magis, quam componere propria, maluit, licet opinarer æquius hoc cognomentum familiæ fuisse, quale hodieque inter Gallos extat. Non ita tamen describendis aliorum antiquiorum libris totus incubuit, quin propria etiam vitula araverit. Extat enim sub ejus nomine expresso *Commentarius in 12. Prophetas Minores* cujus initium *Teste beato Hieronymo* inter Manuscriptos Codices Universitatis Oxoniensis Codicibus 1916. & 1919. in MSS. Codicibus Collegii S. Johannis Baptistæ 84. & 87. inscriptis *Robertus Scriba in XII. Prophetas.* Inter eosdem MSS. Codices ejusdem Universitatis Codice 1958. in MSS. Codicibus Collegii sanctæ Trinitatis Codice 21. *Robertus Bridlington super vetus testamentum.* Nec satis habens scripsisse Commentarios in Libros allegatos Testamenti veteris, cum tunc temporis & Hildegardis Bingiæ & Elisabetha Schonaugiæ & Joachimus Abbas Florensis ex scriptis revelationibus ac prophetiis existimationem sibi posterorum comparassent, in eandem artem prophetandi Robertus quoque Scriba irrumpare voluit, ne fœminis istis, virisque prophetantibus inferior videretur. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2157. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera D. 1. Codice 22. num. 25. *Vaticinium Bridlington:* & num. 40. *Prophetia Roberti Scriba Doctoris* &c. Inter MSS. quoque Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum insignium bibliothecarum, Codice 8044. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 322. *Roberti de Bridlingtuna Commentarius in Exodum.* Ibidem Codice 2964. in MSS. Codicibus Norfolcianæ bibliothecæ Codice 65. num. 6. *Roberti de Bridlington versus de arte medicinali.* Principium, *Febribus infestis requies* &c. Extat quoque & Prophetia dicitur, inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 664. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Codice 524. num. 1. Et inter eosdem MSS. Codices Hiberniæ Codice 794. in MSS. Codicibus ejusdem Collegii Codice 654. num. 17. *Prophetia Canonici de Bridlington.* Initium, *Febribus infectus* &c. De illo inter MSS. 5105. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Joannes Lelandus Collectaneorum Vol. 4. cap. 124. pag. 165. Joannes Pitseus *De Scriptoribus Angliæ* ætate XII. scriptore 244. ad annum 1180. pagina 242.

SENATUS BRAVONIUS, natione Anglus, 1180 circa an. 1180. erat in pretio apud Britannos, quem Joannes Lelandus collocat tempore Henrici 2. Anglorum Regis, Joannique Sarisberiensi & Odoni Abbati de Bello synchronum facit. Hic Antonio Possevino *Braconius* perperam dicitur, Saussejo autem in Annalibus Aurelianensibus lib. 4. cap. 8. *Baronius*, nisi istypographiæ error sic. Fuit autem Præfectus Wigomiensium Monachorum Congregationis Cluniacensis, seu Prior, cujus extant inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ num. 1966. in Codicibus MSS. Thomæ Bodleji litera B. 2. Codice 1. num. 6. sub. titulo *Senati Prioris Wigorniensis Epistola VII. ad diversos*, quarum argumenta recensentur ibidem. 1. Ad Rogerum Episcopum Wigorniensem. 2. Ad Magistrum Alvredum, in qua de Canone Evangeliorum. 3. Ad Joannem Duvelnensem seu Dublinensem Archiepiscopum, in qua de horis Canonicis fuse agit. 4. Clementi de Osneia Priori. 5. Magister Alvredo, in qua de officio & orationibus Missæ. 6. Willelmo de Turnebrigge, in qua de attributis divinis disserit. 7. De Horis Canonicis & sacerdotalibus indumentis, quæ ejusdem eum tertia argumenti esse videtur. Præter hæc edidisse videtur Vitas duorum suæ ætatis Episcoporum Oswaldi & Wulstani, quarum habes priorem apud Surium Tomo V. ad diem 15. Octobris. Putatur autem posterioris epitome, quæ apud Joannem Capgravium in *Legenda Sanctorum Angliæ*, & apud Surium ad diem XIX. Januarii, & apud Bollandum eadem die sub anonymi nomine, loco tertio. Ibi legas annis jam centum Wulstani corpus mansisse incorruptum, quod cum ætate Senati Bravonii, de qua diximus, recte convenit: nam Wolstanus anno 1067. obiit, cum annos 87. vixisset, Ecclesiæ Wigorniensi annis 34. præfuisset. Extat illa integra in Cottoniana bibliotheca sub effigie Claudii A. Codice 5. num. 9. *Vita S. Wulstani Episcopi & Confessoris, per Senatum Bravonium anno 1170. Monachum Wigorniensem*, vel potius *per Williclmum Monachum Wigorniensem*, ut ex Epistola ad finem Vitæ subjuncta, patet. Meminit hujus scriptoris Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. 130. pag. 170. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 423. editionis ultimæ.

GULIEL-

1180 GVLIELMVS CROYLANDENSIS eodem tempore claruit circa annum 1180. qui sub Henrico 2. Anglorum Rege & Ricardo filio, multa Carmine non incompto, composuit: unde ob artem scribendi Abbas etiam Ramesiensis factus est. Extat autem in Cottoniana bibliotheca sub effigie Vitellii litera D. Codice 14 num. 1. Vita S. Guthlaci Sacerdotis per Gulielmum Abbatem Ramesyensem, anno 1180. versibus hexametris descripta. Num. 2. Vita S. Edmundi Regis & Martyris per Gulielmum Croylandensem, versibus elegiacis, cum versibus rythmicis ad laudem ejus sub finem. Num. 3. Vita S. Birini Episcopi & Confessoris, ad Petrum Wintoniensem Episcopum, per eundem, versibus hexametris num. 4. Vita S. Fredemundi Regis ac Martyris, per eundem versibus hexametris. Num. 5. De translatione veteris Ecclesiæ Sarisberiensis, per eundem, versibus elegiacis. Vitam autem S. Guthlaci, quam prosa Felix ediderat, carmine ipse heroico cecinit, eamque Henrico Abbati dedicavit, Gulielmi Longescampi Eliensis Episcopi fratri. In eadem Bibliotheca sub effigie Claudii litera A. Codice 5. num 8. Vita Sancti Neoti Abbatis per Gulielmum Abbatem Croylandensem anno Christi 1180. ut ibi vir eruditus annotavit. Extat quoque inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 5106. in Joannis Lelandi volum. 5. *Collectaneorum* num. 5. Epitaphium Walderi Comitis, comprehendens *Vitam & Passionem* summatim, nec non & miracula quædam ejusdem Comitis, editum a Gulielmo Monacho Croylandensi. Num 6. Epitaphium metrice ejusdem Comitis. ab eodem Gulielmo editum. Num. 7. Ex altero libello De vita Gualderi Comitis, a Monacho, ut videtur, Croylandensi scripto, sed longe ante tempora Gulielmi, qui Gualderi Comitis epitaphium scripsit. Meminit etiam hujus scriptoris idem Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. seu num. 135. pag. 174. Gerardus Joannes Vossius Libro *De Historicis Latinis* 2. cap. 52. pag. mihi 423.

1180 LABORANS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS, dictus *Laborans* proprio nomine, qui primum quidem fuit Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, tum posteà Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim, Philosophus & Theologus egregius, edidit, ut Baronii Cardinalis verbo utar, anno Domini 1182. elaboratissimam *Collectionem Canonum*. Item extat ejusdem *Opus De justitiæ rationibus quadripartitum ad Majorem Magnum Siciliæ Ammiratum, Opus ad Hugonem Panormitanum Archiepiscopum, idemque tripartitum. Epistola ad Hugonem contra Sabellianos rursum reviviscentes. Altera ad Vivianum Cardinalem Sancti Stephani in Cœlio monte, De appellationibus:* quæ non integra, sed recisa legitur. Continet has omnes *Laborantis* lucubrationes Codex membraneus Basilicæ Sancti Petri in urbe, ut habet Baronius tomo 12. *Annalium*, ac post illum Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo, LABORANS. Obiit sub Papa Clemente III. circa annum 1190. de quo etiam loquitur *Nomenclator Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ Scriptorum*, Ludovicus Castaneus de la Rochepozay, Pictaviensis Episcopus, pag. 18. Philippus Labbeus *in Specimine Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum librorum*, pag. 51. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 126. Augustinus Oldoinus Soc. Jesu *in Athenæo Romano* quo Romanorum Pontificum & Cardinalium Scripta publicè exponit, Litera *Laborans* pag. 449. editionis Perusinæ 1676. in 4. post alios plures.

ALBINVS S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPVS ALBANENSIS, Mediolano urbe totius Italiæ opulentissimâ atque clarissimâ oriundus, junior institutum Canonicorum Regularium Ordinis divi Augustini in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Crescentiano in Lombardia amplexus, illic cum applausu aliquandiu, ac celebritate nominis vixit. Hinc a Summo Pontifice Lucio III. Romam, ob eximiam in agendis rebus Ecclesiasticis industriam evocatus, ut negotiis sedem Apostolicam atque Ecclesiam spectantibus incumberet. Tantâ probitate, tantaque publicâ prudentiæ laude sibi commissis negotiis Albinus curas adhibuit, ut vigilantissimi hominis meritum Lucius III. Cardinalitia dignitate compensaverit. Factus igitur primum Diaconus Cardinalis anno 1181. mense Decembri, tituli Sanctæ Mariæ Novæ, tum posteà Sanctæ Crocis in Hierusalem, denique & promotus à Clemente III. est ad Episcopatum Albanensem. Reliquit autem posteritati æternum doctrinæ suæ singularis atque Ecclesiastici laboris monumentum, *Collectionem Canonum Ecclesiasticorum* insignem, quam illustrissimus Pictaviensis Episcopus Ludovicus Castaneus de la Rochepozay se Manuscriptam vidisse in Bibliothecâ Vaticanâ testatur, *in Nomenclatore suo Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ Scriptorum*, fol. 19. Decessit sub Pontificatu Celestini III. circa a. 1194. Agunt de *Albino Cardinale* Ciaconius ubi de Cardinalibus a Lucio III. creatis *in Vitis Romanorum Pontificum*, a. 1181. Auberius *in Historia Generali Cardinalium* tomo 1. ad annum 1182. folio 207. cum aliis. Augustinus Oldoinus *in Vitis & Rebus gestis Romanorum Pontificum & Cardinalium*, tomo 1. ad annum 1181. col. 1117. editionis Romanæ 1676. quatuor voll. in folio, impensis Philippi Rossi. Item *in Athenæo Romano*, quo Scripta Romanorum Pontificum & Cardinalium publicè exponit, littera *Albinus* p. 46. editionis Perusinæ 1676. in 4. 1180

MAVRITIUS DE SOLIACO PARISIENSIS EPISCOPVS, humili apud Soliacum ad Ligerim loco natus, ob eruditionem & fa- 1180

facundiam eximiam, ad Parisiensem Episcopatum, post obitum Petri Lombardi anno 1164. evectus est. Hæc paucis scripseram in Supplemento *De Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 1190. pag. seu fol. 468. ista ad gloriam atque laudem Mauricii Parisiensis Episcopi sufficere arbitratus. Quia verò mirabilia multa de insigni Episcopo ac stupenda a nonnullis indiscretè conficta sunt, quæ meritum ejus & virtutem commendarent, maximè autem & falsò sub nomine Sancti Bonaventuræ Cardinalis & Episcopi, at verè a Cæsario Heisterbacensi Ordinis Cisterciensis, homine prorsus simplici, atque in credendo & scribendo fabulas facili: haud fore incongruum ad hujus Episcopi & Scriptoris Mauricii commendationem opinatus sum, si solidè ac seriò principales vitæ illius epochas exponerem, aniliaque ista inventa expurgarem, quibus viri simplices & nimium creduli Mauricio plurimum derogant, dum congerere ac conferre ad gloriam figmenta sua arbitrantur. Electus igitur est ad Episcopatum Parisiensem Mauricius anno 1164. post Petri Lombardi mortem, ut habetur seculo 4. *Historiæ Universitatis Parisiensis* fol. 324. & 325. ubi Cæsar Egassius Bullæus ita loquitur. „Prævidebat Hugo Senonensis Archiepiscopus prudentissime quod accidit. Nam electorum vota diu varia fuerunt, inter quos tunc erat Mauricius Archidiaconus. Sed tandem e toto numero Canonicorum tres elegerunt, qui Episcopum designarent: & cum neque tres isti concordes esse potuissent, eorum duo consenserunt, ut quem Mauricius nominaret, is Episcopus esset. Ille verò seipsum nominavit, resque hoc pacto gesta est, ut legitur apud Cæsarium Heisterbacensem Libro 6. *Miraculorum* cap. 19. *Cùm nostris temporibus*, inquit, *Parisius vacaret Episcopatus, & electores inter se concordare non possent, tribus sua vota commiserunt. Qui tres cùm in unam convenire nequirent personam, Magistro Mauricio qui unus trium erat, duo suam dederunt authoritatem, ut quemcunque ipse nominaret, Episcopus esset. Et quia idem Mauricius ut res exitus probavit, magis cupiebat prodesse quàm præesse, seipsum nominavit dicens: Aliorum conscientias & propositum ignoro, Episcopatum hunc Gratia Dei adjuvante irreprehensibiliter regere propono. Quod & fecit, sancta enim vita fuit, tam verbo quam exemplo plurimis profuit, dies suos in Episcopatu clausit.* Addit idem Cæsarius, *Ille autem erat ortu & genere pauperrimus, quem mater Humberga ex paupere tuguriolo agri Bituricensis ditionis Soliacensis Lutetiam miserat: ut mendicando panem, aut Scholaribus ditioribus serviendo, iis si posset, incumberet. Tantum autem profecit in liberalibus artibus, seque tantum profecisse existimavit, ut interrogatus aliquando an eleemosynam hac lege accipere vellet, ut omni Episcopatui renuntiaret, conditionem respuerit. Primùm ergo liberales artes docere aggressus est, deinde ad Theologiam se contulit, & in ea quoque disciplina Magisterium adeptus, Canonicatu Ecclesiæ Parisiensis, postea Archidiaconatu donatus est.* De quo dicetur amplius in Catalogo virorum illustrium."

At ego contendo totum hoc Cæsarii Commentarium allatum, esse commentum incredibile, contrarium Canonibus & usui Ecclesiæ, nec honori aut virtuti *Mauricii Parisiensis Episcopi*, hominis humillimi conducens, imò plurimum derogare. Vbi enim hanc episcopatus est fabulam de electione, vel nominatione potius *Mauricii* a seipso ad Episcopatum Parisiensem, Cæsarius? qui anno circiter 1220. annis sexaginta post dicti Mauricii electionem, scribebat? Nam qui suis vocibus seu votis cesserant, ut Mauritius nominaret quemcunque vellet solus, annon in gratiam Mauricii absque Mauricio, ambo concludere poterant, (quod Canonicum erat) antequam seipsum postea solus nominaret Mauricius, juxta eundem Cæsarium? Adde quod cum vota seu voces, in unius alicujus solam vocem seu nominationem compromittantur, hoc semper intelligatur, cum ipsius exclusione nominantis, ut seipsum nominans designare non possit. Imò ex hac ipsa sui nominatione ad Parisiensem Episcopatum, indignus erat & excludendus Episcopatu Mauricius. Absit ergo commentum istud Monachale Cæsarii hominis simplicissimi, atque in plerisque suis historiis absurdi & insulsi, quoad allegatam Mauricii ad Episcopatum Parisiensem promotionem, in Mauricii promoti dedecus & probrum. Longe verisimilius electum illum fuisse ab illis duobus inter tres deputatos commissariis, qui Mauritii virtutem perspectam habentes, meritum notissimum vacante pastoratu dignissimum honorarunt. Sane longe & gravior Cæsario, & locis proximior, Robertus Canonicus Ordinis Præmonstratensis in Abbatia Sancti Mariani Antissiodorensis, vivente florenteque *Mauricio Parisiensi Episcopo* vivens ac florens, qui in Chronico ad annum 1164. quo Mauricius est electus, tale nihil comminiscitur. *Floret Mauricius Episcopus, qui ob industriam ac literaturam eximiam, & disertitudinem linguæ præcipuam, de infimo magnæ paupertatis, ad Pontificalis erectus est apicem dignitatis. Hic inter præclara opera sua, Ecclesiam cui præerat, à fundamentis extruxit, duosque pontes lapideos condidit, alterum super Sequanam, alterum super Matronam.* Hæc Robertus synchronus testis & conterraneus, qui dum de ejus electione loquitur, de tanta novitate nihil scribit: adeoque tota hæc fabula ab Monacho Germano ac simplici, quales (ut nullus nescit) innumeras in publicum effudit, in derisionem, imò probrum *Mauricii* conficta videtur. Illic Robertus *Mauricium* dicit *evectum* id est electum, non seipsum nominasse, quod purum absurdum est. Nihil mirum itaque, si ista suppresserunt Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo 1. pag. 436. dum de *Mauricio* loquuntur, quamvis ad finem, librum 6. cap. 19. Cæsarii, ubi fabula ista continetur, allegaverint: opinabantur enim hanc

nat-

narrationem a Monacho confictam. Nihil etiam de hac fabula Rigardus Scriptor synchronus & conterraneus, nihil Robertus de Monte, Chtonici Sigeberti continuator, ubi de *Mauricio* loquitur; nec Vincentius Belvacensis Gallus Scriptor, ut soli Monacho Cæsario commentum istud egregium servaretur, quod cum plurimis aliis in suarum Distinctioonum horreum immisit.

„ Addit Cæsar Egassius Bulæus in Catalogo illustrium Academicorum fol. 755. Quomodò verò in sua dignitate Episcopali se gesserit, & quam non infimum suum genus despexerit, unico exemplo patet, cum matrem in paupere cultu maluit excipere, quam matronali vestitum. Rem sic narrat Bonaventura in Sermone 5. De X. Præceptis. *Fuit quidem Magister magnus & famosus Parisius, & à multis notus & dilectus. Hoc audiens mater sua paupercula, cogitavit ire ad filium suum: accepit baculum, & in tunicella de burello venit Parisius, & quæsivit à quibusdam dominabus pro tali Magistro. Dixerunt illi Matrona, quid vultis de eo? Respondit, ego sum mater sua. Tunc illæ matronæ duxerunt eam in domum suam, & refocillaverunt eam. Posteà cogitaverunt, quòd ille bonus homo verecundaretur, si videret eam in tali statu, & induerunt ipsam bene, & dederunt ei mantellum, & iverunt secum ad Magistrum. Tunc illa dixit, Ego sum mater tua. Respondit Magister. Verè ego non credo, quia mater mea est paupercula, & consuevit solum habere tunicellam de burello. Et cum nullo modo vellet acquiescere verbis ejus, reduxerunt eam in domum suam, & reddiderunt ei tunicellam ejus, & baculum. Tunc illa accessit ad filium in congregatione multorum, & cum videret matrem suam in tali habitu venientem, deposuit capucium suum, & amplexatus est eam & dixit, Modo scio quod es tu mater mea. Hoc fuit devulgatum per villam, & reputatum est ei pro magno honore, & posteà factus est Episcopus Parisiensis."* Hoc quidem factum longe præcedenti credibilius, magisque humilitati atque aliis *Mauricii Parisiensis Episcopi* virtutibus convenit: sed nec firmatuoi authoritate allatâ satis est, quæ divi Bunaventuræ non est. Nam Bonaventura vir doctus, in Scholasticis etiam quæstionibus dictione utcunque purus & latinus, in Opusculis indubiis nitidus, ut in Legenda Sancti Patris Francisci, aliisque Opusculis *contra Guillelmum de Sancto Amore*, visere est. Hic autem Scriptor ista narrans, abjectus, in expressione barbarus, in styloque narrationis nugax. Referunt hanc ignaram rusticamque Latini idiomatis methodum, Scriptores ad finem seculi XIV. vel sub initium & medium seculi XV. temporibus Joannis de Tambaco, Joannis Gersonis, & aliorum hujus ætatis. Vnde hic anonymus ad faciendam hujus facti fidem insufficiens est. Mirum autem quantum Sancti Seraphici Doctoris honori ac famæ ob doctrinam clarissimæ, Franciscani derogent: dum ejusmodi obtusi judicii homines, in molem Operum Bonaventurianorum tam pudenda Scripta ingerunt, quibus quantum mole accrescit, tantum existimatione imminuitur. Non ita scribebat Bonaventura, unde ubi gravi maturoque judicio Franciscani agent, plusquam partem mediam Operum ejusmodi à mole Bonaventurianæ Operum editionis amolientur. Num enim expressiones ejusmodi, *Accepit baculum & tunicellam de burello*, item *dederunt ei mantellum*, denique, *hoc fuit divulgatum per villam*, barbaræ atque aniles, in Vita Sancti Patris Seraphici invenientur? Hucusque conjecturæ me adduxerant, quando jam reperio Opusculum istud *De Decem præceptis* in Opera divi Bonaventuræ positum, certò spectare ad *Godscalcum Hollen* anno circiter 1460. scribentem, quod tempus ego jam huic anonymo ex conjecturis styli & fabularum assignaveram. Hoc constat quia bis illud impressum est sub ejus Godscalci nomine, antequam immiteretur in Opuscula divi Bonaventuræ. Nempe in folio a. 1481. Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Guldenschaff, & a. 1497. Norimbergæ apud Antonium Koberger. Atqui Scriptor anni 1460. haud idoneus est ad talia facta anno 1164. tamque stupenda allegaoda, nisi per ejusdem ætatis testes & Scriptores illa probaverit. Prætermissis fabulis, jam vera audiamus.

Narrat ad annum 1176. Robertus de Monte, quam sedulo Mauricius Episcopus Parisiensis, incumberet in ædificationem Basilicæ: *Mauricius*, inquit, *Episcopus Parisiensis, jamdiu est quod multum laborat & proficit in ædificatione Ecclesiæ prædictæ Civitatis, cujus caput jam perfectum est excepto majori tectorio: quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes, cui aptè debeat comparari.* Cathedralem igitur Ecclesiam Deiparæ Virgini sacram à fundamentis erexit, quatuor Abbatias condidit ac dotavit, Herivallem, Hermetias, Hederam, & Gif, jure pater pauperum nuncupatus. Hæc vera & credibilia. *Sermones per totum annum tam de Dominicis, quam de Sanctorum Festivitatibus & exhortationes ad Presbyteros De cura animarum fideliter gerenda*, ipsum scripsisse Henricus Gaudavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 14. testatur: quos audio MSS. asservari in Bibliothecis Sancti Germani & Sancti Victoris Parisiensium. Habentur MSS. in duobus Codicibus Bibliothecæ Sancti Germani, num. 731. & 680. *Exhortatio Mauritii ad Presbyteros De cura animarum fideliter gerenda, cum brevibus Sermonibus de Oratione Dominica, Traditione Symboli & Articulis aliis fidei*: itemque *pro Dominicis & præcipuis festivitatibus totius anni*, quem Codicem absque dubio viderat Henricus Gaudavensis suprà citatus, quem etiam designare videtur. Horum autem Prologus, *Prædicatoribus prædicare, Evangelistis evangelizare &c.* Cujus secundi Codicis initium laurum, quod ex alio integro facile sanari potest; Sermo autem primus incipit, *Dixit Dominus ad Moysen, loquere ad Aaron &c.* Habentur etiam *Sermones Mauricii per annum*, in Bibliotheca Sancti Victoris Canoni-

corum Regularium, Littera QQ. 22. post Sermones Petri Comestoris, incipientes à Sermone *Circoncisionis*. Et alii Littera QQ. 19. incipientes à Sermone *De Dedicatione Ecclesiæ*, post Sermones ejusdem Petri Comestoris. Iidem *Sermones Mauricii Parisiensis Episcopi* Gallicè MSS. in Bibliotheca Collegii Navarrici, quibus antiquiores in Linguâ Gallicâ, nullos vidi. Denique in Bibliotheca Sancti Benigni Divionensis, Ordinis divi Benedicti, Cod. 185. *Sermones Mauritii Episcopi Parisiensis ad Presbyteros, Prædicatoris prædicare &c.* ut suprà dictum est.

Extant quoque inter Manuscriptos Codices Bodlejanæ Bibliothecæ apud Anglos Codice 863. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, Litera D. Codice 96. num. 1. Ibidem Codice 1750. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 149. num. 2. atque aliis in locis.

Vir sanctus obiit anno 1196. tertio Idus Septembris, & ad Sancti Victoris Ecclesiam deportatus, ubi sepultus est cum chartula, quam supra pectus suum apponi jusserat, ut viros litteratos plerosque tunc temporis circa Resurrectionem corporis hæsitantes, hoc facto in fide confirmaret: cui verba hæc inscripta legebantur: *Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea, in sinu meo.* Ita refert Rigordus in Vita Philippi Augusti, Francorum Regis. *Mauricio* Epitaphium composuit Stephanus Tornacensis, Canonicis Ecclesiæ Parisiensis rogantibus, quod Epistolæ ipsius CCLX. insertum est. Jam ad fabellas de eo sparsas iterum redeamus, ex Egassio Bullæo his verbis.

„Anno 1196. tertio Idus Septembris, obiit „summo bonorum omnium luctu Mauritius de „Soliaco Parisiensis Episcopus, sepeliturque in „medio Chori Abbatiæ Sancti Victoris. De il„lo dicitur quod cum læthali morbo se corre„ptum vidit, postulato viatico, panem non con„secratum, qui loco Dominici corporis nescienti, „& non satis rationis tunc compoti porrigeba„tur, optimè agnoverit & respuerit, corpus verò „Christi sibi allatum adoraverit: quæ tamen „historia de alio ab aliis refertur. At de *Mau„ritio* Cæsarius Heisterbacensis Lib. 9. cap. 43. „*Magister Mauritius Parisiensis Episcopus, ante mor„tem suam tam graviter infirmatus est, ut materia „rupta in cerebrum, sensum ei abstraxerit. In tali „defectu positus, cùm corpus Domini cum instantia „postulasset, & hi qui circa eum erant, propter sensus „inopiam, illud ei dare non auderent: procura„verunt cum Sacerdote, ut hostiam non benedictam „apportaret. Qui cum venisset cum multa reveren„tia, qualiter decebat Episcopum communicare: „mox ut limen Domus Sacerdos attigit, Episcopus cla„vit clara voce,* Tolle, tolle, non est Dominus „meus. *Revelaverit Deus in auriculam ejus, ut in„telligeret quid circa se ageretur. Stupente Sacer„dote, necnon aliis qui aderant, reversus est verum „Christi corpus deferens. Quod cum verbu Catholi„cis valde atque compunctus adorans, devotè susce„pit: cumque & sensum ad Dei gloriam subtractum „perfectè recepit, sicque in bona confessione, plenus fide „& charitate migravit ad Dominum.*" In eandem rem Poëta quidam anonymus antiquus hos versus edidit, quos Nicolaus Camuzatus Trecensis Canonicus, ex MS. Codice luce donavit.

Migrat Parisii pater ad patriam Paradisi,
Mauritius, mundo Martha, Maria Deo.
Hic obit à quinta jejunus luce viator,
Esurit in vera carne videre Deum.
Offertur panis, quem clausis sensibus intrà
Spiritus inspirat, corporis esse cibum.
Verbo, mente, manu, calicem panemque repellit,
Et sic cœlesti corripit ore dolum.
Illusere mihi: velut hospes postulo pastum,
Passum sub vera postulo carne Deum.
Rem stupet auditor. Offert venerabilis Abbas
Quod petit, occurrit mente manuque pater.
Sensit adesse Deum, fervescit in oscula, sanctum
Vas tenet, & verum corpus adorat ita.
Ecce salus mundi, verbum Patris, hostia sacra,
Viva caro, Deitas integra, verus homo.
Te Deus esurio, quod non finis exteriorem,
Te Deus interior sumere poscit homo.
Transeat ad dextram Patris Christi caro, cum quo
Disponit patris regna, Redemptor homo.
Sic spes hic meruit rem præsentire, fidesque
Scire, videre Deum glorificandus homo.
Sic amor exarsit, sic spes præsensit, ut unà
Crederet & sciret credita, certa fides.

Nihil tamen ea de re nec Rigordus, nec Robertus Antissiodorensis, illius temporis propinquiores. Rigordus hoc tantum de ejus obitu, scribit quod cum hisce temporibus de Resurrectione mortuorum dubitaretur, schedulam pectori suo imponi voluerit hæc verba continentem, *Credo quod Redemptor meus vivit.* Sic ergo ille. *Eodem anno tertio Idus Septembris, Mauritius veneranda memoria Parisiorum Episcopus, pater pauperum & orphanorum, feliciter migravit ad Dominum. Hic inter innumera bona quæ fecit, quatuor Abbatias fundavit, & propriis sumptibus devotissimè dotavit, videlicet Herivallem, Hermerias, Hoderam & Giff, & alia plura quæ longum esset hic po-*

„nere. *In fine tandem quidquid in re marsupii habuit, pauperibus erogavit: & quia Resurrectionem corporum, de qua multos peritos suo tempore hæsitantes audierat, firmissimè credebat: cupiens illos ab incredulitate sua etiam moriens revocare, rotulum scribi mandavit hujusmodi scriptum continentem:* Credo quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt; reposita est hæc spes mea in sinu meo. *Hunc rotulum in extremis agens super suum pectus excusum à fidelibus suis & familiaribus poni praecepit, ut omnes viri litterati, ad ejus sepulturam in die obitus sui convenientes, & hanc Sanctam Scripturam legentes, firmissimè communem omnium corporum Resurrectionem crederent, & deinceps nullatenus dubitarent.* “ Vincentius Bellovacensis in *Speculo* eadem verba refert, & Antonius lit. 17. cap. 9. Rigordus igitur, qui tam præcise hanc inscriptionem, & quam ob caussam refert, tale miraculum haud conticuisset, si verum esset, quod ad Mauricii sanctitatem maximè fecisset. Hæc verbotenus seculum 4. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad annum 1196. fol. 512. unde patet quam parum fidei apud ipsum meruerit, enarrata à Cæsario Monacho Heisterbacensi historia Lib. 9. *Distinctionum* cap. 43. Mortuus igitur anno 1196. atque ut tradit idem Seculum IV. *Universitatis Parisiensis* in Catalogo illustrium Academicorum pag. 755. apud S. Victoris Ecclesiam sepultus est, cujus ad laudem hi versus compositi.

Doctor & Antistes, cathedra condignus utraque
A prima meruit, continuare duas.
Sana fides, doctrina frequens, eleemosyna jugis
Clamant Parisius, non habuisse parem.
Virginei mensis, quæ tertia prævenit idus,
Splendorem sepelit, nube sepulta dies.

Hæc nos ne fabulæ invalescant ex authoritate simplicium quorundam Scriptorum, qui ad miraculum creduli, omnia vel sibi dicta vel ab aliis credulis audita, scriptis mandarunt in gratiam (ut opinabantur) Ecclesiæ: sed verè apud viros graves ac judicio firmos, in illius sæpissimè detrimentum & subsannationem. Applicentur his & similibus Historiis ex levitate scriptis, illa verba quæ scribit Doctissimus Christianus Lupus ex Eremitis divi Augustini, in Libro *De Origine Eremitarum divi Augustini* cap. 35. ubi ope atque opera omni enititur, ut *Sermones ad Fratres in Eremo* ab Operibus Augustinianis ejiciantur. Sic autem ille: *Bonus autem ille istorum Sermonum author, imitatus est nescio quos nostri seculi homines, qui conficta miracula, aliaque id genus falsa, ad alicujus religiosi Ordinis Laudem & commendationem in vulgus spargere, esse putant fraudes licitas & pias.* Plura de *Mauricio Parisiensi Episcopo* fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo I. ubi de Archiepiscopis Parisiensibus, pag. 436. & seqq. Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo XII. tomo seu parte I. cap. 6. pag. 545. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 131.

IOANNES BELETH DOCTOR PARISIENSIS, quem in editione Supplementi *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 1328 pag. 589. 1180
malè collocavimus juxta Claudium Joly Canonicum Parisiensem in Opusculo quod anno 1661 edidit *De verbis Martyrologii MS. Usuardi in Ecclesia Parisiensi*, quoad beatæ Mariæ Assumptionem. In eandem venerat nobiscum sententiam Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo I. p. 825. his verbis. „ Ioannes Belethus Theologus Parisiensis, quadringentis abhinc annis plus minus, scripsit *Rationale divinorum Officiorum*, quod jam primum opera Cornelii Laurimanni prodiit, unà cum Rationali Durandi Antverpiæ, anno 1570. Dilingæ autem anno 1572. Hujus verò Operis Henricus de Gandavo *in Catalogo* cap. 18. meminit, inquiens: *Joannes Beleth & ipse Theologicæ Scholæ Rector Parisius, scripsit Summam De divinis officiis, de personis, de temporibus, & multis rebus, Lectori utilia continentem.* Atqui eidem attribuuntur *Sermones varii*, & liber MS. qui nescio an adhuc prolatus sit in lucem, qui *Gemma animæ* inscribitur. Vivebat anno 1328. “ Eisengrenius. Scripsit autem Joannes Beleth nobile opus *De divinis officiis*, quod impressum in 8. Antverpiæ a. 1553. & 1570. Lugduni a. 1574. 1583. & cum Durando ibidem 1592. pag. 922. in 8. Extat MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4603. qui est 400. annorum in 4. & Cod. 4494. in 4. ejusdem antiquitatis. Idem extat in Bibliothecis Victorina & Colbertina, sæpius. Philippus Labbeus *in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum*, illum a. 1160. floruisse asserit. Guillelmus Cavus *in Historia Literaria* ad a. 1162. pag. 680. quod verisimile est. Sanè Henricus Gandavensis, qui *in Catalogo virorum illustrium*, meminit cap. 14. *Mauritii Parisiensis Episcopi*, & cap. 18. *Joannis Beleth Magistri Theologicæ Scholæ Parisius*, utrumque synchronum facit ac supparem: qui floruisse potuit ab anno circiter 1160. usque ad annum 1190. quantum ex conjecturis assequi datur. Verum tempus ejus ab nullo melius habere possumus, quam ab Alberico Monacho Triumfontium Ordinis Cisterciensis, qui in Chronico MS. illius positive ad annum 1182. meminit, teste Carolo Dufrenio du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 118. ubi anno 1182. floruisse in Ecclesia Ambianensi vult, *ut Albericus in Chronico MS. Author est.* Verum nescio quid indignationis apud Natalem Alexandrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, sibi accersiverit *Joannes Beleth Parisiensis Magister*, ut eum non ad annum

1318. uti a me factum est in Supplemento post Eisengrenium, Possevinum & Jolium, sed in annum M D LX. distulerit. Ita enim Natalis Alexander *in Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* Seculo XVI. tomo XXIII. fol. 961. num. 65. ubi de Scriptoribus Ecclesiasticis loquitur. *Joannes Belethus Theologus Parisiensis præter Sermones varios, Rationale Divinorum officiorum scripsit, publicique juris fecit anno M D LIII.* Vbi primam editionem Rationalis hujus, pro ipsius Authoris ætate accepit. Nec miretur Lector, quod tam singularem hujus Scriptoris Sententiam non sequamur, innixi authoritate omnium, qui quadringentis aut trecentis ad minus annis *Joannem Belethum* seniorem faciunt: qui si speciales aliquas hujus rei rationes habuit, illæ me prorsus fugiunt. Meminit hujus *Joannis Belethi* passim Cæsar Egassius Bullæus, *in Historia Seculi 4. Universitatis Parisiensis*, & in Catalogo illustrium Academicorum, ejusdem seculi, quod in Ecclesiæ duodecimum incidit.

1180 GVIBERTVS MARTINVS GEMBLACENSIS MONACHVS, ob specialem quandam in sanctum Martinum Turonensem Archiepiscopum devotionem ita cognominatus, claruit ab anno circiter 1180. & sequentibus. Multa scripsit quæ MSS. in Monasterio suo Gemblacensi in Brabantia asservantur, ubi olim Abbas fuerat. Hæc viderat Joannes Mabillonius in tribus voluminibus, unde pauca summatim refert tomo 2. *Analectorum* suorum pag. 544. & sequentibus, quæ hic verbotenus proferemus.

„De Wiberto seu Guiberto, cujus occasione ac rogatu *Epistola Hervardi Leodicensis Archidiaconi* ad G. Laudunensem Canonicum scripta est, quædam adnotare juvat ex MS. Chronico Gemblacensi, in quo hæc legi. *De isto Guiberto, magnæ sanctitatis, probitatis & doctrinæ viro, si quis nosse desiderat, cujus meriti fuerit, abunde ex scriptis ejus id cognoscere poterit. Scripsit namque Epistolas ad diversos, morales & opitimis suasionibus refertas. Scripturam sacram semper habens in manu & ore, ad Abbatialem dignitatem jam senio gravis adactus est. Vixit in Sacerdotio sexaginta tribus annis, ut in quadam, Epistola vitæ suæ primævæ deflectiva; quæ incipit* Beatus Augustinus, *de se plenius recitat. Magnus zelator fuit animarum, suæ præcipue, non minus quam aliorum, quod patet in omnibus Epistolis suis, quas ad diversas personas, tam excellentis, quam paris ac sociæ conditionis destinavit. Habitavit in diversis Monasteriis, utpote in Galliam profectus bis, in Monasterio Turonensi divo Martino sacro, ubi plurimum diligebatur tum propter honestatem morum, tum propter Vitam Sancti Martini quam* metro *composuerat, & Turonensibus obtulerat. A quibus evocatus, Gemblacum reversus est, & non ita diu post, a Monachis sanctorum Johannis & Mauri Martyrum in Florinis Abbas est postulatus: quibus laudabiliter præfuit annos quinque, menses octo. Interea temporis Johannes Abbas Gemblacensis e vivis excessit, ad cujus celebranda funeralia, a Monachis Gemblacensibus dictus Abbas Florinensis vocatus est. Volentem Florinas reverti, Fratres Gemblacenses illum elegerunt in Abbatem suum, circa annum Domini MCXCIV. præfuitque annis decem.* Et post multa, *Ad Guibertum Abbatem nostrum revertamur, qui in diversis locis & Monasteriis, diverso tempore habitavit. Et primum quidem vitam monasticam in hoc Gemblacensi Monasterio professus est, postmodum profectus in Galliam, in Turonensi habitavit: unde exiens, Gemblacum est reversus. Florinenses hunc interea temporis in Abbatem sibi elegerunt & postulaverunt, atque Abbate Gemblacensi defuncto, ibidem factus est Abbas. Post annos vero decem exactos in regimine Gemblacensi, quindecim & octo menses in Florinensi, utramque Abbatiam resignavit, & apud Florinenses habitavit. Inde venit in Villare Cœnobium, quod deserens, iterum in Galliam abiit, Turonisque habitavit. Quibus ille valedicens, ad quandam virginem Hildegardem nomine divertit, cui multam felicitatem precatus, Gemblacum ad priorem & proprium nidum reversus, ibidem obiit senex dierum, & dives multorum bonorum operum. Vixit in Sacerdotio, ubi supra dictum est, sexaginta tres & amplius annos. Viam universæ carnis ingressus est vigesima secunda die mensis Februarii. Hæc pauca ex pluribus ejus recte gestis.*

Hæc de Guiberto, qui viris doctis parum (ut puto) hactenus notus est, adnotanda duxi: sed ut de ejus Operibus accuratior notitia habeatur, quid super his in itinere Belgico præsens animadverterim, indicare, aliquod operæ pretium existimavi. Guiberti lucubrationes inveni in tribus Codicibus membraneis, præsertim vero *Epistolas*, de quibus quædam carptim hic delibare juvat. *Arnulfo Scholastico* complures scripsit, de amicitia videlicet, de solennitate paschali, de exitu Ægypti, id est hujus mundi: de tribulatione patienter sustinenda, de voluntaria paupertate, & de thesauris sapientiæ, de sancto Vincentio Martyre, & de patientia &c. *Johannem* Arnulfi Scholastici Fratrem, ad conversionem & spiritalem militiam hortatur duobus litteris, *Johanni Fratri carissimo* inscriptis. *Rainero Fratri dulcissimo* ægrotanti condolet, eumque ad conversionem hortatur. Eidem scribit de dignitate sacerdotali, tum aliam Epistolam de sollemnitate paschali, ubi *Rainerum Scholasticum* appellat. *Lamberto nepoti suo*, qui secularibus negotiis plus æquo intentus erat, tres Epistolas dirigit, quibus eum ad studium virtutum adhortatur. Hæc in primo Codice reperi, quæ vero sequuntur, in secundo.

In primis occurrit Opus *De Vita & miraculis Sancti Martini* rythmice scriptum quatuor libris, quorum prologus solutæ orationis indicat, opus istud *Philippo Coloniensi Archiepiscopo* oblatum esse Bopardiæ, cum Philippus *in*

comi-

comitatu teneretur. Eidem Philippo multæ a Guiberto inscriptæ sunt litteræ, qui passim eum *Summi Pastoris & Christi Vicarium* appellat. *Prima* est de mysteriis creationis & reparationis. *Secunda* excusatoria, quod in Pastores scribens, cum terigisse visus sit. *Tertia* Philippi nomine, ad Abbatem Majoris monasterii, & ad Primicerium Ecclesiæ Castri-novi, in qua eos interrogat de more claudendi portas Monasterii in nocte festi Ordinationis, seu translationis Sancti Martini, & de fama quæ tum ferebat, Sanctum Martinum nocte illa Missam celebrare. *Quarta* Philippo respondent Herveus Abbas & Fratres Capituli Majoris-monasterii, & quæsitis faciunt satis, laudantque Guibertum. *Quintam & sextam* scribunt eidem Philippo, Philippus Decanus, Rainaldus Thesaurarius, totumque Capitulum Sancti Martini Turonensis, in quarum litterarum priori gratias agunt de *Vita Sancti Martini* sibi transmissa, in utrisque autem quædam Sancti Martini miracula referunt. *Septima* est Guiberti Philippo, de beneficiis gratias agentis. *Octava* ejusdem ad eundem de laudabili conversatione Fratrum Majoris-monasterii. *Nona* de nobilitate & magnificentia Ecclesiæ Castrinovi. *Decima* Guibertus Philippum hortatur ad officii sui cultum, & ad studium pacis, in conventu Leodicensi sarciendæ. *Undecima* eidem gratulatur de restituta pace. *Herveo* Majoris-monasterii Abbati, ejusque sacro Conventui gratias agit, de hospitalitate sibi præstita: & de eo quod libros *De miraculis Sancti Jacobi, de bello in Hispania a Carolo Magno gestis*, & *De Martyrio Rollandi Ducis*, transscribendi facultatem ab eis obtinuerit: quorum librorum exemplar, ad transscribendum certatim a se rapi testatur. Nempe eo tempore falsæ ejusmodi merces venditari cœperunt, id quod *Epistola duodecima* argumentum est. In *Decima tertia* vero Fratribus Majoris-Monasterii inscripta, laudat eorum religionem, & quædam corrigenda notat. *Decima quarta* directa est Johanni Abbati, Fratribusque ejusdem Cœnobii, quibus Guibertus gratias agit, ab iisque libros Paulini postulat, & se duabus Abbatiis antea propositum, tunc uni Florinensi præesse scribit. Post hæc subsequitur in Codice eodem *Guiberti Epistola ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum*, cujus mandato de scribenda *Sancta Hildegardis Vita* parere se dicit. Tum variæ *Ejusdem Guiberti ad Dominam Hildegardem Magistram Cœnobii Sancti Roberti Bingensis* subsequuntur. *Prima* de excellentia Sancti Martini Episcopi, *Secunda* de visionibus Hildegardis, de quibus quæritur: An ut fama ferebat, visionum suarum postquam eas scripsisset, oblivisceretur: tum an eas ipsa Latine scribat, ac demum an Latinam linguam didicerit. In fine Epistolæ, *Salutant te dilecti & ex facie noti dilectores tui, Sigerus de Waura, & Nicolaus Miles juvenis de Niel, quem cum ipso te visitante in Quadragesima vidisti. Salutat te Frater Franco Reclusus, Ecclesia vestra filius probus in Christo, & Frater Robertus languens corpore, sed valens mente, in monte qui dicitur Sancti Guiberti, recubans Salutant te Dominus Emmo, Ecclesiæ nostra parrochiana presbyter* &c. "

Præterea alias ejusdem *Guiberti Epistolas ad Hildegardem*, numero octo, tumque responsiones Hildegardis ad ipsum: variasque tum ejusdem Guiberti ad Sorores ecclesiæ beatæ Mariæ, Sanctique Roberti de Binguia, tum earundem Sororum ad Guibertum responsa, aliasque aliis personis scriptas, nempe *Josepho egregiæ probitatis Scholastico*, qui Hierosolymam cum Cantuariensi Antistite profecturus, Guiberto *prosam* de Sancto Martino examinandam obtulit. *Sigfrido* Moguntino Archiepiscopo, de virtutibus Sancti Martini: & *Conrado* ejusdem Ecclesiæ Pontifici, de variis Coloniensis Ecclesiæ successibus: denique *Godefrido* Abbati Monasterii Sancti Eucharii & Sancti Willibrordi *De vita Sancta Hildegardis*, quam Guibertus ipse scriptis mandavit. Ad hæc Bartholomæus Fisenus in *Floribus Ecclesiæ Leodiensis*, ubi de Abbatibus Gemblacensibus, testatur Guibertum nonnulla etiam scripsisse ad beatam Ludgardem, quæ in vicino Aquiviensi Parthenone tunc vivebat: atque anno MCCVIII. hoc est biennio post abdicatam præfecturam, ad superos abiisse." Factus ergo est anno 1188. Guibertus Martinus, Abbas Florinensis, anno autem 1194. Abbas Gemblacensis, quas præfecturas cum anno 1206. abjecisset, anno tandem 1208. die 22 Februarii mortuus legitur, ætatis anno circiter 88. sacerdotii 63. Nihil hujus scriptoris editum puto, præter narrationem *Destructionis* vel potius *Combustionis Monasterii Gemblacensis, qua anno 1137. facta est*, quam quidem Guibertus, post ejusdem Monasterii factus Abbas ac Monasterii etiam Florinensis, literis consignavit, Libro 2. Commentatiorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 904. ubi & mentionem facit *Librorum suorum*, qui in hac destructione abrepti fuerant. Meminit *Guiberti Martini* ejusque scriptionum, Hervardus Leodiensis Archidiaconus, in Epistola ad G. Laudunensem Canonicum tomo 2. *Analectorum* Johannis Mabillonii pag. 536. & Anonymus auctor *Chronici Gemblacensis* ibidem pag. 544. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* p. 303. editionis 1643. Lovanii in 4. ubi MSS. Codices Operum Guiberti varios in Belgicis Bibliothecis recenset. Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 904. ubi de Codice MS. 269. Latino Ambrasianæ arcis in Cæsaream allato, loquitur.

IGNETUS CONTARDUS Mercator Janu- 1180
ensis, vir in Divinis scripturis eruditus, florens

rens tempore hoc eodem, *Disputationem celebrem apud Majoricam insulam cum Judæis* habuit anno 1186. Kalendis Maji, quam scriptis etiam ob posteritatem commisit. Extat autem illa inter MSS. Codices Bibliothecæ Sanctorum Joannis & Pauli Venetiis, sub hoc titulo, *Disputatio facta inter Ignetum Contardum Mercatorem Januensem, & quosdam Judæos in Synagoga ad favorem Christianorum, quæ facta fuit Majorica anno 1186. & incepta in Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi.* Folio in charta: juxta Jacobum Philippum Thomasinum in Catalogo Bibliothecarum MSS. tam Publicarum quam Privatarum Venetarum, quem Vtini anno 1650. in 4. edidit. Idem Opusculum inter MSS. Codices Bibliothecæ Sancti Antonii Patavinæ cum titulo sequenti, *Disputatio Igneti Genuensis Mercatoris contra Judæos*, in folio, juxta eundem Jacobum Philippum Thomasium in Catalogo Bibliothecarum MSS. Patavinarum tam Publicarum quam Privatarum, quem Vtini anno 1639. in 4. edidit. Denique Opus idem inter MSS. Codices Vltrajectinæ bibliothecæ in 4. ut constat ex Catalogo parte I. pag. 96. Librorum tam impressorum quam manuscriptorum hujus bibliothecæ, qui Vltrajecti an. 1670. in folio impressus est. Hæc de Igneto Contardo ex Catalogis citatis.

1180 BERNARDVS CIRCA, PAPIENSIS PRÆPOSITVS & FAVENTINVS EPISCOPVS, anno 1180. & sequentibus floruit, scripsitque post Gratianum *Collectionem primam Decretalium*, quam ex MSS. Codicibus edidit Antonius Augustinus Ilerdensis in Hispania Episcopus in Collectionibus *Decretalium veterum Romanorum Pontificum*, Ilerda in fol. 1576 impressis, & Parisiis 1609. in fol. apud Sebastianum Cramoisy pag. 1. ad 149. Huic notas adjecit idem Augustinus amplissimas ibidem a pag. 431. ad 720. impressas, cui hæc præmisit, de quatuor veteribus Collectionibus Epistolarum Decretalium, ex Joanne Andreæ filio, & aliis Scriptoribus.

„Primus post Gratiani Collectionem Bernar„dus Circa fuit, Papiensis Præpositus, mox au„tem Faventinus Episcopus, qui sub eisdem fe„re titulis, quibus Gregoriana Collectio, qua „hodie utimur, constat, Pontificum Maximo„rum Epistolas Decretales collegit, quarum „postremæ sunt Alexandri tertii & Lucii tertii „& aliorum, ad Cœlestinum tertium, cujus „nullum rescriptum in hoc volumine extat. „Hanc *Primam compilationem* Henricus Hosti„ensis & Joannes Andreæ filius & Ægidius „Bellamera appellant: ipse *Breviarium Extra„vagantium:* qui Scholia scripserunt *librum pri„mum* vocant. Sic enim cæteras Collectiones, „alii *Compilationem secundam, tertiam, quartam, „quintam:* alii *librum secundum, tertium, quartum, „quintum* appellarunt. Idem Bernardus sub e„isdem titulis *Summam* scripsisse dicitur, cujus initium fuit, *Profectus discipuli gloria Magistri:*" item *Scholia* sive *Glossulas* eidem primæ Colle-" ctioni adscriptas. Nos vidimus aliquot sine" nomine scriptas, sed multo plures, sub adscri-" ptis nominibus Vincentii, Alani, Tancredi," Laurentii, Rogerii & aliorum, Bernardo an-" tiquiores. A Guillielmo Durante cognomine" Speculatore, & ab ejus interprete Joanne" Andreæ filio, fuisse dicuntur Rufinus, Silve-" ster, Joannes Hispanus, & alter Joannes Fa-" lensis, sive Fanensis, sive Faventinus, ut alii" referunt, quorum nos scripta non vidimus." Hi fortasse aut Corpore Canonum usi sunt," aut Collectionibus Decretalium Burchardi," Ivonis, Anselmi, & Gratiani, & aliorum Scri-" ptorum." Hæc Antonius Augustinus in *Præludiis* ad Collectiones istas Veterum Decretalium.

THEODORICVS DANVS MONACHVS 1180
incomperti Cœnobii, scripsit circa annum 1180. *Historiam brevem de rebus Ecclesiasticis ac Regibus Norvegiæ*, quam Augustino Nidrosiensi Archiepiscopo, qui circa eundem annum florebat, obtulit nuncupatam. Hanc Historiolam cum Opusculo altero anonymi *De profectione Danorum in Terram Sanctam* anno 1185. suscepta, erutam ex Schedis Joannis Kirkmanni Lubecensis, edendam curavit Gaspar Kirkmannus ejus nepos, Amstelodami anno 1684. in 8. apud Jansonium Waesbergium. Nullus quem Scio meminit hujus Scriptoris, hucusque incogniti.

CHRISTIANVS CISTERCIENSIS OR- 1180
DINIS ABBAS, circa annum 1180. scripsit *Collectaneum quoddam Sermonum de variis argumentis, cum brevibus expositionibus diversorum sacræ Scripturæ locorum*, quod MS. in folio habetur in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codice 769. aliunde illuc allatum Anonymus recens, in inscriptione novissimâ huic MS. Codici appositâ, hos sermones Christiano cuidam Abbati Sancti Petri in Valle Carnotensi, ordinis divi Benedicti attribuit, sed meo quidem judicio, fallitur. Nam in Gallia Christiana Sammarthanorum Fratrum, ubi Abbates Sancti Petri in Valle Carnotensi referuntur, nullus Christianus nomine, in omni Syllabo & serie Abbatum legitur. 2. Scriptor istorum Sermonum in Procemio, affirmat se scribere stylo simplici, *nec affectasse Gallicanum dicendi eloquentia cothurnum:* qua ratione alium se a Gallicis Abbatibus ac regionibus aperte declarat. Vnde Joannes Mabillon tomo 3. *Analectorum* pag. 451. aliam cognoscendi horum Sermonum authoris, qui sub nomine *Christiani Abbatis* extant, rationem ac viam init. Illos opinatur (nec enim positive affirmat) Christiano Moguntino Archiepiscopo qui anno 1180. floruit, & juxta Romam anno circiter 1183. obiit, attribui posse. Hunc enim Christianum in *Gallia Chri-*

Christiana Sammarthanorum fratrum tom. I. in Archiepiscopis Moguntinensibus pag. 356. *probe literis instructum fuisse, libri* (inquiunt) *ab ipso editi testantur. Nam præter Epistolas & Conciones, composuit tractatum de Vita & Gestis Imp. Friderici Barbarossæ, qui ejus opera plurimum usus est in legationibus obeundis: in hoc tamen vituperandus, quod militaribus studiis nimium deditus fuit.* Ita censet Mabillonius, testimonio fratrum Gemellarum in *Gallia Christiana* innixus. Porro quod Christianus iste *Acta Friderici primi Imperatoris* scripserit, testatur Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 51. pag. mihi 435. Atque ista Acta creduntur esse ipsa *Expeditio Asiatica Friderici Primi*, quam Henricus Canisius tomo V. *Antiquæ Lectionis* refert: unde concludendum est hunc Christianum Moguntinensem, obiisse post annum 1184. vel 1186. ut eam scribere posset. At quantum ad hos sermones, quorum occasione hic de Christianis istis agimus, perperam Christiano Moguntinensi Archiepiscopo attribuuntur. Quamvis enim inter Archiepiscopos Moguntiacenses, duo Christiani non multum ætate distantes reperiantur, neuter tamen Abbas vel Monachus fuit: sed primus ante Archiepiscopatum Archicancellarius Imperatoris, alter vero Præpositus ipsius Ecclesiæ Moguntinensis. Unde cum Scriptor istorum Sermonum Abbas dicatur, & ita in MS. Codice quem tenui, inscribatur: nequaquam cum Christianis Moguntinensibus Archiepiscopis convenit, qui nunquam Abbates vel Monachi fuerunt. Verisimilius itaque attribuentur uni e duobus Christianis Claravallensibus primum Monachis, qui olim divi Bernardi discipuli, ad insulas tandem assumpti sunt Abbatiales & Episcopales in Hibernia, de quibus mentionem facit Arnaldus Lib. 2. *De Vita S. Bernardi* cap. 8. ubi de Viris illustribus e Clara Valle ad infulas Episcopales aut purpuram Cardinalitiam assumptis loquitur. Claruerunt uterque Christianus de quibus supra, anno 1180. & ulterius. Favet huic sententiæ nostræ, quod *Plurima ex his sermonibus vel brevibus Expositionibus in diversos Scripturæ locos*, ex Operibus & Commentariis Sancti Bernardi desumpta sint: quod his Christianis ejus olim discipulis in promptu fuit, nunquam aut vel raro factum invenies in Abbatibus Ordinis divi Benedicti, vel aliorum Ordinum. Hæc dicta, absque præjudicio certiorum, contra opinationes nostras. De Christiano isto Joannes Mabillon tomo 3. *Analectorum* pag. 451. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 92.

1180 RICHARDUS CLUNIACENSIS MONACHUS, sed patria Pictaviensis, doctus & pius juxta Sixtum Senensem lib. 4. *Bibliotheca Sanctæ*, claruit sub Frederico I. Imperatore, anno 1160. & hæc quidem Sixtus Senensis, qui mihi intelligendus venit de primis temporibus quibus Richardus iste inclarescere cœpit, vixit enim clarus usque post annum 1181. ad annum circiter 1190. vel 1200. Fuit itaque synchronus cum Richardo S. Victoris Parisiensis Priore & Canunico, atque eadem ætate ambos simul claruisse non improbabile est. Nihil ergo mirum, quod tum Hugonis Victorini, tum Richardi etiam Victorini Prioris, atque hujus Richardi Cluniacensis Monachi opera simul confusa sint, cum ætatis essent ejusdem, atque tempore eodem florerent. Primus qui nitide utrumque Richardum distinguit, Bartholomæus Platina in Vitis Romanorum Pontificum, laudans Richardum Victorinum in Anastasio IV. pag. mihi 173. & Richardum Cluniacensem aliquanto post in Adriano IV. pag. mihi 175. his verbis: *Horum autem temporum Historiam scripsit satis eleganti stylo & oratione Richardus Cluniacensis Monachus, quem alii scriptores non parum laudant.* Ex quibus liquet Richardum hunc fuisse tantisper posteriorem Richardo Victorino, qui anno 1173. die 10. Martii obiisse legitur. Spectat autem ad hunc Richardum Cluniacensem Monachum, *Collectaneum* aliquod dispersum inter Opera Hugonis Victorini Tomis 2. & 1. constans libris XXIV. atque duabus partibus, quarum prima libris X. ad Historiam spectare potest, secunda libris XIV. ad sermones & scripturæ sacræ expositionem convenit, ut habet recte Vincentius Bellovacensis lib. 27. *Speculi Historialis* cap. 58. Latissime autem de hac materia disseruimus supra in Dissertatione *De Scriptis Hugonis Victorini* cap. 2. ad quam lectorem remittimus. Ex ibi allegatis constat Opus istud spectare non posse ad Hugonem vel Richardum Victorinum, recte autem ad Richardum Cluniacensem Monachum, qui illud post annum 1181. scribere aggressus est, longe post mortem Hugonis atque Richardi etiam, Victorinorum Canonicorum. Equidem in editione ultima Rothomagensi 1650. Operum Richardi Victorini, Dissertatio præmittitur qua Collectaneum istud illi pro viribus adseritur, ut late deduximus loco citato. Verum id impossibile esse, constat ex recensione Regum Franciæ, quam facit iste scriptor. Sane si Vincentius Bellovacensis libro 27. *Speculi Historialis* cap. 58. Antonius Florentinus in 3. parte *Summa Historialis* tit. 18. cap. 3. Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* & alii hoc ipsi *Collectaneum* adscripserunt: contra stant alii non minoris antiquitatis & notæ, qui illud *Richardo Cluniacensi Monacho* attribuunt. Inter alios Franciscus de Rivo Doctor Theologus & Magnus Prior Cœnobii Cluniacensis, tum in *Vita S. Petri Mauricii* cognomento *Venerabilis Abbatis Cluniacensis IX.* in *Bibliotheca Cluniacensi* columna 594. & in *Chronico Cluniacensi* jussu Jacobi de Ambasia Abbatis Cluniacensis conscripto, qui Jacobus nominis secundus, de Ambasia cognominatus, Abbas antea Gemeticensis & Sancti Illidii Claromontani apud Arvernos, Clu-

Cluniacensis autem XLIII. anno 1485. regere incepit, & die octava mensis Septembris, possessionem realem & actualem totius administrationis in Spiritualibus & temporalibus Abbatiæ ejusdem Cluniacensis suscepit. In hoc *Chronico* quod editum extat *Bibliotheca Cluniacensis* col. 1627. & sequentibus, ubi *De religosis & Monachis illustribus tempore Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis* columna 1651. *Bibliotheca Cluniacensis* differit, de Richardo Cluniacensi hæc habet columna 1652. *Eodem tempore floruit Richardus Monachus Cluniacensis, origine Pictavensis,* (non *Parisiensis* ut alii omnes scribunt) *qui magnus Historiographus sacra Scriptura fuit, scripsit enim ab Adam Chronica usque ad tempora Friderici.* Quibus verbis partem primam hujus *Collectanei*, de quo loquimur, designat; quæ a creatione mundi sumens initium, usque ad tempora Friderici primi Imperatoris seu Barbarassæ dicti percurrit, cum ad annum usque 1181. in Regibus Francorum veniat. Cum autem Richardus Cluniacensis in hoc *Collectaneo priorum Exceptionum* non egisset de *Romanis Pontificibus*, ut defectum istum suppleret, singulare postea & breve Opusculum *De Romanis Pontificibus* composuit *usque ad Innocentium III. seu ad annum 1198.* quo die 8. Januarii Romanus Pontifex electus est, quod suo Chronico inseruit Guillelmus Rhede Cicestrensis Episcopus *De Romanis Pontificibus*, & continuavit usque ad Gregorium XI. hoc est annum Christi 1367. Hoc in Cottoniana bibliotheca sub effigie Julii litera B. Codice 3. num. 1. *Guillelmi Rede Episcopi Cicestrensis Chronica de Romanis Pontificibus a Sancto Petro ad Gregorium undecimum.* Dicitur vero folio 15. pag. 2. *Chronici primi de Pontificibus Romanis usque ad Innocentium tertium Papam, auctorem fuisse Richardum Monachum Cluniacensem:* unde continuator tantum illius, Guillelmus Rede usque ad Gregorium undecimum fuisse merito conjicitur. Fuit autem Guillelmus Rede sacræ Theologiæ Doctor, Episcopus factus anno 1368. sub Vrbano quinto, qui dictum *Chronicon Richardi Cluniacensis Monachi* ab anno 1198. ad annum 1367. nobis continuavit, atque in Opere suo conservavit. Vide folium 123. Chronici istius. Nec *Chronicon istud Richardi Monachi Cluniacensis de Romanis Pontificibus*, veteres scriptores & excerptores latuisse credendum est, quorum plurimi mentionem illius fecerunt. Nam Martinus Polonus qui ejusdem ætatis est cum Vincentio Bellovacensi, in Præfatione sui Chronici, agnoscit se ex hoc Richardo, ut & Vincentio, aliisque, congessisse suam Histotiam. Idem asserit Albertus Sigebergensis in *Vita Romanorum Pontificum* quem postea recensebimus. Bartholomæus Platina, in *Adriano IV.* pag. mihi 175. Raphael Volaterranus lib. XXI. *Anthropologia*, Philippus Bergomas *Supplementi Chronicorum* lib. XII. ad annum 1149. Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus sacri*, verbo *Richardus Cluniacensis Monachus.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 430. editionis ultimæ. Eundem vero cap. 59. pag. 484 anno 1251. immemor sui assignat. Ad eundem *Richardum Cluniacensem Monachum* spectanr quoque *Miscellanea* quæ *Exceptiones posteriores* dicuntur & habentur comprehensa seu libris tomo 3. Operum Hugonis Victorini pag. 91. & sequentibus usque ad 329. & tomo I. p. 50. usque ad 75. neque enim ad Hugonem Victorinum pertinere possunt, cum circa annum 1190. collecta fuisse, demonstremus in Dissertatione *De Scriptis Hugonis Victorini* cap. 3. *Advertendo Sexto.* De illo quoque ita Sixtus Senensis lib. 4. *Bibliotheca Sancta.* «Richardus Cluniacensis Monachus, sed patria Parisiensis, doctus & pius composuit librum prænotatum τῶν ἀντικειμένων, hoc est *Contrariorum* seu *Contrapositorum*, quæstiones comprehendentem ex utroque testamento in speciem pugnantes, earumque dilucidas solutiones, secundum interrogationem & responsionem succincta brevitate explicatas, cujus initium est, *Cur in Genesi septem* &c. Alphonsus a Castro lib. 14. *adversus hæreses* in verbo *timor Dei*, Salviano Massiliensi Episcopo attribuit. Claruit sub Frederico I. Imperatore anno 1160.» Et hæc quidem Sixtus Senensis. Non alia autem de causa hoc opus Salviano Massiliensi ab Alphonso de Castro tribuitur, quam quod a Joanne Brassicano ad calcem Salviani, anonymum olim editum fuerat. Variæ porro sunt variorum de authore hujus Operis sententiæ. Nam in editione *Bibliotheca Patrum*, quam Andreas Schottus Coloniæ 1618. adornavit, Juliano Toletano Tomo XV. pag. 95. ex authoritate Felici Toletani tribuitur. Denique Joannes Baptista Marus in Noris ad Petrum Diaconum *De Viris illustribus Cassinensibus* pag. 33. ex testimonio Leonis Ostiensis & antiquissimi Codicis MS. fide, id Berthario Abbati Cassinensi vindicat. Cui datum tantas componere lites? Hi libri prodierunt primum anonymi Basileæ 1530. & Coloniæ 1533. in 8. tum una cum Opusculis Juliani Toletani in Bibliotheca Patrum ultimæ editionis Lugdunensis 1677. Tomo XII. pag. 590.

Jam quæritur an Richardus Cluniacensis Monachus, scripserit opus aliquod Historicum ab X. primis libris *Collectanei Exceptionum*, de quo supra egimus, distinctum? Hoc innuere mihi videtur Gerardus Joannes Vossius Lib 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 430. editionis ultimæ. «Richardus, inquit, Cluniacensis Monachus sed patria Parisiensis, præter libros τῶν ἀντικειμένων de quibus Sixtus Senensis in Bibliotheca sua, *Historiam condidit suorum temporum magis illiterate quam inepte:* ut Volaterranus libro XXI. *Anthropologia*, & ex eo Gesnerus ac Possevinus referunt. Vixit Conradi III. & Frederici Barbarossæ temporibus, imprimis sedente Papa Hadriano IV. Auctor Volaterranus ibidem & Philippus Bergomas *Supple-*

„plementi *Chronicorum* lib. XII. ad annum 1149. „qui & addit multa ex eo hausisse Vincentium „Gallum Historicum, designat autem eum, qui „vulgo *Vincentius Belvacensis* dicitur. Auctor „Hirarchiæ subcœlestis lib. 4. cap. 9. Richar„dum hunc & Vincentium conjungit, ac illos „vocat nobiles Galliarum historiographos, uti „& Gregorium Turonensem, & aliquot alios. „Martinus Polonus in præfatione sui Chroni„ci, agnoscit se ex hoc Richardo, ut & Vincen„tio, aliisque, congessisse suam historiam.„ Ita quoque sentire videntur Raphael Volaterranus lib. XXI. *Anthropologia* pag. mihi 217. Philippus Bergomas loco citato, Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Richardus Cluniacensis Monachus*. Ego contra sentio nullum opus singulare *De Historia suorum temporum*, a Richardo Cluniacensi scriptum esse: sed his tam veterum quam etiam modernorum expressionibus, designari primam partem Collectanei citati libris X. comprehensam, quæ in MS. Codice Claræ vallis inscribitur, *Liber Magistri Richardi Canonici Sancti Victoris Parisiensis Excerptionum, continens originem & discretionem Artium, Situm terrarum, & Summam historiarum.* Idem innuit Vincentius Bellovacensis lib. 27. *Speculi Historialis* cap. 58. ubi de Richardi Victorini scriptis: *Scripsit etiam librum qui dicitur Excerptionum, in quo breviter continetur divisio & materia omnium scientiarum, ac series historia præcedentium temporum, & quædam morales expositiones sacrarum Scripturarum.* De hoc ergo *Collectaneo Excerptionum* intelligendi veniunt, quicunque Richardum Cluniacensem Monachum inter historicos recensent, ubi breviter ac brevissime historias suorum & antecedentium temporum enarrat. Et Raphael Volaterranus lib. XXI. *Anthropologia* pag. mihi 217. „Fuit & Richardus Monachus Cluniacensis, patria Parisiensis, qui sui temporis hi„storiam edidit magis illiterate, quam inepte „scriptam, Hadriani & Frederici Ænobarbi „temporibus. Appellat historiam *illiterate „scriptam magis quam inepte*, quia brevissime ac satis firme cum nominibus virorum tunc temporis illustrium narrata sit. Præter auctores citatos agit de *Richardo Cluniacensi Monacho*, Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* ad annum 680, pag. 468. in Juliano Pomerio, Toletano.

1180 JOANNES CINNAMUS, GRAMMATICUS REGIUS, Historicus Græcus, anno 1180. clarus, scripsit *Historiam*, qua compendio Joannis Comneni, diffuse vero Emanuelis Comneni filii res gestas depingit: impressam Græce & Latine Ultrajecti in 4 anno 1652. cum notis Cornelii Tollii, itemque Parisiis in folio anno 1670. ex typographio Regio cum Notis & Commentariis Caroli Dufrenii Domini du Cange, Regi a Consiliis & Franciæ apud Ambianos Quæstoris. De Cinnamo hujusce Historiæ Scriptore, quæ elegantissimis & vere regiis typis nunc prodit, quædam observaturus, ordiar a verbis Leonis Allatii qui in Diatriba *De Symeonibus* illius elogium ita refert *Cinnamus nescio quo fato a quibusdam Sinnamus dicitur reluctante apertissime Vaticano Codice, ex quo exemplaria cætera desumpta sunt. Cinnamorum familia ad hac usque tempora non contemnenda in Græcia agnoscitur. Sinnamorum nulla est: qua etiamsi esset, cum illa Historia Cinnamum præferat authorem, frustra operam ludunt, qui aliter proferunt, posterioris exscriptoris incuria decepti. Author est elegans si quis alius, formulis dicendi peregrinis sæpe utitur, figuris ex Sophistarum penu. Periodi illi concisa, planæ nisi cum compositionis novitate asperamur & obscuramur. Totum se, ut verbo extricem, ad Procopium componit. Et mirum est, inter tot alios posterioris sæculi scriptores, tumultuarie in dicendo scribendoque delirantes, hunc tantum sapuisse.* Hoc Allatii de Cinnami scriptoris charactere judicium. Ortus ex Cinnamorum nobili satis & antiqua gente, Joannes Cinnamus vixit sub Manuele Comneno, cujus res gestas aliquot libris digessit, quemadmodum & Joannis parentis. Sed Joannis vitam leviter, unicoque libro perstrinxit, quod ut ipse ait, eo imperante ac nedum plane vita functo, nondum ad maturam ætatem pervenisse. At Manuelis Historiam eo lubentius scribendam suscepit, quod & illius ætate vixerit, eique meruerit ab ipsa adolescentia, & plurimis in utramque Continentem ab eo susceptis expeditionibus interfuerit: adeo ut neminem alium majori cum fide & diligentia, istud operis aggredi posse existimaret. Hunc accedebat, quod litteris non modo humanioribus, sed etiam divinis apprime esset instructus, proindeque Historiæ scribendæ perquam idoneus. Cinnami vero in rebus Theologicis eruditionem commendat Nicetas Choniates in *Andronico Tyranno* Lib. 2. num. 5. cujus etiam specimen non unum in Historia sua suppeditat, cum de iis differendi sese offert occasio. Certe in isto Opere, ut in enarrandis Græcorum gestis nimium sibi videtur indulsisse, dum ea longe majora quam erant, facit: ita in Pontifices Romanos, Imperatores Germanicos, atque adeo in Latinos omnes, ex innato Græcanicis ingeniis in illos odio, seu potius invidia, parum æquus, imo semper & acriter intemperans est. Sed id ut dixi, non Cinnamo duntaxat, sed cæteris etiam Scriptoribus Græcis seu Byzantinis, familiare est. Militari studio operam dedisse Cinnamum, ex ipsiusmet scriptis, arguitur. Scribit enim libro 1. cap. 1. *se vixdum adolescentem una cum Manuele in utramque Continentem profectum esse, initisque in iis bellis interfuisse.* Et lib. 5. cap. 18. ait *se in Manuelis comitatu fuisse, cum Zeugminum oppugnavit.* Denique Nicetas loco citato testatur Joannem Cinnamum, quem Κινάμον Ἰωάννην vocat, Andronico Tyranno militasse, cum apud Lopadium in Bithynia castra posuit. Unde forte mire-

miretur aliquis, quod vir rebus bellicis, officioque militari tota vita sua impedibus, *Regii* seu potius *Imperatorii Grammatici* munus obierit, quod idem fuit atque *Notarii* seu *Secretarii*. Nam ut author est Hieronymus Blanea in prologo ad Commentarios rerum Aragonensium, *Ipsi Notarii ac Privilegiorum hujusmodi scriptores, tum scriba Regis, tum & quandoque Grammatici Regum appellari Græco nomine retento, consueverunt.* Atque hac notione γραμματικοῦ vocem usurpasse videtur Pachymeres, Lib. 1. cap. 19. lib. 3. cap. 11. & lib. 5. cap. 26. Quæ quidem appellatio Notariis indita est, quod id muneris literatos potissimum viros spectaret: nam ut ait Diomedes Lib. 2. De arte Grammatica, *Grammaticus Latine Literatus est appellatus.* Grammatici igitur Imperatorii dignitas Palatina fuit, etsi in Catalogis officiorum Aulæ Constantinopolitanæ, nulla illius occurrat mentio. Et sane post Manuelis excessum, qui anno 1180. contigit, Historiam se concinnasse, ipsemet Cinnamus testatur lib. 1. cap. 1. dum ait, *Manuelem sua ætate defunctum, gelicto filio impubere.* Hanc autem an absolverit, & ad Manuelis mortem, necne perduxerit, etsi videtur probabile, non tamen omnino id constat: quanquam variis in locis, ex præsertim pag. 150. ubi de Alexio Manuelis filio, quædam a se dicenda & enarranda proponit, quæ in Codice Vaticano non extant. Vtcunque sit, Epigraphe libri ita concipitur, ut viro adhuc Manuele ac necdum extincto, videatur apposita, cum Ἐπιτομὴν *rerum a Joanne. Imperatore nuper fatis functo gestarum, & Manuelis Joannis filii Historiam* continere dicatur. Nam si Manuel tunc vivendi finem fecisset, cum Historiam absolvit, aut illius titulum adscripsit Cinnamus: non tam Joannem quam Manuelem μακαρίτην appellasset. Solent enim Græci viros potissimum illustres, qui haud ita pridem decesserunt, τῶν μακαρίτων appellatione donare, ut ex Synesio & aliis constat: quemadmodum fœminas nobiliores τῶν μακαριτίδων: quam ultimam vocem usurpant idem Synesius *Epistola* 44. & Pachymeres Lib. 4. cap. 23. Hanc Cinnamus Historiam primus e Vaticanæ Bibliothecæ Codice exscripsit *Isaacus Vossius*, quam majoribus distentus curis Cornelio Tollio Vltrajectensi tradidit latio donandam, proferendamque in lucem, quam ille ibidem protulit an. 1652. cum paucis aliquot Notis, atque ad Historiæ Cinnamicæ illustrationem & locorum difficilium enodationem, nihil fere pertinentibus. Cum vero Codex MS. Cinnami, qui servatur in Bibliotheca Vaticana in sex libros dividatur, In totidem Historiam hanc, librosque in capita & sectiones, partitus est Carolus Dufrenius Quæstor Ambiani Regius: cum in editione Tolliana in quatuor tantum libros divideretur, quorum ultimus sua mole tres alios ferme excedit. Quippe in MS. Codice in Sex pariter distinguitur, ut author est Allatius, qui præterea principium *Septimi* in eo legi, nec ultra, annotat. Quod inde factum existimat, quod ille Codex exscribebatur, cum Constantinopolis terra marique obsessa, tormentis bellicis a Mahumetanis oppugnabatur, ut exscriptor in margine annotaverat. Dei postmodum judicio justo, Vrbe hostibus tradita, exscriptio quoque illa post aliquot paginas finem habuit, vel expugnatione Vrbis, vel infortunio, utinam non cæde exscriptoris interturbata. Hæc Allatius, apud quem plura de *Joanne Cinnamo* in Diatriba *De Symeonibus*, atque apud Carolum Dufrenium du Cange in *Praludiis* editionis suæ *Joannis Cinnami*. Gerardus Joannes Vossius lib. 4. *De Historicis Græcis* cap. 19. pag. mihi 492.

IOANNES PHOCAS HISTORICVS 1180
GRÆCVS, Cretà oriundus, patrem habuit Matthæum, qui posteà Monachum induens, in Pathmo insula se exercens, ibi diem suum obiit. Joannes ætate grandior sub *Emmanuele Comneno* munera militiæ tulit. Meminit cap. 24. Senis Iberi, qui quidem per plures annos in saxo, ad mare Attaliæ fundato, laboribus continuis, sudoribusque se exercuerat: *ibique nos eum allocuti fuimus, dum unà cum celeberrimo Imperatore & Porphyrogenneta Comneno militaremus.* Ejusdem Emmanuelis meminit alibi sæpius, hoc eodem libello. Ductà uxore, ex ea filium habuit, cujus nomen à compaginatoribus libri, dum cultro foliorum extremitates æquarunt, abscissum est. Postea Monachus factus invisit loca sancta, anno MCLXXXV. Et hæc omnia habentur ex Notula, quæ rubeis litteris in margine MS. Codicis additur: *Scripta à Joanne Sacerdote piissimo Phoca, filio Matthæi Monachi, qui se exercet in Pathmo insula, qui vidit loca sancta anno MCLXXXV.* In fronte verò libri scriptum erat, ... *filius Sacerdotis Phocæ Cretensis, scribo nunc, nomine* . . . . Quibus indicatur autographum hoc esse scriptum ab ipso filio Joannis Phocæ. Hic omnem Carmelitanæ ab Helia, ad nostra usque tempora successionis intolerabilem fabulam, oculatus initiorum hujus Ordinis testis, cap. 31. penitus evertit, sequentibus verbis.

Subsequitur Mons Carmelus, de quo in Ve «
teri recentiorique Scriptura plurimus sermo «
est. Jugatur mons ab ipso maris sinu, qui cir- «
ca Ptolemaidem & Caipham incurvatur, ini- «
tium ducens, & ad Galilææ fines perveniens. «
In extrema parte jugi, qua mare respicit, Pro- «
phetæ Eliæ spelunca spectatur: in qua Angeli- «
cam vitæ rationem cum exegisset mirificus ille «
vir, in aëra sublatus est. Erat eo loci antiqui- «
tus Monasterium magnum, & structurarum «
vestigia ad hæc usque tempora common- «
strant. Sed illud, tempore quod omnia in se- «
nium impellit, & gentium variis excursionibus «
abolitum est. Verum ante aliquot annos, qui- «
dam Monachus dignitate Sacerdos, capillitio «
albus, è Calabrià oriundus, ex Prophetæ reve- «
latione in Montem appellens, ea loca, Monaste- «
rii

„rii nempe reliquias vallo perparvo cinxit: & „turri ædificata, temploque non ingenti extru-„cto, fratribusque ferè ad decem collectis, etiam-„num sanctum illum ambitum colit.

Quomodo autem hanc Historiam Leo Allatius recoperaverit, narrat ipse in præfatiuncula ad Nihusium his verbis. „Dum Chii varia Ma-„nuscripta, Nihusi præstantissime, locis è variis „conquisita, evolvo sedulus: venit in manus „meas Joannis Phocæ locorum Palæstinæ & Sy-„riæ compendiaria descriptio, charactere minu-„tissimo in charta bombycina, non multum ele-„ganter exarata. Novitate argumenti atque „authoris pellectus, animum figo & perlego. „Autor elegans & accuratus, prout illa ferebant „tempora, visus est. Quare copiam illius mihi „destinaveram, sed aliis interceptus negotiis, ne-„glexi. Post multos annos, cum Manuscriptos „quos ipse videram Codices, Romæ in memo-„riam revocatem, interque familiaria colloquia „sermo *De locis sanctis* incidisset: Phocas in ani-„mum rediit, ingensque subjectum est deside-„derium, illum mihi utcunque possem compa-„randi. Scripsi, rescripsi amicis, illi etiam qui „mihi utendum dederat: rogans, rerogans, ob-„secrans; promissis etiam rem egi, sed verba „feci mortuis. Ad reliqua omnia, præter-„quam ad hoc unum, semper in promptu re-„sponsum fuit: quare quievi tandem animo. „Veruntamen anno elapso, cum in spe rerum „aliquarum versarer, litteræ mihi ab amico, qui „Chio tunc veniebat, redditæ. Dum omnia „recognosco, en cœlitus missus Phocas appa-„ruit, non alienâ manu descriptus, sed ipsum „Avtographum, quod Chii conspexeram, à re-„liquo volumine, cui annexum fuerat, avulsum. „Quantâ perfusus fuerim lætitiâ, frustrà cona-„rer dicere: non reportassem bonum tantum, „si thesaurum invenissem. Illius itaque ver-„sioni me accinxi, & aliquot dies in eo expolien-„do insumpsi. Opusculum itaque istud, seu Historiolam Latinam fecit Leo Allatius, sexto antequam Bibliothecæ Vaticanæ custos præficeretur, anno: quam Græco Latinè edidit in *Symmictis Allatianis* parte 1. pag. 1. Bartholdus Nihusius notæ eruditionis ac probitatis Sacerdos in Hollandia, impressam Coloniæ Agrippinæ anno 1653. in 8. ubi plura de *Joanne Phoca* in suis præliminaribus. Iterum denique Latinè recudit ante Tomum II. mensis Maji, Daniel Papebrokius an. 1680. Antverpiæ apud Michaelem Cnobbarum, ubi etiam *de Joanne Phoca* late satis loquitur.

1180 ANDRONICUS COMNENUS, Imperatoris Alexii Comneni primi sive Senioris nepos fuit, filius autem Isaaci Comneni Sebastocratoris, claruit anno 1180. vel circiter, de cujus eximiâ eruditione, singulari eloquentiâ atque exquisitâ Sacræ Scripturæ notitiâ, testimonium perhibet eximium Nicetas Choniates, cujusmodi illud est, quod pag. 149. editionis Græcolatinæ Parisiensis, his extat verbis: καὶ ταῦτα λέγων καὶ γράφων Ἀνδρόνικος μεθ' ὅσης οὐκ ἄν τις ἄν πειθανάγκης καὶ λαμπρότητος (ἦν γὰρ εἰ καὶ τις ἄλλος, γραμμάτων ἔμπειρος, καὶ ἀνὰ στόμα φέρων ἀεὶ τοῦ πνευματορρήτορος Παύλου τὰ ἐπιστόλια) εἶχε πάντας τῇ αὐτοῦ γνώμῃ προστιθεμένους. Hoc est, *Hac Andronicus incredibili persuadendi studio & artificio orationis loquens ac scribens, (erat enim litterarum, ut quilibet alius, peritus, & Spiritu Sancto afflati oratoris Pauli Epistolas semper in ore habebat) omnes in suam sententiam pertraxit.* Hucusque Nicetas Choniates. Scripsit autem *Dialogum contra Judæos*, qui MS. extat in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCLV. ut habet Petrus Lambecius Libro V. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 169. his verbis. „Codex CCLV. Manuscriptus Theologicus Græ-„cus est chartaceus antiquus, & optimæ notæ in „folio, constans foliis 138 qui olim ad Joannem „Sambucum pertinuit. Illo continetur *Impe-„ratoris Andronici Comneni*, qui Imp. Alexium „Comnenum II. sive Juniorem anno 1183. nefa-„riè occidit, & anno 1185. à seditiosa plebe Con-„stantinopolitanâ vicissim occisus est, *Dialogus* „*contra Judæos*, cujus titulus & principium: „

ἡ δογματικὴ τῶνδε τῶν λόγων χάρις, „
Τὴν Ἑβραϊκὴν ἐξελέγχουσα πλάνην, „
Τὰς εὐσεβεῖς δείκνυσι τοῖς πιστοῖς τρίβους. „
Ἔγραψε δὲ αὐτὴν Ἀνδρόνικος ἐκ πόθε, „
Ἀδελφόπαις Ἄνακτος, Αὐσόνων γένους „
Κομνηνοφυοῦς, ἐκ σεβαστοκράτορος „
Εἰς γῆν προαχθεὶς, καὶ γλυκὺ βλέψας „
φάος.

Ἐπειδήπερ πολλοὶ τὴν τῶν παρανόμων Ἰουδαίων „ ἐπεχείρησαν παραστῆσαι δυσσέβειαν, καὶ ὅπως „ μὲν ὁ φιλάνθρωπος Δεσπότης καὶ κηδεμὼν, οὐ „ διὰ σημείων μόνον, ἢ Προφητῶν, ἀλλὰ δι' ἀμφοτέ-„ρων ἅμα πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως τὴν σωτη-„ρίαν τούτων πραγματευόμενος &c. Ubi notan-„dum est Codicem hunc Tractatus istius, secun-„dum Joannis Sambuci opinionem, esse idiogra-„phum, sive propriâ ipsius Andronici manu exa-„ratum, qui jam à Petro Stevartio Leodiensi, sed „Latinè tantum interprete Joanne Livinejo, „editus est in tomo singulari *Lectionibus Antiquis* „Henrici Canisii addito, Ingolstadii typis Ederia-„nis anno 1616. in 4. Cui Livinejo Cardinalis „Sirletus vir doctissimus, MS. suum Codicem „Græcum commodaverat. Hinc autem ma-„nifeste liquet, quantum fallatur suprà memo-„ratus Joannes Livinejus, qui in Præfatione „suæ versionis Latinæ *Dialogi Andronici contra* „*Judæos*, illum anno Christi 1327. esse composi-„tum asserit." Quem secutus fueram in *Supplemento* meo *Bellarmini*, ad annum 1320. p. 593. Sed hunc Dialogum Andronico Comneno Imperatori 2. seu Juniori adscribens, qui anno 1327. imperium assecutus est. Minime quoque audiendus est Cardinalis Sirletus, qui ut Joannes Livinejus ibidem refert, perperam credidit au-

thorem illum *Dialogi*, non esse ipsum *Andronicum Comnenum*, sed eo tantum jubente opus istud ab Euthymio Zigabeno fuisse compositum. Quod enim ipse Andronicus *Dialogum* istum proprio marte composuerit, luculenter apparet ex Carminibus suprà exhibitis, qui ei tituli loco præfixi sunt: sicut & ex Nicetæ Choniatæ testimonio allato, de Andronici ejusdem eximiâ eruditione, singulari eloquentia, & exquisita Sacræ Scripturæ notitia. Extat qooque Græce MS. in Bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis, Codice 128. ut patet ex ejus Catalogo, ad calcem tomi 2. *Apparatus sacri* Antonii Possevini. Andronicum Camaterum Authorem habere videntur, *Dialogus adversus Latinos de processione Spiritus Sancti*, & *Disputatio Imperatoris cum Doctore Armeniorum Petro, De duabus in Christo naturis, & aliis capitibus*. Sed non *Opusculum contra Johannem Veccum Patriarcham Constantinopolitanum*, quæ MSS. asservantur in eadem Bavarica Bibliotheca, Codice 120. teste eodem Possevino, in Catalogo istius Bibliothecæ, pag. 62. Denique notandum est in suprà memoratâ *Dialogi* editione Latina Livineji & Stevartii, *Dialogum* illum esse divisum in 64 capita, nullum autem in Codice hoc manuscripto Cæsareo, istius divisionis extare vestigium. Hæc de eo Lambecius Libro V. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, p. 169. & 170. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 303. & 365. Henricus Wharton in Supplemento *Historiæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ubi pag. 24. hunc Andronicum Constantinopolitanum, refert ad annum 1327. cum Livinejo. Omnia autem hæc Opuscula adscribit *Andronico Camatero* Constantinopolitanæ urbis Præfecto Guillelmus Cavus *in Historia Rei literariæ*, parte 1. ad annum 1156. pag. 676. & parte 2. Historiæ literariæ ad annum 1183. pag. 397. 398. quæ vix conciliari possunt, cum iis quæ scribit ejus continuator Warthon ad annum 1327. p. 24.

1180 THEODORVS BALSAMON PATRIARCHA ANTIOCHENVS, natione Græcus, patria Constantinopolitanus, Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, Nomophylax & Chartophylax, sive custos Sigilli Patriarchalis, & Ecclesiæ archivorum, clarus ob insignem juris utriusque Canonici ac Civilis peritiam fuit ab anno 1170. vel circiter, à temporibus Manuelis Comneni Imperatoris & Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani. Primus etiam Blachernatum, sive Ædis beatæ Virginis, quam extra muros urbis ad Blachernas Pulcheria Augusta olim construxerat, Præpositus. Factus tandem ob singulare doctrinæ meritum ac zelum in Ecclesiam Græcam, anno 1186. Patriarcha Antiochenus; qui cum occupatam dudum à Latinis sedem suam cerneret, neque illic cum omnimoda potestate atque ad libitum imperare posset, degens Constantinopoli, authoritatem suam & jurisdictionem quantum poterat, Cartam tectam satagebat. Extitit Græcorum sui temporis citra invidiam doctissimus, Canonum Ecclesiasticorum imo & Civilium, omnium unquam quos Græcia multos tulit peritissimus: ut jure merito Joannes Citri Episcopus in Responsione ad Constantinum Cabasilam de eo dicat, ὁ ἱερὸς ἔτος ἀνὴρ, ὁ Ἀντιοχείας, Τρίβων μὲν ἦν ἐς ἀκριβὲς τῶν νομικῶν καὶ κανονικῶν νομοθεμάτων, καὶ παρὰ πᾶσιν ἐν τέτοις περιᾳδόμενος. *Divinus ille vir, Antiochiæ Patriarcha accuratè versatus erat in Constitutionibus Canonicis ac Civilibus, qui apud omnes in hisce rebus celebratus fuit.* Cum autem pro virili Ecclesias Orientales & Græcas adversus Latinorum cavillationes & usurpationes tueretur, nihil mirum, quod tantis convitiis a Cardinale Baronio oneratus sit, atque ab aliis Latinis multis, nihil nisi Latinum sapientibus. Quem enim Latinis odiosum legimus, Græcis acceptissimum fuisse negare non possumus, plerisque hominum pro partium studiis, vel injurias vel laudes abunde profundentibus. Fuisse autem lactatum diu obtinendi Patriarchatus Constantinopolitani vana spe, ab Isaacio Imperatore, tradit Nicetas Choniates ipse Græcus Lib. 2. cap. 4. qua de re non illepidam historiam narrat. Vivebat ad annum 1203. quo Constantinopolis à Latinis capta atque ut ita loquar expilata est. Hoc enim anno Theodorus Balsamon scripsit *Responsa Canonica* ad Marci Patriarchæ Alexandrini quæstiones factas, quæ extant in Joannis Leunclavii *Jure Græco-Romano*, Lib. 5. pag. 362. Mortuus tandem est provectæ ætatis, anno Christi 1214. cum titulum Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ per annos 28. tenuisset. Jam ad Opera Theodori Balsamonis veniamus.

Scripsit *Commentarium in Canones Sanctorum Apostolorum, & Sanctorum Oecumenicorum & particularium Conciliorum & in Epistolas Canonicas Patrum, Gregorii, Basilii &c.* Opus istud juxta Beveregium, aggressus est Balsamon jussu Manuelis Comneni Imperatoris & Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani, qui circa annum 1175. mortuus esse creditur, quod non absolvisse videtur, nisi sub Georgio Xiphilino, qui sedem Patriarchalem anno circiter 1194. ascendit. Vix tamen verisimile est, ut tantum temporis ad hujus Commentarii compositionem insumpserit: sed cum illum diu antea perfecisset, iterum a se recensitum secundis curis Xiphilino sedente, hujus ad demerendam gratiam, novo forsitan Patriarchæ velut novum nuncupavit. Prodiit hoc Opus Græce & Latine primum Parisiis anno 1620. in 4. sed hinc inde mutilum. Verum longe auctius & integrius, cum Notis Guillelmi Beveregii, Oxonii anno 1672. in folio, *in Pandectæ Canonum Ecclesiasticorum*. Videndum autem in illa editione Beveregii, an inveniatur *Explicatio Canonis decimi sexti Synodi Antiochenæ secundæ*, quæ Græco MS. extat in Codice MS. Historico Græco LIII. num. 23. ut habet Petrus Lambecius Lib. 8.

Com-

Commentariorum Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis pag. 484. his verbis. „Vigesimo tertio & quidem fol. 149. pag. 2. & fol. 150. pag. 1. *Theodori Balsamonis Explicatio Canonis decimi sexti Synodi Antiochenæ secundæ, De Episcopis & Ecclesiis vacantibus*, incipiens ab his verbis: Πολλάκις συνεζητήθη συνοδικῶς, τίς ἐστιν ὁ σχολάζων, καὶ ποία ἐστιν ἡ σχολάζουσα; καὶ περὶ μὲν σχολαζούσης οὐδεμία γέγονεν ἀμφιβολία: περὶ δὲ &c. Vide ipsius Syntagma Canonum, Parisiis Græce & Latine editum pag. 824. 825. & 1125. Sed ibi *Explicatio ista* extat Latine tantum inter Supplementa illa, quorum textus Græcus, in nullis Codicibus Manuscriptis reperiri potuit. Consule etiam Joannis Zonaræ Syntagma Canonum, pag. 332. ubi de eodem Canone agitur.

Commentarium in Photii Nomocanonem, qui prodiit Græce & Latine primum editus a Christophoro Justello, Parisiis anno 1615. in 4. & *in Bibliotheca Juris Canonici Veteris* tomo 2. pag. 789. ab Henrico Justello & Gulielmo Voello.

Collectionem Ecclesiasticarum Constitutionum, Paratitla a Joanne Leunclavio atque aliis nuncupatam, quam cum Joannis Leunclavii & Caroli Annibalis Fabrori notis habet *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* tomo 2. pag. 1223. de quo statim locuti sumus. Extat autem *Theodori Balsamonis Epitome Canonica Novellarum Constitutionum Justiniani primi Imperatoris* in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Historico Græco XLV. num. 70. & Codice XLVIII. num. 1. & quidem cum anonymi cujusdam amplissimis Annotationibus Græcis marginalibus, ut habet Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 452. his verbis. „Septuagesimò & quidem a fol. 216. pag. 1. usque ad fol. 230. pag. 1. *Novellarum Constitutionum Imperatoris Justiniani primi sive magni, Epitome Canonica à Theodoro Balsamone composita. & in capita 87. divisa*, de qua vide plura, libri 6. horum Commentariorum parte 1. pag. 54. & 55. Inscribitur atque incipit ea hic ut & ibi, Ἐκ τῶν μετὰ τὸν Κώδικα θείων νεαρῶν διατάξεων τοῦ τῆς θείας λήξεως Ἰουστινιανοῦ διάφοροι διατάξεις, συνᾴδουσαι ἐξαιρέτως τοῖς θείοις καὶ ἱεροῖς Κανόσι &c. Hæc de Codice MS. XLV. De XLVIII. autem pag. 458. & quidem cum anonymi cujusdam amplissimis Annotationibus marginalibus. Et Codice MS. Juridico Græco XVI. num. 3. ut habet Lambecius Lib. 6. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 54. Sed ut illic notat, hoc Opusculum extat quidem in Henrici Justelli *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* tomo 2. à pag. 1312. ad pag. 1361. At longè aliter, quam in his Manuscriptis Codicibus Cæsareis. Extant insignes tam Photii quam Theodori Balsamonis MSS. Codices in Anglicis Bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 205. qui valde magnus & amplus est. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum Num. 1836. in MSS. Codd. Collegii Etooensis Codice 38. Num. 3439. in MSS. Codicibus Biblioth. Norfolcianæ Codice 540. Et Num. 5905. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 71.

Responsa ad varias quæstiones Jus Canonicum Spectantes, videlicet *De Episcopatuum in Metropoles erectione. De electis ad Ecclesias Orientales. De foro Clericorum, De jure Patriarchico in Monasterio. De Feriis*, aliaque plura, quæ habentur passim Græcolatina, Lib. 2. *Juris Græcoromani* Joannis Leunclavii. Notat autem Petrus Lambecius Lib. 6. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 53. extare *Octo Responsa seu Meditata* ejusmodi *Theodori Balsamonis*, Codice MS. Juridico Græco XV. num. 4. his verbis. „Quartò & quidem à fol. 525. pag. 2. usque ad fol. 574. pag. 2. Theodori Balsamonis Patriarchæ Antiocheni *Meditata sive Responsa Ecclesiastica octo*, quorum *primum* inscribitur atque incipit his verbis: Ἐπιστολὴ τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Θεοδώρου, τοῦ Βαλσαμῶν πρὸς τὸν ὁσιώτατον καθηγητὴν τῶν κατὰ τὸν Παπίκιον μοναστηρίων, μοναχὸν κῦριν Θεοδόσιον, χάριν τῶν ῥασοφόρων. Ὁ μέγας διδάσκαλος τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεοκήρυξ Ἀπόστολος Παῦλος, ἔστω, φησὶν, εἰς τὸ ἀκοῦσαι ταχὺς, καὶ εἰς τὸ λαλῆσαι βραδύς. Ἔδει οὖν &c. *Secundum.* Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου τῷ ἱερωτάτῳ Μητροπολίτῃ Φιλιππουπόλεως, καὶ ὑπερτίμῳ, περὶ τοῦ μὴ ἀναγινώσκειν βιβλίον μαθηματικόν. Ἐπεὶ γῆρας πρὸς ἀρετὴν ἐστὶν ἀξιόπιστον &c. *Tertium* Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου μελέτη χάριν τῆς εἰς τοὺς θείους ναοὺς τῶν μοναστηρίων γινομένης μετακλήσεως διὰ σημαντηρίων τριῶν. Βλέπων ἀπειροκάλους τινὰς &c. Vide *Jus Græcoromanum* tomo 1. pag. 476. & deinceps. *Quartum.* Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Ἐπιστολὴ πρὸς τὸν ἐπὶ τῶν κρίσεων Χάριν τῶν διδομένων θυμιαμάτων ἐτησίως παρὰ τοῦ Πατριάρχου. Σὺ μὲν περιπόθητον τέκνον, μεγαλοδοξότατε κριτὰ &c. *Quintum.* Μελέτη τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου, χάριν τῶν δύο ἐκκλησιαστικῶν ὀφφικίων, τοῦ Χαρτοφυλακίου, καὶ τοῦ προεκδικίου Τοῦ μεγάλου διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας Παύλου &c. *Sextum.* Ἀπόκρισις καὶ μελέτη τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας κυροῦ Θεοδώρου, χάριν τῶν Πατριαρχικῶν προνομίων. Εἰσῆλθε τὸ ἀξίωμά σου &c. *Septimum.* Τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου διάγνωσις, χάριν τοῦ λαληθέντος συνοδικοῦ ζητήματος περὶ τοῦ, εἰ χρὴ τὸν αὐτὸν καὶ ἕνα δυσὶ διεξαδέλφαις συνάπτεσθαι. Οἱ τῶν Ἀθηναίων ἰθαγενεῖς &c. *Octavum.* Ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου, χάριν τῶν ὀφειλούσων τελεῖσθαι νηστειῶν. Ἐκεῖνοι διδάσκουσι περὶ νηστειῶν θεάρεστα διδασκάλια, οἳ θεοφιλέστατον πλήρωμα τοῦ ποτὲ περιωνύμου θρόνου τῆς Θεουπόλεως ὅσοι &c. Ex his octo Meditatis sive Responsis extant in *Jure Græcoromano* a Marquardo Frehero Græcè & La-

„tine edito, tantum quinque, nempe 3. 4. 5. 6. & 7. tomo 1. a pag. 442. usque ad pag. 478. reliqua autem tria ibi desunt." Ita Lambecius. At *primum* de his octo Meditatis, quod in Jure Græcoromano deesse a Lambecio dicitur, editum postea est Græce & Latine a Joanne Baptista Cotelerio, tomo 3. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 473. inscriptum, *Epistola Theodori Balsamonis ad Theodosium Abbatem de Monachis Rasophoris* seu *raso indutis*. *Octavum* quoque Responsum seu Meditatum, editum ab eodem Cotelerio tomo 2. *Veterum Monumentorum* citatorum, pag 492. Græcè & Latinè, inscriptum, *Epistola Theodori Balsamonii ad Antiochenos de jejunio*. Vnde restat solum *secundum* Responsum seu Meditatum citatum MS. non impressum, *De libris Mathematicis non legendis* &c. hæc occasione hujus MS. Codicis.

Responsa ad Interrogationes Marci Patriarchæ Alexandrini, extant Græcolatinè, *in Jure Græcoromano* ibidem libro 5. pag. 362. de quibus loquitur Petrus Lambecius, occasione MS. Codicis Historici Græci LI. num. 16. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 474. his verbis. „Decimo sextò & quidem a fol. 289. pag. 1. usque ad fol. 310. pag. 2. Marci Patriarchæ Alexandrini quæstiones Canonicæ 66. cum Responsis Patriarchæ Antiocheni Theodori Balsamonis, quarum titulus & principium: Ἐρωτήσεις τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου κυροῦ Θεοδώρου. Προοίμιον. Ὁ μὲν Θεόπτης Μωσῆς καὶ Προφήτης, Ἐρώτησον, φησὶ, τὸν πατέρα σου, καὶ ἀναγγελεῖ σοι &c. Plura de iisdem Quæstionibus & Responsis vide Libri 6. horum Commentariorum parte 1. pag. 48. & 49. Quibus nunc addo notandum esse imprimis, quòd Quæstiones illæ *Theodori Balsamoni* propositæ fuerint anno Christi 1203. Indictione 13. ut expressè ibi indicatur his verbis. Ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἐρωτήματα ἅπερ χρήζουσιν οἱ Χριστιανοὶ οἱ κατοικοῦντες ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Σαρακηνῶν, καὶ ἐν ταῖς ἐξουσίαις αὐτῶν, ἐρωτηθέντα παρὰ Μάρκου τοῦ ἐλαχίστου ἐν τοῖς Πατριάρχαις Ἀλεξανδρείας, ἐν ἡμέραις τῆς βασιλείας τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου βασιλέως ἡμῶν κυρίου Ἰσαακίου τοῦ Ἀγγέλου, καὶ ἐπὶ τοῦ ἁγιωτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου κυρίου Γεωργίου. ὧν τὰ ἔτη αὐξανεῖ ὁ Θεὸς εἰς μακρότητα ἡμερῶν. μηνὶ Φεβρουαρίῳ ἐπινεμήσεως ιγ΄. καὶ ἐτῶν μετὰ τὴν σάρκωσιν τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ασγ΄. Hoc est: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Interrogationes ad quas responderi desiderant Christiani, qui Saracenorum regionem, & sub eorum ditione habitant, factæ à Marco, minime inter Patriarchas Alexandrinos, in diebus Imperii piissimi & Christi studiosissimi Imperatoris nostri, Domini Isaaci Angeli, & tempore sanctissimi atque Oecumenici Patriarchæ Domini Georgii, quorum annos augeat Deus in dierum longitudinem, mense Februario, Indictione 13. anno post Incarnationem Domini & Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, 1203."

Ejusdem *Meditata sive Responsa ad varios Casus*, Græcè & Latinè in eodem *Jure Græcoromano* Lib. 7. fere per totum.

Ejusdem *Rescriptio sive Epistola Responsoria ad Archiepiscopum Gradensem sive Aquilejensem, qua demonstrat eum non esse appellandum Patriarcham, ac simul etiam agit de Azimis*, extat Codice MS. Historico Græco LV. num. 5. *Bibliotheca Cæsareæ Vindobonensis*, ut habet Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 492. his verbis.

„Quintò & quidem à fol. 316. pag. 1. usque ad folium 321. pag. 1. *Patriarchæ Antiocheni*, & quidem ut videtur, *Theodori Balsamonis Rescriptio sive Epistola Responsoria ad Archiepiscopum Gradensem sive Aquilejensem, qua demonstrat eum non esse appellandum Patriarcham, ac simul etiam agit de Azimis*. Ipsa tituli & principii verba hæc sunt: Τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας ἀντιγραφὴ πρὸς τὸν Ἀρχιεπίσκοπον Γραδούνου. ἤτοι Ἀκυληΐας περὶ τοῦ μὴ εἶναι δεκτὸν ὡς μηδὲ ἀκουσθὲν πότε τὸ ὀνομάζεσθαι Πατριάρχην τὸν τοιοῦτον Ἀρχιεπίσκοπον. καὶ ὑπὲρ τῶν ἀζύμων. Πολλῆς ἡμῖν εὐφροσύνης καὶ πνευματικῆς ἀγαλλιάσεως αἴτια. τὰ σὰ καθέστηκεν ἱερὰ γράμματα. ἱερώτατε καὶ Θεοφιλέστατε πνευματικὲ ἀδελφὲ καὶ τίμιε δέσποτα. Ἐχάρημεν γὰρ οὐ μικρῶς τῷ ὄντι &c." Extat quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ n. 3274. in MSS. Codd. Joannis Scheldeni Cod. 62. num. 2. *Martyrium Theodori Orientalis & Claudii* auctore Theodoro Patriarcha Antiocheno, quem jure Balsamonem hunc arbitramur. Agunt *De Theodoro Balsamone* omnes qui scripserunt *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, Antonius Possevinus, Robertus Bellarminus, Philippus Labbeus &c. Has autem notas singulares hausimus ex Petro Lambecio qui abunde illius meminit Libro V. Commentariorum *Bibliotheca Cæsareæ* pag. 161. 162. 171. 221. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi seu libri, pag. 358. & 366. Lib. 6. eorundem Commentariorum, parte 1. p. 51. 52. 53. 54. & in Catalogo Scriptorum hujus partis pag. 70. & 71. Libro 8. eorundem pag. 474. & 484 & 492. atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 571. & 579.

BALDVINVS. SEV BALDEVVINVS, DEVONIVS, CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, fordæ in Anglia olim Abbas Ordinis Cisterciensis, ab anno 1180. & antea claruit. Recte me arguit Cavus *in Historia Rei Literariæ* ad annum 1185. pag. 688. quod *in Supplemento* pag. 453. scripserim, illum anno 1171. successisse Thomæ Becketo in Ecclesia Cantuariensi. Anno enim tantum 1181. Episcopus Wigorniensis renuntiatus est, atque 1185. XIV. Kal. Junii post Richardum Priorem Dovorensem 1180

sem in sede Cantuariensi successit. Hujus vitam ita describit Gervasius Cantuariensis, *in Actibus Archiepiscoporum Cantuariensium*, pag. seu col. 1675. „Baldewinus Wigorniensis Episcopus. Sed „quid de isto dicam Baldewino? Proposui & „promisi de Regibus & Archiepiscopis prospera „dicere, & bona quæ Cantuariensi Ecclesiæ fece„runt, Lectoribus aliqua nuntiare. Sed cum „facta Baldewini video, non bona, sed mala mul„ta referre compellor invitus. In Exonia ex „infimo genere natus, litteris secularibus & sa„cris eruditus est, & in omni honestate conver„satus est. Deinde cum bonis polleret mori„bus, per Episcopum Exoniensem Bartholomæ„um Archidiaconus ibidem effectus est. Sed „cum ad altiora tenderet gressum, omnia mun„dana reliquit, & Ordinis Cisterciensis habitum „suscepit in Cœnobio Fordensi, & post paucos „annos Abbas ibidem effectus est. Deinde post „obitum Rogeri Wigorniensis Episcopi, anno „tandem 1181. Episcopus electus est; & cum „post secessum bonæ memoriæ Richardi Archi„episcopi Cantuariensis (quæ contigit anno 1183. „die 17. Februarii) Ecclesia viduata pastore ca„reret: motâ quæstione de Pastore substitu„endo in præsentia Regis, post multas fati„gationes Monachi Cantuarienses Regi nomi„naverunt virum justum & bonum *Petrum Me„nevensem Episcopum*. Annuit Rex, veruntamen „ad præsens dilatum est negotium & iterum „apud Londonias redierunt in idipsum. Epi„scopi verò per seipsos subitò elegerunt *Balde„winum Wigorniensem Episcopum*, (qui translatus „est ad hanc sedem sub exitum anni 1184. & „Maji 19 anni 1185. in Archiepiscopali throno „Cantuariæ solemniter collocatus.) Et Mona„chi Cantuariam redierunt. Subsecutus est „eos Rex, & in Capitulo flexis genibus, & lachry„mantibus oculis Conventum deprecatus est, „ut præfatum susciperet electum: Sic tamen „ut Episcoporum penitus cassaretur electio, & „Conventus de novo suam faceret electionem. „Petitio Regis exaudita est, & Londoniam „omnes redierunt. Electione Episcoporum „denique cassata, *Baldewinus à Monachis electus est*. „Missis itaque nuntiis ad curiam Romanam, Vr„banus Papa ex assensu fratrum, Monachorum „electionem confirmavit, & ideo electo pallium „misit. Baldewinus igitur Cantuariam ve„niens, cum honore debito à Monachis susceptus „est & inthronizatus, de quo pacis & tranquilli„tatis tanta spes habita est, ut Sanctorum Præ„decessorum suorum concivis & socius fore pu„taretur. Dicebat enim fratribus inter cætera „in Sermone facundo: Hoc est primum fratres „& summum in desideriis meis, ut unum simus „in Domino: vobis enim debeo, quidquid ha„beo: sed & corpus & animam meam vobis te„neor impendere. Sed cum de eodem tanta „religionis & gratiæ fulgerent præconia, quasi „redempturus esset Israël: a Clericis seductus, „in primis sanctitatis operibus a Sanctuario Do-

mini incipiens, Ecclesiam Christi Cantuariæ« quibusdam spoliavit exeniis, quæ de villis Mo-« nachorum solebant eisdem ab antiquo deferri.« Deinde nescientibus Monachis, missis clanculò« Clericis, pastui pauperum & orphanorum assi-« gnatas invasit Ecclesias. Verum cum omnia« subripere cogitaret, appellatio interposita est.« Ipse autem appellationi non deferens, aliquas« Monachorum villas invasit, & mirati sunt uni-« versi. Tandem elaboratum est a quibusdam« qui Cantuariæ convenerant, ut Archiepisco-« pus Monachis restitueret ablata, & ipsi jam fa-« ctæ renuntiarent appellationi. Archiepisco-« pus igitur villas quidem restituit, sed Ecclesias« Clericis suis dedit, & exenia sibi retinuit. Misit« interea nuntium ad Papam Vrbanum, petens« ut jam datas confirmaret Ecclesias, & novæ« construendæ Basilicæ Apostolicam daret au« thoritatem, quam dixit in Curia Clericus idem,« Sanctum Thomam inchoasse. Obtinuit nun« tius & rediit, & Baldewinus jam effrenis effe-« ctus, non solum Ecclesias & oblationes fidelium« auferre, sed & totum statum & tranquillitatem« Cantuariensis Ecclesiæ subvertere cogitabat.« Hæc audiens Rex, de facili consensit. Assen-« tiunt Episcopi, fideque interposita vel jura-« mento firmatum est, ut omnes Episcopi qui« Monachos habebant, Cathedrales Ecclesias fa-« cerent de Clericis secularibus Conventuales,« eisque Monachorum cum decimis darent &« Ecclesias. Audiens hoc Conventus Cantua-« riensis, nec mirum admiratus est, & unicum« oppressorum opposuit remedium, & ad Sedem« Apostolicam appellatum est. Relata sunt« hæc in Curia, & Vrbanus Papa ex assensu Fra-« trum, semel & secundò & tertiò operis istius« inhibuit executionem, & per Angliam institu-« tam cassavit Fraternitatem. Baldewinus au-« tem nihilominus desistere noluit, sed quingen-« torum pedum jaciens fundamentum, Priorem« & Fratres qui appellaverant, suspendit, & redi-« tus debitos solvi prohibuit. Januas etiam« Monachorum præcepit abserari, & ne quis« egrederetur inhibuit, & deinde omnes villas« Monachorum occupavit. Scripsit iterum« Vrbanus Archiepiscopo præcipiens, ut Mona-« chis omnia restitueret ablata, & opus inchoa-« tum & locum maledictum pronuntiavit & pro« phanum, & omnes qui ibidem celebraverant,« suspendit. Ipse verò contemnens omnia,« quod in capella fuerat ligneum, factum est la-« pideum: & ut omnes Clerici sui ibi domos« mansionarias citissime fabricarent præcepit, &« sic apud Dovoriam transfretavit. Agente« autem Rege, duobus Monachis qui ad Regem« missi fuerant, villas restituit, per litteras clau-« sas suis insinuans Ministris: quod ea conditio-« ne prædictam fecerat restitutionem, ut de illo« villas tenerent, & singularem ei, non Conven-« tui redderent rationem. Obstupescunt ad« hoc Monachi, & omnia respuunt, magisque vo-« lunt panem quotidianum mendicare, quam«

Ec-

„Ecclesiam Cantuariensem tantæ subjicere servituti. Obiit interea Vrbanus Papa, & Gregorius *Archiepiscopi* patronus Papatum suscepit. Hic Ecclesiarum prælatis & subditis indulsit, ut omnes Litteræ Vrbani Papæ a tribus mensibus ante obitum ipsius traditæ, eandem firmitatem haberent, ac si adhuc viveret. Causam verò Cantuariensis Ecclesiæ ab hac excepit pietate, ut quæ majori indigebat solatio, majorem haberet desolationem. Vnde Baldewinus gaudens effectus, in Angliam properavit, & applicuit apud Dovoriam. Misit illico Conventus Monachos duos, qui eum de transmarinis venientem salutarent, & debitam offerrent professionem. Quos statim per nuntios, antequam ad eum possent accedere, denuntiavit excommunicatos, equos abstulit, & ad Cantuariam pedites redire coegit. Suppriorem & ei consentientes, per totam provinciam denuntiari fecit excommunicatos, & omnia quæcunque Monachi habebant, extra portam eis abstulit. Et quia porta contra raptores hujusmodi clausa fuit, murus curiæ ligonibus perforatus est, & curia eorum cum officinis omnibus capta. Cibaria qunque Conventus hospitum & infirmorum asportata sunt, & servientes jurare compulsi sunt, ut si quem Monachum exire viderent, illum apprehenderent, vel clamore notarent. Servientes & Clerici in curià vel cimiterio capti sunt & verberati, & in carcerem trusi. Monachi ad eum missi abducti sunt, & unus in atrio Ecclesiæ captus, ligatus, abductus est & incarceratus, afflictus est, ut in triduo post reditum, spiritum exhalaret. Omnes etiam qui quovis titulo Monachos contingebant, Regis & Archiepiscopi proditores appellati sunt. Nocte & die vallati sunt multitudine armatorum, ut putarent Monachi se in Ecclesia vel Claustra detruncandos. Sed nec cibum capere, vel somnum carpere secure valebant: & ut breviter mala dicentur quæ nimis longa fuerunt, à primo ingressu Baldewini, vix dies paucos habuere quietos. Et cum Monachi debita victualia non haberent, propter tot & tantas enormitates, Ecclesia Cantuariensis à divinis suspensa est. Gregorius Papa interim obiit, & Clemens successit, & Archiepiscopi sensus immutatus est. Cui post modicum Clemens Papa scripsit secundum formam Vrbani, præcipiens ut opus inchoatum destrueret, Monachis etiam restitueret ablata, & de cætero ab eorum gravamine cessaret. Invasores etiam curiæ eorum, excommunicati sunt. Obiit intereà Prior Honorius apud Romam, & socii ejus quinque; Hostiensis etiam Episcopus, & Radulfus Cardinalis, quos ad dirimendam causam Papa Clemens mittere volebat in Angliam: & sic Ecclesia Cantuariensis soli Deo relicta est. Conventus autem licet in egestate plurimà constitutus, firmiter in primo perseveravit proposito, semper paratus pro libertate Ecclesiæ, contumelias & terrores, opprobria hominum & malitias sustinere, vel mortem, vel quidquid humana vel diabolica posset excogitare malitia. Statimque fratres quatuor miserunt ad Curiam. Interea Reges & Principes, Archiepiscopus Baldewinus & Episcopi plures acceperunt Cruces, ut irent in Jerusalem. Sed orta gravissima discordia inter Regem Franciæ & Regem Angliæ, & filios ipsius. Obiit Rex Henricus, cujus procuratione Ecclesia adeò vexata est. Cui successit Richardus filius ejus, quem ap. Westmonasterium sacravit & coronavit Archiepiscopus Baldewinus. Verum ne aliqua fieret perturbatio pro Cantuariensi Ecclesia in coronatione illâ, callidè procuratum est, ut Archiepiscopus restitueret Monachis curiam cum officinis, villas & reditus cum ea quam habuerant libertate: Ecclesias autem & Exenia non reddidit, & contra morem Ecclesiæ, *Rogerum quendam proditorem*, absente Conventu nominavit Priorem. Quod cum contradicerent Monachi, iterum damnis & contumeliis afflicti sunt, & possessionibus spoliati: unde postmodum in præsentiam Regis vocati, expositis in audientia multorum gravaminibus illatis, compulsi sunt ut Chartas Ecclesiæ proferrent in medium, ab æmulis suis, videlicet Episcopis judicandas. Sed cum Monachi nec hoc absque convenientia Conventus facere valerent, exiliit Rex & iratus juravit, quod nec unus ex eis in Ecclesia remaneret. Veruntamen in proximo cum Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus & Proceribus multis, Rex venit Cantuariam, & post multos variosque Sermones, hoc tandem elaboratum est, ut Archiepiscopus Monachis restitueret ablata, capellam incultam dimitteret vel penitus dissiparet, Clericorum ædificia deponeret, & ad invicem illatas remitterent injurias. *Rogerus* etiam à Prioratu depositus est. Latebat interim apud Dovoriam Johannes Legatus, qui ad restituendam Ecclesiæ pacem, missus erat in Angliam. Venit igitur Cantuariam, scilicet à Rege vocatus, & à Monachis honorificè susceptus est. Sed ad pacem illam faciendam vel jam factam vocatus, neque cum Monachis nisi valde secretum habere potuit colloquium, nec eisdem in tam arduo negotio necessarium scivit dare consilium. In crastino autem non ut Legatus, sed simpliciter Dovoriam profectus est, & citissime post Regem transfretavit. Archiepiscopus autem a suo non desistens proposito, Londoniam adiit, & ne nihil ageretur, apud Lamhée in planitie campi tentoria fixit, & præcapit ibidem Lapideam fieri capellam, & ut Clerici ibi mansiones congruas fabricarent. Archiepiscopus sacravit apud Lamhée Episcopos duos, *Richardum Londoniensem & Willelmum Heliensem*. Diversis verò temporibus & locis sacravit istos, *Gilebertum Roffensem*, cui eundem dedit Episcopatum *Willielmum* etiam sacravit *Landavensem, Johannem Exoniensem, Willielmum*»

Wi-

„*Wigorniensem, Hugonem Linolniensem, Reinerum „Sancti Asaph, Willielmum Hertfordensem, Hugonem „Coventrensem. Godefridum Wintoniensem, Huber- „tum Saresberiensem Dionysium* quoque benedixit „*Abbatem de Boxleia, & Algarum de Farresham, & „Johannem de Combwell.* Archiepiscopus Bal- „dewinus transfretaturus Cantuariam venit, „baculum & peram in Ecclesia Christi suscepit, „ultimumque valedicens Monachis & Angliæ, „peregrè profectus est. Et tandem pervenit „ad Civitatem Accon, ubi parum proficiens, sed „in dies deficiens, decidit in ægritudinem, quà & „mortuus est (anno nimirum 1190.) Rexit Ec- „clesiam Cantuariensem, sicut suprà dictum est, „annis V. mensibus XI. Et in obsidione Civita- „tis Accon vitam finivit, & ibidem sepultus est. „Cujus vestimenta capellæ Cantuariam allata „sunt. Dimiserat autem in Ecclesia Cantua- „riensi casulam unam auro paratam, dalmati- „cam, & tunicam auro textam, & cappas duas. „Hæc de Baldewini Archiepisc. factis pauca per- „strinxi, abbrevians mala quæ nimis prolixa fue- „runt." Hæc Gervasius. Vacavit Ecclesia Cantuariensis post obitum ipsius, annis 2. & mensibus 7. Giraldus autem Cambrensis, qui ipsum Baldewinum tam in peragrandà Wallià, quàm in expeditione Hierosolymit. comitatus est, sic hominé describit: *Colore fuit fusco, vultu simplici ac venusto, staturà mediocri, habitudine corporis bona, sed tenui, non crassa: modestus ac sobrius, abstinentia magna, ut vix unquam in ipsum quicquam sinistrum ausa fuerit fama præsumere. Sermone parcus, ad iram tardus, litterarum studiis à pueritia imbutus, jugum Domini ab adolescentia portans.* Haud tamen satis in suis laudibus sibi constat Giraldus dicens, *Monachum fuisse meliorem quam Abbatem, & Episcopum quàm Archiepiscopum.* Hanc etiam ob caussam ita dicitur affatus eum Papa in quadam Epistola: *Urbanus Servus Servorum Dei, Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso salutem &c.* Laudat illum *in Archiepiscopis Cantuariensibus* Godwinus, quod optime intentionibus ac voluntatibus Henrici Angliæ Regis consonuerit, in quo maximè culpandus est: cum ut Regi iniquo complaceret, innumeris Cantuarienses Monachos attriverit miseriis. De illo Radulfus de Diceto *in Imaginibus Historiarum* passim, Gervasius citatus *in Historia Regum Angliæ*, & *in Actibus Pontificum Cantuariensium*: & ferè omnes Anglicanarum rerum Scriptores. Scripsit multa, quæ tandem ex MSS. Codicibus eruta, in totum V. *Bibliotheca Veterum Patrum Ordinis Cisterciensis* pag. 1. & sequentibus immissa sunt, quem anno 1662. in fol. edidit Bertrandus Tissier Prior Bonifontis. Hic Balduinus a patria cognominatus Devonius, sub cujus Cantuariensis Archiepiscopi nomine *Sermones* MSS. inveniuntur Cod. 634. celeberrimæ Bibliothecæ Colbertinæ. Et in Bibliotheca Claræ Vallis, Ordinis Cisterciensis, *Sermones D. Balduini Abbatis de Forda, postea Cantuariensis Archiepiscopi.* Opera autem ipsius impressa sunt Tractatus XVI. de diversis argumentis, quæ incipiunt, *Sacramentum Dominici corporis & sanguinis pro sua dignitate &c.* Lib. 1. pag. 1. De commendatione fidei. *Omnia fœdera Societatis humanæ &c.* p. 74. Liber 1. De Sacramento Altaris, per Epistolam Bartholomæo Oxoniensi Episcopo dedicatus, quæ incipit: *Amantissimo Domino & Patri Bartholomæo &c.* pag. 103. & seqq. Plura absque dubio subministrabit Carolus de Wisch *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 30. impressa Coloniæ Agrippinæ in 4. anno 1656. apud Joannes Busæum. Advertat autem Lector in Manuscripto Codice Colbertino de quo suprà, inveniri tres adhuc Homilias hujus Balduini, quæ impressæ non sunt, *prima* Exhortatio ad Sacerdotes quæ incipit, *Vos ò Sacerdotes Domini, attendite à voluptatibus carnis &c.* *Secunda* De obedientia & inobedientia, ad textum, *Melior est obedientia quàm victima &c.* quæ orditur: *Quantum sit obedientia bonum, & quantum è diverso inobedientia malum &c.* *Tertia* De sancta Cruce, *Convenite populi nationum ad stupendum divinæ virtutis spectaculum &c.* Hoc annotasse juvat, ob eos qui colligunt Opera Scriptorum Veterum. Tractatus Balduini Devonii Cantuariensis Archiepiscopi ex impressis sexdecim nobiliores hi sunt.

3. *De dilectione Dei*, qui incipit, *movere vos potest &c.* pag. 7.

4. De duplici resurrectione, quæ per obedientiæ perseverantiam obtinetur. p. 12.

5. De requie quam sibi & nobis Christus quæsivit & paravit. p. 17.

6. De efficacia Divini eloquii. p. 22.

7. De salutatione Angelica. p. 28.

8. De vulnere charitatis, quod sponsa infligit sponso. p. 33.

9. De beatitudinibus Evangelicis. p. 36.

11. De crucifixione veteris hominis. p. 51.

15. De vita Cœnobitica seu Communi. p. 62.

16. De pulchritudine Nazaræorum. p. 70.

Si alia cupis de Operibus *Balduini Devonii Cantuariensis Episcopi*, videatur Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*, tomo 1. pag. 165. Carolus de Wisch *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, fol. 30. & 31. De anno quo Balduinus iste mortuus est, Scriptores non conveniunt: Guillelmus enim Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1185. pag. 688. vult ipsum anno 1191. in obsidione Ptolemaidis diem clausisse extremum: cujus summa lenitas blandique mores quos ei appingit, vix cum iis quæ ex Gervasio à me producta sunt oculato teste, quadrare possunt. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit suo *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 87. vult obiisse illum anno 1193. qua de re accuratius inquirendi otium non suppetit.

JOSEPHUS DEVONIUS, sive ISCANUS vel EXCESTRIENSIS, etiam Henrici II. 1180

Richardi & Joannis Angliæ Regum temporibus claruit, dictus *Devonius* quia in Devonia natus est, quæ citerior Dumnoniorum seu Damnoniorum regio est. Sed Iscæ civitate Cornuwalliæ seu Cornubiæ educatus fuit, quæ pars altera Damnoniorum est: atque hinc liquet, unde nunc *Devonius* seu *Devoniensis*, nunc *Iscanus* dicatur. Vir fuit Latinè, Græcèque doctus & disertus admodum ætate sua, imò Britannicorum Poëtarum ævo suo princeps. Balduinum Cantuariensem Archiepiscopum patronum habuit, qui anno 1184. ad hanc sedem electus est, unde patet quo tempore Josephus Devonius scripserit. Cui & dedicavit tum *Libros sex de bello Trojano*, tum *Antiocheidem suam*: præter quæ & *Panegyricum in Henricum II.* edidit, & *Librum De Institutione Cyri & nugas amatorias & epigrammata & carmina varia*, ut Balæus Auctor est. *Libri sex De bello Trojano*, seu *Historia Daretis Phrygii versibus* per Josephum Devoniensem, falsò adscripta Cornelio Nepoti, extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 1758. in MSS. Codicibus Kenelmi Dighæi Codice 157. num. 3. Et inter MSS. Codd. Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1346. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 69. num. 4. inscripta *Daretis Phrygii liber de prima Pergamorum eversione* cujus initium, *Iliadum lachrymas &c.* Impressa est primum hæc Historia ab Albano Torino Basileæ anno 1541. in 8. & iterum ibidem anno 1583. in folio cum aliis operibus pag. 444. inscripta *Daris Phrygius De bello Trojano, carmine elegiaco per Cornelium Nepotem.* Hac de re postmodum Angli conquesti sunt, quod imperitè & immeritò attributum fuisset *Cornelio Nepoti*, opus quod *Josepho Devoniensi* adscribendum erat, quo in Opere Iscanus historiam carmine expressit, quæ Daretis Phrygii nomen præfert. Initium Operis hujusmodi est.

Iliadum lacrymas, concessaque Pergama fatis,
Prælia bina Ducum, bis adactam cladibus urbem,
In cineres querimur.

Vt veritati historiæ insisteret, Poeticas fabulas quantum licet, declinare se testatur, uti verba ista volunt.

Quos superos in vota vocem? mens conscia veri
Proscripsit longè ludentem ficta Poëtam.

Negat se Homerum sectari, qui multa mentitur: quod cum non satis perspiceret Albanus Torinus vir eruditus, pro *conscia veri*, putavit legendum esse, *æmula veri*: id quod menti Poëtæ adversatur, uti & sequentia ostendunt.

Quinte Cecropii mentita licentia pagi,
Et lædant figmenta, pater, quo præside floret
Tantia, & priscas respirant libera leges.

Vbi *Cecropium pagum* appellat Græculos poëtas, homines gentiles sive pago deditos, ut Prudentius loquitur: Id quod satis ostendit non esse poëtam Gentilem, nedum *Cornelium Nepotem.* Cæterum pro *Tantia* idem Albanus Torinus legendum putabat *Pontia*, sed perperam. Rectum est *Cantia*, quippe alloquitur Mæcenatem suum Balduinum, Cantuariensem Archiepiscopum, quem & alibi sic compellat.

Innumerum jam crescit honor, te tertia poscit
Insula, jam meminit Wigornia, Cantia discit,
Romanus meditatur apex, & naufraga Petri
Doctorem in medius exspectat cymba procellis.

Vbi Balduino dignitatem Summi Pontificatus optat atque ominatur. Meminit Josephi hujus & Guilielmus Festregicus libro *De rerum originibus.* Joannes Pitseus Opere *De Scriptoribus Angliæ*, ubi eum anno 1210. clarere vult, illum refert favore & gratia Balduini, cujus ante meminimus, factum esse tandem Archiepiscopum Burdigalensem: quod unde hauserit, nescio. Nihil quidem de eo Lelandus & Balæus, planèque erroneum censeo. Sanè apud Gabrielem Lurbeum in Chronico rerum Burdigalensium, lego anno quidem MCLXXXI. Eliam quendam factum Archiepiscopum, Guilielmum autem anno MCCXXIV. De Josepho hoc ibi ne γρῦ quidem, uti nec apud Democharem in Catalogo Burdigalensium Archiepiscoporum, aut Joannem Chenu in Historia Episcoporum Galliæ. Et sanè quam parum credibile est, tantum gratiâ apud Gallos voluisse Cantuariensem Præsulem, ut ejus postulato, hominem Anglum fecerent Burdegalensem Archiepiscopum. Hæc ad verbum Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 450. editionis ultimæ, cui nonnulla ad majorem evidentiam adjecimus. Mentionem hujus Scriptoris faciunt, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. cap. seu num. 150. pag. 187. Cæsar Egassius Bulæus in Historia Vniversitatis Parisiensis Seculo IV. pag. 751. Thomas Hidius in Catalogo Librorum Bodlejanæ Bibliothecæ impressorum, verbo *Dares Phrygius.* Carolus du Fresne, Dominus du Cange in Catalogo Scriptorum quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo *Josephus Iscanus* col. 144.

GVARNERVS SEU GARNERIVS LINGONENSIS EPISCOPVS, factus primum 1180
Monachus Ordinis Cisterciensis in Abbatia Longivadi, quæ anno 1149. 4. Nonas Martii desolata moribus, ab instituto Canonicorum Regularium divi Augustini minus Canonicè viventium, transiit ad reformationem Monasticam Ordinis Cisterciensis, annuente & approbante Eugenio 3. Summo Pontifice & Lingonensi Episcopo, in cujus Diœcesi constructa est. Factus Guarnerus ex Monacho Longivadi Prior Claræ vallis, ac deinde anno 1180. Abbas Alberipæ, & anno 1186. Abbas Claræ Vallis nonus, post Petri Abbatis obitum. Anno sequenti 1187. milites Calatravenses ad obedientiam Cistercii in comitiis Generalibus obedientiam profitentes, sub filiatione Morimundensis Ecclesiæ admittit.

Fa-

Factus Abbas Claræ Vallis, scripsit doctas ac plures Conciones lacte & melle ob dictionem manantes, in præcipuis quibusdam festivitatibus, quas vidi egregiè Manuscriptas in Bibliotheca Vallisclaræ Cisterciensis Ordinis Episcopatus Laudunensis, sed impressas curis Bertrandi Tissierii tomo 3. pag. 75. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, dignas omnino quæ ederentur. Extant pariter in celebri Bibliotheca Claræ Vallis cujus Abbas fuit, *Sermones MSS. Domini Guarneri Claræ Vallis Abbatis, postea Lingonensis Episcopi*. Item in MS. altero ejusdem Bibliothecæ, *Domini Gnarnerii Lingonensis Episcopi, olim Abbatis Claræ Vallis Distinctiones*, sive liber qui dicitur *Angelus*. Ita Catalogus hujus Bibliothecæ, anno 1664. confectus, tectus & accuratus, mihi commodatus. Demum Episcopus Lingonensis anno 1192. factus, qua dignitate elatus, non minus se fautorem hujus Cœnobii præbuit ac benevolum, exhibens se præsentem frequentibus Claræ Vallis Conventibus ac Comitiis. De illo ita Sanmarthani *in Gallia Christiana*, tomo 2. pag. 663. in Episcopis Lingonensibus. „Garnerius de Rochefort, Simonis de Rupeserti „Frater, Abbas nonus Claræ Vallis, successit Manassæ, verba sunt Alberici in Chronico: „*Lingonensis Episcopus Manasses à partibus transmarinis cum Rege reversus, eodem anno moritur, & ei „Guarnerus Abbas substituitur.* Is, & Raynardus „Lugdunensis Archiepiscopus ac Gualterus „Eduensis Præsul quibusdam privilegiis subscri-„pserunt, ab Odone Duce Divioni suo concessis, „anno 1194. Anno sequente iidem confirma-„runt institutionem Capellæ Divitum Divione, „dictamque Capellani Garnerius benedixit hoc „anno, die 26. Novembris. Multa largitur eo-„dem tempore Prioratui Vallis Caulium, sicut „fidem facit charta ejusdem Cœnobii, in quâ „vocatur Episcopus & Dux, cui loco multa con-„tulit Odo cum uxore Aleyde de Vergeia. „Ratam quoque habet institutionem Canonico-„rum secularium Beatæ Mariæ Salionis, factam „à nobili viro Guidone Domino castri ejusdem „nominis, anno 1197. Nominatur in docu-„mento Benigniano, anno 1198. Itaque eum „putamus esse qui delatus fuit à Canonicis ad „Papam, pro dilapidatione bonorum Ecclesiæ, „qua de re scribit Innocentius III. anno 1198. „Lib. I. Epistola incipiente, *Licet juxta &c.* & „Epistola, *Sine dolore &c.* & Epistola, *Cum olim „&c.* ubi rei hujus inquisitio committitur Epi-„scopo Parisiensi, & Magistro Petro de Corbo-„lio ejusdem Ecclesiæ Canonico, postea Seno-„nensi Archiepiscopo. Porrò hic noster Præ-„sul, qui creditur obiisse anno 1199. jacet in „Clara Valle in sacello Sancti Salvatoris retro „majus Altare, ubi olim conditus fuit Eskilus „Lundensis Archiepiscopus, cum hoc brevi „Epitaphio: *Hic jacet Dominus Garnerius pri-„mò Albaripa, deinde hujus Monasterii nonus Ab-„bas, postea Lingonensis Episcopus.*" Hæc nos ex *Gallia Christiana* Fratrum Sammarthanorum loco citato, qui & illius meminerunt tomo 4. fol. 257. in Abbatibus Claravallensibus. De eodem Carolus de Visch *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, fol. 130. Bertrandus Tissier *in Bibliotheca Veterum Scriptorum ejusdem Ordinis*, tomo 3. fol. 75. in præludiis ad editionem sermonum illius.

JOANNES DE ALTAVILLA, Gallice Hauteville, vulgo ab Opere dictus *Architrenius*, 1180 florebat Parisiis anno 1180. & sequentibus. Normannus natione fuit, ut habetur in prologo *Architrenii*, dum scribit.

. . . . de authoris autem,
Nomine si quæras, liceat dixisse Joannes,
Est ejus nomen, cui Neustria contulit ortum.

Hinc erroris arguitur Joannes Pitseus inquiens, eum Oxoniæ esse natum, atque apud sanctum Albanum Monachum induisse. Denique floruit legendo, docendo, scribendo, & in Gallia suum stricta oratione composuit *Architrenum* novem libris distinctum, nomine a Græcis desumpto & apposite imposito.

Hoc est flebilum quasi summo flebile carmen.
Obtulit Opus istud Gualtero seu Waltero de Constantiis jam a sede Lincolniensi in Anglia, ad Metropolitanam cathedram Rhotomagensem anno 1184. transmisso, quem in Prologo summe ab omnibus optatum essett. Ideo veto *Architrenum* se nominat, quia mundum circumlustrans, ubique lachrymarum materiam invenit, nullibi moribus bonis locum esse queritur, omnium vero animis pravas cupiditates insedisse, venerem, ambitionem, avaritiam, gulam, & cæteras mundi meretrices. Impense addictus fuit Henrico Regi seniori, quem libro 5. cap. 4. laudibus ornat & prosequitur, Regemque invictum senescere dolet. Extat MS. inter MSS. Codd. bibliothecæ Bodlejanæ num. 1758. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Cod. 157. num. 2. Et inter MSS. Codices Universitatis Contabrigiensis num. 1346. in MSS. Codicibus Collegii divi Benedicti Codice 69. num. 2. sed absque nomine authoris. Editus *Architrenius* Libris IX. carmine, in 4. Parisiis an. 1517. apud Jodocum Badium Ascensium. Prologus incipit, *Architrenius quidam cum ad annos virilis devenisset roboris, recordationis stylo retroacti temporis actus colligit universos* &c. Titulus hic est, *Ad Gualterum Rothomagensem Archiepiscopum Joannis Architrenii opus incipit. Liber. 1.*

Velificatur Athos, dubio mare ponte ligatur.
Remus arat colles, pedibus substernitur unda &c.

Scripsit omnia ut illa ferebant tempora, elegantissime: atque his nominibus non raro hujus authoris mentionem faciunt plurimi viri docti, & imprimis illi, qui cultiorem linguæ Latinæ puritatem diligentius sectati sunt. Cujusmodi inter alios fuerunt, Ludovicus Vives Hispanus, Lilius Giraldus Italus, Joannes Tex-

tor Gallus, Conradus Gesnerus Germanus, Hector Boetius Scotus, Joannes Pitseus Anglus. Eidem tribuunt aliqui Poema *De bello Trojano*, sed illud spectat ad Josephum Iscanum ejusdem seculi Poetam, ut habet Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. Hæc ex seculo IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis*, ubi pluribus de *Architrenio*, tam in Historia pag. 458. quam in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 750. vixisse creditur usque ad annum 1200. vel circiter. Cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4. cap. 7. pag. 716. ultimæ editionis. Carolus Dufresne du Cange in Syllabo Scriptorum quem præmisit Glossario mediæ & infimæ Latinitatis col. 138 quem perperam *Anglum* natione dixit, secutus Pitseum.

1180 LEONIVS PRESBYTER, SANCTI BENEDICTI PARISIENSIS CANONICVS, natione Gallus, ortu Parisiensis, ob artem Poeticam non vulgarem anno isto 1180. claruit, qui Carmine heroico *Historias veteris & novi Testamenti* scripsit, quod opus asservat Manuscriptum Regia Galliarum Bibliotheca, num. 3847. Codice in folio, qui 400. annorum est. Titulus rubeis litteris talis est, *Leonis Presbyteri Parisiensis Historiarum veteris & novi Testamenti Liber 1.* Incipit ab orbe condito his verbis,

Historia sacra gestas ab origine mundi,
Res canere, & versu facili describere conor.
Quas habuere satis Moyses, Moseque secuti,
Authores, &c.

Idem Opus extat pariter manuscriptum in celebri Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses, qui hoc anno 1186. nobis intuentibus disjiciuntur, Littera B. 14. fol. 1. ejusdem initii, quo Regius Codex. Extat Cod. tertius in Bibliotheca Clarissimi viri Claudii Jalii Canonici & Cantoris B. Mariæ Parisiensis, quam audio concessam ab ipso fuisse Ecclesiæ huic Metropolitanæ, cujus Canonicus erat. Hujus Operis meminit Ægidius Parisiensis in opere suo *Carolino*, quod anno circiter 1200. Ludovico octavo adhuc puero, Philippi Augusti filio, obtulit. Nam in fine libri V. describens Catalogum Professorum ex Vrbe Parisiensi originem ducentium, adversus quosdam obtrectatores, qui vulgo objiciebant & instar probri in vulgus jactitabant, quod nulli essent viri litterati ex ea urbe oriundi: quodque celeberrimi quique aut alienigenæ essent, aut e provinciis ad scholas Parisienses profecti: subjungit de hoc Leonio.

Altisoni jactet dictantem jura Philippum,
Nec minus in sacris melico sermone Leonem,
Ludentem historiis &c.

Habeo ejusdem *Leonis* seu *Leonis Psalterium quoddam*, non Carmine, sed *Metro*, pro more istorum temporum, constans CL. metris, *in Laudem beatissimæ Virginis Deiparæ*, MS. Buciliaci in Episcopatu Laudunensi, opusculum modicum. De *Leonio Presbytero* seculum IV. *Historiæ Vniversitatis Parisiensis* fol. 526. ex fragmento Libri *Carolini*, quem scripsit Ægidius Parisiensis, ubi de Magistris ortu Parisiensibus. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 128.

ODO DE SHERITONA SEV SHIRTONA, ORDINIS CISTERCIENSIS MONACHVS, natione Anglus, ejusdem temporis, quantum ad promovenda litterarum studia, in Anglia circa annum 1184. floruit, quam in Galliis etiam Theologiam docuisse constat. De illo sic Balæus in libro, de Scriptoribus Britanniæ. "Odo ad Cistercienses more hujus seculi se contulit, Doctor Theologus qui post peragrata patriæ suæ Gymnasia, Parisiis etiam bonas hausit litteras, multarum Concionum non infelix scriptor. Penitiori rerum naturalium adhuc juvenis cognitioni studebat, sed tanta cum felicitate & successu, ut præter communem ejus temporis Philosophorum sortem, visus sit sapere. Ad eum scribit Joannes Sarisberiensis Epistola 267. qua significat se ejus fuisse olim discipulum in Theologia, magnamque jacturam fecisse omnes ejus discipulos, cum scholas reliquit: *Dum hic*, inquit, *operam dare licuit sub alis vestris, & rotam in medio rota cum Propheta, imo cum filiis Prophetarum doctrina vestra beneficio contemplari, & audire per os vestrum, quid Spiritus loquatur Ecclesiis &c. Sed cum avulsus sum a pedibus vestris, tunc dispendii & lesionis aculeos expertus sensi, & quidem non solus, eo quod omnium fere scholarium jactura communis est: non quia esse desint qui docendi profiteantur officium, sed quia desunt qui doceant: Magistri enim sunt plurimi, operarii pauci.*" Scripsit *Summam de Pœnitentia, cum aliis multis ad Decalogum & peccata mortalia pertinentibus*, MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 101. & Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, Cod. 185. Item *Homilias de tempore*, MSS. in citata Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 102. ubi appellatur *Odo Shirton* vel *Odo de Sheliton*. Ita in Ecloga Manuscriptorum Oxonio-Cantabrigiensi Lib. 2. pag. 48 Ejus Odonis *Pœnitentiale* incipit, *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium* &c. *Si quis habens vineam balsami, rosis & liliis, cæterisque speciebus insitam* &c. Ita prologus, Liber autem ab his incipit, *Pœnitentiam agite, approquinquavit enim Regnum Cælorum.* Legitur in Ecclesiastico, *Aqua frigida animæ sitienti, nuntius bonus de terra longinqua* &c. Habetur MS. in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Cod. 323. cum Summa Magistri Alani Insulensis *De arte prædicandi*, & aliis diversorum tractatus: & inscribitur, *Summa Magistri Odonis de Cicestre de pænitentia*, quod forsitan Odo ex Vrbe Cicestrensi 1180

ensi oriundus esset. Eadem *Summa de pœnitentia ejusdem Odonis*, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4133. sub nomine *Odonis* Simpliciter. Et *Sermones ejusdem* ibidem fol. 12. seu *Homiliæ de Dominicis per annum*, quæ sic incipiunt: *Proœmium ejusdem ad Sermones Evangeliorum per circulum anni. A quatuor ventis veni Sancte Spiritus, & insuffla super interfectos istos* &c. Sermo primus in Evangelium *Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, & venisset Betphage &c. Præsens Evangelium bis in anno legitur, in adventu Domini, & in Ramis palmarum* &c. Homiliæ de Sanctis, incipiunt ibidem, *Ambulans Jesus juxta mare Galilea* &c. hæc eadem *Summa de pœnitentia cum Sermonibus de Tempore & de Sanctis*, MS. in Bibliotheca Colbertina, Codice 5167. Adverto autem *Sermones ejusmodi Odonis de Sheritona*, falsem *de Dominicis per annum* fuisse impressos Parisiis anno 1520. apud Judocum Badium Ascensium, quorum primus Dominica prima adventus Domini, *Cum appropinquasset Jesus Jerosolymam, & venisset Betphage ad montem Oliveti* &c. *Præsens Evangelium bis in anno legitur, in adventu Domini & in Ramis palmarum* &c. Sed illi sermones impressi sub nomine *Odonis Cancellarii Parisiensis*, qui titulus certo falsus est, atque evulgatorem fefellit vel MS. Codex quo usus est, qui fortasse sub tali nomine exstitit, vel conjectura Matthæi Makerel editoris, quod ipse in Prologo suo insinuat, ut postea dicemus. Hic author in sermonibus singulis multa congerit sine compage, ex occasione variorum textuum ejusdem Evangelii. Dedicati autem isti *Sermones impressi*, fuerunt Domino Johanni Fischero, Roffensi Episcopo per Fratrem Matthæum Makerel Anglum, Præmonstratensis instituti alumnum, in Galliis tunc agentem atque advenam, cujus cura & hortatu tunc luce nova donati sunt, ut ipse testatur in Epistola nuncuparoria, cum ipsos reperisset in Bibliotheca Cantabrigiensi: *Ut opinor* (inquit) *Parisius editos ab Excellentissimo viro Magistro Odone, Parisiensis quidem Academia Cancellario, sed ut verisimile est, a nobis orinndo*. Addit, *inveniri in eis lepidos apologos, Festivos sales, exempla apposita, luce interdum mystica, & ubicunque bona eruditionis ingentem farraginem. Verum non opus est tali vino hedera, præsertim tale palatum subituro. Ex præfata Parisiorum Academia, ad Idus Januarias anno MDXX.* Hæc Matthæus Makerel, qui non aperit quo tempore *Odo* ille floruit, cujus nec ulla habetur memoria apud plerosque Scriptorum Ecclesiasticorum Indices & Bibliothecas; nisi apud Possevinum. Spectat ad eundem Odonem de Shirtona *opus sexaginta Parabolarum* ad imitationem divi Bernardi compositum, imo Divo Bernardo Claræ Vallis Abbati, quasi adhuc viventi sacrum, licet jam dudum e vivis abiisset, cujus initium, *Quoniam ut dicit Beatus Gregorius* &c. MS. in 4. in Bibliotheca Abbatiæ Dunensis Brugis in Flandria, ut testatur Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 252 qui tamen sibi non constans, hoc idem Opus duobus aliis Scriptoribus in eadem sua *Bibliotheca* attribuit, nempe pag. 120. Gaufrido Claræ Vallensi Monacho & Abbatis ejusdem Ecclesiæ quarto, olim Sa cti Abbatis Notario: quod falsum est, cum nunquam Gaufridus habuerit Abbatem nomine Julianum vel Jordanum, sub quo privatus vixerit Monachus, ut author hujus Parabolarii scribit. Et p. 133. Guidoni Monacho cujusdem Abbatiæ filiationis Claravallensis, incertæ ætatis & conditionis. Eædem Parabolæ sub nomine *Magistri Odonis* distinctæ quasi in duos libros *ad laudem ipsius qui est A & Omega*, MSS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 122. ex Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi, ubi tamen in *Indicibus* male attribuuntur *Odoni Cantuariensis Ecclesiæ Priori*, qui ibidem tempore S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi florebat. Agunt de *Odone Shiritonensi seu Shirtonensi* Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 252. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 167. Cæsar Egassius Bulæus seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis*, fol. 758. in Catalogo illustrium Academicorum. Ludovicus Ballius Abbatisvillanus in *Bibliotheca Concionatorum* 3. parte cap. 30. *De Odone Cancellario Parisiensi*, pag. 128. Carolus Dufrenius du Cange, in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 134. quem anno 1181. vixisse asserit.

BERNARDUS FONTISCALIDI ABBAS, 1180
Ordinis Præmonstratensis, & *Ermengardus* huc circiter tempore scripserunt *Adversus Waldenses*, quorum Opuscula Jacobus Gretserus primum in Germania edidit, ut videre potes apud Philippum Alegambam in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu, verbo *Jacobus Gretzerus*. Claruit uterque seculo Ecclesiæ 12. post annum 1180. unde Opuscula immissa inter Scriptores hujus seculi XII. in *Bibliothecam Veterum Patrum* ultimæ editionis Lugdunensis anni 1677. apud Anissonium, Tomo XXIV. pag. 1585. ut habet Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 80. Ampliorem hujus scriptoris habere notitiam non licuit, eo profundam perpetuamque, qua semper hic Ordo ante alios celebris est, ignorantiam.

ROBERTUS DE TORINNEIO, ABBAS 1180
SANCTI MICHAELIS IN PERICULO, Monachus primum Ordinis divi Benedicti, vir litterarum avidus, ob doctrinam multimodam ac pertinacem in studiis assiduitatem, seculo suo clarus evasit, maxime ob historiæ domesticæ ac patriæ cognitionem. Et postea ob notas mentis dotes, factus Prior Monasterii Beccensis in Normannia, tandemque electus Cœnobii

nobii Sancti Michaelis in periculo maris, sive de monte Abbas, quod anno 1154. sexto Calendas Junii contigit, unde *Robertus de Monte* vulgo appellatus est. Modestissime ille quidem de sua electione in Abbatem, in Appendice ad Sigibertum anno 1154. *Mense Majo sexto Calendas Junii, feria quinta infra octavam Pentecostes, Monasterium Beati Michaelis de Periculo maris, post tribulationem quam per quinquennium fere ingem passum fuerat, Deo miserante, aliquantulum respiravit, electo unanimiter ab omni Conventu, Roberto de Torinnejo Priore Claustrali Beccensis Monasterii.* Quaenam autem fuerit quinquennis illa tribulatio, paucis hic accipere, nostri instituti metas non egreditur. Goffridus S. Michaelis Manachus, anno 1149. in Abbatem electus, ab Henrico II. Duce Normanniae & Angliae Rege gravem persecutionem passus, quod ipso inscio confirmationem electionis suae ab Eugenio III. Romano Pontifice obtinuisset, vivere desiit annò 1150. die 4. Januarii. Electus a Monachis in ejus locum *Richardus de la Mousche*, cujus electioni cum Henricus 2. minime adsuisset, Richardum deponi voluit. Ipso ergo consentiente, ut iratum placarent Ducem, eligitur ejus locum *Robertus Hardi* Fiscamnensis Monachus. Richardus autem cum Romanum adiisset Pontificem, Robertus quoque illum convenit: & ambo in Italia post multas contentiones & discordias, anno 1152. dies suos claudunt. Unde quia neuter amborum administrationem gessit, a plerisque intra Abbatum hujus Loci seriem, non adnumerantur Mortuis de Abbatia altercantibus, *Robertus* tandem *de Torigny*, vulgo dictus *Robertus de Monte*, vir genere, ingenio & virtute clarus, & Priore claustrali Monachorum Beccensium, quos eximia cum laude rexerat, anno 1154 Abbas creatur. Cum autem esset Henrico II. Normanoiae Duci, ejusque conjugi gratissimus, illum arci Pontorsonii custodiendae ac regendae praefecerunt: qui & ab eodem delegatur, ut Gaufridum Henrici 2. filium in possessionem mitteret Ducatus Britanniae. Quin etiam Alexander Papa 3. speciali mandato ei injunxit, ut Turonensi Concilio adesset. Quod vero imprimis est mirandum, his negotiis & aliis pluribus occupatus, non minus providit omnibus necessariis, quae spectabant ad regimen & decorem commissi sibi Monasterii. Curavit ergo cuncta Abbatiae ad optimum ordinem revocari, nova aedificia condidit, collabantia reparavit, Ecclesiam plurimis ornamentis instruxit, plures reliquias honorifice decoravit. Quin & interea studiis assiduis operam dabat, in omni genere litterarum versatissimus, quibus in omnibus scientiis peritus evasit. Nec sibi tantum profuit, sed & posteritati. Scripsit *Accessiones & Appendicem ad Sigeberti Chronicon. Gesta Henrici II. Anglorum Regis. Tractatum de immutationibus Monachorum, de Abbatibus & Abbatiis Normannorum, & aedificatoribus ac dotatoribus earum. Historiam Monasterii Sancti Michaelis in periculo maris.* Ipsum commendant Chronicon Beccense ad annum MCLIV. & Henricus Huntingtoniensis in Epistola ad Varinum, in qua *Robertum de Torinnejo tam divinorum quam secularium librorum inquisitorem & coacervatorem studiosissimum* praedicat. *Chronicon* suum ab an. 1112. ubi Sigebertus desierat, ad annum 1182. perduxit. Appendix autem ad Sigebertum, quae inter illustres Germaniae Scriptores edita est, alterius auctoris maxima ex parte est, ab anno nimirum 1110. ad annum 1155. Germanam autem *Appendicem ad Sigeberti Chronicon* a Roberto de Torennejo conscriptam, ex autographo Monasterii Sancti Michaelis de Monte, & ejusdem *Accessiones ad Sigebertum, & Tractatum de immutationibus Monachorum & de Abbatiis Normanniae*, edidit vir doctissimus Lucas Dacherius ad calcem Operum Guiberti Abbatis Novigentini, de quibus in *Guiberto* supra ad anoum 1120. egimus. *Historiam* etiam *Monasterii Sancti Michaelis de Tumba*, ut vocant Veteres, habet in *Spicilegio* suo Dominus Lucas Dacherius. Denique vir meritorum plenus ac laboriosus post XXXII. annos ab electione, meliorem vitam ingreditur anno 1186. die 24. Junii. Cujus laudes Stephanus Redonensis Episcopus, et synchronus, carmine celebravit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag. mihi 447. huic Roberto attribuit Abbati Sancti Michaelis in periculo, *Libros VIII. de bello sacro Christianorum Principum*, opus quod anno 1533. Basileae prodiit. Sed aperte fallitur hoc loco eruditus Vossius, nam hoc opus spectat ad Robertum Abbatem Sancti Remigii Remensis, qui anno 1110. floruit: quod ipsum agnoscit ipse Vossius antea ibidem Lib. 2. cap. 48. pag. mihi 4.2. ubi de Operibus Roberti Abbatis Sancti Remigii actum est. Hoc observatione dignum visum est, ne quis excedat, ut saepe fieri contingit, in designandis Scriptoribus alicujus Operibus, quod confusionem interdum plurimam & discordiam parere solet. Plura de *Roberto*, Lucas citatus in praeliminaribus ad Opera quae edidit. Aubertus Miraeus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 351. pag. 245. Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tomo 4. pag. 642. in Abbatibus Sancti Michaelis. Natalis Alexander in *Selectis Historiae Ecclesiasticae Capitibus*, seculo XII. tom. I. cap. 6. pag. 549. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, quem male seculo XIII. affixit ad annum 1210. pag. 706. Consignare illum ad annum 1154. debuerat, quo ad Abbatiam Sancti Michaelis de Tumba electus est, pro more aliorum Abbatum quos annis suae electionis assignat: vel saltem ad annum 1186. quo mortuus legitur. Dum autem sequitur Arturum du Monstier in *Neustria pia* pag. 388. contemptis aliis qui accuratius de eodem Roberto egerunt, parum favere rationi ac veritati videtur.

GAV-

1180 GAVFRIDVS VOSIENSIS COENOBII PRIOR, in Diœceſi Lemovicenſi, Ordinis divi Benedicti, natione Gallus, Gaufredi & Luciæ filius, Monachus primum Sancti Martialis Lemovicenſis, qui anno 1167. in vigilia Sancti Matthæi Apoſtoli a Geraldo Cadurceoſi Epiſcopo apud Beneventum Presbyter ordinatus eſt, tum poſtea aſſumptus ad Voſienſem Prioratum. Scripſit anno 1184. *Chronicon a Roberto Francorum Rege ad ſua tempora*, ut ipſe in præfatione teſtatur, ſeu potius *Chronicon de rebus in Gallia præſertim geſtis ab anno 996. ad annum 1184.* quod ex MS. Codice edidit Philippus Labbeus tomo 2. pag. 279. *Bibliotheca Nova Manuſcriptorum Librorum*, quam Pariſiis anno 1657. procuravit apud Sebaſtianum Cramoiſy ſub Ciconiis, ubi Opera multa quæ nondum antehac edita fuerant. Agunt de *Gaufrido Voſienſi Priore* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo XII. ad annum 1183. pag. 688. Miror omiſſum eſſe a Carolo Dufrenio du Cange in ampliſſimo *Indice Scriptorum*, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis.*

1180 GODEFRIDVS VITERBIENSIS BRESBYTER, Conradi III. Friderici I. & Henrici VI. Imperatorum Secellanus ac Notarius, ſeu ut vocant, a Secris & a Sacretis, dictus Viterbienſis, quod ex hac Vrbe oriundus eſſet, per annos quadraginta in diverſas Orbis regiones ditionesque peregrinatus eſt, in qua teſte Voſſio Bibliothecas omnes excuſſit, magnamque ſibi nominis famam ob eruditionem comparavit, non modo diverſarum gentium ac regnorum, ſed & Linguarum: unde præter vulgares quas ſciebat complures, ut Germanicam, Italicam & alias, & Latine, Græce, Hebraice ac Chaldaice doctus fuiſſe dicitur. Cum ergo poſteris etiam commendare vellet ſui memoriam, ſcripſit ad Vrbanum III. Papam *Chronicon Vniverſale*, partim proſa, partim metro, quod *Pantheon* nuncupavit, & in libros ſeu partes viginti partitum, perduxit usque ad annum 1186. Orditur illud ab initio Mundi, opusque iſtud *Pantheon* appellavit, quod omnium Principum hiſtoriam, qui Dii in Scripturis dicuntur, hoc volumine complectatur. Habetur immiſſum in tomum 2. Collectionis *Hiſtoricorum Germaniæ*, quam procuravit Joannes Piſtorius Niddanus, tribus in folio tomis Francofurti annis 1582. 1584. & 1607. typis Wechelianis. Extat illud *Chronicon* MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Codicibus 4685. 4906. 4907. in Colbertina ſæpius, & Victorina. Itemque ut refert Petrus Lambecius Libro ſeu tomo 2. Commentariorum *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 774. extat num. XXXI. inter MSS. Codices quos anno 1665. ex arce Ambraſiana juxta Ænipontem in Imperialem Bibliothecam tranſtulit. *Speculum Regum compoſitum per Magiſtrum Gotfridum Viterbienſem, Imperialis aulæ Capellanum, ad Dominum Henricum VI. Regem Romanorum & Teutonicorum, filium Frederici Imperatoris, de genealogia omnium Regum & Imperatorum Trojanorum & Romanorum & Teutonicorum, a tempore diluvii usque ad eundem, ſecundum Chronica venerabilis Bedæ Presbyteri, & Euſebii, & Ambroſii.* Ita hic titulus, quemadmodum cum integre exhibet, Lambecius loco citato. Epiſtola dedicatoria ad Imperatorem Henricum VI. incipit his verbis: *Scientia literarum, o Henrice omnium Regum feliciſſime, quæ tuam Eminentiam video eruditam, ſcribendi mihi de proſapia Imperiali, multam præbet audaciam. Et cum ad res arduas, pauca ſit mihi diſſerendi facultas: ad edenda quæ propoſui, Regia me literatura confeſtat: quia cum illiteratis & rudibus Philoſophica argumenta proponimus, dum oblata non intelliguntur, incaſſum laborare videmur. Gaudeo igitur me habere Regem philoſophantem, cujus Majeſtatem non oporteat in cauſis Reipublicæ, ſcientiam ab aliis mendicare* &c. Quod autem ipſe Godefridus hoc ſuum Opus inſcripſerit *Speculum Regum*, teſtatur ipſe in eadem Epiſtola dedicatoria, paullo poſt his verbis: *Præſentis vitæ homines præſentia tantum cognoſcunt, librorum vero continentia ab ineuntibus ſeculis omnia legentibus repræſentatur, & de rebus futuris ac præteritis illa cognoſcere, quæ omnes viventes homines nequeunt edocere. Ea propter in hoc Opere quod SPECVLVM REGVM appellatur, decet tuam Eminentiam aſſidue ſpeculari* &c. Diverſum eſt autem hoc Opus ab ejusdem Godefridi Viterbienſis *Pantheo*, quod ipſe dicavit Summo Pontifici Vrbano tertio, atque ab Joanne Piſtorio in volumen ſecundum, *Rerum Germanicarum* immiſſum eſt. Meminit *Godefridi Viterbienſis* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo XII. ad annum 1170. pag. 684. ubi illum anno 1186. mortuum tradit, quod parum convenit cum dictis antea ab ipſo, nimirum *fuiſſe a Sacris & a Secretis, tribus Imperatoribus*, Conrado III. Friderico I. & Henrico VI. Cum ergo Henricus Sextus, cujus Sacellanus ac Secretarius fuit iſte *Godefridus Viterbienſis*, Imperialem thronum ante annum 1191. aſſecutus non ſit ex pleriſque: Godefridus Viterbienſis anno 1186. mortuus non fuit, ſed vel anno 1196. vel ſerius poſt mortem Henrici VI. quæ anno 1198. contigit. De *Godefrido Viterbienſi*, ſæpe Baronius in *Annalibus* ſeculo 12. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 378. pag. 254. Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Græcis* cap. 54. Petrus Lambecius Lib. 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* cap 8. pag. 774. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum*, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 103.

GALFRIDVS natione Anglus circa annum 1180
1180. ſcripſit *Vitam S. Godrici Eremitæ Finchale in Anglia*, qui anno 1170. die XXI. Maji obiit, ſeptem circiter menſibus ante S. Thomam Can-

Cantuariensem Archiepiscopum. Asserit Galfridus in Prologo *B. Godricum* sibi notum fuisse, ejusque Vitam concinnasse se ex prolixa relatione *Reginaldi Monachi Dunelmensis*, ad quam num. 66. dimittit lectorem plura Miraculorum scire cupientem: & ex nonnullis scriptis *Germani* ejusdem Monasterii Prioris, qui illum cum Fratribus sepelivit, sub cujus & decessorum ejus obedientia vixerat, Eremita sive Monachus solitarius Ordinis Benedictini. Inscribit Galfridus *Vitam* Thomæ Priori & Fratribus in Fincalich constitutis, qui locus idem cum Finchale esse videtur, ubi Godricus antea vixerat, & a morte sepultus fuit, & *opera virtutum a morte testatus in* Prologo dicitur. Erat ibi oratoricum ab eo in honorem S. Johannis Baptistæ constructum, sed *locus ille post ejusdem Patris obitum gloriosior affectus multiplici clarificatione signorum* dicitur num. 21. Potuit ibidem postea erectus fuisse Prioratus, ob multiplicata miracula, quæ *intra paucos annos ab obitu ducenta viginti octo* observata fuisse, scribit Joannes Capgravius in *Vita S. Godrici*, a se in Legenda Sanctorum Angliæ late descripta, quam lector ibidem reperiet, ex jam dictis Auctoribus, sed alia sæpe verborum phrasi decerptam. *Vitam hanc S. Godrici* misit ex MS. Codice Archicœnobii Cisterciensis, annorum circiter CCCC. antiquo, ad Godefridum Henschenium vir doctus hujus Abbatiæ Monachus, ut testatur in prævio ad hanc Vitam Commentario, editam an. 1685. tomo V. Maji mensis ad XXI. diem pag. 68. quam pag. 70 & sequentibus edidit. Hæc verbotenus ex Henschenio, loco citato.

1180 JOANNES GUALENSIS sive VALLENSIS natione Italus, patria Volaterrenus, hæc eadem tempestate clarus, nomen suum posteris commisit *Collectione secunda Epistolarum Decretalium* quas *Extravagantes* vocarunt Jurisconsulti veteres, eo quod posteriores essent Decreto Gratiani, quod ipsis instar corporis Juris Canonici visum fuit. Edidit *Collectionum* hanc circa annum 1194. quam in lucem produxit Antonius Augustinus inter *Collectiones Veteres Epistolarum Decretalium* Romanorum Pontificum, Ilerdæ in Hispania anno 1576. in folio impressas, tum Parisiis anno 1609. apud Sebastianum Cramoisy, ubi extat a pag. 150. ad 226. cui hæc præmisit idem Augustinus.

„Papiensem Bernardum imitatus est Gilbertus atque etiam Alanus, sed nomen his præcipuit Joannes Gualensis sive Vallensis, cujus „Liber *Compilatio secunda* dicta est. Hic Volterranis natus, post duodecim annos a Collectione „prima, eorundem Pontificum Romanorum „rescripta collegit, itemque Cœlestini tertii, „(quem sæpissime profert,) eisdem mox addidit „Scholia quædam. Sed & Hugo Ferrariensis „Episcopus ab Innocentio III. sæpe relatus, & „Bernardus Major, Compostellanus Archidiaconus, hujus Collectionis interpretes fuerunt. Nos eorundem Scholia vidimus, quorum nomina supra scripsimus, Vincentii inquam, „Tancredi, Alani, Laurentii, & aliorum: non „pauca etiam sine nomine, quæ ejusdem Joannis fuisse putamus." Hæc Antonius Augustinus in *Præludiis* ad Collectiones Veteres Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum. Joannes autem Gualensis iste distinguendus est, velut Italus & antiquior, ab altero Joanne Gualensi Anglo, qui Franciscanum ordinem professus, anno 1260. floruit, multisque scriptis innotuit, de quo nos postea.

SILVESTER GIRALDUS CAMBRENSIS, 1180
MENEVENSIS EPISCOPUS, vel potius Giraldides, Cambrensis a patria vulgo appellatus, Academiæ Oxoniensis (ut vult Godwinus) alumnus, Tinbejæ in Comitatu Pembrochiensi, nobilissimo genere ortus est, prognatus nempe Mauricio Giraldi de Winsor, qui arcem condidit Pembrochianam, & Nestæ Sororis Griffini australis Walliæ Principis, filio. *Qui* (juxta Balæum) *dum adhuc adolescens esset, statura procerus, facie & forma nitidus, ac doctrina præclarus, Balduino, Gualoni, Serloni & aliis viris doctissimis, familiaris fuit. Per totam Europam litteras quæsivit, & post ingentes ea in re labores, Lutetiam perveniens, artium scholas publicas illic in Anglorum collegio rexit. Per triennium quoque auditor Theologorum effectus, totam fere Scripturam postea exposuit. Omnium bonarum litterarum gloria celebris factus, atque in Angliam reversus, cœpit apud Henricum Regem magnus esse, atque filio suo Johanni in Hibernia a Secretis & a scriptis, cui & gratissimus semper erat. Dum inclitus ille Princeps rebellantes Hibernos patria imperio subigeret, adeo ut ejus lateri Giraldus, ut omnem expeditionem scriberet. Similes postea labores in Cambria atque universa Anglia suscepit, Baldwino præfato Cantuariensium Archiepiscopo comes adjunctus, non solum in Cambria Lustranda, sed in expeditione Hierosolymitana.* Primum itaque Giraldus innotuit, quando in expeditione Hibernica anni 1172. omnem hanc regionem descripsit, factusque est Joanni Principi a Secretis atque scriptis, qua de re latissime Joannes Brompton Jornallensis Abbas in *Chronico* ad annum 1172. pag. 1071. Innotuit iterum anno 1188. quando cum Balduino Cambriam omnem visitante ac lustrante, exactam atque oculatam illius picturam fecit: de qua sic idem Joannes Brompton ad annum 1188. p. 1148. "Hac de Caussa dictus Baldewinus Archiepiscopus crucis legatione fungens, Walliam intravit, & in cunctis Cathedralibus Ecclesiis ibidem, quod usque tunc visum non fuerat, Missam indutus Pontificalibus celebravit. In cujus comitatu erat Magister Giraldus Cambrensis Archidiaconus Laudavensis, qui statum & ritum Cambrigenæ gentis in Itinerio illo descripsit, sicut nuper cum Joanne filio Regis in Hiberniam missus, statum & ritum gentis illius in sua Topographia descripserat."

Idem

Idemque narrat Henricus de Knighton Leicestrensis Canonicus Lib. 2. *De eventibus Angliæ*, ad annum 1188. ex Bromptone mutuatum. Narrat Balæus editos ab illo plusquam octoginta libros, quos recenset: atque inter cæteros scripsisse libros tres *De institutione Principis*, qui adhuc extabant tempore Balæi, & quos se vidisse atque excerpsisse testatur: in quibus apparet Sylvestro Giraldo haudquaquam ambitionem defuisse, atque appetitum dignitatum Ecclesiasticarum. In illorum enim præfatione conqueritur de ingratitudine Henrici Regis, qui seipsum spe diu lactatum, provehendum hucusque non curaverat: nec non de infelicitate sua, quod ab Anglis contemneretur tanquam Wallus, & Wallis suis non tantum suspectus esset, sed & invisus, quod Anglico patre natus, diutina inter Anglos mora, jam in Anglos transiisse videretur. Sed quidni integrum locum transcribam, qui sic habet. „Ad Curiam a studio peccatis exigentibus a Rege vocatus, cui nihil minus menti quam mentiri, nihil desiderio magis quam decipere, quam differre, quam sequentium animos & obsequentium, dilationibus fatigare. Circa eundem, ejusque defuncti filium atque hæredem, & utinam non Vitiosum, irrepabili damno, duo fere lustra consumens, nihil ab illis præter inanes vexationes, & vacua vetis promissa suscepi. Siquidenim gratiæ morum gravitas, siquid litteræ, siquid industria conferre potuit: id totum suspectum, totum infestum, totum exosum, Walliæ nomen ademit. Tres enim naturæ partes quanquam ab Anglis & Normannis linea contraxerim originali, totamque præterea convictus a quo & mores formantur, vim, partem & proprietatem, longam quoque commorandi consuetudinem, quæ & alteram sibi naturam comparare solet: ex quarta tamen parentalis propogationis columna, & post tertiam prima tanquam genialis quadrigæ rota a Trojana nobilitate contracta, totum infici, & modico quasi fermento massam corrumpi, semperque in elationem extolli, gens inimica conjectat. Vnde quoniam & inter Anglos ut diximus, nostra tam morum institutio fuerat, quam conversatio; in Cambria vero natio reperta est & cognatio: compactum est ex his & confectum, ut uterque populus, me sibi tanquam alienum reputans & non suum, semper oculo respexerit novercali: alter ab hoc suspectum habens, & alter exosum. Accessit & aliud inter incommoda, quod si quid a nobis egregie dictum vel gestum fuerit; statim quoad licuit, aut illud invidia suppressit, aut malitia pervertendo corrupit, in hujusmodi plerumque verba prorumpens, A Cambria potestne aliquid boni esse? Sin autem humanis ut mos est excessibus, aut pes a linea quandoque titubare, aut a littera vel Syllaba cadere lingua videbatur, in mediis quoque & indifferentibus, nec laude dignis nec vituperio: statim hostilis irrisio cum exclamatione, Cambriæ vitium exprobravit, tanquam patriæ cognata fuerit enormitas & innata. Mihi vero visum est, & indubitata veritate compertum, quod sicut nonnullos regio composita malos educat & incompositos, sic aliquem interdum regio barbara bonum producere possit & eruditum: quia non tam locus personam, quam persona laudabilis locum illustrat. Hæc ille qui narrat etiam *proditionis semel, licet sycophantice & falso, a putido quodam Cisterciensi Monacho, cui nomen Wibertus accusatum se esse:* sed cujus rei periculum Deo donante vir eruditus evaserit.« Hæc Balæus. An adhuc hoc opus extet, ignorare me fateor, inquit Godwinus: sed illud ab Giraldo scriptum est, postquam regressus est ex itinere Hierosolymitano post Baldewini Cantuariensis Archiepiscopi mortem, imo & post mortem Henrici Angliæ Regis, quæ contigit anno 1189. in octavis Apostolorum. Hinc aperte colligitur falsum esse quod scribit Guilelmus Cavus, in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 1200. pag. 699. in Vita hujus Sylvestri Giraldi Cambrensis: eum nempe anno 1185. comitem datum Joanni Moretonii Comiti, Henrici filio, exercitum in Hiberniam ducenti, recusasse ab illo duos Episcopatus oblatos sibi, Wexfordiensem & Lochelinensem. Hoc enim facto ablata fuisset omnis occasio quærimoniarum Sylvestri Giraldi, quas ipse in Libro *De eruditione Principis*, adversus Regem Henricum facit. Factus tandem voti compos Giraldus Cambrensis, qui ex Archidiacono Landavensi, post mortem Galfridi electus anno 1198. Menevensis Episcopus est, non autem Archidiaconus tantum, ut vult Gervasius Cantuariensis Monachus. Tantum autem ille apud comprovinciales Episcopos vel authoritate vel ambitione valuit, ut septem ex suffraganeis Cantuariensis Ecclesiæ sibi comparaverit; qui illum suum oratorem Romam delegarent, ad excutiendam debitam & promissam Cantuariensi Ecclesiæ obedientiam, in gratiam Menevensis Ecclesiæ Metropolitico honore sublimandæ. Placuit haud dubium ambitioni Giraldi Cambrensis hoc novum inventum, cujus promovendæ rei gratia, anno 1200. Romam profectus, omnem lapidem movit, ut hanc assequeretur dignitatem. Sed dum illic sollicite ageret de Metropolitano Ecclesiæ suæ jure contra Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum, & ad ejus oppositiones in Consistorio responderet, ob novitatem caussa & dignitate cecidit. De controversia illa Gervasius Dorabernensis Monachus Synchronus & oculatus testis in *Actibus Pontificum Cantuariensium* col. 1682. in Vita Huberti Cantuariensis Archiepiscopi sic. »Controversiam quam in odium & contemptum Archiepiscopi suscitaverat Geraldus Menevensis Archidiaconus, ipse Archiepiscopus prudentissime redegit ad nihilum:

„lum: ut ipse Geraldus qui paulo ante Menevensis Ecclesiæ Archiepiscopus esse volebat, „& Ecclesiæ Cantuariensi subjectinnem debitam septem Episcoporum subtrahere moliebatur, ad pedes Archiepiscopi pronus accederet, satisfaciens humiliter de tam iniqua præsumptione, & eidem Archiepiscopo suum resignavit Archidiaconatum. Archiepiscopus „autem post temporis inrervallum, eidem Geraldo dedit Ecclesiam XXV. marcarum, & „Clericus juratus Archiepiscopi factus est, qui „antea fuerat hostis iniquus. Et quia idem Geraldus Menevensis Ecclesiæ in Curia Romana „se dicebat electum, hoc ipsum cassavit Archiepiscopus, & alium sacravit Canonice electum. Dicant alii quod voluerint de operibus *Huberti*, ego istud maximum censeo, quod „Episcopos septem in subjectione retinuit Cantuariensis Ecclesiæ, & rebellem Geraldi contrivit astutiam.„ Ex his igitur atque allatis Geraldi Cambrensis verbis, patet ingenium ipsi ambitiosum fuisse atque Cambrense, quippe cum vixdum electus Menevensis Episcopus, adversus matricem Ecclesiam insurrexerit, ut Sponsam novam, imo nondum desponsatam honore Metropolitico elevaret,

Cum ab anno 1172. summo in honore esset apud Henricum Angliæ Regem, qui eum comitem Richardo filio suo, exercitum in Hiberniam ad ejus subjectionem ducenti dederat: hoc anno, huic Regi ejusque filio Richardn *Historiam naturalem Hiberniæ* seu *Topographiam ac Librum de Mirabilibus Hiberniæ* à se lustratæ dedicavit, quam habes editam cum Antiquis Anglicanæ Historiæ Scriptoribus à Guillelmo Cambdeno collectis, & Francofurti in Germania anno 1602. impressis in fol. Wechelianis typis. Hujus etiam *Epitomen* Richardus Stanihurst Hibernus & Auberti Miræi olim in Oratorio Alberti Belgarum Principis collega, nobilis genere & doctrina, typis anno 1584. Antverpiæ edendam curavit, cum suis Commentariis De rebus Hibernicis. Idem scripsit eodem tempore *Historiam Vaticinalem De expugnata ab Anglis Hibernia*, seu *Expugnationem Hiberniæ*, quam idem qui supra Guillelmus Cambdenus, cum Vita Giraldi Cambrensis, loco citato edidit.

Cum autem Giraldus Menevensis in Cambria seu Wallia Archidiaconus existens, cum Balduino Cantuariensi Archiepiscopo Cambrenses ad bellum Hierosolymitanum excitante, illam anno 1188. Britanniæ provinriam peragrasset: *Itinerarium istud Cambriæ Libris duobus distinctum*, seu *Balduini Cantuariensis Archiepiscopi accurata per Walliam Legationis descriptio* à Giraldo eodem tempore composita, longe tamen posteà missa est cum *Descriptione Cambriæ, ad Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum*. Cum Notis Davidis Powelli, ibidem ab eodem Cambdeno edita, quæ duo ultima Opuscula Londini jam ab anno 1585. in 8. prodierant. Atque hæc de impressis Operibus, quibus adde brevem *Epistolam ad Gulielmum Verum Herefordensem Episcopum*, quam edidit Jacobus Vossius Vsserius *in Sylloge Epistolarum Hibernicarum*, pagina 114. De Manuscriptis autem *Giraldi Cambrensis* Operibus, in Anglicana adhuc insula delitescentibus, erudite Guillelmus Cavus, *in Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1200. pag. 699. quem adeas. Idem Sylvester Giraldus multas *Sanctorum Vitas* & alia literis consignavit ac demum Menevensis Episcopus obiit circa annum 1214. ut habet Godwinus in *Episcopis Menevensibus* pag. 609. ubi notat eum plusquam septuagenarium vixisse, & in Ecclesia sua post mortem sepultum. Hæc Godwinus quidem, quæ modicæ apud me fidei sunt, ob authoritatem Gervasii Cantuariensis Monachi & Synchroni Historici, affirmantis Sylvestrum Giraldum cessisse Episcopatu suo, illumque manibus Huberti Cantuariensium Archiepiscopi tradidisse, circa annum 1202. De illo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 363. p. 250. Ecloga Oxonio Cantabrigiensis Lib. 2. pag. 88. ubi MSS. Codices Operum *Giraldi Cambrensis* recensentur. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. pag. 438. post Pitseum, Balæum & alios Anglos. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 147. ubi eum anno 1210. mortuum scribit.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS GIRALDI CAMBRENSIS, MENEVENSIS EPISCOPI, DESUMPTA VERBOTENUS EX TOMO II. *ANGLIÆ SACRÆ* HENRICI WARTHON.

1180 PLurima omnino Giraldi Cambrensis & Menevensis Episcopi Opuscula edidit Henricus Warthon Tomo 2. *Angliæ Sacræ*, multaque ad vitam ejus & mores spectantia, ex quibus eruditis planè Dissertationem præsentem instituemus. Ac primum quidem ante Opuscula Giraldi Cambrensis evulgata, edidit p. 374. *Chronologiam* Giraldi rerum gestarum planè accuratam, tum pag. 351. *Vitam Hugonis Nonant Episcopi Coventriensis & Lichfeldensis authore Giraldo*

do Cambrenſi, excerptam ex Giraldi Cambrenſis *Speculo Eccleſiæ* MS. Diſtinct. II. Cap. XXIII. & XXIV. *Epiſtolam Giraldi Cambrenſis de laudibus Roberti Groſthead* pag. 344. deſumptam ex *Symbolo Electorum* MS. Epiſtolâ XIX. *Giraldi Cambrenſis Libros 2. de Vita Galfridi Eboracenſis Archiepiſcopi* pag. 375. *Ejusdem Librum de Vitis Epiſcoporum Lincolnienſium* pag. 408. *Ejusdem Librum de Vitis ſex Epiſcoporum Angliæ coætaneorum* pag. 420. Ambas Giraldi Hiſtorias, ex uno eodemque decerptas Opere, quod ipſe *Legendam Sancti Remigii* inſcripſit. Idem tamen alibi ſæpius Hiſtoriam ſuam *De Vitis Epiſcoporum Lincolnienſium*, & *Tractatum de Copula tergemina*, ſeu *Sex Epiſcopis ſui temporis* laudavit : adeo ut hi tituli Hiſtoriis Giraldi, authore non invito, apponi poſſint. *Ejusdem Epiſtolam ad Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum, de Archiepiſcopatu non abdicando* pag. 435. *Ejusdem Epiſtolam ad Capitulum Herefordenſe de Libris à ſe ſcriptis* pag. 439. *Ejusdem Catalogum breviorum Librorum ſuorum* pag. 445. *Ejusdem librum ſecundum de Deſcriptione Walliæ, ſive de Illaudabilibus Walliæ* pag. 447. *Ejusdem Retractationes* pag. 455. *Ejusdem Libros III. de rebus à ſe geſtis* pag. 457. *Ejusdem Diſtinctiones ſeptem de jure & ſtatu Menevenſis Eccleſiæ* pag. 514. *Ejusdem Hiſtoria de Vita S. Davidis Archiepiſcopi Menevenſis* pag. 628. *Additamenta ad Legendam S. Davidis ex Vita ejusdem per Ricemarchum Epiſcopum Menevenſem ſcripta* pag. 645. *Simonis de Fraxino Canonici Herefordenſis carmen ad Giraldum Cambrenſem* pag. 441. Poſt hæc Opuſcula edita Tomo 2. *Angliæ ſacræ* præmiſit in Præfatione ad Tomum, num. 19. pag. XX. eximiam omnino Diſſertationem de Vita & Scriptis hujus Epiſcopi, quam ut eruditiſſimam, hic omiſiſſe, nefas grande exiſtimaſſem.

CAPVT PRIMVM.

SERIES VITÆ GIRALDI CAMBRENSIS DESCRIBITVR. CVM CATALOGO BREVIORE EJVSDEM LIBRORVM.

„QVo major ſequentia Giraldi Opera lectu-
„ris lux adeſſet, viſum eſt præmittere re-
„rum à Giraldo geſtarum Chronologiam, qua-
„lem ex Scriptis illius expiſcari potuimus, inquit
„Warthon pag. 374.

„ Anno circiter 1150. Giraldus natus eſt.

„ Anno circiter 1170. Metricam Coſmogra-
„phiam ſcripſit.

„ Anno 1172. ab Academia Pariſienſi, ubi per
„plures annos bonis literis operam dederat, in
„Angliam reverſus eſt.

„ Anno 1175. à Richardo Archiepiſcopo Cant.
„Legatus in Wallia conſtitutus, brevi poſt Ar-
„chidiaconatum Brechenienſem obtinuit.

„ Anno 1176. menſe circiter Majo, Epiſcopus
„Menevenſis electus eſt. Sub exitum ejusdem
„anni Pariſios repetiit.

Anno 1179. Juris Canonici Profeſſor Publi- «
cus in Academiâ Pariſienſi electus, provinciam «
recuſavit. Eodem anno Canonici Meneven- «
ſes jus Eccleſiæ ſuæ Metropoliticum in Conci- «
lio Lateranenſi proteſtati ſunt. «

Anno circiter 1180. in patriam reverſus, ad- «
miniſtrator Epiſcopatus Menevenſis à Petro «
Epiſcopo conſtitutus eſt. «

Anno circiter 1184. ab Henrico Rege in Cu- «
riam accitus, unà cum Rege in Normanniam «
tranſiit. «

Anno 1185. Johanni Henrici Regis filio in «
Hiberniam miſſo, comes & conſiliarius datus «
eſt. Eodem anno Fernenſem & Lechelinen- «
ſem Epiſcopatus ſibi oblatos recuſavit. «

Anno 1186. mediâ Quadrageſimâ in Concilio «
Dublinenſi peroravit, & poſt Paſcha in Wal- «
liam rediit. «

Anno 1187. Topographiam & Expugnatio- «
nem Hibernicam ſcripſit. «

Anno 1188. Balduinum Archiepiſcopum «
Cantuarienſem, in Walliâ itinerantem comi- «
tatus eſt. «

Anno 1189. ex Gallia legatus eſt à Richardo «
Rege ad tutandas Walliæ partes. Eodem «
anno, Willelmo Epiſcopo Elienſi, ſummo An- «
gliæ Juſtitiario coadjutor datus eſt. «

Anno circiter 1190. Epiſcopatum Bangeren- «
ſem ſibi oblatum recuſavit. «

Anno circiter 1191. Epiſcopatum Landaven «
ſem ſibi oblatum recuſavit. «

Aono 1192. Aulà relictà Lincolniam ſtudii «
Theologici cauſa ſe contulit, ibique per ſepten- «
nium moratus eſt. «

Anno 1193. ſcripſit Vitam Galfridi Archi- «
epiſcopi Eboracenſis. «

Anno circiter 1197. Gemmam Eccleſiaſticam «
ſcripſit. «

Anno 1198. menſe Septembri Epiſcopus à «
Capitulo Menevenſi inter alios tres poſtula «
tus eſt. «

Anno 1199. ineunte, ſolus à Capitulo Mene «
venſi in Epiſcopum poſtulatus, die 29. Junii «
electus eſt. «

Eodem anno die 30. Junii in Hiberniam «
transvectus, poſt tres ſeptimanas remeavit: & «
Romam profectus, circa feſtum Sancti Andreæ «
urbem intravit. «

Anno 1200. menſe Majo adminiſtrator Epi- «
ſcopatus Menevenſis tam in temporalibus «
quam ſpiritualibus, pendente lite ab Innocen- «
tio III. conſtitutus, Angliam brevi poſt repe- «
tiit. «

Anno 1201. Romam reverſus media Qua- «
drageſima intravit, medio anno ad Angliam «
rediit. «

Anno 1202. fere integro in placitis variis «
coram delegatis judicibus exacto, die 2. No- «
vembris verſus Romam iter iniens transfre- «
tavit, urbem ingreſſus die 4. Januarii ſequen- «
tis. «

An-

Anno 1203. die 15. Aprilis sententia definitiva ab Innocentio Pontifice data, mense Augusto repatriavit.

Anno eodem die 10. Novembris, electo Gaufredo in Episcopum Menevensem, litem ulterius prosequi destitit, & paulò post Archidiaconatum Willelmo nepoti suo resignavit.

Inter annos 1204. & 1205. scripsit Descriptionem Walliæ, Symbolum Electorum, Speculum Duorum, Invectiones, Legendam S. Remigii, & De gestis suis.

Anno circiter 1215. Episcopatum Menevensem iniquis sibi conditionibus oblatum recusavit.

Anno circiter 1218. Dialogos de jure Menevensis Ecclesiæ conscripsit.

Anno circiter 1220 scripsit librum De Principis instructione, & Speculum Ecclesiæ, & editionem Dialogorum secundam concinnavit.

GIRALDI CAMERENSIS CATALOGUS BREVIOR LIBRORUM SUORUM, TOMO 2. *ANGLIÆ SACRÆ* pag. 445.

Sequitur de Catalogo & numero Librorum à Giraldo compositorum.

Occurrit hìc igitur inprimis tempore tenerior *Chronographia nostra* & *Mundi Cosmographia*, annis adolescentiæ versibus hexametris, pentametrisque metricè composita, plus Philosophicum quam Theologicum nonnullis in locis secuta.

Item *Topographia Hibernica*, liber scilicet de situ terræ illius, & Mirabilibus ejusdem multis, exaratus, apud Oxoniam per tres dies continuos in publica Cleri audientia recitatus.

Item *Liber de expugnatione Hiberniæ, & hac ultima Insula illius per Anglos subactione.*

Item *Liber de Legendis Sanctorum*, Vita scilicet *S. Davidis* Menevensis Archiepiscopi, Vita *Sancti Caradoci* nobilis loci ejusdem Confessoris. Vita *S. Ethelberti*, Martyris Herefordensis egregii. Vita *S. Remigii* Lincolniensis Episcopi primi. Vira *S. Hugonis* quinti post Remigium loci ejusdem Antistitis.

Item *Liber de promotionibus & persecutionibus Gaufredi Eboracensis Archiepiscopi*, quòd nec in cunabulis aut celsitudine generis, nec in divitiis aut fortunæ blanditiis spes ponenda, exemplum præbens. Et quoniam non sub certi auctoris nomine liber editus est, meritò dicitur *Apocryphus*.

Item *Symbolum Electorum*, ad varia complendum diversorum desideria, sicut ex Proœmio libri ejusdem patet, compaginatum.

Item *Liber Invectionum*, Romæ in Giraldum acriter inchoatus, & ibidem ab ipso, Papa monente, in pleno Consistorio ad injurias respondente, & objecta crimina non incompetenter evacuante pariter & refundente, necnon & utilia quædam adjiciente, consummatus.

Item *Speculum duorum Commonitorium & consolatorium*, & quod sola peperit indignatio, cum *Epistolis paucis* ad injurias illatas respondentibus ac remordentibus, quasi querulum carmen emissum.

Item Liber de Cleri Ecclesiastici circa Sacramenta majora magisque necessaria instructione, & persuasibili valde per exempla pariter & præcepta ad vitæ honestatem inductione: cui *Gemma Ecclesiastica* titulus nomen impositum fuit.

Item *Itinerarium Giraldi*, & laboriosa Baldwini Cantuariensis Archiepiscopi Legatio, devotaque per Walliam in Crucis obsequium prædicatio.

Item *Cambriæ Topographia*, & tam terræ quam morum gentis illius brevis & compendiosa descriptio: cujus in fine satis succinctus ac dilucidus tam *Retractationum Tractatus*, quam *Librorum nostrorum Catalogus*, non incompetenter est appositus.

Item circiter idipsum temporis, quo *Cambriæ descriptionem* stilo perstrinximus, *Mappam* ejusdem expressam, quatenus & natale solum non tantum literis, verum etiam protractionibus quibusdam & quasi picturis variis nec incompetentibus aut indecentibus, nostra foret ad unguem opera declaratum, breve in loculo, arctoque folio loca quamplurima complectentes, eademque tamen dilucidè satis & distinctè disponentes, non absque studioso labore propalavimus.

Item *Liber de fidei fructu, fideique defectu*: quanta ferventem præmia, quanta frigentem supplicia manent, succincta brevitate declarans, labor scilicet diligenti Lectori non inutilis.

Item *Liber de Principis Instructione*, toties promissus, fere inter primos inchoatus, inter ultimos autem propalatus, diu nimium clausus & sopitus, quando tute prodire posset plurimis annorum curriculis tempus exspectans: liberaliter quidem & non livide legenti, labor sua quoque laude non indignus.

Item *Liber de gestis Giraldi laboriosis Menevensis Ecclesiæ*, de cujus dignitate multa complectitur, quanquam ad præterita minime medelam, magnam tamen ad futura cautelam præstans. Labor non infructuosus, ubi perpendi evidentissime poterit, quod Ecclesia militans per surreptiones varias, instrumentorum ac testium falsitates, plerumque decipitur aut corrumpitur, triumphans verò non irridetur. Et quod non semper ad merita æque respondent in terris præmia, vel cæca in incertum aberrante, ut solet, & exorbitante fortuna: vel certe benigniore clementia juxta cordis desideria, si pie, pure, legitiméque certatum fuerit, ad æternam felicitatem corona reposita & mercede servata. Ita Catalogus ipsius Giraldi Cambrensis.

CAPVT SECVNDVM.

DISCVTIT OPERA GIRALDI CAMBRENSIS, HENRICVS WARTHON IN PRÆFATIONE AD *ANGLIÆ SACRÆ* TOMVM SECVNDVM NVM. XIX. PAG. XX. VT SEQVITVR.

„Giraldi Cambrensis tempora inferius p. 374. disposui, res gestas ipse in sequentibus Libris fusissime tradidit. Est tamen quiddam, quod in Chronologia rerum a Giraldo gestarum emendari velim. Dixi Giraldum anno circiter 1150. natum fuisse, verius annus 1146. ipsi naralis fuit. In libro enim suo *De Principis instructione* refert se Parisiis literarum studia excoluisse anno ætatis circiter vigesimo, quando Philippus Augustus, qui postea Galliæ regnum obtinuit, natus est, sed medio anno 1166. Neque inutile erit monuisse illum fuisse Archidiaconum Brechiniensem in Ecclesia Menevensi, non *Brechinia ac Menevia* quod Baleus habet Cent. 3. cap. 59. nec *primò Brecnoccensem, postea Menevensem*, quod vult Pitseus cap. 299. Vnicum enim Brechinæ Archidiaconatum Giraldus obtinuit, quamvis ab Ecclesia Cathedrali *Menevensis Archidiaconus*, in Pontificum, Regum, ac sui ipsius literis sæpius appellatus fuerit. *Silvestris* prænomen sibi ab æmulis suis contumeliæ inferendæ animo, datum fuisse ipse conqueritur: Sive ex illo inimici, hominem in barbaris Insulæ regionibus natum, agrestibus & inconditis moribus præditum esse indicare voluerint, seu nimium Silvestris Merlini vaticiniorum studium irrisetint. Certe dissimulari nequit, Giraldum virum alias sapientissimum, somniis, vaticiniis & visionibus nimium tribuisse. Somnia sua in Historiis a se editis sæpius commemoravit, amplam visionum farraginem in fine Historiæ *De rebus à se gestis* exhibuit, & Silvestris Merlini vaticinia seu potius deliria summo studio conquisivit, Latinè vertit, & Scriptis suis passim intexuit. De Scriptis illius nunc agendum est, ac ptimo de iis, quæ in lucem jamdiu prodierunt.

„ *Topographia Hibernia*, sive *De Mirabilibus & Habitatoribus Hibernia* libri tres ad Henricum II. Angliæ Regem, habentur inter Scriptores de rebus Anglicis, editi Francofurti 1602. in folio pag. 692.

„ *Expugnatio Hibernia*, sive *Historia Vaticinalis de expugnata ab Anglis Hibernia*. Hujus duplex a Giraldo facta est editio. Secunda quæ in multis auctior est, in nonnullis brevior, Johanni Angliæ Regi nuncupata, libris duobus absolvitur, & cum præcedenti Opere in editione Francofurtensi, prostat pag. 755. Prima quæ in Bibliotheca Lambethana reperitur, Richardo Pictaviensium Comiti, postea Angliæ Regi dicata est, & tres Libros complexa est. Duo priores libri cum editione secunda fere sunt communes, nisi quod in secunda Author pleraque addiderit, & nonnulla, quæ relegenti minus placuerunt, resecuerit, & in his omnia ex Merlini Silvestris vaticiniis citata testimonia unico excepto. Tertius Liber *De Vaticiniis* titulum habet, atque hoc exordio argumentum suum enarrat. *Quoniam in prioribus Libris Merlini Vaticinia tam Celidonii quam Ambrosii, locis competentibus, prout res exigebat, inseruimus: Ambrosio verò dudum exposito, nondum Celidonius Britannicam exutus barbariem, usque ad hæc nostra tempora latuit parum agnitus: nostra videbatur interesse diligentia tam ipsum ab antiquis & occultis scrutabunda inquisitione latebris, ut pulchrius elucescat, in commune deducere, & ab ignorantiæ tenebris in lucem transferre, quàm translatum quoque præsenti volumini coaptare.*

Itinerarium Cambria ad Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum Libris duobus conscriptum, extat ibidem typis *Francofurt. usibus* expressum, p. 818.

Descriptio Cambria ad Stephanum Archiepiscopu Libris duobus comprehensa. Primum Librum, qui *De laudabilibus Wallia* inscribitur, unà cum *Itinerario* præcedenti evulgavit David Powelus S. T. P. Wallensis Londini 1585. in 8. & exinde typographi Francofurtenses pag. 880. Secundum qui *De illaudabilibus Wallia* titulum habet, primus in lucem hic edidi Tom. 2. *Anglia sacra* pag. 447. de quo paulò inferius dicendum est. Hactenus enim de Giraldi Scriptis antea editis, succedunt ea quæ in hoc Volumine jam primum prodeunt.

De Vita Galfridi Eboracensis Archiepiscopi Lib. II. quos sine certo authoris nomine in lucem a semet emissos fuisse, infra pag. 445. Giraldus prodit, & sine apposito Authoris nomine in Bibliotheca Corporis Christi Cantabrigiæ reperiuntur, neque aliud exemplar vidi.

Legenda Sancti Remigii, seu De Vitis S. Remigii & Episcoporum Lincolnensium illi succedentium, & aliorum sex Angliæ Episcoporum sui temporis. Operis argumentum, methodus, & in editione nostrâ dispositio, ex Capitulorum indiculo & notâ præmissa pag 408. 409. optimè constabunt. Hic tantum addi debet, illud ex ejusdem Bibliothecæ Cantabrigiensis Codice descriptum fuisse.

Epistola ad Stephanum Longton Cantuariensem Archiepiscopum, de abdicatione Archiepiscopatus non facienda. Hanc Codex Lambethanus dedit, inter alias Giraldi Epistolas *in Symbolo Electorum* congestas frustra quæsitam.

De Libris à se scriptis Epistola ad Capitulum Herefordense, ex eodem Codice desumpta.

De Descriptione Wallia Liber Secundus, seu *De Illaudabilibus Wallia*. Duplicem Operis sui *De Descriptione Wallia* editionem Giraldus adornavit, cujus utràque usus sum. Prima extat in Codice Bibliothecæ Westmonasteriensis, & Hugoni Lincolniensi Episcopo nuncupatur. Secunda quæ multoties auctior est, Stephano Cantuariensi Archiepiscopo dedicatur, & in Biblioth. Cottoniana *Domitianus A. 1.* habetur.

„Codici Cottoniano subjiciuntur *Giraldi Retractationes*, & *Catalogus brevior Librorum suorum:* Sed Westmonasteriensi *ejusdem Epistola ad Wilhelmum Episcopum Herefordensem De typographia sua Hibernica.* Istam Vsserius edidit *in Hibernicarum Epistolarum Sylloge* pag. 114. nos illa primum in præsenti Volumine evulgavimus.

„ *De rebus à se gestis Libri tres.* Hos pariter ac Dialogos sequentes, à se scriptos fuisse Giraldus in Operis utriusque Præfatione dissimulat. Ipsum tamen authorem esse ex innumeris utriusque locis constat, quin imò id in Catalogis Operum suorum, in Retractationibus, & Dialogorum calce, ipse disertim fatetur. Historiam de gestis Giraldi integram Codex Cottonianus *Tiberius B. 13.* quem solum superesse arbitror, ante medium mutilatus, nobis invidit. Jacturam tamen optimè resarciet Dialogorum sequentium pars posterior, quæ eandem Historiam satis ubertim narrat, iisdemque ferè verbis constitisse videtur.

„ *De Jure & statu Menevensis Ecclesiæ, Distinctiones seu Dialogi septem.* Duplex hujus Operis editio à Giraldo facta est, de secundâ quæ multo brevior fuit, vide quæ ad pag. 549. adnotavimus. Prima nunc prodit, resectis tamen plurimis sententiis, & verborum flosculis otiosis. Vtraque in Bibliotheca Cottoniana extat, illa *Vitellius E. 5.* ista *Domitianus A. 5.* Codex iste propriâ Giraldi manu scriptus videtur, facta ex plurimis prolixisque insertionibus in margine additis conjectura. Quæ in calce illi deerant, ex alio Codice restitui. Notæ breves, quæ in foliis imis editionis nostræ sæpius laudantur, ex eodem Codice scilicet *Domitianus A. 5.* acceptæ sunt. Scriptæ erant tempore Henrici VIII. Regis circa annum 1546. In Codice enim vox *Papa* sæpe expungitur, & *Episcopus Romanus* eadem manu reponitur.

„ *Vita Sancti Davidis Archiepiscopi Menevensis* ex Codice Cottoniano *Vitellius E. 7.* descripta est. Illam Giraldum ex Ricemarchi Historia ejusdem argumenti ampliore contexuisse, paulo inferius dicemus. Responsio in fine subjecta, notis Musicis in Codice interlineata comparet.

„ Vltimo recensenda sunt loco, Giraldi Opera reliqua quæ vidi & perlegi, & de quibus certi aliquid Lectorem docere possim.

„ In his est *Legenda S. Æthelberti*, Orientalium Saxonum Regis, ab Offa Rege decollati anno 793. 20. Maji, & Martyris loco deinceps habiti. Hujus memoriæ sacra erat Ecclesia Cathedralis Herefordensis, cujus Canonicus erat Giraldus. Extat in Codice Cottoniano postremum laudato *Vitellius E. 7.* Illi in eodem Codice succedit Legenda S. Patricii bene prolixa, Authore anonymo. Pitseus quidem cap. 299. *S. Patricii Vitam* Giraldi scriptis annumerat, de illa autem Giraldus in omnibus Scriptorum suorum Catalogis tacet.

Wallia Mappa seu Tabula Chronographica, ab Authore suo sæpius memoratur. Habetur ea in fronte Codicis Westmonasteriensis superius laudati, minio depicta: quæ præter fluvios plures, montes, & maris contermini ripam ac finitimas Angliæ urbes, oppida Walliæ 43. duntaxat notat.

Gemma Ecclesiastica, in duas partes divisa, quarum prima agit *De Sacramentis magis necessariis*, secunda *de Clericali honestate & continentia.* Opus valde prolixum, extat in Bibliotheca Archiepiscopali Lambethana, quod integrum quasi Theologiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ corpus complectitur.

Carmen de miseria conditionis humanæ, quod incipit, *Vnde superbit homo, cujus conceptio culpa?* In eodem Codice Lambethano reperitur.

Liber Carminum & Epigrammatum extat ibidem, & in Bibliotheca Cottoniana *Vitellius E. 5.* qui Cottonianus Codex plura complectitur.

Speculum Ecclesiæ, sive *De Monasticis Ordinibus & Ecclesiasticis Religionibus variis, Distinctionum Libri IV.* in Bibliotheca Cottoniana *Tiberius B. 13.* Giraldus Monachos capitali odio semper prosecutus est, usque adeo ut Epistola ad Hubertum Cantuariensem, istam se in precibus quotidianis deprecationem sæpe ingeminasse, suisque familiaribus ingeminandam consuluisse affirmaverit: *A Monachorum malitia libera nos Domine.* In omnibus suis Scriptis, Monachorum hypocrisin, fraudes, & inscitiam acriter insectari gestit: istud verò Opus triennali labore contexuit, ut æternam Monachis infamiam induceret, atque odio suo plene indulgeret. Initium illi facit Epistola prolixa ad Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum, de literaturæ defectu. Tres Distinctiones priores Monachorum nequitiis duntaxat narrandis & insectandis absumuntur. Quarta alienum argumentum tractat, scilicet *De statu, institutione, honore &c. Romanæ Sedis, aliarumque Sedium Patriarchalium, & de munere Pastorali & Episcopali.*

Symbolum Electorum, seu *Epistolæ variæ à se met ipso Collectæ.* In his sunt plures invectivæ adversus Wibertum Abbatem de Bethlesdene Ordinis Cisterciensis. Epistola prolixa ad Petrum Menevensem Episcopum *De Officio Episcopi.* Altera ad Adamum Abbatem Eveshamensem *De laude amicitiæ.* Ad Richardum Anglorum Regem, *De literarum & virtutis studio*, in quâ Regi vitia sua mira libertate pariter ac gravitate increpat. Sermo in Synodo Menevensi in illud, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam &c.* Constitutiones de modo regiminis & visitationis, aliisque Ecclesiasticis negotiis, datæ Officialibus & Clericis sibi subjectis. Tractatus *De Sacra Scriptura præstantia & dignitate*, ad Walterum Mapes Archidiaconum Oxoniensem, amicum conjunctissimum. Mitto alia. In eodem Codice extat *Liber de descriptione mundi singularumque ejus regionum*, quem manus

„nus recentior oræ Codicis apposita Giraldo inscripsit. Ejusmodi quidem librum se metro elegiaco composuisse Giraldus plus semel prodidit, verum iste liber soluta oratione constat, & F. Willelmi Legationem ad Tartaros anno 1253. Regis Franciæ jussu susceptam memorat.

„ *De Principis instructione Distinctiones tres*, Opus valde prolixum, & luce cumprimis dignum, asservatur in Bibliotheca Cottoniana *Julius B. 13.* Prima Distinctio quæ viginti plusquam annis ante duas sequentes conscripta est, agit de virtutibus singulis quibus Princeps instrui debet. Singulis affert rationes testimonia ex S. Scripturis, Scriptoribus Ethnicis, & Christianis Patribus deprompta, & exempla Regum Judæorum, Græcorum & Romanorum, nonnunquam & recentiorum. In his quidem pauca lucem meruerunt. Sequentia autem Historiam duntaxat optime sibi notam tractant. *De vita & moribus & rebus gestis Henrici II. Angliæ Regis ab ineunte ætate usque ad obitum.* Res aliis Historicis fere intactas in his Distinctionibus persequitur, ad denigrandam Henrici Regis famam plus æquo propendens, adeo ut Arcana istius Regis Historia meritò dici possit. Quod si conjecturam facere liceat, pronum est arbitrari Giraldum vindictæ studio Historiam istam scripsisse, ut Henrico Regi ejusque filiis, à quibus justa obsequii diuturni præmia non acceperat, quin imò ab Episcopatus Menevensis spe sæpius depulsus fuerat, injuriam rependeret. Certè Giraldo ignosci nequaquam debet, quod legitimam Henrici progeniem potestate Regia deturbari, regnumque Anglorum Ludovico Galliæ Regis primogenito, quem rebelles Angliæ Barones in excidium patriæ ducem sibi & principem statuerant, conferri votis ardentissimis flagitaverit: & restitutam Anglorum libertatem, depulsam Baronum perduellium, Principisque alienigenæ tyrannidem ægrè tulerit. Morbum animi inveteratum in conclusione Operis ipse prodidit, sic enim desinit Historia: *Qualiter etiam catulum tyrannicum* (Henricum III. Regem) *cruentissimis à tyrannis parentaliter exortũ, ipsumq; tyrannorum omnium tyrannissimum, felicium & Naturalium felix prosapia Regum* (Ludovicus Philippi Galliæ Regis filius) *quorum sub regimine justo, reguandique moderamine pio, sub tranquillo pacis ac libertatis gaudio, Francia quidem tam regnum floruisse dignoscitur quam Sacerdotium, divinâ dispositione pariter & ultione nostris victoriosissimè diebus triumphare, duoque regna vel tria sub unica Monarchia potentissimè conglutinare. Qualiterque post tam nubila tempora, tantaque potestatis ingruentis incommoda, demum regno Anglicano pulsis nubibus & nebulis dies serenus illuxit, occiduaque mundi climata sub Insulari tyrannide tanto tempore pressa, post servitutis dura jugum importabile, plenam denique liberationem præstans ac libertatem, oculo benigniore pietas superna respicere tam vehementer & desideranter, & sperabatur & expectabatur. Et quas ob causas, Deo indignante, & injurias Ecclesiæ suæ contra fidem & promissiones irrogatas graviter vindicante, spes ad effectum provenire non potuit, studiosis inquam amicis ista describendo laudem præmiumque merendi, quoniam non omnia possumus omnes, locum præbere dignum duximus.*

Prologi librorum à semetipso Scriptorum, in unum volumen operâ suâ congesti, extant in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiensis.

Reliqua Giraldi Opera recensent Baleus, Pitsius, Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. Guillelmus Cavus *in Historia Literaria* seculo XII. ad annum 1200. pag. 699. Certius autem ipse Giraldus *in Epistola de Scriptis suis, Indiculo breviore, & Dialogo septimo* de Menevensi Ecclesia. Alii enim frequentes errores admiserunt, & unum idemque Opus in plura multoties dissecuerunt."

GVALTERVS MAPES natione Anglus, 1180
Sylvestro Giraldo Cambriensi æqualis, in aula Regis Henrici II. primum vixit, quo defuncto Joannis Regis Clericus ac familiaris fuit, cujus Sylvester Giraldus tutor fuit, ut diximus. Postea Gualterus, factus est Sarisburiensis Canonicus, inde Lincolniensis Præcentor, demum anno 1197. qui Richardi Regis octavus fuit, Archidiaconus Oxoniensis creatus est. Multa lusit adversus Papæ & Cardinalium mores, quæ inter poemata veterum *De corrupto Ecclesiæ statu* reperiuntur. Illum Sylvester Gyraldus ab eruditione singulari & curialibus facetiis commendat, qui & illi libros suos *De proœmiis operum suorum, deque symbolis electorum* dicavit. Hæc Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. pag. mihi 440. ultimæ editionis. Expressit multa carmine, quæ edita sunt Lawingæ anno 1600. à Joanne Wolphio in fol. *Memorabilium Lectionum* tomo 1. Cent. XII. nempe *Apocalypsis Goliæ Pontificis* pag. 430. *Ad impios Prælatos liber* ibidem pag. 437. *Ad malos Pastores* ibidem pag. 439. *Ad Christi Sacerdotes* ibidem. *Sermo ad eosdem Prælatos impios*, ibidem pag. 441. *De malis curiæ Romanæ* pag. 442. Extat quoque inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 3041. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji in Archivo Codice 52. num. 1. *Gualterus Mapes de nugis Curialium* à pag. 1. ad 73. Et ibidem num. 3851. in MSS. Hypetoi Bodlejani, qui à Richardo Jamesio dati sunt, Codice 14. num. 3. *Gualterus Maap de nugis Curialium*, & num. 4. *Ejusdem Apocalypsis super vita & moribus personarum Ecclesiasticarum.* In MS. Codice Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ 387. num. 3. Apocalypsis Goliæ Pontificis. Num. 4. Rythmi de conjugio. Num. 5. Rythmi de Confessione. Numero 6. Rythmi de curia Romana. Num. 7. Rythmi de Susanna. In Cottoniana Bibliotheca sub effigie Vespasiani lit. E. Cod. 12. num. 5. Ver-

Versus Walteri Mapes de conjuge non ducenda. Num. 12. Versus Walteri Mapes de Sancta Trinitate. Sub effigie Vitelli litera D. Codice 8. num. 9. Versus Gualteri Mapes de Clericis & Laicis, de S. Edmundo, de S. Maria Virgine, de Festivitate omnium Sanctorum. Altercatio inter Magistrum Henricum de Albrineis & Leonium Teutonicum, cum aliis ejusmodi. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2330. in MSS. Codicibus ipsius Thomæ Bodleji litera E. 6. Codice 11. num. 7. Giraldi Cambrensis Epistola ad Walterum Mape, pag. 188. b. Meminit hujus Scriptoris in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Bodlejanæ pag. 260. columna 1. Richardus Jamesius *Collectaneorum* 14. num. 3. ubi Magister Gualterus Maap *De nugis Curialium* pag. 81. ad 146. Ibidem fol. 263. col. 1. *Collectaneorum* tomo 31. ubi Apographus libri Gauteri Mahap Archidiaconi Oxoniensis *De nugis Curialium*. Guillelmus Cavus in Historia rei literariæ ad annum 1210. pag. 705.

1180 RICHARDUS HAGULTADENSIS ECCLESIÆ PRIOR, Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini, natione Anglus, patria Northumbriensis, circa annum 1180. clarus, scripsit *Historiam de statu atque Episcopis Hagulstadensis Ecclesiæ*, & *Historiam De gestis Regis Stephani & de bello Standardi*, ab anno 1135. ad annum 1139. Hæc duo Opuscula impressa inter *Scriptores X. Anglicos*, Londini anno 1652. in folio editos, pag. 285. Alia Richardi Scripta Historica, videlicet *Gesta Henrici II. Angliæ Regis* & *Chronicon breve ab Adamo* memorant Baleus & ex eo Vossius, sed quæ superesse hodie non creduntur. Hæc Cavus. Mortuus dicitur anno 1190. cujus mentionem faciunt Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. mihi 425. Guillelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ*, ad annum 1180. pag. 687. ubi male Monachum vocat, quem spectasse ad Canonicos Regulares constat. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 142.

1180 PETRUS BLESENSIS, BATHONIENSIS ARCHIDIACONUS, natione Gallus, ob multiplicis doctrinæ famam ab anno circiter 1160. clarus, dignitate Canonicus primum Biturienfis in Gallia, cum ab ea regione in Angliam trans fretum Archidiaconus Bathenienlis factus atque postea Londinensis Archidiaconus & Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius, floruit ad annum usque 1200. & ultra, cujus vitam Joannes Busæus Noviomagensis compoluit, Operibus ejus præmissam in editione Moguntina anni 1600. in 4. Scripsit multa quæ primum inquisivit dictus Busæus atque anno citato Moguntiæ in 4. evulgavit, quibus & Appendicem adjecit anno 1605. in 8. ibidem editam. Verum felicioribus curis Petro Blesensi edendo incubuit nuperrime, Parisiis in folio apud Simeonem Piget anno 1667. vià Jacobæa sub signo prudentiæ Petrus de Gussanvilla Carnotensis, eruditione insignis Presbyter: cujus omnia undique conquisita evulgavit cum Notis & variantibus Lectionibus, quæ quia nondum facta, quando opus suum vel Bellarminus & Labbeus scripserunt, hîc ideò Syllabum subjicimus. Sunt autem ejusmodi Opera Petri Blesensis in editione hac præstantissima & optima.

Epistolæ numero CLXXXIII. pag. 1.

Sermones de variis argumentis LXV. p. 267.

Tractatus de Transfiguratione Domini. p. 400.

Tractatus de conversione S. Pauli. p. 404.

Compendium in librum Job. p. 408.

Tractatus de peregrinatione Jerosolymitana. pag. 425.

Instructio fidei ad Soldanum Iconii p. 431.

Liber de Confessione Sacramentali. p. 436.

Liber de Pœnitentia vel satisfactione. p. 444.

Canon Episcopalis, vel Tractatus de institutione Episcopi. p. 447.

Invectiva contra depravatorem. p. 455.

Liber contra perfidiam Judæorum. p. 462.

Tractatus duplex de amicitia Christiana. pag. 497.

Opusculum de utilitate tribulationum p. 553.

Tractatus inscriptus, Quales sunt &c. p. 563.

Tractatus de divisione & Scriptoribus sacrorum librorum. p. 596.

Tractatus de Eucharistia metricè. p. 600.

Quibus adjiciuntur Lectiones variantes & breves Notæ, tam Joannis Busæi Theologi societatis Jesu, quam Petri de Gussanvilla Presbyteri Carnotensis, nimirum a pag. 619. ad pag. 802. non contemnendæ. Continuavit *Historiam Ingulfi Croilandensis De Regibus Angliæ*, quam anno circiter 1090. ille finierat, usque ad annum 1118. quem Ingulfum habemus integrum cum exceptione Petri Blesensis, editum anno 1684. e theatro Sheldoniano Oxonii in Anglia in folio, cum Historicis aliis anonymis. Vidi etiam olim libros ejus *De prestigiis fortunæ* in Bibliotheca aliqua Manuscriptos, sed ubinam gentium, meminisse non potui. Agunt prolixe admodum *de Petro Blesensi* Joannes Busæus & Petrus de Gussanvilla, uterque in editione sua Operum illius. Præter hos Bellarminus, Antonius Possevinus *in Apparatu sacro*. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *De Scriptoribus Ecclesiasticis à Bellarmino recensitis*, tomo 2. verbo, Petrus Blesensis. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, parte 4. cap. 7. cum multis aliis.

STEPHANUS TORNACENSIS EPISCOPUS, Canonicus primum regularis Ordinis divi Augustini, tum Abbas Sancti Evurtii Aurelianensis ac deinde Sanctæ Genovefæ Parisiensis, Episcopus tandem Tornacensis ab anno 1191. ad annum 1203. de quo Bellarminus & Labbeus. 1190

beus. Qui cum seculo suo insignis omnino doctrina ac pietate fuerit, paucis de eo loqui, nefas opinatus: amplioribus de illo agere in eximii viri gratiam, haud ingratum fote eruditis censui. Hic itaque ortu ut creditur, Aurelianensis fuit, atque à puero seu teneris annis, in Ecclesia S. Crucis Aurelianensis enutritus, in qua Grammaticis instructus est. Hoc ipse testatur Epistola 78. *In Ecclesia Sancta Crucis Aurelianensis à puero nutritus, & postmodum in Ecclesia beati Evurtii Confessoris sub regulari disciplina religiosam vitam professus, utriusque Ecclesia memoria dignas constitutiones recolo, ut in eis nec me falli existimem &c.* Inde factus ætate provectiot, Canonicus & Cantot in Ecclesia Collegiali S. Evurtii Aurelianensis Canonicorum secularium institutus est, ut ipse exponit Epistola 77. his verbis, omnem ambiguitatem tollentibus. *Ecclesiam Sancti Evurtii Aurelianensis in conspectu Angelorum & hominum commendabilem faciunt, & meritum Confessoris & testimonium Civitatis. His accedunt sancta conversatio fratrum regulariter Deo inibi servientium, qui ita sic enitent inter suos, ut fama excitant alienos. Tempore secularium Canonicorum ante XL. jam annos, Canonicus simul & Cantor ejusdem Ecclesia fui, & mutato ipsius statu in regularem formam, postmodum & ipse Augustini discipulus, habitum in ea pœnitentia suscepi. Scio Pater, & in veritate testificor, quoniam quantum extat in memoria hominum adhuc viventium, hac libertate & Immunitate Ecclesia illa, & tres alia Clericorum Abbatia, quæ in eadem Civitate sunt, scilicet Sancti Petri virorum, Sancti Petri Puellarum, & Sancti Aviti, usque ad diem hanc gavisa sunt; quod in nulla earum quicunque fuerit Senonensis Archiepiscopus procurationem accipiat.* Verum Ecclesia ista S. Evurtii in Autelianensi urbe, ex Canonicorum secularium Collegio, ob ingentem in spititualibus ac temporalibus tuinam, commutata in Congregationem Regularium, ex Sancti Victoris Parisiensis Cœnubio, circa annum 1163. sub Abbate Ernisio: Stephanus ut ipse testatur, novam ibidem Augustinianorum regulam & habitum amplexus est. Vnde mirum, quomodo Carolus du Molinet in ejus Vitâ dicat, quod tum Stephanus *divino quodam instinctu ex aula Comitis Campania se subduxerit, habitumque Canonicorum Regularium, sive in Abbatia S. Evurtii sive Sancti Victoris assumpserit.* Rogerio primo S. Evuttii Abbate mortuo, suffectus est in ejus locum Stephanus, non autem in locum Roberti, ut vult dictus Carolus du Molinet, quippe qui nullus fuit. Eo lubentius electioni consensit, quo nihil aliud ab ipso in nova desolatissimæ Abbatiæ reparatione expectandum erat, quam labores, sollicitudines, penuria. Intendit itaque animum ad Ecclesiam S. Evurtii jam diu evetsam & collapsam, penitus reparandam: quod feliciter consummasse testatur Epistola 18. ad Decanum S. Martini Turonensis, ubi ait. *Combustam patris Evurtii renovamus Ecclesiam, ubi quia nostra non sufficiunt, aliena stipendia mendicamus. Eximus in publicum, nec sine rubore ruborem abjecimus, per vicos & plateas devotionem plebis ut possumus excitantes.* Addit denique Epistola 19. *Inter fumantes Ecclesia nostra cineres & ambusta renascentium parietum ligna, flentes & attoniti prodire cogimur in publicum, in attrita fronte stipis extera suffragia mendicare. Erigitur nova Confessori Evurtio fabrica, qua sic nostris inchoatur impendiis, ut perfici desideret alienis.* Successit Alberto seu Auberto Sanctæ Genovefæ Parisiensi Abbati, anno 1176. vel 1177. mortuo, ut ex ejus Epistola 207. ad Joannem suum successorem constare potest. Texere laudes ejus pluribus superfluum est, cum ex authenticis monumentis constet, illum fuisse sui temporis doctissimum, religiosissimum, Regique imptimis & Summis Pontificibus acceptissimum: ut ipsi etiam Principes, commendatitias ab eo ad Pontifices Epistolas postularint. Prudentia ejus enituit in compescenda Graudimontensium Fratrum Laicorum advetsus Clericos & Sacerdotes rebellione, ut ex prima ejus Epistola ad Abbatem Pontoniacensem apparet. Ipse etiam in Epistola 90. testatur se missum ad partes Tolosanas, & alios Hæreticos Tolosates tunc temporis enascentes, qui postea Albigenses dicti sunt, convincendos, inter quos multa se vitæ discrimina adiisse significat. Ecclesiam S. Genovefæ nondum satis a ruinis in quibus ex tempore Normannorum jacuerat, confirmatam, excitavit: ut liquet ex ejus Epistola 170. ad Canutum Daniæ Regem, à quo plumbum petiit ad Ecclesiam coopetiendam. Quod idem fecerat circa Abbatiam S. Evurtii, quemadmodum observatut ex Epistola ejus ad Decanum S. Martini Turonensis, in qua consuetudinem quandam memorat circumferendarum Reliquiatum, ad eleemosynas fidelium colligendas, pro resarciendis Sanctorum templis. De hac restauratione Ecclesiæ S. Genovefæ obiter his verbis scribit idem Stephanus Epistola 170. ad Canutum Danotum Regem: *Persecutionis à vestris potentibus gentilibus tum illata calicem bibit, & absynthio doloris inebriata est Ecclesia beata Virginis Genovefa, in qua Deo licet indigni deservimus, fracta, diruta, & combusta. Testantur hoc parietes incendio illo consumpti, & calce in cinerem concrematâ putrefacti, tremuli, excisi. Eos renovare incœpimus, superponenda nova lignorum macerie, & tecto plumbeo superponendo.* Assumptus ex Abbate quinto S. Genovefæ Patisiensis, anno 1191. ad Episcopatum Totnacensem, qua de te ipse sic loquitut Epistola 182. *Vocatus occulta Dei permissione ad regimen Ecclesia Tornacensis, quamvis minus sufficiens, minus idoneus, minus dignus, totum Spiritum meum effudi circa dispositionem Ecclesia mihi prius commissa, ne labores quibus in ea sudaverum, deperirent: & successoris occasione, turbaretur tranquillitas cælesti mihi promissione concessa.* Idem testatur Epistola 202. ad Celestinum Papam; *Vocatus ad Ecclesiam Tornacensem, loco & animo remotus & ignarus, nihilque minus spirans quam cathe-*

thedram &c. Nec tamen sancto viro defuerunt, qui patientiam ejus in Episcopatu positi exercerent, viri meritorum ejus, & laudum publicarum æmuli. Unde Stephanus intelligens Berterum Cameracensem Archidiaconum, suum alioquin olim amicum, sibi vehementius obstrepere & obluctari: se per litteras purgavit, in quibus præclarum & eximium quoddam vitæ Episcopalis suæ speculum, Epistola sua 215. nostris oculis exhibuit, cujus hæc summa est. „Civitatem rarò egredior, regulares horas cum „aliis quantum licet, frequento. Secundum „gratiam mihi collatam, Dei verbum parochia„nis meis annuntio. Contra novam hæresim, „cæteraque monstra id genus, pro posse meo „declamans, tanquam ad bestias depugno. Sa„cramenta quæ gratis accepi, gratis impertior. „Manus meas, si non ab omni munere, saltem „ab illicito semper excutio. Venientibus ad „me in confessione consilium, in pœnitentia re„medium, in tribulatione solatium, quantum „Dominus permittit exhibeo. Horis vacuis & „a foro feriatis, in loco ad hoc idoneo, sacræ Scri„pturæ intendo, legens & ruminans, quæ post „lectionem decoquo, & ad memoriæ cellulam „trajicio. In mensa nec solitarius, nec obscurus „esse volo, in qua facilius est ut superfluitatem „accuset natura, quam curiositas esuriem. Hi„strionibus & scurris patrimonium Christi non „dispergo. Hæc exterius, occultorum autem „cognitor est scrutans corda & renes Deus. Anno 1195. dedicavit Ecclesiam in Cœnobio Gandensi, ac denique plenus dierum & meriti Tornaci obdormivit in Domino, anno 1203. tertio Idus Septembris. Agunt de Scriptis ejus Bellarminus & Labbeus, quibus addo impressas nuperrime Epistolas Stephani Tornacensis cum accessione nova, Parisiis anno 1679. in 8. apud Ludovicum Billaine, cura & studio Claudii de Molinet Canonici Regularis Congregationis Gallicanæ cum Vita Stephani Epistolis præmissa. Scripsit idem Stephanus *Commentarium in Decretum Gratiani prolixum*, MS. in fol. in Bibliotheca Colbertina celebri, Codice 2592. & in Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera N. 6. Idem *Sermones aliquos ad XXXI. de diversis argumentis*, hinc & inde ex MSS. Codicibus erutos & editioni paratos, habet apud se idem qui supra Claudius du Molinet, quos tamen ut stylo nimium simplices ille prudenter quidem non edidit. Plura De illo Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* in Episcopis Tornacensibus, pag. 1069. & tomo 4. in Abbatibus S. Evurtii Aurelianensis pag. 359. & in Abbatibus S. Genovefæ Parisiensis, pag. 471. Guillelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1192. pag. 690. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 149. ubi appellat *Stephanum de S. Genovefa*, cujus extant quædam in MS. Cod. 16. Bibliothecæ S. Germani Parisiensis.

HUGO FALCANDUS, natione ut credimus Siculus, Friderico Imperatori & Guillelmo II. Siciliæ Regi contemporaneus, scripsit ad Petrum Ecclesiæ Panormitanæ Thesaurarium Historiam calamitatum, quæ Siciliam sub Guillelmis I. & II. annis prope XXIII. afflixexunt sub Guillelmo I. qui regnare cœpit ab anno 1152. & anno 1166. mortuus est. De Guillelmo autem II. & aliis Siciliam spectantibus, usque ad annum 1189. Incipit autem (inquit Vossius) à Rogerio Siciliæ Comite, & Roberto Guiscardo Apuliæ Duce, qui fidem eo magis meretur quod illa refert quibus præsens interfuerat: ac Præfatione sua ad Petrum, quam anno 1166. simul nempe atque obierat Guillelmus Bonus Siciliæ Rex, exaravit: cuncta illa Siciliæ mala præsagiit, quæ ab Imperatore illi postmodum contigerunt. Alterum quoque est, quod eum non leviter nobis commendat: quod fusius omnia, majorique curâ persequitur, quam Fazellus postea in Historiâ suâ Siculâ fecerit: ita ut longe plus fructus ex eo, studiosus civilis prudentiæ haurire possit, quam illis quæ a Fazello referuntur. Testem illum laudat inclytus Ecclesiasticorum Annalium Scriptor Baronius, ad annum 1194. quo tempore quoque floruisse creditur. Hanc Historiam Gervasius de Tournay Suessionensis Ecclesiæ Canonicus eductam ex MS. Codice Bibliothecæ Matthæi de Longejouë Suessionensis Episcopi, Parisiis anno 1550. edendam curavit, quam nescio an transmiserint postmodum in Collectionem *Historicorum Siciliæ*, Francofurti in Germania anno 1579. in folio impressam. Hæc nos ex Gerardo Joanne Vossio Lib. 3. *De Historicis Latinis*, parte 4. cap. 5. cujus etiam meminit Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, pagina 115. 1190

GUNTHERUS primum SCHOLASTICUS, postea Monachus Cœnobii Parisiensis, in Diœcesi Basileensi Ordinis Cisterciensis, non autem inclytæ Galliarum urbis Parisiensis, annis 1190. & 1200. claruit, ac posteritati nomen commisit, dum ex ore Martini sui Abbatis, qui rebus gestis interfuerat, atque ab Oriente ad Abbatiam redierat, scripsit *Historiam captæ à Latinis anno 1204. Constantinopoleos*, quam in lucem protulit Henricus Canisius *Antiquæ Lectionis* Tomo V. pag. 358. Cum autem ipse tradat, ea quæ scribit, ex ore Martini illius Abbatis se accepisse, qui expugnationi Constantinopolis interfuerat: hinc ætatem Scriptoris, uti & quâ fide dignus sit, intelligimus. Vide Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag. 446. editionis ultimæ. Idem Guntherus scripsit *De oratione, jejunio & Eleemosyna libros XIII.* editos Basileæ anno 1504. & 1507. apud Michaelem Furterum in 4. Eundem Guntherum authorem habet Carmen Heroi- 1190

roicum sanè non inelegans *De rebus à Friderico Barbarossa Imperatore, in Italia, ac præsertim in Liguria gestis, Libris X.* compreheosum, & *Ligurinum* dictum, quod Ænobarbo negotium imprimis cum urbe Ligurina, hoc est *Mediolano* fuerit, cujus incolas *Ligures* suos appellat: quam ob causam Baronio etiam in Annalibus ad annum 1160. Guntherus ipse *Ligurinus*, sed perperam appellatur. Errat autem absurdè Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 431. editionis ultimæ, dum scribit quod Guntherus *superstite etiamnum Ænobarbo, de rebus ab eo gestis decem libros composuit.* Nam in hoc Poemate, meminit alterius à se scripti *De bello sacro*, quod *Solymarium* vocat, quod vix ante annum 1210. conscripsit. Cum ergo Opus *De gestis Friderici Barbarossæ*, ab illo post *Historiam Belli sacri*, seu *Captæ à Latinis anno 1204. Constantinopoleos* compositum sit, necessario post mortem Friderici conscriptum est. Opus istud, prodiit seorsim primum Argentorati anno 1500. in folio, tum ibidem anno 1531. in folio cum Jacobi Spiegelii amplissimis notis, tandemque Basileæ 1569. cum Othone Frisingensi. Inter etiam *Scriptores rerum Germanicarum* evulgavit Justus Reuberus Francofurti in folio 1584. Tomo 3. pag. 275. cum Notis Jacobi Spiegelii, atque alibi cum Notis Conradi Rittershusii. Certè Guntherum hunc, quisquis tandem fuerit, velut Poetam Spiritus & ingenii haud vulgaris, imò ut mirabilem quo vixit seculo, nobis commendant Justus Lipsius *Polyorcheticon* lib. 2. Dialogo 4. Isaacus Casaubonus *in Polybium* pag. 171. Gerardus Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 53. pag. 432. quos Guilielmus Cavus irridet *in Historia rei literaria* ad annum 1210. pag. 706. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* pag. 336. omnia hæc opuscula cuidam Guothero Elnonensi ad Sanctum Amandum Monacho attribuit, cujus mentionem facit Sigebertus in libro *De viris illustribus* cap. 166. Sed absurde hic fallitur Andreas, nam Gunterus iste annis centum antiquior est, qui teste Trithemio, temporibus Henrici IV. circa annum 1090. floruit, cui Sigebertus cap. 166. *Martyrium Sanctorum Cyriaci & Julitæ metrico stylo* tantum, quod MS. apud Sanctum Amandum, adscribit, cujus mentionem facit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 46. p. 381. editionis ult.

1190 TAGENO DECANVS PATAVINVS iisdem temporibus claruit, circa annum 1197. qui Cæsaris Barbarossæ *expeditionem in Asiam* descripsit. Patavinus autem seu Passaviensis a Patavio Germanico dictus est, civitate Episcopali Bavariæ inferioris inter Danubii & Œni confluentes. Eo majorem idem hic scriptor meretur fidem, quod Asiaticæ expeditioni cum Diepoldo Episcopo interfuerit, ut Gaspar Bruschius Lib. 2. *De Laureaco* refert. De eo sic Aventinus in Annalibus Bojorum Libro VII. pag. 523. editionis Primæ. *Theobaldi jussu, ejus Decurio Tageno expeditionem hanc æternitati litterarum consecravit, quam ego Reicherspergii inveni, eamque Conrado Adilmanno mysta Augustensi, ut illam publicandam curaret, superiore anno misi. Quamobrem is tamdiu rem differat, nescio.* Hæc Aventinus. Sed quod mystes ille Augustensis non fecit, id post annos demum septuaginta vel circiter, Marquardus Freherus præstitit, qui hunc Tagenonis librum volumini primo Scriptorum *De rebus Germanicis* ineditorum inseruit, *in Appendice* adjecta pag. 6. Illa autem Freheri volumina, edita in fol. Francofurti anno 1600. 1602. & Hanoviæ 1611. Denique iterata editione tribus in fol. voluminibus Francofurti a. 1624. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. ultimæ editionis, cui pauca adjecimus.

IOANNES DE FORDA vel FORDEHAM & FORDVN, natione Britannus seu Anglus, Abbas Fordensis Cœnobii, Ordinis Cisterciensis in Anglia, claruit, circa annum 1190. temporibus Richardi I. Anglorum Regis, & Joannis ejus in regno Successoris, cui ab auriculari confessione anno 1210. fuisse & a sacramentis domesticis dicitur. Hujus in MSS. Codicibus Bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Faustinæ litera B. Codice 4. num. 4. *Vita S. Wulfrici Anachoreta Haselburgia, edita à Venerabili Abbate de Forda*, qui præfixit duas Epistolas, unam ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum, alteram ad Baldewinum Cantuariensem Archiepiscopum, qui ante annum 1185. ad sedem hanc admotus non est: unde conjicimus opusculum istud circa annum 1190. compositum. Idem Opus in Manuscriptis Etonensibus, Codice 110. num. 3. Idem scripsit *super ultimam partem Canticorum*, ut testatur Catalogus impressus anno 1698 Oxonii in fol. Manuscriptorum Codicum Oxoniensis Vniversitatis, num. 166. in MSS. Collegii Baliolensis D. 8. In MSS. Codicibus Ecclesiarum Angliæ Cathedralium num. 300. in Codicibus MSS. Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis, litera F. Codice 235. *Fordensis de sacramento altaris* in 8. cujus autor quin idem Johannes de Forda sit nullus dubito. Meminit hujus Scriptoris, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ num. 5105. Joannes Lelandus *Collectaneorum* volumine 4. num. 147. pag. 184. quem supparem facit Gualtero de Vinosalvo. Gerardus Joannes Vossius libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. p. m. 453. 1190

RICHARDVS DIVISIENSIS, natione Anglus, Wintoniensis Monachus claruit hoc eodem tempore, qui descripsit *Res gestas* temporibus Richardi primi hujus nominis Anglorum Regis, sub quo florebat, atque etiam *Epitomen rerum Britannicarum*. Extant hæc Opera Richardi MSS. Cantabrigiæ in Collegio D. Benedicti, uc constat ex Catalogo MSS. Codicum Vniversitatis Cantabrigiensis Cod. 1361. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 84. ubi num. 3. *Iti-* 1190

nerarium peregrinorum & Gesta Regis Richardi auctore Richardo Canonico. Et ibidem Cod. 1484. in MSS. ejusdem Collegii Codice 217. *Richardi Divisiensis epitome rerum Britannicarum.* Item inter MSS. Codices Cottonianæ Bibliothecæ sub effigie Domitiani litera A. Codice 13. num. 2. *Chronicon Richardi Divisiensis, Monachi Wintoniensis, de rebus tempore Regis Richardi I. & de gestis ipsius in Palæstina, ad Robertum illius olim Ecclesiæ Priorem, qui se in Carthusiam receperat.* Et sub effigie Faustinæ litera A. Codice 7. num. 1. *Itinerarium sive Gesta Richardi Regis Angliæ in Judæa, per Richardum Canonicum Sanctæ Trinitatis Londoniensis.* Num. 2. Mores Saracenorum *& leges, quas Mahumeth observare constituit prophetando Saracenis, ubi de Vita & Miraculis istius Pseudopropheta agitur.* Num. 3. *Fragmentum quoddam continens descriptionem Hierosolymorum & aliarum Judeæ Civitatum.* Meminit hujus Scriptoris Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 52. pag. 425. ultimæ editionis. Richardus Jamesius in Collectaneis tomo 17. num. 5. ubi pag. 35. excerpit *Chronica Richardi Divisiensis* MSS. in Collegio Sancti Benedicti, in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Bodlejanæ impresso, pag. 260. Columna 1.

1190 GVILLELMVS NIGELLVS SEV WIREKER, natione Anglus, tempore Richardi I. Anglorum Regis, poemate valuit, quali ætas illa usa est. Floruit igitur circa annum 1190. & sequentes. Extant in bibliotheca Cottoniana sub effigie Julii A. Codice 7. n. 5. *Versus Nigelli de Wereker Monachi Cantuariensis, continentes monita moralia, ad Gulielmum Episcopum Eliensem, R. Richardi primo Cancellarium missi.* Ibidem num. 6. *Versus Latini de virtutibus & vitiis, rebusque sacris, miscellaneisque aliis*, qui ejusdem esse possunt. Ibidem sub effigie Titi litera A. Codice 20. num. 1. *Nigelli speculum Stultorum*, de quo nos supra abunde egimus ad annum 1170. in *Joanne Sarisberiensi*, cui perperam attributum fuit, MSS. omnibus *Nigello* adscribentibus. Ibidem sub Vespasiano litera D. Codice 19. num. 1. *Versus* Nigelli ad Honorium Priorem Cantuariensem, viz. I. De ligno dulci, de Monachis, Epistola parænetica, de sancta Catharina, de virtutibus Monachi, Epitaphium Emmæ, cum aliis. 2. Miracula S. Mariæ genitricis Dei, libris 3. ubi de Sancto Dunstano, de Juliano Apostata interfecto, de S. Ildefonso & aliis agitur. 3. Versus de vita & virtutibus Monachorum, quorum initium

Quid deceat Monachum, vel qualis debeat esse,
Qui jubet ut dicam, porrigat ipse manum.

4. Passio S. Laurentii Martyris.

Palma triumphalis roseo redimita cruore,
Divitiis cunctis digno præcellit honore.

5. Vita Sancti Pauli primi Heremitæ.

Jussit adorari Decius simulacra Deorum,
Vir Sitiens pœnas & eadem Catholicorum.

6. Versus Rithmici contra flagitiosos temporum mores.

Ibidem sub effigie Cleopatræ liteta B. Codice 3. num. 5. Versus Nigelli Wireker Monachi Cantuariensis, ut superius, præcepta moralia continentes. Num. 6. Tractatus ejusdem ad Willielmum Episcopum Eliensem, Angliæ Cancellatium, in quo invehitur in corruptos seculi mores, & speciatim in Curiales & officiales Clericos. Meminit hujus Scriptoris Richardus Jamesius *in Collectaneis* tomo 14. num. 4. ubi *Speculum Burnelli* pag. 146. ac tom. 15. num. 1. ubi ejusdem *Speculum Stultorum* pag. 1. Hæc ex Catalogo MSS. Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ anno 1698. Oxonii in fol. impresso pag. 260. columna 1.

IOANNES CAMATERVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, ab ultimis Manuelis Comneni temporibus ab anno circitor 1176. & sequentibus in Orientali imperio floruit, qui primum Diaconus & Cartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tum Caniclejo Monasterio præfectus, deinde Georgio Xiphilino ad annum 1193. fatis functo ad sedem Constantinopolitanam promotus est. 1190
Astrologiæ animum antequam sactis ordinaretur, applicuerat, extatque teste Carolo du Fresne Domino du Cange, *Joannis Camateri præfecti Caniclejo Poëma Jambicum de Zodiaco & Planetis ad Manuelem Comnenum Imperatorem*, hoc titulo in Codice Bibliothecæ Galliarum Regiæ 2732. *Πόιημα τοῦ Ἰωάννου Καματηροῦ ἐπὶ τοῦ Κανικλείου περὶ ζωδιακοῦ κύκλου, καὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων τῶν ἐν οὐρανῷ, πρὸς τὸν Μανουὴλ Κομνηνὸν τὸν βασιλέα.* Et in Bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos Codice Græco 119. *Joannis Camateri synopsis Astrologica carmine conscripta ad Constantinum Porphyrogenetam.* Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5969. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 135. num. 3. *Joannis Camateri liber de Stellarum dispositione & influentia versibus politicis*, ubi adducitur Liber Seleck & Lasbas Babylonius. Juxta autem Philippum Labbeum in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *Specimine antiquarum lectionum Græcarum Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectam a se potissimum, edendam curavit Parisiis in 4. aooo 1653. apud Joannem Henault, longe plures sunt MSS. Codices Camateri in Regia Bibliotheca. Ita enim parte 4. pag. 120. *Joannis Camateri Caniclejo Præpositi de Genethliis & cælesti Syderum dispositione*, ex Codice Regio 149. & Naudæano 9. "Ejusdem quoque versus ex Co-" dicibus Regiis 559. & 1015. in Appendice" Metrica exhibebuntur. Ibidem parte 4. pag." 133. in Appendice seu Coronide Metrica *Ca*" *materi Caniclini de Signis cœlestibus, versibus Jambicis vulgaribus*, in Codice Regio 559. In alio" MS. elegantibus litteris exarato, *Joannes Ca*"

mate-

„*materus Canicleo Præpositus* dicitur.„ Florescebat adhuc anno 1199. quo datis Epistolis ad Innocentium Papam III. mirari se dicebat, quomodo titulus *Universalis*, Pontifici Romanæ Ecclesiæ adscribi posset: scripserat enim ad ipsum cum supercilioso hoc titulo Innocentius tertius, illum ad subjectionem Ecclesiæ Romanæ sollicitans. Juxta itaque eundem Labbæum, parte 2. pag. 80. extant in Regia eadem Bibliotheca Græce MSS. *Joannis Camateri Patriarchæ Constantinopolitani Responsio ad ea quæ scripta ei fuerant a Papa, & ad quæstiones a Narse Episcopo propositas, nec non & Catechetici duo*, in Codice Regio 1624. Item parte 3. pag. 100. *Joannis Camateri Patriarchæ CP. Epistola*, in Codice Regio 1629. Extat quoque ejusdem Græce & Latine *Decretum de nuptiis consobrinorum* in Jure Græco Romano Leunclavii libro 4. pag. 285. Mortuus est autem anno 1206. cujus mentionem faciunt Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1199. pag. 693. Carolus du Cange, in Catalogo Scriptorum, quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, col. 27.

1190 MICHAEL PSELLUS, ejusdem nominis & cognominis tertius & ultimus, hoc quoque tempore claruisse mihi videtur, qui Eustathio Thessalonicensi Archiepiscopo, sub Alexio Comneno & Andronomico Patruele, synchronus extitit. Hunc scriptorem nobis suppeditavit Carolus du Fresne in *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo Μαΐστωρ τῶν Ῥητόρων col. 1295. his verbis. „Dignitas Ecclesiastica, qua donatus legitur Eustathius postmodum Thessalonicensis Archiepiscopus, auctor Commentariorum in Homerum. Ita enim habet inscriptio Epistolæ ad Joannem Ducam Andronici Camateri filium, præfixæ Commentariis in Dionysii Periegesim, Εὐσταθίου διακόνου ἐπὶ τῶν δεήσεων καὶ Μαΐστωρος τῶν Ῥητόρων, τοῦ καὶ ὕστερον γεγονότος Ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης. Joannem vero filium fuisse Andronici Camateri, qui Manuele Comneno imperante vixit, docuimus in Notis ad Cinnamum pag. 467. & 468. Ut & sub eodem Augusto & Andronico tyranno floruisse Eustathium, quod præterea innuit Demetrius Chomatenus in Responsionibus ad Constantinum Cabasilam, Archiepiscopus Bulgariæ Lib. 5. & 6. Juris Græco-Romani pag. 317. scribens, Manuele Comneno imperante, sapientissimum illum Eustathium, qui Diaconus fuerat in æde S. Flori, de quo egimus in nostra *Constantinopoli* (ita enim hæc verba interpretor, τοῦ κατὰ Φλῶρον διακόνου ὄντος:) deinde *Magister Rhetorum* in Magna Ecclesia, electum fuisse Miræorum in Lycia Episcopum, ac priusquam ordinaretur, Imperatoris decreto in Metropolim Thessalonicensem tunc vacantem, translatum fuisse. In Codice Regio 1837. in quo plura continentur Michaelis Pselli Opuscula, atque in iis illius Epistolæ, harum altera quæ est 115. inscribitur his verbis, Τῷ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης, τῷ γεγονότι Μαΐστωρι τῶν Ῥητόρων. In qua Eustathium laudat Psellus propter eruditionis præstantiam, hisce nimirum verbis: ἥκουσα τῆς ἐννοίας ἡ χάρις, τῆς λέξεως τὸ γλυκὺ τῆς ἡδονῆς, ἡ φιλόσοφος καλλιόπη, ἡ ἀμετάβλητος φύσις. ὁ αὐτὸς γὰρ ἐν Βυζαντίῳ, ἐν Θεσσαλίᾳ, πόρρωθεν Ἀθηνῶν, πρὸς αὐτῇ τῇ Ἑλλάδι, ἐν γηλόφοις, ἐν γηπέδοις, ἐν τρυφώσαις χώραις, ἐν αὐχμηρᾷ γῇ, οὐ μεταβάλλων, οὐ μετατιθέμενος. Ex quibus ea qua scribebat Psellus tempestate, in Thessalia vixisse Eustathium, saltem colligitur. Sed etiam ex his quæ sequuntur. Πάλαι μὲν οὖν καθ' ἱστορίας, τῆς τοῦ μύρου ἐκδόσεως ἁπανταχόθεν τῆς οἰκουμένης, πρὸς τὴν Θετταλίαν οἱ πλείους ἐφοίτων. νῦν δὲ πλέον οἶμαι αὐτόθι βαδιεῖσθαι κατὰ κλέος τῆς τοῦ σοῦ λόγου σταγόνος. Sed & hic variis in locis illius eloquentiam prædicat ἄμφω (Thessalonicenses atque Eustathium) μακαρίζω τῆς εὐτυχίας, σὲ μὲν ὅτι ἔχεις ἐφ' οὓς ἂν τὴν δύναμιν ἐνδείξῃ τοῦ λόγου, ἐκείνους δ' ὅτι τοιούτου τετυχήκασι ἱερέως καὶ Ῥήτορος. Similia fere habet in Epistola 116. & 60. de Eustathii præclara eruditione, cujus nomen diserte scribitur in Epistolis Eustathii ad Psellum, quæ in eodem Codice describuntur fol. 139. hisce verbis, Τοῦ πανιερωτάτου Μητροπολίτου Θεσσαλονίκης κυρίου Εὐσταθίου Ἐπιστολαί." En ergo tertium quendam Michaelem Psellum, tempore Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi, sub seculi XII. finem, scriptis clarum & eloquentia celeberrimum, cujus Epistolæ plurimæ ac tersæ dictionis, Græce in MS. Codice 1837. Regiæ Galliarum bibliothecæ, quæ historiam hujus temporis, si evulgarentur, illustrare possent. *Secundo* hunc quoque Psellum invenit Lambecius libro 5. Commentarium Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ubi loquitur de manuscriptis Codicibus Græcis *Dioptra Philippi Solitarii*, quæ vel anno 1095. ut vult Lambecius composita est, vel anno 1105. ut vult Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* ad annum 1105. pag. 638. Itaque vixit Michael Psellus quem juniorem dicimus, tempore Constantini Ducæ & Michaelis filii inter Philosophos celebermus, & usque ad annum 1095. vel 1105. pervenit, ut *Dioptram Philippi Solitarii* Commentariis ac Præfatione illustraret. Cum claruerit inter Philosophos & Medicos præstantissimus, ab anno circiter 1050. sub Constantino Monomacho, Michaele Stratiotico, Constantino Duca, qui filium suum Michaelem Ducam ipsi litteris informandum commisit: Michaele Duca quem discipulum habuit, & Nicephoro Botoniate, qui per triennium ad annum usque 1080. imperavit; sed etiam sub Alexii Comneni imperio in humanis superstes. Vide quæ supra ad anonum 1050. diximus in Dissertatione *De Vita & scriptis Michaelis Constantini Pselli, Medici ac Theologi clarissimi*, capite 6.

ſub finem capitis. Jam ad Michaelem nominis tertium revertamur Pſellum, cujus occaſione ſectio præſens conſcripta fuit. *Epiſtolas autem mutuas Euſtathii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi & hujus Pſelli* ex Codice Regio deſcriptas, extare apud CL. virum Fridericum Roſtgaardum, teſtatur Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca, loco infra allegando. Cum vero nos Symeonem Metaphraſtem & Logothetam ſeculi XII. ſcriptorem circa annum 1150. celebrem ſtatuerimus, cujus ante hanc ætatem nullus ſcriptorum Eccleſiaſticorum meminit: ita quoque hunc Michaelem Pſellum tertium nominis, arbitramur eſſe ſcriptorem *Laudationis S. Symeonis Metaphraſta atque Officii in ejus laudem compoſiti*, quæ Græce & Latine edita ſunt a Leone Alatio ad calcem Diatribæ *De Symeonum Scriptis* pag. 221. ad 236. Nam qui annis circiter 30. vel 40. Symeone iſto poſterior extitit, potuit faciliime vixiſſe ac vidiſſe aliquos, qui morti ejus adſuiſſent, illamque huic Pſello enarraſſent. Extat hæc eadem *Laudatio Symeonis Metaphraſta* a Pſello iſto conſcripta, MS. inter Codices Baroccianos Græcos Bodlejanæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, Codice 131. pag. 76. *Τὸν μέγαν ἐν βίῳ καὶ λόγῳ* &c. Neque igitur Leonis Allatii conſilium amplexi ſumus, qui in *Diatriba* præfata pag. 71. inquit, *Quare nec eſt alius Pſellus junior quarendus, qui laudationem illam ſcripſerit:* quem nobis exhibuit Allatio invito Carolus du Freſne, in *Gloſſario media & infima Gracitatis*, verbo *Μαΐςωρ τῶν Ῥητόρων* col: 1295. Joannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca Graca* libro 2. cap. 10. pag. 432. editionis 1705. Hamburgi in 4.

1190 DEMETRIVS TORNICIVS natione Græcus, hoc circiter tempore, circa annum 1193. juxta Allatium & Cavum floruiſſe videtur, incompertum autem quis, cujaſque fuerit. Scripſit tanquam ex perſona Iſaaci Comneni Imperatoris, ad quendam Epiſcopum *De proceſſione Spiritus Sancti contra Latinorum doctrinam*, opus cujus initium, *Τὸ μέγα τῦ Πρωτοθεςιαρίυ ςαλὲν αὐτῦ ἀντίγραμμα, πρὸς τὴν δι' αὐτῦ ἀποκομισθεῖσαν*, quod habetur in Regiæ Galliarum Bibliothecæ MSS. Codicibus Græcis, Codice 604. juxta Labbeum. Meminit *Demetrii Tornicii* Leo Allatius *De conſenſu Eccleſia Occidentalis & Orientalis* lib. 2. cap. 13. §. 5. col. 705. Philiippus Labbeus parte 2. pag. 83. *Nova Bibliotheca MSS. Librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, editionis 1653. Pariſiis in 4. Guillelmus Cavus ad annum 1193. pag. 691.

1190 OTHO DE SANCTO BLASIO dictus, Abbas Eccleſiæ hujus nominis, Ordinis divi Benedicti in Hercinia Sylva, natione Germanus, vixit Henrico VI. Philippo & Ottone IV. Imperatoribus, atque floruit in hac Abbatia Ordinis Benedictini, quæ in Epiſcopatu Conſtantienſi eſt juxta Albam Herciniæ Sylvæ fluvium, primamque ſuam originem Othoni Magno Imperatori debet. Scripſit Appendicem Chronico Ottonis Friſingenſis ſubjectam, quam ab anno 1146. incipit & usque ad annum 1210. perducit, qui annus erat Ottonis IV. tertius, ſive a coronatione ejus ſecundus. Joſias Simlerus in Appendice Bibliothecæ Geſnerianæ, ait Blaſium hunc perduxiſſe ſuam hiſtoriam usque ad tempora Rodulphi Habſpurgenſis, qui anno tantum 1273. imperare cœpit. Sed fallitur plane Simlerus, cum integer is ſit liber Othonis de Sancto Blaſio, quem inter alios Rerum Germanicarum auctores, edidit Chriſtianus Vrſtiſius Baſileenſis, Francofurti in folio anno 1585. Wechelianis typis. Hujus ſcriptoris mentionem facit Nauclerus Libro 2. Generatione XXXIX. ubi agit de Hugone Comite Palatino Tubingenſi, a Guelfone Bavaro in vincula conjecto, & de victoria quam Archiepiſcopus Moguntinus ab Romanis retulerat. Hæc verbo tenus Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. De Hiſtoricis Latinis cap. 55. quem exſcripſimus. De illo Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus ſacri* pag. 204. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præfixit *Gloſſario media & infima Latinitatis* columna 135.

ACERBVS MORENA, Laudenſis, filius 1190
Ottonis Morenæ qui Ottoni Friſingenſi Epiſcopo æqualis fuit, uterque illorum *Res geſtas Imperatoris Friderici Barbaroſſa* in ſcriptis mandavit, atque ita deſcripſit, ut multa habeat aliis præterita, & interim ſatis oſtendat ſe faviſſe magis Imperatoris quam Papæ partibus. Florebat Otto Morena Friderici I. temporibus, Acerbus Morena aliquanto poſt, dum imperaret Henricus VI. circa annum 1190. atque ulterius. De utroque ita Baronius Tomo 12. Annalium Eccleſiaſticorum ad annum 1154. *Extat & Laudenſe ſcriptum antiquum Chronicon, hoc anno inchoatum ab auctore temporis hujus, Ottone Morena, qui præſens aderat; & abſolutum ab ejus filio Acerbo Morena, de rebus geſtis a Friderico Imperatore in Italia, usque ad annum Redemptoris 1168. Sed quod Schiſmaticæ eſſet factionis homo, & addictiſſimus Schiſmatico Imperatori, ſæpe altero pede claudicare cognoſcitur.* Hæc Baronius. *Chronicon* autem *Ottonis Morena cum exceptione Acerbi Morena*, editum eſt in fol. Venetiis anno 1636. cum *Albertino Muſſalo Patavino de geſtis Henrici VII. Imperatoris, Rolandino Patavino*, & aliis, cura & ſtudio eruditi viri Felicis Oſii, Eloquentiæ profeſſoris in florentiſſima Academia Patavina. Hæc pleraque Gerardus Joannes Voſſius Lib. 3. *De Hiſtoricis Latinis* parte 2. cap. 7. Cujus utriusque *Morena Ottonis & Acerbi*, meminit quoque Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum*, quem præmiſit *Gloſſario media & infima Latinitatis*, columnis 79. & 135.

PE.

1190 PETRVS BEATÆ MARIÆ PARISIENSIS CANONICVS ET CANTOR, Theologicæ ſcholæ per annos plures rector, magnam ſibi doctrinæ famam per hæc tempora in Galliis comparavit, cui *Cantoris* cognomen vulgo ad hæſit in MSS. Codicibus, ex ea dignitate quam primaria hac in Eccleſia habuit. Illius porro verum cognumens neſcimus, ſed tantum fuiſſe natione Gallum, patria Pariſienſem, cujus meminit Ægidius Pariſienſis in ſuo *Carolino* his verbis,

& quem intepuiſſe dolemus,
Petrum in divinis, verbotenus alta ſequentem.

Fallitur enim Gabriel Naudæus in additione ad Hiſtoriam Ludovici XI. dicens, hic intelligendum eſſe Petrum Abaëlardum. Ægidius quippe commemorat ſolummodo profeſſores Pariſinos, ad amovendum opprobrium, quod vulgo jactitabant alii, raros eſſe profeſſores ex Parienſi Vrbe ordiundos, alicujus nominis. Abaëlardus autem Narmetenſis erat, & natione Aremoricus. Noſtrum autem Petrum Cantorem neutiquam hic ſubſtituiſſet Ægidius mendacii facile convincendus, niſi vere ortu Pariſienſis fuiſſet. Inquit autem illic *Petrum in divinis intepuiſſe* Ægidius, forſitan quod Theologiæ altercatrici totum ſe donans, minus, vel nullatenus, prædicationi divini verbi incumberet. Joannes autem Trithemius in opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, hunc ait fuiſſe virum in divinis Scripturis eruditiſſimum, & in ſeculari Philoſophia nobiliter doctum, Theologicæ que ſcholæ Pariſienſi multis annis glorioſe præfuiſſe, & diſcipulos multos egregie erudiviſſe. Cum ita in Galliis floreret, anno 1191. Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus electus eſt, cujus electione in controverſiam vocata, Stephanus Sanctæ Genovefæ Pariſienſis Abbas, Guillelmum Rhemenſem Archiepiſcopum, tunc ſupremum Regni adminiſtrum per literas oravit, ut electo faveret. Verba deſcribam illius, quibus eximia Petri Cantoris merita commendantur, ſic itaque Epiſtola 173. *Domino Remenſi pro Petro Cantore Pariſienſi in Tornacenſem Epiſcopum electo.* „Commune refugium patens omnibus manſuetudo veſtra, ſic extendatur ad ſingulos, ut colligat univerſos. Veniunt ab Oriente & Occidente, & recumbunt in ſinum veſtrum. Nec facile ſemel admiſſus emittitur, niſi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hæc ſunt quæ mihi, pluribusque aliis fiduciam præſtant, ut pro devoto filio veſtro Magiſtro Petro Canture Pariſienſi pandatur nobis arditus ſupplicandi. Ne vobis procuret indignationem, qui ſibi non advocat dignitatem: ne cui meritum ſufficit proprium, factum officiat alienum. Vir eſt, cujus per omnes Eccleſias famæ ſuavis diffunditur opinio, qui gemina ſcientia efficaciſſime clarens, & doctrinam monitis ornat, & moribus diſciplinam. Origeni parem in aliquo, ſic eum docere credimus, ut vivere: ſic vivere, ut docere. Tales in Candelabro veſtro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in Sancta Remenſi Eccleſia ſuffraganeos eſſe decet ut vicinæ provinciæ ſanctæ æmulatione moveantur ad promotionem conſimilium: & ſollicitudo vobis commiſſa, facilius & frequentius juvetur per religionem & prudentiam ipſorum. Si quid minus ordinate in electione ipſius a Tornaceoſibus Clericis factum eſt, nec abſentis ignorantiam tangere, nec innocentiam juſti lædere debet, cum facillime ſi vubis placet, poſſit emendari, ſi quid perperam factum eſt, commiſſa vobis a Deo & poteſtate corrigendi errores, & ſcientia corrigendi. Vt enim ſalva gratia veſtra ſine præjudicio ſequar, concurrunt in electione illa quatuor quæ a Leone primo dicta ſunt, *Vota Civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum.* His accedit integritas perſonæ, hilaritas famæ, neceſſitas ſimul & utilitas Eccleſiæ viduatæ. Sed & hoc frequenter & ſolemniter dicitur, quia Dominus Rex quem Deus ſervet ac nobis reſtituat, perſooam iſtam nominatim expreſſit, nominatim pro ea rogavit, nominatim Eccleſiæ Tornacenſi præeſſe voluit & intendit. Si aliter actum fuerit, verendum eſt & forte verum, ne indignationem & iram, & immiſſiones per Angelos malus concipiat, & adverſus eos qui promotionem tantæ perſonæ impedierint, Regalem & juvenilem iracundiam accendat. In his omnibus Pater Sancte, providete honori veſtro, conſulite ſano Opinionis veſtræ teſtimonio, deſerte Regio mandato, ut correcto prius ſic ut decuit errore eligentium, confirmata electione, paterno ſinu ſuſcipite electum & dilectum veſtrum." Omnium Scriptorum qui Petri Cantoris meminerunt, elogia tranſcendit Jacobus de Vitriace in *Hiſtoria Occidentali*, qui cum apprime noſcere potuit, & eo adhuc vivente & docente, Pariſiis ſtudebat. Tali Petrum Cantorem ornat elogio. *Velut*, inquit, *lilium inter ſpinas, & roſa inter urticas, quaſi Angelus Pergami ubi ſedes eſt Sathana, quaſi thus redolens in diebus æſtatis, quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo, quaſi oliva pullulans & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, quaſi cæleſtis tuba & Domini citbariſta, erat tunc temporis Magiſter Petrus, venerabilis Cantor Pariſienſis, vir potens opere & ſermone, aurum ſuum & argentum ſimiliter conflans, & verbis ſuis ſtateram faciens, morum honeſtate pondus & gravitatem conferens ſua doctrina. Cœpit enim facere & docere, velut lucerna ardens & lucens, & civitas ſupra montem poſita, & Candelabrum aureum in domo Domini: de cujus fonte limpidiſſimo beatiſſimus vir Fulco perpotabat.* Plura poſſent colligi in laudem Petri Cantoris ex variis ætatis ejuſdem Scriptoribus, quæ compendii cauſa omittuntur, ut ad ſcripta tam edita, quam MSS. veniamus.

Scri-

Scripsit itaque *Summam* quæ dicitur *Verbum Abbreviatum*, eo quod ab his verbis incipiat, *Verbum Abbreviatum faciet Dominus super terram &c.* Rom. 9. verſ. 28. ſolam ex omnibus Petri Cantoris operibus impreſſam Montibus Hannoniæ, anno 1639. in 4. apud Franciſcum Vandreum, cum notis Georgii Galopini, Monachi Sancti Gisleni, Ordinis divi Benedicti, Quæ extat etiam MS. in Bibliotheca Sanctæ Genoveſæ Pariſienſis, & Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 223. & in Cœnobio Longipontis Ordinis Ciſtercienſis, in Diœceſi Sueſſionenſi. Summa dicta *Verbum Abbreviatum*, Bunderio teſte in Catalogo MSS. Belgicorum, vocatur in multis MSS. Codicibus, *Summa de ſugillatione vitiorum & commendatione virtutum.* Huc autem in genere animadvertendum eſt, nihil eſſe frequentius in Bibliothecis, quam ut unum idemque opus *Petri Cantoris* variis ac parum conformibus gaudeat titulis, unde incauti facillimè opinentur, tot hujus Scriptoris eſſe diverſa Opera, quot diverſos titulos in Manuſcriptis invenerint. Porro ut certa operum diſtinctio agnoſcatur, ex initiis ſeu primis Operum periodis judicandum eſt, neutiquam ex variis inſcriptionibus, ut ſtatim dicemus. Iſtud autem *Verbum Abbreviatum* eſt maximè obvium in MSS. Bibliothecis, ac ſcio me illud vidiſſe ter in Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Pariſienſes, Litteris MM. 13; PP. 6. QQ. 17. Sed in Bibliotheca Colbertina, Codicibus 1345. 1414. 2069. 3609 4448. in Regia Cod. 3827. & alibi.

Idem ſcripſit *Summam* quæ dicitur *Abel*, eo quod procedens per ordinem alphabeticum, à nomine *Abel* incipiat, quam vidi MS. in Cœnobio Longipuntis citato, & in Bibliotheca Branenſi Ordinis Præmonſtratenſis, quod utrumque in Epiſcopatu Sueſſionenſi eſt & MS. Cantabrigiæ in Collegio Domus Sancti Petri, Cod. 97. Hoc idem Opus ſæpe in MSS. Codicibus Bibliothecarum inſcribitur ſimpliciter, *Diſtinctiones Cantoris Pariſienſis. Abel dicitur principium Eccleſiæ &c.* Vel etiam, *Diſtinctiones ſecundum ordinem Alphabeti, M. Petri Cantoris Pariſienſis.* Habetur Manuſcriptum ita inſcriptum in multis Angliæ Bibliothecis, & in Belgio Bibliothecis Dunenſi & Alnenſi, quæ ambæ Ordinis Ciſtercienſis ſunt. Inſcribitur tamen frequenter, *Summa quæ dicitur Abel*, ut diſtinguatur ab aliis ſummis alio modo incipientibus, quas idem Petrus Cantor compoſuit. Eædem hæ diſtinctiones Cantoris Pariſienſis, MSS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti, Cod. 219. & Cod. 371. & in Collegio Domus Sancti Petri, Codd. 72. & 78. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonenſis, Cod. 164. In Bibliotheca Conchenſi, Ordinis divi Benedicti, in Normannia, Littera T. 2.

Idem ſcripſit *Magnam Summam de Sacramentis*, quæ incipit, *Quæritur de Legalibus quæ data ſunt in ſignum perfectorum, & jugum ſuperborum, & pedagogum infirmorum &c.* partim deſumptam ex ſanctis Patribus, quam vidi MS. in Cœnobiis Longipontis Diœceſis Sueſſionenſis, Vallis claræ Laudunenſis, & Claræ vallis Lingonenſis, omnibus ejusdem Ordinis Ciſtercienſis. Iſtud Opus *De Sacramentis*, aliquando inſcribitur *Summa de Sacramentis & animæ conſiliis*: imò nonnunquam mendoſè ſub nomine *Petri Remenſis*, ut in MS. Victorino Littera GG. 13. fol. 149. *Summa Magiſtri Petri Remenſis, de Sacramentis & animæ Conſiliis.* Initium, *Quæritur de Sacramentis legalibus, quæ data ſunt in ſignum perfectorum, & jugum ſuperborum, & pedagogum infirmorum &c.* Et hoc ipſum Opus cui ex MS. Codice, lucem promittebat Philippus Labbeus. In Bibliotheca Dunenſi inſcribitur *Liber Sententiarum. Quæritur de Sacramentis Legalibus &c.* At certum illam Summam pertinere ad Petrum Cantorem Pariſienſem, non Remenſem: cum Petrus Cantor Remenſis cognomento de Riga, ultra artem Poëticam in ſcribendo proceſſerit. Carolus Viſchius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis* pag. 263. attribuit dicto Petro Cantori Pariſienſi *De Sacramentis libros tres*, MSS. (inquit) apud Villarium & Alnam, ambas Abbatias celeberrimas Ordinis Ciſtercienſis in Belgio, quorum initium, *Circuibat populus &c.* de quibus dicendum ego nihil habeo, cum non viderim. Vix tamen mihi perſuadere poſſum, ſemel atque iterum Petrum Cantorem de eodem argumento ſcripſiſſe. Habentur in celeberrima Bibliotheca Pariſienſi Colbertina Codices duo Manuſcripti, numeris 2208. & 1419. ſub titulo *Conſiliarium Magiſtri Petri Cantoris*, vel *Summa de Sacramentis & animæ Conſiliis*: ſed ex ipſa Operis quantacunque lectione, ubi author in nonnullis capitibus citat & confutat Petrum ipſum Cantorem, conſtat illam ad Petrum Cantorem non ſpectare, comperique poſtea Summam illam certiſſimè pertinere ad *Robertum de Chorſione* doctiſſimum Theologum, ipſo Petro de quo loquimur aliquanto poſteriorem, de quo Roberto dicemus poſteà ad annum 1200. Hoc idem opus falſò ſub nomine *Petri Cantoris*, habetur MS. in Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis Littera D. 6. *Cum Pœnitentialibus Bartholomæi Oxonienſis & Roberti de Flamesburia.* Denique in Bibliotheca Vallis Lucenſis ejusdem Ordinis, pulpito 16. Littera Z. Vix igitur opus aliquod Petri Cantoris Manuſcriptum in Bibliothecis, quod non habeat plures titulos & inſcriptiones.

Idem *De contrarietatibus Theologiæ* Opuſculum, quod incipit, *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate &c.* MS. in Bibliotheca Navarrica Pariſienſi Codice in 4. & Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti Cod. 371. ſed anonymum & ipſcriptum, *Tractatus de contrarietate Scripturæ.* Idem in MS. Codice Villaris Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia inſcriptum, *De contrarietatibus Theologicis*: eo quod ſub operis initium de apparentibus Sacræ Scripturæ contrarietatibus loquatur, unde ſcribæ toti Operi nomen indiderunt,

runt,pro more scribarum veterum, nomina libris ex argumento primis capitibus contento, imponentium. Idem in multis aliis Bibliothecis inscriptum, *Grammatica Theologorum: Videmus nunc per speculum & in anigmate &c.* ut in Bibliothecis Afflighemii & Ninovæ Abbatiarum in Flandria. De hoc Opere ita loquitur Henricus Gandavensis in libro suo *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 15. *Scripsit & alium librum quem vocavit* Grammaticam Theologorum, *ad Sacra Scriptura intellectum, in multis locis satis utilem.* Idem Opus inscriptum *Magistri Petri Cantoris Remensis, De tropis loquendi* MS. in celebri Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Parisienses Littera GG. 13. fol. 270. *Videmus per speculum & in anigmate &c.* post Summam ipsius Cantoris *De Sacramentis & anima Consiliis*, ibidem fol, 149. de qua supra egimus. Idem Opus in eadam Bibliotheca Littera B. 6. fol. 162. inscriptum, *Tractatus M. Petri Cantoris De tropis loquendi*, litteris rubris, cujus initium *Videmus nunc per speculum & in anigmate &c.* In eodem autem Codice, ejusdem *Opusculum De Monacho proprietario* fol. 189. quod incipit, *Judas quia fur erat & loculos habens, ea qua in communibus loculis ponebantur, asportabat &c.* Denique idem Opus etiam *De contrarietatum solutionibus* inscribitur, aliquando *De tropis Theologicis*, aliquando *Tropi & phrases Sacra Scriptura:* ut quot Manuscripti Codices, tot fere tituli & variæ inscriptiones legantur in Bibliothecis. De titulo isto nos etiam anteà, verbo *Petrus de Riga* locuti sumus.

Vidimus etiam Parisiis in manibus Jacobi Hommey Augustiniani Eremitæ, *Allegorias Petri Cantoris in Scripturas, seu Sacros Libros Veteris & Novi Testamenti*, mutuatas ab ipso ex Bibliotheca Parisiensi Navarrica, quarum hoc est initium, *In principio creavit Deus cælum & terram &c.* quæ etiam MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Aulæ Pemprochianæ Cod. 76. cum Sermonibus Petri Comestoris, cui perperam attributæ sunt. Sæpius enim Opera Petri Cantoris & Petri Comestoris in MSS. Codd. confusa sunt, ratione solius primæ litteræ f. initialis scriptæ: quæ cum in MSS. legatur melioris notæ, alii recentiores pro libitu vel conjectura addiderunt, nunc Petri Cantoris, nunc Petri Comestoris inscriptionem. Extant *Petri Cantoris Commentarii in Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros & Deuteronomium* MSS. in Bibliotheca Aureæ Vallis Ordinis ejusdem Cisterciensis, Codicibus 9. & 10. quos tenuimus. Ejusdem *Commentarii in libros Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, Ruth*, Oxonii MSS. in Bibliotheca Balliolana, Cod. 22. Item *in Psalmos* ibidem Cod. 30. *Petri Cantoris Commentarius in Psalterium*, MS. in Bibliotheca Sancti Michaelis in periculo maris, Littera E. 28. Incipit, *Flebat Joannes quia nemo erat qui aperiret librum &c.* & in Psalmum primum incipit, *Esdras reportator Bibliotheca in Babylonica captivitate &c.* Vidi ego idem Opus MS. in clarissima Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis Canonicorum Regularium Littera D. 2. inscriptum *Notula Petri Remensis super Psalterium*, quomodo pleraque *Petri Cantoris Parisiensis* sub nomine *Petri Remensis* ut suprà jam diximus, in Bibliothecis reperiuntur. Ejusdem *Glossa in Evangelia*, MS. Oxonii in Bibliotheca Collegii Mertonensis, Cod. 144. itemque in Bibliotheca Cluniacensi, *Petrus Cantor in quatuor Evangelia*, littera G. 2. Ejusdem *Glossa in Novum Testamentum*, MS. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana, Cod. 179. sed paullò latius hujus scriptoris speciales in Scripturam S. labores explicemus.

Sixtus Senensis Ordinis Fratrum Prædicatorum *in Bibliotheca sancta* testatur se vidisse sequentia in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Lugdunensium, *In Psalterium librum unum*, cujus initium, *Flebat Joannes, & non erat qui librum aperiret &c.*

In Proverbia lib. I. cujus initium, *Parabola Salomonis secundum Hebraicam veritatem &c.*

In Ecclesiasten lib. I. Beatus vir cujus auxilium abs te &c.

In Sapientiam lib. I. Summi Regis palatium &c.

In Ezechielem lib. II. Et factum est in tertio anno &c.

In Actus Apostolorum lib. I. liquefacta est terra &c.

In Epistolas Canonicas lib. I. Os meum loquetur sapientiam &c.

In Apocalypsim lib. I. Hac sola inter libros Novi Testamenti, vocatur prophetia &c.

Joannes Bunderius in Indice Librorum Manuscriptorum Belgii, recensens Opera hujus Petri, quem vocat *Petrum Remensem, Cantorem Parisiensem*, quomodo etiam in Chronico Longipontano vocatur: quæcunque in diversis Cœnobiis reperit, alia plura hoc tenore profert, præter ea quæ jam suprà recensuimus ac distinximus.

Annotationes & brevia Commentaria in totum vetus & Novum Testamentum, apud Dominicanos Valencenenses.

Commentaria in Genesim quæ taliter incipiunt, *Principium verborum primum aternitatis operum &c.*

Super Exodum, Fecit Moyses primum operimentum &c.

Super Leviticum Ezechiel parietem perfodit &c.

Super Psalterium. Flebat Joannes, & non erat qui librum aperiret &c. apud Clarum mariscum, Baudelum, & in S. Martino Lovanii.

Super Epistolas Pauli. Ab increpatione tua fugient &c. In Claro marisco, apud Sanctum Martinum Lovanii, apud Minores Brugis & Valencenis. Hæc Joannes Bunderius loco citato.

Infulas Episcopales declinasse virum probum, & Monachum induisse in Monasterio Longipontis Ordinis Cisterciensis, ubi sanctitatem vitæ sancto fine complevit, Necrologium Ecclesiæ Tornacensis testatur. Obiit X. Calendas Octobris anno 1197. ut ejusdem Abbatiæ in qua obiit, Necrologium commemorat. Hæc nos po-

potissimum ex collectionibus nostris atque annotationibus, ut inde constet, quantus fuerit Petrus Cantor Parisiensis, Theologus nobilissimus, cujus laudes variis locis exprimit, Cæsar Egassius Ballæus Seculo IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* ad annum 1190. pag. 486. & 487. ubi electionem ejus ad Episcopatum Tornacensem describit. Et ad annum 1197. pag. 515. ubi de morte ejus disserit, & in Catalogo illustrium hujus Scholæ Academicorum, fol. 763. Fratres Sammarthani *in Gallia Christiana* tomo 3. ubi de Episcopis Tornacensibus. Carolus Vischius Prior B. Mariæ de Dunis in Flandria, *in Bibliotheca Scriptorum Sacri Ordinis Cisterciensis*, p. 262. Antonius Mardach Subprior Longipontis, *in Chronico Abbatiæ Longipontis*, multis locis.

1190 GVALTERVS INSVLANVS, DE CASTELLIONE DICTVS, floruit ab anno circiter 1160. usque ad an. 1200. vel ultra etiam. Cujus meminit Joannes Sarisberiensis Epistola 134. ad Joannem Gaufridum de Sancto Edmundo, innuens à se togatum Gualterum, ut Regem Anglorum pro S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo & Martyre adiret. *Sollicita veram antea super hoc virum optimum & suis meritis mihi reverendum M. Gualterum de Insula, & per ipsum alios patres, quorum fides mihi videbatur esse sincerior.* Et in fine, *Audio M. Gualterum juramento arctari, ut neque litteras neque nuntios recipiat exulantium.* Et Epistola 159. *Verùm M. Gualterum de Insula misit in Angliam cum litteris à Colloquio Chinonensi, ut Insulanos super facta appellatione præmuniret, & portas transitus faceret diligentiùs observari, & Clerum ab obediendo suspenderet: cùm tamen facta sit appellatio, & Archiepiscopus possit facilè inveniri. Nec dubito quin prædicto Gualthero machinatio ista displiceat, cum omnibus quæ proferuntur adversus Ecclesiam Dei, quoniam Dominum timet.* Ad eundem scribit Epistola 189. Ex his igitur patet Gualterum floruisse aliquanto post medium seculi XII. ab anno circiter 1160. usque ad 1200. Nec fuisse Magalonensem Episcopum ut aliqui scribunt, cum hisce temporibus Joannes de Montelauro Ecclesiæ Magalonensi præesset. Hujus facit mentionem Henricus Gandavensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 20. pag. 165. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Auberti Miræi, his verbis. *Gualterus dictus de Castellione. Insulis oriundus, unde est ejus illud Monostichon*

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen.

Scripsit Gesta Alexandri Magni eleganti metro, qui liber in scholis Grammaticorum tantæ dignitatis est hodie, ut præ ipso veterum Poëtarum lectio negligatur. Extant autem *Libri decem Alexandreidos* sive *De gestis Alexandri Magni* à Gualtero Castellionensi carmine heroico non infelici, ad Guillelmum Remensem Archiepiscopum anno circiter 1180. scripti, qui anno 1531. Argentorati, & Ingolstadii ac Lugduni anno 1558. typis editi sunt. Habentur MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 5644. 5645. Prologus incipit, *Moris est usitati &c.* Liber primus, *Primus Aristoteles imbutus nectare sacro &c.* Itemque in Bibliotheca Sancti Germani Parisiensis, Codd. optimæ notæ 536. & 537. sæpiusque in Colbertina & Victorina. Item inter MSS. Codd. Vniv. Cantabrigiensis num. 344. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis, in parte Australi Bibliothecæ serie prima, Codice 3. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ num. 1269. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera H. Codice 6. Et ibidem num. 1515. in MSS. Codicibus ejusdem, litera K. Codice 89. Denique inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis num. 1346. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 69. n. 6. Ejusdem creditur num. 5. *Artificium bene loquendi versu*, cujus initium, *Ecce Papa leges*, quod rectius ab aliis Galfrido de Vino salvo tribuitur, Anglo Poetæ. Hujus Gualteri Poetæ meminit Guillelmus Brito, initio suæ *Philippidos* libris duodecim conscriptæ.

Gesta Ducis Macedum celebri describere versu,
Si licuit Gualtere tibi, quæ sola relatu
Multivago docuit te vociferatio famæ.
Si sua gentili mendacia cuique Poëtæ
Grandisonante fuit licitum pompare boatu:
Si tibi Petre Riga, vitium non esse putasti,
Vbere de legis occultos sugere sensus,
Quos facis ut levibus verbis elegia cantet
Fortia facta virum numero breviore coarctant,
Quæ potius pede Mævio refereoda fuerunt.
Cur ego quæ novi, proprio quæ lumine vidi,
Non ausim magni Magnalia scribere Regis?

Et in fine libri septimi indicat quantum se *Gualtero* in arte Poëtica inferiorem agnosceret.

Vt qui Gvaltero te nosti voce minorem,
Saltem librorum numerus te comparet illi.

Non defuerunt tamen è Veteribus qui *Gualterum* sugillarent, ei forsitan invidentes gloriam, quam famæ tubâ sparsam videbant. Nam Alanus de Insulis popularis ejus & compatriota eum vocat *Mævium* id est malum Poëtam, instar illius Mævii Virgiliani

Priami fortunas intonat illic
Mævius, in cœlis audens os ponere mutum:
Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbrâ
Fingere dum tentat, in primo limine fessus
Hæret, & ignavam queritur torpescere musam.

Ejus-

Ejusdem Opuscula varia in Regia Galliæ Bibliotheca, Cod. 5333. nempe Gualteri de Insula Opusculum Rithmicum, De statibus mundi, *Missus sum in vineam &c.* fol. 36. ejusdem similia Opuscula super statibus Ecclesiasticarum personarum *Multiformis hominum fraus &c.* fol. 36. Contra Ecclesiasticos Prælatos, *fallax est &c.* fol. 37. Contra Ecclesiasticos juxta visionem Apocalypsis, *A Tauro torrida &c.* fol. 37. Quod Papa sit summus, & Imperator sub ipso, *Totus hujus temporis ordo &c.* fol. 40. Contra statum Ecclesiæ depravatum, *Heliconis rivulo &c.* fol. 41. De adventu Antichristi, *Dum contemptor &c.* fol. 41. Domino Papæ, *Tanto viro locuturi &c.* fol. 42. Scholaribus bonis in reditu suo à Curiâ Romanâ, *Membra cohæreant &c.* f. 43. Rithmica paraphrasis in Psalmum, Miserere mei Deus &c. *Dum Gualterus ægrotaret &c.* fol. 44. Horum tamen Opusculorum, (modica enim sunt,) magnam partem attribuit, Gualthero Mapo Anglo, Henrici II. Regis Sacellano, tandemque Archidiacono Oxoniensi, Guillelmus Cavus ipse Anglus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 1210. pag. 706. quæ refert ita à Joanne Wolfio tomo 1. *Memorabilium Lectionum* Centuria XII. pag. 430. & sequentibus: qua de re videant, qui MSS. Codices volvere possunt, ac disquirere ad quem istorum spectent amborum Gualterorum, qui eadem ætate florebant, hic in Belgica Flandria, ille in Anglia. Scripsit etiam *Libellos tres contra Judæos*, quos vidi MSS. in Bibliotheca Branensi Ordinis Præmonstratensis in Episcopatu Suessionensi, cum aliis Tractatibus contra Judæos in unum volumen compactis. Sunt autem per sermam Dialogi inter *Gualterum* qui se Castellionensem appellat, & *Balduinum* Valentianensem hujus Abbatiæ Branensis Canonicum, Gualtero ob eandem patriam carissimum. Illud Opusculum procurante me, editum in 8. anno 1692. Lugduni Batavorum, cum aliis seculi XII. Opusculis, apud Petrum vander Meerche. Valerius Andreas in sua *Bibliotheca MS. Belgica* duos Gualteros de Insula cognominatos confudit, quos malè inquit claruisse circa annos 1255. Alter enim amborum anno 1108. factus Magalonensis Episcopus, anno 1128. mortuus est in peregrinatione suscepta ad terram sanctam, ut rectè tradunt Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* fol. 567. in Episcopis Magalonensibus. Alter autem floruit ab anno 1160. ad 1200. ut suprà diximus. Agunt de hoc *Gualtero Insulano* Joannes Trithemius in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri*, pag. mihi 692. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis*, part. 2. *De Historicis incertæ ætatis*, Littera P. quem *Philippum Gualtherum Castellioneum* vocat, rectèque circa annum 1200. floruisse statuit. Seculum IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, pag. 740. in Catalogo illustrium hujus seculi Academicorum, unde multa habuimus. Aubertus Miræus in Scholiis suis ad Libellum Henrici Gandavensis *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi de duobus Gualteris Insulensibus loquitur. Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* p. 773. ubi eum *Philippum Gualtherum de Castellione* vocat, editionis 1643. ultimæ in 4. Lovanii.

RADULFUS DE DICETO, SANCTI PAULI LONDINENSIS DECANUS, qui etiam *Dicetensis* appellatur, vir erat sui temporis tum ob doctrinam, tum ob pietatem singularem percelebris, de quo ita Bostonus Buriensis MS. *Radulfus de Diceto, Decanus Ecclesiæ Sancti Pauli Londoniensis, floruit anno Christi 1197. & scripsit librum Chronicorum qui dicitur, Imagines Historiarum, & finit anno Christi 1195.* Inter primos Angliæ Historicos habitus est sub Edouardo Rege primo, quando simul cum Mariano Scoto, Guillelmo Malmesburiensi, Rogerio Hovedeno, Henrico Huntingtoniensi, ad Regum Angliæ jus in Scotiæ regnum asserendum, inter alia tam explorati juris hujus testimonia, adhibitæ sunt pariter illius Historiæ. Qua de re Thomas Walsinghamus ad annum 1292. In cujus editis tum Londini, tum Francofurti, perperam vocatur *Radulphus de Luzeto*; uti & apud Possevinum in Apparatu sacro, *Radulphus è Rizeto*. In Manuscriptis aliquot Polychronici Ranulphi Castrensis Lib. 7. cap. 39. *Radulphus de Bizeto*. Opera autem Radulfi impressa in Collectaneo Historicorum Angliæ, edito Londini in f. a. 1652. curâ & studio Joannis Seldeni, sunt *Abbreviationes Chronicorum* pag. 429. *Imagines Historiarum* pag. 525. *Series causæ inter Henricum Regem & Thomam Cantuariensem Archiepiscopum*, pag. 711. Claruisse dicitur sub Rege etiam Joanne, & vixisse usque ad annum 1210. Nullus qui majori cura unquam disseruerit de Operibus & MSS. Codicibus Radulphi de Diceto, quam Henricus Warthon in Præfatione ad Tomum 2. *Angliæ Sacræ* num. 23. fol. XXVII. quem hic exscribere haud pudebit. „Radulphus de Diceto, Decanus Londinensis, ex *Imaginibus Historiarum*" pag. 647. interfuit coronationi Richardi Regis" anno 1189. atque anno 1200. superfuit. Plura de eo ejusque Scriptis Johannes Sheldenus" docet in Præfatione ad X. Scriptores. Hunc" *De Archiepiscopis Cantuariensibus* usque ad Hubertum Historiam cujus initium *Res gesta*, scri-" psisse Pitseus cap. 300. asserit. Eandemque" Historiam in Collegio Corporis Christi Cantabrigiæ asservatam, hanc veteri manu adscri-" ptam præferre notam, Jamesius in Ecloga Oxonio Cantabrigiæ monuit: *Liber de Dorobernensibus Archiepiscopis directus à Radulpho de Diceto" Londoniensis Ecclesiæ Decano.* Codicem istum" Cantabrigiensem me nunquam vidisse memi-" ni, ut incertum mihi sit, utrum cum Historia" à me hic edita pag. 677. concordet. Hujus" copiam fecit Bibliothecæ Norfolcianæ Codex" num. 220. plures Historias Radulpho ascriptas" & ab editis diversas complexus. Primum in" his

his tenet locum Chronicon de Regibus Britonum à Bruto ad Cadwalladrum. Id nota apposita Bedæ perperam adscribit, manus recentior Gualfrido Monumethensi, manus adhuc recentior Radulpho de Diceto, cui postremæ suffragatur alia manus antiqua. Chronicon est Epitome quædam Galfridi, verbis ejus plerumque asservatis. Post alia quædam interjecta, succedit Chronicon de Regibus Heptarchis & Monarchis Saxonum ab Hengisto ad Alvredum. Ejusmodi Opus à Radulpho Dicetensi sctiptum esse, cui initium erat, *Tempore Vortegorni*, Baleus Centuria 3. cap. 62. testatur. Atque ea quidem verba Chronicon dictum inchoant. Porrò eundem esse hujus & ptæcedentis Historiarum authorem constat ex locis illius pluribus, ad quæ Lector in hac remittitur. Tertio loco sequitur Historia de Monarchis Angliæ ab Alvredo ad Haraldum quam nota manu recenti addita Johanui Pike adscripsit. Amplum hujus libri fragmentum de Alfredo Rege, Camdenus *Briton* pag. 367. proferens, id *Johanni Pico Scriptori antiquo* acceptum refert. Johannem Pike de Regibus Anglo-Saxonum Henrico primo regnante commentatum fuisse Baleus Cent. 2. cap. 61. prodit, in hoc manifestè lapsus. Extat enim in eodem Codice Norfolciano & in Bibliotheca Cottoniana *Suppletio Historiæ Regum Angliæ, quantum ad Reges Saxonum, Danorum & Normannorum, extracta per Johannem Pike de Compendio brevi.* In hac statim post initium, Radulphi de Diceto Decani Londinensis Historia laudatur. Historiam de Monarchis Angliæ excipit alia, cui titulus manu antiquâ datus est, *De Regibus Normannorum Chronicon Radulphi de Diceto Decani Londinensis à coronatione Willelmi Bastardi, ad coronationem Johannis Regis.* Multa habet communia cum Radulphi *Abbreviationibus Chronicorum* & *Imaginibus Historiarum*, quæ inter X. Scriptores extant. In hac Radulphus de Hibernia obiter agit, descriptionem ejus his verbis exorsus, *Hibernia verò post Britanniam.* Arreptâ hinc ansâ Baleus illi librum *De Originibus Hibernorum*, iisdem verbis inchoatum ascripsit. Ad finem Cronicæ, sic antiqua manus adnotavit, *Cronica Radulphi de Diceto Decani Londinensis usque huc.* Vltimo loco collocatur *Historia de Archiepiscopatibus & Episcopatibus Angliæ*, ab Augustini adventu ad a. 1199. In nonnullis quidem Episcopatibus Historia ulterius producitur, verum id alienâ manu accessisse facilè constat. Historiæ fronti nupera manus in margine ista præmisit, *Radulphus de Diceto, constat hoc ex superioribus unde huc nonnulla adducit.* Sanè in Historia proximè superiori, Radulphus nomina omnium Episcoporum Regis Johannis consecrationi assistentium dederat, & in iis Historiam suam clausit: in hac etiam Episcoporum Historia diligenter adnotatur, quinam dictæ coronationi interfuerint, & in his ferè singularum Sedium series claudi solet. Porrò Author de rebus Britonum agens, Lectorem ad aliam à se Scriptam Historiam remittit. Quæ citat autem reperiuntur in Chronico de Regibus Britonum suprà laudato. Multa quin etiam habet communia cum editis Radulphi Historiis, & c. 1. in Laurentio Archiepiscopo, quædam à se *supra* de Laurentii & sociorum fugâ, dicta fuisse refert. Reperiuntur ista in libro *De adventu Saxonum*, quem Radulpho deberi ostendimus. De Willelmo Archiepiscopo agens, Lectorem remittit *ad superius à se dicta.* Inveniuntur ista in libro *De Regibus Normannorum*, quem Radulphi esse supra probavimus. Sæpius alibi ad hunc librum provocat. Ad hæc in annis Archiepiscoporum Cantuar. & consecrationibus & Pallii missionibus designandis, historia ista ad amussim convenit cum *Indiculo Radulphi de Archiepiscopis Cantuariensibus*, in primo volumine p. 87. edito, atque alio ejusdem inedito *De Archiepiscoporum consecrationibus.* Mitto alia argumenta, quæ rem abundè conficiunt. Notandum est autem omnia *coronationem Johannis Regis* sequentia, ab alio Authore addita fuisse. Is forsitan Johannes Pike, quem nota ad marginem Codicis apposita dicit, has omnes Historias in unum corpus collegisse, & de suo nonnulla adjecisse. Cæterum Historias de aliis præter Cantuariensem sedibus Episcopalibus rejeci, tùm quod nil eximium præbuerint, cum quod in Historiis Radulphi editis, verbatim ferè suis quæque locis sint repertæ." Idem iterum in Epistolâ dedicatoriâ ad Willelmum Episcopum Assavensem, sub finem ita quoque scribit. "Deinde pag. 27. Præfationis, de Radulphi Dicetensis Historia *De Dorobernensibus Archiepiscopis*, utrum ea in hoc Volumine edita, cum aliâ cognomine in Collegio Corporis Christi Cantabrigiensis asservata conveniret, subdubitanter scripsi. Ante duos equidem menses Cantabrigiensem Codicem inspexi, & à nostro diversum reperi. Scriptus est ille manu eleganti & antiquâ satis, & ejusmodi titulum præ se fert: *Liber de Dorobernensibus Archiepiscopis ad R. P. Hubertum Archiepiscopum Cantuariensem, Apostolicæ Sedis Legatum, directus à Radulpho de Diceto, Londoniensis Ecclesiæ Decano.* Si brevem autem præfatiunculam, & extremam Epistolæ Cœlestini Papæ, in qua desinit, partem demas: nihil non ex Radulphi Historiis à Twisdeno inter X. Scriptores Historiæ Anglicanæ vulgatis, verbatim descriptum habet. Præfigitur primo hujus Codicis folio manu multo recentiore iste titulus, *Annales Stephani Archiepiscopi.* Librarius scilicet quidam Annales Stephani *De rebus gestis Richardi I. Angliæ Regis* describere cœperat, sed post descriptum titulum cessavit. Folio autem sequenti incipit supradicta Radulphi Historia, ut pronum sit conjicere, hinc natum fuisse Pitsei, Jamesii & Vossii errorem *De Annalibus Archiepiscoporum Dorobernensium* Stephano inscriptis." Ita accuratissimè oculatus testis

ftis Henricus Warthon locis citatis. Denique Thomas Galeus Anglus, eruditione atque antiquitatum Anglicarum notinne clarus, *in Collectaneo Scriptorum Historiæ Saxonicæ, Britannicæ, Anglodanicæ*, quod in folio anno 1691. Oxonii è theatro Sheldoniano edidit, habet p.553. *Historiā Compendiosam de Regibus Britonum per Radulphum Diceium*, & pag. 560. *Ejusdem de partitione provinciæ in Schiras & Episcopatus & Regna*, quem anno circiter 1210. sub Joanne Rege floruisse Galeus affirmat. Item *Epistola Radulphi de Diceto, Decani Londonæ ad Johannem prima sedis Lugdunensis Archiepiscopum, cum ejusdem Responsoria de præeminenti sedis Lugdunensis*, in Cottoniana bibliotheca sub effigie Claudii litera E. Codice 3. num. 1, non sub Faustina ut Cavus scribit, litera A. 8. num. 28 Hujus mentionem faciunt nomenclatores omnes *Scriptorum Angliæ*, ut Joannes Baleus Centuria 3. scriptore 62. Joannes Pitseus ætate 13. Scriptore 300. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 453. Joannes Sheldonus in præludiis ad *Scriptores decem Historiæ Anglicanæ* p. 29. qui Londini in folio anno 1652. editi sunt.

1190 ROBERTUS DE FLAMESBURIA, Canonicus Regularis Ordinis divi Augustini, & Pœnitentiarius in Cœnobio Sancti Victoris Parisiensis, floruit circa annum 1198. atque ex primis Theologis scripsit *Pœnitentiale* mole satis modicum, libris tamen quatuor distiiočtum, quod asservatur Manuscriptum Parisiis in Bibliothecis Collegii Choletani, & Abbatiæ Sancti Victoris, cujus Canonicus Robertus fuit. Inscribitur *Liber Pœnitentialis Magistri Roberti de Flamesbore Canonici Sancti Victoris Parisiensis & Pœnitentiarii.* Incipit Prologus, *Res grandis, imò permaxima cuilibet, nec non meis impar viribus &c.* Incipit liber primus seu Tractatus Operis, *Pœnitens dicat, suscipe me Domine miserum peccatorum &c.* Ita Codex MS. 312. Bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis optimæ notæ, cujus titulus minio scriptus, ubi dictum Pœnitentiale extat. Porrò ut constat ex fine libri tertii, Opus istud nuncupatum est *Decano Cuidam Salisburiensi*, unde sic librum tertium concludit, *Ita oportunè Decane Saresburiensis in Confessionibus inquirere consuevi non solum mala quæ gessit, sed etiam bona: ut secundum hæc, plus vel minus aliquem puniam &c.* In fine Codicis, *Explicit liber Pœnitentialis Magistri Roberti de Flamesbore, Canonici Sancti Victoris, periti & authentici, cujus anima requiescat in pace. Amen.* Habetur quoque in Bibliotheca Choletana Cod. 5. & in tribus Manuscriptis Victrinis, nimirum Litteris P. 19. PP. 13. & JJ.6. pag.183. Item inter MSS. Codices Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis Repositorio Theologico 3. Serie IV. in 4. Codice 31. *Magistri Roberti de Sancto Victore speculum religionis.* Ita Catalogus MSS. Codicum hujus Bibliothecæ impressus 1686. pag. 130. num. 31. in 16. Nullus quem sciam hujus Scriptoris mentionem facit, nisi Joannes de Tolosa Canonicus Regularis, in Historia Manuscripta Abbatiæ Sancti Victoris. Et Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 144. ubi dictum MS. Codicem S. Germani Parisiensis refert.

THOMAS ELIENSIS in Anglia Monachus, circa annum 1200. floruisse mihi videtur, licet quo præcisè tempore extiterit, non definiam. Scripsit Libros duos *De Vita & Translatione Sanctæ Ethildritæ Virginis & Reginæ, primæ Eliensis Abbatissæ*, quæ obiit anno DCLXXIX. die 23. Junii. Horum primum qui *De Vita hujus Reginæ est*, edidit Johannes Mabillonius Seculo 2. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 738. & sequentibus. Alterum vero *De Translatione ejusdem* quæ anno 1106. contigit, pollicetur idem ad Seculum Ordinis divi Benedicti VI. atque Ecclesiæ XII. anno 1106. Nullus quem noverim hujus Scriptoris meminit, præter Henricum Warthon qui amplissimam illius mentionem facit Tomo I. *Angliæ sacræ* in Prolegomenis num. 47. ubi v... cum scripsisse *Historiam Eliensis Episcopatus* libris tribus, ex quibus dicta *Vita sanctæ Ethildritæ* verbotenus desumpta sit. Cum autem accuratè admodum Anglicanos ille Scriptores, quos utplurimum manuscriptos vidit, recenseat: æquius nihil atque rationi convenientius agere possumus, quam ut illum transcribamus. 1190

"Historiæ Eliensis plura exemplaria mihi præsto erant. Ut registra enim, chartularia & alia Ecclesiæ Eliensis monumenta mittam, quæ in annotationibus ad Episcoporum historiam concinnandis auxilium attulerunt, illius quam evulgamus Historiæ, quatuor exemplaria adfuerunt. Primum atq; optimum in bibliotheca Lambethana asservatur, quod Robertum Stewarde Priorem Eliensem olim habuit possessorem. Secundum in Bibliotheca Collegii Corporis Christi apud Cantabrigiam manet, charactere pessimo conscriptum, & in anno 1434 terminatum. Huic convenit tertium, quod in Bibliotheca Cottoniana *Titus A. I.* extat, simili charactere scriptum, eademque anno finitum. Quartum in eadem Bibliotheca sub effigie *Neronis A. 15. 16.* habetur, quod in anno 1486. clauditur. Ex primo Historiæ textum, ex reliquis variantes lectiones descripsimus. Historia ipsa plurium authorum labore concinnata est, de quibus proxime agendum est. Thomas primam Historiæ Eliensis partem conscripsit. Is prima Ecclesiæ fundatione exorsus, in Richardi Abbatis ultimi obitu anno 1107. defecit. Prolixum ejus Opus extat in Bibliotheca Cottoniana *Domitianus A 15.* Bodlejana Oxoniensi, & alibi. Partem ejus priorem Joannes Mabillonius edidit in *Actis Benedictinorum* seculo 2. pag. 739. Generalem autem totius Operis præfatio-

se-

nem vir eruditus nequaquam viderat, quæ operis a Thoma Eliensi instituti rationem exhibet, nonnullaque de Eliensi insula, scitu non indigna tradit. Illam proinde ex Codice Cottoniano describere & hic loci subnectere, Henricus Warthon operæ pretium duxit in Præfatione Tomo I. *Angliæ sacræ* pag. XXXIX. Hanc proxime sequitur *Vita Sanctæ Virginis & Reginæ Etheldredæ*, consona Vitæ plane a Mabillonio evulgatæ, iisdemque distincta sectionum numeris. In fine ejus sic scribitur, *Explicit Liber primus de Historia Elyensis Insulæ, in Vitam beatissimam Virginis Etheldredæ, & quomodo fabricavit illic Ecclesiam, & a quibus destructa fuit.* Ex prologo constat tribus libris constitisse Opus Thomæ Eliensis. Pertingit iste Liber usque ad initia Edgari Regis, quo regnante Ecclesia Eliensis ab Ethelwoldo Episcopo restaurata est & Monachis repleta. Verbis ejus postremis Author se Historiam Eliensem *libro sequenti* persecuturum esse pollicetur: Primo tamen atque secundo libris in Codice Cottoniano intercedunt duæ aliæ Historiæ de Sancta Etheldreda. Prior titulum habet, *De Secunda translatione S. Etheldredæ Virginis, quæ facta est à Richardo Abbate, cum cæteris Virginibus.* Capitulis sex constat. Capitulo secundo Author ætatem suam indicat his verbis: *Hæc de translatione sacratissimæ Virginis Reginæ Etheldredæ ad æternam referimus memoriam, quod fidelium innumeri adhuc superstites, & patres nostri qui viderunt, & adfuerunt, narraverunt nobis.* Facta est autem translatio anno 1106. Historiam istam Clarissimus Mabillonius se inter Acta Benedictinorum Seculi undecimi editurum spondet. Posterior inscribitur *De miraculis S. Etheldredæ*, & capitula 54. complectitur. Capite secundo Author de Ethelwoldi Episcopi donis mentionem injiciens, ista addit: *Alias quoque terras plurimas ab aliis emens, Ecclesiæ adjecit, quas per singula numerare otiosi ingenii est, cùm proprio alibi contineantur volumine.* Vnus igitur idemque Author singularum istarum Historiarum extitit. Liber enim Historiæ Eliensis, qui librum hunc *De miraculis S. Etheldredæ* proximus excipit, Secundus, hic Ethelwoldi donis enarrandis ferè totus insumitur. Posteà itidem cap. 34. ad supradicta in libro suo primo *De Virtutibus* ipsius *Virginis S. Etheldredæ* edito, Lectorem remittit. Ex pluribus hujus libri locis constat Authorem sub Hervei & Nigelli Episcoporum præsulatu, in Ecclesia Eliensi vitam Monasticam egisse, Nigello autem supervixisse. Capite enim 29. Nigelli anno 1169. defuncti obitum narrat, iisdem quibus Historicus à nobis vulgatus, verbis. Capite 51. Gaufridum Episcopum qui an. 1174. successit, commemorat. Capite ultimo plura de seipso tradit, sibi scilicet fuisse *Patrem literarum peritum, qui sedulo Scripturarum expositiones, nec non Sanctorum gesta & vitas meditator assiduus legebat, & ea scire volentibus affectuosè differebat:* hunc librum De vita S. Etheldredæ Anglico idiomate scriptum sibi tradidisse, ex quo tempore summa erga S. Virginem devotio ipsum incessit. Denique Capitulo 28. nomen ipsius prodit, se B. Etheldredæ meritis febre liberatum esse narrans. *Quoddam*, inquit, *quod contigit miraculum in instanti tempore, in meipso Thoma nomine, B. Etheldredæ meritis & intercessione, dignum duxi omnibus exponere.* Libro De miraculis Sanctæ Etheldredæ proximè succedit Liber Historiæ Eliensis secundus, hoc titulo insignitus: *Liber secundus in Historia Eliensis Insulæ, & quomodo Ecclesia est restaurata, vel à quibus ditata.* Proœmium ejus sic incipit, *In præcedente monstratum est opere, qualiter in Ely Sancta Etheldreda, & post illius sequaces fabricaverunt, sive illic Deo complacentes vixerunt, vel à quibus locus ille fuerat desolandus, liquidè apparet. Tandem importunè compellentibus me quibusdam ex nostris, ne ab incœpto vacarem, sed gesta nostra Insulæ ut spoponderam exsequerer &c. ad rogata exequendum festino, & in unum congesto volumine applicare sive majora sive minora, ut res expostulat, præsertim qui locum restauraverunt: & illorum testamenta quæ vix & maximo labore exquisivi, & ea de vulgo in Latinum commutavi, sed singula in diversis sparsa locis demum collegi &c. Operæ pretium est Sanctorum facta memorari, ex quorum collegio Domini Confessor Ædhelwoldus doctrina & sanctitate extitit: qui Ecclesiam nostram à Danis destructam restauravit, magna illic & digne memoranda gessit, quæ non plene in Libro Vitæ illius exarata sunt. Quæ dum vir egregius & prudens Herveus, primus Elyensis Episcopus, ut relatu digna compererat, de Anglico in Latinum transferri fecit: Sicque opere expleto,* Librum de Terris S. Edhelwoldi *nominavit. Constat autem iste Liber de tempore Monachorum, prospera eorum sive adversa pleuè denuntians.* Capitulis 69. Liber iste absolvitur, & Historiam Ecclesiæ Eliensis ab anno 970. ad annum circiter 1025. tradit. Aliud ejusdem exemplar extat in Bibliotheca Cottoniana *Titus A. 1.* cui subjicitur insigne Registrum Chartarum, donationum & privilegiorum Ecclesiæ Eliensi concessorum, ab anno circiter 1070. ad 1170. Porrò in eadem Bibliotheca *Vespasianus A. 19.* reperitur Liber antiquus *De Vita S. Ethelwoldi* ab eodem Authore contextus. Prologus illi præmissus ista habet. *De quo* (Æthelwoldo) *si cui minùs claret & pleniùs scire desiderat, legat librum qui* De ortu & vita necnon de obitu ejus *contextus est, & inveniet liquidò quanti meriti quantæque Sanctitatis fuerit. Quædam verò insignia ejus quæ gesserat in vita sua, in illo libro non sunt contexta, nec erant stilo exarata Latino. Quæ dum vir prudens & egregius Herveus, venerabilis Eliensis Ecclesiæ Episcopus, relatu digna comperibat: rogatu quorundam Fratrum mihi injunxit, ut ea de Anglico idiomate in Latinum sermonem transferrem. Cui præcepto nullatenus contraire ausus parui, & injunctum opus suscepi, ac pro facultate mea ad unguem perducere curavi.* Is autem liber à secundo Eliensis

sis Historiæ libro diversus non est, nisi quod in prioribus Capitulis res gestæ phalerato atque uberiori stilo exprimantur, & Carmina encomiastica de Sancto Ethelvoldo plurimis subjiciantur. Hic Thomas in Prologo generali Historiam suam in tres libros distribui dixit, tertii autem libri argumentum neutiquam tradidit. Quin imò se libro secundo *De obsidione Normannorum egisse, & quomodo Insula à Normannis fuerit subacta* docuisse, & Historiæ filum usque ad tempora Episcoporum perduxisse testatur. Ejus autem qui superest libri secundi Historia, in omnibus Codicibus in annn circiter 1025. clauditur, ita ut pars ejusdem potior desideretur. Nescio an tertius sit Historiæ à Thoma Eliensi conscriptæ liber, qui *Vita Sancti Ethelwoldi* in Codice Cottoniano *Vespasianus A. 19.* proximè succedit, manu antiqua satis, longè tamen aliâ. Consentit omnino titulus ejuscemodi, *Liber tertius in Historia Eliensis Insulæ, constans de duorum temporibus Episcoporum* (Hervei scilicet & Nigelli) *quid plus vel minus utile gesserint, plenè insinuans.* Quisquis autem Librum hunc tertium contexuerit, sive Thomas Eliensis sit sive alius, semet omnia ex Richardi Histotia desumpsisse sæpius agnoscit: Sic enim post narratam Nigelli Episcopi inthronizationem scribit. *Prætermitto plurima, quæ in Opusculis fratris nostri Ricardi, Historiarum studiosissimi, diserti & eloquentissimi viri, pleniùs referuntur.* Et Capitulo II. *Hæc quidem latiùs scriberem, sed quoniam in venerabilis jamdicti patris Richardi Opusculis plenè inveniuntur, ad alia festinamus.* Richardum Ecclesiæ Eliensis Priorem fuisse, referunt Joannes Baleus Cent. 3. cap. 80. ex Lelando, Pitsius & Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 58. pag. mihi 470. ex Baleo, atque alia quædam ingenii monumenta ab illo scripta memorant, ætatem verò ejus in anno 1220. malè reposuerunt. Richardus enim Eliensis Prior, non erat alius, quàm qui Prioratum anno 1177. adeptus, ante annum 1195. obiit. Atque hic quidem Historiam Eliensem suprà laudatam, seu librum tertium scripsisse optime censeri potest, *licet meo quidem judicio rectiùs Thomæ Eliensi tribuatur.* Historia enim in anno 1169. terminatur, & Richardus in Ecclesia Eliensi à teneris annis vitam degens rebus gerendis interfuit. Siquidem in Registro vetusto Ecclesiæ Eliensis c. 65. Epistolam Monachorum Eliensium inveni ad Eugenium Papam inter annos 1149. & 1154. scriptam adversus Henricum Clericum, Archidiaconi Eliensis filium nothum, qui terras quasdam Monachis injuste subtraxerat. In hac Monachi Richardum sic laudant, *Misimus ad Sanctitatem vestram per Dominum Ricardum Monachum nostrum, bona vita & honesta conversationis à pueritiâ Monachum &c.* Posteà ibidem capp. 101. & 103. anno circiter 1173. Henrico Rege jubente, ut Episcopi eligendi causâ, *quinque vel sex de honestioribus Ecclesiæ Eliensis personis*, ad seipsum in Normanniam transirent: Scriptis ad Regem literis, Conventus Eliensis indicavit se misisse *Salomonem Priorem suum, Richardum Subpriorem, A. Sacristam, Joannem Camerarium &c.* Convenientius igitur est hunc tertium librum Historiæ Eliensis attribuere Thomæ Eliensi, qui Ricardum utpote se aliquanto antiquiorem allegare potuit; unde cum circa annum 1170. Richardus floreret, non multò ante annum 1200. Thomam Eliensem ipso utpote juniorem collocare licuit. Hæc ergo de Operibus Thomæ Eliensis erudita, verbotenus ex Præfatione Henrici Warthon ad Tomum I. *Angliæ sacræ* num. 47. 48. 49. ubi hactenus de Thoma & Ricardo Eliensibus & ipsorum Historiis, qui de aliis etiam *Rerum Eliensium* Historicis plene num. 50. 51. 52. pag. XLV. Thomas Galeus *in Collectaneo XV. Scriptorum Historiæ Britannicæ, Saxonicæ, Anglo-Danicæ*, quod in fol. anno 1691. Oxonii e theatro Sheldoniano edidit, habet pag. 463. *Anonymi* Lib I. *De Historia Eliensi* sive *de Operibus S. Æthelwoldi Abbatis & Episcopi*, tum verò ibidem p. 489 Historiæ Eliensis *Librum II.* per Thomam istum Eliensem Monachum, quem asserit post an. 1196. vixisse, ut ipse Thomas scribit, & non an. 1169: uti Goduinus perhibet

GALFRIDVS vulgo dictus MAGISTER 1190
GALFREDVS DE VINESALF seu de VINO SALVO, ita cognominatus dicitur a Vino & Vitibus conservandis, ut Joanni Pitseo non levis conjectura est in Libro de Illustribus Angliæ Scriptoribus Scriptore 274. Ætate XII. quem hic exscribo. Nam Cantabrigiæ in Bibliotheca vel Archivis Collegii Caji & Gonvilli, dicitur haberi; Liber quidam MS. auctore Galfrido *De modo inserendi arbores aromaticas, fructus conservandi, Vina & vites cognoscendi, Vina inversa* (*Gallice vin monté*) *seu deteriora reformandi & restituendi, tam pro sanis quam pro infirmis: acetum mutandi & conditiones cujuscunque vini & cæterorum liquorum pretiosorum & pigmentorum faciendi.* Atque hinc cognomen indiutm de Vino salvo, mea conjectura est, quam libenter veriori censuræ subjicio. Galfredus porro noster in Anglia natus, & stirpe Normannorum creditur oriundus. Vir ingenii florentis, styli compti, tersi sive orationem solutam sive ligatam spectes. His enim fere nominibus illum laudat noster Imanuel Lelandus. Avido & insatiabili plane desiderio scientias appetebat, ad quas adipiscendas, eum natura formaverat aptissimum. Non contentus patriis Academiis, in quibus diu feliciterque studuerat, in Galliam & Italiam se contulit, & utrobique celebriores invisit, & diligenter frequentavit scholas, & ubique quantum fieri potuit, cum viris eruditione claris, contubernium habere, sermones miscere, & de literariis rebus publice privatimque agere solebat, Innocentio Papæ III. notus erat, nam ad eum scripsit partim prosa, partim metro seu versu heroico. De

De arte dicendi seu de præceptis Dialecticis & Rhetoricis librum unum. Extat inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ Codice 1263. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi olim Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopi litera H Codice 2. num. 7. *Galfridus Anglicus de artificio loquendi.* Inter MSS. Codices Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 1639. in MSS. Codicibus Collegii S. Benedicti Codice 372. num. 6. inscribitur, *Documenta Magistri Galfridi Winesalf De modo & arte dictandi & versificandi & transferendi.* Initium operis sic habet, *Neustria sub Clipeo Regis defensa Richardi:* sub quo potissimum ab anno 1190. floruit. Idem opinor opus quod habetur ibidem Codice 1645. in MSS. Codicibus Collegii Cato-Ganvillensis inter Rhetoricos, Etymologicos & Grammaticos Codice 15. num. 8. inscriptum *Enchiridion Magistri Galfridi de Vino salvo.* Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliorum insigniorum ejusdem regni bibliothecarum, in MSS. Codicibus Metropolitanæ Ecclesiæ Eboracensis Codice 42. num. 15. *Galfridus Anglicus de artificio loquendi.* Ibidem Codice 7701. in MSS. Codicibus Roberti Burscough Codice 82. num. 2. *Medulla Grammatica Galfridi.*

Aliud ipsius opus carmine conscriptum, quod *Poetriam Novam* inscripsit, atque in Angliæ bibliothecis frequentissimum est. Incipit *Papa stupor mundi, si dixero &c.* & extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 1665. in MSS. Latinis Kenelmi Digbæi Codice 64. num. 1. inscriptum *Literalis divisio super* Papa stupor mundi *per Galfridum de Vinesauff.* Num. 3. *Tractatus super* Papa stupor mundi *per Galfridum Anglicum cognomento de Vinesauf.* Num. 4. *Notabilis declaratio super Proëmium Tractatus prædicti.* Ibidem Codice 1705. in MSS. Codicibus Kenelmi Digbæi Codice 104. num. 2. *Galfridi Poetria de Salvo vino.* Item Codice 2506. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 11. Codice 11. num. 13. *Galfridi Vinesauf Anglici Poetria Nova de statu Romana curia* pag. 109. ad 119. Ibidem Codice 3453. in MSS. Codicibus Joannis Scheldeni in Pluteis superioribus Codice 65. num. 4. *Galfridi Anglici Poetria Nova* pag. 85. ad 111. Inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 379. in MSS. Collegii Baliolensis K. 20. num. 2. *Galfridus in Nova Poetria.* Ibidem Codice 430. in manuscriptis iisdem M. 26. num. 1. *Galfridus in Poetria Nova.* Ibidem Codice 1599. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 132. num. 3. *Versus qui incipiunt* Papa stupor mundi, *quibus præmittitur manu neoterica, Galfridus Vinesauff Anglus.* Ibidem Codice 1610. in MSS. iisdem Corporis Christi Codice 144. num. 3. *Versus qui incipiunt* Papa stupor mundi, *Galfridus de Vino salvo.* Cum in Romanæ curiæ mores, quos Romæ positus inspexerat Galfridus, insurrexisset vehementius Anglus noster, nihil esse mirum debet, quod inter MSS. Codices bibliothecarum Angliæ, hoc Poema tam frequenter reperiatur. Nam inter MSS. Codices etiam Vniversitatis Cantabrigiensis Codice 422. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Classe 24. serie prima Codice 11. num. 1. *Versus qui incipiunt,* Papa stupor mundi. Ibidem Codice 446. in MSS. iisdem Classe 24. Serie 2. Codice 5. num. 1. *Galfridi Vinesauf Poetria Nova.* Denique inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem regni Insigniorum bibliothecarum Codice 308. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Dunelmensis Codice 248. litera G. est *Gualfridi Anglici Nova Poetria* in 4. Ibidem Codice 923. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Vigorniensis in 4. Codice 79. num. 1. *Galfridi de Vinesauf Poetria.* Ibidem Codice 2613. in MSS. Codicibus Isaaci Vossii Codice 288. num. 6. Ibidem Codice 3588. in MSS. Codic. Francisci Bernardi. Idem Codice 14. in 4. *Galfridi Anglici Poetria Nova & Tractatus Rhetoricus.* Quod autem Pitseus illi adtribuit, *Ad Guilielmum Episcopum Eliensem & Cantuarium librum unum*, quod Papæ scripsimus speciale &c. item *De Statu Romanæ Curiæ librum unum*, incipientem, *Nuper Apostolica Galfridus sede reversus:* ad idem opus *De Poetria nova* spectare noscuntur.

Ejusdem *Historia* sive *Itinerarium Richardi Anglorum Regis in terram sanctam*, ab aliis Richardo Canonico vel Richardo Divisiensi, ab aliis Roberto Monacho attributum, auctori suo nuper restituit doctissimus Oxoniensis editor Thomas Gala, qui Galfridum nostrum cum Guathero Constantiensi, seu Oxoniensi eundem facit. Prodiit hæc Historia sed mutila & anonyma in Collectione *Gestorum Dei per Francos* Wecheliana, sed integra nuper inter Historiæ Anglicanæ scriptores V. ex MSS. Codicibus, nunc primum in lucem editos Oxonii 1687. Tomo 2. pag. 247. ac *Poemata duo de glorioso Rege Richardo* ejusdem Galfridi ibidem pag. 430. de quibus mentionem facit loco citato Pitseus his verbis: *Ad Cæsarem Henricum de liberando Richardo Rege, librum unum, Monodiam in obitum Regis Ricardi librum unum.* Hujus etiam Galfridi librum esse putat Pitseus, qui inscriptus est, *De promotionibus & persecutionibus Galfridi Eboracensis Archiepiscopi*, MS. Cantabrigiæ in Collegio Sancti Benedicti.

Inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 812. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi quondam Cantuariensis Archiepiscopi Litera D. Codice 43. extat *Galfridi seu Gaufridi Poema super Machabæos*, sed illud spectat ad Petrum de Riga Ranensem Poetam, cujus in *Aurora* continetur. Item inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 1678. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Christi Codice 211. *Galfridus de Gestis Alexandri Magni* Carmine cum Notis in membrana, sed opus istud spectat, ad *Gualterum de Castellione Insulanum,* sub cujus nomine est editum sæpius, ut antea diximus.

Men-

Mentionem faciunt Galfredi de Vino salvo, inter MSS. Codicis Bodleianæ bibliothecæ Codice 5105. Joannes Lelandus Collectaneorum Vol. 4. *De Scriptoribus Angliæ illustribus* cap. 147. pag. 184. quem male *Gualterum* appellat. Joannes Pitseus *De Scriptoribus Angliæ*, ætate XII. ad annum 1199. Scriptore 274. pag. 261. Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* ad annum 1199. pag. 693. editionis 1688. Londini in folio, a quibus hæc habuimus.

1190 JOANNES BROMPTON ABBAS JORVALLENSIS, Ordinis Cisterciensis, creditur a nonnullis author *Chronici*, quod incipit ab anno Domini 588. quo sanctus Augustinus in Angliam venit, usque ad mortem Richardi primi Regis, annum scilicet 1198. impressum Londini in folio anno 1652. pag. 725. in Collectaneo Decem Scriptorum veterum Rerum Anglicarum, quos simul collegerat Joannes Scheldenus. Sunt tamen qui Joannem Bromptonum hujus Chronici authorem non esse velint, sed illud tantum eo tempore emptum & comparatum, quo Joannes Brompton Abbatiam Jorvallensem regebat: unde factum, ut ob hanc acquisitionem Bibliothecæ factam, Chronicon ei attribueretur, sicut Scheldenus pluribus narrat in Prologo ad *Scriptores Decem Historiæ Anglicanæ*, pag. 38. circa medium. Sic autem ille loco citato. „Liquet itaque ex jam „dictis Historiam hanc seu Chronicon Joanni „Bromptono attributum, non dicendum Jor„nallense, sed Jorvallense: idque potius a Cœ„nobio, quod ejus possessor erat, ut statim di„cetur, quam ab Abbate aut aliquo alio Scripto„re ejusdem Cœnobii. Fatetur equidem Shel„denus, a quo hæc omnia, olim sibi cum aliis, Jo„annem illum Bromptonum, cui cognomen il„lud datum a vico seu pago in Richmundensi „ditione, sic dicto, unde oriundus erat, hic pro „authore etiam secure nimis admissum esse. „Cæterum re attentius inspecta idem Shelde„nus tum alium omnino fuisse authorem, non „existimare nequit: atque nomen Joannis „Bromptoni Abbatis Jorvallensis in MS. Codice „Benedictino repertum, non quidem pro autho„re, sed pro eo qui dum Abbas erat, Monasterio „suo Chronicon illud comparaverat, intelli„gendum: in causa fuisse, cur velut pro autho„re ipso, Abbas ille divulgaretur & crederetur. „Ibi scilicet, sed manu non antiqua legitur, *Li„ber Monasterii Jorevallensis ex procuratione Domi„ni Johannis Brompton, Abbatis ejusdem loci: Si „quis hunc librum alienaverit, delebitur de libro vi„tæ.* Quod solemne est anathematis, quo do„nationes hujusmodi munire in more erat, „carmen. Jam vero hinc discimus librum hunc „seu MS. Codicem nactum esse Cœnobium il„lud ex procuratione illius, neutiquam omni„no illum scripsisse. In fronte autem exem„plaris Cottoniani circa annos ab hinc ducen„tos & amplius conscripti, altera manu quæ etiam nostri seculi, scriptum erat *Joravalensis „Historia*: cui altera adjicitur, *a Joanne Brom„pton Abbate Jorvalensi.* Huic puto adeo fiden„ter Scriptoribus receptum est, hunc hujus„ Chronici esse authorem. Et adjectum illud de„ Bromptoni nomine, videtur quidem illuc ac„cessisse, ex illo tantum perperam sumpto, quod„ Bromptoni Abbatis procuratione emptum est.„ Quid cum Monasticis Chronicorum Scriptori„bus nihil solemnius fuerit, quam ipsius in quo„ degebant Cœnobii singularia aliquot locis op„portunis inserere, ne vestigium quidem inser„tionis ejusmodi in hoc Chronico reperitur.„ Equidem ordinis Cisterciensis, cujus erat hoc„ *Jorvallense Cœnobium*, origo illa notissima anni„ 1098. in Burgundia in loco qui dicitur *Absyn„thus*, in Diœcesi Cabilonensi, memoratur ab„ hoc scriptore, col. 994. quisquis ille fuerit. Uti„ etiam non modo initium ejusdem in Anglia,„ circa annum 1130. in Valle Regali seu Rival„le: sed etiam complurium ejusdem Ordinis,„ maxime in agro Eboracensi, Monasteriorum„ fundatio, quæ sub id tempus orta sunt: sed in„terim nullibi ulla *Jorvallensis Abbatia* ejusdem„ ibidem Ordinis, apud eum mentio, nulla ori„ginis vel fundatoris nominatio, cujus tamen„ tempora ipse tractat. Unde sane decernen„dum videtur, scriptorem illum non Jorvallen„sem omnino fuisse, nedum hujus Cœnobii Ab„batem. Nec quidem aut Bostono Buriensi,„ aut Joanni Lelando, aut Joanni Balæo, nec Ve„terum puto alicui, hic Johannes ut Scriptor„ memoratur. Adeoque potius author anony„mus dicendus, nec MS. Codex quidem Jore„vallensis aliter, quam quod Cœnobii illius do„natus bibliothecæ, ibi asservatus est, indeque„ posteritati depromptus. Nec Joannes idem„ Brompton Abbas pro authore, sed procurato„re duntaxat agnoscendus, cujus beneficio na„cta est Abbatia Anonymum illum. Pertexe„re autem historiam suam usque in Eduardum„ primum instituerat scriptor hic, seu ad annum„ 1272. quo hic in Anglia coronatus est, sicut„ ipse expressim ait: Licet Codices ejus sub initia„ Joannis desinant, seu ultra annum 1199. non„ progrediantur: unde mutilam esse hanc hi„storiam, vel ab authore non perfectam omi„nari licet, vel ejus ultimam partem lapsu tem„porum deperditam. Hæc ex Seldeno vel„ Twildeno in Præludiis ad *Decem Scriptores Hi„storiæ Anglicanæ*, Londini anno 1652. in fol. edi„tus:„ quibus ab hoc Chronico *Joannes Brom„ptonus* excluditur, de quo loquitur Guillelmus Cavus in Historia Literaria ad annum 1198. pag. 691. Joannes Pitseus *De Scriptoribus Britanniæ*, Appendice ad Centuriam 2. num. 88. Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* cap. 12. pag. 708. editionis ultimæ. Denique Chrysostomus Henriquez in *Fasciculo Sanctorum*, Lib. 2. Distinctione 26. cap. 50. Pitseum verbo tenus excipiens.

1190 ADAMUS PERSENNIÆ ABBAS, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Cenomanensi, floruit anno 1190. & sequentibus, hujus Cœnobii primum Monachus, deinde successu temporum Abbas factos. Sane Abbatia Persenniæ vulgo *Perseigne*, filia Cistercii est, a Sylva tractus Cenomanensis nomen habens, ubi anno 1145. per Guillelmum de Talvatio Pontivi & Alensonii Comitem fundata est, ut clarior appareat consignatio anni per Angelum Manriquez, quem confirmat Tomus IV. *Galliæ Christianæ* fratrum Sammarthanorum verbo, *Persennia*. De *Adamo* ita loquitur anonymus author MS. in Bibliotheca sancti Victoris Parisiensis ad annum 1190. „Hac tempestate extitit quidam Abbas (Joachimus) non longe ab Urbe Roma, Ordinis Cisterciensis, sed Cisterciensibus minime subjectus, qui quandam *Expositionem super septem Visiones Apocalypsis* edidit, accepta divinitus ut ajunt sapientia, cum fere esset illiteratus &c. Dicit autem quod anno 1199. incipiet sexta visio, & sexta sigilli apertio: sub qua visione probat authoritate Apocalypsis, quod complebitur omnis Antichristi persecutio, & ejusdem mors & perditio: sed ante ejus persecutionem dicit Evangelium Christi ubique prædicandum, & Ecclesiam fidelium per omnes gentes dilatandam. Hic Romæ interrogatus a viro venerabili & in Dei verbo facundissimo, & æque religioso Abbate Persenniæ Adamo, quonam ausu talia prædicaret, an ex Prophetia, an ex conjectura seu revelatione? Respondit, se neque revelationem de his habere: sed Deus (inquit) qui dedit olim Prophetis, Spiritum Prophetiæ, mihi dedit spiritum intelligentiæ, ut in Dei Spiritu omnia mysteria sacræ Scripturæ clarissime intelligam. Sicut sancti Prophetæ olim intellexerunt, qui eam olim in Dei spiritu ediderunt. Requisitus autem ab eodem Abbate, quid sentiret de Antichristo, respondit ipsum jam esse *adolescentem:* quod responsum Adam confutavit. Itaque anno 1190. Adamus jam Persenniæ Abbas erat, & clarus scientia: nam factum istud Joachimi, referunt ad annum 1190. Spondanus in Epitome Annalium Baronii, Angelus Mauriques tomo 3. Annalium Cisterciensium ad annum 1190. cap. 2. num. 5. & 6. Unde idem Mauriques ad annum Christi 1191. cap. 7. ita habet. „Sub idem tempus florebat in Persennia (quam domum in Cænomanensi Diœcesi, Cistercii filiam supra memoravimus) Abbas Adam, æque doctus & pius, quem anno præcedenti cum Abbate Joachimo disputantem retulimus. Meminit ejus eximia cum laude Thomas Cantipratanus fere coævus author Lib. 2. de Apibus cap. 22. dum Mariæ Comitissæ Campaniæ & Ludovici Francorum Regis filiæ murtem describit. Hic ille insignis Persenniensis Abbas est, cujus extant Sermones, quos ex Claudio Roberto in fundatione Persenniæ commemoravimus. Eundem virum recensent inter Doctores Conradus Gesnerus, Philippus Seguinus, & Joannes Trithemius, appellantque in divinis Scripturis longa exercitatione doctum, sanctorum Patrum lectione admodum divitem, secularium litterarum scientia sufficienter instructum, atque in declamandis ad populum homiliis celeberrimæ opinionis. Trithemius pro more Cistercium reticet, sed prodit Monasterium Persenniæ, quod nec ipse negat, & omnes alii authores testificantur. Potuisset virum Menologio suo adscribere Chrysostomus Henriques, antiquitate, doctrina, & religione, præ aliis quos adscribit, venerandum. Hæc Mauriques.„ Quam porro in prædicatione verbi divini clarus hoc tempore esset Adamus Persenniæ Abbas, testatur Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis in *Historia Occidentali* Lib. 2. cap. 9. his verbis. *De functo igitur prædicto Christi Athleta* (scilicet Fulcone Presbytero Parisiensi) *qui latratibus sanctis mundum quasi evigilare fecerat, & veritatis lumine ex parte nebulosas illuminaverat regiones: multi zelo charitatis accensi & ejus exemplo incitati, cœperunt prædicare & docere: multos erudientes ad justitiam, & de faucibus Leviathan sanctis exhortationibus peccatorum animas extrahentes. Inter quos principales & majoris nominis fuerunt, Abbas de Persennia Cisterciensis Ordinis, cum pluribus aliis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ: qui in agro Domini fideliter & prudenter laborantes, de cavernis petrarum & montibus, bestias venabantur: de lacu miseriæ & luto fæcis, retibus & sagenis pisces extrahentes.* De illo Joannes Trithemius Abbas Sponsheimensis in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* his verbis. „Adam Abbas de Persennia Ordinis divi Benedicti, vir in divinis Scripturis jugi exercitatione doctus, atque in secularium Litterarum scientia sufficienter eruditus, in declamandis Homiliis celeberrimæ opinionis, nomen suum varios componendo Tractatus, cum laude transmisit ad posteros. Extant devoti & utiles *Sermones ad Fratres Liber I. De sanctis & diversis materiis Liber I.* Fertur etiam quosdam sacræ Scripturæ explicuisse Tractatus, quibus abundantem ingenii sui venam ostendit, sed ad notitiam meam non venerunt.„ Fallitur autem Trithemius, dum illum Benedictinum Monachum fecit, quem constat fuisse Abbatem Cisterciensis Ordinis. Præterea illum post Theodoricum Monachum, qui anno MXL. floruit, collocat, & ante S. Anselmum Lucensem Episcopum quem anno MLXXX. claruisse constat. Unde colligere licet, quid de ejus ætate senserit, floruisse nimirum putat anno circiter MLX. antequam Ordo Cisterciensis nasceretur: quare Adamum hunc annis centum seniorem quam vere fuerit, facit, utpote post annum 1200. mortuum, ut statim dicetur. Scripsit igitur vir doctus *Opus Sermonum ad suos fratres in Capitulo congregatos* impressione dignissima, qood olim MS. Romæ in manibus clarissimi viri Hilarionis Rancati Ab-

batis

batis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, eductum ex Bibliotheca Monaſterii Caſamarii, quod in Diœceſi Verulana provinciæ Romanæ celebre eſt, olim quidem Benedictinorum, ſed ab anno Domini 1140. a Ciſtercienſibus poſſeſſum, ut in ſua Abbatiarum Ciſtercienſium Notitia inquit, Gaſpar Jongelinus. Ex hoc Codice Sermonum Adami Perſennæ Abbatis, continente *Sermones plurimos de tempore & potiſſimis anni feſtivitatibus & aliis argumentis*, excerpti ſunt *Sermones de Beatiſſima Virgine Maria*, & notis illuſtrati ſtudio Hippolyti Maraccii Presbyteri Lucenſis, impreſſique Romæ anno 1652. in 16. typis Ignatii de Lazzavis. Illos inſcripſit *Mariale Adami Abbatis Perſenniæ, natione Galli, viri doctiſſimi & diſertiſſimi, Sacri Ordinis Ciſtercienſis alumni.* Habentur autem Sermonum ejuſmodi fragmenta in Opere *Allegoriarum veteris & novi Teſtamenti* per Gotfridum Titmannum Carthuſiæ Pariſienſis alumnum anno 1550. in ſolio Pariſiis impreſſo, ut teſtatur idem Hilarion Rancatus in notula hujus Adami MSS. Sermonibus præfixa. Vnde nullus dubito, quin MS. Codicem illorum haberet iſte Gotfridus dum *Allegorias* ſuas ſcriberet. Audio etiam dictorum Sermonum MS. Codicem aſſervari in Abbatia Perſennenſi, quem non vidiſſe fateor. Idem ſcripſit *Epiſtolas aliquas ad Oſmundum Abbatiæ Mortui maris in Normannia Monachum*, quas ex MSS. Codicibus edidit Stephanus Baluzius tomo 1. Miſcellaneorum, pag. 423. Idem Abbas Adamus adfuit, vel adfuturus acceſſit morti Mariæ Campaniæ Comitiſſæ, quæ Ludovici VII. Francorum Regis & Eleonoræ Aquitanicæ filia, anno 1197. naturæ debitum ſolvit, teſte Guillelmo Marloto tomo 2. *Metropolis Eccleſiæ Remenſis* Lib 1. cap. 23. pag. 75. Hoc conſtare poteſt ex Thoma Cantipratano Libro I. de apibus cap. 9. his verbis. „Prope „noſtra tempora, fuit mulier nobiliſſima, Maria Campaniæ Comitiſſa. Hæc nupta nobiliſſimo Henrico Campaniæ Comiti, filia fuit Ludovici VII. Francorum Regis, Philippi Regis ſoror, æque Regis Francorum. Quatuor fratres Reges in Anglia habuit, filium Regem in transmarinis. Hæc multis annis mortuo marito, cum pompoſiſſima ambitione circumiens & moriens, talem finem ſortita eſt. Laborans hæc in extremis, Abbatem Perſenniæ, Adamum ſcilicet ſanctiſſimum ac eloquentiſſimum virum, migratura venire mandavit. Qui ut venit, intromiſſus non eſt, ac præ foribus expectavit. Jam enim Comitiſſa diſceſſerat, & diſtrahebantur a mulieribus & miniſtris & ſuis omnibus, utenſilia, vaſa aurea & argentea, veſtes pretioſæ, culcitræque purpureæ, & tandem Linteamina ipſa cum pellis. Extremo quidam de gratioribus mora inſcia retardatus, lectum per cornua comprehendit, & reſupinatum corpus emortuum, eminus in ſtramenta divolvit. Moras autem Abbate cum tædio ſuſtinente, quidam Nobilis ex circumſtantibus indignatus, oſtium violenter infregit, & virum venerabilem intromiſit. Qui cum introiſſet, & nobile illud corpus nudum in ſtramine reperiſſet, volente quodam ex familia illud ſtraminibus operire: Abbas exempli providus non ſinebat, ſed libera voce clamabat: O vos omnes venite & videte nobiliſſimæ Comitiſſæ Mariæ pompam, cernite delicatiſſimum illud corpus, quanto dedecore pudoris devolutum eſt. Videte quid ei pro multiplici honore & gloria, finaliter mundus exſolvit.„ Mortuus eſt poſt annum 1200. licet illum aſſignare annum non poſſimus. Caute autem hic Adamus Abbas diſtinguendus eſt, ab altero Adamo Abbate Caroliloci Ordinis Ciſtercienſis & poſtmodum Sylvanectenſi Epiſcopo, qui *Sermones pariter eruditos* compoſuit, de quo nos infra ad annum 1230. loquemur. Plura de illo præter authores citatos Angelus Manriques *Annalium Ciſtercienſium* tomo 2. ad annum 1145. cap. 10. num. 6. & tomo 3. ad annum 1190. cap. 2. num. 5. & 6. & ad annum 1191. cap. 7. Carolus Viſchius in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſterienſis*, pag. 4. & alii. Carolus Dufreſnius du Cange in *Indice Auctorum*, quem præmiſit Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis, columna 79. ubi perperam anno 1100. eum aſſignat, niſi legendum ſit 1200. ſitque typographiæ mendum, quod probabile ſatis eſt.

GVIDO DE PARETO, S. R. E. CARDINALIS PRÆNESTINUS EPISCOPUS, 1190 natione Gallus, Monachus primum Ciſtercienſis Ordinis, inde ob eminentiam ſcientiæ morumque integritatem, Abbas Ciſtercienſis XV. anno 1187. factus eſt. Cariſſimus Richardo Anglorum Regi, a quo eximia dona anno 1189. ad Eccleſiæ ſuæ Ciſtercii ornamentum ac decus accepit. Eodem ſedente Robertus Cabilonienſis Epiſcopus anno 1193. decimo ſexto Novembris, promotam potiſſimum Guidonis noſtri curis Eccleſiam novam Ciſtercii dedicavit, in qua poſtmodum ſepultus eſt. Anno autem 1198. factus eſt Epiſcopus Præneſtinus ac S. R. E. Cardinalis ab Innocentio III. Romano Pontifice, viro Literatorum & proborum hominum amantiſſimo, quem hic ſummus & induſtrius Pontifex variis legationibus Apoſtolicis honoravit. Inter Legationes celebris ea fuit, cum anno 1199. Othonis Imperatoris electionem nomine Pontificis contra Philippum Suevum ratam habuit, quem ultimum ab Eccleſiæ gremio cenſurâ Eccleſiaſticâ ut contumacem removit: qua in obeunda legatione, Reipublicæ Chriſtianæ conſulens Guido, ritus etiam Eccleſiaſticos inſtituit, teſte Cæſario Heiſterbacenſi Monacho Lib. 9. *Miraculorum ſui temporis* cap. 51. male apud Carolum Viſchium in *Bibliotheca* cap. 71. niſi pro diverſitate editionum, capita diverſimode diſtinguantur. *Tempore Schiſmatis*, inquit, *inter Philippum & Ottonem*, *Dominus* Gui-

Guido Cardinalis, aliquando Abbas Cisterciensis, cum missus fuisset Coloniam ad confirmandam electionem Ottonis, bonam illic consuetudinem instituit. Præcepit enim ut ad elevationem hostiæ, omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque usque ad calicis benedictionem prostratus jaceret. Præcepit etiam, ut quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris sive campanarius Sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet, sicque omnis populus tam in stratis, quam in domibus Christum adoraret. Ita Cæsarius, qui & ejusdem *Guidonis* meminit Lib. 6. cap. 2. Cum itaque religionis studio flagrans, alter Paulus videretur, ob pietatem spectatissimam, post mortem Guillelmi ad Albas manus tituli Sanctæ Sabinæ Cardinalis & Remensis Archiepiscopi, factus est hujus sedis anno 1204. Archipræsul, de quo *Chronicon Canonici Landunensis* seu *Appendix ad Sigebertum* ita scribit. *Theobaldus de Pertico Archidiaconus Remensis, vir nobilis & generosus, & litteratus, atque sublimitatis acumine extollendus, alias per omnia egregius, nisi minus aperte ambiret honores. Hic Philippo Episc. Bellovacensi in Remensem Archiepiscopum electo, arma militaria & eorum usum objecit, & virum incendiarium esse dixit. Factâ iterum electione permissu Papæ à Canonicis Remensibus, Baldewinus Præpositus ejusdem Ecclesiæ, à majori & saniori parte vocatur ad præsulatus honorem. Sed impatiens alterius honoris ambitio, per memoratum Archidiaconum objecit, quod uno pollice mutilatus esset. Domino etiam Miloni de Nantolio juveniles annos objecit: & sic eorum electione infirmata, eidem Ecclesiæ præficitur Guido Prænestinus Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, quondam Abbas Cisterciensis. Hujus præsulatus mense primo, quidam eo præsente apud Bruvam de fide examinati, infideles reperti sunt in præsentia Comitis loci Roberti & Jolent Comitissæ, & aliorum, quorum judicio post paucos dies extra Castrum flammis sunt exusti, inter quos erat famosissimus per omnem Franciam pictor nomine Nicolaus.* Eadem prorsus testatur Albericus in Chronico, ad annum 1204. scribens. *Anno isto post longam concertationem Theobaldi contra Philippum Bellovacensem Episcopum, qui ab una parte fuerat postulatus in Remensem Archiepiscopum: Sed per dictum Philippum Theobaldus cassatus, & devenit electio Remensis ad manus Summi Pontificis. Ita exierunt à Roma Litteræ continentes mandatum Papæ, ut Abbas Guido Triumfontium, fieret Archiepiscopus Remensis: cùm idem Abbas interim viam universæ carnis ingreditur, & alter Guido Episcopus Cardinalis Prænestinus, Alemanniæ Legatus, factus est Archiepiscopus Remensis.* Decretum autem Innocentii III. Pontificis de hac electione, erutum ex originali Vaticano, allatum est ab Vghello in tomum I. *Italia sacra*, injectum Catalogo Episcoporum Prænestinorum, deinde in tomum I. *Gallia Christiana* à Sammarthanis Fratribus, pag. 520. in Archiepiscopis Remensibus. Huic Guidoni Cardinali, suisque Successoribus confirmat privilegia inungendi Reges Franciæ, idem Innocentius anno 1205. Idibus Maji, Epistola 75. Regesti Vaticani, illique scribit anno 8. Pontificatus 5. Calendas Junii, & 6. Nonas Maji. Post multa verò præclarè gesta, ad Dominum migravit anno 1206. ut habet vetus Chronicon: *Guido* (inquit) *apud Gandavum in Cænobio Sancti Bavonis ex disenteria obiit tertio Kalendas Augusti. Capitulum Remense quod sub interdicto posuerat, moriens absolvit. Tunc vacavit sedes Metropolitana, Theobaldo de Pertico impediente electionem.* Cadaver in Beati Petri Ecclesia depositum, indeque transfertur in chorum Cisterciensis Abbatiæ, ubi sequens Epitaphium binis versibus inscriptum legentibus prostat.

Nobis donatus de culmine Pontificatus,
Remis translatus, jacet hic vir Guido beatus.

In Manuscripto autem Codice Bibliothecæ Beatæ Mariæ Dunensis in Flandria, de hoc eodem *Guidone* alii duo leguntur versus, nimirum.

Ornant Guidonem doctrinæ dogmata sacra,
Cui Romana dedit rubeum post curia sertum.

Jam ad Guidonis doctrinam, quam hoc ultimum Carmen testatur, veniamus. Scripsit adhuc sub Abbatialis suæ prælaturæ initium, *Constitutiones & Leges novas pro militibus Calatrava*, quas iisdem observandas anno 1187. dedit, impressas apud Henriquez *in Libro Privilegiorum* anno 1630. editionis Antverpiensis. Sub eodem anno 1195. statutum fuit in Capitulo Generali Ordinis Cisterciensis, ne ullus Cisterciensium ad Carthusianos sine consensu Abbatis transmigraret, vel è contra, ut est in antiquis Carthusianorum Constitutionibus editis. Scripsit & alia Guido Abbas Cisterciensis, nam Joannes Bunderius in suo *Indice MSS. Belgicorum*, num. 331. refert extare Parisiis apud Victorinos Canonicos Regulares *hujus Guidonis Summam Theologia*, cujus initium est, *Contestare populum ne fortè &c.* Ita vere Bunderius, habeturque Summa præfata apud Bibliothecam Victorinam Littera LL. 14. p. 176. Incipit Prologus ut supra dictum est, *Contestare populum ne fortè velit transcendere terminos adversus Dominum &c.* Ita Prologus, Summa autem incipit, *Quoniam sicut dicitur in Metaphysicis, quemadmodum est dispositio oculi noctuæ ad lucem diei, ita est dispositio intellectus nostri &c.* in fine autem legitur, *Explicit Summa Domini Guidonis Abbatis Cisterciensis, de diversis quæstionibus Theologia:* tandemque Syllabus Quæstionum. Plura dabunt *Menologium* Chrysostomi Henriquez. Calendarium Ordinis Cisterciensis. Arnoldus Wion Libro V. *Ligni Vita.* Doctissimus vir Ferdinandus Vghellus, tomo 1. *Italia sacra* quam collegit, in Episcopis Prænestinis fol. 210. & 305. Carolus Vischius *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis*, pag. 132. ubi tamen male asserit ipsum esse mortuum annò 1220. decimo tertio Calendas Junii, qui anno 1206. tertio Calendas Augusti mortuus legitur. Fratres Sammartha-

thani *in Gallia Christiana* tomo 1. pag. 519. in Archiepiscopis Remensibus, fol. 512. ac tomo 4. fol. 246. in Abbatibus Cisterciensibus. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 106.

1190 MAGNUS RICHOBERGENSIS, Noricus, Presbyter Augustiniani Canonicorum Ordinis, temporibus Henrici VI. Imperatoris claruit ac scripsit *Chronica* quibus se in scribendo adjutum fuisse testatur Joannes Aventinus libro VI. Annalium Bojorum: atque hoc *Chronicon* esse videtur *Monasterii Reichersbergensis*, quod primus edidit anno 1611. in 4. Monachii, Christophorus Gewoldus J. C. & Maximiliano Bavariæ Duci à Consiliis. Hæc Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 54. pag. 440. editionis ultimæ.

1190 THOMAS FRIGIDIMONTIS ABBATIÆ MONACHUS, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu Bellovacensi, homo vario scientiarum genere excultus, natione Anglus, patriâ Beverlacensis fuit, non procul ab Himbro flumine, Hulnone patre, & Sibyllâ matre genitus. Ante claustri ingressum, Sancto Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo intimè carus, & in omnibus tribulationibus atque peregrinationibus comes individuus. Cum autem Thomas exul Pontigniaci hospitaretur, Thomas hic ad Frigidimontis Monasterium accedens, Monasticen illic petiit atque obtinuit. Sororem habuit Margaretam, vulgò Hierosolymitanam cognominatam, tum quia Hierosolymis nata fuit, dum mater devotionis gratiâ ibidem peregrina versaretur, tum etiam quod in Angliam reportata, posteà adhuc iterum ac tertiò pedes eò profecta est, ut multi scribunt. Illam autem Hierosolymis natam fuisse, habetur expresse in ipsius Vita per Fratrem Thomam conscripta hisce verbis, quibus auctor Virginem loquentem introducit.

Mox ut concipior, Anglorum gente relicta
Hierusalem tendit, sanctus uterque parens.
His onerosa comes, materno deferor alvo,
Post menses aliquot urbs sacra fuit iter;
Et dum vota pater pia solvit, nascor ibidem &c.

Itaque Thomas noster scripsit *Vitam virtutesque eximias sororis suæ Margaretæ Jerosolymitanæ, Monialis Cisterciensis Carmine Elegiaco* docto & venusto, quæ MS. extat in Monasterio de Eitera in Navarra, in Nucolensi item, atque Claravallensi, quam etiam Angelus Manriques ex Codice (ut ait) Claravallensi, pro magna parte suis *Annalibus Cisterciensibus* inseruit suprà, partim ad annum 1187. cap. 8. partim annis aliquot sequentibus. Florebat igitur anno circiter 1190. Thomas de Beverlaco Frigidimontis Monachus, qui præterea scripsit unum Tractatum *De contemptu mundi*, seu *De modo benevivendi ad sororem suam*, qui teste Barnaba de Montalbo, in Claravalle asservabatur, sed inter Opera Divi Bernardi spuria sæpissime impressus est, ut supra in *Bernardo* diximus. Porrò Thomam fuisse Monachum in Frigidomonte, & non in *Fontefrigido* qui Ordinis ejusdem est (ut Henriquez in *Phœnice*. & alii quidam scripserunt) ex eadem etiam vita constat, ubi Margareta Hierosolymis reversa, & fratrem quærens, ita loquitur.

Vnica spes superest, germanum quærere fratrem:
Audio jam Monachum, Francia te repeto.

Et post pauca,

Bellovacum veniens, ubinam sit sciscitor: inde
Monstratur Fresmons, quo manet ille, locus.

Item post finem totius Operis, Explicit liber Domini Thomæ Monachi de Fresmons, De periculis & peregrinatione Margaretæ Sororis suæ, tandem in Monasterio Laudunensis Diœcesis, Ordinis Cisterciensis, feliciter consummatæ. Floruit Thomas circa annum 1190. & ultra, tandemque sanctissimo vitæ tramite absoluto, ad repositam sanctorum laborum mercedem abiit, ut loquitur Andreas Du Saussay in *Additionibus* ad Martyrologium Gallicanum, die ultima Decembris: quo etiam die illum *Menologio* suo adscribit Chrysostomus Henriquez, Sororem verò ejus Margaretam die 18. ejusdem Mensis. Hæc nos paucis immutatis ex Carolo Vischio *in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis* pag. 311. & 312. de quo etiam Manriques tomo 3. *Annalium Cisterciensium* ad annum 1192. cap. 3. num. 3. & 4.

ANDREAS SILVIUS MARCHIANENSIS ABBATIÆ PRIOR, Ordinis divi Benedicti, in territorio Duacensi in Belgio, circa annum 1190. clarus scripsit *Historicam Synopsim Merovingicæ Stirpis Regum Francorum*, quam cum continuatione aliorum, edendam procuravit Duaci anno 1633. duobus in 4. tomis Raphael de Beauchamps cum Notis. Hæc autem Synopsis hortatu Petri Attrebatensis Episcopi composita fuit circa annum 1190. qui ex Abbate Cistercii anno 1180. in Episcopum consecratus, anno 1203. mortuus est, unde liquet tempus quo Sylvius claruit. Scripsit etiam idem Andreas *Libros duos De miraculis Sanctæ Rictrudis*, quos anonymos evulgarunt exceptores seu continuatores Joannis Bollandi, ad diem 12. Maji. Hæc tempora plane conveniunt cum prælatura Simonis apud Marchianenses Abbatis anno 1199. instituti & 1202. mortui, sub quo *Chronicon Marchianensis Abbatiæ* scriptum est, ut creditur ab eodem Andrea Silvio; quod Antverpiæ MS. asservatur 1190

 apud

apud Patres Societatis Jesu. De illo Raphael de Beauchamps in Præludiis ad editionem *Synopseos Historicæ Stirpis Merovingicæ*. Socii vel Successores Bolandi in *præludiis* ad Vitam & Miracula Sanctæ Rictrudis, ad diem 12. Maji. Gerardus Joannes Vossius, Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 2. De Historicis incertæ ætatis, Littera A. pag. 695. Carolus Dufresnius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* columna 84. ubi eum anno 1194. mortuum scribit. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* pag. 56. editionis 1643. Lovanii in 4. ultimæ.

1190 PANDULPHUS MASCA natione Italus, patria Pisanus, post annum MCXC. claruit, Romanæ etiam Ecclesiæ Cardinalis factus, qui nomen posteris suum commisit, dum *Pontificali Urbis Romæ*, quod sub nomine S. Damasi Romani Pontificis excurrit, ac *De Gestis Romanorum Pontificum* etiam dicitur, labore non exiguo *Supplementum* ad suam usque ætatem elaboravit. Supplementum illud, uti multis creditur, non a Gregorio VII. usque ad Honorium II. protenditur tantum ut Inuphrio Panvinio placuit, in *Annotatione prima* ad Vitam S. Petri Apostoli quam Platina composuit: neque etiam orditur a Sancto Petro usque ad Innocentium III. ut ab aliis scriptum est, Sed ex editionibus Venetis annorum 1547. & 1600. Supplementum istud incipit a Vita S. Leonis noni seu ab anno circiter MXLIX. usque ad Innocentium III. seu ad annum Seculi XII. MCXCVII. vel MCXCVIII. Primus quem sciam qui Pandulphi Mascæ meminit ejusque *Supplementum ad Vitas Romanorum Pontificum* allegat, est Felinus Sandæus in Opere quod circa annum MCCCCLXXXXVI. temporibus Alexandri VI. Romani Pontificis composuit. Ita Vossius Libro 3. *De Historicis Latinis* cap. 11. pag. 661. editionis ultimæ 1651. Lugduni Batavorum in 4. his verbis. „Felinus Sandæus „Ferrariensis JurisConsultus, atque ut a Mi„chaele Farino Mediolanensi Epistola ad ipsum „Felinum vocatur, Rotæ auditor, utriusque Re„ferendarius Palatinus clarissimus, *Epitomen de „Regibus Siciliæ & Apuliæ, & in his nominatim de „Alphonso Rege Aragonum scripsit ad Alexandrum „VI Pontificem Maximum*: quæ cum Seculum „& amplius latuisset, in lucem protracta est be„neficio Marquardi Freheri, Hanoviæ Weche„lianis typis. Est autem nihil aliud, quam Cen„tones ex Pandulpho Ostiario, Ottone Frisin„genſi, Antonino, Pio IV. Blondo, Poggio, Plati„na, Matthæo Palmerio, Bernardo Justiniano, „Leonardo Aretino, Philippo Bergomate, quo„rum & nomina excerptis singulis subjungit. Hæc Epitome Felini Sandæi *De Regibus Siciliæ & Apuliæ*, cum aliorum opusculis, prodiit Hanoviæ 1611. in 4. ex Bibliotheca Marquardi Freheri cum Præfatione & Notis ejusdem. De eodem Onuphrius etiam Panvinius in Platinam *Annotatione prima* ad D. Petri vitam, ubi loquitur de illis qui *Pontificale Damasi Papæ de Vitis Roman. Pontificum* continuarunt ac Supplementis successu temporis auxerunt. *Guillelmus alter Apostolicæ Sedis Bibliothecarius, qui ab Hadriano II. usq. ad Alexandrum II. Et Pandulphus Pisanus, qui à Gregorio VII. usque ad Honorium II. easdem vitas persecuti sunt.* Porro in his Panvinii verbis, quot verba, tot errores. Guillelmus ille Bibliothecarius, non continuavit Vitas Romanorum Pontificum ab Hadriano II. usque ad Alexandrum II. hoc est ab anno 867. usque ad annum 1060. Sed incœpit *Supplementum* suum a Leone IX. usque ad Innocentium VI. inclusive, hoc est ab anno 1049. ad annum 1360. ut infra dicemus ad eundem annum 1360. Pandulphus quoque Pisanus non incipit a Gregorio VII. usque ad Honorium II. hoc est ab anno 1073. ad annum 1124: Sed a Leone IX. usque ad Innocentium III. hoc est ab anno 1049. ad 1198. Ludovicus Jacob à Sancto Carolo, qui *Bibliothecam Pontificiam* libris duobus distinctam anno 1643. Lugduni in Gallia edendam in 4. curavit, mentionem Pandulphi Mascæ libro 2. pag. 410. his verbis habet. „Pandulphus Masca, Pisanus,„ Tuscus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter„ Cardinalis tituli Sanctorum duodecim Aposto„lorum, Prior Presbyterorum, scripsit *Romano„rum Pontificum vitas à Sancto Petro usque ad Innocentium III.* editas Venetiis an. 1547. & 1600.„ Extant MSS. in Bibliotheca Vaticana Num. seu„ Codice 226. & 3762. & in Museulo Alexandri„ Cherubini. *Gelasii Papæ II. vitam*, quam Com„mentariis illustravit Dominus Constantinus„ Cajetanus Abbas, ad Urbanum VIII. Pontifi„cem Maximum dicatam, Romæ anno 1638. in„ 4. typis Caballinis. Obiit anno salutis 1198.„ sub Romano Pontifice Innocentio III. „ Fallitur autem Ludovicus Jacob à Sancto Carolo, quando inquit *Pandulphum Mascam opus suum à Sancto Petro incepisse ad Innocentium III.* qui *Supplementum* suum inchoavit à Leone IX. tantum, hoc est ab anno 1049. ad Innocentium III. seu ad annum 1198. Ejusdem meminit Augustinus Oldoinus Societatis Jesu Historicus insignis, in *Athenæo Romano* litera P. pagina 520. quod anno 1676. Perusiæ in 4. impressum est, ubi de Romanis Pontificibus & Pseudopontificibus, itemque de Cardinalibus & Pseudo Cardinalibus, qui Romanam Ecclesiam scriptis operibus illustrarunt, dilucidè his verbis loquitur. *Pandulphus Masca Pisanus, Presbyter Cardinalis sanctorum XII. Apostolorum sub Lucio III, qui vitam suam produxit usque ad annum Salutis MCCL. scripsit Vitas Pontificum Romanorum à Sancto Petro usque ad suam ætatem, hoc est usque ad Innocentium III. Hoc Pandulphi opus extare in Bibliotheca Vaticana refert Constantinus Cajetanus in Commentariis ad Gelasii II. vitam. Alio volumine descripsit res à Pisanis domi foresque, pace vel bello gestas. Vide alia apud Ciaconium, Panvinium & alios.* Idem in Catalogo Scriptorum, unde sua in præsenti Opusculo habuit, quem ad Operis calcem subjun-

junxit. *Pandulphus Masca Pisanus, S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli Sanctorum XII. Apostolorum, & Prior Presbyterorum, Vitas Romanorum Pontificum à Sancto Petro usque ad Innocentium III. Venetiis annis 1547. & 1600. editas, seu potius continuavit Guillelmum Bibliothecarium usque ad annum 1198.* Corrigit his ultimis verbis, id quod anteà scripserat, nempe scripsisse *vitas Romanorum Pontificum à Sancto Petro usque ad Innocentium III.* dum addit, *seu potius continuavit Guillelmum Bibliothecarium usque ad annum 1198.* Sed *Supplementum* istud Pandulphi, ut ex editionibus Venetis allatis constare potest, orditur à Leone IX. seu ab anno 1049. procedens inde usque ad tempora innocentii III. seu ad annum 1198.

Nec prætermisit Scriptorem hunc Gerardus Joannes Vossius, de quo sic loquitur *De Historicis Latinis* libro 2. cap. 53. pag. mihi 437. editionis 1651. Lugduni Batavorum ultimæ in 4. „Circa annum 1194. Pandulphus Pisanus Cardinalis, Vitas Pontificum Romanorum ab Eisengrenio dicitur in literas retulisse. Puto planè „eundem esse, qui Epitome Felini *De Sicilia & „Apuliæ Regibus* ad Alexandrum Pontificem Maximum exaratâ, vocatur *Pandulphus Hostiarius „Lateranensis Ecclesiæ*, ac scripsisse dicitur *Additiones ad Chronica Damasi Papæ.* Ibidem verba ejus adducit ex *Vita Leonis noni, item Gregorii Septimi.* Porro Christophorus Sandius, qui anno 1676. *Annotationes* in libros tres *De Historicis Latinis* Gerardi Joannis Vossii, in 16. Amstelodami edidit, pag. 351. post verba *Gregorii Septimi*, hæc addit. „At Onuphrius Panvinius scribit „*Annotatione prima* in Divi Petri Vitam à Platina, „Pandulphum Pisanum exarasse Vitas Pontificum Romanorum à Gregorio VII. usque ad „Honorium II. Leo autem IX. obiit annis XIX. „antequam Gregorius VII. Pontifex crearetur. „Contra Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo in „*Bibliotheca Pontificia* inquit: *Pandulphus Masca „Pisanus, Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum XII. „Apostolorum, primus Presbyterorum, scripsit Romanorum Pontificum Vitas à Sancto Petro usque ad „Innocentium tertium:* quod necessariò exclusivè „intelligendum est. Item Gelasii II. Vitam, „quam notis illustravit Constantinus Cajetanus. Obiit anno 1198. Hac ergo ratione „*Vitam S. Leonis noni* scripsisse illum facilè concesserim. Videtur autem hac in re, Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo, majorem quam „Onuphrius mereri fidem, quod non tantum „Vitarum Pontificum editiones duas Venetas, „sed & duos Manuscriptos Codices Vaticanos „allegat.“ Porro ambæ editiones istæ Venetæ continent jam dictum à nobis *Pontificale Urbis Romæ* seu *De Vitis Romanorum Pontificum* sub nomine Damasi Papæ, a Sancto Petro usque ad Stephanum VI. seu ad annum 890. quæ certò spectant ad *Damasum Portuensem Episcopum*, qui eas sub Damasi Papæ nomine falso inscripsit, ut Operi suo ita supposito majorem auctoritatem ac fidem procuraret. Addidit autem *Supplementum* supposito huic operi Pandulphus Pisanus, non a Stephano VI. seu anno 890. in quo Damasus Portuensis Episcopus opus suum conclusit, seo a Leone IX. seu ab anno 1049. usque ad annum 1198. ut editiones Venetæ habent.

ALBERTUS VERCELLENSIS EPISCOPUS ET PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS, Eremita primùm ut volunt seu solitarius, unde circa annum 1180. ad Episcopatum Vercellensem promotus, anno 1190. florebat. 1190 Factus Patriarcha Hierosolymitanus ex parte Latinorum, scripsit *Regulam Carmelitis seu Solitariis in monte Carmelo commorantibus*, quam ediderunt Successores Actorum Bollandi in Aprili suo mense, Commentariis præviis ad *Vitam Sancti Alberti Carmelitarum Legislatoris.* Vivebat adhuc anno 1206. de quo Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 381. pag. 255. *Bibliotheca Ecclesiastica.* Sed eruditissime Bollandistæ in mense suo Aprili, quos quivis consulere potest, quorum diligentiæ in hoc argumento *De Vita hujus Alberti* deesse nihil potest. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præfixit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 82. Hanc autem Alberti Patriarchæ Jerosolymitani regulam a *solivagis* istis in Carmelo degentibus, non observatam fuisse, conjicimus ex *Chronica* antiquissimâ Ordinis Fratrum Prædicatorum, quam Leander Albertus profert. Hæc sunt verba Leandri Alberti Bononiensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Libro 3. *De Viris Illustribus sui Ordinis* in Vita Gullielmi Antacavensis Antistitis. *Fuerunt*, inquit, *in Hierosolymitanis partibus, seu in Palæstina, & præcipuè in monte Carmelo nonnulli viri solivagi, seu (ut eorum utar vocabulo) Heremitæ, prout fusiùs in Cronicis & in compluribus Sanctorum gestis & actibus videri potest. Circa verò annum Domini MCCXXVI, horum vitam integram moresque sanctissimos cernens, Aymericus Malafayda Antiochenus Patriarcha, vir insignis, eorum consuetudine plurimùm delectatus, spiritualibus eos fovere cœpit auxiliis. Sed cùm nullum in scriptis vivendi modum haberent, unum quo vivere deberent, [illegible]scripsit: deinde alium ab alio segregans, cryptam seu tugurium per Carmeli montem cuilibet proprium tribuit. Postremò reposuit omnes sub cujusdam viri probi cura, & professionis nodo ad illum modum servandum colligavit, curavitque legem per se latam à sancta sede Apostolica approbari: sicque hujusmodi viros divagantes per Carmeli montem, in unum collegit. Post multos verò annos ad Innocentium IV. Pont. Max. Lugdunum venientes, (pro eo quod Canon dictus nimis gravis videbatur, nec in urbibus vel villis habitare licebat) obtinuere, quod committeretur totum eorum negotium Hugoni Cardinali & Guilhelmo Antistiti Antacavensi Ordinis Prædicatorum, seu viris egregiis & ingenii prudentia præditis, ac discretione præcipuis. Ii verò jussu Pontificis specialem canonem scripsere, atque illis tradidere, quo ex tunc profitentur & vivunt anno MCCXLVII. Hæc ex Chronica Ordinis* no-

nostri. Conformia sanè his Leandri Alberti verbis, habet Joannes Balæus rerum istarum peritissimus, in Opere *De Scriptoribus Britanniæ* Centuria 2. cap. 66. in Appendice. Centuria 3. cap. 4. in Appendice. Cap. 82. in Appendice Centuria 4. in Vita Innocentii IV. Cap. 3. in Appendice ex *fasciculo tripartito* Joannis Palæonidori seu Oudevaterani, quem etiam *Veteraquinatem* appellant. „Juxta Aubertum Miræum loco citato, Albertus Patriarcha Hierosolymitanus sub annum millesimum ac ducentesimum „Carmelitanis Monachis, in Syria agentibus „*Regulam Vitæ* præscripsit ac publicavit, tunc in „urbe Aconensi seu Ptolemaide residens, quod „Hierosolymam eo tempore Saraceni occuparent. Narrat se habuisse diu numum argenteum, ipsius jussu auc saltem ævo excusum cum „hac inscriptione: *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus M CC VI, Hierosolyma à Saracenis capta, sede Aconem translata. Numus peregrinorum.* Hæc Aubertus Miræus in Auctario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* c. 3. p. 255.

1200 GERVASIUS CANTUARIENSIS SEU DOROBERNENSIS MONACHUS, qui & Gervasius Melkelaja dicitur, quem anno 1128. claruisse falsò hallucinatus est in Bibliotheca sua Conradus Gesnerus, anno circiter Christi 1200. sub Joanne Anglorum Rege floruit, quem etiam laudat Joannes Lelandus MS. in Bibliotheca Oxoniensi publica in illo nimirum eximio Opere quod *De Scriptoribus Anglicis* composuit, his verbis. „Gervasius Dorobernensis Monachus, sanum Servatoris eruditione insignis „multa illustravit. Studuit supra quam cuiquam credibile antiquatum rerum cognitioni, „quo nomine ingentem Historiographorum „numerum collegit, præcipuè verò eorum qui „Res Britannicas & Saxonicas accuratè tractabant. Vnde & ipse tandem in arenam descendens, periculum ingenii fecit, edito volumine planè egregio, in qua tum *Britannorum* „*ab origine historiam, tum Saxonum & Nortmannorum fortia facta usque ad imperium Joannis Regis* „*Angliæ deduxit*, diligenti quidem inexhausta. „Deinde industria non minori, *Vitas Archiepiscoporum Cantuariensium* perscripsit. Præterea ad „comulum addidit *librum De Regionibus Britanniæ, deque sedibus Pontificiis in ea constitutis*, ac „denique de Monasteriis in eadem a nobilitate „constructis. Ita Lelandus hactenus de Gervasiani ingenii prole. Ejus in citato supra Joannis Seldeni *Collectaneo Historicorum Angliæ* Opera sunt, *Tractatus De combustione & reparatione Cantuariensis Ecclesiæ*, col. 1289. *Imagines de discordiis inter Monachos Cantuarienses & Baldewinum Archiepiscopum*, col. 1303. *Chronica Anglorum usque ad imperium Joannis Angliæ Regis*, ab anno 1122. usque ad annum 1199. col. 1334. *Vita Pontificum Cantuariensis Ecclesiæ*, col. 1629. Floruit sub Joanne Rege anno 1200. & sequentibus, cujus mentionem faciunt Joannes Balæus Centuria 3. Scriptore 48. Joannes Pitseus, Ætate 13. Scriptore 285. Gerardus Joannes Vossius, Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. mihi 452. Joannes Seldenus in Præludiis ad Decem Scriptores Historiæ Anglicanæ, quos anno 1652. in fol. Londini editos habemus, sumptibus Cornelii Beé.

THEODORICUS ORDINIS DIVI BENEDICTI ABBAS, natione Germanus, 1200
Congregationis Cluniacensis, ut in *Bibliotheca* sua scribit Conradus Gesnerus, (quam Guillelmus Eisengrenius fuisse Vissemburgensem ait) complevit *Vitam Sanctæ Hildegardis Abbatissæ* quæ anno 1180. ad diem 17. Septembris obiit. Cum enim illam Godefridus quidam aggressus fuisset nec perfecisset, incœpto operi Theodoricus pietate ac religione motus *duos adjecit libros*, primum *De visionibus S. Hildegardis* alterum *De miraculis quæ Deus per eam fecit.* Extat opus istud Theodorici inter MSS. Codices Anglicarum Cathedralium Num. 6889. in MSS. Codicibus Henrici Worseley Codice 41. inscriptum ad Moguntinenses Prælatos, fol. in Charta. Hosce tres libros *Vitæ Hildegardis*, cum Epistolis illius, edidit Coloniæ anno 1566. Quentelius, ac post eum Laurentius Surius eos quoque habet *in Probatis Sanctorum Vitis* tomo V. ad diem 17. Septembris. Claruit hic Theodoricus anno 1210. & 1220. vel circiter, cujus mentionem faciunt Josias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri, verbo *Theodoricus* pag. 455. ubi tamen malè ait, *scriptam esse ab ipso Vitam S. Hildegardis Abbatissæ libris quatuor*, cui duos tantum addiderit. Antonius Possevinus *in Apparatu sacro* tomo 2. verbo *Theodoricus*, ubi pro more suo *Gesnerum* transcribit. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. pag. 443. editionis ultimæ.

STEPHANUS LANGTON, CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS, ET S. R. E. CARDINALIS, natione Anglus, sub Seculi XIII. initium floruit, electus Vniversitatis Parisiensis Cancellarius. Factus ab Innocentio III. Summo Pontifice anno 1206. S. R. E. Cardinalis tituli Sancti Chrysogoni, & anno sequenti ob eminentiam scientiæ, morumque probitatem Archiepiscopus Cantuariensis. Quem cum tam eminens scientia, totque Commentarii omnigena eruditione referti commendaverint: pluribus hic hominem depingere, ejusque functiones enarrare, haudquaquam eruditos pœnitebit. Stephanus itaque Longtonos, quem MSS. Codices Latinè appellant *Stephanum de Linguatona*, natione Anglus, ab ineunte ætate, ad litteras propensus, a patria in Galliam transmeavit, ut in celeberrima toto orbe Parisiensi Academia bonis artibus ac studiis vacaret: in quibus adeo brevi excelluit, ut in Philosophia Peripatetica, ac Sacra Theologia nulli suo tempore secundus haberetur, & utramque publice sum-

summa cum laude docuerit. Doctoratus enim lauream consecutus, posteà Cathedralis Basilicæ B. Mariæ Canonicatu, ipsiusque Academiæ Cancellarii munere ob eximias ingenii dotes, auctus atq; donatus est. Hujus eximii viri fama ad aures Innocentii Papa III. pervenit, qui cum litteras plurimum amaret, litteratosque viros impensè coleret, eorumque societate & colloquio valde oblectaretur: Stephanum qui inter alios principem eo tempore locum tenebat, Romam accersitum, Presbyterum Cardinalem sub titulo Sancti Chrysogoni constituit, circa annum Domini 1206. in tertia vel quarta promotione quam fecit, juxta Vghellum & Auberium (variæ enim sunt de ejus promotione sententiæ) quam Ciacooius & alii rejiciunt in creationem ejusdem Pontificis octavam, anno Christi 1212. factam. Mortuo ante biennium Huberto Cantuariensi Archiepiscopo, Monachi illius Ecclesiæ timentes, ne Rex more suo electionem impediret successoris, consensu ejus minime requisito, confestim Reginaldum Suppriorem suum clam elegerant, Romamque miserant à Pontifice confirmandum, antequam Regi res innotesceret. Cum verò Pontifex confirmationem denegasset antequam de legitimâ ejus electione constaret, Monachi intelligentes culpâ & loquacitate Reginaldi rem dilatam esse: tum quia in eum jam irati erant, tum quia jam ne ipsi Regem in se iratiorem sentirent, timebant: facultate novæ electionis ab eo obtentâ, eoque jubente Joannem elegeruot Episcopum anteà Norvicensem, omnium ejus secretorum conscium. Sicque facto schismate, & multis quidem priorem electionem approbantibus, cæteris posteriorem, cum diu partes apud Pontificem altercatæ essent, nec in alterutrum consentire possent: idem Pontifex anno 1207. re maturius deliberata, cum & utriusque electionem vitiosam esse, & contra constitutiones Canonum factam reperisset: utraque irritâ declarata, tertium eligendum censens, id per Monachos Cantuarienses qui ad Sedem Apostolicam prædictæ disceptationis occasione frequentes advenerant, ibidem Romæ fieri jussit. Monachis tameo sese palam excusantibus, haud id sibi licere, præter sui Conventus & Regium consensum. Eligunt tamen Stephanum Langtonum natione Anglum, quem Innocentius III. eodem anno ex Lectore publico & Academiæ Parisiensis Cancellario, ob morum probitatem ac Philosophiæ & Theologiæ aliarumque scientiarum insignem peritiam, Cardinalem Presbyterum tituli S. Chrysogoni creaverat. Electum Summus Pontifex anno 1207. propriis manibus consecravit XV. Calendas Julii, scribensque ad Regem litteris benignis & suavibus, ut eum susciperet hortatus est. At Rex irâ excandescens ob repulsam Episcopi Nortwicensis, quem omni conatu fovebat: Monachos imprimis omnes à Conventu Cantuariensi, bonis Ecclesiæ fisco addictis, expulit, & Stephanum ne pedem in Anglia poneret, prohibuit. Rex deinde aculeatas Pontifici reddens litteras, graviter de re gestà expostulavit, quasi ingratus Pontifex de beneficiis ab Anglia in Sedem Apostolicam collatis, ejus jura electionis atque prævii ad eam consensus temerate præsumpsisset. Ad quæ respondens Pontifex, tam docuit nec se contempsisse per Litteras & nuntios, Regis consensum postulare, antequam Stephanus ordinaretur: quàm de electionibus quæ apud Sedem Apostolicam celebrarentur, minimè consuevisse Principum consensum requiri: deoique in memoriam revocans præclarum Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi pro Ecclesiasticâ libertate certamen, factamque patris fratrisque ipsius Johannis in manibus Legatorum Apost. ejusmodi pravarum consuetudinum abjurationem: paternè admonuit, ne se in eas difficultates conjiceret, ex quibus se vix expedire posset. Recitat integras Innocentii Litteras Parisius in *Historia* sua, datas hoc Pontificatus ipsius anno decimo, post Summam Regiarum relatam, totamque rem ab initio gestam singulis suis temporibus accuratè describit: ex quo aut post quem alii brevius, ut Matthæus Westmonasteriensis, Thomas Walsinghamus, Polydorus Virgilius, & alii. Sed cum illi ad aliquid obtinendum a Joanne Rege tantum abessent, ut etiam graves atque terribiles illis minas intentaret, perque dentes Domini juraret (hæc enim erat illi, cum vehementius irâ corriperetur, aliquid asseverandi formula) si quidquam id genus per ipsos, vel alios quoscunque accideret: se Episcopos Clerumque omnem, bonis & possessionibus eorum sibi vindicatis, exilio proscripturum: ac quoscunque in sua ditione reperisset Pontificios, oculis & naribus mutilatos Romam amandaturum, minasque ipsas effectu secuto confirmasset. Itaque cum io Clerum omnem, sed in illas præsertim, qui *Stephano*, aliquo necessitudinis, cognationis, aut consanguinitatis vinculo juncti erant, impiè desæviret: & alios bonis etiam patrimooialibus spoliasset, alios in ergastula detrusisset, solitum etiam Beati Petri denarium, ac Regni Anglici censum pendere renuisset: Summus Pontifex post diuturnam patientiam, tentatisque omnibus, quibus Regem ad officium revocare posset, eundem ad malum induratum esse conspiciens, latâ tandem anathematis seotentiâ, ab Ecclesiâ sejunxit, Regnum illius Ecclesiastico interdicto subjecit: omnesque qui ei antehac parerent, ab omni erga illum fide atque observantia absolvit, ac insuper Philippum Francorum Regem, ad Joannem tanquam apertum religionis hostem, bello lacessendum hortatus est. De illo Henricus de Knigthon Canonicus Leicestrensis Lib. 2. *De eventibus Angliæ* columna 2415. his verbis. *Incipit itaque hoc interdictum generale à prima Dominica passionis Domini, anno ejusdem MCCVIII. qua fuit eodem anno die Calendarum Aprilis, & duravit sex annis continuis, & uno mense: nihilque fiebat in sancta matre Ecclesia nisi parvulorum baptisma,*

ſma,& confeſſiones morientium. Corpora tamen eorum extra cimiterium ſepulta ſunt, & memoriale hoc non duravit, in ſecula. Hujus autem interdicti executores, Londonienſem ſcilicet, Wigornienſem & Helienſem Epiſcopos egit ipſe Rex in exilium, & multa alia mala inſtigante Diabolo perpetravit. Rex tandem Joannes, partim fulmine Eccleſiaſtico territus, partim bellico Ludovici Regis apparatu, potiſſimum verò Petri cujusdam vaticinio, qui ei conſtanter prædixit fore, ut ante annum Regno excideret: ad cor rediens atque reſipiſcens, totum ſeipſum voluntati Innocentii commiſit ejusque ſe mandatis per omnia obſequentem fore reſpondit & ſpopondit. Anno itaque 1213. Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum cum Monachis ſuis, aliosque omnes qui hac occaſione diu extorres facti fuerant, ab exilio revocavit, atque ad propria redire permiſit: qui & Regium diadema quod à capite detractum inter manus Pandulfi Cardinalis Legati Pontificii depoſuerat, poſt diem quintum ab eodem recepit. Quæ pluribus videri poſſunt apud Bzovium ad annum 1212. num. 5. & 6. ex Manuſcripto Vaticano *De rebus Anglicanis*, num. 5585. Toto autem ſexennio illo Stephanus Langtonus in Galliis manſit, ac ferme ſemper Pontiniaci cum Ciſtercienſibus Monachis, ubi remotus ab omni ſecularium rerum ſtrepitu, aſſidue volvebat ſacros Scripturæ libros, quos ibidem ex parte etiam commentatus eſt. Unde nihil mirum, quod tot Manuſcripta volumina Stephani Langtoni, in Bibliothecis Galliarum Ciſtercienſibus usque ad hodiernum diem inveniantur, quæ ex Pontiniaco transſcribenda, mutuata ſunt. Redditus autem Eccleſiæ ſuæ Cantuarienſi Stephanus Langtonus, inſtauravit ædes Archiepiſcopales Cantuariæ, quam quemadmodum & ipſam Metropolitanam Eccleſiam, plurima ſupellectile ſacra locupletavit: ac in eis multa & magna ſui in Deum religioſi cultus, & inſignis in Baſilicam munificentiæ & liberalitatis monumenta reliquit. Hic anno 1219. Nonis ſcilicet Julii, tranſtulit corpus Sancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris, ea munificentia, quam his depingit Henricus de Kingthon Lib. 2. *De eventibus Angliæ* columna 2430. *Facta eſt translatio Beati Thomæ Martyris per Stephanum Archiepiſcopum, qui durante ſolemnitate exhibuit cuique petenti fœnum & prabendam à Londonia usque ad Cantuariam, per viam itinerantii. Fecit etiam per totum diem translationis vinum jugiter in canalibus per variaurbis loca diſtillare: unde & expenſas quas Stephanus in hac ſollemnitate exhibuit, quartus ejus Succeſſor Bonifatius vix perſolvit.* Idem ad Cleri reformationem & diſciplinæ Eccleſiaſticæ per ejus abſentiam collapſæ reſtaurationem totus incubuit, Conciliumque provinciale ob id anno 1222. Oxonii celebravit, in quo ut habet Matthæus Weſtmonaſterienſis *in Florigerio Hiſtoriæ Anglicanæ*, comprehenſus eſt inter cæteros quidam nebulo, qui ut erroribus quos per Angliam ſpargebat, majorem fidem conciliaret, faciliusque ac periculoſius homines deciperet: pedibus manibusque ſuis ac lateri, ad inſtar vulnerum Chriſti, ſtigmata quædam ſibi imprimi atque inuri curaverat. Convictus ergo hæreſeos ac præſtigium confeſſus, Eccleſiæ judicio damnatus, atque mulctatus eſt, cruci affixus: ut morte ſaltem illi eſſet ſimilis, cujus nomen & perſonam tam ſtolide quam impie aſſumpſerat. Innumera edidit volumina, ut meritò Nomenclator Cardinalium ea recenſens, illum divinis paginis continuò impalluiſſe, nec ullum unquam, Eccleſiam ſanctam juvandi calamo ſuo & illuſtrandi, finem videri feciſſe, dicat: unde Thomas Valdenſis *in Doctrinali* mentionem ejus non ſemel honorificam faciens, illius argumentis atque authoritate nonnunquam utitur.

Scripſit Commentarios in omnes vel plerosque Scripturæ libros a ſe in ſcholis lectos, ex quibus vol vi olim ejus *Commentaria in XII. Prophetas minores*, qui incipiunt, *Oſſa duodecim Prophetarum &c.* Item *In libros duos Machabæorum, Nehemiam, Tobiam, Judith, Eſther, Ruth, libros Regum &c.* quæ omnia vidi comprehenſa duobus ingentibus tomis in fol. in Bibliotheca Fulcardi Montis, Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu Rotomagenſi, qui in ditiſſimam Bibliothecam Colbertinam tranſierunt. Habentur autem Opera plura hujus Stephani Langthonii paſſim MSS. in Bibliothecis Anglicis & Gallicis, Commentaria nempe in Scripturam Sacram.

In Pentateuchum, Oxonii in Bibliotheca Collegii Trinitatis, Cod. 5. & Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 248. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. 4127.

In Joſuam Judices & Ruth, Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus Sancti Petri Cod. 248. & Sancti Benedicti Cod. 151. Idem *In Leviticum Joſue, Judices & Ruth*, MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 661. & in Regia Galliarum, Cod. 4128.

In Job Oxonii in Bibliotheca Orialenſi, Cod. 12.

In Eccleſiaſtem, MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 2808.

In Tobiam, Judith, Eſther, Eſdram, Libros duos Machabæorum, Oxonii in Bibliotheca Exonienſi, Cod. 3. Cantabrigiæ in Bibliotheca Domus S. Petri, Cod. 241. & S. Benedicti Cod. 151.

In Jeremiam, Ezechielem, Eſdram, Nehemiam, & duos Libros Machabæorum, Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti Cod. 145.

In Iſaiam Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, Cod. 376. & in Bibliotheca Claræ Vallis, *in quatuor Libros Regum, in Iſaiam Prophetam, & varii Sermones.*

In Eccleſiaſticum ejusdem Stephani Langtoni Commentarii, ſeparatim in fol. in Bibliotheca Claræ vallis. Item in Bibliotheca Publica Cantabrigiæ, Cod. 60. in Collegio S. Benedicti, Cod. 150.

Tropologia in duodecim Prophetas Minores, Oxonii in Collegio Trinitatis Cod. 6. in Exonienſi Cod. 3. & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica

Cod

Cod. 151. & in Collegio S. Benedicti Cod. 148. & in Bibliotheca Colbertina Codicibus 1754. & 4777. Idem *super Exodum atque in XII. Prophetas Minores*, MS. in Bibliotheca Claræ Vallis. Apud Longumpontem Cisterciensis Ordinis, *Stephanus de Lingnatona Cantuariensis Archiepiscopus in XII. Prophetas Minores*, duobus voluminibus, Littera I. 5. In Valle Lucensi ejusdem Ordinis, idem *Commentarius in XII. Prophetas Minores Stephani de Linguatona &c.*

Alia ejusdem in aliis Bibliothecis Cisterciensis Instituti in Gallia, nimirum *Stephanus de Linguatona in Epistolas Canonicas* MS. apud Claram-Vallem, cum ejusdem aliis.

Item in Valle Lucensi ejusdem Ordinis, MSS. insuper *Sermones Stephani de Linguatona*, pulpito 23. Littera G. quorum multa quoque in Bibliotheca Victorina Parisiensi, quæ brevitatis caussa omittimus. Item in Catalogo impresso MSS. Codicum Bibliothecæ Lipsiensis fol. 150. n. 36. *Sermones Stephani Cantuariensis Archiepiscopi de tempore & de Sanctis. Sermones item ad Sacerdotes De decem plagis, & alii.* Ejusdem *Sermo in Assumptionem Beatæ Mariæ Virginis*, qui incipit *Vidi, & super firmamentum &c.* MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca, Cod. MS. 4126. pag. seu f. 158. Vide & Catalogum MSS. Codicum Lipsiensis Bibliothecæ, pag 97.

Extat etiam MS. *Summa Theologica Magistri Stephani de Langtona* apud Bibliothecam S. Michaelis in periculo maris, Littera T. 3. cujus hucusque nullus mentionem fecit: quod mihi ex Catalogo ipsius ad Lucam Dacherium olim misso constitit, quem Patres S. Germani Parisiensis exhibuerunt.

Jam ad Historica progrediamur. Scripsisse etiam dicitur, *Vitam, Passionem & Translationem sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris* Libris V. incipientibus, *Professores artium seculi proprios &c.* qui extant MSS. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti, Cod. 75. Ludovicus Donius d' Attichy in *Floribus Historiæ Cardinalium* tomo 1. ad annum 1206. pag. 255. inquit: „Collegisse præterea S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris vitam, quam „*Quadrilogum* appellavit, quod ex quatuor illius „discipulorum ac familiarium scriptis relationibus, videlicet Heriberti de Boseham, postea „Cardinalis, Joannis Sarisberiensis, qui & Episcopus Carnotensis evasit: Guillelmi Stephanidis & Adami Tekelburiensis Abbatis, ab eodem *Stephano Cardinale* nostro composita & „concinnata fuerit, teste Hugone Menardo in „observationibus ad *Martyrologium Benedictinum*, „Lib. 1. ad diem 29. Decembris. Hoc autem salva pace utriusque authoris Hugonis Menardi & Ludovici Donii, haud verum est. Nam *Quadrilogus* compilatus & compositus dicitur tempore Petri Rogerii, qui Gregorius Papa XI. dictus est, circa annum 1370. ut patet ex editione Operis: & Stephanus Langthon anno 1228. mortuus est, ut infra dicetur. Præterea Libri V. Stephani Langthonii agunt De vita, passione & translatione corporis S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, quæ anno 1219. ab ipso facta est: at *Quadrilogus* nihil habet de translatione illius. Denique Libri V. Stephani Langthonii ab his verbis incipiunt, *Professores artium seculi proprios &c.* alio autem, prorsus modo *Quadrilogus* incipit, ut legenti constare potest. In genere autem historico, scripsit accurate Stephanus *Res gestas Richardi Angliæ Regis* Commentario insigni, quem exscripsit Ranulfus Hidgen in *Polychronico*, ac post ipsum Henricus de Knigthon Canonicus Leicestrensis Lib. 2. *De eventibus Angliæ* cap. 13. columna 2401. ex Cestrensi Libro 7. cap. 25. *Sic mortuo Rege Henrico apudque fontem Ebrardi sepulto, successit filius suus Richardus per decem annos regnaturus: cujus mores & actus Stephanus Cantuariensis luculenter descripsit. At ne præsens historia careat insigniis tanti Ducis, libellum Stephani cursim studui deflorare.* Extat Romæ MS. in Bibliotheca Vaticana, Codice seu num. 722. teste Gerardo Joanne Vossio Libro 2. *De Historicis Latinis* cap. 56. pag. 454 ultimæ editionis, ubi etiam attribuit eidem Stephano *Librum de Facta Muhammedi*. Ejusdem *Annalium Archiepiscoporum Cantuariensium Liber unus*, qui incipit, *Res gesta* &c. & habetur in Collegio Sancti Benedicti Cantabrigiæ, Cod. 21. sub nomine Stephani Archiepiscopi. Ex Nota veteris cujusdam, spectare dicitur ad *Radulfum de Diceto Londonensis Ecclesiæ Decanum*, quod tamen verum non est, nec in editis Radulfi de Diceto Operibus comparet. Rectius ergo juxta veterem inscriptionem Stephani Cantuariensis Archiepiscopi est. Hæc quidem Sheldenus in notis ad Scriptores X. Historiæ Anglicanæ, quem hic exscripsimus censuit: sed contra illum stat vir eximius & oculatus testis Henricus Warthon, quem supra in *Radulpho Dicetensi* retulimus, ubi erroris fontem detegit.

Extat *Epistola ipsius ad Joannem Angliæ Regem*, impressa tomo 3. *Spicilegii* Lucæ Dacherii. Item *Libellus de translatione corporis B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, ad calcem Epistolarum ejusdem sancti Thomæ Martyris pag. 885. de quibus ad annum 1160. egimus. *Constitutiones XLVIII.* in Provinciali *Angliæ* apud Guillelmum Lindwoodum, quod anno 1559. Londini in 8. editum est, & Oxonii anno 1663. in 8. Cistercienses in *Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium*, illum Ordinis sui Monachum induunt, sed pro more Monachorum, multa sibi facile attribuentium, quæ nequaquam ad eos spectant. Scimus equidem *Stephanum de Lingnatona* exulem in Galliis, recepisse se Pontiniacum Ordinis Cisterciensis Cœnobium: sed aliud plane est, hospitio ibidem charitative exceptum aliquot annis mansisse, aliud Monachismum assumpsisse; quod non legimus nisi apud neotericos Cistercienses sibi de his adplaudentes. Sedit annos 22. & Julii die 9. anni 1228. decessit apud ma-

nerium ſuum de Slindon in Suſſexia, unde cadaver Cantuariam deportatum in capella, D. Michaelis, prope gradus Auſtrales tumulatum eſt, ubi ſepulchrum ejus adhuc viſitur. De illo pleniſſime ſcriptores omnes *Rerum Anglicarum*, & Nomenclatores *Cardinalium*. De Scriptis autem ejus doctiſſime Anonymus Anglus inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ num. 2067. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera C. 2. Codice 6. pag. 110. *Magiſter Stephanus de Langton Archiep. Cantuarienſis obiit, qui Bibliam apud Pariſios locavit, Libros Regum expoſuit, Vitam Regis Ricardi dictavit, aliaque multa induſtria ſua volumina poſt ſe reliquit, anno 1228.* Joannes Balæus & Joannes Pitſeus in Operibus ſuis, *De Scriptoribus Angliæ*, quos adeas. Gerardus Joannes Voſſius Lib. 2. *De Hiſtoricis Latinis* cap. 56. pag. 454. ultimæ editionis.

1200 ADAMVS DE CORLANDON BEATÆ MARIÆ LAVDVNENSIS CANONICVS & DECANVS, Michaelis Senonenſis Archiepiſcopi diſcipulus, claruit ab anno 1190. vel circiter, usque ad annum 1226. quo mortuus, in capitulo ſancti Martini Laudunenſis conditus eſt, ſub marmore cum Epitaphio. Hic vir ſangvine ac moribus nobilis extitit, ab anno ut diximus 1190. ſcientia litterarum inſignis, in vico quodam Comitatus Roſſiaci, Fiſmenſi urbi contermino natus: in qua ſeptem præbendas fundavit ea lege, ut ſi quando illic Canonici perſiſtere non poſſent, earum reditus Eccleſia Laudunenſis poſſideret. Factus autem Laudunenſis Eccleſiæ Decanus anno circiter 1194. vel 1195. unde anno ſequenti 1196. Adamus velut Laudanenſis Eccleſiæ Decanus iniit ſocietatem precum cum Abbate & Cœnobitis ſancti Vincentii Laudunenſis, ordinis divi Benedicti. Conſcripſit ad Canonicorum ſuorum & Eccleſiæ utilitatem Librum cui titulus *Ordinarius Eccleſiæ*, ſive *Ordo divini officii in Eccleſia Laudunenſi*, in quo quæ obſervanda ſunt feſtis diebus atque potiſſimis anni feſtivitatibus & ſolemnitatibus in Eccleſia Laudunenſi, præſcribuntur. Hoc aurem Opus multis ritibus illuſtratum recentioribus immenſa mole rerum extranearum aggravatum, edidit duobus in ſol. voluminibus, anno 1662. Pariſiis Antonius Bellotus, Laudunenſis ejusdem Eccleſiæ Decanus. Cui ſauſtiora eruditi precati fuiſſent, ſi purum ac nudum Adami de Corlandon Opuſculum, absque immenſa, hac ferragine, obtuliſſet. Præterea ſcripſit *Varias quæſtionum in Sacram Scripturam Solutiones* diverſis temporibus, quas dicto Michaeli Archiepiſcopo dicavit, MSS. tribus in fol. voluminibus, in Bibliotheca Abbatiæ Cuiſtiacenſis, Ordinis Præmonſtratenſis, in Diæceſi Laudunenſi, ubi Supprioris olim & Proviſoris officio functus ſum. Prologus incipit, *Frange Eſurienti panem tuum &c. Pater Reverende ratio conſulit, utilitas ſuggerit, neceſſitas cogit &c.* Quæ autem deſunt ex uno volumine quod mutilum eſt, ex altero continente Opus integrum, ſuppleri poſſunt: Opera enim quædam illic bis manuſcripta ſunt. Eadem quoque Opera vid MSS. in Bibliotheca Igniacenſi, Ordinis Ciſtercienſis, Diœceſis Remenſis. Scr pſit *Quæſtiones* iſtas Adamus inter annum 1 94. & 1200. cum illas obtulerit Michaeli de Corbolio Senonenſi Archiepiſcopo, qui ſedere cœpit ab anno 1194. die 24. Aprilis, ad menſem Decembrem anni 1199. quo mortuus legitur. Interim occaſione Adami de Corlandon tempeſtas grandis advenit, quæ Eccleſiarum Cathedralium Remenſis noſtræ provinciæ Capitula mirum in modum exercuit: quamque ſi latius occaſione data deſcribere tentavero, Remenſi mihi condonabunt eruditi Lectores, non incongruam utique, cum Scriptorem Eccleſiaſticum illa attingat. Enguerranus de Conciaco ex bonis Eccleſiæ domeſticas opes augere cupiens, in Eccleſiæ Laudunenſis villas & prædia graſſari cæpit, agrosque vaſtare & depredari. Huic obſiſtendum ratus Adam de Corlandon, prædictæ Eccleſiæ Decanus, aliquos ex Reſciacenſibus bona Eccleſiæ diripientibus intercipit, quos carceri, donec ſatisfecerint, mancipavit. Enguerranus hac detentione nimium excandeſcens, Laudunum venit, ſatellitibus ac famulis ſtipatus, portas Eccleſiæ vi infringi jubet, Decanumque ex conſratrum veluti ſinu abreptum, pariter in vincula conjicit. Epiſcopus Laudunenſis hac injuria tanto viro irrogata in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis graviter commotus, Enguerranum a fidelium cætu, anno 1216. ſeregat, ſententiamque in eum laram promulgari per totam Diœceſim præcipit. Mittunt ſubinde Canonici Laudunenſes litteras querelis plenas ad Remenſe, Sueſſione, Cameracenſe, Attrebatenſe, & alia Capitula; opem ab eis poſtulant in impium ſceleratum, legum divinarum & humanarum conculcatorem, & excommunicatum. Capitula lectis litteris teſtantur ſe mœrore affici ob tam enorme ſcelus, ſpondentque opem, & ſolamen apud Metropolitam, ut ejus authoritate Enguerranus cogatur, præſentem reſarcire injuriam, omni via juris. Remenſes imprimis Canonici abſente Archiepiſcopo ſignificant, pro palam intimaſſe omnibus, Enguerranum ob tyrannidem anathemate percuſſum, & ut ſciant quam intime neſandum hoc crimen, cor eorum ac medullas penetrarit: addunt ſtatuiſſe corpora Sanctorum, quæ in eorum Eccleſia requieſcunt, cum feretris ſupra pavimentum ſpinis ſtratum deponere, his litteris quas relatu haud indignas judicavi, ob præclaram ceremoniam.

Litteræ Canonicorum Remenſis Eccleſiæ ad Laudunenſes.

„Viris venerandis & amicis reverendiſſimis, 1216
Adamo Decano, totique Laundunenſis Eccle-„
ſiæ Capitulo, M. Præpoſitus, H. Cantor, cæte-„
terique Remenſis Eccleſiæ Fratres, ſalutem, &„
ve-

"verum & constantem sinceræ dilectionis affe-„ctum. Novit cogitationum & operum scru-„tator & cognitor Deus, quod injuriam quæ „illata est vobis &c. scimus enim quod negn-„tium istud universas Ecclesias communiter „tangit; & per impunitatem tanti flagitii com-„mune imminet periculum Ecclesiasticæ liber-„tatis. Sed ne vobis parum, quod hactenus „fecimus, videatur, ad præstandum vobis ali-„quod consolationis remedium, & tollendam „de cordibus vestris suspicionem: corpora San-„ctorum, quæ in Ecclesia nostra requiescunt, „cum feretris super pavimentum deponenda, „& spinis decrevimus circumdanda, & ante sa-„cratissimum corpus & sanguinem Domini no-„stri Jesu Christi, contra prædictos persecu-„res vestros singulis diebus humiles proclama-„bimus, & prostrati: et si jam dictum Ingelra-„mum, in Ecclesia vel Civitate Remensi nove-„timus esse præsentem, cessabimus a Divinis.

Episcopus & Capitulum Suessionense, suum pariter obsequium, observantiæ & dilectionis tesseram in hoc turbido rerum statu, erga Laudunenses exhibuerunt sequenti Epistola.

Litteræ Episcopi & Capituli Suessionensis Ecclesiæ ad Laudunenses.

1216 „Haimo Dei gratia Suessionensis Episcopus, „S. Præpositus, G. Decanus, totumque matris „Ecclesiæ Suessionensis Capitulum, veris, „venerabilibus, & in Christo carissimis De-„cano & Capitulo Laudunensi, salutem, & pro „libertate Ecclesiæ stare viriliter, nec deficere „in adversis. Cum in ejusmodi volutabro nul-„lam certam habuerimus mansionem, nec ad-„huc etiam habeamus &c. turbati sumus fiqui-„quidem & dolemus, quod Ecclesia tanti nomi-„nis, tantæ dignitatis, quæ aliis Ecclesiis in con-„silio & auxilio consueverat subvenire, & con-„solationis ubera porrigere desolatis nostris „temporibus, jam præsentit præambulos Anti-„christi. Vnde ad supportandum onus ve-„strum, & desolationem vestram, imo nostram, „ardenti animo & ferventi desiderio, corda & „corpora nostra vobis universis & singulis ex-„ponimus, & res nostras: rogantes vos cum „quanta possumus affectione, & sub fœdere di-„lectionis, & firmitatis inter nos & vos imposte-„rum conservandæ attentissime requirimus: „quatenus intellectu dilectionis mutuæ, & quia „sumus, ad invicem debitores, bona nostra „quæ vobis exponimus, tanquam vestra pro-„pria accipiatis confidenter & secure: & eis „uti velitis in omnibus tanquam vestris, & si „vobis placuerit ad nos divertere, vobis parati „sumus occurrere, & cum omni honore debito „& devoto, in domibus nostris vel honorifice „recipere & liberaliter pertractare.„

Idem præstiterunt alia Remensis provinciæ Capitula, Abbatiæ, Prioratus, missis ad Laudunenses consolatoriis Litteris, quibus recensendis supersedeo. Honorius interim III. qui Enguerrano eidem sacris interdixerat, ob prava consilia, quæ Ludovico Philippo primogenito suggerebat in perniciem Regis Angliæ, audiens quanta procacitate in Laudunenses desæviret, & quod horum Decanus in vinculis ab eo detineretur: ob id præsertim iterum anathemate percussit, mandatque Remensi, Senonensi & Rotomagensi Archiepiscopis, ut tam illum quam adjutores, per provincias suas, palam excommunicatas esse denuntient. Cujus rescriptum Pontificis, ejusmodi est.

Ingelramnus de Corciaco diversis nominibus ab Honorio III. excommunicatus.

„Honorius Episcopus servus servorum Dei, 1216 venerabilibus fratribus, Remensi, Senonensi,„ Rotnmagensi Archiepiscopis, salutem & Apo-„stolicam benedictionem. Licet nobilis vir In-„gelramnus de Concy Laudunensis Diœcesis„ propter manifestam iniquitatem, qua Ludovi-„cum primogenitum carissimi in Christo filii„ nostri Philippi Regis Francorum illustris, ad-„versus illustrem Regem Anglnrum instigat,„ excommunicationis sit vinculo innodatus:„ quia tamen persequendo Ecclesiam Laudunen-„sem, Decanumque capiendo ac detinendo ca-„ptivum, alium laqueum excommunicationis„ noscitur incurisse: fraternitati vestræ per„ Apostolica scripta præcipiendo mandamus,„ quatenus specialiter hac de causa, tam ipsum,„ quam omnes consiliarios, coadjutores & fau-„tores ipsius excommunicatos publice denun-„ciatis &c. & facientes vestram sententiam per„ provincias vestras innovari frequenter, illam„ tandem facietis, per censuram Ecclesiasticam,„ appellatione remota inviolabiliter observari,„ donec idem nobilis Decano ipsi & Ecclesiæ suæ„ de damnis & injuriis satisfaciat competenter,„ & cum vestrarum testimonio Litterarum ad„ Apostolicam sedem veniat absolvendus. Cum„ enim talia non consueverint in regno Franciæ„ attemptari, principiis est fortiter resistendum,„ ne per incuriam tanta perversitas invalescat.„ Vnde caussam istam quasi propriam, imo com-„munem totius Ecclesiæ Gallicanæ, cum omni„ diligentia & prudentia prosequi studeatis. Da-„tum Laterani VII. Calendas Novembris, Pon-„tificatus nostri anno primo.„

Quomodo se gesserit Albericus Remensis Archiepiscopus in Ingelramum, valde dubium est. Extat Epistola ejusdem excusatoria ad Hebdomadarium & Capitulum Laudunense, qua elicitur tunc a sua Diœcesi & provincia abfuisse, cum censuris Diœceseon pulpita resonarent; quo statim ac reversus est, rogatur a Capitulis, ut in prædictum Corciacensem anathematis mucronem exerat, actaque ab ipsis Metropolitana authoritate comprobet. Omni-

um instar erit hæc Tornacensis Capituli Epistola, quam hic ob patheticos motus subjiciendam censui.

Tornacensis Capituli Epistola.

1217 „Venerabili Patri ac Domino suo Alberico
„Dei gratia Remorum Archiepiscopo, R. Deca-
„nus, totumque Capitulum Tornacensis Eccle-
„siæ, salutem & potentiam ad obsequium, & be-
„neplacitam cum obedientia & reverentia vo-
„luntatem. Audita gravi persecutione quæ
„Laudunensis Ecclesiæ facultatibus imminet, &
„personæ: si qua in nobis pietatis viscera, necesse
„se fuit medullitus conturbari. Fratres nostri
„antiquitus inter malleum & incudem positi,
„utiliter & patienter persecutorum tyrannidem
„pertulerunt, quia tempus erat patiendi: nec
„dum sperantes utrum usus duorum gladio-
„rum, quos instante sibi persecutione, infirmi-
„tati nostri temporis prospiciens Deus asseruit
„sufficisse. Nunc autem cum sancta Ecclesia
„hæc dicatur florere, pace sibi divinitus
„concessa, ecce in pace surrexit amaritudo ama-
„rissima, & penetravit gladius usque ad animam:
„cum in ovile Dominicum tyrannus crudelior
„lupis irruens, non solum oviculas quærit tru-
„cidare, sed etiam arietem gregis, virum scili-
„cet egregium, pium, modestum, ornatum mo-
„ribus, doctorem, jam se deglutisse gloriatur.
„Cum tamen boni pastoris voce & baculo, lupi
„rapaces sint a caulis Domini propellendi, quia
„nec sine caussa Principes seculi gladium, nec
„sine caussa, sicut melius nostis, Pastores Ec-
„clesiæ baculum portant: si tamen secundum
„Prophetam, non idola sed pastores appetunt
„nominari. Inde est, O pater sancte, quod
„nos fratribus & Dominis nostris Laudunensis
„Ecclesiæ Canonicis, toto cordis affectu con-
„dolentes, ad pedes Paternitatis vestræ cum
„ipsis, & pro ipsis provoluti, toto corde & oris
„affectu poscimus, ut zelum ferventem felicis
„recordationis illius Matathiæ, qui pro lege
„Dei sui ministris Antiochi restitit, assumendo
„adversus hominem pestiferum & Dominum
„de Concy, ministrum non Antiochi sed Anti-
„christi, utroque gladio sanctæ Ecclesiæ decer-
„tetis. Fortasse enim decrevit Dominus vos
„in hac parte provocare, cum constet nos tam
„apertam tyrannidem declinando, virtutis ma-
„teriam invenisse &c.

Albericus qui ut vir sapiens, censuris parcius utebatur, Ingelramnum ad pœnitentiam potius hortandum esse, censebat, quam excommunicationibus percellendum: quæ cum pharmaca sint animarum, mederi potius debent, quam perimere. Igitur quid facto opus esset, primum consulit G. Cardinalem tituli sancti Martini, tum vero Senonensem Archiepiscopum, & Parisiensem Episcopum: statueratque ea de re colloqui cum Rege, si Laudunensis Episcopus in curiam advenisset, ut pollicitus erat. At eo acrius urgente, Episcopi Attrebatensis & Tarvanensis rogantur ab Alberico, ut Ingelramnum conveniant, hortenturque ad resipiscentiam. Cumque precibus vel minis, durior saxo flecti non posset, habito cum discretioribus Capituli Remensis consilio, a fidelium cœtu eum segregavit, juxta Epistolam ad Capitulum Laudunense ab eo missam, ut sibi satisfactum esse cognosceret. Ingelramnus igitur se ab omnibus execratum esse sentiens, dirisque devotum, mentis tandem compos Romanum adiit Pontificem, spondetque de iis omnibus quæ perperam gesserat, se pœnitentiam acturum reddituromque Decanum Hac promissione Pontifex contentus, mandat Episcopis Noriomensi & Laudunensi, ut ab excommunicationis vinculo eum absolvant, modo se deinceps nihil tale commissurum solemniter promittat: quod ipsi sequenti instrumento præstiterunt.

Absolutio Ingelramni.

„Stephanus Dei gratia Noviomensis, & 1218
A. eadem gratia Laudunensis, Episcopi, uni-„
versis &c. Noverit universitas vestra, quod„
cum Dominus Ingelramnus de Conciaco vir„
nobilis, pro captione Decani Laudunensis, in„
fractione villarum ipsius Ecclesiæ, damnis &„
aliis injuriis eidem Ecclesiæ irrogatis, esset ex-„
communicationis sententia innodatus, Domi-„
nus Papa absolutionem ipsius nobis commisit.„
Nos autem sacramento ab eo recepto, quod„
de cætero in Clericum manus non injiceret„
violentas, & quod de cætero villas non in-„
fringeret Laudunensis Ecclesiæ, ipsum absol-„
vimus & denuntiari facimus absolutum. In„
cujus rei memoriam præsentes Litteras Sigil-„
lorum nostrorum munimine fecimus roborari.„
Actum anno Domini 1218. mense Februario.„

Prædicta Ingelramni absolutio ad valvas Ecclesiarum affixa est, manibusque ad sancta Evangelia appositis promisit, se pœnitentiam a Summo Pontifice impositam expleturum, daturumque operam ut eadem a militibus observaretur, qui Decanum Laudunensem captum in vincula conjecerant. Ob similes frequentesque Nobilium grassationes, Capitula Cathedralium Ecclesiarum provinciæ Remensis, per id tempus singulis annis Conventum seu Synodum statim post festum Ascensionis Domini, apud sanctum Quintinum celebrare decreverunt: mulcta ducentarum librarum indicta, iis imponenda, qui deputatos suos non mitterent, quæ in usum fabricæ prædictæ Ecclesiæ cederet. Statutumque, ut quod ibi pro communibus negotiis conclusum fuerit, sigillis omnium Capitulorum muniretur.

Itaque tertio carceris sui sævissimi anno Adamus de Corlandon vinculis solutus, suoque restitutus Capitulo, ab omnibus velut fortissimus libertatis Ecclesiasticæ athleta exceptus est. Quem ad annum usque 1223. Decanum fuisse, constat ex Chartulario ejusdem Ecclesiæ.

Mor-

Mortuus autem circa annum 1226. conditus est in medio Capituli sancti Martini Laudunensis, cum sepulchrali marmore insigni, & Epitaphio quod olim a me lectum est. Agunt *de Adamo Corlantonensi* Lucas Dacherius, ad calcem Operum Guiberti de Novigento, in Catalngo Decanorum Laudunensis Ecclesiæ, quem texuit ibidem, pag. 812. Guillelmus Marlotus Prior sancti Nicasii Remensis, tomo 2. *Historia Metropolis Remensis* Lib. 3. cap. 24. pag. 486. & sequentibus, unde hanc notam in Adamum tragediam accepimus. Antonius Bellotus, tomo 2. *Ritualis Laudunensis*. Fratres Sammarthani tomo 2. *Gallia Christiana* in Catalogo Decanorum Laudunensis Ecclesiæ.

1200 BALDVINVS IMPERATOR CONSTANTINOPOLITANVS, Flandriæ & Hannoniæ Comes, Balduini cognomento Magnanimi filius, anno 1204. primus ex Latinorum genere, Constantinopoli a nostris occupatæ Imperator datus est, annum agens ætatis trigesimum secundum: qui a Niceta Acominato Choniate summopere laudatur. Scripsit Balduinus ipse Latine ad suos in Belgio subditos *Epistolam prolixam de expugnatione urbis Constantinopolitanæ*, quam ex MS. Sonegiensi, in *Codice piarum donationum* cap. 99 edidit ac publicavit Aubertus Miræus, Itemque Chronico Arnoldi Lubecensis insertam. Balduinus porro anno 1205. die 25. Aprilis a Bulgaris in prælio captus, & menses sexdecim in vinculis detentus, jussu demum Joannis Bulgarorũ Regis crudeliter inreremptus fuit. Successit ei in Imperio Constantinopolitano Balduinus frater. De illo in Annalibus Ecclesiæ, Spondanus, Bzovius & alii omnes Baronĩi continuatores. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, columna 87.

1200 GAVFRIDVS de VILLEHARDOVIN, CAMPANIÆ & ROMANIÆ MARESCALLVS, extitit oriundus ex illustrissima quadam ac nobilissima Campaniæ Gallicæ familia, unde Heroes plurimi. Hic jam *Miles* anno 1188. & *Dominus* vocatus, in instrumentis certarum donationum. Qui & in aliis chartis Bartholomæi Trecensis Episcopi anno 1191. confectis, *Gauffredus de Villa Harduini Mareschallus Henrici II. Campaniæ Comitis* appellatur. Hanc egregie functionem implevit usque ad annum 1198. quo electus est inter primarios Comitatus Campaniæ nobiles cum aliis, ad promittendam nomine Theobaldi III. Campaniæ Comitis, fidelitatem atque obsequium Philippo Galliarum Regi suo Domino. Idem anno 1204. accinxit secum plurimis aliis insignibus viris ad iter Hierosolymitanum, qui & unus ex fortissimis hujus expeditionis Ducibus fuit. in expeditione autem ista Goffredus omnibus admirationi fuit, militibus ac præfectis exteris atque domesticis, ob pietatem erga Deum, mansuetudinem erga suos, patientiam in laboribus, constantiam in adversis, prudentiam in negotiis, vigilantiam industriamque in omnibus. Quàm fortiter se gesserit in hoc bello variis temporibus ac locis, haudquaquam ille conticuit, unde à nonnullis aliquantæ actionum suarum militarium explicandarum affectationis arguitur. Vult tamen Carolus du Cange illius commentator & encomiastes plura ab ipso gesta, esse omissa quàm enarrata, quæ ipse ingenuo animi candore cum simplicitate multa, absq; ullo superbiæ vento expresserit. Cum itaque adfuerit huic *Expeditioni Francorum & Venetorum* a. 1204. illam *Gallico idiomate sua ætatis* anno eodem conscripsit, quam habes editam in 4. Parisiis anno 1585. à Blasio de Vigenario apud Abelem Langelier, cum paucis Notis. Deinde iterum anno 1601. Lugduni idiomate veteri, sed correctiori quàm in editione Parisiensi anni 1585. ad fidem exemplaris MS. Bibliothecæ vel Archivorum Reipublicæ Venetæ, ad quam delatus fuit anno 1551. ex partibus Belgicis à Francisco Contareno procuratore Sancti Marci & Reipublicæ Consiliario, dum ex legatione suà ad Carolum V. Imperatorem suscepta, Venetias reversus est. Tandem eandem anno 1657. in suo *Constantinopoli Christiana Gallico Imperio*, edidit tertio in folio Parisiis, Carolus Dufrenius du Cange, Quæstor Regius Ambianensis, cum doctissimis Annotationibus suis, & collaterali comparatione Idiotismi Gallici veteris cũ hodierno. Cum igitur ipse Gaufridus de Villa Harduini, obsidioni atque expugnationi Constantinopolitanæ urbis adfuisset, in qua cæteros inter, militari audacia & industria excelluerat: Balduino Flandriæ Comite Imperatore Latinorum electo & proclamato ab omnibus, in distributione potissimorum novi hujus Imperii munerum, Romaniæ Mareschallus factus est, quam cum Mareschallatu Campaniæ quem anteà jam habebat, dignitatem simul tenuit. Tandem ob præclara in Rempublicam Christianam hoc in bello merita, ob insignem in Consiliis prudentiam, atque in expeditionibus firmitatem, tam ab novo Imperatore, quam à Bonifacio Thessaliæ Rege, plures urbes & dominia pinguia atque latissima in Thracia & Macedonia obtinuit, quæ ad mortem usq; pacifice possedit. Vivebat adhuc anno 1212. atque in Thessalia demorabatur, ut constat ex Epistola quadam Innocentii III. Summi Pontificis, Lib. 16. *Epistolarum* Epist. 115. Nobile Gaufridi elogium texit Carolus Dufrenius du Cange, post *Historia* ipsius editionem pag. 235. & sequentibus, ubi dotes ejus atque genealogiam multis prosequitur. De illo quoque Scriptores fermè omnes *De rebus gestis Francorum in Imperio Orientali*. Joannes Albertus Fabricius Libro V. *Bibliotheca Græca* Tomo VI. cap. 5. pag. 762. qui Hamburgi anno 1714. in 4. prodiit.

NICETAS ACOMINATVS, CHONIATES 1200
à patria dictus, fratrem habuit natu majo-

rem

rem Michaelem Acominatum Choniatam, virum scientia illustrem, qui cum dudum Constantinopoli moratus fuisset, magniq; nominis apud omnes audiret, Athenarum tandem Metropolita factus est. Nicetas ergo junior natu, novennis duntaxat Constantinopolim ad Fratrem Michaelem se contulit, à quo ut frater acceptus, eximiis moribus atque Alexii Comneni atq; Isaaci Angeli successivè Secretarius. Tum fortuna Nicetæ favente, ab uno munere ad aliud progreditur, Senator factus Constantinopolitanus, Magnus Logotheta secretorum, Inspector & Judex recti, tandemq; Sacri Cubiculi Præfectus. Cum illa diu satis arrisisset, irasci tandem cœpit, affectumque mutare. Nam anno 1204. cum Latini Constantinopolim obsessam expugnassent, ipse cum uxore gravida liberisque Vrbem imperialem deserens, ne quid illic sinistrum ab Occidentalibus pateretur, Nicæam in Bithynia celebrem urbem profectus, illic lares fixit, à strepitu Bellorum remotus. Hic Libris XXI. complexus est *Historiam de rebus gestis Imperatorum sui seculi Constantinopolitanorum* per annos LXXXVI. ab obitu Alexii Comneni, anno Christi 1118. ubi desierat Zonaras, ad annum Christi 1206. desinens in Henrici Flandri ingressu seu initio. Prodiit Historia ista Græcè & Latinè cum versione & notis Hieronymi Wolfii Basileæ a. 1557. in folio, Genevæ anno 1593. in 4. Denique cum Caroli Annibalis Fabroti Glossario Græco-Barbaro, Parisiis anno 1647. in folio ex typographia Regia. Daniel de Nessel *in Breviario & Supplemento Commentariorum* Petri Lambecii de Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, anno 1690. Vindobonæ in fol. edito, parte 5. quæ MSS. Codd. 130. Historicos Græcos complectitur, ex quibus sacros duntaxat 69. indicavit olim Lambecius, habet Cod. 26. *Mich. Chonjata historiã* Græcè MS. A. 1702. & 1705. Joannes Boivin edidit 2. in folio voluminibus *Historiam Byzantinam Nicephori Gregoræ*, Parisiis apud Joannem Anisson ex typographia Regia, Græcè & Latinè integram, cujus ad calcem Voluminis secundi adjecit *Nicetæ Choniatæ narrationem de statuis Constantinopolitanis, quas Latini capta urbe confractas, in monetam conflaverunt*, Græce & Latine ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ. „Teste Vossio, Diligens fuit Homeri lector ac „imitator, adeo ut ob poëticam atque insolen„tem dictionem, quandoque durior fiat: cum„primis in præfatione quæ sane Salebrosa, in cæ„teris mollius fluit: quod & de se in præfatione „promittit. Vt mihi quidem videatur præfa„tione ea ostentare voluisse, quàm longo dæda„lus foret: quod si pariter in Historia fecisset, „profecto quidem, multo minus etiam laudis „mereretur, quam nunc habeat.„ Ita Vossius. Justus autem Lipsius Libro I. *Politicorum* cap. 9. §. 12. ejusmodi sententiam profert de Opere Historico Nicetæ Acominati. *Jam inter infimos quoque Græcos duo sunt, quos non contemno. Prior est Nicetas Choniates. Is parum adhuc vulgo notus fateor; sed dignissimus notitia: purum rectumque ingenium, si aliud illo ævo. Stilus ejus operosus, Poëtas & Homerum sæpe resipiens: ut res & narratio ipsa distincta composita sine vanitate, sine ineptiis: brevis, & quod satis sit, fida crebra apud eum & opportuna monita, judicia non libera solum, sed sana.*

Scripsit & prætetea magnum Opus inscriptum *Thesaurum Orthodoxæ fidei Libris XXVII.* ex quibus quinque priores vertit & Latinè edidit cum Notis doctissimis Petrus Morellus Parisiis anno 1580. Genevæ anno 1592. in 8. Addo extare MSS. Græce in Bibliotheca Bavarica Cod. 119. Tomum XVII. Thesauri Orthodoxæ fidei Nicetæ hujus Choniatæ *De Armeniorum hæresi.* Tomum XVIII. ejusdem operis *Contra Paulitianos*, Tomum XIX. *Contra Bogomilos* & denique Tom. XX. *Contra Saracenos cum modo recipiendi illos qui à Saracenis ad Christiana sacra redeunt.* Fragmentum autem ex hoc libro XX. *De ordine qui observatur ab iis qui à Saracenica superstitione ad Christianam fidem transeunt*, habetur Græce & Latine suppresso Nicetæ nomine, inter Silburgii *Saracenica* impressa anno 1595. Heidelbergæ in 8. p. 74. At docet nos Guilielmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* ad a. 1204. p. 702. *Thesaurum Orthodoxæ fidei Nicetæ Choniatæ Libris XXVII.* se vidisse olim in Bibliotheca Bodlejana, Græce pulcherrime descriptos. Extat ibidem num. 268. in MSS. Codicibus Thomæ Roë Cod. 23. Et num. 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodlej in Libris Sinensibus Codice 94. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium Bibliothecarum num. 5942. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 108. Et in Bibliotheca nostra Lugduno batava, in MSS. Codd. à Vossii hæredibus emptis Cod. 107. In Catalogo autem MSS. Codicum Bibliothecæ Bodlejanæ edito p. 270. extant Adversaria Domini Gerardi Langbaini, ubi Vol. 9 n 3. extant Summaria Capita librorum XXVII. de Orthodoxa fide Nicetæ hujus Choniatæ, Latine p. 17. Et n. 4. Collatio Codicis MS. Annalium Nicetæ Choniatæ cum impresso p. 25. cum Auctario descripto ex eodem MS. 22. Thomæ Roë pag. 29. Et in eadem Bodlejana Bibliotheca Codice 131. Barocciano, p. 71. *Nicetæ Choniatæ comparatio hiemis & æstatis, & quod hiems sit melior.* Παλαιῇ ποτε. *Ejusdem Epistolæ sex* p. 72. Et Carolus du Fresne Dominus du Cange docet nos, extare in Bibliotheca Colbertea Codice 4753. *Nicetæ Choniatæ Mahometicæ legis confutationem* hoc titulo, Τὰ ὑπὸ τοῦ Μωάμεδ νομοθετηθέντα περὶ τῆς θρησκείας τῶν Τούρκων, παρεκβληθέντα ἐκ τῆς αὐτοῦ βίβλου καλουμένης Κοράν, καὶ Χωνειάτου ἀντιῤῥήσεις. Ita in Catalogo MSS. Codicum Græcorum quem subjunxit *Glossario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 30. ipse αὐτόπτης, cujus authoritate sæpe utitur passim in *Glossario* allato. Obiit Nicetas post annum 1106. sed anno incomperto, cujus Orationem funebrem pronunciavit Michael Acominatus ejus frater, Athenarum Metropolita, quam habes Latine tantum cum Operibus Nicetæ editis Parisiis a. 1566. & Ff. a. 1568. in f. Agunt de *Niceta Acominato* Josias Simlerus in Epitome *Bibliothecæ Gesneria-*

riane. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus sacri* pag. 142. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Græcis* c. 28. p. 306. ult. edit.

1200 JOEL CHRONOGRAPHUS GRÆCUS, claruit iisdem temporibus, quibus Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes & Gausridus de Villaharduini, sed ipse inter Græcos. Sctipsit ille *Chronologiam brevem seu Compendiariam*, quam pro Græcorum more orditur ab orbe condito, adductam ad sua usque tempora, ad captam nempe Constantinopolim à Latinis anno Christi 1204. Cui expeditioni aderant Balduinus & Gausridus de quibus suprà. Studuit ille brevitati nimium, atque ubi latius se diffundere debuerat, nimirum circa Imperatores Orientis ultimorum temporum: illic obmutescit, solamque nominum successionem exhibet. Cessat in *Alexio Duca* qui & Murzuphlus dictus est, anno 1204. mortuus, his suam Chronologiam finiens verbis: *Hunc cum occidisset patruelis Alexius Ducas, qui & Murzuphlus dictus est, Imperio præfuit menses duos. Heu nos miseros! Et maximè cùm simus Christiani, talia in Christianos machinamur. Et quanam ratione Divinum judicium tot scelera latura esset, & non esset nos captivitati & internecioni traditurum. Quod & factum est, & spectatissima urbs Constantini, ob similia facinora, impietatesq; Italis tradita est.* Ita ille suam qua scribebat ætatem pandens, cujus nemo quem legerim, hucusque meminit, Cavo excepto. Opusculum istud eductum ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, editum Græce & Latine a. 1651. Parisiis in folio ex typographia Regia, inter alios Scriptores Historiæ Byzantinæ, post *Chronicon Compendiarium Georgii Acropolitæ*, pag. 149. & sqq. ex versione Leonis Allatii. Solus de *Joele Chronographo Græco* Guillelmus Cavus ad a. 1204. p. 72. *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum.*

1200 MICHAEL ACOMINATUS CHONIATA, Athenarum Metropolita, natione Phryx, Nicetæ Acominati frater natu major, jam tum senex anno 1204. claruit. Ejus extat Latine *Oratio funebris in mortem Nicetæ fratris*, edita cum Operibus Nicetæ Acominati, Parisiis anno 1566. & Francofurti 1568. in folio, cujus fragmenta aliquot Græce & Latine exhibet Leo Allatius, *adversus Hottingerum* p. 197. Ejusdem extat Tractatus *De Cruce* MS. Græce in Regia Gallicarum Bibliotheca, Cod. 143. ut habet Labbeus in *Specimine Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum* p. 74. Item Oratio seu sermo, quo ostendit *Athenarum urbem multum esse dissimilem ab antiqua*, ibidem MS. Cod. 2016. ut habet Labbeus ibidem p. 135. nisi tamen numerus MSS. Codicum immutatus sit, dum Catalogus illorum confectus est. Extat etiam inter MSS. Codd. Bodlejanæ Bibliothecæ, in MSS. Græcis Baroccianis Codice 131. p. 214. usq; ad 224. *Michaelis Choniatæ Controversia judicialis inter animam & corpus.* Τὴν τοῦ λογικοῦ μέρους. Item pag. 326. b. *Metropolitæ Naupacti Epistola ad Archiepiscopum Bulgariæ & alios.* Pag. 334. *Michaelis Choniatæ Epistola ad Naupacti Metropolitam*, quas post paucas sequitur illa pag. 335. Georgii Bardanis Metropolitæ Corcyrensis, ad Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, quæ incipit, Πρόσεχε οὐρανὲ καὶ λαλήσω. Ibidem p. 373. *Michaelis Choniatæ Oratio in Isaacium Angelum Imperatorem*, qui anno Domini 1185. imperare cœpit. Εἰ βασιλίοσαμὲν νοῦ. Pag. 379. ad 382. *Ejusdem Oratio funebris in Neophytum Monachorum Atheniensium Archimandritam.* Εἰ Σολομὼν ἔφη συγνωμολεύων &c. Pag. 382. *Ad Eustathium Thessalonicensem Monodia.* Ω συγγὸς αἰών, quæ tamen ibidem anonyma est. Ita nos, post Cavum *in Historia rei literaria*, ad annum 1204. p. 702. quam expressimus: & Catalogum MSS. Codd. Bodlejanæ Bibl. impressum, Cod. 131. p. 14. col. 1. & p. 16. c. 1.

ABSALON SPRINKIRBACENSIS ABBAS, Ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini, in Archiepiscopatu Trevirensi, Canonicus primum Regularis in Abbatia S. Victoris Parisiensis, unde evocatus ad præfatæ Abbatiæ regimen, anno circiter 1210. floruit, ex Cæsario Heisterbacensi, qui in Opere *De miraculis suorum temporum*, illum velut sibi Synchronum aut ætate proximum allegat. Præclara, si tamen vera de illo narrat fabulosus Cæsarius Lib. 4. *Miraculorum sui temporis* cap. 89. quem absque hallucinationis præjudicio audiamus. 1200

Magister Absalon vir honestus & litteratus, in Ecclesia S. Victoris Parisiensis Canonicus, ante hos annos in Sprenkirisbach Abbas est electus, est autem idem Monasterium in Diœcesi Trevirensi. Antequam idem Absalon in locum electionis suæ veniret, unus ex fratribus in visu noctis vidit, quod candela ardens præfatum Monasterium intraret: quæ suo lumine omnium fratrum candelas extinctas, quas manu tenebant, reaccenderet. Interpretatio visus talis erat, quod is adveniret, qui disciplinam dissolutam repararet. Factus verò Abbas, honestas consuetudines, quas in suo Monasterio didicerat, induxit: inter cætera præcipiens, ut tam suæ Congregationis Fratres, quam subjectæ sorores, nec non & Præpositi earum, ab escis carnium omnes abstinerent. Contigit post hoc, quandam secularem matronam religionis habitum in insula S. Nicolai suscipere, (pertinet autem idem Monasterium ad Sprenkirisbach.) In die reclusionis supradictæ fœminæ, amicis ejus cum Præposito Sanctimonialium nomine Florino, viro pinguissimo & bene mihi noto convivantibus: cum ipsi carnibus vescerentur & ipse, piscibus propter mandatum Abbatis sui Absalonis, videns in scutella Clerici juxta sedentis, carnium ossaturam, concupivit: immissaque manu morsellum rapuit, & cum quadam jucunditate in os suum misit. Mox justo Dei judicio, idem morsellus in guttur inobedientis integer descendit, ita ut meatus ejus obstruens, nullo conatu in os posset revocari. Quem de mensa trahentes, cum jam eversis oculis putaretur suffocandus: Henricus & Camerarius noster, tunc Decanus Monasteriensis, sicut ex ejus ore audivi, pugno tam valide collum illius percussit, ut mor-

„morellus infixus exiliret. Et cognoverunt, quod „dolor ille atque confusio, pœna peccati foret in„obedienti Præposito. Et hoc pro certo scies, „quod sicut Diabolus plures, ut dictum est, tentat „desiderio carnium, ita & vini. Hæc miracula Germanica apud Cæsarium, superis mandato Absalonis faventibus. Scripsit *Sermones* doctos & elegantes, quos Daniel Schillingus ejusdem Ecclesiæ Sprinkirisbacensis Abbas procuravit in folio imprimi Coloniæ a. 1534. sub hoc titulo, *Sermones festivales quinquaginta Absalonis Abbatis Sprinkirbatensis*, quorum aliquos iterum recudi curavit Petrus de Alva & Astorga in suo *Mariali*, ubi de hac impressione agit. Alius autem fuit eodem tempore *Absolon Abbas S. Victoris Parisiensis*, qui obiit a. 1203. die 17. Septembris, sub cujus nomine ex Catalogo veteri Bibliothecæ S. Victoris a. 1513. confecto, extant *Sermones XXXIV. De diversis argumentis* in Bibliotheca S. Victoris, Littera JJ. 10. quorum primus *in Ascensione Domini* ab his verbis incipit: *Ponis nubem ascensum tuum Domine, qui ambulas super pennas ventorum. Verba quæ audistis fratres dilectissimi, multam nobis præbent materiam gaudiorum &c.* Sed plurium ambigo, imò jam scio istos Sermones esse ex illis quinquaginta, qui impressi extant sub nomine *Absalonis Abbatis Sprinkirisbachensis*, quippe qui fuerit Abbatiæ hujus S. Victoris Parisiensis Canonicus. 2. hic Codex antiquus anonymus est, cui *Absalonis* nomen anno tantum 1513. appositum est, dum conscriptus est Bibliothecæ S. Victoris primus Catalogus. 3. denique iidem Sermones habentur omnes verbotenus, inter Sermones *Joannis Abbatis S. Victoris*, qui Absaloni in Prælatura successit, MSS. in Bibliotheca S. Victoris, Littera JJ. 13. fol. 29. ad folium 261. ubi titulus sub nomine *Joannis* antiquus est, & ejusdem temporis cum Scriptura MS. Codicis. Nullatenus autem *hi XXXIV. Sermones* videntur spectare ad *Absalonem S. Victoris Parisiensis Abbatem*, vel ad *Joannem Victorinum quoq; Abbatem*, licet suffragetur MS. Codex de quo statim egemus: sed certò ad *Absalonem Sprinkirisbachensem Abbatem*, vidi enim in Bibliotheca Victorina & tertium MS. Codicem, ubi isti Sermones ita inscribuntur: *Sermones Venerabilis Absalonis Canonici Regularis apud S. Victorem ad muros Parisienses, & postmodum Abbatis in Germania.* Et hæc ad cautelam adversus inscriptiones MSS. Victorinorum variantes. De illo Aubertus Miræus in Auctuario *De Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 337. p. 242. ubi male eum ad a. 1120. affigit, quo nondum natus erat. Antonius Possevinus parcè admodum tom. 1. *Apparatus sacri*, p. 3. Joannes à Tolnsa in MSS. Antiquitatibus Abbatiæ S. Victoris lib. 5. c. 20. fallitur, dum Sermones Absalonis Sprinkirbatensis Abbatis, attribuit Absaloni Abbati S. Victoris Parisiensis, qui eodem tempore vivebat. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 79. ubi eundem de Absalonis tempore cum Auberto Miræo, errorem admittit.

ROBERTUS DE CHORCEON seu DE CHORCEONE, S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS, ortus ex nobili Anglorum familia, studuit primum feliciter in Oxoniensi Academia, deinde ad ampliora & locupletiora studia progressus, Lutetiæ Parisiorum circa a. 1180. Philosophica & Theologica studia amplexus, ibidem gradus omnes assecutus est. Effectus itaq; Magister Theologorum, deinde Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis & Universitatis, illic summo in honore extitit. Inter has Scholasticorum palestras, scripsit *Summam Theologicam*, quam MS. asservant custodes Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis. Habetur hæc Summa in magno & pulchro folio, Littera PP. 13. cujus hic titulus minio conscriptus, *Incipit Summa Magistri Roberti de Chorçon.* Hæc prælo dignissima ab his incipit, *Tota cœlestis Philosophia in duobus consistit, in fide scilicet & moribus: quod autem amplius est, à malo est. In qua dicit Gregorius, nihil ad plenum intelligitur, nisi dente disputationis frangatur &c.* Continetq; titulos circiter XLI. aut XLII. in Codice Manuscripto. Et *eadem Summa* (nisi fallor) habetur quoq; MS. Codicibus 1419. & 2208. Bibliothecæ Colbertinæ, ubi illa inscribitur perperam, *Consiliarium Petri Cantoris*, quamvis ut constat ex lectione, non spectet ad Petrum istum, quem author allegat tanquam alium, imò in quibusdam contradicit atque allegatum refutat. Cùm autem ob Theologiam floreret ab a. 1200. Robertus de Chorçeon, Divini verbi prædicationi se accinxit, in qua dum excelleret, multos annis sequentibus ad amplexum Expeditionis Hierosolymitanæ hortatus est, zelo planè præpostero. Juncta ergo insigni verbi Dei prædicatione cum Scholasticis argutiis ac moribus honestis, Romam circa a. 1208. ab Innocentio III. cum quo in Scholis & graduum concursu fuerat, accersitus, ab ipso tandem a. 1211. Cardinalis tituli S. Stephani in Cœlio monte creatus est. Inde factus Legatus Apostolicus, atque in Gallias reversus, anno 1212. Concilium in urbe Parisiensi ad Ecclesiæ Gallicanæ reformationem habuit, ut ex Conciliis ultimæ editionis patet, de quo plura Sec. V. *Historia Universitatis Parisiensis*, an. 1213. Innocentius III. Pontifex Maximus datis ad omnes orbis Christiani Prælatos litteris, Generale Concilium Lateranense a. 1215. celebrandum indixit, tum ad reformationem morum, tum ad procurandum Christianis in Oriente degentibus subsidium, quam ob rem Legatos multos ad diversas mundi partes destinavit. Atq; in Franciam M. Robertum de Chorçeon paullù antè Noviomensem, deinde Parisiensem Canonicum & Cancellarium, tunc verò S. Stephani in Cœlio monte tituli Presbyterum Cardinalem Parisiis ubi olim Theologiam docuerat, satis notum. Cui ut omnes in regno Francico parerent, hac bulla præcepit.

1200

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, « dilectis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, « Prioribus, cæterisq; Clericis per Regnum Fran- « ciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedi- «

ctio-

ctionem. Pium & sanctum propositum, quod de subventione terræ sanctæ, pro communi utilitate Deo inspirante concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus literis poteritis advertere manifeste. *Ad hoc igitur salutare propositum exequendum, dilectum filium nostrum Robertum tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, virum utiq; probatæ honestatis & fidei destinamus, merito suæ probitatis, speciali gratiâ nobis acceptum.* Per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus eum vice nostra, imò potiùs vice Christi, devotè suscipere ac honestè tractare curetis, ipsius salutaribus monitis & mandatis humiliter intendentes, præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium terræ sanctæ. Nos enim quod super his & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus provida deliberatione statuerit, præcipimus inviolabiliter observari, concedentes eidem ut evellat & destruat, ædificet atq; plantet, quæ sibi evellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Dat. &c.

Eundem commendat Philippo Francorum Regi, his verbis.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Philippo Francorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Quam sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & regnum Franciæ habeamus, novit ille qui testis est in cœlo fidelis, cujus super hoc testimonium securè possumus invocare. Adeò quippe regni tui exaltationem diligimus, privilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso, quòd æquanimius Ecclesiæ Romanæ, quam ipsi Regno sustineremus magnum aliquid adversitatis accidere: cum facilius hæc, quam illud ab imminenti posset periculo liberari. Et ergo super hoc amplius securus reddaris & certus, mittimus ad tuam Regalem præsentiam, dilectum filium nostrum Robertum tituli S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum, virum utique probatæ honestatis & fidei, qui ea quæ plenius accepit à nobis, expressius tibi referat viva voce. Serenitatem tuam rogantes & exhortantes in Domino, quatenus eum recipias & honestè pertractes, ipsius acquiescendo salutaribus monitis & consiliis propter Deum. Datum &c.

Porrò Robertus iste Chorceonius, Innocentii III. Summi Pontificis olim in scholis condiscipulus, & si maximam hæreticorum extirpandorum præ se ferrer cupiditatem, invisus tamen & importunus Clero Gallicano maximè fuit, si fides habeatur exceptoti Chronici Antissiodorensis, qui ad annum 1215. ista habet. *Eodem anno Robertus S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis, cùm jam ferè per biennium, ob negotium Crucis Franciam peragrasset, & propter temeritatem suam omnibus se fecisset exosum, tandem Concilium apud Bituricas convocavit. Tunc Episcopi Franciæ appellaverunt, viri improbi impetum reformidantes, quem posteà Romæ in Generali Concilio vehementissimè reddidere confusum: adeò quòd Dominus Papa multiplices dicti Cardinalis excessus à Prælatis Franciæ sibi petiit relaxari.* Causa querelarum fuit ingens exactio pecuniarum, quas quocunq; modo & fraude exigebat, ita ut Rex & optimates Regni irati, acriter ad Innocentium scripserint: ille verò acceptis quoque a Legato Roberto literis, ita rescripsit.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro, Philippo Regi Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto melior est anima corpore, tanto Spiritualia sunt temporalibus præferenda: unde commodum temporale non est cum spirituali damno quærendum, ne unde lucrum quæritur temporale, inde spirituale periculum oriatur, teste veritate quæ ait: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Auditis itaq; litteris quas tu & quidam Barones tui circa Dilectum filium Robertum tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbyterum Cardinalem. Apost. sedis legatum, super variis articulis destinatis, diversas querimonias continentes: protinus nobis & querelas contra eundem Legatũ propositas, & responsiones ipsius fecimus explicari, easq; tibi probabiliter moderatas, præsentibus Litteris mittimus interclusas. Hæc tuæ Serenitati breviter respondentes, quod licet idem Legatus à nobis super usurariis non acceperit speciale mandatum, quia tamen in Regno tuo plus solito usuraria pestis excrevit, in tantum facultates Ecclesiarum & militum, aliorumque multorum devorans & consumens, quod nisi tanto langori adhibeatur efficax medicina, intendere non sufficerent ad subsidium terræ sanctæ, propter quod ipsum duximus specialiter destinandum. Vnde ipse tanquam spiritualis medicus adversus hanc mortiferam pestem, de consilio virorum prudentum, in diversis Conciliis ad curandas animas salubre remedium adinvenit: quocirca non decet tuam Regalem prudentiam, quæ inter cæteros Principes seculares Christianitatis titulo est insignis, pro aliquo temporali commodo spiritualem impedire profectum. Sicut per quasdam litteras ad diversas Communias destinatas te fecisse dolemus, quas ut prudentiori retractes consilio, præsenti paginæ fecimus intercludi: serenitatem Regiam exhortantes, quatenus nec impedias nec facias impediri, quominus in Regno tuo Ecclesiastica Jurisdictio valeat exerceri. Nos enim prædicto Legato præcipimus, ut adhuc super his, quantum cum Deo potest, necessarium adhibeat medicamen, nec in aliquo modum excedat, honestas consuetudines & usus rationabiles non immutans, liniam omnium Generali Concilio reservando. Vnde volumus & mandamus, ut interim idem negotium hinc inde modestè procedat, quia tunc super his & aliis, cum sacri approbatione Concilii statuemus, quod spiritualiter & tem-

„temporaliter videbimus expedire. Datum Ro„mæ apud S. Petrum pridie idus Maji, Pontifica„tus nostri anno septimo decimo.

Cum ergo ratione contractuum usurariorum, vel quos putabat tales, de omnibus ferè contractibus Robertus Legatus Apostolicus inter disceptantes judicaret: atq; ut plurimum ditiores Regni incolas, sub usuræ prætextu, bonis propriis fedi Apostolicæ vindicatis denudatos, ad extremam paupertatem redigeret: incredibiles pecuniarum summas emunxit & expilavit, sub prætextu usuræ extirpandæ, ipse omnium maximus usurarius & usurpator. Hinc Robertus ad Concilium Generalem Lateranense a. 1215. mensibus Novembri ac Decembri habitum pervexit, ubi ob emunctas seu suffuratas in Gallia sub prætextu usurarum atq; Hierosolymitanæ expeditionis, multas pecunias, teste Roberti Antissiodorensis continuatore: multis à Clero Gallicano accusatus est, quas ille pecuniâ jam in locis tutis positâ, tranquillo animo injurias passus est. Qui tandem a. 1218. in Orientem cum Pelagio Cardinale pervexit, ubi eodem anno in suburbiis Damiatæ morbo extinctus est, teste Matth. Westmonasteriensi, antequam etiam de prospero exercituû Christianorum successu sibi applaudere posset. Plura de illo Jo. Pitseus Anglus *De Scriptoribus Angliæ* ætate 13. p. 292. Exceptor *Chronici Antissiodorensis Roberti*, ad a. 1215. Seculum V. *Historia Vniversitatis Parisiensis*, ad annos 1214. & 1215. p. 77. & 83. Auberius in *Historia Cardinalium S.R. Ecclesiæ* tom. 1. p. 240. atq; alii omnes qui *de Cardinalibus* agunt. Cujus Operis fragmenta aliqua citat Jacobus Petitus *in Pænitentiali S. Theodori Cantuariensis Archiepiscopi*, p. 367.

1200 ARNOLDVS S. JOHANNIS ECCLESIÆ ABBAS APVD LVBECAM, vixit temporibus Othonis IV. Imperatoris, qui *Chronico Slavorum* quod Helmoldum Presbyterum Bosoviensem f. Butzoviensem authorem habet, dum esset Hildesheimensis Præpositus, *Supplementum ab anno 1170. ad annum usq; 1209.* libris septem addidit, atq; istud Opus Philippo Razeburgensi Ecclesiæ Antistiti dedicavit. Ita præfationem suam orditur, *Quia bonæ memoria Helmoldus Sacerdos Historicus de subactione seu vocatione Slavorum & gesta Pontificum, quorum instantia Ecclesia barum regionum invaluerunt, debito fine (ut voluit) non consummavit: Deo cooperante, huic operi vel labori insistere decrevimus &c.* Libro IV. cap. XIX. refert Epistolam à Carolo Cancellario ad se missam, in cujus inscriptione appellatur *Hildesemensis Præpositus*. Sed post, Abbatem fuisse Lubecensem, colligere est ex MS. Codice Pucheniano, ubi ita vocari, Renerius Reineccius ejus editor, author est. Qui & eodem pertinere existimat, tû quæ de Lubecensibus affert, tum crebras Monasticæ vitæ laudes. Definit Arnoldus in temporibus Ottonis IV. quanquam aliqua in fine desiderantur. Sed multò post vixisse non potest. Siquidem ex memoratâ Epistolâ, liquet familiarem eum fuisse Conrado Cancellario, qui cum resignato Episcopatu Hildenshei-mensi, Herbipolensis f. Wirtzeburgensis factus esset Episcopus: dum se illis opponit, qui res Ecclesiæ invaserant, ab iis in Herbipolensi Civitate occisus est. Quod factum temporibus Philippi Cæsaris, ac Regis Romanorum Ottonis IV. ut agnoscimus ex hujus Arnoldi Libro VII. cap. II. In rebus Slavonicis fide dignus est, non iis autem quæ de Italiæ, Siciliæ, Græcorumq; rebus adnectit: in quibus satius sit alios audire, qui ex professo de iis tractarunt. De Helmoldo ad an. 1160. egimus ad quem lectorem mittimus. De Arnoldo, hæc Gerardus Joan. Vossius, quem exscripsimus. Cui addo recentissimas hujus Arnoldi continuationis cum Helmoldi Chronico editiones, præcipuam Henrici Bangerti notis illustratam Lubecæ a. 1659. in 4. Tandemque *ultima quatuor hujus Chronici capita cum Epilogo* edita, ex MS. Codice, inter Henrici Meibomii Opuscula Historica, in 4. Helmenstadii a. 1660. edita, p. 568. De *Arnoldo Hildesheimensis Præposito*, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus sacri.* Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 55. p. 447. edit. ult. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* præmisit, col. 85. Joh. Mollerus Flensburgensis Scholæ Patriæ Rector, in Dissertatione Historico Critica *De Helmoldo Presbytero in Wagria Bosoviensi*, quam anno 1702. Lubecæ in 4. edendam curavit apud Petrum Bocmannum.

INNOCENTIVS III. ROMAN. PONTIFEX, 1200 Lotharius anteà appellatus, natione Campanus, patriâ Anagninus, Trasimundi Signini Comitis & Clarinæ filius, qui cum junior esset, ad hauriendas scientias Lutetiam Parisiorum missus, illic inter cæteros Philosophiæ ac Theologiæ alumnos, clarus enituit, magnamq; famam nominis obtinuit. Huic ad propria reversus, factus à Clemente III. Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi, a. 1198. die 8. Jan. Rom. Pontifex renuntiatus, sedem hanc sanctissimè rexit usq; ad a. 1216. quo die 16. Julii Perusii obiit. De Scriptis ejus abunde Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, sed omnium accuratissimè Guillelmus Cavus *in Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, sec 12. ad a. 1198. p. 692. cujus diligentiæ addi nihil potest.

RAINERVS DIACONVS & POMPOSIÆ 1200 MONACHVS, eadem ætate qua Innocentius III. floruit, ut constat ex *Præfatione* ejus ad Collectionem quam adornavit ipsarum Innocentii III. Decretalium. Scripsit enim ad multorum instantiam sed præsertim Johannis ejusdem Papæ Capellani *Collectionem primam Decretalium hujus Pontificis* compositam & collectam ex tribus primis libris *Regestarum Epistolarum illius*, a. 1198. 1199. 1200. in titulos XL. vel XLI. digestam, unde liquet quo anno Rainerus *Collectionem* hanc adornaverit. Primus illam Stephanus Baluzius in lucem produxit, acceptam ex antiquissimo MS. Cod. S. Theodorici Remensis, quam inseruit editioni *Epistolarum Innocentii III.* à se 2. in folio voluminibus procuratæ Parisiis a. 1682. apud Franciscum Muguet, collocatam vol. 1. post librum

se-

secundum Epistolarum ejusdem, p. 543. ad 606. cujus mentionem facit Baluzius ibidem. Quanti Rainerus Innucentium III. fecerit, conjicere licet ex *Præfatione*, ubi eum *Salomonem* suæ ætatis, ob insignem doctrinam appellat.

1200 JOANNES CANONICVS ECCLESIÆ VRBEVETANÆ a. MCC. & seqq. claruit, quo tempore scripsit *Vitam S. Petri Parentii Martyris* Vrbeveteri in Hetruria a. 1199. die 21. Maji occisi, cui coævus erat. Vrbs vetus vulgò *Orvieto*, agri cognominis caput prope Peltam Fluvium, sede Episcopali illustris, ac regimini Ecclesiastico subjecta, inter suos patronos *S. Petrum Parentii* Potestatem quondam numerat, sive Præfectum sibi ab Innocentio III. Papa datum, cum eam urbem novi Manichæi s. Patareni turbarent, à quibus & occisus est. *Acta Vitæ & Martyrii* cum miraculis infra annum ab obitu patratis, scripsit: *Magister Joannes* coævus & in pluribus testis oculatus, qui ut *voti debitum quod promiserat solveret*, n. 27. ea Acta se scripsisse testatur. At n. 39. asserit a se *scripturam istam Kalendis Octob. esse conditam* id est, intra quintum à Martyrio mensem. Idem n. 19. indicat, *se ægrum longo tempore novisse & vidisse sanitati restitutum*. Et n. 25. 36. 41. & 55. *sanatos vidit & infirmitates* multorum ab aliis *cognovit*. Item n. 52. *lampadem ultro accendi vidit, ductus motu Spiritus*. Alias indicat se miraculo non interfuisse, sed aliis viris honestis referentibus didicisse, uti n. 46 & 50. legi potest. Alias ab ipsis, quibus miraculosa sanitas collata fuerat, beneficia ipsa scivit. At quis hic Scriptor fuerit, indicatur *in Supplemento Vitæ* n. 58. ubi appellatur, *Magister Joannes fons scientiæ literarum*, & n. 50. se *in Choro* cum aliis fuisse indicat, & n. 38. inquit. *Cum omnes de sanitate diffideremus, ipse se sanum in Capitulo nostro præsentavit.* Ex quibus colligi videtur, illum ex ipso Capitulo Canonicorum Orvietensium fuisse, & ob singularem doctrinam *Magistri* nomen obtinuisse. Hæc Acta habuerunt Philippus Ferrarius & Odoricus Raynaldus. Ille inde confecit aliquod compendium *Catalogo Sanctorum Italiæ* insertum: iste in Annalibus suis Ecclesiasticis, eorumq; Epitome, plurima ex iisdem allegat, *tabulasq; publicas* appellat, *in Ecclesia Vrbevetana conditas & ab auctore fidissimo*. Erat autem illud Legendarium Vrbevetanum, in quo *Passio S. Pet. Parentii Martyris* continebatur, in folio pergameno maximo, & charactere antiquo exaratum. Edidit hanc Vitam Dan. Papebrochius a. 1685. tomo V. Maji mensis, ap. Michaelem Cnobbarum Antverpiæ, ad diem 21. Maji, p. 86. cui Commentarium præmisit p. 85. unde hæc accepimus.

1200 ANONYMI DVO SCRIPTORES *CHRONICORVM* ad Abbatias Batavicas antiquiores spectantium, hoc tempore claruisse videntur. Primus scripsit *Chronicon Abbatiæ Egmundanæ* ab a. C. 647. ad a. 1205. quod ex Bibliotheca clerici Andreæ Schotti, a. 1620. in fol. Francofurti cum Historicis Batavicis aliis impressum est, sed cum multis mendis. Monachus fuit Egmundanus ut ex Chronico constat, quod iterum & correctius edidit Antonius Matthæus Juris Profess. ex MS. Cod. Petri Scriverii, hoc a. 1700. Lugd. Bat. in 8. cum Continuatione *Guillelmi Procuratoris*, de qua dicemus latius postea ad a. 1330. quo extabat, ætatem autem Anonymi hujus, ex verbis istis Chronici extremi, puta ad a. MCCV. agnoscere licet: *Ecce longam gestorum seriem qualicunq; stylo narravimus, alia præter hæc si fortè supervenient, quæ ad præsens negotium spectant, alterius executioni committimus.* Alter quoque ejusdem ætatis atque etiam Monachus Hornanus fuisse videtur, licet affirmare nolim, cum *Chronicum* ab eo scriptum nun legerim. Extat inter MSS. Codd. Cottonianæ Bibliothecæ sub effigie Neronis, litera A. Cod. 13. n. 1. *Chronicon Monasterii Hoërnensis*, in quo agitur de Statutis a Dominis & Presbyteris Ecclesiæ Hoërnensis factis die 17. Augusti anno Domini 1209. ab omnibus Fratribus suis inviolabiliter observandis. De nominibus Dominorum primæ institutionis, de prima fundatione Hoërnensis civitatis, de Comitibus Hollandiæ, de privilegiis ejusdem civitatis, de constructione Ecclesiæ & ejus ornamentis, & de gestis in Hollandia & Westfrisia. Hæc qui vidit, Thomas Smithus in Catalogo MSS. Codicum Cottonianæ juxta Londinum Bibliothecæ, impresso Oxonii 1696. in fol. p. 50. col. 2.

PETRVS DE MORA S. R. E. DIACONVS 1200
CARDINALIS, patria Beneventanus, ex gente de Mora, quæ una est ex familiis Beneventi nobilioribus ac ditioribus, junior potissimas curas & apposuit circa studium Scripturarum quibus annis pluribus incubuit. Inde cum ætate, promotus ad sacros ordines, dignum sese præclaris ostendit moribus & vita irreprehensibili, qui ad principales Ecclesiæ aras & administrationes admoveretur. Cum autem viros doctos ac laboriosos, in Scripturis sacris specialiter desudantes coleret impense Innocentius III. Pont. Max. hunc Petrum de Mora ob notissimam Scripturæ peritiam & in studiis assiduitatem, a. 1205. mense Martio, *tituli S. Mariæ in Aquirio Diaconum Cardinalem* instituit, non autem *S. Angeli*, ut quidam scribunt. Hoc constat ex transcripto duarum Bullarum quas vetus Guillelmus Catellus in sua *Historia Aquitaniæ* seu *Comitum Tolosanorum*, pagg. 299. & 304. Hic missus posteà in Galliam Legatus, ut grassanti Albigensium propagini adversaretur, quam pro viribus suis, censuris Ecclesiasticis auxilioq; brachii secularis contrivit. Idem admisit nomine Sedis Apostolicæ, Raymundum Comitem Tolosanum in Ecclesiæ sinum, quo legationem suam facto, maximè illustrem reddidit. Tam fortunato exitu persunctus, circa a. 1216. sub Innocentii III. Pontificatu mortuus dicitur. Scripsit quasi ingens *Dictionarium, s. Alphabetum Artis prædicandi*, quod Alphabetico ordine progreditur, sæpeque MS. extat in antiquis Bibliothecis, Ordinis præsertim Cisterciensis in Galliâ. Habetur enim MS. in Bibliotheca Vallis Lucensis hujus Ordinis, integrum duobus in folio voluminibus, pulpito 24. Litteris N. & O. atq; ut ex Cata-

logo constat, in Bibliotheca Claræ Vallis. Vidique etiam primam partem hujus Operis, MS. in fol. in Bibliotheca Regalis montis, Diœcesis Bellovacensis ejusdem Ordinis, (quod (ut memini) ex prologo videtur ab ipso Petro factum in gratiam juniorum virorum *Arti Concionatoria studentium.* Idem opus MS. in Bibliotheca Abbatiæ ipsius Cistercii, duobus in fol. voluminibus inscriptum, *Alphabetum in Arte Sermocinandi à Magistro Petro Cardinale.* Idem MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex impresso MSS. illius Catalogo, p. 150. Repositorio Theologico III. serie 2. n. 40. inscriptum, *Petri Cardinalis Alphabetum in Artem sermocinandi.* Videant quibus ex otio licet, an istud Opus ita doctum & elaboratum sit, ut prœlum mereatur: nec enim illud volvere per otium licuit. Meminerunt *Petri de Mons* Auberius *In Historia Generali Cardinalium*, ad a. 1250. p. 233. Ludovicus Castaneus de la Rochepozay, Pictaviensis Episcopus *in Nomenclatore Cardinalium S. R. E. Scriptorum*, p. 21. Onuphrius, Ciaconius, & alii. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario media & infima latinitatis*, col. 138.

1200 FVLCO POETA GALLVS, hoc pariter tempore circa a. 1200. *Historiam Via Hierosolymitana* versibus descripsit, vel saltem ejus initia, reliquam enim partem *Giloni s. Ægidio Parisiensi*, describendam reliquit. Inscribitur *Historia gestorum & via nostri temporis Hierosolymitana*, quam ex MS. erutam immisit suæ Collectioni *Historicorum Coætaneorum Francia*, Andreas Duchenius tomo IV. p. 890. impresso Parisiis apud Sebastianum Cramoisy, a. 1641. via Jacobæa sub Ciconiis. Opusculum istud constat libellis tribus, qui rythmicis versibus ita incipiunt.

Inclyta gesta Ducum perscribere magnanimorum
Fert animus, Petrum qui fortia facta suorum
Non solum magnis successibus æquiparare,
Sed majore fide certarunt exsuperare.
Ardor inest inquam, sententia fixaque menti,
Versibus & numeris transmittere posteritati.

Porrò sive ardor ille in Fulcone simplici satis Poeta extinctus fuerit, sive modicam suam in Poësi elegantiam opere incœpto progrediente agnoverit: hanc provinciam Ægidio Parisiensiensi amico suo & coætaneo commisit, ultra librum tertium non progressus, ubi de Gilone s. Ægidio Parisiensi ita loquitur, concludens opus suum.

Hæc de principiis Gallis Hierosolymitani
Scripsimus ut nostra permissum simplicitati,
Cætera describet Dominus Gilo Parisiensis,
Cujus turpatur nostris elegantia nugis.

Hujus mentionem facit Cæsar Egassius du Boulay Sec. IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* p. 731. in Catalogo illustrium Academicorum: ubi tamen fallitur, dum vult Fulconem sub initium seculi XII. floruisse, qui sub illius finem & sec. XIII. initium floruit. Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 100. ubi eundem cum Egassio circa Fulconis ætatem parachronismum committit. Rectius Andreas du Chesne, in præludiis ad istud poëma, quem adeas.

ÆGIDIVS PARISIENSIS, seu GILO PA- 1200
RISIENSIS, idem enim Scriptor est, gradu seu conditione Diaconus, artes Liberales atque Grammaticam præsertim Parisiis diu professus est, arteque Poëtica præsertim excelluit, qui inter primarios sui temporis Poëtas recensetur à Guillelmo Britone, in fine suæ *Philippidos:*

O si Gualterus illo, vel Egidius esset
Tempore! quàm clarè niteant tua bella coturno!
Totus Alexander, & qui processit ab illo
Antiochus, bis sexque duces plebs esse dolebunt
Respectu splendore tui: succumbet & ipsa
De te composito mordax gens pigra libello,
Horum si similem mereatur habere Poëtam.

Hic Ægidius anno circiter isto 1200. scripsit *Instructionem puerilem* in quinque libros digestam, quam Ludovico Philippi Augusti filio adhuc parvulo dedicavit, qua eum ad amorem virtutis exemplo Caroli Magni adhortatur: unde Opus istud *Carolinum* inscripsit. Habetur MS. in insigni Bibliotheca Colbertina Codice 4507. cui titulus litteris minio exaratis, *Incipit Carolinus Ægidii scriptus ad Instructionem illustris pueri Ludovici Francia Regis filii.* Alium Operis hujus MS. Codicem habuit Parisiis Jacobus Mentelius, quem transscripsit Marquardus Gudius manu sua, dum Parisiis hæreret, ut constat ex Catalogo Bibliothecæ dicti Gudii, qui a. 1706. in 4. Kiloni impressus est apud Bartholdum Reutherum. Illic enim inter MSS. Codd. 334. in 4. p. 572. dicti Catalogi. Prologus aliquot Carminum.

Interius si quam videatur habere medullam,
Hoc jam præmissis adjiciatur opus.

Initium libri primi.

Primus Apostolici studio declamat honoris,
Septennem Carolum gessisse insignia Regis.
Subdit ut ante pater Rex est de consule factus,
Hilduicus subsedit iners, in claustra reclusus &c.

Hic ad calcem libri quinti de Professoribus ex urbe Parisina oriundis agit, ut eorum retundat injuriam, qui ajebant nullos viros doctos, ex ipsa urbe, ubi constituta esset Academia, esse oriundos. Hos refert Seculum IV. *Historia Vniversitatis Parisiensis* ad a. 1198. fol. 526. & 527. tanquam faventes & honori Parisiensium consulentes. Idem *Gilo seu Ægidius Parisiensis*, Poëta sui temporis habitus insignis *Historiam prima Expeditionis Hierosolymitana* post Fulconem *libris IV.* absolvit, quos habes in Collectaneo *Historicorum Francia* Andreæ Duchesnii Tomo 4. p. 898. sub hoc titulo: *Incipit liber quartus à Domino Gilone Parisiensi, cum cæteris sequentibus eleganter scriptus.* Vsus est versibus leoninis, ut Fulconem quem excipiebat imitaretur. Sicque orditur.

Textus gestorum memorandus Christicolarum,
Est ope divinâ Turcorum facta ruina.
Hoc pro laude Dei licet impar materiei,
Carmine perstringo facili, nec ludicra fingo,
Christe mea menti, tua bella referre volenti,
Adsis: laus cujus series est carminis hujus,

Vt.

Ut bene proveniant, & te Duce carmina fiant &c.

Interpolavit quoque & emendavit *Auroram* (ita dictum Opus Petri de Riga) scholarum pulpita jam occupantem, melíorique ordine disposuit. Habetur hæc *Aurora Petri Rigæ* cum Commentariis M. Egidii Parisiensis, MS. in Bibliotheca S. Victoris ad muros Parisienses Littera KKK. 27. fol. 62. Prologus Egidii qui *Auroram* correxit, incipit: *Fraterna Caritatis quasi quandam sapit dulcedinem, & in Domino jacit quis cogitatum suum &c.* Hæc autem leguntur in Præfatione Codicis MS. Paulinæ Bibliothecæ Lipsiensium.

Scire cupis Lector, quis Codicis istius auctor?
Audi quid breviter, dicat ad ista liber.
Petrus & Ægidius me conscripsere, sed ille
Auctor, corrector ultimus iste fuit.
Ille prior Romus, hic Parisiensis alumnus:
Hic Levita gradu, Presbyter ille manens.
Simplex Clericus hic, sacri Ordinis ille Professor:
Ambo graves annis, hic vir, & ille senex.
Alter adinvenit opeam, sed in ordine peccans,
Quidquid dimisit, sensibus ire vagis:
Alter acu stipica distincta versibus unum
Consuit in corpus, atque revinxit Opus.
Alter abundantis studii, sed acutior alter,
Quis proponendi debuit ordo geri:
Dulcius ut saperent modulamine condita metri:
Incipit hic Riga, Bibliotheca Petri.

Hæc plurima nos habuimus ex Seculo IV. *Historia Universitatis Parisiensis*, ad a. 1198. fol. 526. & in Catalogo illustrium Academicorum f. 718. verbo Ægidius Parisiensis. & f. 738. verbo *Gilo Parisiensis*. Cujus meminit quoque Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, col. 80. verbo *Ægid. Parisiensis:* & col. 103. verbo *Gilo Parisiensis.*

1200 GVILLELMVS DE SILINIACO ANTISSIODORENSIS EPISCOPVS, ex Toparchis de Siliniaco, patre Burchardo, matre Anorda, ex stirpe divi Bernardi Abbatis Claræ vallensis (ut dicitur) oriundus, hac quoque tempestate clarissimus in Academia Parisiensi Theologus extitit. Ob magnam autem doctrinæ ac virtutis famam, hic an. 1207. Episcopus Antissiodorensis factus est, de quo ita loquitur oculatus testis, Robertus S. Mariani Antissiodorensis Ord. Præmonstratensis Canonicus in *Chronico* ad annum prædictum. „Anno 1207. Altissiodorensi Ecclesiæ unanimi electione præficitur Guillelmus Decanus, ætate quidem juvenis, sed morum senio præmaturus. Regalia tunc pervaserat Regia clientela, exactionibus immodicis universa diripiens, ea quoque confiscans, quæ Hugo Episcopus testamento legaverat Ecclesiis largienda. Electus itaque pro recipiendis Regalibus, mittit ad Regem, nec impetrat. Post consecrationem verò suam illico Regem adiit, & multo licet labore expensisque, obtinet apud eum, ut non modò prædecessoris sui testamentum quod jusserat confiscari, juberet restitui: verum etiam quidquid juris habebat in Regalibus, in remedium animæ suæ donaret Antissiodorensi Ecclesiæ, ita ut moriente Episcopo Decanus & Capitulum Regalia in manu teneret, & quæ de reditibus interim provenirent, successuro Episcopo reservarentur." Hunc Episcopatum sanctè & prudenter rexit usque ad a. 1220 quo ad Episcopatum Parisiensem electus est, de electione idem Robertus Antissiodorensis in Chronico sub an. 1220 inquit: *Per idem tempus mortuo apud Damietam Parisiensi Episcopo, ortaque dissensione inter Canonicos Majoris Ecclesiæ super Episcopi electione, Willelmus Antissiodorensis Episcopus, vir religiosus ac prudens, & in hostes Ecclesiæ rigidus executor justitiæ, jussu Honorii Papæ ad Episcopatum transmigrat Parisiensem.* Scripsit Guillelmus (an antequam ad Prælaturam promoveretur, incertum est) *Summam Theologiæ*, de qua Labbeus & Bellarminus, in libro suo quisque *De Scriptoribus Ecclesiasticis* an. 1500. Parisiis in fol. impressam, quam asservat MS. Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3908. aliæque celebres hujus Regni Bibliothecæ, nimirum S. Benigni Divionensis Ordinis divi Benedicti, Cod. 164. Sanctæ Trinitatis Vindocinensis & B. Mariæ de Lyra, ejusdem Ordinis. Bibliotheca Claræ vallis Ord. Cistercienlis, & aliæ quædam. Idemque scripsit Opusculum *De officiis Ecclesiasticis*, quod extat MS. in celebri Bibliotheca S. Germani Parisiensis, Cod. 655. Incipit, *Jerusalem quæ sursum est, mater nostra dicitur propter tria: sumus enim filii ejus per doctrinam Apostolorum &c.* habeturque etiam in MSS. Bibliothecæ S. Victoris Parisiensis Littera GG. 13. & JJ. 18. & alibi. Inscribitur in MSS. Victorinis, *Incipit Summa De officiis Ecclesiasticis secundum Magistrum Willelmum Antissiodorensem &c.* Rigordus hujus temporis Historicus, affirmat ipsum interfuisse exequiis Philippi Augusti, mense Julio a. 1223. quo eodem anno animam emisit die Festo S. Clementis mense Novembri, apud S. Clodoaldum prope Parisios. Sepulturæ tamen mandatus apud Abbatiam Pontigniaci, quò cadaver deportatum, ex speciali devotione quam erga hanc Ecclesiam habuit, ubi cum hac inscriptione jacet.

Laudibus immensis reverendi Parisiensis
Præsulis hac fossa, Guillelmi continet ossa.

Hujus meminit Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali* Lib. 31. c. 24. ubi dicitur *libertatis Ecclesiæ defensor mirabilis &c.* Chronicon Magnum Belgicum. Memoriale Historiarum S. Victoris Parisiensis. Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus sacri* fol. 698. Sammarthani Fratres in Gallia Christiana tomo 2. in Episcopis Antissiodorensibus latissimè p. 289. & seqq. & tomo 1. in Archiepiscopis nunc, olim autem Episcopis Parisiensibus, p. 443. Carolus Dufrenius du Cange, *in Indice Auctorum* quem *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis* præmisit, col. 106.

PETRVS COGNOMENTO PICTOR, S. Audomari in Artesia Canonicus, in arte etiam Poeticâ, circa hunc a. 1200. floruit, cujus extat Poema *De sacramento Altaris* cum hac Inscr. *Incipiunt Versus Magistri Petri Pictoris Canonici S. Audomari De sacramento Altaris.* Prologus 1200

Omni-

Omnibus in factis, conceptis, sive peractis
Debet praponi Deus humana rationi &c.
Incipit capitulum primum. *Quod verè una eademque caro sit, qua nunc in Altari consecratur de pane, & illa qua de Virgine nata & in Cruce passa fuisse creditur.* Incipit Liber Petri Pictoris *De sacramentis.*
Panis in Altari, verbi virtute sacratus,
Fit divina caro, nostri medicina reatus &c.
Habetur MS. hoc poëma in Bibliotheca S. Germani Parisiensis Cod. 658. maximo, optimè scripto, & coævo auctoribus variis, quos continet *De missa & officiis Divinis.* Sunt autem in eo *Gemma anima* Honorii Augustodunensis, Robertus Paululus *De officiis Ecclesiasticis* cum nomine proprio præmisso, quem tamen sub titulo *Hugonis Victorini* nuperrimè impresserunt. Poëma Hildeberti *De sacramento Altaris & sacrificio Missa*, cum libro *De septem Ordinibus Missa*, qui incipit *In virtute S. Crucis &c.* atq; ad Joannem Cornubiensem spectat, teste etiam Guilielmo Cavo *in Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* ad a. 1170. p. 682. estq; volumen 500. vel circiter annorum. Habet mentionem hujus *Petri Pictoris* Carolus Dufrenius du Cange *in Indice Scriptorum*, quem præmisit *Glossario media & infima Latinitatis*, col. 138.

1200 PETRVS BENEVENTANVS ROMANÆ ECCLESIÆ SVBDIACONVS & Innocentii III. à secretis an. 1209. vel 1210. aggressus est *Compilationem* seu *Collectionem secundam Epistolarum Decretalium hujus Pontificis*, quam ex MSS. Codicibus erutam edidit Antonius Augustinus Ilerdensis Episcopus a. 1576. Ilerdæ in Hispania in fol. inter *Collectiones Veteres Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum*. recusas Parisiis 1609. in fol. apud Sebastianum Cremoisy. Illic extat à p. 226. ad p. 430. Nam *Collectionem primam* Epistolarum Decretalium Innocentii III. adornavit Rajnerus Diaconus & Pomposiæ Monachus an. 1200. vel 1201. ex Decretalibus trium primorum annorum hujus Pontificis, quam ex MS. Cod. edidit Steph. Baluzius inter Epistolas Decretales Innocentii ejusdem, in fol. Parisiis apud Francisc. Muguet 2. voll. 1682. ubi extat vol. 1. post librum 2. Epistolarum à p. 543. ad 606. cujus mentionem fecimus supra ad eundem annum 1200. verbo *Rainerus Diaconus.* De hac *Compilatione* f. *Collectione secunda Epistolarum Decretalium Innocentii tertii*, Antonius Augustinus Ilerdensis Episcopus in *Praludiis* ad Collectiones Veteres sic loquitur. „ Tertiam „Compilationem cœperat idem Bernard. Com„postellanus ex Registris Innocentii III. eaq; ali„quando *Romana Compilatio* dicta est. Sed offensi „Romani, quod usu judiciorum minus recepta „referret, ab eodem Innoc. impetrarunt, ut Pon„tificia autoritate Collectio aliqua ederetur, cui „rei *Pet. Beneventanus Notarius* præfectus est a. XII. „ejusdem Innocentii. Tunc primum publica au„thoritate facta Collectio juris Pontificii est, nam „superiores omnes sive Decretorum sive Decre„talium Collectores privata authoritate scripse„runt: & rescripta ab eis relata negari poterant, „nisi à Scriniariis Romanæ Ecclesiæ comprobarentur. Fuit hujus Collectionis interpres, ut" Joannes Andreæ filius refert, Paul. Hungarus." nos eadem nomina in scholiis vidimus, quæ in" Collectionibus aliis, Hæc Antonius Augustinus" loco citato." Quod autem *Collectionem tertiam Epistolarum Decretalium Innocentii tertii* factam à *Bernardo Compostellano Diacono*, illius Prologum refert Antonius Augustinus p. 721. ad 730. addendum in principio 3. Collectionis Decretalium ex MS. Cod. doctissimi clarissimique viri Nicolai Fabri. *In nomine Dominica & individua Trinitatis. Incipit Breviarium Extravagantium Decretalium omnium propè Innocentii tertii per Bernardum Compostellanum Canonicum fideliter compositum.* De Summa Trinitate & fide Catholica. Non est tamen opus istud, pars aliqua *Collectionis secunda* Petri Beneventani, quæ prologum suum a Petro compositum habet. Extat autem Collectio hæc tertia Decretalium Epistolarum Innocentii tertii à Bernardo Compostellano facta inter MSS. Codd. Victorinæ Parisiensis Biblioth. litera Q. 1. fol. 156. ut dicemus infra ad a. 1250.

Compilationem seu *Collectionem quartam Epistolarum Decretalium Innocentii tertii* fecit Anonymus aliquis, quam edidit ibidem Antonius Augustinus, cum scholiis Joannis Teutonici & quorundam aliorum: *Collectionem Decretalium* pag. 739. *Scholia* pag. 797. ad finem. Præmittit Collectioni huic p. 1. hæc

Quartæ Collectioni causam præbuit Conci-" lium Generale Lateranense, in quo idem Ponti-" fex Capitula 71. edidit, sed & illo quinquennii" spatio post tertiam Collectionem, aliquot edi-" derat Constitutiones. Sed duplex editio extat," altera Canones tantum ejus Concilii continet," altera alias quoq; constitutiones. Ejus interpres" Vincentius fuisse dicitur, ego Joannem, & Jaco-" bum, & Robertum sive Rogerium reperi. Pag." autem 733. sic idem Ant. Augustinus. Juris Pon-" tificii trium Collectionum veterum editionem" sequitur *Quarta*, quæ multa Innoc. III. post tertiam Collectionem rescripta, umnesq; Concilii" Generalis Lateranensis Constitutiones, ejusdem" Pontificis auctoritate & præsentia confirmatas" complectitur. In hac permulta sunt, quæ in su-" perioribus Collectionibus duriora aut obscurio-" ra videbantur, mutata rectius & maximâ cum" prudentiâ atq; æquitate moderata. Addimus Jo." Teutonici doctissima Scholia, & quorundam a-" liorum. Hic est ille Joannes, cujus extant ad Gra-" tianum doctissimæ lucubrationes, à Barth. Brixi-" ensi posteà interpolatæ, quarum in hoc Opere" idem mentionem facit. Sumpsit utcunq; ab hoc Bernard. Par-" mensis, cujus hodie Scholiis utimur in Gregorianis libris, quod" Joannes Andreæ filius notat, & nominatim eundem sæpe te-" stem citat, ejusq; verba refert, additis atq; detractis, quæ ei vi-" sa sunt. Licebit igitur his & illis uti, & tanquam ex perlucido" fonte, quod sæpe dicendum est, puriorem aquam sumere: ut" eodem tempore & Innocentiana verba, qualia initio fuerunt," & has interpretationes pleniores cognoscamus. Hanc nos" Collectionem cum Scholiis, ex Bibl. Panormitanæ Ecclesiæ" describendam curavimus, mox cum aliis libris Tarraconensis" & Barsinonensis Ecclesiæ contulimus." Hæc *de Collectionibus* Epistolarum Decretalium Innoc. III. dicta sunt, occasione *Collectionis illarum secunda*, quam Pet. Beneventanus adornavit.

FINIS LIBRI SECVNDI.







